UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte Et Statv Religionis

Qvo Qvid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in specie, De Religione Societatis Jesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

urn:nbn:de:hbz:466:1-93501

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 902 a.

Cv.
6

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P.

FRANCISCI SVAREZ,

GRANATENSIS E SOCIETATE IESV DOCTORIS THEOLOGI,

ET IN CONIMBRICENSI ACADEMIA
Sacræ Theologiæ quondam Primarij & emeriti Professoris:

DE VIRTVTE ET STATV RELIGIONIS.

TOMVS IV. ET VLTIMVS.

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione regulari prouenientibus.

De varietate Religionum tam in genere, quàm in specie.

De Religione Societatis IESV *in particulari.*

Cum Superiorum permissu, & Priuilegio Cæsareo.



MOGVNTIÆ,
Sumptibus Hermanni Mylij Birckmanni,
Excudebat Hermannus Meresius.

Anno Domini M. DC. XXVI.

R. P. N.

MVTIO VITELLESCO,
SOCIETATIS IESV
PRÆPOSITO GENERALI,

Opus Suarij de RELIGIONE

Ex eadem Societate BALTHASAR ALVAREZ *D. & C.*

POSTREMVM hunc, & germanum, quanquam posthumum Suarij de Religione fœtum, quem ipse iam conceptum diu parturierat, in meo sinu hactenus incluſum in lucem tandem editurus, pauliſper hæſi dubius, quo ſub ſidere naſcentem emitterem. Nefas quippe eſſe ducebam partum illuſtriſſimum adeò obſcurè, expectatiſſimum adeò temerè in vulgus prodire, quin priùs aſtrum haberet natalitium, quod & illius dignitatem augeret, & fauſtum, ac fortunatum exitum portenderet. Circunſpexi igitur, neque vllum mihi aut ſplendidius, aut benignius occurrit, quàm tu vniuerſæ Societatis noſtræ & parens, & columen ſingulare, qui in Romano cœlo tuâ ipſe luce conſpicuus oculos, & animum ad te conuertiſti, imò rapuiſti. Vidi, ac præuidi illicò, quàm benè, & fauſtè caſurus ortus; pignuſque accepi felicitatis futuræ, & in tanto fulgore ſpes præluxit bonæ fortunæ, quæ animum altiùs erexit, & mirificè confirmauit. Viſum mihi fuit & ſalubre, & honeſtum, quin etiam gloriosum, occaſione pulcherrimâ oblatâ vti, illum tibi naſcentem dicare, conſecrareque, te illi ſidus natalitium aſſignare, cui feliciter præſideas, quem humaniter foueas, quem benignè intuearis. Idque vel maximè, quòd & rationi conſentaneum, & operi vtile, & dignitati tuæ decorum fore putaui. Rationi conſentaneum; quia cùm toti Societati, velut ſol vniuerſo orbi præſis, Aſtronomiæ lex, & ratio poſtulat,

Fr. Suarez de ſtatu relig. tom. 4.

postulat, vt nostrum tibi Mercurium adiungas, qui vt sapientiæ symbolum est, ita cum Sole, vt obseruant Astrologi, incredibili modo consentit. Operi vtile; quia tui syderis miti, facili, & benigno aspectu fœtus noster adolescet, confirmabitur, corroborabitur, quin à pestifero alicuius astri oculo sideretur. Dignitati tuæ decorum; quia, quemadmodum Soli glorioſum est, quòd astra reliqua ab eo lucem mutuentur. ita decorum tibi erit, quòd tantum sydus à te fœneretur splendorem. Sed omissis verborum inuolucris, abiecto fuco lenocinioq; dicendi, rem nudam syncerè inuestigemus. Plurimis igitur iustissimisq; de causis censeo Suarium hoc tibi vni ex omnibus Opus, teq; illi etiam opem, fidem & patrocinium debuisse, ita vt eodem mutui officij nexu vinciamini. Quàm est æquum, vt quod opus, vir in tota hac tua familia maximus in lucem edit, tibi eiusdem familiæ Parenti maximo consecretur? Quàm conueniens, vt quos beatissima nostri soli gleba fructus tulit, tibi cultori, & domino agri reddantur? Quàm consentaneum, vt quas plenissimus Sapientiæ fluuius aquas euoluit, ad te fontis caput iterum redeant? Sunt quidem hæc altiùs repetita, illa videamus, quæ è re ipsa magis nascuntur. Opus de Religione Societatis, quod in toto hoc volumine præcipuum eminet, ex monito ac præscripto R.P. D. Claudij Aquauiuæ Suarius conficiendum suscepit; nónne res ipsa postulat, vt quoniam à Claudio principium accepit, ad te (qui in eius locum, neq; nomine, neq; factis inferior successisti) tanquam ad terminum & finem referatur? Omnium certè cæterorum fœtuum Suarij, quos tu cùm per otium legeres, pulcherrimum iudicasti; nónne hoc nomine tuus est, parens Societatis optime, cui iure optima quæque debentur. Nónne præterea eius hoc titulo Opus tibi vendicas, vt cuius doctrinam olim (quod ingenuè confiteris) amplexus es, modò tuearis? & quem viuum magistrum habuisti, mortuum hoc saltem patrocinij officio prosequaris? Iam verò, quòd huius Libri scopus sit nostra Societas, adeò tuum reddit Opus, vt nemini, te præter vnum, conuenire posse videatur. Quapropter existimo, & ita credere par est, hanc mihi mentem ab ipso Suarij animo iam Beato immissam fuisse, qua me violentiùs impelli sentiebam, & cui tandem post varios solicitudinum æstus acquieui. Quippe qui nutricis more fœtus curam suscepissem, sedulò aluissem, & in sinu hactenus contentum nollem exponere fortunæ arbitrio, sed tutori fidelissimo quasi pupillum exhibere, & in tutissimo alicuius gremio collocare, qui tantum pignus, quantum ego cepe-ram, & caperet, & sustineret. Quanquam enim Suarij Opera non rudia, & inchoata, sed absoluta, & perfecta sint, adeò vt existimem Diuino consilio factum esse, vt tot Libri post eius mortem, maturè satis in lucem ederentur, quo omnibus palam fieret, nihil in iis rude, nihil informe esse, quod Parentis lima, aut lingua vrsi more formaretur; tamen, &

men & præclarum mihi fore videbatur, & illi salutare, si eum illi patronum adhiberem, qui non modò protegeret, sed efferret, non modò susciperet, sed illustraret, non modò defenderet, sed etiam nobilitaret. Hac enim ego ratione abundè mihi satisfactum putabo, quoniam illum laboris & industriæ in hoc fœtu alendo, & nutriendo fideliter collocatæ fructum accepi, vt te tutorem optimum relinquerem eius fœtus, qui parente optimo orbatus esset. Suscipe igitur illius curam, & tuæ in eo Societatis imaginem, non fictis adumbratam, sed veris expressam coloribus contemplare, & siue parens es, ad eius nos similitudinem effingito; siue imperator, ad hoc vexillum explicatum euocato: siue magister, hoc nobis vitæ & morum castigatissimum exemplar imitandum proponito: siue pastor, nos intra hos legum & rationum carceres, & septa contineto; siue Sol, hoc nos lumine illustrato, & hanc facem nobis inspiciendam obiicito, vt in ea aciem mentis nostræ experiamur & irretortis oculis, firmoq; obtutu defixi, generosos nos esse Aquilæ magnarum alarum, id est, Parentis Ignatij pullos, & tibi, & omnibus verè probemus. VALE Societatis nostræ Parens obseruandissime.



Ad Lectorem.



Hoc de Religione postremo volumine fidem tibi pro Suario soluimus, studiose Lector; habes quò auidum expleas animum, fastidio procul exulante. Excusa prius typis (nec diffiteor) pleraq; de Societatis IESV instituto acceperis, sed non priùs exarata calamo. Nam quadripartitum atq; elaboratum de Religione Opus ante annos ferè 18. in suo seruabat scrinio Author Suarius. Acceperis antea scitè admodum explanata, quæ ad mores, leges q; nostræ familiæ referuntur; sed quæ ad splendorem illius faciant, quæ ad refellendos impugnatores conferant, non alibi prius data, non accuratiùs elucubrata. Neq; verò quod de aliis Religiosorum Ordinum institutis preßius dixerit Suarius, inuidiam sibi iure conflauerit: breuitatem quippe indixit prouectior ætas, qua suo flexu ad occasum, metamq; properabat, ac par erat, vt explicatis obiter alienis (omnino enim præterire, proposita ab initio tractandi series minimè patiebatur) de suæ Religionis institutione ac documentis, qui scopus fuerat à Parente Claudio præfixus, latiùs dissereret. Nam hîc probanda erant ex Antiquitate, quæ indocti quidam noua esse obijciebant; hîc absoluenda argumenta, quibus varij Societatis gradus acerbè impetebantur; hîc proterenda calumniæ, quibus non benè in ipsam animati odiosam vulgo atq; inuisam redderent: quem planè laborem non frustrà suscepisse Suarium speramus: imò fore, vt cùm ad manus legentium venerit, discat ac sibi demum persuadeant, hanc Societatis nostræ Regulam appositißimam esse, quæ Professores suos ad religiosæ vitæ perfectionem ducat, ad proximorum salutem procurandam instruat, & ad Ecclesiæ Catholicæ fines propagandos obarmet. Illud tantùm moneo addidisse nos huic Operi (præter morem Suarij) allegationes quasdam magis peculiares, indicatis scilicet capitulis, ac numeris, in quibus aut iam dixerat, aut dicturus quippiam erat. Nimirùm quantum id impendio temporis prospicit, tantum legentibus gratum esse solet.

Vale.

Facul-

Facultas Prouincialis in Lusitania.

EGO PETRVS NOVAIS, Societatis IESV in Prouincia Lusitaniæ Prouincialis, potestate ad hoc mihi facta á R. admodum P. Mutio Vitelleſco Præpoſito noſtro Generali, facultatem concedo, vt Tomus hic quartus de Religione á Patre Franciſco Suarez, noſtræ Societatis ſacræ Theologiæ Doctore, & in Conimbricenſi Academia primario olim Profeſſore emerito compoſitus, eiuſdemque Societatis grauium ac doctorum hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas dedimus. Oliſippone 15. Ianuarii anno 1624.

PETRVS NOVAIS.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV
in Prouincia Rhenana,

CVm ex mandato Sacræ Cæſareæ Maieſtatis, omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis, ac aliam quamcunque librariam negotiationem exercentibus, ſerio firmiterque inhibeatur, ne quiſquam libros vllos à Societatis noſtræ Patribus hactenus editos, aut impoſterum edendos, intra Sacri Imperii, regnorum & dominiorum Sacræ Cæſ. Maieſt. hæreditariorum fines, ſimili alioue charactere aut forma, ſiue in toto, ſiue in parte recudere, vel alibi recudendos mittere, aut alibi etiam impreſſos adducere, vendere & diſtrahere, clam ſeu palam citra ſupradictorum Patrum conſenſum ac teſtimonium audeat, vel præſumat. Ego IOANNES COPPERVS *Societatis* IESV *per Rheni Prouinciam Prouincialis, concedo* HERMANNO MYLIO *facultatem excudendi* FRANCISCI SVAREZ DE VIRTVTE ET STATV RELIGIONIS TOMVM III. ET IV. *In quorum fidem hoc ei teſtimonium manu noſtra ſubſcriptum & ſigillo munitum dare voluimus. Monaſterii. 1623. 24. Maii.*

Ioannes Copperus.

INDEX

INDEX TRACTATVVM ET LIBRORVM QVI HOC QVARTO TOMO CONTINENTVR.

TRACTATVS OCTAVVS.

De obligationibus Religiosorum ex regula, prælatione, & subiectione regulari prouenientibus. fol. 1.

LIBER I. DE propriis obligationibus Religiosorum, quatenus sub propria regula viuunt, vel specialib. iurib. subduntur. ib.

II. De Religiosis quatenus Prælati sunt, & eorum obligationibus, vt sic. 49

III. De Religiosis deserentibus, vel mutantibus aliquo modo statum suum, atque de obligationibus eorum. 178

TRACTATVS NONVS.

De varietate Religionum, tam in genere, quàm in specie. 275

LIB. I. De varietate Religionum in genere. ibid.

II. De varietate Religionum in specie. 321

TRACTATVS DECIMVS.

De Religione Societatis Iesu in particulari. 316

LIB. I. De Religione Societatis Iesu quoad institutionem & institutum eius in generali. ibid.

II. De ingressu in Societatem, & probatione, & quæ illum antecedit, & quæ subsequitur. 394

III. De admissione scholarium in Societatem per vota simplicia, eorumque dimissione. 417

IV. De votis simplicibus castitatis, paupertatis, &c. quæ in Societate Iesu emittuntur. 448

V. De scholasticis ac studiis Societatis Iesu, tam domesticis, quàm externis. 512

VI. De professione, quæ in Societate fit, ac de iis, quæ illam antecedunt, & consequuntur. 535

VII. De Professis trium votorum, & coadiutoribus formatis Societatis. 582

VIII. De mediis, quibus ad propriam perfectionem acquirendam Societas vtitur. 592

IX. De mediis seu ministeriis, quibus ad proximorum salutem Societas vtitur. 619

X. De regimine Societatis, & consequenter de Prælatis eius. 675

XI. De iis qui religiosum statum à Societate mutant. 733

Capita eorumque numerum initio cuiusque libri suo ordine reperies.

INDEX

INDEX LOCORVM S. SCRIPTVRAE, QVAE HOC OPERE AVT CITANTVR, AVT EXPLICANTVR.

Primus numerus paginam, secundus marginalem eiusdem paginæ numerum indicat.

EX VETERI TESTAMENTO.

Lib. IV. Regum.

CAP. 2. *VM leuare vellet Dominus Eliam per turbinem in cælum, ibant Elias & Eliseus de Galgalis.* 353.10

5. *Vinam fuisset Dominus meus ad Prophetam qui est in Samaria.* 354.14

Iob.

38. *Super bases illius solidatæ sunt.* 360.1

Psalmi.

Psal. 47. *Vacate, & videte, quia ego sum Dominus.* 292.4

83. *Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit.* 660.1

118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* 666.10

Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum. ibid.

132. *Quam bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* 606.4

144. *Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt, & in iustitia tua exultabunt.* 379.7

Prouerbia.

1. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua, dicens: vsquequo paruuli diligitis infantiam.* 625.25

4. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* 450.10

Sapientia.

8. *Sciui quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ scire cuius esset hoc donum.* 454.2

Ecclesiasticus.

8. *Ne spondeas supra virtutem tuam.* 412.3

11. *Fili, ne in multis sint actus tui.* 380.10

Ieremias.

12. *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde.* 292.4

Threni.

3. *Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius, & tacebit, &c.* 291.3

EX NOVO TESTAMENTO.

Matthæus.

4. *VEnite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* 375.6

5. *Beati misericordes.* 291.3

Beati mundi corde. ibid.

Si oculus tuus dexter scandalizat te. 198.5

6. *Nemo potest duobus Dominis seruire.* 291.1

Non potestis Deo seruire & Mammonæ. ibid.

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. 400.5

10. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* 625.25

18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus. Quæcunque ligaueritis, & solueritis, &c.* 51.9

Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum, 695.3 & 696.7

19. *Vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus.* 462.19

25. *Quod vni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis.* 291.3

26. *Similiter omnes discipuli dixerunt: Tunc venit Iesus cum illis in villam q̃ dicitur Gethsemani, &c.* 634.21

Marcus.

10. *Nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, &c.* 391.6

Lucas.

5. *Simon & alij annuerunt sociis, qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos.* 388.1

7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, & cui minus dimittitur, minus diligitur.* 609.17

9. *Sequere me.* 336.2
Tu autem vade, & annuntia regnum Dei. ibid.

10. *Manducate quæ apponuntur vobis.* 681.7
In eadem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt. ibid.
Optimam partem elegit. 291.3, 293 10, 295.1
Duc illi vt me adiuuet. 388.1

13. *In plateis nostris docuisti.* 624.25

14. *Nisi quis renunciet omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* 459.10
Exi cito in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles & cæcos & claudos introduc. 625.25

22. *Tu es Petrus, &c* 427.5

Ioannes.

13. *Quod facis fac citius.* 155 3
In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. 371.7

14. *Hæc est vita æterna, vt cognoscamus te solum verum Deum.* 291.3

18. *Sciebat autem Iudas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis.* 665.8

Acta Apostolorum.

5. *Nos autem orationi & verbo instantes erimus.* 293.10
Si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissoluetur. si vero ex Deo est, non poteritis dissoluere illud. 372.8

6. *Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* 375.6, 383.1, 588.3

20. *Posuit vos Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei.* 52.10

Epistola D. Pauli ad Romanos.

10. *Quomodo prædicabunt nisi mittantur.* 619.2

13. *Qui diligit proximum, legem impleuit.* 383.9

Epist. I. ad Corinthios.

1. *Fideliis Deus per quem vocati estis in Societatem filium eius Iesu Christi.* 3.1.9
Auferte malum ex vobis ipsis. 198.35
Vidua eligatur in operibus bonis, testimonium habens. 313.7
Si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus subministrauit. ibid.

7. *Si infidelis discedit, discedat.* 151.3
Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine vxore est, sollicitus est quæ domini sunt, quomodo placeat Deo, &c. 254.1
Porro hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento domino obseruandum. ibid.
Reliquum est, vt qui habent tanquam non habentes sint, & qui emant tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. 460.2

10. *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis omnia in gloriam Dei facite.* 606.2

13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* 291.3

Epist. II. ad Corinthios.

8. *Ordinatus est ab Ecclesijs comes peregrinationis nostræ.* 585.4

Epistola ad Galatas.

6. *Vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.* 605.6

Epistola ad Ephesios.

3. *Eius factus sum ego minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum virtutem operationis eius: mihi enim sanctorum minimo data est gratia euangelizare inuestigabiles diuitias Christi.* 380.9

Epistola ad Philippenses.

2. *Spero in Domino Iesu Timotheum me cito mittere ad vos, &c.* 585.4

Epistola ad Colossenses.

1. *Sine intermissione orate.* 292.4

Epist. I. ad Thessalonicenses.

2. *Non quasi hominibus placentes, sed Deo qui probat corda nostra; nec enim aliquando fuimus in sermone adulationis, nec quærentes ab hominibus gloriam.* 620.34

Epist. II. ad Thessalonicenses.

2. *Sicut probati sumus à Deo vt credatur nobis Euangelium, ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probas corda nostra.* 606.2

Epist. I. ad Timotheum.

4. *Exercitatio corporalis ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia.* 392.18
Attende tibi & doctrinæ. 367.11

5. *Qui*

5. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt, maximè qui laborant in verbo, & doctrina.* 609.17
Peccantem coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant. 699.17

Epist. II. ad Timotheum.

2 *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus vt ei placeat, cui se probauit.* 291.1
4 *Prædica verbum, insta opportunè, importunè.* 625.27

Epistola ad Titum.

1. *Amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* 368.11

Epistola Iacobi.

1. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum.* 667.4

Epistola I. Petri.

2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* 655.26
3. *Melius est benefacientes pati, quam male facientes, quia Christus semel pro peccatis nostris mortuus est.* ibid.
4. *Communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.* ibid.

Epistola I. Ioannis.

1. *Quod vidimus & audiuimus, annuntiamus vobis, vt & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum filio eius Christo.* 360.13

INDEX BVLLARVM, CONCILIORVM, CONSTITVTIONVM, MOTVVM PROPRIORVM, &c.

BVlla Alexandri III. 286.11. & seq.
Gregorij XIII. an. 1575. 143.3,369.2,371.6.629.3.
Gregorij XIV. de confirmatione instituti Societatis. 408.13
Iulij III. 166.12,369.2,389.10,476.1, 537.14
1. Pauli III. 358.10,362.8,369.2,476. 1,537.14,545.7,620.2,628.1,685.7
2. Eiusdem. 359.10,369.2
3. Eiusdem. 369.2
vlt. Eiusdem. 129.15,144.8,150.5.& seqq. 371.6
1. Pij IV.
Pij V. *dum indefessa.* 143.3,307.5
2. Eiusdem. 371.6
Concilium Agathense c.18. 38.1
Arelatense IV. cap.7. ibid.
Aurelianense can.21. 53.13
Cabilonense II. can.65. 31.11
Carthaginense III. can.33.29. 2,31.11
IV. c.vlt.18.5.cap.11. 21.18. can.30.& 32.159.2.cap.11.318.3
Chalcedonense cap.4.23.5,279.4
Colonienſe. 1.p.c.3.531.6
Gangrense. 375.4
Hispalense II.cap.9.*c.in noua.* 16.q.7. c.11.313.5
Lateranense. 56. 2. cap. 6. 531. 4 & seq.
Matisconense I.c.2. 38.1
Nannetense c.4. 671.2
Nyssenum. can.14.54. 56.52.13
Toletanum II.c.1. 418.5.
IV.cap.8.280.7, c.25.406.8. cap.23. 418.5
VI.c.6. 19.5
X. 21.18
XI.c.7. 607.6
Tridentinum sess.25. c.4. de regularib. 23.6
Ead.sess.c.7.de reg.77.7,& seqq.c.4. de regul. 102.14
Sess.24.c.6. 104.8
Sess.25.de regul.cap.1. 109.25.ibid. 27.& seq.cap.5.de reg. 31.12.13,ibid.38.2
Sess.22.c.1.de reform.& sess.24.c.12. in fin.46.2
Sess.25.de reg.c.10. 121.7
Sess.24.c.6. 152.12
Sess.23.c.10.de reform. 171.19, 176.10
Sess.14.c.11. 252.6,ibid.8
Sess.25.c.19.de reg.436.8.c.1.de reg. 459.11
Sess.5.c.2.de reg. 620.4
Sess.24.c.4. ibid.
In declaratione ad sess.14.c.7.631.13
Congregatio VIII. generalis. can.26. 402.31
Constitutio Gregorij XIII. 45.26
Eiusdem. *Ascendente Domino* 186.3,275. 2,371.6,380.9,540.2.& alibi.

Eiusdem

Eiusdem in Bulla anni 1573. incip. *Ex Sedis Apostolicæ.* 384.3
Alia eiusd. 418.4
B.Ignatij c.3.§.4. 384.3
Eiusd.in fine.c.2. 418.13
Eiusd.p.3.c.1.§.6. 455.6
Decretum Clementis VIII. de reseruatione casuum pro regularibus. 120.4
Motus proprij Pij V. & Gregorij XIII. 26.4
Ordinatio P.Claudij. 604.13
Responsum congregationis Cardinalium. 45.27
Synodus VII.sess.canon.10. 38.1

LOCA IVRIS CANONICI, ET CÆSAREI.

Ex decreto.

Bbas 2.18 q. 2. 63.11
Abbati d.54. 157.11
Abbatem 2.18.q.2. 76.2,81.19
Abbates.18.q.2. 54.2
Consideret.de pœnit.d.5. 47.6
Decimas.16.q.1. 311.9
Definimus.18.q.2. 384.4
De viduis.27 q 1. 19.5
Deuotis.20.q.1. 315.6
Diaconissam.27 q 1. 318.15
Gesta.73 d. 30.7
Hoc nequaquam.7.q.1. 361.4
In decima.18.q.2. 45.26
In noua 16.q.7. 77.6
Iuxta.16 q 1. 22.2
Monachum.20.q.3. 19 5
Monachi.2.16.q.1. 22.2
Monasteria.18.q.2. 38.1,54.2
Nullam.18.q.2. 57.11,154.2
Perniciosam.18 q.2. 2 2
Placuit.1.& 2.16.q.1. 22.2,212.4
Quæ contra mores.d 8. 90 23
Quàm sit necessarium.18 q.2. 53.16,63.11
Qui vere 16 q 1. 22.2,280.10.11
Quisquis.14 q 1. 5.6
Quoniam.69 d ex VII. Synodo.c.14. 165.3
Sacrorum.12.q.2. 160.5
Sanctimonialis.23 d. 21.18,318.3
Sicut.27.q 1. 19.5
Sine exceptione.12 q.2. 115.6
Statuimus.19 q 3. 226.12,231.3
Statutum.18.q.1. 259.21
Vidua.20.q.1. 21.18
Viduas.27 q 1. 19.5
Visis.16 q 2. 83.5
Vlt.d.50. 1143
Vn.15 q.2. 311.9

Ex decretalibus.

Acrapula.de vita & hon.cler. 46.2
Ad aures.de reb Eccl.non al. 160.6
Ad nostram.de appel. 21.17
Clerici 1.de vita & hon.cler. 20 13,46.2
Clerici 2.de vita & hon.Cler. 19.4,20.13,263.9
Contingit.de arbitr. 66.23
Cum ab Ecclesiarum.de offic.ord. 506,56.8
Cùm accessissent.de constit. 80.5
Cum ad monasterium.de statu monach. 3.5,463. 109.25.459 10
Cum ad nostram.de elect. 62.8
Cum causam.de elect. 51.7,52.12,62.8
Cum dilectus.de relig.dom. 51.11,53.16
Cum sit de ætat & qual. 404.2
De causis §.1.de offic.del.g. 20.14
Deus qui.de vita & hon. cler. 18.3,194,20,11. 21.16
Ea quæ.de statu monach. 56.7
Episcopum.de cler.ven. 46.2
In singulis.de statu mon. 53.16,543.567
Insinuantes.qui cler.vel vou. 271.21
Inter cætera.de offic.ord. 6.9.1
Licet de Eccl ædif. 230.31
Monachi.de statu mon. 1,44
Monasteria.de vita & hon.cler. 4424
Multa.ne cler.vel mon. 46.2
Nam concupiscentiam.de consti. 72
Nisi cum pridem.de renunc. 281.5,282.18
Non licet.de reb.Eccl non al. 160.7
Nouit.de iudic. 704.15
Nullum.de statu monach. 155.5
Nuper.de sent.excom. 141.10
Officij.de elect. 64.16
Omnis utriusque sexus.de pœnit.& remiss. 1144
Omnibus.de cler.ven. 46.2
Quanto.de offic.ord. 23.5,56.8
Quia propter.de elect. 702
Quod Dei timorem.de statu reg. 52.12
Quod à te.de cler coniug. 247.3
Recolentes.de statu mon. 328 4
Relatum.ne cler.vel mon. 7.2
Reprehensibilis de appell. 98.2,& seq. 221.17
Sane de regul. 171.16
Statuimus.de suppl.neglig prælat. 29.7,173.26
Super eo.de regul. 41.11
Transmissam.de elect. 66.22,& seqq.
Tuam de ætat. & qual. 319.5
Vxoratus.de conuers.coniug. 13.12
Vlt.de offic.ord.

Ex sexto decretalium.

Abbates.de priuil. 51.7,53.13,56.9,170.13, & seqq.

Accu-

Accusatus de hæret. 46.4
Ad nostram de appell. 30.7
Ex eo §. in Ecclesiis de elect. 68.3
Exiit de verb sign. 3.4
Indemnitatibus. *de elect.* 79.14
Nullus. *de elect.* 52.12
Quod omnes de reg iur. 30.7
Quorundam de elect. 265.5
Statuto §. statuimus de decimis. 37.15
Vt periculosa ne cler. vel mon. 17. *initio & nu.* 7. & *seq* 21.18
Vnic. §. sane de relig. dom. 3.2
Vn. §. verum de statu reg. 35.5,38.2,39.5
Vn. §. confirmatos de rel. g. domib. 306.4

Ex Clementinis.

1 de consti. 21.18
1. De elect. 51.7,52.12, 63.11,76.3,273.27
1. De statu monach. 23.5,46.2,114.4.
Dudum de sepult. 62.4
Exiui, de verb sig. 3.4
Vtii. de ætate & qual. 68.5

Ex Extrauagantibus Ioan. XXII.

Autiquæ de voto. 456.9

Ex Extrauagantibus communibus.

Ambitiosæ. de reb. Eccl. non al. 163.19. *& seq.*
Inter cunctas. de priuil. 125.15,624.23

Ex Digestis.

l.1. de iure delib. 20.14
l.1. De reg. iur. 1.1
l.9 De iur. & fact. ignor. *ibid.*
l.17 De ædil. edict. 187.10
l. Si constante sol. matr. 37.15
l. Si ita scriptum de leg. 2. 64.16

Ex Codice.

l. Sancimus. de sacr. Eccl. 160.5

Ex Authenticis.

Auth. de alien. & emphyt. c. 9. 160.5
Auth. de monach. coll. 5. 398.17

INDEX

INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI.

De propriis obligationibus Religiosorum, quatenus sub propria regula viuunt, vel specialibus iuribus subduntur.

Cap. I. *Quid & quotuplex regula Religiosa sit, & quomodo à Constitutione differat?*

II. *Quam obligationem inducat regula religiosa, & quomodo cognoscatur quanta sit talis obligatio.*

III. *Quomodo dignoscatur regulam obligare, quando id non exprimit.*

IV. *Vtrum Religiosus teneatur sub præcepto ad non contemnendam regulam, & consequenter an teneatur ad progrediendum in via perfectionis secundum regulam.*

V. *Vtrum teneatur religiosus non dimittere suum habitum.*

VI. *Vtrum religiosi ad clausuram seruandam non egrediendo claustrum proprio & rigoroso præcepto teneantur.*

VII. *An rigoroso etiam præcepto teneantur Religiosi ad clausuram non admittendo externos.*

VIII. *De clausura monialium quoad non egrediendum è monasterio.*

IX. *Quis possit in prædicta clausura monialium dispensare.*

X. *De altera parte clausuræ monialium, quoad ingressum scilicet in earum monasteria.*

XI. *Vtrum omnes actiones sæculares, vel profanæ, & in vniuersum omnes prauæ sint religiosis specialiter prohibitæ.*

TRACTA-

TRACTATVS OCTAVVS
DE OBLIGATIONIBVS RELIGIOSORVM EX REGVLA, PRAELATIONE ET SVBIECTIONE REGVLARI PROVENIENTIBVS.

LIBER PRIMVS.

De propriis obligationibus Religiosorum, quatenus sub propria regula viuunt, vel specialibus iuribus subduntur.

POST explicatam essentiam & substãtialia vincula status Religiosi, dicendum superest de obligationibus, quæ ad omnes pertinent quatenus Religiosi sunt. Et quoniam tractando de votis, quibus Religiosi efficiuntur, simul diximus de obligationibus quæ ex illis nascuntur, & in Religiosis potissimæ sunt: ideo solùm hic superest dicendum de Regula & propriis statutis, seu constitutionibus Religiosorum, & obligationibus quæ ex eis nascuntur directè, vel etiam indirectè, seu consequutione quadam ratione ipsius Religiosi status, vt in sequentibus constabit. Hoc ergo primo libro dicemus de vi ac potestate regulæ & constitutionis religiosæ, ac obligationibus ex eis directè consurgentibus, etiam illis quæ iure canonico sunt impositæ; postea verò de indirectè consurgentibus ex statu ipso, seu officio.

CAPVT I.

Quid & quotuplex Regula Religiosa sit, & quomodo à Constitutione differat?

L. Regula significatione ambigua.

VT obligationem directè prouenientem personæ Religiosę ex sua regula vel constitutione intelligamus; oportet vt quid ipsa Regula, quidve Constitutio sit, & an discrimen inter se habeant, exponamus. *Regula* (inquit Isidorus lib. 6. Etymologiar. c. 16. & refertur cap. 2. d. 3.) *dicta ex eo quod ducit, nec aliquando aliorsum trahit.* & subiungit, *Alii dixerunt regulam dictam vel quòd regat, vel quod normam rectè viuendi præbeat, vel quod distortum prauumque corrigat.* Aliter Iurisconsultus l. 1. ff. de reg. iuris; *Regula est* (inquit) *quarum, quæ est, breuiter enarrat: non vt ex regula ius sumatur, sed ex iure quod est regula fiat.* Vnde constat vocem hanc æquiuocam esse, nam interdum significat instrumentum artis ad dirigendas aliquas actiones inuentum, vt ex communi vsu constat, & inde videtur deriuata ad significandum principium aliquod inuentum ad dirigendas operationes morales, & sic apud iuris peritos regulæ frequentiùs appellatur breuis & compendiosa præceptio ex iure collecta, vt sit veluti norma aliquarũ actionum. Sic inscribuntur tituli de regulis iuris, sic etiam dicitur in l. 9. ff. de iuris & facti ignorantia. *Regula iuris est, ignorantiam iuris nocere, facti vero non,* & sic de aliis. Ex quo tandem in iure canonico regula solet pro lege seu iure sumi: nam lex est, quæ maximè dirigit operationes morales, & in hoc sensu videtur sumpta ab Isidoro citato loco; vbi etiam ait regulam Latinè idem esse quod canonem Græcè: canones autem communi vsu iam vocamus canonicas leges. Nihilominus tamen nomen regulæ etiam in hac significatione Ecclesiastica sumptum non significat rigorosum præceptum obligans in conscientia, sed simplicem ordinationem mores hominum dirigentem: sicut regulæ artis appellantur præceptiones in vnaquaque seruandæ, vt opus artificiosè fiat. Hoc ergo modo quasi per antonomasiam applicata est illa vox ad significandum regulam religiosam. quia strictiori & perfectiori modo religiosorum actus dirigit, vt bene notauit Vmbertus in expositione regulæ Augustini c. 7. vnde ab illa ipsi Religiosi regulares sunt appellati, quia ad viuendum secundum regulam aliquam astringuntur, vt cõstat ex rubrica de regularibus; vbi Panormit. & alij id notant. Sicut olim clerici in communi & religiosè viuentes à canone Canonici dicti sunt. Postea verò Canonici Regulares sunt appellati; quia nomen Canonici generalius est, vt optimè notauit Nauar. comment. 1. de regularib. n. 2. & 3. vbi optimè defendit geminatam illam vocem à calumnia Ludouici Viues, nam Canonici simpliciter dicuntur clerici, qui sub aliqua communitate & regula viuunt, quamuis religiosi non sint, sed proprium habeant: Canonici autem regulares appellantur, qui non vtcunque communiter viuunt, sed alia insuper obligatione astringuntur. quod rectè etiam notauit Couarr. in Clement. *si furiosus.* p. 1. in princip. n. 1. vbi aduertit etiam Sanctimoniales Virgines in hac significatione à Chrysostomo Canonicas appellari; id est, regulares.

II. *Regula propriè instituta*

Vlteriùs autem, vt secundæ parti tituli satisfaciamus, aduerti potest interdum appellari regulã quam-

Vita seu collectione multarum Regularum specialiũ, quadruplex olim vsus summodo.

quamcunque singularem ordinationem seu legem, ita vt nomen regulæ commune sit, interdum verò esse hoc nomen collectiuum, significãs normam viuendi secũdùm perfectionem Euangelicã; quomodo vna regula continet in se plures regulas priori modo sumptas, & vtroque modo est frequens vsus huius vocis in præsenti materia, præcipuè tamẽ loquimur posteriori modo. Atque ita distingui solet ab auctorib. quadruplex regulà religiosa specialiter ab Ecclesia approbata, scilicet Basilij, Augustini, Benedicti (de quibus fit mentio, & earum approbatio supponitur in c. *pernici sam* 18.q.2. ex Concilio Rom. sub Innocẽtio II. c.16. & 27.) & regula S. Francisci ab Honorio III. approbata, sub quibus regulis multæ religiones viuunt, vt sub regula S. Benedicti militant ferè omnes ordines monachales, præter Carthusianos, qui habent statuta pro regula, vt notat Sylu. verb. *Religio* 1.q. 7. Vt proprij Benedictini, qui in iure Monachi nigri appellantur, Ciftercienses, Camaldulenses, & alij præterea ferè omnes ordines militares Hispaniæ. Sub regula S. Basilij dicuntur militare ferè omnes Orientis monachi. & idem dicit Antonin. 3.p.tit.16.c 1.§.8. de Carmelitis; sed de hoc postea n. 6. videbimus, nam illius ordinis authores non facilè hoc admittũt, sed suam regulam esse volunt ab omnibus prędictis diuersam, & ante Honorium etiam approbatam. Sub regula verò Aug. militant omnes Canonici regulares, & Eremitæ, qui Augustiniani, & Prædicatores, & plures alij. qui, vt Anton. Sylu. & alij aiunt, licet in regula conueniant, constitutionibus inter se differunt.

III. *Dissolutur prædicta quaarimẽ bris diuisio Regula.*

Vt autem hoc explicemus, & cur illæ tantũ quatuor regulæ numerentur, & approbatæ dicantur, quæri potest quid inter regulam & constitutiones differat. Nam si regula singulariter sumatur, quælibet constitutio religiosa, regula est: si autem sumatur collectiuè, regula vniuscuiusque religionis cõprehendet omnes constitutiones eius, quia ex omnibus consurgit norma viuendi in illa religione: & quia non est maior ratio cur sub collectione regulæ quædam constitutiones potius quàm aliæ comprehendantur. Confirmatur & declaratur: quia quando religiosi promittunt obedientiam secundum regulam, necesse est vt sub regula constitutiones comprehendant, alias non tenerentur secundum illas obedire, nec ad maiorem vel strictiorem obedientiam obligarentur fratres Prædicatores, v. g. quàm Canonici regulares, quia omnes obligantur ad obediendum, secundùm eandem regulam; si per regulam sola Augustini regula intelligenda est: cõsequens est apertè falsum: ergo oportet vt in vnaquaque religione propriæ constitutiones sub illius regula comprehendantur. Quod si hoc ita est, sine causa distinguũtur tantum quatuor regulæ approbatæ, sed tot distinguendę sunt, quot sunt in Ecclesia religiones approbatæ, quia nulla esse potest religio sine propria regula in eo sensu sumpta, alias nõ haberet in quo distingueretur ab alia, nec potest esse religio approbata, quin regula eius approbata sit, cùm tota perfectio & substãtia religionis (vt sic dicam) pendeat ex regula, seu ex ordine ad illam.

IV. *Enucleatur iam ipsa diuisio.*

In hoc potest solùm esse quæstio de vocabulis, & ideo illa vel illorũ vsum distinguere oportet, & ita constabit an in re sit aliqua differentia. Nõ est ergo dubium quin loquẽdo de regula iuxta significationem explicatam ab Isidoro, & ad materiã præsentem applicatam, pro norma rectè & perfectè viuẽdi, omnes constitutiones religionis, quæ in illa habent vim legis, sub regula comprehendantur, quia in illis omnibus consistit norma perfectè viuẽdi in tali religione, & hoc contingit ratio facta. Videtur autem in aliquibus religionibus quasi per antonomasiam vocari regula, quędam specialis norma seu præceptorum collectio à primo aliquo fundatore religiosi status tradita, quæ à cæteris sumpta est tãquam fundamentũ suæ religionis seu modi viuendi: & huiusmodi fuerunt tres illæ antiquiores regulæ Basilij, Augustini, & Benedicti, quæ si attente inspiciantur, adeò breues sunt, vt non contineant omnia, quæ in communitate religiosa necessaria, vel vtilia esse possunt, sed tantũ præcipua & substantialia. & præsertim regula Basilij, quam nunc ex eius operibus colligere possumus, vel ex regulis breuius, aut fusius disputatis, vel ex cõstitutionibus monasticis, vel ex epistola eius ad Gregorium Theologũ, quæ incipit, *Agnouistis de tuas*, quæ est de forma honestæ vitæ: ex his (inquã) locis solùm colligũtur generalia quædã consilia ad viam perfectionis instituendã, non verò omnia quę ad plenam institutionẽ monasterij, vel totius Reip. religiosæ necessaria sunt; & idẽ ferè obseruari potest in aliis duabus. Vnde ortũ est, vt semper illis regulis additę sint aliquę constitutiones vel noua statuta, quæ tẽporum necessitas ostendit esse necessaria. Item factũ est, vt intra latitudinem status religiosi ad diuersos fines sit vnaquæq; ex illis regulis applicata, vel ad eundem sub diuersis cæremoniis, & obseruantiis, iuxta diuersas vocationes, aut pios affectus, quos Deus fundatorib. aut potiùs reformatoribus, vel moderatoribus aliquarum religionum inspirauit. Atque hoc mòdo dicuntur variæ religiones sub vna vel altera illarum regularum militare: quia illam regulà quasi pro fundamento sumpserunt, & proprias obseruãtias addiderunt, de illis etiam proprias ordinationes faciendo, quas, vt ab illa primaria regula distinguerent, constitutiones, vel statuta appellarunt. D. autem Franciscus nullam illarum regularum pro fundamento suæ religionis sumpsit, sed propriam confecit, eiusque peculiarem approbationem obtinuit, & ideo quarto loco inter approbatas nominatur, sub qua militant etiam variæ religiones, vel potius familiæ Minorũ, præsertim tres, Obseruantiæ, Cõuentualitatis, & Capucinorum, quæ sub distinctis Generalibus proprias etiã habent constitutiones seu statuta à propria regula S. Frãc. distincta.

Ex his ergo satis constat, quomodo differat constitutiõ à regula in his religionibus vbi hæc distinguuntur: non enim per se differunt ex obligatione, quam inducunt, vtraq; enim esse potest vel ad culpam mortalem, aut venialem, vel ad solam pœnã iuxta intentionem instituẽtium aut acceptantium talem regulàm vel constitutiones, & secundùm vtramque debent Prælati vniuscuiusque religionis subditos gubernare, & potest eis imputare ex viobedientiæ, vt probatum est. Differentia verò solùm videtur accidentaria in origine, & in hoc quòd regula est quasi generalis & communis, cõstitutiones autem speciales & proprię. Aliqui existimant etiam differre aliquo modo in maiori perpetuitate proueniente, ex specialiori Põtificis approbatione seu confirmatione: nam regula non potest sine Põtificis authoritate mutari, quia est iure communi, vel à Pontifice specialiter confirmata: constitutiones autem sicut per religionem factæ sunt, ita per eã mutari possunt. ita D. Anton. 3.p.tit.16.c.1.§.4. ex Ioanne Andr. in Nouellis. De qua differentia mihi satis non constat: & ideo consulenda censeo singula instituta, & quo sensu & modo vnaquęque talé regulam sumpserit, ac profiteatur: nam de tribus antiquioribus regulis non habemus ita expressam Põtificum, aut iuris communis approbationem. Nam Innocent. II. in dict. c. *pernicios am* obiter tantum illarum mẽtionem facit, & supponit potius antiquam approbationem, quæ scripta non habetur, sed potius traditione & vsu facta videtur, quamuis de regula S. Benedicti legitur specialis S. Greg. approbatiõ in hæc verba, *Ego Gregorius S.R. E. Præsul scripsi vnã B. Ben. dicti, & legi regulam, quã ipse sanctus man. propria scripsit*

scripsit, laudauit eam & confirmauit in sancta Synodo. ita refertur ad finem illius regulę post cōmentarios Turrecrematæ in quodam antiquo volumine, de cuius authoritate mihi satis non constat. Deinde non cōstat illas regulas ita esse confirmatas à Pontificibus, vt non possint à religionibus, quæ illas profitentur communi consensu & authoritate mutari. Loquimur autem de mutatione quoad aliquas particulares partes regulę, nam mutare totam iam esset mutare religionem, & substantiam eius. quod religio facere non potest, aliàs destrueret seipsam. Hoc tamen modo etiam non potest talis religio authoritate sua mutare omnes constitutiones simul sumptas, quibus quasi constituitur in esse talis religionis: quia hoc esset destruere suam specialem professionem: non videtur ergo esse in hoc magna differentia. Præsertim, quia etiā constitutiones approbatarum religionum solent esse à sede Apostolica confirmatæ, & nihilominus ab eadem sede habet religio potestatem ad mutationem aliquam faciēdam: idem ergo potest contingere circa regulam. Consulendæ ergo sunt facultates Apostolicæ quas in hoc vnaquæque religio habet. Specialiter verò ex regula S. Benedicti, & S. Francis. quædam sunt in iure canonico insertæ, vt patet ex cap. *Cum ad monasterium*. De statu monach. & ex cap. *exiit*. de verborum signif. in 6. & Clement. *exiit*. eod. tit. & in his verum esse opinor nō posse fieri abrogationem seu derogationem, Summo Pontifice inconsultō.

VI. Secundum Caietan. Secundò sequitur ex dictis, multas esse religiones approbatas, quæ non habēt regulā in eo sensu sumptam, id est, à constitutionibus distinctam, aut ex aliquo antiquo Patriarchā religionum sumptam, non tamen propterea carēt regula propriissimè dicta, verè enim ac propriè regulares sunt: habent ergo suas cōstitutiones pro regula. ita sentiūt de Carthusiensibus Antonin. Sylvest. & alij: qui putant vsque ad sua tempora nullam aliam religionē approbatam fuisse, quæ aliquam ex prædictis regulis non profiteretur. Et sane Innocent. II. in dict. cap. *pernicioſam*. satis significat, vsque ad sua tempora omnes veros religiosos sub aliqua trium antiquarū regularum militasse: sic enim ait de quibusdam mulieribus, *Quæ licèt nequè secundùm regulam B. Benedicti, nequè Basilii, aut Augustini viuant, sanctimoniales tamen vulgo creditæ sideant*; quasi tacitè supponendo illas fœminas non potuisse nisi sub aliqua ex his regulis veram religionem profiteri. Nihilominus tamē Carmelitæ ante Innocentium II. verè religiosi erant, & tacitam saltem approbationem habebant, vt colligitur ex cap. vnico, §. *sanè*. de relig. domib. in 6. & infrà latiùs dicemus; & tamen ipsimet dicunt se nullā ex dictis regulis profiteri, sed propriam: non ergo religiones omnes approbatæ viuebant sub aliqua illārum quatuor regularum. Antonin. autem & alij ad hoc respondent, Carmelitarum regulam à Basilio duxisse originem, & ita sub illa comprehendi. quod licèt aliquibus non placeat, mihi videtur necessarium, propter textum citatum Innocentij II. Vsque ad tempora ergo Honorij III. facilè concedemus nullam fuisse religionem approbatam, quæ suas constitutiones quasi pro primaria regula habuerit, præter Carthusianos, de quibus dicit Antonin. suprà quòd habent suā statuta pro regula, & habetur in magna veneratione in Ecclesia. Post Honorium verò Societas in hoc imitata est Carthusianos, nullam enim ex antiquioribus regulis profitetur, sed Constitutiones, quas à suo fundatore S. Ignatio accepit; habet pro regula à sede Apostolica approbata, vt infrà videbimus. Ordo etiam Minimorum dicitur habere propriam regulam à suo institutore S. Francisco de Paula editam, & à Sixto IV. & Alexandro VI. approbatam.

VII. Tertiò sequitur, nunc plures esse in Ecclesia quā quatuor regulas approbatas. Nam præterquā quòd religio Carmelitarum suam propriam regulam approbatam habere contendit; Carthusienses, & Minimi, & Societas, & fortasse alij habent suas, quia nec esse possunt sine regula, vt dixi, nec potest religio esse approbata sine suā regula: hæ autē religiones approbatæ sunt, vt supponimus, & non profitentur suprà dictas regulas: ergo vnaquæque habet suam approbatā. Neque enim in illis prioribus quatuor maior, aut diuersæ rationis approbatio cogitanda erit; nullo enim fundamento hoc dici potest, cùm eadem authoritate Pontificia, & eisdem verbis etiam hæ posteriores regulæ approbatæ, & confirmatæ sint: de quo videbimus plura in particulari infrà tractando de approbatione Societatis. Non omittam etiam aduertere in 9. tomo operum D. Hieronymi haberi regulam monachorum ex scriptis D. Hieronymi à Lupo de Oliueto Generali eiusdem ordinis collectam, ibidemque refert literas Apostol. Martini V. quibus eam approbauit, vt monachi illius ordinis, qui priùs secundùm regulam B. Augustini profitebantur, sub propria regula D. Hieronymi nuncupata deinceps profiterentur. Extat etiam regula S. Pachomij, quem ab Angelo dictante accepisse Hieronymus refert, & sub ea multos Ægypti monachos vixisse.

Tertium corollar.

CAPVT II.

Quam obligationem inducat regula religiosa, & quomodo cognoscatur quanta sit talis obligatio.

SVpponimus hanc regulam habere aliquam vim, & rationem legis, vt constat ex vsu & sensu omnium religionum, & patebit magis ex dicendis. Ad quod explicandum aduertō, statum religionis, vt sæpè dixi, dupliciter posse considerari, vel secluſa iurisdictione Ecclesiastica à Pontificibus collata Prælatis, vel toti communitati religiosę; vel adiuncta huiusmodi iurisdictione. Et vtroque modo intelligi potest in eo esse regulam, immò in principio religionum videntur regulæ hoc modo institutæ, & priùs potius per modum institutionis, & doctrinæ, quàm per modū legis, vt videre licet in multis ex constitutionibus seu regulis S. Basilij: postea per modum cuiusdam statuti conuentionalis, quod nō est propriè lex, sed habet vim in mutua promissione & pacto: addita verò iurisdictione per Ecclesiā, confirmatur religiosa regula (sub qua semper constitutiones & statuta comprehendimus) vt habeat veram & propriam rationem legis. Est autem præterea aduertendum, nonnullas esse leges datas regularibus, vel omnibus, vel certis religionibus immediatè ab ipsis Pontificibus summis, quarū aliquę continentur in iure canonico sub titulis de Regularib. & de statu monach. de religiosis domibus & nonnulla sub titulis de voto, de sentent. excomm. & aliis; aliquæ verò sunt extra corpus iuris in Bullario seu collectione constitutionum Pōtificalium, & aliis motibus propriis, qui extra illud opus gantur; de quibus legibus in hoc capite nō agimus, tum quia non pertinent ad regulam, sed potiùs ad ius canonicum, quod interdum præcipit laicis, interdum clericis, interdum secularibus, interdū verò regularibus. Tum etiam, quia non est dubium quin illæ obligent in conscientia, modus autem & gradus obligationis ex verbis & materia sumēdus est, atque etiam ex pœna, præsertim quando habēt censuram annexam: & quæ istam ipso iure imponunt, explicatæ à nobis sunt in tomo 5. de Censuris. Præter has ergo leges regula ipsa religiosa per Pontificem confirmatur, vt vim habeat legis non tantū conuentionalis, sed etiam iurisdictionalis (vt sic dicam)

I. *Duplex modus condendi regulam cum iurisdictione, aut sine illa.*

In iure canonico, atque etiam in vnaquaque religione approbata dātur regula cum iurisdictione facta.

dicam.)& similiter statuta vel constitutiones,quatenus à religione fiunt per potestatem à Pontifice acceptam, veram rationem legis habent.

II. *Regula religiosa plus obligat quã consilium.*

Ex his sequitur, regulam religiosam necessitatem aliquam operandi imponere, hoc enim est de ratione legis, & per hoc differt à puro consilio, vt ex propria materia lib.5.de legib.c.4.suppono. Regula autem religiosa non est merum consiliũ ; quia præter illam sunt multa alia, quæ ex consilio possunt religiosi facere: nam, vt recte dixit S.Benedictus in c.vlt. suæ regulæ, non tota perfectio in sola regula est ; & nihilominus religiosus omittens alia consilia supra suam regulam, non censetur deesse suo muneri & statui: si autem suam regulam prætermittat,deficere censetur à sua obligatione:ergo talis regula respectu illius plus est quam consilium: ergo aliquam necessitatem imponit. Et confirmatur ex dictis, quia talis regula ex iurisdictione procedit;ergo ab illa habet vim & dirigendi,& cogendi, quæ est moralis necessitas. Hæc autem duplex solet esse in legibus : vna sub obligatione ad culpam: alia sub reatu pœnæ, quas nos directiuam,& coactiuam appellamus ; licet aliqui soleant vtranque sub coactione comprehendere. Si ergo loquamur de possibili, vtraque locum habere potest in regula religiosa, quia iurisdictio Prælatorum perfecta est, & ad vtrumque actum dirigendi & cogendi se extendit, vt tomo superiori ostensum est. imo secluſa iurisdictione,in statuto conuentionali posset intelligi vtraque necessitas, conscientiæ in virtute pacti & promissionis, si per statutum fides data exigatur:pœnę autem ex eodem capite,quanuis coactio & exactio non possit esse tam rigorosa, secluſa iurisdictione, vt supra etiam declaratũ est.

III. *Potestque primo obligare ad mortale in materia grauis. Potest secundo ad venialе solum obligare.*

Potest autem primo lex, præsertim Ecclesiastica,interdum obligare ad culpam mortalem:quam efficaciam posse etiam habere regulam religiosam dubium non est, si cum potestate, quæ non deest, concurrat institutentium voluntas, & materia regulæ grauis sit, & capax tantæ obligationis. Deinde secundo potest interdum regula obligare ad solam venialem culpam : quod etiam in re est clarum, quando materia non est capax maioris obligationis, quamuis de nomine sit quæstio an talis regula mereatur nomen præcepti, vel legis. Qui enim putant peccatum veniale non esse contra legem vel præceptum, consequenter dicent talem regulam quoad hanc partem non esse legem vel præceptum, sed simplicem ordinationem. Imo Scotus in 2.d. 21.q 1. vult comprehendi sub consilijs: tamen (vt dixi) quæstio est de nomine, & simpliciter loquendo melius appellatur præceptum, licet ratione materiæ diminutam obligationem inducat, & in ordine ad charitatem conseruãdam non sit præceptum simpliciter necessarium,de quo videri pot Cai.2 2. q.186. ar.9.& Opus.25.tra 1.Vega li.14.in Trid.c.13.Nau.in c.*negotiũ* de pœnit.d.5.n.7.

IV. *An de materia grauis possit ferri præceptum leue. Partis negatiua authores & fundamentum*

Difficilius autem dubium est, si materia præcepti sit capax obligationis sub mortali, an sit in potestate instituentis regulam non imponere tantam obligationem, imponere tamen aliquam in conscientia, ita vt illa transgressio ex vi regulæ sit peccatum veniale. Aliqui enim in quib. sunt Bellarm. lib.3.de Laicis c.11.ad fin.Medin.1.2.q.96.ar.4.Vazquez 12.disp.158.c.4.putant non esse hoc in potestate legislatoris,quia vel præcipit,vel non (inter hæc enim non potest dari medium:) si autem præcipit, præceptum natura sua infert obligationẽ proportionatam materiæ, nam hoc ex natura rei sequitur, nec potest per voluntatem hominis impediri. Cæterum verius existimo circa eandem materiam posse imponi regulam obligantem ad mortale, & nihilominus posse authorẽ regulæ moderari posteа intentionem suam, & obligare tãtum ad venialе. Hoc probaui in tractatu de legibus lib.3.c.27.sequuntur Sanchez li.1. de matr.dis.9.n.6. Valentia t. 2.dis.7.q.5. punct.6.q.2.& 3. & alij quos cit.loco allegaui.Nam tota obligatio positiui præcepti pẽdet ex voluntate ferentis, & nulla est mere necessaria, ẽt suppositа voluntate præcipiẽte : quia in hacmet voluntate, & in ipso præcepto potest intelligi latitudo,vt sentire videntur, qui mandatum à præcepto distinguũt,non solum in materia, sed etiam in modo iubendi, vt videre licet in Sylu. verb. *Lex.*q. 8.& verb. *Præceptum*.q.2.Nauarro in Sum.c.23.n.48. & seq. referente D.Tho.in quodlib.1.q.9.ar.20. vbi multum fauet huic sententię,vt statim videbimus. Eã ẽt supponunt omnes authores, qui dicunt leges humanas nõ obligare ad mortale etiam in materia graui,sed tantũ ad veniale,quando verba plus non indicant,vt late refert Gutierrez li.1 c.7.n.20.Henriq.li.11.c.13.n.2. in fine. Gerson in tract.de vita spirituali animæ, lect.5.alphab 63. lit.G.& seq. vbi ita videtur interpretari difficilem opinionem quam habuerat in eodem tract. lect. 1. peccatum veniale solum differre à mortali ex misericordia Dei, non ex natura rei, esset n minus improbabilis illa sententia,si intelligatur de misericordia Dei,non quidem dissimulante, aut non puniente malitiam talis peccati vt grauem,quanuis reuera talis sit;hic n. sensus omnino cauendꝰ est:sed de misericordia non præcipiendi vel ꝓhibendi tales actus cum toto illo rigore,quo posset;ex quo fit vt de facto & reipsa tãtam nõ habeat malitiam: quo sensu non est ita improbabilis illa sententia,licet vera non sit in legib. diuinis, quia si positiuæ sint,nobis non constat per specialem reuelationem de tali moderatione voluntatis Dei,nisi quatenus materia ipsa eam postulat: si vero sint naturales,obligant per modum naturæ, ac proinde quantum possunt, iuxta materiæ capacitatem. In humanis autem præceptis, quanuis non sit vniuersalis, quia interdum non potest legislator humanus obligare ad mortale, etiamsi velit propter incapacitatem materiæ ; è contrario tamen potest legislator humanus nolle obligare quantum potest in aliqua materia, & hanc voluntatem suam satis explicare. Et hanc differentiam inter præceptum hominis & Dei indicauit aperte D.Thomas 2.2.q 105.ar 2. vbi propterea dicit, inobedientiam contra Deum eo esse maiorem, quo maius est bonum omissum, vel malum commissum : quia intentio Dei accommodatur materiæ, vt sic dicam : inobedientiam vero hominis non semper esse maiorem, licet sit contra maius bonum, quia aliud minus bonum potest esse magis de intentione præcipientis. Vult ergo peccatum contra legem humanam in grauiori materia posse esse leuius ex intentione præcipientis: ergo eadem ratione poterit esse leue peccatum, etiamsi materia sit grauis ex intentione præcipientis, ab illo enim totum hoc negotium pendet. Potest ergo in materia graui legem vel simplicem ordinationem imponere, quæ obliget in conscientia, solum tamen ad venialem culpam. Atque hoc indicare voluit Martinus V. in approbatione regulæ monachorum S. Hieronymi, vbi in fine declarat transgressores illius non propterea mortalis peccativinculo ligari, non quia materia sit incapax illius obligationis, sed quia illam imponere non vult, sic enim ait, *Volumus*, &c. non excludit autem minorem obligationem in conscientia, tum quia non sine causa dixit, non ligari ad mortalem culpam: tum etiam,quia subdit,vt pro modo culpæ pro huiusmodi transgressionibus puniantur.Et ideo etiam in nostra Societate declaratum est, regulas non obligare ad peccatum mortale, vel veniale, 6. p. Const. c 5. quia poterant ad vnum vel alterum tantum obligare, & ita habent naultarum religionum regulæ : est ergo possibilis talis obligatio.de

Vera resolutio probatur ratione, & authoritate

tio. de qua re plura dixi in tract. de legibus citato.

V. Potest tertio non solum ad pœnam, & non ad culpam obligare.

Tertio etiam potest dari regula, quæ nullã obligationem in conscientia etiam ad culpam venialẽ inducat, sed solùm ad pœnã obliget: hoc enim multi putant sufficere ad veram rationem legis. Alij solùm volunt hanc appellare legem cõuentionalem. Sed non est in nominib. immorandum: certum est enim posse Prælatum habentem Ecclesiasticã iurisdictionem ex vi illius, & secluso alio pacto imponere hanc necessitatem operandi sub reatu talis pœnæ, vel (vt etiam huius vocis inuidia tollatur, sub tali grauamine non imponẽdo immediatè obligationem ad culpam respectu actus immediatè imperati. Probatur, quia hic modus necessitatis non inuoluit repugnantiam, nec excedit humanam iurisdictionem, quia multo maior est necessitas sub obligatione ad culpã; & quia Princeps potest non permittere aliquem actum nisi cũ tali onere. Potest ergo hæc necessitas imponi ex vi iurisdictionis humanæ. Illud autem imperium ex hac parte sufficiẽs est ad rationem legis, quia iam imponit aliquam necessitatem, & excedit rationem consilij, & ideo à multis dicitur lex purè pœnalis.

VI. Interdum inuoluit aliquam obligationem in conscientia.

Addimus verò necessariò inuoluere aliquã obligationem in conscientia, seu in illam tandem resolui, quia sine illa nec vera ratio legis subsisteret, nec vera necessitas moralis induci potest. Declaratur, quia si talis regula imponit pœnã transgressoribus, obligat illos in conscientia saltem vt patiantur pœnam, dat enim ius Superiori ad puniendum talem actum, quem punire iustè non posset, nisi regula illũ sic prohibens posita fuisset: ergo necesse est vt obliget subditum etiam in conscientia ad parendum Superiori talem pœnam imponenti, id est, ad non resistendum illi violenter, si pœna consistat in passione, vel ad exequendã illam, si cõsistat in actione, & strictè præcipiatur. Vnde Martinus V. supra adiunxit, *Per suos Superiores pro eorum excessu & transgressione ac modo culpæ iniungi valeat pœnitentia salutaris, quã susipere, & adimplere tenẽtur.* Quocirca etiamsi regula nõ taxet certam pœnam eo ipso quòd regula est, subiicit hoc modo transgressorem iustæ pœnæ, siue immediatè, siue mediante aliqua culpa, alioqui nõ haberet in quo à mero consilio distingueretur, vt significauit Hieron. lib. 1. contra Iouinian. dicens: *Quod præcipitur, imperatur, quod imperatur, necesse est fieri, quod si non fiat, pœnam habet.* & infrà, *Vbi consilium datur, offerentis consilium est, vbi præceptum, necessitas est seruientis*, habetur in c. *quisquis*. 14. q. 1. Vt ergo regula à meo consilio distinguatur, oportet vt necessitatem aliquam saltem ad pœnam inducat.

VII. Quæ ex tribus modis regulæ religiosa obligent.

Cùm ergo hi tres modi obligandi possibiles sint in regula religiosa, non possumus in communi statuere quomodo de facto obliget: quia nullus ex dictis modis est simpliciter necessarius ad regulã religiosam vt sic, & in particulari potuerunt institutores religionum eligere vnum vel alium modum obligandi. Propter quod graues Doctores difficile putant definire de regula religiosa quomodo obliget. Veruntamen in communi loquendo (vt dixi) nihil aliud respondere possumus nisi obligare aliquo ex illis tribus modis, & ad nullum eorũ necessariò determinari. In quo est aduertendum quod tomo præced. li. 10. dixi, votum obedientiæ non obligare immediatè ad seruãdam regulam, nisi regula ipsa verbis satis expressis exigat voti obligationẽ. Et ideo non rectè censent qui putant regulam religiosã ex genere suo obligare ad mortale: quod senserunt Henricus, & alij, ex illo fundamento, quòd voti obligatio ex genere suo obligat sub mortali, & obligatio regulæ est obligatio voti. Falsum est autẽ hoc fundamentũ, quia votũ non obligat ad seruandam regulam, sed ad obediendũ secundùm regulã: & ideo propria obligatio regulæ, vt sic, nõ ex voto obediẽtiæ, sed ex propria ratione legis, & ex principiis eius colligenda est. & hæc de prima parte tituli.

Assignantur principia ad dignoscendum quæ & qualis sit obligatio regularum.

VIII.

Difficultas ergo superest, quomodo in particulari cognoscetur, an aliqua regula religiosa obliget ad culpam grauem vel leuem, vel solùm ad pœnam. Quod quidem iudicabitur facilius ponderando, & expendendo verba vniuscuiusque regulæ, & considerando communem sensum, & consuetudinem vniuscuiusque religionis. & fortasse inferiùs tractãdo de varietate religionum in 2. tractatu aliquid de singulis attingemus. Nunc verò generalia quædam principia vel regulę proponenda sunt. Quatuor ergo modis potest se habere quoad hanc partem aliqua regula vel institutum religionis. Primò, vt in eo distinctè, & (vt aiunt) in actu signato explicetur mentem religionis esse obligare in vi præcepti quãtum potest iuxta vniuscuiusque materiæ capacitatem. Secũdò, vt explicet eodem modo obligare ad veniale tantùm, & nunquam ad mortale ex vi regulæ, nisi vbi specialibus verbis fuerit maior rigor præcepti expressè declaratus. Tertiò, vt eodem expresso modo explicetur in regula nõ obligare in cõscientia ad aliquam culpam etiam venialẽ, sed solũ reddere transgressorẽ reum pœnæ. Quartò, vt nihil horũ in regula declaretur, sed absolutè feratur ordinãdo, sitatuẽdo, aut præcipiendo quæ agẽda sunt.

Notatio quadruplicis modi ferendæ regulam.

Primi.

Secundi.

Tertii.

Quarti.

IX. De primo modo ferendi regulam.

Ex his modis primus videtur posse accommodari ad regulam S. Francisci: nam (vt dicitur in Clement. *Exiuis de paradiso.*) vbicunque in illa regula ponitur nomen *præcipiendi*, aut hoc verbum *teneantur*, aut æquiualens, cẽsetur obligare sub mortali. Verũ est tamen in regula ipsa primitiua hoc non explicari sub his formalibus verbis; tamen à Pontificibus ita declaratum est, quia consuetudo ipsius religionis ita etiam regulam declarauit, quod est signum hanc fuisse mentem institutoris, & à principio ita fuisse intellectam. Iuxta hanc ergo interpretationẽ regula illa obligabit ad mortale, vbicunque fuerit constituta per modum præcepti, & materia capax fit. Aliæ verò regulæ, quæ non habent huiusmodi verbum, obligabunt iuxtà modum infra explicandum circa quartum membrũ suprà posìtum, quia quoad eam partẽ nihil speciale declaratũ est. Quocirca in rigore nullam inuenio religiosam regulam, in qua vniuersalis obligatio pro tota illa explicata sit, illo primo modo suprà declarato. Et iuxta doctrinam D. Thomæ dict. quodlib. 1. art. 20. talis modus regulæ non esset conueniens, aliàs status religiosus esset religiosis in laqueum peccati mortalis, quod vix aut nunquam posset declinari

X. De secundo modo bipartito.

Exponitur, vna pars.

Secundus modus regulæ suauior est, & ad tollẽda pericula cautior, & ad inuitandũ ad perfectionẽ sufficiens. Duas autem continet partes. Vna est negatiua, scil. non obligare ad mortale. & hæc est frequens in multis regulis, vt suprà citatum est de regula S. Hieron. ex Martino V. & de aliis infra in 3. declarationem sine vlla exceptione, vt in dicto Breui Martini V. Nihilominus tamen subintelligenda necessariò est exceptio aliqua. Prima, *nisi regula aliqua contineat materiam voti*, vt est, v. g. quæ prohibet habere proprium, quæ licet ex vi regulæ non obliget sub mortali, obligat tamen ex vi voti. Secunda, *nisi aliqua regula in particulari expressè declaret talem obligationem*, nam, vt habet rẽgula 34. iuris in 6. generi per speciem derogatur. Oportet tamen vt verba legis non possint aliter explicari: quando enim illa generalis declaratio est in regula, nõ sufficiunt simplicia verba quantumuis præceptiua, vt, *teneantur*, *præcipimus*, &c. ad inducendam dictam obligationẽ, quia propter hæc & similia verba ponitur illa declaratio,

claratio, alias nullum fere haberet effectum: necesse est ergo vt addatur aliud speciale signum indicans intētionem legislatoris esse obligare sub culpa graui, non obstante dicta generali declaratione.

Vnum signū exceptionis ab hoc secundo modo.

Hoc autem signum iuxta communē vsum duplex est. Vnum quando additur, *in virtute obedientiæ*: nam tunc expresse significatur actum illum constitui intra propriam & rigorosam materiam voti obediētiæ, seu exigi à religioso proprium obedientiæ debitum, quod ex genere suo obligat sub mortali. Alterum signum est quando additur pœna excōmunicationis maioris ipso facto incurrendæ: quia talis censura non incurritur, nisi pro peccato mortali. Dixi autem, *ipso facto incurrenda* quia si solum esset inferenda, licet alias sint opiniones an hoc sit signum obligationis ad mortale, quas late examinauimus li. 4. de legib. c. 18. à n. 16. in præsenti casu non debet censeri sufficiens: nam cum supponatur generalis declaratio quod regula nō obligat ad mortale, vt in particulari oppositum fiat, necesse est addi signum certissimum, & omni exceptione maius: illud autem non est huiusmodi, quia comminatio excommunicationis ferendæ & sæpe fiitit in sola comminatione, & referri potest ad ipsos Prælatos, vt ipsi cogant per excommunicationem ad regulam seruandam; & tunc non erit obligatio ad mortale, donec Prælatus ponat præceptum ab homine sub illa rigorosa obligatione.

Alterum signum.

XI. *Exponitur altera pars eiusdem secundi modi.*

Circa aliam partem affirmatiuam de obligatione adveniale, aduertendum est dupliciter contineri posse in regula: primo explicite, quia scilicet vtraque pars expresse declaratur; & tunc res est clara quantum ad generalem intentionem instituentis, licet dubitari possit an extēdatur ad omnes & singulas regulas, in quo ipsa verba talis declarationis prę cipue considerandæ sunt: & deinde materia aut modus regularum. nam, vt significat D. Thom. dict. quodlib. & infra in cap. seq. explicabimus, in regula nonnulla misceri solent, quæ sunt pura consilia, in quæ nulla obligatio in conscientia cadit etiam ad veniale: quod locum habet, non obstante prædicta generali declaratione quia illa intelligitur fieri iuxta materiam proportionatam: huiusmodi autem est quidquid in regula habetur per modum præcepti, vel statuti aut ordinationis, non vero id quod solum ponitur per modum consilij: quia illa declaratio non fit ad ponendam obligationem, vbi ex vi verborum non postulatur, sed ad limitandā illam, vbi ex modo regulæ postulatur. Tunc ergo in tali materia, quantumcumque grauis sit, obligatio est sub veniali; erit tamen maior in grauiori materia, semper tamen intra illam latitudinem. Alio modo potest illa pars cōtineri in regula solum tacite, seu præsumptiue, quia scilicet solū obligatio ad mortale negatur, de altera vero tacetur, vt fit in dicta declaratione Martini V. nam per hoc admitti seu relinqui videtur, iuxta cap. *omne*, de præsumptionibus, quæ præsumptio erit euidentior si in regula ipsa expresse supponatur in generali, *vbi gratio in confessionis*: nam cum hæc duplex tantum sit, excluſa vna, tantum relinquitur altera. Si autem illa generalis declaratio non habetur, res est magis dubia, quia datur tertium membrum quo possit regula obligare, vt supra diximus. Nihilominus, quia illa duo membra incompatibilia non sunt, imo valde germana, scilicet obligare ad culpam venialem, & ad aliquam pœnam, ideo qui præcise excludit obligationem ad culpam mortalem, videtur plane totam aliam obligationem, quæ ex vi legis inferri potest, admittere: quod probabilius fiet ex his, quæ in quarto puncto dicemus.

XII. *De tertio modo.*

Hinc ergo ortus est tertius modus ferendi, & expresse declarandi regulam, vt neque adveniale, neque ad mortale peccatum obliget. ita fit in religione Prædicatorum, vt refert D. Tho. 2. 2. q. 186. art. 9. ad 1. & significat suo tempore fuisse hoc singulare in illa religione: nam cum de alijs religionibus dixisset, regulam obligare saltem ad venialem culpam (quod infra declarabimus) subdit, *In aliqua tamen religione, scilicet ordinis fratrum Prædicatorum, transgressio; alia, vel omissio ex suo genere non obligat ad culpam neque mortalem, neq; venialem, sed solum ad pœnam; taxatam sustinendam.* Vbi Caiet. addit, hanc declarationē non fuisse in illo ordine à principio eius, sed factam esse in secundo Capitulo generali anno 1237. Non exponit autem an declaratio illa cadat etiam in regulam D. Augustini, quatenus eam dicta religio profitetur, vel solum in proprias constitutiones eiusdem religionis. Nam si vera est differentia inter regulam & constitutiones, quam supra c. 1. n. 5. ex Antonino & alijs retuli, non potuit illa religio regulæ obligationem moderari, sed solum suarum constitutionum: & hoc videntur sonare verba, quę Caie. refert, *Nolumus quod statuta nostra obligent ad culpam, sed solum ad pœnam.* Verius tamen existimo declarationem illam extendi etiam ad ipsam regulā. Nam D. Th. de ipsa regula loquitur, & ratio eadem est in illa: & probabilius existimo esse in tota religione potestatem ad hanc declarationem seu moderationem faciendam etiam in regula, vt supra dixi.

XIII. *Ex quo tempore dicta declaratio fuerit facta pœnam tantum sustinendam.*

Notanda sunt etiam illa verba, *sed solum ad pœnam taxatam sustinendam.* Circa quæ Caie. dubitat, an hæc sit obligatio in conscientia, nec ne; & negatiue respondet: quia declaratio regulæ excludens ab illa obligationem in conscientia vniuersalis est; ergo nec circa sustinendam pœnam illam relinquit. In quo videtur cōtrarius his, quæ supra n. 6. diximus, *pœna aliquando non est*, quia loquitur præcise & ex vi regulæ, & quatenus de directa obligatione eius: nos autem loquuti sumus de obligatione consequente ex natura rei, vel ex præcepto Superioris. Itaque si regula imponat pœnam ipso facto à subdito exequendam, & non infligatur à Prælato (id enim facere potest, & solet, vt ibidem Caiet. refert) non magis obligat in conscientia ad exequendam pœnam, quam ad non cōmittendam transgressionem: quia declaratio vniuersalis est, vt recte Caiet. argumentatur; si autem pœna per Prælatum imponenda est, vel consistit in actione exequenda ab ipsomet subdito ad præceptum Prælati, & tunc iuxta modum præcepti erit modus obligationis: vnde, si præceptum fuerit rigorose positum, erit quidem obligatio ex vi præcepti, non ex vi solius regulæ. Vel pœna solum passiue sustinenda est à subdito, & tunc non habet locum directa obligatio in conscientia, quia hæc non est ad patiendum, sed ad agendum, quamuis intelligi possit obligatio ad non resistendum violenter, ad quod videtur teneri subditus ex vi subiectionis & obedientiæ. Dices, nulla ergo obligatio oritur ex hac lege pœnali, nam tota hæc oritur ex vi obediētiæ debitæ Prælato. Respondetur, Regula tunc facit vt illa pœnalitas per modum supplicij & vindicationis fit materia obediētiæ iuste impositæ; nam sine tali causa non posset Prælatus iuste vel rigorose præcipere talem actionem, vel cogere ad talem passionem. Et ita obligatio in conscientia, quæ ibi interuenire potest, radicaliter fundatur in regula, & in declaratione eius, prout à D. Thoma etiam insinuatur, dicit enim regulam non obligare ad culpam, sed ad pœnam, loquitur enim de obligatione in conscientia: sentit ergo in ordine ad pœnam oriri aliquam obligationem in conscientia, quæ non videtur posse esse alia nisi quę à nobis explicata est.

XIV. *Eiusmodi declaratio non derogat constitutionibus.*

Et iuxta hæc (vt Caietanus etiam dixit) intelligēda est omnis alia regula, quæ simile habuerit declarationem, qualem habet nostra Societas distinctissimam, & tollētem omnem dubitationem. 6. p. huius tit. suarū const. c. 5. vbi dicitur, vniuersas cōstitutiones earū declā-

declarationes, aut ordinationes, exceptis tantùm Societatis votis, non inducere obligationẽ ad peccatum mortale, vel veniale, nisi addantur expressa signa huius obligationis, vbi ponuntur hæc duo, *in nomine Domini nostri Iesu Christi*, vel *in virtute obedientiæ*, tanquam specialia religionis. Supponitur autẽ aliud signum de pœna excommunicationis, vt generale ex vi iuris communis, quo interdum etiam vtuntur constitutiones Societatis, vt infrà videbimus. Est autẽ peculiare in illa declaratione, vt nullamentio in ea fiat obligationis ad pœnam, & in tota regula Societatis hoc specialiter obseruari potest, vt rarissimè pœna aliqua taxetur, neque illius comminatio fiat, sed simpliciter quæ agenda sunt, statuantur. Quod non ideo fit, quia ex regulis ipsis non sequatur obligatio ad aliquam pœnam; hoc enim, vt diximus, & ex natura rei sequitur, & ad disciplinam religiosam necessarium est, quæ in Societate exactè retinetur appositis per Superiores pœnitentiis pro leuissimis etiam contra regulam trãsgressionibus: sed voluit nobis significare S. P. N. Ignatius, primò alumnos suos amore potiùs, quàm timore regendos esse: vnde in citato loco cõcludit, *& loco timoris offensæ succedat amor, & ad siderium omnis perfectionis, & vt maior gloria & laus Christi creatoris, ac Domini nostri consequatur.* Deinde voluit vt quando contigerit aliquem in regulæ obseruatione deficere, non solùm patienter sustineatur pœna, sed etiã voluntariè ac studiosè procuretur: & ideo p.3. constit.c.1.§. 28. & in summario constit. §. 51. *aliquoties* (inquit) *singulis annis omnes à Superiore sibi pœnitentias iniungi propter def.ctum obseruationis regularum putant, vt hæc cura indicium sit illius, quam de suo profectu spirituali in via Dei quisque habet.*

CAPVT III.

Quomodo dignoscatur regulam obligare, quando id non exprimit.

I QVartus modus ferendi regulam religiosam propositus præced.c.n. 8. atque in præsenti separatim tractandus, quia vberiorem doctrinam continet, vsitatus fuit ab antiquis Patribus, simpliciter enim regulam cõstituebant, & modum obligationis eius non declarabant: & ideo difficile est iudicare quę obligatio ex tali regula nascatur in professoribus illam, non ratione voti adiuncti (de hoc enim iam suprà dictum est) sed ratione sui, quatenus est quædam lex talis communitatis, quam seruare tenentur qui efficiũtur membra eius. Et est ratio dubij, quia regula est vera lex, vt suprà dixi, & vtitur propriis verbis præceptiuis: ergo obligat cum omni rigore legis, id est, ad peccatum etiam mortale, quando materia est capax. Consequentia probatur ex declaratione Pontificis in dicta Clement. *Exiuit.* vbi ex eo quod S. Francis. in sua regula ad quædam apponit verbum præcepti, vel æquipollentis, colligit obligationem eius sub culpa graui. Minor autẽ patet ex regula Augustini, in cuius initio ponit, *Hæc ideo scripsimus vt ea quæ scripta sunt, facientes, gratias Domino: vbi autem sibi quicunque verum videt aliquid deesse, doleat de præterito, caueat de futuro, orans vt debitum dimittatur.* in quibus verbis significat, hunc defectum in regula non esse absque culpa coram Deo. Et S. Benedictus in Prologo suæ regulæ sic incipit, *Ausculta ô fili præcepta Magistri*, &c. de quo fatione, cap. 2. *Vniuersa Benedicti institutia non profitentibus quidem monita tantùm seu consilia censenda sunt, nec grauant non obseruata, tamen profitentibus in præcepto, præuaricantibus in crimina fiant.* Regula etiam S. Pachomij sic incipit. *Hæc sunt præcepta vitalia à tribus Magistris tradita.*

In hac re tres possunt esse sentẽtiæ. Prima est, huiusmodi regulam vi suia, & ex primaria intentione instituentium obligare ad culpam quantum potest iuxta vim verborum, & capacitatem materiæ. Pro qua sententia citari possunt Hẽricus & Ioannes de Neapoli, quos suprà retulimus, qui magis videntur loqui ratione voti, quàm in virtute legis. Hãc verò sententiam circa regulam Augustini ferè sequitur Antonin. 3.p.tit.16.c.1.§. 6. & de regula S. Benedicti ex parte idem tenet Turrecremata tract.5. & 6. in illam, vbi ponderat verba Prologi, *Ausculta ô fili præcepta magistri, & admonitionem tui patris libenter excipe.* Ex quibus colligit regulam obligare quoad præcepta cum toto rigore, quamuis quoad admonitiones nõ ita obliget. Quoad modum autem distinguẽdi obscurè loquitur, quia non ex verbis, sed ex materia putat esse distinguẽda; nam si contineant finem regulæ, vel sint essentialiter necessaria ad illum, non putat esse præcepta, etiamsi per modum præcepti ferantur. Ex qua declaratione: si rectè attendatur, nihil firmum colligi potest, sed potiùs ex illa sequitur regulam vt regulam non inducere obligationem, sed res ipsas, quæ continentur in regula, aliquando afferre obligationem, vel ex natura sua, vel ratione voti. Et in idem ferè redit sententia Antonini, vnde nullum inuenio authorem, qui hãc sententiam expressè asserat, quamuis multi Canonistę illi faueant, dum asserũt regulam religionis, si vtatur verbis præceptiuis, aut æquiualentib. & materia aliàs grauis sit, obligare ad mortale, nullã ferè in hoc differentiam facientes inter præcepta regulę religiosæ, & quælibet alia præcepta iuris canonici, vt videre licet in Panorm. in c. *nam concupiscentiam.* de Cõstit. & in c. *relatum.* ne clerici vel monachi. Felino in dict c. *nam concupiscentiam.* n.9. & alij quos referunt, putantque esse sententiam D. Thomæ 2.2.q.186.art.9. quia ibi ait regulam obligare ad mortale ratione præcepti, si in ea sit expressum: quia tunc pertinet regula ad substantialia religionis, scilicet ad votum obedientiæ, quod est fundamentum dictorum authorum. Non declarat autem D. Thomas quando regula contineat præceptum. Et eodem ferè modo loquitur in quodlib.1. art. 20. vbi distinguit in regula tria, præcepta, statuta seu ordinationes, & monitiones seu consilia; & quoad præcepta affirmat obligare sub mortali, quoad alia negat: nõ tamen declarat quomodo obligẽt statuta, aut monitiones, nec quomodo illa tria sint in regula distinguenda, an ex verbis, vel ex rebus.

II. *Prima opinio in præsenti cap.*

Dicta opinionis nullus author expresso.

Secunda ergo opinio esse potest, regulam religiosam, si de obligatione eius nulla fiat in ea generalis declaratio, nullam obligationẽ ad mortale peccatũ inducere, quantumcunque verbis præceptiuis vtatur, nisi vel aliquo speciali verbo oftẽdat ferre præceptum sub virtute voti obedientiæ, vel talem addat pœnam, quæ plànè indicet lapsum grauem, vel nisi consuetudo ita fuerit regulam interpretata: nihilominus tamẽ obligare ad omnia, quę in ipsa cõtinentur sub veniali. Prior pars probatur primò ex discursu D. Thom. in illo quodlib. nã sancti Patres, qui religiones instituerunt, noluerunt hominibus iniicere damnationis laqueũ, sed potiùs viã salutis ita ordinare, vt illius periculum esse non posset: ergo non habuerũt intentionem multiplicandi præcepta obligantia ad mortale, nam illã non possent nõ esse in laqueum respectu totius communitatis, in qua plures infirmos & fragiles esse necesse est: ergo quoties verba omnino non cogunt ad intelligẽdum huiusmodi fuisse intentionẽ fundatoris, præsumenda nõ est. Secũdò id colligi potest ex ipso nomine regulæ, quod de se nõ vẽdicat rigorosam vim præcipiendi, sed dirigendi, & instruendi. Vnde, licèt sub generali regula in aliquibus particularibus ponatur verbum imperandi, vel in actu signato, vt

III. *Secunda opinio bipartita.*

præcipimus, mandamus, vel in actu exercito, vt, *omnes hoc faciant, caueant*, &c. non est sufficiens signum rigorosi præcepti, nã fæpe vti solemus illis verbis ad explicandam simplicem ordinationem, sicut pater imperat filio sine intentione rigorosè obligandi in conscientia: vel sicut dicitur Matt. 7. *Præcipit eis ne cui dicerent*. Sic etiam Clemens I. ep. 5. *Doctrinis* (inquit) *& exemplis Apostolorum obedire præcipimus* quod explicat Glossa, id est, monemus, in c. *dilectissimis*. 12. quæst. 1. Vel saltem est certum sub illa voce etiam monitiones cõprehendi, quia in Apostolorum doctrinis & exemplis tam præcepta, quàm consilia continentur. Igitur ex subiecta materia & circunstantiis leuitur sæpe rigor illius vocis. Vnde Nauar. c. 23. Summæ. n. 50. dixit, illa verba ex originaria significatione nõ indicare obligationem ad mortale, & in dubio potiùs interpretanda esse de veniali, præsertim si aliquæ coniecturæ adiungantur, quæ in præsenti sunt, Primùm quòd talia verba ponuntur sub generali titulo regulę, & non rigorosę legis. Secundũ, quòd eodem tenore ponuntur in rebus leuioribus. Tertiùm, quòd ad finem intẽtum per regulam nec necessaria, nec conueniens erat talis obligatio.

IV. Altera verò pars de obligatione ad veniale colligitur ex D. Thoma d. q. 186. art. 9. ad primũ. vbi ait, omnia quæ fiunt contra regulam, & non rigorosè, neque ex voto præcipiuntur, esse peccata venialia: & idem sentit in alio loco quodlib. 1. quoad eã partem regulæ, quam dicit continere ordinationes seu statuta. Idemque intelligit de omni regula, in qua expresè non declaratur intentionem fundatorum esse hanc obligationem excludere. Et Caiet. d. art. 9. circa ad secundum in fine, & to. 1. Opusc. tract. 25. q. 1. ait, regulam Augustini ex se obligare ad veniale ratione verbi *præcipimus* in principio eius positi. Quod etiam sentiunt Vmbertus & Ioannes Domnicus in expositione eiusdẽ regulæ, quos refert Anton. suprà §. 5. & 6. quamuis concedant aliquà esse in regulâ, quæ sunt tantùm consilia. Eodẽ ferè modo sentit Turrecrem. de regula S. Benedicti quem Antonin. §. 7. latè refert. Ac denique authores omnes citati in præcedenti opinione, à fortiori hoc sentiunt. Et D. Bernard. lib. de præcepto & dispensat. c. 12. & seq. vbi hanc regulam constituit, *Vniuersorum, quæ per se, aut propter se nec bona nec mala sunt, aut diuinâ institutione, aut propria cuiusque professione fixa non sunt, non iussa quidem licitè, verumtamen vel admissa tantur, vel admissa tantur; ipsa verò sine culpa negligantur; sine crimine non contemnantur*. Sentit ergo quæ sunt in regula (de his enim tractat) secluso cõtemptu sine mortali omitti; hoc enim vocat crimen, non tamen sine aliqua culpa, etiamsi ex negligentia fiat, quæ ad minimum erit venialis. Ratio esse potest, prima ex D. Thoma, quia transgressio regulæ est quædam dispositio ad transgredienda principalia vota, nam ad illorum obseruantiam ordinantur regula, & omnia institutaregularia: ergo illa transgressio est quædã dispositio ad peccandum mortaliter: ergo est peccatũ veniale, nam propria ratio eius est vt sit dispositio ad mortale. Secunda, quia verba regulæ sunt præceptiua, vel ordinatiua: ergo vi sua inducunt aliquã obligationem, & intentio legislatoris quoad hanc partem præsumitur conformis significationi verborum: quia cessant coniecturæ omnes factę de obligatione sub mortali, nam hęc minor obligatio est satis consentanea fini regulæ & institutoris eius, & est valde intrinseca ex vi talis modi ordinandi: ergo nisi expressa & quasi reflexa intentione excludatur, semper inest ex vi regulæ.

Arguitur iam ratione Primâ.

Secunda.

V. *Tertia opinio, eiusque fundamentum.* Tertia sententia est, regulam religiosam simpliciter latã, siue ordinatiuis, siue præceptiuis verbis, de se non obligare ad culpam mortalem, aut venialem, nisi quando vel in ipsâ regulâ hoc specialiter declaratur, vel ex aliis circunstantiis id colligitur, vel consuetudine ita receptum ac interpretatũ est. Fundamentum huius sententiæ esse debet, quia intentio ferentis talem regulam non est huiusmodi obligationem imponere, sed solùm directionem & instructionem tradere, iuxta quam religiosi viuere, & gubernari debeant. Coniectura autem huius intentionis est primò, quia hoc sufficit, & est magis accommodatum ad finem regulæ. Secundò, quia vel illa obligatio oriretur ex voto, vel ex iurisdictione, non ex iurisdictione, quia regulæ factæ sunt ab institutoribus religionum, priusquam propriã iurisdictionem Eccleiasticam haberent, vt constat de S. Benedicto, & de S. Augustino, qui regulam fecisse creditur priusquam esset Episcopus. Et licèt Episcopi, vel Pontifices tales regulas postea approbauerint, non tamen ideo addiderunt vim præcepti, sed solùm approbarunt, & cõfirmarunt illas, vt obseruantias regulares aptas ad consequendam perfectionem, vt in simili dixit Nauarr. Comment. 4. de Regular. n. 29. & seq. Neque etiam oritur ex voto obedientiæ: quia, vt suprà dixi, religiosus nõ vouet seruare regulam, sed obedire secundum regulã; & ideò, donec Prælati præceptum accedat, non obligat regula in conscientia, nisi ad hoc solùm, vt religiosus sit paratus subiici disciplinæ religiosæ secundùm regulam. Vndè argumentor tertiò, quia non magis obligat regula scripta, quàm Prælati iussio: sed Prælatus cùm iubet aliquid ordinario modo, siue vtatur verbo mãdandi, siue aliis simpliciorib: non obligat in conscientia, nec censetur præcipere vt iurisdictione vtens, sed vt spiritualis pater: neq; etiã censetur rigorosè exigere promissam obedientiam, donec expressis, & quasi præscriptis verbis id declaret: ergo eodem modo de regulacensendũ est.

Secundò.

Tertiò.

Inter has sentẽtias difficile est ferre iudiciũ, quia difficile est intentionem authoris vniuscuiusq; regulæ coniectari: nam simplicia verba reuera ad hoc non sufficiũt, vt generaliter dixit Nauarr. dict. c. 23. Summæ, n. 50. & in religiosa regula propter speciales rationes maximè locũ habet, vt omnia adducta declarât. Hęc autem ipsa difficultas satis persuadet, quòd ad obligationẽ peccati mortalis attinet, admittendam non esse in regula, nisi vel apertè contineat materiã voti, vt est apud Augustinum illa, *Nõ dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia*, vel nisi contineat materiam aliàs per se necessariã, vt est illud apud eundem August. *Vbicunque fœmina sunt, inuicem vestram pudicitiam custodite*; & illud, *Qui conuitio, vel maledicto, vel crimine obiectu aliquem læsit, meminerit satisfactionem, quantotius curare quod fecit: & ille, quid læsus est sine disceptatione dimittere*. Vel denique nisi speciali aliquo signo, aut spirituali pœna necessitas præcepti sub graui culpa apertè significetur; cuius membri exemplum in materia aliàs non necessaria (vt verum fatear) in regulis Basilij, Augustini, aut Benedicti non inuenio, neque in regulis Pachomij, neque in illis, quæ circumferuntur nomine Hieronymi: neque in regula Carmelitarũ alia verbà inuenio præter hæc: *Debeatis, nõ li. eat, ieiunent*, &c. quæ etiam in rigorosis seu propriè dictis legibus non solent grauem obligationem indicare.

VI. *Auctoris opinio quam sequimur.*

Solùm facit nobis negotium regula S. Francisci, præsertim addita expositione Pontificis, in d. Clem. *Exiuit*. Sed, si attentè expendantur verbà & circunstãtiæ illius regulæ, facilè intelliget ur nihil obstare dictam determinationẽ: nam ter tantùm in illa regula inuenitur hic modus loquẽdi, *Firmiter præcipio*, in quo Pontifex declarat rigorosum præceptum imponi, & meritò, tũ quia in tribus illis locis sermo est de materia trium votorum, in c. 4. de pœnitentia, in 10. de obedientia, in 11. de castitate. Tum etiã, quia ille modus exaggerationis, *Firmiter præcipio*, indicat obligationem, & (vt sic dicam) voti firmitatem. Tum etiam, quia in illa regula valde accuratè distin-

VII. *Resolutio.*

Primò.

Secundò.

Tertiò.

distinguit Sanctus modum loquendi quando vult præcipere, vel quando vult tantum monere aut exhortari, vel cõsulere. Est etiã aliud in illa regula peculiare, quòd in ea fit promissio seruandi talem regulã; ex qua promissione colligit Pontifex, rigorosam obligationem regulæ quoad ea quæ sub dictis verbis præcipit. Præter illa tamẽ tria loca, sunt alia, in quibus ponuntur hæc verba, *teneantur*, vel *non debeant*, quæ Pontifex fatetur in rigore non æquiualere verbis præceptiuis, ibi, *Ls: et fratres nõ ad omnia, quæ sub verbis imperatiuis modi ponũtur in regula, sicut ad præceptorum seu præceptis aquipollentium obseruantiam teneãtur; expedit tamen*, &c. Vnde quæ postea ipse declarat habere vim præcepti, speciale est ratione materiæ, v.g. voti paupertatis, vel alterius similis in eis contenti, vel etiam ex circunstantiis, & consuetudine ac traditione illius ordinis, quæ ita intellexerat, & obseruauerat illa præcepta, vt de ieiunio, & similibus.

VIII. Quod vero spectat ad obligationem peccati venialis, non est multum contẽdendum: quia vix potest separari venialis culpa à transgressione regulę, vt statim dicam. n. 12. Et ideo verisimile est, vbi expresse nõ excluditur hæc obligãtio, induci per propria statuta & constitutiones regulæ. Dico autem, *per propria statuta*, propter distinctionem D. Thomæ, quæ valde notanda est, quia in regulis misceri solẽt alia quæ sunt pura consilia, quę ex omnium sententia nullam obligationem inducũt, sicut in lege Euangelica sunt consilia nullam obligationem inducentia, vt præter Hieronymum suprà citatum explicat Augustinus de Sancta virginitate, c. 4. Et optimè Chrysostomus tom. 4. hom. in id, *Salutate Priscillam, & Aquilam*, quæ habetur post commentariũ in Epist. ad Rom. Discernere autem illa duo interdum est facile ex verbis, vt clarius patet in regula Francisci, quàm in aliis: interdum verò ex materia, & ex modo doctrinæ, quæ potius præponitur per modum recordationis, quàm ordinationis, vt est in regula Benedicti statim in principio, *Abbas semper meminisse debet*, &c. & alia multa similia sunt in illa regula, & nonnulla in regula Augustini, quamuis in ea frequentiùs ordinando & statuendo loquatur. In regula autem Basilij, prout in eius operibus nũc habetur, etiamsi quædam habeant nomen regularum, & aliæ Constitutionum, omnes tradũtur magis per modum doctrinæ & consiliorum, quàm statutorum: tamen in regulâ Carmelitarum, quæ censetur esse Basilij, distinctè ponuntur priùs statuta, & postea exhortationes, quæ vt plurimum tantùm continent consilium, vel commemorationem Euangelicæ doctrinæ. Hæc ergo consilia, & exhortationes per se nullam obligationem inducunt, præter eam, quàm ex natura rei vel ex Euãgelio habẽt res, de quibus fiunt. Statutã verò videntur inducere obligationem saltem sub veniali culpa, vbi aliud non explicatur. Quamuis multum in hoc valeat cõsuetudo, & communis sensus religionis: nam ad interpretandam legem plurimum valet, & ideo potest ei adiicere obligationem, vel tollere.

Atque hæc distinctio inter statuta & consilia notari etiam potest in illis regulis, quæ expresse excludunt obligationem ad culpam etiam venialem. nã statuta illarum obligabunt ad pœnam: mera autẽ consilia neque etiam ad pœnam videntur obligare; quia nullam omnino necessitatem inducunt, alias non haberent in quo ab statutis talis regulę distinguerentur. Imò in religione Prædicatorum videtur non incurri debitum pœnæ, nisi per transgressionem regulæ imponentis & taxantis illam; quia declaratio generalis est, vt regula solùm obliget ad sustinendam pœnam taxatam in ea. Vnde solùm illa capitula regulæ, & Constitutiones, quæ sub pœna aliquo modo taxata aliquid ordinauerint, habebunt rationem statutorum, reliqua verò erũt mera consilia, nisi ex eis, vel ex vsu constet propter eorum transgressionem solere Prælatos pœnitentias iniungere suo arbitrio taxandas, nam hoc satis erit vt habeant vim statutorum.

X. *Quomodo stem in Societate.* Vndę in Societate cùm nulla sit ordinariè obligatio ad culpam, nec taxatæ pœnæ comminatio, omnes regulæ & constitutiones censentur esse non tantum consilia, sed statuta, quia de omnibus exigitur perfecta obseruantia in eisdemmet Constitutionibus, 6. p. c. 5. & p. 10. §. 13. & pro cuiuscunq; trãsgressione possunt Prælati accommodatam pœnitentiã iniungere. Quare vix possum in eis distinguere consilia ab statutis, nisi fortasse ex parte materię. Nam in regula Societatis multa sunt, quæ solum generaliter componunt interiorem hominem, & nihil externum, aut in particulari seu certis tẽporibus agendum statuit, vt cum dicitur, curandum esse ei qui Societatem ingreditur, vt *omnem carnis affectum erga sanguine iunctos exuat, & illum in spiritualem conuertat.* Et illud, *Diligenter animaduertam oportet quãtopere iuuet ad vitæ spiritualis profectum omnino & non ex parte abhorrere ab his omnibus, quæ mundus amat, & amplectitur*, &c. & similia multa, quæ in Summario Cõstit. collecta sunt. Reliqua verò omnia, quæ aliquid determinatè agendum ordinant, vel prohibent, propria statuta sunt, quæ necesse est aliquo modo versari circa exteriores actus; nam licèt etiam dentur statuta de actibus mentalibus, tamen quatenus ad illa præscribunt certum tempus, in quo postulãt vacationem ab aliis actibus externis, respiciunt etiam exteriorem obseruantiam. Ita ergo possunt aliquo modo in illa regula statuta à cõsiliis distingui: ita tamen hoc est accipiendum, vt etiam illa, quæ dicuntur consilia, censeantur specialiter proposita professoribus huius regulæ, vt & ad illa aspirare debeant. & secundùm illam seu in ordine ad illam regi à Superioribus possint, & ordinationes recipere: vnde solùm videntur ab aliis in hoc differre, quòd defectus vel imperfectiones contra illa puniri non possunt: quia pro actibus internis nullus ab homine iudicatur, vel punitur, etiamsi puniri possit pro externis defectibus, qui illam internam imperfectionem indicant: vel etiam per voluntariam confessionem talis defectus interni extra Sacramentum factam, possint per correctionem religiosam tales defectus puniri. Et ad hoc etiam extendi posset illa regula Societatis, quæ iubet aliquoties postulare pœnitentiam propter defectus regularum. Atque ita in Societatis instituto seclusis rigorosis præceptis, quæ præter vota ferè nullã sunt, parua est inter consilia & statuta distinctio.

In Summario §. 8. & 11.

Temperantur proximè dicta de Sõcietate.

In Summario §. 51.

XI. Vltimò dubitari hic potest, quomodo transgressio statuti seu constitutionis sine legitima causa excusante facta possit non esse aliquod peccatum. Nã eo ipso quòd aliquis est membrũ alicuius Reipub. obligatur in conscientia ad seruandas leges eius: sed statuta & constitutiones sunt leges huius religionis; ergo eo ipso quòd quis est membrum religionis, obligatur in conscientia ad seruandas illas: ergo non potest vitare pẽccatum saltem veniale in earum transgressione, nisi ex dispensatione, vel iusta epiikeia. Confirmatur. nam *turpis est pars, quæ discordat à toto*: quę disproportio sufficit ad culpam venialem, iuxta vulgarem sententiam Augustini cõmuniter receptam in materia de legibus: sed hanc improportionem incurrit religiosus quoties ex puro arbitrio aut negligentia transgreditur regulam: ergo. Propter hæc dicunt aliqui, religiosum transgredientem quodcunque statutum regulæ, etiã minimum, non excusari à culpa veniali, quantumcũque institutor expresse declaret regulã non obligare etiam ad veniale. Quia licet per se & directè obligare nolit, non potest excludere naturalem obligationem, quæ indirectè sequitur, posita lege. Sicut legis-

Dubitatur an reuerà frangi possit regula non obligans ad peccatum, absque omni peccato.

Ratio dubitandi.

Eius confirmatio.

legislator quantumcunque nolit se obligare, tenetur seruare legem à se latam ex illo principio naturali, *Potere legem, quam ipse tulerit.* Vel sicut dispensatus in lege positiua validè & sine causa, peccat, saltem venialiter, vtendo dispensatione ratione illius principij, *Turpis est pars*, &c.

XII. *Contraria sententia vera.*

Sed hæc sententia mihi nō placet, quia repugnat menti & intentioni talium religionum, & authorū earum, & inutiles reddit conatus eorū: quid enim refert propter maiorem securitatē, & ad tollendos laqueos nolle directè obligare ad culpam venialē, si eo ipso necessariò inciditur in eandem obligationem alio titulo, præsertim cum id sine sufficienti fundamento dicatur, vt ostendam. Dico ergò, facilè intelligi posse in hac transgressione, per se loquēdo, non esse culpam venialem, licet per accidens frequenter incurratur. Declaro vtrumque distinguēdo duplicem transgressionem, per commissionem, vel omissionem: & in vtraque distinguendo duo, scilicet opus, & quòd sine licentia fiat, & omittere petitionem licentiæ ad id faciendum. Quando ergo actus qui fit, est prohibitus per regulam, & supponitur nō malus de se nec per Ecclesiasticam prohibitionem (alioqui habebit aliunde malitiam non ex regula) tunc considerandum est motiuum propter quod fit talis actus: nam si illud re vera est honestum, actus nullum peccatum erit; quia sola oppositio ad regulam, vel omissio petitionis licentiæ, non est circunstantia sufficiens ad vitandum actū, cùm non sit talis prohibitio, quæ ex intētione prohibentis reddat actum malum, quia hoc ipse declarat cùm dicit nolle obligare in conscientia. Quia verò rarò contingit religiosum operari ex motiuo honesto quando operatur contra regulam, sed ex aliqua otiositate, vel delectatione; ideo frequenter hoc non fit sine culpa veniali.

Quomodo vera sit hæc sententia in commissione contra regulam.

XIII. *Quomodo item vera in omissione regulæ.*

Idem cum proportione dicendū est de omissione regulæ contrariæ, nam ex illo capite non est mala solum quia prohibita, & ideò non est per se mala: per accidens autem erit ex voluntate qua est voluntaria. Quod duobus modis esse potest, scilicet, vel in actu positiuo, qui est causa eius, vel in se. Priori modo iudicanda est iuxta qualitatem actus: vt si quis omittat orationem hoc tempore iniunctam per regulam propter studium, considerandum est quo motiuo vacetur studio: nam si sit honestum, & cum aliis circunstantiis intrinsecè requisitis ad talē actum, ex solo capite illius omissionis non est malum, quia ipsa omissio per se malà nō est, & ita nullum ibi interuenit peccatum. Quia verò motiuum honestum non inducit ad agendum contra regulā, ideo frequenter talis actus est culpabilis ratione extrinseci finis. Quod si omissio consideretur vt in se voluntaria, subdistinguendum est, nam potest esse voluntaria tantū indirectè, quia non aduertit, quāuis posset: & tunc censeo semper excusari omnem culpā in tali omissione, etiamsi interueniat aliqua negligentia in considerando; quia hæc ipsa negligētia, licèt sit minus perfectā, nō est mala, quia nec est intrinsecè mala, neque interuenit prohibitio, quæ reddat illam malam. Imò, licèt illa inaduertentia vel negligentia proueniat ex præcedēte occupatione alias culpabili, non fiet inde omissio mala: quia illa præcedens culpa non est causa talis omissionis, & licet sit causa eius, non inde aggrauatur in malitia sua, cùm aliunde ipsa omissio in se mala non sit. Potest denique ipsa omissio esse directè & in se voluntaria, vt si quis nolit, v.g. orare: & tūc licet obiectum illius volitionis non sit malum, quia illa omissio in se mala non est: de ipso tamen actu volendi seu nolendi, prout in indiuiduo fit, iudicandū est iuxta motiuum eius. nam si sit honestum, etiam voluntas erit honesta: si autem sit turpe, erit voluntas mala: si denique sit indifferens, vt delectatio aliqua, vel fuga alicuius laboris, actus erit in indiuiduo otiosus, & consequenter peccatum veniale. Et huiusmodi frequentius esse solēt tales omissiones, fiunt enim ex quadam animi tepiditate ad superādam aliquam difficultatem; & ideo practicè vix fiunt sine aliqua culpa veniali, non propter obligationem regulæ, sed propter irrationabilem volendi, vel nolendi modum in indiuiduo. Quod patet, nam in actibus etiam consiliorum contingere potest hic modus peccandi venialiter, vt si quis directè nolit esse religiosus otiosè, & sine vlla rationabili causa habendo hunc actum.

XIV. *Quomodo denique sit vera omissio petendæ licentiæ.*

Idem iudicium est de omissione petendi licentiam, quæ semper coniungitur cum huiusmodi regulæ transgressione, imo in illa maximè consistit. Nam si actus præscriptus à regula omitteretur, vel contrarius fieret cū licentia Prælati, non esset trāsgressio. ergo si quid malitiæ est in tali actu, videtur maximè consistere in non petenda licentia. Considerandum ergo est, quomodo omittatur eius petitio, an directè, vel indirectè, & applicanda est doctrina tradita: nam hæc etiam omissio in se mala nō est, cùm obligatio ad talem licentiam petendam solùm sit ex regula, quæ ad culpam non obligat, vt supponimus. Potest etiam interdum contingere, vt petita licentia, & non obtenta quis operetur, vel omittat contra regulam: & tunc est nonnullum periculum contemptus, de quo statim disputabimus sequenti cap. secluso autem contemptu, etiam tunc non est per se mala illa operatio vel omissio, sed iudicandum de illa est iuxta motiuum operandi, & regulas positas, quia etiam tūc actus non est intrinsecè malus, neque etiam interuenit sufficiens prohibitio, quæ illum reddat malum: suppono enim Prælatum negando licentiam non imponere nouum præceptum obligans in conscientia, nam tunc esset noua obligatio, sed non ex vi regulæ.

Ad rationē dubitandi in num. 11.

Ad rationem ergo dubitandi respondetur, membrum communitatis obligari quidem ad seruādas leges communitatis, nō tamen aliter quàm illæ obligent: si ergo illæ ita sunt impositæ, vt in conscientia non obligent, nemo suscipit maiorem obligationem eo quòd talem statum profiteatur. Ad confirmationem respondetur, cùm dicitur turpem esse partem, &c. si per hoc significetur operatio contra rectam rationem, intelligendum esse illud principium quando pars non conformatur toto in obseruatione legis obligantis in conscientia, quia tātùm huiusmodi lex continet rectitudinem rationis necessariam ad honestatem morum; & ideo in præsenti non habet locum hoc principium ita intellectum, sed ad summum potest dici religiosus transgressor regulæ esse imperfecta pars, atque adeò turpis latiori modo, quà imperfectio latiùs patet quā venialis culpa. Posset etiam incurrere turpitudinē peccati ex illo principio ratione scandali, & infamiæ religionis, & pro illius qualitate erit maior vel minor turpitudo. Denique alio etiam modo potest hæc pars turpis vocari, si velit ita esse transgressor regulæ, vt non subiaceat pœnæ seu disciplinæ religiosæ: nam in hoc iam discordaret à toto in eo, ad quod in conscientia tenetur, vt suprà explicatū est.

Ad confirm. ibid.

CAPVT IV.

Vtrùm Religiosus teneatur sub præcepto ad non contemnendam regulam, & consequenter an teneatur ad progrediendum in via perfectionis secundùm regulam.

Propositio, & explicatio.

COmmunis sententia Doctorum est, quamuis religiosus non peccet per se transgrediendo regulam; si tamen id faciat ex contemptu, esse peccatum mortale,

mortale, etiam in minimis. Quamuis enim hoc vltimum non omnes asserant, tamen D. Bernard. qui videtur esse præcipuus author illius sententiæ, ita expressè loquitur in lib. de præcepto & dispensatione, eumq; absolutè sequuntur D. Thom. dist. 2. 2. q. 186. art. 9. & hinc fortè in cōstitutionibus sui Ordinis cùm sæpe dicatur eas ad mortale non obligare, semper exceptio fit de contemptu. item Bonau. to. 1. opusc. lib. 2. Pharetræ, c. 44. & plures alij quos refert in opere de Legibus lib. 3. c. 28. num. 2. Explicans autem D. Thom. hunc contemptum, ait transgressionem regulæ non obligare ad mortale, nisi propter contemptum regulæ; quia hoc directè contrariatur professioni, per quam aliquis vouit regulare vitam: vnde sentit tunc aliquid in particulari fieri contra regulam ex contemptu, quando simpliciter tota regula contemnitur, & ex illo absoluto contemptu deriuantur particulares transgressiones. Per contemptum autē regulæ videtur D. Thom. intelligere absolutum propositum non seruandi illā seu viuendi ita liberè ac si illa non esset. Quod apertius declarat in solutione ad tertium, dicens, *Tā aliquis transgreditur ex contemptu, quando voluntas eius renuit subiici regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra regulam.* Sentit igitur D. Thom. hunc actum, *Nolo seruare regulam*, in religioso esse peccatum mortale, & consequenter teneri religiosum ex vi suæ professionis ad habendum propositum seruādi suam regulam: quam obligationem fundat in voto, quod religiosus facit regularis vitæ. Et hinc q. 184. art. 5. ad secūdum dicit religiosum nō posse teneri se esse perfectum, sed tendere ad perfectionem; & ideo non esse mendacem licèt imperfectus sit: committere autem mendacium & simulationem *ex eo quod ab intentione perfectionis animum reuocat.* Et quamuis non declaret illud mendacium esse peccatum mortale, tamen id planè sentit, quia tale mendacium est cōtra votum in materia grauī. Vnde Caiet. ibi, *Tales* (inquit) *videntur in statu peccati mortalis in litera hac poni tanquam mendaces & simulatores facto* Et infrà declarat, vt non reuocetur animus religiosi ab intentione proficiēdi, necessarium esse vt religiosus habeat intentionem viuendi secundum regulam & constitutiones, idque satis esse, quamuis in multis interdum delinquat. Sequitur hanc doctrinā Astensis lib. 6. Summ. tit. 47. quem refert & sequitur Angel. verb. *Religiosus.* nu. 17. Armill. verb. *Religio.* num. 3. Tabiena num. 4. Et idem sentit Nauarr. Comment. 1. de Regularib. num. 10.

II. Potestq; hæc sententia confirmari primò ex modo viuendi multarum religionum. Nam iuxta regulam S. Benedicti, cap. 58 qui profitetur, promittit stabilitatem suam, & conuersionem morum suorū, & obedientiam coram Deo & sanctis eius. Vbi Turrecrem. aduertit, tria substantialia monasticæ professionis ibi tangi, scilicet stabilitatem, conuersionem morum, & obedientiam. Hæc autem conuersio morum, quam etiam Carthusienses, & alij promittunt, vt tomo præced. annotauimus, semper intelligitur secundum regulam: quia religiosus non tenetur ad eos mores supererogationis, qui non continentur in sua regula, vel ad illam non reducuntur, vt eodem tomo tractando de obedientia diximus, & in particulari de Minoribus explicuerunt Nicolaus Pap. in c. *exit.* vers. *quem intellectum.* de verb. signif. in 6. & Clemens in Clement. *Exiui.* § *nos circa.* eod. tit. & in forma profitendi S. Francisci ita fit promissio seruandi regulam fratrum Minorum viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate: ergo ex vi talis professionis tenetur religiosus habere propositum seruandi regulam: nam hoc ipsum est propositum tendendi ad perfectionem, quia nō tenetur aliter tendere, quàm seruando regulam, vt notauit Caiet. dict. art. 9.

Confirmatur ex modo loquendi Patrum. Nam Hieron. epist. 1. ad Heliodorum, *Tu igitur perfectum te fore pollicitus es, nam cum derelicta militia* (scilicet seculi) *te castrasti propter regnum cœlorum, quid aliud quam perfectam sequutus es vitam? perfectus autem seruus Christi nihil præter Christum habet, aut si quid præter Christum habet, perfectus non est; & si perfectus non est, cum se perfectum fore Deo pollicitus est, ante Deum mentitus est: os autem quod mētitur, occidit animam.* Vnde idem Hieronym. epist. 8. ad Demetriadem dicit, *non progredi in via perfectionis, regredi esse.* Quomodo loquitur etiam Bernard. serm. 2. de Purificat. Hoc enim ideo verum esse potest in eo qui desistit ab intentione progrediendi: nam in executione ipsa non possumus semper proficere. Vnde idem Bernard. epist. 253. Monachæ inquit, *Non vis proficere, ergo vis deficere.* III. *Secundum argum.*

Vltimò confirmari potest hæc sententia, quia regula religionis inducit ex suo genere aliquam obligationem in conscientia, vt cap. præced. dictum est: ergo licèt illam transgredi in singulis semper sit in executione tantùm peccatum veniale, quia materia est leuis; intentione & proposito totam illam cōtemnere, erit peccatum mortale, quia obiectum illud est materia valde grauis. Quæ ratio magis vrgere videtur pro iis religionibus, quarum regulæ obligant non solùm ad pœnam, sed etiam ad aliquam culpam. IV. *Secundum argum.*

Nihilominus esse potest secunda sententia, negans esse peccatum mortale habere animum liberè viuendi absque obseruatione vel cura aliqua seruandi regulam, nisi in his tantùm rebus, in quibus ipsa obligat sub peccato mortali, id est, in tribus substantialibus votis, vel in quolibet alio, si fortasse in particulari religione fit, & in specialibus præceptis rigorosis & grauibus, si quæ fuerint expressa in regula, iuxta principia capite superiori posita. Nam si malum propositum seu contemptus ad hæc etiam extendatur, manifestum est esse peccatum mortale, non solùm ex modo, sed etiam ex obiecto, imò non tantùm simplex mortale, sed virtute multiplex, vtpote contrarium multis votis & præceptis. Cum prædicta verò limitatione, illud propositum non esse peccatum mortale, probatur primò, quia neque est contra votum, nec contra præceptum aliquod diuinum, aut humanum. Prima pars probatur, quia in professione religionis, per se ac præcisè loquendo de statu religionis vt sic, tantùm fiunt tria vota, nam illa tantum sunt de substantia illius status. Vnde, licet promittatur cōuersio morum, non est illa promissio intelligenda tanquam votum distinctum ab illis tribus, sed tanquam confusè & quasi collectiuè continens illa tria. Quia non promittit quis aliam conuersionem, nisi quæ exercetur seruando paupertatem, castitatem, & obedientiam: in qua obedientia regula includitur, quia non fit specialis promissio seruandi regulam, nisi quatenus sub obedientiam cadit, vel, quod perinde est, solùm fit promissio obediendi secundum regulam. At verò illud propositum non est contra aliquod ex his tribus votis, vt ex obiecto & limitatione eius à nobis explicata constat: ergo. Secunda pars probatur, quia vel illud ius est diuinum positiuum, & hoc ostendi non potest: vel est naturale; & hoc non, quia illud propositum non habet ex obiecto intrinsecam malitiam, præsertim mortalem, quia non est de actibus per se malis, sed vel de indifferentibus, vel etiam de bonis, quamuis minus perfectis, imò interdum includere potest actus perfectiores, quàm in regula contineantur, vel permittantur, vt si quis proponat ieiunare etiam quando regula prohibet, vel vigilare quando præcipit dormire. V. *Pars negāt.* *Probatur hæc sententia primum membrum.* *Secundum membrum.*

Dices, suppositā professione & incorporatione cum religione quæ per illam fit, esse contra rationē *Euasio reiicitur.*

naturalē nolle viuere secundùm regulam eius. Sed contrà, nam in præcedenti capite ostensum est, hāc obligationem non esse maiorem, quàm ex ipsa regula nascatur, nam ratio naturalis solùm præcipit seruare regulas communitatis in eō gradu obligationis, in quo ipsæ latæ fuerint: sed tota regula etiā collectiuè sumpta non est posita cum obligatione ad mortale: ergo nec ratio naturalis obligat illo modo ad seruandam illam. Probatur minor, quia in tota collectione regularum nō est alia obligatio nisi quæ consurgit ex singulis particularibus regulis: quia author regulæ non intendit vnam obligationem pro tota regula collectiuè sumpta, & singulas in singulis regulis, sed per vnamquamque regulam imponit suam obligationem, ex quibus cōsurgit totius regulæ obligatio, quę reuera non est vna, sed est multitudo obligationum particularium. In illa autem multitudine nulla in particulari est quæ sit sub mortali, vt supponimus, quia vel in regula non est, vel si est, non includitur in illo proposito. Ex multitudine autem obligationum leuium, præsertim diuersarum legum & rationum non consurgit vna obligatio grauis in conscientia. Quod est euidens, quando singulæ regulæ neque ad veniale obligant: nam cùm in singulis nulla sit obligatio in conscientia, omnes etiam simul non habent obligationem in conscientia; ergo multo minus possunt efficere vnam obligationem grauem. Idem verò est, etiamsi regulæ singulæ obligēt sub veniali, quia multa venialia non efficiunt vnum mortale, iuxta doctrinam certam 1.2. quæst. 88. & 89. transgressiones autem talium regularum tantùm sunt plura peccata venialia, nec inter se cohærent quasi ad cōponendam vnam obligationem, vt dixi, sed tantū multitudinem discretam: ergo neque vnam culpā grauem efficere possunt, sed multitudinē leuium. Nec refert quòd illa multa leuia vno proposito apprehendantur, quando inter se non vniuntur in vna materia graui eiusdem vitij, vt sunt multa furta leuia; quia alia non efficiunt vnum obiectum à quo illud propositum habeat vnam malitiam grauem, sed habet plures leues ex variis obiectis, quæ virtute apprehendit. Imò licèt fingatur illa esse vna malitia, erit tantùm venialis ex vi regulæ; quia, vt supponimus, author regulæ simpliciter noluit per illam obligare ad mortale in quacunque materia etiam aliàs graui, & nihil distinxit inter singulas regulas, vel totam collectionē earum. Et hinc probata manet tertia pars de lege humana, quia in præsenti non interuenit alia nisi regula, nam ex vi illius precisè loquor: sed regula non affert hanc obligationem, vt ostensum est. ergo.

Tertium membrum.

VII. *Confirmatur primo eadem pars negans.*

Et confirmatur hic discursus, nam si illud propositum formale esset peccatum mortale, etiā per solam executionem ac diuturnam consuetudinem licentiosè viuendi sine obseruatione regulæ peueniretur ad statum peccati mortalis, quod admittere durum & pernicioſum esset: ergo. Propter hoc fortasse Caiet. dict. 2.2. quæst. 184. articulo quinto diligenter aduertit, loqui D. Thomam de intentione vt distinguitur ab exequutione: quia deficere (inquit) à perfectione executiuè, non est simulare, aut mentiri: deficere autem ex intentione, est simulare, aut mentiri, & ita virtute negat dictam illationem. Rationem autem illius differentiæ reddit, quia status Ecclesiasticus significat directè intentionem existentium in statu, & non executionem. Quod inde colligit, quia status ille à principio habet suam significationem, cùm tamen à principio non possit significare executionem, sed solam intentionem. Sed in primis probatur nostra sequela, quia in moralibus perinde valet consensus virtualis & indirectus, ac formalis & directus: sed qui sciēs & videns longo tempore deficit ab obseruatione totius regulæ, habet plus quàm virtualem consensum non proficiendi in perfectione secundùm illā regulam: ergo si formalis consensus est peccatum mortale, etiam ille est peccatum mortale: & committetur tunc peccatum mortale quando quis incipit præuidere suum statum, & non vult remediū adhibere, sed voluntariè continuare; sicut dici solet de illo, qui leuia furta committens, præuidere incipit iam consurgere materiam grauem. Deinde illa differentia à Caietano assignata nimis speculatiua & voluntaria videtur: nam exterior habitus vel status magis debet significare exteriorem vitā, quàm intentionem, vel cur potius hanc, quàm executionem? Nam à principio significabit initium executionis, & deinceps progressum eius: Et præterea admissa differentia, & illo mendacio, non esset mortale ex obiecto, quia non est mendacium contra votum, vt ostendimus: neque etiam est mendacium pernicioſum, cui enim nocumentum infert, per se loquendo? Tandem nullum profectò mendacium esse videtur: quia exterior habitus vel status nec intentionem, nec executionem per se significat, sed obligationem regulæ accommodatam.

VIII. *Confirmatur secundo.*

Quod declaratur, & confirmatur, nam aliàs sequitur etiam Episcopos peccare mortaliter, si habeant intentionem non viuendi perfectè, nec exercendi opera supererogationis, sed tantùm seruandi præcepta, & rigorosas obligationes voti, aut officij: consequens est falsum; ergo. Sequelam admittit Caietanus, quia D. Thomas ibi indifferenter loquitur de religiosis, & Prælatis, & de vtrisque ait mendacium & simulationem committere si deficiant ab intentione perfectionis. Consequens autem est incredibile, tum quia nullum apparet fundamētum talis peccati mortalis, & asserendum non est, nisi vbi ratio, aut lex cogit: tum etiam, quia hoc esset damnare quamplures, vel fortasse ordinariū modum viuendi Prælatorum, satis enim fecisse putāt, si singulis præceptis & obligationibus iustitiæ, misericordiæ, castitatis, & similibus satisfaciant, nec prudentes & pij etiam confessores plus ab illis exigunt. Imò si illa ratio simulationis, aut mendacij sufficeret ad peccatum mortale, non solùm deficiēdo ab intentione, sed etiam ab executione perfectionis, peccaret mortaliter. Quin etiam profitendo illum statum sine perfectione, mortaliter peccaret. Probatur, quia ille non est status acquirendi perfectionem, sed hominis iam perfecti, vt suprà declaratum est: ergo qui accipit illum statum, cùm non sit perfectus, simulat, & mentitur, quia ille status non significat intentionem proficiendi, sed virum iam perfectum.

IX. *Confirmatur tertio.*

Tandem confirmatur, quia aliàs sequitur, esse in statu peccati mortalis illum religiosum, qui habet deliberatum animum non seruandi vnam, duas, aut tres ex suis regulis, etiamsi cæteras seruare studeat ordinario modo. Consequens etiam est durū & incredibile: suppono enim illas regulas non obligare ad culpam, vel non ad mortalem. Sequela patet, primò ex eadem doctrina Bernardi: nam frāgere quamcunque regulam ex contemptu illius, est peccatum mortale: ille autem est contemptus talis regulę; si enim propositum non seruandi totam regulam collectiuè, est contemnere illam; propositū etiam non seruandi hanc regulam, v.g. ieiunandi sexta feria, aut examinandi conscientiam quotidie, est contemnere illas singulares regulares: ergo est peccatum mortale. Probatur item sequela, quia illud sufficit vt aliquis deficiat ab intentione proficiendi secundùm regulam, vel quia illæ sunt tam necessariæ ad perfectionem, vt moraliter non possit acquiri sine obseruatione illarum, vt est regula de quotidiana oratione, vel conscientiæ examinatione, & similes: vel certè, quia totum & perfectum iuxta

iuxta Philosophum idem sunt. Qui ergo non habet intentionem seruandi totam regulam, sed potius contrariam, plane non intendit esse perfectus secundum illam: ergo.

Duplex præsertim difficultas enodatur, ac tota controuersia per partes dissolvitur.

X. Hæc sunt quæ difficilem reddunt doctrinam illam D. Thomæ: in qua explicanda desidero nec laqueum religiosis inicere, imponendo periculum peccandi mortaliter vbi reuera non sit: neque etiã eis occasionem tribuere vt remisse viuant, & veris periculis peccandi mortaliter se exponant. Duo ergo explicanda sunt. Primum de obligatione habendi intentionem proficiendi, aut viuendi secundum regulam. Secundum de transgressione regulæ ex contemptu. Circa priorem partem dico in primis, religiosum absolute teneri ad progrediendum aliquo modo in via perfectionis. Probatur, quia ex vi huius professionis tenetur velle seruare statum, qui secundum se est in consilio tantum, & non in præcepto: sed hoc ipsum est intrinsece velle tendere ad perfectionem: ergo. Explicatur minor, quia vt tendatur ad perfectionem, non est necesse vti omnibus mediis vtilioribus ad charitatem obtinendam, sed satis est vti aliquibus de se non præceptis: nam vti omnibus vix est moraliter possibile, vel saltem est rarissimum. Vnde Sylvest. verb. *Rel g.* 0. 1. quæst. 3. postquam proposuit doctrinam S. Thomæ, subdit, habere locum quando religiosus omnia media ad illum finem sibi vult abdicare; nam si vnum retineat, non est extra statum salutis: quia licet teneatur ad intentionem tendendi, non tamen currendi ad perfectionem. Indicat autem necessarium esse vt retineat propositum vtendi aliquo medio, quod non sit in præcepto.

Prima pars enodatur.

Probatur.

Solutio primi.

XI. Hoc autem potest intelligi vel quòd secundum se spectatum non sit in præcepto, & sic est verisimum, quia via perfectionis debet aliquid addere vltra communem viam mandatorum. Alio verò modo potest intelligi de præcepto etiam respectu ipsius religiosi, ita vt præter ea quæ ratione votorum, vel ex rigoroso præcepto regulæ, aut Superioris facere tenetur, debeat necessario intendere aliquid sibi non præceptum adiungere. Et hunc sensum videtur ille author intendere. Difficile autem probari potest, quamuis id peculiare opus nimis onerosum non sit: nemo enim est tam dissolutus, qui non soleat aliquid supererogationis facere. Sed nihilominus in rigore cùm nulla sit obligatio intendendi magis vnum opus quàm aliud, neque omnia simul, neque aliquod determinate ex his, quæ huic personæ præcepta non sunt, non apparet vnde teneatur ad intendendum aliquod in confuso, vel suo arbitrio eligendum. Præterea, quamuis religiosus per votum efficiat sibi præceptum quod alias erat consilium, nihilominus seruando votum illud, implet etiam consilium, & tendit per viam perfectionis, alias seruare castitatem, & paupertatem religioso voto confirmatam, non esset tendere ad perfectionem, quod planè absurdum est. Igitur ad implendam obligationem in assertione positam, satis esse videtur quod religiosus intendat seruare sua vota integrè prout in tali regula sunt, & cætera omnia specialia præcepta suæ religionis, præter communia. Patet, quia si hoc faciat, vere tendit ad perfectionem: ergo si hoc præcisè intendat, etiam intendit tendere ad perfectionem, etiamsi non intendat currere, vt aiebat Syluester.

Explicatur & confirmatur ex dictis.

XII. Dico ergo secundo, per se loquendo & ex vi obiecti non teneri religiosum sub peccato mortali habere propositum seruandi omnia, vel aliqua ex his, quæ nec promisit, nec sibi specialiter præcepta sunt: quamuis moraliter loquendo, vix fieri possit, vt habeat debitam intentionem salutis propriæ, quin hoc etiam intendat.

Secundum pronuntiatum bipartitum.

Prior pars videtur sequi ex proximè dictis circa præcedentem assertionem, & conuinci argumentis secundo loco factis: non enim possumus imponere obligationem sub peccato mortali sine voto, vel præcepto, de quo satis constet. Item cum illo proposito stat amor Dei super omnia: quia reliquit hominem cum affectu de se efficaci non recedendi à Deo vt ab vltimo fine propter vllam rem mundi: quod satis est ad amorẽ super omnia: ergo illud propositum non est peccatum mortale ex obiecto suo. Nam peccatum mortale euidenter pugnat cum amore Dei super omnia. Posterior pars probatur, quia vix potest moraliter contingere, vt homo etiam secularis habeat firmum propositum nunquam peccandi mortaliter, quin consequenter nonnulla opera supererogationis faciat, & habeat formale, vel virtuale propositum illa faciendi: quia sicut substantia creata non potest sine omnibus accidentibus conseruari, ita nec substantialis charitas & amicitia Dei potest sine aliquibus operibus, quæ sint extra substantiam eius, existere. Ergo seruata proportione non potest religiosus habere firmum propositum seruandi omnia ad charitatem & ad perfectionem eius necessaria in tali statu, quin paratus sit multa in particulari agere bona & honesta, quæ præcepta non sunt: quia non possunt moraliter hæc ab illis omnino seiungi. Quod notauit Gerson Dialogo de Perfectione cordis, p. 2. Alphab. 68. lit. H. vbi cum dixisset, qui statuit seruare præcepta, & non consilia, non esse in malo statu, quia nemo consiliis ligatur: addit, *Quamuis rarò fiat, vt homines præcepta strenuè compleant, quin quodammodo supererogent, & misceantur consilium.*

Suadetur prior pars.

Suadetur posterior.

XIII. Dico tertiò, quando regula religionis ad nullum peccatum obligat, sed tantum ad pœnam, non peccat mortaliter religiosus per se & ex vi obiecti, qui habet animum non seruandi quamcunque regulam, dummodo paratus sit ad sustinendam pœnam. Probatur primo ex rationibus factis: quia in obiecto illius actus non est materia contraria alicui voto, vel præcepto. Secundò, quia ille vult subiacere regulæ eo modo, quo ipsa lata est; quia illa solum ordinat, vt hoc vel illud religiosus faciat, aut pœnæ subiaceat: ille autem vult non facere quod ordinatum est, cum suo discrimine: ergo sufficienter subiicitur regulæ saltem quoad finem non lædendi conscientiam, esto imperfectissimus sit. Vnde si quis vellet ita esse liber à iugo regulæ, vt patatus non esset sustinere pœnam, quantumcunque Prælatus eam præciperet, vel ei resistere si necesse sit; ille sine dubio esset in malo statu, & peccaret mortaliter; tum quia habet dispositionem directe contrariam voto obedientiæ. tum etiam, quia resistit regulæ, non tantum vt mera lex pœnalis est, sed etiam vt resoluitur in obligationem conscientiæ ex suo genere grauem, scilicet non resistendi Prælato iure suo vtenti, & obseruationem regulæ procuranti. At verò si quis sit ita remissus, vt secum statuat non seruare regulam quoties occulte potuerit, vel aliter pœnam vitare, vel certè quoties maius onus senserit in seruanda regula, quàm insustinenda pœnitentia, non apparet in hoc actu malitia mortalis ex obiecto. Maximè si alias proponat non peccare etiam venialiter, dum regulam non exequitur, sed in aliis actibus honestis sibi suauioribus se exercere.

Tertium pronuntiatum.

Vnde probatur 1.

Probatur 2.

XIV. *An obligatus ad solam pœnam regulæ peccet in proposito non seruãdi regulam, statuendo tamẽ subire pœnam.*

Sed quæres, an in eo actu sit saltem culpa venialis, nam ex dictis videtur sequi nullam esse. Nam in obiecto illius actus ita circumspecti & limitati non est intrinseca malitia etiam venialis, nec prohibitio in conscientia etiam sub veniali: ergo neque actus ipse per se culpabilis est venialiter. Dicunt aliqui, illud esse peccatum veniale, quia oritur ex proposito non operandi quod melius est, quod habet intrinsecam deordinationem, quia licet in particulari non facere quod melius est, non semper sit peccatum, tamen generatim proponere in actionibus vitæ non facere quod melius est, videtur esse intrinsece peccatum: quia est ponere obicem Spiritui sancto, & gratiæ Dei. quod sentit Caiet. 2. 2. q. 186. art. 2. non solum de religiosis, sed etiam de quibuscunque. Declarat autem non esse peccatum mortale, sed veniale tantùm: quia in rigore non excludit dilectionem Dei super omnia. At verò rel giosus volens illo modo non seruare regulam, vult non operari quod melius est: quia licet regula non obliget ad culpam, seruare illam melius est. Sed hoc non obstat quominus ille actus possit à veniali culpa ex vi obiecti excusari. Primò, quia reslistere gratiæ Spiritus sancti vocanti ad meliora, non videtur esse peccatum, si alias sit propositum obsequendi illi in necessariis: quia Spiritus sanctus vocando ad opus consilij non ponit præceptum sequendi vocationem. Et ideo Christus ad perfectionem vocabat illis verbis. *Qui vult venire post me*, vel. *si vis perfectus esse*. Dices, licet non teneamur obedire huic gratiæ, tenemur tamen non ponere illi quasi antecedentem obicem: per illud autem propositum ponitur obex Spiritui sancto ne nos vocet ad meliora.

Opinio censens esse veniale.

Ita censet Caiet.

XV. *Ostenditur multiplici ter nec veniale esse, ex se dictum propositum.*

Primò.

Secundò.

Tertiò.

Quartò.

Quintò

Sed contrà, quia nec de hoc potest ostendi tale præceptum, cùm totum hoc pertineat ad bona supererogationis. Item alias peccaret, qui deliberato animo statuit non esse religiosus: quia ponet obicem antecedentem vocationi diuinæ. Præterea reuera ille non est obex, quia Spiritus sanctus vocat ad mutandum illud propositum, & sæpe efficaciter id operatur. Accedit præterea quòd religiosus de quo agimus, non vult semper retinere diuinæ gratiæ & vocationi, sed solum vult viuere suauiter (vt sic dicam) secundum suum statum, per quod non excludit quin si à Deo fortius tangatur, mutaturus sit propositum. Præterea non vult nunquam operari quod melius est, vel nunquam seruare regulam, sed vult non semper esse adstrictus regulæ, vel perfectioribus consiliis; quæ duo valde diuersa sunt, sicut contraria, vel contradictiora, & multo magis inordinatum est velle semper transgredi regulam, quàm velle non semper & in omnibus seruare regulam. Et si moraliter loquamur, inueniri non potest religiosus ita rectus in substantialibus seu necessariis, vt illæsa illa seruare statuat, qui in reliquis sit ita remissus vt intendat nullam omnino regulam seruare, aut semper in omnibus transgredi: quod vix contingere potest sine contemptu, vt infra declarabo. Potest autem facilè inueniri religiosus ita remissus, vt contentus necessariis, nolit de aliis esse solicitus, & ideo statuat non semper regulam seruare, sed quando disciplina ipsa & ordo religiosus necessitate quadam morali compulerit, vel quando sine grauamine & difficultate fieri possit. Denique cum hoc proposito etiam stat, quod talis religiosus velit in aliquibus actibus vel secundum regulam, vel vltra illam multa opera supererogationis & meliora facere. Et ad minimum cum illa vitæ relaxatione stat, vt velit intensius & frequentius amare Deum, quàm teneatur: quod etiam pertinet ad opera consiliorum, & vix omitti potest ab eo, qui efficaciter statuit Dei amorem super omnia, vt notauit Angestus in suis Moralib. c. 8. §. *Diuersorum finium*. concl. 1. Igitur in illa intentione per se & ex vi obiecti nullum peccatum committi videtur.

XVI. *Quæritur præmissam limitationem esse necessariam.*

Ostenditur primum membrum.

Dico quartò, vbi regula obligat ad venialem culpam, & non ad mortalem, graue peccatum veniale est proponere frangere illam si occasio tulerit; tamen secluso periculo grauioris lapsus, & contemptu, non est peccatum mortale. Prior pars euidens est ex suppositione talis regulæ: quia in particulari transgredi illam, est peccatum veniale, ergo & id proponere: ergo grauius est confuse & indefinitè id intendere, quia in illo obiecto maior malitia includitur, quàm in qualibet particulari transgressione. Imò (vt supra dicebam) dubitari potest an illa malitia sit vna, vel multiplex, quia videntur ibi esse tot malitiæ, quot sunt regulæ diuersarum virtutum: quia omnium transgressio implicitè ibi continetur, & admittitur: quod satis esse videtur ad omnium malitias contrahendas; quod fortasse ita est. Facilè tamen defendi potest esse vnam tantum contra generalem rationem obediendi legi. Sicut enim obseruationes omnium regularum conueniunt in hac generali ratione, ita transgressio regulæ vt sic præcise opponitur illi generali rationi, & quando intentio voluntatis in eam præcise rendit, ab illa sumit vnam specificam malitiam, vt latius in 1. 2. explicatur.

XVII. *Ostenditur posterius.*

Et nihilominus (vt secundam partem probemus) in proposito illa malitia non erit mortalis: quia omnes transgressiones, quæ sub illa generica conueniencia apprehenduntur, veniales tantum sunt, & secundum proprias rationes non concurrunt propriè ad vnam materiam grauis peccati componendam, sicut concurrunt plura furta leuia, sed solum concurrunt secundum rationem communem: in qua conueniunt, quæ censetur grauius obiectum, quia in potentia & confuse includit specificas malitias: hæc autem grauitas nunquam potest esse tanta, vt constituat peccatum mortale. Confirmatur, nam hac ratione in homine seculari non est peccatum mortale cum proposito seruandi omnia rigorosa præcepta habere animum non cauendi venialia, vel facilè committendi illa prout sese obtulerit occasio, secluso tamen periculo grauioris lapsus, & contemptu, in quo omnes ferè conueniunt, vt ex 1. 2. quæst. 88. constat: ergo idem est cum proportione de religioso in dicto casu, quia omnes obligationes eius ex regula non excedunt peccatum veniale, vel si quæ sunt maiores supponimus illum habere propositum seruandi eas: est ergo eadem proportio.

Confirm.

XVIII. *Explicatur limitatio.*

Prior verò limitatio huius posterioris partis de exclusione periculi grauioris lapsus, fundatur in illo principio, quòd in moralibus exponere se periculo peccandi est peccatum: nam qui amat periculum, peribit in illo: peccatum autem veniale est dispositio ad mortale, vt ait D. Thom. citato loco, & magis explicat 1. 2. quæst. 88 art. 3. dicens, veniale ex sola leuitate materiæ, vel ex defectu sufficientis deliberationis, directè disponere ad mortale circa eandem materiam: peccatum autem veniale ex genere indirectè sustem & remouendo prohibens disponit ad mortale peccatum. Si ergo supponatur regula obligans sub veniali, intentio frangendi illam est virtualis intentio se disponendi ad grauiorem lapsum, non tantum remote, sed etiam proximè: quia licet vnum vel aliud veniale sit tantum dispositio remota, tamen frequentia illorum, & præsertim cum deliberatione negligendi illa, facile esse potest proxima dispositio ad mortale. Sed circa hanc partem aduertere oportet raro aut nunquam peccari

cari mortaliter ob huiusmodi periculum, nisi in particulari materia & specie peccati mortalis illud periculum versetur, & aliqua certa ratione & experimento constet ex remisso modo viuendi in obseruatione talis regulæ, vel in vitandis talibus culpis leuioribus sequi illud periculum: quia aliàs non est occasio proxima, sed remota, quæ non sufficit ad specialem culpam mortalem ex illo titulo: & ideo existimo rarò contingere vt illa remissio animi in seruandis regulis leuioribus etiam directè voluntaria sit ex hoc solo titulo peccatum mortale: quia illa negligentia, per se loquendo, tantum est dispositio remota, nisi accedant aliquæ particulares circunstantiæ, quæ in aliqua materia consumment occasionem proximam.

XIX. *Exponitur aduersimini. Nisi intercesserit contemptus.*

Altera limitatio, quæ erat de contemptu, petit alteram partem superiùs propositam in num. 10. ex qua pendet maximè intelligentia opinionis D. Thomæ: quia ipse plànè intelligit, non peccari mortaliter in illa remissione animi circa intentionem seruandi regulam, nisi perueniatur ad contemptum. Primum ergo difficile est explicare quis sit iste contemptus; & deinde an semper sit peccatum mortale, & ob quam causam. Dicunt ergo aliqui, ipsam intentionem vel propositum non seruandi regulam eo ipso esse contemptum, quantuis nullam aliam circunstantiam habeat. Quod significare videtur D. Thom. dict. q. 186. art. 9. ad 3. cum ait, *Tunc committit aliquis, vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas eius renuit subiici ordinationi legis, vel regulæ*; ergo contemnere est renuere subiici regulæ: renuere autem subiici nihil aliud esse videtur quàm nolle seruare regulam. Sed hoc si intelligatur de contemptu, quid sit mortale peccatum, non potest esse verum nisi in illo obiecto includatur aliqua subiectio, ad quam homo teneatur sub mortali. Quod manifestè conuincitur rationibus suprà factis: quia propositum non subiiciendi se regulæ in his quæ grauiter non obligant, neque ex obiecto, neque ex voto aliquo, aut ex speciali prohibitione habet malitiam mortalem. Dico autem, nisi in obiecto includatur subiectio grauis, seu in re graui: quia, vt suprà num. 13. dicebam, si quis proponeret non subdi regulæ, etiam resistendo superiori volenti ipsum cogere, vel iustè punire, in malo statu esset, ac mortaliter peccaret. Et fortasse hoc totum includit D. Thom. & ità erit facilis, & clara eius sententia. Nec immeritò potest dici talis actus verus contemptus tam regulæ, quàm Prælati: nam, vt Bernardus ait de præcepto & dispensatione, cap. 12. *Contemptus tumor superbiæ est*: superbia autem maximè repugnat huic subiectioni, iuxta doctrinam eiusdem D. Thomæ 2. 2. q. 162. art. 5. & 6. At verò si religiosus semper retineat intentionem seruandi omnia necessaria ex voto, vel præcepto, & subiiciendi se Prælato, & religiosæ disciplinæ; non potest dici contemnere saltem grauiter, etiamsi habeat intentionem non seruandi regulam in reliquis. Atque ita sentit etiam Caiet. dict. q. 186. art. 2.

Sententia D. Thomæ attributa quando intercurrit contemptus in proposito transgrediendi regulam.

Explicatur hæc sententia.

XX. *Definitio Caietani explicata.*

Addit verò ibidem Caiet. illud propositum ex obiecto quasi materiali esse contemptum leuem, qui non excedit venialem culpam: quia est contemptus spiritualis perfectionis, non verò est contemptus Dei; ex obiecto autem formali fieri peccatum mortale: *vt si quis* (inquit) *refugit subiici diuinis consiliis vt consiliis, & perfectus charitatis vt perfectioni vitæ.* Ratio eius est, quia contemptus Dei est peccatum mortale, ex D. Thoma q. 15. de veritate, art. 5. sed tunc interuenit contemptus Dei, quia nolle subiici diuinæ regulæ, est contemnere Deum: ergo. Sed vtraque pars indiget maiori explicatione. Prior enim erit quidem vera, si regula obliget sub veniali culpa, alioqui si ad nullam culpã obliget, vel si sint tantùm consilia, de quibus magis ibi Caiet. loquitur, non video quomodo ex obiecto materiali ille actus sit peccatum veniale, cùm in obiecto nulla malitia sit: erit ergo indifferens actus ex sua specie. Cuius etiam signum est, quia potest honestari ex fine. Vnde etiam ex vi materialis obiecti non necessariò includitur contemptus in illo actu: quia semper contemptus boni actus & perfecti, inordinationem dicit. Tunc ergo dici poterit aliqualis contemptus, quãdo quis ex sola incuria & remissione animi sine vllo iusto titulo negligit illa opera per directam intentionem; & ita fine dubio loquutus est Caietanus: & tunc verum est talem actum non excusari à culpa veniali.

Explicatur prior modus eius.

XXI. *Arguitur contra secundum membrum eiusdem distinctionis.*

In altera verò parte vix potest intelligi quid sit velle transgredi consilia vt consilia Dei sunt; aut nolle profectum charitatis vt perfectior via est. Nam si sit sensus reduplicatiuus, seu causalis, scilicet nolle sequi consilia quia consilia Dei sunt, & nolle perfectum charitatis, quia perfectior via est: hic posterior actus videtur impossibilis, quià perinde est ac nolle bonum, quia bonum, vel quia melius est: quod tam repugnat quàm velle malum quia malum est. Prior autem actus licèt non sit impossibilis, est tamen adeò rarus & extraordinarius, vt vix credibile sit propter illum solum toties repeti à Doctoribus esse peccatum mortale transgredi regulam vel legem ex contemptu. Imò ille actus non videtur posse oriri nisi aut ex errore aliquo in fide, contemnendo consilia Dei tanquam minùs bona, seu vera: vel ex odio Dei, nolendo sequi consilium eius in despectum illius: qui modus operandi magis videtur esse damnati hominis, quàm viatoris. Quòd si hic non est sensus, vix intelligitur quid sit renuere subdi consiliis, vt consilia Dei sunt. nam secluſa dicta causalitate in consilio vt consilio solum manet id, in quo distinguitur à præcepto, scilicet quod non imponit necessitatem. Hoc autem sensu nolle subdi consiliis vt consilia Dei sunt, non auget, sed extenuat inordinationem, nam inde habet actus ille vt non sit intrinsecè & per se malus: quia non est de obiecto prohibito, sed solùm consilio repugnante. Sicut qui vult committere peccatum aliquod quia veniale est, sumpta causali in dicto sensu non aggrauat culpam, imò directè præseruat ne peccatum illud mortale sit.

Declaratio authoris quoad obtemptum consiliorum Dei vt Dei sunt v. g. contingentem.

XXII. Ad hanc difficultatem fateor transgredi consilia ex contemptu, non posse esse peccatum mortale; nisi vel supposito errore in intellectu prauè sentiente de consiliis diuinis, vel tam prauo affectu in voluntate, vt velit Deum ipsum spernere, aut res diuinas seu gratiã ipsam pro nihilo habere. Vnde si tantùm in hoc sensu dicitur religiosus peccare mortaliter transgrediendo regulam ex contemptu, verum & facile erit: parum autem ad praxim deseruit, quia vel nullus est religiosus ità prauè affectus circà Deum & res diuinas, vel si quis est, ille non solùm intendet regulam transgredi quoad consilia, seu simplices ordinationes, sed etiam quoad rigorosa præcepta & vota. Alio autem modo potest intelligi contemptus in religioso vel respectu Prælati seu religionis, vel respectu ipsius regulæ. De priori videtur maximè loqui Bernardus dict. lib. de præcepto & dispensatione. Nam cap. 12. distinguit mandatum à mandante, & grauitatem præcipuam constituit in contemptu mandantis. Eritque hic actus si quis nolit obedire Prælato, vt ostendat se illum pro nihilo ducere. quæ intentio sine dubio est peccatum mortale ex genere suo. Et simile esset si quis ex odio, aut ira contra suam religionem, vel personas eius interderet quasi conculcare, vel profanare regulam:

De alio duplici modo contemptus magis contingentis. Expeditur prior modus eius q. causa.

nam tunc transgressio minimæ regulæ hac intentione facta, esset peccatum mortale. Et hic modus operandi rarus etiam est, non tamen tam insolitus sicut præcedens.

XXIII. *Expeditur posterior, & eius causa aperiuntur.* Respectu verò regulæ posset esse proprius contemptus si quis formaliter eam dispiceret tanquâ minus vtilem ad suam perfectionem, & ob eam rem illam transgrederetur. In quo modo operandi non videtur necessario misceri error contra fidem, sicut de contemptu consiliorum dicebamus: quia licet regula sit approbata, solum inde habetur, & non continere aliquid contra bonos mores, & ex se continere viam aliquam ad perfectionem vtilem: non tamen inde sequitur vel cuicunque personæ in individuo fore vtilem, quia potest aliquis habere naturam illi repugnantem: nec sequitur esse vtiliorem aliis regulis vel mediis ad perfectionem: ergo si religiosus concipiat contemptum suæ regulæ, vel solum comparatione suæ personæ, vel solum per comparationem ad alia media, quæ ipse sibi excogitat, & credit sibi fore vtiliora, non se opponit approbationi Pontificis, nec directè errat in doctrina fidei ex vi illius contemptus. Neque etiam ex affectu odij, aut vindictæ, aut alio simili videtur esse in illo actu, per se loquendo malitia grauis: & ideo in transgressione regulæ ex huiusmodi contemptu non apparet malitia mortalis ex illa circunstantia, si aliunde non sit. Esse tamen potest magnum periculum illusionis & deceptionis, prout sancti passim aduertunt. Vnde Rich. de S. Victore cap. 9. super Cantica, *Vigilia* (inquit) *& orationes sunt tibi inutiles, si singularitatem quandam in his teneas, perquam communia, & ad quæ magis teneris, omittas.* Et Cassian. lib. 11. de Institut. c. 18. *Quidquid* (ait) *in conuersatione fratrum minimè communis vsus recipit, vel exercet omni studio vt tactantiæ deditum declinemus*, &c. & D. August. serm. 15. de verbis Apostoli, *Melius* (inquid) *claudus in via, quàm cursor præter viam.* Quæ sententia licet de Apostatis ab Augustino dicta sit, optimè in præsenti accommodatur: nam modus quidam apostasiæ est communem relinquere regulam propter propriam adinuentionem. Aliquando etiam oriri posset ex nimia præsumptione, & superbia, quæ tunc attinget rationem peccati mortalis, quando iuxta prudentis arbitrium exponit religiosum periculo retrocedendi, vel deficiendi in necessariis ad statum suum; & nihilominus in suo iudicio & affectu perseuerat. Denique intentio generalis non se subiiciendi regulæ, etiamsi tantum sit ex amore proprio & accidia, quidam contemptus regulæ est virtualis potius, quàm formalis. Si tamen quis non solum intendat non esse solicitus in obseruatione regulæ, sed etiam nunquam illam seruare, quanuis facilè posit, dispositio hæc vel est peccatum mortale, vel certe magna dispositio ad illud, & vix sine formali contemptu haberi potest.

Satisfit argumentis ab initio capitis propositis.

XXIV. Superest vt rationibus vtriusque partis in principio capitis factis satisfaciamus, ne resolutioni à nobis datæ obstare videantur. Sententiam ergo illam D. Thomæ & communem num. 1. propositam intelligendam censeo, vel quando intentio non viuendi secundum regulam talis est, vt vel simpliciter totam regulam nihil distinguendo inter grauia & leuia, substantialia & accidentalia despiciat, vel quando talis est, vt omnino quis statuat nec seruare regulam, nec subiacere religiosæ disciplinæ: vel certe, quando quis ita despicit regulam, non solum non intendat totam seruare, sed etiam quasi positiue intendat totam illam non seruare, ne illi subiectus appareat; extra hos verò casus non est peccatum mortale, nisi per accidens ratione periculi.

Neque plus probant confirmationes ibi adductæ. Nam prima in num. 2. sumpta ex modo profitendi, promittendo conuersionem morum, aut obseruantiam regulæ, solum probat esse necessariam intentionem subiiciendi se regulæ in eo gradu in quo ipsa proponitur: nam, vt suprà diximus, per professionem vel vota eius non aliam obligationem aliquis sibi imponat præter eam, quam author regulæ imposuit, sed solum profitetur se subiicere illi. Secundæ autem confirmationi ex modo loquendi sanctorum in num. 3. respondetur, verba illa Hieronymi accommodatè intelligenda esse: nam cum ait, *Te perfectum fore pollicitus es*, non intelligit aliquem promittere se consequuturum perfectionem, sed in statu perfectionis permansurum, ad quem statum spectat nihil præter Christum habere, id est, nec proprium aliquid, nec seculi, aut matrimonij curas, neque aliam voluntatem, nisi eius qui Christum repræsentat. Quæ in tantum cadunt directè sub promissione, in quantum pertinent ad tria substantialia vota religionis: & hoc modo intentio seruandi regulam, quatenus hæc continet, vel determinat secundum peculiarem modum suam, est de necessitate præcepti: reliqua verò sunt ad melius esse, vel in eo gradu necessaria, in quo per regulam proponuntur. Atque hæc intentio sufficit vt quis habeat propositum proficiendi substantialiter, vt sic dicam, & consequenter ad non deficiendum simpliciter gratiæ Dei. Et ita cum proportione accommodari poterit vulgaris illa sententia, in via Dei non progredi deficere est, quia non progredi in substantialibus & necessariis, erit substantialiter deficere: non progredi autem in consiliis, erit deficere in perfectione tantum: & sæpe erit defectus venialis, non autem substantialis defectus.

XXV. *Ad primum argum. in num. 2.* *Ad secundū 3. argum. in num. 3.*

XXVI. *Ad primum argumentum in oppositum.*

Illa verò sententia, *In via Dei non proficere, est deficere.* vel *non progredi, est regredi*, quæ frequentior est apud Bernardum, quàm apud alios Patres, intelligi potest vel formaliter & rigorosè, vel casualiter seu consecutiuè ac morali modo. Prior sensus non est verus, quia etiamsi quis in gratia non crescat, si non peccet, non ideo regreditur in via Dei. Vnde formalius dixit August. serm. 15. de verbis Apost. *Semper adde, semper ambula, semper profice, noli in via remanere, noli retro redire, noli deuiare. Remanet qui non proficit, retro redit qui ad ea reuertitur vnde iam abscesserat, deuiat qui apostatat.* Secundus ergo sensus est intentus à Bernardo: nam, quia in hac vita non potest homo carere omni operatione, ideo necesse est per eam aut deficere, aut proficere. Sicque dixit idem Bernard. epist. 91. & epist. 341. *In hac vita mortali nihil in eodem statu permanet, aut ascendas necesse est, aut descendas.* Vnde illa sententia non est religiosorum propria, sed omnibus iustis communis est. Dum autem sic dicitur deficere qui non proficit, non intelligitur de defectu mortalis culpæ, imò nec de diminutione ipsius charitatis in seipsa, quæ diminui nullo modo potest, sed intelligitur de defectu alicuius venialis culpæ, vel de defectu in acquirendo aliquo morali vitio: aut de augmento alicuius inordinatæ affectionis, quæ cursum, vel facilitatem virtutis impediat. Atque ità intellecta illa sententia, nihil ad præsentem causam facit. Addo etiam, præsertim intendere dictos Patres docere periculosum esse in hac vita existimare aliquem se satis profeciisse, & ideo desistere à cura & solicitudine proficiendi. Sic dixit Bernardus dicta epist. 253.

Nunquam

Nunquam iustus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit satis est, sed semper esurit, sititque iustitiam. Ibi ita inferius subdit, *Si studere perfectioni esse perfectum est: profectò nolle proficere, deficere est.* vtique à perfectione, non statim à gratia; nisi tanta sit superbia, vel animi relaxatio, vt hominem in eo periculo constituat. Quo sensu dixit etiam August. dict. serm. 15. *Semper tibi displiceat quod es, si vis peruenire ad id, quod non dum es: nam vbi tibi placuisti, vbi remansisti; si autem dixeris, Sufficit, & periisti.*

XXVII. *Ad vltimam confirmationem in num. 4.* Ad vltimam confirmationem iam respōsum est, regulam religionis, de qua agimus, vel non obligare ad aliquam culpam, vel solum ad veniale: neque ex confusa illa, & generali ratione non seruandi huiusmodi regulam, insurgere materiam grauis culpæ, secluso contemptu, & periculo, vt satis explicatum est.

XXVIII. *Ad primam probationi nego.* Ad rationes pro altera parte factas respondetur in primis optimè probare illud propositum non esse peccatum mortale, nisi vel grauem contemptum includat, vel hominum morali periculo mortaliter peccandi exponat. Vtrumque autē quando contingat, iam explicatum est: nec de toto primo discursu in num. 5. & 6. aliquid amplius dicere necesse est. *Ad primam num. 7.* In prima verò confirmatione in num. 7. addo, rectè etiam probari, propter solam rationem mendacij vel simulationem hoc non esse peccatum mortale, nisi propositum extendatur ad transgressionem voti: quam transgressionem mendacium vocat Hieronymus in loco citato, & de illo dicit occidere animam. Illo autem secluso, nullam rationem mortalis peccati in hoc inuenio, imò nec veram rationem mendacij, aut formalis simulationis, nisi quis directè intendat decipere alios. Vnde etiam, in ipsamet professione si quis intendat verè profiteri, non habeat tamen intentionem seruandi regulam, apud homines non mentitur, quidquid sit apud Deum, quia verè intendit quod per verba profert. Quòd si audientes plus concipiunt, non est ex vi actionis vel prolationis exterioris; sed quia bene præsumunt de assumente talem statum, dum contrarium non apparet: alter autem eos non decipit, licèt decipi sinat, quod non semper mendacium est. Vnde, etiamsi religiosus malè viuat, non mentitur deferens habitum, etsi ratione illius ab aliis credatur honestè viuere: quia non tenetur se prodere, etiamsi alij fallantur. Maximè quia in factis, & vestibus principalis finis non est significatio, vt in verbis, sed vsus: & ideo frequenter sine mendacio assumuntur propter vsum, etiamsi alij in significatione fallantur. Cùm ergo D. Thom. ait, committere quempiam mendacium vel simulationem cum ab intentione perfectionis deficit, præcipuè intelligendum puto respectu DEI: quia non intendit seruare quod ei promisit, sicut de Hieronymo dicebam. Si autem exponatur etiam respectu hominum, intelligendus erit, si quis directè intendat simulationem & hypocrisim, alioqui erit tantum materialis simulatio.

XXIX. *Ad secundo confir. in num. 8.* In secunda confirmatione, adnoto, verisimum esse Episcopos non esse in peccato mortali, eo quod non intendant consequi perfectionem charitatis per opera consiliorum & supererogationis, secluso contemptu, & morali periculo non seruandi quæ illis præcepta sunt, prout hæc sunt à nobis explicata. nam omnia quæ diximus, maiori ratione habent locum in Episcopis: quia ipsi nullum votum faciunt tendendi ad perfectionem, vel seruandi consilia, præter castitatem: quod non habent vt Episcopi, sed vt clerici in sacris. Secluso autem voto, illa ratio mendacij, quæ in eis consideratur, vel nullius vel parui momenti est, vt declaraui. Quia verò ratione status obligantur specialiter ad quædam opera perfectissima, vt ad ponendam animam pro ouibus, & ad subueniendum illis in necessitatibus spiritualibus, & corporalibus, ideo tenentur esse in præparatione animi ad hæc opera saltem pro temporibus & opportunitatibus, in quibus sub obligationem cadunt: tunc ergo essent in statu peccati mortalis, quando haberent intentionem huic præparationi animi contrariam, quæ iam non esset intentio non seruandi consilia, verum etiam nec præcepta. Sic ergo tenentur Episcopi ex vi status habere intentionem perfectè viuendi, id est, perfectissima opera charitatis & iustitiæ exequendi quando fuerint necessaria: & quia per consiliorum obseruationem ad hoc benè disponentur, rectè faciunt illa obseruando: non possumus tamen illis attribuere præceptum habendi hoc propositum cum fundamento nisi ad tollendum contemptum, vel periculum morale, vt explicatum est.

In vltima confirmatione iam constat per se non esse peccatum mortale deliberatum propositum non seruandi vnam, vel aliam regulam, neque illud sufficere ad contemptum, nisi includat obstinatum animum non parendi regulari disciplinæ in transgressione talis regulæ, vel nisi includat aliud genus periculi & contemptus à nobis expositi. Est autem hoc discrimen inter generale propositum circa totam regulam, vel particulare circa vnam aut aliam, quòd facilius potest illa generalis delectio animi vergere in contemptum, vel constituere hominem in graui periculo, vt per se clarum videtur. Et hanc etiam solam differentiam inuenio inter illam intentionem generalē, & executionem in frequenti transgressione regulæ: nam hæc moraliter contingit ex sola fragilitate, & ex particularibus affectibus vel negligentiis, quæ in diuersis occasionibus occurrunt: & ideo in illa non est tanta occasio perueniendi ad contemptum, sicut est in formali deliberatione, aut proposito. XXX. *Ad vltimā confir. in num. 9.*

CAPVT V.

Vtrùm teneatur religiosus non dimittere suum habitum.

OCcurrebat primo dicendum hoc loco de monachorum habitu singulari an conuenienter introductus sit, & ex quo tempore, & qua ratione, ac fructu. Nam hæretici huius temporis sicut religiosorum statum odio habent, ita in eorum habitum & cæremonias vehementer inuehuntur. Veruntamen hoc labore liberauit nos eruditissimus Bellarmin. qui l.b. 2. de Monachis, cap. 40. rem hanc diligenter expediuit: & ex his quæ adducit, constat morem hunc ab initio nascentis Ecclesiæ incepisse. Imo si antiquiora etiam tempora inspiciamus, inueniemus Eliam, Ioannem Baptistam, & alios, qui austerius vitæ genus professi sunt, in exteriori habitu id demonstrasse. Vnde Chrysostom. homil. 69. in Matth. dicit monachos habitu imitari Eliam, & Ioannem. Et Dionysius c. 6. Eccles. hierarch. commemorat antiquum morem mutandi habitū in professione monachatus. *Sacerdos* (inquit) *signo crucis eum consignatum sondet, omnique veste detracta, eum alia induit.* Cassianus lib. 1. de instit. renunciant. per multa capita habitum monachorum describit, & per singulas eius partes mysticas illius rationes reddit. Tractat etiā Basilius in reg. fusius d sputatis c. 22. attingens potius rationes morales, vel, vt ita dicam, vsuales illi statui accommodatas. I. *Prima suppositio morē certi habitus esse religiosis ab antiquo vsitatum.*

Duplex enim est præcipua causa, ob quam peculiaris habitus religiosis tributus est. Vna comprehendit varias rationes morales, scilicet vsus II. *Secunda suppositio de causis præsentis moris.*

paupertatis, vt tantum consulatur decentiæ, & conseruationi naturæ, non abundantiæ & superfluitati, iuxta illud Pauli, *Habentes alimenta, & quibus tegamur*, vt optimè ad hoc propositum expendit Basil. reg. 22. ex fusius disputatis. Alia est corporis mortificatio & pœnitentia, quæ non parum exercetur in vestitus asperitate. Altera est professio humilitatis & abiectionis, quæ in exteriori habitu multum cernitur. Et hæ rationes ac similes communes sunt omnibus religiosis, vnicuique iuxta finem & institutum suum. Alia verò causa, quam mysticam vocamus, est significatio aliqua, quæ aliquando est in colore, vt vestis alba significare solet candorem mentis. Vel è conuerso fuscam vestem ait Auguſt. epist. 199. significare continentiam; & de cuculla ait Cassianus significare simplicitatem & innocentiam; & sic de alijs. Moralis autem ratio, quæ ex ratione etiam signi sumitur, est, vt monachus ab hominibus aliorum statuum, scilicet à laicis & clericis secularibus, distinguatur: & quia monachorum religiones variæ sunt, exterior etiam habitus diuersus distinctionem inter eas notam facit. Quæ ratio maximè locum habet in religionibus monachorum. Nam religio clericorum habere potest habitum aliis clericis communem, vt inferius suo loco de Societate dicemus.

III. *Proponitur quæstio, & ratio dubitandi vtrinque.* Hoc ergo supposito, quæstio est, an religiosus, qui ex regula peculiarem habitum defert, teneatur sub culpa graui non deserere vel mutare, talem habitum. Et ratio dubitandi est, quia regula religionis, vt supponimus, non obligat ad culpam, vel grauem culpam: sed religiosus solum tenetur deferre habitum suum ex vi regulæ: ergo ad illum retinendum solum tenentur regulari obligatione: non autem rigorosa & sub mortali. Minor probatur, quia religiosus non se obligat ex voto ad deferendum habitum, vel tonsuram, de qua eadem est quæstio magis quam ad obseruandas alias cæremonias ordinis: ergo solum superest illi obligatio ex regula, & ita sentit Panorm. in c. *Deus qui.* de vita & honest. Cleric. n. 2. circa 1. glossam vbi non videtur facere differentiam inter hanc obseruantiam, & alias, quæ sunt ex regula. In contrarium autem est, quia iuxta traditionem omnium religionum, & communem existimationem grauis culpa in religioso censetur suum habitum deserere. Est igitur aduertendum in proprietate sermonis aliud esse spoliare se seu nudare habitu, aliud deserere aut mutare habitum. Nam primum fieri potest ad breue tempus, & sine assumptione alterius habitus, ad dormiendum, v. g. ad balneum sumendum, vel natandum, vel ab alias similes causas. Secundum verò propriè significat relinquere religiosum habitum ad induendum alium. Quod fieri potest, vel ad viuendum diu aut perpetuò in alio habitu assumpto, & illud est propriè renunciare habitum: vel solum ad breue tempus; & illa dicitur mutatio habitus, quamuis hæc vox generalior sit. Potest etiam mutatio esse vel in habitum secularem, vel in alium habitum religiosum.

Quæstio, vel proponitur de dimissione habitus, vel de spoliatione.

Prima Assertio de demissione habitus peccaminosa grauiter.

IV. Dico ergo primò, teneri religiosum sub mortali peccato retinere, id est, non mutare proprium religionis habitum. Hanc assertionem vt certam supponunt omnes Doctores, quos nunc omitto, quia infrà lib. 3. à principio tractando de apostasia à religione, referendi sunt: nam vnus modus, & frequentior apostatandi est per desertionem habitus. Et sufficienter probatur ex cap. 2. Ne cleric. vel monach. in 6. vbi fertur excommunicatio ipso iure in quemlibet religiosum professum temere dimittentem religionis suæ habitum: excommunicatio autè maior supponit peccatū mortale. Confirmatur, nam clericus secularis tenetur sub mortali non deserere, vel mutare clericalem habitum, vt constat ex toto tit. de vita & honest. cleric. ergo idem dicendum est de religiosis, nam quoad hoc æquiparantur in iure. Vnde confirmatur per argumentum ab speciali ex cap. *Deus qui.* de vita & honest. cleric. vbi Innocentius III. concedit quibusdam monachis & religiosis diuersorum ordinum vt in vnum honestum habitum se conforment, vt possint melius vniri, vel scandalum auferre ad Euangelium prædicandum: ergo supponitur in illo textu non posse religiosos per se loquendo licitè mutare habitum. Optimè hoc confirmat cap. *Clerici* 2. de vit. & honest. cleric. ibi. *Pontifices autem in publico & in Ecclesia supernumeris limeis omnes vtantur nisi mona hi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem*, vbi clarè supponitur hæc obligatio, imò etiam ex illo textu rectè probatur teneri religiosum ad deferendum habitum suum patentem, cum non permittat etiam per Episcopalia indumenta occultari. Quæ etiam est ibi communis opinio, quam expresè quoque docuit Nauarr. in consiliis de regularibus infra citandis.

Confirma. 1.

Confirm. 2.

Probatur.

V. Sed difficultas est vnde nascatur hæc grauis obligatio non deferendi habitum, seu quo iure hoc præceptum introductum sit, & in primis dici potest esse de iure naturali, supposito tali voto, & statu, & institutione ac fine talis habitus. Nam, vt num. 2. diximus, hic habitus non solum datur ad humanum vsum, sed tanquam insigne propriæ professionis. Eo autem ipso quò quis assumit aliquod munus vel statum cum perpetua obligatione sustinendi illud, consequenter obligatur ad non deponendum proprium signum publicè institutum & datum ad talem professionem significandam, nam illa est virtualis quædam defectio ab illa obligatione. Quæ ratio manifestè conuincit quando habitus deponitur animo retrocedendi ab statu: nam tunc planè committitur apostasiæ vitium, quod supposito voto, contra legem diuinam & naturalem est, vt significatur in Concil. Carthag IV. cap. vlt. habetur in c. 1. 27. q. 1. & idem habetur in cap. *de viduis.* & cap. *Viduas.* cum aliis ead. cauſ. & q. cap. 2. 20. q. 3. ex Concil. Toletan. VI. c. 6. tunc autem præcisè agimus de sola depositione habitus. Posset autem intelligi aliquem velle retinere statum, & seruare substantialia eius, nolle autem vti tali habitu: quod posset facilius in monialibus contingere. Ergo non satis est obligatio ad statum, nisi addatur specialis obligatio ad deferendum in habitu proprium signum talis status. Ad hoc verò dici posset, quamuis hæc duo speculatiuè (vt sic dicam) sint separabilia; practicè in tali materia non posse separari, quia vel religiosus dimittit habitum relinquendo etiam monasterium, seque ab obedientia superiorum Prælatorum subtrahendo, vel sub illa manens. Priori modo retrocedit ab statu, in quo perseuerare tenetur, & est apostata, vt infrà citato lib. 3. videbimus: posteriori autem modo impossibile moraliter est vt habitum mutare permittatur. Quæ ratio probat quidem optimè, quando mutatio habitus diuturna est, & quando per modum status assumitur: tamen etiam de illa non probat in vniuersum, sed vt in plurimum. Nam in religione militari, v. g. potest aliquis nunquam deferre habitum, dissimulantibus & consentientibus Prælatis, vel fortè ignorantibus: & in monasterio monialium nimium relaxato posset aliqua deponere velutti,

velum, & secundi modo ornari, in cæteris seruando integritatem sui status. In quibus casibus si id contingat, non definit religiosus peccare mortaliter propter negligentiam, vel ignorantiam Prælatorum non adhibentium coactionem; & præterea hoc peccatum non solùm committitur in stabili mutatione habitus, sed etiam in ea quæ fit ad breue tempus, vt ex dict. cap. 2. Ne clerici vel monach. in 6. sentit Nauarrus cons. vnico de Apostatis. n. 6. & tamen ratio facta in eo casu non procedit.

VI. *Completa cum aprobatione status obligationis tractatur.*

Necessarium ergo est, vt præter rationem naturalem & necessariam connexionem moralem cum statu & obedientia Prælatorum sit aliqua positiua lex, quæ directè obliget ad retinendum habitum religionis, quam semel quis professus est. Alioqui non erit per se grauis malitia in contraria dimissione, sed solum ex adiunctis, vel per accidens, ratione scandali. Dico ergo habere religiosos positiuum præceptum, quo ita obligantur. Propter difficultatem autem in num. 3. positam addendũ est hoc præceptum non tam fundari in speciali regula, quàm supponi (cum proportione) ad omnem regulam. Est enim hoc tanquam generale quoddam ius status religiosi, vt vnusquisque in sua vocatione, & consequenter in proprio habitu suæ vocationis permaneat. Quod ius quatenus extenditur vltra id quod mere naturale est, potest dici non scriptum, id est, communi consensu & traditione omnium religionum receptum. Potest etiam dicitus commune canonicum, quia in decretis suprà citatis authoritate Pontificum, & Conciliorum generalium confirmatum est.

VII. *Religiosus Caiet. opinionem dicens parùm*

Sed quærendum est, an dimissio vel mutatio habitus semper sit peccatum mortale? Quod dubitari potest primò ex modo peccandi, secundò ex parte materiæ. Quoad primum Caiet. in Summ. verb. *Cleri orum peccata.* significat, religiosum non peccare mortaliter, nisi temerè dimittat suum habitum; nam inde probat quasi à fortiori clericum non peccare mortaliter dimittendo suum, nisi temerè id faciat: quid autem sit temere dimittere, explicauit idem Caiet. 2 2. q. 53. art. 3. dicens, temeritatem esse inordinationem ex contemptu. & infrà dicit esse speciem præcipitationis contemptum addentem. Et in illo rigore dicit esse interpretandos canones imponentes pœnas temerè delinquentibus, alludens inter alia ad c. 2. ne cleric. vel monach. in 6. vbi excommunicatur monachus temerè dimittens habitum. Ergo iungendo omnia, sentit non esse peccatum mortale dimittere habitum, nisi fiat ex contemptu.

VIII. *Auctor Caiet.*

Quòd si hæc doctrina vera est, non magis obligatur sub mortali religiosus ad non dimittendum habitum, quàm ad non transgrediendam quamcunque regulam: quæcunque enim transgressio est mortalis si fiat ex contemptu, & non aliàs. Hoc autem repugnat his quæ hactenus diximus, & communi modo sentiendi & loquendi Doctorum, censent enim multo maiorem esse obligationem ad non dimittendum habitum, quàm ad alias particulares obseruantias regulæ. Quocirca licet temeraria dimissio in illo rigore explicata à Caietano, necessaria fortè sit ad incurrendam censuram latam in dict. c. 2. de qua re in proprio loco diximus: tom. 5. in 3. p. disp. 23. sect. 4. tamen ad peccandum mortaliter non est necessarius contemptus, sed ex parte modi peccandi sufficit quælibet libertas, quæ ad alia peccata mortalia satis est, siue sit mista cum ignorantia culpabili, siue cum passione & praua affectu vagandi per aliquod tempus, aut forcinandi, percutiendi aliquem, &c. qui esse potest sine proprio contemptu. Ratio est, quia hæc materia est grauis ex suo genere, & est strictè prohibita per sacros canones, nõ solùm in dict. cap. 2. sed etiam in antiquioribus, & communis traditio & consensus declarat illam esse rigorosam & potissimam legẽ prohibentem; ergo vt transgressio eius sit peccatum mortale, non est necessarius formalis contemptus, sed sufficit virtualis inclusus in libera voluntate faciendi actum legi contrarium. Et hæc est communis sententia Doctorum etiam explicantium illam particulam *temerè*. in dict. c. 2. dicunt enim temerè dimitti quoties sine causa rationabili dimittitur, vt notauit Sylu. verb. *Excommunicatio.* 9. n. 51.

IX. *Expeditur posterior pars dubii.*

Quoad secundam partem certum videtur posse hoc peccatum esse aliquando veniale ex parte materiæ. quod aperte sentit Sylues. verb. *Excommunicatio.* 9. n. 53. cum aliis quos refert. Potest autem hæc leuitas materiæ in præsenti considerari & ex parte temporis: quia licèt dimittatur habitus, statim reassumendus est, & ea intentione exuitur. Et in hoc casu præcipuè videntur loqui Palud. Sylues. & cæteri: quia in moralibus parum pro nihilo reputatur, nec dicitur quis simpliciter assumere secularem habitum eo quòd ad breue tempus illum induat, argumento legis *diuortium.* ff. de diuortijs. Alij tamen hunc casum non admittunt, quia si reuera fiat mutatio dolosa ad vtendum seriò habitu seculari, &, vt talis persona secularis reputetur, videtur esse materia grauis, etiamsi pro breuissimo tempore fiat. Quod videtur sentire Nauarr. dict. cons. de Apostasia n. 6. & summa Rosella verb. *Excommunicatio.* & videtur valde probabile, quia illa materia habet intrinsecam deformitatem repugnantem illi statui. Vnde addendum secundò est, vt talis mutatio fiat leuis, necessarium esse vt etiam ex intentione minuatur, v. g. si quis ad breue tempus mutet habitum, non vt seriò illo vtatur, vel vt secularis incedat, sed ludi causa ad repræsentandum, vel quid simile, tunc enim sine dubio erit res leuis: quod etiam frequens vsus virorum timoratorũ declarat.

Mutationẽ habitus non reddit leuẽ breuitas temporis.

Redit tamẽ intentio.

X. *Obiectio cõtra proximè dicta de intentione enucleatur.*

Dices, Intentio est valde extrinseca respectu talis materiæ: ergo si materia ipsa est contraria præcepto, & alioqui est sufficiens ad peccatum mortale, non fiet veniale eo quòd ex intentione ioco sa aut leui fiat. Respondetur hoc verum esse de intentione merè extrinseca, quæ non mutat moralem rationem actionis: nos autem loquimur de intentione efficiendi huiusmodi mutationem. Voco autem in præsenti variationem moralem actionis, quòd mutatio habitus fiat ad mutandam reuera speciem exteriorem & existimationem status, vel quòd fiat solùm ad repræsentandam aliquam personam, quia secundum æstimationem moralem hæ sunt actiones diuersarum rationum, imò posterior non censetur vera mutatio. Prior verò est propriissima, & ideo quamuis fiat ex intentione, quæ secundùm se tantùm sit peccatum veniale, vt ad intuendum publicum ludum, vel quid simile ipsa ratione suæ materiæ vel prohibitionis erit peccatum mortale.

XI. *Quomodo mutando partem subi habitus fiat aut non fiat leuis mutatio.*

Alio modo videtur hæc materia posse esse leuis, quia non totus habitus, sed pars eius dimittitur. In quo præcipuè est obseruandum, ne religiosus habitus ita ex parte minuatur, vt ex reliquo cognosci non possit, an talis persona religiosa sit, necne, iam enim illa materia erit semper sufficiens ad peccatum mortale: quia in ea consummatur transgressio legis & quoad materiam, & quoad finem eius. Quin potiùs licet quis exuendo exteriorem partem habitus, retineat internam, & superinduat secularem habitum, ne religiosus appareat, ratione materiæ non excusabit grauem culpam: quia illa pars cum illis circumstantijs est satis grauis materia, & quia religiosus

tenetur exteriorem habitum suum retinere, vt colligitur ex cap. *Deus qui.* de vit. & honest. cler. & sentiunt ibi gloss. Ioan. Andr. Antonius, & Panormit. Nauarr. consil. 76. de Regularibus in noua impressione. Si verò pars habitus, quæ retinetur, exterius apparet, & est proprium signum talis status, non peccabit quis saltem grauiter contra prohibitionem dimittendi habitum: quia re vera non dimittit, neque occultat proprium statum. Vnde si assumat partem alterius habitus quæ proprium non occultat: peccare quidem poterit contra decentiam religiosam, vel contra canones prohibentes clericis, vel monachis laicum, vel indecentem vestitum, non tamen contra obligationem non dimittendi habitum. Dixi autem, si sit sufficiens signum proprii status, quia non satis est quòd sit signum religiosi status in communi: quia religiosus tenetur deferre peculiarem habitum suæ religionis, vt Nauarrus suprà notat, & sufficienter probatur rationibus adductis.

XII. *Quomodo item nihil proprii habitus mutando, sed aliū superinduendo.*

Quæri autem hìc potest, an occultatio habitus nihil de proprio exuendo, sed aliū superinduendo, sit mutatio sufficiens ad peccatum mortale. Sed hoc dubium tractaui latius in 5. tom. 3. Partis, in loco cit. in num. 8. & mihi semper videtur ex vi materiæ nō esse illam mutationem de qua loquuntur iura; quia reuera non est dimissio habitus: neque etiam intrinsecè esse mendacium, vel quia occultare veritatem non semper est mendacium, vel quia vestis assumpta non est principaliter ad significandum, sed ad alium vsum, propter quem accipi potest sine mendacio, etiamsi alij de ipi permittantur. Præterea licet illa sit ficta simulatio quando sine rationabili causa fit; nihilominus non videtur ex obiecto mendacium ita perniciosum, vt sit peccatum mortale: iudicandum ergo erit ex fine, nam si id fiat ex intentione mortali, erit mortale, & multo magis si fiat animo apostatandi, vel fugiendi à religione: quia illa intentio & est mortalis, & multum proportionata illi actioni. Idemque timendum est si fiat animo libere vagandi per multum tempus: quia illa est virtualis depositio religiosi habitus.

XIII. *Quomodo tandem dicta dimissio possit omni peccato carere. Primò ex iusta causa, seu necessitate.*

Vltimò est circa hanc obligationem aduertendū, non esse ita præcise necessariam, vt oppositum nunquam liceat saltem ad tempus & ex iusta causa. Quia propter grauem necessitatem vel tuendi vitam, vel vitandi grauem infamiam, aut scandalum, licitè potest mutari habitus religionis ad tempus, vt notauit glossa in cap. 2. ne cleric. vel monach. in 6. & in cap. *Cleric.* 2. de vita & honest. cleric. & sumitur ex textu ibi; *Nisi iusta causa tumoris exegerit habitum transformari.* Idemque in simili de prohibitione portandi arma notauit gloss. in cap. *Cleric.* 1. eod. tit. Et idem docent Sylvest. verb. *Habitus.* & alij Summistæ tum ibi, tum verb. *Excommunicatio.* Antonin. 3. p. tit. 24. c. 53. Et ratio est, qui tunc alla non est temeraria dimissio, imò nec voluntaria censetur, argumento c. 1. de his quæ vi, &c. & quia leges humanæ non obligant cum tanto rigore, quando aliàs materia est de se indifferens, & transgressio non cedit in contemptum religionis, vel damnum commune: in eo autem casu nihil horum interuenit, quia illud tunc non est mendacium, vt probat ratio suprà facta num. præcedent. nec fit in contemptum religionis, nec sequitur aliud damnum, sed potius fit ad vitandum illud vt supponimus.

XIV. *Instantia contra proximè dicta diluitur.*

Dices, hoc ad summum habere locum quando necessitas præoccupat hominem, non verò quando homo se ingerit actioni, vel itineri habenti necessitatem illam, vel periculum annexum. Respondeo, in priori casu de necessitate præoccupante, semper hoc procedere, etiamsi contingat occasionem illam ex antecedente peccato oriri, quia illud est per accidens, & hìc & nunc iudicandum est de humana necessitate prout iam in re existit. In posteriori autem casu de se ingerente pensanda est necessitas, vel vtilitas aggrediendi opus vel iter, quod sine mutatione habitus religiosi commodè fieri non potest: nam si illa fuerit sufficiens, non est relinquendum opus propter illam circunstantiam, vt rectè sensit Nauarr. consil. 70. de Regularibus, in secunda impressione, addens iudicium de legitima causa in hoc negotio relinqui arbitrio boni viri, cùm non sit iure determinatum, argumento cap. *de causis.* §. 1. de officio deleg. & l. 1. ff. de iure deliberandi. At verò quando ratio aggrediendi opus est iniqua, vel non necessaria, tunc licèt fieri non possit sine periculo vitæ, vel infamiæ absque mutatione habitus, nulla est excusatio, sed dupliciter in eo facto peccatur, primò in intentione iuxta malitiam eius, deinde in medio assumpto ad excusandum periculum, non imminens, nec necessarium, sed voluntariè assumptum.

Alia quoque ratione potest fieri licita hæc mutatio habitus per iustam dispensationem. Cùm enim hæc obseruantia non sit de substantia status religiosi, certum est admittere dispensationem ex iusta causa, quæ etiam relinquitur arbitrio prudentis dispensatoris. Non requiritur verò tanta, vt per se sufficiat excusare; quia illa non esset dispensatio, sed interpretatio. Neque etiam est necessaria ingens & extraordinaria causa, qualis ad dispensationem in ipso statu religioso, vel in substantialibus eius necessaria est, quia minor effectus minorem causam requirit. Et eadem proportione quo mutatio futura fuerit maior, ve. diuturnior, eo maiorem causam postulat: vt si detur dispensatio ad totam vitam, vel solùm ad tempus studij, vel ad agendum negotium, aut iter. Et similiter plus requiritur vt mutetur habitus monachalis in laicalem, quàm in clericalem, & plus vt in clericalem, quam in alium monachalem, quia magis receditur à lege, seu regula. XV. *Secunda via omnia pacificans.*

Quæri autem potest, quis habeat potestatem concedendi hanc dispensationem. Et quidem constat summum Pontificem maximè posse illam concedere, cap. *Deus qui.* de vita & honest. cleric. & quia in omnibus habet supremam potestatem. De Prælato autem religionis dubitari potest. Nam videtur etiam illum posse hanc licentiam ex iusta causa dare, quia per hoc non dispensat in voto, sed in regula, quæ illam conditionem inuoluit, nisi iusta causa obstet. Et confirmatur, quia Prælatus potest dispensare cum religioso in clausura (loquimur enim de viris, & ex vi iuris communis.) ergo & in delatione habitus: quia ita sentiunt obligationis, vt patebit cap. seq. Atque ita sentire videtur & hæc duo æquiparare Nauarr. dict. con. 70. n. 8. & 9. Nihilominus censeo solum Papam posse hanc dispensationem concedere, propriè loquendo. Quod ita declaro, nam aliud est dare licentiam ad opus, quod sine mutatione habitus commodè exerceri non potest, aliud verò dispensare per se & directè in gestatione habitus. Primum facere potest Prælatus, & facit quotidiè, & ita loquitur Nauarr. vt constat ex casu quem tractat. Illa verò non est dispensatio in hac obligatione, sed facultas ad agendum opus religiosum, quæ non est necessaria ad opus propter dispensationem, sed propter subordinationem & obedientiam religiosam: posita autem illa facultate ad opus, altera obligatio per se cessat ratione occurrentis causæ, iuxta suprà dicta in num. 13. & 14. Propria autem dispensatio esset quando opus ad quod XVI. *Hanc dispensationem potest Papa concedere. Nauarr. Confirmatur.*

ad quod datur facultas sine periculo vitæ, vel infamiæ, vel alio scandalo potest exerceri in proprio habitu religioso, & daretur specialis licentia ad non deferendum habitum illo tempore: & hoc modo nego posse Prælatum dare hanc dispensationem. Hancque differentiam constituo inter Pontificem & Prælatum. Ratio me mouens est, quia hæc dispensatio non tam est in regula, quàm in iure communi, vt ex dictis num. 6. constat: & potestas ad illam concedandam nullibi inuenitur data Prælatis, neque etiam continetur in generali facultate quam habet dispensandi in iure communi, quia illa solum extenditur ad res quæ ordinariè & frequenter occurrunt, & ad dispensationes moraliter necessarias ad ordinarium viuendi modum: hæc autem dispensatio non est huiusmodi, sed est valde extraordinaria, & multum exorbitans, ideoque supremam Pontificis potestatem mihi postulare videtur, quanuis hoc in terminis disputatum non inuenerim. Atque hanc etiam differentiam considero inter existentiam extra clausturum, & mutationem habitus, quod illa est frequenter necessaria, & habet ordinarias causas, hæc verò minimè: & ideo prior censetur concessa Prælato in generali potestate, non autem posterior. Item est alia ratio optima, quia facultas existendi extra clausturum quasi per se & directè pertinet ad iurisdictionem Prælati, vt possit vti suo subdito vbi ille indiguerit, vel ei præcipere ministerium extra clausura, quando opportunum iudicauerit: mutatio verò habitus per se non spectat ad executionem obedientiæ religiosæ. Non ergo est similis ratio, neque illa duo æquiparantur, nisi quando ex facultate ad aliquod opus necessaria est vtraque circunstantia. In quo etiam est differentia, quia circunstantia loci moraliter est per se intenta, & intrinsecè postulatur in ipsa facultate: alia verò est omnino per accidens, sequiturque ex causis extrinsecis, & ideo non est ita directè intenta.

Vtra ratio, quæ etiam falsis probationibus contraria.

Quæsitis confirmationibus quædam ex allatis ex multiplici discrimine inter dispensationem clausuræ & habitus.

XVII. *Differentia inter dictas dispensationes.*

Dices, interdum religiosus habens facultatem à Prælato ad aliquod iter vel ministerium agendum, dubitat an expediat, vel liceat mutare habitum, & sua authoritate non audet, & de licentia Prælati securus facit: ergo signum est posse Prælatum directè & per se hanc licentiam dare. Respondeo, illam magis esse authenticam interpretationem, quàm dispensationem: nam in rigore illud dubium posset determinari per prudens arbitrium, considerata causa: si verò potest fieri recursus ad Superiorem, meritò fit, quia ad illum ex officio spectat declarare an lex obliget in casu dubio, & sua authoritate adiungit practicam certitudinem. Quòd si quis illam vocet dispensationem, non contendo de voce, quia solùm loquimur quando constat obligationem non dimittendi habitum non cessare ob extrinsecas causas, & per se tollitur à Superiore; & hoc dicimus pertinere ad solum Pontificem. Vnde infero, regulariter ac moraliter loquendo, per solam licentiam Prælati non posse dimitti habitum pro tota vita, nec pro tempore diuturno, & quasi stabili modo, sed solùm occasione alicuius actionis, & pro tempore quo durat: quod secus est de dispensatione Pontificis, vt per se constat. Et ideo dico, *regulariter loquendo*: quia si religiosus mittatur à prælato ad prædicandum Euangelium, vbi non potest sine periculo facere nisi mutando habitum, etiam poterit longo tempore, & per totam vitam ea licentia vti, quia est consequens ad prædictum ministerium, quod toto illo tempore sanctè exercetur.

Assertio secunda. Religiosum exuere se, absque animo deferendi habitum non esse peccatum, seclusa regula, vel extrinsecis circunstantiis.

XVIII. *Ostenditur assertio.*

Hactenus à n. 4. diximus de dimissione & mutatione habitus: nunc de spolatione breuiter dicendum est, nihil de illa esse statutum iure communi, quia c. 2. nec cleric. vel monach. in 6. non loquitur de spoliatione, vt in 5. tom. 3. p. n. 8. allato dixi. Et omnia alia iura magis loquuntur de mutatione habitus cum qua status relinquitur, quàm de spoliatione, vt suprà notaui. Vnde ex vi iuris communis hoc prohibitum non est: neque etiam ex natura rei aut ratione voti, seu status religiosi. Consulenda ergo est religiosa regula, tanta enim erit hæc obligatio, quanta in illa fuerit imposita. Vnde nisi ex aliis circunstantiis hæc transgressio fiat culpabilis, vel mortale peccatum, non erit talis, nisi iuxta regulæ obligationem. Ait tamen Sylvest. verb. *Excommunicatio. 9. n. 52.* nunquam dimitti (etiam hoc modo) à religioso professo sine rationabili causa absque peccato: *quia adeò* (inquit) *est annexus istibus monachorum, quòd in quocunque loco consistentes, siue in lecto quiescentes, constanter eo vti debent*, citat cap. *vidua. 20. q. 1.* vbi Concilium Toletanum X. loquens de virginibus sacris, quæ religionem confitentur, ait, *Tunc accepta à Sacerdote, vel ministerio aptæ religionis professioni veste seu in lectulo quiescens, siue in quocunque loco consistens, constanter ea vtatur.* Et Concilium Carthaginense IV. c. 11. dicit, *Sanctimonialis virgo cum ad consecrationem suo Episcopo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper vsura est, professione, & sanctimoniæ aptis*, habetur in cap. *Sanctimoniales. 23. dist.* Imò indicat præterea Sylvest. hoc peccatum esse mortale, si ex rationabili causa non fiat, vt si ex lasciuia (inquit) & illicita sensualitate dormiendi quietius in hospitio extra monasterium. Et Nauarr. in consil. de Apostatis significat, religiosum, qui spoliatur habitu ad liberius fornicandum, peccare mortaliter, non solùm contra temperantiam, sed etiam exuendo habitum, quanuis apostata non fit. Nihilominus ex vi iuris communis certum existimo non esse in hoc obligationem sub peccato mortali: quia neque in citatis decretis sunt verba, quæ indicent rigorosum præceptum. Nam in cap. *vidua.* solùm dicitur, *constanter ea vtatur*; in alio verò, *qualibus semper vsura est.* quæ non sunt verba rigorosè præceptiua, vt per se constat: nec communi vsu & consuetudine ita sunt interpretata. Nec dicti authores oppositum sentiunt: nam Sylvester expresse dicit, licèt monachi debeant semper suo habitu vti, tamen hoc debitum esse honestatis, non necessitatis. Et in hanc sententiam refert Archidiaconum, & Ioan. Andr. solùm ergo volunt ex circunstantia extrinseca posse illud peccatum esse mortale. Vnde in prædicto casu intemperantis religiosi non erit, per se loquendo, duplex malitia mortalis in illo actu, vna fornicationis, alia spoliationis habitus, nisi fortasse ex speciali regula talis prohibitio cum eo rigore facta sit: semper enim iura specialia excipimus, quæ consulenda & obseruanda sunt. Alia de decentia, quam religiosi in vestibus seruare debent, legi possunt apud Nauarr. Comment. 4. de Regul. num. 27. vbi latè expendit Clem. 1. de Constit. de qua aliqua dicemus in cap. 11.

Sententia videtur Sylvestri semper peccare religiosum exeundo se absque rationabili causa.

Accedit alia quæ pars Nauarri.

Sustinetur tamen assertio posita.

CAPVT

CAPVT VI.

Vtrum religiosi ad clausuram seruandam non egrediendo claustrum proprio & rigoroso præcepto teneantur.

CIrca clausuram maior est, & specialis monialium obligatio; & ideo quæ in genere dicemus, de viris præcipuè intelligenda sunt, postea in cap. 8. & 9. quod fœminis fuerit particulare addemus. Potest autem religiosa clausura in duas partes distribui: vna est obseruatio claustri non egrediendo extra illud; alia est eiusdem claustri obseruatio, non admittendo personas extraneas seculares, vel laicas intra illud.

I. *Argumentũ pro sententia neg.* Circa priorem partem clausuræ in hoc cap. propositæ, quæstio est, an habeant religiosi speciale præceptum non egrediendi extra claustrum sine legitima facultate, & consequenter an talis egressus ex suo genere sit peccatum mortale. Ratio dubitandi est, quia hæc obligatio non oritur ex voto, nec ex præcepto Ecclesiastico, ergo ad summum oritur ex regula: ergo non est maior quàm sit communis obligatio regulæ: non est ergo, per se loquendo, & ex genere suo peccatum mortale. *Prima pars argumenti vrgetur.* Prima pars antecedentis probatur, quia religiosi directè non vouent clausuram, quia ordinariè solum vouent tria substantialia vota: neque etiam indirectè in his continetur clausura, nisi in quantum in virtute obedientiæ præcipi potest: ergo donec ita præcipiatur per regulam, vel Prælatum, non est talis obligatio ex vi voti. Neque obstat quòd aliqui dicuntur profiteri expresse hoc modo, Promitto Deo, & Sanctis eius, & vobis Domino abbati, me perpetuam continentiã seruaturum in hac domo, vel monasterio, vt ex Speculatore refert Nauarr. statim citandus, tum quia illud speciale est, & mihi non constat in qua religione seruetur: tum etiam, quia intentio illorum verborum non est promittere nunquam exire à monasterio materiali, sed formali, vt sic dicam, id est, seruare continentiam cum perseuerentia in tali statu.

II. *Vrgetur posterior pars argumenti.* Secunda pars probatur, quia nullum est in iure canonicum decretum, quod huiusmodi præceptũ satis probet. Nam si quæ sunt, maximè illa, quæ Gratian. congerit 16. q. 1. Illa verò non de permanentia in clausura vt sic, sed in ordine ad abstinendum à functionibus Ecclesiasticis loquuntur, quando verbis vtuntur præceptiuis, vt patebit vnum vel aliud attingendo. Primum est cap. *placuit.* secundum 16. q. 1. vbi Eugenius Papa ait, *Placuit communi nostro Concilio, vt nullus monachorum pro lucro terreno de monasterio exire nefandissimo ausu præsumat.* Et infrà, *Sit claustro suo contentus: quia sicut pisces sine aquæ caret vita, ita sine monasterio monachus.* Vnde Bernard. serm. 1. de S. Andrea, monasteria comparat stagnis, à quibus pisces non habent diuagandi facultatem. In quibus verbis priora, quæ maiorem rigorem continent, non sunt absoluta, sed cum illis limitationibus, *pro lucro terreno, & nefandissimo ausu.* ex quibus constat nõ simpliciter prohiberi exitum, sed ad prauum finem, vel ad actiones vel ministeria monachis prohibita, quæ ibi statim recensentur iuxta illius temporis consuetudinem. Posteriora autem verba nõ continent præceptum, sed monitionem & recordationem proprij status, vt patet etiam ex subiunctis verbis, *Sedeat itaque solitarius, & taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem viuit.* Quomodo etiam dicit Concilium Nicænum in c. *placuit.* 1. eiusdem q. *Placuit omnibus residentibus in sancta Nicæna Synodo, vt monachorum conuersatio & vita secundum etymologiam nominis ab omnibus discrepet (monachus enim Græcè, Latinè singularis dicitur) vnde monachum per omnia singulariter agere oportet.* Per quæ verba sui status illum admonet, & postea subiungunt præceptum in his decretis (quod præ oculis habendum est) intentum, agunt enim de monachis antiquis, qui ex vi status non erant sacerdotes, neque ad ministeria Ecclesiastica ordinabantur, sed ad vitam separatam & contemplatiuam agẽdam: directè ergo prohibentur exire ad illa ministeria circa populum peragenda, non verò nouum præceptum circa eorum statum eis imponitur. Imò in dict. c. *placuit.* 1. in fine apertè supponitur monachos posse exire, seu peregrinari, nam dicitur, vt non sepeliant nisi monachum in monasterio secum commorantem, etsi fortuitò quenquam aduenientium fratrum ibi mori contigerit. Per illam verò comparationem pisces declaratur vtilitas vel necessitas claustri ex vi status, non ex speciali præcepto canonico. Aliud decretum est in cap. *Monachi.* 2. ead. q. sed constat manifestè ibi non exitum, sed Ecclesiasticum ministerium egrediendi prohiberi, & præterea addi, *sine imperio Abbatis.* Idem potest responderi ad c. *iuxta,* & c. *qui verè.* ibid.

III. *Prolocutio consequentiæ argumenti.* Consequentiæ autem in num. 1. illatæ probatur à sufficienti partium enumeratione, quia non est aliud principium vnde possit oriri hæc obligatio, nisi regula, quæ quoad hanc obseruantiam non fertur maiori rigore, nec verbis magis indicantibus præceptum, quàm in aliis, vt videre licet in Regula Augustini cap. 10. aliàs 29. quoad hanc partem solùm dicitur: *Qui habet aliquo eundi necessitatem, cum quibus Præpositus iusserit, ire debebit.* Dixerat enim in cap. præcedenti, & in c. 16. aliàs 8. vt nunquam soli incedant, sed duo vel tres simul: hic autem subiungit, socium debere à Prælato designari: vnde à fortiori supponere videtur potius quàm disponere vt petatur licentia à Præposito, si quò eundem est: hæ autem regulæ non plus obligant quàm reliquæ. Basilius autem in sua regula nullum peculiare præceptum de hac re posuit: solum in reg. 35. ex fusiori b. indicat vtilitatem magnam manendi intra clausura. Et in c. 8. constit. monast. monet grauiter religiosos, vt in assignato sibi ad habitandum loco fortiter & quietè permaneant, & non facilè huc illucque discurrant. Subdit verò statim: *Neque verò tamen propterea perpetuo istanquam in custodia permanendum, sed quandocunque & res poscit, & conscientia non reprehendit, liberè est, fideuterque proficiendum, ita tamen vt in proficiendo modus teneatur, & praua omnis suspicio euitetur.* In regula autem Carmelitarum (quæ creditur esse Basilij) cap. 6. dicitur, *maneant singuli in cellulis suis, vel iuxta eas die ac nocte in lege Domini meditantes,* &c. Ex quibus à fortiori sequitur obligatio manendi in claustro. Sed illa regula non plus obligat quàm aliæ, & certum est minus obligare quàm præceptum non exeundi extra claustrum; grauius enim peccaret religiosus Carmelita extra claustrum sine licentia exiens, quàm extra cellam. In regula etiam D. Benedicti nihil expressum de hac re inuenitur, nam licèt cap. 29. supponatur esse graue delictum egredi monasterium, tamen sermo ibi est de egressu per apostasiam, vel fugam, quod longè diuersum est. In cap. autem 51. prohibet comedere extra monasterium sine imperio Abbatis, de exitu autem nihil dicit. Neque etiam S. Franciscus in sua regula: solùm enim de volentibus ire ad infideles, disponit in c. vlt. vt non eant sine licentia Ministri Prouincialis. Denique in Regula S. Pachomij cap. 36. 47. & 72. prohibetur exitus sine licentia, sicut prohibetur etiam locutio, aut deambulatio in monasterio, vel aliquid simile. Non ap-

pareõ

paret ergo vnde in hac re sit rigorosa præcepti obligatio.

IV. *Primùm præmissum in hac q. certũ.*

Vt seperemus certa ab incertis, supponendum est, exitum à monasterio animi apostatandi, vel fugiendi ab obedientia Prælatorum, esse intrinsece malum, suppositâ professione, & ex genere suo peccatum mortale, quia directè repugnat obligationi, quæ ex professione nascitur. De qua re infra in lib. 3. à cap. 1. vbi de mutatione religiosi status dicturi sumus: hîc enim non agimus de permanentia in statu, & recessu illi contrario, sed de permanentia in loco materiali monasterij, vt sic dicam, & hanc vocamus clausuram, cui opponitur egressio tantum localis extra septa totius monasterij. Secundò certum est, hanc clausuram non esse ita præceptam monachis seu religiosis, vt nulla ratione eis liceat extra claustrum exire: nam de licentia legitimi Prælati exire licet, vt supponunt omnes regulæ religiosorum, & ius commune non repugnat, communisque consuetudo confirmat. Certum est etiam Prælatos communi & ordinaria potestate posse dare hanc licentiam, nisi vbi aliquod ius proprium alicuius religionis obstiterit. Tertiò suppono esse in religiosis aliquam obligationem non exeundi è claustro sine licentia Prælati. hoc enim etiam constat ex regulis & ex vsu. Intelligendum est autem de religiosis infra Prælatum, nam ipse Prælatus sibi poterit facere facultatem, vt per se constat, quanuis in modo posit excedere, vt infra attingam. Loquimur etiam de religiosis, qui profitentur vitam communem seu cœnobiticam prout nunc sunt in Ecclesia: nam si status religiosus conficeretur vt fuit in Apostolis, vel prout esse potest in vita solitaria vel priuata, non postulat necessario hanc obseruantiam. Duo ergo alia videntur posse dubitari. Vnum est, qualis sit obligatio religiosi non exeundi extra claustrum sine licentia: aliud est, an hæc licentia dari possit à Prælato per modum ordinariæ facultatis, vel solum per modum dispensationis.

Secundum præmissum.

Tertium præmissum.

III. Probatur conseq. ex argumentis illius.

V. *Primum obligatio ad claustrum.*

Circa primum videtur sanè dicendum, hanc obligationem ex genere suo non esse tantum ex simplici ordinatione regulæ obligantis ad pœnam, & non ad culpam, sed esse in conscientia, & in rigore proprij præcepti obligantis iuxta materiæ capacitatem. ita sentit Nau. suprà, qui non parum laborat in inueniendo hoc præcepto, & tandem illud præcipuè reducit ad consuetudinem & vsum omnium religionum. Quanuis enim hæc obseruantia à principio inceperit ex directione regulæ, postea verò vsu videtur recepta tanquam res grauis, & intrinsecè necessaria ad custodiam & conuenientem disciplinam illius status. Nonnihil etiam potuerunt conferre Conciliorum & Pontificum decreta ad introductionem huius præcepti, maximè illud Concilij Chalcedon. c. 4. quod refertur in dict. cap. *qui vere.* ibi, *In locis, in quibus se semel Deo dedicauerunt, permanentes*, & subditur infrà, *Prætereunte m vero hæc decreuimus extra communionem esse, ne nomen Domini blasphemetur.* Et aliud Alexandri II. in dict. c. 2. *Iuxta Chalcedonensis tenorem optimi Concilii monachis, quanuis religiosis ad normam S. Benedicti intra claustrum morari præcipimus, vicos, castella, ciuitates peragrare prohibemus.* Quanuis enim verum sit hæc & similia fuisse præcepta ad illum finem, vt non vsurparent Ecclesiastica ministeria, tamen ea occasione videtur eis præcepta aliqua permanentia in claustro, vel saltem ipso vsu in eo sensu est illa lex recepta. Et eodem modo, licet illa loquatur de solis monachis, & secundum antiquam institutionem, quæ ad actiones erga proximos non ordinabatur: nihilominus quoad hanc partem videtur ab omnibus religionibus recepta, nam in omnibus delictum in conscientia existimatur, clausurâ frangere prædicto modo. Vnde Innoc. III. in c. *quando* de offic. ordin. de omnibus loquens inquit, *Ad audientiam nostram noueris peruenisse, quòd monachi, canonici, & alij regulares tuæ prouinciæ cum deberent potius in claustro iuxta regularia instituta diuinis obsequijs vigilare, claustrum abhorrentes per curias Principum discurrere*, &c. Et similia habentur in Clem. 1. §. *quia verò.* de statu monach. In quibus iuribus directè quidem non præcipitur clausura, sed prohibetur diuagatio & discursus ad curas Principum, maxime sine licentia Prælatorum, & vsurpando bona religionis: supponunt tamen regularem obligationem ad clausurã seruandam. Huius autem rei fundamentum magis explicabitur declarando gradum culpæ, quæ in transgressione huius obligationis committi potest.

Dico ergo secundo, hæc obligatio ex genere suo talis est, vt contra illam posit mortaliter peccari, ex eo solum quòd materia in illo genere grauis sit. Hæc assertio sequitur ex præcedenti, nam hæc lex vel traditio obligat in conscientia, & per specialem voluntatem legislatoris non limitatur solum vt obliget sub veniali, vbi enim est hæc limitatio? nunquam enim præsumitur nisi explicetur. Cum autem in præsenti hæc obligatio vt est in conscientia, maxime nitatur aut legibus canonicis, aut consuetudine, deberet per illas explicari, quod non fit neque in decretis citatis, nec per consuetudinem: ergo relinquitur hæc obligatio in ordinario & quasi naturali modo obligationis legis humanæ: conditio autem huius legis est vt obliget quantum potest iuxta capacitatem materiæ, & consequenter vt in materia graui obliget sub mortali: ergo talis est præsens obligatio. Materia autẽ grauis respectu huius obligationis potest variis exemplis explicari. Primum, si quis absque licentia clausturum egrediatur, vt extra illud diu & quasi stabili modo viuat, etsi non habeat animum nunquam reuertendi, vel omnino relinquendi religionem: nam talis fuga ex communi sensu omnium religionum grauis transgressio est; imò ego existimo id non fieri sine culpa apostaliæ, quando intenditur mora multum diuturna, de quo infrà in lib. 3. suo loco dicam. Multi autem, inter quos videtur esse Caiet. & Nauarr. existimant non esse apostasiam, nisi sit cum animo non reuertendi, & nihilominus pro certo habent esse graue peccatum mortale, quod tamen est in materia clausuræ. Imò idem censendum est de quacunque propria fuga, quæ occultè fit, aut quasi violenter inuito Prælato ad vagandum aliquo tempore, etiamsi nec tempus sit multum diuturnum, neque vagatio sit ad peccandum mortaliter: & à posteriori signum huius grauitatis est scandalum & infamia vel religiosi, vel etiam religionis, quam talis fuga solet generare. Propter quod adeò est in iure odiosa, vt etiam prætextu adeundi maiorem Prælatum, in canonibus prohibeatur. Et nouissime Conc. Trid. sess. 25. c. 4. de Regularibus dixit, *Non liceat regularibus à suis conuentibus recedere, etiam prætextu adsuperiores suos accedendi, nisi ab eis missi, aut vocati fuerint*; & contrarium facientes mandat puniri vt transgressores sui instituti. Vbi particula, *non liceat*, satis significat obligationem in conscientia, & modus transgressionis ac pœnæ sufficienter ostendit grauitatem transgressionis.

VI. *Hæc obligatio per se est grauis.*

Casus non-nulli certi grauitatis huius materia.

Trident.

Præter hæc quæ clara videntur, censeo etiam esse graue in materiam huius transgressionis quẽcunq; nocturnũ exitum furtiuũ, & sine licentia, etiãsi alias ex fine nõ sit ad peccandũ mortaliter, quia reuera est nimis contrarius decentiæ & custodiæ religiosæ, & eosdẽ effectus scãdali & infamiæ per se loquẽdo secũ trahit. Et hoc clarè supponit Clem. VIII. in decreto de casibus reseruatis religiosorum:

VII. *Casus alij ex sententia Authorũ.*

nam

nam tertius est *nocturna, ac furtiua à monasterio egressio, etiam non animo apostatandi facta*; cùm enim non reseruentur nisi peccata mortalia, supponit manifestè talem esse illum egressum, non tantum ex fine extrinseco, hic enim accidentarius est, & oportuisset id explicare, est ergo tale ex obiecto. Vnde etiam censeo, quanuis egressio diuturna sit, si tamen fiat animo pernoctandi etiam extra monasterium sine licentia esse sufficientem materiam peccati mortalis. Quia nocturna egressio non est tantum mortalis propter modum exitus, per quem vis quædam fieri videtur custodiæ monasterij, quæ sine dubio est circunstantia multum aggrauans, sed etiam est grauis propter existentiam ipsam furtiuam extra monasterium, tanto & tali tempore, in quo, per se loquendo, inest & periculum infamiæ, & scandali, tam proprij, quàm aliorum.

VIII. *Qua sit causa præditæ grauitatis.* Ex quibus exemplis coniectare possumus, radicale fundamentum huius grauitatis, esse ius Superioris ad gubernandum, & custodiendum subditum, quod grauiter læditur per huiusmodi exitus. Nam in primis subditus ita esse debet sub potestate Superioris, vt ab illo possit vel gubernari & custodiri, vel imperari: à qua subiectione multum subtrahitur per fugam vel discessum à monasterio, inuito, vel inscio Prælato: nam si discessus sit diuturnus quoad moram, priuatur quodammodo Prælatus potestate imperandi, in materia graui, qua ratione fuga serui, qui tenetur esse sub potestate domini, ex suo genere grauis culpa est: religiosus autem quoad hoc suo modo æquiparatur seruo, vt tomo præced. dictum est. Si autem discessio sit ad modicum tempus quoad quantitatem, graue autem quoad qualitatem, vt sic dicam, quia nimirum est tempus requirens maiorem custodiam, & permansionem sub potestate Prælati, ea ratione etiam tollitur Prælato subiectio seu ius debitum illi in materia graui: vt si filia furtim discedat à domo paterna, præsertim tempore nocturno. nam licèt aliàs in individuo fingamus non peccare mortaliter neque ex intentione, neque ex periculo, ex iniuria quam facit domui paternæ, & fidelitati illi debitæ, grauiter peccabit: non est autem minus religiosa castitas, & decentia seruanda. Et iuxta hanc ponderationem explicata hæc obligatio, videri potest non mere positiua, sed naturalis, & diuina, suppositâ professione religiosa in tali statu, pertinereque vel ad iustitiam legalem respectu totius communitatis, vel reduci etiam ad votum obedientiæ respectu Prælati: nam hoc votum (quod est notandum) non tantum obligat ad actu obediendum quando actu præcipitur, sed etiam ad perfistendum quasi in proxima subiectione, vt mandari quis possit, quam ex natura rei secum affert obedientia, etiamsi distinctè non præcipiatur. Vnde furtiua discessio à claustro sic considerata nõ tam est peccaminosa grauiter ob materialem egressum à terminis local bus claustri, quàm ob subtractionem à subiectione & potestate Prælati, quæ cum illa coniuncta est. Sic ergo satis probabiliter explicatur radix huius obligationis. Quod si aliquibus nihilominus videatur non omnino demonstrari obligationem merè naturalem, negari saltem non poterit, & ostendere sufficientem grauitatem in illa materia ad grauem etiam obligationem legis positiuæ, & conuenientissimè impositam esse religiosis hanc obligationem, siue per legem canonicam scriptam, siue per consuetudinem & quasi traditionem.

IX. Dico tertio nihilominus exire de claustro sine licentia Prælati non est adeo graue peccatum, quin in individuo possit esse veniale ex leuitate materiæ. Et quidem assertionem ipsam, quantum ad leuitatem culpæ, expresse docet Nau. dict. Comm. 4. n. 35. Sed videtur amplius velle, nimirum hoc peccatum per se tantum esse veniale, licet per accidens ex scandalo vel nocumento possit fieri mortale. Ratio eius est, quia licet ius commune confirmet, non tam id facit addendo vim præcepti, sed vim generalis statuti, ita quod non hat de obseruantia præceptum, sed de obseruantia regulæ particularis obseruantia legis generalis. Cuius rationis vim & sensum non satis percipio, quia vel intendit canones Ecclesiasticos nullam huic regulæ addidisse obligationem, sed solum fecisse vt quę erat regula particularis vnius vel alterius religionis, esset vniuersalis omnium: & hoc repugnat his quæ hactenus diximus, & verbis canonum quę præceptiua sunt, & multo magis consuetudini, quam ipse non negat: præterquam quod si id verum esset, neque ad peccatum veniale per se obligaret talis prohibitio, quia simplex regula generatim sumpta non obligat in conscientia, nisi induat veram rationem legis. Vel intelligit ius commune addidisse vim statui generalis obligantis in conscientia cũ limitatione ad veniale ex intentione canonum seu authorum eorum, & interrogo vnde constet de hac intentione, cum verba præceptiua absoluta sint.

Dico ergo peccatũ hoc non esse veniale ex limitata voluntate legislatoris, sed posse fieri veniale ex leuitate materiæ, qualis erit, vt opinor, si duo religiosi per communem ianuam sine licentia exeant consueto modo, paulo post reuersuri: secluso enim mortali intentione in tali exitu, & secluso speciali præcepto alicuius religionis, si forte sit, per se & ex vi clausuræ, hoc non est peccatum mortale: quia & prudenti existimatione vt tale apprehenditur communi consuetudine: neque illa est subtractio notabilis à subiectione Prælati, nec potest dici fuga à monasterio, vel aliquid simile. Quamuis ergo ille sit grauis defectus intra latitudinem disciplinæ regularis, & excusari non possit à culpa veniali, quia aliquo modo lædit clausuram, & custodiã religiosã; tamen non possumus illud vt peccatum mortale damnare, quia in illo genere nõ continet graue deordinationẽ. Possumus id confirmare exemplo serui suprà adducto, nam licet fugiendo grauiter peccet (quod gratia exempli suppono) si tamen ad horam se subtrahat, vt propriæ vacet voluntati, etiam si aliquo incommodo Domini, non peccabit plus quã venialiter ob materiæ leuitatem: ita ergo in præsenti. Denique cuiuscunque ferè legis transgressio potest esse venialis ex leuitate materiæ: ergo etiam hæc, quia nulla est specialis ratio quæ obstet.

X. *Caietanus. Nauarrus. Sotus. Confirm. 1. Confirm. 2.*

XI. Tandem dicendum est, non obstante hac obligatione posse interdum exitum hunc extra claustrum fieri licite sine licentia ex iusta causa. Non loquimur de exitu vel apostatico, vel simpliciter fugitiuo à tota religione, & omnibus Prælatis eius, ad hunc enim nulla potest esse iusta causa, est enim intrinsece malus, vtpote voto contrarius, & ideo honestari non potest, vt infrà suo loco videbimus. Loquimur ergo de exitu, qui licitus esset, si de licentia fieret. Hic ergo præsertim ad breue tempus interdum esse potest necessarius ex charitate proximi ad defendendum illum, vel iam morienti per absolutionem subueniendum, vel quid simile: & tunc licet petenda sit licentia, si fieri possit, si tamen instet necessitas, licitum est exire ad opus charitatis necessarium. Verum est in his & similibus casibus interuenire præsumptam, seu tacitam licentiam, quæ in his rebus sufficit, vt in superioribus dictum est. Potest tamen accidere, vt petita licentia negetur, & tunc oriri videtur perplexitas quædam: veruntamen vsitata regula sequenda est, vt si res fuerit dubia, religiosus sequatur iudicium Prælati, & suam legem obseruet: si autem de necessitate proximi ac proinde de obliga-

Caietan. Nauarr. Sotus. Bañez.

obligatione charitatis certus sit, & Prælatus procedat vel ex falsa præsumptione, vel ex prauo affectu, & res possit fieri sine scandalo, & infamia religionis, tunc nullum committetur peccatum in tali egressu: imo interdum cadere poterit sub obligatione, quanuis tot requirantur circunstantiæ, vt vix casus sit moralis, nisi in exitu quasi momentaneo, qui moraliter quasi pro nihilo reputatur. Hic autem occurrebat quæstio, an hic exitus ad longum iter agendum possit aliquando esse licitus animo eundi ad superiorem Prælatum prætextu propriæ defensionis. sed de hoc dicam commodius infra cit. lib. 3. tractando de apostasia religiosorum.

XII. Per hæc satis videtur explicata hæc obligatio, & satisfactum rationibus dubitandi in principio n. 1. positis. Superest tamen declarandum qualis licentia necessaria sit vt hic exitus licite fiat. Naua. enim supra sentit licentiam hanc esse necessariam per modum dispensationis, & consequenter non posse dari licite nisi ex iusta causa, neque subditum liberari à violatione clausuræ per licentiam sine rationabili causa obtentam, sicut supra dicebamus de vsu paupertatis. Sed distinguendum censeo inter rigorosam præcepti obligationem, quæ hic censetur esse ex iure communi, vel naturali, & inter obseruantiam regulæ. Priori modo assero, per licentiam Prælati sine fraude & vi ab illo obtentam semper excusari à culpa mortali, clausuræ violationem, etiamsi licentia imprudenter, & sine vlla causa detur, imo (quod grauius est) etiamsi Prælatus per suam regulam ut prohibitus eam dare. Probatur, quia talis exitus non est apostasia, neque fuga, neque etiam furtiua egressio: quia nec fit inscio Prælato, nec extra obedientiam eius. seclusis autem illis tribus capitibus, & seclusis ijs, quæ sunt per accidens, scilicet scandalo, contemptu, &c. non apparet in hac re materia grauis culpæ ex vi solius clausuræ. Confirmatur, & declaratur ratio à priori, quia licentia Prælati in præsenti non est dispensatio in iure communi, sed potius est quasi materia & conditio ipsiusmet præcepti, quia hæc lex non prohibet exitum simpliciter, sed exitum sine licentia. Neque talis lex ex sua speciali ratione postulat vt licentia prudenter detur, sed hoc supponit ex officio Prælati: neque imponit subdito onus hoc examinandi, id enim neque ex lege constat, neque ex consuetudine, nec multum rationi consonat. Præsertim, quia finis huius prohibitionis, vt dixi, magis est vt religiosus non discedat à Prælato, quam vt non discedat à loco: quotiescunque autem discedit sub voluntate Prælati, non discedit à Prælato, etiamsi Prælatus talem voluntatem immerito habeat.

XIII. Dices, hoc discursu probari religiosum nec venialiter peccare vtendo tali facultate: quod videtur plane falsum, cum id irrationabile sit. Sequela vero patet, quia nullo modo violat legem clausuræ quantum ad materiam eius, vt explicata est. Respondeo concedendo sequelã ex vi illius legis clausuræ, vt si quis habeat præceptum non comedendi sine licentia, & petat, ac obtineat illam, & comedat sine vlla necessitate propter solam voluptatem, nihil peccabit contra dictum præceptum, quia in nullo violauit materiam eius, licet peccet contra temperantiam intemperatiue, vel sine causa comedendo: sicut non violat legem ieiunij, qui de cibis non prohibitis nimium comedit tempore permisso, licet alias intemperatus sit. Ita ergo in præsenti casu nihil peccat religiosus contra commune ius clausuræ, licet peccare possit vel petendo licentiam, quæ iuste dari non potest, vel otiose tempus conterendo, vel malum exemplum dando, vel alio simili modo: quę peccata frequenter erunt venialia, mortale vero vel nunquam, vel rarissime, nisi intentio exeundi sit ad peccandum mortaliter, vel cum aliquo graui scandalo, quæ omnia accidentalia sunt. Hæc vero intelligenda sunt de ordinario egressu ad breue tempus, vel ad aliquod iter agendum. Nam si loquamur de facultate ad habitãdum extra monasterium, hæc dari non potest nisi per modum dispensationis ex causa legitima: quia quoad hoc prohibitio est absoluta, vt consuetudo ipsa declarat, vt infra tractando de mutationibus religiosorum latius dicemus.

Ex quibus infero, Prælatum, qui in tali loco non habet superiorem, exeundo sine iusta causa, non violare clausuram, licet aliàs fortasse peccet. Probatur, quia non exit sine licentia, quam enim potest alijs dare, potest etiam sibi sumere; vel certe lex illa, quæ in suamet materia includit licentiam Prælati, loquitur solum ad subditos, relinquens Prælatum in libertate, quam habet ex vi sui muneris: nec imponit illi specialem obligationem, vt illa irrationabiliter non vtatur, quia de hoc nihil loquitur, sed reliquit naturali obligationi. In quo vltimo puncto oppositum sentit Nauar. supra n. 32. non tamẽ dicit peccare mortaliter, sed fortè venialiter, ex illo principio, *Patere legẽ, quam ipse tuleris*. Cum aũt nos dixerimus ex vi legis clausuræ ẽt subditos non peccare egrediendo sine causa, dummodo non sine licentia, potius sequitur ex illo principio, Prælatũ etiam non peccare propter transgressionem illius legis, licet fortasse aliũde id nõ faciat sine peccato.

XIV. *Illatum de egressu ipsius Superioris.*

At vero loquẽdo ex vi regulæ non possumus doctrinam generalem tradere nisi sub cõditione proportionata vnicuique regulæ. Nam si aliqua regula obligat ad specialem clausuram præter communẽ hactenus explicatam, & directe prohibet vel Prælatis eam licentiam dare, nisi ex iusta & necessaria dispensatione; vel subditis absolute interdicit violationẽ eius, tunc licentia data sine iusta causa non reddet religiosum tutum in conscientia intra gradũ obligationis regulæ; id est, si regula obligat sub mortali, non excusabit illud, si adueniale similiter: si vero ad solam pœnam, hæc iam non est proprie in conscientia, & ideo apud ipsum Prælatum, qui dedit facultatem, fortasse excusabit, non tamen apud superiorem Prælatum, si tam clara sit iniquitas licentię, vt non possit subditum ignorantia, vel authoritas Prælati excusare. Ratio est, quia tunc non sufficit simplex licentia, sed dispensatio necessaria est, vt supponitur, ex vi regulæ: illa vero dispensatio sine causa rationabili non tantum est iniqua, sed etiam nulla, quia est ab inferiori in lege superioris: regula enim est superior Prælato, & ab altiori iurisdictione seu potestate. Exemplum huius rei est, quod Nauarr. supra adducit de clausura Carthusianorum, qui per statuta prohibentur egredi claustrum sine licentia Prioris Generalis, nisi in raris casibus in eorum constitutionibus numeratis. Et simile fere exemplum est in religione Chamaldulensi. Et omnes pene religiones monachales maiorem clausuram ex vi suæ regulæ profitentur, quàm Mendicantes, quia non profitentur mendicitatem, aut ministeria, quæ sine egressu à claustro commode fieri non possunt. Et inter ipsas monachales quædam obseruant strictiorem clausuram: imo intra eandem religionem quædam monasteria ex peculiari constitutione, vel consuetudine strictiorem seruant clausuram, vt in religione S. Benedicti Casinense monasteriũ in Italia, & Montis Serrati in Hispania: & inter Canonicos regulares Illustre cœnobium S. Crucis in hac vrbe Conimbrica, & sic de alijs monasterijs, in quibus gradus & modus obligationis iuxta proprias vniuscuiusque constitutiones attendenda sunt; multum etiam consuetudo consideranda: nam in his rebus magnam vim habet, vt Nauarr. aduertit.

XV. *Secunda pars resolutionis.*

Exempla ad varias regulas varium religionum.

CAPVT VII.

An rigoroso etiam præcepto teneantur Religiosi ad clausuram non admittendo externos.

I. *Ius commune ingressum externorum in monasteria non vetat.*

SVpereſt dicendum de altera parte huius clauſuræ, quæ eſt vt ſeculares vel externi non permittantur ingredi monaſteria religioſorum. De qua re nihil inuenio generali lege canonica ſtatutum in corpore iuris neque quoad virorum, neque quoad fœminarum ingreſſum in talia monaſteria. Extra ius vero eſt quidam Motus proprius Pij V. & alius Gregorij XIII. de quibus ſtatim dicemus. Prius ergo ſupponendum eſt in hoc ſeruandas eſſe regulas vel conſtitutiones ſingularum religionum, in quibus ſi nihil ſit pertinens ad prohibitionem huius ingreſſus virorum vel fœminarum, nulla quidem erit circa hoc ſpecialis obligatio poſitiua, ſed ſola naturalis, quæ naſci poteſt vel ex decentia religioſa, vel ex neceſſaria cura vitandi ſcandalum, tam illud, quod ſeculares religioſis dare poſſunt, quam etiam illud, quod à religioſis poſſunt ijdem ſeculares capere, etiam ſæpe ſine culpa illorum, vt elegãter proſequitur Baſil. in Conſtit. monaſt. cap. 7. *Quod ec ſſe ſi* (dixit Ambroſius, licet aliud agens in offic. cap. 20.) *dare ſecularibus obtrectandi locum.* Quocirca ex vi ſui muneris tenentur Prælati, etiamſi peculiaris regula nihil iniungat, conuenientem vniuſcuiuſque ſtatui in hac parte cautionem adhibere, vt non facile perſonæ ſeculares intra clauſtrum, & præcipue ad eius interiora loca ingredi permittantur: quia quies à ſtrepitu ſecularium ſeparata religionis animis maxime neceſſaria eſt, teſte Bernardo ep. 78. Quod quidem magis neceſſarium eſt his, qui vitam pure contemplatiuam profitentur, quam his, qui miſcent actiuam: quibus nihilominus debita etiam moderatio neceſſaria eſt, ne & à ſecularibus contemnantur, & ad ſecularia nimia eorum familiaritate trahantur. Cum debita tamen moderatione & prudentia id nunquam fuit prohibitum, vt patet ex Baſilio ſupra, vbi in fine c. ait, etiam ad menſam poſſe admitti, ſi pij, prudentes, & bene affecti ſint. Et reg. 312. & 313. ex breuioribus & reg 20. ex fuſioribus id ſupponit cum declarat quomodo hoſpites, vel alij, qui ad nos viſitandos veniunt, recipiendi, & tractandi ſint. Et D. Ambroſ. dicto lib. officior. cap. 20. ſignificat, ſi ſeculares indigent noſtra ope aut miniſterio, potius expedire vt illi ad nos veniant, quam nos ad ipſos. Hoc tamen non eodem modo de fœminis, ac de viris accipiendum eſt: nam circa illas multo maior cautio eſt adhibenda, ne regulariter in monaſteria religioſorum ingredi permittantur, propter periculum, & ſcandalum. De qua re multa ſumi poſſunt ex Baſilio cap. 4. Conſtit. monaſt. & ex Ambroſ. ſupra.

Ex decentia tamen & obvitandum ſcandalum ſpecialis ius non datur quousque ſint arcendi.

II. *Vbi ſpecialis regula non admittendi externos datur tria in ea ſunt attendenda. Primum.*

Si autem ſpecialis conſtitutio religionis præcipit hanc clauſuram, prohibẽdo ingreſſum ſecularium, tria in illa conſideranda ſunt. Primum de quibus perſonis loquatur: nam frequentius prohibebit tãtum ingreſſum fœminarũ: ſi autem aliqua ex parte ad viros etiam extendatur, ſeruanda eſt. Intelligetur autem extendi quoties de ſecularibus in communi, vel per verba maſculini generis loquitur, nam hæc verba comprehendunt vtrumq; ſexum, licet non è conuerſo, maxime vbi diſpoſitio eandem rationẽ habet in fœminis, ac in viris, ne dum quando habet maiorem, vt in præſenti. Secundo eſt conſiderandum de quibus locis fiat prohibitio, nam ordinarie non fit de Eccleſia, etiam pro fœminis: Carthuſiani autem dicuntur habere hanc prohibitionem, vnde etiam ſolent ianuam Eccleſiæ habere intra ſepta ſeu muros totius monaſterij: in alijs vero religionibus ſolet prohiberi fœminis ingreſſus intra totum clauſtrum, non vero in Eccleſiam: & ſolet dubitari, quid nomine *Eccleſiæ* tunc intelligatur. Videtur autem vox illa exponenda iuxta c. *ſi cuitas.* de ſent. excom. in 6. ſcilicet vt cõprehendat ſacriſtiam, & capellas illi cõtiguas, ad quas per ipſaſmet Eccleſias patet immediatus ingreſſus, nam omnia illa cenſentur partes eiuſdem Eccleſiæ: loca vero magis diſiuncta, & clauſtrum ipſum, etiamſi per Eccleſiã ad illud immediate intrari poſſit, omnino ad Eccleſiam non pertinent, nec eius appellatione venire poſſunt. In nonnullis vero religionibus ex vi ſuarum conſtitutionum permittitur fœminis ingreſſus etiam ad clauſtrum inferius vel ſemper, vel quibuſdam certis diebus, & occaſione aliquarum ſolennitatum, & in eis quid nomine *clauſtri* intelligatur, & vbi terminetur, ita vt vltra progredi non liceat, ex vniuſcuiuſque loci ſitu, forma, conſuetudine, & præcipue ex Prælatorum declaratione, quæ eſſe debẽt intentioni conſtitutionum, & cuſtodiæ religioſæ conformis, ſumendum eſt. Pro viris autem nunquam videtur eſſe generalis prohibitio ingrediẽdi intra clauſtra, quanuis maior vel minor ingreſſus pro varietate religionum permittatur, in quo vnaquæq; conſulat ſuas leges, nihil enim certius dicere poſſumus.

Secundum.

III. *Tertium.*

Tertio expendenda eſt ratio & modus obligationis, nam hęc etiam cum non ſit de iure communi, non eſt eadem in omnibus, & ideo verba etiam, & conſuetudo declarabunt gradum obligationis. Eſt aũt in hoc conſiderandum obligationem hanc directe cadere poſſe in ipſos religioſos, vel Prælatos eorum, quia conſtitutio religionis non poteſt ſeculares obligare, & ideo ſi per illam tantum hic ingreſſus eſt prohibitus, peccabunt quidem religioſi admittendo, vel permittendo ingreſſum, vnuſquiſque pro ratione ſui muneris: ſeculares autem ipſi non peccabunt ingrediendo, niſi vel quia inducunt alios ad peccãdum, aut cooperando peccato eorum, vel quia per vim, aut furtiue ingrediuntur, quod videtur eſſe contra iuſtitiam, & in tali materia erit contra religionem propter ſanctitatem loci. Præter hoc vero per indulta Pontificia ſolent religiones habere poteſtatem directe imponendi hanc prohibitionem ipſis ſecularibus, etiam ſub cenſuris ipſo facto incurrẽdis. Et propter hanc obligationem emanarunt à ſede Apoſtolica varia priuilegia, per quæ nonnullis fœminis illuſtribus conceditur, vt poſſint ingredi monaſteria virorum quocunque modo talis ingreſſus prohibitus ſit.

Motus proprii Pii V. & Greg. XIII. circa ingreſſum fœminarum in monaſteria virorum per quatuor dubia expediuntur.

IV.

Ex abuſu ergo talium priuilegiorum motus videtur Pius V. ad prohibendum huiuſmodi ingreſſum in conſtitutione, quæ eſt 22. in Bullario Romano, & incipit, *Regularium perſonarum*: anni 1566. in qua primum reuocat omnes licentias ingrediendi monaſteria, ac domos Carthuſienſium, & aliorum quorumcunque regularium, etiam Mendicantium mulieribus cuiuſcunque gradus, conditionis, &c. ampliando hanc reuocationem omnibus vltatis & maxime rigoroſis verbis. Deinde prohibet ingreſſum ſub excommunicatione latæ ſententiæ ſibi reſeruata prædictis mulieribus dictas facultates prætendentibus, & Prælatis monaſteriorum, ac religioſis prohibet ne illas admittant ſub pœnis priuationis officiorũ, & inhabilitatis ad illa, & ſuſpenſionis à diuinis ipſo facto incurrẽdis. Et Greg. XIII. ſua Conſtit. 36. *Vti gratiæ.* addit etiam his pœnam excom-

Dubia circa hanc legem. Primum. Secundum.

excommunicationis reseruatæ. Circa quam legem multa dubia orta sunt. Primum an comprehendat absolute omnes mulieres, vel solum illas, quæ facultates illas prius habebant. Secundum, an illæ prohibeantur absolute & simpliciter, vel solum prætextu dictarum licentiarum ingredi, ita vt si non virtute illarum, sed sua temeritate ingrediantur, non tamen contra hanc legem, neque eius censuram incurrant. Tertium, quæ personæ monasterij peccent permittendo hunc ingressum, & quando censeantur illum permittere. Quartum, an illæ sic peccantes incurrant pœnas illic positas ante omnem sententiam.

Tertium.

Quartum.

V. Pro primo dubio vnum præmittitur.

Ad primum dicendum videtur primo non extendi prohibitionem ad mulieres, quæ huiusmodi facultates nunquam habuerunt. Probatur, quia in textu expresse fit restrictio prohibendo mulieribus prædictas facultates & licentias prætendentibus. Et Gregorius XIII. ait, *Inhibentes eisdem, qui illas obtinuerunt.* Quæ verba restricta sunt, & ideo extendi non debent, tum quia lex pœnalis est, tum quia esset contra proprietatem illorum. Neque obstat si quis obijciat similitudinem rationis, tum quia hæc extensio per similitudinem non admittitur in legibus præsertim pœnalibus, in quibus ratio sine voluntate legislatoris non operatur: tum etiam quia facile negari potest similitudo rationis, quia hæ personæ solent esse nobiliores, & potentiores, & propter vsum fortasse ingrediendi difficilius possent contineri per solam reuocationem priuilegiorum, nisi adderetur prohibitio. Secundo dicitur ex vi verborum non comprehendi omnes mulieres etiam habentes tale priuilegium: nam licet prius dicatur, *mulieribus cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, & quacunque dignitate ac præeminentia præditis*, statim additur, *etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis.* Vnde videntur hi gradus assignari tanquam supremi earum fœminarum, quæ ibi comprehenduntur: ergo illæ quæ superiores fuerint, vt Reginæ, & filiæ earum, Imperatrices, & earum filiæ, non comprehendentur. Quæ interpretatio iuxta tenorem decreti Pij V. videtur iuridica: tamen iuxta tenorem Gregorij, qui sic habet, *Quibuscunque, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, & aliis cuiuscunque status, & conditionis mulieribus*, non videtur procedere: nam particula, *& aliis*, &c. non videtur posita ad descendendum, sed ad ascendendum, vt patet ex progressu præcedentium verborum. Nihilominus de eadem re & de eisdem personis loquitur vterque Pontifex: neque est verisimile Gregorium in specie nominasse illos gradus personarum, & Reginas, &c. sub generali clausula comprehendisse: maxime, quia paulo inferius, vbi Reges & Reginas comprehendere voluit, nominauit. Denique hic à fortiori locum habet regula iuris, sub generali clausula non comprehendi quæ specialissimam rationem habent, quæ procedit euidentius, quando in clausula generali additur specificatio inferioris notæ.

Alterum primo annexum.

VI. Obiectio ex Greg. XIII. & declaratione Cardinalium.

Contra hoc vero obijci solet declaratio eiusdem Greg. XIII. & congregationis Cardinalium, quam moderni referunt. Cum enim religio Minimorum in suis constitutionibus habeat concessionem, vt mulieres de stirpe Regia, & fundatrices suorum monasteriorum volentes cum decenti comitatu ingredi suas domos, tolerari possint: consuluerunt Patres illius ordinis Summum Pontificem, an illi concessioni per prædictas constitutiones derogatum sit. Respondit que Pontifex ex sententia congregationis non esse derogatum quoad Reginas vel fundatrices duntaxat. Quæ declaratio confirmat ex parte datam expositionem, scilicet quoad Reginas, & extendit illam quoad fundatrices, siue hæc extensio denuo concessa sit ab ipso Summo Pontifice, siue iuxta commune ius data; nam illæ personæ tam peculiarem habent rationem, vt non debuerint sub generali prohibitione comprehendi, tum quia ius Patroni est valde priuilegiatum in iure: tum etiam, quia fundatrices sunt quasi dominæ suorum monasteriorum, & ideo non debuerunt eadem generalitate qua extraneæ ab illis excludi, nam quoddam ingratitudinis genus esse videbatur. Quoad alia vero repugnat nobis illa declaratio: quia præter Reginas, in quibus Imperatrix sine dubio comprehenditur, sunt aliæ maioris dignitatis quam sint Ducissæ, vt filiæ Regum, vel etiam neptes, quæ vulgari sermone *Infantas*, vel *Princesas* (si primogenitæ sint) appellari solent. Ad quod respondemus, potuisse Pontificem suam mentem ita exponere, nam sæpe Pontifices in his declarationibus aliquid de nouo addunt sua potestate, & si de illa declaratione satis constet, illi standum erit. Mihi tamen non constat illam fuisse vniuersalem, fortasse enim pro illa religione propter specialem obseruantiam eius voluit Pontifex regulam illam ita coarctare. Est enim aliud valde considerandum in illa declaratione, quod nimirum extendit dictam reuocationem Pontificum ad regulas ipsas, vel constitutiones religiosorum: quod sane non videbatur ita dicendum ex vi & tenore ipsorum indultorum: quia (vt in principio dixi) prohibitio ingrediendi hæc monasteria, fit per constitutiones religionum approbatas à Pontificibus, & facultates ingrediendi dantur suppositæ prohibitione. Pius autem V. solum reuocat facultates ac licentias ingrediendi monasteria quibuscunque fœminis concessas, quæ facultates supponunt prohibitionem, vt dixi: ergo si ipsamet constitutio religionis non prohibet ingressum, nulla est facultas ad illum necessaria, nec videtur proprie dici facultas concessa fœminis ipsamet constitutio permittens illarum ingressum. Sed hæc difficultas attingit dubium secundum propositum.

VII. Secundum dubium, an illi motus propria vetent absolute ingressum fœminarum in monasteria virorum.

Erat igitur secunda dubitatio quam in d. 22. de censu. sect. 6. à n. 11. tractaui, an per has constitutiones prohibeatur absolute hic ingressus mulieribus, itavt quamuis nec per constitutiones alicuius religionis, nec per consuetudinem esset prohibitus, ex vi harum legum prohibeatur. Nam ex declaratione proxime citata videtur sequi factam esse prohibitionem absolutam, cum censeatur reuocata positiua permissio, quæ per constitutiones Minimorũ fiebat, exceptis solis casibus specialibus, quos hæ constitutiones non comprehendunt. Item, quia aliàs nullus fere esset fructus illarum constitutionũ, quæ tanto consilio & verborum ponderatione factæ sunt. Nihilominus dicendum in primis est, ibi non prohiberi ingressum simpliciter omnibus fœminis. Probatur, quia ostensum est constitutiones illas non loqui cum omnibus, sed cum habentibus tales facultates. Et hinc fit coniectura etiam illis non imponi specialem prohibitionem absolutam, quia quoad hoc non est in eis specialis ratio, nec debent esse prioris conditionis. Solum ergo prohibentur ne prædictis facultatibus vti tentent, & virtute illarum ingredi, quasi contemnentes Pontificiam reuocationem. Quod indicauit Pius V. in illis verbis, *Prohibentes mulieribus prædictas facultates & licentias prætendentibus, ne monasteria ingredi audeant*, &c. vtique fundatæ in dicta prætensione. Quod euidentius declarant verba Gregorij, *Inhibentes eisdem, qui illas obtinuerunt, ne ipsarum licentiarum prætextu*, &c. Nec propter hoc sunt inutiles illæ constitutiones, quia finis earum non videtur fuisse addere nouam clausuram monasterijs virorum, præter eam, ad quam singula ex suis institutis tenentur, sed conseruare illa in sua integritate, & indemnitate contra importunitates fœminarum

Arguitur pro parte affir. ex declaratione Cardin.

Item ab absurdo.

Authoris resolutio.

Exluditur allatum absurdum.

potentium, & de suis priuilegijs confidentium.

VIII. *Ad declarationem prædictam Cardinalium multiplex responsio.*

Ad illam autem declarationem inprimis dico me non vidisse illam, & ideo de illius sensu non mihi satis constare, fortasse enim (vt num. 6. dicebam) fuit solum pro tali religione per modum extensionis, & forte ad petitionem eius. Dici etiam potest in illa religione prohibitum esse ingressum fœminarum ex vi regulæ; exceptionem autem in ea factam reputari licentiam tali iure concessam talibus fœminis ad ingrediendum, & ideo censeri reuocatam per has constitutiones, non tamen esse additam specialem prohibitionem prædictis fœminis, sed relictas esse vt comprehendantur in prohibitione regulæ: & ideo solum peccare contra hâc constitutionem, & eius censuram incurrere, si prætextu permissionis regulæ ingredi velint. Vnde, si alio modo per vim, vel fraudem ingrediantur, licet fortasse grauius peccent, non incurrent hanc censuram, quia hæc non imponitur pro quocunque delicto in tali ingressu, sed pro speciali contumacia contra hanc legem.

IX. *Instantia ex Nauarro expeditur.*

Refert tamen Nauarr. Comment. 4. de Regul. rib. nu. 62. Pium V. declarasse mentem suam fuisse comprehendere omnes fœminas etiam alia ratione, quam virtute prædictarum facultatum ingredientes, imo etiam omnes carentes talibus facultatibus, & ita seruari in Prætorio Pœnitentiariæ. Quæ declaratio (si reuera fuit) non pura videtur declaratio, sed extensio; & ideo donec sit sufficienter promulgata (ad quod sola relatio Nauarri non satis est) non obligat. Præsertim cum in eisdem constitutionibus dicatur, *postquam harum notitiam habuerint.* Huius autem declarationis non habetur sufficiens notitia, qualis per se ad obligandum requiritur; & ideo vbi non fit alio sufficienti modo promulgata, vel consuetudine recepta, non existimo obligare nisi secundum simplicem tenorem dictarum constitutionum. Et hoc etiam per argumentum ab speciali confirmat alia declaratio data ab eodem Pio V. ordini Minorum in particulari, quam refert Emmanuel Rodriguez 1. tom. Quæstionum regularum, q. 48. art. 3. de qua per indulta authentica eidem religioni constitit, & ita recepta est. In ea vero facta est eadem extensio ad omnes fœminas, & ad quemcunque ingressum sine prætextu facultatum: aliunde vero facta est limitatio, & facultas concessa ingrediendi claustra monasteriorum causa diuinorum officiorum, processionum, concionum, funerum seu suffragiorum pro defunctis, vt ibi latius videri potest. Quæ declaratio quoad hanc secundam partem non est pura interpretatio, vt per se notum videtur, sed fuit concessio, vel additio quædam: idem ergo est de priori parte. Et vtraque peculiariter directa fuit ad illam religionem. quapropter non tenentur aliæ religiones priorem extensionem, quæ rigorem affert, admittere, nisi eis authentice constet mentem Pontificis fuisse de omnibus loqui. Posteriori autem concessione sine scrupulo omnes vti possũt, vel quia quoad illam partem est fauor ampliandus, & quasi priuilegium in quo est communicatio: vel certe, quia si priorem rigorem non recipiunt, eo ipso sunt eis omnia illa permissa, quia non sunt prohibita: si autem prohibitionem vt communem omnibus admittunt, cum suis exceptionibus possunt illam recipere, & non aliter. Cæterum quamuis iuxta prædictas constitutiones Gregorij XIII. & Pij V. veram sentiam traditam doctrinam, scilicet fœminas ingredientes alia monasteria virorum diuersa à monasterijs Minorum non prætextu facultatum, &c. non comprehendi vel subijci pœnis prædictarum constitutionum, nec religiosos illas admittentes, sicut iam docueram tom. 5. in Tertiam partem disput. 22. sect. 6. num. 11. Nihilominus, postquam hæc scripseram, ad meam notitiam deuenit alius motus proprius Pij V. editus anno 1570. die Iulij 16. quá incipit, Romanum Pontificem. vbi eisdem pœnis subijcit, quascumque fœminas virorum monasteria ingredientes, ac religiosos illas ingredi permittentes, etiamsi sine vllo prætextu facultatum ingrediantur, & admittantur. Quem motum proprium ad verbum refert Confectius in priuilegijs ordinum Mendicantium inter literas Apostolicas fol. 179. Quapropter nullus iam superest dubitandi locus pœnas priorum constitutionum per hanc vltimam ad omnes fœminas virorum monasteria ingredientes, & ad religiosos illas ingredi permittentes, fuisse extensas.

X. *De tertio dubio quarti dubii num. 4. propositi.*

De tertio dubio eadem est proportionalis ratio in monasterijs virorum, & monialium, & ideo in cap. 10. simul explicabitur. In quarto autem dubio certum est censuras suspensionis, & excommunicationis statim incurri ante omnem sententiam, quia verba sunt expressa, & in censuris sine vlla dubitatione hoc operantur. Ex illis autem censuris suspensio, quæ à solo Pio V. fertur, non habet clausulam reseruationis: Gregorius vero, qui excommunicationem addidit, cum dicat, *Sub eadem excommunicatione*, videtur plane eam reseruare, quia talis erat excommunicatio, quæ præcesserat: quomodo autem per priuilegia tolli possit, supra declaratum est, & iterum inferius lib. 2. à c. 20. Quoad alias vero pœnas, probabile est necessariam esse sententiam declaratoriam ad incurrendas illas, iuxta communiorem doctrinam in materia de legibus.

CAPVT VIII.

De clausura monialium quoad non egrediendum è monasterio.

I. *Dispositio, & explicatio huius capitis. Tum clausura huius materiæ.*

SVpereſt vt explicemus ea, quæ specialia sunt monialibus circa clausuram tam quoad egressum, quam quoad ingressum, quæ sine dubio strictior est. Loquor autem de monialibus proprie, vt nunc omittam alias, quas in tractatu sequen. lib. 1. cap. 4. in fine commemorabo. Primo ergo circa egressum in hoc cap. inquirendum est, an & vnde teneantur moniales sub graui obligatione ad culpam, ad seruandam clausuram non egrediendi è suis monasterijs. Constat enim inprimis non esse de intrinseca necessitate status religiosi in fœminis specialis clausura vel proprio voto promissa, vel per ius positiuum imposita, tum quia ostensum est tomo superiori, & infra etiam dicetur in num. 11. olim sacras virgines solitas sæpe fuisse in proprijs domibus religionem profiteri: & præterea est ostensum in eodem tomo, tria vota substantialia sufficere ad statum religiosum, & rationes ibi factæ de vtroque sexu probant: non est ergo simpliciter necessarium quartum votum clausuræ. Neque etiam vlla extrinseca lex determinata est de intrinseca ratione talis status, quia licet potestas præcipiendi sit de ratione illius quatenus respondet subiectioni, quæ fit per votum obedientiæ, determinata lex vel præceptum humanum pendet ex prudentia & arbitrio: & ideo nullum determinatum dici potest esse de substantia talis status. Denique sine tali lege vel voto potest seruari castitas, & regula religiosa, vel modus viuendi secundum consilia Euangelica: ergo non sunt simpliciter necessaria ad talem statum. Non potest tamen dubitari, quin hæc clausura conuenientissima sit ad statũ religiosum fœminarum, præcipue quando illum profitentur in communi, seu conuentuali vita, vt nunc est in vsu Ecclesiæ, qui veritatem hanc satis confirmat, & ex naturali conditione & fragilitate sexus fœminei id est per se manifestum, & patebit amplius ex dicendis.

Atque

II. Primum illatum ex praxi dicti.

Atque hinc colligimus potuisse Ecclesiam ita instituere religiosum statum fœminarum, vt prohibuerit illum profiteri in proprijs domibus, sed tantum in sacris domicilijs & monasterijs ad hoc per ipsam Ecclesiam deputatis, & approbatis. Quia licet hoc non sit absolute de substantia, liberum est Ecclesiæ non admittere professionem, nisi cum hac circunstantia, vt substantia religionis melius seruetur. Et ita fecisse saltem quoad ordinarium & frequentiorem modum huius status, constat ex vsu Ecclesiæ, quem antiquissimum esse constat ex Concilio Carthag. III. can. 33. Et licet nunc etiam non sit de substantia professionis, vt professio in monasterio seu intra claustra fiat, argumento dicti cap. *insinuante*. tamen certum est de ratione eius in talibus religionibus esse vt professio in ordine, & cum obligatione ad illum modum viuendi fiat. In eo tamen modo viuendi in communi potest adhuc esse latitudo in modo & obligatione seruandi clausuram.

III. Secundum illatum.

Vnde vlterius potest etiam Ecclesia non admittere aliquam fœminam ad religiosam professionem, nisi simul voueat vel se obliget ad non exeundum è monasterio, in quo stabilitatem profitetur, sine legitima Ecclesiæ dispensatione: quia licet hoc ex natura rei non sit de substantia illius status, tamen est ita coniunctum cum illo, & necessarium ad decentiam eius, vt possit Ecclesia merito non acceptare pactum professionis sine illa conditione. Dices; ergo posset Ecclesia prohibere ne fœminæ in priuatis domib. voueant statum continentiæ, quin etiam se obligent ad aliquam clausuram, quia hæc videtur moraliter repugnare cum illo modo viuendi, & ideo posse Ecclesiam prohibere ne in illo fiat simile votum. Respondetur, non esse simile de professione religiosa, & de voto simplici: nam per professionem constituitur virgo in publico & solemni statu Ecclesiæ, & est peculiari modo membrum Ecclesiastici status, cuius institutio & regimen speciali ratione est sub prouidentia Prælatorum Ecclesiæ: per votum autem simplex continentiæ non constituitur status Ecclesiasticus, sed est actio mere priuata, quæ non pendet etiam ex acceptatione Ecclesiæ, sed inter Deum & solum hominem transigitur: & ideo vniuscuiusque consilio & arbitrio relinquitur, quanuis si votum illud sit aliquo modo publicum, ad prouidentiam Pastorum Ecclesiæ pertineat procurare vt decenter obseruetur: de qua re multa ex canonibus, & Patribus antiquis in superioribus adduximus.

IV. Tertium illatum de fundamento obligationis clausuræ

Tertio ex dictis colligitur, obligationem præcisam ad seruandam clausuram non egrediendi monasterium duobus vel tribus tantum modis intelligi posse in sanctimoniali. Voco autem obligationem præcisam vt illam augeam supra ordinariam clausuram virorum: quia non includit in obiecto seu materia illam conditionem *non exundi sine facultate Prælati, aut Abbatissæ*, sed absolute non exeundi. Nam, licet hęc negatio non excludat iustam dispensationem, nihilominus multum differt dispensatio à simplici facultate, vt dixi in cap. 6. à num. 12. & ideo illa vocatur absoluta obligatio. Prima ergo radix huius obligationis esse potest quartum votum monialium specialiter de hoc obiecto emissum. Non est enim dubium quin hæc esse possit cõueniens materia voti quatenus illa clausura ad diuinum cultum ordinatur, & ad obseruantiam castitatis, ac in vniuersum ad spiritualem profectum multum conferre potest. Vbi ergo de tali voto constiterit, obligatio clara est, & materia eius extenditur iuxta declarationem regulæ, vel communem obseruantiam monasterij. Multumque refert scire, an hæc obligatio oriatur ex voto, vel aliunde, tum ad grauitatem eius, tum ad modum dispensationis, vt infra dicam. Aduertere etiam oportet non esse necessarium vt hoc votum explicite fiat, satis est enim si fiat implicite, vt si ex regula, vel ex ordinatione Ecclesiæ iam constet hanc obligationem includi in ipsa professione, sicut in superioribus dicebamus tria vota semper fieri in professione, quanuis sæpe non exprimatur nisi obedientiæ votum: vel sicut votum castitatis fit in susceptione ordinis sacri.

V.

Secundo potest hæc obligatio oriri ex pacto seu promissione mere humana facta monasterio, quod sub ea conditione vult recipere talem personam, & non alias. Hæc ergo conditio sine dubio est iusta, & alioqui contractus ille vtrinque libere fit: ergo potest ex parte monasterij imponi illud grauamen: ergo si acceptetur, oritur obligatio seruandi illud, quia pacta iusta seruanda sunt. Vt autem talis obligatio insurgat, oportet vt ea conditio in principio sufficienter proponatur, aliàs non erit voluntaria: intelligetur autem sufficienter proponi si in regula contineatur, vt professio ita fiat, vel consuetudine ita receptum sit: nam vnusquisque intendit profiteri secundum regulam, & probatam consuetudinem religionis. Hic autem secundus modus moraliter à præcedenti non separatur: quia in professione non intelligitur fieri pactum mere humanum, cum de illo seruando Deo fiat promissio: & quia eadem clausura non promittitur homini nisi in quantũ pertinet ad cultum Dei, & ita Deo principalius promittitur. Atque huc etiam reducitur omnis obligatio orta directe ex regula, si in illa tale præceptum contineatur: quia tunc etiam illa obligatio oritur ex voto obedientiæ. Totam ergo hanc obligationem ex voto seu ex professione appellamus.

VI.

Vltimus ergo huius obligationis modus esse potest ex positiuo Ecclesiæ præcepto superaddito professioni: & de hoc fuit aliquando controuersia an posset Summus Pontifex hoc præceptum imponere monialibus, quæ per professionem ad clausuram se non obligauerunt. Videtur enim non posse, quia neque ex vi iurisdictionis Ecclesiasticæ; hæc enim non se extendit ad opera consiliorum, inter quæ sine dubio computanda est perpetua clausura: neque etiam ex vi voti obedientiæ, quia, vt supra vidimus, solum potest ex vi illius præcipi secundum regulam: ergo vbi clausura non est de regula, neque explicite promissa est, non potest imperari. Atque ita tenuit Oldrad. consil. 96. & propendet Felin. dicens eius rationem esse æquissimam in cap. *ad nostram*. de appellat. num. 6. Erat autem ratio Oldradi, quia frustra daretur annus probationis ad experiendas austeritates regulæ ante professionem, si post factam professionem possunt nouæ austeritates præcipi, quas Nouitius nec expertus est, nec cogitauit. Dicendum nihilominus, posse hoc præceptum imponi, non solum per Pontificem Summum, sed etiam per Prælatos religionis.

VII.

Probatur primo ex vsu, quia ita factum est in cap. vnic. de statu regularium, in 6. & alijs, quæ infra referemus. Responderi posset, Pontificem per illam legem obligasse omnes fœminas, quæ post illam profiterentur religionem: quia per illam sufficienter est eis propolita conditio cum qua recipiuntur, non tamen obligasse iam tunc professas: sicut lex continentiæ sacrorum Clericorum cum primum lata est, non obligauit iam ordinatos, sed ordinandos, vt supra vidimus. Hanc tamen euasionem excludit Pontifex, dicens, vniuersas, & singulas moniales, præsentes atque futuras. Vbi glos. verb. *Præsentes*, difficultatem huius præcepti expendit. & tandem resoluit, licet Summus Pontifex non possit fideles cogere ad statum perfectionis; tamen

postquam illi voluntarie illum sumpserunt, posse illos obligare ad arctiorem & perfectiorem vitam. Quomodo loquitur etiam gloss. in cap. *quod omnes.* de regulis iuris, in 6. & in cap. *gesta.* 74. d. Innocent. in cap. *super eo.* de Regularibus. & idem videtur sentire Abb. in cap. *ad nostram.* de appellat. n. 4. & 5. vbi Felin. Decius, & alij eodem fere modo loquuntur. Sed hoc cum grano salis intelligendum est: quia non possunt religioso præcipi austeritates, quæ nullo modo ad regulam pertinent, vt in superioribus visum est tractando de obedientiæ voto, sed præcipi possunt ea, quæ directe vel indirecte, seu implicite in tali statu vel regula continentur, qualia sunt omnia, quamlicet in regula non sint expressa, tamen secundum rectam prudentiæ rationem vel ad decentiam talis status, vel ad puritatem eius & obseruantiam moraliter sunt vel necessaria, vel certe conuenientissima, vt late citato loco ex communi doctrina probatum est, & per se est manifestum: quia in omni statu bene instituto est huiusmodi potestas in Prælato necessaria.

VIII. Vnde vtroq; titulo supra insinuato potest Pontifex hoc præceptum ponere. Primo ex vi suæ iurisdictionis suppositio statu iam voluntarie assumpto: multa enim sunt, quæ absolute non possent præcipi personis Ecclesiasticis, nisi talem statum assumpsissent: illo autem supposito iuste imperantur, vt constat ex titulis de vita & honest. cleric. & de cohabit. cleric. & mulierum, & ne cleric. vel monachi, cum similibus. Et ratio est, nam qui assumit aliquem statum, virtute se obligat ad ea, quæ expediunt vel decent in tali statu: quorum determinatio nec semper est certa & sufficiens ex sola natura rei, nec relinqui debet vniuscuiusque arbitrio: ergo ad eum, qui præst in tali statu, ratione suæ iurisdictionis conuenit posse ea præcipere, quæ ad conseruationem & obseruantiam talis status necessaria sunt. Sed in præsenti materia clausura monialium est moraliter necessaria ad puritatem status, quem professæ sunt, non solum propter obseruantiam castitatis (quauis hæc fortasse sit præcipua ratio) sed etiam ad tollenda multa impedimenta tendendi ad perfectionem, quod etiam Prælati iure suo facere possunt: ergo. Et hanc rationem insinuauit Bonifacius VIII. in dict. cap. vnic. dum ait, *periculosum & detestabile quarundam monialium statui prouidere salubriter cupientes*, &c. vbi statum monialium sine obseruantia clausuræ periculosum & detestabilem vocat: quod ex effectibus & abusu ibidē ostendit, & inde recte colligit ad suam prouidentiam & iurisdictionem spectare huic incommodo prouidere. Alius titulus est, obedientiæ votum, qui eodem modo explicandus est, nam ratione illius potest Prælatus præcipere austeritatē, vel rigorem in regula non expresse contentum, si ad obseruanda ea, quæ in regula continentur, & maxime si ad vota substantialia in sua integritate conseruanda sint moraliter necessaria, vel ita vtilia, vt difficile possit religio aliter contineri: talis autem est clausura respectu monialium, vt dictum est. Atque hoc modo recte procedit doctrina Canonistarum supra adducta, quam ita explicuit Nauarr. Comment. 4. de Regularib. num. 40. & sequentib. & insinuat Antonin. 3. p. tit. 16. capit. 7. §. 3. Syluest. *Religio.* 7. quæst. 16. Angel. verb. *Religiosus.* §. 30.

IX. *Ad argum. in num 6.* Ad rationem ergo dubitandi responsum iam est, negamus enim assumptum. Vnde clausura respectu monialium etiam ante præceptum impositum non potest reputari ex illis bonis supererogationis, quæ proprie dicuntur de consilio, sed est vnum ex medijs adeo conuenientibus ad finem illius status, vt sit apta materia præcepti positiui. Imo est tam consentaneum rationi naturali, vt Nauarr. supra plures proponat coniecturas, quæ suadere videntur ex natura rei esse præceptum, supposita obligatione status ex voto talium personarum, quæ licet non persuadeant, vt ipse fatetur, ostendunt saltem sufficienter esse aptam materiam humani præcepti. Ad rationem autem Oldradi respondet Felin. annum probationis non dari solum ad experiendum in specie talem religionem, sed propriam etiam aptitudinem suijipsius ad religionem in genere. nam per professionem videtur religiosus se subijcere omni alterationi & dispositioni Superioris, de qua potest eo tempore vnusquisque cogitare, & ideo non potest dici deceptus. Sed hoc non recte dictum est, vel iuxta limitationem supradictam intelligendum est, licet dicta verba vix illam patiantur. Dico ergo annum probationis solum concedi propter experimentum illius religionis, in quo facienda est professio. Sicut autem diximus potestatem Prælati extendi ad ea, quæ virtute vel indirecte continentur in regula; ita qui per annum probationis experitur talem regulam, virtute experitur omnia, quæ continentur in illa; experitur (inquam) vel saltem animi præparatione & deliberatione; intelliget enim per illud experimentum fore per professionem subijciendum Prælato quoad omnia, quæ ad obseruantiam talis regulæ conuenientia fuerint: & hoc satis est, vt postea non possit de deceptione conqueri.

Expediuntur nonnulla dubia circa præsens caput.

X. Quærendum vero superest an hæc obligatio insit de facto omnibus ac solis monialibus, & ex quo principio ex dictis, & quam rigorosa sit; vltimo quis possit in ea dispensare, quod in sequens caput reseruamus. Explicabimus vero tantum quid iure Pontificio seruandum sit, nam singulas earum regulas explicare nostrum non est. Nec mihi constat, quænam illarum emittant quartum votum clausuræ, aut ex vi suæ regulæ aut post Pontificia præcepta. Priori enim modo dicuntur illud emittere religiosæ S. Claræ, iuxta regulam ab Vrbano IV. approbatam: & ideo iuxta modum & mensuram præscriptam à regula tenebuntur ex vi voti clausuram seruare. Aliqua etiam monasteria, licet ex prima institutione non haberent clausuram, post Ecclesiæ præceptum, non solum illam admittunt, sed etiam promittunt: quod an sit necessarium ex vi præcepti, infra attingam. Certum est autem, illud votum per se non addere obligationem extensiuam (vt sic dicam) sed solum intensiuam, id est, nouum titulum obligationis ad eandem rem. Et ideo explicata materia præcepti, erit explicata materia huius voti.

XI. *Quarta clausura ex institutione Bonifacii VIII. non est de substantia voti.* Primo ergo dicendum est teneri moniales omnes ex præcepto Ecclesiæ ad obseruandam clausuram quantum ad cauendum exitum ab illa. Primus qui hoc præceptum posuit, videtur fuisse Bonifacius VIII. in cap. vnic. de statu regular. in 6. Nam licet in antiquis canonibus multa sint huius clausuræ præcepta, nullibi tamen erat absolute iniuncta, sed dependenter fere à legitima facultate Abbatissæ, vnde paulo maior fœminis quam viris imponebatur. Canon enim 33. Concilij III. Carthagin. qui primus in hac materia esse videtur, prius permittebat virgines sacras à parentibus in suis domibus custodiri; *postquam vero illa professa fuerint* (ait) *Episcopi prouidentia in monasterio virginum, vel grauioribus fœminis commendentur, vt simul habitantes inuicem se custodiant, ne passim vagantes, Ecclesiæ ladant existimationem.* Vbi etiam virgines orbatæ

orbatæ parentibus non coguntur in monasterio claudi, nam poterant grauioribus fœminis commendari, & de virginibus habitantibus in monasteriis non dicitur vt nunquam exeant, sed ne passim vagentur, & vt inuicem se custodiant. Posteà verò in can. 46. Trullano, qui VI. Synodo attribuitur, sic statutum est. *Quæ vitam exercitatoriam* (id est, religiosam) *eligunt, & in monasteriis sunt constitutæ, ne omnino progrediantur*: quæ prohibitio videtur esse absoluta (quanquam de efficacia illius canonis ad obligandum non satis constet.) Statim verò subiungit. *Si qua autem inexorabili necessitas ad hoc trahit, cum benedictione, & permissione eius, quæ præest, hoc agant, nunquam non solæ per se, sed cum aliquibus vetulis, & quæ in monasterio primæ sint, cum mandato eius, quæ Præfecta est; ei autem omnino extra cubare non liceat.* Vnde constat non fuisse absolutam prohibitionem, sed cum subordinatione ad licentiam Abbatissæ. Et in Concilio Cabilonen. II. can. 65. similiter dicitur, *Sanctimoniales, nisi fortè Abbatissa sua pro aliqua necessitate incumbente illas mittente, nequaquam de monasterio egrediantur.* De ipsa verò Abbatissa dicitur in cap. 57. vt non exeat sine licentia Episcopi, nisi in quibusdam casibus. Constat itaque antiquis canonibus non fuisse hanc clausuram rigorosè præceptam.

Primus omnium Bonifacius edita specimen fecit.

Primum igitur Bonifacius Papa illam absolutè præcepit, nulla relicta egrediendi facultate, quacunque ratione, vel causa, vna tantùm addita exceptione infrà explicanda: quæ exceptio magis confirmat prohibitionem ipsam quoad omnes alios casus, quia, vt est vulgatum axioma, *exceptio firmat regulam in contrarium.* Vnde existimo ex vi illius legis nullum exitum licuisse nisi per modum rigorosæ dispensationis, & satis dubium esse an posset aliquis præter summum Pontificem illam cõcedere, quia in lege Superioris adeò absoluta non potest inferior dispensare.

XII. *Ratio huius prohibitionis, & veteres canones non seruati, & quare.*

Illud tamen decretum vsu receptum nõ fuit, vel per contrariam consuetudinem fuit antiquatum, vt indicat Concilium Trid. sess. 25. cap. 5. de Regularibus, dicens, *Bonifacii VIII. constitutionem renouans Sancta Synodus*; & infrà, *Præcipiens vbi clausura violata fuerit diligenter restitui*, & authores passim testantur, & experientia nobis in Hispania constat, & de Gallia refert Ioannes Andreas super illud cap. Et ob hanc fortasse causam dixit Caietan. in summ. verb. *Monachi.* excusari moniales circa clausuram indictam à iure, si nunquam fuit acceptata, & Episcopi sic semper gubernarunt dando eis licentiam exeundi, quoniam iura non recepta tanto tempore infirma sunt. Idemque est si fortè alicubi in principio acceptata fuit, & postea per contrariam consuetudinem reuocata. Quæ consuetudo non ad hoc tantum prævalere potuit, vt licentia Episcopi sufficeret, sed etiam licentia Abbatissæ: quia vtrumque est tantum contra ius humanum, quod potest per legitimam consuetudinem contrariam tolli. Potuit autem ius illud sic abrogari in vna prouincia, & non in alia, & intra eandem prouinciam in vna religione, & non in alia; imò & in vno monasterio eiusdem religionis, & non in alio, quia sunt communitates diuersæ, & vna potest nõ recipere legem, vel præscribere contra illam, licèt alia eam recipiat, & obseruet. Nihilominus tamen quatenus rigor illius legis per posteriores tẽperatus est, poterunt omnia monasteria ea moderatione vti, etiamsi antea legem illam integrè seruarent.

XIII. *Declaratio prædictarum constitutionum, hunc modum obseruat, quòd prius præcipiat vniuersis Episcopis sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, vt in omnibus monasteriis sibi subiectis, ordinaria, in aliis verò Sedis Apostolicæ authoritate, clausuram sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restituant; & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent.*

Concilium ergo Trident. sess. 25. cap. 5. de Regularibus innouando dictam constitutionem, hunc modum obseruat, quòd prius præcipiat vniuersis Episcopis sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, vt in omnibus monasteriis sibi subiectis, ordinaria, in aliis verò Sedis Apostolicæ authoritate, clausuram sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restituant; & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent. Posteà verò explicando hanc clausuram, & obligationem ipsarum monialium, ait, *Nemini autem sanctimonialium liceat post professionem exire è monasterio etiam per breue tempus, quocunque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda, indultu, & priuilegio quibuscunque non obstantibus.* Quod decretum si attentè expendatur, in aliquibus æquale est decreto Bonifacij, vt mox ostendemus, & in aliquo strictius, vt num. 22. constabit: ac in aliquo suauius, prout in cap. sequenti videbimus. Est ergo æquale primo in materia, prohibet enim omnem exitum monialium à monasterio; & ita præcipit & innouat perpetuam clausuram. Quod autem in hac parte addit Concilium, *etiam ad breue tempus*, non fuit restrictio, sed maior explicatio, nam in absoluta negatione hoc continebatur: & quod ait, *quocunque prætextu*, perinde est atque illud quod dicitur à Bonifacio, *quacunque ratione.* Secundò est æquale in vniuersalitate personarum quas obligat; comprehendit enim omnes & singulas totius orbis, & cuiuscunque ordinis moniales: ita enim expressè loquitur Bonifacius VIII. & idem est sensus Concilij, tum quia innouat decretum Bonifacij; tum etiam quia vniuersaliter loquitur, *Nemini sanctimonialium*, &c. tum quia præcipit vniuersis Episcopis, & de monasteriis sibi subiectis, & non subiectis: ergo comprehendit omnes. Vnde vtrumque decretum comprehendit omnes religiosas tacitè vel expressè professas; sic enim expressè distinxit Bonifacius. Concilium autem licèt distinctionem omiserit, innouauit, & satis esse censuit dicere, *Nemini liceat post professionem*, nam vtraque tam tacita, quàm expressa, est professio simpliciter.

XIV. *Etiam eæ quæ antea non tenerentur ad clausuram.*

Et quia in vtroque decreto nihil aliud postulatur, ideo vtrumque comprehendit omnes professas, siue antea vouissent, vel seruassent clausuram, siue non: non enim possumus nos limitationẽ addere, quam lex non posuit. Præsertim quia Bonifacius expressè tulit legem ad comprimẽdas moniales, quæ clausuram non seruabant, & expressè dixit, *moniales præsentes, atque futuras, & cuiuscunque religionis, vel ordinis*: ergo euidenter voluit omnes obligare, etiam quæ non profitebantur clausuram. Denique non præcipit vt suam pristinam obligationem seruare compellantur, sed ex vi suæ legis obligationem ipse imponit, dicens, *Præsenti constitutione perpetuo irrefragabiliter valitura sancimus.* Ex quibus verbis constat & legem esse nouam, & de se non supponere obligationem, sed imponere. Concilium autem Trident. innouando Bonifacij constitutionem, & nullam quoad hoc addendo limitationem, euidenter loquutum est in eodem sensu imponendo eandem obligationem legis Ecclesiasticæ eisdem professis omnibus in eadem vniuersalitate sumptis. Et ideo præcipit Episcopis vt vbi clausura seruata fuerit, illam retineri faciant: vbi autem violata fuerit, restituant: violatam enim censet vbicunque non seruabatur, propter legem Bonifacij VIII. nam non dicitur violatio, nisi sit contra aliquam obligationem, vel legem. Et ideo monasteria, quæ non profitebantur clausuram, non possent propriè dici violasse illam, si ad illam non tenerentur. Quia verò ex lege Bonifacij obligabantur, ideo eorum etiam non obseruatio, violatio censetur, nam per violationem saltem incepit. Concilium ergo vtens illa disiunctione, satis distinctè voluit constitutionem Bonifacij in sua vniuersalitate restituere. Quod etiam in vltimis verbis, per quæ reuocat indulta, hoc satis declarauit, vt statim exponam. Et clarissimè in cap. 22. eiusdem sessionis explicuit omnia & singula decreta

de monialibus edita, intelligi de monasteriis quarumcunque monialium, virginum, ac viduarum, quocunque nomine appellentur, etiamsi viuant sub gubernio militiarum, etiam Hierosolymitanę, sub quacunque regula, &c. quæ ibi videri possunt, & ampliſsima sunt, & æquè ampliant hoc decretũ de clausura, ac si in illo specificè addita essent, licèt in finem sint reseruata, ne sæpiùs illa repetere esset necesse. Non est ergo dubium quin hæc fuerit mens Concilij; & ita etiam supponunt euidenter Pius V. & Gregorius XIII. in decretis infrà citandis, ac prorsus in praxi seruari vidimus, & statui Salmanticæ in Concilio Compostellano anno 1566. Tradit denique Nauar. in Comment. 4. de Regularib. n. 4. & latè & doctè Emmanuel Rodriguez tom. 1. Quæstionum regular. quæst. 44. art. 2. Habet autem specialem difficultatem, an conuersæ sub hac generalitate comprehendantur, de quo dicemus meliùs post sequens punctum in n. 17.

Denique ostenditur ex praxi, & authoribus.

XV. Vltimò commune est vtrique decreto, vt non comprehendant nisi moniales professas. ita docent omnes, & explicuit Congregatio Cardinalium circa Concilium Trident. agês de monialibus Tertiariis, seu de Pœnitentia, quas si professionem emiserint, dicit cogendas esse ad clausuram, si verò professionem non emiserunt, seruandam esse constitutionem Pij V. *Circa Pastoralis officii.* quæ est 8. in Bullario Romano, vbi dicit, huiusmodi fœminas monendas esse à Prælatis, vt professionem emittant, & postea clausuram seruent: quòd si inducì non potuerint ad professionem emittendam, prohibeantur ne in posterum alias in suam congregationem recipiant. In qua constitutione manifestè etiam supponitur, eas omnes, quæ in religione approbata tria vota substantialia non emiserunt, hac lege non comprehendi. Ratio autem in primis est, quia dicta iura expressè limitant suum præceptum ad professas tacitè, vel expressè; & huius limitationis ratio fuit, quia illæ sunt tantùm propriæ religiosæ, & Ecclesia solùm pro religiosis fœminis hanc curam clausuræ adhibuit. Quapropter quantumuis virgines sint per votum virginitatis consecratæ Deo, & collegialiter viuant, & sub obedientia vel spontanea, vel etiam priuato voto aut pacto promissa, si non habent statum ab Ecclesia pro religioso approbatũ, & in eo tria vota substantialia emiserunt, non obligantur hoc præcepto clausuræ, licèt circa eas obseruanda sit constitutio Pij V. & ita in specie de quadam congregatione fœminarum resoluit Nauarr. cons. 6. de statu monach.

XVI. Ex quibus infertur primò, nouitias non obligari hac lege, quia religiosæ non sunt. Solùm potest dubitari, an si nouitia semel exeat à monasterio, eo ipso desinat esse monialis eo modo quo antea erat, id est, desinat esse nouitia, & consequenter interrũpat nouitiatum. In quo breuiter certum mihi est, si exeat sine licentia Abbatissæ, interrumpi annum, & consequenter amittere priorem qualemcunque statum, etiamsi habitum non exuat, vt à fortiori patet ex dictis tomo superiori de anno probationis in genere. Si autem exeat cum licentia Abbatissæ, vel superiorum monasterij, ad quos hoc pertinet, & ex iusta causa data, certum est & licere, & nõ interrumpere nouitiatũ. Ita enim intelligo quoddam responsum Congregationis Cardinalium si nouitia morbi curandi causa de licentia Superiorum, & cum eo habitu, qui ipsis videbitur, ante professionem exeat, & postea sanitate recuperata redire voluerit, posse & ad habitum, & ad professionem recipi. Intelligo enim sensum esse, posse recipi eodem tempore & modo, ac si intra monasterium suam probationem continuè peregisset: quia non intelligitur eam interrupisse, sub eadem semper obedientia viuens, & habitum non temere dimittens. Alioquin si nouus annus esset necessarius, nihil deseruiret declaratio: nam licèt dimisisset omnino religionem & habitum, volens reuerti, posset recipi ad habitum, & perseuerando in nouitiatu, etiam ad professionem. At verò si egressus nouitiæ sit de licentia Abbatissæ, malè tamen concessa, res videtur dubia, quia perinde videtur exire cũ tali licentia, ac sine vlla; quia illa licentia nulla est, cùm Abbatissa nõ possit illam dare: & idem dicam de Prælato, si absque causa legitima illam det. Nihilominus censeo per talem exitum non interrumpi seu amitti nouitiatum: quia nulla est lex quæ irritet illum. Imò neque inuenio legem iuris communis, quæ prohibeat directè huiusmodi exitum, aut Abbatissis ne possint hanc licentiam dare, sed ex regulis & prohibitionibus Superiorum hoc pẽdet; & ideo nisi expressè declaratum sit in aliquo monasterio, illam continuationem clausuræ esse de substantia nouitiatus, nulla ratione dici potest per illum exitum interrumpi. Estque clara differentia inter illum exitum, ab eo qui est sine licentia: nam quando est sine licentia, est quædam retrocessio ab obedientia, & consequenter ab vnione cum tali monasterio: quando autem fit cum licentia, semper retinetur vnio & permanentia in eadem religione quantum ad illum gradum: ad quod facere possunt quæ tractat Nauarr. consil. 32. de Regularibus.

An nouitia interrumpẽs clausuram, interrumpat etiam nouitiatum.

Secundò ex dictis resoluitur dubium suprà in fine num. 14. relictum de monialibus conuersis vtrũ ad clausuram teneantur: nam si professionem triũ votorum non emittunt, non tenentur ad clausurã, quia non comprehenduntur sub illa lege, & alio titulo non tenentur: suppono enim illam non voluere nec promittere. Si autem emittunt tria vota, ad illam obligantur ex vi huius decreti, vt satis patet ex dictis: & quia in substantia religionis nõ possunt differre hæ conuersæ ab aliis, sed solùm in ministerio; quia conuersæ dicuntur quæ deputantur ad seruitia, seu ministeria corporalia, aliæ verò ad chorum; vnde etiam differunt in habitu saltem quoad hoc, quòd conuersæ non deferunt nigrum velum, sicut aliæ: vnde etiam inferiores sunt in quodam gradu honoris, seu dignitatis, per quæ omnia non minuitur earum religio, sed augeri potest: & ideo nec clausuræ obligatio minor in eis esse debet. Dixi autem, *ex vi illorum decretorum*: quia Pius V. in sua constitutione 8. *Circa pastoralis.* quandam in hoc limitationem seu exceptionem permisit, scilicet, vt in monasteriis, quæ ad suam sustentationem indigent eleemosynis fidelium, quæ per conuersas colligendæ sunt, si illæ fuerint professæ, possint extra monasterium degere cum his conditionibus. Prima, vt sint ætatis annorum 40. Secunda, vt in domo contigua monasterio degant. Tertia, vt non ingrediantur clausuram monialium nisi in casibus in suis constitutionibus expressis. Quarta, vt de suis domibus non exeant ad colligendas eleemosynas, nisi de licentia Ordinarij & Superiorum. Gregorius autem XIII. in sua constit. 13. *Deo sacrũ*, cupiens hanc exceptionem auferri, iniungit Ordinariis, vt quacumque ratione cognouerint posse conuenienter conuentum moniales sustentari sine hac eleemosynarum collectione, easdem conuersas sub eadem clausura cum aliis monialibus reducant, neque amplius à suis monasteriis exire permittant.

XVII.

Dubium bipartitum circa conuersarum professionem & clausuram.

XVIII. Duo autem ex illis constitutionibus circa has conuersas oriuntur dubia. Primum est, an possint iam veram professionem emittere, & ad clausuram obligari.

Primum dubium.

obligari. Nam Pius post superiora verba subiungit: *Et de cætero nullæ aliæ professæ conuersæ recipi amplius etiam de consensu suorum Superiorum, vel Prælatorum possint: quod si aduersus hanc nostram prohibitionem recepta fuerint, illarum receptio nulla, irrita, & inanis sit, prout ex nunc nullam ac irritam facimus, & annullamus.* Respondeti potest Pontificem prohibere vt non recipiantur conuersæ professæ, quæ extra monasterium maneant, sed vt finitis illis quæ tunc erant, collectio fieret per conuersas non professas. Sed obstat, quia Gregorius XIII. contrario potiùs modo declarat illam prohibitionem, dicens; *Quod autem idem Pius statuit de cætero nullas alias conuersas professas recipi amplius posse: ita esse intelligendum declaramus, præter illas conuersas quæ extra monasterium in domibus contiguis degerent.* In quo potiùs significat illas recipi posse, non verò alias quæ intra monasterium degant: quod videtur incredibile, vt statim dicam. Secundum dubium est, an possint nunc in monasteriis esse conuersæ non professæ. Nam Gregorius expresè dicit, *Conuersas vero non professas, & profiteri nolentes, dimisso habitu domum remittant, neque alias in futurum nisi professionem suo tempore emissuras, atque sub perpetua clausura mansuras, in monasteria huiusmodi recipi permittatur.* In contrarium verò est, quia hæc prohibitio videtur priori prohibitioni repugnare, vel ex vtraque sequi nullas conuersas esse posse in monasteriis monialium, quod admitti non potest.

Secunda pars.

XVII.

XIX. Obiectio Nauarri ad dubium, nisi professæ sint in monasteriis clausuræ partes.

Circa hoc dubium Nauarr. Comment. 4. de Regularib. n. 56. existimat prohibitum esse monialibus recipere conuersas, quæ professionem emittãt, & intra monasteria maneant; & quod amplius est, dicit, consuluisse de hac re Gregorium XIII. & ipsum ita interpretatum esse mentem Pij V. & suam. Veruntamen de interpretatione viua voce data ab ipso Gregorio XIII. mihi non ita constat, vt teneat illi nunc adhærere. Nam licèt certò credam Nauarrum veritatem referre; nescio tamen an satis verba Gregorij perceperit, aut intellexerit. Mihi tamen persuadere non possum dictos Pontifices id prohibuisse. Primò propter rationes optimas, quas idem Nauarrus adducit, vt verisimilis non sit talis prohibitio: quia nullo titulo necessaria, aut vtilis vel conueniens apparet, neque per se ad statum religiosum, vel perfectionem eius: cur enim hoc magis pertinet ad perfectionem monialium, quàm monachorum, qui vbique habent conuersos professos, seu veros religiosos, etiamsi maximam perfectionem & rigorem vitæ profiteantur. Neque ad finem clausuræ, quam in illis indultis præcipuè intendunt dicti Pontifices, & vbi solùm ea occasione aliquid de his conuersis statuunt: si autem illæ ad perpetuam clausuram obligantur, quid potest nocere clausuræ earum professio? Aliunde verò earum auxilium est moraliter necessariũ cæteris monialibus, quæ propriè monachæ vocantur, & diuinis officiis magis vacare debent, & multo maius inconueniens esset recipere intra clausuram conuersas, quæ nunquam profiteantur. Accedit præterea, quod per talem prohibitionem impediretur status perfectionis multis pauperioribus fœminis, quæ ad gradum monacharum recipi non possunt. Esset denique talis prohibitio contra receptam & ferè vniuersalem consuetudinem, quam verisimile non est voluisse dictos Pontifices abrogare sine vrgentissima causa, quæ hic non apparet: nam ita postulat æquitas legis humanæ Ecclesiasticæ, præsertim cùm illa consuetudo honesta & sancta videatur.

Obiectio Nauarri ad dubium, nisi professæ sint in monasteriis clausuræ partes.

XX. Secundò moueor propter expressa verba Gregorij XIII. præcipientis conuersas non professas in monasteriis tunc repertas, aut profiteri, aut abire, neque alias (inquit) in futurum nisi professionem suo tempore emissuras, atque in perpetua clausura mansuras in monasterio huiusmodi recipi permittantur. Ex quibus verbis euidenter constat ipsum non simpliciter prohibuisse receptionem conuersarum, tantumque abesse vt professionem vetuerit, quòd potius hanc posuit tanquam cõditionem necessariam vt conuersæ admittantur, cũ qua expresse voluit vt permittantur. Quorum verborum vis non latuit Nauarrum, nihil tamen ad illa respõdet, nec declarat quomodo potuerit Gregor. XIII. sine expressa contradictione mentem suam aliter viua voce declarare.

XXI. *Satisfit motiuo Nauarri in nu. 19.*

Tertiò declaratur exponendo mentem vtriusque Pontificis. Nam Pius V. proximè loquutus fuerat de conuersis destinatis ad eleemosynas colligendas, easque permiserat extra monasterium in propinquis domibus habitare; & statim subdit, *Et de cætero nullæ aliæ professæ conuersæ recipi amplius etiam de consensu suorum Superiorum, vel Prælatorum possint*; irritatque receptionem & professionem. Et prosequitur deinde, *Quod si prædicto modo necessitatibus monialium*, &c. ergo manifestè loquitur de conuersis degentibus extra monasterium, & illas tantùm refert cùm ait, *nullæ aliæ*: nam contextus ipse & connexio antecedentium cum consequentibus planè id ostẽdit. Gregorius autem XIII. volens dispositionem Pij vel declarare, vel limitare, de conuersis intra, & extra monasterium degentibus distinctè loquitur. Et primùm vult omnes conuersas professas reduci ad clausuram monasterij quoad fieri possit: Secundò vult, vt intra monasteria nullæ sint conuersæ non professæ. Tertiò voluit vt conuersæ professæ intra monasterium & tunc esse, & in futurum recipi, & denuò profiteri possint. Quartò permisit, vt præter conuersas intra manentes, si necessitas eleemosynarum duret, possint ad hoc ministerium extra monasterium in domibus propinquis huiusmodi conuersæ professæ habitare, & in futurum etiam ad hoc recipi. Quintò prohibuit, ne plures huiusmodi recipi possent; quam ad hoc ministerium eleemosynarum essent necessariæ, & ita dicit esse intelligendum, quod Pius V. dixit, *nullas alias in posterum recipi posse*, scilicet nullas alias præter eas, quæ propter ministerium eleemosynarum necessariæ sunt, & in propinquis domibus habitent. Difficile autem creditu est hanc fuisse mentem Pij V. nam proximè post illam prohibitionem subdit, *Quod si prædicto modo necessitatibus monialium succurri sufficienter non poterit, mandamus Superioribus, vt ipsi prouideant de aliis personis pijs, & Deo deuotis, quæ fidelium eleemosynas colligãt.* Quod remedium necessarium non esset, nisi mens eius fuisset vt collectio ampliùs non fieret per conuersas denuo ad professionem receptas. Nec Gregorius dixit aliam fuisse mentem Pij V. sed voluit illam ex parte mutare, concedens vt vbi necessaria fuerit hæc collectio, possint aliquæ conuersæ ad professionem recipi propter illud ministerium: quia seruatis circumstantiis à Pio V. positis, videtur moraliter fieri posse, sine inconuenienti, & speràri, quòd per eas ministerium fidelius, & diligentius fiat. Denique neuter ex dictis Pontificibus disponit an possint monasteria monialium habere aliquas cõuersas seu oblatas non professas, quæ extra septa monasterij in domibus propinquis degant. Tamen eo ipso quòd hoc non prohibent, relinquitur hoc iuri communi, vel naturali, aut speciali vniuscuiusque religionis: constat autem ex natura rei hoc nõ esse malum, sed posse esse religiosum & sanctum, sicut est in religionibus virorum: neque etiam inuenio decretum aliquod iuris communis, quod hoc prohibeat. Relinquendum ergo est iuri religionis, vel receptæ consuetudini, dummodo his conuersis ingressus ad monasterium nõ pateat, nisi

nisi iuxta dicenda in c.10. circa alteram partem huius clausuræ, ad quam hæc obligatio pertinet. Et hæc de conuersis.

XXII. *In quo decretum Concilii sit strictius quam Bonifacii.*

Præter dicta autem de clausura Concilium Trident. addit, reuocationem priuilegiorum, dicens, *Indul. in quibuscunque, & priuilegiis non obstantibus.* Et in cap.22. fit amplior, magisque specifica reuocatio, *Non obstantibus eorum* (id est, regularium) *omnium, & singulorum priuilegiis sub quibuscunque formulis verborum conceptis, ac Mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, necnon constitutionibus, & regulis etiam iuratis, atque etiam confuetudinibus, vel præscriptionibus, etiam immemoriabilibus.* Quæ tota reuocatio ad prædictã legem applicanda est: nam idem Concilium ait, cadere in omnia præcedentia, & singulas eius partes: ergo maximè in hanc, quæ est vna ex principaliorib us partibus. Et quoad hanc partem est rigorosior hæc lex Concilij, quàm fuerat Bonifacij. Nam ille nullam expressam reuocationem priuilegiorum, vel consuetudinum addidit, & ideo licèt ex vniuersalitate & exaggeratione verborum, & ex circunstantiis literæ posset fortasse colligi; non tamen ita clarè & apertè, præsertim ad reuocãdas immemoriales consuetudines, vel specialia priuilegia, præsertim in ipsamet fundatione monasteriorum obtenta: quia iuxta communę ius lex non solet huiusmodi derogare, nisi satis expresè id declaretur, iuxta c.1. de constit. in 6. Nunc verò per hoc decretum vt latum est à Concilio Trident. certum est nullum genus priuilegij, vel consuetudinis posse impedire hanc obligationem.

XXIII. Ex his ergo satis declarata sunt tria puncta suprà num.10. proposita, scilicet hanc obligationem omnibus, & solis monialibus professis esse impositam, & oriri, non quidem ex voto generatim loquendo, sed ex præcepto Ecclesiastico iam à nobis declarato. Dico, *generatim loquendo*, quia aliquæ moniales, vt S. Claræ, & fortasse aliæ, emittunt hoc votum in quibus additur (vt sic dicam) obligatio intensiua, non extensiua, quia hæc reuera non potest esse maior. Nam quoad personas hoc præceptum extenditur ad omnes religiosas, vt dictum est; quoad locum seu actum prohibet omnem exitum extra clausturũ, etiam ad Ecclesiam, quam seculares intrant, & extra ianuam clausuræ, etiamsi sit intra aliam quæ patere solet secularibus, vt Gregorius XIII. in suo Motu distinctiùs præcepit, & Nauarr. dict. Comment. 4. n. 57. declarauit. Quoad tempus verò seu occasiones exeundi comprehendit omnes, tantùm necessariis exceptionib us adhibitis, vt mox declarabimus. Non potest ergo esse maior extensio huius obligationis. Nõ cogit autem præceptum hoc moniales vt votum clausuræ emittant, quia neque in aliqua constitutione hoc declaratur; neque sub hac ratione receptum est illud præceptum, sicut cõtingit in contentia clericorum; & ideo non est quòd hanc obligationem imponamus. Et ita etiam patet quàm rigorosa sit hæc obligatio.

CAPVT IX.

Quis possit in prædicta clausura monialium dispensare.

I. VT vltimum punctum ex propositis in cap. præcedenti num.10. expediamus, oportet explicare moderationem, quam Concilium Tridentinum addidit huic præcepto, *nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbata*, per quam temperatur, vt eodem cap. num.13. dicebamus, rigor præcepti Bonifacij. Quia (vt ibi notaui) absolutam reliquit prohibitionem, & vnicam exceptionem addidit, per quam magis videbatur coarctari generalis prohibitio. Quod fecit consultissimè Concilium, vt facilius possent moniales induci ad seruandum præceptũ, quod tanto tempore recusauerant. Circa illam verò moderationem nonnulla explicanda sunt: Primum, quæ sit illa legitima causa: secundum quis possit licentiam dare.

Dubium primum de legitima causa egrediendi clausuram.

Circa primum dicendum est, ex vi Concilij relictum hoc esse prudenti arbitrio Episcopi. Probatur, quia talis causa nullo iure definita est, nec Cõcilium illam determinat: ergo reliquit arbitrio Episcopi, cui approbationem committit. Dices, Iam fuerat hæc causa à Bonifacio definita, scilicet laborare tali morbo, vt nõ possit cum aliis absque gratui periculo seu scandalo communicare: causa autẽ legitima idem est, ac causa per legem statuta: ergo de hac loquitur Concilium, & hanc vult esse recognitam & approbatam ab Episcopo. Sed nõ est hæc mens Concilij, neque ita communiter intellectum aut receptum est, & constat etiam ex constitutionibus Pij, & Gregorij, vt statim videbimus, & ex multis declarationibus Cardinalium, & ex vi & proprietate verborum. Nam legitima causa indefinitè significat causam rationabilem, quæ legi rectæ rationis conformis est: non ergo rectè limitaretur ad particularem causam illo antiquo iure indicatam. II. *Causa legitima quæ.* *Bitro mi-nus iniqua Trid.*

Aduertendum est autem Pium V. in constitutione 100. *Decori.* causam hanc intra certos limites prescripsisse, cum maiori quidem amplitudine quam Bonifacium, cum magna tamen (vt apparet) restrictione Concilij. Sic enim ait, *Decetero etiam infirmitatis seu aliorum monasteriorum occasione & prætextu, nisi ex causa magni incendii aut infirmitatis lepræ, aut epidemiæ, à monasterio prafato exire, sed neque in prædicto castro extra illa nisi ad necessarium tempus stare licebit.* Vbi apertè causam legitimam restringit ad illos tres casus. Ex quibus duo postremi continentur sub causa à Bonifacio explicata; imò plures videtur Bonifacius comprehendisse, nam plures videntur esse morbi contagiosi, qui communitati graue periculum vel scandalum afferre possunt, quos omnes Bonifacius sub generali voce complexus est. Nauarrus autem in dict. Commentario 4. de Regularib. n.48. ait, hoc casus Pij V. extendẽdos esse ad similes; quod variis coniecturis confirmat. iuxta quam interpretationem manifestum est totum quod Bonifacius in sua exceptione comprehendit, contineri in duabus infirmitatibus à Pio V. in specie positis. Præsertim quia verisimilius est nomen *epidemiæ* non rigorosè sumi ibi pro illa quæ pestis dicitur, id est, pro morbo, qui ita grassatur, & per cõtagium communicatur, vt maiorem hominum partem, quos ferit, interimat: sed vt latiùs dicitur de quolibet morbo communi ità contagioso, vt ab vno facilè ad alios diffundatur, si cum illo communicent. Cùm enim illa lex quoad hanc partem restrictiua & odiosa sit, verba eius in mitiori significatione propria interpretanda sunt: certum est autem iuxta vsum peritorum artis medicæ, vocem *epidemiæ* absolutè dictã hanc habere significationem. Iuxta illam ergo intelligenda est hæc lex, & ita non per similitudinem, sed etiam per proprietatem comprehenduntur omnes morbi verè cõtagiosi, qui communitati graue periculum, vel scandalum afferre possunt. Et nihilominus verum existimo Nauarri dictum, in illis scilicet casibus comprehendi quoscunque alios ita similes, vt in eis eadem ratio, quæ in prædictis, militat. Ponit ipse exemplum in periculo belli imminentis: nam tunc liceret monialibus fugam capere propter similitudinem rationis cum primo casu incendij: quod etiam admittit Gutierrez lib.1. Practicarum III. *Pius V. non omnia limitat.* *Author & Nauarrus contra eum.* *Nauarrus interpretatur Bonifacium.* *Epidemia quid.* *Nauarrus contra eum.*

cārum quæst.cap.14.n.9.vbi alios refert. Idem erit si monasterio iuxta flumen existente, inundatio vel ruina totius monasterij nimium crescente fluuio repentè rimeatur: & sic de similibus, qui materialiter, non formali ratione sunt ab incendio diuersi.

IV. Difficultas ergo est, an aliquo casu liceat huiusmodi licētiam dare monialli propter aliam causam præter has tres numeratas à Pio V. vt à nobis sunt cum Nauarro proximè expositæ. Ratio dubitādi est, quia Pontifex ponit regulam vniuersalem prohibentem, & addit illas exceptiones: ergo firmat regulam in contrarium: nullam ergo aliam exceptionem permittit. Confirmatur primò, quia statim grauem adiungit pœnam aduersus aliter concedētes huiusmodi facultates, volens illam esse quasi formam substantialem illius facultatis concedendæ; ergo facultas aliter concessa nulla est. Confirmatur secundò, quia ex illis tribus causis numeratis à Pio V. euidenter constat illum solùm considerasse commune detrimentum conuentus, vt hæc licentia legitima esse posset. Vel ergo alia causa talis est, vt simile detrimentum communitati afferat, & ita non est alia causa, nec similis propriè, sed eadē, vt explicatum est: si verò non vergit in damnum communitatis, planè non est reputata à Pontifice sufficiens: quomodo ergo poterit ab aliquo inferiori sufficiens reputari. Atque ita definit hoc dubium Gutierrez lib. 1. suarum Pract. quæst. c. 14. & Cenedus in Collectancis ad 6. collect. 31. nu. 2. Eman. Rodrig. tom. 1. quæst. regul. quæst. 49. artic. 3.

V. Contrariam sententiam tenet Nauar. Comment. 4. de Regularib. n. 49. vbi duos casus ponit, in quibus videtur hoc licere præter numeratos à Pio V. Primus est quando monialis vnius monasterij eligitur in Abbatissam alterius, nam Episcopus potest hanc causam exeundi à suo monasterio vt sufficientem approbare; & in hoc etiam consentit Gutierrez, imò illud extendit ad quamcunque rationabilem causam, propter quam authoritate & præcepto Prælatorum monialis mutatur ab vno monasterio, vt in alio habitet. Quia hoc non ideo licet solùm, quia causa est iusta, licet distincta: sed quia ille exitus non est de quo loquitur Pius V. quia non est (inquit Gutierrez) ad manēdum extra monasterium, sed ad transeundum ad aliud: Pius autē loquitur de exitu ad manendum aliquo tempore in seculo. Quę ratio non videtur omnino satisfacere: quia etiam prohibetur à Pio V. exitus ad ambulandum extra monasterium per aliquod breue tēpus, sine vlla mora aut detentione in aliquo loco: imò, etiamsi fingatur causa rationabilis exeundi per vnam ianuam monasterij ad ingrediēdum statim per aliam, incedēdo recta via, & sine vlla mora, id non esset licitum: ergo quòd alter egressus sit solum ad iter agendum vsque ad aliud monasterium, non sufficit quominus sit materia huius prohibitionis. Nihilominus casum illum censeo esse verisimum: nam consuetudo, quæ est optima legū interpres, ita illum approbauit, & interpretata est. Necessarium autem est ad rationem reddēdam dicere, vel ex benigna seu præsumpta interpretatione illum non reputari exitum à monasterio, quia eo ipso quòd exit ab vno, censetur moraliter transire ad aliud eo modo quo potest, viamque intermediam moraliter non reputari: vel (quod mihi magis placet) hic habet locum regula iuris, quòd species derogat generi, etiamsi species antecedat. Hic autē casus specificus est in iure expresse permissus, & nouissimè in Concilio Trident sess. 25. cap. 7. de Regularib. vbi statuit vt in casu necessitatis possit eligi Abbatissa ex alio monasterio. Qui autem vnū concedit, etiam approbat necessarium medium ad illud. Pius autem V. sine dubio noluit reuocare hāc legem: eius ergo vniuersalis prohibitio per illam specialem legem limitatur. Confirmari potest à simili ex dict. c. vnico, §. *verum*. de statu regularium in 6. Vbi in speciali casu conceditur vt Abbatissa cum honesta & decenti societate possit exire ad fidelitatis sacramentum præstandum alicui Principi, cui illud debet. Quæ lex specialiter non reuocatur, & ideo limitare censetur generalem prohibitionem: ergo similiter, &c.

VI. Aliqui tamen hoc extendunt ad quamcunque mutationem monialium ab vno monasterio in aliud propter varias causas, vt ad fundādum monasterium, vel ad aliud ministerium ibi peragēdum, licèt non sit Prælatio Quæ certè iuxta dicta videntur probabilia; tamen à Congregatione Cardinalium hoc responsum datum inuenio, *Monialem non potest transire de vno ad aliud monasterium, etiam de consensu Episcopi sine licentia Sedis Apostolicæ, etiamsi translatio fiat ad aliud eiusdem Ordinis.* Et infrà dicitur, Sedem Apostolicam aliquando hoc concedere ex causa de consensu Superiorum etiam ad monasterium alterius obedientiæ. Et nuper in hoc Lusitaniæ regno vidi ad transferēdam monialem ab vno monasterio ad aliud eiusdem Ordinis, & sub eodem Generali, & interueniente satis graui causa salutis, expectatam fuisse licentiam Sedis Apostolicæ. Ita ergo seruandum iudico quotiescunque causa mutationis talis non fuerit, quæ vel in iure sit specialiter expressa, vt dictum est de officio Abbatissæ. (Idemque censeo si oporteat totum monasterium alio transferri, iuxta decretum Concilij Trident. sess. 25. c. 5. de Regularib.) vel nisi per æquiparationem rationis possit causa ad numeratas à Pio V. reduci iuxta ea quæ statim dicemus: vt est v. g. quando oportet ob prauos mores monialem aliò transferre, nam illa causa non immeritò contagioso morbo comparatur, vel scandalo communi, pro quo vitando Bonifacius etiam egressum concesit.

VII. Alter verò casus, & difficilior est, si monialis graui laboret ægritudine, ita vt in morali periculo mortis constituatur nisi extra monasterium curetur: & tunc etiam existimat Nauarrus esse sufficiētem causam iustæ facultatis, etiamsi morbus ille cæteris monialibus contagiosus non sit. Fundatur primò, quia illa causa esset sufficiens iuxta Concilium Tridentinum; Pius autem V. non videtur voluisse derogare Concilio: nam potiùs dicit, se velle renouare, & stabilire illud. Idemque argumentum sumit ex decreto Bonifacij, quia in hac parte est strictius quàm Concilium, imò etiam quàm Constitutio Pij, quatenus non exprimit casum incēdij, & nihilominus non obstante illo decreto erat legitima illa causa iudicio omnium prudentum, & cōmuni vsu. Tertiò adducit Nauarr. leges iuris ciuilis, in quibus prohibitio aliqua fit cum certo numero exceptionum, & nihilominus iuxta communes interpretationes admittuntur aliæ, quando recta ratio docet esse admittendas. Quartò argumentatur ex coniecturata mente legislatoris, quia non est verisimile voluisse priuare hominem defensione propriæ vitæ, quæ tam naturalis est.

VIII. Ad hæc argumenta respondet latè Gutierrez suprà negando in specie esse licitam facultatem in eo casu. Et quamuis aliæ responsiones probabiles sint (quas breuitatis causa omitto) in ea mihi non satisfacit, in qua admittit non obstante decreto Bonifacij in sua vi permanente, posse licentiā dari in eo casu, & negat posse fieri iuxta constitutionē Pij V. cùm reuera magis restrictiua sit exceptio Bonifacij, quā Pij, vt ponderaui: vel saltē in hoc conueniāt, quod etiam Bonifacius in sua exceptione solùm respexit ad causam, quæ ad totam communitatem pertineat; quod est fundamentum potissimum suæ senten-

sententiæ. Vnde consequenter loquendo idem dicendum esset de decreto Bonifacij, nisi fuisset consuetudine derogatum, vel per Concilium Trident. amplificatum. Et hanc sententiam esse communem ait Emmanuel Rodriguez 1.tom. Quæst. regul. q. 49. art. 3. citans Collectores Mendicantium, & Corduban in Additionibus ad Compendium, & ipse indicat esse sequendam in iudicando, & consulendo, cùm tamen in art. 2. dixisset, in monasteriis existentibus in desertis locis, ad quæ non possunt medici frequenter accedere quantum necesse est, sufficientem causam huius licentiæ insurgere posse ex ægritudine priuatæ personæ non obstante Motu proprio Pij V. quem limitandum putat quoad illa monasteria. Sed certè si limitatio admittenda est, non est præcisè propter situm monasterij, nam certissimum est illud absolutè sub lege comprehendi; sed est propter necessitatem occasione illius situs subortam: si ergo illa sufficit quamuis sit vnius tantùm personæ, & ex ægritudine, sufficiet ex quacunque alia causa nascatur: quia hoc ad vim & rationẽ præcepti materiale est.

IX. *Nauarri placitum refutatur primo.* Ego igitur non possum discedere à pia sententia Nauarri propter nonnulla quæ vltra illum breuiter expendam. Primum: quòd leges humanæ non obligant ad sui obseruationem cum graui periculo mortis, nisi vbi honor fidei, vel religionis, vel magna necessitas boni communis intercedat: nihil autem horum in præsenti interuenit: ergo non tenetur monialis cum tanto periculo parere huic præceptoEcclesiastico. Minor supponitur ex facto, nam reuera moraliter ita potest facilè contingere. Ad maiorem autem responderi potest, esse veram nisi ex circumstantiis legis apertè constet intentionem præcipientis esse obligare cum illo periculo, vt hic constare videtur. Sed cõtra hoc est, quia illud principium sicut communiter receptum est, ita etiam communiter non solet fundari in solo defectu voluntatis, sed etiam in defectu potestatis, quia leges hominum debent esse tolerabiles & humanæ, & ita non possunt imponere tam graue onus exponendi se graui periculo mortis, nisi ex causa proportionata, quæ non est nisi necessitas communis boni temporalis, aut spiritualis. Quamuis autem hoc præceptum sit propter bonum commune & spirituale religionis, tamen hoc bonum non periclitatur, nec patitur graue nocumentum propter licentiam cõcessam in illa extrema necessitate. Et quamuis demus legem hanc non fuisse futuram ini ustam, in eo sensu tamen negari non potest quin esset grauissima, & durissima, quod præsumendum non est de pia mente Pontificis: & ita procedit optimè vltima ratio Nauarri.

X. Vnde argumentor secundò in hunc modũ, quia duobus vel tribus modis coniectare possumus illũ casum fuisse omissum à Pontifice. Primò, quia non venit in actualem considerationem ipsius; & hoc insinuat Nauar. & ita quasi per epiikeiam interpretatur non fuisse voluntatem eius illum excludere. Illud autem suppositum difficile creditu est, quia illa solet esse causa maximè vulgaris & frequens. Secundò ergo credi potest Pontificem de illo cogitasse, & intellexisse verum periculum mortis quod in illo casu esse potest, & noluisse nihilominus legẽ suam tunc relaxare; & hoc dicimus videri incredibile. Tertiò igitur potest intelligi Pontificem quidem cogitasse de causa priuatæ infirmitatis, supposuisse tamen, vel præsumpsisse, propter illam curandam non posse esse necessarium exitum à monasterio: & tunc si postea reuera constet de necessitate, ita vt illo medio speretur vita, & sine illo moraliter desperetur, lex illa non obstabit, quominus causa illa legitima censeatur. Probatur, quia lex fundata in præsumptione quantum ad id non obligat, quando veritas rei præsumptioni non correspondet, vt est recepta doctrina. Sed ita contingit in hoc casu iuxta hanc interpretationem: ergo.

Tertiò, vt simul satisfaciamus clariùs fundamẽtis alterius sententiæ per æquiparationem rationis, potest hic casus sub numeratis à Pio V. comprehendi. Nam etiam alij authores fatentur hanc æquiparationem sufficere, sed negant in hoc casu reperiri, quia putant Pium V. solùm respexisse ad causam quæ pertineat ad communitatem monialium, ita vt damnum non exeundi omnes concernat. Sed reuera non ita est, quia etiam habuit rationem dãni singularum monialiũ. Quod declaro in casu incendij: tunc enim incendium sufficit vt omnes moniales monasterio exeant, quando omnium vita periclitatur nisi exeant: si autem non immineret periculum omnium, sed aliquarum, quia videlicet vna pars monasterij incenditur, & in alia non est periculum: tunc illæ tantum exire possent, quæ aliter vitare mortem non possent, vt si fingamus habitare in parte quæ incenditur, & non posse transire ad aliam nisi per ignem. Idemque erit de vna tãtum, si casus ad hoc restringatur vt illa sola in incẽdio periclitetur. Quod ideo expendo, vt declarem hanc causam non respicere communitatem vt cõmunitas est, sed omnes personas eius vt singulas, & sufficere in vnaquaque si illam solam tangat: ergo quæcunque alia causa, quæ constituat singulas moniales in euidenti periculo mortis nisi exeant, est eadem cum hac per æquiparationem rationis, & consequenter comprehenditur sub illa exceptione, & procedunt exempla aliarum rerum, quæ Nauarrus adducit. Confirmatur, & declaratur, ponamus enim periculum ægritudinis, quod in vna supponimus grassari per omnes, vel quamplures moniales monasterij, non propter contagium ipsarum inter se, sed propter nouam loci insalubritatem, vel alia extrinsecam occasionem illius loci peculiarem; certè tunc causa illa æquipararetur incendio respectu totius monasterij, quia iam periculum tangit omnes: ergo pari modo respectu singularum talis causa æquiparatur incendio vniuscuiusque: ergo sicut periculum incendij vnius sufficit vt illa sola posit exire; ita etiam infirmitas ex loco prouenies, quæ illi soli vitam eripit. Hoc denique confirmat quædam responsio Cardinalium, quæ sic habet, *Curandæ valetudinis causa ad balnea monialem exire posse Sedes Apostolica concessit, dum tamen eat cum honesto comitatu personarum, quem Ordinarius dandum censuerit: atque tam eundo, quàm redeundo nullum ad locum extra viam rectam diuertat, neque diutius maneat apud ipsa balnea, quàm ad curandam infirmitatem necessi fuerit.* Non declaratur autem ibi an illa fuerit dispensatio cum aliqua moniali in particulari, vel generalis declaratio iuris. Tamen ex tenore verborum hoc posterius magis colligitur.

XI. *Sacrificia monialium ex sanctorum Patrum.*

XII. *Dices, rationes has nimium probare, scilicet posse in huiusmodi casu monialem sine facultate, imò &* *Obiectio.* *inuitis Prælatis exire, quia non obligatur legi cum tanto clausuræ, vt prima & secunda ratio probare conatur: & quia in casu incendij, cui hunc æquiparamus, non est necessaria facultas. Respondetur negando sequelam, simpliciter loquendo: quia lex quæ non obligat ob periculum mortis, solùm excusat quantum ad vitandum periculum necessarium est: hæc autem lex simpliciter prohibet exire sine legitima facultate, & in casu quem tractamus ad vitandum periculum non est necessarium exire sine legitima facultate, & approbatione Superiorum. Et in hoc etiam est dissimilis æquiparatio incendij: quia ibi periculum non dat locum petendi facultatem, nec causa indiget approbatione Superioris, quia per se est euidentissima. Cùm ergo extensio hæc fiat per æquiparationem rationis, in eo tantùm fieri debet,* *in quo*

in quo est paritas : in reliquo verò potius est æquiparatio facienda cum aliis casibus in eadem lege positis,in quibus approbatio Episcopi requiritur, etiamsi infirmitas contagiosa sit.Quod tamen semper intelligitur,nisi esset euidens periculum in mora,vt si acuta pestis repente inuaderet monasteriũ, & Episcopus multũ distaret; tunc enim æquipararetur hic casus incendio. Quia verò adeò est rarus, vt non sit moralis,non commemoratur in lege.Solùm posset vigeri casus, in quo monialis constituta in dicto periculo mortis, petita facultate, eam obtinere non possit:tunc enim non videtur obliganda ad seruandam legem cum tanto periculo vitæ. Tamen, quia res morales periculis expositæ sunt, non est huiusmodi casus admittendus, nec talis libertas concedenda,tum quia non potest hic tã euidenter constare de periculo,sicut in incendio:& ideo si Prælatus informatus non approbat necessitatem,præsumendum est non esse sufficientem : tum etiam,quia nunquam id fieri posset sine magno scãdalo & infamia religionis: atq; ita militat ibi ratio seruandi legem humanam,etiam cum vitæ periculo propter commune bonum suæ religionis.

Secundum dubium, à quo, & quomodo supposita causa, danda sit licentia.

XIII. *Dispensationem proprie sumptam solus Papa concedere potest in suis legibus.*

Ex his ergo declaratum relinquitur vltimum punctum in fine numeri 1.propositum;quis scilicet, & quomodo possit in hoc præcepto dispẽsare. Possumus autem hic distinguere facultatem à dispensatione modo in superioribus adnotato. Nam facultas est pars materiæ ipsius legis, quia prohibitio ipsa est ingrediẽdi absque tali facultate ex tali causa concessa: & ideo cùm talis facultas datur, reuera non dispensatur in lege,sed iuxta illam fit.dispensatio autem propria esset si daretur licentia egrediẽdi sine causa & facultate in lege requisitis. Dispensationem ergo in hoc rigore & proprietate sumptam solus Papa concedere potest : quia solus ipse potest in suis legibus dispensare iurè ordinario.Nec fingi potest casus, in quo ex accidenti sit necessaria dispensatio Episcopi, quia in eo sufficiet facultas, quam ipsa lex permittit;& ita cessabit ratio dispensationis in ipsa proprietate sumpta. Loquendo autem de facultate, Concilium Trident. dixit legitimam causam ab Episcopo esse approbandam : & Pius V.dixit hoc esse intelligendum etiam de monasteriis exemptis à iurisdictione Episcoporum, & vult approbationem dari *inscriptis, expresse, & causa cognita.*& postea subdit, *Aliter autem, quam, vt præfertur, egredientes,* &c. Ex quibus verbis colligitur,omnes illas conditiones necessarias esse ad vitandam culpam, & censuram. Extendit tamen nomen *Episcopi,*dicens, *Per Episcopum, seu alium loci ordinarium.* Quod intelligo de Ordinario habente iurisdictionem Episcopalem : hoc enim significare solet *Ordinarii* nomen , quando agitur de actu pertinente ad iurisdictionem fori contentiosi , & maximè in materia tam graui. Et hæc non est additio,sed interpretatio Concilij Tridentini : quia nomen *Episcopi* in his rebus extendi solet ad Ordinarium habentem iurisdictionem Episcopalem. Et fortasse ob hanc causam congregatio Cardinalium in nonnullis responsis de hac materia semper vtitur nomine Episcopi , quamuis sine dubio non recedat à mente Pij V. Quæri autem potest, an hæc approbatio & licentia Episcopi sufficiat. Ad quod respondendum est,in monasteriis subiectis Episcopo sufficere, quia ibi ipse est & Episcopus, & Prælatus religionis. In exemptis verò necessaria præterea est licentia proprij Prælati , Prouincialis scilicet, vel Generalis , iuxta vniuscuiusque institutum: hanc enim licat Concilium non requirat,non excludit, sed potiùs supponit vt iure communi necessariam ; semper enim loquitur secundùm ius, quando illud non immutat:& ita expressè declarauit Pius V. & dicta Congregatio Cardinalium in multis responsis. Et vterque tam Superior regularis , quàm Episcopus debet approbare legitimam causam,vt Pius V.dixit.Emmanuel autem Rodriguez dict.q.49. art.6. ait hoc non esse in vsu in Hispania,& ideo sine scrupulo sufficere in illa licentiã Prouincialis habẽtis iurisdictionem Episcopalem: quia ipse etiam est Episcopus, & ordinarius talis monasterij, & constitutio Pij vel est intelligenda quando Prælatus monasterij nõ habet iurisdictionem Episcopalem,vel per nõ vsum amisit vim obligandi. Sed quod ad ius attinet, prior expositio violenta est,nam Pius expressè requirit, præter alios Ordinum Superiores,approbationẽ Episcopi, vel Ordinarij,etiamsi monasteria exempta sint ; & declarationes Cardinalium expressè requirunt cõsensum Superioris regularis, & Episcopi diœcesani:& declarant Episcopos posse per censuras compellere quoscunque Superiores religionum ad hoc obseruandum,non obstantibus priuilegiis. Quod verò attinet ad non vsum,res est facti,quæ mihi nõ satis constat.Illud tamen scio legem Ecclesiasticam non pendere ex acceptatione,nec amittere vim suã nisi post longissimam præscriptionem præsertim quando dat iurisdictionem, contra quam præscribendum est.

Emmanuelis placitum expenditur.

Sed quid si dent licentiam sine causa legitima, eritne tuta in conscientia ipsa monialis ? Respondetur,minimè , per se loquendo ; nam ipsa bona fide procedendo,semper debet præsumere Prælatos legitimè agere,etiam in eo casu opinabili, vel dubio: quia hoc est ordinarium ius Superioris, & in præsenti maximè iuuat,si duo tam graues Prælati concordent.Si tamen ei constet in conscientia causam non subesse,& fauore, vel alio modo licentiam obtineat,nec culpam , nec censuram excusat : quia & illa facultas in reipsa nulla est,& eam non latet : & quia Pius V. dicit, *Aliter autem, quàm vt præfertur, egredientes* : prædictum autem fuerat, vt sine legitima causa & probata non exeant. Quæ porrò sit hæc causa legitima , satis iam explicatum est : vt autem ex omnibus dictis regulam summatim colligamus, non censeo hoc esse absolutè relinquendum prudenti arbitrio Episcopi , aut Prælatorum , vt ex vi Concilij relinquebatur : quia Pius V. illam legitimam causam vel limitauit, vel declarauit : iuxta quam limitationem , prout à nobis exposita est , videtur posse generaliter dici hanc causam consurgere vel ex necessitate præcisa ad propriam vitam tuendam,vel ex necessitate vitandi contagium seu damnum aliarum monialium. Quæ profectò est satis magna restrictio , ita verò scripta est.

XIV. *Ducium an monialis cũ facultate sine legitima causa data, egredi possit.*

Sed obiiciet aliquis ex Nauarro suprà , quia Pius V.non videtur derogasse Concilio Trident. quod etiam absolutè affirmat Emmanuel Rodriguez, dict. quæst.49.art.5.quia in sua constitutione idem Pontifex ait,velle se adhærere decreto Cõcilij Trident. Veruntamen negare non possumus Pontificem amplitudinem illam Concilij quodammodo coarctasse,siue per derogationem , siue per limitationem,iuxta doctrinam Bartoli distinguentis illa duo in l.*si constante*.ff. soluto matrim. n. 39. Nam illa limitatio potiùs est per quandam declarationem, quàm per derogationem. Quæ declaratio licèt limitans seu coarctans videatur ; quando pietatem respicit, fauorabilis potius quàm correctoria censetur,argumento cap.2.§.*statuimus*. de decimis in 6. Ob hanc ergo causam; non obstante illa limitatione,dicitur Pontifex adhærere Concilio,& nulla facta mentione derogationis illud limitauit : alioqui

XV. *Obiectio cõtra doctrinã proxime dubis diluitur.*

inutilis fuisset lex Pij V. quoad illos tres casus, quos enumerat, quod in omni legum interpretatione cauendum est.

XVI. *Quid si cõtra subsit causa, seu approbatio eius, vel licentia negetur.*

Quæri verò vlterius potest, quid dicendum sit si è contrario causa legitima in re subsit; Episcopus autem vel Prælatus nolit illam approbare. Respondeo, duo hic interuenire, quæ videntur distinguenda, approbatio causæ & licentia exeundi, nam reuera separabilia sunt, vt de approbatione quoque & facultate ad confessiones audiendas, in tomo de pœnitentia notauimus; quia quamuis nullus det licentiam, quin approbet, moraliter, ac prudenter loquendo, tamen è conuerso ad aliquem pertinere potest approbatio causę, quæ consistit in iudicio de sufficientia illius, absque potestate dandi licẽtiam. Atque hoc modo videtur pertinere approbatio ad Episcopum quoad monasteria exempta: & ita Cõcilium nihil aliud dixit nisi causam ab Episcopo approbãdam. Et Pius V. vt causa cognita, & in scriptis expressè approbata sit. Sine approbatione ergo causæ exiri non potest, iuxta prędictas leges, etiamsi iniustè negetur: quia hæc iura requirunt vt de facto approbatio præcedat extra casum incendij, vel similes: licentia verò proprij Superioris ex vi status religiosi necessaria est. Quo circa si monasterium est subiectum Episcopo, & ipse negat approbationem, & consequenter negat licentiam exeundi, nullo modo licet exire, quia vtrumque ius obstat, & per modum defensionis, aut iustæ excusationis id fieri non posset sine magno scandalo, & in casu potius facto, quàm morali, vt suprà in simili dicebam in numer. 12. Quando autem monasterium est exemptum, & Episcopus non vult approbare causam: Prælatus autem proprius licentiam præbet, & causam approbat, si iniustitia Episcopi euidens sit, videtur in conscientia posse excusari monialis: quia tunc ratio religionis propriè eam non obligat, & alioqui lex positiua non videtur in eo casu obligare: quia tunc reipsa impletur quod lex intendit, quamuis exterior solennitas desit, ad quam non videtur obligare cum tanto dispendio, licèt fortasse in foro exteriori aliud præsumatur. Si autem è cõtrario Episcopus approbet, & Prælatus resistat, & nolit licentiam dare, permittendus non est exitus (moraliter loquor) quia tunc & hæc lex obstat, & intrinseca obligatio religionis seu obedientiæ: & quia tunc vix potest vitari graue scandalum, & apostasiæ periculum, vel species, cum infamia religionis. Quod maximè vrget quando clausura specialiti voto promissa est: quia in obiecto seu materia eius includitur semper licentia Prælati. Et ideo quoad hoc multum referre potest quòd hæc obligatio nascatur ex voto, vel solùm ex lege humana. Sicut etiam referre potest ad hoc vt dispensatio cõcessa sine legitima causa etiam à Romano Pontifice inualida sit.

XVII. *De pœnis monialium clausuram frangentib*

Vltimò notari possunt pœnæ, quæ in dictis cõstitutionibus feruntur contra moniales frangentes clausuram. Cõcilium enim Trident. nullam in hoc casu tulit; sed solùm contra magistratus seculares, qui negãt auxilium Episcopis necessarium ad clausuram instaurandam, ponit pœnam excommunicationis ipso facto: & eandem ponit inferius contra ingredientes in monasteria monialium, de quibus mox dicemus. Cõtra ipsas verò moniales egredientes illegitimè nullam ponit censuram vel pœnam, sed simplicem prohibitionẽ. Pius verò Quintus in Motu proprio, qui incipit, *De ori & honestati.* excommunicationem posuit ipso facto, & alias pœnas quas extendit etiam ad recipientes, comitates, & dantes illis auxilium. De quarum interpretatione legi potest Nauar. in dict. Comment. 4. & quę infrà dicemus de pœnis apostatarum, ne oporteat eadem repetere: nam in his omnibus eadem ferè est proportio, imò in rigore sufficit applicare generales regulas de censuris, & de aliis legibus pœnalibus, quas lectorem non ignorare suppono.

CAPVT X.

De altera parte clausuræ monialium, quoad ingressum scilicet, in earum monasteria.

I. *Iura antiqua prohibuerunt omnes ingredi monasteria monialium.*

NOn minus necessarium est ad virginum custodiam, & religiosos mores, vt seculares vel extranei intra earum claustra non ingrediantur, quã vt ipsæ inde non egrediantur: & ideo sacri canones non minus hoc, quàm illud prohibuerunt. Ex antiquioribus hoc prohibent Concilium Matisconense I. c. 2. & Concilium Arelatense IV. cap. 7. Quibus locis non videtur facta absoluta prohibitio, sed cum aliquibus limitationibus ex parte personarum, vel ex parte actionum. Nam quoad primum additur in dict. c. 7. hæc limitatio, *Nisi aut paterna, aut germana nec ipsius probetur admittere*; quamuis hęc non pro ingressu, sed pro accessu addita videatur: quæ duo quomodo distinguantur, patebit ex dicendis: quoad primum verò permittitur ibi ingressus ad dicendas Missas, quod postea mutatum est. In VII. etiam Synodo sess. 7. can. 20. prohibetur ne ri duplex monasterium, id est, ex fœminis & viris constans: & explicatur regula Basilij, secundùm quã talia monasteria permittebantur, ita esse seruanda, vt ab vno monasterio ad aliud aditus non pateat; *& quando necessaria vitæ* (inquit) *à parte virorum ad regulares diuidantur, extra portam hæc suscipiat Abbas sanctimonasterii fœminarum cum aliqua vetula monacha.* Ante septimam verò Synodum in Concilio Agathensi, cap. 28. præceptum fuerat monasteria puellarum longiùs à monasteriis monachorum, aut propter obloquutiones hominũ collocari. Quæ refert Gratian. c. *definimus*, & c. *monasteria.* 18. q. 2. vbi plura alia decreta de hac materia refert. In illis tamen omnibus nõ inuenio absolutam prohibitionem huius ingressus quoad omnes personas, tam viros, quam fœminas non professas in tali monasterio.

II. *Absolute prohibentur omnes ingredi monasteria monialium.*

Primus ergo, qui hanc clausuram integrè præcepit, fuit Bonifacius VIII. in dict. c. vnico de statu regular. in 6. *Nulli* (inquit) *aliquatenus inhonesta persona, neque etiam honesta nisi rationabilis, & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia ingressus, vel ac essus pateat ad easdem.* Quod præceptum satis constat quoad personas vniuersale esse, quia sub voce personæ honestæ, tam fœminæ, quàm viri, & tam laici, quàm clerici, vel monachi, & Episcopi comprehenduntur. Id verò clariùs declarauit Concilium Trid. sess. 25. de Regularib. c. 5. dicens: *Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cuiuscunque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint.* In quibus verbis dubium oriri potest circa illam particulam, *cuiuscunque ætatis*, an comprehendantur pueri ante vsum rationis. Sed manifestum est eos ex parte sua non comprehendi, quia non sunt capaces præcepti: lex autem illa directè refertur ad ipsos ingredientes, cum tenor eius sit, *Ingredi nemini liceat.* Et nõ potest comprehendere pueros pro ea ætate, in qua nihil potest eis esse illicitum; ex parte verò introducentium, vel admittentium ipsos posset magis dubitari. Sed de hoc genere cooperationis ad hunc ingressum etiã pro his personis, quibus est illicitus, nihil Concilium Trid. loquutum est: neque in Motib. Pij V. 8. 22. aut 100. neque in Motibus Gregorij XIII. 13. 36. aut 75. qui sunt de hac clausura, aliquid circa has personas specialiter expressum inuenio, præterquam in 36. Gregorij, ibi, *Nec moniales vlli et dem pœnæ illos aliter admittere præsumant.* Sed constat ex contextu,

contextu, relatiuum, *illos*, solùm referre quasdá personas ibi nominatas, quæ prætextu quarundam facultatum aliàs legitimarum pro articulis necessitatis volunt ingredi, etiam quando nulla est necessitas. Vnde potiùs sumitur ab speciali argumentum, cùm in aliis locis hæc additio non fiat, non extendi præceptum vel pœnas eius ad huiusmodi personas. Talis ergo cooperatio in tantum erit prohibita, in quantum ipsa de se fuerit mala, suppositâ culpa in ingredientibus: quia cooperatio ad culpam per se mala est, & consequenter eodem præcepto prohibita, etiamsi ad incurrendam eius pœnam non sufficiat. In prædicto ergo casu de pueris ante vsum rationis, cum ex parte illorum nulla sit culpa, ex parte admittentium ipsos nulla est cooperatio ad culpam: cumque prohibitio directè non cadat in ipsos infantes, non potest indirectè redundare in admittentes ipsos: ergo ex neutra parte hic ingressus prohibitus est.

III. *Non grandiores, sed tamen perpetuo amentes.*

Sed insurgit difficultas, nã sequitur idẽ esse dicendum de perpetuò amentibus, qui nunquã vsum rationis habuerunt, etiamsi grandioris ætatis sint: consequens videtur esse contra bonos mores, & cõtra intentionem Concilij: ergo. Sequela patet, quia illi nõ peccant ingrediẽdo, nec sunt prohibiti, quia non sunt capaces præcepti; ergo nec moniales prohibitæ sunt admittere, vel introducere illos, neque in hoc peccant. Minor probatur, quia inde possunt sequi eadem incommoda, vel maiora, quàm si illi haberent vsum rationis, qualia sunt indecentes ioci, impudici tactus, & similia, ex quibus constat talem ingressum directè esse contrarium intentioni illius legis.

IV. Ad hoc Nauarrus dict. Comment. 4. nu. 59. quem sequitur Emmanuel Rodriguez 1. tom. q. 46. art. 1. Thom. Zerola in praxi Episcopali p. 1. verbo *Moniales*, ad 8. quæsitum versu 4. negat admittendam esse sequelam: quia fatui (inquit) licet non possint peccare, possunt tamen ad peccãdum incitare, tumultum facere, turpiter iocari, & similia monasterio nocentia asportare. Quæ ratio probat quidem bene peccare moniales contra legem naturæ, vel cõtra suam regulam hos admittendo, vel certè etiam contra votum castitatis, si mala intentione, vel cũ morali periculo læsionis eius, illos admittãt. Quomodo etiam poterunt peccare admittendo paruulos, præsertim grandiusculos, licèt nondum ratione vtantur: quia licèt ipsi non possint peccare, neque actiuè ad peccandum incitare, possunt esse materia peccandi, & obiectiuè mouere, vel occasionem præbere ad faciendum tumultum, vel turpiter iocandum, vel aliquid peius. Non videtur autem probare illa ratio illud esse peccatum contra prohibitionem Concilij, tum propter replicam factam, quia etiam quoad illam rationem est similitudo in pueris: tum maximè, quia vt lex obliget nõ satis est finis legis, nisi interueniat etiam materia legis. Quamuis enim lex ieiunij hodie obliget propter talem finem, quamuis idem finis, vel eadem necessitas sit in me alio die, non obligabit me lex ieiunij, si pro illo die non est posita. Sic ergo cùm hæc lex non sit posita pro his personis ratione carentibus, licèt in aliquibus earum ratio & necessitas legis eadem sit, obligatio non erit eadem, præsertim, quia cùm hæc lex non obliget moniales nisi indirectè, vrget semper ratio, quod cessante obligatione directa circa alios, nulla possit in ipsas redundare.

V. Nihilominus sententia illorum authorum mihi placet, censeoq; esse peccatum graue contra prohibitionem Concilij admittere has personas. Rationẽ verò esse existimo, quia præceptum illud per se & vi sua illas etiam personas obligat, quamuis ex accidenti excusetur: aliud enim est nõ obligari, aliud excusari à lege, vt ex materia de legibus, suppono. Hanc ergo differentiam inuenio inter infantem, & adultum perpetuò stolidum, quòd infans per se est incapax præcepti, & ideo ad illum nullo modo dirigitur: adultus verò est capax per se loquendo. quòd autem in tali ætate per se sufficiente ad vsum rationis habeat impedimentum eius, per accidens est: & ideo tale impedimentum excusat quidem personã à transgressione præcepti, non tamen excludit quominus præceptum in illam cadat. Ideoque si talis persona admittatur vel introducatur in monasterium, licèt ipsa non peccet, peccant aliẽ: quia ille ingressus est contra præceptum, qui licèt non sit liber homini amenti, aliis est liber, & ideo non excusantur, licèt ille excusetur. Declaratur exemplo, si homo dormiens vel ebrius introducatur, nã ipse non peccabit, & alij sine dubio peccabunt: quia in illo carentia culpæ est solùm per excusationem, & non quia nõ sit materia præcepti: quæ tamen excusatio in aliis locum non habet. Sicut etiã qui facit vt alius comedat carnes in die prohibito, illo fortassè non peccante propter obliuionem, vel ignorantiã, peccat contra præceptum Ecclesiæ, quia licèt alius excusetur, actus ipse est cõtra præceptum Ecclesiæ, & ipse est voluntaria causa eius. Multò ergo magis dicendum est in præsenti casu, in quo ipsemet actus materialis (vt sic dicam) ingrediendi, licet ab ingrediente non fiat moraliter, habet eadem incommoda quæ lex vitare intendit: & tunc habent optimè locum congruentiæ à Nauarro adductæ. Fauet tandem forma huius præcepti prout habetur in dict. c. vnic. de statu regular. in 6. *Null: aliquatenus inhonestæ personæ, nec etiam honestæ, ingressus pateat*, &c. Nam hęc verba non solùm ad ingredientes dirigi videntur, sed etiam ad omnes, quibus cura incũbit talis clausuræ, & passiuè magis quàm actiuè feruntur, vt non tantum ingrediendi actionem moralem, sed etiam permissionem seu admissionem comprehendere videantur. Nomen autem inhonestæ personæ in omni proprietate comprehendit hos amentes, non verò infantes, quibus vix etiam nomen personæ tribuitur, iuxta communiorem vsum.

VI. *Explicantur limites clausuræ.*

Sed explicandum superest, quis sit terminus localis (vt sic dicam) huius ingressus, in quo consummatur violatio huius præcepti. In quo generatim loquendo dicendũ est, in omni monasterio fœminarum sepimẽtum aliquod, vel murum necessariò designandum esse per totum circuitum eius, vt intra illud censeatur esse claustrum monasterij: intra quem terminum contineri debent, & loca omnia, seu cubicula, & officinæ interiores, & claustrum, & hortus etiam si quis fuerit monialium, ac denique omnia loca, in quibus ipsæ ordinariè versantur, cõprehendi debent. hoc enim supponunt omnia dicta iura, & Pontifices, quoties de hac materia loquuntur, & est per se euidens, suppositâ necessitate clausuræ. Qui ergo intra illum murum, vel ianuam eius ingreditur, eo ipso præceptum hoc transgreditur, & quandiu intra illum non est, præceptum hoc nõ violauit. Vnde qui animo ingrediẽdi ascendit murum, licèt intentione, & attentatione grauiter peccauerit, non incurrit censuram Concilij si non intrat: qui autem sine tali intentione ascenderet tantùm ob curiositatem, vel aliam causam, non peccaret contra hanc legem, sed aliunde iuxta scandalũ, nocumentum, vel iniuriam illatam.

VII. *An possit dari locus communis ad quẽ possint egredi moniales, & ingredi externi sine fractione clausuræ.*

Est autem practicũ dubium, an omnis locus, ad quem possunt egredi moniales, censendus sit intra clausuram, quam non possint ingredi seculares. Et ratio dubitandi est, quia vsu retentum videtur, nõ obstante Cõcilio, vt iuxta interiorem ianuam monasterij sint aliqua receptacula, seu cubicula, ad quæ seculares, præsertim fœminæ ingrediuntur, quamuis illuc etiam moniales egrediantur: quod

non esset permittendum, si per Concilium intelligeretur prohibitum. In contrarium autem est, quia vel illa loca sunt intra clausuram, vel extra; non extra, aliàs non liceret monialibus ad illa egredi: ergo sunt intra clausuram: ergo licet monialibus illa ingredi. Respondeti potest, eandem clausuram posse habere duplices terminos, vel potiùs vnum terminum communem, qui sit quasi intrinsecus vtrique extremo, id est, loco clausuræ, & externo, & ideo ingredientibus, & egredientibus licet simul attingere talem terminum. Neque enim hic terminus mathematico modo indiuisibilis est, sed aliquam extensionem habet, & plures personas capere potest, & per impositionem quandam moraliter designandus est. Potest ergo spatiũ illud quod est inter duas ianuas, tanquam terminus communis designari. Sicut enim paulò antea in num. 6. dicebamus, eum qui ascendit murum, nondum violasse clausuram ingrediendo; ita etiam religiosus, vel religiosa, licèt ascendat murum ad egrediendum, nondum censetur consummasse peccatum violãdi clausuram per egressum, donec extra septa monasterij egressio fiat; vt significauit etiam Clemens VIII. in decreto de reseruatione casuum regularium. Ita ergo intelligitur dari terminus communis, in quo possint simul esse secularis, & religiosus sine ingressu vnius, & egressu alterius.

VIII. Respondeo nihilominus dari talia loca communia (vt sic dicam) esse contra mentem Concilij, & contra legem eius. Primum patet, quia hoc est quod præcipuè intendunt vitare canones, ne scilicet moniales cum secularibus in eisdem recepraculis seu locis possint conuenire. Quod adeò verum est, vt hac ratione prohibuerint moniales egredi, vel habere ianuam ad Ecclesiam exteriorem, ad quam intrent seculares. Et ex ratione & fine præcepti constat hoc esse in primis necessarium. Et confirmatur, quia aliàs etiam viris liceret ingredi talia cubicula: quod per se statim apparet absurdissimum. Vnde ille vsus, vel potiùs abusu, qui in contrarium affertur, nullibi ad viros amplincatus est. Nullo autem colore fit in hoc distinctio inter viros & fœminas: quia prohibitio æqualis est pro omnibus, & pro eisdem locis, seu pro eadem clausura. Vnde probatur altera pars primò ex verbis Bonifacij, *Nulliquet aliquatenus ingressus pateat ad easdem*, scilicet moniales: quomodo igitur non patet ingressus ad easdem, si licet ingredi ad ali quod receptaculum, ad quod ipsæ moniales communiter egrediuntur. Concilium autem, atque etiam Pius V. renouant decretum illud Bonifacij. Et præterea Concilium ait, *Ingredi intra septa monasterij nemini liceat*. Septa autem monasterij non appellantur cubiculum aliquod, sed murus, quo habitatio monialium clauditur, vt constat ex communi vsu vocis. Nec potest negari quin talia loca sint intra sepra. Primò, quia sunt intra ianam illam, quam semper clausam monialis aliqua custodit, extra quam egredi piaculum est. Deinde quia in illis locis resident communiter moniales, præsertim ianitrices, & sociæ earum, quas omnes intra claustrum semper contineri necesse est.

IX. *Ad consuetudinem pro parte contraria adducta in n. 7.* Quapropter ad consuetudinem nu. 7. adductam respondeo, & raram esse, & vbi permissa est, ex aliqua ignorantia esse ortam, non esse tamen permittendam, sed abolendam, quia est iuri contraria, & non est rationabilis, quia multum etiam derogat religiosæ custodiæ & disciplinæ: & quamuis esset tolerata, non est tam antiqua, nec tam communis & nota Superioribus, vt potuerit canonicæ legi & adeò graui derogare. *Ad obiectionem ibidem illatam.* Ad obiectionem aliam respondetur, totam illam esse fraudem legis, & Sophisticam argumentationem. Vnde cũ eadem proportione dicitur, quãuis locus diuidens locũ claustri ab externo non sit mathematicè indiuisibilis, moraliter tamen debere esse indiuisibilem, & non amplum quoddam cubiculum seu receptaculum ad mutuam confabulationem sine vlla murorum diuisione ædificandum. Quòd autem supra murũ, vel in ipsamet ianua possint simul duæ personæ coniungi sine ingressu vnius, vel egressu alterius, non consideratur à lege: quia & est nimis accidentarium, & quia leges communes nõ possunt ad hæc minima & particularia descendere; & ita non potest inde argumentum sumi ad congressum in eodem cubiculo, quod de se posset sufficere ad simul habitandum.

Quis possit licentiam dare ad ingressum in monasteria Monialium.

X. SVpereſt vt explicemus restrictionem seu moderationem huius legis, hactenus enim amplitudinem, & veluti subintantiam eius declarauimus. Addit ergo Concilium Trident. sess. 25. de Regular. cap. 5. *Sine Episcopi, vel Superioris licentia in sæpta non intenta.* Et infra, *Dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis: neque aliter vllo modo possit etiam vigore alicuius facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel in posterum concedendi.* Bonifacius autem VIII. etiam dixerat, *nisi rationabilis & iusta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia.* Circa quam moderationem primum noto, solum Pontificem posse dare hanc facultatem sine causa necessaria ad talem ingressum, quia omnes inferiores Prælati solum id possunt circa hanc legem, quod eis concessum est, & quidquid non est concessum, est prohibitum, quia ipsi de se non habent potestatem derogandi legi Pontificiæ, vel Concilari: ibi autem solùm eis conceditur vt possint dare facultatem ex causa necessaria: ergo solus Papa amplius potest. Vnde fit, si Episcopus det facultatem sine legitima causa, non solùm peccare, sed etiam nihil agere, quia excedit potestatem sibi concessam: & ideo cui talis facultas datur, non potest illa vti tuta conscientia, per se loquendo, quia non impletur conditio posita à Concilio, & illa non impleta, obligat prohibitio eius, posset tamen ignorantia excusare adhibendo fidem Superiori: quod habebit locum quando subditus bona fide procedit, & non est certus de defectu causæ. Sequitur etiam inde, solum Papam propriè posse in hac lege dispensare: quia inferior Prælatus, si dat facultatem ob necessitatem, non dispensat, sed implet legem: si verò dat sine necessitate, nihil facit. Dices, Sequitur Pontificem nunquam posse licitè dispensare: quia dispensatio sine causa neque à supremo Principe licitè datur, etiamsi data valeat. Respondetur negando sequelam, nam potest dari causa sufficiens ad iustam dispensationem, quæ non esset sufficiens ad facultatem ab Episcopo dandam. Nam Episcopus solùm potest eam concedere *in casibus ne. ssariis*, vtique monasterio, seu monialibus. Pontifex autem potest iustè illam concedere ob qualitatem personæ, vel ob insignem beneficentiam, suppositâ aliunde decentia, moderatione, & aliis circumstantiis.

XI. Secundò aduerto, potestatem dandi hanc facultatem in casibus necessariis ex decreto Concilij reseruatam esse Episcopo, vel Superiori. Et quidem de Episcopo nulla est difficultas quantum ad monasteria illis subiecta, nam in illis solius Episcopi licentia sufficit, & necessaria est. Sub Episcopo autem comprehenditur eius Vicarius generalis, vt declarauit congregatio Cardinalium; addit tamen conditionem, *Dummodo mandatum speciale ad Epis-*

Primo aduertitur, solum Pontificem posse dare facultatem ingressus in monasteria monialium.

Quæ causa requiratur.

Quando Episcopus dat facultatem sine causa, non licitè dat.

Quando Episcopus licitè dat facultatem.

Secundò aduertitur, Episcopum posse dare facultatem ingressus in monasteria monialium.

Quis sub Episcopo comprehendatur.

hoc

hoc habeat. Declarat itaque hanc potestatem esse ab Episcopo delegabilem, quia iure ordinario conuenit, & Concilium illud non limitat. Censet tamen casum esse ita specialem, vt non debeat reputari in concessione generali, nisi exprimatur. Comprehenditur etiam nomine Episcopi Capitulum Sede vacante, quia succedit in ordinaria iurisdictione Episcopali, & respectu talium monasteriorum subiectorum etiam posset comprehendi nomine Superioris. Idemque à fortiori est de Episcopo electo & confirmato, nondum verò consecrato: quia hic actus iurisdictionis Episcopalis est, quam ille iam potest exercere, cap. *transmissam*. de elect. Denique vtroque nomine comprehenduntur seculares Abbates, vel similes inferiores Prælati habentes iurisdictionem Episcopalem, si habeant aliqua monasteria monialium sibi immediatè subiecta, vt per se satis patet.

XII. *Potest item superior regularis quoad moniales subesse.*

Quoad monasteria verò exempta, & immediatè subiecta regularibus, certum est, Prælatum regularem posse hanc facultatem dare, quia ille est superior talis monasterij. Item est certum ex vi Concilij pro huiusmodi monasteriis hanc facultatem sufficere: quia Concilium absoluta disiunctione vtitur, & ad veritatem disiunctiuæ, atque adeò ad obseruantiam disiunctiui præcepti vna pars sufficit. Vnde in hoc est differentia inter facultatem ingrediendi, & egrediendi: nam ad egressum causa semper est ab Episcopo approbanda, etiam in monasteriis exemptis, & supposita facultate Prælati: ad ingressum autem nulla est necessaria approbatio Episcopi, quia Concilium illam non postulauit, nec Pius V. nec Gregorius XIII. aut alius Pontifex, nec in responsis congregationis Cardinalium vlla est de hoc mentio. Grauior ergo facultas egrediendi, quàm ingrediendi reputata est: & ideo differentia illa constituta videtur. Cùm autem dicimus facultatem Superioris (& idem est de Episcopo) solam sufficere, non excludimus consensum Abbatissæ, seu monasterij, nam hic ex natura rei supponitur, & necessarius est, semperque in facultate subintelligitur, quando non egreditur terminos facultatis. Quod addo, quia talis posset esse casus, vel occasio, in quo Prælatus posset non solùm facultatem dare, sed etiam præcipere, & si necesse sit, cogere moniales, vt ingressum non impediant, quod pendet ex modo iurisdictionis, & causæ, quæ ad præsens non spectant.

XIII. *Quo sensu intelligatur nomen Superioris proprie monialium.*

Duo autem alia dubia esse possunt. Primum est, quis sit intelligendus nomine Superioris respectu talium monasteriorum, an scilicet Generalis, vel Prouincialis, vel etiam Prior, seu Abbas monasterij virorum, si fortasse monasterium monialium illi subiectum sit. Quod interrogari potest vel ex vi Concilij, vel ex vi alterius iuris. De hoc secundo nihil certi dicere possumus, nisi seruandas esse regulas religionis in his omnibus, in quibus dispositioni Concilij non repugnant: quia de hoc nihil habemus ex iure communi, nisi quod Bonifacius dixit, *Ac de illius, ad quem pertinuerit speciali licentia*. Quis autem sit ille ad quem pertinet, ipse non statuit: remittit ergo ad propria iura religionis: illa ergo etiã ex speciali intentione Bonifacij necessariò seruanda sunt. Quod verò spectat ad Concilium, sine dubio ex vi illius sufficit licentia Prouincialis, quia est quasi Episcopus quoad iurisdictionẽ respectu suorum subditorum. Si autem ex vi regulæ alicuius religionis necessaria fuerit licentia Prælati supremi, seu Generalis, non repugnabit Concilio, nam ille tunc est superior quoad illum casum, & non alius: vnde iuxta decretum Bonifacij ille solus est ad quem pertinet dare facultatem, in quo nihil Concilium innouat. Quòd si constitutiones ipsæ regulares restringerent hanc facultatem ad Summum Pontificem, non derogarentur per decretum Concilij, tum quia per generalem legem non derogantur statuta particularia, quorum mentio non fit, præsertim quando eorum rigor magis fauet intentioni legis: tum etiam, quia ipsummet Concilium cap. 22. declarauit non esse mentem suam per superiora decreta arctiores regulas aliqua ex parte relaxare. De Prælato verò inferiori seu conuentuali videri potest iuxta mentem Concilij non posse habere hanc potestatem, quia cùm Concilium sub disiunctione ponat Episcopum, & Superiorem, videtur cum proportione loqui de Superiore, qui habet locum Episcopi quoad iurisdictionem, quia quoad hoc est æqualitas rationis: Prælati autem conuentuales non habent iurisdictionem Episcopalem, simpliciter loquendo, vt in superioribus ostensum est. Propter quam rationem hæc pars videtur satis probabilis, & tutior: vnde saltem censeo talem actum non pertinere ad ordinariam iurisdictionem talis muneris, saltem in ordinibus mendicantibus: si tamen Prouincialis, vel Generalis voluerit committere hanc potestatem Prælato conuentuali, qui aliàs sit etiam immediatus Prælatus ordinarius monialium, non repugnabit Concilio, vt ex dicendis constabit.

Quid de prælato infra Prouinciam.

Addit enim Concilium, postquam dicit Episcopum, vel Superiorem licentiam hanc dare debere in casibus necessariis; *Neque alius vllo modo possit etiam vigore cuiuscunque facultatis vel indulti hactenus concessi, vel in posterum concedendi.* Vbi in primis excludit ne Abbatissa possit hanc licentiam dare, nomen enim masculini generis etiam fœminas complectitur, vt est vulgaris regula. Et esse hanc communem sententiam, etiam iuxta c. vnicum refert Nauarr. Comment. 4. de Regularib. numer. 59. Ratio autem quam adducit ex Dominico, Franco, & aliis, scilicet non sufficere licentiam Abbatissæ, quia & illi imponitur clausura. Hæc (inquam) ratio mihi non satisfacit. Quid enim repugnat seruare clausuram sibi impositam, & habere potestatem dandi licentiam ad ingressum in casibus necessariis. Et fortasse illa ratio apparentiùs probaret de licentia ad egressum, quoniam in illa propriè subiecta est Abbatissa: & ideo ad eundem Prælatum videtur pertinere dare illi, aut aliis facultatem. Quanquam neque hoc sit simpliciter necessarium ex vi illius rationis, sed quia iura expressè postulant licentiam Episcopi. Vnde considerato tenore dicti cap. vnici, *Ac de illius ad quem pertineat, speciali licentia*, non video cur non posset sub illis comprehendi Abbatissa, si antea aut ex regula, aut ex consuetudine ad illam hoc pertinebat: quia ibi etiam sub masculino comprehendi potest fœmininum: at Concilium reuocat omnem similem consuetudinem, vel priuilegium, aut quemcunque alium titulum. Vnde existimo non posse Prælatum committere Abbatissæ hanc potestatem: quia Concilium reuocat omnes facultates etiam in posterum concedendas. Et eadem ratione existimo non posse Prælatum illam committere alicui, qui non sit superior simpliciter talis conuentus: quia Concilium apertè vult solos superiores posse habere hanc facultatem. Denique si aliquæ personæ ex speciali priuilegio etiam Pontificio poterant illam facultatem concedere, ibi reuocata est: non tamen voluit Concilium auferre à Pontifice potestatem illam in posterum concedendi, si vellet; sed per illa verba explicuit voluntatem, quam tunc Ecclesia habuit, & sedes Apostolica confirmauit, vt talia indulta nõ concederentur: quę voluntas non facilè à posterioribus Pontificibus reuocatur. Et hanc vim & energiam habent illa verba respectu sedis Apostolicæ. Ambiguum autem esse potest, an illa reuocatio se extendat ad facultates vel indulta ingrediendi

XIV. *Quosnam à danda facultate Trid. dentinum excludat.*

monasteria: nam longè diuersum est habere indultum ad dandam licentiâ ingrediēdi, vel habere indultum dans licentiam ad ingrediendum: Conciliū autem tantùm de prioribus loqui videtur, cōsiderato tenore verborum. Aliqui tamen volunt verba extendere ad vtrumque; in quo non immoror, quia illa reuocatio satis per Pium V. & Gregorium XIII. facta est, de qua suprà satis est dictum.

XV. *An saltem Episcopi veniant nomine Superioris etiam respectu monial ū subiectarum regularib.*

Aliud dubium est, an Episcopus possit dare hāc facultatem in monasteriis exemptis suæ diœcesis. Et ratio dubitandi esse potest, quia Concilium sub disiunctione dicit, *Episcopus, vel Superior.* Sed ex his verbis nullum argumentum sumitur, alioqui eodem modo dici posset, regularis Prælati licentiam sufficere in monasterio Episcopi: quia etiam ibi posset applicari disiunctiua locutio. Sicut ergo ibi nihil potest Prælatus, quia non est ibi superior, &c. debet intelligi respectiuè: ita Episcopus ex vi Concilij, nihil potest in hac parte circa illa monasteria sibi non subiecta, quia disiunctiua illa debet intelligi cum partitione accommoda: aliàs posset Episcopus concedere hanc licētiam renuente Prælato religionis, quod est contra debitum ordinem, suppositā exemptione, quam Concilium in hac parte tollere noluit, nam ideo addidit illam particulam, *vel superioris.* Per quam etiam significauit non esse satis esse Episcopum, nisi sit Superior monasterij ad hāc licentiam dandam: è contrario verò Superiorem sufficere, vt declaratum est. Additur verò in quadam Declaratione congregationis Cardinalium, vbi post Concilium fuerit consuetudo introducta, ordinarius det hanc licentiam in monasteriis regularium subiectis, obseruandam esse. Sed id profectò non erit ex vi Concilij, sed ex vi consuetudinis, quæ potest iurisdictionem dare, vel priuilegium tollere. Sicut etiam ibidem dicitur, vbi fuerit consuetudo introducta vt Episcopus habeat superintendentiam aliquam super concessione talium licentiarum, vt v.g. quòd debeant apud eum registrari, obseruandam esse, quamuis Episcopus non possit tunc licentiam improbare. Quando verò hæ licentiæ dantur fœminis, vel aliis personis, aut clericis secularibus Episcopo subiectis, poterit Episcopus ex parte illarum ingressum prohibere si iustam & rationabilem causam ad hoc habeat: quod magis habere potest locum in accessu, quàm ingressu in talia monasteria; quia ingressus non tam facilè permittitur. Obseruandum est autem quod Concilium præcipit, vt talis licentia in scriptis detur. Necessaria enim videtur hæc circumstantia ad vitādam excommunicationem à principio positam, sic enim ait. *Sine licentia in scriptis obtenta sub excommunicationis pœna.*

Quæ causa requirantur ad prædictam licentiam.

XVI. *Quæ causa à Bonifacio, qua à Trid postulentur.*

Iam quæ sit causa legitima dicendum. Sed hæc à Bonifacio per duas tantum cōditiones explicatur, scilicet quod sit rationabilis, & manifesta. Concilium verò Tridentinum addidit, quòd tantùm detur in casibus necessariis. Et ita videtur priorem conditionem à Bonifacio positam coarctasse: nam rationabilis causa multo latiùs patere videbatur. Nam quòd mater ingrediatur ad visitandam filiā, rationabilis causa appellari poterat, & tamen iuxta tenorem Concilij sine dubio non est sufficiens, quia illa congruitas simpliciter non est necessitas. Qui autem censendi sint casus necessarij, explicatur à gloss. in dict. c. vnic. verb. *Causa*, his exemplis, *sicut in medicis, barbitonsoribus, fusoribus, carpentariis cum egerunt, & similibus.* Intelligit ergo casus necessarios ad vitam humanam. Tamen licèt hi frequentiores sint, non est ad illos arctanda constitutio Concilij, Concilij, vt ex dicendis patebit. Quanta verò debeat esse hæc necessitas, Concilium nihil dixit, sed simpliciter, *in necessariis.* Gregorius autem XIII. in constitutione suprà tractata, *Vbi gratiæ & indulta*, addidit, *Sed necessitatibus vrgentibus dunt axat ingredi*, &c. Sed per illam particulam nihil addidit Concilio quoad gradum necessitatis, sed obseruantiam & executionem eius prouidit, statuens, *sub eisdem pœnis ipso facto incurrendis*, ne quisquam prætextu licentiæ datæ pro casibus necessariis, ingrediatur, nisi tunc quando verè vrget necessitas: non ergo vult necessitatem esse maiorem, sed vt verè inest in vsu ipsius licentiæ: & ad hoc addit pœnas, quas Concilium non posuit.

XVII. *Necessitas qua à Trid. desiderata explicatur.*

Est autem aduertendum, hanc necessitatem duplicem esse posse, vnam communem & ordinariam, aliam extraordinariam pro multis repentinis, vel inopinatis euentibus, qui non possunt per ordinariam prouidentiam præueniri. De priori videtur tantùm loquuta glossa suprà citata: sed sine dubio textus, quem exponit, multo latiùs loquitur, absolutè loquens de causa rationabili. Illa ergo necessitas ex natura rei excipitur in tali lege, & in omni regula monialium. Sed in illa necessitate potest esse latitudo, vt quòd plures medici ingrediantur ad visitandam infirmam, vel vnus sufficiat, & similia. Et propter hanc determinationem necessarium est prudens arbitrium Prælati, neque alia regula pro tali necessitate assignari potest. De posteriori etiam necessitate dicendum est, considerata esse à Concilio; & fortasse ob illam præcipuè illa verba, in necessariis, posuisse. nam alia per se nota erant. Gradus autem seu mensura huius necessitatis prudenti etiam arbitrio eiusdem Prælati relinquitur, quia nulla alia regula assignari potest. In hoc autem iudicio præstando facilè vnusquisque intelligit maiorem necessitatem postulandam esse ad ingressum viri, quàm fœminæ, & ad ingressum nocturnum, quàm diurnum, & sic de aliis circunstantiis. Pro his etiam necessitatibus extraordinariis, qui sub generali facultate comprehendi commodè non possunt, vbi Prælati longè distant à monasteriis, necesse est vt alicui committant vices suas, qui in repentinis casibus, quando est periculum in mora, possit huiusmodi licentiam dare, ne cogatur Abbatissa vti epiikeia, quæ etiam in hac lege locum habebit, si reuera moralis necessitas superueniat, & Prælatus consuli non possit: nam hæ leges morales sunt, & moraliter sunt intelligendæ.

XVIII. *Dubium primum.* *Ex tam.*

Sed supersunt hic nonnulla dubia. Primum est, an possit Prælatus dare hanc facultatem nō solùm ad ingrediendum ad breue tempus, sed etiam ad habitandum seu diu permanendum ibi si necessitas moralis id postulet. Hoc maxime locum habet in seruitricibus, si non inueniantur sufficientes, quæ velint profiteri, nec in perpetuum monasterio offerri, an possint seculares esse. Quarum necessitas esse potest vel pro toto conuentu, vel pro aliqua particulari moniali. In quo primò dicendum est, ex vi Concilij non esse prohibitum, si casus reuera censeatur necessarius. Probatur, quia Concilium non limitauit ingressum ad breue, vel longum tēpus, sed absolutè de illo loquitur, *in casibus necessariis.* ergo si necessitas postulat diuturnām moram, vel habitationem post ingressum, Concilium illam non prohibet. Deinde nullum est aliud decretum iuris communis, quod hoc prohibeat, vel quod distinguat in hac parte inter ingressum & habitationem. Neque etiam post Concilium inuenio cōstitutionem Pontificiam hoc expressè prohibentē. Imò, si verum esset, quod Nauarrus sentit, Piū V. & Gregorium prohibuisse conuersarum professionē, tacitè in hoc permisissent seruitrices seculares: quia

quia verisimile non est voluisse Pontifices, vt in monasterijs Sanctimonialium nullæ sint fœminæ, quæ in rebus, & seruitijs necessarijs ad humanam vitam eis famulentur, cum moraliter loquendo illis maxime indigeant. Quia vero certius credimus non esse prohibitum monialibus habere professas conuersas, vt c. 8. à. num. 19. ostendimus, ideo necessitas famularum secularium multo rarior esse potest.

XIX. *Secundum punctum.*

Vnde secundo dicitur, licentiam pro his famulabus dari non posse, nisi vera necessitate existente, & sub conditione seruandi clausuram, ita vt nunquam egrediantur, & si semel egressæ fuerint, nunquam amplius ingrediatur. Ratio prioris partis est, quia cessante necessitate, cessat casus de quo Concilium loquitur: cessabit autem necessitas quoties per conuersas professas sufficienter potuerit monasterio ministrari. Vnde si non desit occasio moralis recipiendi illas, non erit liberum Prælatis dare potius licè tiam ad ingressum secularium seruientium, quam ad recipiendas conuersas professionem emissuras. Et hoc maxime confirmat constitutio 13. Gregorij XIII. quæ prohibet, vt conuersæ non professæ si profiteri noluerint, in domum remittantur, & in futurum non recipiantur, nisi suo tempore professionem emissuræ: quæ prohibitio adeo est rigorosa, vt videatur excludere omnino à monasterijs monialium vsum seruitricium secularium: nam si prohibet tenere conuersas non professas, multo magis seruientes omnino seculares: quia conuersæ magis accedunt ad statum religiosum, minusque videntur posse obstare clausuræ, aut alijs religiosis obseruantijs monialium. Nihilominus tamen, quia expresse loquitur de conuersis, non extendam prohibitionem rigorosam vltra casum expressum ob similitudinem rationis, cui facile respondetur potest. Intelligo igitur Gregorij mentem fuisse, vt necessarium ministerium monialium fiat per conuersas professas, & ideo si possit haberi copia earum, non poterunt admitti famulæ seculares, vt etiam citato cap. 8. diximus ex mente Concilij. Si autem desit earum copia, non existimo prohibitum esse à Gregorio ne talia ministeria possint per famulas fieri de licentia Prælatorum, & cum alijs conditionibus debitis: quia non est verisimile voluisse in huiusmodi euentu relinqui monasteria sine remedio. Tunc autem potius recipiendæ sunt seculares, quam conuersæ non professæ, quia hoc est expresse prohibitum, & non illud. Et ratio esse potuit, quia famulæ dimitti possunt quoties sese obtulerit occasio recipiendi nouitias conuersas professionem emissuras: quod in alijs oblatis vel conuersis non ita fieri posset. Item, quia in monasterijs monialium nulla apparet necessitas vel vtilitas harum conuersarum non professarum: nam si sunt vtiles ad ministeria, & volunt se consecrare Deo per professionem, non est cur non admittantur: si autem profiteri nolunt, non est cur ad aliud genus oblationis vel perpetui contractus recipiantur. Altera vero pars colligitur ex mente Concilij, & Gregorij XIII. & ex declarationibus Cardinalium, quas statim num. sequenti referemus. Et ratio est, quia hæc facultas danda est cum minima læsione clausuræ quoad fieri possit, quia est dispensatio in re graui, quæ coarctanda est. Præsertim, quia per se & ex natura rei est id necessarium ad custodiam & honestos mores monialium.

XX. *Tertium punctum.*

Vltimo dicitur, hanc facultatem dari posse pro communi necessitate monasterij, non vero pro particulari seruitio vnius, vel alterius monialis. Hoc etiam à fortiori colligitur ex declarationibus Cardinalium. Est enim consentaneum professioni religiosæ, alioqui singulæ moniales proprias famulas habere vellent, quod esset contra decorem & religionem monasterij. Ratio vero est, quia ille non est casus necessitatis, cum per monasterij communes seruitrices seu coadiutrices possit sufficienter singularum necessitatibus prouideri. Quod si existat casus (id enim frequenter contingere potest) in quo aliqua monialis indigeat particulari cura & ministerio alicuius famulæ vel sociæ ad curam Prælatæ vel Abbatissæ, spectat aliquam ex seruientibus huic ministerio omnino applicare. Vnde ob huiusmodi necessitates licitum erit facultatem dare ad augendum numerum seruitricium secularium, si conuersæ professæ, vel aliæ moniales ex iunioribus iuxta vsum & consuetudinem monasterij non sufficiant. Tunc autem reuera non datur facultas vt aliqua admittatur vt famula alicuius particularis monialis, sed vt pro seruitio monasterij ingrediatur: applicatio autem ad tale ministerium fit ex Abbatissæ voluntate.

Iuxta hæc definiendum etiam est aliud dubium, an possit Episcopus vel Prælatus monasterij dare licentiam, vt puellæ seculares in monasterijs educentur, vel vt aliæ honestæ fœminæ ob graues causas intra ea commorentur per aliquod tempus. Videbatur enim ex dictis sequi non posse, quia illi non videntur casus necessarij respectu monasterij, de quibus videtur loquutum Concilium. Nihilominus congregatio Cardinalium sæpe declarauit hoc non esse prohibitum per Concilium. De qua re septemdecim declarationes refert Emmanuel Rodriguez dict. quæstione 46. artic. 10. quarum omnes, præter vltimam, ad manus meas peruenerunt, & plures aliæ eiusdem fere tenoris. In quadam tamen earum in generali adhibetur limitatio, *dummodo Episcopo vel Superiori in monasterijs sibi subiectis dare licentiam recipiendi puellas in monasterio, & vbi commorari, vt recte in omnibus instruantur, liceat nolint religionis habitum suscipere, cum certa tamen conditionibus, non obstante Concilio Tridentino.* Illæ autem conditiones in alijs explicantur. Prima, vt nullas secum afferant vel habeant ancillas: secunda, vt exire non possint nisi non reuersuræ: tertia, vt obligatæ sint ad clausuram, & ad cætera sicut moniales: quarta, vt in eo vestitu incedant qui virginali modestiæ & pudori conueniat: quinta, vt ibi esse non permittantur vltra ætatis suæ annum 25. sexta, (quæ ex 9. declaratione à dicto authore allata colligitur) est, vt facultates habeant, vel parentes à quibus posteà dotari in matrimonio, vel in aliquo monasterio possint. Septima, vt hoc non extendatur ad viduas, etiamsi velint perpetuo in monasterio viuere, nisi velint fieri moniales, quia (dicitur in declaratione vndecima) *in istu nulla adest causa necessaria.* quod verbum notandum est pro his, quæ dicemus: & quia in alijs casibus necessarijs etiam mulieres maritatæ permittuntur ibi recipi ad tempus, declaratione decima tertia, & decima quarta. Octaua conditio sumi potest ex 16. declaratione, vt fœminæ, quibus talis facultas datur, inhoneste non vixerint, præsertim si non consueuit monasterium huiusmodi fœminas admittere. Nona, vt hoc non repugnet institutis seu consuetudini monasterij. Decima, vt Abbatissæ, & monialium consensus accedat.

XXI. *Secundum dubium.*

In quo notanda sunt verba cuiusdam interrogationis, & responsionis eiusdem congregationis Cardinalium, quæ mihi ambigua visa sunt, scilicet, *Vtrum puella introduci possit intra clausura monialium ad declarationem vt educetur ibi etiam absque licentia Ordinarii quoad monasteria regularibus subiecta: Respondet Congregatio posse, obtentis tamen literis ab ipsa congregatione in forma præscripta: non autem ex sola licentia Superiorum regularium.* Dubium enim mihi est (cuius perfectam intelligentiam Romæ procurari vellem)

XXII. *Quæ in Cardinalium sint.*

quæ sit illa congregatio, cuius literæ requiruntur. Nam si sit ipsamet congregatio Cardinalium, vt vocis similitudo indicat, repugnat hoc alijs respõsis, in quibus sæpe dicitur sufficere licentiam Prælati iuxta tenorem Concilij. Item non constat congregationem illam habere iurisdictionem, sed solum ministerium pertinens (vt sic dicam) ad claruem scientiæ. Denique non constat, quæ sint illæ literæ necessariæ, vel quæ sit forma præscripta earum. Si autem sit sermo de congregatione ipsius monasterij, primum inusitatus est modus loquendi, nam significari potius solet nomine monasterij, aut conuentus. Deinde licet eius consensus requiratur, non tamen scripta licentia, ergo nec literæ sub aliqua certa forma. Nec minus obscurum est, quod ibidem consequenter subditur, *Neque etiam ael centia Ordinarii, & Superiorum illa, quæ habitum regularem suscipere vult, & ibi permanere, potest ibidem commorari per al quot dies, vt magis perspicere possit monasterii, & ordinis regulam, nisi obtentis literis ab ipsa congregatione.* In quo responso valde quidem probabile mihi est non posse Prælatos dare licentiam, vt quę volunt moniales fieri prius ante susceptionem habitus nouitiarum, per aliquot dies intra monasteria recipiantur: quia ille non est casus necessitatis, tum quia ad hoc datur annus probationis, vt regula & monasterij mores perspiciantur; tum etiam, quia extra monasterium potest regula videri, & sufficiens informatio sumi. Et præterea, quia illo titulo possent plures ingredi, & postea exire, ante receptionem habitus, quod esset occasio & fingendi similem occasionem, & perturbandi moniales. Quod autem ibi adiungitur, *nisi obtentis literis ab ipsa Congregatione*, non satis intelligo. Tandem ex his declarationibus colligo, casum necessitatis, quem Concilium requirit, non limitari ad necessitates ipsius monasterij, vel monialium, sed extendi etiam ad necessitates proximarum, id est, mulierum, quarum graui necessitati spirituali vel corporali per illum ingressum vel habitationem subueniri potest sine incommodo vel violatione regulæ monasterij: in hoc enim principio fundantur omnes declarationes relatæ, quia non sunt quasi relaxationes rigoris Concilij, sed veram eius interpretationem continent.

XXIII. *Dubium tertium.*

Tertio dubitari potest, an hæc prohibitio vel coarctatio extendatur ad ipsos Prælatos, qui suo iure possunt ingredi monasteria monialium: cuiusmodi sunt omnes, & soli illi, qui possunt facultatem ingrediendi alijs dare: quia certum est eos non indigere speciali licentia Pontificis, sed ipso iure illam habere ratione sui muneris, cum possint alijs præstare. Videntur ergo posse vti hoc iure suo arbitrio, rationabili quidem, tamen sine præcisa limitatione ad casus necessarios à Concilio positam: quia Concilium solum dixit de Episcopis, vel Superioribus, quam licentiam dare non possint: non autem dixit, non possint accipere, vel non valeant sua potestate vti. Deniq; dare licentiam non dicitur proprie respectu suijpsius: ergo illa lex non est extendenda, cum in hac parte sit rigorosa. Nihilominus Gregorius XIII. constitutione sua 75. dubijs emergentibus ad hoc specialiter edita, declarauit Concilium comprehẽdere etiam hos Prælatos, vt ingredi non possint, nisi in casibus necessarijs. *Et in eis* (inquit Gregorius) *vt ingrediantur, à paucis, idque semoribus personæ comitati.* Vnde dare licentiam intelligitur Episcopus, etiamsi sibijpsi illam faciat: nam in hoc etiam in generali lege quodammodo dispensat, & ideo eandem seu proportionatam causam requirit. Et hanc suam mentem satis explicuit idem Concilium, dum infra cap. 7. præcipit vt *ne, qui electioni Abbatissæ præst, Episcopus seu Superior claustra monasterii non ingrediatur, sed ante con-*

Vera resolutio.

cellorum fenestellam vota singularum audiat, vel accipiat. Si quis enim ingressus videri poterat rationem aliquam habere, maxime ad electionem faciendam, & tamen, quia non habet necessitatem, declarat Concilium, in eo non licere ingressum. Indetamen commutata ratione intelligi potest, si aliquis casus occurrat, in quo propter perturbationem monialium, vel alias causas, necessarium sit Superiorem ingredi ad electionem faciendam, non esse prohibitum id facere: quia Concilium per posterius decretum non reuocauit prius, sed declarauit solam electionem non esse casum necessitatis: ergo quacunque ratione accidat fieri casum necessitatis, habet locum prius decretum, vt recte notauit Nauarr. dict. comment. 4. num. 59. & in Summa c. 27. num. 124.

An ingressus tantum, vel ap etiam accessus ad dicta monasteria sit prohibitus.

XXIV. *Ingressus & accessus distinguuntur.*

Vltimo tractari potest, vtrum hæc prohibitio extendatur etiam ad accessum ad monasteria monialium. Quod difficultatem nullam habet (mea sententia) spectato solo Concilio Trident. nam in eo nulla fit mentio accessus, sed solius ingressus. Et ita censeo certum, omnia quæ disponit, ad solum ingressum pertinere, nec per alium actum violari prohibitionem eius, aut incurri cẽsuram. Dubium ergo oritur ex decreto Bonifacij, quia hæc duo distinguit, dicens, *Nullique inhonesta persona, nec etiam honesta, ingressus, vel accessus pateat ad eadem.* Et eodem modo loquuntur nonnulla antiqua decreta, quæ statim indicabimus. Nec videtur dubium, quin illæ duæ voces diuersos actus significent, tum quia sub distinctione ponuntur quasi ad augendũ præceptum. Quia in cap. *monasteria.* de vita & honest. cleric. prohibetur frequentia ad monasteria Sanctimonialium; per frequentiam autem non intelligitur frequens ingressus, qui vsitatus non est: ergo intelligitur accessus: igitur accessus nomine intelligi debet, quod vox in proprietate significat aditum ad monasteria monialium, visitandi, vel colloquendi gratia. Vnde non est sermo de accessu ad earum Ecclesias, sed ad earum colloquia, & aspectum. In hoc ergo sensu videtur Bonifacius prohibuisse accessum, etiam sine ingressu: cum illa vero limitatione, *nisi rationabilis & manifesta causa existat, & de illius, ad quam pertinuerit, speciali licentia.*

XXV. *Bonifacij & Alexandri prohibitio non facit ad hoc.*

Videtur autem Bonifacius auxisse prohibitionẽ Alexandri III. in dict. c. *monasteria.* Nam Alexander solum de viris loquutus est: Bonifacius vero de omnibus personis. Et quanuis glossa ibi in propositione casus videatur ad viros limitare textum; tamen sine dubio loquitur generaliter de omnibus, vt supra dixi. Item Alexander solum frequentiam prohibuit, quæ addit supra accessum iterationem, seu repetitionem actus. Quanta autem illa esse debeat, glossa ibi, duplicem actum putat sufficere: quod non placet Hostiensi, sed iudicandum putat ex communi vsu loquendi. Itaque prudenti arbitrio relinquitur. Nam si intervnum & alium accessum longum tempus interponatur, non poterit dici frequentia: secus vero erit si intra breue tempus sæpius accedatur. Recte autem aduertit Panormit. ex Ioanne Andrea, maxime damnari quando post monitionem iterum acceditur: nam tunc praua generatur suspicio. Bonifacius autem absolute accessum prohibet: vnde neque vnum tantum permittere videtur sine manifesta & rationabili causa. Est etiam alia differentia, quia Bonifacius nullam imponit pœnam; Alexander autem clericis comminatur pœnam suspensionis ab officio, laicis vero maioris excommunicationis, non ipso iure illas imponens, sed præcipiens Episcopis, vt imponant,

nant, præmissa prius monitione, & speciali prohibitione etiam ab homine: quę pœna manifeste supponit culpam grauem, saltem post Episcopi monitionem, nam antea habere posset aliquam excusationem, nisi frequentia euidenter esset nimia, & cum aliquo scandalo.

XXVI. *Quæstiuncula triplex.*

Dubium ergo nunc supereſt, primo an prohibitio Bonifacij obliget ad culpam in quocunque accessu. Secundo an ex vi illius legis semper sit peccatum mortale accedere ad monasteria monialium sine conditionibus à Bonifacio positis. Tertio inquiri potest, an sub hac prohibitione comprehendatur etiam scriptio literarum. Quoad primum dicendum est, ex vi illius legis fuisse prohibitum huiusmodi accessum: quia verba eius in proprietate accipienda sunt, & in ea continent hanc prohibitionem: quam ita intelligunt Sylvester verb. *Religio*, 7. q. 16. Angelus verb. *Monialis*. n. 3. Vereor tamen legem illam licut non fuit recepta quoad ingressum, ita etiam neque quoad accessum: quia consuetudo obtinuit, vt moniales in hac parte iuxta suas regulas & receptos vsus gubernentur. Dubitari vero potest, an Concilium Trid. innouauerit hanc cõstitutionem quoad hanc partem. Ad quod videtur negatiue respondendum. Nam licet in principio dicti cap. 5. incipiat, *Bonifacii VIII. constitutionem renouans sanct. Synodus, &c.* postea explicans in quo renouet, solum egressum, & ingressum commemorat. Vnde non video cur Nauarr. dict. Comment. 4. n. 61. vers. 6. dixerit, præfatum cap. *periculoso*, & Concilium non solum vetare frequentiam, sed simpliciter omnem accessum. Nam licet hoc sit verum de cap. *periculoso*. Concilium tamen de accessu nihil loquutum est. Magis videtur eam innouare Pius V. dict. constit. 8. *Circa pastoralis*: nã dicit, *Quam nos authoritate præfata etiam approbamus, & innouamus in omnibus, & per omnia, ac illam obseruari mandamus.* Ergo etiam quoad hanc partem præcipit obseruari. Si quis autem attente consideret, solum eam innouat quoad clausuram, & quoad omnia & singula, quæ ad illam pertinent. Accessus autem prohibitus videtur esse vltra clausuram: imo Pius V. solum de illa parte clausuræ, quæ prohibet egressum, videtur ibi loqui, vt ex tota constitutione, & ex constitutione 100. eiusdem constat. In constitutione autem 22. vbi attingit aliquid de altera parte clausuræ, solum loquitur de ingressu, quanuis ibi potius agat de monasterijs virorum. Gregorius autem XIII. in sua constit. 36. de monasterijs etiam monialium tractans, solum ingressum prohibet; imo in constit. 13. sic inquit, *Et quidem post sacri Concilii Trident. decretum, quo constitutio felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit, Periculoso, renouatur, prohibens ne aut ipsis monialibus ex monasterijs suis egredi, aut vlli cuiuscunque sexus, aut ordinis personæ ad eas ingredi liceat.* In nouis ergo decretis non inuenio specialem prohibitionem canonicam de huiusmodi accessu. Et ideo non possumus cum sufficienti fundamento asserere esse malum, quia prohibitum; sed ex circunstantijs & modo iudicandum est. Semper tamen sacri canones huiusmodi accessum auersati sunt, vt videre licet in cap. *in decima*, & cap. *definimus*, & alijs 18. quæst. 2.

Resolutio prima, an Bonifacij prohibitio de accessu vigeat.

XXVII. *Resolutio secunda, an dicti decretum Bonifacij ex se solum accessum ad monasteria prohibeat.*

Ad secundum dubium hinc constat, ex vi solius prohibitionis Ecclesiæ hoc non esse peccatũ mortale, quia nulla talis est. Non dubito tamen, quin decretum Bonifacij ex suo genere illam induceret; si tamen illud consuetudine derogatum est, affirmare non possumus hoc esse peccatum mortale ex suo genere, quia nullum apparet aliud ius positiuum, quo districte prohibeatur, secluſa frequentia, quam satis grauiter prohibet dict. c. *monasteria*. Ablato autem iure positiuo, ex natura rei non est quod dici non potest consuetudine derogatum.

intrinseca malitia, præsertim grauis in huiusmodi accessu. Erit autem mortalis culpa, primo ex praua intentione, secundo ex materia locutionis, tertio ex scandalo, vel respectu monialis, si ei occasio peccandi detur, vel respectu suipsius, si quis sciat se inde constitui in periculo peccandi, vel respectu aliorum, si inde rumor, vel mala suspicio oriatur. Vnde quarto potest esse grauis culpa propter iniuriam, quæ fit monasterio, si aliqua infamia inde oriatur. Vnde addo quinto, omnem accessum furtiuum ad moniales esse peccaminosum. Voco autem furtiuum omnem illum, qui fit sine licentia Abbatissæ, vel eius ad quem pertinet illam dare, & regulariter censeo esse peccatum mortale, etiamsi ad mortalem finem non ordinetur, quia est contra ius monasterij, & Abbatissæ, & contra bonum nomen eius, nam inter seculares furtiue accedere ad colloquendum cum virgine existente sub cura parentum, ex suo genere est grauis iniuria: multo ergo magis in virgine sacra. Erit autem grauior hęc culpa, si accessus sit ad loquendum per loca inusitata, quia tanto est maior iniuria, & periculum scandali. Sexto denique solent hoc Episcopi per generales sententias prohibere, & Sylvester refert synodales excommunicationes, sub quibus solet hoc prohiberi: quæ sine dubio sunt iustissimæ, & obligant gratiter etiam in individuo; in quo interdum cessare possent incommoda, vel ratio grauis malitiæ: quia lex non cessat in particulari, etiamsi ratio legis ibi cessare videatur: Talis ergo excommunicatio in vniuersum obligat. Imo inuenio quoddam responsum Congregationis Card. datum 9. die Aprilis anno 1587. quod sic habet, *Regulares adiuntes monasteria monialium sine licentia Episcopi, incidunt in pœnam excommunicationis, quam Episcopus suo edicto proposuit, nisi regulares illi haberent ex priuilegio quod non possint excommunicari; & tunc deberent puniri à suis Superioribus alia pœna. Qui regulares sic excommunicati non possunt absolui à suis Superioribus, sed ab Episcopo, qui sibi hanc absolutionem reseruauit.* Ex quibus satis colligitur, quam graue iudicetur huiusmodi præceptum à prædicta congregatione. Quando autem accessus non est furtiuus, sed cum facultate eius ad quem pertinet dare, licet fortasse sit sine necessitate vel causa sufficienti, imo licet sit ex causa ficta, non erit peccatum mortale secluso scandalo, & praua intentione, & nimia frequentia: quia non videtur res ex obiecto grauis, nec specialiter prohibita per ius positiuum, vt declaratum est.

Eadem est resolutio ad tertiam interrogationẽ, nullum enim inuenio ius de illa re specialiter constitutum. Imo etiam c. *Periculoso*, quanuis esset in sua viridi obseruantia, non esset extendẽdum ad hunc casum: quia scribere literas in rigore non est accedere, & lex non est extendenda vltra proprietatem terminorum. Vnde Nauarr. dict. Comment. 4. n. 61. refert prohibitionem seu edictum factum Romæ de huiusmodi scriptione, quod dicit non obligare extra vrbem, quia non fuit lex Pontificia. Et cons. 19. de sent. excomm. refert aliam specialem prohibitionem factam quibusdam religiosis à Gregorio XIII. sub pœna excommunicationis, quæ illos obligat, non alios. Itaque de hac re nulla est prohibitio legis positiuæ, sed de illa iudicandum est iuxta circunstantias, & finem actionis, & cum proportione fere applicari possunt, quę de accessu diximus num. præcedenti.

XXVIII. *Resolutio tertia de scriptione Epistolarum.*

* *
*

CAPVT

CAPVT XI.

Vtrum omnes actiones seculares, vel profanæ, & in vniuersum omnes praui sint religiosis specialiter prohibitæ.

I. *Puncta duo tractanda hoc in cap.*

IN hoc capite non agimus de sola obligatione regulæ, sed de quauis alia ex quocunque iure nascatur, vel naturali, vel positiuo. Duo autem sunt, quæ interrogantur. Vnum est, an religiosis aliquæ actiones specialiter prohibitæ sint, quæ alijs non prohibentur. Aliud est, an illa eadem, quæ religiosis cum alijs communiter prohibita sunt, habeant in religiosis specialem prohibitionem, vel grauitatem. Quoad priorem partem supponimus non esse sermonem de actionibus contrarijs votis monasticis, nam de illis constat esse specialiter prohibitas religiosis. Specialiter (inquam) quantum est ex vi status, quia religiosis per se conuenit talis obligatio, seu prohibitio, non vero alijs, qui illum statum non profitentur. Potest autem interdum similis obligatio inueniri in persona non religiosa, quia votum aliquod habet, in quo cum religiosis conuenit. Sed hoc & est accidentarium, & ibi iam interuenit participatio quædam status religiosi. Deinde non tractamus de speciali prohibitione orta ex regula; nam sic etiam constat multa esse posse specialiter prohibita religiosis. Sed de hac obligatione in genere satis dictum est à c. 1. in particulari vero vnusquisque regulam suam consulat. Præterea non agimus de prohibitione ex vi iuris naturalis, aut diuini, sic enim nihil est specialiter prohibitum religioso, præter ea, quæ intrinsece ex votis, & traditione facta religioni sequuntur: de quibus etiam dictum est in tomo superiore: nulla enim alia ratio aut causa excogitari potest vnde similis prohibitio naturalis, aut diuina oriatur, cum in his personis nihil speciale inueniatur, per se loquendo, & vt religiosæ sunt: nam si habeant alia ministeria, vel officia, ratione illorum poterunt alias obligationes habere: sed illa accidentaria sunt ad religiosum statum.

II. *Resolutio puncti quoad prohibitiones communes religiosis cum Ecclesiasticis seu secularibus.*

Igitur solum superest dicendũ de iure communi canonico. In quo vlterius considerandum est, quędam dici posse specialiter prohibita religiosis, vt distinguuntur à personis omnino laicis, seu non Ecclesiasticis, vel specialissime prout tam à laicis, quam à secularibus clericis distinguuntur. Priori modo sunt iure canonico prohibita religiosis multa, quæ numerantur in c.1. & sequent. ne cleric. vel mon. & in c. *à crapula. c. clerici*, 1. & 2. de vita & honestat. cleric. & Clem. 1. de statu monach. & Concil. Trid. sess. 22. c. 1. de Reform. & sess. 24 c. 12. in fin. quę ibi videri possunt, nihil enim habent, quod specialiter ad religiosos pertineat, & hic tractanda non sunt, quia omnibus clericis sunt communia, habebunt enim, si Deus dederit, suum proprium locum in tractatu de ordine. Et multa ex ibi prohibitis sunt per se mala, vt ebrietas, libido, vsura, & similia: alia pertinent ad decentiam habitus clericalis, de quibus quantum ad religiosos spectat, satis in c. 5. dictum est. Alia denique specialiter prohibentur propter decorem talis status, & quia multum impediunt finem eius. Inter quæ numerantur inprimis negotiatio temporalis lucri causa, forẽses causas agere, præsertim in causa sanguinis, conductores secularium rerum, aut procuratores esse, & huiusmodi, quæ licet per se mala non sint, periculum habent, & implicant hominem negotijs secularibus, iuxta c.1. & 2 de Cleric. venat. Quibus denique accedunt alia, quæ de se magis indifferentia videntur, vt sunt alearum ludus, venatio, canes, & aues insequendo, & vociferando: de quibus videri potest Nauarr. Comment. 4. de Regularib. num. 26. & sequentib. vbi specialiter agit de venatione prohibita religiosis, quam nõ putat esse peccatum mortale, secluso scandalo, & aliquando ex iustæ recreationis causa, & seruatis alijs debitis circunstantijs posse fieri significat: quod verum existimo. Et idem dixit de ludo idem Nauarr. in Summ. c. 19. num. 3. quando ludus aliàs non est ex iure prohibitus, vt notauit etiam Bernardus Diaz in practica, cap. 70. vbi Salzedo alios refert, & attigit Soto lib. 4. de Iustitia, q. 5. art. 2. Maxime tamen cauendum est, ne votum paupertatis per ludum violetur, quod maxime potest huius actionis malitiam aggrauare, eumque qui à religioso aliquid lucratur, ad restitutionem obligare, iuxta principia superius posita de materia paupertatis.

III. *Repetitio eiusdem quod aliquæ prohibitiones religiosorum sint propriæ.*

Posteriori modo inueniuntur in iure speciales prohibitiones factæ religiosis, quas fere omnes late expossui in tomo 5. tractando de excommunicationibus iuris in particulari in disp. 22. & 23. & de suspensionibus proprijs religiosorum disp. 31. sect. 6. easque breuiter recenset Sylvest. verb. *Religio* 6. q. 15. & 16. & *Religio.* 7. q. 15. & Angelus verb. *Religiosus* 66. Quibus locis multa ponunt, quæ non sunt omnibus religiosis communia, sed eorum propria, qui Monachi nigri in iure appellantur: & adhuc inter illa multa non sunt rigorosa præcepta, vt in superioribus tactum est, explicando etiam c. *cum ad monasterium.* de statu monach. Multa etiam ex his, quæ numerant, pertinent vel ad non alienanda bona religionis, quæ li. 2. à c. 26. tractabo, vel ad modum faciendi, & acceptandi electiones, quod attigimus tomo superiore, explicando obedientiæ votum, & tractando modum creandi Prælatos. Reliqua dicemus, quæ spectant ad Prælationes intra religionem, eodem lib. 2. à c. 3. nam de alijs, quæ sunt extra illam in priori loco tomi superioris, est dictum, & dicemus plura infra lib. 3. tractando de mutatione status religiosi: vbi etiam tractabimus de his, quæ pertinent ad prohibendam apostasiam, & omnem illicitam mutationem status religiosi. Solum ergo desiderari poterat explicatio præcepti psallendi in choro horas canonicas, quod ad regulares etiam Ecclesias extenditur in Clem. 1. de Regular. Sed hoc præceptum vnamquamque religionem obligat iuxta modum sui instituti: vnde Societatem non obligat, quia sub tali modo instituta, & approbata est: cuius rei rationem infra tract. 10. lib. 1. c. 8. reddemus. Vnde autem oriatur obligatio, quam singuli religiosi professi habent ad recitandas horas canonicas, & tota communitas ad publice canendas & recitandas illas in choro tomo 2. lib. 4. c. 17. de Horis canonicis dictum est. Et ideo de oneribus status religiosi in communi nihil dicendum superest.

IV.

Quoad secũdam partem est commune dubium, an peccatum religiosi, cæteris paribus, grauius sit, quam non religiosi, & consequenter an idem præceptum commune religioso, & non religioso magis obliget religiosum? Quam rem disputat D. Th. 2. 2. q. 186. a. 10. vbi, si attente legatur, resolutio eius non solum est negatiua, verum potius significat leuius esse peccatum religiosi, per se loquendo. Ex triplici enim accidente (vt ait) potest peccatum religiosi esse grauius, scilicet vel quia est contra votum, vel quia est ex contemptu, vel quia fit cum scandalo: quæ tria constat esse accidentaria, & extra propriam rationem & obligationem particularium præceptorum. Idem tenet Sylu. *Religio.* 6. q. 14. Greg. Lop. glos. 8. in lib. 25. tit. 4. p. 1. cum Ioan. Andr. in c. *Accusatus.* de hæretic. in 6. Extra hos vero tres casus ait D. Th. peccatum religiosi esse leuius in eodem genere peccati. Quia si sit leue (inquit) quasi absorbetur ex multis bonis operibus, quæ facit; si vero sit mortale, facilius ab eo resurgit. Sed hæra-

tiones

tiones etiam sunt ab extrinsecis effectibus sumptę, & solum probant peccatum religiosi facilius remedium habere, non tamen esse in se leuius.

V. Primus assertus pro Authoris resolutione.

Quocirca dicendum censeo, præcepta communia religiosis, & non religiosis, quantum est de se, æqualiter illos obligare. Probatur, quia præceptum indistincte loquitur, & potestas præcipientis æqualis est respectu omnium: voluntas etiam generalis est, & indifferens: ergo etiam obligatio æque ad omnes descendit, per se loquendo. Neque enim ex parte subiectorum considerari potest aliquid, quod reddat vnam ex his personis magis obnoxiam huic obligationi, quam alias: suppono enim præceptum non pertinere ad statum religiosi vt sic, alias non esset commune non religiosis: ergo status hominis religiosi per se, neque auget, neque minuit obligationem talis præcepti. Vnde fit, vt ex hac parte, & consequenter ex vi materiæ nec grauius, nec leuius religiosus peccet, sed iuxta exigentiam virtutis, ad quam pertinet tale præceptum. Dices, eo ipso, quod persona est sacra, ex circunstantia personæ aggrauari quamlibet culpam, ideoque ipsam magis obligari ad non transgrediendum quodlibet præceptum. Respondetur idem argumentum fieri posse de clerico comparatione laici, & de fideli seu baptizato comparatione infidelis. Item solet idem argumentum fieri de loco sacro, de quo certum est non omne peccatum factum in eo specialem grauitatem inde accipere, nisi vel peculiariter ibi prohibitum sit, vel directe sit iniuriosum loco. Ita ergo in præsenti dicimus illam circunstantiam personæ non aggrauare specialiter quamlibet culpam, nisi vel ratione voti, vel peculiaris præcepti sit specialiter prohibita, vel aliunde sit directe iniuriosa tali statui, vt recte Caiet. 1.2.q. 7.art.1.sentit. Vnde si in tali persona consideretur aliqua maior obligatio vitandi culpas, non est ex sola consecratione personæ, sed ex alijs conditionibus ad voluntatem vel intellectum pertinentibus, vt videbimus.

VI. Secunda assertio proposita.

Secundo dicendum est, regulariter loquendo grauius peccare religiosum quoties cum perfecta deliberatione peccat, leuius autem cum ex subreptione. Ratio prioris partis est, quia regulariter ille modus peccandi est in religioso cum maiori scientia, & consequenter cum maiori libertate, ac propterea cum maiori ingratitudine erga Deum. Quia ex maiori lumine rerum spiritualium, quod solent religiosi habere, sequitur & maior libertas in peccando quando deliberatio non impeditur. Et præterea etiam sequitur maior obligatio recognoscendi illud Dei beneficium, & consequenter non offendendi benefactorem. Atque hoc modo intelligendum puto, quod aliqui absolute asserunt, peccatum religiosi, cæteris paribus, grauius esse quam non religiosi, propter circunstantiam personæ. Quo modo loquitur sæpe Nauar. vt videre licet in Summa c.6.n.13.& in c *consideret*. de pœnit. dist.5. n.49.& 50.& Comm.2. de Regul. n.59. Hoc enim in tantum verum esse existimo, in quantum ex illa conditione personæ oritur aut maior consideratio, aut certe maior facilitas & obligatio considerandi & cauendi diuinam offensionem, saltem ex generali ratione gratitudinis. Hæc autem omnia non ita habent locum in peccatis, quæ ex surreptione fiunt: quia non sunt perfecte humana, & ideo non magis imputantur ratione maioris luminis, aut scientiæ, quia in eis præuenitur homo, ne cum perfecta libertate possit his donis vti. Et ob eandem causam fere nulla ingratitudo in his peccatis consideratur. Quanuis autem hoc proprie locum habeat in peccatis venialibus, nam surreptio in rigore sumpta in solis illis locum habet; suo tamen modo extendi potest ad peccata, quæ ex infirmitate, aut vehementi passione fiunt, etiamsi mortalia sint, quatenus passio antecedens facultatem considerandi impedit. Et ideo D.Th. de his absolute dixit esse leuiora in religioso. quod regulariter forte ideo est, quia passio, quæ religiosum vincit, aut perturbat, solet esse maior: nam si in illa esset æqualitas, etiam posset illi magis imputari, quod habens plura principia vel auxilia ad superandam illam, vinci se finat. Nisi etiam dicatur culpa leuior (quod plane videtur D.Thom. intendisse) id est, minus nociua seu periculosa quoad vltimum eius damnum seu effectum, quia facilius curari potest. Quod secus est in peccatis, quæ ex certa scientia, vel malitia à religiosis fiunt: nam in eis maxime locum habet, quod Aug. dixit ep.137. *Sicut non vidi meliores quam qui in monasterijs profecerunt; ita non vidi peiores quam qui in eis defecerunt.*

VII. Exponitur maior grauitas peccatis religiosi, quando incurritur.

Aduertit nihilominus Nauarr. citatis locis, & recte, grauitatem hanc, quam potest habere peccatum religiosi, ex hoc solo capite secluſis tribus illis circunstantijs, quas D.Thom. n.4. adductus considerauit, neque addere malitiam distinctæ speciei, neque mortaliter aggrauare, ita vt ex veniali peccato possit facere mortale; neque etiamsi mortalem malitiam supponat, ita notabiliter aggrauare illam, vt necesse sit talem circunstantiam in confessione declarare. Ratio omnium est, quia ibi non est specialis materia sacrilegij, vt ostensum est: præter quam nulla alia cum fundamento excogitari potest. Solum ergo esse potest augmentum, vel ratione maioris libertatis, aut voluntatis formalis, vel interpretatiuæ, quæ notabiliter non augent; vel ratione alicuius ingratitudinis, quæ non est formalis, sed materialis, secluso contemptu, vt in simili diximus in tomo 4. de Pœnitentia, disp. 13. sect.3. & in præsenti etiam materia, quantus de alia re agens, sensit Caiet. 2.2. q.187. art.4.

VIII. Ingratitudo religiosorum virtutum temporalibus bonis donatis an sit grauior.

Ait vero D.Tho. eo ipso in loco, Religiosos illicite vti temporalibus bonis, si ab actibus religiosis desistant: quia sic quantum est de se defraudant intentionem eorum, qui talia bona contulerunt. Vbi Caietanus declarat illud esse illicitum ratione ingratitudinis, vel formalis, si directe intendatur, vel ex contemptu beneficij susceptí fiat (quod moraliter nunquam sit) vel tantum materialiter, quæ erit maior, vel minor, iuxta obligationem, quam ex alio præcepto habuerint religiosi ad tales actus exercendos. Vnde nisi aliàs teneantur sub peccato mortali ad tales actus, sola ingratitudo susceptí beneficij non sufficiet ad malitiam mortalem.

IX. Ex alio fundamento alijs aggrauat peccatum religiosi.

Dicunt vero aliqui, eo ipso quod religiosi ex vi sui status, & professionis deputantur ad aliquos actus, vt, v.g. ad chorum, vel ad spiritualia ministeria erga proximos, vel ad seruiendum in actionibus corporalibus, si sint laici, teneri ex iustitia ad illos actus exercendos, & non ex sola gratitudine, ideoque per se ac directe peccare mortaliter illos omittendo. Quia inter religionem & religiosum intercedit pactum implicitum, vt religio ministret omnia necessaria ad vitam; religiosus vero munus suum exequatur. Dico tamen, excepta obligatione recitandi officium canonicum, quæ oritur ex alijs principijs, siue illa sint consuetudo, siue ius aliquod canonicum, siue solenne votum, de quibus alibi; in reliquis actibus nullam esse obligationem sub peccato mortali, per se loquendo, nisi vel in regula sit præceptum, quo ita districte præcipiantur, vel ipse Prælatus sub virtute obedientiæ illos præcipiat. Ratio est, quia nullum aliud principium talis obligationis, vel grauis transgressionis cum fundamento afirmari potest. Nam ex vi professionis ad nullos actus immediate se obligat religiosus, nisi ad id, quod vouet: non vouet autem immediate actus illos, ad quos destinatur, neque enim ad recitationem

Vera authorum doctrina.

nem in choro, quidquid sentiat Nau. tractatu de oratione, c. 21. n. 20. sed præter castitatem & paupertatem vouet tantum obedire secundum regulam. Tunc ergo obligabitur ex voto ad illos actus, quando interuenerit obedientiæ præceptum, vel regulæ, vel hominis: ergo, si vtrumque secludamus, non manet obligatio ex vi votorum; ergo nec ex vi professionis: ergo nec iustitiæ obligatio interuenit, donec Prælatus rigorose præcipiat, & exigat ius suum; tunc enim fateor peccatum esse posse cõtra iustitiam ratione traditionis, & pacti, & contra virtutem religionis ratione voti obedientiæ, vt in superiori tomo late explicauimus. Sicut peccaret etiam Prælatus contra iustitiam negando subdito necessaria ad suam sustentationem: est autem differentia, quia Prælatus ex officio habet hanc obligationem sine nouo præcepto, nec enim subditus potest illud Prælato imponere: at vero subditus immediate & ex officio solum tenetur obedire: in particulari vero obligatio semper est iuxta gradum præcepti seu legis sibi impositæ; & nunquam intelligitur obligatio iustitiæ ab ipso exigi, nisi quando actus ita præcipitur. Illa autem iustitiæ obligatio, aut transgressio non est respectu fundatorum, aut bene factorum, qui eleemosynas dederunt (nisi vbi tale pactum interuenerit) sed est respectu Prælati, seu religionis, cui religiosus se tradidit. Dixi autem *per se loquendo*, nam ratione scandali, vel propter alia grauia damna, si inde sequantur, poterit in ea omissione esse peccatum mortale. Et hactenus de obligationibus religiosis communibus: reliquum est vt de Prælatis in particulari dicamus.

INDEX CAPITVM LIBRI SECVNDI.

De religiosis quatenus Prælati sunt, & eorum obligationibus, vt sic.

CAP I. *AN in religioso statu necessarius sit aliquis Prælatus iurisdictione pollens, & vnde illam habeat.*

II. *Quotuplex sit Religionis Prælatus, & quem inter se ordinem seruent?*

III. *De electione supremi Prælati in religione, deque conditionibus ex parte ipsius requisitis, vt legitime eligatur.*

IV. *De conditionibus eligentium dictum Generalem.*

V. *De forma prædictæ electionis Generalis.*

VI. *De electione aliorum Prælatorum infra Generalem.*

VII. *An Prælatio Religionis perpetua sit; quandiuue durare possit aut debeat.*

VIII. *An Prælatus Religionis potestatem habeat obligandi subditos in conscientia, quando & quomodo.*

IX. *An in Prælatis religiosis sit potestas coerciua, tum in vniuersum, tum specialim ad pœnas spirituales.*

X. *An in eisdem sit talis potestas ad pœnas corporales.*

XI. *An religiosi possint à sententiis & præceptis suorum superiorum appellare.*

XII. *An in Prælatis regularibus sit potestas dispensandi, & ad quam materiam se extendat.*

XIII. *Quibus Prælatis, & qua ratione potestas dispensandi cum suis subditis sit concessa.*

XIV. *Quæ personæ à Prælatis Religionis dispensari queant.*

XV. *An in Prælatis Religionum sit potestas, tum ad absoluendum suos subditos à culpis non reseruatis; tum ad delegandum aliis talem potestatem.*

XVI. *An in aliis etiam, præterquam in ipsis Prælatis Religionum, vel eorum delegatis detur potestas illos absoluendi. Vbi de bulla Cruciatæ.*

XVII. *An saltem pro religiosis peregrinis, ac nouitiis absoluendis detur in aliis dicta potestas.*

XVIII. *Quid circa reseruationem culparum in Religione statuerit Clemens VIII.*

XIX. *Quis possit absoluere religiosos à culpis reseruatis.*

XX. *An Prælati regulares habeant potestatem absoluendi suos subditos à censuris.*

XXI. *A quibus censuris & pœnis possint Prælati regulares absoluere suos subditos, per priuilegia religionibus præsertim mendicantibus concessa.*

XXII. *In quibusnam Religiosis Prælatis sit potestas absoluendi subditos de omnibus censuris, tam à iure, quam ab homine.*

XXIII. *An in Episcopis etiam resideat dicta potestas absoluendi Religiosos.*

XXIV. *Ad quas personas absoluendas extendatur dicta potestas.*

XXV. *An superiores religionum possint per priuilegia absoluere subditos etiam à censuris specialibus ab homine.*

XXVI. *De potestate Prælatorum religionis circa bonorum temporalium administrationem, ex primæua institutione à iure antiquo permissam.*

XXVII. *De potestate ad prædictam administrationem immobilium iuxta posterius ius Canonicum.*

XXVIII. *De potestate ad prædictam administrationem iuxta indulta specialia Religionum, & nominatim Societatis.*

XXIX. *De potestate Prælatorum regularium ad conferendos ordines.*

XXX. *De potestate eorundem Prælatorum ad res aut vestimenta sacra benedicenda vel conseruanda.*

LIBER

LIBER SECVNDVS.

DE RELIGIOSIS QVATENVS PRÆLATI SVNT, & eorum obligationibus, vt sic.

POST explicatam essentiam, & præcipua vincula, status religiosi, dicendum de cæteris obligationibus, & proprietatibus eius. Ad hoc autem oportet gradus personarum, ex quibus religiosa congregatio coalescit, distinguere, & sigillatim considerare, quia pro diuersitate eorum, diuersa est obligatio, & in quibusdam earum personarum oritur, ex respectu ad alias. Ad duo autem capita possunt dictæ personæ reuocari, Prælatos scilicet, & subditos. Primum vero occurrit Prælatorum cõsideratio, quia & præcipui sunt, & post doctrinam de obedientia, & subiectione, opportune cadit sermo de Prælatis. Igitur de eis dicemus, quæ pertinent ad ipsorum creationem, seu existentiam, (vt sic dicam;) deinde, quæ ad potestatem & obligationes ipsorum, quæ in tali creatione fundamentum habent.

CAPVT I.

Vtrum in religioso statu aliquis Prælatus requiratur iurisdictionem habens, & vnde illam habeat.

1. Status religiosus præsertim nunc est in Ecclesia, sermo instituitur.

NOn possumus religiosorum obligationes, in quibus tradendis versamur, explicare quoad eam partem, quæ Prælatos attingit, nisi de eorum existentia, & potestate, in quibus tales obligationes fundamentum habent, doctrinam, per nonnulla capita præmittamus. Supponendum vero, sermonem esse de statu religioso, vt nunc est in vsu Ecclesiæ, in regulari, & communi vita, nam, vt supra tactum est, & tractatu sequenti dicemus, inueniri etiam potest verus religiosus status in solitario & priuato viuendi modo, respectu cuius non est necessaria alia Prælatio, vel præcipiendi potestas, præter eam, quam intrinsece requirit obediẽtiæ votum, vt ex dicendis à fortiori constabit: & ideo de illo statu, quod ad præsens attinet, nihil aliud dicere necesse est. De alio vero statu communitatis religiosæ per se notum videtur in illo necessarium esse aliquem, qui cæteris præsit, præcipue si hoc non restringamus ad vnam personam, sed indefinite loquamur de vno gubernatore, siue illa vna persona sit, siue vnum consilium ex multis personis constans: sic enim impossibile est humanam communitatem sine gubernatore consistere. *Vbi enim non est gubernator* (dixit Spiritus Sanctus Prou. 11.) *populus corruit.* Quod si de omni communitate hoc verum est, multo magis de religiosa, in qua summus ordo ad perfectionis profectum necessarius est. Et ideo in eo statu speciali titulo & ratione necessaria est obedientia, vt tomo præcedenti vidimus. Simili ergo modo necessarius est Superior, cui obediatur: & ideo omnes religionum institutores hoc primum in hoc genere viuendi statuunt, vt scilicet in eo sit aliquis Præfectus, cui cæteri perfecte obediant, vt satis ostensum est tractando de necessitate obedientiæ: hæc enim duo correlatiua sunt. Quanuis autem de absoluta necessitate hoc non restringatur ad vnam personam, vt dixi, tamen moraliter loquendo, necesse est vsum huius regiminis ad singulares personas reduci, quia fieri non potest, vt singula, quæ agenda, vel præcipienda occurrunt, plurium communi consilio disponantur, vel ordinentur. Posset autem ordinaria potestas etiam immediata, solum esse in communitate, seu consilio aliquo, licet per Vicarios proxime administranda esset: illud autem regimen non esset religioni conueniens, quia imperfectum est, & ordini religioso minus accommodatum. Ideoque in omnibus religionibus monarchicum regimen, saltem quoad proximam gubernationem vsu receptum est. Est enim hoc regimen omnium perfectissimum, teste Aristot. 8. Ethic. cap. 10. & confirmat D. Thom. 4. contra Gent. cap. 76. imo Christus Dominus docuit, dum in sua Ecclesia perfectam monarchiam esse voluit, vt in tom. de fide ostendi. imo & natura ipsa hoc persuadere videtur, dum vnum tantum supremum Principem, Deum scilicet, admittit, vt notauit Cyprianus in tract. de Idolorum vanitate. Status ergo religiosus ratione suæ perfectionis monarchiam etiam maxime postulat. Requirit ergo non solum vnum gubernatorem, sed etiam vnum caput, quod singularis persona sit: in hoc enim differt monarchia à cæteris politijs.

Quales Prælati dicantur magistratus.

II. Est autem ex superiori tomo recolendũ, in Prælatis religionum duplicem posse intelligi potestatem, iurisdictionis scilicet & dominij. Dicendum ergo secundo est. In hoc statu necessarius est superior, qui potestatem dominatiuam habeat; iurisdictio vero non ità illi necessaria est. Prior pars sufficienter est in illo tomo declarata, & probata: nam trãditio, & votum obedientiæ sunt de necessitate status religiosi: ergo & potestas dominatiua in Prælato est necessaria in hoc statu: nam hæc duo sunt quasi correlatiua, vel tanquam causa, & effectus; nam ex traditione, quæ fit ex parte religiosi, sequitur dicta potestas in religione à qua in superiorem transfertur. Altera item pars probatur, quia prædicta potestas sufficit ad gubernationem œconomicam: hæc autem, si sit accommodata disciplinæ religiosæ, sufficit in rigore ad religiosum statum. Maior patet in seculari gubernatione domus, in qua pater habet huiusmodi proportionalem potestatem in filium, vir in vxorem, dominus in seruum, & illa sufficit ad politicam gubernationem. Minor autem patet, quia religiosus status sufficienter saluari potest in communitate vnius domus, cuius gubernatio & viuendi modus ad perfectionem charitatis ordinetur: ergo in illius superiore sufficit prædicta potestas ad eundem finem, & vitæ modum accommodata. Quod si plures domus habeãt inter se moralem vnionem, qua vnum corpus politicum efficiant, præterquã quod id non est simpliciter necessarium ad statum religiosum, etiam illud potest sufficienter saluari cum prædicta potestate amplificata, seu extensa quoad dominium cum sufficienti proportione, siue id fiat per subordinationem obedientiæ plurium conuentuum, seu domiciliorum ad vnum superius ca-

put, siue per consensionem plurium Abbatum, seu superiorum conuentualium inter se; quanquam hoc secundum minus firmum est, & pluribus dissensionibus expositum.

III. *Varia exemplæ pro assertione confirmanda.*

Confirmatur, & explicatur exemplis, primo monialium, in quibus nulla est iurisdictio spiritualis iuxta doctrinam D. Th. in 4. d. 19. & 25. communiter receptam, quam in tomo de censuris disp. 2. sect. 3. à n. 5. explicuimus; & tamen in illarum conuentibus est aliqua cæteris præfecta, siue Abbatissa, siue Prioriſſa, vel aliter nominetur, in qua est sufficiens potestas gubernatiua ad religiosum statum necessaria, argumento c. 2. de his, quæ fiunt à Prælato, cũ his, quæ ibi notat Abbas, & alij, & ex ipso vsu satis constat. Aliud exemplũ est de antiquis monachis, qui regulariter non erãt clerici, vt sumitur ex Dionysio c. 6. de Eccles. hierarch. Hier. ep. 1. ad Eliodorum, 4. ad Rusticum, & lib. contra Vigilantium, & ex alijs, quæ referuntur 16. q. 1. & infra tractatu sequenti de varietate religionum, latius de ea re dicemus: & tamen inter antiquos monachos erant Præfecti ac Superiores sufficientem habentes potestatem ad religiosum statum gubernandum, vt constat de illis antiquis Patribus Antonio, Hilarione, & Pachomio, imo etiam S. Benedicto, quem sacerdotem fuisse non legimus; imo non fuisse scribit Bonau. in expositione suæ regulæ, c. 7. fuisse autem vere Abbatem, id est, monachorum patrem, & superiorem, satis constat. Estq; optimum exemplum apud D. Greg. li. 1. Dialog. c. 4. de Equitio, qui, cùm sacris ordinibus initiatus non esset, Abbas, & multorum monasteriorum Pater à Gregorio appellatur. Igitur ad hoc munus iurisdictio Ecclesiastica necessaria non est, sed sufficit prædicta potestas: nam in his viris laicis, quantumcunq; sanctis, Ecclesiastica iurisdictio esse non potest. Dices, in illis fuisse potestatem excommunicandi, vt ex regula S. Benedicti, & ex alijs colligi potest. Respondetur, in nomine *excommunicationis* esse æquiuocationem: nam illa, de qua Benedictus in sua regula loquitur, non erat censura Ecclesiastica, sed externa quædam separatio à conuersatione fratrum, vel in choro, vel in alijs occupationibus, seu exercitijs, vel in communibus colloquijs, quæ separatio solum erat per ordinationem, seu prohibitionem obedientiæ, vnde neque ipsum religiosum, neque alias personas eo modo ligabat, quo nunc ligat Ecclesiastica censura.

IV. *Arguitur adhuc contra secundam partẽ præcedentis assert.*

Rursus vero obijciet aliquis, nunquam posse statum religionis esse aut conseruari sine Prælato habente potestatem iurisdictionis, nec exemplis adductis oppositum probari; quia nec moniales sunt sine huiusmodi Præiato, nec religiosi vnquam fuerunt: solumque probant dicta exempla, non oportere Prælatum esse eiusdem sexus, vel eiusdem ordinis; non vero esse omnino nullum. Nam moniales vel subijciuntur religiosis viris tanquam Prælatis habentibus iurisdictionem in illas, vel Episcopis, si exemptæ non sint: & tunc Episcopus non minus est proprius Prælatus earum, quam sit Prouincialis, aut Prior circa sibi subiectos. Et similiter olim quando monachi erant mere laici, subijciebantur Episcopo tanquam proprio Prælato, vt sumitur ex citato loco Dionysij, & ex Hieronymo, & alijs, quos supra retulimus: & idcirco quia Episcopus per seipsum præesse non poterat, solebat substituere Presbyterum aliquem, cui vices suas committebat, vt colligitur ex Concilio Chalcedonensi c. 8. & ex regula Augustini, vbi distinguit Præpositum à Presbytero, & vtrique tribuit potestatem corripiendi religiosos, & vindicandi delicta: quia fortasse in Præposito erat tantum potestas dominatiua; in Presbytero autem erat etiam Prælatio, & iurisdictio: & hoc significant illa verba, quæ habentur in fine regulæ, *Præposito tanquam patri obediatur, multo magis Presbytero, qui omnem vestrum curam gerit. Vt ergo cuncta ista seruentur, & si quid seruatum minus fuerit, non negligenter præteatur; sed vt emendandum corrigendumque curetur, ad Præpositum præcipue pertinebit, vt ad Presbyterum, cuius etiã apud vos maior authoritas, referat quod modũ vel vires eius excedit.* Erat ergo in Presbytero maior potestas, quam in Præposito, quæ non videtur alia fuisse nisi iurisdictionis: ergo nũquam hæc defuit in Prælatis religionum. Et ratio sumi potest ex prædictis verbis Augustini: quia hæc potestas moraliter necessaria est ad perfectam gubernationem talis status, tum ratione directionis perfectæ, tum etiam ad maiorem coactionem vbi fuerit necessaria.

V. *Occurritur argumento primo.*

Hæc argumenta conuincunt plane quod intendunt, solumque posita sunt vt verum sensum assertionis positæ explicemus. Duobus enim modis intelligi potest, Prælationem cum iurisdictione esse necessariam ad statum religiosum. Primo, vt talis iurisdictio, & Prælatio esse debeat specialiter commissa ipsi religioni, vel alicui personæ eiusdem ordinis, & professionis. Et hoc modo negamus esse necessariam propriam Prælationem cum potestate iurisdictionis intra ipsam religionem: & hoc conuincunt exempla adducta in numero 3. quibus addi potest exemplum, quod nunc etiam extat, religionis laicorum institutæ ad curandos infirmos in publicis Xenodochijs eorum curæ commissis: illi enim inter se proprios habent Præfectos, quibus obediant; illi tamen iurisdictionem propriè non habent, sed in Episcopis residet. Alio modo potest intelligi hæc iurisdictio necessaria in aliquo Prælato Ecclesiæ, qui ratione illius dici poterit Prælatus religiosorum: & hoc modo euidens est talem Prælationem, & iurisdictionem esse necessariam, vt probat discursus numero præcedenti factus: & præterea, quia non potest esse in Ecclesia aliquis status, quin totus subiectus sit iurisdictioni Prælatorum, & Pastorum Ecclesiæ, secundum aliquem modum vel immediate à Christo, vel ab ipsa Ecclesia institutum: quod magis ex sequenti assertione, eiusque declaratione constabit.

VI.

Dico ergo tertio. In religionibus exemptis, quales nunc fere sunt omnes religiones virorum, necessarij sunt Prælati proprie dicti habentes spiritualem, imo & Episcopalem iurisdictionem. Conclusio est certa, & communis Doctorum, quos statim referemus, constatque inductione iuxta præsentem Ecclesiæ vsum: nam & monachales Ordines, & Mendicantes (ad quas reducuntur alij, qui cum illis communicant, vel participant) habent huiusmodi Præpositos cum propria potestate, & iurisdictione. Ratio autem necessitatis, supposita exemptione, est efficax, quia eo ipso, quod religio à iurisdictione Episcoporum eximitur, manet immediate subiecta solius Pontificis iurisdictioni; non poterat autem conuenienter gubernari immediate per solum Summum Pontificem, aut per Commissarios, vel Delegatos ab ipso: quia in omni congregatione necessarij sunt Pastores ordinarij, quibus eius cura ex officio incumbat: ergo, si huiusmodi Pastores proximi non sunt Episcopi, necessarium est, vt sint Prælati proprij vniuscuiusque religionis. Atque hinc inferunt communiter Doctores, Præpositum Generalem, Prouincialem, & localem, seu conuentualem vniuscuiusque religionis approbatæ à Summo Pontifice, & exemptæ, esse vere ac proprie Prælatos, vt patet ex Gloss. in Clem. 1. de Elect. verb. *Prælatum*. vbi Cardinalis, & alij. Sumitur ex Panorm. in cap. *cum ab Ecclesiarum*, de Offic. Ordin. vbi distinguit duplicem acceptionem huius vocis *Prælatus*: vnam late, secundũ quam etiam

etiam Parochus dici potest Prælatus, quatenus suis Parochianis præest: aliam propriam, & iure visitatam, secundum quam solus ille, qui habet iurisdictionem spiritualem, & ordinariam fori contentiosi, Prælatus dicitur, vt sumitur ex cap. 2. iuncta gloss. vlt. de iudicijs. Cum ergo Superiores religionum iurisdictionem habeant spiritualem fori contentiosi, eamque ordinariam, nam ex vi proprij muneris eam habent, vnde & delegare illam possunt, Prælati proprie dicuntur, vt latius docent etiam Sylvest. & Angel. verb. *Prælatus*. Et hæc de 1. p. tituli.

Tractatur secunda pars tituli de origine iurisdictionis Prælatorum Regularium.

VII. Ex dictis facile definitur quæstio hic occurrens, vnde, aut quo iure habeant hi Præfecti religionum vt Prælati sint, id est, vt habeant hanc spiritualem iurisdictionem. Quidam enim putant habere illam iure diuino, quod grauissimos Doctores docuisse, eos tamen non referens, dixit Medina, li. de Indulgentijs, cap. 24. eandem sequi videtur, & suadere conantur Emmanuel Rodrigues to. 1. Regularium quæst. q. 17. art. 2. & Miranda in Manuali Prælatorum tom. 1. quæst. 13. articulo 4. conclusione 1. Argumentantur primo, quia Prælati Ecclesiæ sunt, qui habent iurisdictionem illam, de qua dictum est Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus*. nam iuxta communem interpretationem Chrysostomi, & aliorum, nomine Ecclesiæ, Prælati ibi intelliguntur; sed Præfecti religionum sunt vere Prælati: ergo habent iurisdictionem iure diuino. Secundo, & in idem redit, quia Christus ibi, cum dixit, *Quæcunque ligaueritis*, &c. ad omnes Prælatos Ecclesiæ loquutus est: sed inter hos Prælatos sunt Superiores religionum: ergo habent iurisdictionem ex vi verborum Christi, atque adeo ex iure diuino. Tertio, Episcopi habent iurisdictionem iure diuino, vt est multorum sententia; sed Prælati religionum habent iurisdictionem Episcopalem, vel quasi Episcopalem, vt dicitur in cap. *Abbates*. de Priuilegijs, in 6. & notat gloss. in Clement. vnica, de rebus Eccles. non alien. verb. *Proprij*. ergo per argumentum à simili etiam illi habent iurisdictionem ex iure diuino. Quarto, religio instituta est à Christo; sed religio non potest consistere sine Prælatis eiusdem ordinis habentibus iurisdictionem: ergo habent illam à Christo. nam qui instituit aliquem statum, sine dubio dat omnia necessaria ad illum. Maior supponitur ex supra dictis. Minor sumitur ex ratione iuris statuentis, vt religiosorum Prælatus eiusdem habitus, & religionis sit: cuius rationem reddit Innocentius III. in cap. *cum causam*, de Electione. Quia secundum legem diuinam non est in boue aranden, & asino: id est (vt expositum Concilium Hispalense II. cap. 9. cap. *in nona*, 16. quæst. 7. *homines diuersæ professionis in officio vno non sociabis: nam cohærere* (vt ibidem subiungitur) *& coniungi non possunt, quibus & studia, & vota diuersa sunt*. Vnde in Clem. 1. de Elect. sic dicitur, *Cum rationi non congruat, vt homines disparis professionis, vel habitus, simul in eisdem monasterijs soceniantur, prohibemus, ne religiosus aliquis in Abbatem vel Prælatum alterius religionis, vel habitus de cætero eligatur*. Est ergo hæc institutio ex natura rei intrinseca huic statui.

VIII. Hæc sententia noua est, & sine dubio falsa: quî enim fieri potest, vt sit de iure diuino, quod ab Ecclesia non semper fuit obseruatum? ostendimus autem num. 3. in antiquis religionibus fuisse spirituales Patres, seu Præfectos, aut Abbates sine propria & spirituali iurisdictione. Vnde certum est, institutionem hanc habuisse initium à summis Pontificibus, atque adeo esse de iure humano. quod prædictus author non negat, sed ait, fieri posse, vt idem Prælatus pluribus titulis, & rationibus iurisdictionem habeat. At hoc solum habet locum, vbi plures tituli non inuoluunt repugnantiam: at vero in præsenti, si proprie ac per se loquamur de origine iurisdictionis. Tunc enim iurisdictio proprie dicitur esse de iure humano, quando ab homine immediate confertur: & è conuerso de iure diuino dicitur, quæ immediate datur à solo Christo; & ita vnus titulus istorum alium excludit: non potest ergo eadem iurisdictio vtroque modo proprie ac per se haberi. Dico autem *per se*, quia si vnus titulus sit per accidens, non erit tanta repugnantia. Vt qui opinantur Episcopos habere iurisdictionem diuino iure, negant quidem per se habere ab homine: tamen quia non negant, nec negare possunt habere illam dependentem à Summo Pontifice, dicere possunt etiam esse ab illo saltem per accidens, tanquam à non prohibente, seu impediente, cum possit, vel tanquam à confirmante, seu designante personam. Sed hæc non sunt satis vt iurisdictio dicatur de iure humano: sic enim etiam iurisdictio Summi Pontificis per accidens est ab hominibus eligentibus ipsum: nec iurisdictio Prælatorum religionis est hoc modo ab homine, sed vt ab immediate, & per se conferente illam: nisi enim Summus Pontifex illam dedisset, nullum est diuinum ius, nullaue Christi promissio, ex qua colligere possimus ipsum immediate illam conferre: maxime quod talis modus Prælationis immediate est institutus ab Ecclesia, & non à Christo Domino, licet enim potestas illum instituendi fuerit à Christo, non vero ipsa institutio, nullibi enim ostendi potest, nec talis institutio fuit ex aliquo præcepto diuino positiuo, sed ex prudenti arbitrio Summorum Pontificum: nullo ergo modo talis iurisdictio est proprie de iure diuino, nisi solum remote in generalibus principijs, & in potestate concedendi illam: quod euidentius fiet respondendo ad argumenta.

Ad primum negatur consequentia, fit enim illatio virtualiter in quatuor terminis: immediate enim solùm infertur, Prælatum religionis habere iurisdictionem illam, ratione cuius dixit Christus, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus*. inde autem nihil infertur, quia Christus non dixit, omnes Prælatos Ecclesiæ habituros dictam iurisdictionem immediate ab ipso. Vnde, si ratio illa quidpiam valeret, probaret, omnes, qui in Ecclesia habent potestatem excommunicandi, etiam Archipresbyteros, Archidiaconos, Priores, Abbates, & similes inferiores dignitates, habere illam iure diuino; quod plane falsum est, quia fere in his omnibus constat manasse iurisdictionem ex priuilegijs Pontificum, & humana institutione. Eademque est responsio ad secundum: fatemur enim verba illa, *Quæcunque ligaueritis, & solueritis*, &c. dicta esse pro omnibus Prælatis; dicimus tamen adimpleri vel in multis, vel in omnibus infra Summum Pontificem per iurisdictionem mediante ipso Pontifice concessam. Vnde in his argumentis oportet aduertere, aliud esse, Prælatum habere iurisdictionem; aliud, quod obediendum sit Prælato iurisdictionem habenti. Primum non semper est immediate à Christo, nec ex præcepto eius: secundum autem est diuinum præceptum explicatum Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit*. quod suo modo naturale est, sicut obedire Regibus. Similiter participatio clauium non semper est immediate de iure diuino, sed per hominis concessionem; & nihilominus, supposita participatione clauium quod habeant effectum aperiendi, & claudendi, de iure diuino est, explicato illis verbis, *Quæcunque ligaue-*

IX.

ritu, &c. hîc autem non agimus de effectu clauium quasi in sensu compositio, sed de ipsa clauium participatione per iurisdictionem quasi Episcopalem.

X. Ad tertium primo respondetur negando antecedens: probabilius enim credimus iurisdictionem Episcoporum non esse de iure diuino, vt tomo 4. & 5 tertiæ part. diximus. Secundo vero respondetur negando consequentiam, tum quia argumentum à simili debile est, maxime vbi tanta ratio differentiæ potest facile assignari: tum etiam, quia ex illo antecedente contrarium potius inferri debuisset. Itaque, si negemus Episcopos habere iurisdictionem iure diuino, inde à fortiori infertur, idem dicendum esse de omnibus inferioribus Prælatis, siue secularibus, siue religiosis: si vero de Episcopis id admittimus, inde etiam colligimus de inferioribus non esse admittendum, primo quidem, quia hoc tanquam speciale habet aliquam rationem in Episcopis, quia eorum dignitas est de iure diuino, & quia diuinum præceptum est, vt Ecclesia per Episcopos regatur, iuxta illud Actor. 20. *Posuit vos Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Aliæ vero inferiores dignitates, quantum spectat ad potestatem iurisdictionis fori contentiosi, nec sunt ex institutione Christi, nec ex præcepto eius.

XI. Vnde argumentor secundo, quia quod religiosi sint exempti à iurisdictione Episcoporum, non solum non est de præcepto diuino, verum etiam videtur potius quædam quasi dispensatio, vel limitatio iuris diuini, quod de se erat indifferens: ergo, quod religiosi habeant intrinsecos Prælatos, vt sic dicam, habentes propriam iurisdictionem, non potest esse de iure diuino. Patet consequentia, quia necessitas talium Prælatorum supponit dictam exemptionem: nam si religiosi essent subiecti Episcopis, per eos, eorumque Vicarios possent immediate gubernari in his, quæ ad iurisdictionem spectant, relicta eis tantum domestica administratione, ad quam potestas dominatiua, & votum obedientiæ sufficit: sicut olim fieri diximus, & nunc fit cum multis monialibus, & cum religiosis mere laicis. Antecedens autem per se notum videtur, quia hæc exemptio fuit priuilegium voluntarium, quod proinde multo tempore concessum non est: & incepisse videtur aliqua ex parte à temporibus Gregorij I. qui monachos Sancti Benedicti vel omnino, vel magna ex parte à iurisdictione Episcoporum exemit, vt colligitur ex Concilio Lateran. sub eodem Gregorio I. & ex lib. 7. Epistolarum eius, epist. 18. & ex cap. 1. & 5. 18. quæst. 2. Alexander vero III. postea exemit Carthusianos, & Honorius III. Ordines S. Francisci, & Dominici, & deinceps hæc exemptio amplificata est, antea enim non erat adeo vniuersalis etiam vsque ad tempora Innocentij III. vt constat ex Concilio Lateran. sub eodem, can. 12. & ex cap. *cum dilectus.* de Relig. dom. nec fingi potest tanta necessitas postea suborta, quæ ex vi iuris diuini, aut naturalis Pontifices obligauerit ex præcepto ad hanc exemptionem faciendam. Nec dubito, quin de absoluta potestate possit nunc illam reuocare, ita vt factum teneat, quanuis sine iusta causa iam id non recte fiat.

XII. Ad quartum respondetur inprimis distinguendo maiorem, nam status religionis præcise quoad substantialia vota, est à Christo immediate institutus; ad illum autem, vt sic non sunt necessarij Prælati, qui religiosi sint, nedum eiusdem ordinis, & habitus. Quod patet, quia non est de essentia talis status, vt sit in communi vita seu congregatione, pro qua maxime posset esse necessaria dicta Prælatio. Status autem religionis, quoad omnes circunstantias, quas nunc habet, non est ex institutione Christi immediate, sed adiuncta Ecclesiastica prudentia ac dispositione, & ideo quanuis in illo statu, prout nunc est, esset simpliciter necessaria dicta iurisdictio, nõ sequitur datam esse immediate à Christo; sed pertinere potest, vt reuera pertinet ad eas circunstantias, quas Ecclesia addidit. Secundo dicitur, etiam in hoc statu prout nunc est in vita communi, vel sub vno Præfecto, iurisdictionem ordinariam in Præfecto existentem non esse simpliciter necessariam ad conseruationem talis status; vt patet in monasterijs monialium, quæ immediate subduntur Episcopis, & in antiquis monasterijs monachorum. Quocirca ratio illa, qua iura vtuntur, non fundatur in absoluta necessitate, sed in maiori congruitate, & prudentiori regimine, alioqui dispositio illorum iurium non esset constitutiua noui iuris, sed tantum declaratiua iuris diuini; quod est contra illam particulam, *decatero*, quæ in dicta Clementina habetur. Addo præterea, illa decreta supponere statũ religiosum prout nunc est ab Ecclesia institutum, & non stando in mero iure diuino. Suppositio enim, quod Ecclesia voluerit, vt religiosi habeant proprios & immediatos Prælatos ordinarios, distinctos ab Episcopis, valde consentaneum rationi est, ac fere necessarium ex ipsa rei natura, vt sint religiosi, & eiusdem ordinis, vt postea videbimus. At vero id, quod supponitur, non est de iure diuino, quia Episcopi possent esse proximi Prælati religiosorum. Vnde etiam nunc, ex communi sententia, ad Ecclesiam regularem, si sit Cathedralis, potest eligi in Episcopum clericus secularis, iuxta cap. *nullus.* de Elect. in 6. & argum. Clementinæ 1. de Electione, & c. *quod Dei timorem*, de statu regular. & notat Abbas in dict. c. *cum causam*, de Electione, n. 6. & rationem reddit, quia Episcopus propter excellentiam dignitatis suæ potest dici religiosus, & ideo potest religiosis immediate præesse. Ergo idem potuisset Ecclesia instituere de quocunque conuentu religioso, etiamsi Cathedralem Ecclesiam non habeat.

XIII. *Inconuenientia ex contraria doctrina deducuntur.*

Quod si quis dicat, non posse vnum Episcopum conuenienter tot conuentus immediate gubernare: dicitur inprimis, hoc esse accidentarium ratione multitudinis, non per se ratione status religiosi, quem consideramus. Deinde dicitur, potuisse singulos conuentus gubernare per Vicarios suos, qui non ordinariam, sed delegatam tantum iurisdictionem ab illo haberent, & ideo proprij Prælati non essent, iuxta doctrinam receptam, supra notatam ex Panormitano, Angelo, Syluestro, & alijs. Possent etiam hi Vicarij seu delegati in rigore esse seculares, quales videntur olim fuisse Presbyteri monasterijs præpositi ab Episcopis, de quibus mentionem faciunt Concilium Chalcedon. & Augustinus supra citati; quanuis interdum etiam fuerint ex eisdem religiosis: quando enim inter monachos aliquis inueniebatur sacerdotio dignus, & ad illud munus aptus, ille potius eligebatur, quia negari non potest, quin, cæteris paribus, hic ordo melior, & cõuenientior sit: & huiusmodi videtur fuisse Paphnutius ille, quem Presbyterum congregationis Scythiæ vocat, & summe laudat Cassianus collat. 3. cap. 1. & Daniel successor eius, de quo loquitur collat. 4. capite 1. Huc etiam spectat quod refert Epiphanius Epist. ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum, se ordinasse Sacerdotem quendam monachum renuentem, eo quod multitudo fratrum Presbytero careret. Sic etiam intelligo, quod refert Hieronymus in Epitaphio Paulæ, in Monte Nitriæ occurrisse Paulæ innumerabiles turbas monachorum, ex quibus multos sacerdotalis, & Leuiticus sublimabat gradus: erant enim, vt fertur, in eo monte ad quinque millia monachorum, inter quos plures fuisse sacerdotio dignos, & aptos ad regen-

regendum alios, credibile est. Quod autem hi Presbyteri olim fuerint quasi Vicarij, vel coadiutores Episcoporum in hoc munere, canon 8. Concilij Calcedonensis supra citatus, satis ostendit, vbi præcipiuntur esse sub potestate Episcopi secundum traditionem sanctorum Patrum, & can. 4. statuit, Monachos per vnamquamque ciuitatem, aut regionem subiectos esse Episcopo. & idem colligitur ex canone 14. 54. & 56. Concilij Nisseni, quos refert Alphonsus Pissanus lib. 3. eiusdem Concilij; & præsertim est notandus 14. *Si quis laicus fieri monachus voluerit, sine licentia Episcopi, qui illius monasterii potestatem habet, non est recipiendus*; vbi supponitur, monasteria tunc fuisse sub potestate Episcoporũ: quod expresse decreuit multo post Concilium Aurelianense tempore Simachi Papæ, can. 21. *Abbates* (ait) *pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant.* habetur in c. *Abbates*. 18. quæst. 2. vbi multa alia similia ex varijs Concilijs referuntur. Ex quibus constat, Episcopos fuisse proprios Prælatos religiosorum, & Abbates aut iurisdictionem non habuisse, vel certe non nisi delegatam ab Episcopis; vel postquam cœperunt ordinariam habere, habuisse illam dependentem ab Episcopis, donec per priuilegia exempti fuerunt. Quæ omnia sunt manifesta signa iurisdictionis per ipsos Episcopos, vel per Summum Pontificem concessæ, ex liberali gratia, & meliori quadam prouidentia, supposita varietate temporum, & religionum, non ex absoluta iuris diuini necessitate.

XIV. *Videri distinctam iurisdictionem non esse tam necessariam quam communiter ponitur.*

Viterius vero quæri hic potest, vtrum habeant hi Prælati iurisdictionem, ex communi iure ciuili, aut canonico. Cum autem hęc iurisdictio spiritualis sit, clarum est non posse oriri directe ex iure ciuili; posset autem ei attribui, vel quatenus in eo explicatur aliqua ratio naturalis, quæ hoc postulat, vel quatenus in eo aliquid disponitur, quod à iure canonico acceptatur, eo ipso quod non reijcitur, vt, verbi gratia, in lege vlt. C. de iurisdict. omnium iudicum, disponitur, vt qui in aliqua militia connumerati sunt, his iudicibus subsint, qui eis in tali iurisdictione præsunt; nam hoc videtur postulare naturalis æquitas & ratio. Facit deinde caput *cum Ecclesiarum*, de offic. ordin. quatenus significat, vnumquemque Prælatum habere iurisdictionem in suam plebem seu congregationem sibi subiectam.

XV.

Dico tamen iurisdictionem hanc, quoad religiones omnes non posse satis fundari in iure communi, quia nullum datur, quo vniuersim statutum sit, vt religio quatenus talis est, constet Prælatis habentibus propriam & intrinsecam iurisdictionem. Nam, vt supra num. 2. probaui, non est de intrinseca ratione status religiosi, vt constet proprijs Prælatis, iurisdictionem Ecclesiasticam habentibus, imo non semper illam habuerunt, nec modo habent omnes, præsertim moniales, & si quæ sunt religiones pure laicorum. igitur ex hoc præcise, quod religio instituitur, vel etiam approbatur, non sequitur habere iurisdictionem, nisi ei insuper conferatur: nullum autem est commune ius canonicum, quod hoc statuat, vt vi illius statim censeatur conferri. Non ergo datur, ex vi iuris communis. Nec dicta iura quidquam probãt: nam vtrumque supponit iudicem, aut Prælatum habentem iurisdictionem, & ea supposita, statuunt, vt ei pareatur. Circa illam vero legem aduertenda est vulgaris differentia, inter iurisdictionem ciuilem & Ecclesiasticam, quod ciuilis proueniat ab ipsa cõmunitate hominum: spiritualis à Christo in Papam, & per hunc in alios. Illa ergo lex loquitur de iurisdictione ciuili, quam communitas aliqua cõferre potest suo præfecto, quem sibi in iudicem, & immediatum superiorem eligit, siue id faciat ad-

miniculo ipsius iuris ciuilis, siue illo tantum non contradicente. Hoc autem non potest in exemplũ adduci ad religiosos, de quibus agimus, quia eorum iurisdictio debet esse spiritualis, & à capite manare. Circa alium vero textum canonicum est obseruandum in eo sermonem esse de proprijs Ecclesiarum Prælatis, qui iurisdictionem habent fori contentiosi; nam hoc esset ratione Prælati in rigore sumpti, vt supra cum communi docuimus. Si ergo supponatur religio habere Prælatum in hac significatione, clarum est eum habere iurisdictionem, & hoc solum probatur ex illo textu: attamen hoc ipsum est, quod quærimus, an videlicet Præfecti, seu Rectores religionum, vel quocumque alio vocentur nomine, ex vi iuris communis habeant, quod sint veri Prælati in dicto sensu, & hoc nec ex illo textu, nec ex alio probari potest.

XVI. *Quando cœperunt Religiones habere iurisdictionem per speciales iura.*

Sed quæri tandem potest, quando inceperint religiosi habere Ecclesiasticam iurisdictionem. Respondetur de hoc initio non satis constare, neque idem pro omnibus posse assignari: nam cum non sit fundatum in iure communi, debet ad speciales concessiones reuocari: quę concessiones factæ sunt aliquibus religionibus statim à principio earum: aliquando vero longa post tempora, quæ incerta sunt; & ideo propria singularum religionum indulta, vel historiæ, & antiquæ consuetudines, sunt consulenda. Videtur autem hæc iurisdictio in religione S. Benedicti modo aliquo incepisse à tempore Diui Gregorij, vt significatur in c. *quam sit necessarium*, 18. quæst. 2. quanuis neque ibi expresse iurisdictio eis concedatur, sed aliquæ exemptiones, vel immunitates, quas Episcopi violare non possint. Quandiu ergo religiosi fuerunt subiecti Episcopis, non videntur habuisse propriam iurisdictionem saltem ab Apostolica Sede, sed quam Episcopi delegare volebant; vnde tunc proprie videtur hæc iurisdictio incepisse cum primum exemptio religiosorum à iurisdictione Episcoporum incepit. Exemptio autem quoad integras religiones initium videtur habuisse à temporibus Alexandri III. Innocentij III. & Honorij III. Nam Carthusiensem ordinem Alexander III. exemit; Innocentius vero & Honorius, mendicantes ordines, & deinceps Romani Pontifices similia priuilegia alijs religionibus concesserunt. Ante hæc vero tempora videntur fuisse aliqua monasteria exempta, licet alia eiusdem ordinis subiecta essent Episcopo diœcesis, vt colligitur ex capite *cum dilectus*, de religios. domib. & ex capite *in singulis*, & cap. vltimo, de statu monach. Et ita in diuersis monasterijs eiusdem ordinis fieri tunc poterat, vt vnus Prælatus iurisdictionem haberet, & non alius, sicut hodie sunt etiam monasteria monialium, quæ cum sub eadem regula, verbi gratia, Sancti Benedicti aut Franciscí viuant; alia tamen Prælatum habent ordinarium, alia regularem. Iam vero hoc non est in vsu, sed in omnibus religionibus tam clericorum, quam monachorum superiores propriam iurisdictionem habent: hinc siqui sunt subditi Ordinarijs, non videntur carere omnino iurisdictione saltem immediata, & quoad primam instantiam: de quo tamen consuetudo, & indulta Apostolica seruanda sunt, quia, vt dixi, inde manat hæc iurisdictio.

Petrus Sutor lib. 2. de vita Carthusiensi tract. 3. c. 2.

CAPVT II.

Quotuplex sit religionis Prælatus, & quem inter se ordinem seruent.

I. *Triplex genus Prælatorum in quaque religione.*

NOn inquirimus diuersitatem Prælatorum in diuersis religionibus, sed in eadem: nam prior diuersitas magis solet esse de nomine, quam de re: in diuersis enim religionibus idem est proportionalis

nalis modus Prælatorum, seu Superiorum, quanuis diuersis nominibus appellentur, *Abbates, Priores, Guardiani, Rectores*, &c. Quod si in eis sit aliqua diuersitas quoad priuilegia, vel potestates, illa est accidentaria ad communem tractationem, quam nunc prosequimur, pendetque ex specialibus priuilegijs, & statutis singularum religionum, vt obiter, quantum necesse fuerit, attingemus. Agimus ergo de varietate Prælatorum, qui in vna & eadem religione, atque adeo in singulis esse possunt. Quæ diuersitas, vt formalis sit, (nam materialis nihil ad doctrinam refert) secundum maiorem, vel minorem vniuersalitatem Prælationis sumenda est: non enim possunt aliter distingui, nisi secundum hierarchicum ordinem. Sic ergo triplex religionis Prælatus generaliter distingui potest, scilicet, infimus, supremus, & medius, prout Dionysius singulas hierarchias in tres ordines distinguere solet.

II. *Qui sint Prælati infimi, seu locales.*

Prælati infimi in religione sunt illi, qui Conuentuales, seu Locales vocantur, quorum vnusquisque vni tantum monasterio præest, & in eo immediatam gerit Prælationem, ita vt infra se nullum alium Prælatum habeat. Huiusmodi est Abbas, v. g. vnius monasterij, Prior, Guardianus, &c. nam hos omnes vere Prælatos esse communis sententia est, vt notant Angel. & Sylu. verb. *Prælatus*. & alij superiori cap. num. 6. citati. Quod etiam declarasse videtur Sixtus V. in 2. constitut. de illegitimis, in qua priorem declarauit. Idemque Florentiæ declaratū fuisse quoad religionem Minorum in quodam capitulo generali, refert Corduba in Annotationibus ad Compendium priuilegiorum, tit. *Guardianus*. Imo aduertit Panormitanus in cap. vlt. de Regularib. iure communi antiquo hoc tantum genus Prælatorum fuisse vsitatum in religionibus, loquendo de proprijs Prælatis intrinsecis religioni: quia in singulis monasterijs erant singuli Abbates habentes per se regimen, neque vnus Abbas subijciebatur alteri Abbati, sed omnes Episcopo loci, iuxta cap. *Abbates*, & cap. *Monasteria*, 18. quæst. 2. & alia adducta cap. præced. Atque ita obseruatum fuisse tempore Basilij, Augustini, & Benedicti, ex eorum Regulis non obscure colligitur. Et idem significat Cassianus in suis institutionibus & collationibus de monachis Ægypti. Vnde Basilius regul. 35. ex fusioribus, vbi tractans quæstionem, an expediat in vno oppido plura esse monasteria, plane supponit, eo ipso, quod essent distincta, nullo modo coalescere in vnum corpus, & habere debere Prælatos inter se omnino condistinctos. Interdum vero legimus, vnum Abbatem præfuisse multis monasterijs, vt de Pachomio in vita eius, & cap. 43. & 57. apud Surium tom. 3. die 14. Maij. Verisimile autem est, omnia illa monasteria fuisse per modum vnius, sicut nunc solet esse vnum monasterium cum aliquibus residentijs annexis, quarum omnium vnus est immediatus superior, licet Vicarios habeat in diuersis locis, qui Œconomi vocantur in vita Pachomij supra. Hinc etiam legimus apud Paladium in Lausiaca historia, cap. 7. in tom. 7. Bibliothecæ; cum in monte Nitriæ quinque millia essent monachorum, ex quibus nonnulli erant Presbyteri, vnum ex eis tantum fuisse primum Presbyterum, qui solus sacra Deo offerebat, & omnibus præerat. Postea vero inter diuersa monasteria habentia distinctos Abbates, cœpit esse maior vnio sub vno Prælato proprio totius religionis, vt nunc videmus in omnibus fere Ordinibus tam Monachalibus, quam Mendicantibus, & respectu illius vniuersalioris Prælati inferior est hic particularis, seu localis Præpositus; vt per se constat. Infimus autem à nobis appellatur, quatenus sub se non habet inferiorem Prælatum: nam licet habere soleat Vicarium sibi subordinatum, qui in aliquibus religionibus vocatur Prior respectu Abbatis, in alijs Superior respectu Prioris, vel Minister respectu Rectoris, aut Præpositi; tamen, iuxta communem sententiam, hic non est Prælatus, quia non habet iurisdictionem propriam, & ordinariam: aut enim nullam habet, sed solum œconomicam administrationem, aut solum habet delegatam, vt notat Syluester verb. *Prælatus*. quem alij communiter sequuntur. Intelligitur autem de Vicario non solum nomine, sed etiam re: nam, vt idem Syluester notat, si mortuo Abbate, vel Priore, Vicarius substituatur cum sufficiente authoritate, ille pro tunc Prælatus censendus est, quia iurisdictionem habet ordinariam, quam delegare potest, & per eam absoluere à reseruatis, &c. Idemque à fortiori est de illo, qui præest paruo conuentui, immediate subiecto Prouinciali, aut Generali, quanuis propter paruitatem Vicarius tantum nominetur. Quod sumi potest ex capite *in singulis*, de statu monachor. ibi, *Priorum Abbates proprios non habentium*.

III. *Qui sint Prælati supremi, seu Generales.*

Supremus Prælatus religionis dicitur, qui intra illam Superiorem non habet, & omnes alios eiusdem religionis Prælatos sibi habet subiectos: qui Prælatus in omnibus religionibus, quæ illum habent, vocatur Generalis, quanuis in quibusdam appelletur, Prior Generalis; aut etiam Abbas Generalis, vt loquitur Panormit. in c. vlt. de Regularib. in alijs Magister, Minister, aut Præpositus Generalis. Vnde constat, non dici hunc Prælatum simpliciter supremum, quia nulli subiectus sit, sic enim solus Summus Pontifex potest dici supremus Prælatus religionum omnium, sed solum respectiue, seu inter Prælatos eiusdem religionis. Dices, ergo eadem ratione posset talis Prælatus esse subiectus Episcopo. Respondeo, non esse in hoc repugnantiam, si non obstante tali modo Prælationis, non fuisset facta per Pontifices religiosorum exemptio; tamen de facto nunquam videtur fuisse in Ecclesia hic modus Prælationis sine iurisdictione quasi Episcopali; nec sine exemptione à iurisdictione Episcoporum. Nam huiusmodi Prælatus Generalis iurisdictionem habet quodammodo vniuersaliorem, quam particulares Episcopi, nam habet monasteria sibi subiecta in varijs Episcopatibus, vel etiam Prouincijs, aut Regnis: ergo non poterat conuenienter esse subordinatus singulis Episcopis, quia moraliter non posset generaliter, & vniformiter monasteria sibi subiecta gubernare. Vnde quādiu fuerunt monasteria singula quasi per se separata, ita vt eorum Abbates non haberent intra suam religionem Superiorem, videntur Episcopis fuisse subiecta, vt de Benedictinis colligitur ex c. *in singulis*, de statu monachor. Religiones vero, quæ vnum corpus efficiunt sub vno interno capite, semper fuerunt exemptæ, ex quo talem vnionem habere cœperunt, vt constat ex Cistercienſibus, Carthusianis, Prædicatoribus, Minoribus, &c. Et hæ dicuntur habere supremum Prælatum sub Summo Pontifice. Per hoc tamen non excludimus, quin congregatio generalis talis religionis possit esse supra ipsum Generalem, de quo in tract. 3. l. 10. c. 4. diximus; sed loquimur de Prælatis ordinarijs, quibus permanenter ac durabiliter religio gubernatur.

IV. *An, & quo modo possint esse plures supremi in vna religione.*

Dices rursus, ex dictis sequi in vna religione tantum esse posse vnum Prælatum supremum: tum quia non possunt esse plura capita æqualia, (esset enim monstrosum) tum etiam, quia diximus de ratione huius supremi Prælati esse, vt habeat omnia monasteria eiusdem religionis sibi subiecta. Consequens autem est falsum, nam eadem religio, vt v. g. S. Benedicti, aut Bernardi, &c. habet plures Generales, alium in Hispania, alium in Gallia, alium in Lusitania, vt constat ex vsu. Respondeo, si proprie loqua-

loquamur, vnius religionis tãtùm esse posse vnum supremum Prælatum, sicut in vno Prædicamento non potest esse nisi vnum genus generalissimum. Et quidem, quantum ad negationem superioris, quã ratio supremi includit, manifestum est non posse esse in duobus, si alter eorum est Generalis simpliciter, quia eo ipso habebit alterum sibi subiectum, & consequenter ille alter non erit supremus: vel si vterque ita præest, vt neuter alteri iure ordinario subiiciatur, & consequenter monasteria vni subiecta, alteri non subiiciantur, neque è conuerso; neuter eorum dici potest Generalis simpliciter talis religionis, sed vterque dici poterit Generalis secundum quid suæ nationis, seu regionis. In religionibus ergo, in quibus plures nominantur Generales, obseruandum est, an inter eos sit aliqua subordinatio etiam minima, ita vt vnus sit prorsus independens; alij verò aliquam etiam minimam dependentiam ab illo habeant, quia ab eo confirmari debent, aut visitari possunt, vel quid simile; & tunc ille solus, qui independens est, est supremus Prælatus, atque adeo Generalis simpliciter totius religionis; alij verò tantùm secundùm quid ita nominãtur, partim propter amplitudinem districti, partim propter minimam subordinationem, quæ moraliter, & in ipso vsu quasi nihil reputatur. Si autẽ nullam omninò inter se subordinationem habent, vterque reuera est supremus Prælatus, prout de illo nunc loquimur, & sic comprehenditur nomine Generalis, quamuis respectu totius religionis non sit Generalis simpliciter, sed solum in sua natione, seu districto: quomodo se habebant ante paucos annos in religione S. Hieronymi Generales Lusitaniæ, & Castellæ, & nunc Generales Cistercienses, vel S. Benedicti, & in religione S. Francisci Generales Obseruantium, Conuentualium, & Capucinorum in Italia eodem modo videntur inter se comparari. Et in huiusmodi ordinibus religio, in qua sunt plures Generales, dicitur vna non perfecta vnitate morali, quæ requirit vnionem sub vno capite, sed vnitate, & imitatione eiusdem fundatoris, & vnitate etiam Regulæ, saltem quoad præcipua, & quoad habitus similitudinem, & quoad quandã maiorem fraternam communicationem, ac dilectionem, quam similitudo efficere solet. Neque hoc mirum videri debet, quia in religionibus antiquis non videtur fuisse maior vnitas, vt, v.g. in religione S. Benedicti, quando singuli Abbates erant quasi supremi, quia communem Superiorem eiusdem religionis non habebant, imò nec Visitatores cõmunes, nec Capitula generalia, vt colligitur ex c. *in singulis*, de statu monach. vbi Panormit. & Doctores id aduertunt. Vnde obiter etiam declaratum est, an hic supremus Prælatus, seu Generalis sit necessarius in religioso statu. Dicendum est enim absolutè, & simpliciter non esse necessarium: ad maiorem autem vnitatem, & meliorem gubernationem fuisse opportunum, eiusque vnitatem magis necessariam esse in quibusdam religionibus, quàm in alijs, vt specialiter de nostra Societate infrà suo loco declarabimus.

V. Prælati medij dicuntur qui intra eandem religionem superiorem Prælatum habent, & nihilominus aliquo modo vniuersales Prælati sunt, plures domos, pluresque Prælatos inferiores sub se habẽtes, vt sunt Prouinciales religionum Mendicantiũ, & aliarum, quæ eas imitantur. Nam in religionibus Monachalibus non videntur esse in vsu huiusmodi Prælati medij: nam Carthusiani, præter Generalẽ, non habent vnius Prouinciæ, vel nationis Prælatũ aliquem communem, sed solos Priores singulorum conuentuum. Hi verò suis temporibus Capitulum quasi Prouinciale, seu Nationale efficiũt, quod Capitulum, quamdiu durat, dici potest habere authoritatem Prælati quasi Prouincialis, vel Nationalis; in eo tamen non eligunt Prouincialem, sed Visitatores, qui non sunt ordinarij Prælati, sed veluti specialem quandam commissionem suis locis, & temporibus exercent. Reliquæ item Monachales religiones vnũ tantùm solent habere ordinarium Prælatum supra omnes Abbates, vel Priores, quẽ propterea Generalem appellant, modo superius declarato. Non est ergo hic triplex ordo Prælatorũ necessarius simpliciter in religioso statu, etiam prout nunc est in vsu Ecclesiæ. In religionibus autem Mẽdicantibus propter amplitudinem earum, & peculiarem viuendi modum semper seruatur hic ordo quasi hierarchicus, vt inter Superiorem cõuentualem, & Generalem, mediat Prouincialis, qui sub Generali existit, & sub se habet plures conuentus, & Prælatos eorum, qui vnam Prouinciam constituunt, quæ licèt sit pars vnius religionis, per se spectata efficit vnum politicum corpus, constans ex omnibus illis Conuentibus, cuius caput est Prouincialis. Nec solent in religionibus, moraliter loquẽdo, esse plures Prælati intermedij, & Ordinarij: nã licet aliquando creentur Commissarij, vel Visitatores, illi non sunt Superiores ordinarij, sed extraordinarij, habentesque iurisdictionem delegatam, quæ expirat per mortem concedentis.

Hoc triplex genus prælatorum non est absolutè necessarium

VI. Religionem S. Francisci excipio, in qua alij sunt Prælati intermedij, vt est Commissarius Generalis Cismontanus, vel Vltramontanus, qui Superior est Prouincialibus omnibus suæ familiæ, & sub Generali constituitur, &, vt probabilius creditur, verus Prælatus est, iurisdictionem que ordinariam habet. In aliquibus etiam Prouinciis habent Prælatos medios inter Prouinciales, & Guardianos, qui Custodes in speciali quadam significatione appellantur, suntque sub Prouincialibus, & sub se habent nonnulla monasteria Prouinciæ, quæ in hunc modum in plures custodias est diuisa: quanquam hoc ferè iã non fit in vsu, sed tituli tantùm, seu nomina retineantur, quæ ad nos nunc exponere non pertinet. Sed illi tres gradus prælationis Generalis, Prouincialis, & Præpositi localis nobis sufficiunt: nam hi generales sunt, &, si qui alij sunt intermedij, facilè potest eorum munus ad instar Prouincialatus explicari. & hæc de 1. parte tituli.

Apud Franciscanos tamen inter prouincialẽ, & Generalem, dantur commissarii.

In quibus tria Prælatorum genera numerata conueniant.

VII. De his ergo breuiter inquiri potest, in quo conueniant, & in quo etiam differant, per quod secundæ parti tituli satisfaciemus. Quod ad conuenientiam attinet dicendum est primo, cõuenire in hoc, quod omnes habent iurisdictionem spiritualem in subditos; tam in foro pœnitentiæ, quàm in foro exteriori Ecclesiastico, aut religioso: loquimur enim secundùm præsentem consuetudinem Ecclesiæ, & religionum, quæ proprium habent regimen extra iurisdictionem Episcoporum. Et hic assertio est clara ex ipso vsu, & institutis ac priuilegijs talium religionum: & à fortiori constabit ex sequenti assertione. Secundò ergo dicendum est, omnes hos Prælatos habere iurisdictionem ordinariam, & non tantùm delegatam. Hoc certum est apud omnes, & de iurisdictione in foro pœnitentiæ, id ostensum à nobis est in 4. tom. 3. p. dis. 25. quia omnes hi sunt ordinarij pastores, quibus ex officio incumbit cura animarum religiosorum: nam respectu eorũ superiores, & vniuersales Prælati sunt quasi Episcopi; inferiores verò seu locales sunt quasi Parochi, & ideo habere debent ordinariam iurisdictionem in foro pœnitentiæ: religiosi enim propter fauorem exemptionis non debent carere huiusmodi ordinarijs pastoribus, hoc enim potius esset nocumentum,

Prima assertio pro prima conuenientia.

Secunda assertio pro secunda conuenientia.

quam fauor. Atque eadem ratio cum proportione applicari potest ad externam iurisdictionem: nam hæc etiam necessaria est ad religionis gubernationem, vel in tota illa, vel in singulis Prouinciis, vel in vnaquaque domo respectiuè. Quamuis enim, in rigore loquendo, potestas dominatiua posset sufficere ad exteriorem gubernationem, præsertim ad œconomicam vnius domus; tamen efficacior, & vtilior erit, si fiat simul per potestatem iurisdictionis. Supposita autem exemptione religionum ab Episcopis, necessarium est, vt in ipsa religione sit hæc iurisdictio, & efficacia eius, quia non potest relinqui sine proprio gubernatore infra Summum Pontificem. Hac ergo ratione necessaria est talis iurisdictio in Generali, & quia ille non potest immediatè præesse singulis prouinciis, necessaria etiã est in Prouinciali, præter quem in vnaquaque domo necessarius est proprius gubernator, qui participet etiam curam Episcopalem, vt infrà num. 12. dicam, & ideo etiam in illo est moraliter necessaria hæc iurisdictio. Et in omnibus ordinaria est, quia omnes sunt ex officio pastores, & rectores in hoc etiam exteriori foro. ita sentiunt communiter Doctores in cap. *cum ab Ecclesiarum*: & cap. *quanto*, de Offic. Ordin. c. *ea qua*, & c. *singulis*. de stat. monach. & bene Nauar. alia congerens consil. 9. de Priuileg.

VIII. *Huius partis ratio.* Et ratio generalis est, quia iurisdictio, quæ conuenit alicui per electionem Collegij, vel Vniuersitatis ad aliquod officium, cui vel natura sua, vel virtute legis talis iurisdictio conuenit, est ordinaria, & non tantùm delegata. sed huiusmodi est iurisdictio horum Prælatorum: ergo est ordinaria. Maior quoad priorem partem de electione est cõmunis iuristarum cum glossa in cap. *cùm ab Ecclesiarum*. de Offi. Ordin. verb. *Ecclesiastica*. & Panormit. in cap. *suspicionis*. de Officio delegati, num. 9. Sylvest. verb. *Prælatus*. & colligitur ex cap. 1. de Elect. Aduertunt autem iidem authores; regulariter, seu communi iure, esse necessarium ad iurisdictionem ordinariam quòd habeatur per electionem: nam iure speciali, vel authoritate prælati superioris potestatem habentis, aliter conferri solet; vt constat ex cap. 2. de Offic. Archidiac. & ex communi vsu, & quia nullum est ius, vel ratio, quæ necessariò requirat electionem, de quo latius cap. seq. Addo etiam, electionem non esse satis ad iurisdictionem ordinariam, si ex intentione eligentium solùm fiat ad cõmissionem, seu delegationem faciendam. Et ideo dixi, oportere vt electio fiat ad præfecturam, vel officium, cui annexa sit iurisdictio, nam reuera in hoc formaliter consistit ratio ordinariæ iurisdictionis. Oportet autem vt hæc annexio sit iure ordinario, & ideo addidi alteram particulam, *virtute legis*. Quæ communis etiam est ex glossa, & Canonistis, & ex rubrica de officio delegati, & aliis Doctoribus in l. 1. ff. de Officio eius, cui mandata est iurisdictio. Qui asserunt, iurisdictionem ordinariam esse; quæ habetur virtute legis; intelligendum autem est prædicto modo, nam virtute legis potest etiam haberi iurisdictio delegata, vt constat de iurisdictione Inquisitorum, & ex toto titulo de officio deleg. Oportet ergo quòd talis iurisdictio conueniat ratione officij, vel dignitatis de iure aliquo, vel consuetudine. Quod significarunt Innocentius, & Panormitanus in cap. 1. 2. & 3. de officio Ordinarij, & satis expresè colligitur ex l. 1 ff. de offic. eius, cui mand. est iurisd. Et ita probata est maior propositio tota, de qua plura etiam dixi in tom. 4. & 5. 3. p. Quòd autem hoc modo iurisdictionem habeant hi prælati religionum, quæ erat minor propositio rationis factæ, per se est euidens, nam habent officium pastorale Ecclesiæ approbatione institutum, cui tam intrinseca videtur iurisdictio, vt sine illa vix possit intelligi, vel saltem non possit moraliter executioni mandari, vt declaratum est. Ac denique partim iure cõmuni, vt infrà videbimus, partim iure proprio singularum religionum per Pontificia diplomata; partim consuetudine satis confirmata est hæc iurisdictio, vt latè Nauar. Comment. 2. de Regularibus n. 63. & sequentib. & Comment. 3. nu. 40. & sequentib. Hic verò occurrebant speciales quæstiones, an Visitatores religionum habeãt ordinariam, vel delegatam iurisdictionem: item de Commissariis: item de Præsidentibus Capitulo generali, iuxta cap. *in singulis*. de statu monachor. vbi hæc, & similia à Doctoribus tractantur. Sed in eis immorari nolo, quia vel non sunt magni momenti, vel non habent generalem doctrinam pro omnibus religionibus, sed iuxta vniuscuiusque statuta, aut mores definienda sunt.

IX. Tertiò dicendũ est, hanc iurisdictionem in Prælatis religionum esse quasi Episcopalem. ita loquũtur omnes authores in Clement. 1. de rebus Eccles. non alien. verb. *Proprii*, & sumitur ex cap. *Abbates*. de priuileg. in 6. ibi, *In quos Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem in spiritualibus iurisdictionem obtinent*, vbi glossa notat vocare *quasi Episcopalem*, quia non se extendit ad actus, ad quos potestas ordinis, seu consecratio Episcoporum necessaria est. Sed hoc maiori explicatione indiget, quia illa particula diminuens, *quasi*, non æquè in omnibus his Prælatis diminuit, vt mox dicemus. Aduertendum est autem textum illum loqui de Abbatibus, qui tantum sunt superiores Cõuentuales: ex quo colligitur, idem dicendum esse de cæteris.

X. *Obiectio de prælatis inferioribus.* Dicunt autem aliqui, hoc argumentum rectè cõcludere de aliis Prælatis superioribus ordinũ Mendicantium, vt sunt Generales, & Prouinciales; non tamen esse idem de Conuentualibus Prælatis eãdem religionum, vt sunt Guardiani, Priores, &c. quia hi sunt inferiores Prælati, qui comparantur ad Prouinciales, sicut Archidiaconi, vel Archipresbyteri ad Episcopum: hi autem Prælati minores non habent iure cõmuni Episcopalem iurisdictionem, nam solùm de quibusdam minoribus possunt per se iudicare, maiora verò ad Episcopum perferre debent, vt constat ex toto tit. de officio Archidiaconi, & Archipresbyteri, cum ibi adnotatis. Ita ergo Prælati Conuentuales, saltem religionum Mendicantium, iure cõmuni non habebunt iurisdictionem quasi Episcopalem, sed inferiorem quasi Archidiaconi, vel Archipresbyteri. Dico tamen, iure cõmuni nullam differentiam ostendi posse inter Abbates, vel Priores Monachales, & Guardianos, Priores, & alios Prælatos Conuentuales Mendicantium: nihil enim de his posterioribus Prælatis iure cõmuni circa hoc inuenimus dispositum. Et quamuis illa analogia Archipresbyteri, & Episcopi in aliquo similis sit, non tamen in omnibus, vt statim dicemus, & ideo ex illo nõ potest sufficiens argumentum sumi. Eo vel maximè, quòd si consideremus statum, & modum regiminis, quem nunc habent monachales religiones, etiam in eis Abbates particulares possunt comparari ad Generalem, sicut Archidiaconi ad Episcopum. Si autem loquamur secundùm ius antiquum, non possumus secundùm illud discrimen constituere in religionibus Mendicantibus, cùm nondum essent institutæ; sed potius cum proportione esset de illis loquendum.

XI. Dices, hinc potiùs colligi ex iure communi non posse probari aliquem infimum Prælatum religionis, etiãsi Abbas benedictus sit, habere iurisdictionem quasi Episcopalem, si proprium superiorem Prælatum habet in eadem religione. Iura enim antiqua ideo tribuunt Abbatibus iurisdictionẽ quasi Episcopalem, quia tunc singuli Abbates erãt quasi

supremi,& Generalem superiorem non habebant. Vnde in c. *nullam*.18.q.2.ait Pelagius Papa, *Ad Abbatem potestas tota pertinere conuenit*;quia nimirum eo tẽpore vnusquisque Abbas habebat totam curam sui monasterij,nec recognoscebat Generalem superiorem.Quanquam(vt verum fatear) incertum mihi est,an hic textus loquatur de propria iurisdictione spirituali,vel de sola potestate dominatiua,per quã competit etiam Prælato administratio totius monasterij quoad spiritualia,& temporalia, etiã prætia propria iurisdictione spirituali.Quod enim hoc sufficiat ad verificanda verba illius textus, ex eo colligi potest, quòd iuxta communem expositionẽ Doctorum dispositio illa etiam ad Abbatissas ampliatur,vt ibi notat Nauar.comment. 3. de regularib.n. 4. qui multa adducit ex regula Augustini ad confirmandam decisionem illius textus, quæ planè intelliguntur de Præposito , qui tunc iurisdictionẽ non habebat,sed potestatem dominatiuã, vt suprà notaui:cumque Pelagius Pontifex non multo post Augustinum sederit,& ferè eodẽ quo S. Benedictus floruit tempore, incertũ est , an propria iurisdictio spiritualis iam tunc esset Abbatibus concessa , maximè cùm non constet vel Benedictum ipsum , vel Abbates illius temporis fuisse clericos. Communiter tamen extenditur hic textus ad potestatem iurisdictionis spiritualis , quod non est facilè negandum,quia etiam ostendi non potest illam tunc non habuisse,& iura indifferẽter loquuntur,meliusque, & propriùs illa posita procedunt.

XII. Verumtamen hæc obiectio nihil obstat,nam Abbates illi , de quibus iura canonica dicunt habere quasi Episcopalem iurisdictionem, subditi erant Episcopis,vt eadem iura testantur;erant ergo illis inferiores non solùm dignitate,sed etiam iurisdictione,subordinatione,ac dependentia:ergo comparabantur ad illos sicut nunc ad suum Generalem, vel Prouincialem : ergo hæc subordinatio non obstat quominùs nunc etiam dicantur habere iurisdictionem quasi Episcopalem. Nec iura antiqua fundantur in hoc,quòd illi Abbates erant tunc supremi in sua religione,hoc enim parum referret , si potestas eorum adeò esset limitata, vt ad nullos actus Episcopalis iurisdictionis se extenderet : quod esse posset,etiamsi intra eandem religionem Superiorem haberent,nam subiectio ad Episcopos sufficeret. Imò nec ex cit. c. *nullam*. etiamsi de potestate iurisdictionis intelligatur , satis colligitur illã iurisdictionem tunc fuisse tantam , vt quasi Episcopalis dici posset:nam verba illa, *Ad Abbatem potestas tota pertinere conuenit*,intelliguntur respectiuè, id est,comparatione facta ad alios monachos , cum quibus ibi fit collatio,vt patet ex illis verbis , *Quia nulla authoritas remanebit Abbati, si monachorum potestati cæperit subiacere*.Sic ergo dicitur tota potestas esse in Abbate,quia tota,quanta est,in illo solo est,& semel collata,iam non pendet à subditis;quanta autem sit,ibi non explicatur , sed solum dicitur, *vniuersa quæ vel ad diuini cultus reuerentiam , vel ad vtilitatem monasterii pertinent, Abbatis soli studio debet adimpleri*. Ad hæc autẽ duo sufficere posset iurisdictio inferioris Prælati, vt Archipresbyteri,&c. Igitur quòd iurisdictio Abbatis sit quasi Episcopalis,non tam iure antiquo, quàm nouo citato ex lib. 6. sufficienter probatur : ergo illis quoad hoc æquiparantur alij Prælati Conuentuales religionum Mendicantium,non resistente saltẽ iure communi , imò aliquo modo adiuuante saltẽ per similitudinem rationis. Nã reuera nulli eorum habẽt ex iure communi,sed ex propriis priuilegiis, & quasi speciali iure,nec in dicto c. *Abbates*.illis confertur hæc potestas,sed collata supponitur, vtique per priuilegia:constat autem Locales Prælatos Mẽdicantium per priuilegia sua huiusmodi potestatẽ habere,vt ex infrà tractandis à cap. 8.latiùs patebit

declarando in particulari actus, ad quos habent potestatem.

Ratione tandem probatur, declarando vocem illã,*quasi Epis opalem*. Dupliciter enim potest aliqua iurisdictio dici Episcopalis. Vno modo ratione subiecti scilicet,quia est iurisdictio per se debita muneri Episcopali,& quasi iure suo postulans personam consecratam in Episcopum tanquam propriũ subiectum suum. Alio modo potest iurisdictio dici Episcopalis ratione actuum , quia scilicet extenditur ad actus,qui communi, & ordinario iure sunt proprij iurisdictionis Episcoporum. Sunt enim quidã actus spiritualis iurisdictionis, per se conuenientes Episcopis , aliis autem non nisi quatenus aliquid participant de iurisdictione eorum. Iurisdictio ergo Prælatorum religionis, Episcopalis nominatur, quia reuera se extendit ad actus iurisdictionis Episcopalis circa subditos talium Prælatorum. Huiusmodi enim actus sunt,excommunicatio, aut suspẽsio,maximè si fiant iurisdictione ordinaria : item absolutio ab eisdem censuris,præsertim ab homine latis:item absolutio à casibus & censuris reseruatis, præsertim Papæ, in aliquibus euentibus : item dispensatio in votis,in nonnullis irregularitatibus, & similes , quos participant prædicti Prælati religionum:nam licèt fortè non quilibet illorum Prælatorum,quilibet tamen eorum potest plures efficere,& in eis excedunt ordinariam iurisdictionẽ Archipresbyteri,& Archidiaconi : Hi enim licèt possint aliquando excommunicare , non tamen tã generali potestate sicut Prælati religionũ,& præterea non possunt dispensare in votis,&c. Hæc ergo ratio satis est, vt iurisdictio horum Prælatorum Episcopalis vocetur,non tamen simpliciter , sed cum diminutione,& ideo additur illa particula *quasi*.

XIII.

XIV. *Particula quasi in ista differentia importat.*

Potest autem dicta particula duo significare.Primum,quòd illa iurisdictio est(vt sic dicam) in alieno subiecto,id est,in non Episcopo:& hoc modo talis diminutio communis est omnibus Prælatis non Episcopis,& ad illam pertinet quod non sufficit in tali persona ad exercendos omnes actus Episcopales,saltem eos,qui consecrationem Episcopalem requirunt,vt quædam glossa citata n.9. dicebat , quãuis hoc non semper proueniat ex limitatione iurisdictionis,sed ex defectu potestatis Ordinis. Secundò potest per illam particulam significari diminutio intrinseca(vt ita dicam) ipsius iurisdictionis Episcopalis:quia nimirum in Prælato religionis non se extendit ad omnes actus,etiam puræ iurisdictionis, quos Episcopalis iurisdictio potest elicere. Et hoc modo etiam sumitur illa particula in præsenti, & maximè locum habet in Prælatis conuentualib. qui iurisdictionem habent magis limitatam, & ideo sine dubio non possunt omnes actus iurisdictionis Episcopalis,vt, v. g. dare literas dimissorias ad ordines suscipiẽdos,& alia,de quibus infrà. In Prouincialibus etiam existimo regulariter etiam habere locum hanc diminutionem , quia non possunt omnia circa suos subditos , quæ possunt Episcopi circa suos,quia aliquid semper est Generalibus reseruatum.De Generalibus autem ipsis dubitari potest, quia plenissimam habent iurisdictionem sub Summo Pontifice : nihilominus etiam in eis inuenietur aliqua diminutio, & saltem hæc nũc occurrit,quod interdictum locale ponere nõ possunt , vt in tomo de censur.disp.36.sect.1. n.2. diximus: item ea,quæ specialiter possunt Episcopi vt delegati Põtificis,non cadunt sub iurisdictionem Prælatorum religionis,etiamsi illa delegatio in iure cotineatur, quia solùm fit Episcopis.

XV. Dico quartò.Omnes dicti Prælati religiosorũ in hoc conueniunt, quòd habent immediatam iurisdictionem in omnes religiosos sibi subiectos. Conclusio est certa,& communis,& de Prælatis conuẽtualibus,

tualibus est per se euidẽs, quia sunt immediati Prælati, habentes iurisdictionem in subditos, vt ostensum est, & inter illos, & subditos non mediat alius Prælatus: ergo necesse est vt illorum iurisdictio immediata sit in sibi subiectos, nã ad alios nullo modo extenditur: nam Prælatus inferior non habet iurisdictionem in eos, qui sui Collegij non sunt, argum. l. vlt. C. de iurisdict. omn. iudic. & cap. *cum ab Ecclesiarum*, vbi glossa, de Offic. Ordin. De superioribus autem, seu vniuersalioribus Prælatis declaratur assertio ex comparatione ad Episcopum, Archiepiscopum, & Patriarcham: nam Archiepiscopus vt sic non habet immediatam iurisdictionem in omnes subditos suæ prouinciæ, sed vt Episcopus illam habet in sua propria diœcesi; in reliquis verò Episcopatibus suæ prouinciæ non item, sed illam habent proprij Episcopi; ipse verò solùm mediatè, id est, in casu appellationis, nisi fortè dum visitat, vt alibi dixi tom. de censur. Et eadem ratione, & cũ proportione Patriarcha non habet iurisdictionem immediatã in Archiepiscopatu sui Patriarchatus, sed ad summum mediatam, iuxta iurium dispositionem. Non ergo ita comparantur dicti Prælati religiosorũ, sed Prouincialis æquè immediatè potest suam iurisdictionem exercere in quemcunque religiosum suæ prouinciæ, sicut proprius Prior ac Rector eius: & Generalis eadẽ proportione immediatè comparatur ad omnes, & singulos religiosos suæ religionis.

XVI. Sic ergo explicata conclusio sufficienter probatur ex vsu, & institutione omnium religionum, quę per huiusmodi Prælatos gubernantur: quæ consuetudo videtur sufficere vt dicamus hoc esse quasi ius commune, quamuis generale ius Pontificium non inueniatur de hoc scriptum. Vnde si ex speciali instituto in aliqua religione aliud seruetur, illa reputanda est quasi exceptio à iure communi, quæ ad nos non spectat. Ratio verò huius assertionis tota consistit in institutione: congruentia verò institutionis est, quia hic modus iurisdictionis est magis accommodatus statui religioso, tum, vt subditorũ saluti, & commodis melius & efficaciùs per plures prouideatur: tum, vt ordo, & subordinatio perfectiùs obseruetur: nam Locales Prælati tam exactè, & perfectè subditi esse debent Prouincialibus, & Prouinciales Generali, sicut minimi religiosi suo Prælato. Hæc autem perfecta subiectio esse nõ posset, nisi vniuersalium Prælatorum iurisdictio ad omnes & singulos respectiuè immediatè descenderet. Denique hæc iurisdictio religiosa proportionatur voto obedientiæ, & ad illius complementum, & perfectam executionem quodammodo ordinatur; ideoque sicut votum obedientiæ immediatè obligat ad obediendum omnibus his Prælatis, ita in omnibus illis est iurisdictio immediatè attingẽs vniuersos subditos. Nec verò ex hac multiplici iurisdictione immediata sequitur aliqua perplexitas, vel confusio, quia non est sine ordine, neque est ita multiplex, quin ad vnam reuocetur, vt ex dicendis constabit.

In quibus eadem Prælatorum genera differant.

XVII. Dico ergo quintò, huiusmodi Prælatos differre inter se varijs modis in huiusmodi iurisdictione, præsertim verò in amplitudine, & dependentia, seu subordinatione. Et primò est clara differentia in amplitudine quasi extensiua quoad personas, seu quoad territorium, quale in præsenti esse potest. Nã Prælatus infimus solùm in suum monasterium & personas eius, iurisdictionem habet: medius seu Prouincialis tantùm in personas seu monasteria suæ prouinciæ: Generalis in omnes personas, & loca religionis iurisdictionem habet; quod ex dictis satis declaratum est. Secundò potest hæc differentia intelligi in amplitudine iurisdictionis quoad materiam, quia nimirũ quò vniuersalior est quoad personas, vel loca, eo etiam plures actus exercere potest tam circa personas, quàm circa loca, eo modo, quo capacia sunt. Et in hoc sensu etiam differẽtia est vera, eius tamen intelligentia, & probatio pendet ex perfecta cognitione potestatis horũ Prælatorum, quam hic, & infrà à c. 8. trademus: nunc breuiter declaratur exemplis clarioribus. Nã Prouincialis potest exercere actum mutandi religiosum ab vna domo in aliam, quod Prior facere non potest: & Generalis ab vna prouincia in aliã, quod Prouincialis non potest. Circa domum etiam, vel bona monasterij multa fieri possunt cum licentia Prouincialis, quæ sine illa non possent, vt graue aliquid, & difficile inchoare, contractus, præsertim alienationes bonorum, conficere: & aliquãdo in his Generalis consensus necessarius est, de quo nõ possumus certam regulam in particulari tradere, quia iuxta varia instituta, & consuetudines religionum est in hoc magna diuersitas: generalis verò doctrina quòd hæc differentia aliquo modo in omnibus inueniatur, sine exceptione vera est. XVIII.

Cuius ratio, seu congruentia est, quia sicut hæ prælationes distinguuntur quasi in obiectis; ita per se primò intendunt diuersos fines: nam potestas infimi Prælati respicit per se primò commune bonũ suæ domus; Prælati medij suæ prouinciæ; Prælati supremi totius religionis: nam hæc fuit moralis necessitas multiplicandi has prælationes; ad hos autẽ fines diuersa media accommodata sunt, & quòd bonum intentum est vniuersalius, eò etiam postulat plura, & vniuersaliora media; & personæ ipsæ secundùm plures respectus subiiciuntur Prælato vniuersali, quàm particulari, id est, nõ solùm vt sunt partes domus, sed etiam vt sunt membra prouinciæ, vel etiam totius religionis, cuius vniuersalibus commodis inseruire debet. Atque etiam è conuerso quatenus hæc prælatio ad bonum singulorũ religiosorum ordinatur, propter hunc etiam finem necessaria fuit hæc multiplex potestas, vt bona cõmunia religionis possent conuenienter ad maius commodum singulorum applicari, quantum expediat, & fieri possit sine incommodo communis boni. Denique, quia ratio postulat, vt ad grauiores actus, & maiora negotia grauior etiam seu maior potestas requiratur, vt cum grauiori etiam consilio fiant; potestas autẽ quò vniuersalior, eò est grauior; & ideo amplior etiam est in actibus, & effectibus suis. Vnde colligitur, has iurisdictiones ita inter se comparari, quòd quidquid potest inferior, potest superior, ob quartam conuenientiam suprà declaratam: è conuerso autem non quidquid potest superior, potest inferior, ob differentiam proximè traditam. XIX.

Alio modo dicebamus differre has iurisdictiones in dependentia, quæ primò considerari potest in origine, seu in esse: nam inferiores Prælati ducere solent originem aliquo modo à superioribus, nõ verò è contrario, vt Prouincialis à Generali, nõ verò è conuerso; & Rector à Prouinciali, & non è contrario: sicut causa particularis manat ab vniuersali, & non è conuerso. Dixi autem *aliquo modo*, quia in hoc potest esse varietas iuxta varia instituta religionis: aliquando enim superior Prælatus omninò confirmat, vel illam ratam habet: nulla enim ratio cogit, vt determinatè aliquis modus ex his necessarius sit; tamen quòd aliquo modo creatio inferioris Prælati pendeat à superiore, per se est valde consentaneum rationi, & ad debitam subordinationem necessarium, & vt Prælatus superior possit integrè suo muneri satisfacere, cum ad ipsum magis pertineat cura subditorum, quàm ad quemlibet inferio-

inferiorem Prælatum sibi subordinatum. In quo etiam considerandum est quando vnus Prælatus inferior, v. g. Conuentualis, habet plures Superiores, necessarium quidem esse, vt in origine, seu receptione suæ prælationis pendeat à supremo Prælato vel formaliter, si ab illo confirmandus, vel instituendus sit, vel radicaliter, in quantum pendet à Prælato medio, v.g. Prouinciali, qui ab alio superiore, seu supremo suam potestatem accepit: nã perfecta subordinatio hanc reductionem vsque ad supremum Prælatum requirit. At verò è contrario necessarium non est, vt infimus pendeat à medio, nam interdum potest immediatè à solo supremo creari, vel confirmari: neque hoc repugnat debito ordini, tum quia etiam supremus Prælatus est immediatus superior, vt n. 15. ostendimus: tum etiam, quia Prælatus medius tenetur consentire ordinationi supremi, vel maioris Prælati. Vterque ergo modus inueniri potest in religionibus, & de facto inuenitur, vt constabit varia earum instituta consideranti, & infrà in speciali aliquid attingemus de Societate in tractatu 3. lib. 10. cap. 3.

XX. Sed obiiciet aliquis contra posteriorem partem. Nam Prouinciales, vel Abbates creant Generalem in Capitulo, & sæpè etiam Priores, aut Guardiani Prouincialem: ergo etiam superior prælatio ducit originem ab inferiori; est ergo hæc dependentia mutua, potestque esse sine inconuenienti, quia est respectu diuersorum. Respondeo, Prouinciales eligẽtes Generalem, non eligere illum vt Prouinciales sunt, sed vt electores, quæ duo munia sunt formaliter diuersa, nam actus eligendi per se non pertinet ad iurisdictionem Prouincialis, vnde à multis participatur, qui Prouinciales non sunt: & è conuerso posset alius modus electionis institui, in qua Prouinciales, vel Abbates suffragium non haberent: igitur superior Prælatus nunquam pendet ab inferiori formaliter tanquam à Prælato; è cõtrario autem inferior pendet hoc modo à superiore, & ita intelligitur differentia posita. Qualis sit autem dependentia illa, quam habet Prælatus, qui per electionem creatur, à suis electoribus, in sequenti sectione declarabitur.

XXI. Secundò intelligitur hæc dependentia in operari; quia nimirum Prælatus superior non pendet in suis actibus ab inferiori; inferior autem pendet aliquo modo à superiori. Vtrumque enim constat ex vsu. Et ratio prioris partis est, quia superior nec pendet ab inferiori tanquam à causa intermedia, cùm possit sine illo operari, sicut ostensum est, nec pendet vt à causa dante virtutem operandi, vt proximè etiam dictum est: nullo ergo modo per se pendet. Dices, in naturalibus sæpe causa vniuersalis pẽdet à particulari in agendo, saltem lato modo, id est, vt sine illa non possit effectum producere, vt sol non potest generare hominem sine homine. Respõdeo, id habere locum in causis vniuersalibus imperfectis, quæ solùm immediatè, & quasi partialiter possunt concurrere, per sese autem non sufficiũt. Causa autem vniuersalis perfecta per sese sufficit absolutè ad effectum; qualis est Deus, & ideo simpliciter non pendet à causa proxima, sed solùm ex suppositione, quòd nolit absolutè efficere effectum, sed dando tantùm necessarium concursum causæ secundæ: tunc enim, licèt non sit propria dependentia, est nihilominus necessitas influxus causæ secundæ. In præsenti autem dictum est, vniuersalem Prælatum esse ita perfectum, vt possit etiam immediatè operari, si velit; & ideo absolutè nõ indiget concursu, vel consensu inferioris Prælati, sed solet hic esse necessarius ex quadam vrbanitate superioris Prælati; & moraliter, ac regulariter loquẽdo, ad bonum pacis, & ordinis, & melioris gubernationis conueniens est; absolutè autẽ potestas est in superiore Prælato, & interdum expedit illa vti, vel in defensione innocentis subditi, vel ad consolandum afflictum, vel propter alios similes fines.

Ratio alterius partis est, quia causa particularis pendet ab vniuersali in suis actionibus: nam quale est esse, tale est & operari. Hæc autem dependentia non est intelligenda cum rigore physico de influxu immediato, & per se, sed moraliter, in primis mediatè, quatenus potestas inferioris pendet à superiore, vt dictum est: deinde aliquo modo immediatè, saltem vt à causa non impediente, cùm possit. Quamuis enim necesse nõ sit, vt superior Prælatus actu confirmet, vel ordinet quæ inferior præcipit; tamen necessarium saltem est vt non contradicat, nam voluntas inferioris Prælati non potest esse efficax contra voluntatem sui superioris. Atque hinc sequitur alius modus huius dependentiæ, qui in hoc, virtute continetur, scil. quod maior Prælatus potest coarctare iurisdictionem inferioris, non tamen è conuerso. Hoc posterius per se notum est, & colligitur à paritate rationis ex cap. *nullam*, 18. q. 2. Prius autem multipliciter etiam sequitur ex dictis. Primò, quia inferior Prælatus pendet in suo esse à superiore; ergo in iurisdictione; ergo in quantitate seu amplitudine iurisdictionis. Secundo, quia inferior Prælatus est subditus superiori: ergo si superior præcipiat, vt in hac, vel illa re non se intromittat, tenetur illi obedire, supponendo, nullam turpitudinem in eo præcepto includi: hoc igitur modo etiam potest limitare potestatem eius. Tertiò, quia Prælatus vniuersalis potest immediatè præcipere omnibus subditis: ergo potest eis prohibere, ne in hac re, vel illa pareant inferioribus Prælatis: ergo hoc etiam modo limitabit facultatem illorũ, quia eius potentia, & voluntas efficacior est. Deniq; hoc modo potest supremus Prælatus præseruare sibi absolutionem à tali culpa, iudicium in tali causa, vel talem dispensationem, aut etiam subiectionem talis personæ, & similia: & idẽ suo modo potest Prælatus medius circa infimum.

XXII.

Statim verò occurrit inquirendum, an hæc restrictio requirat iustam causam, vel possit pro solo arbitrio maioris Prælati fieri. Respondetur breuiter primò, si loquamur de his, quæ conueniunt vnicuique Prælato ex vi sui muneris, atque adeò de potestate ac iure ordinario, quoad hæc non posse restrictionem fieri licitè sine iusta causa. ita docent communiter Doctores in simili, tractando de casuũ reseruatione, vt in 4. tom. de Pœnitentia notauimus. est autem hic eadem ratio, tum quia vnusquisque Prælatus habet aliquod ius in re quoad iurisdictionem suam ordinariam; non ergo potest licitè illo priuari sine causa: tum etiam, quia vel illa est pœna illata sine culpa, & sic illicitè; vel est peruersio, aut immutatio ordinis, de se instituti ad bonum cõmune, & consequenter est præter regulam, quæ omnia sine causa facta, sunt illicita: tum denique, quia ex huiusmodi iniustis restrictionibus multum potest perturbari pax, & oriri scãdala. Vnde ad minimum censeo hoc esse contra charitatem, & iustitiam legalem, & non est improbabile etiam esse cõtra commutatiuam: quamuis hoc sit magis incertum, quia in his religiosis nõ videtur esse tam proprium dominium circa hæc iura, vel officia.

XXIII. *Prælatus maior restringens iurisdictionẽ minoris sine causa peccat*

Vnde, his nõ obstantibus, censeo secundò restrictionem hanc validã esse, etiamsi absque causa fiat, sicut etiam de reseruatione casuũ probabilior sententia fert. Cuius ratio est, quia voluntas superioris Prælati, absolutè loquẽdo, potẽtior est, & nulla est lex positiua, quæ huiusmodi factum irritet, neque ex sola natura rei potest censeri nulla, quia *mulia illicite fiunt, quæ facta tenent*, inter quæ videtur hoc computandum, quia nullam habet specialẽ rationẽ nullitatis, cùm defectus magis sit in modo, quã

XXIV. *Valide tamẽ restringit, nisi restrictio sit contra bonos mores.*

in substantia, cumque magis interueniat ibi iniustitia legalis, quàm commutatiua. Vnde confirmatur, quia in his actibus maior ratio habenda est boni communis, quàm priuatæ iniuriæ; ad bonum autem commune expedit, vt talis restrictio timeatur, & seruetur, etiamsi iniusta appareat ex defectu causæ: & ideo facta tenet, ac valida est. Dico autem, *ex defectu causæ*, quia si aliunde contineret intolerabilē errorem contra bonos mores, clarè, & euidenter nulla est. Tertiò verò addendum est, si quæ sunt cōcessa inferiori Prælato vltra ius ordinarium per delegationem superioris, & licitè, & validè reuocari ab eodem Superiore, vel ab æquali, scilicet succedere, vel etiam ab alio vtrique superiore, pro sola voluntate sine speciali causa: & tunc cessant omnes rationes suprà factæ, quia delegatio est quædā gratia, & fauor: quanquam in hoc etiam cauenda sunt incommoda, quæ per accidens sequi possunt, vel contra commune bonum, vel cōtra pacem, & charitatem singulorū: maximè, si acceptio aliqua personarum misceri videatur.

Delegata iurisdictio licitè restringi potest sine causa, per se loquendo.

XXV. *An Prælatus maior possit inferiorem amouere.*

Tandem inquiri hic potest, ân hæc dependent ia fit etiam in conseruari: quod est quærere, an supremus Prælatus possit quemlibet sibi inferiorem sūo officio priuare: & eadē quæstio est de Prælato medio respectu sibi subiecti. Sunt autem duo certa. Vnum est, sine legitima causa nō posse licitè, vt à fortiori ex dictis constat. Intelligendum autem id est, quando prælatio vel perpetua est, vel pro definito tempore datur, si intra illud auferatur, quia tunc procedunt fortiùs rationes in superiori puncto factæ. Si autem tempus non esset definitum, nec posset diuè perpetuum, sed indefinitè daretur ad arbitriū Superioris; tunc per se non esset illicitum, nam cessat etiam omnis ratio iustitiæ, dummodo nihil nouum fiat contra consuetudinem, quod meritò posset perturbationem aliquam, vel infamiam generare. Secundò est certum, ex iusta causa posse hoc & licitè, & validè fieri, quia iurisdictio non deest, & ad licitū vsum sufficit iusta, & proportionata causa. Quod ita explicatur: nam hæc causa generatim loquendo duplex esse potest. Vna est, culpa sufficiēs ipsius prælati: nam iustè potest à suo superiore puniri; sed priuatio officij potest esse iusta pœna: ergo. Alia est, ratio aliqua vrgēs maioris boni communis: nam hæc munera non ad priuatum commodum prælatorum, sed ad bonum cōmune religionis ordinantur: cura autem huius boni communis, & iurisdictio ad illud tuendum proportionata, maximè pertinet ad supremos, & vniuersales prælatos, vt suprà declarauī: ergo in eo casu, & ex parte eorum est sufficiens potestas, & ex parte causæ sufficiens ratio, vt talis mutatio sancte fiat.

XXVI. Tertium autem incertū est, scilicet, an talis priuatio sine iusta causa facta, valida sit. Omissis autē rationibus dubitandi, quæ vtrinque facilè excogitari possunt, cēseo illam esse validam, per se spectata hierarchica subordinatione harum potestatum, propter rationes factas in superiori puncto: nam eadem ratio est totius, & partis in his, quæ similia sunt. Si ergo restrictio sine causa facta valida est, cū tamen sit diminutio seu ablatio partis iurisdictionis, etiam totius ablatio valida erit. Hoc autem, & reliqua quæ in hoc capite diximus, intelligēda sunt, & supponendo in his prælatis perfectam, & monarchicam iurisdictionem, & tollendo impedimenta, seu restrictiones, quę per legem, vel superiorem potestatem factæ esse possunt. Primum ideo aduerto, quia in multis religionibus, etiamsi Generales, vel Prouinciales habeant, regimen non est simpliciter monarchicum, præsertim in rebus grauioribus, in quibus Generalis, vel Prouincialis nihil validè potest statuere sine concursu suorum *Definitorum*, aut quouis alio nomine vocentur, qui definitiuum suffragium in huiusmodi negotiis habent. Igitur quoad hoc non possumus regulam generalem statuere, sed spectanda est consuetudo, vel institutio vniuscuiusque religionis, & iuxta modum eius applicare quæ hactenus diximus. Eademque ratione addita est altera limitatio: nam hæc potestas siue conferatur immediatè à Summo Pōtifice, siue mediante religione, & generali Capitulo eius, vel per superemum Superiorem ad medios descendat, sæpè non datur absolutè, saltem quoad plures actus ex dictis, sed cum restrictione & obligatione seruandi talem formam aut modum, vel cum aliqua dependentia ab ipso concedente, aut simili alio modo; & tunc facultas non excedit concessionem: ideoque etiam quoad hanc partem consulenda sunt priuilegia, & statuta religionum, vt secundùm ea limitentur omnia, quę diximus: nam illa procedunt per se, & quantum est ex iure communi, & ex natura & modo talium iurisdictionum; non est tamen dubium, quin iura specialia possint multa addere, quę hic à nobis non possunt considerari, sed ad singulas religiones id pertinebit.

CAPVT III.

De Electione supremi Prælati in Religione: deque conditionibus ex parte ipsius requisitis vt legitimè eligatur.

I. DVobus modis potest Magistratus aliquis creari, scilicet, vel per electionem, vel per voluntatem alicuius Principis, seu Prælati superioris: omitto enim hæreditariam successionem, quæ in præsenti materia, & in vniuersum in spirituali potestate locum non habet: omitto etiam modum succedendi per nominationem Prælati decedentis, seu finientis tempus suum, deligentis sibi successorem: quia licet hic modus intrinsecam malitiam, aut aliam repugnantiam absolutè non inuoluat in Ecclesia tamen in nullo genere propriæ successionis ac prælationis vsu receptus est; ne prælatio Ecclesiastica quasi testamento legari seu relinqui videretur, & ad vitanda pericula, quæ esse possent, si vnusquisque iuxta suam propriam affectionem successorem sibi posset eligere: & ideo hoc est sacris canonibus vetitum, vt dixit Gratianus in §. *his omnibus*. 8. q. 1. post nonnulla decreta, quæ de hoc adduxerat, & in simili nonnihil in tomo de fide disp. 10. sect. 4. retuli. Dixi autem, hoc non admitti in propriam successionem prælationis, quia nominare aliquem Vicarium, qui præsit interim dū fit electio proprij prælati, non ita repugnaret, quia neque habet prædicta incommoda, nec per canones est prohibitum. Vnde in nostra Societate 8. p. Constit. c. 1. conceditur Generali, vt possit Vicariū nominare, qui statim post mortem eius, debeat Societatem cōgregare, atque illi præesse, donec Præpositus Generalis eligatur: quanquam neque S. Ignatius ipse, neque aliquis eius successor vsque ad hæc tempora, in quibus seribimus, ea facultate vti voluerit. Itaque solùm supersunt duo modi suprà dicti, quibus Prælati religionis creari possunt.

Electio est de iure naturali.

II. Vt ergo à supremo capite incipiamus, dicendum est principaliter Prælatum supremum & generalē vniuscuiusque religionis per legitimam electionē iure creandum esse. Hoc probat vsus, & institutio omnium religionum, & est consentaneum iuri canonico, vt statim dicam. Ratio autem est, quia hic Prælatus non habet intra religionem alium superiorē, à quo instituī possit: ergo non superest alius modus nisi per electionem. Dices, habere hos prælatos Summum Pontificem superiorem, à quo possent instituī, sicut ab eo creantur Episcopi. Respondetur, potuisse

potuisse quidem Pontificem Summum ho c sibi reseruare,& hac lege, & modo vnamquamque religionem instituere,& approbare;noluisse tamen, vt suauius,& commodius religionibus prouideret,vt nimirum ipsa religio in pastore sibi eligendo consentiret; & vt ipse etiam electus à suismet futuris subditis publicum haberet suæ sufficientiæ, & dignitatis testimonium,& ita cum maiori amore, & inducia à tota religione susciperetur. Simili enim ratione noluerunt Summi Pontifices sibi successores nominare,sed electionem Ecclesiæ committere,vt videre licet in Turrecremata lib. 2. Summæ, c.51.& in citato loco tomi de fide. Atque hoc rectè confirmant iura;quæ disponunt, vt Abbas per electionem monachorum creetur: illi enim Abbates, vt suprà cap.præced.n.11.tetigi,erant tunc in sua religione supremi,quamuis Episcopis essent subiecti, & ideo non poterant à religiosis creari,nisi per electionem;potuissent tamen,si Ecclesia vellet, à solis Episcopis,vel Pontificibus prouideri: illud tamen nunquam factum est,nec iudicatū expediens;propter rationes paulo antè adductas. Et ob easdem nunc in religiosis monialium,quæ subsunt Episcopis,Abbatisse per electionem monialium creantur, & non constituuntur à solis Episcopis. Denique in regulis singularum religionum hoc disponitur, vt videre licet in Regula S. Francisci, cap. 8. & in 8. p. Constitut.Societatis,c.1.& 2.&c.

III. Dices, Quomodo potuit hæc dignitas Præpositi Generalis in vnaquaque religione incipere per electionem, cum electio supponat religionem ipsam constitutam;cùm debeat à religiosis fieri, vt dicemus; religio autem supponat aliquem Prælatum, cui omnes possint obedientiam promittere. Respondeo, primò, necessarium non esse vt conclusio intelligatur de primo initio ac fundatione religionis,nec de nouo quòd tunc inceperit gubernare:nunc enim præcipuè agimus de ordinario regimine religionum,postquam institutæ, & fundatæ sunt. Deinde dicitur generalis prælati electionem aliis modis potuisse in religionibus incipere. Primò: vt præcesserit religio,& regimen eius sine vno supremo capite, vel gubernatore, postea verò singula monasteria inter se consenserint de vno communi prælato eligendo: nec repugnat religionem præexistere sine huiusmodi prælato,vt de religione S.Benedicti,& de antiquis monachis suprà coniecta uimus.

IV. Secundò, potest à principio institui religio cum hac lege,vt nullum habeat prælatū, vt de religione S.Francisci constat ex Regula eius,cap.1.& 8. & idē est de religione Prędicatorum,& de Societate.Modus autem constituendi primum Generalem esse potuit vel per designationem Summi Pontificis, quod ita fuisse in religione S.Francisci colligi potest ex cap.1.Regulæ eius, vbi Franciscus ipse soli Papæ promittit obedientiam;de aliis autem dicitur, *Teneantur obedire Francisco, & successoribus eius*; vel etiam potest talis creatio fieri per liberum consensum omnium,qui in principio aggregati fuerunt fundatori religionis,illi obedientiam promittendo, etiā ante approbationem Apostolicam:nam licèt eo tēpore ille non esset verus prælatus sicut illa non erat vera religio;tamen adueniente approbatione, per quam Pontifex confirmat quod priùs factum est,& acceptat sua vota tanquam solennia, confertque participationem suæ iurisdictionis illi religioni in individuo prout in talibus personis inchoata, incipit ille esse verus prælatus generalis ordinis.Et fortasse etiam ita factum est in religione S. Francisci, & sancti Dominici. Alio item modo potest primus Generalis fieri per propriam electionem,& post religionem iam verè institutam,& confirmatā, prout in nostra Societate contigit:anno enim 1540.confirmata est à Paulo III. sequenti verò anno P. N. S. Ignatius in Generalem electus est. postea verò tam ipse Ignatius, quàm socij eius solennem professionem emiserunt; in qua etiam notari potest quòd Ignatius ipse Summo Pontifici tantùm,reliqui verò ipsi etiam Ignatio perpetuam obedientiam promiserunt.Rursus obseruare licet, prius fuisse Societatem veram religionem, quàm in ea esset facta solēnis professio; imò priusquā essent vota aliqua, authoritate Pontificia in ea recepta,quia iam erat approbata, & erat in ea potestas emittendi talia vota,quæ primū facta fuere ab ipso Ignatio, & illa ex vi prioris approbationis ipso iure fuerunt acceptata per Apostolicam Sedem; reliqua verò mediante ipso Ignatio admissa fuere. Denique notare licet in ea electione,personas illas priùs fuisse eligentes, & electam,quàm essent veri religiosi, quòd nondum votum obedientiæ emisissent: quamuis enim prius illud esse decreuissent ex lib.2. vitæ Ignatij.c.13. nōdum tamen illud executioni mandauerant. quod quomodo esse possit,paulò pòst declarabimus.

Lib. 2. vita S. Ignatii, c. vlt. & lib. 3. c. 1. apud Ribadem.

De conditionibus ad electionem alicuius in Prælatum religionis,præcipue Generalem.

V. Quoniam verò in conclusione dictū est, id quod etiam de se est manifestum, electionē hanc debere esse legitimam,nam à lege præcipuè vigorē habet: ideo explicandum nobis superest quid requiratur vt hæc electio legitima sit. Possunt autem ad tria capita reduci huiusmodi requisita,nimirū, ad personam electam, seu eligendam; electores, & formam, seu modum electionis. Primum horum in præsenti capite expediemus,duo reliqua in duobus sequentibus. In persona ergò eligenda duo desiderantur,scilicet capacitas & dignitas. Circa capacitatem igitur sciendum est,ex natura rei, vel ex solo diuino iure nullam conditionem specialem ad hāc capacitatem requiri præter generales, vt quòd sit persona humana; ratione vtens,& apta aliquo modo ad hoc regimen suscipiendum, hæc enim in omni electione humana necessaria sunt: præter hæc verò ex vi solius rationis naturalis nihil amplius cum fundamento addi potest. Quatenus verò electio hæc in fide suo modo fundatur, & ad supernaturalem finem ordinatur, rectè colligitur ex discursu etiam connaturali fidei, & gratiæ, ad hanc capacitatem necessariam esse fidem, seu fidei professionem in persona eligenda, quia aliàs non potest esse apta ad huiusmodi regimen. Vnde etiam necessarium est quòd sit persona baptizata, ex generali principio alibi latè tractato t. 4. & 5. in 3. p. quòd *sine charactere baptismali nullus est capax spiritualis iurisdictionis.* Quòd verò ex diuino iure positiuo, nihil amplius hic requiratur, ex dicendis constabit.

Quæ conditiones iure naturali requirantur.

VI. Supereſt ergo vt de iure Ecclesiastico videamus an in eligendo aliquid amplius requiratur, vt non solùm capax,sed etiam dignus censeatur. Hoc autē ius triplex distingui potest,speciale,generale, & generalissimum:speciale hic voco, quod in vnaquaq; religione per specialia indulta, vel priuilegia additum est,quale esse potest,v.g quòd persona eligenda non ducat originem ex Iudæis, vel aliud simile. Et de hoc iure nihil hic dicimus. Generalissimum appello quod non solùm religiosis,sed omnibus cęteris Ecclesiasticis electionibus commune est; quale est,quòd eligendus non sit excommunicatus,aut irregularis ad officium vel beneficium: de quo etiā hic non agimus,in sua generalitate, quia spectat ad materiam de Censuris, & Irregularitate, quæ in proprio loco tradita est: solum hic addemus quæ necessaria fuerint ad applicandum huic electioni illam communiorē doctrinam,quod fiet explicādo

Ius Ecclesiasticum triplex.

ius, quod generale vocamus, quatenus omnibus religionibus commune est.

Prima conditio iuris communis ad Generalis prælaturam, legitima ætas.

VII. Prima ergo conditio requisita in persona eligẽda, est, vt habeat legitimam ætatem, quæ ad minimum debet esse viginti quinque annorum, iuxta cap. *cum in cunctis*, de Electione, confirmatum à Cõcilio Tridentino sess. 24. cap. 12. de Reformatione. Hæc autem iura generaliter loquuntur de omnibus dignitatibus Ecclesiasticis, habentibus curam animarum annexam, sub quibus sine dubio comprehenduntur etiam prælationes regulares, magnã enim sine dubio habent curam animarum ordinariam, & ex officio, veræque prælationes, & dignitates Ecclesiasticæ sunt, vt suprà diximus. Quia verò ibi in Episcopis postulatur ætas triginta annorum, in inferioribus viginti quinque, dubitari potest sub quo illorum membrorum comprehendere debeamus prælatum generalem religionis. Nam in rigore & proprietate non est Episcopus, sed dignitate inferior; verba autem legis in sua proprietate seruanda sunt: præsertim in lege, quæ ponit formã necessariam, & irritat actum in quo omittitur: nam ex hac parte est odiosa, & ideo restringenda ad verborum proprietatem. Contrarium autem videtur suadere ratio: quia hæc maior ætas non tam postulatur in Episcopis propter ordinis dignitatem, quàm propter superiorem iurisdictionem, & grauiora negotia, & actus, qui ratione talis iurisdictionis ad illos pertinent. Sed supremus Prælatus religionis participat maximè iurisdictionem Episcopalem, quæ in illo ratione status subditorum magnam iudicij maturitatem requirit. Ergo, quantum ad præsens spectat, videtur sub Episcopi nomine comprehendendus. Nihilominus prior sententia in rigore iuris vera videtur propter rationes adductas, & quia nullus author illam extensionem facit. Imò Panormitanus dict. cap. *cum in cunctis*, num. 6. quærens *quid de Abbate?* respondet in iure clarè non caueri, communiter tamen reuocari ad dispositionem de inferioribus dignitatibus: diximus autem suprà cap. 2. num. 2. ius commune nihil disponere in particulari de hac prælatione vniuersali, seu generali religionis; sed tantùm de Abbate, quatenus per se erat quasi supremus intra suam religionem. Addo præterea, licèt hic sit veluti casus omissus in iure communi, nihil referre, quia moraliter loquendo, & quasi ex ipsarum rerum natura seu necessitate contingere non potest, quin is, qui in Generalem eligitur, trigesimum annum ætatis excedat: nec existimo contigisse vnquam in graui aliqua religione, vt iunior aliquis fuerit electus. De Sancto enim Bonauentura legimus cum 35. ætatis annum ageret, & per tredecim tantùm in religione fuisset, electum esse, quod singulare valde, & extraordinarium reputatur, factumque fuisse ob eius singularem virtutis & doctrinæ excellentiam. Cuius non dissimile exemplum in admodum reuerendo P. N. Generali Claudio Aquauiua Romæ ante viginti annos conspeximus: nam 39. ætatis anno, & 15. religionis propter eximias naturæ, & gratiæ dotes in Generalem Societatis electus est.

Dubiũ quæ sit legitima.

Resolutio authoris.

Secunda conditio, professio solennis, expressa, & in eadem religione.

VIII. *Prima pars.* Secunda conditio hodie necessaria, vt quispiam sit capax huius electionis, est, vt sit expressè professus eandem religionem. In qua tres includuntur: prima est, vt sit professus: habetur in cap. *cum ad nostram*. de electione, vbi irritatur electio, in qua quidam electus fuit in Abbatem prius quàm esset monachus: idem habetur in cap. *cum causam*. & in cap. *cum in magistrum* eodem titulo: in quibus iuribus obseruare licet, solùm prohibere, ne seculares, seu non professi eligantur, & præcipere vt electiones de aliis factæ irritentur; non tamen in eis expressè declarari, an tales electiones essent ipso iure nullæ, & an ille defectus redderet personam incapacem, vel solùm indignam, seu improportionatam. Vnde videtur probabile secundùm illud ius antiquum tales electiones non fuisse irritas ipso facto, quia in dict. cap. *cum causam*, allegatur consuetudo, qua multi Priores continuè vnus post alium fuerant non professi, qui cum ita simpliciter appellentur, non videntur fuisse reputati tantùm, vel solo nomine, sed veri Prælati: vnde Pontifex subdit, *Non debemus solum attendere quid factum sit, sed quid sit faciendum*. Et hanc opinionem indicat Panorm. ibi, numer. 6. dicens, *Item nota, quod electio facta in Ecclesia regulari ne non professo venit irritanda, consuetudine contraria non obstante. Hodie vero est ipso iure nulla, per c. nullus, de elect. in 6.* Sentit ergo, ante illud ius libri 6. nõ fuisse talem electionem ipso iure nullam. Quod expressè asseruit glossa in dict. c. *nullus*. Nihilominus glossa in dicto c. *cum ad nostram*, exponit, *irritare*, id est, irritam nunciare, citans cap. *Officij*. eod. tit. ex quo, mea sententia nihil probatur, nam agit de re longè diuersa, vt infrà exponam: alia vero glossa in dict. cap. *cum causam*, citat cap. *Abbatem*, & c. *quam sit* 18. q. 2. vt probet, talem electionem etiam ante illa decreta Innocentij III. fuisse nullam, ac proinde verbum *irritare* ibi idem esse quod irritum declarare. In illis autem iuribus solùm dicitur, Abbatem eligẽdum esse à monachis de sua, vel de eadem congregatione: potest autem nouitius in rigore dici de eadem congregatione; & ideo illa iura non videntur satis conuincere.

Probatur ex.

Obiectio.

Refellitur.

Confirmatur.

Nihilominus tamen iura illa ita intelligenda esse, quia propriè congregatio religiosorum, præsertim in ordine ad electionem, solùm comprehendit professos, qui etiam ad eligendum solùm comprehenduntur: nam de eisdem, seu de eadem congregatione loquũtur illa iura in ordine ad actiuam, & passiuam electionem. Quare non dubito, quin ante Innocentium III. hæc conditio fuerit necessaria iure communi; & præterea quia nisi ita esset, nõ præciperet Innocentius illam irritari, nec diceret, consuetudinem non potuisse in contrarium prœualere. Probabile etiam est, fuisse conditionem ita necessariam vt sine illa persona esset inhabilis: quia illa conditio ponitur tanquam de forma substantiali electionis, & vt tam necessaria ex parte eligendi, quàm ex parte eligentium. Et ita etiam sentit Hostiensis dict. c. *cum causam*. n. 7. & Panormitanus varius esse videtur, nam ex illo textu colligit, quod consuetudo non potest habilitare personam prorsus inhabilem. Nunc autem certior res est, & ex dict. c. *nullus*, quod iam exponemus.

Secundò.

Secundò addendum est huic conditioni, non quamcunque professionem sufficere, sed necessariã esse expressam. Ita enim additum est in cap. *nullus*. de elect. in 6. vbi ad tollendam omnem dubitationem, non de monacho, sed de religiosis sub hac voce, nec de Abbatia tantùm, sed etiam de prælatura, cuiuscunque religionis mentio fit: & postulatur, vt eligendus *antea fuerit ordinem regularem expressè prof.ssus*. Et additur, *Quodsi secus actum fuerit, eo ipso irritum habeatur*. Atque idem de Abbatissis statuitur in cap. *indemnitatibus*. eod. tit. quod ius secundùm omnes, quantum ad hanc partem, nouũ fuit, nam ante illud sufficiebat tãta professio, cùm verè religio-

religiosum efficiat. Nunc autem non est dubiū quin conditio hæc expressæ professionis sit de substantia & valore talis actus, cùm in illo textu hoc satis expressum sit: de quo etiam aliqua diximus supra tomo præced. tractando de effectibus professionis.

XI. Tertiò addendum est huic conditioni, debere *Tertia pars.* hanc expressam professionem esse in eadem religione, ita statuitur in Clement. 1. de electione, prohibetur enim *ne religiosus aliquis in Abbatem, vel Prælatum alterius religionis, vel habitus de cætero eligatur. Quod si secus actum extiterit, sit eo ipso irritum, & inhabile.* Vbi ponderanda est illa particula *de cætero*, qua significatur illud esse ius nouum: antea enim non erat hæc conditio tam necessaria, vt ibi notat glossa, & illam renouat Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 10. de Reform. & sess. 25. c. 21. de Regul. Verùm etiam eximio iure antiquo postulari, vt patet ex dict. c. *Abbatem.* 2. & in c. *quam sit.* 18. q. 2. in quibus Abbas eligendus dicitur de eadem, seu de sua congregatione: non erit autem de eadem congregatione, nisi in eadem professus sit. Vnde Gregorius expressè dixit *non extraneus.* Consonat etiam cap. *nec è meritis,* & c. *nullus inuitis.* & c. *obitum.* d. 61. vbi Celestinus, & Gregorius Pontifices statuunt, vt in vnaquaque Ecclesia ex eius clericis Prælati assumantur, & non ex alia, nisi in eadem digni inuenti non fuerint. Quæ conditio etiam subintelligebatur in Abbate religionis, imò expressè ponitur à Gregorio in dict. c. *quam sit. Quod si aptam* (inquit) *inter se personam inuenire nequiuerint, solerter sibi de alio monasterio similiter eligant ordinandum.* Quo etiam modo videtur intelligendum cap. *Abbas.* 2. quod ex Concilio Moguntino refert Gratianus 18. q. 2. vbi si contingat Abbatem cum licentia Episcopi locum suum relinquere, dicitur, *eligant sibi fratres Abbatem de ipsis: sin autem, de extraneis*; sub illa enim conditione, *sin autem*, subintelligendum est, scilicet, *commode fieri non poterit*; quamuis canon ille in Conciliis Moguntinis non reperiatur. Nunc autem conditio hæc non ponitur in dicta Clementina, sed absolutum est decretum, & irritans; & ideo non existimo posse admitti exceptionem illam priuata authoritate: sed in eo casu recurrendum esse ad Superiorem; qualis est solus Summus Pontifex in casu, de quo loquimur, quanquam timendum non est quòd possit moraliter euenire, vt in tota aliqua religione nullus sit, qui ad eam gubernandam dignus sit, & sufficiens.

XII. *Aristotelis hæc secunda ratio reuocatur ad primam.* Vt autem rationem huius conditionis declaremus, quærimus, an hæc conditio sit necessaria ex obligatione iuris naturalis, vel solùm positiui Ecclesiastici. Quidam enim primum asseruerūt, eo quòd *Pontifices ratione naturali niti videantur.* Innocentius enim inde probat, hominem non professum non posse esse Prælatum professorum, quia lex diuina prohibet in boue & asino arare, aut vestem induere de lana linoque contextam: nam licèt hæc sumpta sint ex lege veteri, non tamen vt positiua erant; sic enim cessauit; sed vt indicant naturale iudicium rationis, cui non congruit, vt homines disparis professionis vel habitus simul in eisdem monasteriis socientur, vt dixit Clemēs V. dicta Clement. 1. & Concilium Hispalense II. c. 9. ex eadē lege Moysis confirmat quod dixerat, *in vno eodemque officio non debet dispar esse professio.* & infrà subdit optimam rationem; *Nam cohærere, & coniungi non possunt, quibus & vota, & studia diuersa sunt.*

XIII. *Obiectio solutur.* Veruntamen ex tribus partibus huius conditionis, secundam clarum est non esse necessariam, nec præceptam ex natura rei scilicet, quòd professio fit expressa: quia nulla est ratio, quæ necessitatem suadeat, sed congruitatem, vt per se satis est clarum, & in superioribus traditum est, & ex ipso iure constat ante illam Ecclesiæ constitutionem, non fuisse factam differentiam inter professos tacitè, vel expressè, vt in Prælatos religionis eligi possent. Si autem ex natura rei expressa professio esset aliquo modo necessaria, fuisset ille intolerabilis error. Solùm ergo illa conditio postulata fuit, quia professio tacita dubiis, & litibus est exposita: oportet autem, vt de illius professione, qui in Prælatū eligitur, maxima certitudo, quoad fieri possit, habeatur. Et ideo hæc conditio non fuit ab Ecclesia postulata donec necessitas professionis clarius proposita fuit tāquam de substantia, & valore electionis.

Deinde tertia pars illius cōditionis, scilicet, quòd XIV. sit professus eiusdem religionis, congruitatis tantùm est, non necessitatis: quia, si illa conditio ex natura rei esset necessaria, maximè quia sine illa nullus posset dignè, & conuenienter munus Prælati exequi; consequēs falsum est: ergo: Maior patet, quia nulla alia ratio talis necessitatis cogitari potest, cū reliqua omnia, quæ possunt esse de substantia talis muneris, possint facilè reperiri, vt iudicium, & sufficiens rerum notitia, ac recta voluntas, &c. Minor autem patet, quia illa disparitas professionis, vel habitus non necessariò impedit, quominùs Prælatus inferiores gubernet iuxta eorum regulas, & institutum, in quo potest, & debet esse satis instructus; & ideo Clemens V. in dicta Clementina solùm dixit, *Cùm rationi non congruat*, non verò dixit, *cùm rationi repugnet, aut contrarium sit.* Congruitas enim in hoc consistit, quòd disparitas religionis non conciliat amorem, vel in Prælato ad religionem ipsam, vel in subditis ad ipsum Prælatum, nec etiam iuuat dissimilitudo habitus: per se autem constat, hoc nō esse necessarium impedimentum ex sola rei natura, nisi lex fuisset adiuncta. Imò etiam per legem posset aliis modis illi incommodo subueniri absque identitate professionis, argumento cap. *Deus qui*, de vita & honest. clericor. vbi in casu necessitatis ad tollendum scandalum, & ad ædificationem proximorum, debent homines disparis professionis se conformare in vnum honestum habitum, & propositum: sic ergo posset religiosus alibi professus eligi in Prælatum alicuius religionis, dummodo se illi conformaret in habitu, & exteriori modo viuēdi, quantum ad vnionem sufficeret. Quod significauit glossa vltima in cap. *in nona.* 16. q. 7. & Panormitanus dict. cap. *Deus qui.* Tandem confirmatur, quia antiqui canones statuebant (quod nunc etiam fieri potest ex dispensatione Pontificis) vt si in propria religione non inueniretur dignus, ex alia sumi posset. Supponitur ergo, posse esse personam ex se dignam ad tale munus, etiamsi in eadem religione professus non sit: vel etiam supponitur, per excessum in aliis dotibus compensari posse diuersitatem illam professionis: ergo absque vlla dubitatione conditio hæc non est ex sola rei natura necessaria, etiamsi ex se habeat congruitatem sufficientem, vt per legem humanam tanquam necessaria præcipi potuerit.

De prima etiam parte huius conditionis idem XV. dicendum censeo, scilicet, professionem personæ eligendæ in Prælatum non esse ex natura rei conditionem necessariam; esse tamen ita congruam, vt meritò lex humana necessitatē addiderit. Hoc secundum à fortiori constat ex dictis: nam si professio eiusdem religionis habet illam congruitatem, multo magis professio absolutè. Prior autem pars ex dictis in cap. primo manifesta est. Duo enim requiruntur in huiusmodi Prælato: vnum est voluntaria subiectio subditi per traditionem, & votum obedientiæ: aliud est spiritualis iurisdictio. De primo constat posse religiosos, si velint, promittere obedientiam homini non professo, sed seculari clerico, nō solùm si sit Episcopus, de quo nullus dubitat, verùm etiam, si Episcopus non sit, posse eū Ecclesiam

tale votum recipere, & approbare, quia non est per se malum, nec contra bonos mores, & in particulari posset esse vtile. Idemque cum proportione est de iurisdictione: nam eadem ratione posset Pontifex (ad eum enim hoc primariò pertinet) eam conferre Prælato seculari, sicut olim eam habebant Episcopi. Dices, hoc ideo esse quia Episcopi sunt in altiori statu, vt respondet Panormitanus in c. *cum causam*. de Elect. n. 6. & bene quoad reddendam rationem iuris communis, quæ pertinet ad congruitatem, & decentiam, non ad absolutam necessitatem, secluſa lege prohibente. Nec enim semper necesse est, vt Prælatus sit in eodem, vel altiori statu, satis enim est quòd persona ipsa sit sufficiens ad tale regimen: ita enim professus in religione laxiori propter qualitates personales posset, secluſa prohibitione positiua, assumi ad regendam strictiorem religionem: presbyter etiam est suo modo in altiori statu, quàm Diaconus; & clericus in sacris, quàm in minoribus, & nihilominus minores sæpè, assumuntur ad gubernandos maiores. Denique, quamuis lege ordinaria laicus non sit capax iurisdictionis spiritualis; nihilominus Pontifex de absoluta potestate posset illam conferre laico in personas Ecclesiasticas: neque id esset per se intrinsecè contra legem naturalem, aut diuinam, vt in tomo de censur. disp. 2. sect. 3. num. 12. quamuis posset esse indecens, & scandalosum, & ita per accidens malum: ergo eadem vel maiori ratione posset Pontifex conferre iurisdictionem clerico seculari in religiosos, quia non minor, imò fortasse maior disparitas est inter laicum & Ecclesiasticos, quàm inter clericum seculare, & religiosos. Innocentius ergo præcipiēs illam conditionem, affert legem diuinam quasi in exemplum: nam illa diuina lex etiam supponebat congruitatem in ipsa natura rerum, non absolutā necessitatem.

XVI. *An in professione requiratur antiquitas.*

Quæri autem potest vlteriùs circa hanc conditionem, vtrùm requiratur aliquod tempus, seu antiquitas professionis in tali persona; vel statim post factam professionem eligi possit. Ratio dubitandi est, quia Concilium Trident. sess. 25. cap. 7. de Regularibus, statuit, vt Abbatissa non eligatur, nisi quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit; vel si id fieri non potuerit, saltem quinque: ergo idem erit necessarium in Abbatibus, tum quia sub masculino genere solet comprehendi fœmininū: ergo & è conuerso: tum etiam, quia maior authoritas, & vitæ approbatio in Abbate quàm in Abbatissa videtur necessaria. Vnde à fortiori id obseruandum erit in Generali religionis. Nihilominus dicendum est, necessarium non esse, vt aliquod certum tempus post professionem transeat, sed statim per ipsam professionem expressam reddi personam capacem huius prælationis, quantum est ex hoc capite. Ratio est, quia nullo iure præscribitur illa conditio, & ex natura rei necessaria non est. Primum patet, quia in corpore iuris nec de Abbatibus, nec de Abbatissis, nec de Prælatis religionis in communi aliquid simile inuenitur, aut ab authoribus refertur: decretum autem Concilij Tridentini potiùs ad oppositum induci debet, quia specialiter id statuens de Abbatissa, videtur relinquere Abbatem in communi, & antiqua regula; vt in simili argumentatur Abbas in cap. *cum in cunctis*, de Elect. num. 6. & sumitur ex glossa, ibi recepta in c. *indemnitatibus*. de Electione, verb. *Trigesimum*, & verb. *Non obstante*, in fine. Vnde, licèt sub masculino genere comprehendi soleat fœmininum, non tamen è contrario: vt ad hoc propositum dixit expresè Abbas in cap. *super mordinata*. de Præbend. numer. 8. cum glossa in Clementina *Attendentes*, de statu monachor. verb. *Cecidisse*. Et habetur expresè in l. *si ita scriptum*, ff. de Legatis 2. vbi dissimilitudo rationis, fundata in vsu verborum, ac decentia, assignatur. *Exemplum enim* (inquit) *pessimum est fœminino vocabulo etiam masculos contineri*. Quoad rem verò est etiam facile differentiam assignare: quia virilis cōditio perfectior est, & securior, & ideo non ita indiget huiusmodi temporis limitatione, aut conditione. Secundum autem & per se est facile, & ex dictis in superiori puncto cū proportione ostendi potest, quia hæc antiquitas professionis, regulariter, ac moraliter loquendo, potest esse valde necessaria, vt possit quis more religionis diutiùs & meliùs expediri, quę experientia moraliter necessaria est ad rectè gubernandum: non tamen est conditio simpliciter necessaria ex natura rei, non solùm ad capacitatem, verū etiam nec ad dignitatem personæ: quia illa experientia potest aliis modis suppleri, vel conditiones alię, & dotes personæ possunt esse tales, vt illum defectum compensent. Solùm est cauendum, ne ita eligatur aliquis repētè professus ad huiusmodi prælationem, vt illa iam vacante, ex seculari fiat religiosus, & profiteatur, vt ad prælationem promoueatur: hoc enim adeò est in iure reprobatum, vt talis electio irrita decernatur, in cap. *Officij*, de Electione, etiam in eo casu, in quo electus *paratus erat purgare se, quod nulla fuisset ad id ambitione inductus*, vt ibi dicitur, *quia* (vt ibi etiam subiicitur) *ex his quæ in continenti subsequuta sunt, ostenditur quod talis talister non possit eligi in Abbatem.*

Occurrit autem circa illud caput dubitatio, an saltem prohibitum sit, statim post professionem aliquem eligere in Abbatem, vel Generalem: nā hoc videtur supponi in illo textu, cùm tamen nullibi talem prohibitionem inueniamus, & alioqui desiderari non possit quantum tempus intercedere debeat. Vnde etiam difficile est rationem addere, cur illa electio irrita declarata fuerit, quia ille defectus non erat per se sufficiens ex sola rei natura ad irritandam electionem, vt per se constat, quia illa celeritas vel etiam vera ambitio non affert secum incapacitatem, neque etiam ante illud caput inuenitur ius Ecclesiasticum talem electionem irritans: quomodo ergo potuit irrita declarari? Propter hoc dicere posset aliquis, illum fuisse electum in Abbatē, priusquam esset professus, nam eodem die, quo receptus est in monachum, electus est in Abbatem, vt in Integra dicitur. Sed authores non ita intelligunt hunc textum, & meritò, tum quia monachum fieri in rigore magis significat professionem facere, quæ tunc fieri potuit statim primo die recipiendo habitum professorum, vel etiam expresè profitendo, & renunciando iuri suo: tum etiam, quia nec talis ratio dubitandi proposita est, cùm tamen futura esset potissima, nec Pontifex in illa fundatur, nec præcipit professionem facere, vt iterū eligi possit; sed solùm vt competenter instruatur, & purgetur. Censeo igitur, electionem illam particularem non fuisse nullam ipso facto propter rationem allatam; & consequenter verba illa, *Irritam esse decernimus, & inanem*, non significare sententiam tantùm declaratoriam nullitatis, sed effectricem talis nullitatis, irritando id, quod factum erat, quamuis nō esset per se irritum: ad irritandum autem sufficiens ratio fuit vehemens ambitionis præsumptio, orta ex his, quæ in continenti facta sunt. nam vt in Integra dicitur, eodem die, in quo monachus est effectus, fuit in Abbatem electus. Accessit etiam, quòd illa persona non satis digna, & sufficiens reputata est, *eo quod antequam esset professus, voluit esse magister.*

XVII. *Quæritur de quo tempore loquatur textus.*

An verò id statuerit Pontifex, vt in posterum similis electio sic facta, sit irrita ipso facto, dubitari potest propter vim verborum, *Irritā esse decernimus, & inanem*. Quæ ferri videntur non solùm in illam electionem, sed in omnē similem. Quod licèt fortasse

XVIII. *An omnis electio facta ante professionem sit irrita ipso facto.*

defendi

defendi possit; mihi tamen probabilius videtur, ibi legem statui, vt in simili casu possit & debeat cassari electio, prout ibi Innoc. indicat, & Hostien. quia verba textus non aliud in rigore postulant, & non sunt ampliandа in materia rigorosa; at lex illa, vt respicit ambitionem, pœnalis est; vt verò fundatur in personæ insufficientia, non est tam euidens indignitas, vt sufficiat ad nullitatem. Hinc autem inferri videtur, quoties electio religiosi ad huiusmodi prælationē est nimis præmatura, etiamsi post professionem fiat, posse irritari; & consequenter inferetur, vt electio sit omnino rata & firma, necessarium esse vt aliquod tempus à professione interiectum sit: hoc autem videtur præter consuetudinem, & contra rationem, quia nullum certum tempus ibi designatur, nec designari potest.

XIX. Dicendum tamen est, in primis ibi non tantùm considerari breuitatem temporis post professionem, sed subitam mutationem à seculari statu vsque ad prælationem, addita etiam illa circumstantia, quòd mutatio facta est vacante Abbatia. Nā ex his omnibus simul sumptis & ambitio, & insufficientia valdè præsumitur; ideoque quoties similes circumstantiæ occurrerint, irritandam esse electionem: quod adeò verum est, vt sine dispensatione Papæ fieri, & confirmari nō possit, vt ibidem significatur, vt rectè Panormit. notauit. Nihilominus addo, nunc, moraliter loquendo, nunquam esse irritādam electionem propter celeritatem eius, post legitimam professionem electi, nisi aliunde manifestè redundet in personæ electæ insufficientiam, & indignitatem. Probatur ex eodem capite, verbis illis, *Verum postquam fuerit in regula competenter instructus.* Vbi glossa, & Doctores ad summum requirunt annum ad huiusmodi instructionem, vel committendum dicunt prudenti arbitrio: nunc autem ad professionem faciendam prærequiritur annus integer religionis, in quo, si persona sit tantæ capacitatis, vt sit digna prælatione, profectò etiam poterit competenter instrui in regula religionis: ergo, nisi persona alioqui sit indigna, vel ambitio, aut vehemēs præsumptio eius intercedat, sola ratio, seu breuitas temporis post professionem, non infirmat electionem, vt ob eam causam cassari possit. Quod sensit Fredericus de Senis consil. 258. cum Ioan. Andr. in *c. cum ad nostram.* de elect. vbi Additio ad Panorm. idem notat.

Tertia conditio Sacerdotium.

XX. *Sacerdotium nullo iure postulatur, sufficiat prima tonsura.* Tertia principalis conditio necessaria in persona eligenda ad prælationem religionis, præsertim supremam, est, vt sit sacerdos, ex ca. 1. de ætate, & qualitate. Certum est autem, hanc conditionem nō esse requisitam iure diuino, vel naturali, quia nullam habet intrinsecam connexionem cum tali munere, vel positiuo, quia nullum est de hac re scriptum, vel traditum. Deinde si in hoc munere præcisè spectemus potestatem dominatiuam, & subordinationē religiosam, ortam ex votis & professione, etiam ex communi, & antiquo iure Ecclesiastico, non esset necessaria hæc conditio, imò nec alicuius ordinis, vel primæ tonsuræ: quia cùm illa potestas non sit iurisdictionis spiritualis, de se non requirit ordinē, vel inchoationem eius. Sic enim antiqui Abbates nec sacerdotes, imò nec clerici erant, vt colligitur ex *c. à Subdiacono.* d. 93. præsertim prout à Gratiano legitur: & ita ex illo colligit glossa in *c. tuam.* de ætat. & qualit. & Panormitanus in cap. 1. de ætat. & qualit. Quamuis in ipso can. 7. Concilij Romani, sub Sylueltro prout in 1. tom. Cōciliorum refertur, nulla fiat Abbatis, aut Monachi mentio: tamen ex aliis decretis 18. q. 2. idem colligi potest. Et fortasse verum est, etiamsi inter religiosos subditos aliqui sint sacerdotes: quia ex vi illius potestatis non subduntur vt sacerdotes, nec quoad actus iurisdictionis, sed quoad disciplinam religiosam; nec in eo esset intrinseca indecētia: quia quoad illum modum regiminis magis consideratur æqualitas professionis, & super omnia perfectio virtutis. & ita credo sæpè contigisse in antiquis religiosis: nam Equitius, Pachomius, Antonius, qui presbyteri non fuerunt, nec fortasse clerici, in suis monasteriis presbyteros aliquos sibi religiosè subiectos habere potuerunt. Et S. Franciscus sacerdos non fuit, vt refert Bonau. in expositione suæ Regulæ, cap. 7. & fortasse in principio suæ religionis nec clericus fuit, quantum colligi potest ex discursu vitæ eius, quam Bonauen. scribit, & tamen etiam tunc nonnullos religiosos sacerdotes habuisse in sua religione, licèt paucos, refert Bonau. dict. cap. 7. At verò considerando in Prælato religionis spiritualem potestatem, ex generali lege canonica necessarium est, & sufficit, vt sit clericus, quia laicus etiam religiosus non est capax spiritualis iurisdictionis, vt suprà dixi. Quòd autem sit sacerdos non videtur necessarium, quia quicunque ordo, etiam prima tonsura, sufficit, quantum est ex generali ratione spiritualis potestatis. Nec etiam ex speciali ratione iurisdictionis religiosæ videtur hæc conditio necessaria, aut aliquo iure præscripta: nam in dict. c. 1. de ætat. & qualit. solùm mandatur, vt *Abbates, Decani, & Præpositi, qui presbyteri non sunt, presbyteri fiant.* illa tamen non ponitur vt conditio necessaria, vt eligi possint ad tales dignitates, nec de religiosis aliquid ibi speciale dicitur. Adde D. Franciscum fuisse Generalem sui Ordinis, qui tamen sacerdos non fuit, vt dixi: idemque Sanctus in sua Regula statuit, vt conuersi sui Ordinis sine ordinibus sacris possint esse Prælati.

Siue spiritum iurisdictionem dict. cum sufficiat prima tonsura.

XXI. *Postulatur tamen dicta sacerdotii conditio, saltem post obedientiam debito tempore suscipiendi, propter curam animarum subditorum.* Dicendum ergo censeo, conditionem hanc in tātum esse iure communi necessariam in persona eligenda ad hanc prælationem, in quantum in omni persona, cui cura animarum committitur, seu confertur beneficium, aut dignitas habēs annexam hāc curam vel obligationem, postulatur. Ratio est, quia nullo speciali iure imposita est circa hoc maior obligatio, vel necessitas. De iure autem communi necessarium non est, vt qui promouetur ad curam animarum habendam, sit iam sacerdos, quādo promouetur; sed satis est, vt per promotionem ipsam seu beneficium obligetur ad sacerdotium suscipiēdū. Quod notauit Abbas in dict. c. 1. de ætat. & qualitat. & colligitur ex eodem textu, & ex cap. *præterea.* eod. tit. & cap. *si pro clericis.* de Præben. in 6. Ita ergo in præsenti, quamuis religiosus professus nōdum ordinatus sacerdos, in Prælatum religionis eligeretur, iure communi non esset irrita electio, nec irritanda, quia nullum haberet iuris defectum: teneretur autem sic electus debito tempore ordinari, tū ex dict. c. 1. vbi nomine Abbatis omnes intelligunt comprehendi Prælatum religiosum, nomen etiam Præpositi propriè illi conuenit. Ratio verò est, quia nunc Abbates seu Prælati religionum habent propriam curam animarum: necessarium autem est, vt pastores animarum sacerdotes sint, quia aliàs nec poterunt per seipsos subditis peccata remittere, neque pro eis offerre, aut Eucharistiæ sacramentum tribuere: quod magnum inconueniens est, quia deesset illis potestas ad præcipua munera sui officij, cui non semper possunt per alios conuenienter satisfacere; & præterea postquā in religionibus quāplures & præcipui sunt presbyteri, indecens profectò esset, Prælatum non esse sacerdotem. Quę ratio, moraliter loquendo, probat, etiam ante electionē esse debere sacerdotem; ex decentia tamen, & ex communi cursu rerum, non ex necessitate, quia de hoc nulla est lex.

XXII. Dici verò potest, regulariter necessariũ esse, vt eligendus, sit ordinatus in sacris. ita colligitur ex ca. *tuam*. de ætat. & qual. ibi, *Cùm instante necessitate in articulo, possit in Abbatem assumi, etiam in minoribus ordinibus constitutus*. Nam per argumentum à contrario colligitur, extra articulum necessitatis debere esse ordinatum in sacris qui Abbas constituitur, & ita notat ibi Panormitanus: nam si ob necessitatem potest fieri Abbas qui non est ordinatus in sacris: ergo extra necessitatem, atque adeò regulariter non potest eligi nisi ordinatus in sacris. Veruntamen satis probabile est, quod & glossa ibi indicat, ibi esse sermonẽ de irregulari, qui non potest in sacris ordinari, vt indicant illa verba textus, *Instituas in Abbatẽ, ita videlicet quod ad sacros ordines non ascendat*. Vnde fit, vt ibi appelletur non constitutus in sacris non omnis ille, qui actu non est ordinatus, sed qui nec potest etiã ordinari: vnde glossa vltima aduertit, Pontificẽ per illa verba, *Cum instante necessitate*, &c. respondere tacitę obiectioni, quomodo fieri possit Abbas, qui non potest fieri sacerdos: ergo nõ sola priuatio actualis, sed incapacitas consideratur. Vnde ex illo textu solũ colligitur, irregularem ad sacros ordines non posse iure ordinario eligi in Prælatum religionis: sequiturque hoc ex præcedenti assertione. nam eo ipso quòd obligatur ex vi muneris ad sacros ordines, non potest ad illud eligi, qui ad eos est impeditus. Quæ verò necessitas sufficiat, vt non obstante hac irregularitate, quis eligatur, & an tunc etiam requiratur dispensatio, paulò inferiùs dicemus.

XXIII. *Necessarium verò est vt habeat saltẽ primam tonsuram.* Vltimò verò circa hanc conditionẽ addi potest, necessarium esse vt eligendus ad prælationẽ regularem, præsertim supremam, clericus ordinatus sit, saltem in minoribus ordinibus, seu aliquo eorum. Hoc apertè colligitur ex dict. c. *tuam* ibi. *Cum instante necessitatis articulo, possit in Abbatem assumi etiam in minoribus ordinibus constitutus*. Et ratio supra tacta est, quia laicus omninò seu non clericus non potest ritè eligi ad dignitatem Ecclesiasticam, quia non est capax eius, vt sæpe dictum est: nemo autẽ eligi potest ad id, cuius non est capax. Adeò, vt in c. *contingit*. de arbitris, dicat Innoc. III. *Generaliter prohibemus, ne super rebus spiritualibus compromittatur in laicum*, & idem in c. 2. de Iudiciis, priùs dicitur laicos non posse tractare Ecclesiastica negotia: postea verò additur, *Sed Episcopi, Abbates*, &c. vbi supponitur, Abbates nõ posse esse laicos, vt sint apti ad res Ecclesiasticas tractãdas: & quoad hoc, vt Abbas notat, mos, seu ius antiquum immutatum est. Et ratio fundamentalis est, quia olim Abbas monachorum non habebat iurisdictionem spiritualem. Queri verò potest, an sufficiat prima tonsura, quia in dict. c. *tuam*, dicitur, *In minoribus ordinibus constitutus*: cùm tamen prima tonsura ordo non sit. Dico tamen sufficere; quia intentio iuris solùm est vt sit clericus, & capax spiritualis iurisdictionis.

Quarta conditio carentia irregularitatis.

XXIV. Quarta principalis conditio assignari potest, vt eligendus in Prælatũ irregularis non sit. Sed sciendum est, irregularitatem propriè ac per se primò respicere ordines, est enim inhabilitas quædam ad ordines recipiẽdos: hic autem sermo est de irregularitate latiùs sumpta, vt dicit etiam inhabilitatem ad beneficiũ Ecclesiasticum, vel prælationem. Quia verò beneficium, ac prælatio supponit aliquẽ ordinem, ideo irregularitas simpliciter cõsequenter est impedimentũ ad Ecclesiasticam prælationem: nam irregularitas simpliciter est quæ impedit omnem ordinem, & consequenter vsum eius, & quidquid talem ordinem, & vsum requirit. Nam qui ad aliquid est inhabilis, consequenter fit inhabilis ad id quod est illi connexum, vt dixit Glossa in c. *studeat* d. 50. verbo *vt tale beneficium*. & Nau. c. 27. n. 251. An verò illa irregularitas, quæ non impedit omnẽ ordinem, sed aliquem, v. g. sacerdotium, aut ordinem sacrum, impediat omninò huiusmodi electionem, dubitari potest. Veruntamen idem iudicium in hac quæstione dari debet, quod de electione ad quodlibet aliud beneficium facta de persona irregulari, de qua diximus in propria materia disput. 40. sect. 2. num. 30. esse nullam ipso iure idem ergo est in præsenti, quia hæc prælatio regularis estò non sit propriè beneficium quoad temporale annexum; est tamẽ quoad ius spirituale circa curam animarum, & in omni rigore est dignitas ac prælatio. Verum est regulam illam maximè procedere de irregularitate simpliciter, si tamen res attentè consideretur; hic non est necessaria distinctio inter irregularitatem partialem, & totalem: quia si irregularitas est præcise ad sacerdotalem ordinem, hoc satis est, vt per se loquendo impediat electionem personæ ad huiusmodi prælationem, iuxta dict. c. *tuam*. & iuxta dictam regulam generalem, de his, quæ inter se connexa sunt: nam secundùm ordinarium ius, huiusmodi Prælatus debet esse sacerdos, & ideo eo ipso quòd est irregularis ad sacerdotium, impeditur ne eligi possit. Quòd si sit irregularis ad aliquem inferiorem ordinem, eo ipso est irregularis ad omnes superiores, vt ex propria materia constat; & ideo perinde impedit.

XXV. *Irregularitas dicta quoad aliquid, impedit quoad omnia.* Solùm posset excogitari irregularitas, seu inhabilitas ad solum Episcopatum, & non ad sacerdotium: & de illa concedendum est, non esse impedimentum ad hanc electionem, quia nec directè prohibet hanc prælationem, vt supponitur; nec propter connexionem, quia ad hanc prælationem non est necessaria dignitas Episcopalis. Dices: Est saltem necessaria iurisdictio Episcopalis. Respondeo, per talem irregularitatem directè prohiberi consecrationem Episcopalem; iurisdictionem autem solùm consequenter, quatenus consecrationem supponit. Imò, licet non sit irregularitas in hac proprietate, sed pœna inhabilitatis ad dignitatem, seu iurisdictionem Episcopalem, non esset extendenda ad hanc iurisdictionem *quasi Episcopalem*, qualis est in Prælato religionis, etiam supremo: quia pœna non est extendenda vltra rigorem verborum; in rigore autem illa dignitas non est Episcopalis. Vnde fiet, si inhabilitas non limitetur ad illam dignitatem in specie, sed extendatur ad prælationes, vel dignitates Ecclesiasticas in genere, tunc enim sine dubio comprehendet hanc, de qua tractamus.

XXVI. *Dictum. Irregularitas partialis quoad aliquid, impedit quoad omnia.* Vna verò differentia assignari potest inter irregularitatem integrã, seu ad omnes ordines, & partialem ad aliquos tantùm ex superioribus: quòd prior ita reddit personam inhabilem, vt electio de illa facta, eo ipso irrita sit, quia est incapax iurisdictionis spiritualis: at verò irregularitas partialis, v. g. ad sacerdotiũ, vel sacros ordines, licèt impediat regulariter loquendo, electionem, non tamen reddit illam ipso iure nullam: quia non reddit personã incapacem iurisdictionis spiritualis, & alioqui nullum est ius expresè irritans talem electionem, neque ex vi solius connexionis sequitur irritatio ipso iure, sed solum quòd possit irritari: quia conditio sacerdotij, vt dixi n. 21. non est necessaria antecedenter, sed solùm consequenter. Et hoc etiam potest aliquo modo colligi ex dict. c. *tuam*, dum significat, in necessitate posse eligi huiusmodi irregularem: in quo videtur supponi, illum non esse absolutè incapacem talis dignitatis: Vnde etiam probabile est, in eo casu non esse necessariam dispensationem ab homine concessam ad talem electionem, quia satis conceditur ex vi illius iuris: & ita intelligo quod Panormitanus, & alij ibi dicunt, talem personam tunc

tunc assumi dispensatiue, scilicet concessione, aut interpretatione iuris.

XXVII. *Irritabitur tamen nisi debito modo celebretur.* Nihilominus tamen, vt talis electio rata, & firma maneat, necessarium erit, vt vel superior dispenset in tali irregularitate, vel confirmet, aut conferat talem Prælationem cum facultate retinendi, & administrandi illam absque sacerdotio, vel ordinibus sacris. Quocirca, si quis prædicto modo irregularis eligeretur ad huiusmodi Prælationem etiam sine necessitate, & postea priusquam cassaretur electio, obtineret dispensationem irregularitatis, fortasse iam non posset irritari electio, quia electio fuerat valida, licet infirma, solum ratione impedimenti, ad debitum vsum, & ad explendam obligationem talis dignitatis: ablato ergo impedimento, roboratur (vt sic dicam) & firma manet electio. Maxime cum nullum sit ius, quod directe præcipiat illam irritari, nisi existente iusta causa impediente sacrum ordinem, argumento c.1. de ætat. & qualit.

XXVIII. Iam vero occurrebat hîc dicendum in particulari de nonnullis conditionibus, quæ personam frequentius solent reddere inhabilem ad huiusmodi electionem; vt præcipue sunt, defectus natalium quoad ortum illegitimum; defectus originis ex radice infecta macula hæresis, apostasiæ, vel Iudaismi, aut alterius sectæ damnatæ, & infamia. Sed de his omnibus dixi late in materia de Irregular. disp. 43. 48. 50. neque hîc aliquid nouum notatu dignum occurrit: nisi hoc solum, quod esse illegitimum impedit iure communi, iuxta cap. 1. de filijs Presbyt. ex quo plane habetur, etiam post professionem religionis durare hoc impedimentum. An vero per Superiorem religionis dispensari possit, consulenda sunt specialia priuilegia, nam iure cõmuni non potest: de quo infra à cap. 12. nonnihil attingemus. Secundum autem defectum non constat impedire ex vi solius iuris communis, & ideo specialia iura religionum, vel Prouinciarum conſideranda sunt, & seruanda. De tertia glossa in dict. c. *tuam*, verbo, *Non ascendat*, dicit, infamiam non impedire Abbatiæ Prælationem: citat. c. *accedens*. d. 50. vbi Saturninus quidam Presbyter, qui pro crimine à sacerdotij ordine erat deiectus, solicitudinem de monasterijs gerere, & in eodem statu manere permittitur; sed si infamia talis sit, quæ reddat personam irregularem ad sacerdotium, consequenter impedit hanc Prælationem, vt dictum est, quia coniuncta est cum ordine sacerdotali: decretum autem illud Gregorij procedit iuxta antiquum ius, in quo Abbates esse poterant non ordinati; & ideo irregularis ad ordines per se non impediebat Prælationem, nisi in casibus expressis. Eò vel maxime, quod non constat Saturninum illum fuisse Abbatem: imo verisimilius est tantum habuisse ministerium temporale, seu procurationem quorundam monasteriorum, vt bene exponit Turrecremata ibi. Qui censet, etiam eo tempore non potuisse irregularem à sacerdotio, esse Abbatem; quia non posset curam animarum monachorum exercere. Et ex illo quidem textu aliud non colligitur, vt bene ipse explicat: tamen ratio eius non cogit, quia tempore Gregorij poterat esse Abbas sine ordinibus sacris, vt supra cap. 1. num. 3. ostensum est ex 1. Dialogor. cap. 4. & alijs testimonijs. Nihilominus verisimilius est, infamem secundum ius Canonicum nunquam potuisse esse Abbatem, quia id est valde indecens, & repugnans tali muneri: nunc autem multo certius id est, quando hæc est propria spiritualis Prælatio. Sed de hac infamia videnda sunt, quæ late tradidimus in fine quinti tomi, disp. 48.

* * *

CAPVT IV.

De conditionibus eligentium dictum Generalem.

HActenus dictum est de conditionibus requisitis ex parte eligendi: nunc dicendum secundo loco superest de eligentibus, quod breuius expediri potest. Primo enim dicendum est, electionem hanc pertinere ad ipsammet religionem, nam secundum commune ius eligere Prælatum alicuius congregationis, ad ipsam congregationem spectat, c. 1. de Electione, & cap. 2. 3. 4. & sequentibus, 18. q. 2. vbi specialiter de monachis agitur: & sicut statuitur, vt Abbas de eadem congregatione eligatur, ita etiam quod ab eadem congregatione. Atque hoc ius commune maxime receptum est in omnibus religionibus secundum iura specialia quoad supremam Prælationem totius religionis, quia in illa erat moraliter necessaria electio, vt supra ostendi c. præced. num. 2. non erat autem expediens vt esset ab externis, vt per se notum est. Quid autem requiratur, vt hæc congregatio ad hunc finem, seu effectum legitima sit, maxime attendendum est ex conditionibus requisitis in singulis eligentibus, de quibus statim, & in authentica, ac sufficiente eorum conuocatione, quæ maxime pendet ex propria institutione, & modo singularum religionum. Nam in vnaquaque debet conuocatio fieri ab eo, qui ad illud munus deputatus est, authoritatemque habet ab ipsa religione, & similiter conuocandi sunt omnes etiam, qui iuxta statuta vniuscuiusque religionis suffragium in illa habere possunt. I. *Prima assertio seu conditio, vt electores sint de ipsa Religione.*

Secundo dicendum est, huiusmodi eligentes debere esse professos eiusdem religionis, non tamen esse necessarium, vt sint expresse professi. Prior pars certa est ex eisdem iuribus citatis 18. q. 2. vbi monachis committitur sui Abbatis electio, *Quem sibi* (ait Gregorius ibi cap. 5.) *propria voluntate concors fratrum societas elegerit*: nomine autem fratrum intelliguntur, qui iam per professionem facti sunt religiosi. Expressum vero ius est in cap. *ex eo. § in Ecclesiis*. de Elect. in 6. & in cap. *indemnitatibus*, idem circa electionem monialium præcipitur, vbi glossæ & Doctores conueniunt. Denique ita habet omnium religionum consuetudo. Ratio etiam id exigit, quia nouitius non est verum membrum illius corporis: ergo nec ius eligendi habere potest. Præterea rationes fere omnes, propter quas nouitius non potest eligi in Abbatem, probant non posse eligere. De quibus videri potest cap. *cum in magistrum*, de Electione, scilicet quia non debet esse prius magister, quam discipulus; & quia nouitius non satis est expertus religionem, nec potest habere sufficientem notitiam personarum. Alteram partem docet expresse glossa in cap. *nullus* & in cap. *ex eo*. verb. *Tacite*, & cap. *indemnitatibus*, verb. *Tacite*, de Elect. in 6. & probatur sufficienter ex dictis iuribus: nam in primo solum postulatur expressa professio in eligendo; tacetur autem de electore; ius autem nouum non mutat, vel limitat antiquum, nisi in eo, quod exprimit: in alijs vero iuribus expresse requiritur sub disiunctione professio tacita, vel expressa: ergo quælibet earum sufficiet. Ratio autem est, quia vtraque est vera professio. Dices, Cur potius in eligendo, quam in electore requiritur, quod professio fuerit expressa? Respondetur, hoc pendere ex iure positiuo, & ideo voluntatem legislatoris esse nobis pro sufficienti ratione: illum autem mouere potuit, quia plus multo est eligi in Prælatum, quam eligere, ideoque plures conditiones in eo requiruntur. Item, quia, vt quis habeat ius eligendi, satis est, quod vere ac substan- II. *Secunda assertio vt sine professi.* *Dubium explicatur.*

substantialiter sit membrum communitatis, seu religionis: quod non minus tenetur perpetuo obedire Prælato, quam reliqui; hunc autem statum tam vere ac proprie habet per professionem tacitam, sicut per expressam; vt autem eligatur in caput, id satis non est, propter alias rationes superius allatas.

III. Tertio dicendum est, necessarium esse, vt electores sint clerici, & in sacris constituti. Prior pars probari potest ex dict. cap. *ex eo.* §. *in Eccl sius.* de Elect. in 6. ibi, *Conuersi laicum clericis in electionibus interesse non debent* (scilicet) *in Eccl siis regularibus, vel monasteriis.* circa illa autem verba aduertit glossa, ex vi illorum non excludi monachos professos, etiam non ordinatos, si ad ordines tendant, quia illi non vocantur *conuersi.* sed proprijssime monachi: vnde quanuis pro tunc sint laici, id est, nondum clerici ordinati, nihilominus non possunt dici *conuersi laici*; non ergo sub illis verbis comprehenduntur. Et ad hoc confirmandum refert varia iura, quæ solum probant, per nomen *monachi* comprehendi fratres non clericos; quod satis à nobis est in superioribus confirmatum. Imo iuxta morem antiquum, etiamsi nunquam ordinati essent, *monachi* vocabantur: quin etiam nunc existimo interdum accipi hanc vocem in tam lata significatione, vt conuersos vere professos comprehendat, c. *canonica.* de sent. excommunicat. At vero è contrario nomen *conuersi* re vera non solet attribui monachis ex eo tantum, quod ordinati non sint, sed ex eo, quod sunt in gradu, in quo ad ordines non deputantur, licet sint vere religiosi, Geminianus in c. *exceptionem*; de priuilegijs, in 6. & alij communiter. Quocirca stando in proprietate dictorum verborum, videtur vera sententia glossæ, quam sumpsit ex Innocentio in c. 2. de institutionibus; & idem sentiunt Abbas, cap. 1. de Procuratoribus, n. 9. Felinus in cap. *non dubium.* de senten. excomm. n. 3. versic. *Secunda conclusio.* Dicet vero aliquis, saltem præsuppositiue colligi hanc partem ex illo textu, quatenus dicit, conuersos laicos non esse admittendos ad electionem simul cum clericis: supponere enim videtur faciendam esse à clericis. Sed hoc etiam non cogit, nam licet supponat, vbi sunt clerici faciendam esse ab illis; non tamen à solis illis: nam, si hoc supponeret, non oporteret decretum facere de excludendis conuersis laicis: vnde potius retorqueri potest argumentum in contrarium, colligendo ab speciali, vel ex illo principio, quod *exceptio firmat regulam in contrarium.* nam ibi Pontifex volens excludere eos, qui cum clericis admittendi non sunt ad electionem, solum excludit conuersos laicos: ergo virtute admittit omnes alios professos, qui monachi sunt, & non tantum conuersi. Et inter eos potest optima ratio differentiæ assignari: nam alij religiosi, quanuis non sint ordinati, possunt esse literati, & maiorem rerum notitiam habere, quæ ad huiusmodi electionem solet esse necessaria.

Instantia remouetur.

IV. Igitur ex antiquo iure nihil inuenio, quod illam priorem partem sufficienter probet: imo Innocentius supra aperte dicit, ius eligendi cadere in monachum laicum. Et idem sentit Panormit. cap. 2. de Institutionib. n. 5. Quorum sententia maxime procedit secundum ius antiquum, quando monachi, etiam ipsi Abbates, erant laici, tunc enim clarum est, electionem Abbatum potuisse fieri à monachis laicis, etiamsi inter eos essent aliqui clerici; quia hoc erat accidentarium; & quia per talem electionem non conferebatur iurisdictio spiritualis, vt supra declaraui. Nunc autem quando Abbas religionis est proprius Prælatus, & iurisdictionem spiritualem habet, videtur ex alio principio requiri, vt eligentes omnes, clerici sint, quia ius eligendi ad huiusmodi Prælationes non cadit in laicum, vt dicitur in c. *sacrosancta.* & c. *Massana*, de Electione. Et quanuis illi textus possint intelligi de laicis omnino secularibus, quia in casibus illorum textuum de illis erat sermo, & rationes etiam ad illos maxime pertinent; nihilominus cum hæc electio munus quoddam spirituale sit, videtur satis probabile, regulam ipsam extendendam esse ad omnes laicos. Quia, vt supra notaui, & initio materiæ de Censuris, cum iura dicunt, spiritualem administrationem, vel electionem non esse committendam laicis, laicorum nomine comprehenduntur etiam religiosi non ordinati: ergo, cum hæc electio sit aliquo modo actus iurisdictionis, vel saltem administrationis spiritualis, videntur ab illa excludendi omnes laici quantumuis monachi sint. Et consequenter posset probabiliter sustineri, ad eos etiam extendi dict. cap. *ex eo.* nam, licet conuersorum nomine in rigore non veniant monachi; nihilominus quæ negantur conuersis, non quia conuersi sunt, sed quia laici sunt, videntur consequenter negari etiam laicis; huiusmodi autem videtur esse in præsenti actus eligendi spiritualem Prælatum: non enim negatur conuersis eo, quod ad inferiora, & tẽporalia officia sint destinati; id enim humilitati religiosæ consentaneum non esset, nec solum vel præcipue quia non sunt literati, quia hoc ex se non obstat huiusmodi electionibus, sed maxime necessaria est prudentia, & experientia, quæ in his conuersis sæpe non est, & multis clericis deesse potest, imo & scientia, seu doctrina. Negatur ergo, quia *laici* sunt; hæc enim est proprie & per se causa, quam ius debet attendere: ergo quoad hoc comprehenduntur omnes religiosi, seu monachi, qui laici sunt.

Vnde nunc fuaderi possit.

V. Certius autem probatur illa prior pars simul cum posteriori ex Clement. *Vt ij*, de ætat. & qualit. vbi Pontifex statuit, *Vt nullus de cætero in Ecclesia Cathedralibus, vel collegiatis secularibus, vel regularibus vocem in Capitulo habeat, etiamsi hoc sibi ab alio libere concedatur, nisi saltem in subdiaconatus ordine fuerit constitutus.* Quod decretum comprehendit sine dubio monasteria regularium, qui ad diuina officia destinati sunt; & eorum Capitula, vt ex ipso textu conitat, & ex omnium expositione. Vnde fit à fortiori comprehendi sub hac lege capitula Prouincialia, vel Generalia talium religionum: nam, si particularis Conuentus est proprium regulare collegium, ratione cuius talis Ecclesia collegiata dicitur; multo magis tota prouincia, vel tota religio constituit vnum Collegium, cuius Capitulum in hac decisione comprehendatur. Deinde, per hoc decretum excluduntur omnes non ordinati in sacris, ne vocem in Capitulo habeant, & consequenter ne possint eligere: nam hæc est vna, & forte potissima ex his vocibus, quæ haberi possunt in Capitulo. Loquitur autem specialiter illa lex (quantum ad nostrum propositum nunc spectat) de proprijs monachis, seu religiosis, qui ad diuina officia sunt destinati, quique ex vi sui gradus debent ad sacros ordines promoueri, vt patet ex principio, & ex ratione illius textus, *Vt ij, qui diuinis officijs sunt mancipati, vel mancipabuntur in posterum, ad suscipiendos sacros ordines propertius inducantur*, &c. Vnde colligit Panormitanus, ex vi illius textus non excludi à Capitulo conuersos, quia illi non sunt diuinis officijs destinati; sed ad nostram præsentem quæstionem id non refert, quia non agimus de priuatione vocis in Capitulo quoad omnes actus, sed solum quoad electionem, à qua iam supponuntur excluſi conuersi ex alio capite.

VI. Inqu runt autem ibi glossa & Doctores duo, quę breuiter expedire necessariũ est. Primum est; Quid si aliquis non erat ordinatus in sacris tempore vacationis, tempore autem electionis iam ordinatus fit? Respondetur, posse habere suffragium, quia ille est ha-

Primum dubium cap. 1. resolutum.

est habilis tempore electionis, & hoc sufficit: nec enim in illo capite postulatur, vt ante vacationem sit ordinatus, sed solum, vt non admittatur in Capitulum nisi sit ordinatus: quod varijs iurib. confirmant glossa & Panormitanus ibi. Sed ratio facta, est sufficiens. Ob quam etiam, si quis non esset professus tempore vacationis, tempore autem electionis iam esset professus, posset, & deberet ad electionem admitti, quantum est ex hoc capite: quia nullo iure statutum est, vt professio antecedat vacationem, neque etiam quod professio debeat antecedere electionem certo aliquo tempore; sed solum quod facta sit, vt patet ex dict. c. *ex eo.*

VII. *Secundum dubium cui pro distinctionem fit sect. Primum membrum distinctionis.*

Altera dubitatio est, quid sit dicendum de eo, qui ordinatus sit in sacris ante legitimam ætatem, videtur enim esse inhabilis ad electionem, quia lex postulans ordinem sacrum, consequenter postulat legitimam ætatem ad illum: ergo, quidquid horum deficiat, non sit persona habilis. Respondetur, duobus modis posse aliquem ordinari in minori ætate: primo ex priuilegio, atque adeo legitime, & tunc non dubito, quin talis persona possit habere suffragium, quia habet omnia requisita ab hac lege, & modo licito absque vlla culpa. Item, ille non solum recipit ordinem, sed etiam executionem ordinis: ergo. Nec ratio facta obstat, quia hæc lex non postulat directe & per se ætatem, sed supponit illam, quantum à lege postulatur. Vnde fit, vt licet diuersis temporibus leges canonicæ maiorem, vel minorem ætatem requisierint ad subdiaconatum, quælibet earum sufficiens fuerit ad habendum vocem in Capitulo, supposito ordine: ita ergo si per

V. *Alterum membrum.*

dispensationem minor ætas sufficit ad illum ordinem, sufficiet etiam ad habendum suffragium. Alio modo potest quis ordinari ante ætatem legitimam illicite ac subreptitie, & tunc certum est iuste posse priuari suffragio per sententiam, quia potest suspendi: an vero sit ipso iure priuatus, & inhabilis ad talem electionem, pendet ex generali quæstione, an sit ipso iure suspensus, quam tractaui late in tom. 5. disp. 31. sect. 1. à num. 22. agens de suspensione; licet enim iuxta antiquum ius non esset ipso facto suspensus, sed suspendendus, vt affirmat Panormitan. dict. Clement. num. 8. nihilominus iuxta nouum ius ipso facto suspensus manet, & hac ratione inhabilis ad electionem. Est autem aduertendum, hanc suspensionem esse specialem pœnam, quæ si per aliam legem imposita non esset, ex vi dictæ Clementinæ non induceretur. Vnde si quis propter bonam fidem excusaretur à culpa in tali ordinatione, & consequenter à pœna, posset tuta conscientia ferre suffragium, quia reuera habet conditionem ordinis sacri requisitam in dicta Clementina, & nullum habet impedimentum canonicum: nam defectus ætatis per se non est impedimentum ad electionem, esto sit impedimentum ad executionem ordinis, si ante impletam legitimam ætatem cognoscatur. Quia, vt dixi, lex nihil de ætate disponit in ordine ad electionem. Et ita tenet expresse Panorm. cum Paulo contra quandam glossam dicto n. 8.

VIII. *Definitio dubitationis.*

Tandem quæri hic potest, an hæc conditio sit de substantia electionis, ita vt suffragium datum à non ordinato in sacris, nullum sit, vel solum sit prohibitum. Sed hoc nullam habet dubitationem, si illa verba expendantur, *Nullus vocem in capitulo habeat, nisi*, &c. nam illa verba non solum prohibent, sed etiam tollunt omnem facultatem & potestatem, ideoque non est dubium, quin tale suffragium nullum sit, quia persona est inhabilis ad illud ferendum. Quod non solum est verum, quando ipsa persona per fraudem se ingerit, sed etiam, si à toto Capitulo admittatur, vt ibi glossa notauit, verb. *Concedatur*, & verbo, *Nullo modo*. Et probatur sufficienter ex verbis illis textus, *etiam si hoc sibi ab aliis libere concedatur*, quia per hæc verba irritatur talis concessio, quandoquidem ea non obstante, alius remanet sine voce in Capitulo ex vi illius legis. Imo addit glossa ibi, neque Episcopum posse in hoc dispensare, quod verissimum credo; sed id omitto, quia in præsenti casu nunquam potest occurrere necessitas talis dispensationis; & eadem ratione omitto casum alium, si contingeret nullum esse ordinatum in sacris: nam in præsenti contingere non potest, agimus enim de religionibus monachorum, & clericorum prout nunc sunt in vsu Ecclesiæ: nam si quæ sit religio mere laicorum, vt potest esse militaris, vel hospitalaris, & in illa fiat electio, non esset necessaria hæc conditio, vt omnes Doctores aduertunt in dict. cap. *ex eo.* & dicta Clement. de ætat. & qualit. & ex ipsis iuribus satis colligitur.

Excipe religionem pure laicorum.

IX. *Quarta assert. vt nullum elector sit censuratus.*

Quarta conditio generalis assignari potest, vt electror non sit per excommunicationem, vel aliam similem censuram, aut Ecclesiasticam inhabilitatem suspensus à munere eligendi, quod generale est omnibus electionibus Ecclesiasticis, de qua in disp. 14. de censur. sect. 2. à num. 6. & ideo illam omitto. Videri potest Abbas in cap. *illa quotidiana.* n. 7. & in cap. *Cumana.* in fin. de Elect. & in cap. vlt. de Procuratorib. num. 3. vbi late tractat aliam quæstionem, an inhabilitas vnius electoris reddat nullam totam electionem; vel sustineatur propter habiles, quæ etiam generalis est, & ideo illam omitto. Pro regula enim tenendum est, *Vtile per inutile non vitiari*; & ita in præsenti inhabilitatem vnius, vel alterius non nocere, quando alij non consenserunt, nec voluntarie admiserunt excommunicatum, vel alium similem, cuius defectum supplere non poterant, tunc enim conspiratio illa reddet vitiosam totam electionem, non vero priuata malitia vnius. Et ita cessat nunc quæstio, quam late tractant Innoc. Ioan. Andr. Panormit. & alij dictis locis, si excommunicatus sit occultus, an possit, ratione illius, irritari electio: nam hodie facile hoc expeditur, iuxta Extrauag. *Ad euitanda*, quæ nullum fauorem concedit excommunicato, concedit autem alijs ne illum vitare teneantur. Et ideo ille semper peccat, se ingerendo ad electionem: alij vero non peccant illum non reprehendendo, quanuis possint, quia non tenentur illum vitare, aut repellere; & ideo ex hac parte non erit nulla electio.

CAPVT V.

De forma prædictæ electionis Generalis, vbi late exponitur textus c. quia propter. de Elect.

I. *Ius canonicum præscribens formam eligendi Ecclesiasticum Prælatum absolute sumptum.*

TErtio loco, vt creatio Prælati valeat, necessarium est, vt debita forma electionis seruetur. Circa quam duo potissimum iura sunt obseruanda, scilicet cap. *quia propter*, de Electione. nam licet caput illud generalius loquatur, sine dubio comprehendit hanc electionem, de qua modò agimus. Nam, iuxta communem interpretationem, dispositio illius textus habet locum in electionibus Abbatum Ecclesiarum regularium, quæ etiam dicuntur viduatæ, & sine pastore relinqui, mortuo, vel deficiente Abbate, cap. *ne pro defectu*, eod. tit. per dispositionem autem dicti cap. *quia propter*, prouidetur omnibus *Ecclesiis viduatis*, vt in eodem textu dicitur: ergo comprehendit illa dispositio electionem Abbatum regularium: ergo & in omnibus Prælatis localibus religionum, qui licet non vocentur

Abba-

Abbates, fere solo nomine differunt quoad munus, ad quod eliguntur: ergo à fortiori idem dicendum est de electione Prælatorum regularium altiorem seu vniuersaliorem habentium iurisdictionem; & maxime de electione supremi Prælati. Et hæc est communis doctrina Doctorum in dict. cap. *quia propter*. Aliud ius est specialiter pro Regularibus editum in Concilio Tridentin. sess. 25. cap. 6. de Reformat. regularium, vbi expresse declaratur, comprehendi electiones Superiorum omnium, Abbatum, Officialium, Generalium, imo & Abbatissarum seu Præpositarum. Vbi tamen considerandum est, non præcipi, vt hi omnes per electionem fiant, sed, vt, vbi fiunt per electionem, talis modus in electione seruetur.

Ius speciale pro Prælatis Regular. bus eligendis.

De forma antecedente electionem.

II. *Prima conditio vt antecedat conuocatio suffragantium.*

Ad tria ergo capita reducuntur omnia, quæ in iuribus illis statuuntur. Quædam enim præcedunt, alia comitantur, alia subsequuntur electionem. Ad primum caput pertinent illa verba c. *quia propter*. *Cum electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt commode interesse, assumantur tres de Collegio fide digni, qui secrete, & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant*. Ex quibus verbis primo colligitur, necessarium esse ad legitimam electionem, vt omnes, qui habent ius eligendi, conuocentur, si commode fieri possit: nam si non fuerint vocati, non poterunt moraliter esse præsentes, etiamsi velint; quod tamen in prædicto iure postulatur. Et expressius ponitur hæc conditio in c. *coram*. de Electione. & sumitur ex c. *bonæ memoriæ*. 2. & cap. *cum inter*. 2. eod. tit. & c. *quod sicut*. eod. tit. Non est autem ita necessarium vt adsint omnes, qui ius habent eligendi, quia non coguntur eligere, sed si velint, vt ex prædictis verbis aperte constat. Vnde fit, non tantum necessarium non esse, vt omnes, qui possunt ferre suffragium, præsentes sint; verum etiam nec maior illorum pars: quia potest maior pars nolle adesse, & tunc non est impedienda electio contra intentionem illius cap. quæ in principio eius explicatur: poterit ergo celebrari ab his, qui præsentes fuerint. Dices, hoc esse contra rationem electionis, quæ debet esse à maiori parte. Item omnes, qui habent ius suffragij, debent adesse; ergo iniuste agunt, si nolunt adesse: non ergo pro illorum voluntate debet fieri electio à paucioribus. Item, quid, si omnes, vel fere omnes nolint venire, quomodo fiet electio?

Ad primũ. Ad primum respondetur, electionem debere fieri à maiori parte eorum, qui præsentes sunt, & actu ferunt suffragium, vt statim ex eodem textu dicetur, non omnium, qui possunt ferre suffragium, quia parum confert potestas, si non reducatur in actum. Ad secundum dicitur, illud verbum, *debent*, ex parte electorum non dicere obligationem, sed ius, ita vt respectu eorum passiue potius, quam actiue interpretandum sit: nam illis debetur suffragium, si velint illud ferre, licet ipsi non teneantur; & ideo non iniuste agunt nolendo, nec contra debitum electionis. *Ad secundũ.*

Hoc autem intelligitur ex vi iuris communis, nam ex iure speciali poterit imponi obligatio, vel etiam ex præcepto Superioris, si ita expediat.

Ad tertium. Vnde ad tertium dicitur, in eo casu ad prouidẽtiam Superioris pertinere facere, vt conueniens numerus electorum congregetur, quantum potuerit, & ad bonum religionis expedire censuerit. Quod si non valuerit aliquem numerum cogere, deuoluetur electio, seu prouisio Ecclesiæ ad Superiorem, vt Canonistæ communiter aiunt: in nostro autem casu ad Summum Pontificem pertinebit, si religio exempta sit, quia tota religio non habet extra se Superiorem aliquem, per quem possit ei de capite prouidere, quando ipsa vel sua culpa negligens est, vel propter impedimenta impotens ad illud eligendum.

III. *Dicta conuocatio debet esse moraliter sufficiens.*

Vnde etiam constat quomodo hæc conuocatio electorum facienda sit: quod voluit explicare Pontifex in illo verbo, *Et possunt commode*, nam hæc commoditas, vt Doctores dicunt, & ratio postulat, magis ex parte Ecclesiæ, seu communitatis, quam ipsorum electorum spectanda est. Interrogari autem potest, qualis, vel quanta esse debeat hæc commoditas, quæve difficultas vocandi aliquem excuset. Item, an oporteat vnumquenque in particulari, vel sufficiat publicum edictum proponere, die & hora in particulari assignatis. Respondeo, in his circumstãtijs nihil esse iure communi dispositum: nam in dict. c. *quia propter*, nihil de hoc dicitur, & in nullo alio aliquid de forma eligendi præscribitur; & ideo in primis seruanda sunt iura specialia, per quæ solent hæc esse definita. Deinde iuxta c. *cum inter vniuersas*, de electione, vbi ius scriptum defuerit, seruanda est consuetudo, præsertim in modo conuocandi per admonitionem, seu vocationem singulorum, vel per generalem publicationem, solitam fieri tali loco, aut modo, vel per ipsam legem & constitutionem, qua ipso iure (vt sic dicam) solent vocari electores: quod in nostro casu maxime locum habet in his religionibus, vbi Prælatio Generalis temporalis est, & certo, ac per legem definito tempore vacat, & successoris electio certo etiam die, & loco fit. Vbi autem vel tempus, vel locus sunt incerta, vel certe vacatio ipsa, quia non contingit nisi per mortem, necesse est conuocationem sigillatim fieri per omnes Prouincias, vel Prælatos Generali immediatos, vt per eos ad omnes, qui suffragium habent, perueniat. Vnde in his difficultas illa, vel distantia, quæ per se est coniuncta cum tali electione, non consideratur, nec censetur esse contra commoditatem electionis: debet ergo esse extraordinaria. Vnde, quando talis est, quę nec à lege considerari potuit, nec per consuetudinem iudicari, prudenti arbitrio relinquendum est, nulla enim alia regula certa statui potest: in eo autem iudicio ferendo maxime attendendum est, ne propter dilationem electionis communitas detrimentum patiatur. Et hæc est communior sententia in c. *coram*. de electione. & sumitur ex c. *cum inter vniuersas*. eod. tit. *An sint de hac sign. tam.*

IV. Præterea ponderanda sunt illa verba, *præsentibus omnibus*: nam ex eo constat, electionem canonicam debere fieri in communi congregatione, in qua præsentes adsint omnes electores; non enim iure communi permittitur fieri electio, nisi *communiter celebrata*, vt explicatur in c. *in Genesi*. De Elect. dicitur autem communiter celebrari, quando in vno loco omnes electores conueniunt; singulariter autem fieri diceretur, quando singuli in suis domibus, vel Prouincijs manentes, suffragia mitterent. Ratio autem huius conditionis est, vt electio possit fieri cum maiori examine, & cognitione personarum, & cum maiori certitudine tam suffragiorum, quam meritorum eligendi. Addit Panormit. in dict. c. n. 12. hoc sequi ex alio generali principio, quod ea, quæ fiunt ab Vniuersitate, vt Vniuersitas est, debent fieri per congregatos in vnum. Et idem habet glossa in c. *cum omnes*. de constitutionib. vbi eadem Abbas n. 8. latius id confirmat. & est per se valde consentaneum rationi, quia tunc propriè operatur Vniuersitas per modum vnius corporis, quando est congregata in vnum ad talem actum, & more solito, & non aliàs; at vero electio est actio Vniuersitatis tanquam vnius corporis habentis potestatem ad constituendum sibi caput.

V. Vnde colligo hanc conditionem esse substantialem.

Probatur, quia, si illa deficiat, reuera non est electio, neque actio communitatis vt sic, iuxta rationem proxime factam: ergo non est valida: ergo cõditio substantialis est. In præsenti enim illa conditio substantialis vocatur, sine qua non potest actus moralis valide fieri sub tali ratione. Sed objcit Panormitanus, quia absentia aliquorum per cõtemptum, id est, quia sine causa vocati non sunt, non inducit nullitatem electionis, cap. *Ecclesia.* 2. de Electione. ergo præsentia non est de substantia. Confirmatur, nam si electio fiat in absentia alicuius, qui iniuste vocatus non est, & ille postea consentiat, id satis est, vt valida sit electio, ex eodem textu, & communi sententia: ergo præsentia non est de substantia. Tandem, aliquis absens, & impeditus potest admitti ad suffragium ferendum: ergo. Respondetur, obiectionem procedere in diuerso sensu. Aliud est enim loqui de vocatione omnium electorum, vt præsentes fiant ad suffragium ferendum: aliud de præsentia eorum, qui de facto suffragium ferunt. Nos hîc non loquimur de vocatione, nec dicimus esse de substantia, vt fiat de omnibus ac singulis, qui ius habent suffragij, nullo excepto: sed agimus de ipsamet electione, & ad eam dicimus esse omnino necessariam & substantialem præsentiam electorum: quod ratio facta plane cõuincit. Obiectio autem Panormitani procedit de vocatione in priori sensu, & in eodem negat ipse præsentiam esse de substantia, præsentiam nimirum omnium, qui ferre possunt suffragium: quod verum est, quia, licet aliqui desint, etiam iniuste, valida erit electio donec irritetur, dummodo sufficiens numerus electorum conuocatus sit: nam saltem requiritur, & est de substantia, vt duæ partes electorum conuocentur, aliàs non censeretur Vniuersitas conuocata. De qua re videri potest Bartolus in l. *omnes populi*. ff. de iustit. & iur. quæstione 3. Panormitanus in cap. *in causis*. de Electione, vbi contra eundem Bartolum docet, non esse necessarium, vt duæ partes adueniant cum effectu: nam eo ipso, quod vocantur, & contemnunt venire, amittunt ius suum, & perinde reputantur ac si non essent de numero eligentium, cap. *cùm nobis*. de Elect. & ideo qui supersunt, etiamsi pauci sint, censentur esse Vniuersitas electorum. Quod censeo habere locum, quando non duæ partes tantum, sed omnes, qui debent & possunt habere suffragium, essent sufficiẽter vocati, & plures deficerent transacto præfixo termino: nam si duæ tantum partes essent vocatæ, & postea ex eis multi voluntarie deessent, profecto congregati non sufficerent, nec tunc dici posset Vniuersitas sufficienter vocata. Sed hæc generalia sunt, & ideo sufficit illa breuiter attingere.

VI. Ad confirmationem priorem, de illo, qui vocatus non fuit, & postea consentit, respondetur, illum proprie non conferre valorem electioni; iam enim facta, & valida supponitur: sed quasi cedit iuri suo, quo posset illam infirmare, & irritationem eius postulare; & hoc modo confert firmitatem quandam electioni iam factæ. Propter hoc ergo non est eadem ratio de illo consensu: nam illud non est proprium suffragium, ideoq; ad illud præstandum non est necessaria præsentia ex vi prædictæ formæ, seu iuris. Nec ego inuenio aliud, in quo talis conditio ad illum consensum præstãdum exigatur: poterit ergo quis absens, & in suo loco manens, consensum illum præstare post factam electionem; sicut posset ante electionem vocatus non venire, & cedere iuri suo. Solum ergo est differentia, quòd si prius vocetur, & contemnat venire, iuste, valide, ac firmiter sine illo fit electio: si autem iuste contemnitur, & non vocatur, iniuste fit electio, & potest irritari, quanuis valida sit. Ad aliam confirmationem de absente impedito, in eodem c. *Quia propter*. §. *Illud*. disponitur quid faciendum sit; & in summa dicitur, eum, qui ita est absens, & distans, vt vocari non debeat, nullo modo posse ferre suffragium, quia reputatur tanquam nullum habens ius: si autem conuocandus est, ipse autem allegat, se esse iuste impeditum, primùm omnium debet sufficienter veritatem impedimenti ostendere, aut cõfirmare, & tunc poterit vices suas committere alicui ex alijs electoribus. Et ita, licet ipse sit absens, non concurrit ad electionem vt absens, sed vt præsens: nam sicut per alium concurrit, ita per alium præsens est.

VII. Vlterius principaliter statuitur in dictis verbis, vt ante electionem assumantur tres, qui singulorum vota exquirant. Circa quam partem multa tractari possunt, quæ breuiter insinuabo, quia res non est propria religionum, quanuis ab eis participetur. Primum quomodo hi tres assumendi sint: nullus enim certus modus ibi præscribitur, & fortasse ob hãc causam vsus est Pontifex generali verbo assumendi, & non dixit eligendi, vel aliud simile. Ordinarius autem modus, ac fere moraliter necessarius, est per electionem, quia vbi personæ non sunt designatæ, per legem, nec ex vi alicuius muneris, sed per consensionem plurium designandæ sunt, ibi necessaria est electio. Vnde ad eligendos illos tres non oportebit hanc formam seruare, ne procedatur in infinitum: arbitrario ergo modo fiet; nec enim illa forma necessaria est ad omnes electiones, sed Prælatorum tantum, vt dixi. Posset autem vel consuetudine, vel lege statui, vt electio illorum trium non pertineret ad totam congregationem, sed ad quatuor, vel quinque antiquiores, vel digniores ratione officij, aut alterius conditionis: hoc enim nulli iuri repugnat. An vero possit lege, vel consuetudine introduci, vt sine vlla electione designatæ sint hæ tres personæ, per conditionem antiquitatis, vel officij, &c. dubitari potest, quia in illo textu dicitur, *assumantur tres de Collegio fide digni*. Per quæ verba videtur committi præsentibus examen, & cognitio de tali qualitate personæ. Nihilominus oppositum video in praxi seruari, iuxta specialia statuta, vel iura, quæ non censentur contraria huic communi iuri. Vel quia personæ designatæ per legem præsumuntur esse fide dignæ, ordinarie enim designari solent, quæ ratione muneris, vel antiquitatis digniores censentur; vel certe, quia nunquam excluditur consensus tacitus, vel expressus præsentium in tali congregatione, quia illis non negatur ius suspicionem objciendi, si talem personam non reputent fide dignam. Imo addit Panormitanus, quòd licet absque adminiculo iuris, vel consuetudinis tres de congregatione sua sponte assumerent munus illud, eo ipso, quòd alij tacerent, censerentur virtualiter assumpti. De quo ego dubito, saltem quoad forum externum, quia merito præsumerentur id facere per potentiam, & alios tacere magis inuitos, quàm volentes.

Tertia conditio, vt assumantur tres, qui suffragia exquirant.

Quomodo assumendi per Votum, & modo alio.

VIII. Secundo inquiri potest, an sit de substantia huius conditionis, vt hi tres assumpti sint de Collegio electorum. Nam glossa, & nonnulli Doctores dixerunt, hoc non esse substantiale. Sed certe repugnant textui, vt melius considerarunt Innocen. Hostien. Panormit. & alij. Nam ibi expresse dicitur, vt hi tres sint de Collegio, & postea subditur, *aliter electio facta non valeat*. Item, quia hæc conditio est valde necessaria, vt electio conuenienter fiat, qa fidelius hoc munus exercebitur per eos, ad quos spectat electio. Et ob eandem causam oportet, vt hi sint de Collegio, id est, de numero eligentium: hic n. est planus sensus illius textus. Itaque, si electio fit, v. g. in Ordine Minorũ, non satis est, vt eligãtur tres de eo-

Sine substantiale vt hi tres sint de Collegio Electorum.

de eodem Ordine, vel de eadem prouincia, &c. sed oportet, vt sint tres ex his, qui vocem habent in Capitulo. Addit Panormitanus etiam esse de substantia vt sint tres, & non plures, nec pauciores. Quod quidem de paucioribus mihi certum videtur, quia esset expresse contra formam, & contra certitudinem scrutineæ. De pluribus autem, merito dubitari potest, quia illud non esset contra verba formæ, quia vbi sunt quatuor, sunt etiam tres: nec contra finem, quia augmentum numeri potius reddit certiorem, & securiorem fidem electionis. Dices, eadem ratione possent assumi quinque, & sex, & ita in quocunque maiori numero; multo ergo magis possent assumi omnes, qui sunt de congregatione, quod esset formam destruere. Considerandum est ergo, in hoc negotio non spectari tantum certitudinem, sed etiam secretum, & ideo designatus est numerus, qui & ad certitudinem faciendam, moraliter sit sufficientissimus, & pro secreto seruando sit minimus, qui esse possit: & ideo existimo, illum numerum ita esse præfixum, vt tam maior, quam minor excluſus sit: de quo plura statim. Et hæc de primo capite ex positis num. 2.

De forma comitante electionem.

IX. *Tria præcepta in citato textu. Quia, propter, pro forma comitante continentur.*

Ad secundum caput ibidem positum spectant illa verba textus, *Qui secrete & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & inscriptis redacta mox publicent in communi: nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto, vt collatione habita eligatur, in quem omnes, vel maior & sanior pars Capituli consentit.* Per quæ tria præcipiuntur. Primum est, vt à prædictis tribus commissarijs vota secrete & sigillatim exquirantur: & in scriptis redigantur. Quod duobus modis potest intelligi: primo, vt singuli electores voce coram illis tribus proferant, quem eligunt, & aliquis eorum scribat. quem sensum videtur indicare verbum *exquirendi*, nam exquirere idem videtur esse quod *quærere*, seu interrogare; & additur, *diligenter*, quo significatur, vt interrogatio & responsio fiat satis distincte, & clare, ita vt nulla possit esse ambiguitas. Et cauendo, quoad fieri possit, ne iniquitas aliqua committatur: vnde notat Hostiensis, debere huiusmodi scrutatores respicere vultum vniuscuiusque, quia difficile est crimen non proderevultu. In quo hunc sensum indicat, & magis in eo, quod ait hunc numerum præscribi, vt vnusquisque liberius dicat, quod sibi videbitur. Quod etiam affirmauit glossa ibi, Panorm. & alij. Alio modo potest intelligi, vt vnusquisque eligentium secretò scribat, vel scriptum deferat votum suum, ita vt neque ipsis scrutatoribus notum fiat. Et hoc est magis consentaneũ illi verbo *secrete*, quia si tres sciant, non videntur suffragia esse secreta. Item facit, quia ibi solum fit mentio scripturæ, non autem vocis; nec necessaria est vox, vbi scriptura interuenire debet: nec etiam vtilis, quia multum diminuit secretum: ergo. Denique hic modus videtur necessarius iuxta Concilium Tridentinum supra, dum præcipit, omnes *eligi debere per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur*: Propter quæ verba aliqui censent, priorem modum esse reprobatum, quidquid sit de iure antiquo.

X. Ego vero censeo, priorem modum posse obseruari ex vi iuris communis: quia reuera ita sentit communis sententia, & in textu nihil est, quod repugnet. Quin potius dubitari posset, an alius eligendi modus locum habeat iuxta hoc commune ius, de quo in sequentibus dicemus. Deinde censeo, etiam iuxta Concilium Tridentinum, esse illum modum licitum, & sufficientem. Patet, quia inprimis non repugnat verbum illud *vota secreta*: nam verbum *secrete*, quod in alio capite habetur, æquiualet, & nihilominus illo modo censentur vota secrete ferri: fiunt ergo vota secreta. Item, quia quædam Declaratio Cardinalium sic habet, *Vota secreta intelligantur esse etiam quod aliqui Superiores quatuor, aut quinque ea sciant, si hoc est iuxta formam statutorum religionis, c. quia propter, de electione.* Et in alia Declaratione sic dicitur, *Si electi fuerint à Superioribus aliqui, vtputa quatuor, qui vota omnium recipiant, electio reputabitur secreta, & canonica, c. quia propter, de electione.* Vbi recipere vota non videtur significare solùm schedulam scriptam recipere: nam hoc modo nihil referret ad secretũ, quòd essent quatuor, vel quinque; significat ergo audire vota, & scire, vt in prioribus verbis expresse dicitur. Cumque in vtroque loco videtur cap. *quia propter*, clarum est ita fuisse à Congregatione intellectum. Dubitari autem potest, quomodo ibi dicatur, hoc secretum seruari etiam in quatuor, aut quinque, & ad hoc citetur cap. *quia propter*, cum in eo tres præcise requirãtur: propter quod supra nu. 8. diximus, augmentum illius numeri esse contra dictam formam. Dicendum fane videtur, caput illud solum ad hoc citari, vt non repugnet secreto requisito ad formã canonicam, suffragium coram multis proferri, si deputati sint legitimi ad illud sub secreto recipiendum. Quod autem hic numerus ternarium excedat, præter c. *quia propter*. est: vnde clarum est, ad hoc non citari: & idcirco addita esse illa verba, *Et hoc sit iuxta formam statutorum religionis*. Subintelligendum autem existimo, quæ à Sede Apostolica confirmata sint: nam sine illius auctoritate non possent derogare iuri communi.

XI. Deinde, nec per alia verba, *Ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur*, prohibita est illa forma eligendi, vt dictæ declarationes Cardinalium aperte supponunt. Et ratio est, quia non publicari, non significat, à nemine sciri, sed seruari sub secreto sub quo recepta sunt, & ita sicut suffragia sunt secreta, quanuis à trib. sciantur, ita quandiu ab illis sub eodem secreto retinentur, non publicantur: sed hoc optime fieri potest non obstante dicta notitia: ergo illa verba non necessario prohibent illam. Et explicatur amplius, quia in illis verbis duo iucluduntur, vnum de præsenti, & aliud de futuro. De præsenti est obligatio ad non publicandum vota, & hæc statim sequitur, etiamsi coram tribus proferantur vota: & ideo ex hac parte nulla est repugnantia. Pertinet etiam ad substantiam electionis, & ad hunc effectum de præsenti, vt in ipsa publicatione electionis nomina eligẽtium non publicentur: nam Concilium non dicit, *Teneantur non publicare*, sed, *Non publicentur*: & postea addit verba irritantia electionem aliter factam. Quod adeo verum est, vt Congregatio Cardinalium declarauerit, *Quod si per electionem factam in bullis confirmationum, seu patentibus exprimerentur nomina eligentium, electio sit nulla*, quia adhuc videtur electio non esse plene consummata, & ideo totum illud secretum censetur esse de substantia electionis. De futuro autem est, vt nomina eligentium nunquam cum effectu publicentur, seu manifestentur. Et hoc, cum sit quid contingens, & pendens ex facto, & arbitrio hominum, non potest pertinere in se ad substantiam electionis, sed ad summum in obligatione, aliàs penderet electio ex futuro euentu, quod esse non potest. Dices. Ideo videtur ex mente Concilij verbum illud, *non publicentur*, non solum negare actum, sed etiam potestatem, non tantum iuris, sed etiam facti; atque adeo tale postulare secretum, vt nunquam possint nomina publicari: quod optime fiet, si suffragium non voce proferatur, sed scriptura aliquantulum immutata, vt non agnoscatur, & ita à nemine sciatur, atque adeo à nemine publicari possit. Et ita iuxta hanc intelligentiam plane excluditur

cluditur per illa verba modus proferendi suffragium per vocem; est tamen nimis rigorosa, & coacta expositio contra proprietatem verbi, præsertim in morali vsu. Item, quia non est verisimile antiquum morem, & iure communi probatum vno verbo tam obscuro fuisse reprobatum. Eò vel maxime, quòd licet ex parte secreti minus conueniens sit, quam alius habere potest alias vtilitates, propter quas possit interdum præferri: non oportet ergo vt per legē ablata sit potestas physica loquendi (vt sic dicam) sed moralis, obligando dicto modo ad seruandum secretum. Sufficit ergo respectu futuri actus obligatio, q̄ rigorosam esse existimo, & sub culpa graui: quia materia magni momēti est.

XII. Imo existimo non tantum cadere in scrutatores, qui vota recipiunt, sed etiam in ipsosmet ferentes suffragium: quia Concilium *districte præcipit, omnes ea præ dictos eligi debere per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur.* hoc ergo districtum præceptum non limitatur ad has, vel illas personas, sed indefinite ponitur: ergo comprehendit omnes, per quos possit talis publicatio fieri: ergo comprehendit ipsos eligentes, & quemlibet eorum. Vt enim hoc præceptum grauiter frangatur, non est necesse, vt multa suffragia, aut multis personis reuelentur; sed satis est vt quilibet eligentium cuicunque personæ manifestetur, quia iam rumpitur secretum. Quod adeo verum est, vt sufficiat talis manifestatio vnius suffragij facta vni personæ extra formam præscripti, ad annullādam electionem, si in ipsamet electione fiat; vt à congregatione Cardinaliū declaratum est. Dicet aliquis. Hæc prohibitio facta est in fauorem eligentium: ergo si ipsi cedant iuri suo, & seipsos reuelent, non peccabunt saltem grauiter. Respondeo, non esse illam causam adæquatam, imo nec principalem; sed fauorem ipsiusmet electionis ad vitandas fraudes, & illicitas contentiones, & vt maiori cum libertate electio fiat. Et eadem ratione dici non potest, hanc prohibitionem solum durare vsque ad consummatam, confirmatam, & publicatam electionem; postea vero licitum esse se manifestare: nam reuera non ita est, tum quia Concilium simpliciter dixit, *nunquam publicentur*: tum etiam, quia ad finem præcepti interest ne fiat publicatio etiam post transactum tempus electionis.

XIII. Vlterius vero inquiri potest circa eandem partem seu præceptum primum, an sit de substantia huius formæ, vt vota in scriptis redigantur. Nam quod hoc sit præceptum, manifestum est in textu: an vero sit substantialis conditio, dubitari potest, quia ibi non specialiter exprimitur, & raro solet scriptura esse de substantia actus, maxime in his, quæ à communitate fiunt ad plura suffragia. Nihilominus certum est, hanc conditionem esse de substantia, vt omnes Doctores ibi notant, & glossa in c.1. de Censib. in 6. Cardinalis in tract. de Elect. 1. p. c. 22. & 3. p. c. 61. Colligiturque ex textu ibi, *& in scriptis redacta*, &c. & infra, *aliter electio facta non valeat.* nam illud aduerbium *aliter*, cadit in totam illam formam, c. *Ecclesia vestra*, 2. eod. tit. manifestum autem est, priora verba posita esse in ipsa forma. Ratio etiam hoc postulat, quia illa circunstantia est valde necessaria ad certitudinem electionis.

XIV. Vnde obiter constat, alias etiam circunstantias, quæ in illis verbis includuntur, esse substantiales, vt quod vota ferantur sigillatim, & non simul plura, etiam duo, vt patet ex particula *sigillatim*, & quia hoc ad secretum necessarium est. Item, quòd vota omnia, nullo excepto, suscipiantur, patet ex illa distributiua *vota cuncta*, vbi Panormit. aduertit, quòd licet non sit de substantia electionis, vt omnes vocati veniant; est tamen de substantia, vt omnes præsentes suffragium ferant, quod intelligendum existimo, si velint: nam, si quis iam in Congregatione præsens, se excusaret, & nollet ferre suffragium, quanuis sine illo electio fieret, non esset electio nulla, quia nullo iure irritatur, & particula illa, *Cunctorum*, recte intelligitur iuxta præcedentia verba, *Qui debent, & volunt, & possunt* suffragium ferre. Imo nec prohibitum iure communi esse ideo procedere ad electionem contempto illo etiam ex præsentibus, qui non vult suffragium ferre; esset tamen statim à Congregatione expellendus. Insinuatur autem à Panormit. differentia inter electores antequam congregentur, & postquam præsentes iam in Congregatione sunt. Nam, si quis antea non vocetur, sed contemnatur, non statim fit irrita electio postea subsequuta, licet irritanda sit ad petitionem eius, qui fuit contemptus. Si autem aliquis ex præsentibus contemnatur, & inuitus ad suffragium non admittatur, electio est nulla. Ratio autem differentiæ esse videtur, quia hoc posterius est contra intrinsecam formam electionis ibi præscriptam; illud autem prius est circa præambula ad electionem; sola autem forma est ibi in rigore præscripta, & substantialis, iuxta cap. *Ecclesia vestra*, infra eod. tit. Congruentia etiam addi potest, quia, qui iam præsentes adsunt, videntur habere acquisitum maius ius, & quia tunc communitas ipsa, vt communitas est, aut vim patitur, dum non permittitur tota eligere, aut committit intolerabilem errorem, iniuste non admittendo aliquem ex præsentibus ad suffragium ferendum.

Plus est non admitti præsentem ad suffragandum, quam non vocari absentem.

Secundo præcipitur per illa verba, vt suffragia omnia mox in communi publicentur, nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto. Dicuntur autem publicari suffragia in communi, quando integer numerus eorum publice profertur quoad totam Congregationem, non explicando in quorum fauorem data fuerint, vel quot ex illis in hāc, vel illam personam descenderint, sed explicando solum numerum personarum, quæ suffragium tulerunt: hoc enim significat illa particula, *in communi*. ordinatur autem hæc solennitas ad maiorem certitudinem collationis votorum postea faciendæ, & vt subterfugia, & tergiuersationes præcludantur. Vnde hæc solennitas ex omnium sententia substantialis est. Dubitari autem solet, an illa conditio talis publicationis, scilicet vt mox fiat, & sine interpositione appellationis, vel alterius dilationis, sit etiam de substantia. Parsvero affirmans certa videtur ex ipso textu, nam omnes illæ circunstantiæ pertinent ad intrinsecam formam, & ita censet Panormit. cum communi opinione. Quam autem vim habeat illa particula, *mox*, tractant ibi late glossa, & Doctores, & Bartolus in l. *Si quis maior*. C. de transaction. & in l. *si fructus*. ff. solut. matrim. Breuiter tamen dicitur, in præsenti significare, vt statim sine vlla morali interruptione publicatio fiat: esset autem moralis interruptio, si interponeretur, alius actus pertinens ad impediendam vel differendam electionem; vel si absque tali publicatione dissolueretur Congregatio sine vlla causa cogente, argum. cap. *cum post*. de Elect. de quo statim. Denique à quo, vel quomodo fieri debeat talis publicatio, in textu non præscribitur, vt Hostien. notauit, & ideo nihil quoad hoc est de forma; clarum est autem debere fieri ab ipsis scrutatoribus, id est, ab vno, consentientibus alijs. quia vix est alius modus possibilis, cum soli illi supponantur scire suffragia secreta, & expediens non sit omnes simul loqui, nec necessarium, vt à singulis successiue fiat publicatio.

XV. *Secundo præceptum textus in n. 9 allativt suffragia publicentur mox.*

Quid Mox importet.

Tertio præcipitur in eadem parte, vt *collatione habita, ille eligatur, in quem omnes, vel maior & sanior pars Capituli consentit.* Circa quam partem duo præcipue explicanda sunt; scilicet, qualis sit illa collatio, & *bipartitum*

XVI. *Tertio præceptum eiusdem textus*

de collatione, & electionis faciendæ.

quomodo fieri debeat post illam electio. Circa primum certum inprimis est, collationem hanc esse adeo necessariam, vt sit de substantia electionis, ex cap. *Ium Anna*, infra, eod. tit. Deinde certum etiam est, collationem esse debere inter vota recepta, non enim agitur de collatione inter aliquos eligendos, hæc enim collatio pertinet ad omnes, & singulos ferentes suffragia, & ex contextu constat collationem illam actiue referri ad scrutatores; passiue vero (vt sic dicam) ad suffragia. In quo autem conferri debeant, quæri potest, an scilicet in solo numero, vel etiam in qualitatibus personarum: nam glossa ibi hoc secundum indicat, dicens, *Collatione facta numeri ad numerum, zeli ad zelum, meriti ad meritum*: sumpsitque ex cap. *in Genesi*, & cap. *Ecclesia vestra*. de Electione. & sequuntur ibi Panormit. num. 10. & alij. Sumiturque ex eodem textu dicente, *In quem maior, & senior pars*, &c. quia maior refertur ad numerum; senior autem ad qualitatem personarum, quæ per zelum, & meritum significantur.

XVII. *Prima difficultas circa explicatam collationem*

Circa hanc autem collationem sic explicatam occurrit difficultas: primo, quia supponit suffragia, & vota singulorum debere esse nota scrutatoribus: quia nisi sciant pro quo singuli suffragium ferant, nihil referret vouentium zelum vel meritum ponderare, cùm ignoretur in quam partem vniuscuiusque pondus inclinat. Difficile autem creditu est, illam formam limitari ad modum ferendi vota, suam mentem voce explicando coram tribus scrutatoribus, vt supra tractatum est. Quòd si quis dicat, collationem illarum qualitatum postulari quantum fieri potest, ideoque si suffragia ferantur per schedulas secretas, sufficere collationem quoad numerum. Contra hoc est, quia textus indistincte loquitur. Et præterea hinc oritur altera difficultas: nam illa collatio qualitatum inutilis est, quia semper numerus est præferendus; ita vt si maior pars Capituli in vnum consentiat, ille sit eligendus, cuiuscunque conditionis eligentes personæ iudicentur: & è conuerso, si numerus personarum suffragiorum non excedit dimidiam partem, non sufficiet ad electionem faciendam, etiamsi eligentes dignissimi sint. Alioqui tota electio reuocabitur ad iudicium scrutatorum, & cum paucis votis poterunt eligere quem maluerint, iudicando, illam esse saniorem partem, etiamsi maior non sit: quod est magnum inconueniens in re morali, & occasio plurium dissensionum.

XVIII. Ad priorem difficultatem, glossa & Doctores omnes supponunt plane totum id, quod in ea proponitur, & sine dubio est consentaneum iuri tam in dicto cap. quam in cap. *Ium Anna*, & cap. *in Genesi*. cap. *Ecclesia sancta Maria*. eod. tit. De electione autem facta per secretas schedulas, nihil dicunt authores, quomodo possit tunc inter suffragia talis collatio fieri: vnde videntur sentire illum modum electionis non esse secundum hoc commune ius, & ideo consequenter dicere debent, non esse licitum nec sufficientem nisi ex aliquo iure speciali legitime confirmato, & tunc iuxta illud erit alio modo collatio facienda. Mihi autem credibile non est, vt supra dixi num. 9. hunc modum ferendi suffragium per schedulas, & vota omnino secreta fuisse exclusum ex vi huius decretalis, & formæ eius. cùm sit aptus, & fortasse, omnibus pensatis, conuenientissimus omnium. Maxime cùm verba textus cum omni proprietate in illo possint verificari, cum proportione tamen, & accommodatione ad talem modum eligendi.

XIX. Dico ergo, collationem tunc præcipue esse faciendam numeri ad numerum; in qualitatibus autem solum in aliquo casu posse habere locum, aut esse necessariam. Primo enim exquirere diligenter oportet, an singuli vouentes habiles sint, habeantque omnia necessaria ad ferenda varia suffragia. Vnde si de aliquibus sit quæstio, & aliqui sint in dubio electi, vel admissi, diligenter oportebit conferre numerum suffragiorum, an sit tantus, vt tollat omne dubium, & consequenter an electio sit certa, nec ne. Deinde, interdum in his electionibus sunt vota qualificata, quæ aut cæteris præferuntur, aut pluribus æquiualent, soletque huiusmodi qualitas, etiamsi persona sit occulta, designari; vt, v. g. quod sit Presbyter, vel, Prælatus, aut aliquid huiusmodi. In his ergo qualitatibus facienda erit diligens collatio, qualis fieri solet in suffragijs cathedræ, licet sint aliàs occulta, quantum ad personas vouentium. Intelligamus ergo hunc textum indefinite loqui de collatione suffragiorum, qualis nimirum, vel necessaria vel opportuna fuerit iuxta modum ferendi suffragia. Quòd autem Panormit. addit, in hac collatione conferendum etiam esse de merito electi, an sit idoneus ad dignitatem, mihi probari non potest, tum propter ea, quæ supra num. 17. dixi, & præcipue quia textus euidenter loquitur de collatione suffragiorum, qua supposita absolute dicit, vt is eligatur, in quem Capitulum consenserit: tum etiam, quia iudicare de dignitate electi non pertinet ad scrutatorem, sed vel ad confirmatorem, si necessaria sit confirmatio, vel ad Superiorem, ad quem recurrere oportebit, si aliquid contra idoneitatem electi obijciendum sit.

In secunda difficultate petitur, vt explicemus, cur coniungantur illæ duæ particulæ, *Maior & senior pars*: nam si sit maior, illa erit sufficiens. Circa hoc diuersæ sunt sententiæ Canonistarum. Quidam censent, maiorem partem quoad numerum postponendam esse minori, si hæc senior sit, id est, maioris zeli, meriti, & æquitatis. ita sentit Innoc. ibi, & in c. *scriptum*, de Elect. Glossa in cap. *in Genesi*. verb. *ad zelum*, de Elect. quæ consequenter infert, non semper standum esse numero, & illam conferi maiorem, & saniorem partem, quæ maiori ratione, & iustitia nititur. Fundatur in verbis textus, sed non sufficienter, vt patebit, nec videtur opinio per se rationi consentanea, vt difficultas superius num. 17. proposita persuadet. XX. *Textus explicatur. Maior pars quid sit.*

Alij ergo dixerunt, minorem partem suffragiorum nunquam sufficere ad faciendam electionem, quantumcunque zelo, & meritis personarum excedat. ita docet Panormitan. ibi num. 7. cum Ioanne Andr. & alijs, & probat, quia textus dicit, *In quem omnes, vel maior, & senior pars*. vbi prius disiunctiue requirit totum, vel partem, postea vero in huiusmodi parte copulatiue postulat, vt maior, & senior sit: non ergo sufficit altera ex his proprietatibus, sed vtraque necessaria est, quia copulatiua in suo rigore vtrumque extremum coniungit. Confirmatur, quia vel illa particula, *&*, sumitur coniunctim in dicta proprietate; & habetur intentum: vel sumitur diuisim, vt sæpe solet, & non improprie: & ita sensus erit, quòd electio valeat facta à maiori parte, & facta à saniori parte, & tunc sequitur perplexitas; quid enim si vna pars sit maior, & non senior, altera vero senior, sed minor? vtriusque enim electio valida erit, si vnaquaque proprietas per se sufficit: neque erit ratio cur potius sanitas numero, quàm è conuerso numerus sanitati præferatur, si de vtroque membro per se diuisim sumpto ad electionem sufficere affirmatur. Responderi potest ex Innocentio, ibi, neutro modo sumi particulam *&*, sed pro *id est*, ita vt sensus sit, in quem maior, id est, senior pars. Sed est violenta, & voluntaria expositio contra proprietatem, & communem vsum talis vocis. Item, ex illa expositione sequitur, nunquam requiri maiorem partem numeri votorum ad canonicam electionem, sed meliorem, nisi fingendo casum moraliter impossi- XXI.

impossibilem, in quo omnes electores sint æquales in omnibus qualitatibus : hoc autem repugnat multis iuribus, cap. *cùm Anna*, cap. *in Genesi*, cum alijs, de Electione.

XXII. *Authorum iudicium maior pars dimidietate requiritur.*

Relinquitur ergo vt ex vi illorum verborum in primis requiratur maior numerus suffragiorum; quod mihi certissimum videtur. Intelligendumque est de maiori parte totius Capituli : non enim sufficit habere plura vota, quàm cæteri, si numerus votorum non contineat maiorem partem totius Capituli : nam hoc requiritur ad electionem canonicam, de qua ibi est sermo : vnde expresse dicitur *maior pars Capituli*, & in alijs iuribus citatis expresse declaratur. Iuxta hoc vero fundamentum sequitur consequenter, maiorem numerum, licet necessarius sit ad electionem, non tamen sufficere, nisi etiam sit sanior : nam vis illius copulatiuæ æque vtramque partem comprehendit. Vnde infertur vlterius, si contingat maiorem partem, quæ in vnum consentit, non esse saniorem, & saniorem, quæ vult alterum, non esse maiorem, vtriusque electionem per se loquendo, esse nullam, quia neutra pars eligentium habet omnia requisita ad conficiendam electionem. Dico autem, *per se loquendo*, quia si contingat alteram partem amittere ius suum, eo quòd (v.g.) elegit scienter indignum, tunc electio alterius partis erit valida, quia ad illam deuoluitur ius alterius partis, & ita iam non reputatur vt minor pars, sed vt integrum Capitulum, vt notauit Panormit. in cap. *dudum*. 1. de Elect. num. 10. Per se autem loquendo, etiamsi ab vtraque parte eligatur dignus, talis electio non tenet, estque casus expressus in cap. *Ecclesia vestra*. 2. de Elect. vbi Hostien. vterque Abbas, & alij id notant, & sequuntur. Vnde ad secundam difficultatem positam negandum est antecedens quoad illam partem, vt maior pars semper sufficiat sine illa qualitatum consideratione.

Non tamen sufficit maior pars sanior.

XXIII. *Respondetur tam ad 2. difficult. in n. 17. Quæ vtrum eo modo maior pars intelligatur an iuxta ius ciuile.*

Neque inde sequitur, per se loquendo, perturbatio aliqua, quia vbi aliud non constiterit, maior pars semper præsumitur sanior, vt in eod. cap. *Ecclesia*. dicitur, & sumitur cap. *dudum*. 1. eod. tit. & ratio ipsa per se statim postulat; vbi autem oppositũ probari potuerit, per Superiorem iudicandum est, & ita tollitur perturbatio. Quod si aliqua dissensio, vel lites oriantur, non refert, quia in huiusmodi rebus humanis non possunt omnia vitari incommoda, & magis expedit, vt electiones iuste fiant. Semper tamen manet nobis illa difficultas, quia hinc sequitur, non posse fieri electionem per vota omnino secreta, quia tunc non potest apparere, quæ pars sit sanior. Quod expresse animaduertit Panormit. dict. cap. *Ecclesia*. num. 7. dicitque, communiter non animaduerti, ipse tamen fatetur, non debere ita fieri, vel, vt ipse loquitur, *non debere dari voces per lupinos*. Nihilominus, quod superius n. 9. & 18. dixi censeo verum, scilicet, illum modum electionis reprobari non posse : nam, vt ibi dicitur in Addit. ad Panormit. *per totum mundum practicatur, quod voces dantur siue per fauas, siue per lupinos* : & (quod me magis mouet) est ille modus valde conformis Concilio Trident. statuentis, vt nomina eligentium nunquam publicentur : nam vbi fuerit dubium de saniori parte, non poterit, moraliter loquendo, ferri iudicium, nisi nomina publicentur. Dico ergo, vbi fuerit illa consuetudo, seruandam esse, & tunc maiorem partem præsumi saniorem, vt paulo antea dicebamus. Imo addit Baldus tract. de Schismate, colum. 12. quòd quantò cautius datur suffragia, vt non comprehendantur, tantò sanior & liberior est electio. Denique, vt supra dicebam, tunc fiet collatio quoad hanc conditionem sanioris partis, prout fieri potuerit, scilicet, vel ex parte electi, considerando ne adeo sit indignus, vt inde sufficienter colligatur, non fuisse saniorem partem, quæ in illum concurrit: vel ex parte modi cognoscendi saltem in generali, an intercesserit ambitio, & donationes illicitæ, vel aliquid simile. vnde sufficienter probetur partem illam non fuisse saniorem. Quia vero generaliter, & in communi, & non descendendo ad personas particulares, hoc moraliter probari non potest; ideo semper maior pars præsumetur sanior, si persona electa indigna non sit.

XXIV. *Tractatur 2 pars, id est, Electio proposita num. 16.*

Circa alteram partem huius præcepti, scilicet, vt, facta collatione, electio fiat, primùm tollenda est ambiguitas vocis. nam electio proprie videtur fieri quando feruntur suffragia, nam electores sunt omnes de Capitulo, eligunt autem vouendo; postea vero potius videtur fieri publicatio electionis iam factæ. Textus autem non ita loquitur, sed potius dicit, tunc fieri, & faciendam esse electionem. Est enim aduertendum, electionem hanc esse veluti vnum actum totius Capituli, qui non censetur fieri, seu consummari donec vnus nomine totius Capituli loquatur, & eligat futurum Prælatum: hoc autem fit postquam totius Capituli voluntas paulatim declarata, & cognita est; & ita electio aliter fit à singulis declarantibus suas voluntates, aliter à toto Capitulo declarante suam & quasi vnam voluntatem. Hoc ergo est, quod per illa verba fieri mandatur, estque omnino de substantia, vel (vt ità dicam) ipsa substantia, & forma electionis, quia non censetur electio facta, donec ita fiat, nec conferet aliquod ius, si hoc omittatur: imo necessariũ, & substantiale est, vt hæc electio statim post collationem sine interruptione morali fiat; sicut dictum est num. 15. de publicatione suffragiorum in communi, vt expresse declaratur in cap. *cum post*, de Electione. Quomodo autem hæc electio communis fieri debeat, in prædicto textu non declaratur; tamen ex intentione eius, & ex cap. *sicut cum*. de Elect. in 6. constat, debere fieri ab vno, nomine omnium publice loquente, & denunciante electionẽ. Quis autem ille esse debeat, vel à quo designari, aut præcipi debeat, vt loquatur, in eodem etiam textu non dicitur; tamen & ex contextu constat à scrutatoribus debere designari; quia verò hoc non expresse dicitur, aiunt expositores, vtile esse vt Capitulum à principio det hanc potestatem scrutatoribus, vel alicui eorum. Glossa vero in c. *sicut cum*. de Elect. in 6. ait, quemcunque sufficere, si cæteri audientes tacite consentiant. Mihi autem videtur veluti ex natura rei hoc pertinere ad eum, qui Capitulo præest, dum iura aliud non disponunt, supponunt enim & deesse non posse, qui præsit Capitulo, vel saltem qui primam vocem habeat, & omnia debere ordinate fieri : ratio autem postulat vt hoc fiat ab eo, qui præest, vel qui primam vocem habeat, quando nulli alteri commissum est. Et hæc de secundo capite ex propositis in num. 2.

De forma consequente Electionem.

XXV. *De confirmatione Electi.*

De tertio capite ibidem posito, id est, de his, quæ post electionem necessaria sunt, nihil additur in dict. c. *quia propter*. neque in iure communi aliquid aliud inuenio, nec videtur necessarium, imo nec possibile, cum supponatur iam electio consummata. Solum inuenio id, quod ex Conc. Trid. supra n. 11. notaui, districte præcipiente, vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Quomodo autem ex hoc decreto aliquid resultet pertinẽs ad substantiam electionis: quomodo item id, quod in futurum pendet, non suspẽdat valorem electionis, satis ibidem declaratum est: nihil ergo est subsequens electioni, quod ad valorem eius proprie pertineat. Solum ergo potest confirmatio post electionem requiri, vt plenum ius Prælationis obtineatur:

neatur: quæ confirmatio iure communi necessaria est, pertinetque ad Superiorem immediatum Prælati electi, &, si nondum illa obtenta, quis Prælatione vtatur, iure acquisito per electionem priuatur, c. *tua stia.* de Elect. in 6. & videre licet latius in Syluestro, & Angelo, verb. *Confirmatio.* Panormit. in c. *cùm Ecclesia.* de Elect. n. 8. In præsenti ergo confirmatio per se spectat ad solum Summum Pontificē; tamen, iuxta priuilegia, & indulta multarum religionum, non solet esse necessaria specialis confirmatio; sed cum ex vi priuilegiorum fiat authoritate Apostolica, eo ipso, quòd quis publice denunciatur canonice electus, censetur etiam confirmatus eadem Apostolica authoritate; & ita videtur esse in vsu multarum religionum: nam finita electione Generalis; statim ei vt supremo Prælato omnes reuerentiam exhibent, & ipse incipit præsidere generali Capitulo, suumque munus exercere.

CAPVT VI.

De Electione aliorum Prælatorum infra Generalem.

I. *Assertio tripartita.*

HActenus de creatione supremi Prælati religionis diximus, & ex his, quæ tribus proxime præcedentibus capitibus tractata sunt, hoc vno capite facile expediri possunt, quæ ad reliquos spectant. Dicendum ergo est omnes illos posse per electionem creari, non tamen esse in eis ita necessariam sicut in Generali: vbi autem in vsu fuerit, cum proportione seruanda esse, quæ de electione Generalis diximus: vbi autem iuxta speciale institutum electio necessaria non est, simplicem ac legitimam prouisionem Superioris habentis potestatem sufficere. Declaro singula: nam inprimis postquam tota religio habet vnum supremum caput internum seu præter Pontificem, ab illo potest satis commode recipere inferiores Prelatos, tam medios, quam infimos, siue vtrosque immediate prouidendo, siue solum medios ac sibi proximos, & per eos inferiores reliquos. Et ob hanc causam dixi, in his Prelatis non esse tam necessariam electionem, quia influxus primi Prælati potest ad hæc omnia extendi sine vlla repugnantia, sicut in vniuersa Ecclesia Catholica vnius Vicarij Christi necessaria est electio: pro alijs autem inferioribus Prælatis, Episcopis, Archiepiscopis, & Patriarchis, in rigore non erat necessaria electio, nam per solum ipsum Vicarium Christi poterant sufficienter prouideri, si ipse voluisset. Olim etiam videtur fuisse obseruatum, vt Abbates monasteriorum ab Episcopis crearentur, vt colligitur ex Concilio Niceno, c. 54. vbi etiam significatur Episcopum solitum fuisse creare Abbatem quasi Generalem plurium monasteriorum; hunc vero instituisse locales, seu particulares Abbates singulorum monasteriorum: idem munus tribuitur sacerdotibus in Concilio Tolet. IV. cap. 50. Nihilominus tamen frequentius obseruatum est in religionibus, vt inferiores etiam Prælati per electionem fiant, & non est dubium, quin rectè ita fieri possit, quia hoc pendet ex humana institutione, & Pontificis approbatione; nec ex natura rei habet hic modus creandi huiusmodi Prælatos aliquid præter rectam rationem aut cōuenientem gubernationem, per se loquendo: nec repugnat iuri communi, sed potius est illi valde conformis, vt videbimus: nec denique repugnat iuri, aut potestati supremi Superioris, vel supremi Prælati, quia illa limitata est iuxta regulas, & indulta Apostolica, per quæ illi non maior potestas concessa est. In hoc enim differt monarchia vnius religionis à monarchia totius Ecclesiæ: nam in tota Ecclesia suprema potestas absoluta gubernandi, in capite residet, quæ à nullo infra Christum potest limitari; & ideo modus instituendi inferiores Prælatos per electionem, vel sine illa, non potuit ab alio, quam ab ipsomet Pontifice definiri. Vnde, quādocunque, vel vbicunque per electionem fit, vel facta est, ex benigna concessione eiusdem Pontificis introducta est: in religionibus autem tota potestas manat à Pontifice, loquendo de propria iurisdictione, & ideo licet vni Generali principaliter communicetur, datur tamen cum limitatione ad hunc vel illum modum regiminis, iuxta exigentiam rerum: vbi ergo institutio electionum talium Prælatorum postulat, seruanda est. Iam vero declaratur, & probatur altera pars, nimirum, in huiusmodi electionibus seruanda esse fere omnia, quæ de electione Generalis diximus. Quod quidem, quantum spectat ad ea, quæ pendent ex iure communi, vnica ratione ostendi posset, quia ius commune nihil fere disponit de Generalibus in particulari; sed vel de Prælatis in communi, vel de Abbatibus, sub quibus alij Prælati locales intelliguntur, & à fortiori eorum Superiores.

De 1. & 2. conditionibus requisitis ex parte eligendi.

II. *Secunda conditio pro sit.*

Igitur vt per particulares conditiones breuiter discurramus. Primo ex parte eligendi necessaria est ætas ad minimum 25. annorum: de qua nihil speciale occurrit, præter ea, quæ de Abbatissis statim adnotabimus à num. 7. expressa in eadem religione. Circa quam interrogari potest, an requiratur professio in eadem Prouincia, vel domo cum proportione, ita vt sicut in Generali requiritur professio eiusdem religionis, ita in Prouinciali eiusdem Prouinciæ, in conuentuali eiusdem domus. Sic enim de Abbate sentit Sylvest. verb. *Abbas*, n. 2. & in cæteris. Et fauent iura antiqua 18. quæst. 2. vbi in c. *Abbatem* 2. dicitur, *In monasterio illum volumus ordinari, quem sibi de sua congregatione*, &c. id est, de suo monasterio, vt sequentia verba declarant, *& professione dominus*, de quibus paulo inferius: & in cap sequenti tunc solum permittitur monachi eligere *de alio monasterio*, quando *inter se aptam personam inuenire nequiuerint.* Et fortasse olim quando monasteria monachorum ita erant inter se diuisa, vt non efficerent proprie vnum corpus, nec haberent vnum Superiorem communem, hoc erat in more positum, vt electio fieret ex proprio monasterio, allegaturque tanquam ius ordinarium & commune, quod non licebat prætermittere nisi in prædicto casu necessitatis. Quanquam forte non fuit hoc tam necessarium, quin electio aliter facta valida esset, quia non inuenimus verba irritantia in antiquo iure, & alioqui cùm electio futura esset communi cōsensu, saltem maioris partis, poterat communitas cedere iuri suo: imo præsumenda esset ex legitima causa, & necessitate id facere, nisi oppositum manifeste constaret. *Prælatus in casu pro sit de monasterio ex tali.*

III. *Idem in religiosis Fratrum Clementinorum non esse seruatum.*

Nunc autem in religionibus virorum certum est, conditionem hanc non esse necessariam; sed solum vt electus eiusdem religionis sit, vt patet ex Clement. 1. de Elect. ibi, *Ne religiosus aliquis in Abbatem, vel Prælatum alterius religionis, vel habitus, vel professionis.* ergo ex vi illius textus solum est necessaria identitas religionis, professionis, & habitus: non ergo eiusdem domus, vel Prouinciæ. Expendimus autem supra cap. 3. num. 11. particulam, *de altero*, in eodem textu positam, quia ex ea intelligitur, illud esse ius nouum; post illud autem non habemus ius, quod maiorem identitatem requirat: ergo illa sufficit. Denique, vsu omnium religionum ita receptum est. Nam religiones Mendicantes, & aliæ illis similes, tantam habent in se vnitatem, vt distinctio locorum, vel prouinciarū valde accidentalis

talis reputetur, ideoque nec in eligendo Prouinciali consideratur, per se loquendo, vt eiusdem Prouinciæ sit filius, aut habitator, neq; in Prælato conuentuali quòd sit eiusdem conuentus. Maior huius rei consideratio videtur conseruari in religionibus monasticis; tamẽ quoad hoc fere reductæ sunt ad eandem formam. Hoc ergo ius regulariter est commune omnibus: vbi autem ex speciali regula aliquid aliud additum fuerit, obseruandum est.

Nota.

IV. *Num tria hæ religio, professio, habitus sint synonyma.*

Potest autem circa dictam Clementinam dubitari, an illa tria verba, *eiusdem religionis, professionis, & habitus*, æquipolleant, solumque sint posita ad maiorem rei declarationem, vel expressionem; an vero singula aliquid addant. Glossa enim ibi indicat hoc posterius: nam, si religio, inquit, sit diuersa, vt Cistercienssium, & Carthusiensium, quanuis fortasse professio sit eadem, non sufficiet. Sed quoad hæc duo non existimo vnum ab altero separari, sed voces illas vt synonymas positas esse, & ita non sunt positæ in eadem clausula, sed vna in principio in ratione textus, altera inferius in ipsamet lege. Nunquam enim religio est diuersa, quin professio sit aliquo modo diuersa, saltem quoad obedientiæ votum: tum quia fit diuersis Prælatis non subordinatis: tum etiam, quia fit secundum regulam, quam in diuersis religionibus oportet esse aliquo modo diuersam. Et præterea traditio, quæ etiam est de substantia professionis, necessariò est distincta in distinctis religionibus: illa ergo duo æquipollent in præsenti materia.

V. *Conuenientia in habitu an sit requisita in eligendo.*

De alio autem termino, videtur certe positus ad addendum aliquid: nam contingit in eadem religione deferri diuersos habitus in distinctis monasterijs aut Prouincijs, vt, v.g. in religione S. Francisci quidam sine calceis incedunt, & asperiori ac viliori habitu vtuntur, quam alij; & ideo licet sint eiusdem religionis, non tamen videntur esse eiusdem habitus cum alijs conuentualibus, vel de Obseruantia. Et in alijs religionibus, vt Trinitatis, v. g. aut canonicorum regularium, magna varietas in diuersis regionibus conspicitur, non solum in colore, sed etiam in figura. Videtur ergo in prædicto textu requiri, vt eligendus in Superiorem sit non solum eiusdem religionis, sed etiam eiusdem habitus intra illam. Quod patet ex contextu, nam statim à principio sub disiunctione dicitur, non esse rationi consentaneum, vt homines disparis professionis, vel habitus in eisdem monasterijs socientur: & ex hac ratione concluditur, vtramque conditionem postulandam esse in Abbate, seu Prælato medio. Hæc vero expositio difficilis est, nam ex illa sequitur, in religione S. Francisci, aut Carmelitarum, v.g. non esse validam electionem, si aliquis ex eadem religione, diuersæ tamen familiæ, gestantis distinctum habitum eligatur. Consequens videtur falsum, & contra vsum. Confirmatur, nam in eadẽ religione contingit esse varietas in habitu quoad colorem album, vel nigrum, vt de ordine S. Benedicti dicitur in Clemen. *Ne in agro.* §. 1. de statu monach. & tamen id non obstat, quo minus gestans habitum diuersi coloris possit in Abbatem eligi, vt ibi glossa fatetur, dicens hanc diuersitatem esse accidentariam.

VI. *Affirmatum de conuenientia substantiali, quæ semper requiritur, non accidentali.*

Ex hac igitur glossa, & quæ circa illam à Doctoribus notantur, colligere possumus, conuenientiam quidem in habitu esse necessariam ex parte eligendi in Prælatum, hæc enim in dicto textu expresse postulatur, potest autem diuersitas in habitu esse quasi substantialis, quæ, vt mihi videtur, semper supponit diuersitatem Regulæ, & consequenter etiam religionis. Tunc enim mutatio in habitu alicuius religionis censetur substantialis, quando est contra dispositionem regulæ, vt significauit Panormit. in dict. Clemen. 1. num. 4. ergo, vt varietas in habitu censeatur substantialis, necesse est vt ex diuersitate Regularum procedat; nec potest alia ratione commode discerni substantialis varietas ab accidentali in ipso actu: tunc ergo distinctio in habitu meritò impediet electionem. Accidentalis autem distinctio in habitu erit, siue sit in colore, siue in figura, quæ non fuerit contra regulam, sed sub eadem permittatur: illa ergo non impediet electionem. & de hac procedunt exempla superius num. præced. adducta. Et ratio reddi potest, quia illa varietas non est distinctio in habitu simpliciter, sed tantum secundum quid, & ideo non repugnat prædicto textui. Ex qua interpretatione concluditur, identitatem habitus in rigore non addere conditionem diuersam ab identitate religionis, sed per eam explicari, ad vnitatem religionis requiri aliquam conformitatem in habitu, saltem substantialem. De quo iterum dicemus infra, tractatu sequenti de varietate religionum. Addo vero, vbi contigerit, electum esse diuersi habitus accidentaliter, quanuis electio valida sit, nihilominus esse iuri consentaneum, vt durante illo munere, se conformet alijs in habitu, saltem Superiori; ne inter caput, & membra diuersitas appareat, argumento c. *Deus, qui.* de vita, & honest. cleric. & cap. *in nona.* 16. q. 7. ibi, *Constituentes vt hi, qui in administrationibus Ecclesiæ Pontificibus sociantur, discrepare non debeant nec professione, neque habitu.*

An decisio Clementinæ à num. 3. explicatæ procedat de electione monialis.

VII. *Resolutio affirm.*

Tandem dubitari potest, an decisio illius Clementinæ circa 2. conditionem locum habeat etiam in monialibus. Ad quod respondendum est affirmatiue, cum glossa ibi, & communi sententia: quia in his dispositionibus fœmininum sub masculino comprehenditur, vt in superioribus diximus. Expressius vero hoc statuit Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 7. de Regular. vbi postquam nonnullas conditiones posuit obseruandas in ea, quæ in Abbatissam eligenda est, subdit, *Quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio, ex alio eiusdem ordinis eligi possit.* Quæ verba inprimis supponunt, in monasterijs monialium, per se loquendo, & quoad fieri possit, obseruandum esse, vt de eodem monasterio Abbatissa eligatur. Deinde, in casu necessitatis solum conceditur, vt de alio monasterio eiusdem ordinis eligi possit: est ergo hoc substantiale.

Decretum Trid. pro electione monial.

VIII. *Expenditur prædictum decretum de ætate, & antiquitate monialis eligendæ.*

Circa hoc autem decretum primùm obseruare oportet, duas conditiones addidisse ibi Concilium pro Abbatissis, & Priorissis, &c. quæ in viris necessariæ non sunt: scilicet, ætatem quadraginta annorum; & octo annos religiosæ vitæ post expressam professionem eius: vt enim supra cap. 3. num. 7. diximus de Generalibus religionum, ita etiam de Prouincialibus, & Conuentualibus Prælatis virorum nullum est ius, quod in eis dictas conditiones requirat: decretum autem de fœminis non comprehendit viros, vt supra etiam ostensum est. Tantum ergo in præfectis fœminarum illæ duæ conditiones speciali iure requiruntur, & vtraque addita videtur à Concilio Tridentino. Nam, quod ad ætatem attinet, licet olim Gregorius Maximiano Episcopo scripserit, vt non permitteret Abbatissas nisi sexagenarias fieri, lib. 3. Epist. 11. cap. *Iuuenculas*, 20. quæst. 1. tamen illud nunquam fuit pro iure receptum, posteaque Bonifacius VIII. in cap. *Indemnitatibus.* de Elect. in 6. solum ætatem triginta annorum completorum requisiuit. Concilium autem Tridentinum quasi medium tenens, & quia experientia forte monstrauit, in fœminis sicut fortior ætas quàm sexagenaria necessaria est, ita maturiorem, quam tricenariam requiri, quadraginta annorum

norum ætatem postulauit. De altera vero conditione antiquitatis professionis nihil inuenio antiquiore iure, nec simili, neque dissimili definitum. Hæ autem duæ cõditiones non declarantur à Concilio tanquam substantiales, nec irritatur electio aliter facta, sed simplex prohibitio ponitur, *vt non eligatur*, &c. ideoque si alioqui electio facta sit iuxta commune ius, licet illæ duæ conditiones non seruentur, non erit electio irrita ipso iure, sed ad summum irritanda. Præterea illæ conditiones non ponuntur à Concilio vt simpliciter necessariæ, sed, si seruari potuerint; alioqui conceditur vt ætatis triginta annorum, & post quinquennium à professione eligi possit. Intelligo autem, illas conditiones seruari non posse non solum quando in nulla religiosa eiusdem monasterij inueniuntur; sed etiam, si inueniantur in aliquibus vitæ laudabilis, si non habeant qualitates aliquas ad gubernandum necessarias: ita enim intelligendum est Concilium cum dicit, *Si hiis qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio*, scilicet, apta ad electionem: clarum est enim illas solas qualitates non sufficere, vt persona sit digna; nec velle Concilium, vt sine alijs requisitis aliqua eligatur, etiamsi illas conditiones habeat. Et eodem modo intelligo quandam responsionem Congregationis Cardinalium, quæ absolute habet, *Abbatissam triginta annorum, & quæ per quinque annos solos sit professa, elig. non pess, si in monasterio sit aliqua monialis quadraginta annorum, & quæ iam per octo annos sit professa*; subintelligendum enim puto, dummodo alioqui ad gubernandum apta sit, & sufficiens, nam hoc ex natura rei necessarium est. Addit vero idem Concilium, vt sine illis eligi possit, oportere, vt non possit commode ex alio monasterio cum illis eligi; quod committit iudicio Superioris: & ideo Congregatio Cardinalium in prædicta responsione addidit, *Aut in aliquo monasterio eiusdem ordinis vicino istius qualitates inueniatur*; vbi expendo particulam illam *Vicino*, quæ addita est verbis Concilij fortasse ad declarandum, distantiam loci sufficere, vt electio non possit commode ex alio monasterio fieri: quanta autem sit illa distantia, Superior iudicabit.

IX. Notandum præterea est aliud responsum eorũdem Cardinalium, quod varijs ac fide dignis testimonijs ad nostras manus peruenit sub his verbis, *Abbatissa, licet per quinquennium non manserit in religione, dum tamen excedat triginta annos, & id fiat ad requisitionem suarum monialium de licentia secundæ dignitatis cathedralis, & earum Superiorũ regularis, dummodo laudabiliter anno superiore se gesserit, debet confirmari per biennium in officio. Quod si ad confirmationem dictæ Abbatissæ desset Superiorum regularium licentia propter absentiam, seruatis iis, quæ hoc capite præscribuntur, ad dictam confirmationem procedendum est.* Quod responsum inprimis intelligo habere locum, quando dispositio Concilij Tridentini ad literam seruari non potest, quia non est verisimile per illam derogari, vel aliqua ex parte dispensari in Concilio, si obseruari potest. Solum ergo habet locum quando nec quadragenaria cum octo annis professionis eiusdem monasterij & religionis commode eligi potest; nec etiam in monasterio inuenitur aliqua triginta annorum ætatis, & habens quinque integros annos professionis æque digna, & apta ad illud regimen: nam si huiusmodi inueniatur, non video cur alia admittenda sit. Imo etiam in eo casu necessitatis censeo, illam declarationem factam esse authoritate Pontificis, quia sola scientia sine potestate ad illam nõ fuisset sufficiens, tum quia est quasi noua lex in casu à Concilio omisso, nihil enim Concilium prouidit pro eo casu, in quo non inuenitur aliqua triginta annorum, habens quinque annos professionis: tum etiam, quia ibi postulatur licentia secundæ dignitatis cathedralis, & Superioris regularis, si commode haberi possit, & solum conceditur, vt ad biennium confirmari valeat. Quæ omnia non pertinent ad doctrinalem interpretationem, sed authenticam, & potestatiuam, vt sic dicam; ideoque, vt illa declaratio ad vsum applicari debeat, obseruare oportet, an sit vniuersaliter facta pro tota Ecclesia, & an sit satis promulgata vt habeat vim legis. De quibus mihi nunc non constat; credo tamen saltem obseruari posse vbi oppositum non constiterit, nam continet quasi epycheam per se satis consentaneam rationi, & habet sufficientem authoritatem.

Ex hac vero declaratione constat, antiquitatem professionis non esse reputatam à Congregatione Cardinalium tam necessariam conditionem, sicut ætatem completam triginta annorũ: nam alius cassus omissus ẽt in Concilio esse posset, in quo nulla monialium existentium in monasterio, & apta ad gubernationem eius, habeat triginta annos ætatis expletos, & tamen in eo nulla declaratio vel epychea facta est, ideoque in tali casu nulla eligi potest minoris ætatis, etiamsi per plures quã octo annos religiosa fuerit: sed in eo casu aut ex alio monasterio eiusdem religionis assumenda erit Abbatissa, etiamsi difficultates aliquas superare, vel aliquid incommodi ferre necesse sit, vel certe dispensatio erit à Summo Pontifice postulãda. Sed quid si duæ aptæ ad dictum officium concurrant, altera quadragenaria, nondum tamen habens quinq; annos professionis; altera vero habẽs illos completos vel etiam octo, nondum vero attingens quadragesimum annum ætatis, licet excedat trigesimum? Videtur enim hæc posterior præferenda, quia habet aliquo modo completam vtramque conditionem à Concilio postulatam: priori vero vna conditio omnino deest. In contrarium autem est, quia Concilium per se primo requirit ætatem quadraginta annorum, quę conditio completur in priori, & non in posteriori, & aliunde conditio ætatis magis desideratur, vt notatum est: ergo videtur præferenda prior. Mihi videtur negotium arbitrarium, quia reuera se habent tanquam excedens, & excessum, & ideo censeo præferendam esse illam, quæ ob alias conditiones dignior reputata fuerit: si aũt fuerint æquales, excessus ætatis videtur præferẽdus ex genere suo, propter rationem factam, & quia in iure magis consideratur, quàm alius. Dico autem, *ex genere suo*, quia tam paruus esse posset excessus ætatis, & tantus in antiquitate religionis, vt hic præponderaret: Superior ergo prudenter hoc dijudicabit. Hinc tamen colligimus, quotiescunque nulla est, habens integras illas duas cõditiones quadraginta annorum ætatis, & octo professionis, illam esse, cęteris paribus, præferendam, quæ plus de illis participauerit. Vt si sit aliqua habẽs quadraginta annos ætatis, & qui nq; professionis, in dubio esset præferenda alijs non attingentibus illam ætatem, neque habentibus octo annos professionis; & sic de alijs. Quanuis n. dici possit, Concilium solum assignasse illa tempora certa, & ideo, si non expleantur, nihil referret quod ad illã magis, vel minus accedatur, & similiter duas illas conditiones simul postulasse, & ideo, si simul non coniungantur, vnam vel alteram nihil conferre: nihilominus negari non potest, quin & conditio ætatis maioris 30. annorum per se spectata necessaria sit, & quod iuxta intentionem Concilij maior participatio illarum conditionum, vbi integræ haberi non possunt, cæteris paribus, reddat personam in hoc munus dignioré.

X. *Iuxta hæc responsum non tam exigunt monialis antiquitas, quam alia.*

XI. *Quomodo dispositio Concilij Trid. sit an obseruanda.*

Ex quo tandem intelligitur, quando iuxta mentem Concilij oporteat electionem fieri ex alio monasterio. Nam inprimis iuxta dictam declarationẽ Cardinaliũ solum est hoc simpliciter necessarium, scilicet, quando

quando in eodem monasterio nulla, quæ eligi possit, habet triginta annos ætatis completos : nam si illos habeat, in reliquis conditionibus facilè potest benignè interpretatione vti, considerata aliqua incommoditate in eligendo ex extraneis : hanc enim etiam necessariam esse opinor, vt prædicta declaratio locum habeat, ita vt à dispositione Concilij non recedatur. Addo deinde, sufficientem causam eligendi ex alio monasterio esse, quòd in eodem nō inueniatur aliqua habens simul illas duas qualitates quadraginta annorum ætatis, & octo professionis: sic enim intelligo illa verbo Concilij, *Quod si hæ qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio*; quia nisi vtramque habeat, dici non potest esse illis qualitatibus affecta. Verum est, Concilium nō dicere in eo casu, eligi debere ex alio monasterio, sed posse; quare iudicio Superioris relinquit, vt id fiat, si absque incommodo possit. Vnde, si non obstante eo defectu, ex consensu Superioris alia de eodem monasterio eligatur, habens alias conditiones requisitas à Concilio triginta annorum ætatis, & quinque professionis, sine dubio erit valida & confirmanda electio, etiamsi fortasse aliter sine incommodo fieri posit, quia nullum est verbum in Concilio, quod necessitatem indicet, sed solam directionem Superioris, vt id non permittat, nisi ratione alicuius incommodi. Quòd si fortasse ille liberalior sit quàm debeat, inde non infirmatur electio, cùm Concilium hoc non disponat. Tanto autem faciliùs, seu ad vitandum etiam leuius incommodum poterit hoc permitti, quanto minor fuerit defectus dictarum conditionum in persona eligēda ex eodem monasterio. Nam si habeat octo annos professionis, licèt non attingat quadragesimum annum ætatis, dummodo excedat triginta, faciliùs poterit admitti eius electio: & idem est è conuerso, si habeat quadraginta annos ætatis, nondum verò expleuerit totos annos professionis. Et sic de aliis combinationibus, quæ facilè cogitari possunt.

Expediuntur 3 & 4 conditiones requisitæ in eligendo.

XII. *Oratio suor.* Tertia conditio necessaria ex parte eligendi in prælatum erat, vt sit sacerdos, vel ordinatus in sacris: quam per se constat in religionibus virorum, non monialium requiri, quia nec fœminæ sunt capaces ordinis, neque illo indigent ad suum modum prælationis, cùm non consistat in potestate iurisdictionis spiritualis, sed tantum in dominatiua, seu materna. In religionibus autem virorum ita necessaria est ad inferiores prælationes, sicut ad supremam: nā iura quæ adduximus, de conuentuali Abbate, seu Superiore præcipuè loquūtur. Quarta cōditio erat, vt sit legitimus : quam certum est etiam postulari ad prælationem Prouincialem, vel Conuentualem : imò ad quodcunque munus religionis habens iure ordinario spiritualem iurisdictionem. Nam c. 1. de filiis presbyt. hæc omnia complectitur, vt latiùs Sylu. prosequitur verb. *Prælatus*. num. 3. & verb. *Electio*. 1. q. 14. n. 15. & Angel. eod. verb. n. 23. Dubitari autem potest an hæc conditio etiam in Abbatissis requiratur. Et ratio dubitandi est, quia eatum prælatio non consistit in spirituali iurisdictione. sed ille defectus originis solùm impedit ex vi iuris canonici aut ordinem, aut spiritualem iurisdictionē: ergo. Maior sepè est in superioribus tractata, præsertim c. 1. n. 3. minor ex iure constat, quia nullū decretum afferri potest, in quo impedimentum illius amplius extendatur. Et cōfirmatur maximè ex toto titulo de filiis presbyterorum, in quo de filiis tantum sermo est. Et licèt sub nomine masculino soleant fœminæ comprehendi, tamen id potissimū habet locum in fauorabilibus, non autē in odiosis, nisi vel aliæ circumstantiæ, vel saltem omnimoda identitas rationis ad illum sensum cogant: hic autē nec est similis ratio, vt explicatum est, nec circumstantiæ aliquę ad illam extensionem faciendam inducunt. Imò si considerentur verba cap. 1. de filiis presbyt. apertè videntur determinari ad solos masculos: nam priùs dicitur, vt filij illegitimi nō ordinentur, nisi religiosi fiant, & deinde additur, *Prælationem vero nullatenus habeant*. loquitur ergo de filiis ordinis capacibus, vel (quod idem est) de prælatione propriè dicta, quæ ordinem aliquem præsupponit, aut requirit. In reliquis autem textibus ferè sermo est de filiis presbyterorum, quatenus ad dignitates, personatus, aut beneficia Ecclesiastica curam animarum habentia, admitti non possunt sine dispensatione Pontificis, præsertim in illis Ecclesiis, vbi patres eorum beneficia habuerūt. De quibus etiam solis agit Concilium Trid. sess. 25. cap. 15. de Reformat. Constat autem officium Abbatissæ nec dici posse beneficium Ecclesiasticum, neque illius solicitudinem propriè vocari posse curam animarum, sed solùm ministerium pertinens ad gubernationem quasi œconomicā vnius domus, quamuis accommodatam religioso statui ac profectui. Tandē, nulla irregularitas admittenda est, quæ non sit in iure expressa; hæc autem inhabilitas illegitimorum ad prælationes Ecclesiasticas quędam irregularitas est: non est ergo ad fœminas extendenda, cùm in iure non sit expressa.

XIII. Propter hæc ergo, vel similia, nōnulli graues authores censuerunt, hunc defectum natalium nullū impedimentum esse ad munus Abbatissæ. Citatur ab Emmanuel Rodr. q. 10. art. 21. & in Summ. 2. p. c. 29. n. 12. Felinus referens Ioannem Andr. & Gemianum loco infra adducēdo, num. seq. sed nec Felinus id tenet, nec dictos authores refert: citatur etiam Ancharanus in c. *generali*. de Elect. in 6. citans Cynum, & Bartolum in l. 2. ff. de verbor. significat. vbi etiam Bartolus nihil de hac re loquitur; indicat verò hanc opinionem Tabien. verb. *Virgines consecratio*. Nihilominus alij distinguunt inter Abbatissas, quæ temporales sunt & non benedicuntur, & perpetuas, quæ benedicuntur: & de prioribus aiunt cum prima opinione, nihil referre quòd illegitimæ sint secus verò esse de posterioribus, quia sunt verè prælatæ, & habent iurisdictionem quasi Episcopalem. Sed hæc distinctio neque in antiquis authoribus inuenitur, neque habet fundamentum in iure. Nam in primis benedictio non refert, quia illa non est aliquis ordo, vt defectus natalium reddat personam quasi irregularem ad illam benedictionem; neque admittenda est illa exceptio, cùm in iure non habeatur, & materia sit odiosa, & quamuis admitteretur, sicut professio religiosa tollit irregularitatem ad ordines, ita etiam tolleret ad illam benedictionem. Perpetuitas etiam non refert, quia non maiorem iurisdictionem habet Abbatissa perpetua ex illo capite, quàm temporalis; sed id, quod habet, magis durabile est, & reuera neutra habet propriam iurisdictionem spiritualem, nam hoc non prouenit ex maiori, vel minori duratione, sed ex incapacitate fœminei sexus, vt alibi diximus tom. 5. in 3. p.

XIV. *Communis opinio requirens legitimitatem.* Est ergo communis opinio, illegitimam absque dispensatione nō posse esse Abbatissam. tenet glossa in cap. *indemnitatibus*. §. 1. verb. *Canonica*. de elect. in 6. Sequitur Panormitanus in cap. *cum nonnullis*. de Elect. n. 6. & Felinus cap. *minimus*. de accusationib. n. 4. quam esse communiter receptā, & in praxi seruatam testatur Nauarrus Comment. 2. de Regularib. n. 60. Maiolus lib. 1. de irregular. c. 29. n. 10. citans Tabienam verbo *Dispensatio*. 5. versu 21. Qui tamen non fundantur nisi in cap. 1. de filiis presbyter. quod generaliter statuit, filium illegitimum

esse inhabilem ad Ecclesiasticas prælationes; munus autem Abbatissæ inter prælationes computatur, vt notant Doctores in dict. c. *indemnitatibus.* §. *Verum.* ex textu ibi, *Vt à dignitate deijciatur adepta*, vbi Geminianus in 3. notab. & Abbas in cap. *quia propter*, de electione, n. 8. vbi propterea omnes docent in electione Abbatissarum seruandam esse formam illius textus, quia sub nomine prælationis comprehenditur. Et licet D. Thom. in 4. d. 25. q. 2. art. 1. q. 1. ad 2. dicat, Abbatissam nō habere prælationem ordinariam, statim tamen subdit, habere quasi ex cōmissione, habet ergo aliquo modo sufficiēte vt sub generali nomine comprehendantur. Præterea non obstat, nomen filij masculini generis, quia in aliis similibus dispositionibus iuris sub ea voce fœminæ comprehenduntur, præsertim quando lex est fauorabilis religioni, etiamsi fortasse sit onerosa priuatæ personæ ex Clemen. 1. cum glossi. ibi, verb. *Homines.* de Elect. & in c. *generali.* verb. *Vniuersos.* de Elect. in 6. huiusmodi autem est dispositio illius ca. 1. In quo etiam non deest similitudo rationis, quia munus Abbatissæ etiam computatur inter dignitates Ecclesiasticas. Et ad hoc confirmandum induci potest declaratio Sixti V. quæ aliàs posset in contrarium obiici: cùm enim contra illegitimos rigorosum rescriptum edidisset, postea in declaratione addidit, *Caterum quæ à nobis circa religiosos viros in præfata constitutione sancita sunt, ea nequaquam volumus ad moniales nunc extendi.* Quam declarationem ideo necessariam reputauit, quia non ex vi verborum, sed ex peculiari intentione, & benignitate sua videbatur profecta. Quamuis enim prima sententia in rigore iuris facile dēfendi possit, quia reuera ex illo sufficienter non conuincitur hæc opinio: nihilominus in praxi non censeo recedendum ab hac sententia, quoniam sicut communior, ita securior est.

Opinio Emmanuelis in n. præced. in praxi minus secura, quāuis facile defendi possit.

XV. Sed dicunt aliqui, hanc maculam per professionem religiosam tolli, nam in viris irregularitas ad ordines tollitur per professionem religiosam: ergo etiam in fœminis aliqua inhabilitas tolli debet; in eis autem non est irregularitas ad ordines, quæ tolli possit; ergo tolletur saltē hæc inhabilitas ad prælationem. Sed hoc non rectè dicitur: nam professio sola sua vi, & naturâ non tollit hæc impedimenta, vt in superioribus tetigimus, & per se satis notum est: tantum ergo tollit, quantum à Pontificibus est concessum, & ideo in viris professio tollit irregularitatem ad ordines, non verò ad prælationes, quia vtrumque statutum est in dict. c. 1. de filiis presbyter. Quòd autem in fœminis professio tollat inhabilitatem ad prælationem, nullo iure, aut priuilegio concessum est: ergo propter illam congruentiā, vel æquiparationem, non potest hic effectus tribui professioni monialium: neque etiam est similis ratio, quia per hanc inhabilitatem nō impeditur fœmina ab aliquibus actibus spiritualibus, & ad cultum Dei pertinentibus, qui per fœminas exerceri possit; sicut impeditur vir per irregularitatem ab ordine.

XVI. Denique addunt prædicta glossa, Panormit. Felinus, & alij, non posse eligi in Abbatissam, quę fuerit corrupta, etiamsi sit vidua: quod solùm probant ex cap. *iuuenculas.* 20. q. 1. vbi Gregor. præcipit, eligi virginem sexagenariam. Veruntamen caput illud quoad vnam partem, scilicet quòd sit sexagenaria, receptum non est in vim legis: idem ergo de altera parte responderi potest: vnde Archidiac. & Hugo ibi aiunt, illud interdum non obseruari; nam licet decentissimum sit, vt virginibus nō præsit nisi virgo, vt ita non solùm verbo, sed etiam opere ac perseuerantia sit aliis exemplum virginitatis; nihilominus aliquādo potest expedire viduam eligi, quāuis tunc consecranda, seu benedicenda non esset, vt notat etiam glossa in Clemen. *Attendentes*, verb. *Rationabili.* de stat. monach. quæ tamen indicat etiam in eo casu necessitatis necessariam esse dispensationem, quam etiam indicat, posse concedi per aliquē prælatum præsidentem electioni, v. g. Episcopum, vel Episcopalem iurisdictionem habentem: quod mihi est probabile, quia illa prohibitio, quā Greg. fecit cuidam Episcopo, non est cum tanto rigore proposita, vt ab illo extulerit potestatem dispensandi in casibus reuera necessariis. Sed in hac re potissimum censeo standum esse consuetudini. Reliqua quæ de aliis defectibus seu impedimentis ad huiusmodi prælationem, eiusdē ferè rationis sunt cum his, quæ de viris diximus, & de illis videri potest latè Maiolus dict. lib. 1. de irregularitate, capite 29.

An corrupta possit eligi in Abbatissam

Quid requisitum ex parte eligentium.

Tractantur conditiones ex parte eligentium requisitæ.

Iam dicendum est de requisitis ex parte eligentium, in quibus eadem, quæ de Generali diximus in c. 4. cum proportione seruanda sunt. Nam in primis vniuscuiusque electio ad congregationem proportionatam pertinet: electio enim prælati conuētualis iure communi ad conuentum pertinet, argumento cap. 1. de electione, & expressè habetur in c. *cum dilectus*, de consuetudine, & 18. q. 2. per multa capita, & ferè ex natura rei sequitur, suppositā prouisione futura per electionem: & saltem constat, nisi iure aliquo positiuo aut consuetudine præscripta aliis ius eligendi concessum sit ex natura rei in ipso corpore communitatis tale ius residere. Affirmat autem Nauarrus comment. 3. de Regularib. n. 2. hoc ius constituendi Abbates magna ex parte reseruatū esse Summis Pontificibus, vel facultatem præsentādi illos nonnullis Principibus esse concessam. Sed hoc intelligendum existimo de his, qui vel regulam in suo rigore non obseruant, vel secundum aliquā reformationem regulariter viuunt: nam in religionibus obseruantibus ac reformatis electio iuxta communem consuetudinem per conuentum fit, & ita est obseruandum, nisi aliud constiterit de iure speciali. Vnde fit, idem proportionaliter esse dicendum de electione Prouincialium; quāuis enim ius commune de illis nihil specialiter disponat, constat eandem esse rationem, seu proportionem prouinciæ, seu Capituli Prouincialis ad suum Prælatum, quæ est conuentus localis ad suum.

XVII. *1. Conditio vt digniti officium sit pene congruens.*

XVIII. Deinde ex parte eligentium requiritur etiā professio eiusdem religionis, nam iura suprà citata signatim requirunt hanc conditionem in electione Abbatis, vel Abbatissæ. Non est autem necessarium vt talis professio sit expressa, quia hoc in iure non postulatur, vt suprà c. 4. n. 2. satis dictum est. Et ibi etiam n. 3. tractata sufficienter est alia conditio, quā iura postulant, scilicet, vt electores sint in sacris ordinati. Quæ licet in monialibus locum non habeat, dubitari tamen potest, an illæ religiosæ, quæ inter eas laicæ vocantur, quia nec velantur, nec ad officium chori deputantur, an (inquam) vocem habeāt in huiusmodi electione. Sed de hoc nihil inuenio vel in iure, vel in authoribus, & ideo dico breuiter: si illæ non sint verè professæ per tria vota solennia, iure communi excludi cap. *indemnitatibus.* de Elect. in 6. Si autem sint verè religiosæ professæ, nullum inuenio ius, quo excludantur: nam illa similitudo, vel proportio ad religiosos eligentes, qui debent esse ordinati, non sufficit, neque aliquid refert ad ius in hac re constituendum. Non repugnat ergo admitti; an verò admittendæ sint, ex consuetudine, vel ex iure speciali pendet, & regulariter obseruari existimo vt non admittantur. Postulatur præterea in dict. c. *indemnitatibus*, ætas duodecim annorum exple-

2. Conditio professionis eiusdem.

Quid de monialibus laicis.

Quid de ætate eligentium.

antiquitatis, & æstim.

explesorum: sed illud procedebat iuxta antiquum ius. Hodie autē cùm maior ætas requiratur ad professionem emittendam, constat etiam ad eligendū maiorem ætatem requiri, scilicet sexdecim annorum expletorum. Maior autem necessaria non est, quia neque ad professionem emittendam requiritur, nec per ius aliquod per se postulatur; nec etiam petitur, vt post professionem, aliquod tempus ante electionem intercesserit. Vnde etiam necessarium non est quòd professio diem vocationis antecesserit, sed sufficit vt ante electionem legitimè facta sit. In viris autē nihil inuenio specialiter de ætate dispositum, & ideo quæ sufficiens est ad ordinem Subdiaconatus, sufficit etiam ad eligēdum. De quo videri potest Syluest. verb. *Electio.* 1. per priores quatuor quæstiones.

XIX. An patronus teneatur ad electionem.

Tandem inquiri solet, an Patronus possit habere ius eligendi simul cum religiosis. Faciunt enim dubitationem verba Pelagij Papæ in c. *Abbatem.* 2. 18. q. 2. *In monasterio* (inquit) *illum volumus ordinari Abbatem, quem sibi de sua congregatione, & monachorum electio, & postulatio nomine dominus poposcerit ordinari.* Per quæ verba videtur ius eligendi Patrono tribui; vbi glossa alia iura in eandem sententiam refert. Nihilominus dicendum est, Patronum non posse habere ius eligendi, tum quia, si est laicus, non potest habere iurisdictionem Ecclesiasticam, nec propriam administrationem, si verò non sit professus eiusdem religionis, etiamsi sit clericus, non potest eligere prælatum regularem, iuxta c. *ex eo*, & c. *indemnitatibus.* de elect. Et hæc est sententia communis, quam tenet glossa in dict. c. *Abbatem.* glossa in cap. *quod sicut.* verb. *Impedire.* vbi Abbas n. 6. idem in cap. *cum terra.* n. 2. de elect. idem Panormit. in c. *nobis.* de iure patronatus. In quo textu expressè est hoc declaratum, & per illud explicandum est dict. cap. *Abbatem*, ait enim, *In conuentuali Ecclesia non electionis prælati faciendæ, sed iam facta honestius præstolatur assensus.* non ergo eligit patronus, sed electioni factæ præbet assensum. Quod etiam in dict. c. *Abbatem*, insinuatur, nam electio tūm dicitur esse monachorum; patroni autem simul cum illis poscere electum. Dices, aut hoc nihil conferre patrono, aut idem habere incommodum: nam vel cogitur patronus præbere assensum, & sic inutilis est illa cæremonia; vel potest sua voluntate rumpere electionem, & hoc maius est incommodum. Respondetur primùm, illud esse quoddam genus gratitudinis, recognitionis, & honoris, quod inter homines plurimum æstimatur. Deinde, si patronus legitimam causam proponat, ob quam non præbet assensum; audiendus est; &, si causa sit sufficiens, Superior non confirmabit, sed cassabit electionem: sine legitima autem causa nihil obstabit Patroni dissensus; & ita nec est inutilis hęc potestas, nec incommodum affert. Quamuis autem hoc ita sit iure communi, specialia iura legitimè confirmata spectanda etiam sunt, & laudabilis consuetudo seruanda. Nunquam tamen poterit consuetudine introduci, vt ius eligendi prælatum acquiratur laico, aut non professo, nam est contra canones Ecclesiasticos, & contra Ecclesiasticam vtilitatem ac disciplinam, & ita sentiunt Doctores citati, & Nauar. Comment. 3. de Regularib. n. 60.

Potest neg. hoc.

Electus tamen facta præbet assensum

XX. Primum con. censuram Ecclesiasticam impediti, aut voto priuati. De hoc autem impedimento sufficiunt superiùs dicta cap. 4. num. 9. quoniam eiusdem rationis est in omnibus electionibus, siue maiorum, siue minorum prælatorum, & pro omnibus consulenda est doctrina de Censuris, vt illo c. 4. num. 9. iam citauimus: nam ex ea constat per quam suspendatur quis à potestate eligendi. Viderique possunt Sylvester, & Angelus, & alij Summistæ, verb. *Electio.* Inquiri etiā hic posset, an moniales per censuras interdictæ, aut suspensæ priuentur etiam hac potestate eligendi, mediatè, aut immediatè, in materia de Cēsuris sufficienter tactum est; & ideo de his electoribus hæc in præsenti sufficiant.

XXI. De forma seruanda in dicta electione.

Tertium requisitum est, vt seruetur debita forma electionis. Circa quam communis, & recepta sententia est, seruandam esse formam præscriptam in cap. *quia propter*, in his omnibus prælatis, vt constat ex Innoc. Panor. & omnib. expositoribus, Syluestro verb. *Electio.* 2. n. 2. & 4. vbi addit, tam Priores Prouinciales, quàm Conuentuales ordinis Prædicatorum, & qui eis correspondent in aliis religionibus, debere eligi iuxta dictam formam, resecatis multis iuris subtilitatibus per constitutiones eorum; intelligendum est autem de constitutionibus confirmatis à Summo Pontifice, si in aliquo derogant iuri communi, quia nulla constitutio sine authoritate Summi Pontificis contra illud valere potest. Neque hic occurrit aliquid specialiter addendum, sed superiùs dicta in cap. præced. cum proportione applicanda sunt. Atque idem dicēdum est de monialibus, in quibus eadem forma capitis, *quia propter*, vt ibidem quoque tradidimus, seruanda est, vt notauit glossa communiter recepta in c. *indemnitatibus.* §. 1. verbo *Collatio.* de Elect. iuxta modum tamen & moderationem additam in dict. c. *indemnitatibus.* quam in Summa redegit Syluester verb. Elect. 3. in fine. Denique, etiam in eis locum habet dispositio addita à Cōcilio Trident. sess. 25. c. 6. de Regularib. vt in eodem expressè declaratur. Et hæc de conditionibus, ac forma eligendi prælatos regulares infra Generalem.

XXII. Ostenditur tandem 3. pars asserti. positæ in n. 1. de creatione prælati absque electione.

Vltima pars assertionis restat de modo creandi huiusmodi Superiores absque electione per solam prouisionem, aut nominationem superioris Prælati. De quo genere prouisionis, quantum ad vsum eius spectat, cùm præter ius commune sit, nihil aliud dicere possumus, nisi tantùm ibi seruari posse ac debere, vbi speciali & approbato iure fuerit institutum. Qua lege suppositā, ex parte eligentis, seu prouidentis necessarium est vt habeat suam potestatem non suspensam, neque impeditam. Et quia talis potestas annexa esse debet prælationi eiusdem religionis, vt supponimus, omnes conditiones quæ ad talem prælationem necessariæ sunt, ad illam requiruntur. Ex parte verò eius, qui prouidendus seu instituendus est in prælatum, omnes conditiones suprà positæ in cap. 3. ex parte eligendi necessariæ sunt: quia illæ non postulantur propter specialem modū electionis, sed propter prælationē ipsam: vt, v. g. quādo ius disponit, vt nemo eligatur in prælatū religionis, nisi expressè professus, professio non petitur propter modum electionis, sed vt persona sit capax prælationis: vnde quantum ad hoc spectat, cùm dicitur, *non eligatur*, perinde est ac si diceretur, *non promoueatur.* idemque de cæteris conditionibus illo capite positis intelligendum est, iuxta communem, & certam sententiam. Neque vlla ratio dubitandi occurrit: nam quòd iura vtantur verbo *eligatur*, solum est, quia secundùm commune ius illè est ordinarius modus promouendi aliquem ad hāc dignitatem: aliquando verò vtuntur verbo *assumēdi*, vt in cap. *tuæ.* de ætate, & qualit. ibi, *Possit in Abbatem assumi*, quia reuera, vt dixi, non respiciunt viam (vt sic dicam,) sed terminum, id est, conditiones quæ decent talem personam: vnde hęc, quæ diximus, potissimè intelliguntur de quacunque institutione, seu collatione prælaturæ: nam ad postulationem, per quam non acquiritur ius postulato, non requiruntur ex parte eius, qui postulatur, omnes conditiones necessariæ ad prælationem habendam: nam satis est quòd si aliqua deficiat, possit in ea dispensare ille, à quo fit postulatio, & quòd ratio sufficiens ad dispensandum intercedat,

Quid ex parte prouidentis requiratur quid item ex parte promissi.

vt

vt latiùs tractatur in tit. de postulat. Prælator. & à Summistis, verb. *Postulatio*. Denique circa modum, seu formam prouidendi prælationem absque electione, nihil citra hoc dicendum occurrit, nisi quęcunque signa, aut verba sufficienter declarantia voluntatem superioris prælati, cõferendi alteri inferiorem prælationem cum actuali vsu (vt sic dicam) seu exercitio eius, sufficere ad illam conferendam eo ipso quòd sufficienter proponitur ac promulgatur. Nec existimo esse necessarium addere quòd requiratur etiam subditorum acceptatio: nam per se loquendo, non est necessaria noua acceptatio, sed sufficit obligatio obediendi, quam ex voti habent. Quanquam in hoc seruanda sunt etiam iura specialia, vel honesta consuetudo præscripta. Sed de hoc modo prouidendi Superiores religionis, quia inter omnes videtur esse proprius Societatis; ideo tractando in particulari de eius instituto, plura de illo dicemus tractatu 10. lib. 10. cap. 3.

Quid ex parte formæ seu modi prouidendi.

CAPVT VII.

An prælatio religionis perpetua sit, quantove tempore durare possit, aut debeat.

I. *Resolutio quæstionis attento iure naturæ*

QVæstio hæc tractari potest aut ex natura rei, aut ex iure communi, aut ex speciali. In primo sensu non potest tractari de facto, quia pendet ex hominum arbitrio, ac institutione, vt videbimus; & ideo ex sola rei natura nõ habet hæc prælatio quòd sit perpetua, vel temporalis. Sed hoc solùm ex natura rei ad illam consequitur, vt postquam semel collata est, auferri non possit iustè intra illud tempus, pro quo data est, nisi interueniente causa legitima, & potestate, quia per collationem acquiritur in illam proprium ius, quo nemo potest sine causa priuari: de quo aliàs. Igitur ex natura rei vterque modus institutionis possibilis est, quia in neutro illorum per se est aliquid contra rectam rationem, & quia alij principatus, & magistratus possunt esse perpetui & temporales. Denique quia in vtroque modo possunt esse multa commoda in ordine ad bonum regimen, & quamuis habeant admixta incommoda, vel non sunt contra rectam rationem, vel non per se sequuntur, sed per accidens, necessarioque sunt in rebus humanis toleranda, quia non possunt omnia vitari, & præcipuum punctum humanæ prudentiæ est tunc id eligere, quod minus habet incommodi. Vnde oritur quæstio, quæ illarũ institutionum ex natura rei magis expediat religioforum gubernationi. de qua dicam in n. 9. expeditis aliis membris propositis.

II. *Resolutio eiusdem attento iure diuino.*

Secundò igitur dicendum est de iure communi. Omitto autem diuinum, quia de hac materia in particulari nihil diuinum ius statuit, vt sæpè in superioribus tactum est, & per se est euidens, quia nec scriptum, nec traditum ostendi potest. Imo probabile existimo in vniuersa Ecclesia Catholica nullã prælationem esse ex diuino iure absolutè perpetuã, ita vt non possit quis ea inuitus priuari, vel sub ea lege haberi, nisi solus Pontificatus Summus: sed de hoc aliàs. Igitur, loquendo de communi, iure Ecclesiastico, Nauarrus Commentar. 3. de Regularib. n. 3. affirmat, monasteriorum prælatos, vel prælatas secundùm ius commune, & regulam debere esse perpetuos: id autem non probat nisi ex eodem textu, quem commentatur, cap. *nullum*. 18. q. 2. vbi dicitur, nullam potestatem relinqui monachis expellendi Abbatem, aut sibimet alium ordinandi: quod non alia ratione dici potest, nisi quia Abbas ex vi iuris perpetuus est. Et hoc idem supponitur toto titulo de statu monach. Veruntamen duobus modis intelligi potest, hanc perpetuitatem esse de iure communi, positiuè scilicet, seu definitiuè, aut negatiuè tãtùm, vel (vt ita dicam) præsuppositiuè. Priori modo non inuenio ius aliquod positiuè definiẽs vt hæ prælationes perpetuę sint, nec Nauarrus illud adducit. Nam illud caput *nullam*. solùm statuit, vt monachi non possint deponere Abbatem pro arbitrio suo, aut alium creare quãdo voluerint, quod longè diuersum est: nam, licèt prælatura sit temporalis, non poterit deponi prælatus arbitrio subditorum, sed definito tempore à lege, seu statuto, vel ipso iure amittet officium, vel tenebitur renunciare, & ad id cogi poterit iuxta constitutionis tenorem. An verò possit prælatus sub ea cõditione creari, vt tantùm duret in officio ad arbitrium subditorum, infrà à num. 4. videbimus. Neque etiam in totò titulo de statu monachor. aliquid inuenio, quo hæc cõditio perpetuitatis pro hoc munere decernatur, ac præscribatur.

III. At verò alio modo negatiuo verum esse videtur ex vi iuris communis hanc dignitatem esse perpetuam. Primò, quia illud ius non vetat quin perpetua sit, sicut etiam non prohibet esse temporalem. Secundò, quia semper loquitur de hac dignitate tanquam de perpetua, & quæ de illa statuit, perpetuitati congruunt, quia nimirum illam conditionẽ supponit. Vnde fit tertiò, vt virtualiter illã approbet ac defendat, qui videtur esse proprius sensus dicti cap. *nullam*. declarat enim, postquam religiosi sibi eligunt aliquem in Abbatem, absolutè, & simpliciter, ac sine vlla temporis limitatione, talem prælatum ita esse perpetuum, vt non possit ab inferioribus deponi. Liberum enim eis fuit potestatem in ipsos dominandi tradere; postquam autem absolutè dederunt, auferre nõ possunt. Atque hic videtur fuisse mos antiquorum monachorum, vt colligitur ex decretis, & historiis suprà adductis & ex Concilio Moguntino, cap. 11. vbi dicitur, Abbatem non posse etiam suo arbitrio locum suũ relinquere, sed cum permissione Episcopi. Et ex Concilio Triburiensi sub Adriano III. & aliis, quæ statuunt, Abbatem solùm propter crimina, vel defectus in regimine, posse suo munere priuari; & ex Regula S. Benedicti cap. 2. & 64. colligitur, Abbatem ex vi suæ Regulæ esse perpetuum: nam licèt hoc expressè, & in actu signato (vt sic dicam) non dicatur, tamen nullus ei præfigitur terminus, & tanquam de perpetuo de illo tractatur: Hac ergo ratione magis dici potest duratio perpetua, quàm temporalis huius prælationis esse de iure communi, præsertim antiquo: quia præsuppositiuè saltem ferè semper de illa tanquam de perpetua loquitur.

IV. Tertiò nihilominus secundùm specialia iura religionum multa est in hoc varietas. Nam in primis *Quia in* supremus Generalis frequentiùs temporalis est, & *plus* maiori, vel minori tempore durat, in religione Minorum, & Carmelitarum per sexennium; in multis aliis monachalium solùm per triennium; in aliquibus verò religionibus perpetuus est, seu ad vitam, vt in religione Carthusianorum, Prædicatorum, & Societatis: religio autem S. Augustini quoddam medium obseruat ad hoc vsque tempus; nam vigente Generali, Capitula Generalia celebrant, in quibus de retinẽdo eodem Generali, & nouo creãdo suffragia ferunt. Vnde videntur non posse sine rationabili causa mutationem facere: atque ita Generalem esse perpetuum, tamen sub ea conditione, ac modo, vt ex prudenti arbitrio religionis cessare valeat. Reliqui autem Prælati omnes inferiores in omnibus religionibus temporales sunt, iuxta propria constitutiones, ordinationes, aut Apostolica indulta, vt ex vsu constat, & vnicuique videre licet in propriis institutis. Solùm in ordine Carthusiensium Priores durant perpetuò; & fortasse in aliquibus particularibus monasteriis aliorum ordinum, præter-

præsertim monialium; & vbi fuerit illa consuetudo, vel institutio, seruanda est. Horum autem omnium rationem, & modum explicare nunc non est necesse: de nostro autem peculiari, in fine huius operis dicemus, tract. 10. lib. 10. c. 2. & 3. & in eum locum reseruamus quæstionem, cur Generalis Societatis perpetuus sit.

V. *An expediat prælatos locales non esse perpetuos.*

Hic verò de prædicto communi vsu religionum, præsertim quoad Abbates, & Priores Conuentuales, videndum est, an conuenienti ratione fuerit introductus. Nauarrus enim dicit Comment. 3. num. 3. dicit, nunquam sibi persuadere potuisse animarum saluti, & tranquillitati expedire, Abbates, seu Prælatos, qui secundùm ius commune, & Regulam debent esse perpetui, fieri triennales à Capitulo eligendos. Idem ait Consil. 7. de statu monach. num. 8. Mouetur ex incommodis, quæ inde regulariter oriuntur. Primùm, quia inde fit, vt Prælati quodammodo à subditis pendeant, & consequenter fit, vt vigor & authoritas Prælati plurimum minuatur: nam, vt dicitur in dict. c. *nullam*, nulla authoritas remanebit Abbati, si monachorum potestati cæperit subiacere, & vt dicitur in cap. *visis*. 16. q. 2. *Humani moris est illum vereri, cuius iudicio, & voluntate nunc erigi, nunc deprimi.* temporales ergo Superiores verentur potius, quàm dominentur subditis, à quibus deprimi, & erigi possunt. Secundò, quia ex hac vicissitudine oritur in primis multorum ambitio, quæ pestis est religionis, & religiosorum oculos excæcat, ne sui status obligationem agnoscant, vt dicitur in capit. *quorundam*. de Elect. in 6. ex qua ambitione subsequitur eneruatio disciplinæ: nam qui eligi cupiunt, multa dissimulant, vt gratos habeant suffragatores. Sequuntur deinde subornationes, colluſiones, imò Simoniæ, & conuentiones, odia, & dissidia intestina, murmurationes, & similia, quæ Nauarrus dicto loco latè prosequitur. Quæ omnia maximè confirmantur ex antiqua consuetudine, & iure communi: non enim sine causa antiqua consuetudo habuit, vt Abbates essent perpetui. Fauet etiam vniuersalis Ecclesiæ consuetudo, quæ habet vt Episcopi, & alij Prælati Ecclesiarum secularium perpetui sint, adeò, vt translationes Episcoporum per se ac regulariter Ecclesiæ displiceant, quia vtilius creditur, vt idem Episcopus in eadem Ecclesia perpetuò maneat. Ex quo intelligitur non solùm per accidens, ob incommoda, quæ sequuntur, ex frequenti electione; sed per se propter vtilitates, & commoda; quæ ex diuturna perseuerantia eiusdem personæ in hoc munere sequũtur, illam esse magis conuenientem, quia ex maiori consuetudine, & quasi perpetuo vinculo maior amor generatur, & homo maiori cura suscipit munus, in quo perpetuò est perseueraturus: longa etiam experientia multum confert ad magnam prouidentiam, & gubernationem. quæ omnia deficiũt in temporalibus prælatis, quando enim incipiunt sui muneris experientiam habere, tunc deficiunt, nec de rebus perpetuis admodum curant, contenti vt sit pax in diebus suis. Denique alia congruentia sumi potest à simili ex Basilio regul. 35. ex fusiorib. vbi ipse probat, non expedire in eodem loco plura monasteria multiplicari, quia difficile est reperiri plures personas dignas prælatione religiosa. *Nam absolutè* (inquit) *seuera disciplinæ ratio moderatorem conuentus prouidum, & non parum eloquentem requirit, & præterea vigilantem, ac mitem, & eiusmodi qui perfecto corde Dei iustificationes exquirat.* Vnde concludit, *Quis quæso fieri potest vt plures tales in vno eodemque pago reperiantur?* Sic ergo in præsenti possumus interrogare, qui fieri possit, vt in tanta Prælatorum mutatione omnes vel plures eorum inueniantur.

VI. *Secundo à consuetudi. & communi perpetuitate.*

Nihilominus contrariam partem nõ minoribus cõiecturis suadere possumus. Primo enim plus mouet mutatio antiquæ consuetudinis, quã ipsa vetus consuetudo, quia illa mutatio non in vno, vel alio loco, sed in tota Ecclesia facta est: nec solum in religionibus, quæ de suo feruore aliquid remiserunt, sed etiam in illis, quæ in eo conseruantur, vel ad illũ reuocatæ sunt, vel de nouo sunt institutæ. Quod est signum, illam mutationem non euenisse ex priuato errore, aut imperfectione, sed quia per experientiam cognitum est, hunc modum esse magis cõuenientem. Accedit, quòd Apostolica Sedes semper in hanc partem sese magis propensam ostendit, vt prælati, vel prælatæ religionũ temporales sint: vnde videmus sæpè illius authoritate mutatum esse modum regiminis ex perpetuo in temporalem; nunquam autem è conuerso ex temporali in perpetuũ. Imò si alicui per plures annos, vel indefinito tẽpore ad arbitrium Superioris prælati, alij durauerint, eius authoritate tempus limitatum, vel abbreuiatũ est: ergo signum est Apostolicam Sedem sentire hũc modum esse cõuenientiorem. Tertiò, priora incõmoda, quæ Nauarrus inferebat, in primis non tam ex temporali duratione Prælatorum, quàm ex modo illos eligendi inferebantur: ergo ad summum oportebit modum illum mutare, non verò ob eam solam causam perpetuos prælatos facere: & deinde etiam in ipsis electionibus possunt alia remedia adhiberi, quibus illa incommoda euitentur. Nam in religione, v. g. Prædicatorum, Priores triennales sine illis incommodis eliguntur, & Concilium Trident. huiusmodi electiones tacitè approbando, aliqua remedia adhibuit, vt rectè, & sine fraude fiant. Quartò, per se rem ipsam spectãdo, videtur vtilior prælationum mutatio, & vicissitudo congruis tẽporibus facta, quàm perpetuitas: tum quia Superior religionis debet esse non dominus, sed pater, iuxta illud, *Non dominantes in cleris.* Si autem perpetuus sit, facilè obliuiscitur paterni spiritus, & paulatim fit plusquam dominus: si autem breui tempore duraturus sit, hoc ipso magis in proprio officio continetur. Tum etiam, quia, vt possit conuenienti modo præcipere, necessarium valde est vt assuescat interdum obedire, & vt compatiatur necessitatibus, vel etiam infirmitatibus subditorum, valde conueniẽs est, vt aliquando eas ipse patiatur, & in eis ab alio prælato pendeat. Quæ omnia cessant in perpetuis prælatis. Tum præterea, quia ipsa securitas muneris perpetui solet personam reddere negligentem nõ solùm in temporalibus, sed multo magis in spiritualibus. Imò (vt Nauarrus etiam fatetur) in temporalibus vsu venire solet, vt maiori ex parte in suam vtilitatem illa conuertant, & aliquando etiã amicis, vel cognatis illa tribuant: quod incommodum, licèt temporale videatur, nõ ibi sistit, sed magna affert spiritualia incommoda non solum ipsius prælati, sed etiam subditorum, quia inde oriuntur odia, & graues detractiones, & similia. Tum denique, quia si vnus & idem semper gubernet, alij non exercentur, nec experientiam gubernãdi acquirũt: vnde euenire solet, vt pauci ad illud munus obeũdum apti inueniantur; è contrario verò dum plures succesiue fiunt, plures etiam agnoscuntur apti ad illud munus, qui aliàs incogniti iacerent, quia magistratus ostendit virũ, & præterea ipso vsu perficiuntur, & ita religio abundat hominibus ad quãcunque dignitatem, aut prælationem aptissimis. Ex his ergo saltem concludo; non esse tam certam sententiam illam Nauarri, quantum ipse existimauit, & consuetudinem, quæ nunc maxima ex parte viget in religionibus, non esse facilè improbandam: nam ad minimum res arbitraria est, & sine imprudẽtia potest alterutra pars eligi, dummodo, quoad fieri possit, incommoda, quę in vnaquaque illarum contingere possunt, præcaueantur.

Arguitur proparte cõtraria quod expediat.

Primò ex reuocat one antiquæ perpetuitatis.

Secundo ex propensione Sedis apost.

Tertio ex incommodis perpetuitatem.

Quarto, ex commodis mutationis horum prælatorum.

Vt

VII. 1. Pronuntiatum in hac controuersia.

Vt autem quod sentio dicam; vbi electiones, præsertim faciendæ à Capitulis, aut cõgregatione multarum personarum, vitari possunt, per se loquendo, & conuenientius, & statui religioso magis consentaneum est, vt prælationes nõ sint perpetuæ. Ad hoc sentiendum persuadeor rationibus posteriori loco factis. Quibus addo, statum religiosum nõ esse per se statum prælationis, sed subiectionis, & humilitatis, solumque ob necessitatem prælationem admittit: valde ergo consentaneum est illi statui, vt quantum fieri possit, nullus religiosus sit semper prælatus. Deinde hoc modo magis conseruatur æqualitas, quæ ad religiosam claritatem necessaria est: dum enim qui hodie præest, cras subiectus & aliis æqualis conspicitur, & ipsi, qui præsunt pro illo tempore non nimium efferuntur, & alij postea de eorum æqualitate plurimum ædificantur. Item, religiosa gubernatio magis in charitate, quàm in aliis humanis respectibus fundari debet: quod si ita fiat, non minori cura, & solicitudine assumetur, quàm si perpetuò duratura sit: si autem alia intentione, vel respectu fiat, eo ipso multum expedit, vt non sit admodum diuturna, nam quò plus duauerit, eo in deterius verget. Similesque rationes possunt facilè considerari; neque in rationibus, quæ in contrarium fiebant, aliqua retinet vim, nisi illa fortasse, quæ sumebatur de necessitate experientiæ. Ad quam in primis dicimus, hoc incommodum (cùm omnia vitari non possint) in primis rarò esse magni momenti, & aliquando dissimulandum esse, & aliis mediis supplendum. Deinde non in omnibus, sed in his, qui primò gubernare incipiunt, hic defectus locum habet, & regulariter non multo tempore durat: nam res pertinentes ad vnam domum religiosam tantæ non sunt, quin breui tempore per experientiam agnoscantur, & qui in aliquibus domibus expertus est, facilè vnius prouinciæ experientiã comparabit. Denique, inexperti pro illo tempore iuuari possunt prædecessorum exemplis, & præsentium consiliis, & Prælatorum sibi superiorum monitis: quibus omnibus si obediat, non multum errabit.

Ad contrarias rationes in n. 5.

VIII. Secundum Pronuntiatum iuxta quod procedet opinio Nau.

Secundò nihilominus asserо, vbi prælaturæ per electiones conferendæ sunt, moraliter loquendo, consultius esse, vt sint vel perpetuæ, vel admodum diuturnæ. In hoc assentior sententiæ Nauarri, propter damna & pericula electionum, quæ tam intrinseca esse videntur, suppositа hominum fragilitate, & experientia, vt longè difficilius videatur illa vitare, quàm illa, quæ ex perpetuitate, vel diuturnitate prælationis sequi solent. Atque ita videmus quamplures ex religionibus, in quibus prælationes temporales sunt, vel abstulisse electiones, vel reduxisse illas ad concilium aliquod paucarum & grauium personarum, in quo facilius sit vitare electionum incommoda, vel ex parte eligentium, aut eligendorum, ita vel personarum numerum, vel tempus ac modum electionis coarctasse, vt negotiationes electionum, quoad fieri possit, præcaueantur. Quòd si religiones aliquæ simpliciter retinent conuentuales, & frequentes, seu triennales electiones prælatorum, id fortè est vel quia non possunt commodè aliter sibiipsis prouidere, vt de monasteriis monialium probabile est, vel quia nondũ sunt expertæ incommoda, sed in simplicitate, & puritate religiosa omnia efficiant: quod desiderabile est.

Vltimò verò interrogare quis potest, estò prælationes hæ temporales sint, quis modus limitationis earum magis expediat. Duobus enim modis intelligi potest prælationem esse temporalem, scilicet, vel quia est ad certum, & definitum tempus, vel indefinitè ad arbitriũ alicuius. Quis ergo ex his modis melior existimandus erit? Possent ad vtramque partem coniecturæ adduci, nam res etiam est arbitraria, & prudentialis. Illis tamen omissis respondeo, priorem modum per se, & ex suo genere videri meliorem. Hoc suadet in primis consuetudo, nã ferè ab omnibus religionibus ita seruatur. Deinde, vbi hæ prælationes infra supremam (de his enim agimus) per electionem prouidentur, vix potest aliter fieri, quia illud arbitrium non debet alicui personæ committi, alioqui veluti noua electio ei committeretur. Quòd si illud arbitrium eiusdem congregationis futurum sit, cuius fuit electio, perinde erit illud ferre ac de nouo eligere, & tunc melius erit vt omninò libera sit electio, ne difficile, aut onerosum sit Superiorem mutare, si expediat, dum nõ sine aliqua infamia, vel nota fieri videtur, quando tempus non est lege præscriptum. Addo præterea, in multis religionibus statutum esse, & ab Apostolica sede approbatum vt idem prælatus non iterum statim eligatur, sed post elapsum aliquod tempus: ergo signum est, per se loquendo, melius esse vt aliquo tempore vacet: ergo etiam erit melius vt tempus prælationis præcisum sit. Vbi autem prælationes conferuntur ab vno superiori capite, facilius posset tempus, seu terminus eius eiusdem arbitrio committi; tamen rationes factæ suadent, etiam ibi determinationem temporis esse meliorem, tum quia etiam ibi expedit aliquando cessare, seu intermitti officium, & hoc esse à lege statutum: tum etiã, quia ita liberiùs fieri poterunt mutationes absque nota eorum, qui auferuntur, & absque grauamine Superioris, qui hoc modo nullius offensionem incurret, mutationes suis temporibus faciendo. Tollentur etiam occasiones vel accipiendi personas, vel certè murmurationum, &c. Cùm autem diximus, tempus debere esse limitatum, vt, aduenientе præfixo termino, statim ipso facto prælatio vacet; fortasse enim hoc non semper expediet: satis ergo erit quod statim sit noua prouisio facienda, nec possit secundùm statuta notabiliter differri in particulari ergo, iuxta varias religionum conditiones, & circumstantias; poterit vnum, vel alterum expedire: quod autem in vnaquaque fuerit statutum id maximè obseruandum est.

CAPVT VIII.

An Prælatus Religionis potestatem habeat obligandi subditos in conscientia, quando, & quomodo.

I

IN superioribus capitibus solùm explicuimus necessitatem, & consequenter etiam varietatẽ horum Prælatorum, vbi simul (si quis attentè consideret) declarauimus causas, & originem harũ prælationum: nunc superest vt explicemus, quid sit hoc munus? quod faciemus explicando potestatẽ eius, nam totum in potestate consistit, seu per illam formaliter constituitur; & quoniam potestas ex actibus cognoscitur, simul etiam actus huius potestatis, & effectus declarabimus; ad quos actus tenẽtur hi Prælati ex speciali obligatione sui muneris, & ideo simul de eorum obligationibus dicemus, quatenus Prælati sunt, nam vt homines, vel vt religiosi habẽt obligationes cæteris communes. Supponimus autem ex dictis in superioribus, esse in his Prælatis duplicem potestatem; dominatiuam, & iurisdictionis: de quarum distinctione nunc non agimus, nam satis intellecta iam est. Præcipuè ergo agimus de potestate iurisdictionis: nam altera, quatenus habere potest actum veluti præcisum à iurisdictione, explicata est partim tractando de irritatione votorum religiosorum, partim tractando de voto obedientiæ: quatenus verò coniungi potest cum

Indicium authoris.

Diuisio duorum librorum.

cum potestate iurisdictionis, simul cum illa explicabitur. Potestas autem iurisdictionis, licet secundùm adæquatam rationem vna sit, tamen in ordine ad varios actus tanquam multiplex concipitur: sic enim distingui potest hæc potestas in voluntariã, vel non voluntariam: directiuam, & coactiuam: ligandi, aut soluendi, vel dispensandi: de quibus omnibus dicendum est per sequentia capita, ac primùm de illa quam in titulo proposuimus.

II. In omni regimine prima potestas & maximè necessaria est directiua, ad quam pertinet non solùm consilia (hoc enim sine speciali potestate fieri potest) sed etiam leges, seu præcepta ferre: hæc ergo in primis requiritur in religioso prælato. Sit ergo certum, posse Prælatum religionis in conscientia obligare subditum per legem, vel præceptum suum iustum. Hoc est certum, & commune apud omnes Doctores, quos referre non est necesse, quia res videtur certa de fide, supposito vniuersali consensu Ecclesiæ, & vero statu religioso, eiusque institutione, & approbatione. Itaque duplex est titulus huius potestatis. Prior est votum obedientiæ, & de hoc sufficiunt quæ de illo voto diximus: quia subditum obligari hoc voto, & Superiorem posse ex illo obligare, comparantur sicut actio, & passio; nõ enim potest subiectum pati, nisi potestas sit in agẽte. ita ergo non posset subditus obligari, nisi esset potestas in Prælato ad obligandum. Ostendimus autem suprà, tom. præced. religiosum obligari ex voto ad parendum: ergo & Superior potest illum obligare; obligatio autem ex voto est in conscientia: ergo Prælatus potest in conscientia obligare. Contendere autem quis posset tunc non obligare Prælatum, sed votum ipsum; Prælatum autem solũ veluti explere conditionem, sine qua votum non obligaret. Sed hoc solum est de verbis contendere fatemur enim illam obligationem hoc titulo consideratam prouenire ex voto; tamen quia votum ipsum non obligat ad talem actum, nisi medio imperio Superioris, & ideo meritò dicitur Superior habere potestatem ita præcipiendi, vt alter in conscientia parere teneatur, siue Prælatus propriè obligationem imponat, siue exhibeat materiam, cui veluti inhæret obligatio ex voto. Omitto quæstionem, an ibi interueniat etiam obligatio iustitiæ ratione traditionis: nam de illa satis dictum in superioribus est, & totam illam, qualiscunque sit, sub voto nunc includimus.

Primus titulus huius obedientiæ.

Contentio de nomine tollitur.

III. Alter titulus huius obligationis est iurisdictio Ecclesiastica his prælatis concessa. Qui titulus pendet ex duobus principiis. Vnum est de iure, scilicet, Ecclesiasticam iurisdictionem esse sufficientem ad obligandum in conscientia per leges, seu præcepta. Et hoc est de fide certum, pertinet tamen propriè ad materiam de Legibus, vbi latè illud tractauimus lib. 4. c. 18. & ideo nunc solum id supponimus. Aliud principium est de facto, scilicet, Prælatis religionũ communicatam esse iurisdictionem Ecclesiasticã, ad hunc actum sufficientem; hoc autem constat ex vsu Ecclesiæ, & ex indultis, & priuilegiis singularũ religionum.

Secundus titulus collectiuus illius.

Et latè tractauimus sup. cap. 1. Ergo ex his duobus principiis manifestè cõcluditur, esse in his Prælatis potestatem obligandi in conscientia per præceptum: Dici potest, dari posse iurisdictionem ad alios actus, non verò ad tam grauem obligationem imponendam, nam ad hoc requiritur valde perfecta iurisdictio. Sed hoc non rectè dicitur, tum quia eodem modo, quo constat, Prælatos religionum habere hanc iurisdictionem; constat etiam illam extendi ad hunc actum, tum etiam, quia sæpè imponunt præcepta sub pœna excommunicationis: tum præterea, quia illa iurisdictio est quasi Episcopalis, vt diximus; vel quia licèt hæc iurisdictio videatur valde perfecta, habet tamen latitudinem, & gradus, & secundùm aliquem necessaria est in quolibet habente veram iurisdictionem gubernatiuam.

IV. Vnde ad maiorem huius rei veritatem obseruare oportet, aliud esse præceptum personale, aliud verò statutum per modum legis. Priori modo possunt præcipere etiam in conscientia omnes, qui habent iurisdictionem aliquam; magis autem, aut minus iuxta modum iurisdictionis: posteriori autem modo non omnes, sed illi, qui habent principalem quãdam iurisdictionem, qualis requiritur ad leges ferendas. Sic ergo in religione omnium Prælatorũ est mouere suos subditos per præcepta obligantia in conscientia cum proportione suæ iurisdictionis: nam Prælati conuentuales solùm in religiosos sui monasterij, & in rebus ad illud pertinentibus, Prouincialis in sua prouincia, Generalis in tota religione vti potest potestate sibi concessa. Ad faciẽda autem statuta perpetua, quę vim habeant, & rationem legis, nec inferiores Prælati, nec Prouinciales ordinariam potestatem habent. Dices, Episcopus potest condere similia statuta; isti autem prælati, præsertim Prouinciales, habent Episcopalem iurisdictionem: ergo poterunt statuta perpetua facere. Respondetur negando consequentiam, quia non in omnibus habent parem, aut similem potestatem, ideoque non Episcopalem, sed quasi Episcopalem iurisdictionem habere dicuntur. Episcopi ergo habent per se ac immediatè iurisdictionem à Summo Pontifice, & illi etiam immediatè subsunt, ideoque per se habent iurisdictionem ad condenda statuta; sunt enim quasi Ecclesiæ Principes sub supremo capite: Prouinciales autem religionum non immediatè à Papa, sed vel à Generali, vel à sua religione habent iurisdictionem, subiectam etiam, & dependentem à Generali, & ideo non conceditur eis iurisdictio sine Generali ad condenda statuta; quæ est res grauissima, & quæ concernit totum corpus religionis. Quin potiùs neque ipsi Generali sine vniuersali cõuentu solet tanta facultas dari: quia licèt ille sit veluti proprius Episcopus totius religionis immediatè constitutus sub Pontifice summo; nihilominus non est simpliciter supremum tribunal ipsius religionis, nam Capitulum generale superius est: & ideo regulariter illi reseruatur hæc potestas, quæ à Iuristis dicitur esse meri ac mixti imperij: est ergo hoc valde consentaneum rationi, & instituto ac moribus religionum.

Non vero per statuta etiam prouincialia.

Imo nec Generales extra capitula generalia.

V. Dices, hoc habere locum in statutis, quæ fiunt pro toto corpore religionis: secus verò esse de statutis singularum Prouinciarũ, vel nationum. Respõdetur in primis, vnam religionẽ, quæ sub vno Generali militat, & in vnum generale Capitulum interdum congregatur, esse vnum corpus politicum, quòd seruare debet vnitatem quoad fieri possit, & ideo regulariter expedire, vt non solùm substantialia regulæ, sed etiam perpetua statuta & leges, seu constitutiones eædem in tota religione sint, & ob hanc causam regulariter non est necesse vt in singulis prouinciis, vel nationibus sit potestas condẽdi statuta perpetua: nam si quid peculiare in singulis prouinciis necessarium est, per ordinariam prouinciam & ordinationes Prælatorum accommodari potest. Deinde dicitur, vbi aliquod simile statutum necessarium esset, potestas illud condendi potius conuentui prouinciali, quàm Prælato Prouinciali esse illam potestatem committendam, seruando proportionem ad id, quod diximus de cõuentu generali respectu generalium legum. Addo verò vlteriùs, etiam non expedire, vt hæc potestas sit in Capitulo prouinciali, vel etiam nationali, (si fieri contingat) independenter à Generali Prælato, vel Capitulo; quia respectu talis Prouinciæ tale statutum

tutum est etiam res grauissima, & ideo fieri nō debet sine influxu supremi capitis, seu tribunalis saltem confirmantis, vel approbantis tale statutum, argumento cap. *cum accessissent*. de Constit. ibi, *Ac statutum ipsum authoritate sedis Apostolicæ fuisse postmodum confirmatum*. Item, quia, sicut pars non debet discordare à toto, regulariter loquendo; ita cum expedit in aliquo discrepare, non debet id facere sine motione, aut consensu capitis, vel totius corporis: maximè quando illa dissonantia in re perpetua futura est. Item, quia, cum Generalis debeat habere prouidentiam singularum prouinciarum, etiam quoad proprias obseruantias earum, valde consentaneum rationi est, vt sine illo statuta perpetua non introducantur. Quanquam autem hæc vera sint, & conformia rationi; nihilominus non adeò cogunt, vt per se inducant necessariam obligationem: nec etiam inuenio ius commune, quod præcipiat hæc omnia ita obseruari, sicut à nobis proposita sunt; & ideo semper consulenda sunt peculiaria instituta, seu indulta singularum religionum, vt id obseruetur, quod in vnaquaque fuerit ordinatum, & ab Apostolica sede tacitè, vel expressè cōfirmatum. Circa vtrunque autem modum præcipiendi siue per præceptum siue per statutum nonnulla supersunt declaranda.

Primum dubium; An ad obligandum præceptum requiratur consultatio.

VI. Primum est, an Prælati religionum possint præcepta, id est, quæ statuta non sint (ita enim breuitatis causa generali nomine pro specifico vtemur,) imponere solo suo arbitrio sine consilio eorum, qui iuxta religionis morem illi assistunt, & sunt à consiliis. Pro resolutione aduerto, præceptum posse esse, vel speciale, quod vni personæ tantùm ponitur, siue pro vno actu, siue pro multis, aut longo tempore. Vel potest esse præceptum generale, quod etiam potest esse duplex, scilicet vel ad vnum tantum, vel alium actum, ita vt generale dicatur solùm ex parte subiectorum respectiuè ad Prælatum præcipientem, quia scilicet pro omnibus illius subditis ponitur: vel potest dici generale etiam ex parte temporis, quia nimirum ponitur vt duraturum vel indefinito tempore, vel vt duret quandiu durat Prælati potestas, non enim potest amplius durare, finitur enim per mortem eius, vel elapso prælationis tempore, vt suppono ex materia de Legibus, & de Censuris. Quamuis ergo responsio ad prædictam interrogationem pendeat ex institutis singularum religionum, quia potest Prælatis vno vel alio modo concedi potestas. Considerando tamen quod iuri communi, vsui, & rationi magis consentaneum est, dicimus primò, in præceptis, quæ imponuntur particularibus personis, nisi valde grauia, onerosa, aut extraordinaria sint, solam auctoritatem, voluntatem, & iudicium Prælati sufficere absque alio consilio, tum quia huiusmodi præcepta ordinaria, & facilia sunt: tum etiam, quia esset valde onerosum pro singulis actibus seu personis Concilium congregare. In grauioribus autem præceptis, etiamsi vnam tantùm personam attingant, obseruare profectò debent Prælati, vt ea sine sufficienti consilio, ad minimum, à religione præscripto, vel maiori, si negotium id postulet non imponant. Ratio est, quia si tale consilium lege præscriptum sit, seruandum est: secluſa autem positiua lege, prudentia ipsa postulat, vt res grauis non fiat sine maturo consilio, cùm rectum in eis iudicium ex multis circumstantiis, rationibus, & interdum ex specialibus legibus pendeat. Quapropter, si aliter fiat, grauiter peccari potest, vel ratione positiuæ legis, vel ratione temeritatis, & periculi errandi: & quidem prior obligatio, quæ est ex lege positiua, æqualis est respectu omnium: posterior autem, quæ ex naturali ratione nascitur, non est simpliciter æqualis, sed proportionalis. Nā vnus Prælatus magis potest indigere consilio, quàm alius ad huiusmodi onera imponenda, vt per se notum est. Vnde à fortiori constat, multò magis adhibendum esse hoc consilium, si præceptum toti communitati imponendum sit; maximè, si perseueranter, seu pro diuturno tempore imponatur, quia tunc res valde grauis est: si autem sit pro vno actu, cuius occasio, & tēpus citò transit, facilius ferri potest absque huiusmodi consilio, nisi speciale ius religionis id prohibeat.

Prænotatio multiplicis præcepti.

An verò vbi hoc cōsilium necessarium est, sit etiam de substantia, & valore præcepti, distinctione opus est. Nam in primis considerandum est, an religionis regimen sit purè monarchicum, vel mistū aristocratico, quale in multis religionibus est per definitorium, quod vocant. In hoc posteriori modo regiminis constat consilium esse de substantia, quia non solum est consilium, sed iudicium, & definitio, nam suffragia non sunt tantum consultiua, sed definitiua: vnde potestas præcipiendi tunc non est propriè in vna Prælati persona, sed in consilio. Existimo tamē rarò esse adeò coarctatam potestatem Prælati quoad præcepta particularia, vel transitoria, quæ ad vnum actum dantur. Quando verò regimen est purè monarchicum, potestas quidem est in solo Prælato: adhuc tamen considerare necesse est, an consilium per propriam constitutionem postulatum ad talem actum, sit de substantiali forma actus, necne. Aliquando enim de substantia actus est rem in consilio tractare, quamuis auditis suffragiis, validum sit quod Prælatus statuit, etiāsi à suffragiis consulentium discedat; & tunc si Consilium omittatur, præceptū non obligabit; obligabit autem etiamsi in eo imponendo consulentium adhibitorum iudicium Prælatus non sequatur. Quando verò consilium solùm requiritur vt actus rectè fiat, præceptum validum erit, etiamsi consilio non præmisso feratur. Atque hoc vltimo modo intelligo esse hoc consilium necessarium vbicunque suffragantium vota tantùm sunt consultiua, & Prælatus est verus monarcha, nisi aliud ex verbis positiuæ legis satis constet; quod tom. præced. attigimus, tractando de receptione nouitiorū, & latius in materia de Legibus lib. 3. c. 15. n. 3.

VII. *An prælati regulares teneantur in omnibus consilium adhibere.*

Vnde etiam constat, multò magis esse necessarium hoc consilium ad alium modum præcipiendi per leges, seu statuta perpetua: Et ideo meritò talia statuta neque à Prælatis fieri possunt sine Capitulo proportionato, vt suprà dixi à num. 4. neque à Capitulo sine consensu Prælati: quod etiam iuri communi consentaneum est, cap. *nouit*. de his, quæ fiunt à præl. & cap. *Cum consuetudinem*. de consuetud. Sed in hoc obseruare oportet discrimen inter Capituli, & Prælatum generalia: nam Generalis ad faciendū statutum perpetuum ita indiget concursu Capituli, vt nisi maior eius pars concurrat, lex condi non possit, argumento eorum, quæ communiter tradunt Doctores cap. *cum accessissent*. de constit. Innoc. & Panormit. in c. 2. de noui operis nunciatione. At verò è contrario licèt Capitulum sine præsentia, & præsidentia Prælati per se, aut per suum Vicarium legem condere non possit, non tamen pendet ex consensu, vel suffragio affirmatiuo (vt sic dicam) Prælati: nam si maior pars Capituli concordet in lege ferenda, quamuis generalis Prælatus alterius sit opinionis, præualebit sententia Capituli, & lex constituetur, dummodo pars Capituli ita excedat, vt superet qualitatem, aut prærogatiuam Prælati, si quam habet in suffragādo iuxta religionis ordinationes. Ratio autem est, quia potestas, vt dixi-

vt diximus, adæquata est in Capitulo, & ibi Prælatus solùm est vnus ex ferẽtibus suffragia, & ad summum solet eius suffragium duobus æquiualere, vel habere qualitatem vincendi vbi est in numero æqualitas, & in hoc differt Capitulum religionis cõparatum ad suum Generalem, à Concilio generali comparato ad Pontificem, & à Capitulo Ecclesiæ cathedralis comparato ad Episcopum. Nam in Concilio generali si Papa nolit, non poterit lex fieri, etiamsi totum Concilium velit: & idem existimo de Capitulo cathedralis respectu Episcopi quoad leges grauiores, quas sine consensu Episcopi facere non potest, iuxta cap. *cum consuetudinis*. de consuet. in Capitulo autem religiosorum secus est, vt diximus. Ratio autem est, quia vt tract. de fide censui, disp. 5. sect. 8. Papa est supra Concilium; Capitulum autem generale religiosorum est supra ipsum Generalem: Episcopus etiam non comparatur ad Capitulum Ecclesiæ vt ferens particulare suffragium quoad hoc negotium constituendi legem, seu constitutionem capitularem; sed vt Superior habens potestatem confirmandi, vel infirmãdi legem: secus verò est in Prælato religionis, vt diximus: & radicem huius declarabimus ex modo iurisdictionis, & emanationis eius à Summo Pontifice.

Cur non sit de substantia statutis Pontificum.

IX. Ex quo etiam obiter expeditur aliud dubium, an Capitulum generale religionis sede vacante, ante electionem Generalis possit leges condere perpetuò mansuras. Dicẽdum est enim ex natura rei, seu iure communi posse, si eiusdem religionis iura, vel Pontificia indulta non obstent. Ratio est, quia illud Capitulum habet supremam iurisdictionem in talem religionem immediatè à Pontifice: & quamuis tunc religio non habeat Generalem, nõ tamen potest carere aliquo Vicario, seu Præsidente, qui pro tunc simul cum toto Capitulo eandem potestatem habet ad præcipiendum, vel statuendum, quam habere potest Capitulum cum Generali iam electo. Et ideo non est simile si quis obiiciat de Concilio generali Acephalo, congregato Pontificatu vacante: nam illud non habet æqualem potestatem cum Summo Pontifice, & consequenter nec cum Concilio generali, cui Pontificia authoritas adest: & ideo non potest vniuersales leges condere, quæ perpetuò obligent, nisi à Pontifice postea electo fuerint approbatæ. Maior esset similitudo de Capitulo Ecclesiæ cathedralis Episcopatu vacante, nam potest facere diœcesanas leges, quæ durent, & obligent, etiam post Episcopi electionem, vt notauit Fredericus de Senis consil. 16. & sumitur ex Panormitano in c. *à nobis*. 1. de sent. excomm. n. 12. Et ratio est, quia Capitulum sede vacante habet iurisdictionem Episcopalem ordinariam, & ideo constituit legem de se perpetuam, argumento c. vlt. de officio legati. Est tamen notanda differentia, quia statutũ factum à Capitulo Ecclesiæ cathedralis vacantis potest reuocari ab Episcopo postea electo vt dicti authores docent, & est per se euidens, quia est potestas ad minimum æqualis: sicut vnus Episcopus potest reuocare legem sui antecessoris. At verò statutum factum à Capitulo totius religionis Generalatu vacante, non potest reuocari à Generali postea electo sine consensu eiusdem, vel similis Capituli. Ratio est, quia non habet æqualem potestatem, vt declaratum est.

Capitulum Generale sede vacante potest per statuta obligare, non conscientia.

Quid de Concilio Generali Acephalo?

X. Dixi autem, nisi iura religionis, vel indulta Apostolica obstent, quia posset generali Capitulo committi iurisdictio solùm ad eligendum Generalem, & ad præcipiendum, & ordinandum ea tantum, quæ ad hunc finem necessaria essent, vel ad actualẽ conseruationem, & gubernationem totius religionis pro eo tempore. In quo casu non posset tale Capitulum ante electionem Generalis leges durabiles condere, quia non habet iurisdictionem ordinariã, & absolutam, sed tantùm commissam ad talem finem. Constat autem hunc modum concessionis esse in potestate concedentis primò quidem ac per se in Summo Pontifice, cuius proinde verba, & intẽtio maximè obseruanda sunt: deinde etiam in tota religione: nam, si constitutionibus eius ordinatum esset, ac declaratum, vt Capitulum congregatũ ad electionem Generalis, illo vacante, nihil posset statuere ante talem electionem, nec aliam iurisdictionem exercere præter superiùs explicatam, id satis esset, vt non posset nec licitè, nec validè condere leges. quia religio non intendit dare potestatem, nisi iuxta suas constitutiones. Dices, ipsum Capitulum posse tales constitutiones mutare, vel in eis dispẽsare. Respondeo, negandum esse assumptum in prædicto casu: quia etiam isti sunt actus supremæ iurisdictionis, quæ, vt supponitur, non est data simpliciter tali Capitulo, sed definitè ad talem electionem, & mediante illa, simulque cum generali electo ad leges ferendas, vel mutandas si opus fuerit.

Secundum dubium de conditionibus requisitis ad obligandum in conscientia.

XI. Secundò circa vtraque præcepta inquiri potest quæ conditiones requirantur; vt inducere valeant hanc obligationem in conscientia. Hoc verò dubiũ partim resolutum est tomo Superiore tractando de voto obedientiæ, partim coincidit cum generali quæstione de requisitis ad obligationem legis humanæ, vel Ecclesiasticæ, quæ ex propria materia li. 3. de legib. à c. 15. petenda est. Breuiter ergo, supponenda est in primis in Prælato potestas, de qua iam in c. 1. dictum est. Secundò supponenda est ex parte materiæ legis, seu præcepti honestas, quæ in omni præcepto humano necessaria est, siue sit intrinseca ipsi materiæ, siue ex fine extrinseco sumi possit; ita vt materia ipsa nec intrinsecè mala sit, neque ab aliquo superiore, maiorem habẽte potestatem, prohibita, iuxta communes regulas iuris, cap. *quod super his*. de maiorit. & obedien. c. *inistũ*. d. 4. cum similibus, quia nemo potest ad malũ obligari, neque inferior potest legem superioris auferre, vt in fine huius capitis pro præsenti materia dicemus. Quando verò materia est dubia, quid agendum sit dubitari potest: sed hic etiam locum habent generales regulæ de Legibus in lib. 4. c. 11. Distinguere enim oportet inter Superiorem, & subditum, superior enim non debet imponere legem quandiu dubitat, an materia sit honesta, vel iusta, donec saltem probabile iudicium practicũ formet de honestate illius, quia aliàs exponit se manifesto periculo errandi; subditus autem si lex lata sit, tenetur eam seruare, quandiu non cõstiterit esse iniustam, quia in dubio ius Superioris præfertur, & pro illo præsumitur: vnde non obstante illo dubio, quod speculatiuum tũc est, interuenit certitudo practica, honestum esse tũc obedire legi. Sed de hoc in lib. de legib. c. 9. n. 10. & tractatu de conferentia.

Prima conditio potest. prælati.

Secũda conditio materiæ.

XII. Tertiò supponenda est materia apta ad obediẽtiam religiosam: nõ enim quælibet materia honesta est capax huius obedientiæ, sed quæ est consentanea Regulæ, vt in tomo superiori latè explicatum est. Quamuis enim præceptum, vt manat ex potestate iurisdictionis, non fundetur directè, & immediatè in voto obedientiæ; nihilominus, quia illa iurisdictio datur accommodatè ad statum religiosum, eandem materiam respicit, & vltra illam non extenditur. Quod, vt declaretur, aduertendum est ex vi huius iurisdictionis quædam præcipi posse, quæ communia sunt religiosis cum cæteris Christianis, sicut potest Episcopus aliqua præcepta imponere suis subditis, tam clericis, quã laicis, seruata

Declaratur hac tertia conditio.

proportione : item alia posse præcipi propria religiosorum, quæ laicis, vel clericis secularibus non possent ab Episcopo præcipi. De prioribus clarum est sub hac iurisdictione contineri, quia suo modo pertinent ad statum religiosum, quasi præsuppositiuè, sicut consilia supponunt præcepta, vel perfectio iustitiæ ipsam iustitiam. Denique, licèt religiosi sint exempti à iurisdictione Episcoporum, non tamen à iurisdictione Episcopali; sed quia debebat esse in Episcopo respectu talium personarum, committitur Prælato religionis, & ideo materia apta ad præcepta Christianorum (vt sic dicam) est etiam apta ad præcepta religiosorum. De posterioribus autem præceptis dicimus, materiam eorum accõmodandam esse statui vniuscuiusque religiosi, & obedientiæ ab eo promissæ: quia amplior iurisdictio nec data est ex intentione Pontificis, vt tam ex iure communi, quàm ex indultis religiosorum facilè constare potest, & ex Concilio Trid. sess. 25. de Regul. nec dari poterat, vt existimo.

XIII. *Nodus dissoluitur.* Quin potius difficile videri potest quomodo dari possit Prælato religionis iurisdictio Ecclesiastica, qua possit aliquid præcipere subdito suo, quod non possit Episcopus suis præcipere, cùm iurisdictio videatur eadem, solumque differat in applicatione ad hanc, vel illam personam. Quocirca, licèt in vi voti per potestatẽ dominatiuam aliquid possit præcipere Prælatus religionis suo subdito, quod non posset Episcopus præcipere clerico; tamẽ quod per potestatem iurisdictionis id possit, difficile apparet, quia iurisdictio hæc solùm videtur se extendere ad materiam communem omnibus fidelibus. Tamen idem nodus dissolutus est in superioribus, quia non oportet iurisdictionem illam æqualiter, vel vniformiter respicere omnes fideles, sed cum proportione pro statuum varietate, nã ex vi illius aliud potest præcipi clerico, aliud laico, aliud virgini, aliud nuptæ, & sic de aliis, quia, supposito statu, aliud est necessarium ad bonum regimen animæ vnius, aliud alterius. Ita ergo est in religioso: vnde, licet assumptio talis status voluntaria fuerit, tamen illa supposita, cura, & solicitudo de obseruantia illius ad iurisdictionem Ecclesiasticam pertinet, & ita est in Prælato religionis, futuraque esset in Episcopo nisi in alium esset translata. Hic tamen discursus simul ostendit quod dicebam, materiam huius iurisdictionis non posse extendi vltra materiam accommodatam statui assumpto religionis, & obedientiæ promissæ, quia supponit hanc tanquam cõditionem necessariam.

XIV. Quartò requiritur, vt præceptum sufficienter propositum sit, quia aliàs non applicatur ita, vt obligare possit. Hæc autem propositio debet esse accommodata præcepto. Vnde, si sit præceptum priuatum, oportet vt particulari personæ, cui imponitur, sufficienter intimetur, vt per se constat; non oportet autem vt Superior per seipsum præcipiat, satis enim est si id faciat per internuncium fide dignum, vel per literas subscriptas, nisi religio speciali iure postulet aliam cæremoniam in intimãdo præcepto seruandam, nam tunc modus præscriptus adhibendus est. Vbi tamen similis lex fuerit, attentè obseruare oportebit verba legis, vt constet, an illa forma præcipiendi requiratur solùm vt in foro exteriori constet de impositio præcepto, an verò etiam ad substantiam, & valorem præcepti: frequentiùs enim existimo priorem esse sensum talium legum, & tunc ad obligationem in conscientia satis erit, vt voluntas Superioris præcipientis quacunq; via innotescat sufficienter: & hoc est obseruandum, nisi in aliquo casu aliud expressè dispositum sit per humanam legem. In quo idem cum proportione dicendum est de præceptis, quæ à Prælatis feruntur pro tota communitate, non sub ratione statuti, sed præcepti tantùm, nam est eadem ratio, proportione seruata: in statutis autem necessaria est solennis promulgatio, quia hæc est de ratione legis, illa autem statuta sunt veræ leges. Modus autem promulgationis, si per proprias constitutiones religionis fuerit definitus, seruandus est, & antequam constitutio sit tali modo promulgata, non obligabit in conscientia, etiamsi priuatim constet esse conditam. Si autem nullum de hoc fuerit ius priuatum, recurrendum erit ad consuetudinem, quia ex solo iure communi non videtur posse aliquid certum definiri: quia de legibus religiosorum nihil peculiare ius disponit, imò & in aliis legibus, ciuilibus, vel Ecclesiasticis, non est idem modus promulgationis, & difficilè ad mores religiosorum applicatur, vt statim dicam. Consuetudo ergo seruanda est, quia ipsa potest in hoc habere vim legis. *Quid sufficiat pro iure.*

Quid pro impositio toti communitati.

Quia verò non semper de consuetudine constat, vel nulla certa est, dubitari potest, an ex natura rei necessarium sit constitutionem editam promulgari in singulis monasteriis, seu domibus religionis. Nam in legibus Ecclesiasticis cũ proportione sumptis, hoc non est necessarium; lex enim Pontificia sufficienter promulgatur Romæ; Episcopalis in cathedrali Ecclesia; Regia in Curia Regis: & sic de aliis: nec necessarium est, vt leges in singulis Ecclesiis, vel oppidis promulgentur: ergo similiter in præsenti non erit necessaria promulgatio in singulis domibus. In contrarium autem est, quia Prælati religionum nõ habent quasi proprias sedes, vel curias, in quibus huiusmodi promulgationem facere possint: & ideo necessarium videtur vt faciant illã per totam religionem, & consequenter per vniuersas domus eius, quia non est maior ratio de vno, quàm de alio, & quia aliàs non fieret promulgatio toti religioni. Item, quia communitas religiosa magis in personis, quàm locis continetur, & ideo requirit promulgationem, quæ ipsi communitati personarum directè fiat: hæc autem fieri non potest, nisi fiat in omnibus locis, in quibus pars illius communitatis existit. XV.

Respondeo, hunc modum promulgationis esse satis accommodatum, mihique optimum videri, maximè quando leges pertinẽt ad singulos, vt tollantur ignorantiæ, & excusationes: absolutè autem non est necessarium. Nam in primis, si statutum factum est in Capitulo generali, sicut in illo adest tota religio ad condendam legem, ita si ibi promulgetur, tota religio ibi etiam adest ad audiendum: ergo illa promulgatio ex natura rei potest esse sufficiens in suo ordine, vel certè iuxta canonica iura, illa solennis editio habet vim promulgationis. Dico autem, *in suo ordine*, quia illa nõ satis est vt statim obliget omnes religiosos vbique existentes, sed tẽpus sufficiens, vt notitia legis ad alia loca diffundatur, præterire necesse est: & ad curam Prælatorum pertinebit prouidere quomodo talis notitia diuulgetur vel per literas missiuas, vel voce eam proponendo in locis, aut personis, prout expedire aut sufficere iudicauerint, iuxta materiam ipsius legis. Nam, si legis actus ad solos Prælatos pertinet, satis erit ipsi notitiam dare, & grauioribus personis, quæ proximè possunt talia munera obire: & idem est cum proportione, si ad alios hoc vel illud ministerium agentes pertineat: si verò spectet ad omnes religiosos, maior publicatio facienda est, fiet tamen facilè per publicam notitiam, & traditionem, etiamsi specialiter in singulis monasteriis authoritate publica non proponatur. Atque idem dicendum cum proportione est de statutis Prouincialibus, vbi fuerit sufficiens authoritas condendi illa. *Ludicum confirm.* XVI. XVII.

Quinta conditio ad obligationem legis necessaria XVIII.

saria esse solet, vt ad subditos feratur: quæ sequitur ex prima, quia potestas hæc ferendi leges est respectiua, & terminatur ad subditos. Tria verò puncta in præsenti occurrunt circa hanc conditionem. Primum est de nouitiis, an in numero subditorum ponendi sint, qui præceptis Prælatorum in conscientia obligari possint? De qua re multa in tomo superiori diximus, tractando de nouitiis, & nihil ferè addendum occurrit, quod ad hunc locum propriè pertineat. Solum est præ oculis habenda illa duplex potestas Prælati religionis, scilicet dominatiua, & iurisdictionis: neutra enim quatenus est propria religiosorum, habet locum in nouitios, quia nec votum obedientiæ emiserunt, nec se subiecerunt propriè vt religiosi; & hac ratione per ordinaria præcepta, vel leges proprias religiosorum, non possunt in conscientia obligari. Tamen, quia pro eo tẽpore sunt sub pastorali cura Prælatorum religionis, poterunt ab eis obligari in his, quæ per se cadunt sub iurisdictione Episcopali sine speciali respectu ad professionem religiosam, vt. v. g. ad dicendam veritatem in casu occurrenti, in quo legitimè interrogatur, vel ad cauendam talem peccati occasionem, vel restituendum ablatum, cogendo etiam per cẽsuram, & similia, quæ ad ordinariam iurisdictionẽ Episcoporum pertinent, & non possunt ab Episcopis exerceri circa nouitios exemptarum religionum. De qua re plura in sequentibus, præsertim. c. 17. & 24.

XVIII. *Secundum dubium de prælato Generalis ordinis obligatur legibus capituli Generalis.*

Secundum punctum est de ipso Prælato supremo religionis, an obligetur præceptis, vel statutis eius. In quo nullum est dubium de statutis latis in Capitulo generali, quia, vt sæpè dixi, Capitulum est supra ipsum Generalem, & ideo suis legibus æquè obligat Generalem ipsum, ac cæteras singulas personas, quæ sunt de Capitulo. Vnde fit, vt non solùm obligent quoad vim directiuam, sed etiam quoad coactiuam, quia sunt leges Superioris, & ideo in eis non habet locum illud principium, quòd Princeps obligatur sua lege quoad vim directiuam & non quoad coactiuam. Et hinc meritò in religionibus, in quibus Generales temporales sunt, solent finito tempore puniri, si constitutiones transgressi sunt, quia de se fuerunt rei facti pœnæ, quamuis pro eo tempore, pro quo erant Generales, non potuerint puniri ex defectu Superioris intra suam religionem, nam à Papa possent iuste puniri, si de huiusmodi delictis cognosceret. Imò etiam, durante Generalatu, vel vbi perpetuum est, si generale Capitulum congregetur, poterit de similibus trãsgressionibus cognoscere, & eas punire, quia, vt dixi, iurisdictione superior est. Quòd si alicubi ex speciali instituto Capitulum non habet hanc potestatem, illud necessariò esse debet ex speciali Pontificis concessione, aut reseruatione, & ideo ad illũ recurrendum erit pro talium criminum emendatione.

XIX. *Quid si ipse Generalis sit qui obligabitur illis in conscientia? Quæ non valeant vrgere præcepta.*

Sed quid, si Generalis habeat potestatem ferendi leges perpetuas, solus, & sine Capitulo? nunquid obligabitur illis in conscientia? Respondeo in primis, nullam esse religionem (quantum assequi possum) in qua solus Generalis talem habeat potestatem: ad minus enim requirit concursum aliquorum Definitorum, seu Consiliariorum, quocunque nomine vocentur, qui in lege ferenda non solùm votum consultiuum, sed etiam decisiuum habeant. Et tunc illud tribunal in eo actu habet supremas vices totius religionis, ideoque est supra ipsum Generalem, potestque illum lege obligare, sicut de Capitulo generali dicebamus. Admisso autem illo casu, videtur esse idem iudicium, quod de illa quæstione generali, an Princeps suis legibus obligetur, in quo certum censeo obligari quoad vim directiuam, vt alias rationes, & longam disputationem omittam, quam in materia de Legibus lib. 3. c. 35. tradidi: in præsenti existimo, hac conditione datam esse potestatem Generali, vel immediatè à Summo Pontifice, vel mediante ipsa religione, ad leges ferendas, vt ipse eas obseruare teneatur, quãdo ratio, & materia legis illis communis est, quia potestas data est illi in ædificationem, nõ in destructionem: esset autẽ magna dissipatio religiosæ disciplinæ, si Prælati non obseruent cõstitutiones generaliter ad omnes pertinentes. Vnde etiam existimo, per huiusmodi transgressionem fieri reos pœnæ, quamuis nec eam in seipsos exequi cogãtur; neque, si ipso iure imposita sit, illam ipso facto incurrant: quia si sit censura aliqua, non possunt illam in seipsos ferre; si verò sit alia pœna, non coguntur illã exequi per seipsos, nisi fortè sit aliqua pœnitentia religiosa occulta, ad quam possint religiosi in conscientia obligari. nam tunc illa magis reducitur ad vim directiuam: poterunt autem propter talia delicta puniri à Superiore, si intra religionem illum aliquãdo habere potuerint, vel saltem à summo Põtifice: quia reatum pœnæ contraxerunt, etiam quoad iudicium humanum. Atque idem dicendum cẽseo de toto Capitulo generali, si contingat delinquere contra obseruantiam regularem, non vt singuli, sed vt vniuersitas, nam reuera committit delictum etiam in foro humano, quamuis ex defectu Superioris puniri non possit nisi à Summo Pontifice.

XX.

Vnde etiam constat quid dicendum sit de præceptis, seu ordinationibus, quæ non sunt leges, & à Prælatis per se solis, & præsertim supremis, facilius possunt imponi. Eodem enim modo dicendum cẽseo, si talium præceptorum materia, & ratio ipsis Prælatis communis sit, teneri eos in conscientia ad eorum obseruationem, vel ex illo generali principio, quòd Princeps tenetur seruare suas leges, quod per identitatem rationis extendendum est ad præcepta generalia, etiamsi non constituantur sub stricta ratione legis: vel ex voluntate interpretatiua totius religionis, & pacto implicito cum ipso Prælato, quia hæc conditio necessaria est ad illud munus debite exercendum, & ideo cum hoc onere dari, & acceptari videtur. Atque eadem proportione de cæteris Prælatis intra suos terminos aliquid præcipientibus, iudicandum est, de Prouinciali scilicet quoad statuta Capituli Prouincialis, & quoad præcepta generalia ab ipso lata pro tota Prouincia, & de conuentuali Prælato quoad præcepta, quæ fortasse pro suo conuentu generaliter imponit, nam omnium est eadem seu proportionalis ratio. Secus verò est de Superiori Prælato respectu receptorum, quæ ab inferiori lata sunt, quia nullo modo est illi subiectus, nec ex vi sui muneris tenetur se conformare præceptis illius, nec directè, nec indirectè, neque ex vi alicuius pacti impliciti, vt magis ex sequẽti puncto patebit.

XXI.

Tertium punctum est de hospitibus, seu peregrinis, an obligẽtur legibus seu præceptis eius prouinciæ, vel domus, in qua ad tempus existunt. Quæ interrogatio non habet locum quoad statuta, vel præcepta generaliter lata pro tota religione: nam constat illa ab omnibus, & vbique esse seruanda: contingit autem in vna prouincia esse propria statuta, quæ non sunt in alia, & in vna domo aliquid ex præcepto peculiariter obseruari ab omnibus ibi habitãtibus: de his ergo procedit talis ratio. Ad quã primùm generaliter dicimus, consulendum esse institutum religionis, quoad constitutiones eius: nã, si aliquid in eis est circa hoc declaratũ, illud est obseruandum, quia constitutio sufficit vel ad limitãda, vel ad extendenda talia præcepta, vt obligẽt, vel non obligent tales personas. Secundò, secluso iure speciali, illa, quæ sunt pura præcepta generalia, &

non propria statuta, non obligant religiosos aduenas. Probatur à simili ex c. *ànobis.* 1. de senten. excõmun. vbi declaratur, sententiam latam vel per generale præceptum Prælati tantùm obligare subditos. Vnde omnes colligunt, nõ comprehendere peregrinos, qui intra diœcesim versantur: ergo idem dicendum est in præsenti, seruata proportione. Ratio autem à priori est, quia præceptum directè fertur ad personas, & ideo nõ potest obligare nisi subditos; peregrini autem simpliciter non sunt subditi, sed solum quoad ea, quæ pertinẽt ad vniuersale regimen religionis. Dices, inde posse sequi scandalũ, si cæteri videant, religiosum non seruare commune præceptum. Respondeo, hanc circumstantiam esse accidentariam, quæ si aliter vitari non possit, tunc orietur obligatio non ex tali præcepto, de quo agimus, sed ex lege charitatis. Deinde scandalum illud facilè auferri posset, nam fundatur in ignorantia, vel facti, quia non cognoscitur talis religiosus vt hospes, vel quia putatur hospes teneri eisdem præceptis; vtraque autem ignorantia potest facilè tolli; & in hoc videntur Doctores conuenire.

XXII. De statutis autem, quæ verè sunt leges perpetuę, idem esset dicendum iuxta opinionem, quæ tenet, non subditos peregrinantes in aliena diœcesi, non teneri ad seruanda propria illius statuta, nisi ratione scandali. Quod nonnulli moderni ex illo principio docent in præsenti quæstione: sed reuera illud principium minùs probabile est, & contrarium est magis consentaneum iuri communi, & rationi, vt in materia de Legibus probaui. lib. 3. c. 33. & lib. 2. de dieb. festis, c. 14. Alia ratione possent religiosi excusari ab hac obligatione, quia nimirum statuta particularia ideo solẽt obligare peregrinos, quia directe respiciunt territorium aliquod, intra quod aliquis habet iurisdictionem, vt præcipiat, vel prohibeat aliquid fieri inter terminos illius diœcesis, à quocunque ibi assistente: statuta autem religiosorũ non habent huiusmodi vim seu rationem; quia nõ accommodantur territorio, sed personis. Vt enim notauit Innocentius in c. *dilecta.* de excess. prælator. in principio, duplex est communitas, alia realis, quę constat ex territorio; alia personalis, quæ solum cõstat ex personis, vt est Academia, v.g. & Collegium, de quibus sermo est in l. vlt. C. de iurisd. omn. iud. Religiosa ergo communitas in hoc secundo ordine continetur, & ideo leges eius non respiciunt territorium, sed personas: ergo non possunt hospites cõprehendere, nam præcepta ideo dicebamus non obligare hospites, quia non respiciunt directè territorium, sed personas.

XXIII. Nihilominus contrarium vt probabilius, & securius sentiendum, & asserendum est, vt generaliter sentiunt glossa, Innocentius, & Panormitanus in d. c. *ànobis.* & sumitur ex c. *quæ contra mores.* 8. d. ibi, *Vt pactum inter ciuitatis, aut gentis consuetudine, vel lege firmatum, nullius aut peregrini libidine violetur.* Vbi expendo illud verbum, *Ciuitatis, aut gentis*, quæ hominum communitatem eodem more viuentem comprehendunt. Pondero etiam illa verba, *legis, aut consuetudine*, & ex illis conficio nouum argumentum: nã religiosus, qui in aliqua prouincia versatur, tenetur receptam consuetudinẽ illius prouinciæ seruare: ergo à fortiori statuta. Antecedens patet, quia clericus tenetur se cõformare cõsuetudini Ecclesię, in qua versatur: ergo & religiosus, seruata proportione; nã, si rationem naturalem inspiciamus, eadẽ est in vtroque; si ius positiuum, nullum est, quod in religiosis quoad hanc partem aliquam exceptionẽ faciat. Præterea, quamuis religiosa cõmunitas præcipuè consistat in personis, tamen, quatenus habẽt certas prouincias, quæ certis terrarum terminis, aut certo domorum numero distinguuntur, habẽt suum modum territorij, pro quo possunt statuta fieri: ergo eodem modo obligabunt hospites, sicut solent statuta Episcopalia obligare peregrinos.

XXIV. Potest autem aliquis interrogare, an hoc locum habeat etiam in superioribus Prælatis, quando in aliquibus locis versantur: vt v.g. Generalis cum est in aliqua prouincia, an teneatur se accommodare propriis statutis, & consuetudinibus illius prouinciæ: & idem est de Prouinciali respectu alicuius cõuentus, habentis specialem obseruantiam abstinẽdi à carnibus, vel quid simile: in illis enim est peculiaris ratio dubitandi, quia sunt Superiores, qui nõ tenentur se subdere legibus inferiorum; statutum autem Prouinciale respectu Prælati generalis, est inferioris ordinis, factum scilicet à prouincia sibi subiecta: & eadem proportio est de Prouinciali respectu statuti, vel consuetudinis vnius cõuentus, & præterea esset valdè onerosum his Prælatis dũ singulas prouincias, vel domos visitant, singulorum moribus sese accommodare. Respondeo supponẽdo semper, in his, & similibus rebus standum esse constitutionibus, vel receptis consuetudinibus singularum religionũ: his ergo remotis, loquendo ex vi iuris cõmunis, idem dicendũ censeo de ipsis Prælatis, quòd nimirum dum hospites sunt teneantur seruare mores locorum in quibus versantur: tum quia hoc exigit ipsa generalis ratio societatis: tum etiam, quia ibi interuenit aliud generale præceptũ, quod hospites obligat sese conformare moribus locorum; hoc autem nõ est vnius loci, vel prouinciæ, sed commune omnibus, & ideo prælatos etiam obligat. Tum denique, quia nullum statutum religionis potest habere vim legis perpetuæ, nisi ab ipso Generali confirmatum sit, & ideo, licèt non sit vniuersale pro omnibus locis, non potest dici latum ab inferiori prælato, ac proinde eadem ratio obligationis in illo erit, quæ in cæteris.

Tertium dubium quantum obliget præceptum positum à Superiore.

XXV. Tertium dubium hic esse potest de quantitate huius obligationis in conscientia, an extendatur etiam ad culpam mortalem. In quo certum est, potestatem ad hoc extendi: quia si cõsideretur vt fundata in voto, illud ex suo genere obligat sub mortali; si verò vt est iurisdictio, illa etiam perfecta est, & ideo se extendit ad obligationem materiæ, & rei præceptæ conuenientem: qua ratione constat, non solùm in Pontifice, sed etiam in Episcopis esse hanc potestatem: illam ergo participant religionũ Prælati. Difficultas ergo est de vsu, seu actuali obligatione, id est, quando præceptũ Prælati tale sit, vt obliget sub mortali. Hoc autẽ ex generalibus principiis legum definiendum est, accommodando illa ad talem statum. Supposita ergo potestate, de qua iam dictum est, duæ conditiones necessariæ sunt; materia capax talis obligationis, & voluntas prælati. Circa priorem solum est aduertendum, aliquam actionem, vel materiam secundùm se spectatam posse videri leuem, quæ in tali statu, ratione finis, & circumstantiarum sit grauis: quia eius dilatio in tali statu potest religioni afferre graue nocumentum. Circa posteriorem obseruandũ est, communem morem religionum esse, vt ordinaria præcepta Prælatorum, quæ ore tenus fiunt, non cẽseantur ita obligare, vt, si absque contemptu, ex negligentia, vel alia occasione omittatur, transgressio sit mortalis; etiamsi materia sit grauis, & verba sint præceptiua, vel in actu signato, vt *mando, præcipio*, vel in actu exercito, vt *fac, resina*, &c. Cuius ratio non est, nisi quia ex vsu illa verba non satis indicant in prælato voluntatem obligandi. ita sumitur ex D. Bern. lib. de Præcepto & dispens. c. 12. & S. Thom. 2. 2. q. 186. a. 9. vbi latè Caietanus, & Nau. c. 23. num. 35. & se-

& sequent. clarius id docet D. Ant. 3. p. tit. 16. c. 1. §. 9. Gerson p. 2. Alphab. 32. lit. L. consider. 6. & Alphab. 34. lit. M. Angles p. 2. q. de Voto, art. 2. difficult. 16.

XXVI. Vnde vlterius addo, si Prælatus præcipiendo addat verba, quibus satis indicet voluntatem obligandi in conscientia iuxta materiæ capacitatem, tunc, supposita materiæ grauitate, obligationem esse sub mortali. ita docent omnes, & est clarum ex dictis. Quæ autem sint hæc verba, aut signa, ex vsu vniuscuiusque religionis sumendum est; communia autem sunt, cum Superior præcipit *in virtute obedientiæ*, aut *in virtute sanctæ obedientiæ*; in aliquibus etiam sufficit dicere, *in nomine Domini nostri Iesu Christi*. Idem censendum est, quando præceptum ponitur sub excommunicatione. Et quidem, si excommunicatio imponatur ipso facto incurrenda propter præcepti transgressionem, res est indubitata, quia excommunicatio non incurritur nisi propter peccatum mortale. Si autem solum adiungatur excommunicatio ferenda, aliqui putant non esse sufficiens signum, quia non statim incurritur censura per illum actum, sed requirit nouam contumaciam, vt imponatur. ita sentit Angles supra; & Caiet. in Summa, verb. *Clerici horum peccata*. & verb. *Præcepti transgressio*. Alij vero communiter sentiunt, etiam illud esse sufficiens signum obligationis sub mortali, nisi aliquibus indicijs sufficienter constet illam esse meram comminationem externam. ita sentit Caiet. dict. art 9. Nauarr. dict. cap. 23. n. 53. Castro 1. de Lege pœn. c. 5. docum. 4. ad fin. & Sylu. ver. *Præceptum*. q. 3. Angel. verb. *Lex*. §. 3. Tabiena eod. ver. §. 28. S. Antonin. dict. §. 9. Qui generaliter loquuntur de quocunque præcepto Ecclesiastico, quia per transgressionem talis præcepti efficitur quis dignus excommunicatione; non autem fit dignus nisi per peccatum mortale, etiamsi excommunicatio per iudicem ferenda sit. Propter quod probabilior est hæc sententia; videtur autem mihi longe certior inter religiosos, inter quos etiam raro, vel nũquam proponitur hęc censura per meram comminationem, sed ad explicandum præcepti rigorem; sufficienter ergo indicat voluntatem obligandi, per se, ac regulariter loquendo.

Quartum dubium de Excusationibus obligationis in conscientia.

XXVII. Quarto dubitari potest, an possit religiosus ab hac obligatione aliquo modo excusari. Quod dubium intelligi debet, perseuerante voluntate Superioris præcipientis, & volentis obligare: nam si ipse reuocet præceptum, vel si finiatur terminus, pro quo positum erat, iam illa erit non excusatio, sed cessatio obligationis, & præcepti, dummodo reuocatio valida fuerit: de quo infra in proprio capite dicemus. Durante autem præcepto, contingit in alijs legibus excusatio vel per ignorantiam, vel per necessitatem, aut coactionem. De priori certum est etiam in præsenti posse interuenire, siue sit sermo de ignorantia facti, siue iuris, cum hæc præcepta humana sint. Quando autem hæc ignorantia inuincibilis sit, ex generalibus principijs expendẽdum est. Solum hic aduertimus, ignorantiam proprij iuris non facile esse excusabilem in religioso, quia maiori obligatione tenetur illius notitiam, & frequentem memoriam habere: præsertim quoad eas leges, quæ sub culpa obligant. Altera item excusatio locum habet in præsenti materia, quia præcepta hæc, de quibus agimus humana sunt, & ideo non obligant cum tanto rigore. Item, quia voti executio non obligat in simili euentu: ergo similiter, &c. Dices, hoc solum habere locum, quando rationabiliter præsumitur, intentionem superioris non fuisse obligare pro tali euentu, quod est contra suppositionem paulo ante factam, qua dicebamus, quæstionem procedere durante præcepto, & voluntate Superioris. Respondetur, illud intelligi de præcepto, & voluntate generali ac per se; non de voluntate particulari etiam ex suppositione talis circunstantiæ; sicut quando interuenit ignorantia, perseuerat præceptum, & voluntas Superioris, non quidem obligandi cum hac reflectione, etiam interueniente ignorantia, esset enim irrationabilis voluntas; sed generaliter quantum est ex se.

Sed quid, si voluntas Superioris sit obligandi, XXVIII. etiam in eo casu particulari, non obstante coactione, mortis periculo, vel alia simili necessitate. Respondetur, in hoc duplicem esse posse quæstionem. Vna est, an præcipere hoc modo excedat potestatem Prælati religiosi, ita vt, licet velit, non obliget. Altera est, quando censendum sit ita velle, & rationabiliter velle. Circa priorem quidam simpliciter affirmant, id esse supra talem potestatem. ita sentiunt Tabiena verb. *Episcopus*. §. 5. concl. 5. & sentit Armilla verb. *Obedientia*. n. 5. citans D. Th. 2. 2. q. 104. art. 5. dicentem, in his, quæ pertinent ad corporis sustentationem, vel conseruationem, non teneri subditum parere Superiori. Fundari possunt primo, quia tota hæc obligatio radicaliter fundatur in voto obedientiæ, & consequenter in intentione vouentis: nullus autem intendit se obligare ad parendum in huiusmodi euẽtu. Item, quia tantum obligatur religiosus ad obediẽdum secundum Regulam; Regula autem non præcipit res adeo difficiles, nec cum tanto discrimine: ergo. Vnde infert Armilla, non posse Prælatum religionis præcipere subdito, vt assistat infirmo tempore pestis.

Nihilominus dicendum est, hunc modum præ- XXIX. cipiendi non excedere potestatem Prælati religiosi. ita tenet Caiet. tom. 3. Opusc. tract. 9. qui est de hac re, & sumitur ex eodem & communi sententia 1. 2. q. 96. art. 4. Et ratio est, quia Prælatus religionis est vere Superior, habens potestatem ad omnia, quæ ad perfectam gubernationem inter homines necessaria esse possunt; hic autem modus obligationis sæpe necessarius est. Vnde Principes seculares, & Ecclesiastici hanc habent potestatem, vt latius in materia de Legibus lib. 3. c. 30. ostendimus. Explicatur exẽplis, nam si religiosus ægrotet morbo contagioso, potest Prælatus præcipere alteri, vt ei ministret, etiam cum periculo vitæ, quia illud est necessarium ad conueniens regimen monasterij, & ad conseruationem atq; adeo ad commune bonum eius: præterquam quod charitas de se obligat hoc corpus religiosum ad subueniẽdum partibus, quibus constat, alias ei periculum imminet. Vnde quando hæc obligatio est quasi indifferens, & non applicata ad certam personam, penes Superiorem est potestas applicandi illam; alias esset inefficax, nec posset conuenienti modo ad effectum perduci: ergo. Deinde potest Prælatus præcipere religioso, vt tempore pestis assistat, si ita expediat ad commune bonum, & aliquo modo pertineat ad obligationem talis religionis, vel ex peculiari institutо, vel ex graui necessitate occurrente: quia etiam in his casibus pertinet ad munus Prælati eis prouidere: habet ergo potestatem accommodatam. Denique, interdum potest præcipere longam nauigationem, etiamsi habeat periculum annexum, vt ostensum est tomo præced.

Nec fundamenta contraria difficultatẽ habent. XXX. Ad D. Thom. enim rectè respondet Caietanus, ea, *Ad primum* quæ pertinent ad conseruationem naturæ, per se *fundam. in* non cadere sub præceptum humanum, id est, per *num. 28.* se, & directe non posse prohiberi, si necessaria sint; nec contraria præcipi: per accidens vero præcipi posse, præcipiendo nimirũ actum, cui coniunctum

est periculum contrarium conseruationi naturæ. D. Thomas ergo in priori sensu loquitur; potestas autem hæc, de qua agimus, solum posteriori modo se extendit ad huiusmodi malum contrarium naturæ. Et ratio à priori est, quia per huiusmodi præceptum non præcipitur fieri aliquid naturæ contrarium, sed præcipitur permitti, seu pati, si necesse sit: quod est rationi consentaneum, & interdum bono communi necessarium, ideoque sub potestatem humanam cadit. Ad aliud fundamentum respondetur, potestatem hanc immediate ac formaliter esse iurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ ad huiusmodi præcepta extenditur. Quia vero aliquo modo supponit professionē religiosam vt fundamentum, ideo dicitur vlterius, ex vi professionis subdi religiosum huiusmodi præceptis, quatenus sunt consentanea tali statui, & corpori religionis, cuius pars efficitur per professionem: sicut miles tenetur obedire duci præcipienti etiam cum periculo vitæ ratione sui status ac professionis. Quapropter etiamsi religiosus dum vouet obedientiam, expresse non intendat obligare se ad obediendum in his casibus, implicite id intendit, imo, etiamsi velit, non potest hanc intentionem excludere, quia repugnat intentioni profitendi. Vnde hoc genus præcepti non excedit ea, quæ sunt consentanea regulæ, vt declaratum est: non enim dicimus, posse Prælatum pro arbitrio suo præcipere, sed quando ad bonum religionis, vel ad debitum munus, vel ministerium eius sit pertinens: quidquid autem huiusmodi est, spectat ad regulam religiosam, vt supra vidimus.

XXXI. Atque hinc fere responsum est ad alteram quæstionem: iam enim declaratum est quando Prælatus rationabiliter hanc habet voluntatem, seu intentionem. Vnde vel ex verbis eius expressis, vel certe ex reipsa intelligi poterit talis voluntas. Ad hoc autem magis explicandum aduerto dupliciter coniungi hoc periculum actioni præceptæ, scilicet, omnino per accidens, & præter intentionem ac præcisionem præcipientis; & per se, aut de facto hic & nunc cum præscientia præcipientis. Quando accidit priori modo, regulariter excusabitur quis à præcepto, quia non intercedit voluntas præcipientis, cum *nihil sit volitum si non sit præcognitum*: nec etiam præsumitur, quia ordinaria conditio præcepti humani est, vt non obliget cum tanto rigore; neque aliud esset rationi consentaneum, quia non esset moraliter tolerabile. Dico autem, *regulariter*, quia si in re ipsa intercederet magna necessitas religionis, & oppositum vergeret in grauem ignominiam, vel detrimentum eius, tunc sine dubio præceptum obligaret vel ex natura rei, vel ex implicita voluntate præcipientis, sicut de præceptis Ecclesiasticis est communis doctrina. Quando vero periculum inest posteriori modo in re præcepta, clarum est, voluntatem præcipientis esse obligare, non obstante tali periculo, & per se loquendo, præsumitur talis voluntas rationabilis, nisi oppositum manifeste constet. Quæ doctrina communis est quoad vtramque partem, sumiturque ex D. Th. 2. 2. q. 120. Caietano ibi, & 12. q. 96. ar. 4. & 6. Soto 2. de Iustit. q. 5. ar. 8. Castro li. 1. de Lege pœn. c. 5. docum. 5. Nau. c. 23. n. 43. Sylu. verb. *Præceptum*. q. 3.

CAPVT IX.

Virum in Prælatis religiosis sit potestas coercitiua tum in vniuersum, tum speciatim ad pœnas spirituales.

I. QVòd in his Prælatis aliqua sit potestas huiusmodi, id manifestum est, tum ex vsu, tum ex ratione, quia potestas directiua sine aliqua coercitione, infirma ac fere inutilis est, quia sine timore ac disciplina non potest communitas humana in officio contineri, quantumuis bona videatur in hac vita mortali; quia *corpus quod corrumpitur, aggrauat animum, & caro concupiscens aduersus spiritum*, sæpe vincit, ideoque *septies in die cadit iustus*. Est igitur omnino necessaria hæc potestas, vt ordo, pax, & institutio religiosa conseruetur. Explicandum vero est, qualis & quanta sit. In quo distinguere iterum oportet in statu religioso, id quod habet quasi ab intrinseco ex pura natura sua, vel quod habet ab extrinseco superadditum ex prouidentia, & liberalitate Pontificum.

Dicendumque primo est, Prælatum religionis II. ex vi talis status, seu professionis, ac voti obedientiæ subditorum, solum habere potestatem coercendi modo paterno, & iuxta limites Regulæ. Probatur, ac declaratur, quia vt sic non habet iurisdictionem, sed potestatem dominatiuam instar illius, quam habet paterfamilias in domo sua: solum enim differunt, quòd hæc circa exteriora, & corporalia, illa vero circa spiritualia præcipue versatur. In hoc autem conueniunt, quòd neutra est proprie iurisdictio, vnde neuter etiã illorum est proprie iudex, qui possit, grauem pœnam corporalem, vel spiritualem imponere; sed solum eam correctionem adhibere, quæ inter latitudinem familiaris domus ac prouidentiæ locum habere potest. Qualis autem, vel quanta esse possit hæc pœna, iudicio prudentis arbitrij relinquendum est, vt consideratо vsu, & communi more hominum id iudicet. Exemplo monialium id ita declaratur. nam in eis est potestas aliqua coerciua iuxta regulam, licet iurisdictionem non habeant; illæ tamen non excedunt religiosam disciplinam per leuiores pœnitentias. Quod si grauior punitio necessaria est, ad Prælatum recurrere oportet. Eodem modo in religionibus virorum Vicarius, licet iurisdictionem non habeat, potestatem aliquam coerciuam habet, quę vltra leues, & ordinarias pœnitentias non se extendit. Itemque fuisse olim obseruatum in religionibus quando Præpositi sacerdotes non erant, nec iurisdictionem habebant, intelligi potest ex Regula Augustini, nam circa finem sic ait, *Præpositus tanquam patri obediatur, multo magis Presbytero, qui omnium vestrùm curam gerit. Vt ergo cuncta ista seruentur, & si quid seruatum minus fuerit, non negligenter prætereatur, sed vt emendandum, corrigendumque curetur, ad Præpositum præcipue pertinebit, vt ad Presbyterum, cuius est apud vos maior auctoritas, referat quod modum, vel vires eius excedit.* Denique hæc potestas solum fundatur in voto obedientiæ, & ab illo quodammodo manat, & ideo non excedit communem & regularem intentionem fic vouentium: imo fortasse ipsi non possent dare maiorem potestatem supra seipsos, nisi à publica potestate descenderet, vt ex dicendis patebit.

Dico secundo, Prælatus religionis ratione iuris- III.
dictionis Ecclesiasticę habet perfectam potestatem coerciuam Episcopalem. Hoc constat etiam ex vsu, & ex priuilegijs omnium religionum exemptarum: quæ enim exemptæ non sunt, non habent reuera hanc potestatem in seipsis, vel in suis intrinsecis Præpositis (vt ita dicam) sed manet in Episcopis, qui illam sine dubio non habent in moniales sibi subiectas; & idem est de viris, si exempti non sunt: ergo in exemptis talis iurisdictio residet in proprijs Prælatis: non enim extincta est, nec Summo Pontifici reseruata, nec enim expediebat, cum sit ordinarie, & regulariter necessaria: ergo translata est in religionem ipsam, & Prælatos eius per Summos Pontifices, non quidem iure communi, sed speciali, vt supra tetigi, quod proinde confitendum est. Addit Nau. Comm. 2. de Reg. n. 63. hanc iurisdictionem

iurisdictionem magna ex parte introductam, vel auctam esse consuetudine, quæ vim habet dandi iurisdictionem, cap. *Duo simul.* de offic. Ordin. quod etiam repetit Comm. 3. de Reg. in fine. Et ideo consuetudinum etiam est habenda ratio: nam ratione illarum fieri potest, vt tota iurisdictio sit à Prælato religioso, quoad omnia delicta, vel quòd aliqua sint Episcopi reseruata, aut quòd in vtrisque sit iurisdictio accumulatiue, de quo nonnihil in fine c. 11. dicemus. Vt autem hæc potestas explicitur, aduertendum est, duplicem esse posse coercionem in Prælato Ecclesiastico, scilicet, spiritualem, & corporalem: illa prior fit maxime per censuras, irregularitates, vel inhabilitates ad quæcunque spiritualia bona, vel iura, vel ministeria, & omnia alia, quæ ad hæc reuocari possunt; sub corporali comprehēdimus quamcunque corporis castigationem, afflictionem, vel etiam publicam reprehensionem, aut infamationem, aut incarcerationem, vel deputationem ad quodcunque vile, vel laboriosum opus, seu ministerium: aliæ enim pœnæ temporales, quæ fieri solent in externis bonis fortunæ, in religiosis, qui non possident propria bona cum proprie non habent, quanuis enim priuari possint vsu aliquarum rerum, qui alias ipsis liceret, vel etiam secundum Regulam esset debitus, illa tamen priuatio propter corporis afflictionem imponitur, & ita sub prædictis pœnis comprehenditur.

Tractatur secunda pars tituli, de potestate coercitiua spirituali.

IV. Quæri ergo inprimis potest, quantum se extendat hæc potestas Prælatorum religionis, quoad spiritualem coercionem, in modo seu numero, aut specie pœnarum. In qua re inprimis, si limitatio adhibita est vel in Pontificum concessione, ac priuilegijs, vel in distributione, seu applicatione eius, facta ipsis Prælatis per religionem ipsam in suis Capitulis, vel per aliquem Superiorem, potestatem habentem, illa limitatio seruanda est: hoc autem quia ex positiua constitutione pendet, inde in vnaquaq; religione sumenda est. Quando autem indemnita est concessio ad regendam & gubernandam religionē sub protectione immediate Summi Pontificis susceptam, & ab Ordinariorum iurisdictione exemptam, illa potestas non habet aliam limitationem, nisi quam ex natura rei secum affert, vel iure communi habet in Episcopis: quia ex nullo alio capite fingi potest limitatio, & vbi lex non distinguit, nec limitationē addit, non possumus nos voluntarie illam excogitare. Vnde fit, esse in huiusmodi Prælato potestatem ad coercendos subditos per quascunque Ecclesiasticas censuras, quæ aliàs iuste possint in tali materia, seu crimine personis imponi. Patet, quia in Episcopis est hæc potestas: ergo & in his Prælatis: item quia hi Prælati possunt excommunicare: ergo & alias censuras ferre.

V. Dixi autem, quæ possunt imponi personis, vt excluderem interdictum locale, quod non potest ab his Prælatis imponi, vt in superioribus dixi, in c. 2. nu. 14. ex propria materia de censur. Dubitari autem potest, an extendatur ad censuras, quæ communitatibus imponuntur, vt sunt suspensio Capituli, & interdictum generale personale. Non video tamen cur sit illis hæc potestas neganda, quia vere sunt Prælati, & iudices respectu inferiorum communitatum, vt, v. g. Generalis respectu Capituli Prouincialis, & inferiorum, & Prouincialis respectu Capituli conuentualis (debent enim cum proportione sumi.) ergo potest Prælatus superior suspendere Capitulum sibi subiectum, vel interdicere communitatem religiosam, si necesse sit, quia hæc potestas iure ordinario coniuncta est cum tali iurisdictione, & vtilis est ad communem gubernationem; & nulla est ratio excipiendi illam. De interdicto enim locali est specialis ratio, quia quodammodo redundaret in personas non subditas ipsis Prælatis regularibus, & propterea non est eis data tam ampla potestas, quanta est in Episcopis: interdictum autem personale non transcendit ipsas personas, vel communitatem earum; & ideo non est in eo similis ratio.

Dubitari autem potest, an hæc potestas ferendi censuras conueniat etiam Prælatis conuentualibus religionum: illi enim videntur esse tanquam Parochi, quibus hæc potestas non conceditur. Dicendum vero est, etiam illos habere communiter potestatem excommunicandi, vt constat ex obseruantia fere omnium religionum, & ex supra dictis, citato cap. 2. vbi ostendimus, posse etiam Prælatos habere iurisdictionem quasi Episcopalē, nam hic actus solet esse primus, qui cum tali iurisdictione conceditur. Vnde fit, vt hi Prælati etiam possint suspendere singulas personas sibi subiectas, quia qui potest excommunicare, potest etiam suspendere, nam qui potest in maius, potest etiam in minus, quando est rationis similitudo sufficiens, vel quando comparantur quodammodo tanquam totum, & pars, & potestas est iurisdictionis ordinariæ, & non delegatæ: quæ omnia in præsenti concurrunt. Suspensio autem Capituli, & communitatis non videtur pertinere ad hos Prælatos: quia non habent Capitulum à seipsis condistinctum, & sibi subiectum: Prælatus enim conuentualis non habet iurisdictionem extra suum Capitulum; illius autem ipse est caput, & ideo nihil potest peccare ipsum Capitulum, quod ipsi præcipue non imputetur, ac proinde non potest ipsemet esse iudex criminis commissi à tali Capitulo, vt Capitulum est: ergo nec potest illud punire per suspensionem. Denique, sicut non potest suspendere seipsum, ita nec Capitulum, cuius ipse est caput. Vnde, licet iuste suspenderet singulos, ipse semper maneret habilis, & in eo seruaretur vox Capituli, iuxta doctrinam Abbatis in c. 1. de elect. n. 5. communiter receptam, vt testatur Nauarr. consil. 38. de Reg. Atque eadem ratio est de generali interdicto personali totius cōuentus; particulare vero videtur ferri posse per huiusmodi Prælatos, propter rationem proxime factam. Ordinarie autem non videtur esse in vsu, sicut sunt aliæ duæ censuræ. Cuius ratio fortasse est, quia pro singulis personis illæ duæ censuræ sunt magis accommodatæ, & sufficiunt maxime pro personis religiosis, quæ non solent esse adeo contumaces. Imo, vt recedant à contumacia sola excommunicatio imponi solet; quando vero additur suspensio, magis est ad punitionem delicti commissi; ad quem finem non est tam accommodata censura interdicti, quia priuat medijs spiritualibus, & necessarijs ad animæ profectum.

VI.

De alijs autem pœnis Ecclesiasticis dicendū est, propriam irregularitatem non posse ab his Prælatis imponi. Probatur, quia neque Episcopi illam imponunt: irregularitas enim tam grauis res est, vt solo Pontificio iure imponatur, & solum in casibus ab ipso expressis, c. *vt q. 1.* de sent. excommun. in 6. extra quos casus nec per iudicis sententiam, nec per nouum ius inferiorum Prælatorum potest imponi, vt in propria materia disput. 40. de censur. ostendi: ergo nullo modo Prælati religionum hanc pœnam imponere possunt, sed ad summum declarare, an quispiam subditorum illam incurrerit.

VII.

De alijs vero inhabilitatibus res est magis dubia: hinc enim videtur, inhabilitare personam ad actum, ad quem natura sua, vel diuino iure habilis est, videtur esse potestatis supremæ, quem vocant meri, & mixti imperij, vt colligi potest ex his, quæ tradit

VIII.

tradit Nau. consil. 26. de Regul. n. 4. & 5. In contrarium autem est, quia per statuta religiosorum puniuntur, sæpe huiusmodi pœnis, quibus reddunturinhabiles ad Prælationes, vel officia, &c. Respondetur quando huiusmodi pœnæ iure communi præscriptæ sunt, vt imponendæ propter aliqua delicta, Prælatum regularem iuste posse talem pœnam imponere; imo etiam debere, quando iure proprio religionis alia pœna præscripta non est. Patet prior pars, quia illa pœna canonica est, & proportionata tali delicto: ergo iuste imponi potest à iudice, qui potestatem habet Ecclesiasticam puniendi tale delictum; cùm aliàs ei non sit specialiter prohibitum talem pœnam imponere. Posterior autem pars probatur, quia iudex debet secundum ius iudicare. ergo si non habeat proprium, debet iudicare secundum commune ius. Licet enim religiosi sint exempti à iurisdictione Episcoporum, nõ tamen à iure communi. Et ideo si pœna sit lata ipso iure, & tale ius vniuersale sit pro omnibus Ecclesiasticis personis, religiosus transgressus ipso facto pœnam incurrit: ergo si pœna solum sit ferenda per iudicem, etiam erit imponenda religioso delinquenti per suum Prælatum. At vero si ius non sit vniuersale; sed de clericis secularib. loquatur, (quod attente ex verbis, & vsu considerandum est) tunc non erit ita necessarium illam pœnam imponere, sed ad prudentiam iudicis pertinebit illam legem imitari, & cum proportione ad talem personam, & statum illam applicare.

IX. Quando vero talis inhabilitas non est iure communi imposita, aduertere oportet, an respiciat actum, cuius valor pendet aliquo modo ex potestate dominatiua vel voluntate religionis, nec ne. Nã, quando habet dictam dependentiam, optime potest religio talem inhabilitatem imponere, seu instituere, quia potest suum consensum non præstare, vel potestatem non concedere: si ergo potest inhabilem reddere personam ad Prælationem in religione habendam, non consentiendo scilicet electioni eius, vel non præbendo iurisdictionem, quæ ab ipsa religione manare debet. Aliæ vero spirituales pœnæ, vel inhabilitates, quæ huiusmodi non sint, neque à iure sint institutæ, non possunt à religionibus denuo excogitari, aut instituì, quia hoc proprie spectat ad Pontificiam potestatem, vt latius diximus tractando de Censuris, & de Irregularitate disp. 40. multoque minus possunt ipsi Prælati nouas spirituales pœnas adinuenire, aut imponere, sed solum quæ iure communi, aut proprio impositæ sunt, vel ad instar illarum, quando pœna fuerit arbitraria.

An dicta potestas competat Abbatissis monialium.

X. Tandem dubitari potest, an hæc potestas conueniat, vel conuenire possit Abbatissis monialium. Ratio dubij quoad priorem partẽ esse potest, quia olim Præfecti monasteriorum, licet essent laici, poterant suspendere, & excommunicare: nam de excommunicatione sæpe fit mentio in Regula S. Benedicti, vt patet ex regula 23. & sequentib. vsque ad 28. suspensionis autem meminit Cassianus li. 4. Instit. c. 20. ergo eadem ratione poterunt Præfectæ monialium similes pœnas imponere. Quoad secundam vero partem ratio dubitandi esse potest, quia in cap. *dilecta*. de maiorit. & obedien. dicitur, Abbatissam solitam esse suspendere ab officio, aut beneficio moniales, & clericos suæ iurisdictioni subiectos. De hac re dixi ex professo in materia de Censuris, disp. 2. sect. 2. à nu. 5. & ideo breuiter eam expediam. Loqui enim possumus aut de communi, & ordinario iure, aut de speciali priuilegio alicuius Abbatissæ. Priori modo dicendum est, non posse monialium Prælatas huiusmodi pœnas spirituales imponere, quia saltem ordinario iure non habent iurisdictionem spiritualem, quæ ad illas pœnas imponendas necessaria est. Vnde idem dicendum est de quocunque Præfecto religiosorum non ordinato, quia secundum commune ius non clericus non est capax iurisdictionis spiritualis, vt supra tetigimus, cap. 3. n. 20. & latius in eodem loco diximus: & ideo adnotauimus etiam supra, excommunicationem illam apud S. Benedictum non esse censuram Ecclesiasticam, sed solum separationem quandam à communi mensa, vel choro, vel conuersatione fratrum, vt ab expositoribus adnotatur, & ex ipsa Regula non obscure colligitur. Et similis erat suspensio, de qua loquitur Cassianus, eamque vocat suspensionem ab oratione, id est, vel separationem à communi oratione, vel priuationem proferendi orationem aliquam in communi conuentu fratrum. Has ergo, & similes pœnas poterunt Abbatissæ monialibus imponere, si alioqui sint conformes suæ Regulæ, vel consuetudini, & ordinarium modum disciplinæ religiosæ non excedant. Nec tales pœnæ sunt proprie spirituales, sed ad corporales reducuntur, ad modum exilij, vel separationis cuiusdam. Fortasse etiam potest hæc pœna ad aliquid spirituale extendi, vt si iubeatur quis non communicare tali die, vel non orare, sed in aliq opere laborare in pœnam: hæc tamen, si aliquando permittantur, non imponuntur per propriam iurisdictionem, sed solum vt mandata quædam per dominatiuam potestatem, & non inferuntur proprie, vt sunt spirituales priuationes, sed vt inducunt aliquam notam, vel ruborem.

Loquendo autem de specialibus priuilegijs, Canonistæ multa concedunt his Abbatissis, vt patet per Panormitanum, & alios in dict. cap. *dilecta*. & in c. *cum dilectus*. de Consuetud. n. 20. & in cap. *dilecta*. de Excess. Prælat. nimirum, posse conferre beneficia, & habere ius instituendi, & consequenter, posse suspendere à beneficio, imo & tollere illud, vel etiam suspendere ab ordine, saltem lato modo, præcipiendo scilicet clericis ne celebrent. Et rationem reddunt, quia ista sunt iurisdictionis spiritualis, & non ordinis. Et nihilominus omnes pro comperto habent, non posse ex quocunque priuilegio Ecclesiasticas censuras inferre: & hoc sequuntur Sylu. Angel. & alij, verb. *Abbatissa*. Difficilis tamen est illa ratio, & non satis consequens doctrinam: nam ferre censuras etiam est actus spiritualis iurisdictionis, & ad illum non requiritur ordo per se, & ex vi talis actus: ergo eadem ratio est de illo, & de quocunque alio actu, qui per se requirat iurisdictionem spiritualem, & non ordinem. Patet consequẽtia, quia vel spiritualis iurisdictio prærequirit ordinem (sub illo primam tonsuram includẽdo) tanquam necessariam dispositionem, seu conditionẽ, vt subiectum sit capax talis iurisdictionis; & sic nulla iurisdictio spiritualis, neque actus eius esse poterit in fœmina. Vel neque isto modo requiritur ordo ad iurisdictionem spiritualem habendam, & exercendam; & sic etiam iurisdictio ad censuras ferendas esse poterit in persona carente omni ordine, vel etiam incapaci ordinis. Responderi poterit, verum quidem esse de absoluta potentia Pontificis posse iurisdictionem spiritualem, etiam ad censuras ferendas, communicari laico, vel fœminæ; tamen secundum ius commune, & perpetuam Pontificum obseruationem id nunquam fieri, nec talia priuilegia concedi: alios vero actus, qui minorem iurisdictionem requirunt, interdum concedi Abbatissis. Sed distinctio hęc mihi non satisfacit, quia non video quomodo possit sufficienter in iure fundari: nam quod laicis, vel fœminis non communi-

XI. cetur

cetur iurisdictio ad excommunicandum, v.g. maxime habetur ex generali regula, quòd potestas clauium, etiamsi iurisdictionis tantùm sit, solis clericis communicatur, iuxta ordinarium, & perpetuũ ius Ecclesiæ: omnis autem iurisdictio spiritualis pertinet ad potestatem clauium. Vnde D.Th. in 4. d.19.q 1.art.1.quæst.3.ad 4.generaliter ait, *fœm. nam non potſ. habere aliquam iurisdictionem ſpiritualem.* & iterum, *fœminam non habere clauem ordinu, aut iurisdictionu.* Addit autem, *mulieri committi aliquem vſum clauium.* Circa quæ verba difficile ad explicandum est, quomodo alicui committatur vsus clauis, si non committitur ipsa clauis: nemo enim vti potest re, quam non habet. Item nemini committi potest vsus iurisdictionis, nisi committatur iurisdictio: ergo similiter, &c. Quid ergo est committi fœminæ vsum clauium, vel (quod idem est) vsum iurisdictionis Ecclesiasticæ, si clauis ipsa, & iurisdictio non committitur?

XII. Sane D.Tho. non aliter declarat vsum clauium, qui committitur fœminæ, nisi *quia ei datur habere correctionem in ſubditas maleres, propter periculum, quod imminere poſſet, ſi viri mulieribus cohabitarent.* Vnde non videtur loqui de speciali potestate; quæ illi solet aliquando concedi ex priuilegijs, non solùm in fœminas subditas, sed etiam in viros, & clericos, quos interdum potest habere subiectos, vt patet ex dicto c. *dilecta.* Quare, iuxta mentem D.Thomæ, non dicitur concedi fœminæ vsus clauium, quia verus actus iurisdictionis spiritualis ei concedatur: nam corripere subditas fœminas non est actus iurisdictionis spiritualis, sed est actus cuiusdam dominij religiosi, quod proprie non à potestate clauium, sed à voto obedientiæ, & professione religiosa descendit. Vocatur autem ille vsus clauium vel solùm per quandam analogiam, & imitationem, quia illud dominium est aliquo modo spirituale; vel quia etiam illa potestas, & vsus eius non est sine interuentu clauium, quia etiam ille modus Prælationis, seu regiminis non potest esse sine approbatione Pontificis, & ideo est veluti quidam vsus per claues cõmissus. Quocirca respectu monialium certum videtur, nunquam Prælatas habere potestatem imponendi prædictas pœnas spirituales, saltem per seipsas: quia per nulla priuilegia maior potestas coerciua eis conceditur circa moniales subiectas, quàm quę sufficiat ad prædictam correctionem religiosam.

Concluditur neque ex iure ſpirituali Abbatiſſas habere potestatem imponendi prædictas ſpirituales pœnas monialibus.

XIII. De alijs vero personis, & maxime de clericis, qui interdum eis subijciuntur, existimo inprimis, illam subiectionem non esse ratione alicuius propriæ iurisdictionis spiritualis, vt ratio facta, & authoritas D.Thomæ probat; sed ratione alicuius dominij, vel iurisdictionis, quæ licet substantialiter temporalis sit; tamen annexa est aliquo modo bonis, aut personis Ecclesiasticis, & ideo Ecclesiastica dici potest, & quodammodo spiritualis, quam cõmitti fœminæ, nec repugnat, nec est omnino inusitatum. Atque hoc modo habet aliquando Abbatissa integram administrationem, & gubernationem omnium bonorum monasterij, quæ Ecclesiastica sunt, inter quæ bona sæpe continentur villæ & castra, quorum iurisdictio temporalis tota est monasterij, & Abbatissæ committitur, & aliquando etiam extenditur ad personas clericorum, quãtum ad actum præcipiendi illis, & castigandi illos: nam hi etiam actus de se non sunt spirituales, sed corporales (vt sic dicam) Ecclesia autem eos sibi reseruauit propter dignitatem talium personarum; eos autem interdum committit etiam per iurisdictionem ordinariam his personis, quæ licet ordinem non habeant, sunt tamen Ecclesiasticæ, & in Ecclesiastica dignitate constitutæ. Quæ conditio sufficit, vt ei committatur iurisdictio in personas

In clericos, & alias personas habere potest Abbatissa iurisdictionem quammodo ſpiritualem.

Ecclesiasticas, quando non datur ad actus proprie spirituales, sed ad alios temporales, vel corporales, quatenus in persona Ecclesiastica versari possunt.

Quocirca quando actus est proprie spiritualis, existimo nunquam dari huiusmodi personis propriam iurisdictionem ad illos efficiendos; sed ad summum concedi actum aliquem, qui sit veluti conditio, ad cuius præsentiam, id quod spirituale est, fit ab Ecclesiastico Prælato, ad cuius potestatem id spectat. Exemplum est in facultate eligendi confessorem, quæ datur pœnitenti: non enim illi tribuitur potestas dandi alteri iurisdictionem, sed designandi personam, cui statim Pontifex dat iurisdictionem: ita ergo, cùm dicitur Abbatissa posse conferre beneficium, aut habere ius instituendi, & similia, intelligendum existimo quoad actum præsentandi, seu designandi clericum, cui beneficium, vel iurisdictio Ecclesiastica conferatur: nam dare hanc iurisdictionem, vel beneficium quoad ius spirituale, quod includit, est actus clauium, quarum potestas fœminis non communicatur, iuxta cap. *noua.* de pœnit. & remiss. Aliquando vero hæc præsentatio fit homini, v.g. Episcopo, vt ab eo collatio, & institutio fiat, vt in cap. *ſanoſcatur.* de his, quæ fiunt à Prælatis sine, &c. Aliquando vero fieri potest absoluta per simplicem designationem, & quasi electionem, vt, ipso facto beneficium, & spirituale ius à Pontifice conferatur. Atque eadem ratione potest interdum Abbatissa dare possessionẽ beneficij, quia ille in rigore non est actus propriæ iurisdictionis spiritualis in ipso executore, sed in præcipiente; tunc autem Abbatissa solùm se habet tanquam is, cui delegatur executio: & eodem modo potest dare titulum, id est, testimonium beneficij alteri collati, non à se, sed à Pontifice ad suam nominationem. Eodem ergo modo possunt è contrario priuare beneficijs, vel possessione eorum in pœnam, si hoc eis speciali priuilegio concessum sit, quia tunc etiam non exercent proprie iurisdictionem spiritualem, sed ad voluntatem earum Pontifex est, qui suspendit influxum, seu aufert iurisdictionem spiritualem.

XIV. *Nunquam tamen ei conceduntur actus proprii, & directi ſpiritualis iurisdictionu.*

Dices. Ergo simili modo poterunt etiam excommunicare, non directe, & per se spirituale vinculum faciendo, sed designando personam, quam Pontifex statim liget ad declarationem, seu voluntatem Abbatissæ. Respondetur, non inueniri in hoc repugnantiam, nec excedere potestatem Pontificis, vt à fortiori constat ex dictis in materia de Censuris: regulariter autem hoc non concedi fortasse propter periculum abutendi censuris, vellent enim suo iudicio illas imponere, vel auferre, quod non potest esse conueniens. Aliquando autem concedi solet his Abbatissis, vt per officiales suos possint excommunicare, tunc autem ipsi officiales nõ accipiunt potestatem excommunicandi ab Abbatissis, sed à Summo Pontifice ad mandatum, seu designationem Abbatissæ: sicut dici etiam potest de Conseruatoribus iudicibus, eliguntur enim à religiosis per sua priuilegia: iurisdictio autem eis datur à Summo Pontifice. Denique eodem modo de alijs censuris suspensionis, & interdicti iudicandum est, vt expresse Abbas supra docuit: quanuis, latius loquendo de his prout solum significant prohibitionem aliquam, possit interdum per huiusmodi Abbatissas heri, vt supponitur in dict. cap. *dilecta.* & dixi in materia de Censuris. Et hæc de pœnis spiritualibus.

XV.

* * *

CAPVT

CAPVT X.

An in Prælatis religionis sit potestas coercitiua ad pœnas corporales.

I. Prælatus religiosus nequit pœnam mortis imponere subditis.

CIrca corporales pœnas potest in specie tractari, ad quas se extendat hæc potestas Prælatorum religionis. In quo certum est non extendi hanc potestatem ad pœnam mortis, quæ à nullo iudice Ecclesiastico imponi potest, cap. *cùm non ab homine*, de iudicijs. Quia vero Ecclesiastici iudices interdum possunt sententiam ferre de delicto, & reum postea remittere brachio seculari, dubitari potest, an potestas horum Prælatorum ad hoc se extendat. Dicendum enim videtur, ex vi solius professionis religiosæ hoc non repugnare, quia possunt Prælati regulares religiosum incorrigibilem propter enormia crimina habitu, & omnibus priuilegijs religionis priuare: ergo consequenter possunt si delicta id mereantur, talem personam tradere brachio seculari. Dixi autem, *quantum est ex parte professionis*, quia, si religiosus sit ordinatus clericus, non potest religiosus Prælatus illum degradare, nec priuare priuilegio clericali, & illum tradere brachio seculari: quantumuis illum priuet statu, seu habitu religionis. Addo etiam, si ex parte ipsius Prælati constideretur quòd est clericus, quòdque iurisdictionem Ecclesiasticam administrat, non posse ita religiosum priuare immunitate, vt illum tradat brachio seculari, nisi hoc ei speciali priuilegio concessum sit. Ratio est, quia nisi hæc remissio fiat authoritate, seu priuilegio Pontificis, vix potest ab irregularitate excusari, vt latius in propria materia tractaui disp. 47. sect. 1. Secundò, quia hæc immunitas conceditur religioso non tantum vt clericus est, sed etiam vt est religiosus, in fauorem, non priuatæ personæ, sed religionis; & ideo non potest Prælatus priuare religionem hoc fauore propter peccatum priuatæ personæ, nisi hoc ei specialiter concedatur: sicut non potest priuata persona renunciare priuilegio in fauorem communitatis cõcesso, cui per talem renunciationem præiudicium fiat. Et ob hanc causam existimo Prælatos religionum nunquam habere hanc potestatem, quia nunquam est eis specialiter concessa, neque expedit, vt ea vtantur propter decentiam, & honorem religionis.

Posset tamẽ ex vi professionis relaxare brachio seculari.

Alunde tamen id reuera non potest.

Cur non possit.

II. Obijci autem potest communis vsus, & praxis secularium iudicum condemnantium ad mortem huiusmodi religiosos delinquẽtes, & eiectos: quam vbique seruari testatur Cassaneus in consuetudinibus Burgundiæ, fol. 51. num. 66. Sed circa hoc aduertendum est, dupliciter intelligi posse religiosum tradi brachio seculari, vt de crimine, morte digno, iudicetur, scilicet, permissiue tantum, ac remote, auferendo impedimentum religiosi habitus, & immunitatis. Secundò, immediate, & (vt sic dicam) positiue, illum tradendo in manibus iudicis secularis postquam de crimine conuictus, & iudicatus est. Nos loquimur de hoc posteriori modo, & sic negamus esse talem consuetudinem. Imo etiam ab alijs iudicibus, quando non temere, sed ordinate procedunt, vix aliquando id fit, nisi in casu hæresis; in quo casu etiam cum religioso id faciendum est, non tamen à Prælato religionis, sed ab Inquisitoribus, quibus iudicium de illo crimine reseruatum est, vt in specie, agens de iurisdictione religiosorum, tractat Nauarrus, Consil. 1. de Hæreticis. Alij vero casus, in quibus possunt Prælati Ecclesiastici hoc modo tradere clericum degradatum iudici seculari, rari sunt, vt tractaui tom. 5. ad 3. partem, Disput. 6. de suspens. sect. vlt. Et in eis existimo, non debere, nec posse religiosum Prælatum hoc modo tradere subditum, quantumuis incorrigibilem, tradere brachio seculari, propter ea, quæ diximus.

Obijcitur ex consuetudine condemnandi ad mortem eiectos.

Duplex modus tradendi brachio seculari, ac de quonam tradita doctrina procedat.

Consuetudo ergo illa, si quæ est, videtur intelligẽda priori modo, in quo etiam alia distinctio obseruanda est: nam religiosus semel eiectus, dupliciter potest morte plecti à iudice seculari. Primò, propter delicta commissa post eiectionem à religione, digna tali pœna: & hoc modo facile potest admitti, si fuerit consuetudo, quando religiosus eiectus aliàs clericus non est: quia in eo statu iudex ordinarius eius non est Prælatus religionis, nec videtur reputari tanquam persona Ecclesiastica, suppositâ dicta consuetudine. Quod ideo aduerto, quia religiosus, quantumcunque eiectus, verus religiosus manet, vt infra lib. 3. c. 5. ostendam, & sub obedientia Episcopi esse debet tanquam Ecclesiastica persona: & ideo videtur frui priuilegio fori, nisi per contrariam consuetudinem amissum sit. Quæ consuetudo maxime tolerari posset, quando talis religiosus eiectus nec regularem, aut clericalem habitum portaret, nec obedientiam Episcopo seruaret. Secũdo modo posset puniri religiosus eiectus propter crimina in religione commissa: & hoc modo nec admittendam, nec probandam censeo talem consuetudinem, nimirum, quòd à iudice seculari posit ad mortem damnari propter talia crimina, tum quia illa commisit in alieno foro, & quasi in diuerso territorio: tum etiam, quia supponitur iam iudicatus, & punitus, nam per sententiam definitiuam eiectus est à religione propter talia crimina.

III. Præterea non extenditur hæc potestas ad mutilationem membri, nam hæc eiusdem rationis est cum pœna mortis, quod attinet ad irregularitatem, & repugnantiam cum Ecclesiastica mansuetudine. Item excludenda videtur pœna publica corporalis, quæ ordinarie non est in vsu in Ecclesiastico foro propter decentiam religiosi, & clericalis status; qualis est publica flagellatio per plateas, & vias ciuitatis. Nam licet absolute non excedat Ecclesiasticam iurisdictionem huiusmodi pœna citra sanguinis effusionem; tamen regulariter non est in vsu Ecclesiæ respectu personæ Ecclesiasticæ; neque talis pœna per canones aliquando designatur: & ideo non est extendenda potestas Prælati regularis; vt arbitrio suo possit illam imponere. Potest nihilominus religio punire subditu pœna triremis, vt late Nauar. Comment. 3. de Regul. rib. nu. 53. vbi id maxime probat ex consuetudine plurium regularium, & quia illa pœna non includit diffusionem sanguinis per se; neque aliquo speciali iure est prohibita, & ideo potuit consuetudine induci, nam iurisdictio potest consuetudine acquiri, cap. *cùm contingat.* de foro compet. vbi glossa alia refert. Sicut etiam quoad alia multa horum Prælatorum iurisdictio consuetudine aucta est.

IV. Potest autem obijci ex eodem Nauarro, quia huiusmodi pœna videtur nimis acerba, & excedens fraternitatem, & mansuetudinem religiosam, &, (quod grauius est) nimis periculosa saluti animarum eorum, qui sic puniuntur, propter praeuiam societatem, & mores perditos, & infinitas peccandi occasiones illius status. Cum ergo Prælati religiosi maxime debeant subditorum saluti cõsulere, quantunuis mali sint, alienum ab eorum charitate, & munere videtur hanc pœnam imponere. Vnde non legimus antiquos Patres, Basilium, Augustinum, Benedictum, &c. tali pœna vlos fuisse: imo (quod magis vrget) neque Episcopi solent seculares clericos hac pœna afficere, sed solus Summus Pontifex videtur posse id facere. Ratio etiam adhiberi potest, quia nulla pœna repugnans priuilegio canonis *si quis suadente*, potest imponi à iudice Ecclesiastico inferiori Summo Pontifici, nisi iuxta formam

formam iuris communis, scilicet post realem degradationem, quia Prælatus inferior non potest priuare subditum priuilegio à Superiore concesso: at vero pœna triremium est contra priuilegium canonis, quia ibi rei vapulantur à laicis, & per vim ibi detinentur. Nec satis est respondere, illud fieri authoritate, & quasi ex commissione Prælatorum, & ideo excusari iuxta c. *vt fama.* de senten. excomm. nam licet hoc satisfaciat quoad violentam detentionem, non tamen quoad verberationem: quia hoc ipsum est contra priuilegium canonis, prohibetur enim Abbas flagellare subditum religiosum per laicum, cap. *vniuersitatis.* de sent. excommunic. & ibi communis.

Impugnatur euasio.

V. *Ratio sit obiectionis.*

Respondetur, has rationes persuadere, raro posse ac debere Prælatos regulares hanc pœnam imponere; non tamen probare esse per se iniustam, aut illicitam: quia potest esse æqualis delicto, & aliàs non est intrinsece mala, nec iure prohibita. Neque obstat, quòd non legamus antiquos Patres illa vsos fuisse, tum quia aliquæ fortasse grauiores tunc erant in vsu, qualis est perpetua incarceratio cum magna ciborum diminutione, & alijs corporalibus pœnis: tum etiam, quia tunc non erat tanta necessitas, quia non erat tanta multitudo personarum in singulis religionibus, nec feruor earum adeo fuerat diminutus. Et ideo licet talis pœna acerba sit, non semper excedit religiosam charitatem, & mansuetudinem, quia est interdum necessaria ad exemplum, & timorem aliorum, & ad satisfaciendum publico scandalo ex enormi, & publico delicto exorto. Magis profecto cauenda esset hæc pœna propter periculum animæ; tamen quia hoc periculum accidentarium est, toleratur interdum, eo quòd non occurrat alia commoda via digne puniendi delictum sine morte. Et fortasse ideo hæc consuetudo non ita inualuit apud Episcopos respectu clericorum secularium, quia quando aliquod delictum est dignum acerba pœna corporali etiam in persona Ecclesiastica, perpetuo, vel diuturno carcere illud punire solent: quia sine magno grauamine id facere possunt, & cum minori periculo reorum; religio autem sæpe non posset sine magno grauamine hos secum retinere, etiam carcere inclusos, vt infra lib. 3. iterum attingemus tractando de eiectis.

VI. *Ad impugnationem eius in n. 4. Nauarri responsio non placet.*

Ad rationem autem in contrarium respondet Nauarrus, legem prohibentem, ne persona Ecclesiastica per laicum verberetur, etiam authoritate Prælati Ecclesiastici, contraria consuetudine sublatam esse, ita vt non solum à pœna, & censura, sed etiam à culpa excuset. Verumtamen & Panormitanus, quem ipse citat, non probat illam consuetudinem, & præterea non dicit esse de verberatione, sed de tortura, de qua fortasse non est eadem ratio, nisi accommodetur modo statim explicando. Et ideo in tomo 5. disp. 22. sect. 1. à n. 40. explicando excommunicationem canonis *si quis suadente*, censui illud c. *vniuersitatis*, suam obligationem retinere, præsertim circa regulares, de quibus in specie loquitur: nec puto, contrariam consuetudinem in eis ostendi posse. Dico ergo in primis, cap. *vniuersitatis*, loqui quando pœna flagellationis directe imponitur, & persona religiosa ad hoc traditur ministro, vt vapulet. Quod non ita fit in pœna triremis, quia per se solum ordinatur ad laborem remigandi, per accidens autem adiungitur flagellatio. Sed hoc non satisfacit: quia vel postea licite verberatur religiosus damnatus ad triremes, vel non. Si primum, iam sine culpa non seruatur lex lata in dict. c. *vniuersitatis*. Si secundum, certe non iuste damnatur religiosus ad illam pœnam, tum quia, moraliter loquendo, habet verberationem quasi per se adiunctam: tum, quia datur alijs materia peccandi.

Aliam vtilem responsionem insinuat.

Addendum ergo est, dictum cap. *vniuersitatis*, specialiter loqui de verberatione, quæ fit modo religioso, & iuxta religiosam disciplinam, vt ex ipso textu clare constat; & quoad hoc non existimo illam legem esse vsu reuocatam; neque talis consuetudo esset rationabilis, cum hoc pertineat ad religiosam honestatem, & possit decenter seruari: quando autem religiosus verberandus est non more religiosorum, sed more aliorum secularium, & infamium reorum, non procedit ille textus, quia nec de tali casu loquitur, nec posset decenter seruari, quia non potest persona religiosa tale munus per se licite aut decenter exequi. Ita ergo contingit in verberatione illa, quæ fit in triremibus; & in hoc est etiam simile exemplum de tortura: ideo enim religiosi torquentur per ministros laicos, quia torquentur more laicorum, quod tortoris munus non posset religiosa persona per se decenter exequi. Illud autem in vtroque casu difficile manet, quomodo scilicet possit religiosus taliter torqueri licite, vel ad laicalem (vt sic dicam) verberationem, vel pœnam, quæ illam includat, damnari. Ad quam difficultatem nihil aliud respondere possumus, nisi consuetudine introductum esse: quam damnare non possumus, cum sciente, & tacente Summo Pontifice inualuerit, & à viris doctrina & religione insignibus obseruetur: quæ bona etiam fide incipere potuit, quia nullum est expressum decretum, quo prohibeatur: nam potius in cap. 1. de calumniatoribus, subdiaconus verberibus publice castigari præcipitur, & in cap. *quia iuxta.* 5. quæst. 6. similiter dicitur, aliquando posse vt infamem verberibus castigari.

VII. *Exactior responsio.*

Statuendum præterea est, posse etiam Prælatum regularem punire subditum criminosum pœna exilij: hanc enim etiam Canones imponunt Ecclesiasticis personis, vt patet ex cap. *cum beatus.* 45. d. & cap. 1. de Calumniatorib. vbi glossæ id notant, & alia iura adducunt; & de persona religiosa est eadem ratio, & nullibi inuenitur prohibitum, quòd hac pœna puniatur; neque etiam ob rigorem excedit potestatem talium Prælatorum, nam maior est pœna triremium: ergo. Potest autem hoc exilium dupliciter intelligi. Primò, intra ipsam religionem: secundò, expellendo à religione, & simul relegando. De priori modo est res perspicua, & quotidiana praxis: nam vbi sunt filiationes monasteriorum, aut prouinciarum, solent religiosi propter delicta à proprijs monasterijs, vel prouincijs ad aliena transferri; & illud est quoddam exilij genus, quomodo solent etiam puniri moniales, quando grauiter, & scandalosè in suis monasterijs delinquunt: tantoque grauior erit hæc pœna, quò in loca magis distantia, vel minus cognita, facta fuerit mutatio. Vbi autem non sunt filiationes, habet locum hoc exilium per mutationem prouinciæ, aut regni, vel propriæ originis, vel professionis, & educationis in eadem religione. De secundo autem modo exilij solent aliquando religionum Prælati, dum aliquem expellunt, illi simul præcipere, vt in tali prouincia vel regione non habitet, & ita simul condemnant reum & ad expulsionem, & ad exilium. Et videtur hoc esse posse iustum, tum quia delictum potest esse dignum vtraque pœna: tum etiam, quia ad honorem, vel pacem religionis pertinere potest, vt talis religiosus eiectus ibi non habitet.

VIII. *Potest vltetius Prælatus damnare subditum exilio.* *Vnus modus exilij, ad quem datur potestas.* *Alter modus.*

Sed nihilominus in rigore non videtur obligare tale præceptum, & consequenter neque hanc pœnam posse hoc modo imponi: quia postquam religiosus eiectus est, non est subditus religionis, nec tenetur Prælatis eius obedire: ergo neque illi præcepto obedire cogitur: nam eo ipso, quòd cessabit subiectio, cessauit etiam præceptum. Confir-

IX. *Ad hunc modum non dari potestatem probatur.*

matur, quia non potest Prælatus imponere præceptum subdito pro eo tempore, pro quo vel ipse non est futurus Prælatus, vel alter non est futurus subditus: tum quia præceptum expirat morte mandantis, nisi sit lex: tum etiam, quia extra territorium ius dicenti non est parendum, cap. 2. de constitut. in 6. Confirmatur tandem, quia ob similes rationes (præter alias) si Prælatus ei, quem ejcit, præcipiat ingredi aliam religionem, non tenetur ei parere, vt dixit Nauarr. consil. 77. de Regularib. & infra etiam li. 3. c. 5. n. 20. dicemus. Vnde etiam obiter colligo, religiosum ejectum, cui Prælatus concedit facultatem ingrediendi aliam religionem, dummodo non sit in tali Regno, vel Prouincia, non obligari ex vi præcepti ad hanc conditionem seruandam: quia illa respicit tempus, in quo iam non est futurus subditus, & virtute continet quoddam exilium. Dico autem, *ex vi præcepti*, nam ex vi pacti posset obligari, vt si ad vitandum aliud genus pœnæ iustæ, sub ea conditione, & pacto acceptasset ejectionem, tunc enim, si conditio fuerit iusta, & libere acceptata, obligat non per modum præcepti humani, sed ex naturali lege fidelitatis, vel iustitiæ; neque erit sufficiens excusatio, quòd metu grauioris pœnæ fuerit acceptata: quia ille metus non fuit iniuste incussus; sicut quando damnato ad mortem remittitur pœna, ea lege, vt obligetur ad ducendam in vxorem talem mulierem, vel ad tale munus publicum exercendum, iusta est conditio, & obligans postea in conscientia.

X. Præter has pœnas potest etiam Prælatus religionis præcipere subdito grauiores aliquas pœnitentias, vel labores, aut opera, vel aspera, & dura, vel humilia, & abiecta pro qualitate delicti. Hæc sumitur ex Syluestro, verb. *Religio*. 6. quæst. 6. & Angelo verb. *Religiosus*. num. 29. & constat ex dictis supra de voto obedientiæ. Vnde in hoc consideranda est differentia inter has pœnas, & alias grauiores corporales; quòd ad alias solùm obligatur homo, vt eas patiatur, non resistendo violenter; ad eas autem potest obligari religiosus etiam actiue (vt sic dicam) eas in se exequendo, quia hæc obligatio non excedit humanam iurisdictionem, nec est res nimis ardua, aut difficilis, de quo latiùs in materia de Legibus lib. 5. à cap. 5. Hic verò occurrebat specialis difficultas de religioso damnato ad perpetuum carcerem, an teneatur non fugere, etiamsi possit. Item, si damnatus sit, vt fame paulatim pereat, per insensibilem quandam cibi diminutionem, & subtractionem, an teneatur non amplius comedere, etiam si possit. Veruntamen hæ quæstiones generales sunt, de quibus videri potest Couar. lib. 1. Variar. cap. 2. num. 14. Caiet. 2. 2. quæst. 69. art. 4. Sot. lib. 5. de Iustit. quæst. 6. art. 4. & specialiter de religiosis Nauar Comment. 4. de Regularib. num. 63. Salsedo in Practica crimin. cap. 137. Qui omnes concludunt, in priori casu teneri religiosum ad non fugiendum, tum ex generali lege iustitiæ, vel obedientiæ, qua tenetur reus parere sententiæ iustæ, & illam seruare, quantum ad ea, quæ per ipsum licite exerceri possunt: tum etiam speciali titulo, quo religiosus tenetur ratione voti obedientiæ in claustro manere, & intra terminos eius à Prælato præscriptos. Quæ sententia vera est maxime in religiosis, intelligenda tamen videtur ex vi solius detentionis, seu incarcerationis: per accidens verò propter grauissima incommoda tali incarcerationi adiuncta, accidere potest, vt contrarium liceat, sicut iam dicemus.

XI. In altero ergo puncto resolutio communis est, non teneri reum abstinere à cibo necessario ad vitam conseruandam propter pœnam impositam: imò multi dubitant, an licite possit id facere: qua quæst. omissa, quia pertinet ad materiam de homicidio, saltem certum est, non posse obligari in conscientia ad huiusmodi abstinentiam: quia & est res nimis difficilis, & naturali inclinationi repugnãs, & alioqui non est necessaria ad commune bonum: satis enim est, quòd reipsa possit iuste cibis priuari, & quòd iudex possit præcepto suo ministros iustitiæ obligare ne alimenta præbeant huiusmodi malefactori, quod etiam potest prohibere Prælatus religionis tam virtute obedientiæ, quam ratione voti paupertatis. Ipsi verò religioso prohibere non potest, quin licite comedat, si possit, quia nec iustitia, nec obedientiæ paupertatis votum ad tam difficilem abstinentiam obligat. Vnde infero, religiosum sic damnatum posse licite fugere, non ad fugiendum carcerem, sed mortem. Omnes enim fatentur damnatum ad mortem licite fugere, si possit, quia priuilegium vitæ tuendæ maximum est, vt constat ex auctoribus citatis, & alijs, quos ipsi referunt. Sed qui ita damnatur ad perpetuum carcerem, vt per continuam inediam paulatim pereat, est damnatus ad mortem, nam licet non sit damnatus, vt occidatur, est tamen damnatus, vt quasi ab intrinseco moriatur, quod perinde est, quantum ad vitæ detrimentum pertinet; ergo propter illud vitandum licebit fugere. Et fortasse in hoc casu loquuntur Angelus, & alij auctores, quos Couar. Nauar. & Salsedo referunt, dicentes, licere fugere damnato ad perpetuum carcerem.

CAPVT XI.

An Religiosi possint à sententiis, & præceptis suorum superiorum appellare?

HOc in loco tractandum occurrit, an religiosus I. possit appellare à sententia Prælati, per quam ad grauem pœnam condemnatur. Et, vt quæstio sit specialis huius materiæ, sumenda est in eo casu, in quo licitum esset seculari clerico, vel laico à sententia legitimi iudicis appellare, vel quia reputat illam iniustam, vel nimis rigorosam, & sperat à Superiore esse iuste leniendam. In priori ergo casu videtur licere etiam religioso appellare, iuxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. quæst. 68. ar. 3. quia talis appellatio nihil aliud est, quàm quædam naturalis defensio, qua nemo potest iuste priuari. Confirmatur, quia si Prælatus religionis subditum aggrederetur iniuste, vt illum gladio occideret, posset subditus se etiam gladio defendere propter naturale ius defensionis: ergo si illum aggreditur per sententiam iniustam, poterit se defendere saltem per appellationem iustam. Quòd si hoc necessariò admittendum esset in religioso, si damnari posset ad mortem; eadem ratione licebit quotiescunque damnetur ad patiendam iniuriam, tantoque magis, quanto pœna iniusta fuerit acerbior. Idem argumentari possumus de altero casu, quando licet pœna non excedat limites iustitiæ, multum tamen rigorosa est; & infra eosdem posset mitior imponi. cur enim non licebit reo mitiorem iudicem postulare, cùm non petat iniustum? aut cur debet hoc magis religioso prohiberi, quàm alijs, cum religiosum iudicium mitissimum omnium, & paternum potius quàm iudiciale esse debeat? Tandem quando Prælatus inferior præcipit subdito aliquid nimis graue, & difficile, potest subditus ad superiorem Prælatum recurrere non solùm pro iniustitia, sed etiam pro nimio grauamine tollendo: ergo idem erit in pœnis.

II. In contrarium autem facere videtur c. *reprehensibilis*. de appellationib. vbi dicitur, *Statuimus, ne subditi contra disciplinam Ecclesiasticam in vocem appellationis prorumpant.* & in fine subditur, *Præcipue vero hoc in religiosis volumus obseruari, ne religiosi cuipiam aliquo excessu famine*

Appellare non possunt religiosi contra disciplinam Ecclesiasticam.

Item in casu necessitatis.

Item in casu iniustæ pœnæ.

Item in casu grauis pœnæ.

*Item in casu iniustæ sententiæ

corrigendi, contra regulares Prælatos sui, & Capituli disciplinam appellare præsumant, sed humiliter ac deuote suscipiant, quod pro salute sua fuerit eisdem iniunctum. Et in c. *ad nostram.* eod. tit. præcipit Alexander III. cuidam Abbati, vt, licet religiosus appellare præsumat, eum, iuxta sui ordinis institutionem, castiget. Item sumitur ex c. *licet.* de Officio ordinarij. Ex quibus iuribus ortum videtur axioma communiter receptum, inter probos religiosos *appellationum vocem audiendam non esse,* & per statuta, vel consuetudines religionum communiter hoc prohibetur, vt dicitur in lib. Monumenta ordinum, fol. 125. aliàs 220. concess. 499. & specialiter in ordine Prædicatorum est constitutio prohibens appellationem, quam his verbis refert Armilla, verb. *Accusatio in fine. Declaramus, quod licet appellatio sit de iure naturali, vnusquisque potest iuri suo renunciare, & eo ipso, quod quis obedientiam sponte profitetur, secundum Constitutiones nostras, secundum quas non licet appellare,* &c. & infra refert in quodam Capitulo generali, *denunciatum fuisse fratribus vniuersis, quod de iure communi, & ex priuilegio ordinis speciali nulli fratrum licitum est à correctione, vel ab officiorum amotione appellare.* Et similis prohibitio, licet alijs verbis, habetur in eorum Constitut. dist. 2. *Cum non veniamus* (dicitur ibi) *contendere, sed potius delicta corrigere.* Et videri potest Ferdinandus à Castillo lib. 2. suæ Chronicæ. cap. 8. vbi refert etiam confirmationem Bonifacij IX. Vnde etiam confirmatur: nam in nostra Societate Paulus III. in Bulla vlt. circa princ. inter alia statuit, *vt à correctione regula Societatis huiusmodi secundum ordinationes facta, vt vigor disciplinæ melius conseruetur, appellari aut tali appellatio per vllum iudicem admitti non possit.* Item: Cistercienſibus priuilegium concessum est, vt à correctionibus Præpositi Generalis, vel Visitatorum eius appellari non possit etiam ad Sedem Apostolicam sub pœna excommunicationis Sedi Apostolicæ reseruatæ, nisi à generali congregatione, & in casu denegatæ iustitiæ, aut pro notoria iniuria. ita refertur in Compendio Societatis, verb. *Appellatio.* vbi aliud simile priuilegium refertur Canonicis regularibus concessum, & Iulius II. idem concesit Minoribus, prout habetur in Supplemento, concess. 553.

Tum ex statu religion.

III. Ad hæc vero omnia respondent aliqui, intelligenda esse altero è duobus modis. Prior est, vt à correctione Prælatorum non sit religiosis appellandum, nisi correctiones in modo excedant, alioqui, interueniente excessu, non putant esse religiosis prohibitam appellationem, etiam à correctione regulæ. ita sentit glossa 1. in cap. *de priore,* de appellationib. vbi idem sentit Decius, & Panormit. in cap. *ad nostram.* de appellat. vbi in principio ita colligit conclusionem illius textus, *à correctione legitima non appellatur, nisi modus excedatur.* Deinde à contrario sensu infert, appellationē permitti religiosis, quando indebite prægrauantur per Superiorem, quia nulli deleganda est defensio, cap. *cum inter.* de exceptionib. Idem habet Glossa, Panormit, & alij communiter ex textu ibi in c. *licet.* de offic. Ordin. Quam sententiam sequitur Nauarr. Comment. 3. de Regularib. n. 51. & consil. 4. de Appellat. vbi inter alia ait, nullo iure prohiberi regularem appellare; quin potius in c. 1. & 2. 2. q. 6. omnibus dicitur permissa appellatio, quod saltem intelligendum est de omnibus, quibus non est appellatio specialiter prohibita, vt idem Nauarr. notat ex Glossa in l. *qui restituere.* ff. de rei vendicat. Qui omnes addunt rationem, quia, quando in correctione modus exceditur, contra ius naturæ esset tollere defensionem: ergo & appellationem.

IV. Hæc tamen responsio difficilis est, primò, quia hoc modo nulla est differentia inter secularem clericum respectu Episcopi, & religiosum respectu sui Prælati: nam etiam secularis appellare potest à correctione, si sit vltra modum; si autem modus seruetur, etiam ille prohibetur appellare in dict. cap. *licet.* & in Tridentino sess. 13. cap. 1. de Reformat. ergo nulla est differentia. Consequens autem videtur contra communem sensum, & supra dictum axioma receptum, quod speciale esse creditur in religiosis, quod etiam significatur in dict. cap. *reprehensibilis.* in fine. Secundò obstat, quia aliàs Pontificia indulta nihil concedunt, quia non appellare à moderata, & legitima correctione, ex debito iustitiæ necessarium est, vt ex D. Thoma diximus num. 1. in religiosis autem, etiam ex speciali debito obedientiæ: ergo si Pontifices hoc tantum voluerunt esse prohibitum, nullum speciale priuilegium concesserunt, quod videtur esse contra mentem eorum. Tertiò, ratio illa de defensione naturali videtur inefficax, nam est ab specie ad genus negatiue: quia defensio, etiam iusta & moderata est genus, & latius patet, quam appellatio, ideoque licet alicui denegetur appellatio, non recte infertur defensionem denegari. Potest enim ad Superiorem recurrere per simplicem querelam, vel per modum supplicationis, aut precum, & ab eo obtineri vel iustitia, vel gratia; quod est sufficiens remedium diuersum ab appellatione, vt ex dicendis constabit, & multò magis decens religiosum statum. Vide Panorm. c. *cum dilectus.* de appellationib.

Alius modus respondendi est, per dicta indulta non prohiberi religiosis simpliciter appellationē, sed illam, quæ fit ad aliena, vel extrinseca tribunalia, vel per alium modum indebitum, qualis esset recedere à conuentu prætextu accedendi ad Superiores sine eorum facultate: quod meritò prohibetur in Concilio Tridentino sess. 25. cap. 4. de Regularib. & Gregorius XIII. in quadam constitutione præcipit sub grauibus pœnis religiosis Minoribus, ne ad secularia tribunalia appellent; non vero prohibet appellationem seruato debito ordine intra propriam religionem, vel, si necesse sit extra totam illam appellare (vt si à Supremo generali Prælato appellandum sit) id fiat ad Apostolicam Sedem, vel ad tribunal ab ipsa designatum. Sic enim in dict. c. *de priori.* grauiter reprehenditur quidam Prior, qui appellationem ad Sedem Apostolicam non admisit, nam ad Romanam Ecclesiam omnibus appellare licet, cap. *ad Romanam.* cum alijs, 2. quæst. 6. & in Congregatione Cardinalium pro regularibus decretum factum est anno 1587. vt appellationes religiosorum fiant immediate ab vno Prælato religionis ad proximum superiorem, & à Generali ad Protectorem, & à Protectore ad sacram Congregationem. Videtur ergo legitima dicta expositio, quam adducit Emmanuel Roder. tom. 1. quæst. 29. ar. 2. Nihilominus difficultate non caret, tum quia iuxta illam nihil speciale concederetur religionibus per citata indulta, præter exemptionem, quia eo ipso, quod religio est exempta, est religiosis interdicta appellatio ad omnia alia tribunalia, saltem extra Sedem Apostolicam, vel eum, qui eius vicem gerit: quia ex natura rei, & communi iure, nullius momenti est illa appellatio, quæ fit ad personam non habentem iurisdictionem. Consequens autem videtur esse contra intentionem talium indultorum: nam in Societate, v.g. postquam exempta iam erat à Paulo III. ab eodem additum est, vt appellari non possit: tum etiam, quia in aliquibus ex priuilegijs citatis interdicitur appellatio, etiam ad Sedem Apostolicam: ergo multò magis non licebit ad altiores Prælatos eiusdem religionis.

V.

Propterea dicendum censeo, appellationem etiam ex natura rei non iniustam, esse regulariter interdictam religiosis, maxime per specialia priuilegia, ita docet simpliciter Soto lib. 5. de Iust. quæst. 6. art. 3. & de Mendicantibus admittit Nauar. cons. 5.

VI. *1. Assertio pro resolutione huius capitis.*

Assertio hæc procedit de propria appellatione, ac regulariter.

de Appellat. num. 6. quanuis addat, & meritò, non esse priuandos alio genere defensionis. Ad hoc ergo explicandum aduerto aliud esse appellare; aliud ad Superiorem recurrere alijs modis: nam per appellationem ita fit recursus ad Superiorem, vt suspendatur iurisdictio inferioris Prælati, tam quoad vim obligandi per præceptum, vel sententiam, à qua appellatur, quàm quoad potestatem procedendi in causa, de qua agitur: regulariter enim hos duos effectus habet appellatio, quanuis in censuris, quando subsequitur post sententiam latam, solum habeat secundum effectum, vt disp. 3. de censur. sect. 6. diximus, & traditur communiter in cap. *super eo*, & cap. *Pastoralis*. de appellationib. & cap. *si cui*. de sentent. excommunic. in 6. & videri possunt Syluester, & Angelus, verb. *Appellatio*. Per alium vero recursum ad Superiorem non suspenditur iurisdictio inferioris, nec quantum ad vim obligandi per suum præceptum, vel sententiam, quandiu à Superiore non fuerit reuocata, nec etiam quoad procedendum ad executionem, vel ad vlteriorem definitionem causæ, si opus sit: quia per alium simplicem recursum non potest subditus deuoluere negotium ad altiorem Prælatum sola voluntate sua sine adminiculo iuris; nullum autem est ius, in quo talis deuolutio fundari possit, secluſa appellatione.

VII. *Non vero procedit de recursu ad Superiores Prælatos etiam Papam.*

Recursus ergo ad altiorem Prælatum legitimũ, & habentem iurisdictionem, nullibi negatur religioso subdito, esset enim contra omnem rationem: maxime in sustinendis pœnis, quia per hoc nullam iniuriam facit proximo Prælato, quia interim illi obedit, vt supponimus, & aliàs vtitur iure suo, quia, vt supra cap. 2. num. 15. dixi, Prælatus religionis, licet vniuersalis sit, habet immediatam iurisdictionem in subditos; ergo licet eis ad illam recurrere. Nec contra hoc inuenio prohibitionem aliquam positiuam. Vnde censeo hunc recursum non solum esse licitum quando in pœna imponenda Prælatus debitum modum excedit; sed etiamsi sit iusta, & secundum regulam; dummodo materia talis sit, vt altior Prælatus iuste possit gratiam aliquam, vel quasi dispensationem concedere, quia tunc ex nullo capite malum est illam procurare, dummodo etiam vera & sufficiens relatio Superiori fiat, ne gratia, seu remissio subreptitia sit. Censeo præterea, hunc recursum non solum licere ad altiores Prælatos religionum, sed etiam vsque ad Summum Pontificem, vel ad quemcunque alium habẽtem iurisdictionem ad mutandum præceptum, vel pœnam religioso impositam à suis Superioribus: quia in his omnibus eadem ratio locum habet.

VIII. *Recursus hic ad externos illicitus est: quanuis procurare eorum intercessionem malum non sit ex natura rei.*

Hæc tamen meritò intelligi onibus prohibetur.

Ad externos verò non licet etiam hoc modo recurrere, cum illi Superiores non sint, nec iurisdictionem habeant: propter quod etiam (vt hoc obiter notetur) secunda expositio seu modus respondendi positus in num. 5. videtur minus satisfacere, quia id solum censet esse prohibitum circa appellationem, quod generaliter vetitum est in quocunque actu petendi vsum iurisdictionis ab eo, qui non habet. Si autem ille recursus ad alios Principes, vel Prælatos non sit ad petendam actionem aliquam iurisdictionis, sed intercessionem, non est per se, & intrinsece malum, quia nihil petitur per se iniustum, aut iniquum. Solet autem in religionibus hoc etiam prohiberi per proprias regulas, vel constitutiones. Et sane meritò, tum quia huiusmodi intercessiones multum religionem perturbant, sunt enim violentiæ quædam morales: nam si illis non condescendatur, vel odia generantur, vel saltem amicitiæ dissoluuntur, aut remittuntur: si autem propter illas nimiæ indulgentiæ fiant, eneruatur disciplina religiosa cum non paruo religionis dispendio: tum etiam, quia hoc nunquam fit sine dedecore, & infamia religionis, & alijs grauissimis incommodis. Propter quod non immeritò recti, & religiosi Prælati non tantum flecti non solent huiusmodi intercessionibus, verum potius indignari, ita vt difficiliores, & duriores sese in huiusmodi religiosos ostendant, cum prudentia tamen, & moderatione, ne scandala, vel maiora mala sequantur. Quin potius etiam solet hos Prælatos offendere recursus ad alium altiorem Prælatum: sed hoc humanum est, &, si ob eam causam malum aliquod subdito inferant, erit iniustum, quia in eo non male aget, vt diximus num. præcedenti.

IX. *Assertio.*

Quia vero per simplicem recursum sine vera appellatione non semper satis subuenitur iniurijs, quas interim religiosi pati possunt; ideo diximus, appellationem esse regulariter, non verò semper eis interdictam, quia interdum est necessarium medium ad repellendam grauem, & manifestam iniuriam. Vt ergo explicemus quomodo regulariter non liceat talis appellatio, est secundò dicendum, non satis esse, quòd sententia contineat rigorem: nam si totus ille locum habet absque propria iniustitia, non habet locum in religioso vox *appellationis*, etiamsi fortasse in seculari audiri posset. Vnde, etiamsi in eo casu religiosus appellet, si Prælatus non mutet sententiam, vel præceptum, tenetur subditus parere, vel non resistere, donec à superiori Prælato, alia via requisito, aut rogato, relaxatio fiat. Ratio omnium est, quia iustitia suam vim retinet, etiamsi sit rigorosa; vt in contractibus, si venditor noluit nisi pro rigoroso pretio vendere, emptor tenetur totum soluere. Sic ergo, quandiu Prælatus non excedit limites iustitiæ, etiamsi summo rigore vtatur, obligat per suum præceptum, & sententiam, nec suspendi potest per appellationem, quæ inter religiosos saltem non habet locum, nisi vbi iniuria intercedit.

X. *Assertio.*

Tertiò addendum est, non satis esse, quòd sit dubium, an sententia iusta sit, nec ne, sed oportere, vt iniustitia sit clara. ita sentiunt communiter Doctores citati, & communiter Summistæ verb. *Appellatio*. Angel. num. 10. Tabiena 11. Armil. 16. Syluest. quæstione 7. Gloss. in dict. cap. *ad nostram*, & in dict. cap. *licet*. & bene Couar. in Practicis. capit. 23. num. 6. verf. *Sexto*, & *Octauo*. Soto supra, nec Nauarrus contradicit. Et ratio est, quia in dubio obediendum est Prælato, & ius eius præferendum est. Item quia in dict. cap *ad nostram*. absolute dicitur, quòd non obstante appellatione religiosi, Prælatus secundum regulam, & constitutionem ordinis eum corrigat, & castiget: idemque fine limitatione statuitur in dict. cap. *reprehensibilis*. Ergo nulla limitatio, vel exceptio addenda à nobis est, nisi quam ratio naturalis necessariò postulat; quod solum habet locum in manifesta iniuria. Præterea explicatur in hunc modum ex dict. capit. *ad nostram*. quia cum Prælatus possit, & debeat punire subditum iuxta regulam, ex duplici capite potest oriri dubium circa iustitiam punitionis, scilicet vel quia factum ipsum negatur satis esse probatum, vel quia pœna dicitur excedere modum regulæ. Ex hoc posteriori capite nunquam dubium potest esse sufficiens causa appellationis; quia si regula ponit definitam pœnam pro tali delicto, vel erit euidens excessus, si maior ponatur, vel certe erit clara iustitia ex hac parte, si pœna sit conformis regulæ; & ideo hoc signatim postulatur in dict. cap. *ad nostram*. quòd si minor fuerit, saltem respectu ipsius religiosi non erit iniusta: quòd si in ipsa regula pœna committatur arbitrio Prælati, eo ipso, quòd illam imponat, & non constat esse iniustam, existimatur prudenti arbi-

trio

trio positam, atque adeo iuxta regulam. Cùm autem dubium versatur circa facti notitiam, vel probationem, meritò etiam, præsertim inter religiosos, præsumitur pro facto Prælati, tum propter cõditionem status, tum etiam, quia inter religiosos in huiusmodi correctionibus necesse non est iudicialem ordinem exactè seruare, vt dicitur in c. *qualiter & quando.* de accusationibus in fine.

XI. *4. Assertio.* Quartò dicendum est, in grauioribus causis aliquando esse admittendam appellationem religiosi ad altiorem Prælatum, seruato debito ordine: in communibus autem defectibus, aut correctionibus, quæ nec infamiam inducunt, nec acerbam aliquam pœnam, vel dolorem, penitus non esse audiendam, sed humiliter, ac deuote suscipiendum, quod pro salute sua eis fuerit iniunctum, vt dicitur in dict. cap. *reprehensibilis.* Priorem partem probant, quæ ex Gregorio XIII. & Congregatione Cardinalium adduximus. Probat etiam naturalis ratio, quia tunc est talis defensio necessaria, quia nisi suspendatur sententia, & executio, imminet periculum grauis nocumenti, & fortasse irreparabilis. Hoc etiam ad minimum sentiunt auctores citati in responsionibus supra positis. Soto etiam & alij eam non negant quoad appellationem intra propriam religionem. nam omnia incommoda, quæ ex huiusmodi appellationibus Soto infert, in hoc fundantur, quòd decor, & quies religionis perit, si eorum causæ extra religionem ad seculares iudices, tametsi competentes, transferatur. Quæ incommoda non sequuntur ex eo, cùm intra religionem ab inferiori ad superiorem Prælatum appellatur: ergo si alioqui negotium graue est, & iniustitia clara, licite poterit talis appellatio fieri, quia tunc nec bono communi sequitur detrimentum, neque alteri fit iniuria, sed propria, & grauis propulsatur. Neque etiam ius commune tunc prohibet appellationem, quia iura citata non loquuntur in eo casu, in quo aliquod absurdum sequitur contra rationem naturalem: & idem dicendum est de quibuscunque priuilegijs, vel religiosorum regulis, quæ non prohibent appellationem, nisi à correctione regulari: quando autem punitio grauis est, & cum manifesta iniuria, non potest dici correctio regularis. Hæc autem assertio quoad hãc partem non repugnat primæ, quia hic casus extraordinarius est, vixque potest accidere in religione, quòd fiant tam graues, & manifestæ iniuriæ tituIo iustitiæ, & potestatis publicæ, & quòd tam grane periculum imminet recurrendo ad Prælatum altiorem simpliciori, & magis religioso modo: vnde quia res morales iudicandæ sunt ex his, quæ frequenter accidunt, ideo absolute dicitur interdicta vox *appellationis*, maximè verò cum illa restrictione, *regulariter.*

XII. Quod magis declaratur probando secundã partem, de qua maxime videntur loqui iura citata, & quoad eam rem procedunt, vt opinor, etiamsi in correctione excedatur modus; item de appellatione etiam intra eandem religionem, ab inferiori ad superiorem Prælatum. Quæ inprimis non habet locum intra eandem domum, tum quia ibi solum est vnus Prælatus, vt supponimus: tum etiam, quia ibi non est necessaria propria appellatio, cùm facile possit esse personalis recursus ad Superiorem, qui locum, & effectum appellationis habere potest, iuxta cap. *dilecti.* 2. de appellat. & quę ibi notantur. Hinc ergo probatur generaliter conclusio, quia si in his ordinarijs correctionibus, quæ iuxta disciplinam religiosam fiunt, locum haberet appellatio à Priore ad Prouincialem, & à Prouinciali ad Generalem, magna sequeretur perturbatio, & disciplina religiosa sine dubio corrueret, tum quia reuerentialis timor ad inferiores Prælatos, facile contemneretur: tum etiam, quia vix possent superiores Prælati expediendis singulorum religiosorum causis, & appellationibus vacare: tum denique, quia partim per huiusmodi dilationes, partim per fraudes, vel negotiationes, quæ interim misceri possunt, nulla fere fieret religiosa correctio: ergo ad bonum religionis expedit, vt in hac correctione simplicius procedatur sine vllo genere appellationis. Confirmatur, & declaratur, quia vbi intercedit rationabilis causa, quæ sufficiens esset ad appellandum, si eadem repræsentetur eidem Superiori, & ab eo humiliter petatur, vt pœnam remittat, aut temperet, moraliter loquendo, erit sufficiens remedium, quia religionum Prælati maxime debent recta ratione gubernari, & credendum est pro sui status obligatione, regulariter loquendo, ita procedere: si autem rationabilis causa non subest, neque etiam appellatio rationabilis erit. Quod si interdum, interueniente etiam iusta causa, illud remedium non sufficiat, minus malum est, quod in raro casu priuata persona incommodum aliquod patiatur, quàm vt relaxatio religionis per vsum appellandi à correctione regulæ introducatur. Eò vel maxime, quòd ex huiusmodi correctione non creatur infamia alicuius momenti, &, licet aliqua excogitari possit, per humilem certe obedientiam, & patientiam, non solum recompensatur, sed etiam superatur. Aliunde etiam in huiusmodi religiosis pœnis non est tantus labor, aut dolor, quin sine culpa possit facile sustineri ab his, qui perfectionem profitentur: nam & ipsi possunt & debent huiusmodi pœnas inter alias pœnitentias, & austeritates, quas voluntarie sumunt, computare, & Superiores possunt interdum similia propter solam exercitationem spiritualem præcipere: ergo est valde consentaneum huiusmodi statui, vt vox *talis appellationis* in eo non audiatur.

Vltimò addo, meritò concessum esse religiosis, vt etiam in grauioribus causis extra totam religionem non fiat appellatio. Duobus autem modis intelligi potest fieri extra totam religionem. Primo, ad iudicem non competentem; & de hoc genere appellationis non loquor, quia, vt supra n. 8. dixi, constat per se, & intrinsece esse iniquum, siue fiat ad laicos iudices, vel Principes, quod pessimum omnium est, & interdum contra censuram in bulla Cœnæ Domini latam; siue fiat ad Ecclesiasticos Prælatos non habentes iurisdictionem in tales religiosos, quia illud etiam est contra iustitiam, & contra præcepta, & priuilegia singularum religionum. Alio vero modo potest dici appellatio extra religionem fieri, quoties fit ad Prælatum secularem, & extrinsecum, vt sic dicam, cui religio, vel monasterium subiectum est; & hæc appellatio per se non est iniusta, vt constat. Circa illam vero distinguendum videtur inter religiones non exemptas, & exemptas: nam in illis, quæ subiectæ sunt Episcopis, non est prohibita appellatio in prædictis casibus ad Episcopum, cui monasterium subiectũ est, quia gerit vicem superioris Prælati, qualis in alijs religionibus esse solet Prouincialis, aut Generalis. In religionibus autem exemptis, de quibus præcipue loquimur, appellatio ad Episcopum ex vi exemptionis prohibita est, non vero appellatio ad Summum Pontificem, quæ iure diuino, & communi omnibus patet, vt probant iura supra num. 3. citata. De hac ergo appellatione dicimus in assertione, meritò concessum esse religionibus præsertim Mendicantibus, vt in eis non admittatur talis appellatio etiam ad Summum Pontificem, probaturque sufficienter ex indultis supra num. 2. citatis.

XIII. *5 Assertio, quod nec in grauioribus casibus extra totam religionem pediat appellare ad Prælatum extra religionem.* *Id quoque etiam ad iudicem competentẽ.*

XIV. Vt autem amplius explicetur, distingui potest duplex

Appellatio cum opus sit iter ad Superiorem cum licentia, licita est

duplex modus appellationis, quod notat Nauarr. consil. 5. de appellat. num. 7. facto scilicet, & verbo. Facto dicitur fieri, quando arripitur iter ad superiorem Prælatum, iuxta cap. *dilecti.* 2. de Appellat. Quod quidem, si fiat cum licentia proximi Prælati, licitum est, vt per se constat, & per argumentum à contrario sumitur ex Concilio Tridentino statim citando: tunc autem illa non est propria, & rigorosa appellatio, sed ille alius simplex recursus ad Superiorem. Si autem fiat inuito, aut inscio Superiore, videtur talis appellatio prohibita à Concilio Triden. sess. 25. cap. 4. de Regularib. ibi, *Nec licet regularibus à suis conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati, fuerint. Qui vero sine prædicto mandato in scriptis obtento reperti fuerint, ab Ordinariis locorum tanquam desertor sui instituti puniatur.* Nauarrus autem Comment. 2. de Regularib. num. 61. hanc prohibitionem interpretatur, vt non procedat in adeunte Superiorem ex graui causa; qualis est iniustum, & notabile grauamen, à quo non potest subditus aliter liberari: *Quia non est* (inquit) *credendum tantum Concilium voluisse derogare tam iustæ appellationi tam graui rationi nitenti*, scilicet, quia illud posset repugnare iuri naturali, quo malitijs hominum obuiandum est. *Præsertim* (ait) *quod non est petendus consensus ab eo, ad cuius grauamen tollendum, vel delictum castigandum, est agendum*: iuxta *glossam* in cap. *cum pastoru* 2. quæst. 7. & argumento c. *ex parte* de accusationibus.

Quid si quis eat sine licentia ex graui causa

XV. Veruntamen expositio hæc difficilis creditu est, quia, iuxta illam, prohibitio Concilij sine fructu fuisset, quia semper fuit in Ecclesia prohibitum religiosis arripere iter suo arbitrio, & sine vrgente causa sub titulo eundi ad superiorem Prælatum: Concilium autem nouum aliquid prohibere voluit, vt indicant illa verba, *nec ine at regularibus*. mens ergo Concilij fuit, vt nullo prætextu hoc faciant: minus enim incommodum existimat, vt religiosus interdum patiatur aliquod grauamen iniustum, quam vt totum corpus religionis illo prætextu magnum dispēdium patiatur. Existimo ergo hanc fuisse mentem Concilij, alias nullum fere remedium prioribus malis adhibuisset. Vnde in foro exteriori non excusabitur, vt opinor, huiusmodi religiosus hoc prætextu quo minus ab ordinario loci detineri possit, & puniri, licet nec excommunicatus sit, nec excommunicandus, vt Congregatio Cardinalium in quadam Declaratione aduertit. In foro autem conscientiæ tunc solum posset admitti hæc excusatio, quando vel magnum commune bonum euidenter periclitaretur, vel extrema necessitas immineret alicuius grauissimi, & irreparabilis nocumenti, quod non proprio, sed prudentum arbitrio iudicandū esset. Quapropter solo titulo appellationis à grauamine iniustæ sententiæ, moraliter loquendo, nunquam existimo hoc licere, quia raro esse potest grauamen tam notabile, tamque irreparabile, vt propter solam dilationem accedēdi ad Superiorem ordinato modo tam graue debeat existimari, præsertim, quia maior infamia, maiusque nocumentum, etiam spirituale, sequi solet ex huiusmodi perturbato discessu.

An illicitū sit ire etiam ad Sedem Apostolic. sine li. cētia.

XVI. Dubitari vero posset circa dictum decretū Concilij Tridentini, an sub illo verbo, *ad superiores suos accedendi*, comprehendi etiam debeat Romana Sedes: videtur enim in rigore non comprehendi, quia sub generali verbo non comprehenditur tam specialis authoritas, & quia nomine Superiorum, iuxta communem vsum solum significatur proprij Prælati religionis. Item, quia ius Pontificium non solet derogare, nisi expressa, & specifica mentio illius fiat. In contrarium autem est, quia ad intentionem Concilij multò magis necessarium erat hoc ostium claudere discolis religiosis, quàm cætera. Item, quia nomen *Superioris* generalissimum est, & in rigore plus videtur comprehendere, quàm si nomen Prælati positum fuisset. Item, quia alias nec legatus Pontificis sub eo decreto comprehenderetur, & ita licitum esset, inconsulto proprio Superiore, ad illum accedere, quod valde absurdum est. Et ideo existimo hanc posteriorem partem veriorem, & vsu receptam. Quæ non repugnat supremæ auctoritati Pontificis, quia ab ipsomet hæc prohibitio nascitur, nam, licet sit supremus pastor, vult, vt in accessu ad ipsum debitus ordo seruetur, & communi bono religionis prospiciatur. Tenebitur autem Prælatus religionis concedere subdito petenti hanc facultatem quando rationabilis causa subest: quòd si eam tunc neget, poterit subditus per aliam viam conqueri apud Summum Pontificem, vt seipsum defendat, vel alicui malo graui succurrat: si tamen nullum aliud remedium ei supereſt, tunc iuxta grauitatem causæ per modum epicheiæ iudicium ferri poterit.

Appellatio in priuilegiis concessis Religiosis, quæ sit.

XVII. De appellatione autem propria, & verbali intelliguntur specialia priuilegia, in quibus Sedes Apostolica concedit, vt etiam ad seipsam huiusmodi appellatio non fiat: nam verba simpliciter prolata, in proprietate sumenda sunt, & vox appellationis non aliud proprie significat. Ratione autem horum priuilegiorum, & sanctæ obseruantiæ optime, & religiosè attigit Soto, quia commune bonum religionis priuato præferendum est, & vnumquodque membrum pro bono totius postponere debet suum peculiare incommodum: plurimum autem interest religioni, vt causæ eius, & si qui sunt defectus, inter ipsos religiosos tanquam inter patres, & fratres componantur, & altissimo silentio recludantur: nam, si extra prodeant, decor etiam, & honor religionis minuetur, & paulatim peribit; præter alia incommoda, quæ ex libertate appellandi extra religionem in discolis, & inquietis hominibus sequerentur. Est etiam optima moralis ratio, quia sufficienter prouisum est religiosis per plures Superiores à Conuentuali, vsque ad Generalem, qui & facilius, & melius poterunt veritatem causæ cognoscere intra propriam religionem, quam externi iudices, etiamsi Pontificij sint. Merito ergo alia appellatio denegatur. Per hoc autem non prohibetur alia via legitima ad Summum Pontificem, dummodo proprijs Prælatis obedientia seruetur, donec Summus Pontifex aliud statuat: imo hoc est, quod præcipue dicta priuilegia concedunt.

CAPVT XII.

Vtrum in Prælatis regularibus sit potestas dispensandi cum subditis; & ad quam materiam extendatur.

I. POst explicatam potestatem directiuam, & coactiuam, dicendum sequitur de potestate dispensatiua: nam hæc etiam in perfecto Prælato necessaria est, quia sine illa non potest humanum regimen moraliter subsistere. Sit ergo hæc prima & generalis assertio, habere scilicet Prælatum regularem potestatem dispensandi cum suis subditis, (nam de extraneis nunc non agimus.) Hoc satis constat ex superioribus in cap. 5. vbi ostensum est eos habere iurisdictionem Episcopalem, ad quam pertinet hæc potestas dispensandi. Vnde etiam constat, hanc assertionem proprie habere locum in religionibus exemptis: nam quæ exempta non sunt, licut Episcopo subiacent in his, quæ iurisdictionis non voluntariæ, ita etiam in his, quæ sunt voluntariæ iurisdictionis, ex quibus est dispensa-

pensatio: & ideo non est tam necessaria potestas dispensandi in præfectis, vel superioribus talium religionum, neque ordinario iure illam habent, sed quantum vel Episcopus de illa commiserit; vel per specialia priuilegia eis sic à Pontificibus communicata; vel si quid habent ex legitima consuetudine præscriptum. At verò prælati exemptarum religionum iure ordinario, & ex vi exemptionis habent hanc potestatem dispensandi, sicut habent iurisdictionem Episcopalem, quia sub Pontifice Summo non habent alium proprium Episcopum extra suos prælatos; & ideo ad eorum munus, prout de facto in Ecclesia institutum est, pertinet hæc potestas; est ergo in illis ex ordinario iure, & consequenter dicenda est potestas ordinaria, & non tantùm delegata, sicut suprà de eorum iurisdictione diximus. & hæc de 1. parte tituli.

II. Hac igitur potestate suppositа, tria principalia dubia circa illam occurrunt explicanda. Primum, quantum se extendat, & consequenter circa quam materiam versetur. Secundò, in quibus prælatis religiosorum sit hæc potestas, id est, an solùm in Generalibus, vel Prouincialibus; vel etiam in conuentualibus, seu particularibus. Tertium, ad quas personas se extendat hæc potestas, id est, an ad solos professos, vel etiam ad nouitios, aut extendatur vlteriùs ad familiares, benefactores, vel alios similes. Primum autem dubium tractari potest in primis in generali per comparationē ad Episcopos. In qua cōparatione prima difficultas est, an prælati regulares possint dispensare cum suis religiosis in omnibus casibus, in quibus possunt Episcopi dispensare cum suis subditis. Et ratio dubitandi esse potest, quia Episcopus dispensare potest in omnibus, quæ sibi non sunt iure, aut consuetudine prohibita, seu specialiter Papæ reseruata; vt est vulgatū apud plures Canonistas, & Summistas; at prælati religiosorum non habent tātam potestatem, sed ad summū possunt quod eis iure aliquo concessum est, vt docuit Innocent. in cap. 2. de eo, qui furt. ord. suscepit. ergo. Confirmatur, quia in multis casibus possunt dispensare Episcopi, in quibus non possunt dispensare prælati regulares: vt v. g. in occultis suspensionibus, vel irregularitatibus potest Episcopus dispensare iuxta decretum Concilij Tridētini sess. 24. c. 6. de Reformat. in quibus tamen non possunt prælati regulares dispensare, & similia: ergo. In cōtrarium autem est, quia hi prælati, suppositа exēptione suarum religionum, iure ordinario habent hanc potestatem: ergo, si non limitetur, est æqualis quoad extensionem iurisdictioni Episcopali. Patet consequentia, tum quia illius loco succedit, seu subrogatur: tum etiam, quia non est maior ratio limitādi illam in vno actu, vel materia, quàm in aliis, nisi vbi aliquo expresso iure facta fuerit limitatio. Atq; hanc partem sequuntur Glossa, & Doctores communiter in Clement. 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis, verb. *Proprij.* & in capite *Abbatis.* de priuileg. in 6. verb. *Quasi Episcopalem.* & sumitur ex Nauarro in Summ. c. 12. num. 75. verſic. *Tertio.* & consil. 5. de sponsalibus, iuxta impressionem Romanam anni 1590.

III. *Prælati religiosi habent potestatem dispensandi in quibus Episcopi.*

Pro resolutione distinguere oportet, quędam esse, quæ conueniunt Episcopis iure ordinario quatenus Episcopi sunt, vt dispensatio vororum, quæ Episcopalia dicūtur, & in aliis casibus, qui etiam hac ratione Episcopales dicūtur: alia verò esse, quæ speciali iure conceduntur Episcopis, *vt legatis Summi Pontifi.*, vt sunt multi casus, vel potestates eis concessæ in Concilio Tridentino sess. 24. & 25. & aliis decretis de Reformat. quamuis vbicunque expressè additur illa particula, non de potestate dispensandi, sed de aliis actibus iurisdictionis, vel administrationis Ecclesiasticæ sermo est. Tertiò tamen sine additione illius particulæ, *vt Sedis Apostolicæ delegati*, quædam circa dispensationes specialiter conceduntur Episcopis, quæ antea non concedebantur, vt in dict. cap. 6. sess. 24. Concilij Tridentini. Quod ergo spectat ad primum ordinem actuum, seu facultatum, verum est in regularibus prælatis esse omnem potestatem dispensandi cum subditis, quæ est in Episcopis, seruata proportione: & hoc probat ratio superiùs facta. Addidi autem, *seruata proportione*, quia ratione subiectorum, seu materiæ multa cadunt sub potestatem, quam Episcopi habent ad dispensandum, quæ non possunt à prælatis religionum exerceri, quia non possunt esse actus suis subditis conuenientes: vt sunt, v.g. dispensatio in impedimentis matrimonij non irritantibus, vel quid simile. Sicut etiam è conuerso aliqua dispensatio potest esse accommodata statui religioso, quæ non potest habere locum in laico: vt, v.g. dispensatio in regula, & similes; hæc autem diuersitas materialis est. Formalis autem ratio vtriusque potestatis est dispensare cum subdito in his, quæ ordinariè possunt esse necessaria, & accommodata statui eius: & in hoc est æqualitas superiùs dicta.

IV. Quod verò attinet ad secundum ordinem, certum est ea, quæ illo modo conceduntur Episcopis, non extendi ad Prælatos religionum, quia iurisdictio, quæ illo titulo communicatur, non est Episcopalis, sed Apostolica, & ideo ex vi muneris non participatur ab his, qui iurisdictionem Episcopalem participant: neque etiam potest ad illos extendi cōcessio quæ fit Episcopis propter conuenientiam, quam in modo iurisdictionis cum illis habent, tum quia verba priuilegij seu delegationis in sua proprietate accipienda sunt: ergo delegatio, quæ fit specialiter Episcopo, non potest ad prælatum regularem extendi, qui verè Episcopus non est: tum etiam, quia in huiusmodi delegationibus maximè haberi solet ratio dignitatis Episcopalis, quam non habent regulares prælati, neque etiam absolutè, & simpliciter habent iurisdictionem Episcopalem, sed quasi Episcopalē, vt in superioribus declarauimus. Denique non solùm regulares prælati, sed etiam seculares inferiores Episcopis non comprehenduntur sub huiusmodi facultatibus, quia reuera non sunt Episcopi: & hoc ad minimum sentit Innocentius suprà. Neque in hac parte existimo esse controuersiam inter auctores.

V. In tertio ordine potest esse nonnulla maior difficultas, an religiosi prælati participent illam etiā potestatem dispensandi, quæ speciali iure conceditur Episcopis: nam ratio proximè facta videtur negatiuam partē suadere, quia licèt hæ facultates videantur gratiæ, & ex eo capite ampliandæ, tamen quatenus exorbitant à iure communi, videntur potiùs restringendæ saltem ad verborum proprietatem, quæ non potest dici restrictio, sed potius adæquata priuilegij interpretatio. Et hanc partem confirmat etiam auctoritas Innocētij, & textus, quem allegat, in *c. ad hæc.* de offic. ordinar. vbi dicitur, ardua negotia ad Episcopum esse deferenda: satis autē ardua sunt illa, quę cùm priùs, etiam ipsis Episcopis denegarentur, postea speciali iure eis conceduntur: ergo non sunt ad alios extendenda. Nihilominus aliqui censent, huiusmodi concessiones tam quoad dispēsandum, quàm quoad absoluendum, eo ipso quòd conceduntur Episcopis, intelligi concessa prælatis religionum, quatenus iurisdictionem Episcopalem ad hos actus absoluendi, & dispensandi absolutè, & simpliciter participant. Fundamētum est, quia huiusmodi concessiones non exorbitant à iure communi, sed potiùs per eas fit reductio ad commune ius; & ideo extenduntur ad omnes, qui participant iurisdictionem Episcopalem. Antecedens declaratur,

ratur; primùm ex illo principio, *quod ex vi sui muneris non possunt Episcopi circa suos subditos quidquid potest Papa in vniuersa Ecclesia, nisi eis sit specialiter prohibitum.* Nam ex hoc principio sequitur, omnes reseruationes, vel prohibitiones, quæ fiunt Episcopis in huiusmodi materia dispensationum, esse exceptiones quasdam à iure communi, nam per eas adimitur Episcopis id quod aliàs ex vi sui muneris competeret, si nō prohiberetur; sed id, quod conuenit ratione muneris, conuenit ex vi iuris communis, vel diuini, vel saltē Ecclesiastici vniuersalis, ergo tales prohibitiones, vel reseruationes continent exceptionem à iure cōmuni. Consequentia autem probatur, primò quia eo ipso quòd ablata est exceptio per concessionem factam Episcopis, redimus ad antiquum ius; sed ex vi iuris communis sibi relicti illæ facultates conueniunt omnibus habentibus iurisdictionem Episcopalem: ergo secundò, ablata prohibitione, Episcopus potest ex vi sui muneris, & non ex speciali delegatione Papæ; sed quidquid potest Episcopus hoc modo, possunt etiam hi prælati habentes iurisdictionem Episcopalem, iuxta doctrinam Panormitani, in cap. *si clerici. §. de adulteriis.* n. 13. de iudiciis, suprà à nobis probatum: ergo. tertiò quia illud principium, *quod Episcopi in hu possunt quidquid sibi non prohibetur*, immediatè applicari potest prælatis etiā regularibus exemptis: quia, vt dixi, habent commissam iurisdictionem Episcopalem in suos subditos, quæ ad omnia illa extenditur, quæ non excipiuntur: ergo sicut in Episcopo extenditur ad omnia non prohibita, ita & in his prælatis. Eo autem ipso quòd similis concessio facta est Episcopis, auferetur prohibitio: ergo.

VI. Fundamentum autem huius opinionis valde incertum mihi est, præsertim in materia dispensationum (nam de absolutione fortasse alia est ratio statim notanda) nullo enim iure satis probatur, Episcopum posse dispensare in omnibus, quæ ipsi non prohibentur: nam cap. *nuper.* de sent. excomm. quod ad hoc affertur, non loquitur de dispensatione, sed de absolutione ab excommunicatione, de qua fortasse est specialis ratio propter periculum animarū, quod regulariter in dispensationibus esse non solet; præter illud autem ius, nullum aliud afferri potest: imò sunt multa, quæ oppositum significant, vt disp. 7. de censur. sect. 4. à numer. 2. & lib. 6. de legib. cap. 14. à num. 4. latiùs dixi. Neque etiam ex sola ratione naturali potest illud principium colligi: nam licèt ex natura rei vnusquisque dispensare possit in lege à se posita, non tamen in lege posita à Superiore. Quin potius lex Superioris ex natura sua est reseruata, ne inferior possit in illa dispensare, nisi ab ipso Superiore, vel ab altiori talis potestas positiuè concedatur. Dicunt fortasse ita esse in præsenti: nam hæc potestas generaliter data est Episcopis à Christo Dom. quoad omnia, nisi per Pontificem limitentur. Sed hæc sententia quoad hanc partem de immediata emanatione iurisdictionis Episcoporum, generaliter falsa nobis semper visa est, vt tomo 4. & 5. 3. partis diximus, & lib. etiam 4. de legib. cap. 3. &, Deo dante, in 6. etiam dicemus tractando de Ordine Hierarchico Ecclesiæ. Specialiter verò videtur nunc improbabilis quoad potestatem dispensandi in legibus Papæ: nam, cùm hic sit ex se ordo præposterus, quòd inferior mutet legem Superioris, neque expediat nisi in certis casibus, vel materiis, incredibile est, illam fuisse quasi generalem regulam à Christo positam, & alium ordinem esse quasi exceptionem à regula. Magisque improbabile est, concessionem factam prælatis religionum ex vi diuini iuris habere hanc extensionem, cùm certum sit iurisdictionem hanc non esse in prælatis regularibus de iure diuino, sed immediatè a Papa, à quo ex vi iuris communis non amplius concessum illis est, quàm de facto habent Episcopi.

VII. Vnde intelligitur (quod valde notandum est) quòd licèt daremus respectu Episcoporum, denegationem alicuius potestatis se habere per modum priuationis, & limitationis iuris diuini; nihilominus respectu prælatorum inferiorum, etiam regularium solùm comparari per modum simplicis negationis, seu non concessionis; quia illi nihil vnquā habuerunt de iure diuino: de iure autem humano ex vi iuris communis solùm receperunt ea, quæ Episcopis eodem iure communi non sunt prohibita: ergo respectu aliorum, quæ specialiter Episcopis prohibentur, non se habent vt priuati, sed vt non recipientes talem iurisdictionem, vel, vt aliàs dici solet, non se habēt vt nudati, sed vt nudi. Quamuis ergo postea fiat specialis concessio Episcopis, & respectu illorum dicatur illa ablatio prohibitionis, respectu inferiorum nō potest talis existimari; quia illi nunquam fuerunt prohibiti, & positiua concessio illis non fit. Et potest hoc confirmari, quia sub generali concessione non veniunt specialia, quæ alioqui solent esse Superiori reseruata, vt est axioma iuris: ergo quamuis dispensatio aliqua, quæ secundùm antiquum commune ius erat reseruata Pontifici, nunc speciali iure Episcopis concedatur, non est hæc specialis concessio extendenda ad inferiores prælatos, quibus tantùm veluti per generalem concessionem communicatur Episcopalis iurisdictio.

VIII. Propter hæc mihi maximè placet doctrina Innocentij in num. 5. quoad hanc partem, scilicet, vt non facilè extendamus ad inferiores prælatos speciales concessiones factas Episcopis, præsertim quando illæ sunt ad casus extraordinarios, & non ad ordinarium regimen animarum. Nec Panormitanus, aut alij antiqui auctores in hoc contradicunt, sed loquuntur tantùm de generali iurisdictione Episcoporum quoad res ordinarias, & communes. Vnde circa dictum cap. 6. Concilij Tridentini sess. 24. inuenio à congregatione Cardinalium declarationem factam his verbis, *In hoc decreto non comprehenduntur inferiores habentes iurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem, sed tantum Episcopi priuatiue quoad omnes alios.* Quæ declaratio non potuit fundari in aliqua speciali ratione, aut locutione illius textus, sed in generali doctrina; & ideo ad omnes similes casus extenditur. Ad fundamentum autem contrariæ sententiæ positum numero 5. satis responsum est: quia neque in ipsis Episcopis admittimus illud principium ita generatim sumptum, vt possint quidquid non prohibetur: nec etiam admittimus consecutionem ad inferiores prælatos. Et sanè in exemplo illo de potestate dispensandi in irregularitate occulta, concessa à Concilio Tridentino, non video qua ratione dici possit, per illam redire ad antiquum ius: quod est enim illud ius antiquum, quod per illud decretum restituitur? nam humanū nullum ostendi potest, nec cum probabili fundamento dici potest, potestatem dispensandi irregularitatibus iure diuino conuenire Episcopis, cùm ipsæ irregularitates per solum ius Ecclesiasticum incurrantur; ad quod etiam spectat statuere quomodo, vel à quo tollendæ sint: quod maximè postulat ratio in pœnalibus irregularitatibus, de quibus Concilium loquitur: nam pœna à Superiore imposita, standō in diuino ac naturali iure, ab eo tantum remitti potest, vel ex eius voluntate.

IX. Ex his ergo ad primam interrogationem seu dubium suprà numero 2. positum, ad quid scilicet se extendat hęc potestas dispensatiua prælatorum regularium, respondendum est, generatim loquēdo & ex vi iuris communis se extendere ad dispensationes Episcopales secundùm idem commune ius, & non

& non vltrà, sistendo in eodem iure. Quod totum satis probatum relinquitur, vt opinor, ex discursu facto. An verò ex vi specialium iurium, aut priuilegiorum amplius possint, non est nostrum ex professo disputare, quia non assumimus onus explicandi omnia iura, & priuilegia omnium religionum in particulari, sed de sola Societate in postremo huius tomi tractatu magna ex parte id præstare conabimur, vbi in lib. 9. de his etiam dispensationibus nõnihil in particulari dicemus. Nunc solùm in generali dicimus multa esse priuilegia concessa religionibus, præsertim mendicantibus, ratione quorum multo ampliorem habent potestatem dispensandi cum suis subditis, quàm Episcopi habeant cum suis clericis, vel laicis. Specialiter autem notari potest priuilegium concessum à Pio V. fratribus Prædicatoribus anno 1571. die 22. Iulij, per quod extendit concessionem factam Episcopis à Concilio Tridentino sess. 24. c. 6. ad prælatos illius religionis, & consequenter aliarum, quæ in priuilegiis cum illa communicant. Et consequenter additur, vt possint, quidquid possunt Episcopi circa suos subditos, siue ex iure communi, siue ex Concilio Tridentino, siue ex quacunque alia facultate. Ampliùs verò extenditur horum Prælatorum potestas ex vi priuilegij Carthusiensibus cõcessi à Sixto IV. anno 1481. scilicet, vt Generalis per se, vel per quinquaginta prælatos inferiores ab ipso deputandos dispensare posit cum suis subditis in omnibus casibus Pontificalibus, nullo excepto, in foro conscientiæ tantũ; sola dispensatio in homicidio voluntario concedatur cum limitatione, scilicet, citra altaris ministerium. Et plura alia de priuilegiis referuntur in Cõpendio Minorum, & à recentioribus diligenter tractantur.

Multa concessa sunt prælatis regul. quæ non sunt in Episcopis.

X. Ex quibus, (vt, ad particularia descendẽdo, distinctius hæc potestas declaretur) intelligi potest, potestatem hanc dispensatiuam regularium prælatorũ ad omnem materiam Ecclesiasticarum dispensationum extendi quatenus in personis religiosis locum habere potest. Dico autem *ad omnem*, distributione accommodatè accepta, pro singulis generibus, non verò pro omnibus casibus, qui sub ipsis generibus comprehendi possunt, vt statim explicabo. Nam hæc materia dispensationum in quatuor capita distribui, & comprehendi potest, quæ sunt vota, irregularitates, Ecclesiastica præcepta, & in religiosis regularis obseruantia. In omnibus igitur his materiis possunt prælati regulares cum subditis dispensare, quanquam fortasse non posint in rebus omnibus, quæ sub illis capitibus comprehendũtur. Et in primis de dispensatione votorum satis diximus in superiori tomo, vbi ostẽdimus, in religiosis prælatis duplicem esse potestatem circa vota subditorum, scilicet, dominatiuam, per quam possunt illa irritare, & iurisdictionis, per quam possunt in eis dispensare. Et omissa priori, quæ ad præsens non spectat, & satis fusè ibi tractata est, in altera constat eandem esse in his prælatis, quæ est in Episcopis, quia in omnibus votis iure cõmuni dispensare possunt, quæ non sunt Summo Pontifici reseruata: & idẽ possunt religiosi prælati, de quibus addere possumus, dispensationẽ circa vota reseruata, vel inutilẽ, vel repugnantem, & noxiam illis esse; & ideo talem potestatem illis non concedi, nec moraliter potuisse. Solùm enim sunt vota reseruata religionis, castitatis, & quarundam peregrinationum. Primũ votum simplex religionis non habet locum in religiosis. cùm iam sint in termino illius voti (vt sic dicam.) Et quãuis religiosus professus possit votũ arctioris religionis emittere, tamẽ illud non est votũ religionis, nec reseruatum, & ideo sub hãc potestatem cadit, vt suprà diximus. Quòd si nouitius fortè habeat huiusmodi votum religionis, certum est nõ posse prælatum religionis cum eo dispensare, quidquid sit de aliis votis. Votũ autem castitatis constat esse indispensabile in religiosis per omnem prælatũ infra Summum Pontificem, quia votum illud solẽne est. Quid autem dicẽdum sit de speciali iure Societatis quoad eos religiosos, in quibus votũ illud simplex est, tractabimus infrà tract. 10. lib. 3. c. 9. Nũc autem certum sit, durante statu, votum illud esse indispensabile, mutato autem statu, cum illo auferri: mutationem autem status nõ posse fieri per modum dispensationis, sed potiùs irritationis. Cætera autẽ vota peregrinationum à religiosis fieri nõ possunt, nisi in ordine ad licentiam prælati; & ideo in potestate prælati erit dare, vel non dare talem licẽtiam, & votum irritare: confirmare autem votum, quantum est ex parte facultatis suæ, & alia via dispensare, non est illi cõcessum, nec talis potestas necessaria est moraliter. Quoad hãc ergo partem manet hæc potestas in terminis iuris communis, & Episcopalis iurisdictionis. Quædam verò alia, quæ specialiter circa quædam vota Societatis desiderari possunt, infrà tractabuntur in illo tract. 10. lib. 6. cap. 11.

Potestas nata Prælatis regularibus ad dispensandum cum subditis in votis, quæ non sunt reseruata Summo Pontifici, eadem est quæ Episcopis.

De voto castitatis.

De voto peregrinationis ad Hierosol. &c.

De Deuoto ingressus religionis.

Limitatio.

De potestate dispensandi in irregularitatibus.

XI. Circa secundum caput irregularitatum positum num. præced. in materia de irregularitate tomo 5. multa diximus, & ex dictis hic num. 6. constat, ex vi iuris communis generalis non habere Episcopos potestatem dispensandi in irregularitate vt sic, & consequenter in omni irregularitate non prohibita; sed ad summum posse dispensare in aliquibus irregularitatibus, eis concessis iure communi; quæ autem illæ sint, proprio loco illius tomi 5. explicatũ est. Similem ergo habebunt potestatem in tali materia prælati regulares, iuxta principium suprà positum. Statim verò occurrebat quæstio de potestate dispẽsandi in irregularitatibus ex delicto occulto contractis, concessa Episcopis per Concilium Tridentinum, an intelligatur cum proportione cõcessa prælatis regularibus. Sed ad hoc iam responsum est negatiue in n. 8.

XII. Occurrit verò vlterius interrogandũ, stante illo iure (de quo præter alia loca, in disp. 21. de fide sect. 4. à nobis disceptatum est,) & seclusis priuilegiis, an posint religiosi exempti obtinere dispensationem talium irregularitatũ occultarũ; nam cùm sint exẽpti à iurisdictione Episcoporũ, non poterũt ab Episcopis dispensari, quia dispensatio est actus iurisdictionis, & ideo solũ potest circa subditum exerceri. Si autem recurrendũ illis est ad Summũ Pontificẽ, erũt peioris conditionis, quàm alij clerici seculares, reportabuntq; incommoda ex sua exẽptione. Hoc argumento vti possunt qui putant, similem concessionem factam Episcopis eo ipso extendi ad prælatos regulares habẽtes iurisdictionem quasi Episcopalem. Sed certè neque illud verum est, vt dixi, neque argumentum id persuadet. Certum est enim potuisse Concilium solis Episcopis illam facultatẽ concedere, omnes inferiores prælatos, etiam exemptos, & regulares excludentem. Quid ergo tunc ad argumentũ esset respondendum? Idem igitur nunc respondemus. Dico ergo, regulares tunc dispensari posse ab Episcopis in his casibus, vnumquemque ab Episcopo illius diœcesis, in qua commoratur, & domicilium habet: nã, licet sit exemptus, tamẽ quoad aliquos actus Episcopi proprios, & omnibus respectiuè necessarios, est illi subiectus, vt aliàs dixi tomo 4. disp. 28. sect. 4. tractando de approbatione cõfessorum. Quod maximè verum habet quoad actus iurisdictionis voluntariæ, qui cedunt in fauorem, & vtilitatem subditi, qualis est actus dispensationis. Estque optimum exemplum de actu lucrandi indulgentias. nam licèt indulgentia sit Episcopalis, possunt

An religiosi dispensari valeant ab Episcopis in quibus nequeunt sui superiores.

possunt religiosi illa frui, vt in 4. tom adnotaui disput. 52. sect. 1. n. 3. & tamen indulgentia etiã suo modo est actus iurisdictionis: qui solùm circa subditos exercetur.

XIII. *Ad talem dispensationem requiritur licentia prælati ipsum tangentis aliqui.*

Dubitabit verò aliquis, an ad huiusmodi dispẽsationem sit necessaria licentia prælati, vel saltem an per eius prohibitionem possit impediri. Videtur enim vtrumque affirmandum, quia religiosus non habet velle, aut nolle: ergo non potest sine licentia prælati talem dispensationem procurare, aut illa gaudere. Confirmatur, quia ob similem causam nõ potest religiosus indulgentiam Episcopalem lucrari inuito suo prælato, vel sine licentia eius. Deinque, cùm isti sint actus iurisdictionis voluntariæ, non videntur posse exerceri ab Episcopo circa alienum subditum inuito eius prælato. Atque ita sentiunt Emmanuel Roder. tom. 1. quæst. 22. art. 3. & aliqui moderni. Sed distinguendum est de actu quoad valorem suum, vt habeat effectum, vel solùm quoad honestatem, vt rectè fiat. Item separare oportet actiones præuias & necessarias ad obtinẽdam, huiusmodi gratiam ab Episcopo, ab ipsamet gratia. Sæpè enim ad obtinendam dispensationem (& idem cum proportione est de indulgentia) necessarium est aut domo exire, aut literas scribere, vel aliquid simile operari, quod prohibente prælato religionis, aut sine licentia eius, iuxta religionis statuta fieri nonpotest, & has vocamus actiones præuias ad gratiam obtinendam, ratione quarum cõtingere potest, vt talis gratia sine facultate proprij prælati non possit ab Episcopo obtineri, saltem licito, & religioso modo. Nihilominus tamen, si religiosus cum affectu procuret dispensationem, & necessaria ad illam obtinendam faciat, & Episcopus eam concedat, valida erit, siue in modo procurandi religiosus rectè egerit, siue non, quia ille defectus est extrinsecus, & accidentarius ad valorem talis gratiæ. In hoc ergo sensu verum est, dispensationem hanc posse obtineri sine licentia prælati, imò ipso inuito: quod de indulgentia affirmauit Palud. in 4. d. 20. quæst. 4. n. 48. & idem est de hac dispensatione, quia vtraque est iurisdictionis volũtariæ, & est ad vtilitatem subditi sine vllo incommodo eius, vel religionis, & ideo ab illa non censetur religiosus exemptus: maximè quando talis potestas non communicatur proprio prælato, quia per exemptionem non debet fraudari commune omnium commodum.

XIV. *An quæ regulariter dispensari ab Episcopo, si ejus prælatus similem habeat potestatem. Arguitur pro parte affirm.*

Nonnullum verò dubium esse posset, postquam per priuilegia similis facultas concessa est prælato religionis, an. eo non obstante, possit religiosus petere ab Episcopo dispensationem irregularitatis occultæ: videtur enim posse, quia per extensionem factam respectu regularis prælati, non est ablata potestas ab Episcopo, ceditque in maiorem fauorem religiosi vt non auferatur; sicut, licèt Pontifex daret Rectori huius Collegij facultatem ad aliquam indulgentiam suis religiosis concedendam, nõ propterea essent prohibiti iidem religiosi quominus Episcopalem indulgentiam lucrari possint. In contrarium autem est, quia per illam cõcessionem, seu extensionem videtur cõsequenter extendi, & quasi consummari exemptio religiosorum quoad hunc actum: nam inde maximè colligimus, religiosum posse hanc dispensationem obtinere ab Episcopo in terminis Concilij Tridentini, quia non habet al iũ Episcopum, neque aliquem vice eius quoad talem actum: ergo eo ipso quòd prælato eius datur iurisdictio Episcopalis etiam quoad talem actum, cessat subiectio ad Episcopũ respectu eiusdem actus. Confirmatur primò: nam si à principio Concilium Tridentinum concessisset illam facultatem Episcopis, & regularibus prælatis habentibus quasi Episcopalem iurisdictionem, tunc nõ diceremus, religiosum posse dispensari ab Episcopo, sed tantum à suo prælato, quia illa facultas solum esset concessa vnicuique prælato respectiuè in ordine ad suos subditos: ergo idem dicendum est si per subsequens priuilegium in eodem statures constituitur. Confirmatur secundò, quia aliàs possent nunc religiosi exempti obtinere ab Episcopis dispensationes in omnibus casibus Episcopalibus, etiam si possint easdem obtinere à suis prælatis per communem, & ordinariam potestatem suprà explicatam: quod videtur esse contra morem, & contra religiosum ordinem, atque exemptionem. Sequela patet, quia per potestatem concessam prælatis religionum quoad hos actus iurisdictionis voluntarios non censetur ablata generalis potestas ab Episcopis, sed accumulatiuè in vtroque esse poterit, sicut in alio casu dicebamus, nam hoc etiam erit in maius commodum religiosorum.

Hæc res dubia profectò mihi videtur, ideoque XV.
securius est hanc posteriorem partem sequi in praxi obtinendo semper huiusmodi dispensationem à proprio prælato, vel de licentia eius, si recurrere quis velit ad Episcopum eo, quòd prælatus nõ vult, vel non audet sua potestate vti, aut de illa dubitat. Nam quòd de consensu prælati possit Episcopus hanc dispensationem dare, multi affirmant. Est autem probabile, prælatum exemptum eo ipso quòd ipse habet potestatem dispẽsandi, habet etiam ius, vt nullus se intromittat circa suum subditum, neque ipsum præueniat in vsu talis potestatis, & propterea tunc necessarium esse consensum prælati, etiam vt sit valida dispensatio: quod secus est quando prælatus ipse potestatem non habet. Est autem hoc maximè verisimile quando dispensatio attingit aliquo modo disciplinam regularem, vt magis explicabitur in c. 16. circa absolutionem. Nam exemptio, & potestas concessa prælatis religiosis magis respicit commune bonum religionis, quàm cõmodum singulorum; & ideo licèt priuatus religiosus velit cedere priuilegio exemptionis, non potest in detrimentum religionis: ita ergo quamuis posset obtinere dispensationem ab Episcopo occultè, & sine scientia sui prælati videatur commodum priuati religiosi, potest esse noxium, & iniuriosum religioni, ac proinde repugnans priuilegio exemptionis. Quod non solùm in absolutionibus à censuris & peccatis, (vt infrà dicam) sed etiam in dispensatione præceptorum tam communium Ecclesiæ, quàm propriorum religionis, mihi videtur certum.

Circa irregularitatum verò dispensationes vi- XVI.
detur res magis dubia, quia continet purum fauorem, & nullum nocumentum possunt afferre religioni. Et, vt rectè in simili adnotauit Paludanus suprà in num. 13. reliquæ absolutiones, vel dispensationes non sunt omninò iurisdictionis voluntariæ, quia per se procedunt à potestate tam ligãdi, quàm soluendi, ligandi (inquam) per præceptum, vel per iustam sententiam; dispensatio autem in irregularitate, sicut & concessio indulgentiæ, nihil videtur habere iurisdictionis inuoluntariæ, sed esse purus fauor, & gratia. Nullum etiam videtur afferre posse incommodum religioni, quia per illam nec remittitur delictum, nec tollitur à prælato religionis ius iudicandi, & vindicandi illud in eo foro, in quo illud nouerit: nec etiam propter talem dispensationem cogitur prælatus religionis concedere facultatem subdito recipiendi ordines, vel alium similem actum exercendi: solum ergo tollitur inhabilitas quædam, quod pertinet ad purum fauorem sine alicuius nocumento. Propter hæc ergo non videtur omninò improbabile, dispensationem datã ab Episcopo personæ exemptæ sine licentia prælati eius in materia irregularitatis alias dispensabilis ab Epi-

ab Episcopo, esse validam, etiamsi prælatus regularis habeat potestatem dispensandi in illa: maximè quando hæc potestas solum data est per extensionem quandam concessionis factæ à Concilio Tridentino. Quia per illam iam antea habuerunt Episcopi hãc potestatem etiam in religiosos exemptos, vt probauimus, & difficilius excluditur, quàm non admittitur hospes; nec satis probatur potestatem illam fuisse ablatam per subsequẽs priuilegium. Et ideo non est similis ratio si à principio non fuisset data, aut si decretum Concilij in aliam formam factum fuisset.

XVII. Nihilominus contrarium, vt dixi, securius est, & saltem ad seruandum rectum, & religiosum ordinẽ existimo esse necessarium, & non dubito quin prælati religionis possint strictè prohibere suis subditis, ne ab aliis quàm à suis prælatis talem dispensationem postulent, quando ipsi possunt eam concedere. Denique quoad alias irregularitates extra illud decretum Concilij Tridentini nulla potest esse controuersia, quia propriæ nullæ sunt aliæ irregularitates Episcopales, quantum est ex vi iuris communis: quoties consuetudine in aliquibus dispensare possunt; in eis id etiam obseruandum erit circa religiosos, quod consuetudine fuerit introductum, aut retentum: non existimo autem esse talem consuetudinem quòd religiosi exempti, ab Episcopo dispẽsentur; sed quidquid iuris ipsi habebant, trãslatum esse censetur ad regularem prælatum exemptum respectu suorum subditorum. Cõsulenda ergo sunt vniuscuiusque religionis priuilegia, prout sunt consuetudine interpretata, & recepta, & ita obseruanda sunt. Quapropter non descendam hoc loco ad examinandas singulas irregularitates, & particulares casus, an in illis possint, vel nõ possint prælati regulares dispensare cum suis subditis, quia cum non sint huiusmodi casus definiendi ex iure communi, sed ex particularibus priuilegiis, alienũ est à præsenti instituto, in propriis autem locis, & materiis, cùm occasio occurrerit, non omittemus ea, quæ opportuna visa fuerint.

De potestate dispensandi in præceptis Ecclesiæ.

XVIII. Tertium caput dispensationum ex recensitis nu. 10. est in præceptis Ecclesiæ. Circa quod eædem generales regulæ obseruandæ sunt: nam *quidquid iure communi possunt Episcopi in hoc genere circa suos subditos, possunt etiam hi prælati circa suos*, ex illo principio, quòd isti prælati habent iurisdictionem quasi Episcopalem, quæ ad hoc genus dispensationum maximè necessaria est: quia huiusmodi potestas regulariter versatur in his rebus, quæ frequenter, & ordinariè occurrunt, pro quarum dispensatione non potest semper fieri recursus ad Summum Pontificem: quæ necessitas non minus in religiosis personis, quàm in cæteris euenire solet: ergo eo ipso quòd eximuntur ab ordinaria iurisdictione Episcoporum, necesse est vt prædicta potestas eorum prælatis concedatur, alias non possent perfectè, imò nec commodè gubernari. Et intelligitur hoc ampliùs, si addamus quod suprà n. 14. & 17. insinuauimus, ita esse hos religiosos exemptos, vt iam non possint dispensationes in his præceptis ab ordinariis Episcopis obtineri, quia tota cura animarum eorum ablata est Episcopis, & translata in prælatos religionis: salus autem animarum in præceptorum obseruatione posita est, & ideo potestas dispensandi in præceptis ad curam animarum principalem, & Episcopalem maximè pertinet: ergo quibus prælatis commissa est hæc cura in religionibus, eisdem hæc potestas data est.

XIX. Vnde obiter colligo, quando in aliquibus specialibus priuilegiis harum religionum, dicitur vt possint in his præceptis dispensare, vel per illa priuilegia nihil præter ius commune conceditur, sed declaratur ius, quod ipsam exemptionem comitatur; vel certè si Pontifex aliquid amplius concedere intendit, illud certè erit vt faciliori modo, vel ex leuiori causa id facere possit, quàm valerent ex solo communi iure. Exempli gratia concessit Iulius III. *Bulla 2. an.* Societati vt eius Præpositus possit per se, vel alios professos dispensare cum personis Societatis circa ieiunia, & cibos prohibitos; quæ concessio videtur specialiter facta propter illam particulam, *per te, vel alios Societatem ipsam profess.* nam alioquin illa facultas muneri Præpositi coniuncta erat: vnde illa concessio à Gregorio XIII. generaliter extẽsa est, vt per quoscunque religiosos Societatis talis dispensatio fieri possit. Ad hunc ergo modum similia priuilegia expendenda, & intelligenda sunt.

Alia regula negatiua est, quidquid in hoc genere XX. Episcopi non possunt iure communi, prælatis etiã religionum non esse concessum, nisi ex speciali aliquo priuilegio aliud constet. Probatur, quia secluso huiusmodi priuilegio, non est vnde prælati regulares habeant maiorem potestatem, seruata proportione. Quòd autem per priuilegium Pontificis hæc potestas possit ampliari, nullus Catholicus dubitauit; imò quòd in multis ita factum sit, consulenti bullas religionum, vel compendia priuilegiorum, facilè constabit. Hic autem iterũ occurrit illa quæstio, qua nimirum regula vtendum sit ad cognoscẽdum quid in hoc genere concessum sit, vel prohibitum Episcopis, & consequenter his prælatis, an scilicet, quidquid non prohibetur, censeatur concessum. Sed hanc quæstionem latè tractaui in materia de Legibus, lib. 6. c. 4. & de censur. disp. 7. sect. 4. vbi censui, ea tantùm censeri in hoc ordine concessa, quę vel expresso iure canonico scripto, vel vsu constiterit esse concessa. Vsum autem & consuetudinem extendendam diximus ad omnia, quæ moraliter, ac prudenter ad regimen ordinarium animarum fuerint necessaria, nam extensionem hanc ipsa etiam ratio naturalis postulat, vt suprà etiam num. 10. tetigimus tractando de dispensatione in votis reseruatis. Iuxta hæc ergo principia de huiusmodi potestate prælatorum regularium iudicandum est.

Suboritur tamẽ hic quæstio, an quidquid in hoc XXI. genere Episcopis expressè concessum est iure speciali, censeatur consequenter concessum his prælatis. Exemplum sumamus ex Concilio Tridentino sess. 23. c. 11. & 13. de Reformat. vbi prohibet, ordinatum in inferiori ordine ante annum ab eo suscepto ascẽdere ad superiorem; dat tamen facultatem Episcopis dispensandi in ea prohibitione. Vnde statim oritur dubitatio, an prælatus regularis possit dispensare in huiusmodi interstitiis. Quidam ergo absolute affirmant, huiusmodi decreta extẽdi ad hos prælatos, propter generalia principia suprà posita, & consequenter aiunt in exemplo posito prælatum religiosum posse dispensare in interstitiis. Alij verò, licèt generalem illam doctrinam admittant, in illo exemplo hoc negant, quia putant Concilium ibi non concedere illam facultatem Episcopo, tanquam prælato eius, cum quo dispensatur, sed tanquam ordinatori, putant enim hanc dispensationem non pertinere ad ordinarium prælatum clerici ordinandi, sed ad eum Episcopum, à quo ordinandus est, ita vt si vnus concedat dimissorias literas, & alius ordines collaturus sit, dispensatio interstitiorum non pertineat ad concedentem dimissorias, sed ad ordinantem. Vnde rectè infertur, prælatum religionis vt sic non posse in hoc dispensare, quia non est ordinator. Dico autem *vt sic*, quia si contingat prælatum regularem habere priuilegium cõferendi minores ordines suis subditis,

tunc

tunc poterit cum illis dispensare in interstitiis taliũ ordinum, non quidem ex mera iurisdictione, quam habet vt prælatus, sed ex peculiari concessione, quę ad illum extenditur quatenus ordinator est. ita exposuit Emmanuel Rodericus tom. 1. Quæst. reg. q. 22. art. 7. dicitque constare ex contextu Concilij, & ex declaratione Card. prout refert (ait) Pater Gaspar Paraselus in lib. Priuilegiorum.

XXII. Ego verò in lib. manu scripto, earundem Declarationum Cardinalium, quem apud me habeo, magna diligentia, & auctoritate collectum, ad dictam sessionem 23. c. 11. in verbo illo, *Iudicio Episcopi*. hanc declarationem additam inuenio, quam etiam refert Marzilla lib. 3. tit. 13. c. 9. N. *n potest Episcopus, ad quẽ dimissus est ordinandus, hoc iudicium facere*. Quibus verbis apertè exponit contra superiorem interpretationem, hanc dispensationem non pertinere ad ordinantem, sed ad dantem dimissorias literas. Et ad c. 13. ad illa verba, *Si per annum saltem*, &c. additur, *Ob eminentiam doctrinæ, & bonum testimonium, & de consensu Ordinarij Summus Pontifex concedit, vt breuiori tempore*, &c. Vbi dum consensus ordinarij, non ordinatoris postulatur, apertè declaratur hoc ius esse prælati superioris, nõ Episcopi conferentis ordines. Præterea in ipso Concilio nihil inuenio, ex quo satis colligi possit loqui de Episcopo ordinante: nam in c. 10. verba sunt, *Hi vero non nisi post annum à susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoueantur, nisi necessitas, aut Eccl. siæ vtilitas iudicio Episcopi aliud exposcat*. Vbi constat, nomen Episcopi de se indifferens esse ad ordinantem, vel dantem dimissorias literas, & ex circumstantia literæ potius colligitur (vt Cõgregatio Cardinalium significauit) sermonem esse de Episcopo, qui sit proprius prælatus eius, qui ordinatur: nam ille melius potest iudicare de tali necessitate, vel vtilitate. Similiter in c. 13. solùm dicitur, *Nisi aliud Episcopo videbitur*. rectè igitur Concilium exponitur de Episcopo superiore eius, qui ordinandus est. Vnde consequenter erit probabilis prior sententia, etiam quoad illud particulare exemplum: cui fauet secunda declaratio Cardinalium suprà citata, quatenus vtitur nomine *ordinarij*, hæc enim vox propriè admodum comprehẽdit Prouincialem, seu prælatum religionis respectu suorum inferiorum.

XXIII. Sed quod attinet ad hoc particulare exemplum, cùm dispensatio hæc non solum ex iudicio, sed etiã ex voluntate pendeat, ex hac parte dici potest dispensatio hæc pendere ab Episcopo ordinante: quãtumuis enim Episcopus, vel prælatus, qui dat dimissorias literas, iudicet expedire, & facultatẽ det vt interstitia non seruentur, potest Episcopus, qui ordines daturus est, non esse contentus tali dispensatione. Vnde quantumuis prælati religionum cõtendant, huiusmodi dispensationem respectu suorum subditorum ad eos pertinere (vt est certè satis probabile) nihilominus (quod in praxi sæpè videmus) potest Episcopus eam non acceptare, quanquã fortasse sine rationabili causa id licitè facere non possit. E contrario verò, quamuis Episcopus velit conferre ordines religioso, vel alteri sibi non subdito, non seruatis interstitiis, non videtur posse iure id facere, nisi ex iudicio Episcopi dantis literas dimissorias, propter declarationem adductam, & rationem factam. Vnde quoad hanc partem nõ dubito, quin hæc dispensatio, seu iudicium hoc, respectu regularium, pertineat ad eorum prælatos, ad quos spectat dare illis dimissorias literas. Atque ita nomen Episcopi in dictis decretis ampliandum esse ad inferiorem prælatum habentem iurisdictionem quasi Episcopalem sufficientem ad dandas dimissorias literas: ita enim ex dicta declaratione colligitur, nec possunt commodè illa decreta aliter intelligi, cùm hæ personę non habeant alium Episcopũ, ad quem possit, vel debeat hoc iudicium pertinere. Quocirca, si prælatus religionis det subdito dimissorias literas simpliciter ad suscipiendum omnes ordines à quolibet Episcopo, nulla facta mentione interstitiorum, non videtur posse Episcopus ordinans solo suo iudicio à voluntate dispensare cum illo in interstitiis: quia omnis facultas simpliciter data, debet in reliquis omnibus intelligi secundùm ius: ergo ita sunt intelligendæ huiusmodi dimissoriæ literæ: ergo ex vi illarum non intercedit proprij prælati, & ordinarij iudicium circa talem dispensationem: ergo non potest ab ordinatore fieri, attenta dispositione, & declaratione Concilij Tridentini suprà dicta. Vnde tandem concluditur, hanc dispẽsationem in rigore magis pertinere ad prælatũ Ordinarium, quàm ad ordinatorem, quãdo hi distincti sunt: nam licèt vterque concurrere deberet, tamen acceptatio ex parte ordinantis magis videtur pertinere ad vsum dispensationis, quàm ad valorẽ eius: sicut etiam dimissoriæ literæ parùm vtiles erunt, si Episcopus nolit eis vti, seu ordines conferre, & nihilominus de se validæ sunt: ita ergo videtur dicendum de hac dispensatione: ergo, quantum est ex se, seu quantum ad actum primum (vt ficdicam) per quem persona fiat habilis, & sine impedimento potestas Episcopalis quoad hanc dispensationem videtur extendi ad prelatos religionis, quãuis ipsi modestiæ causa rectè faciant non tam vtendo verbo dispensandi, quàm rogandi Episcopos in literis dimissoriis, quas conferunt, vt admittant suos subditos ad ordines, non seruatis interstitiis, quia sufficiens necessitas, vel vtilitas intercedit.

XXIV. Non obstãte autem hac declaratione in illo particulari casu, quod ad generalem quæstionem spectat, non censeo indistinctè admittendam esse vniuersalem regulam, quam alij in n. 21. inducebant, vt vbicunque per specialia verba conceditur Episcopis potestas dispensandi in aliqua lege Pontificia, aut conciliari, eo ipso intelligenda sit concessa prælatis regularibus respectu suorum subditorum: nã licèt fortasse regulariter ita sit; non tamen videtur id esse infallibile propter rationes in superiori puncto adductas. Considerandа ergo in primis est materia legis: nam si illa pertineat ad salutem animarum, & ad bonum regimen spirituale earum, sine dubio admittenda est illa extensio, quia quoad hãc curam, vt suprà dicebam, prælatus religionis habet totum onus Episcopale: ergo & habere debet omnem potestatem, quæ ratione illius oneris, & curæ videtur concessa. Si autem materia legis non fuit huiusmodi, sed pertinẽs ad externum ordinem Ecclesiasticum, vt omnia scilicet decenter, & ordinatè fiant; tunc erit vlterius considerandum, an materia, & causa dispensationis talis sit, vt requirat notitiam & prouidentiam proprij prælati, vel solùm concedatur specialiter Episcopo propter maiorem rei auctoritatem, vel grauitatẽ, vel vt non frequenter ac vulgariter fiat. Quando enim concessio est prioris generis, signum est, intentionem legis esse, dispensationem committere Prælato Episcopali (vt sic dicam) & in eo sensu accipi tunc nomen Episcopi. Et hac ratione interpretati sumus decreta proximè tractata, & ex declaratione Cardinalium adducta, ad omnia similia decreta regulam, seu argumentum sumimus. At verò quando facultas datur posteriori modo quòd ex circumstantiis literarum constare poterunt, non facilè est recedẽdum à proprietate verborum, nec specialis concessio per generales regulas mensuranda est, vt suprà latiùs est declaratum: sed hic modus concessionis rarò inuenietur in puris præceptis, nisi aliqua irregularitas, vel inhabilitas dispensanda interueniat: de quibus iam dictum est.

De potestate dispensandi in obseruantiis, seu obligationibus ipsius religionis.

XXV. Quartum caput harum dispẽsationum positum numer. 10. est regula ipsa, seu obseruantia regularis. Circa quod generatim loquendo certum in primis est, potestatem hanc dispensatiuam versari posse circa hanc materiam. ita docet gloss. vlt. in c. vlt. 20. q. vlt. & in c. *carnem.* de Consecr. d. 5. Sylu. verb. *Dispensatio.* n. 20. Angel. eodem verbo, n. 8. & alij infrà citandi. Hoc colligitur primò ex cap. *Cum ad monasterium.* de statu monachor. vbi in fine sic dicitur, *Nec estimet Abbas quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare: quia abdicatio paupertatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa regulæ monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Ex quibus verbis duo colliguntur. Vnum est, non posse prælatum dispensare in substantialibus votis status religiosi, neque in aliquo actu, qui sit contra obligationem eorum: quòd hîc pro certo supponimus ex suprà dictis, & ex Concilio Triden. sess. 25. de Regular. c. 1. dicente, *Cum compertum sit abeũ* (scilicet à prælatis) *non posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari.* Vnde in præsenti vota substantialia non comprehendimus sub obseruantiis regularibus, sed cætera, quæ ad regulam pertinent. Aliud ergo in illis verbis insinuatum est, posse prælatum in his obseruantiis, & regulis dispensare. Imò per argumentum à cõtrario videtur ex illis verbis colligi, posse dispensare in omnibus, quæ non sunt cõtra substantiam votorum: nam si ideo non potest dispensare in proprietate, quia est contra substantiam voti, poterit in his, quæ contra substantiam non fuerint. Sed, quod spectat ad hanc vniuersalitatem, argumentum non est efficax, quia non oportet vt ratio illa Pontificis sit adæquata, potuit enim adduci vt notior, & efficacior, quidquid sit de assertione, de qua paulo inferiùs. Rectè autem inde colligitur sim; liciter, aut indefinitè, quod possit dispensare in regula: nisi enim hoc supponeretur, neque oportuisset illam specialem exceptionem facere, neque speciali ratione illam confirmaret.

XXVI. Ratio etiam hoc conuincit, tum quia si possunt dispensare in præceptis Ecclesiæ, multò magis in regulis religionum: tum etiam, quia hæc dispensatio frequenter necessaria est: ergo oportet vt sit commissa Ordinario prælato, aliàs nõ esset sufficienter regulari vitæ prouisum. Vnde constat, potestatem hanc conuenire prælatis ex vi iuris communis suprà declarati. Probatur, quia iurisdictio Episcopalis extenditur ad ea omnia, quæ spectant ad subditum, iuxta proportionem ad statum eius. Sicut ergo Episcopus potest dispensare cum clerico seculari in obligationibus pertinentibus ad statum clerici, vel ad officium, aut beneficiũ eius; ita cum proportione potest prælatus regularis dispensare cum subditis in propria eorum regula. Vnde etiam Episcopus potest dispensare cum religiosis sibi subiectis, & non exemptis, in his, quæ pertinent ad obseruantiam regulæ: ergo hęc facultas per exemptionem eo ipso trãsfertur in prælatum regularem. Dices: Cur ergo interdum dantur religionibus specialia priuilegia? Respondeo breuiter, sicut in superioribus sæpe dixi, talia priuilegia vel nihil nouum cõcedere, sed explicare magis potestatem horum prælatorum ad tollendos scrupulos; vel certè concedere aliquam peculiarem circumstantiam, ad quam ordinaria potestas nõ extendebatur, vt v. g. ad dispensandum faciliùs, vel cum minori necessitate. Quid autem horum duorum per priuilegium intendatur, ex materia, & verbis, aliisque circumstãtiis eius colligendum erit.

Quæri autem potest, an hæc potestas extendatur solùm ad regulas directiuas (vt sic dicam) quæ non obligant ad culpam saltem mortalem, vel extendatur etiam ad quamcunque obligationem grauem, & sub mortali, prouenientem ex regula, vel ex peculiari voto religionis, præter tria substãtialia. Hãc dubitationem attingit Emmanuel Rodericus to. 1. q. 26. art. 1. distinguitque in religione tria: quædam substantialia religioni vt sic, quæ indispensabilia sunt per hanc potestatem, vt diximus, alia substantialia tali religioni, vt talis est; quæ indicauit Concilium Trid. c. 1. de Regul. sess. 25. in illis verbis, *Ac sub quæ alia sunt al cuius regulæ, & ordinis peculiaria vota, & præcepta ad eorum respectiue essentiam pertinentia.* & huiusmodi putat dictus auctor esse omnia vota, quæ in aliqua religione, præter tria substantialia, fiunt: item omnia præcepta, quæ ad peccatum mortale obligant. In tertio ordine sunt, & accidentaria dici possunt, omnia, quæ in regula continentur, & hunc gradum obligationis non imponunt. Respondet igitur, potestatem prælatorum regularium extendi ad omnia tam in secundo, quàm in tertio ordine contenta: quia Concilium solùm dixit, religiosum prælatum non posse relaxare ea, quæ sunt de substantia regularis vitæ; & non dixit, huius, vel illius vitæ regularis, sed absolutè, *vitæ regularis*, quæ solùm sunt ea, quæ pertinent ad primum ordinem: ergo significat, in aliis omnibus posse; quia exceptio firmat regulam in contrarium. Citat enim in hanc sententiam D. Bern. lib. de Præcep. & disp. D. Th. 2. 2. q. 47. a. 3. Sylu. verb. *Dispensatio.* q. 14. Sot. 1. de Iustit. q. 7. a 3. & lib. 8. q. 3. a. 1. dub. 2.

XXVII. *An hæc potestas extendatur ad graues obligationes.*

Triplex ordo obligationũ in religionibus iuxta quosdam.

Hæc verò doctrina non potest, vt existimo, ita vniuersaliter, & sine limitatione defendi; ideoque ad explicandam veritatem, distinguamus vota peculiaria vniuscuiusque religionis à regulis, & præceptis obligantibus sub mortali: est enim inter hæc duo maxima differentia, quamuis ambo ex regula, & ex voto oriri videantur: nam & vota peculiaria secundùm regulam fiunt, & præcepta regulę aliquo modo includunt votum obedientiæ; est nihilominus differentia, quòd licèt regula ordinet vt votũ fiat, tamen immediate non oritur obligatio ex regula, sed ex voto, vt in religione Minimorũ regula ordinat fieri quartum votum abstinẽdi à carnibus, facto autem voto, comedere carnes est sacrilegium immediatè oppositum voto: è contrario verò, si sola regula immediatè obligat ad eandem abstinentiam, v. g. etiamsi obliget sub mortali (vt quidã de Carthusianis dicunt) non est obligatio voti, neque excedit obligationem præcepti humani Ecclesiastici: quia votum obedientiæ, quod illa lex supponit, obligat immediatè ad seruandam vnamquamque regulam, vt suprà dixi, sed vnaquæque regula obligat iuxta sensum, & virtutem suam.

XXVIII. *Prænotatio pro vera responsione duplicis obligationis, ex voto, aut ex regula.*

Valquez 1. 2. disp. 162.

Primò ergo de obligatione ex votis assero, prælatum religionis respectiuè non posse dispensare in omnibus votis, quæ vnaquęque religio sibi assumit tanquam substantialia suo instituto: imò, propriè loquendo, nunquam credo posse dispensare in talibus votis secundùm se, licèt in aliquo actu vel vsu eorum interdum possit dispensare iuxta legem, aut morem religionis. Explico & probo hanc assertionem primò inductione, quam idem auctor facit, adducens in primis specialia vota Professorum Societatis. Præcipuum est quartum votum obediendi Summo Pontifici in missionibus: de quo nec cogitari quidem potest, quòd per prælatos Societatis dispensari possit, tum quia non est simplex, sed solenne, vt constat ex Constitutionibus, & ex Bullis Pontificiis, & infrà suo loco tract. 10. lib. 6. c. 4. dicetur: tum etiam, quia est de substãtia specifica huius status, vel professionis, quam nulla potestas infra Pontificiam immutare potest: tum etiam, quia esset

XXIX. *Prima Assertio de votis aliis à cõmunibus omni Religioni.*

valde absurdum quòd inferior prælatus possit dispensare in voto facto de obediendo superiori prælato. Præterea, quia vel prælatus Societatis potest dispensare in hoc voto quoad vsum eius; & hoc non, aliàs, præcipiente Pontifice missionem alicui professo, posset prælatus Societatis dispensare, ne illi obediret. quod absurdissimum est, nam hoc modo præceptum Papæ subiiceretur voluntati prælati Societatis: vel posset dispensare in ipso voto secundùm se, id est, auferendo totum ipsum votum; & hoc repugnat intentioni; & menti totius Societatis, & immutabilitati professionis eius, quam habet iuxta Bullas Pontificias, & iuxta intentionem vouentium, & acceptantium, nec tantùm vt professio est, sed etiam vt talis professio est. Et hoc confirmant verba Concilij Tridentini dict. cap. 1. ita intelligenda: *Si enim illa, quæ bases sunt, & fundamenta totius regularis disciplinæ, excidè non fuerint conseruata, totum corruat adisi ium necesse est.* Ratio enim, quam hæc verba continent, cum proportione vim habet in tali religione, secundum suam speciem (vt sic dicam) considerata, non enim debet esse stabile, ac firmum hoc ædificium secundùm generalem rationem tantùm, sed etiam secùdùm propriam; hæc autem euerteretur, si aliquod ex fundamentis eius relaxari posset. Denique quæ de aliis votis dicemus, de hoc à fortiori conuincunt.

XXX. *Arguitur non videri hoc assertū procedere de votis saltem simplicibus prof. sorum Societ.*

De aliis igitur votis simplicibus, quę religiosi Societatis post professionem emittunt, idem dicendū censeo. Sed priùs obiter aduerto, prædictum auctorem inter hęc vota Societatis ponere votum de detegendo ea quæ aliquis per ministerium procurasse repertus fuerit. Sed de hac re nō fit in Societate votum, sed de detegendo eo, qui dignitatem ambiret. Itaque idem de his votis dicimus, quamuis de illis nonnulla esse possit maior ratio dubitandi, nam illa simplicia sunt, & ex hac parte ordinario iure dispensabilia, vnde, cùm non sint peculiariter reseruata, videtur probabile subesse potestati prælati, quia, vt diximus iure cōmuni omnia vota Episcopalia sunt dispensabilia à prælato religionis in suos subditos, omnia autem vota, quæ specialiter reseruata non sunt Pontifici, sunt Episcopalia. Vnde cōfirmatur: nam si religiosi Societatis non essent exēpti à iurisdictione Episcoporum, Episcopi iure suo possent in his votis dispensare, eo ipso quòd reseruata non sunt: ergo, iuxta superius dicta, per exemptionem translatum est hoc ius in prælatos Societatis. Imò, si non fuisset ita translatum, videretur adhuc manere in Episcopis, quia nullo alio iure, vel speciali prohibitione illis sublatum est.

XXXI. Nihilominus pro certo iudico, Generalem non habere in Societate talem potestatem. Quod in primis mihi persuadet communis totius religionis consensus: nam cùm ipsa talem potestatem in se nō agnoscat, neque aliquem eius vsum aliquando vsurpet, imò nec sibi conuenientem iudicet, signum profectò est nec talem potestatem ipsi esse datā, nec intentionis, aut voluntatis eius esse vt Generalis, vel prælati illam habeant. Secundò declaratur ratione, quia hæc potestas nec speciali iure concessa est Societati, in nulla enim Pontificia Bulla est illius mentio, neque in omnibus Societatis constitutionibus: neque etiam communi iure cōcessa est, quia nullum commune ius est, quod de similibus votis loquatur, & quod de cæteris votis Episcopalibus loquitur, non potest rationabiliter ad hæc vota extendi.

XXXII. Et quoniam in hoc vltimo est punctum difficultatis, variis modis illud ostendo. Primò ex principio iuris, quòd sub generali cōcessione non veniūt ea, quæ specialem rationem habent, & difficultatē, quæ proinde non esset aliquis verisimiliter in specie concessurus, sed in his votis est specialis difficultas, & optima ratio, ob quam non sit verisimile sub illa generali concessione cōprehendi, & committi prælato religionis: ergo. Explicatur minor, quia illa vota licèt nō sint absolutè de essentia huius status, sunt tamen valdè propinqua, & quasi propriæ passiones eius, pertinentēq; ad cōsistentiam, & quasi integritatem eius: hæc autem non cōmittuntur prælato, sed supponuntur potiùs tanquam bases huius religionis in suo gradu, vt in cæteris reb. possit prælatorum potestas conuenienter administrari, iuxta ea, quæ ex Concilio Tridentino suprà citauimus.

XXXIII. Secundò declaratur in hunc modum, quia in religioso duplicia vota distingui possunt, quędam dici possunt personæ, alia status: status voco ea vota: quæ ex vi cuiuscunque instituti emittuntur, & exiguntur veluti ad complementum professionis talis status: personæ autem appello ea vota, quę vnusquisq; religiosus suo arbitrio superaddit vltra exigentiam status. Ius ergo commune concedit potestatem prælato ad dispensandum in votis personalibus, seu priuatis religiosorum; non tamen licèt nobis extendere hoc ius ad vota status, & communia religioni: quia nec ratio potestatis, nec vtilitas religionis suffragatur. Vota enim ipsius status quasi complent, & perficiūt proprium onus talis religionis, alia verò personalia vota sunt onera superaddita toti ponderi religionis, & ideo in his posterioribus potestas dispensandi vtilissima, & necessaria est, in prioribus verò, moraliter loquendo, non est vtilis dispensatio, & ideo nec potestas ad illam pęstandam vtilis esset religioni; vnde nec verisimile est illi esse datam. Nam licèt fingatur casus, in quo talis dispensatio posset esse vtilis, adeo est rarus, & difficilis, vt propter illum non fuerit concedenda hæc potestas, neque aperienda via ad multiplicandas huiusmodi dispensationes: manśit ergo hæc potestas in eodem Pontifice qui religionem confirmauit, eamque sub suo patrocinio recepit. Et confirmari potest hæc ratio, quia potestas dispēsandi vota in prælato religionis respectu subditorum non magis extēditur, quàm potestas irritandi, quia hæc est magis intrinseca, vnde eius vsus & vniuersalior, & facilior esse solet: sed prælatus Societatis nō potest hæc vota irritare, vt est certissimum, quia pertinent suo modo ad ipsum statum: ergo nec dispensare in eis potest.

XXXIV. Tertiò declaratur in hunc modum, quia hædispensatio vel dari potest à prælato in toto voto, aut in aliquo actu, vel vsu eius: neutrum dici potest: ergo. Minor quoad priorem partem explicatur: nam dispensare illo modo in voto, est auferre omninò à me votum, & obligationem nō procurandi dignitatem, aut non relaxandi paupertatem. Quòd ergo Præpositus Generalis hoc non possit efficere, inūbitatū apud nos esse debet, quia tunc maximè procedunt rationes factæ, quia ad illam nō spectat soluere propria religionis vincula per sedem Apostolicam approbata, & quodammodo confirmata. Item, quia aliàs posset dispensare simul cum omnib. professis, & secum saltem mediante Confessore; & consequenter posset dispensare cum vno, vel pluribus, aut certè omnibus, qui denuò admittuntur ad professionem, ne illa alia vota simplicia emittant: & similia absurda inferri possunt, de quibus eadem est ratio, quantum attinet ad potestatem, licèt ex parte causæ maior in quibusdam, quàm in aliis requiratur. Quòd si in his potestas est in solo Summo Pontifice, quia pertinent ad substantiam huius religionis secundùm speciem suam, profectò etiam tollere omninò talia vota, vel aliquod eorū à quolibet professo, pertinet ad solum Summum Pontificem, à quo etiam ex defectu causæ rarò potest talis dispensatio concedi.

Poste-

XXXV. Posterior pars minoris haberet locum, si Superior posset dispẽsare cum professo Societatis vt acceptet dignitatem sibi oblatam extra Societatem, etiamsi ei non præcipiatur; vel vt non manifestet ambientem, vel procurantem dignitatem, etiamsi sciat. Et in hoc in primis vix potest occurrere rationabilis causa talis dispensationis: nam si occurrat tanta necessitas, quæ obliget prælatum ad approbandum illud factum, vel omissionem non obstante voto, profectò sufficiet interpretatio quòd tunc votum non obliget, propter graue aliquod periculum, vel quid simile: si autem necessitas tanta non est, vix potest esse sufficiens causa iustæ dispensationis, maximè respectu prælati Societatis, qui maximè tenetur consulere maiori bono spirituali totius Societatis, & singulorum subditorum, ad quod talis dispensatio nihil potest deseruire. Et sanè si S. P. Ignatius intellexisset, Generalem habiturum potestatem ad dispensandum illo modo in voto nõ acceptandi dignitatem, non posuisset vt conditionem necessariam quòd præcipiatur, sed potiùs dixisset, nisi ex facultate, aut iudicio Generalis vt sæpè aliàs dicit; noluit autem hoc iudicio aut voluntati alicuius relinquere, sed illius tantùm, qui possit præcipere, & per præceptum suum extrahat actũ à materia voti.

XXXVI. Præterea est optima ratio, quia ex potestate ordinaria nullus potest dispensare in voto ex parte, qui non potest in totũ: ergo si prælatus non potest dispensare in toto: nec in parte poterit. Antecedens declaratur: nam per delegationem solet aliquando committi dispensatio in vno, vel alio actu voti, vt ad petendum debitum, v.g. licèt non committatur in toto voto. Sicut etiam solet committi potestas commutandi, & non dispensandi: in præsenti autẽ non est facta aliqua delegatio, vt per se constat. Per potestatem autem ordinariam nũquam potest fieri vnum illorum, quin etiam possit dispẽsari aliud, vt facilè constare potest inductione: sicut etiam nemo potest iure ordinario commutare votum, quin possit etiam dispensare. Et ratio est, quia obligatio voti eiusdem rationis est in toto, & in parte, & aliàs potestas ordinaria de se simpliciter cadit in votũ, nisi aliunde limitetur, quæ limitatio in præsenti nulla etiam est: ergo si ordinaria potestas prælatorum Societatis extenditur ad dispensandum hæc vota quoad aliquos actus eorum, etiam extẽdetur ad ipsa secundum se. Et in hoc (vt obiter id adnotemus) est differentia notanda inter dispensationem in voto, & in lege: nam in lege dispensare potest iure ordinario qui non potest illam tollere; in voto autem qui dispensare potest, in eo potest illud tollere. Et ratio differentiæ est, quia lex nõ tollitur per dispẽsationem, sed per abrogationem, qui est actus superioris potestatis; votum autem per dispẽsationem tollitur. Cuius differentiæ potest vlteriùs ratio reddi, quia votum est quasi priuata lex huic tãtùm personæ imposita, & ideo eximere talem personam à tali lege, quod est dispensare, est etiam tollere votum; lex autem est generale præceptũ, quod non tollitur, licèt vnus, vel alius ab illo eximatur, & ideo maior potestas necessaria est ad tollendam legem, quàm ad dispensandum in illa.

XXXVII. Vltimò confirmare possumus hanc resolutionẽ, quia si prælatus Societatis posset in his votis dispẽsare, posset id facere non solùm Generalis, sed etiã Prouincialis, imò & localis Præpositus; quod dicere valdè absurdum est, & nullo modo in ædificationem, sed in destructionem. Sequela patet, quia si admittitur hæc potestas, solùm est propter Generalem potestatem dispensandi in votis non reseruatis; hæc autem potestas quamdiu non limitatur, vel vsus eius prohibetur, tanta est in minori prælato, quanta in maiori, & ita est de facto in præ-

latis Societatis, quia nulla facta est limitatio, quæ nobis innotescat: ergo si Generalis potest, etiam alij possunt. Veritas ergo est, potestatem illam communem dispensandi in votis Episcopalibus non extendi ad hæc vota, quia illa potestas solùm versatur circa vota personæ, non circa vota status, vt declaratum est. Vnde etiam dici possunt, hæc vota status esse reseruata, sicut & ipse status quoad suam immutabilitatem immutabilis est.

XXXVIII. *Primum corollar. ex veritate comprobata, pro voto substantiali Scholarium Societatis.*

Quo ex fundamento seu ratione, inferre possumus primò, vota Scholarium, vel coadiutorum Societatis, licèt simplicia sint, potius reseruata, quàm Episcopalia dici posse, nullus enim Episcopus potest in eis se intromittere, vt Greg. XIII. definiuit: & optima ratio, præter Pontificis decretum est, quia illa vota non sunt communia & vulgaria (vt sic dicam) sed sunt vota status religiosi, & per Pontificẽ confirmati, & exempti. Quamuis autem prædicta vota simplicia professorum Societatis non ita formaliter ac primò constituant religiosum statum sicut vota Scholarium, sunt tamen suo modo per se annexa perfectiori statui, & ad quandam illius consummationem necessaria, & ideo imitantur naturam eius, sicut accessorium imitatur principale. Ex quo etiam infero, promissionem illam, seu votum ingrediendi Societatem, quod emittit scholaris approbatus Societatis, esse indispensabile tam per Episcopos, quàm per eiusdem religionis prælatos, sicut vota & status religiosus, quibus illud votum connectitur, indispensabilia sunt: quamuis enim alio modo auferri, seu irritari possint, non tamen dispensari, & perseuerante illo statu, fieri non potest quin promissio illa & obligatio eius integra maneat, quamuis executio ex voluntate Superioris pendeat.

Secundum corollar. pro eorundem voto ingrediendi Societatem.

XXXIX. *Tertium Corollar. pro voto clausuræ, & abstinendi à carnib. &c.*

Sequitur præterea ex dicta resolutione, idem dicendum esse de quocunque statu religioso habente votũ aliquod ex peculiari ratione talis status præter tria vota communia, nam tale votum indispẽsabile est per prælatos religionis, propter rationes factas, quæ generaliter procedunt ex natura status religiosi, & conditione talis voti; & ideo punctum hoc non reseruauimus in peculiarem tractatum de Societate, quia de se commune est. Ita ergo censeo de monialibus Sanctæ Claræ, quoad votum clausuræ, non enim possunt in illo dispensare prælati minores, quia non possunt votum illud, vel obligationem eius auferre. Idem est de voto non comedendi carnes, quod religiosi Minimi emittunt: nam per eorum Superiores tolli, seu dispensari non potest ob easdem rationes. Nec refert quòd prælatus possit aliquando dare licentiam egrediẽdi, aut comedendi, &c. nam suppositio voto, hoc tantum fieri poterit vel interpretando casum esse talem, in quo votum non obliget, quod non est dispensare, vt in tractatu de voto lib. 6. c. 9. dixi; vel subtrahẽdo materiam voti, quia nimirum in ipso voto emittendo vel expressè, vel secundùm regulam includitur cõditio non faciendi hoc, vel illud, nisi approbãte, vel ordinante Superiore: tunc enim dum ipse ordinat, vel dat facultatem, non dispensat, sed facit vt cesset materia voti. Hac autem integra manente, indispẽsabilia esse existimo talia vota per inferiores prælatos, etiam per Episcopos, quia ex vi status, cui sunt annexa, sunt alterius ordinis, & habent quasi peculiarem modum, reseruationis, vt explicatum est.

Secundò dicẽdum est de obligationibus religionis sub mortali ex Regula, vt num. 28. notabamus; quæ meritò dici possunt pertinere aliquo modo ad substantiam religionis, cùm suo modo pertineant ad substantiam vitæ spiritualis in tali religione. Quin potiùs aliqua, quæ nec vouentur, nec illo modo præcipiuntur, in aliqua religione reputantur de

Secunda Assertio graues obligationes dici posse substantiales Religioni in qua dantur.

substantia eius: sicut in Societate in Congregat. 5. generali, can. 17. declaratum est, aliqua esse substantialia huius instituti, quamuis sub culpæ obligatione imposita non sint, vt reddere rationem conscientiæ suæ Superiori, & alia, quæ ibi numerantur: sicut etiam inter Carthusianos abstinentia à carnibus censetur valde substantialis, licèt probabilius fortè sit non cadere sub obligatione mortalis culpæ, vt alibi disseritur. Cùm enim vnusquisque status religionis tendat ad perfectionem secundùm propriũ scopum ac finem suum, & per certa ac definita media, meritò dici possent substantialia tali religioni ea, quæ sunt ita intrinseca, vel necessaria ad talẽ finem, sine quibus non potest talis religio moraliter conseruari, & tendere ad perfectionem secundùm modum suum. Nam tria vota ideo dicuntur substantialia statui religionis vt sic, quia sunt media moraliter necessaria ad perfectionem vt sic, absolutè namque (licèt rarissime) perfecti homines dari possunt non religiosi, vt olim Patriarchæ & alij in lege gratiæ: ergo seruata proportione in tali, vel tali religione illa erunt de substantia talis status, quę ad proprium finem eius fuerint moraliter necessaria, præsertim quando illis sublatis, vix, aut difficulter dari potest perfectio charitatis in tali statu, regulariter loquendo: & huiusmodi sunt in Societate ea, quæ in prædicta congregatione declarata sunt, vt, Deo dante, expendemus in tract. 10. lib. 10. c. 6.

XLI. Hinc vlteriùs assero, in hæc, quatenus substantialia sunt religioni, non cadere dispensationẽ, neque potestatem prælatorum ad hanc materiam secundùm hanc rationem spectatam extendi; & cum hoc nihilominus stare, vt in particulari possit in huiusmodi obseruantias, vel præcepta cadere dispensatio. Prior pars patet ex illo principio sumpto ex Concilio Trid. *substãtialia religionis, vt talia sunt immutabilia esse*, saltem per potestatem intrinsecam ipsius religionis: quod nos ostendimus cum proportione de singulis religionibus, & de substantialibus vnicuique esse intelligendum. Ratio etiam moralis id postulat, quia talis potestas non esset ad ædificationem, sed ad destructionem. Altera verò pars cõstat ex vsu, & quia talis dispensatio sæpè est moraliter necessaria. Vnde ad concordiam & intelligentiã vtriusque partis, aduertere oportet, nõ omnia, quæ absolutè & simpliciter sumpta, sunt substantialia religioni, in particulari quoad singulas personas, vel singulos actus earum esse ita substantialia: vt v. g. in Societate substantiale est, id est, moraliter necessarium, ad perfectionem eius, vt conscientiæ inferiorum notæ sint Superiori, & consequenter vt ipsi reddant rationem earum, quia non potest illa notitia moraliter, ac religiosè aliter obtineri. Non poterit ergo Generalis, vel aliquis prælatus Societatis in huiusmodi regula, vel institutione ita dispensare, vt in Societate non seruetur, vel vlla ratio, aut cura illius habeatur, nã hæc esset dissipatio, non dispensatio, & illa esset propria relaxatio in re substantiali, vt talis est. Nihilominus tamen hæc ipsamet obseruantia reddendi rationem cõscientiæ in vna persona in particulari propter probitatẽ eius, & magnam existimationem de illius prudẽtia, &c. potest non esse necessaria, neque ad bonum eius, neque aliorum, & ideo licèt cùm ea dispensetur, nõ erit dispensatio in substantialibus instituti: quia illa obseruantia licèt in toto corpore religionis sit substantialis, nõ tamen vt applicata ad singula mẽbra. Hinc autem rectè fit, dispensationem in his obseruantiis grauioribus, & quæ ad substantiam alicuius instituti ex natura sua, vel ex declaratione eius pertinere cẽsentur, difficiliorem esse debere, etiam cùm in particulari fiunt, ita vt moraliter satis constet, inde non minui substantialem obseruantiã religionis. In aliis verò regulis, vel cæremoniis, vel actibus virtutum facilius potest concedi dispensatio, imò aliquando dari posset non tantùm vni vel alteri in particulari, sed etiam toti religioni ab eo, qui potestatem habet in totam religionem. Semper tamen necessaria est causa proportionata, nam hęc in omni iusta dispensatione postulatur.

Quæri autem hìc potest, an dispensatio data à prælato sine causa iusta, sit valida, quãuis ipse peccet dando: ita enim solet esse valida dispẽsatio malè concessa in humano iure. Dico tamen, nõ esse validam, nec reddere subditum tutum in conscientia. Ratio est, quia dispensatio in lege Superioris sine causa data ab inferiori, est nulla; prælatus autem religionis dispensans in præceptis, aut regula religionis, dispensat in lege Superioris: ergo dispensatio eius sine causa data, est nulla. Minor manifesta est in Superioribus localibus, & Prouincialibus, ac Generalibus, quia ipsi non sunt legislatores: nam propriæ leges, id est, stabiles, ac perpetuæ non solent committi eiusmodi prælatis, sed Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus respectiuè, iuxta varia statuta religionũ, quæ Capitula sunt supra eosdem prælatos, etiam cum proportione comparatione facta: ergo dum illi dispensant in constitutionibus religionis, dispensant in lege Superioris, ac proinde non valet dispensatio sine causa data. Ex quo discursu intelligitur assertionem maximè habere locum in constitutionibus totius religionis, quæ sunt firmatæ maiori auctoritate, quàm sit in aliquo singulari prælato, etiamsi Generalis sit: nam si generalis ipsa congregatio cum aliquo particulari dispenset, valida erit dispensatio, etiamsi fortasse sine causa data sit, quia tunc non procedit ratio facta, & alia ratio nullitatis per se non occurrit. Secus autem esset, si dispensatio fieret in præcepto Pontificio, vel in constitutione *specialiter* confirmata à Papa, vt perinde habeatur ac si ab ipso esset facta, quia iam tunc dispensatio esset in lege Superioris. Similiter vbi Capitulum Prouinciale veras leges pro sua prouincia facere potest, si idem Capitulum in aliqua dispenset sine causa, per se loquendo valida erit dispensatio, quia dispensat in lege sua, vel sui æqualis. Dispensatio etiam data à Generali in lege lata à Capitulo prouinciali, ex communi iure, & ratione talis muneris valida est, quia est à maiori prælato, nisi eius potestas per constitutiones religionis sit mutata. Item, si Generalis (& eadem est proportio de Prouinciali) dispenset in sua ordinatione, vel præcepto, quod non est propriè lex, valida erit dispensatio, quia in proprio præcepto dispensat. Denique cum dispensatio hæc cadere possit tam in præceptum obligans in cõscientia, quàm in regulam obligantem solum ad melius esse, cũ proportione ad vtrumque applicandum est quod dicimus de valore, aut nullitate dispensationis: nam, si est valida, tollit obligationem in conscientia, vel in ratione maioris perfectionis pro ratione legis, vel regulæ.

Quòd si talis lex habeat adiunctam pœnam ipso facto incurrendam, vt censuram aliquam, si dispensatio non fuit valida quoad vim directiuam legis, planè non impediet quominus talis pœna incurratur: quia si dispensans non potuit auferre vim legis Superioris, quoad vim directiuam, nec quoad actiuam potuit. Item, quia si dispensatio fuit inualida, subditus æque contumax est, & inobediens. Intelligo autem *per se*, nam ex ignorantia facile poterit subditus excusari vel omninò à culpa, vel saltem à pertinacia requisita ad talem censuram: auctoritas enim prælati dispensantis facit sæpè talem ignorantiam probabilem, vel saltem multum excusabilem, vbi non interuenit malitia, sed simplex subditi fides.

Vbi autem pœna non est ipso facto imposita, sed

Quid de pœna inferenda.

sed ferenda, faciliùs interueniet excusatio, nam à nullo inferiori prælato poterit talis pœna imponi, quia nullus inferior potest damnare quod Superioris auctoritate, & voluntate factum est. Nec etiá ipsemet dispẽsans poterit rationabiliter illud factũ punire, quando subditus ipsum non decepit, nec ei vim intulit, quia ipsemet indebitè dispensando fuit occasio illius transgressionis. At verò maior prælatus meritò puniet transgressorem illum, dummodò adeò sit euidens iniustitia, & defectus dispensationis, vt non possit subditus excusari, nam in casu aliquo modo dubio non est damnandus subditus, cùm alias debeat pro suo prælato præsumere. At quando res est clara, sicut non excusatur à culpa, etiam in exteriori foro, ita nec à pœna: ergo cùm in superiori prælato, sit sufficiens iurisdictio, poterit illam exequi. De æquali verò successore res est magis dubia, quia videtur habere sufficientem iurisdictionem, & non impeditam, cùm ipse non fuerit auctor talis dispensationis. Nihilominus probabilius puto oppositum: quia esto dispẽsatio fuerit iniusta, tamen æqualis non potest in exteriori foro de illius iniustitia cognoscere, neque illam damnare: ergo nec punire quidquid auctoritate illius factum est.

XLV. Dispensatio alicuius prælati magis vel minus longè differt.

Vltimò in hoc puncto aduerto quod suprà tetigi, aliud esse dispensare, aliud licentiam dare: cùm enim Superior dat facultatem religioso ad faciendam eleemosynam, non dispensat: sic ergo in nonnullis constitutionibus, vel regulis contingit, cùm enim dat licentiam ingrediẽdi cubiculum alterius, vel exeundi domo, & similia, propriè non dispensat. Et ratio est, quia illa opera non sunt simpliciter prohibita per leges religionis, sed ne fiant sine licentia; & ideo quando ita fiunt, non ex dispensatione fiunt, sed ex concessione ipsiusmet regulæ, tunc ergo licentia non est necessaria vt dispensatio fiat, sed vt compleatur materia legis, seu modus operãdi per legem postulatus. Cùm ergo dicimus, dispensationem religiosam etiam in hac materia, vt sit iusta, vel etiam valida, non oportet hoc extendere ad omnem licentiam, quin potiùs ad honestatem talis actus sufficit Superioris cõsensus bona fide ac simpliciter obtentus, quia solùm requiritur vt cõditio necessaria ex parte materiæ. Imò etiam vt talis facultas licitè detur, non semper necessaria est specialis causa, sed sufficit, vt in illo opere hîc, & nunc, nihil sit incommodi, & quòd posit à subdito honestè fieri quocunque titulo, etiam ob honestam animi, vel corporis recreationem, & sæpè Superior licitè has facultates cõcedit, ne nimis austerus videatur, cùm tamen ad licitas dispensationes hoc non sufficiat, nisi propria, & specialis causa interueniat.

XLVI. Et fortasse iuxta hanc doctrinam intelligẽda est quædam concessio Pij II. facta Minoribus, quæ in specie verborum obscura est, eius verò intelligentia poterit ad multa similia seruire. Concessit ergo ille Pontifex Ordini Minorum, *vt prælati possint annuere, seu dispensare cum subditis debilibus, & infirmis, quæ non sunt contraria Regulæ*. In quibus verbis videtur esse quædam implicatio in adiectis: nam si dispensatio non est in his, quæ sunt contra regulam, ad quid necessaria est? vel quod priuilegium ibi conceditur? Item, exempla, quæ ibi ponuntur, videntur esse contra regulam Minorum, vt equitare, &c. quomodo ergo dispensatio contra regulam non conceditur, & dispensatio in equitando, hisque similibus conceditur? Dicendum vero est, iuxta distinctionem à nobis datam, quædam esse, quæ simpliciter, & absolutè prohibentur per regulam, vt, v. g. habere proprium tam in communi, quàm in particulari, &c. & hæc dicuntur esse simpliciter contra regulam, & quoad hæc non conceditur in illo priuilegio dispensatio in regula: alia verò sunt, quæ non absolutè prohibentur, sed cum limitatione, scilicet, vt nõ fiant sine facultate, vel etiam sine vrgente necessitate. Et hæc non sunt simpliciter contra regulam quoad substantiam, sed quoad modũ, quando vltra præscriptam conditionem fiunt: in his ergo conceditur illa dispensatio, quæ, vt aliquid conferat, seu operetur, tribuit potestatem dandi hanc facultatem, vel licentiam cum minori causa, seu necessitate, quàm rigor regulæ postularet. Atque ita videntur intellexisse illam cõcessionem expositores eiusdẽ ordinis. Ex illa ergo nos elicimus, ea, quæ non simpliciter prohibentur, nec sub votũ cadunt, non esse propriè ex substantialibus, in quibus dispensatio non cadit. Colligimus etiam, in his, quæ ex facultate Superioris licent, non habere rationem dispensationis concessionem facultatis ex ordinaria prouidentia, & quasi ratione muneris debitam, sed tunc solùm, quando aliqua maior benignitas, aut liberalitas fit ex peculiari causa, vel potestate. Speciale verò dubium hic supererat, an habitus delatio, & habitatio intra claustrum sint ex his, quæ per prælatos religionis dispensari possunt. Sed hoc tractabitur commodius infra lib. 3. c. 7. disputando de mutatione status religiosi: & ideo hæc sufficiunt de materia, ad quam hæc potestas extenditur.

CAPVT XIII.

Quibus Prælatis, & qua ratione potestas dispensandi cum suis subditis concessa sit.

SVpereſt vt de alio puncto principali in c. præcedenti proposito dicamus; in quibus scilicet prælatis sit hæc potestas. Sunt enim in religionibus prælati supremi, medij, & infimi, vt suprà exposuimus: quibus ergo illorum datur hæc potestas? vel quanta vnicuique? In qua re generalis regula Doctorum est, vnumquemque prælatum religiosum id tantũ posse in hac materia dispensationum, quod à iure, vel priuilegio, & regula ei concessum est. ita Innoc. in c. 2. de eo, qui furt. ordines suscepit, & in c. vlt. de postulat. prælat. Abbas, Anton. & communis in *c. at si clerici. §. de adulteriis*. de iudic. Syluester verb. *Dispensatio*. n. 10. Et ratio est, quia hi prælati non habent de se hanc iurisdictionem: ergo oportet; vt à Pontifice illam recipiant, quia nullus alius potest illam concedere tanquã ordinarius: ergo oportet vt iure cõmuni, vel speciali, seu ex priuilegio illam habeant: quæ duo capita breuiter à nobis explicanda sunt. I.

Circa ius commune aduertere primò oportet, in eo ferè nihil haberi (vt suprà cap. 12. num. 2. etiam notaui) de his prælatis nisi sub nomine Abbatum, qui sunt proximi, & immediati prælati monasteriorum, & sub ea voce comprehendi reliquos Superiores religionum habentes simile munus quoad iurisdictionem, quãuis diuersis nominibus appellentur. Vnde fit, hanc potestatem quatenus ex vi iuris communis habetur, omnibus veris prælatis regularibus conuenire respectiuè, id est, vnicuique in suo quasi territorio, nisi per speciale ius alicuius religionis limitata sit. Quod, vt ampliùs explicetur, aduerto secundò, dupliciter posse hanc potestatem concedi iure cõmuni. Primò per specialem concessionem, vel declarationem. Secundò per generalem concessionẽ iurisdictionis quasi Episcopalis. Priori modo Sylu. verb. *Dispensatio*. q. 14. cum Angelo eodẽ verbo, n. 8. decem casus promittunt ex iure cõmuni, in quibus potest Abbas cum subditis dispensare, postea verò & nouem tantũ numerant, & inter eos septimus, & nonus neque inter se condistincti sunt, nec continent casus speciales, sed generalem doctrinam de potestate dispensandi in regula, vel obseruantiis regularibus, quã superiori c. tradidimus, & ex- II.

& expendimus. Octauus autem casus est circa dispensationem irregularitatis, de qua nos ex professo diximus in t. 5. disp. 42. de Irregularitate, sect. 3. casu 8. & latiùs disp. 31. de Suspensione sect. 1. Vbi ostendi in c. *cum illorum*. de sent. excommunic. sermonem esse de suspensione, non de propria irregularitate: atque ita facultatem in eo textu datam magis esse ad absoluendum, quàm ad dispẽsandum. Alij verò sex primi casus, quos dicti auctores numerant, nõ pertinent propriè ad potestatem dispensandi, vt, per illos breuiter discurrendo, facilè constabit. Et similis casus potest à nobis addi ex cap. *cum H.* de eo, qui furtiuè ord. suscep. vbi in fauorem religionis conceditur Abbati potestas dispensandi cum eo, qui furtiuè ordines suscepit, de quo impedimento, an sit suspensio, vel irregularitas, & consequenter de facultate data in illo textu in tomo citato satis diximus. Primus ergo casus est, dispensare cũ nouitio, vt ad sacros ordines promoueatur ex c. *Monachum*. d. 77. sed nouitius vt ordinetur, non indiget speciali dispensatione, cùm nullum impedimentum, vel irregularitatem habeat, vt alibi ostensum est. Et in dicto textu de hoc non conceditur dispensatio, sed de interstitiorum tempore, vt breuius in nouitio fit in fauorem religionis. Et hæc ipsa dispensatio nõ committitur prælato, sed fit per ipsum ius, quamuis hodie quoad hanc partem reuocatum sit per Concilium Tridentinum. Addo, in epistola 1. Gelasij nõ haberi verba illa, *Monachus nouitius*, sed solum illa, *Si quis de religioso proposito*. Vnde ego valde dubito, an etiam secundum illud ius dispensatio illa ad nouitios extenderetur.

III. Secundus casus est, dispensare cum apostata à religione, vt posit ad ordines promoueri. ex c. vlt. d. 50. Sed ibi nulla talis potestas datur prælato, solaq; hæc verba apponuntur, *Quem etiam subemus ad clericatus officium non admitti*. Vnde, si illa esset irregularitas, potiùs dicendum esset, prælatum non posse dispensare in illa. Sed videtur Syluester motus per argumentum à contrario ex c. vlt. de Apostatis, vbi de religioso apostata, qui ante reditum ad religionem ordinatur, dicitur, non posse ministrare sine dispẽsatione Papæ. quia ergo hęc reseruatio non additur in alio textu, colligi, ibi dispensationem esse concessam prælato. Sed non est bona collectio: nam in posteriori textu pœna imposita, non est irregularitas, sed censura suspensionis, quæ si non reseruaretur, eo ipso fuisset concessa, iuxta c. *super*. de sent. excommun. Hæc autem regula non habet locum in irregularitate, vt aliàs dixi, & ideo si in priori capite fuisset posita irregularitas simpliciter, ex vi illius iuris non posset Abbas in ea dispensare. Verius tamen est, ibi non poni: irregularitatem absolutè, sed quasi conditionatam, donec, pœnitentia peracta, ad religiosum statum redeatur; & tunc nec datur prælato potestas dispensandi, nec est necessaria dispensatio, sed ipso facto finitur irregularitas, sicut in aliis irregularitatibus sæpè contingit. Atque idẽ est de tertio casu dispensandi ad ordines cum illegitimo, ex c. 1. de filiis presbyter. Veruntamen ibi etiam non datur potestas dispensandi, sed ipso iure tollitur tale impedimentum, facta professione, vt aliàs diximus.

IV. Quartũ casum sumit ex Clement. 1. §. *sane*. de statu monachorum, de potestate dispensandi cũ monacho, vt vltra mensem differat communionem. Sed illa nec est propria dispensatio, sed iudicium quoddam, & quasi authentica sentẽtia: nec soli Abbati committitur, sed etiam confessori, & Priori, verba enim textus sunt, *Dominica mensis cuiuslibet in monasterijs semper communicent, nisi forte ex causa, quam Abbas, Priori, aut Pœnitentiarius monasteriorum non d finant intimari, eorumque iudicio, vel abstineant, vel accedant*. Simile afferre possumus ex capit. *omnis vtriusque sexus*. de pœnitent. & remiss. vbi etiam in præcepto Ecclesiastico communicandi in Paschate additur illa conditio, *Nisi forte à proprijs sacerdotibus consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi præceptione iusserit abstinendum*. vbi non conceditur potestas dispensandi, sed declaratur materia, & conditio sub qua tale præceptum imponitur. Ad quem ferè modum suprà c. præced. n. 45. distinguebamus, dare facultatem, non semper esse dispensare: ita enim in præsenti dare consilium, vel iudicium circa dilationem communionis ex rationabili causa, non est re vera dispensare.

Atque idem ferè cẽseo de quinto casu, quem ponit Syluester de facultate, quam potest dare Abbas monacho, vt sit capellanus Ecclesiæ parochialis, cũsentiente Episcopo, ex c. 1. dist. 58. & c. *doctos*. cum aliis, 16. q. 1. Sed hoc etiam non pertinet ad potestatẽ dispensandi, sed ad subordinationem, quam religiosus debet prælato suo. Duo enim illa iura intendunt declarare, & ordinare: vnum est, monachum si fit ordinatus sacerdos, non esse incapacem, vel impeditum ex eo quòd monachus est, quominus animarum ministeria exercere possit; & hoc præcipuè agitur in dict. c. *doctos*. Secundum est, nihilominus non esse religiosum assumendum ad hæc ministeria sine consensu prælati, sicut etiam non potest intromitti sine voluntate Episcopi, vel Papæ. & hoc agitur in dict. c. 1. & aliis multis. Sicut etiam in c. eiusdem dist. 58. dicitur, monachum non posse ordinari ab Episcopo sine licentia sui Abbatis; licentia autem ad suscipiendos ordines, non est propriè dispensatio, quia non est alicuius regulæ relaxatio, sed est aliud genus gratiæ, vel facultatis. Ita ergo facultas ministrandi in Ecclesia Parochiali, non est dispensatio, sed facultas quædam, vel etiam præceptum, quod interdum potest prælatus suo subdito imponere. Quantum verò extendi possit facultas, quam prælatus potest religioso dare ad regendam aliquam Ecclesiam parochialem, & an possit illam concedere perpetuam, manendo scilicet semper extra claustrum, & an extendi possit ad obtinendum Ecclesiasticum beneficium, dicemus infrà lib. 3. c. 19. tractando de mutatione status religiosi. V.

Eiusdem rationis existimo esse facultatem, quã Abbas potest dare monacho ad ædificandam cellulam à congregatione monasterij separatam: quã dicti auctores sexto loco numerant, ex c. *nullus*. 18. q. 1. & c. *Monachum*. 20. q. 4. Nam illa etiam facultas non habet rationem dispensationis, sed cuiusdam obedientiæ ex parte subditi, & debiti reginiinis ex parte prælati: maximè si illa facultas extra monasterij sepra non extendatur, vt in dict. c. *Monachum*, præscribitur: an verò possit prælatus religionis dare subdito facultatem transeundi à vita cœnobitica, ad solitariam, vel manendo sub eadem regula, & obedientia, vel mutando illam, dicemus infra tractando de mutatione status religiosi. Igitur de hac potestate etiam respectu Abbatum, & à fortiori respectu quorumcunque prælatorum conuentualiũ, nihil ferè habemus in particulari iure canonico præscriptum, præterid, quod in c. *ad monasterium*. innuatur de dispensatione circa obseruantias regulares, quod in superiori cap. satis explicatum est: alia enim iura, quæ à Syluestro, & aliis ad hoc citantur, parum fine dubio ad rem faciunt. VI.

Superest ergo alter modus n. 2. positus colligendi hanc potestatem dispensandi ex iure communi, per aliud principium, seu generalem regulam, quatenus ex illo habemus hos prælatos habere iurisdictionem quasi Episcopalem: nam inde videtur sequi, quẽlibet ex illis habere totam potestatem, quæ ratione iurisdictionis Episcopalis ad regulare statũ applicatæ haberi potest. Sed in hoc oportet aduertere, aliter loquendum esse de his Abbatibus pro eo tempo- VII.

Qualem potestatem, & vnde habuerint olim Prælati non exempti ad dispensandum.

tempore, quo erant subditi Episcopis; & aliter de Prælatis exemptis. Nam in priori statu, seu tempore nihil reuera poterant, nisi quod intrinsecè, & ex natura rei status eorum postulabat vel expressè illis in iure concedebatur. Ad quod explicandum recolo duplicem illam potestatem, quam diximus esse in Prælatis religionis, dominatiuam, & iurisdictionis: huic enim duplici potestati, duplex etiam dispensatio correspondere potest, dominij scilicet, & iurisdictionis. Nam sicut ex parte subditi duplex est ratio subiectionis, scilicet, traditio voto obedientiæ confirmata, & iurisdictio; ita etiam in Prælato duplex est ratio præcipiendi, & vtrique respondet propria potestas dispensandi, namvnusquisque eo modo, quo potest præcipere, potest etiam in suo præcepto dispensare. Vnde etiam in antiquis Præfectis regularium, qui propriam & Ecclesiasticam iurisdictionem non habebant, inerat potestas aliqua dispensandi, illa verò extendi non poterat ad leges Ecclesiasticas, vel effectus ab illis manantes: quia sicut hi sunt effectus iurisdictionis Ecclesiasticæ, ita per illam solam immutari possunt. Et eadem ratione non poterat versari circa votorum quoad dispensationem; quia potestas dispensandi in votis est iurisdictionis, & supernaturalis, vt suprà vidimus, quæ in illis Præfectis non erat, vt supponimus. Solùm ergo versari poterat illa potestas circa obseruantias regulares, vt ex antiquis regulis etiam colligitur, Basilij, Augustini, Benedicti, &c. Et facile declaratur considerando originem illius potestatis; nascitur enim ab ipsismet subditis, & ex mutua conuentione inter ipsos, & religionem: nam sub hac veluti conditione se committunt religioni ac Prælato eius, vt ab ipso possint ad onera religionis vel obligari, vel ab eis dispensari; quia verò tota hæc institutio religiosa pēdebat à voluntate, & approbatione Episcoporum, ideo hæc ipsamet potestas poterat ab ipsis Episcopis limitari, dispensationes aliquas in obseruantijs etiam religiosis sibi reseruando, quia apud eos erat maior potestas non solùm ratione iurisdictionis, sed etiam ratione voti, vt suprà ostensum est. Et ad hunc modum potest esse nunc in Abbatissis, aut Prioriisis aliqua potestas dispēsatiua, iuxta earum institutа, & permissiones suorum Prælatorum. Idemque dicendum est de religionibus, vel monasterijs virorum subiectis Episcopis, etiamsi propriā iurisdictionem non habeant, vt si inter eos clerici ordinati non sint, nam in illis sicut esse potest præfectura, ita etiā hoc genus potestatis, iuxta Episcopi determinationem. Nam de tali potestate, aut statu ita præcisè spectato, hæc regula assignari potest, vt quidquid iuxta modum instituti, professionis, ac regulæ in obseruantijs regularibus dispensabile est, posse per Præfectū regularē dispensari, nisi ab Episcopo prohibeatur; quæ satis ex dictis declarata est.

VIII. *Tale potestatem non habent Prælati non exempti ad dispensatiua.*

Solùm in hoc puncto aduerto, actum huius potestatis videri plus participare de ratione irritationis, vel simplicis facultatis, quàm dispensationis, quia per hanc potestatem non videtur auferri obligatio, nisi faciendo aliquam mutationem ex parte materiæ, vel apponendo conditionem, qua posita, cessat obligatio præcepti, vt suprà dicebamus de simplici facultate, & cernitur in votis: nam hi etiam religionum Præfecti possunt vota subditorum irritare, cùm tamen non possent dispensare. Veruntamen, licèt quæstio de nomine sit, magis propriè potest hic seruari nomen & ratio dispensationis: nam regula talis religionis suam habet rationem legis, à cuius obligatione, siue coactiua, siue directiua, potest Præfectus ex vi sui muneris aliquem eximere, nulla facta mutatione in materia, sed immediatè ac per se tollendo obligationem, etiamsi regula absolute præcipiat, vel prohibeat, nulla adiuncta conditione, interuenit ergo ibi propriæ ratio dispensationis. Item, potest generalis Præfectus religionis generale aliquod præceptum suis subditis imponere, & deinde potest aliquem eximere modo suprà dicto, & non tantùm declarando, non esse obligatum, sed auferendo obligationem, quam posset conseruare: ibi ergo etiam interuenit modus dispensationis. Neque est simile de voto, nam illius obligatio est diuina, & naturalis, pendetq; ex eius relaxatione per se, vel per dispensatorem à se deputatum: ab altero autem homine pendere non potest, nisi quatenus vel materia voti, vel consensus permittentis ab eius voluntate pendet: regularis autem obligatio, secluſa iurisdictione, manat ex hominum pacto, & promissione inter se, & ideo ab eisdem dari potuit potestas tollendi illam. Et quanuis ablatio huius obligationis respectu eius personæ, cui conceditur, sit veluti abrogatio præcepti illi impositi; tamē respectu regulæ, seu præcepti generalis, meritò appellatur dispensatio.

IX.

Hæc igitur sola potestas est intrinseca statui religioso, & ideo illa de se integra est, etiam nunc in quocunque religioso Prælato, siue vniuersali, siue locali, nisi maior Prælatus aliquid sibi specialiter reseruauerit, sicut de Episcopo in num. 7. dictum est: nam ipsamet institutio religiosa hanc conditionem postulat, & ideo superioribus Prælatis hanc confert potestatem. Hæc autem potestas & confirmata, & aucta est per iurisdictionem Ecclesiasticam Præpositis regularibus superadditam. Nam per hanc iurisdictionem noua potestas dispensandi data est, quæ versari potest circa omnes materias suprà cap. præcedenti declaratas, & specialiter circa statuta, vel præcepta regularia, quatenus iam non solùm procedunt ex paterna seu dominatiua potestate, & sunt leges (vt sic dicam) conuentionales, sed etiam ex potestate iurisdictionis, & Prælationis, & sunt leges simpliciter, & in omni proprietate.

X. *Eam potestatem non habent Prælati non exempti, ium non sint quasi Episcopi subditorum.*

De hac autem iurisdictione quoad Abbates, vel Prælatos non exemptos à iurisdictione Episcoporum, nihil dicere possumus ex vi illius principij de iurisdictione Episcopali, quia his Abbatibus nullibi legimus esse generatim concessam generalem potestatem quasi Episcopalem, neque erat conueniens statui eorum, cùm essent sub immediata iurisdictione Episcoporum. Vnde in antiquis canonibus Decretorum, & quinque librorum Decretalium, quia nondum erat adeò extensa, & multiplicata hæc exemptio religionum, nulla ferè fit mentio iurisdictionis Episcopalis horum Abbatum, quia cùm illam haberent eo tempore Episcopi, nōdum erat illis communicata iure ordinario. Neque obstat, quod de Abbate dicitur in c. *nullam*. 18. q. 2. ad Abbatem totam potestatem pertinere. ex quibus verbis solent multa Canonistę colligere de hac potestate Abbatum, vt videre licet in Nauar. Comment. 3. de reg. n. 4. & alijs, quos ipse refert. Dicendum est enim, ibi non loqui Pontificem de propria potestate iurisdictionis Ecclesiasticæ, sed de potestate dominatiua, seu paterna, quam habet Abbas ex vi talis religiosi status, vt constat ex contextu, & in superioribus tactum est.

XI. *Neque illam habent ex iure communi.*

De his ergo Abbatibus, seu Prælatis non exemptis dicendum est, ex vi sui muneris, seu ex concessione iuris nullam habere iurisdictionem ad dispēsandum in votis, præceptis, aut impedimentis Ecclesiasticis, generatim loquendo. Probatur, quia hoc pertinet ad iurisdictionem Episcopalem, quam ipsi non habebant. Dixi autem, *generatim loquendo*, quia excipiendi sunt casus speciales in iure expressi, si qui fortasse fuerint, vt à n. 2. tractatum est. Dixi etiam, *ex concessione iuris*, quia ex cōcessione Episcopi poterūt Abbates habere hanc iurisdictionem, quia,

cùm essent superiores Prælati ordinarie, poterant illam communicare, & quasi vicarios suos illos constituere. Tunc autem illa iurisdictio in his Prælatis videri potest tantum delegata, quia non conuenit his Abbatibus ex vi muneris, sed ex concessione Episcopi. Et fortasse regulariter ita est. Existimo tamen, potuisse tunc Episcopos, eo modo, quo ad illos spectabat approbatio & institutio religionum in suis Episcopatibus, instituere munus, & Prælationē Abbatis cum ordinaria iurisdictione ad dispensandum in prædictis materijs, iuxta mensuram aliquam ab ipsis præscribendam: hoc enim non videtur excedere potestatem Episcoporum, quandiu eam sibi Apostolica Sedes non reseruauit. Qualis autem fuerit in hoc antiqua institutio monachorum, mihi non constat. Postquam autem Pontifex sibi reseruauit confirmationem, & approbationem religionum, in nullo Prælato religioso inuenitur hæc iurisdictio ad dispensandum vt ordinaria, nisi eam habeat à Summo Pontifice: nam si religio sit exempta, eo ipso habet iurisdictionem à Papa; si autem exempta non sit regulariter, non habent Præfecti eius hanc iurisdictionem, sed quantum Episcopus superior concedere vult.

Poterunt tamen habere ex iure suorum Episcoporum.

Hodie nulla religio eam habet ordinariam, nisi à Papa.

XII. Atque hinc vlterius concluditur, potissimum inueniri hanc iurisdictionem in Prælatis regularibus exemptis, & in suo ordine supremis, id est, immediate Summo Pontifici subiectis. Probatur, quia illi omnes sustinent locum, & munus Episcoporum respectu suorum subditorum. Vnde ad hoc non refert, quod talis Prælatus sit vnius loci tantum, vel plurium: nam ratio facta in vtroque æque procedit. Vnde si quis nunc est Abbas exemptus vnius tantum monasterij, non habens alium Prælatum regularem, cui ordinarie subiectus sit, potestatem habet dispensandi Episcopalem, iuxta regulas superius cap. præced. positas, & iuxta specialia priuilegia, si illa habuerit. Idemque à fortiori certum est de Generalibus omnium religionum, vt per se constat. De Prouincialibus autem, quatenus subiecti sunt Generalibus, oritur nonnulla ratio dubitandi, quia habent superiorem Prælatum habentem Episcopalem, & ordinariam iurisdictionem in ipsos, & in omnes subditos eorum cum potestate dispensandi immediate cum omnibus illis: non solet autem in Ecclesia respectu eorundem esse potestas dispensandi Episcopalis infra Summum Pontificem, nisi in vno Episcopo, vel Prælato habente vices eius. Maior autem dubitatio est de Prælatis conuentualibus, quia hi solum videntur esse tanquam proximi Parochi, qui potestatem non habent dispensandi, neque illis videtur necessaria, cùm per Prouinciales possit sufficienter omnibus necessitatibus subueniri.

XIII. In hoc verò puncto seruanda est regula tradita ab Innocentio in cap. 2. de eo, qui furt. ord. suscep. recepta communiter à Doctoribus ibi, & in c. *at si clerici. §. de additis.* de Iudic. & à Syluestro & Angelo, verb. *Dispensatio.* videlicet, vnumquemque Prælatum religiosum eam habere potestatem dispensandi, quæ sibi à iure, vel à regula concessa est. Quæ assertio supponit in his omnibus Prælatis esse aliquam potestatem dispensandi, quę de omnibus, etiam de conuentualibus, vera est. Quod constat sufficienter ex vsu omnium religionum. Item, quia supra ostensum est, hos omnes esse vere Prælatos, & consequenter omnes participare iurisdictionem Episcopalem: ergo eadem ratione participabunt illam quoad potestatem dispensandi, quia non debet esse minor hæc potestas vt fauorabilis, quàm vt rigorosa. Denique, quia hæc potestas pro ratione sui muneris vnicuique ex his Prælatis necessaria est. Et omissis Generalibus, de quibus iam diximus, de Prouincialibus est res certa, quia sunt quasi Episcopi in suis prouincijs. Et (vt difficultati insinuatæ in n. præced. satisfaciamus) specialis necessitas nascitur ex peculiari conditione status religiosi: nam quando religio adeò vniuersalis est, vt per vniuersam Ecclesiam per varias regiones sit dispersa, & ideo est in varias prouincias diuisa, non possunt commode omnes religiosi dispensatione indigentes, ad Generalem recursum habere; sed necessarium fuit hanc potestatem Prouincialibus communicare. Quæ ratio suo etiam modo, licèt non tam vrgente, locum habet in Prælatis conuentualibus, quia necessitas dispensationis sæpe potest esse vrgens, & præsentanea, vel quasi quotidiana, & ideo non debuit pendere semper à Prouinciali, qui interdum & diu, & longe absens est. Accidit, quod hæc potestas dispensandi sæpe est necessaria ad bonum spirituale subditorum; religiosi autem sicut ratione status ad maiorem perfectionem spiritualem obligantur, ita per hęc auxilia debent & frequentius, & facilius adiuuari: est ergo valde consentaneum huic statui, vt Prælati etiam locales hanc habeant potestatem, vt sicut tenentur non tantum salutem, sed etiam perfectionem subditorum procurare, ita etiam possint modis omnibus illos iuuare. Et ideo non repugnat, nec est vllum inconueniens, quòd hæc potestas, etiam in ordine ad eundem actum, seu effectum, sit in multis Prælatis subordinatis inter se, & sub vno Summo Pontifice: tum quia potuit fine dubio hoc modo ab eodem Pontifice concedi, tum etiam, quia tota illa ordinatur ad maius bonum, & ædificationem religiosorum, & in ea seruatur ordo, vt quatenus est in inferiori, semper à superiore dependeat, vt mox dicemus; & ita seruatur pluralitas sine confusione.

Deinde verò assignatur in prædicta assertione communis regula ad cognoscendum gradum, seu quantitatem huius potestatis in vnoquoque exdictis Prælatis, quæ dicitur esse vel ius commune, vel speciale religionis; illam verò regulam ita intelligendam censeo, vt, quantum est ex vi iuris communis, in quolibet illorum sit potestas dispensandi in casibus Episcopalibus, iuxta principium generale supra positum & explicatum cap. præced. à n. 1. vsque ad 9. Ratio est, quia ius commune nullis istorum Prælatorum limitat hanc potestatem: ergo, quantum est ex vi eius, in nullo eorum diminuta est. Præsertim, quia si in aliquibus est diminuta, maxime in conuentualibus Prælatis: at ius commune potiùs his concedit quidquid concedit regularibus Prælatis: quia (vt n. 2. dixi) de his tantum fere semper loquitur, & ex vi iuris communis nihil pertinens ad hoc genus potestatis, his inferioribus Prælatis ademptum est. Relinquitur ergo, vt limitatio talis potestatis, si quæ fuerit in his Prælatis, ex iure speciali vnusquisque religionis sumenda sit.

XIV. *Ius commune regula ad cognoscendum gradum potestatis in Prælatis.*

Ius commune nullis istorum limitat.

Ius commune potiùs concedit quidquid concedit regularibus.

Vnde hanc regulam, pro concessione dictæ potestatis ex vi iuris specialis constituo, vnumquemque Prælatum regularem posse dispensare cum suis subditis in omnibus, quæ in regula reseruata non sunt superiori Prælato, ita vt quidquid non est prohibitum, censeatur concessum. Probatur, quia ex vi Prælationis habet vnusquisq; Prælatus hanc potestatem: ergo vnusquisque habet totam, quæ in tali religione inuenitur respectu subditorum, nisi prohibeatur iure speciali: quia nullum aliud principium excogitari potest vnde limitetur. Dices, in Societate potius contrariam regulam seruari, iuxta quandam Bullam Gregorij XIII. quia nullus inferior Prælatus sub Generali censetur posse dispensare, nisi quatenus sibi concessum est, ita vt quidquid non est concessum, censeatur prohibitum,

XV.

tum, & non è contrario, quidquid non est prohibitum, censeatur concessum. Respondetur, inprimis hic nos non agere de speciali instituto Societatis, de quo infrà toto tract. 10. sed de communi ratione Prælatorum regularium. Deinde dicimus, id non esse alienum à nostra regula: nam, si in Societate id seruatur, illud est propter speciale ius, quod declarat esse prohibitum quidquid non est concessum. De quo, an ita vniuersaliter accipiendum sit, vel quomodo sit intelligendum, infrà suo loco dicam in citato tract. lib. 10. cap. 5.

XVI. Tandem, vt melius possit dicta regula ad omnia instituta applicari, animaduertendum occurrit, hanc potestatem dupliciter conuenire posse vnicuique religioni exemptæ. Primò ex vi muneris talis Prælati, habentis respectu suorum subditorum non tantùm vices Parochi, sed etiam Episcopi: & quantum ad hoc genus potestatis maximè procedit regula posita, vt sufficienter confirmatur ex proximè dictis num. præced. & ex suprà generatim tractatis cap. 12. de iurisdictione quasi Episcopali horum Prælatorum. Alio modo potest conuenire hæc potestas ex specialibus priuilegijs, vel indultis, siue directè concessis tali religioni, siue per communicationem cum alijs: & quoad talem potestatem, licèt regula dicta benè intellecta, & applicata, locum etiam habeat, tamen modus indulti, & concessionis maximè considerandus est. Nam, si verba Pontificis generalia sunt, scilicet, concedendi tali religioni, vel Prælatis eius potestatem dispensandi in hac, vel illa re, & per aliud indultum, vel per regulam religionis non limitantur, tunc optimè procedit regula posita, quia illa potestas in omnibus inuenitur, quibus specialiter non prohibetur. Si autem verba indulti sunt specialia, quia nimirum solùm diriguntur ad Generales, vel ad Prouinciales, tunc potiùs habet locum altera regula, scilicet, inferiores Prælatos solùm posse in eo genere id, quod sibi à superioribus fuerit concessum: nam cùm alibi datum non sit, ex natura rei est ipsis prohibitum, quandiu non est concessum. & hoc modo etiam hic casus ad prædictam regulam reducitur: nam illamet specialis concessio & est ius speciale talis religionis, & est virtualis quædam prohibitio respectu inferiorum. Dico autem semper respectu inferiorum, quia respectu superiorum nunquam censeo illam limitationem admittendam, nisi exprimatur: quanuis enim indultum, vel regula tantùm diceret, Omnes Guardiani, vel Priores, vel denique conuentuales Prælati, quomodocunque nominentur, hoc possint dispẽsare; nihilominus Prouinciales, & superiores Prælati non sunt censendi excluſi ab ea concessione & potestate: quia sub particulari semper includitur vniuersalis Prælatus; sicut sub nomine proprij sacerdotis comprehenditur Episcopus quoad habendam potestatem.

XVII. Dices, interdum inferior habet ius ad iudicandum in aliqua causa, in qua non potest superior se intromittere, nisi fortasse per viam appellationis, vel in defectum alterius: ergo idem contingere potest in hac materia dispensationum. Respondetur inprimis, antecedens non habere locum in Prælatis Ordinarijs, habentibus propriam curam spiritualem subditorum in vtroque foro, vt sunt Prælati religionum. Deinde, in his dispensationibus multo minus esse id admittendum, quàm in alijs causis iudicialibus, quia propinquiùs ordinantur ad spirituale bonum subditorum. Ac denique, vt id posset admitti, oporteret prohibitionem, & denegationem esse expressam, quia multum exorbitaret ab ordinario iure. Supererat hìc alia dubitatio, an Prælati habentes hanc potestatem possint illam delegare. Sed expediemus illam simul cum alia simili in c. 15. à n. 4.

CAPVT XIV.

Quæ personæ à Prælatis religiosis dispensari queant.

VLtimum punctum suprà propositum c. 12. n. 5. fuit de personis, quæ per hanc potestatem possunt dispensari. Et de tribus generib. personarum potest dubitari, scilicet de ipsismet Prælatis vtentibus tali potestate, de nouitijs, & de secularibus, aliquo extrinseco modo (vt sic dicam) religioni cõiunctis, vt sunt familiares, seruiẽtes, & similes. Nam præter hæc tria genera solùm relinquũtur alia tria, scilicet, religiosi professi eiusdem religionis subditi, religiosi eiusdem etiam professionis, non tamen subditi, & omnes alij externi nullo modo religioni coniuncti, siue seculares sint, siue religiosi alterius religionis. De hoc autem triplici posteriori genere nulla est quæstio; nam quod attinet ad religiosos professos eiusdem religionis constat, illos esse quasi propria subiecta (vt sic dicam) circa quæ potestas hæc versatur. nam propter illos datur huiusmodi potestas: cum illis ergo omnibus potest dispensare Prælatus religionis, per se loquendo, seu nisi in ipso indulto fiat peculiaris restrictio, quæ rarò, vel nunquam fit. De alijs religiosis eiusdem professionis, non tamen subditis est contraria regula certa, scilicet, non posse religiosum non subditum dispensari à Prælato non suo. Ratio est clara, quia dispensatio hæc est actus iurisdictionis, quæ non versatur circa non subditum. Et quanuis interdum contingat, potestatem dispensandi concedi erga eos, qui aliàs non sunt subditi, quia per priuilegium fiunt subditi quoad illum actum, vel quia tunc non cõceditur propria iurisdictio, sed nudum ministeriũ; licèt hoc (inquam) fieri possit, & interdum fiat, tamen ex ordinario iure religionum; tam communi, quàm speciali, certum est, non ita fieri, quia esset contra debitum ordinem, & quia pareret confusionem potius, qnàm ædificationem. Item, quia religiosi possunt facilè habere recursum ad suos proprios Prælatos, & Prælatus debet agnoscere vultum pecoris sui: ergo superuacaneum, & inopinatum esset, si vnusquisque religiosus posset dispensari à quolibet Prælato suæ religionis, etiam non suo. Denique, ob hanc rationem non potest inferior Prælatus dispensare cum suo Superiore; nec Prælatus vnius conuentus cum Prælato alterius; neque vnus Prouincialis cum alio: ergo multò minus poterit vnus Prouincialis dispensare cum subditis alterius, vel è contra, & sic de cæteris. Statim autem occurrebat quæstio de religiosis hospitibus, an possint dispensari à Superiore loci, vel prouinciæ, in qua inueniuntur, propter actualem subiectionem, quam videntur habere. Resolutio tamen est, non posse, loquendo propriè de dispensatione prout distinguitur ab absolutione: de quo postea n. 7. videbimus. Et ratio est, quia simpliciter non sunt subditi; & quia dispensatio obtineri potest à Prælato absenti. Et ita in simili declaratum est de clericis forensibus à Congregatione Cardinalium circa capitulum *luctat.* quod est 6. de Reformat. in sess. 24. Concilij Triden.

I. *Sex personarum generum in hac quæst.*

Expeditur tria posteriora genera personarum.

II. Atque hinc facilè constat, eandem regulam negatiuam veram, & indubitatam esse in vltimo genere personarum. Quia illæ non solum subiectæ non sunt, verùmetiam nec coniunctæ, aut vnitæ tali religioni. Obseruare autem oportet, sermonẽ hìc esse de potestate concessa religioni per modum iurisdictionis in foro exteriori, & in ordine ad externum regimen. Aliquando enim conceditur aliqua potestas dispensandi in ordine ad forum conscientiæ, & quasi annexa iurisdictioni in

foro

foro sacramentali, quæ sic concessa non ordinatur ad regimen religionis, sed ad ministeria circa salutem animarum, & in fauorem pœnitentium. Et hoc posteriori modo conceditur interdum religiosis per sua priuilegia potestas dispensandi cum externis vel in aliquibus votis, vel in aliquo impedimento affinitatis, vel quid simile. Sed quia hoc vniuersale non est, vnusquisque consulere debet sua priuilegia, & satis cognitam habere potestatem sibi concessam. Quando autem potestas huiusmodi est, circa illum poterit exerceri, qui in foro pœnitentiæ fuerit subiectus, quia illa potestas, cùm in ordine ad illud forum detur, illam subiectionem postulat, & non aliam.

III. *Expeditur iam quæstio circa 1 genus, an Prælati secum dispensare valeant.*

Iam igitur circa priora tria genera personarum dubium inprimis est: an Prælatus religionis possit secum ipse dispensare? Et ratio dubitandi oritur ex dictis, quia ipse non est sibi subiectus, neque habet in se iurisdictionem: ergo non potest secum dispensare. Confirmatur, quia semper esset suspecta, & periculosa talis dispensatio: quia nemo rectè potest in propria causa iudicium ferre. Denique, hi Prælati semper habent Superiorem, ad quem recurrant, Conuentualis ad Prouincialem, Prouincialis ad Generalem, & Generalis ad Papam: ergo non possunt ipsi secum dispensare. hac enim ratione non possunt Episcopi secum dispensare, quia Superiorem habent, iuxta doctrinam Panormitani in c. *magnæ*. de voto, de qua supra in materia de voto lib. 6. c. 11. dictum est. Propter hæc aliqui absolute negant, hos Prælatos posse secum dispensare. Alijs verò hoc nimis onerosum videtur, quia non debent esse hi Prælati peioris conditionis, quã sint sui subditi: ergo, si subditus potest dispensari, v.g. à Prouinciali in aliquo casu: ergo etiam ipse Prouincialis poterit dispensari per eandem potestatem Prouincialis; alias grauius cum illo ageretur. Item, quia Prælatus potest sibi concedere licentiam, quam potest subdito dare, quia vix potest alio modo conuenienter gubernari: ergo eadem ratione potest sibi concedere dispensationem, quàm subdito; quia non magis hoc repugnat, quàm illud, & vtriusque necessitas frequenter ac moraliter occurrit.

IV. *Non quæritur an requiratur distinctio inter dispensantem & dispensatũ.*

In hac quæstione difficultas esse potest de modo necessario ex parte actus dispensandi, an scilicet exerceri possit ab eodem circa seipsum. Quo sensu difficultas generalis est ad plures alias materias, de Legibus, de voto, &c. in quibus sufficienter tractata est, citato cap. 11. de voto & lib. 6. de legib. cap. 12. à num. 8. & ideo hic omittitur, quia vim non facimus in hoc, quòd Prælatus possit per seipsum secum dispensare, vel eligere aliquem, cui committat dispensationem, hoc enim satis illi est, quanuis probabile sit, si per alium potest secum dispensare, in rigore etiam posse per seipsum: quia distinctio personarum non est de substantia dispensationis, sicut est de substantia sacramentalis absolutionis, licet moraliter conuenientius sit illud iudicium alteri committere, vt probat ratio dubitãdi in principio facta. In alio ergo sensu intelligenda est dubitatio de potestate ipsa, an sit in Prælato ad huiusmodi dispensationem faciendam, siue per se, siue per commissionem suo confessori factam.

Proprius sensus quæst. An possit Prælatus potestatem saltem delegare vt secum dispensetur.

V. In hoc ergo sensu dico inprimis, supremũ Prælatum religionis posse secum dispensare, quia non esset sufficienter prouisum, si deberet semper extra religionem quærere remedium talis dispensationis. quod plane est contra intentionem Pontificum concedentium religioni huiusmodi facultates, seu priuilegia, & exemptiones, vt omnes eius religiosi possint illis gaudere: non excipiunt autem Generalem: ergo illum etiam comprehendunt. Esset etiam id contra intentionem religionis, ad quam spectat habere debitam prouidentiam sui Prælati non minus, quàm aliorum. Vnde eo ipso, quòd religio committit Generali absolute, & sine restrictione omnem potestatem suam quoad actus dispensandi, consequenter illam committit erga ipsummet. Posset tamen religio, vt existimo, existens tota in Capitulo generali, designare personam, cui has vices respectu Generalis committat, vt postea etiam dicemus de absolutione: & tunc non posset Generalis secum dispensare, sed à Commissario Capituli generalis; quia reuera potestas principaliter est in tota religione, & ille modus vtendi illa non habet repugnantiam, neque indecentiam, imò potest esse conueniens. Quandiu tamen religio non vtitur hoc genere prouidentiæ circa suum supremum Prælatum, prout regulariter non vtitur, talis potestas commissa censetur Generali propter rationem factam, & quia non est à nobis sine causa restringenda. Modus autem vtendi illa potestate per se, vel per alium, si speciali lege religionis non præscribitur, consequenter etiam relinquitur, vt iuxta rei naturam, & prudentiam Prælati fiat.

VI. Secundò de inferioribus Prælatis dicendum est, de illis non posse aliam generalem regulam assignari, nisi vnumquemque in hoc dependere à suo Superiore, iuxta institutionem & vsum suæ religionis: per se enim loquendo pertinet talis dispensatio ad proximum Prælatum vniuscuiusque; & in Prælatis conuentualibus ita existimo regulariter obseruari, nimirum à suis Prouincialibus postulari debere huiusmodi dispensationes, vel ex facultate eorum habere designatum aliquem confessorem, vel licentiam eligendi illum, cui hæc potestas fit commissa: quòd si ex vsu religionis constiterit, Prælatis inferioribus esse concessam hanc facultatem, id satis erit, nam consuetudo ostendit hanc esse voluntatem superioris Prælati, vt sæpe alias dixi. In Prouincialibus autem, quanuis in rigore, considerata qualitate sui muneris, habeant eandem dependentiam à Generali; tamen frequentius non videtur seruari tanta subordinatio inter hos Prælatos in multis religionibus; sed Prouincialis censetur posse in sua prouincia quidquid nõ est expresse reseruatum Generali, iuxta sua statuta. Vnde, si statuta in hoc aliquid disponunt, illud seruandum est; si autem nihil disponunt, videtur eo ipso commissa facultas ipsis Prouincialibus, nisi ex consuetudine oppositum constet. Aliqui etiam probabile existimant, hos Prælatos posse iuuari ad hanc dispensationem priuilegio cap. vltimi. de pœnit. & remiss. licet illud priuilegium extendatur ad hos Prælatos, vt dixi in 4. tom. 3. p. disp. 27. sect. 2. tamen difficile est illud extendere ad hanc potestatem dispensandi; cùm ibi solùm concedatur facultas eligendi confessorem, qui confessor nec per se habet hanc potestatem ex vi muneris confessoris, nec in illo textu ei datur; cùm solum de munere confessoris fiat mentio: maxime cùm hæc dispensatio, de qua agimus, nullo modo sit annexa absolutioni sacramentali, quia neque est præuia ad illam ex necessitate, vt est absolutio à censura, neque aliam connexionem necessariam cum illa habet.

VII. Est autem vltimò in hoc puncto aduertendum, hæc omnia intelligi de dispensatione proprie dicta, quam in superioribus c. 12. n. 45. distinximus à communi licentia; & ita proprie habent locum in dispensatione votorum, & præceptorum Ecclesiæ, & impedimentorum, quæ ex illorum transgressione interdum contrahuntur, & præceptorum etiam religionis simpliciter prohibẽtium, vel præcipientium aliquid: nam circa has materias versatur proprie dispensatio. At verò in alijs actibus, qui non proki-

prohibentur simpliciter fieri, sed licentia Prælati postulatur, vt rectè fiant, non videtur dubitãdum, quin his Prælati, etiam conuentuales possint huiusmodi licentias sibi concedere, quas alijs dare possunt, dummodo debita moderatione secum vtantur, quam etiam circa alios obseruare tenentur. Probatur, quia hoc est moraliter necessarium iuxta statum horum Prælatorum. Item, quia huiusmodi licentia non tam est actus iurisdictionis, quam cuiusdam dominij, eo autem ipso, quòd Prælatus relinquitur in hac domo tanquam pater & superior illius, relinquitur tanquam dominus suarum actionum, earum scilicet, quæ ad ordinarium modum talis vitæ pertinent, in cuius solet esse necessaria licentia Præpositi totius domus: ergo hoc ipso illi conceditur, vt ipse possit sua facultate facere, quod alij possunt de eius licentia efficere. Quod semper intelligitur, nisi aliquid ei specialiter prohibeatur, cuius licentiam sibi reseruet superior Prælatus.

VIII. *Explicatur deinde quæ sint quoad 2. genus, an scilicet Nouitij à spiritu seruiendum.*

In secundo puncto de nouitijs, quod ad vota attinet, superiùs tractatum est; quod verò pertinet ad communes obseruantias, vel præcepta religionis, in eis locum non habet: quia illi non obligantur in rigore his præceptis, & ita non indigent propria dispensatione; sed vt suæ religioni, & probationi satisfaciant, indigebunt licentia Prælati, quam certum est posse ab ipso dari, quanuis, vt rectè fiat, prudens causa necessaria sit. Solùm ergo potest dubitari de Ecclesiasticis præceptis, aut de effectibus eorum. In quo agi potest vel de obseruantia, & executione talium præceptorum pro tempore tantùm illius anni probationis; vel de dispensatione aliqua perpetua, & durabili. Priori modo dicendum est posse Prælatum dispensare cum nouitio in his, in quibus posset à suo Episcopo dispensari, vt in ieiunio, vel in audienda Missa, & similibus. Ratio est, quia pro illo tempore gaudent priuilegio exemptionis, & quoad spiritualia sunt sub propria cura Prælatorum religionis: ergo hi Prælati possunt exercere circa illos iurisdictionem quasi Episcopalem, ad quam pertinet hæc dispensatio. Et confirmatur, quia hic modus dispensationis regulariter est necessarius, & in tali statu neque expedit, nec conuenienter fieri potest, vt nouitius habeat recursum ad alium Prælatum præter eum regularem, sub cuius disciplina viuit: ergo. Vnde, si Prælatus religionis ex proprijs priuilegijs maiorem aliquam in hoc habet potestatem circa suos religiosos, etiam illam extendendam censeo ad nouitios: quia licèt nouitius in rigore non sit religiosus, & quoad odiosa non comprehendatur sub hac appellatione, nihilominus quoad gratias, & fauores comprehenditur, iuxta communem doctrinam. Potestas autem dispensandi fauorabilis est, & ideo amplè interpretanda, licèt dispensatio sit restringenda.

1. *Prænunt. de dispensationib. ad tempus.*

IX. 1. *Prænunt. de dispensationib. ad perpetuum.*

Posteriori autem modo dicendum est, Prælatum religionis non posse cum nouitijs dispensare, scilicet, dispensationes perpetuas eis concedendo, quæ in eis durent, etiamsi postea non profiteantur, sed habitum relinquant. Probatur, quia illi non sunt absolutè & perpetui subditi. Item, quia esset irrationabilis dispensatio, quæ potiùs cedere posset in nocumentum religionis, quàm in fauorem. Denique, nullo iure, vel priuilegio talis potestas ostendi potest. Vnde etiam colligo, non posse nouitium dispensari virtute priuilegiorum religionis ad effectus perpetuos, seu permanentes in tali persona, etiamsi religionem relinquat; quia illa formaliter, vel virtualiter est quædam dispensatio perpetua. Huiusmodi esse censeo dispensationem ad ordines suscipiendos, siue fit dispensatio in irregularitate, siue in interstitijs, siue in recipiendo ordines extra tempora; estò enim possit Prælatus per priuilegia cum suis religiosis in huiusmodi dispensare, non est extendenda illa potestas ad nouitios, nisi in ipso indulto expressa mentio illorum fiat. Ratio est, quia, considerata materia talium priuilegiorum, non potest prudenter ad nouitios fieri extensio, cùm tamen in rigore verborum sub religiosis non comprehendantur; vt per se constat. Assumptum declaratur, tum quia illa extensio non est accommodata statui nouitij, vt sic, nam ille habet statum annuum (vt sic dicam) & facilè mutabilem; dispensatio autem fit ad rem perpetuam: tum etiam, quia potestas super nouitios solùm conceditur ad spirituale regimen eorum pro tempore probationis, & consequenter solùm extenditur ad ea, quæ ad hunc finem sunt necessaria; huiusmodi autem dispensationes nihil solent ad illum finem referre: tum denique, quia talis dispensatio posset interdum cedere in iniuriam Episcopi, cui nouitius, vt secularis, subiectus est quasi radicaliter, & erit etiam actualiter, si ad seculum reuertatur, manebitque clericus secularis irregulariter ordinatus, sine licentia sui Episcopi, quod est inconueniens, & contra debitum ordinem: & ideo præsumendum non est Pontificem in hoc sensu cõcedere priuilegia. Neque obstant priuilegia quædam Sixti IV. quæ referuntur in Mari magno, & in lib. Monum. ordin. concessa Prædicatoribus, & Minoribus, vt cum nouitijs possint dispensare in quibusdam irregularitatibus: quia si illa comprehendunt nouitios, ideo est, quia illos expressè nominant; vnde potiùs sumitur argumentum ab speciali, nimirum, quando expressè non nominantur, non comprehendi in huiusmodi priuilegijs: quòmodo autem illa priuilegia intelligenda sint, alibi tractatum est. Et simile priuilegium concessum est Societati à Paulo III.

Vide Emman. Roder. tom 1. q. 24. art. 15.

X. *De 3 genere personarum in eodem n. 1.*

In tertio puncto de dispensatione cum extraneis familiaribus, vel seruientibus religioni, pro regula habendum est, tunc solùm extendi hanc facultatem ad has personas, quando in indulto fuerint expressæ. Quia neque in proprietate verborum sub religiosorum nomine comprehenduntur, neque etiam secundùm aliquam extensionem, quæ vel in iure, vel in communi modo loquendi habeat aliquod fundamentum. Necessaria ergo est extensio, quæ ab ipso Pontifice fiat per expressa verba, de qua nihil dicere possumus ex iure communi, quia nullum est, quod talem potestatem concedat. Consulenda ergo sunt particularia priuilegia: huiusmodi autem est priuilegium, quod Eugenius IV. concesit monachis S. Hieronymi, quo aliæ religiones per communicationem vtuntur, scilicet, vt Prælati conuentuales possent dispensare cum familiaribus monasteriorum in ieiunijs Ecclesiasticis, vel etiam, vt diebus prohibitis possent ratione infirmitatis carnes, & oua comedere, de consilio medici, vel etiam sine illo, si commodè habere non possit. de quibus vide in Compendio Minorum, verb. *Ieiunium*. §. 7. & in Compend. Societatis, verb. *Dispensatio*. §. 7.

CAPVT XV.

An in Prælatis religiosorum sit potestas tum ad absoluendum suos subditos a culpis non reseruatis, tum ad delegandum aliis talem potestatem.

I. QVoniam in superioribus constituimus differentiam inter dispensationem, & absolutionem, ideo, explicata in tribus proximis capitibus potestate dispensandi, necessariũ est de potestate absoluendi

uendi in specie dicere. Duplex autem est absolutio, quæ ad præsens pertinere potest, scilicet, à peccatis, & à censuris, vel pœnis Ecclesiasticis: nullum enim aliud spirituale vinculum excogitari potest, quod per absolutionem tollatur: nam si quæ sunt alia, vt legum, irregularitatum, aut votorum, non tolluntur per absolutionem, sed per dispensationem. Duplex ergo hinc oritur quæstio principalis, vna est de potestate absoluendi à peccatis in foro sacramentali: alia de potestate absoluendi à censuris.

II. Circa priorē multa in præsenti dici possent, nisi ex principijs positis in 4. tomo, circa iurisdictionem fori sacramentalis, & ex dictis in superioribus de munere, & iurisdictione Prælatorum regularium, res esset satis nota; & ideo breuiter applicabimus generalia principia ad hanc materiam, proponendo ea, quæ in ipsa seruanda sunt, tam circa peccata non reseruata in hoc, & duobus capitibus sequentibus; quàm circa reseruata in cap. 18. & 19.

1. Assertio de absolutione à peccatis indistincti. Primò ergo certum est, habere Prælatos religionum ordinariam iurisdictionem ad absoluendum suos subditos religiosos à peccatis. Patet, quia sunt Ordinarij pastores animarum suorum subditorū, & in eos translata est cura, quam Episcopi, vel Parochi habent circa suos subditos seculares: ergo habent prædictam iurisdictionem ex vi sui muneris, quod est habere illam tanquam ordinariam. Denique hoc est per se notum ex vsu, & institutione ferè omnium religionum exemptarum, sequiturque necessariò ad ipsam exemptionem, vt suprà dictum est. Et ideo hic nihil agimus de religionibus non exemptis, nam illæ sicut sunt sub iurisdictione Episcoporum, ab ipsis, vel per ipsos habere debent suos proprios sacerdotes, seu vicarios, à quibus absoluantur, vel si circa hoc habuerint aliqua specialia priuilegia Pontificia, iuxta illa debent quoad hanc partem, seu iurisdictionem ab Episcopis gubernari.

III. *2. Assertio.* Secundò est certum, hanc iurisdictionem esse in pluribus Prælatis regularibus inter se subordinatis respectu eiusdem seu eorundem subditorum. Explicatur, nam Prælati Conuentuales habent hanc iurisdictionem circa religiosos sui conuentus, & circa eosdem habet Prouincialis eandem iurisdictionem de se æquè immediatam quoad vsum absoluendi subditos, si velit, independenter à voluntate Prælati Conuentualis, vel etiam ipso renuente. Et cum eadem proportione habet similem iurisdictionem Generalis in eosdem subditos totius religionis, seu ditionis suæ. Hoc etiam est certum ex praxi religionum, & ex intrinseca ratione taliū munerum: omnes enim hi sunt proprij, & ordinarij Pastores talium animarum magis, vel minùs vniuersales: quæ vniuersalitas non tollit prædictam immediationem quoad potestatem, sed ponit subordinationem inter dictos Prælatos, etiam in vsu huius potestatis, ita vt inferior pendeat à superiore, non verò è conuerso. Exemplum est in Parocho, Episcopo, & Pontifice: qui omnes habent iurisdictionem immediatam dicto modo in hoc foro cum subordinatione. Vnde Prælati Conuentuales solēt Parochis comparari in hoc foro, quia sunt proximi Pastores ordinarij talium animarum; Prouinciales autem sunt tanquam Episcopi; Generales verò non habent tantam proportionem cum Pontifice, quia ille est simpliciter supremus, & ordinarius Pastor etiam in hoc foro ipsorum religiosorum; Generales autem sunt sub ipso Summo Pontifice, & ideo solent comparari Archiepiscopis, vel Patriarchis. Sed in hoc differunt ab eis, quòd Archiepiscopus non habet iurisdictionem ordinariam in hoc foro in diœcesib. suffraganeorum, nisi dum visitat; Generalis autem semper est ordinarius Pastor, & ideo ipse etiam vti potest immediatè tali iurisdictione modo suprà dicto. Et hanc existimo esse institutionem & obseruantiam omnium religionum. Video enim non repugnare institui alio modo huiusmodi Prælationes vniuersales, & præcipuè Generalis Prælati, vt scilicet in hoc foro non præoccupet munus proprij, & immediati Prælati, ad quem maximè pertinet conscientiam subditi cognoscere; sed nihilominus talis institutio non esset accommodata statui religioso, namilla Prælatio esset magis forensis, & externa, quàm spiritualis, & paterna, quam postulat religiosus status in quocunque gradu, & ordine Prælationis.

Comparatio Generalis cum Papa, vel cum Archiepiscopo, in quo deficiat.

Tertiò hinc etiam certum est, quemlibet exhis Prælatis posse hanc iurisdictionem pro suis subditis alijs delegare. Probatur, quia quicunque habet potestatem ordinariam, potest illam delegare, vt dicto tomo 4. latè diximus: neque in præsenti est vlla ratio limitandi hoc generale principium, seu faciendi exceptionem. Imò est hic quiddam speciale adnotandum: nam inter seculares ordinarij Pastores, vt Parochi, v.g. licèt possint, non tenentur suam iurisdictionem delegare, sed possunt vel-le per se audire confessiones suarum ouium, ordinariè loquendo: at verò in religionibus hoc non esset expediens: licèt enim Superior ratione sui muneris, & potestatis debeat esse paratus ad confessiones subditorum audiendas, si ipsi velint ei confiteri, non tamen debet ordinariè ad hoc illos cogere, & ideo necesse est, moraliter loquendo, iurisdictionem hanc alicui alteri delegare, cui religiosi liberè confiteantur. Quòd si quis quærat, quanta, & qualis sit hæc necessitas, seu obligatio Prælati. Respondetur inprimis ex natura rei videri esse grauem, quia retinere in se solo iurisdictionem hanc esset abusus quidam in illa, contra religionem sacramenti, & contra salutem animarum subditorum, nam ob hanc causam multis periculis exponentur. In quo est magna differentia inter Superiorem regularem, & secularem Parochum, tum propter maiorem dependentiam, quam habet religiosus ad suum Superiorem: tum etiam, quia ab eo regitur in omnibus rebus, & timere potest, ne nouum sacramentalis fori cum alio regimine misceatur. Maximè cùm ab eodem possit suo modo in exteriori foro iudicari, & puniri. Propter quæ etiam ex proprio instituto, & regula existimo teneri vnumquemque Prælatum ad hanc delegationem faciendam, & ita etiam crescet obligatio, quanuis ex hoc capite non excedat obligationem regulæ. Quia verò res hæc magnæ considerationis est, vt obligatio esset clarior, speciali lege imposita est à S.D.N. Clemente VIII. in Decreto de Reseruatione casuum pro regularibus, vbi §. 2. sic inquit, *Non liceat Superioribus regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte, aut proprio motu id ab eis petierint.*

V. In quibus verbis primum expendo loqui de Superioribus indefinitè, & ita comprehendere omnes tam Conuentuales, quàm maiores. Ex quo fit, necessariò teneri ad delegandam suam iurisdictionem alijs confessoribus; alioqui cogerentur religiosi illis confiteri, & ipsi eos audire. Deinde aduerto, sermonem esse de ordinarijs culpis, & confessionibus earum, non de reseruatis, de quibus proinde exceptio adiungitur, quam infrà in cap. 18. tractabimus. Præterea ponderanda sunt illa duo verba, *sponte, aut proprio motu*. nam quod sit proprio motu, excludit alterius inductionem, petitionem, aut consilium; quæ non excludit particula *sponte*, & ideo securius quidem est, vt hoc non fiat nisi proprio motu ipsius pœnitentis; si tamen fiat sponte, id satis erit, quia verba Pontificis disiunctiua sunt. fiet autem sponte, etiamsi consilium aliquod, vel inductio antecedat: cauendum est autem, ne timor aliquis

aliquis reuerentialis, aut nimia persuasio, quæ est virtualis quædam præceptio intercedat: nam tunc moraliter non censetur actus fieri sponte, prout Pontifex per illa verba intendit. Denique verbum *non liceat*, præceptiuum est, & sufficiens ad inducendam grauem obligationem, si materia sit grauis, cuiusmodi esse videtur materia huius præcepti, cùm pertineat ad debitum vsum sacramenti adeò necessarij.

VI. Hinc consequenter iubet idem Pontifex ibidem nu. 3. vt Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut quatuor confessarios pro subditorum numero maiori, vel minori, qui generalem habeant facultatem absoluendi à non reseruatis. Quod præceptum consequens est ad Superiorem prohibitionem, vt declarauí, & confirmat assertionem nostram. Addit verò, delegationem hanc esse multis faciendam, ad minimum enim numerat duos, plures autem adiungit, si necessarium fuerit. Dubius autem est sensus horum verborum: nam potest esse duplex. Vnus est, vt illic duo, vel plures confessores indifferenter pro omnibus religiosis talis domus designentur, ita vt liberum sit vnicuique religioso, cui voluerit eorum, confiteri. Alius est, vt signentur quidem plures, qui inter se habeant diuisum onus audiendi confessiones omnium; ita tamen, vt vnicuique definita pars, & certæ personæ designatæ sint: neque possint, qui vni commissi sunt, alteri confiteri. Videri autem potest Pontifex intendere primum sensum, quia intendit prouidere quomodo religiosorum confessiones liberiùs fiant, ita vt propter verecundiam, vel difficultatem se aperiendi, non versentur in periculo committendi sacrilegium: ad hunc autem finem multum conferret, si confessores sint plures priori modo. Item, quia aliàs non esset necessarium semper duos designare, sed vnus satis esset, si pro paruo conuentu sufficeret.

Vnus modus designandi plures confessarios in Conuentu.

Alter modus.

VII. Nihilominus non opinor fuisse mentem Pontificis obligare Superiores religionum ad designandum plures confessores priori modo, scilicet, pro singulis religiosis. Primò, quia id non satis explicat, si autem voluisset hoc onus imponere, cùm sit nouum, & extraordinarium, ampliùs declarasset illud. Secundò id colligo ex verbis illis, *Pro numero subditorum maiori, vel minori.* nam ex eis constat rationem postulandi plures, non esse vt singuli religiosi multos habeant confessores; aliàs non pro numero pœnitentium, sed pro vniuscuiusque conditione, vel indigentia essent multiplicandi confessores: ergo ratio solùm fuit, vt onus diuideretur inter plures, si opus esset, quod spectat ad secundum sensum suprà positum. Vnde etiam censeo non esse mentem Pontificis, vt hi confessores debeant ad minimum, ac necessariò esse duo, etiam in paruo conuentu: nam illa verba *pro numero subditorum*, reddunt etiam conditionalem sensum, scilicet, si numerus subditorum plures, vel pauciores confessores postulauerit: si ergo vnus confessor pro tali numero satis sit, non est voluntas Pontificis, vt duo necessariò constituantur. Idque vsu ita receptum est, vt videre maximè licet in monasterijs monialium, quibus non minus necessaria est prouidentia illius Pontificij decreti; & tamen quando numerus religiosarum magnus non est, vnus tantùm Vicarius, vel confessor ordinarius ab Episcopo, vel Prælato eis solet assignari. Idque planè supponit Concilium Tridentinum sess. 25. de Regularib. cap. 10. solùmque prouidet, vt, *præter ordinarium confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo, & alius Superiorum, bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.* Vnde possumus retorquere argumentum suprà factum, quia non est necessarium multiplicare hos confessores, vbi numerus religiosorum plures non requirit; ergo vbi propter numerum plures multiplicantur, non oportet singulos designari pro toto conuentu, sed satis est vnicuique certam aut definitam partem eius committere. Quartò secluso speciali iure potest vterque illorum modorum eligi, & vnaquæque religio, vel Superior eius posset inter illos duos modos prudenter arbitrari, vel priorem eligendo, tanquam humanæ fragilitati magis accommodatum, vel posteriorem tanquam ad seueritatem disciplinæ religiosæ, & ad perfectius regimen spirituale animarum magis aptum: ergo non est verisimile, voluisse Pontificem excludere hunc posteriorem modum, & priorem omninò præcipere, præsertim pro ordinarijs confessionibus peccatorum non reseruatorum, nam de reseruatis infrà dicemus, in cap. 18.

Sed quæret aliquis, cur huiusmodi confessarius delegatus à nobis dicitur, & non potiùs ordinarius, sicut Prælatus ipse Conuentualis ordinarius est, non obstante iurisdictione Prouincialis. Est enim considerandum, quòd licèt Prælatus Conuentualis comparetur Parocho, quia ad vnam tantùm Ecclesiam, seu locum iurisdictionem suam ordinariam definitam habet: nihilominus quoad iurisdictionem habet illam superioris rationis, & quasi Episcopalem, & ideo casus habet sibi reseruatos, & non constituitur, vt ordinariè confessiones subditorum audiat, ergo optimè potest habere sub se confessorem, qui verè sit tanquam Parochus in hoc foro, & consequenter habeat iurisdictionem ordinariam: ergo, cùm talis confessor ex legis necessitate constituendus sit pro tali munere, potiùs dicendus est habere iurisdictionem ordinariam, quàm delegatam. Et confirmatur: nam huiusmodi confessor solet à Prouinciali, vel Definitorio eligi, sicut alij ordinarij officiales, & ex vi sui muneris requirit hanc iurisdictionem: ergo est ordinaria.

VIII. *Quæstiuncula subortæ, an confessor iuxta Clementem designandus, dicendus sit delegatus.*

Respondetur, in primis à posteriori constare, hãc solum esse delegationem iurisdictionis, quia (quod ad rem maximè spectat) nõ potest huiusmodi confessor suam iurisdictionem alteri committere; si autem haberet illam vt ordinariam, posset eam delegare. Antecedens patet ex consuetudine, & ex mente Prælatorum. Item est optima ratio, quia Prælati dum committunt vices suas huiusmodi confessori, eligunt industriam personæ. Vnde etiam Clemens in dicto decreto dicit, designandos esse confessores, qui sint docti, prudentes, & charitate præditi. Ergo solùm eis committitur, vt per se possint talem iurisdictionem exercere, iuxta commissionem sibi factam. Denique, hæc iurisdictio pendet ex hominis concessione, & ab illius voluntate descendit: est ergo delegata. Nec refert, quòd ex necessitate legis, seu regiminis talis confessor constituendus sit, nam hoc ipsum sufficienter fit per delegationem. Quòd verò talis iurisdictio cõmittatur à Prouinciali, vel à proximo Superiore, parùm refert, quia ab vtroque fieri potest per modum delegationis. Nec inuenio hoc vniuersali aliquo iure definitum: nam Clemens VIII. in dicto decreto solùm dixit, *Superiores in singulis domibus deputent*, &c. quod respectiuè referendum est ad eos Superiores, ad quos prouisio talium officiorum spectat: qui autem illi sint in vnaquaque religione, ex proprio iure, & modo regiminis intelligendum est.

IX.

Addendum verò vlteriùs est, non obstante illa delegatione, vel ordinaria commissione, quam Prælatus ex officio facit, constituendo ordinarium confessorem, posse extraordinariè eandem iurisdictionem suam alijs delegare, vel ex parte Sacerdotis, dando illi directè iurisdictionem, vel ex parte subditi pœnitentis, dando illi facultatem ad eligendum confessorem. Hoc constat, quia ordinaria

X.

potestas pluribus delegari potest, quod maximè locum habet in hac iurisdictione, quæ non exercetur sine voluntate, & subiectione pœnitentis: per hoc autem, quòd Superior potestatem suam vni commisit, non se priuauit potestate, & libertate delegandi alijs eandem iurisdictionem. Solùm obseruare debet Prælatus primò, ne hoc faciat modo sibi prohibito per suam regulam: nam licèt prouna vice, seu ad aliquem actum facilè hoc concedatur Prælatis; tamen concedere subdito absolutam, & permanentem facultatem eligendi confessorem, quem voluerit, fortè non possunt secundùm regularem disciplinam. Et similiter quanuis possit cõmittere cuicunque Sacerdoti, vt semel audiat confessiones subditorum, tamen constituere illum, vt ordinarium confessorem simul cum alio, præsertim respectu eorundem pœnitentium, sæpè etiam non poterit secundùm regulam: illa ergo est consulenda, & obseruanda. Plurimum etiam aduertere debet, ne nimia facilitas in his facultatibus, vel delegationib. vergat in spirituale nocumentum subditorum; quod facilè accidere potest, nisi in personarum delectu magna consideratio habeatur.

Obseruanda circa hanc partem.

CAPVT XVI.

An in alijs etiam præterquam in Prælatis religiosorum, vel eorum delegatis, sit potestas illos absoluendi.

I. HIc occurrit quæstio, an liceat religiosis alteri cõfiteri præterquam confessori sibi designato à suis Prælatis, vel de illorum facultate. Et vt certa ab incertis separemus, non est quæstio de confessione venialium, vel in vniuersum de materia non necessaria: quia ad hanc, vt ritè fiat, non est necessaria specialis iurisdictio, sed illa sufficit, quæ omnibus simplicibus sacerdotibus communis est: & ideo si à religioso fiat talis confessio sine licentia Prælati, in rigore valida erit, nec erit grauius peccatum, quàm sit vnius regulæ transgressio, quæ, si non obligat in conscientia, illa imperfectio per se non attinget venialem culpam; & licèt obliget in conscientia, non credo esse illam materiam mortalis culpæ, per se loquendo, ac secluso contemptu, vel scandalo: quia, cum sacramentum de se sit validum, & alioqui non simpliciter necessarium, modus ille non est adeò grauis, vt defectus illius ad peccatum mortale sufficiat. Difficultas ergo est de confessione de materia necessaria. In qua etiam est certum, iure ordinario, & secluso priuilegio, non posse regulares alijs confiteri, nisi confessoribus à suis Prælatis designatis: quia reliqui iurisdictionem in illos non habent. De priuilegijs ergo est dubium, quod ex parte pœnitentium, & ex parte confessorum tractari potest.

Resolutio affir. quoad absolutionẽ venialium.

Quæstio præsentis capitis bipartita pro mortalibus.

An per Cruciatam queant religiosi eligere confessorem.

II. De pœnitentibus est commune dubium, an religiosus per Bullam Cruciatæ posset eligere confessorem approbatum, quem voluerit, inuito, vel non consentiente suo Prælato. Quæ res satis est controuersa inter modernos, & multi partem affirmantem sequuntur: quia Bulla illa pro omnibus fidelibus conceditur, & quoad hanc facultatem generaliter etiam loquitur, illam tribuendo omnibus fidelibus: ergo comprehendit etiam religiosos, maximè cùm sit fauor, qui ampliandus est. Et quanuis religiosus ratione status indigeat facultate Prælati, vt licitè accipiat Bullam, vel vt expendat eleemosynam ad illam necessariam, vel vt faciat actionem, sine qua effectus Bullæ comparari non potest; tamen hæc licentia Prælati solum est necessaria, vt rectè, & ordinatè hæc fiant. Si tamen, prætermisso hoc ordine, & sine debita licentia fiant, facta tenent, & sufficiunt ad effectus Bullæ consequendos, si aliud impedimentum non obstet: quia ille modus rectè operandi non est de substantia talis actionis, vel effectus, nec culpa illa videtur ex suo genere esse graue peccatum: quòd si aliquando fuerit, per pœnitentiam deleri poterit, acceptio tamen Bullæ valida manebit, & consequenter vsus eius poterit postea esse fructuosus. Igitur siue religiosus Bullam acceperit de licentia Prælati, siue non, poterit postea per illam eligere confessorem independenter à voluntate Prælati: quia non potest inferior Prælatus prohibere facultatem à Superiore datam, vel vsum eius: Pontifex autem, qui est supremus Prælatus, dat facultatem eligendi confessorem: ergo non potest Prælatus religionis illam prohibere. Et confirmatur: nam multi religiosi docti, & timorati hanc sententiam sine scrupulo sequuntur in praxi, etiam videntibus suis Prælatis, & tacentibus.

III. Respondeo nihilominus, contrariam sententiam esse veram, securam, & religioni maximè consentaneam, quam plures, & graues Theologi nostri temporis tenent; quibus addi possunt Garzia, de Benef. 2. p. cap. 5. à num. 6. Ledesm. 2. p. q. 29. art. 2. Corduba in annot. super regul. D. Francis. c. 7. quæst. 8. puncto 2. Parasel. de priuil. Minimorum c. 10. Sebastianus à Costa d' Andrade in expos. Cruciatæ, quæst. 107. Potest autem dupliciter fundari: primò, quia licèt in principio cum ea generalitate concessa sit, postea Pontifices reuocarunt illam concessionem, quantum ad religiosos, eisque tanquam religionis priuilegium concesserunt, ne quis posset ea facultate Bullæ vti. ita concessit Minoribus Leo X. vt refertur in Supplem. concess. 144. & 168. & Pius V. Prædicatoribus, vt refert Parasellus in Compendio priuilegiorum Minimorum, & Emmanuel Rodriquez post expositionem Bullæ Cruciatæ; & Alexander VI. idem concessit Cisterciensibus, vt refertur in eorum Compendio, verb. *Cruciata*, & Gregorius XIII. Societati Iesu in Bulla de vsu facultatum. Ad hæc verò, & similia indultæ responderi potest, hos Pontifices potuisse reuocare priores Bullas, vel restringere, quas ipsi concedebant; non tamen potuisse modum ponere posterioribus Pontificibus, & ideo per posteriores Bullas Cruciatæ reuocari concessiones illas, & denuò facultatem illam generaliter concedi.

IV. Sed contra hoc est, quia in vltima clausula eiusdem Bullæ, etiam expeditæ à posterioribus Pontificibus, additur limitatio, *Exceptu tamen, qua contra sunt Ordinum Mendicantium Superioribus, quoad eorum fratres.* Quæ exceptio generalis est, & ideo cadit non tantùm in indulgentias, vt quidam sine ratione volunt, sed absolutè in omnes gratias, & facultates in Bulla concessas, nam clausula in fine posita, & verbis generalibus concepta, cadit in omnia præcedentia, vt Iuristæ communiter docent, & est per se euidens, quia si clausula sit distributiua, non debet restringi; si verò est indefinita, æquiualet vniuersali, neque est vlla ratio determinandi verba ad vnam partem potius, quam ad aliam, iuxta ea, quæ tradit Abbas in c. *secundo requirun.* de appellat. n. 10. & 11. cum Bartolo in l. *talis Scriptura.* ff. de leg. 1. ergo ex vi illius clausulæ non reuocatur illud priuilegium religioni, & Superioribus concessum. Hoc verò fundamentum, licèt sit probabile pro illis religiosis, quibus illa concessio facta est, non verò satisfacit pro omnibus absolutè. Item, licèt habeat locum in dicta reuocatione Bullæ Cruciatæ facta cum illa limitatione, non tamen in alijs Bullis, quæ generaliùs loquuntur.

V. Secundò ergo, & melius, vt opinor, fidatur hæc sententia in hoc, quòd talis facultas nunquam fuit per

per Bullam Cruciatæ religiosis concessa. Quod primò probo: nam fere omnes citati Pontifices in citatis rescriptis, verbis vtuntur non tam concessiuis, quàm declaratiuis: ergo non reuocant facultatem per Bullam concessam. Antecedens patet ex Bulla Pij V. vbi referens factum, ait, *Nonnulli, hiis facultatibus vti præsumunt, & illarum prætextu eligunt confessorem.* vbi verbum, *præsumunt*, & vox, *prætextu*, indicant id non legitimè fieri: & postea concludit, illa priuilegia quoad hoc non habere locum in prædictis fratribus, *Apostolico* (inquit) *auctoritate tenore præsentium perpetuo declaramus.* Clariùs verò Greg. XIII. in decreto Societatis *declarat, non esse, nec fore vnquam mentis suæ, aut Sedis Apostolicæ, vt personæ Societatis*, &c. & Alexander III. in fauorem Cistercienſium similiter declarauit, *non esse mentis suæ*, &c. Paulus V. etiam confirmauit denuo omnia priuilegia Societatis, quæ antea erant reuocata, vt pristinum haberent vigorem in Bulla anni 1606. quæ incipit, *Quantum Religio.* Ex his ergo, & similibus colligimus illam non fuisse restrictionem, sed iuridicam Bullæ declarationem, ac proinde & esse perpetuam, nunquamque reuocari, & esse vniuersalem: nam licèt ad peculiarem religionem dirigatur, quia ad illius petitionem facta est, omnes comprehendit, in quibus eadem ratio iuridicæ declarationis versatur. Simile argumentum sumo ex quadam declaratione Cardinalium, facta ad petitionem Patriarchæ Valentini, qua declararunt, moniales Episcopo subditas non posse vigore facultatis in Bulla concessæ alios confessarios, præter eos, qui ad audiendas ipsarum monialium confessiones ab eodem Ordinario approbati fuerint, eligere. Quæ declaratio non potuit fundari in speciali aliquo priuilegio illis monasterijs, vel Episcopis eorum Prælatis cõcesso: quia nec de illo constat, neque illa interrogatio, seu petitio declarationis fuisset necessaria, si tale priuilegium existeret: fundatur ergo in ratione iuridica, quæ alijs regularibus communis est.

Accedit tandem Bulla Clementis VIII. anno 1599. 23. Nouembr. edita, in qua prædictus Pontifex perpetuò declarat concessionem Cruciatæ, & aliorum priuilegiorum, seu indultorum particularium, quę ab Apostolica Sede concedi solent, quantum ad articulum eligendi confessorem, & absoluendi à casibus reseruatis cum religiosis, & monialibus quorumcunque ordinum, locum minimè habere, nec censeri; sed suæ intentionis existere, quòd prædicti religiosi & moniales quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, seu confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subiecti sint. In qua quidem constitutione declarat Summus Pontifex nec suæ intentionis, nec Sedis Apostolicę fuisse, vel esse, quòd religiosi vel moniales cuiuscunque Ordinis vti possint priuilegijs Cruciatæ quoad effectum eligendi confessorem, vel absoluendi à reseruatis. Ex dictis verò iam sic efformo argumentum: Non solùm alij SS. Pontifices, sed Clemens VIII. declarat concessionem Cruciatę, & priuilegia illius quoad eligendum confessorem, vel absoluẽdum à reseruatis, non habuisse nec habere locum in religiosis vel monialibus vsque ad eius tempora: Ergo neque modò habebit. Valet consequentia, quia tenor Bullarum subsequentium est omnino idem, & immutatus, præsertim quoad extẽsionem, seu comprehensionem personarum, quæ priuilegijs Bullæ vti possunt, & solùm certo numero annorum, v.g. sexto quoque anno nouam à Sede Apostolica accipit confirmationem, vel renouationem, eodem, inquam, manente tenore Bullæ; ergo si antea concessio Cruciatæ non comprehendebat personas religiosas, vt prædicti Pontifices declarant, nec modò comprehendet, nam noua extensio ad illas non censetur fieri, nisi id explicetur noua aliqua clausula, seu verborum declaratione, vt per se patet.

Ratio autem esse videtur, quia sub clausula generali non comprehenduntur particularia, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus, vt est regula, in *generali.* de Regulis iuris, in 6. cap. 2. de pœnit. & remiss. in 6. In præsenti autem facultas hæc habet in religiosis specialem quandam rationem, & (vt ita dicam) deformitatem: ergo non est verisimile comprehendi religiosos sub verbis tantùm generalibus, quantum ad illam facultatem, etiamsi quoad alios fauores Bullę comprehendantur. Minor patet, quia talis facultas verget in magnum detrimentum religionum, vt P. us V. in prædicto indulto fatetur: potest enim illa esse occasio dissolutionis & relaxationis disciplinæ religiosæ, vt Gregorius XIII. significat: non est autem verisimile voluisse Pontifices sub generalib. verbis tantam licentiam religiosis concedere. Quod declarari potest ex alio principio, quòd Pontifex concedendo priuilegium generale, non præsumitur cõprehendere particulares casus, qui includunt præiudicium tertij, vel sunt contra speciale ius alterius: in prȩsenti autem interuenit præiudicium religionis, & peculiare ius Prælatorum eius, quod sine dubio habet aliquid magis speciale, quàm ius Parochorum, vel Episcoporum circa subditos seculares, quatenus Prælati regulares habent specialem obligationem procurandi non tantùm salutem, sed etiam perfectionem suorum subditorum, & conseruationem suæ religionis, quoad disciplinam religiosam; ergo. VI.

Accedit tandem quod in nonnullis Iubileis, in quibus Pontifices volunt hanc gratiam facere religiosis, id verbis proprijs, & specificis declarant: ergo signum est, cùm generatim tantùm loquuntur, non esse mentem eorum cõprehendere religiosos. Vbi animaduersione dignum censeo non inueniri (quoad ego viderim, aut legerim,) has specificas concessiones, nisi in aliquibus facultatibus, quæ pro vna vice tantùm & rarò, & ex grauissimis causis propter aliquod solenne Iubileum conceduntur, quod non solùm sine præiudicio religionum, sed etiam cum fructu potest interdum fieri ad subueniendum omni generi personarum, & vni, vel alteri, qui fortasse ob nimiam verecundiam, aut prauam consuetudinẽ oneratam habent conscientiam. At verò in concessionibus perpetuis, vel quæ ad longum tempus, & quæ ad ordinariũ vsum confessionis conceduntur, nunquam fit illa specifica concessio, quia per licentiam generalem, & talem ordinarium vsum planè euerteretur disciplina religiosa: multi enim timorem ac pudorem religiosum amitterent, ex quo etiam non parua infamia religionibus crearetur: signum ergo est Pontifices per generalia verba non intendere has specificas concessiones. In quo etiam expendo circunspectionem Concilij Trid. sess. 25. c. 10. vbi cùm expediens iudicauerit bis, aut ter in anno dari monialib. extraordinarios confessores; nihilominus illos voluit esse designatos ab Episcopis, vel Superioribus: quia cùm illa esset lex perpetua, incommoniens maximũ reputauit liberam facultatem facere monialib. vt vel semel in anno possent suo arbitrio eligere confessorẽ: quî ergo credibile est Pontificem eis concedere absolutam licentiam id semper faciendi quotiescunq; voluerint, per hęc priuilegia, quę vel perpetua sunt, vel per cõtinuam succesionem semper durant. Quòd si monialib. hoc Pontifex non concedit per generalia verba, certè nec viris regularibus, in quibus non minor ratio specialitatis militat. VII.

Accedit optimum iudicium ex quibusdam Iubileis.

Alterum iudicium ex Trident.

Quapropter quod de Bulla Cruciatæ dicimus, verum esse cẽsemus de omnib. Bullis, vt Trinitatis, aut aliarum confraternitatum, & similib. indultis, VIII.

Dicta habentur de Bulla Cruciatæ extendunter ad alias.

per quæ conceditur hæc facultas permanens, & generalis per similia verba, propter easdem rationes. Estque de hoc egregia declaratio, & concessio facta Ordini Cistercien sium, vt habetur in eius Compēdio, ver. *Confessionale.* §. 4. vbi ita concluditur, *Si quis ergo monachus, vel monialis quodcunque confessionale impetraret, aut eo absque Superiorū facultate vti præsumpserit, eo ipso impetratu careat, ac pœnis constitutionum, & definitionum inhabilitatis. & suspensionis subiicitur, prout concessit Clemens VII.* In Iubileis autem, vt dixi, quæ pro vno tantùm actu conceduntur, facilius potest admitti illa extensio, sed in eis necessarium iudico, vt aliquibus specialibus verbis sufficienter ostendatur illam fuisse intentionem concedentis.

IX. *Ad quæstum. in num. 1.*

Ad fundamentū ergo contrariæ opinionis, concessis omnibus, quæ in ea præmittuntur, negamus Pontificem, talem licentiam religiosis concedere, ideoq; siue accipiant Bullam de licentia Prælati, siue absque illa, non possunt vti illa Bullæ; non quia Prælatus tollat illā, sed quia Pontifex non dedit. Dices, ergo quamuis Prælatus det facultatē non solùm accipiendi Bullam, sed ēt vtendi omnibus facultatib. eius, non poterit religiosus vti hac facultate, quia non est sibi facta per Pōtificem. Respondeo primùm, si Prælati verba sint tantùm generalia, idem conseo, propter ea, quę dixi de specialitate huius facultatis, quæ multò maior mihi esse videtur in persona religiosa, quàm sit in persona seculari facultas ab Episcopo data confitendi alteri de sibi reseruatis: at verò ius declarat sub facultate Episcopi ad absolutionem de omnibus peccatis non cōprehendi reseruata: ergo similiter in præsenti sub generali licentia fruendi gratijs Bullæ, nō comprehenditur hæc facultas, quæ vix potest prudenter concedi. Deinde, si in particulari hoc etiam concedat Prælatus, poterit religiosus illa facultate vti vel quia ipse Prælatus potest per se illam concedere, vel certe, quia tunc cessat præiudicium tertij, & ideo possunt verba Pontificis ad illam personam extendi, quia se gerit tanquam liber, & sui iuris. Atque hoc modo excusari possūt religiosi, qui in praxi sequuntur alteram sententiam: quia Prælati eorum tacitè consentiunt, dū sciunt, & non resistunt: quod si ita est, ipsi Prælati videant cur, & quomodo id faciant. Ego verò existimo eos magis fundari in ignorantia, putantes contrariam sententiam esse practicè probabilem: quod ego mihi non existimo.

X. *Videri quoque nouitios non posse vti Cruciata.*

Solet autem peculiariter dubitari, an idē dicendum sit de nouitijs, quòd nimirum non possint vti Bulla quoad hanc facultatem sine licentia Prælatorum. Videntur n. rationes factæ in eis procedere, non quoad hoc iudicandi sunt ac si essent veri religiosi, nam pro tunc sunt sub iurisdictione religionis quoad hoc forum, vt in simili dixit Cord. lib. 1. Quæstionarij, q. 30. ex quo loco possunt multa desumi ad hanc partem confirmandam. Nihilominus probabilius cēseo, posse nouitios gaudere hoc priuilegio Bullæ, siue eam acceperint antequam religionem ingrediantur, siue postea illam sumpserint de licentia Prælatorum, vel absque illa. Ratio est, quia si attendantur generalia verba Bullæ, omnes comprehendunt: specialis autem illa ratio, ob quā credimus non comprehendere religiosos quoad hanc facultatem, non ita habet locum in nouitijs: tum quia verè non sunt religiosi, & simpliciter liberi sunt, vt de se, & de actibus suis possint disponere, c. *religiosi.* de sent. excom. c. *non solùm*, de Regularib. in 6. cum similibus. tum etiam, quia ex eo, quòd nouitij habent hanc facultatem, non sequitur morale detrimentum religionis: ergo nullum habemus sufficiens fundamentum, vt eis hanc gratiam denegemus. Quin potiùs etiam post declarationes Pontificum, quòd religiosi non possint vti tali facultate sine licentia suorum Prælatorum, probabilius est nouitios posse nihilominus vti prędicta facultate Bullæ: quia quoad hunc rigorem non comprehenduntur sub religiosorum nomine, iuxta generalem regulam Doctorum in dict. c. *religioso.* & Summistarum verb. *religio*, & aliorum quos congerit Tiraquel. de vtroque retractu p. 1. §. 1. glos. 8. n. 28. & sequentibus, quæ hîc maximè locum habet, cùm non militet in præsenti eadem ratio in nouitio, quæ in vero religioso quoad subiectionem, & dependentiam à suis Prælatis. Et hanc sententiam tenent frequentiùs moderni Doctores, & alij, quos referemus in puncto sequenti.

An per priuilegium vnius religionis possit absolui pœnitens alterius religionis.

XI. *De priuilegiatis.*

Aliud membrum suprà propositum in fine n. 1. erat, an ex parte confessorum sit in aliquibus iurisdictio, seu potestas per priuilegium aliquod concessa, ratione cuius possint religiosi eis cōfiteri sine suorum Superiorū facultate. In quo solùm est dubium de iurisdictione delegata à Papa, seu per priuilegium Sedis Apostolicæ: inferior n. sufficere non potest eo, quòd religiosi sint exempti (de his enim loquimur) à iurisdictione omnium aliorum Prælatorum extra suam religionem, non minùs in foro pœnitentiæ, quàm in exteriori: igitur neq; ab ipsis Prælatis externis absolui possunt: multò ergo minùs à delegatis eorum. De habentibus autem iurisdictionem delegatam per Pontificia indulta, est nonnulla ratio dubitandi: quia religiosi non sunt exempti à iurisdictione Pontificis, sed Pontifex cōcedit mihi, v. g. iurisdictionem, vt possim audire confessiones sibi subditorum: ergo possum audire confessiones quorumcunque religiosorum: ergo & ipsi poterunt mihi confiteri sine facultate suorum Prælatorum, vel etiam contra prohibitionem illorum, quia non videntur posse id prohibere: sicut non potest Parochus prohibere subdito suo, ne religioso priuilegiato, & approbato confiteatur.

XII.

Nihilominus dicendum est, vnumquemq; religiosum debere in hoc seruare suum institutum, q maximè in hac parte semper erit munitum Sedis Apostolicæ approbatione, & cōfirmatione. Si ergo Prælati alicuius religionis iuxta suam regulam nō prohibent subditos suos confiteri cuicunq; habenti aliàs iurisdictionem sufficientem in illo foro, poterunt tales religiosi absolui nō tantùm à suis Prælatis, sed etiam à quibuscunq; religiosis priuilegiatis ad tale munus. Quia confessores ipsi de se potestatē habent ad quascunq; confessiones audiendas, si aliàs ex parte pœnitentium non sit impedimentum; sed in huiusmodi religiosis non est impedimentum, quia secluſa prohibitione sui instituti, aut Prælatorum, nullum est. ergo. Solùm in hoc pōt aduerti, cōtingere posse, vt in aliqua religione sint aliqui casus peculiariter reseruati, quamuis aliàs non sint prohibiti confiteri dicto modo, & tunc licèt confessio de alijs peccatis fieri possit dictis confessoribus, quoad reseruata verò seruanda erit regula statim tradenda de cæteris religiosis, quib. specialiter prohibitum est confiteri alicui sine licentia sui Prælati. Quia Prælati talis religionis tunc non dant facultatē supra peccata sibi reseruata: tum quia nec iurisdictionem, seu facultatem tribuunt, vt supponimus, sed tantùm nō prohibent: tum etiam, quia licèt darent facultatem confitendi cui vellent, non intelligerētur comprehendere casus reseruatos sub illa generali cōfessione, iuxta c. 2. de pœni. & remiss. in 6. Neq; etiam potestas, quam confessores aliunde habent, extenditur ad hos casus reseruatos, propter ea, quæ statim dicemus. Existimo autē paucas esse, vel nullas religiones, in quib. tantam habeant religiosi libertatem, sed in omnibus obseruatur, vt religiosi nemini possint confiteri, nisi vel proprio

Prælato

Prælato, vel de licentia eius, seu confessori ab ipso designato.

XIII. Sic ergo dicendum est, huiusmodi religiosos non posse confiteri alijs religiosis, vel sacerdotibus, etiam his, qui aliàs habent iurisdictionem delegatam à Papa, vt confessiones generaliter audiant. ita sentiunt Doctores omnes, quos statim referam. Aliqui conantur hoc fundare in sola potestate ordinaria Prælatorum religionis: nam qui potest ligare, potest absoluere, *c. si inferior. 21. d. & c. si Petrus. 24. q. 1.* quod principium maximè verum habet in habente ordinariam potestatem; sed Prælatis religionum data est potestas absoluendi suos religiosos: ergo possunt etiam eos ita ligare, vt ab alijs absolui non possint. Et confirmatur, nam ob hanc rationem possunt casus sibi reseruare. Confirmatur secundò: nam Prælatis religionum commissa est propria cura spiritualis suorum religiosorum, & ideo illis data est plena iurisdictio ordinaria in hoc foro: ergo eo ipso est eis concessum, vt sine eorum facultate non possint alijs confiteri.

XIV. Hæ verò rationes, & similes, licèt probent respectu inferiorum Prælatorum, aut confessorum habentium ab eis delegatam iurisdictionem, non tamen respectu confessorum habentium iurisdictionem à Papa. Nam illud principium; Qui potest absoluere, potest & ligare (præter alias fallentias, vel interpretationes, quas recipit) ad summum procedit respectu inferioris, vel æqualis iudicis, non verò respectu superioris: nam inferior non potest ita ligare subditum, quin à superiore Prælato possit absolui. Eadem autem ratio est de Superiore ac de delegato eius, quia censetur esse vna iurisdictio. Quâuis ergo Prælatus religionis possit ligare subditum, ne ab alio possit absolui, non tamen potest in ea ligatione comprehendere Pontificem, vel habentem potestatem ab illo: hîc autem agimus de confessoribus habentibus à Pontifice potestatem. Vnde ad primam confirmationem eodem modo responderi potest, licèt Prælatus religionis possit reseruare casus respectu inferiorum, vel æqualium, non tamen respectu Papæ. Et patet, quia etiam Episcopi possunt reseruare casus, & tamen religiosi aliqui per indulta Pontificia possint ab illis absolui: ergo eadem ratione poterũt absoluere à peccatis reseruatis à religionum Prælatis. Vnde etiam non videtur vrgere 2. confirmatio, quia, quamuis oues alicui, vt proprio Pastori committantur, semper manet integrum ius supremi Pastoris, vt per se, vel per alium possit in eas influere.

XV. Oportet ergo ostendere, non esse voluntatem ipsiusmet Pontificis delegare cuiquã suam iurisdictionem respectu aliorum regularium, repugnantibus, vel non consentientibus Prælatis illorum: hic enim est punctus difficultatis. nam reuera, si Papa voluisset aliter illam iurisdictionem concedere, potuisset, & factum teneret, vt probant tam ratio dubitandi in principio posita, quàm obiectiones factæ contra superius fundamentum. Illud autem assumptum probatur ex priuilegio Innocentij IV. concesso Ordini Prædicatorum, scilicet, vt fratres habentes facultatem, vt confessiones generaliter audiant, non possint talium religiosorum confessiones audire, nisi pœnitentes à suis Prælatis licentiam habeant. Quo priuilegio gaudent per viam communicationis aliæ religiones, quæ illam habent. Refertur autem illud priuilegium in Supplement. Minor. & in lib. Monument. Ordin. & in Cõpendio Societatis, verbo *Confessarius. §. 5.* Idem refertur concessum Minoribus, & Carmelitis, vt refert Emmanuel Rodr. tom. 1. quæst. 62. art. 4. quanuis solum videatur intelligere prohibitionem illam quoad alios Prælatos, vel confessores ab eis approbatos, & iurisdictionem habentes: tamen propter hoc solum non erat necessaria specialis prohibitio: quia illud ex vi exemptionis, & iurisdictionis horum Prælatorum prohibitum erat, vt probat primum fundamentum adductum in num. 13. ergo vniuersalius intelligenda est illa prohibitio de quibuscunque confessoribus. Idem concessum esse ab Innocentio VIII. & Iulio II. Ordini Eremitarum S. Augustini, refertur in Compendio Mendicantium verb. *Confessio. & C. nf. ssor. §. 6. & 7.* & Clemens VII. ac Gregorius XI. idem concesserunt Ordini Cisterciensium, vt habetur in eius Compendio verb. *Confssor. §. 3.* vbi etiam dicitur, ab antiquo fuisse illi Ordini indultum, vt vnusquisque Monachus confiteri debeat suo Prælato, vel alijs de eius licentia, aut designato confessori Conuentuali. Quæ concessio intelligi debet exclusiuè, scilicet vt alteri confiteri non possit, quantumcunque ipse confessor aliunde habeat iurisdictionem ad confessiones audiendas. Idem enim Pontifex, qui talem iurisdictionem cõcessit, potest alia via limitationem hanc adhibere, scilicet, vt respectu regularium nemovti possit tali iurisdictione, nisi pœnitens à suo Prælato facultatem habeat. Denique limitationem illam expressè posuit Benedictus XI. in Extrauag. *Inter cunctas.* de Priuilegijs dicens, *Non religiosis, qui secundum statuta suorum Ordinum proprijs Prælatis confiteri debent, aut ab eis, ne confiteantur aliis prohibentur.* Atque ita est etiam consuetudine receptum in omnibus religionibus benè ordinatis. Quæ consuetudo sufficiens esse solet ad suo modo dandam, vel tollendam iurisdictionem in hoc foro. Vnde nec moniales etiam confiteri possunt quibuscunque regularibus confessoribus, nisi de licentia suorum Prælatorum. Et ideo Congregatio Cardinalium circa c. 10. de Regularibus sess. 25. Concilij Tridentini declarauit, etiam extraordinarios confessores, qui aliquoties in anno dandi sunt monialibus, à Prælatis illarum esse approbandos, ita vt si monasteria sint subiecta regularibus, Episcopi approbatio non sufficiat, nisi in aliquo extraordinario casu, quem infra in speciali capite de monialibus fortasse attingemus.

XVI. Tandem ex his omnibus probabiliter coniectare possumus, à principio non fuisse mentem Pontificum concedentium religiosis iurisdictionem ad confessiones audiendas, illis concedere facultatem audiendi confessiones regularium inuitis eorum Prælatis: nam quæ à Deo, & eius Vicario sunt, ordinata sunt: cum ergo Prælatus religionis ab ipso Pontifice habeat ius prohibendi subdito, ne extraneis confiteatur, inordinatum esset, vt alij nihilominus haberent iurisdictionem ab eodem Pontifice ad tales confessiones audiendas. Dices, eadem ratione dicetur esse inordinatum, quòd habeant iurisdictionem audiendi confessiones secularium inuitis Parochis, vel Episcopis. Respondeo, non esse similem rationem, quia non est tanta dependentia voluntatis hominis secularis à suo Episcopo, vel Parocho, quanta esse debet voluntatis religiosi à suo Prælato: nec etiam est tam necessaria subordinatio inferioris ad superiorem, nec tam intima cognitio, quam superior debet habere de inferiore: & ideo in statu religioso multum inuertitur debitus ordo per huiusmodi libertatẽ subditorum; quod non ita fit in statu seculari. Propter hoc ergo satis verisimile est, Pontifices nunquam intendisse dare hanc iurisdictionem cum detrimento religiosi ordinis ac disciplinæ: & ad hoc confirmandum iuuant, quæ suprà in simili puncto diximus, & per hæc satis responsum est rationi dubitandi in contrarium.

* * *

CAPVT XVII.

An saltem pro religiosis peregrinis, ac nouitiis absoluendis detur in aliis dicta potestas.

I. *Responsio generalis.*

PEculiare autem hic dubium circa hoc occurrit de religiosis peregrinãtibus, cui possint, aut debeant confiteri de non reseruatis; (nam de reseruatis in c. 19. n. 2. dicemus.) In quo iuxta regulas iuris communis dicendum est, debere confiteri ei, qui in loco, in quo inueniuntur, iurisdictionem habet ordinariam, vel delegatam, vt ex propria materia de Pœnitentia constat. Quia verò religiosi etiam in hoc regi solent speciali iure, illud vnusquisque seruare debet, quod ad se pertinet, & generalis regula erit, vt vnusquisque sequatur directionem sui Prælati, vel suæ regulæ, iuxta dicta in proximo capite. Certum est enim, religioso peregrinanti nec debere, nec posse denegari facultatem, vt alicui confiteri possit, quia hæc necessaria est, considerata hominis fragilitate, &, secluſa præcisa necessitate, ad maiorem perfectionem etiam confert.

II. *Decidit. ur vnus casus circa peregrinus.*

Deinde, distinguere possumus veluti tres casus. Primus est, quãdo religiosus peregrinus secum defert socium eiusdem religionis, sacerdotem, & sufficientem ad confessiones audiendas: & tunc communis obseruantia esse solet, vt religiosus peregrinans debeat socio confiteri, & non alteri, quia hæc solet esse voluntas Prælatorum, quæ licèt aliquãdo non sit expressa, sufficit tacita, & inclusa in ipsa licentia sic peregrinandi, quam recta ratio, & cõmunis consuetudo satis indicãt. Secundus casus est, vt religiosus peregrinus sit hospes in alia domo, vel monasterio eiusdem religionis: & tũc regula est, vt cõfiteri debeat vel Prælato ipsius domus, vel alteri de licentia eius, vel confessori conuentuali, qui est quasi Ordinarius illius loci; non tamen poterunt confiteri aliis religiosis eiusdẽ domus, si ad audiẽdas confessiones suorum religiosorũ à Prælatis expositi non sint. Ratio est, quia illi non habent iurisdictionẽ ad audiendas confessiones religiosorũ: ergo nec circa hospitẽ habent. Prælatus verò, vel Ordinarius habẽt iurisdictionẽ, cui iure hospitij subdi põt peregrinus pro eo tẽpore, quo ibi moratur.

Decidit. ur alter. casus.

Ratio decisionis.

III. *Euasio.*

Dices, rationem hanc procedere cõsiderando iurisdictionem, vt manãtem à Prælato illius domus, vel per se illi conuenientẽ: secus verò intelligi posse de iurisdictione manante à Prælato ipsiusmet peregrini, qui dedit illi facultatem eligendi confessorem, vt de clerico seculari statim dicemus. Ergo per illam poterit eligere quemcunque religiosum illius domus. Respondent aliqui, non posse, quia alij religiosi illius domus non sunt approbati à Prælato religionis ad audiẽdas confessiones religiosorum: religiosi autem quãuis possint eligere sacerdotem non approbatum ab Episcopo, iuxta Concil. Trid. non tamen possunt eligere iuxta antiquũ ius (quod Tridentinum in hac parte non mutauit,) nisi sacerdotem approbatum à suis Prælatis. Sed hoc non satisfacit: nam vel approbationem intelligunt collationem iurisdictionis, & sic est verum, quod assumitur, tamen in eo, quod subsumitur, petitur principium: nam hoc est, quod contendimus, sc. quemlibet religiosum electũ à pœnitente, eo ipso esse approbatum ab ipsius Prælato, per facultatem, quam illi fecit eligendi confessorem; sicut de seculari clerico statim dicemus. Si autem per approbationem intelligatur iudicium præuium; seu declaratio authentica de sufficientia ad audiendas confessiones, qualem nunc requirit Conc. Trid. ab Episcopo datum ad audiendas confessiones secularium; sic falsum est assumptum, quia nec antiquo iure fundatũ est, nec consuetudine constat, vt ex sequenti casu euidentiùs constabit. Item illo modo non satisfit difficultati; nam possũt esse in illa domo multi, qui sæpiùs fuerunt confessores fratrũ, & tunc non sint, qui, quantum ad approbationem, quæ excogitari potest, secluſa iurisdictione, meritò censeri debent approbati, & tamen non licet hospiti eis confiteri. Dico ergo, rationem hũius esse, quia in eo casu non potest manare iurisdictio à Prælato pœnitentis. Nã facultas, quæ illi datur ad eligendum confessorem, solùm est pro casibus necessitatis, quando deest ordinarius confessor eiusdem religionis; tunc autem iure hospitij ille habet sufficientẽ ordinarium confessorem eiusdem religionis; etiam applicãdo cum proportione ius commune: ergo tunc cessat facultas eligendi confessorem, & consequenter deest omnis iurisdictio, quæ manare potest à Prælato pœnitentis. Vnde si Prælatus concessisset expressam facultatẽ eligendi quemcunq; sacerdotem, ẽt in monasterijs eiusdem religionis, tunc sine dubio posset cuicunq; confiteri, nisi statuta religionis ita repugnarent, vt illam facultatem irritam redderent. Regulariter aũt Superiores talem facultatẽ non concedunt, vel quia per regulam prohibẽtur, vel certe quia per se est irrationabilis, & contra debitũ ordinem sine vlla necessitate. Quapropter eo ipso quod talis facultas non est expressa, censetur non concessa, nec comprehensa sub generali facultate, quæ & necessitatẽ respicit, & debitum ordinẽ religiosum.

IV. *Quid casus in quo religiosus alterutro ex illis modis confiteri tenetur.*

Addendũ verò occurrit circa hunc, & præcedentem casum, si ambo simul concurrant, liberũ esse religioso alterutro ex illis modis confiteri: i. e. si religiosus habens sociũ sacerdotẽ in aliquo monasterio suæ religionis hospes sit, posse vel socio suo, vel Ordinario ipsius monasterij confiteri. Ita n. quantũ intelligere possum, habet cõsuetudo. Et ratio esse potest, quia in vtroq; illorum est sufficiẽs titulus iurisdictionis, & per se non repugnat habere duos cõfessarios idoneos; neq; ibi interuenit voluntas, &c. prij Prælati, quæ vnum illorum acceptet, & alterũ excludat, nulla n. est ratio sufficiens ad præsumendam illam, cùm vterq; illorum modorum sit per se satis ordinatus, & consentaneꝰ religioni. Secus verò esset, si vel Superior aliud ordinasset, aut declarasset, q; sine dubio facere põt, vel per specialem regulam, aut consuetudinẽ religionum aliquid ẽt definitũ esset, nam illud semper obseruare necesse est.

V. *Quid casus in quo religiosus diuertit ad loca extra monasteria suæ religionis: & tunc, secluſis particularibus voluntatibus, seu instructionibus Prælatorum, quæ non cadunt sub scientiam, nisi quoad hoc solum, quòd seruandæ sunt, quando non fuerint planè iniustæ: his, inquam, secluſis, generalis regula est, tunc posse confiteri cuicunque sacerdoti seculari, vel regulari: quia non debet priuari subsidio confessionis. Atq; ita docent omnes, dubitant tamen, an ad hoc sit necessaria expressa licentia Prælati, vel sufficiat tacitè inclusa in licentia peregrinandi. Respondetur tamen, quamcunq; sufficere, vt alias in materia de Pœnit. generaliter diximus de huiusmodi peregrinis: non enim debẽt esse peioris conditionis religiosi peregrinãtes quoad hanc facultatem. Præterea, quia talis facultas secundùm rectam rationem debita est, & quasi necessitate morali annexa peregrinationi: ergo concesso antecedente, virtute est concesſũ consequens. Deinde, cõmunis consuetudo satis in hoc interpretatur volũtatem Prælatorum. Eò vel maximè, quòd vix potest fieri, quin in regulis, vel constitutionib. vniuscuiusq; religionis hoc satis declaratũ sit. Imo ẽt sunt aliqua priuilegia Pontificia, concedẽtia religiosis, Vt dum itinerantes, vel fuerint extra conuentus suos duntaxat, valeant confiteri quibuscunque sacerdotibus regularibus, vel secularibus.* ita concessit Sixtus IV. Minoribus, vt refertur in li. Monumenta Ordinum, & Innoc. VIII. Cistercienſibus, vt in eorum Cõpendio refertur. In quo indulto notari possunt illa verba, *Vt dum*

vel fuerint extra conuentus suos. nam si intelligatur absolutè de omnibus conuentibus sui Ordinis, cõfirmant optimè quæ diximus in superiori puncto n. 2. estque expositio satis pia, & probabilis; sed non cogens, quia possunt illa verba exponi respectiuè de conuentibus suis, id est, propriis, in quibus habitât, vnusquisque scilicet in suo.

VI. *Quæ sunt requisita circa peregrinum ut ei iurisdictionem concedat.*

Interrogari vlteriùs potest, quem sacerdotẽ debeat tũc religiosus eligere, an habentem aliàs iurisdictionem, an approbatum ab Episcopo, an regularem, si possit. Respondetur ad primum, non est necessarium vt sacerdos eligendus aliàs iurisdictionẽ habeat, quia nõ debet religiosum absoluere per iurisdictionem Episcopi, vel Parochi, sed per iurisdictionem, quam recipit à prælato regulari, media facultate eligẽdi ipsum: quod satis patet ex dictis. Vnde in hoc est notanda differentia inter peregrinum secularem, & religiosum: quia secularis absoluitur in aliena diœcesi more incolarum illius loci, in quo versatur, vt alibi diximus in materia de Pœnitent. Religiosus autem, etiam peregrinus, semper absoluitur iure religiosorum, atque adeò per iurisdictionem manantem à suis prælatis. Et ratio fortasse est, quia religiosus, licèt peregrinetur, nunquam vagatur extra suam diœcesim, quia religio non clauditur certis terminis localibus alicuius diœcesis: vnde religiosus semper retinet actualem subiectionem perfectam ad prælatum suum, vt per illius iurisdictionem in vtroque foro gubernetur quantũ fieri possit.

VII. Ad secundam interrogationem respondetur nõ esse necessarium religiosum eligere sacerdotem approbatum ab Episcopo, nisi à prælato suo in facultate sibi concessa id fuerit specialiter præscriptum. Ratio prioris partis est, quia illa approbatio nec ex natura rei, nec ex iure antiquo est necessaria, sed solùm ex nouo iure Concilij Tridentini; Concilium autem solùm voluit illam approbationem esse necessariam ad confessiones secularium audiendas, vt ex contextu constat, & alibi ex professo tractatũ est. Ratio verò alterius partis est, quia prælatus potest facultatem concedere limitatam ad certum genus personarum; ergo potest etiam limitare illa conditione adiecta. Veruntamen, nisi illam apertè exprimat, non est præsumenda: quia non est verisimile voluisse prælatum imponere onus, quod Concilium non posuit, si enim voluisset, expressisset, hęc enim regula in oneribus maximè imponendis seruanda est: præsertim cùm respectu regularium non sit tam necessaria hæc conditio, tum quia frequentius confitentur, tum etiam, quia cautius viuunt; & ita faciliùs possunt idoneum confessorem eligere, etiamsi illo solenni ritu approbatus non sit.

VIII. Ad tertiam interrogationem eodem modo respondendum est, per se loquendo liberam esse electionem secularis, vel regularis sacerdotis, nisi prælatus expressè adhibeat limitationem aliquam; tũc enim illi standum est, alioqui non est cur præsumatur. Solum posset quis dubitare, quando contingit in eodem loco concurrere religiosum eiusdem ordinis, tunc enim videtur valde probabilis præsumptio voluntatis prælati, vt subditus extraneo sacerdoti, siue seculari, siue regulari non confiteatur, cùm possit habere suæ religionis confessorem. Et sanè ita est consulendum, quia per se est magis ordinatum, magisque commendat vnitatem, & fidelitatem erga religionem. Nihilominus, vbi non fuerit vel in regula præscriptum, vel à Superiore ordinatum, non censeo esse necessarium, quia omnis hæc limitatio est onerosa, & scrupulosa, & ideo nisi de illa expressè constiterit, non est imponenda.

IX. Tandem quæri hic posset, an hæc facultas peregrinantium regularium se extendat ad obtinendã absolutionem à casibus in sua religione reseruatis. Sed de his casibus dicemus in cap. 19. nunc enim tãtùm de ordinaria confessione simpliciter loquuti sumus. Obseruandum verò est, in multis religionibus præscriptum esse, vt qui iter egit, cùm primùm ad monasterium redit, integrè confiteatur omnia, quę gesit ab vltima confessione in monasterio ante discessum facta. Et quidem D. Basilius in regula 44. ex fusioribus, monet, vt prælato omnia manifestentur: sed ibi non agit de sacramentali confessione: tamen illud statutum habent Carthusiani, vt ferunt; & idem habet Ordo S. Hieronymi in suis Constitutionibus, cap. 20. Et in Societate vniuersalior regula traditur, vt *qui alij, quàm suo confessario designato confiteretur* (vtique ex iusta causa, qualis est absentia) *debeat postmodum quantum recordari poterit eidem confessario suo totam suam conscientiam aperire, vt nihil ignorando, quod ad eam pertineat, melius in Domino possit eundem iuuare.* habetur 3. p. Constitut. cap. 1. lit. Q. & in Summario Constitutionum, §. 9. Vbi autem similis constitutio, vel consuetudo seruatur, videri potest facultatem religioso concessam, vt tempore absentiæ, vel peregrinationis confessorem eligat, non esse absolutam, sed sub onere iterum eadem confitendi proprio prælato, vel confessori: nisi enim hæc conditio fuisset in facultate apposita, non posset postea obligari religiosus ad confessionem iterandam, quia hæc non est materia præcepti.

Peregrinantes religiosos aliquibi teneri aperire suam conscientiam illi redeunti.

Veruntamen, seclusis peccatis reseruatis, de quibus postea, non censeo esse ita explicanda huiusmodi statuta, tum quia illa non solùm loquuntur de materia peccati mortalis, sed etiam de venialibus, quando talis est, vt ad maiorem perfectionem pertineat illam expresè confiteri: tum præterea, quia etiam in materia mortali non solùm comprehendunt externa peccata, sed etiam interna per solam cogitationem, & consensum: durum est autem dicere, facultatem confitendi peccata merè interna dari sub illo onere; quia illa esset quædam eorum reseruatio, quæ in vsu non est. Vnde etiam confirmatur, quia per illa statuta non reseruantur omnia peccata, quæ religiosus committit dum iter agit: ergo facultas ad confitenda illa non datur sub hoc onere, quia illo modo dari non solet, nisi pro peccatis reseruatis. Est ergo facultas absoluta, & ita ex vi confessionis nulla obligatio remanet. Nihilominus tamẽ illa statuta sancta, & perfecta sunt, tum quia, licet iteratio confessionis in qua fuerunt peccata absolutè remissa, non cadat sub præceptum, cadere tamen potest sub regulam perfectionis, quando illa iteratio specialem habet rationem vtilitatis: tum etiam, quia estò præceptum illud, nulla suppositione facta, imponi non possit; tamen voluntariè, media professione, & voto, obligare posse, vt graues Doctores docuerunt, Maior in 4. d. 17. quæst. 6. Gerson in Regulis moralibus, tit. de Pœnitentia, tom. 2. Alphab. 25. lit. F. Adrianus in 4. quæst. 5. de Confessione, Medina Cod. de Confessione, q. de facultate, & fructu reiterandi confessione, Nauar. in cap. *plaust.* de pœnit. d. 6. numer. 118. Dico tamen, similia instituta non inducere specialem obligationem in conscientia, sed solũ simplicis regulæ, vbi aliud expresè non declaratur: quia illa obligatio, quæ manet, non nascitur ex modo potestatis concessæ ad absoluendum, seu ex virtute clauium in foro sacramentali, vt ex dictis patet: sed nascitur præcisè ex voto. Et hæc de peregrinis religiosis.

X. *Talis obligatio non est ex reseruatione, sed ob maiorem perfectionẽ.*

Quid dicendum circa nouitios.

XI. Iam quoad nouitios dubitari etiam potest, an confiteri possint sine licentia prælati sacerdoti aliàs

habẽti iurisdictionem. In quo tres possunt esse sententiæ. Prima, sine distinctione docens, non posse nouitium tali sacerdoti confiteri. tenet Corduba libro primo quæstione 30. citatur Gerson Alphabeto 34. littera P. sed ibi solùm ait, Abbatem posse absoluere nouitios sicut professos. Hinc verò sumitur ratio huius opinionis; quia nouitij pro eo tempore sunt commissi iurisdictioni religionis. Sed hæc ratio, vt suprà cap. 16. num. 14. dixi, non conuincit, nisi addatur exclusio ab alia iurisdictione, quæ ex vi illius principij non necessariò sequitur. Et ideo est secunda opinio satis probabilis, quę indistinctè ait, posse nouitium confiteri cuicunque Sacerdoti habenti iurisdictionem, vel ab Episcopo ipsius nouitij, vel à Papa, per priuilegia, v.g. religionũ. ita simpliciter tenent nonnulli moderni, Henriquez li. 6. de Pœnit. cap. 16. §. 3. lit. X. & lib. 7. de Indulgentiis, cap. 22. §. 7. lit. I. & V. qui citat pro hac sententia Angelum verbo *Nouitius*. §. 18. & Armillã ibidem, Syluestrum *Religio*. 5. §. 6. qui solùm dicunt nouitium non teneri ad præcepta regulæ: vnde videtur inferre, non obligari ad confitendum prælato, vel ordinariis confessoribus religionis, & cõsequenter posse confiteri aliis quibuscunque habentibus iurisdictionem. Quæ illatio non videtur necessaria, quia, secluſa obligatione præcepti, potest nouitius esse exemptus à iurisdictione extranea religionum, & ideo ex defectu iurisdictionis non posse aliis confiteri. Soto verò, qui etiam citatur lib. 7. de Iustit. quæst. 2. art. 1. in fine tertij argumenti, versic. *Ex hac*, solùm agit de differentia inter votum religionis, vel votum perseuerandi in religione; quod nihil ad rem præsentem facit. Fundamentum autem, quod pro hac opinione afferri potest, statim examinabimus.

1. *Sententia insufficienter fundata.*

2. *Sententia probabilis.*

XII.

3. *Sententia saluti media per duo præcedentia.*

1. *Pronunciatum.*

Tertia opinio distinctione vtitur, de confessoribus priuilegiatis, habentibus iurisdictionem à Papa, & de Ordinariis pastoribus, & delegatis ab illis, vt sunt Episcopus, Parochus, & aliquis adiutor eius. Primò ergo dicimus, nouitiũ vnius religionis posse liberè confiteri cuicunque confessori priuilegiato, habenti iurisdictionem à Papa. Probatur ex dictis cap. præced. num. 10. de vsu priuilegiorum ab ipso Papa concessorum ex parte pœnitentium: nam sicut talia priuilegia generaliter conceduntur omnibus fidelibus, ita per priuilegia confessorum datur illis iurisdictio ad audiendas confessiones omnium fidelium: ergo sicut in prioribus priuilegiis comprehenduntur nouitij sub fidelibus, & non sub exceptione religiosorum; ita etiam in posterioribus priuilegiis comprehenduntur sub eadem appellatione fidelium, & exceptio, quæ fit de religiosis non habentibus facultatem prælatorum, non complectitur nouitios, quia reuera religiosi non sunt. Atq; ita omnia priuilegia, quæ in hoc pacto excipiunt confessiones religiosorum, & ratio, quæ suadet exceptionem illam fuisse necessariam, non extenduntur ad nouitios, quia quoad illos est materia odiosa, & sub proprietate verborum non comprehenduntur, neque habent substantiale fundamentum talis exceptionis. Quæ ratio apud me cõuincit, supposita resolutione illius prioris puncti.

XIII.

Obiectio per quam tentatur hoc pronunciatum.

Vnum tamen aduerto, iurisdictionem hanc, quæ per hęc priuilegia datur, regulariter non descendere ad singulos religiosos, nisi media concessione, & voluntate suorum prælatorum. Vnde fit, si prælatus religionis expresè suis subditis prohibeat nouitiorum suorum confessiones audire, nõ poterunt nouitij illis confiteri, non quia ipsi nouitij ex parte sua impediti sint, sed quia ipsi religiosi iurisdictionem non habent, nam Superior potest illam coarctare, & communicare prout voluerit: sicut etiam non habent iurisdictionem ad audiendas confessiones religiosorum eiusdem domus, quia illis non communicatur à prælatis suis: vel sicut etiã potest prælatus approbare subditum, & dare iurisdictionem ad audiendas confessiones virorum, & non fœminarum; sic etiam potest approbare ad audiendas confessiones secularium, & non regularium, etiam nouitiorum. Quando autem prælatus absolutè, & directè prohibet nouitiorum confessiones audire, sine dubio intendit vetare quantum potest, & cõsequenter iurisdictionem auferre, iuxta communiorem doctrinam Canonistarum in materia de Legibus tractatam. Quocirca, si tota religio (vt in Societate fit, sicut in tract. 10. lib. 9. cap. 2. n. 2. tradimus) per influxum Generalis iurisdictionem accipiat, ipse potest omnibus, & singulis sacerdotibus totius religionis efficaciter prohibere, ne cõfessiones nouitiorum totius religionis audiant, nec eos absoluere valeant: idemque cum proportione Prouinciales in suis prouinciis, & Conuentuales prælati in suis domibus: nam hæc iurisdictio ita cõmunicatur subditis, vt semper in illius vsu à proximis prælatis pendeant. Imo eodem modo possent prælati religionum, si vellent, ita limitare iurisdictionẽ suorum subditorum, vt ab ea excluderent non solum nouitios propriæ religionis, sed etiam omniũ aliarum, quia delegatio potestatis omnem hanc limitationem admittit, vt ratio facta probat: neque in hoc malè facerent, sed potiùs vnionem & charitatem ostenderent ac fouerent; & incommodis (si quæ sequi possunt ex illa libertate nouitiorum) occurrerent. Quanquam, si moraliter res spectetur, satis illis occurri possit per hoc quòd intra eandem religionem non possint nouitij confiteri alicui sine licentia prælati, nam extra illam rarò, aut nunquã id facere possunt.

XII.

1. Pron. iactum.

Secundò dicitur iuxta hãc sententiam, nouitios non posse confiteri, inuito prælato, alicui confessori habenti tantum iurisdictionem Episcopalem. Hanc partem satis probabiliter suadent variæ rationes, quas Corduba suprà multiplicat. Præcipuũ verò fundamentum est, quia nouitius cẽsetur mutasse domicilium, & territorium, præsertim quoad ea, quæ spectant ad Sacramenta necessaria, argumento eorum, quæ tradunt Doctores in cap. *omnium vtriusque sexus*, & in c. vlt. de Parochis, & cap. *ad Apostolicæ*, de decimis, & Syluester, & alij Sũmistæ verb. *Domicilium*, & Tiraquel. de vtroque retractu, part. 1. glos. 8. num. 23. & 24. Sed ad hoc respondeti potest, nouitium mutare quidem aliquo modo domicilium, acquirendo, non tamen amittendo. Acquisiuit enim domicilium, vel quasi domicilium in religione, quatenus ad illam transtulit animo ibi remanendi, non quidem absoluto, & immutabili, sed sub conditione, quod satis est ad acquirendum domicilium, ratione cuius subsit iurisdictioni prælati religionis. Inde autem non statim sequitur quòd amittat omninò prius domicilium, quia non repugnat simul habere duo domicilia, & multo minus habere vnum domicilium, & alium quasi domicilium, etiam in ordine ad confessionem, vt constat ex materia de pœnitentia. Cùm ergo nouitius non acquirat domicilium omninò firmum, adhuc retinet prius, & consequenter simul cum subiectione ad prælatum religionis retinet subiectionem ad Episcopum, præsertim in foro confessionis, quod voluntarium est. Sed contra hoc est, quia fieri non potest vt aliquis simul, & eodem tẽpore habeat duos ordinarios pastores non subordinatos inter se in hoc foro, quia repugnat debito ordini, & pareret confusionem. Vnde, licèt quis possit habere plura domicilia, tamẽ pro eo tempore, in quo in vno habitat, non potest adire Parochum alterius domicilij; sed pro eo tempore pastori tantum illius loci, in quo habitat, subiectus est: ergo nouitius quando in religione habitat, soli prælato illius subiectus est.

Sed

Sed hoc etiam argumentum licèt sit satis probabile, non tamen conuincit, quia illud antecedens non ab omnibus recipitur: Nau. enim tenet oppositum, cui ego magis adhæsi in 4. tom. in 3 p. de Sacramento Pœnitentiæ.

XV. Addendum ergo est, nouitium ita mutare domicilium, vt omninò fiat extra iurisdictionem secularium pastorum, & ideo ex vi prioris iurisdictionis non posse illis cõfiteri. Assumptum declaratur, quia tota religio est exempta à iurisdictione Episcopi in vtroque foro, in hac autem exemptione religio accipienda est non vt ex professis tantùm constat, sed etiam vt nouitios complectitur: vt exempli gratia, Societas Iesu, (vt in eius Constitutionibus adnotatur p. 5. in principio)[1] vno modo accipitur vt complectitur omnes, qui sub obedientia Præpositi Generalis viuunt, etiam nouitios: cùm ergo Pontifices, Paulus III. & Gregorius XIII. illam sub sua protectione susciperint, & ab Ordinariorum iurisdictione eximunt, intelligendi sunt, de illa loqui sub illa ampliſsima acceptione, vt patet ex illis verbis Pauli III. in sua Bulla vltima, *Ipsamque Societatem, & vniuersos illius socios, & personas, illorumque bona quæcunque ab omni superioritate, iurisdictione, & correctione quorumcunque Ordinariorũ eximimus*, &c. Vbi particula illa, *Vniuersos socios, & personas*, videtur habere emphasim, & ampliare etiam ad nouitios. Idem ergo erit in aliis religionibus, siue quia habent similia indulta, siue quia per communicationem hoc etiam gaudere possunt, siue etiam per regulas iuris communis. Quia beneficiũ Principis ampliſsimè est interpretandum, & priuilegia sunt amplianda, quãtum verba iuxta communem vsum patiuntur: hoc autem est priuilegium, & beneficiũ Principis, & verba optimè admittunt hanc ampliationem. Nam religio Minorum in omni proprio vsu dicitur tota illa congregatio, vt ex omnibus membris, etiam nouitiis, constat: nam licèt nouitius propriè religiosus non sit, propriè tamen est in illa cõgregatione, quæ illo nomine appelletur.

XVI. *Obiectio cõtra allatum fundam. diluitur.* Dices, hanc extensionem esse ipsis nouitiis onerosam, & ideo admittendam nõ esse. Respondeo in primis negando consequentiam, quia gratia priuilegij magis est cõsideranda respectu totius religionis, cui immediatè fit, quàm respectu particularium: nam sæpè etiam potest esse illa exemptio onerosa multis professis. Secundò respondetur negando assumptum: quia licèt interdum onerosa esse possit ex aliquo accidenti, simpliciter tamen est fauorabilis. Vnde confirmatur præcipuè hoc fundamentũ, quia nouitius gaudet non solùm priuilegio canonis, sed etiam fori, & propriæ exemptionis religionis quoad alios actus iurisdictionis: ergo etiam & maiori ratione quoad iurisdictionem fori pœnitentiæ. Quæ ratio ampliùs in sequentibus comprobabitur. Hæc ergo tertia opinio videtur mihi verisimilior, & ex dictis fit satis fundamentis aliarũ, quæ sua probabilitate non carent.

CAPVT XVIII.

Quid circa reseruationem culparum in Religionibus statuerit Clemens Octauus.

I. *Duplex modus reseruandi.* VT de absolutione religiosorum à culpis, in qua versamur, dicamus etiam specialiter de reseruatis, præmittenda est explicatio diplomatis, Pontificij circa reseruationem. Dupliciter verò possunt casus aliqui esse reseruati respectu religiosi, scilicet vel à Pontifice, vel ab ipsa religione. Prior reseruatio communi, & vsitato iure non fit nisi cum aliqua censura reseruata, iuxta dicta in 4. tom. 3. p. & ideo his peccatis reseruatis simul cum censuris dicemus in cap. 20. Circa aliam ergo reseruationem suppo-

nendum est, posse prælatos religionum reseruare sibi aliquos casus: quod est certum eadem certitudine, qua id constat de Episcopis, & aliis prælatis circa suos subiectos: nam licèt Concilium Tridentinũ sess. 14. c. 7. solum Pontificem Maximum, & Episcopos nominauerit, tamen sine dubio sub Episcopis intellexit omnes habẽtes Episcopalem iurisdictionem: nam actus reseruandi iurisdictionis est, & per se non pendet à charactere Episcopali; sicut neque actus absoluendi à peccatis. Item quia religiosi exẽpti (de quibus semper agimus) non ligantur reseruationibus Episcoporum: ergo iustum est, vt subdantur reseruationi propriorum prælatorum. Denique ita habet consuetudo ferè omnium religionum, vt infrà in tractatu de Societate lib. 8. c. 5. in particulari referam: quam consuetudinem Pontifices confirmarunt, & approbarunt, præsertim Alexander VI. vt refertur in Supplemento Minorũ, & in lib. Monumenta ordinum, concess. 66. & nouissimè S. D. N. Clemens 8. peculiari decreto de hac re edito anno 1593. qui aliqua peculiariter circa hanc reseruationem ordinauit, quę hîc adnotare, adiuncta breui declaratione, propter dubia, quæ quotidie interrogantur, necessarium visum est.

II. *Enumeratio casuum qui reseruati permittuntur.* Primò ergo ipse enumerat vndecim casus, qui in religionibus reseruari possunt. *Primus, Veneficia, Incantationes, Sortilegia. 2. Apostasia à religione, siue habitu dimisso siue retento, quando eo peruenerit, vt extra septa monasterii, seu conuentus egressio fiat. 3. Nocturna, ac furtiua è monasterio, seu conuentus egressio, etiam non animo apostatandi facta 4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. 5. Iuramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo. 6. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiã effectu non sequuto. 7. Falsificatio manus, aut sigilli officialium monasteriȳ, aut conuentus 8. Furtum de rebus monasteriȳ seu cõuentus, in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. 9. Lapsus carnis voluntarius, opere consummatus 10. Occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiusque personæ. 11. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarũ à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores.*

III. *Prima obseruantia principalis circa hos casus in vniuersum.* Circa quos casus primùm aduertere oportet, quamuis in aliquibus eorum explicetur, necessariã esse materiam peccati mortalis, & opus externum, nihilominus has duas conditiones in omnibus illis esse intelligendas, quia peccata venialia sicut non sunt materia necessaria confessionis, ita nec propriè reseruationis; peccata autem merè interna, etiamsi mortalia sint, secundùm communem Ecclesiæ vsum non reseruantur, etiamsi in rigore reseruari possint. Pontifex autem cùm aliud expresè nõ declaret, loquitur secũdùm ordinariam legem, vel consuetudinem Ecclesiæ. Prętерquam quòd verba, quibus vtitur, in rigore & proprietate, prout sunt accipienda, significant externos actus. Vbi ergo huiusmodi declaratio addi videtur, nõ est solùm propter has conditiones, vt generales sunt, sed propter aliquid speciale, circa aliquam earum explicandũ. In primo ergo casu nihil additum est, quia non erat necessarium, nam illud genus peccati externum est, & grauissimum, & vix potest in indiuiduo cõmitti, quin mortale sit. Quid autem sub illis vocibus comprehendatur, dictum est in primo tomo tract. 3. lib. 2. de vitiis virtuti religionis oppositis: & videri possunt Summistæ in illis verbis, & verb. *Maleficium*, ac verb. *Superstitium*.

In

IV. *Circa 2. casum.* In secundo casu peculiariter explicatur, non sufficere quemcunque exteriorem actum: nam licet quis deliberato animo apostatandi exuat habitum regularem, & secularem induat, & curet, ac tentet egredi septa monasterij, & tandem id non exequatur, vel quia mutat voluntatem, vel etiam quia nō potest, casus ille reseruatus non est, quia non peruenit ad statum, & effectum, quem Pontifex designat. Et ratio esse potuit, quia vel antea non est perfecta iniuria illata religioni, ita vt cedat in infamiam eius, vel certè, quia antea non potest illa dici apostasia exterior.

V. *Circa tertiū. furtiua*, quæ idem significat, quod sine licentia prælati. Vnde licèt quis exeat per vim, vel metum grauem immissum prælato, ne resistat, exteriùs nihilominus furtiuè dicetur egredi, quia inuito prælato, vel sine legitimo consensu eius egreditur: vnde illud peccatum non solùm est quasi furtum, sed quasi rapina in illo genere, vt sic loquamur: generatim autem comprehenditur sub furtiuo egressu, quia fit inuito prælato. Sed quid si prælatus consentiat, tamen iniquè, & contra suum officium, & contra honorem Dei, & religionis? Quid etiam, si ipse prælatus sic occultè egrediatur? Vtrumque censeo egressum furtiuum, & in hac reseruatione comprehensum. Primum quidem, quia illa licentia iniusta est, & nulla, & ita nihil operatur: secunda autem, quia, licèt prælatus conuentus nō habeat præsentem prælatum, cuius voluntate regatur; habet tamen regulam, & voluntatem Superioris prælati, aut totius religionis, aut expressam, aut secundùm rectam rationem præsumptam, respectu cuius talis egressio furtiua est. Denique modus talis egressus qualis ille sit manifestat, quia semper fit occultè, ac furtiuè.

Duo dubia expediuntur circa hunc casum.

VI. *Aliud dubium.* Dubitari verò etiam potest, an hic casus extendatur ad egressum furtiuum diurnum. Verba enim Pontificis sunt, *nocturna, ac furtiua è monasterio egressio.* ergo omnis furtiua egressio illicita reseruata est. Respondeo nihilominus illam dictionem, *ac*, complexiuè, & non diuisiuè esse intelligendam, ac propterea furtiuam egressionem si nocturna non sit, etiamsi contingat esse peccatum mortale, ex vi illorum verborum nō reseruari. Sicut enim nocturna egressio non reseruatur, nisi furtiua sit, vt est per se euidens tam ex ipsa re, quàm ex intentione Pontificis; ita è cōuerso, furtiua egressio, nisi sit nocturna, non reseruatur, quia, vt illud prius verum sit, necesse est particulam *ac* complexiuè sumi: & inde sequitur etiam posterius, vt per se constat.

VII. *Circa 4. & 5. casum.* Circa quartum casum nihil occurrit adnotandum, præter ea, quæ dicta sunt de voto paupertatis. In quinto solùm desiderari potest vt explicetur, quid vocetur iudicium legitimum. Breuiter tamen dicitur, esse quodlibet iudicium forense, quod secundùm leges, vel canones in suo foro, qui solet dici actus legitimus duarum personarum sub eodem iudice, &c. iuxta Glossam in cap. *forus*. de verbor. signif. Videntur ergo ibi numerari iudicium regulare, & legitimum ad excludenda iudicia priuata per conuentiones, vel arbitria particularia. Addendū verò censeo, tunc esse hunc casum reseruatum, quādo religiosus legitimè interrogatur, & sub iuramento veritatem negat: secùs autem erit, si iniustè interrogetur, nam tunc licèt sub iuramento neget, si respondere sciat, & debitam intentionem haberet, non erit periturus: si autem ex ignorantia, & conscientia erronea peccet, existimās illud esse periurium, non erit casus reseruatus, quia illud externum non est verum periurium, sed putatum; reseruatio autem restringenda est vt cadat super verum actum. Idem opinor dicendum esse, si quis iuret falsum testimonium contra aliquem in iudicio, quod est nullum, vel quia fit coram non legitimo iudice, vel ob aliam causam, quia tunc illud iudicium non est legitimum, & quia iudicium, quod est nullum, non est iudicium, licèt appareat, & ideo nec illud est periurium in iudicio verè, sed tantùm apparenter.

Sextus casus non indiget declaratione, sed videri potest motus proprius Sixti V. contra illud genus peccati; & moderatio, quæ à Clemente addita est, quæ attigimus in 5. tom. de Censuris. In septimo interrogari potest, qui vocētur officiales monasterij. Ad quod breuiter dicitur, sub illa voce comprehēdi & prælatum ipsum, & omnes, qui sub illo habent aliquam administrationem personarum, aut bonorum conuentus, vt sunt Vicarius, Subprior, vel in Societate Minister, Procurator, &, si qui sunt alij similes. Addo etiam comprehendi à fortiori Prouincialem, & Generalem, iuxta mentem Pontificis, quia eò falsificatio grauior esset, & magis perniciosa religioni. Item, quia quilibet eorum dici potest officialis monasterij, vel conuentus: nam licèt magis propriè appelletur totius prouinciæ vel religionis, tamen ibi à fortiori singuli conuentus includūtur; quæ extensio maximè locum habet in his, quæ ipsi prælato fauorabilia sunt, & quæ pertinent ad reuerentiam, & fidelitatem eius officio debitā quale est hoc, de quo agimus. Occurrit etiam hic obiter adnotandum, supponere hic Pontificem tacitè approbare vsum religionis, quòd officiales eius propria habeant sigilla distincta ab his, quibus priuati religiosi vti possunt: non enim falsificatio cuiuscunque sigilli, sed propria talis muneris, reseruata est. Quare, licèt priuatus religiosus vtatur aliquando proprio sigillo, & alius illud falsificet, non incurret in hunc casum reseruatum: & è conuerso, si officialis non habeat speciale sigillum, sed eiusdem figuræ cum aliis, vel priuatum, quodcunque illud sit, falsificatio eius ex hoc capite non erit reseruata, quia non est sigillum officialis vt sic, neque habet (vt ita dicam) auctoritatem religionis. Dixi autem *ex hoc capite*, quia ex alio falsificandi manum, erit casus reseruatus.

VIII. *Circa sext. casum.*

IX. Interrogari etiam potest, an fabricare sigillum simile sigillo religionis, vel officialium eius occultè, & furtinè, sit falsificare sigillum, si per illud nulla falsa scriptura consignetur. Respondeo, sicut falsificare manum est subscribere cum nomine alterius, imitando subscriptionem eius, quæ illius non est; ita falsificare sigillum propriè est consignare simile scripturam sigillo alieno. Quod dupliciter fieri potest, scilicet, vel subfurando proprium, & verum sigillum, & consignando, vel fabricando aliud sigillum simile, & illo vtendo. Quamuis autem hæc furtiua fabricatio sigilli graue peccatum sit; tamen non videtur esse propria falsificatio, donec falsæ literæ per illud consignentur: & ideo non videtur esse peccatum reseruatum etiamsi hac intentione fabricetur, donec ad prædictum vsum, & effectum perueniat: sicut etiam furari sigillum prælati ea prauа intentione, si ad effectum sigillandi non perueniatur, non erit peccatum reseruatum ex hoc capite.

Tertia pars Sextum.

Denique interrogari potest, si scriptū, quod falsò consignatur manu, aut sigillo officialis, non pertineat ad officium, nec ad rec monasterij, sed sit familiaris epistola, v. g. falso alteri attributa, an tale peccatum reseruatum hic sit. Et ratio dubitandi esse potest, quia illa non est falsificatio signi officialis, vt officialis est, videtur autem hęc reseruatio intelligenda respectu officialis formaliter, quia non respicitur persona eius, sed munus. Quòd sanè videtur probabile: nihilominus non excusarem hu-

quia simpliciter est contra fidelitatem debitam tali personæ ratione talis muneris, & est iniuriosa non tantùm personæ, sed etiam officio.

XI. *Circa octauum.* De octauo casu, quantum spectat ad quãtitatem sufficientem vt illud furtum mortale sit, superiùs tactum est, nam hoc peccatum semper habet adiũctam malitiam proprietatis. Quia verò ibi dicitur, *De rebus monasterij*, dubitatum est, an furari aliquid à priuato religioso ex rebus illi ad suum vsum concessis, sub hac reseruatione comprehendatur: & pars affirmans dicitur fuisse ab ipso Pontifice declarata, in qua nulla mihi dubitatio esse posset: quia quod res sit applicata ad vsum vnius fratris, non tollit, quin, absolutè loquendo, sit monasterij, vel conuẽtus. Quin potiùs, licèt priuatus religiosus habeat vsum eius cum facultate donandi illam etiam extra religionem, nihilominus furari illam, erit reseruata culpa, si mortalis sit, quia quãdo illa res non est cõsumpta, vel alienata extra religionem, semper est monasterij quoad proprietatem, & dominium, vel quoad principalem administrationem, & dispensationem (vt monasteria comprehendamus, quæ dominium in communi non habent,) & hoc satis est vt comprehendatur sub verbis Pontificis in omni proprietate. Sed quid si res non sit alicuius monasterij in particulari, vt solet esse, v. g. pecunia, qua Prouincialis vtitur, vel res aliæ similes. Respondetur sine dubio comprehendi, iuxta dicta in precedenti casu: nam sub illo singulari *monasterij, vel conuentus*, à fortiori comprehenditur plurale *conuentuum, vel monasteriorum*; bona autem prouinciæ vt sic sunt omnium monasteriorum simul.

Dominium dubium.

XII. *Circa nonum casum.* Circa nonum casum est familiare dubium, quid significent illa verba, *opere consummatus*; duobus enim modis intelligi possũt. Primò, vt sint posita ad excludendum lapsum per consensum internum, vel morosam delectationem, ita vt solùm significetur, oportere vt tale peccatum in opus externum progrediatur, & in illo consummetur quatenus peccatum mortale est. Alius sensus est, vt peccatum sit consummatum in sua specie. Prior sensus est rigorosus, nam iuxta illum omnia peccata extera habẽtia malitiam mortalem ex ipsamet materia, & actione exteriori, continentur sub hac reseruatione sic declarata, vt sunt, v. g. tactus impudici, qui ad vltimam consummationem non perueniunt. Dixi autẽ, *ex ipsamet materia, & actione exteriori*, quia si materia exterior reuera sit leuis, quamuis ex prauitate intentionis fiat actio exterior peccatum mortale, non erit reseruatum ex vi horum verborum, quia reuera dici non potest opere consummatum. Alius sensus est mitior, &, quantum intelligere potui, cõmuniori sensu receptior; iuxta quem sensum actus impudicus, si non perueniat ad consummationem actus in sua specie, fornicationis, v. g. vel alia simili, non erunt casus reseruati, quia non sunt opere cõsummati. Solùm aduerto, quoties peccatum peruenit ad pollutionem, esse in omni rigore opere consummatum, & consequenter sub illa reseruatione comprehendi, quia illud peccatum habet propriam speciem, in qua consummatur iuxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. q. 154. art. 11. & hoc satis est vt sit reseruatum, quamuis non perueniatur ad consummationem illius actus, quem fortasse peccans intendebat, vel in quem natura sua actus impudici ordinabantur, copulam scilicet carnalem.

Circa nonum casum.

XIII. *Circa decimum & vltimum.* In decimo casu nihil occurrit adnotãdum. In vndecimo solùm est ponderandum illud verbum *malitiosum*, vt inde colligatur si fiat bona fide, eriã imprudenter, & cum graui negligentia, non esse casum reseruatum: nam verbum *malitiosum* non tantum significat fieri cum graui culpa, sed etiam fieri ex malitia, id est, ex directa intentione impediendi effectum literarum, & retardandi illas, existimo etiam illud verbũ coniungendum esse etiam cũ apertione literarum, nam, vt reseruata fit, oportet vt ex malitia fiat: ad hoc autẽ satis erit, quòd fiat intelligendo, aut præsumendo id esse contra voluntatem Superioris, nam tunc sufficiens malitia interuenit.

XIV. *Secunda principalis obseruatio circa eosdem casus in vniuersum.* Est autem circa hos casus vlterius aduertendũ, Pontificem non præcipere ordinare, vt omnes hi casus reseruentur in religionibus, vt manifestè patet ex illis verbis, *Decreuit* (scilicet Pontifex) *vt nemo ex regularium Superioribus peccatorum absolutionem sibi reseruet exceptis iis, quæ sequuntur; aut omnibus, aut eorum aliquod p out subditorum vtilitatis expedire in Domino iudicauerint.* In quibus verbis nullum est præcipiens, vt hi casus reseruati sint, sed solùm prohibens, ne Superiores religionum alios reseruent, & eis permittens vt ex his possint, quos expedire iudicauerint, reseruare. Vnde infertur, per hoc decretum non auferri à Superioribus potestatem reseruandi casus, sed ad talem materiam limitari. Et quoniam in prædictis verbis Põtifex indefinitè loquitur de Superioribus, existimo ex vi illorum nõ solùm Generalem, vel Prouincialem, sed etiam prælatum Conuentualem posse prędictos casus, vel quemlibet eorum reseruare, etiamsi in religione reseruati non essent. Quod non ita intelligendum est, vt Pontifex censeatur dare prælatis nouam aliquam potestatem, sed solùm non auferre; ita vt si Guardiani, vel Priores antea habebant priuilegia reseruandi casus, (quod esse concessum ab Alexandro VI. refertur in lib. Monum. ordin. & in Supplemento Minorum) etiam nunc habent eandem potestatem, sed restrictam ad hos casus à Pontifice designatos: imò ex potestate ordinaria existimo posse idem facere, nisi aliàs sint prohibiti per suam regulam, quia sunt veri prælati Ordinarij, & habent altiorem iurisdictionis rationem, quam Parochi.

XV. *Tertia obseruatio.* Præterea obseruandum est, quòd licet Pontifex restrinxerit potestatem prælatorum ad illos vndecim casus, non abstulit omninò religionibus potestatem alios reseruandi, sed voluit vt id solùm fieri posset vel à Capitulo generali pro tota religione, vel à Capitulo prouinciali pro sua prouincia. Vbi etiam aduerto, non fuisse mentem Pontificis dare Capitulis nouam potestatem, sed solum non auferre quam iuxta sua priuilegia, vel constitutiones habebant. Vnde in Societate, in qua congregatio prouincialis iuxta suum institutum non habet iurisdictionem ad huiusmodi actus, etiam nunc illam nõ habet, non obstantibus prædictis verbis Pontificis. Ad quod etiam expendo, solùm negatiuè dicere, *non aliter fiat quàm generalis, vel prouincialis Capituli*, &c. nõ dicere autem positiuè, vt ab eis, & à quolibet illorum fieri possit.

XVI. Dicunt autem aliqui, hanc prohibitionem, seu limitationem nõ esse vsũ receptam in aliquibus religionibus: quia sæpè contingit euenire casus particulares, qui propter bonum regimẽ necessario sunt statim reseruandi, nõ expectato Capitulo generali, quia aliàs maxima incommoda religioni sequerentur. Sed nullo modo censeo hoc esse admittendum in praxi, nam lex Pontificia non pendet ex acceptatione, sed ipsa obligat vt acceptetur, & ideo primi transgressores post sufficientem promulgationem non excusantur à culpa, nec cõtinuata transgressio sufficit reuocare legem, donec valdè frequens sit, & ab ipso legislatore scienter tolerata, quod in præsenti nullo modo video dici posse: quia nec talis consuetudo huic legi contraria ostendi potest, & multò minùs quòd Summus Pontifex scienter tolerat illam: maximè verò hoc habet locum in lege irritante, qualis est hæc. aufert enim potestatem, & consequenter reddit nullam reseruationem aliter factam.

factam. Quapropter sine scrupulo possunt subditi non timere illam, quantumcunque illis dicatur, prohibitionem Pontificis non esse accepratam. Ratio autem de incõmodis religionis vel probat Põtificiam prohibitionem esse contra commune bonum religionum, quod dicere plusquam temerariũ esset: vel certè nihil probat, quia vel nulla sunt talia incommoda, quibus aliis mediis occurri non possit, præsertim pro breui tempore: vel si aliquod interdum sequatur, est rarum, & particulare, quod lex humana non considerat.

XVII. *Dubium an possint prælati religiosi reseruare censuras esto nõ possint culpas.*

Potest autem dubitari, esto non possint prælati immediatè, & directè reseruare sibi alias culpas, possint nihilominus reseruare censuras. Et ratio dubitandi est, quia à diuersis non fit illatio; censura autem, & peccatum, & vtriusque reseruatio diuersa sunt. In contrarium autem est, quia iuxta communem vsum Ecclesiæ quoties peccatum habet excommunicationem ipso facto annexam, si excõmunicatio reseruata sit, etiam peccatum censetur reseruatum. Item, quia aliàs possent prælati religionum per hanc viam eludere hoc præceptum, adrũgendo censuras, & illas sibi reseruando. Respõdeo, debere prælatos omnino cauere, ne hac occasione multiplicent censuras: nam, vt in iure dicitur trãsgressor legis meritò iudicatur qui verba legis tenens, cõtra legis nititur voluntatem. Nihilominus existimo, prælatos religionum non esse priuatos per hanc legem suo iure seruandi censuram: quia reuera est per se distincta; & mens Pontificis non fuit de illa tractare. Declaraturque in hunc modum, quia vel censura fertur à lege, vel ab homine; si à lege, reseruari poterit ab auctore legis, quia in religionibus auctor talis legis non est nisi Capitulum generale, vel prouinciale, quæ potestatem habent reseruandi casus, etiam ex ordinatione Pontificis. Si autem censura est ab homine, eo ipso absolutio eius pertinet ad ferendam illam, & ita dici potest illi reseruata. Et quamuis de illa, quæ fertur per sententiã generalem, sint opiniones; tamen non dubito quin ad tollendas illas possit Superior etiam nunc sibi talem absolutionem reseruare, cùm illi non sit prohibitum, vt dixi, & per accidens sit quòd ratione censuræ non possit à tali peccato absolui, nam hoc etiam sequitur ex censura per sententiam particularem.

Resolutio vera.

CAPVT XIX.

Quis possit absoluere religiosos à culpis reseruatis.

I. *Prima Assertio, negãs hanc potestatem ex religione.*

SVpposita iam reseruatione superiori cap. explicata, facilè est definire, quis possit religiosos absoluere à peccatis sic reseruatis. Primò enim dicendũ est, per se loquendo, & iure ordinario à nemine posse absolui extra suam religionem, præterquam à Summo Pontifice. Hoc patet, quia dictum est in c. 16. à communibus etiam peccatis non posse extra religionem absolui: ergo à fortiori idem dicendum est de peccatis specialiter reseruatis. Vnde fit, ampliandum esse etiam ad eos, qui habent iurisdictionem delegatam à Papa per generalia priuilegia absoluendi à reseruatis: nam in illo c. ostensum est, hęc priuilegia, siue sint concessa ex parte pœnitentium, siue ex parte confessorum, non extendi ad personas religiosorum: ergo nec facultas in eis concessa extenditur ad peccata reseruata in religionibus. An verò hæc ampliatio extendenda sit ad nouitios, iuxta superiùs dicta c. 17. à n. 11. definiendum est. Nouitij enim gaudere possunt dictis priuilegiis, & ideo absolui poterunt per eorum facultates; per communem autem iurisdictionem Episcoporum absolui non possunt à reseruatis, quia neque ab aliis possunt, vt diximus eodem c. 17. n. 14.

Quid de nouitiis.

Sed quid de religiosis iter agentibus? Quidam aiunt, non posse absolui ab externis cõfessoribus ab huiusmodi peccatis. Ratio est, quia per priuilegium Sixti IV. Innocentij VIII. & similia, solum eis conceditur, vt possint confiteri sacerdotibus regularibus, vel secularibus, dum iter agunt: in hac autem facultate generali non comprehenduntur casus reseruati, vt in iure declaratum est. Neque etiam illa facultas censetur concessa à prælatis, nisi expresè, & in specie declaretur, ob eãdem causam quòd casus specialis sub generali concessione non comprehenditur. Et hoc specialiter confirmat, quia nõnulli Pontifices prohibuerunt Mendicantibus prælatis, ne casus reseruatos extra suos ordines committant, vt ex lib. Monumenta ordinum referunt Corduba in c. 7. Regula S. Francisci, q. 3. & Emmanuel Roder. tom. 1. q. 62. a. 5. Respõdeo nihilominus, nullam posse in hac re generalem regulam assignari, sed consulendam esse regulam, consuetudinem, vel peculiarem prouidentiam prælatorum vniuscuiusque religionis. Moraliter enim loquendo, necessarium est, vt aliquo modo in hac parte subditis religiosis prouideatur: nam si sint sacerdotes, quotidie possunt indigere confessione, quia debent frequenter celebrare; & per plures dies abstinere, & scandalosum esse potest, & eis nociuum, & nimis molestum. Si autem sacerdotes non sunt, etiam expedit vt sæpiùs communicent; esseteque præter debitam religionis prouidentiam eos cogere, vt à cõmunione abstineant vsque ad reditum in monasterium: quamuis enim hæc posset esse iusta pœna religiosi sic peccantis, esset tamen nimis rigorosa, & non admodum medicinalis, nisi vbi censura interuenit: præterquam quod periculosum esset cogere religiosum, qui fortasse ex fragilitate moraliter peccauit, vt per multos dies sine sacramentali absolutione permaneat.

II. *Quid dicendum quando Prælatus non possit.* *Vide nũ. 14. huius.*

Ob hanc ergo causam Innocentius VIII. vt dicti auctores referunt ex Compendio Cistercienſi, verbo *Confessor*. §. 15. concessit Prædicatoribus monachis, vt *extra monasterium ordinis existentes de licentia Superiorum* cuicumque regulari, seu seculari sacerdoti confiteri possint, & à quocunque casu, quomodocunque reseruato absolui, sicut à confessariis ordinis. Quæ verba mihi ambigua sunt: nam illa particula *de licentia Superiorum*, potest cum antecedentibus, & consequentibus coniungi, quia nulla virgula interponitur; reddet autem sensum valde diuersum, si vno, vel alio modo constructur: nam comũcta præcedentibus, sensus est, religiosum, qui ex licentia Superiorum extra monasterium existit, eo ipso posse absolui, &c. ita vt illa verba addita sint ad excludendum fugitiuos ab huiusmodi gratia, & ad significandum, licentiam sic confitendi, vel ab ipso Pontifice eo ipso dari, vel intelligi inclusam in ipsa licentia peregrinandi. Si autem prædicta verba tantùm subsequentibus comungantur, sensus est, eos, qui extra monasterium Superiorum existunt, posse de licentia suorum Superiorum absolui. Sed hic posterior sensus minùs aptus videtur, tũ quia hoc per se notum est, tum etiam, quia idem dici posset de exulibus in monasterio. Prior ergo sensus videtur proprius, & intentus. An verò illa concessio sit vsu recepta in aliis religionibus, mihi non constat, neque existimo fuisse necessarium, tum quia non est omnibus directè facta, & aliæ non coguntur communicationem eius ãdmittere: tum etiam, quia non continet præceptum, sed datur per modum priuilegij cui renunciare potuit illa religio, cui directè concessum est. Et adhuc certius existimo non cogi prælatos religionum illam facultetem absolutè dare, sed eo modo, quo expedire iudicauerit. Quod & per se est rationi consentaneum, quia Pontifex non intendit relaxare disciplinam religiosam, sed tantũ

III. *Inducit Innocentij priuilegium.*

sussi-

sufficienter prouidere necessitati religiosorum. Et ex ipsa concessione colligi potest, quatenus dicit, ita posse absolui, sicut possent *à confessariis ordinariis*: Cõfessarij autem Ordinis non possunt absoluere à reseruatis, nisi iuxta modum à Superiore præscriptũ: ergo neque alij in prædicto casu.

IV. *Prædicta Authoris refellũtur, fundantur, in vsu, vel regula, vel quæ regulam.*

Propter hoc ergo censeo, magis esse attendendã regulam, vel consuetudinem religionis, aut ordinationem prælatorum, quàm alia priuilegia. In aliquibus ergo religionibus fortasse vel ex regula, vel ex consuetudine constat, talem licentiam absolutè, & simpliciter censeri concessam eo ipso, quòd prælatus non prohibet, nec limitat illam, & in talibus religionibus eo ipso quòd quis peregrinatur, peccata desinent esse reseruata, quia perinde absolui possent à quolibet confessore, ac cæteri. Quod difficile creditu est, quia non potest non esse in dispendium religionis: si enim reseruatio adhibetur vt sit tanquam frænum ad non cadẽdum, quomodo auferenda omninò est quando religiosus extra monasterium vagatur, cùm tunc maiori fræno & pluribus mediis indigeat? Ob hanc ergo causam religiones aliquæ licentiam illam concedunt peregrinantibus cum onere comparendi postea corã suis prælatis: sic enim vtrique necessitati subueniunt, quia nec subditus cogitur diu carere absolutione, nec ei aufertur frænum reseruationis, & alioqui modus ille dandi facultatem sub illo onere, sanctus est, & in Ecclesia vsitatus, vt in to. 4. disp. 30. sect. vlt. latè tractatũ est, & ita seruari dicitur in religione Carthusiæ, & S. Hier. & de Societate, vt infrà tractat. 10. lib. 8. c. 5. dicetur.

V. *Quid vbi nec regula prouidit, nec de vsu constat.*

Tandem, vbi nec per regulam satis declarata sit hæc facultas, vel modus eius, nec de consuetudine satis constiterit, quia fortasse solet peti facultas à Superiore, si contingat aliquem ex obliuione naturali discedere non petita facultate, credendum est, implicitè esse concessam à Superiore in ipsa facultate peregrinandi, saluo rigore reseruationis quoad fieri potest. Prior pars constat, tum quia, qui vnum concedit, virtute concedit aliud, quod moraliter necessarium est ad illud conuenienter exercendum: tum etiam, quia vniuersalis consuetudo ita videtur interpretari voluntatem prælatorum. Altera verò pars probatur, quia illa licentia non datur nisi propter necessitatem: ergo est explicanda iuxta ea iura, quæ in similibus casibus facultatem concedunt: quotiescunque autem hæc facultas in iure datur ratione occurrentis necessitatis datur saluo onere reseruationis, atque adeò sub obligatione comparendi: ergo hoc sensu interpretandum est, quoties Superior aliud expressè nõ declarat. Imo aliqui volunt in eo casu non dari vllam facultatem, sed ob inopiam confessoris, qui à reseruatis absoluat, posse religiosum absolui tũc directè ab aliis peccatis, reseruata autem solùm per accidẽs remitti, sicut oblita, & ideo manere integram obligationem illa confitendi Superiori. Quod quidem non repugnat, vt infrà in simili videbimus; est tamẽ rigorosius, & quod dixi videtur verisimilius. Nam quod alij aiunt, in eo casu neutro modo posse absolui, sed posse ac debere celebrare, aut communicare cum sola contritione, mihi verisimile non est, vt statim in simili dicam.

VI. *Secundò dicendum, &c.*

Secundò dicendum, religiosum non posse absolui à casibus reseruatis ab aliquo religioso, seu confessore suæ religionis, nisi de licentia prælati, specialiter ad hoc concessa. Probatur, quia hæc est vis reseruationis; supponimus autem peccatũ esse reseruatum ipsi prælato: ergo qui ab illo non habet iurisdictionem, non potest hanc absolutionem præstare; non datur autem talis iurisdictio per generalem facultatem audiendi confessiones religiosorũ, vt ex regula iuris sæpè citata constat, ergo necessaria est specialis facultas. Limitandum verò hoc est, nisi ex regula, vel ex vsu iam constaret, talem facultatem esse annexam tali muneri confessoris. Verũtamen in eo casu peccatum non esset reseruatum iã soli prælato, sed ipsi, vel confessori domus. Sicut respectu nouitiorum, si eorum Magister habet ex officio talem facultatem, eorum peccata non tantum Superiori, sed etiam Magistro suo dicentur reseruata, vel sub disiunctione, quamuis in hoc semper excedat prælatus, quòd possit sibi reseruare, si velit. Et ideo posset esse quæstio de modo loquendi. Dicet fortasse aliquis, iam hoc esse debere ius ordinariũ religionum, quia Summus Pontifex Clem. VIII. ordinauit, vt Superiores in singulis domibus deputẽt duos, vel tres confessarios, quibus etiam casus reseruati committantur. Respondetur: imò hinc colligi, huiusmodi confessarios non habere hanc iurisdictionem ex vi sui muneris, imò nec debere illis committi habitualiter (vt sic dicam) sed solùm pro re nata, quando occasio id postulauerit.

Instantia expeditur.

VII.

Sed licèt hoc verum sit communi iure, quæri potest, an ex communi aliquo priuilegio religionum possint regulares absolui à quocũque sacerdote, vel confessore sui ordinis. Circa hoc nonnulla priuilegia referuntur in Compendiis priuilegiorum religionum, & in lib. Monumenta Ordinum, quæ in summa redegit Emanuel. Roder. q. 62. art. 6. ex quibus duos casus præcipuè elicio. Vnus est in quo datur facultas religiosis Minoribus, vt possint semel eligere de eadem obseruantia confessorem: qui de omnibus peccatis reseruatis & censuris possit illos absoluere, imò & dispensare in irregularitatibus, excepto homicidio, & mutilatione voluntaria. Quod priuilegium, cum generale sit, complectitur omnia peccata, etiam in ipsa religione reseruata; cumque ex parte personæ eligendæ nullam aliam conditionem requirat, nisi quòd sit eiusdem ordinis, non videtur amplius restringenda, nec postulãda specialis licentia prælati. Sed nihilominus probabile existimo, confessorem sic eligendum debere esse ex approbatis, vel expositis à prælato religionis ad audiendas confessiones suorum subditorum, tũ quia non sine causa dixit Pontifex, *Possit eligere confessorem de eadem obseruantia*, & non dixit, possit eligere *sacerdotem*, aut *præsbyterum*: tum maximè, quia priuilegium debet, quoad fieri possit, secũdùm ius intelligi, quãdo ita potest suum effectum operari sufficienter, & magis ordinatè, quod ita contingit in præsenti: nam priuilegium hoc operatur dando benè amplam iurisdictionem; tamen ex parte personæ non excludit ordinarium ius religionum, quod requirit prælati approbationẽ ad illud munus exercendum. Vnde quatenus idem priuilegium ibi extenditur etiam ad seruientes, & famulos, oportebit vt confessor eligendus, sit approbatus ab Episcopo, iuxta Concilium Tridentinum. De nouitiis autem, ad quos etiam fit extensio, non idem iudico, sed sufficere illis confessorem approbatum à religione: nã quoad hoc non vt seculares, sed vt regulares computandi sunt. Denique hoc priuilegio vti possunt omnes religiosi, qui in priuilegiis cum Mendicantib. communicant, vnusquisque tamen seruare debet modum in sua religione præscriptum, & à Pontificibus approbatum circa vsum talium priuilegiorũ. Idem sentiẽdum est de quibusdam aliis priuilegiis, & quasi iubileis cõcessis aliquibus religionibus pro aliquibus anni festiuitatibus, quæ refert dictus Emanuel tom. 1. q. 62. a. 10.

Nota pro seruientibus in religione. Item pro nouitiis.

Alius casus est, quo similis facultas cõceditur pro articulo mortis, quæ in quodã priuilegio Sixti IV. cum his exaggerationibus conceditur, *Quicunque confessor quemlibet religiosum Mendicantium, vel eorum qui gaudent illorum priuilegiis, ab omnibus casibus, nullo excepto, cum omnimoda auctoritate, ac si in illo actu esset Summus Pontifex,*

VIII. *Alter casus in articulo mortis.*

Pontifex, absoluere potest; & eadem auctoritate ei indulgentiam plenariam concedere. In quo primum notari potest particula, *quicunque confessor.* quam intelligo de confessore, qui hoc munere fungi poterat in illo articulo ante hoc priuilegium; & ideo fortasse non dixit, *Quicunque presbyter*, vel *sacerdos.* nam licèt in casu necessitatis quilibet sacerdos possit esse confessor in articulo, & tunc consequenter possit vti hac facultate circa religiosos; tamen, secluſa necessitate, non quilibet sacerdos, sed solus proprius, vel delegatus eius, potest esse confessor, etiam in illo articulo: hoc autem priuilegium non facit confessorem eum, qui non erat, sed auget facultatẽ legitimi confessoris. Et ob hanc causam existimo non posse religiosum virtute huius priuilegij confiteri in articulo mortis cuicunque simplici sacerdoti, omisso legitimo confessore, si adsit, & velit suum munus iustè exequi. Item, licèt ex vi eorum verborum non fiat determinatio ad confessores eiusdem ordinis, nihilominus ex alio capite existimo, quando adest proprius confessor, non posse eligi presbyterum alterius ordinis, quia non est confessor respectu talis personæ; prædicta autem verba videntur respectiuè, & propriè intelligi, quia ibi, vt dixi, non datur facultas ad eligendum quemcunque sacerdotem in confessorem, sed augetur potestas cuiuscunque legitimi confessoris talis personæ. Et confirmatur hæc expositio, quia ibi solùm intenditur fauor articuli mortis quantum ad plenam remissionem, qui potest obtineri non immutando debitum ordinem, nec ius alterius auferendo: ergo ita explicandus est.

IX. *Secunda obseruatio.* Secundò est notanda illa particula, *quemlibet religiosum.* nam ex vi illius constat non extendi ad familiares, vel seruientes. De nouitiis autem dubitari posset, quia religiosi non sunt, tamen in re adeo fauorabili potest nomen religiosi ad nouitium extẽdi: item quia in eodem priuilegio sub his verbis, *Omnibus Prælatorum, & Minorum ordinum professoribus*, nouitij manifestè cõtinentur: nam inferius dicitur, consequantur indulgentiam etiamsi ante professionem moriantur: ergo eadem ratione possunt cõprehendi sub nomine religiosorum. Erit autem hoc certius, si in religione sit generale aliquod priuilegium concedens, vt nouitij frui possint huiusmodi gratiis, & fauoribus. Idemque dubium locum habet in donatis, qui tria vota substantialia nõ emittunt, & ideo propriè religiosi non sunt. Et quia neque ad illa vota emittenda, vel professionem faciendam tendunt, ideò adhuc minus propriè religiosi sunt, quàm nouitij: & ideo securius est pro his personis vti aliis priuilegiis continentibus similem gratiam pro articulo mortis, & expressè extensionem faciunt ad huiusmodi personas, vt refertur in Compendio D. Hieronymi, §. 6. cum quibusdam limitationibus, & conditionibus, quæ ibi explicantur.

X. *Tertia obseruatio, & quorundam placitum circa illam.* Præterea aduertere oportet, in prioribus priuilegiis simpliciter concedi hanc gratiam pro articulo mortis. Vnde inferunt aliqui, quòd ex vi illorum si quis absoluatur in vero periculo, (quod sub articulo comprehenditur, vt tom. 10. disp. 26. sect. 4. & disp. 21. de fide sect. 4. n. 23. diximus) & postea non moriatur, non potest iterum per illud priuilegium absolui: quia talis facultas iam habuit suum effectum, & ita per primum vsum expirauit, vt generaliter de similibus facultatibus tenet Nauarrus in Summa c. 26. n. 31. dicens esse iuxta mentem omnium; solumq; id confirmat argumento l. *boues.* ff. de verb. significat. ibi, *Hoc sermone dum nupserit, primæ nuptiæ significantur.* Et confirmari potest: nã ob hanc causam quando Papa vult maius priuilegium concedere, addit, *Quod si de illo reputato tunc mortis articulo, aut infirmitate, in qua eorum quilibet constitutus fuerit, non discesserit, semper indulgentia prædicta intelligatur reseruari ad verũ mortis articulum.* Quæ verba adduntur in priuilegiis cõcessis ab Eugenio IV. & à Nicolao V. relatis in dicto compendio S. Hieron. §. 6. & 7. ergo signum est, vbi hæc extensio non additur, finiri facultatem per primum vsum. Et hanc sententiam videtur sequi Cordub. lib. 5. de Indulgentiis, q. 39. in fine.

XI. *Auctoris declaratio quorundam dictorum.* Sed in his priuilegiis oportet duo distinguere, scilicet, absolutionẽ à reseruatis, de qua nunc præcipuè agimus, & indulgentiam plenariam. Quantũ ergo attinet ad indulgentiam Nauarri opinio frequentiùs recepta est, vt intelligi potest ex Syluestro, verb. *Indulgentia.* n. 25. & Antonino 3. p. tit. 10. c. 3. §. 4. & 5. Nihilominus probabilius censeo semper reseruari in verum articulum mortis ex coniecturata mente Pontificis, nam reuera intentio eius est concedere hanc gratiam, vt quantum in se est habeat efficaciam perducendi hominẽ immediatè ad gloriam, ita vt illi non sit necessaria purgatio post hanc vitam. Item, quia hæc etiam est intentio postulãtis hoc priuilegium, quia tota mens eius fertur ad veram mortem: nam vera necessitas huius gratiæ in illo vero articulo existit. Vnde vbi hoc expressè ponitur, fieri censeo ad maiorem declarationem, & ad tollenda dubia, tamen considerata materia, etiam sine tali declaratione, videtur ex re ipsa satis constare de mente Pontificis.

XII. *Declaratio dictorum.* Hæc autem suspensio vsque ad verum articulũ, dupliciter potest intelligi: primò, vt indulgẽtia nunquam habeat effectum, donec vera mors sequatur, & ideo, illa non sequuta, reseruetur. Secundo, vt indulgentia statim operetur, & nihilominus si mors statim non sequatur, iterũ atque iterum in simili articulo mortis concedi possit cum effectu, donec vera mors sequatur. Et licet prior modus sit probabilis, tamẽ posterior est magis pius, & veritati magis consentaneus. Primò, quia beneficiũ Principis amplè interpretãdum est, quando ipse non limitat illud, hic autẽ nõ limitat, quia non dicit, *semel in articulo mortis*, tunc enim fortasse statim fieret effectus, propter rationẽ quam statim faciemus, & expiraret gratia propter illam restrictionem *semel*, quæ in præsenti non additur, sed est cõcessio indefinita pro articulo mortis: ergo amplè intelligendum est hoc beneficium pro quouis articulo. Et cõfirmatur, quia in huiusmodi rebus indefinita æquiualet vniuersali. Secũdo, quia Pontifex absolutè dat confessori facultatem concedendi illam indulgentiam in articulo mortis: ergo etiam confessor vtens illa, absolutè absoluit plenariè, & non sub aliqua conditione: ergo absolutio nõ manet suspensa, quasi expectans aduentum mortis: nec debemus recurrere ad præsentiam Dei, quia hi effectus morales fiunt iuxta virtutem, & intentionem agentis independenter ab extrinseca scientia: ergo in illa absolutio statim operatur: ergo reseruatur in verum articulũ mortis noua absolutio. Tertiò potest ita explicari, quia per talem indulgentiã vult concedere Pontifex plenariam remissionem totius vitæ vsque ad articulum mortis: quia tamen de vero articulo mortis homini constare non potest, ideo cõsequenter ac necessariò vult vt talis absolutio instanti periculo, & quando moraliter timetur mors, concedatur: & quia non vult absolutionem, quę debet esse actus legitimus, esse cõditionatam, ideo statim habet effectum. Si autem postea mors non sequitur, effectus ille non est adæquatus gratiæ, seu facultati: quia non est de reatibus totius vitę vsque ad veram mortem: ergo semper superest facultas absoluendi in vero articulo mortis à reatibus, qui superfuerint: ergo semper reseruatur indulgentia aliqua ad verum articulum mortis. Atq; ita sentit Gerson 2. p. tract. de absolutione sacramẽtali, §. *Quæris vlterius.* Alph. 33. lit. K. & quoad hanc partem idem sequitur Cordub. suprà.

Hinc

XIII. *Decisio quoad absolutionem à reseruatis in eodem articulo.*

Hinc verò colligo idem à fortiori dicendum esse de potestate absoluēdi à peccatis reseruatis pro articulo mortis simpliciter concessa: nam sine dubio per illam potest quis absolui in graui, & morali periculo mortis, quia non potest humano, & rationabili modo aliter dari, vel plus differri absolutio. De qua multò certius est statim operari, quia sacramētalis absolutio suspendi non potest, nec conditionē de futuro recipere. Si autem mors nō sequatur, dari poterit similis absolutio in quocunque simili euentu vsque ad verum articulum mortis. Primò quidē ratione indulgentiæ plenariæ, quando illa coniungitur, vt in indultis, de quibus agimus: nā eodē sensu conceditur potestas absoluendi à reseruatis, quo indulgentia plenaria pro articulo mortis, vt ex eodē contextu patet. Imò illa potestas absoluendi ordinatur ad indulgentiam plenariam obtinendam, vt in iubileis, & per Bullā Cruciatæ fieri solet: ergo quandiu homo manet capax talis indulgentiæ, manet etiam capax absolutionis, quæ est dispositio ad illam: nam qui dat formam, dat consequentia ad formam. Secundò, etiamsi indultum non haberet adiunctam indulgentiam plenariam, sed tantū daret potestatem absoluendi à reseruatis in articulo mortis, non extingueretur illa potestas per primū actum, sed semper maneret sufficiens ad absoluendum in vero articulo mortis, propter easdem rationes in priori puncto factas, quia reuera finis intentus à Pontifice per hanc facultatem, est efficax auxilium pro ipsa morte, & quia illa non sequuta, nondum habet illa facultas plenum vsum. Et reuera hoc potiùs opinatur Corduba, imò ex hoc exēplo confirmat illud de indulgentiis, *Sicut aliæ concessiones* (inquit) *factæ pro articulo mortis, vt ad ab oluendum à peccatis, & censuris in articulo mortis, ad celebrandum domi suæ, & communicandum in articulo mortis, intelliguntur toties, quotiès talis articulus occurrit, vt patet* (ait) *ex praticata consuetudine.* In fine autem illius §. solùm dicit, licentiam absoluendi à reseruatis expirare per primum actum, nisi aliud constet de mente concedentis. Nos autem dicimus, id satis constare de mēte concedentis, & priorem actum non fuisse adæquatum tali facultati.

XIV. Sed quæret tandem aliquis, quæ sit vtilitas huius indulti de reseruatis pro articulo mortis, secluſa plenaria indulgentia: quia in mortis articulo nulla est peccatorum reseruatio, vt Concilium Tridentinum sess. 14. dicit: ergo illa facultas nec necessaria tunc est, nec vtilis. Respondetur, duo per hanc facultatem concedi. Vnum est, vt confessor ordinarius, qui aliàs non posset in illo articulo à reseruatis absoluere, cùm adsit prælatus, qui absoluere possit, valeat absolutionem à peccatis reseruatis impendere. Quamuis enim in articulo mortis si necessitas vrgeat, nulla sit reseruatio culparum, nihilominus nō excluditur ab illo articulo debitus ordo, vt nimirum ab illo petatur absolutio, qui per se habet iurisdictionem, quia solus mortis articulus nō dat aliis iurisdictionem, sed solùm in defectu habentis illā, ideoque quando adest superior, ad quem per se spectat reseruatorum absolutio, nō potest inferior sacerdos, vel ordinarius cōfessor absoluere à reseruatis per solum commune ius. Addito autem hoc priuilegio potest quilibet confessor absoluere, prætermisso prælato, & absque alia facultate eius, quia Pontifex dat illi iurisdictionem.

XV. Secunda vtilitas huius priuilegij est, quia ex vi illius absoluitur religiosus simpliciter, & sine vllo onere comparendi. Nam licèt omnia peccata in articulo mortis à quolibet sacerdote absolui possint, tamen interdum si habeant censuram reseruatam annexam, ratione illius relinquitur onus comparēdi, quando absolutio datur ab eo, à quo aliàs dari non posset, vt alibi tractatum est. Quando autē absolutio datur ex vi huius priuilegij, nullum relinquitur onus comparendi, sed tantùm satisfaciēdi. Non omittam autem aduertere, in quodam priuilegio relato à citatis auctoribus, & in dicto Compēdio S. Hieronymi haberi hæc verba, *Cum aliquis fratrum incurrerit in dementiam, letargiam, vel amiseris expressionem loquelæ antequam absoluatur, vel quia non fuit copia confessoris in tali casu, vel simili, absoluere eum possit in articulo mortis, & remissionem plenariam auctoritate Apostolica impendere quilibet presbyter secularis, aut regularis.* Oportet enim hæc verba sapienter intelligere: nā si in illis sit sermo de absolutione sacramentali, necessarium est vt aliqua confessio fieri potuerit, saltem per generalia signa confessionis in ordine ad absolutionem postulatam. Si autem confessio nullo modo præcedere potuit, non est danda absolutio Sacramentalis, nec priuilegium potuit talē facultatem concedere; absolutio verò, seu remissio indulgentiæ plenariæ dari potest in eo casu virtute illius priuilegij, quia hæc non est sacramentalis, nec requirit necessariò præcedentem confessionem, sed solam gratiæ dispositionem, quæ præsumitur quādiu oppositum non constat.

XVI. Tertiò dicendum est, prælatum religionis iure suo posse subditos absoluere à peccatis in religione reseruatis, vel alteri eam iurisdictionem cōmittere. Hæc assertio quoad priorem partem est per se nota, quia cum peccatum reseruatur Superiori, apud illum manet iurisdictio ad absoluēdum à peccatis huiusmodi. Est autem hoc respectiuè intelligendum de Superiore non tantùm reseruante, sed etiam cui fit reseruatio: quamuis enim Generalis, vel Prouincialis solus, vel cum Capitulo sibi proportionato, iuxta morem religionis, reseruet peccatum, non tamen semper sibi reseruat, sed Conuētuali prælato: de illo ergo dicimus posse iure suo absoluere, & à fortiori omnem Superiorem prælatum. Sed quid si peccatum reseruetur soli Generali, vel Prouinciali? Respondeo, tunc non posse Conuētualem prælatum iure suo absoluere; sicut non potest Parochus absoluere iure suo à peccatis reseruatis Episcopo. Ad prouidētiam autem Prouincialis, vel Generalis pertinet prouidere modum quo possint subditi absolui à talibus peccatis in absentia sua, quia cùm hæc sit frequēs, & diuturna, & cōfessio cum absolutione non possit fieri per literas, iniustum esset cogere subditos tanto tempore confessione priuari, vel cogere illos, vt vel diminutè confiteantur, tacēdo peccata reseruata, quia ab eis absolui non possint; vel, licèt integrè confiteantur, vt ab eis absolui non possint, nisi per accidens sicut à peccatis oblitis. Imò licèt peccatum habeat annexam excommunicationem reseruatam Prouinciali, cuius absolutio per literas potest impetrari, quæ impetrata, tollitur reseruatio culpæ, nihilominus molestissimum esset subditis grauamen expectandi absolutionem censuræ per literas à Prouinciali, tum propter moram, tum propter periculum reseruationis; & ideo semper esse debet præsens qui possit absoluere, vel simpliciter, vel saltem sub onere comparendi tempore commodo.

XVII. Altera pars etiam est certa, quia in prælato iurisdictio circa hæc peccata, est ordinaria, conuenit enim illi ex vi sui muneris: ergo potest illam delegare. Dices, quando reseruatio fit à Capitulo vel prælato superiore, tunc inferior prælatus solùm ex cōmissione superioris reseruantis habet iurisdictionē circa talia peccata: ergo est iurisdictio delegata: ergo non potest illam alteri committere. Respōdetur negando antecedens, si de noua, aut speciali commissione intelligatur: nam reseruare peccatum Cōuentuali prælato, non est nouam iurisdictionem illi committere, sed est non auferre, quæ conuenit illi ratione muneris, quòd si hæc vocetur commissio,

nō est delegatio, sed traditio ordinariæ iurisdictionis. Occurrit autem hic mihi peculiare dubium, si peccatum sit reseruatum Prouinciali, vel Generali, & ipse designet aliquem, qui in absentia sua absoluat, an ille possit vices suas alteri committere. Respondeo tamen, non posse, quia reuera ille tantùm est delegatus. Vnde idem dicam in illo casu de ipsomet prælato locali, etiamsi illa facta sit commissio à Prouinciali, vel Generali: quia tunc etiam est purè delegatus, quia illa commissio nō est ex proprio munere, neque à iure, sed ab homine; vt si Episcopus committat Parocho peccata sibi reseruata, non potest illam iurisdictionem alteri subdelegare.

XVIII. Dices, ergo cogitur subditus tunc confiteri prælato proximo, vel vni confessori, cui facta est commissio, nec potest ab eis obtinere facultatem confitendi alteri, quod esset valdè molestum, & fæpè etiam nociuum. Ponamus deinde, Prouincialem lapsum esse in peccatū, quod respectu illius est reseruatū Generali; cogetur ergo illud confiteri soli cōfessori sibi designato à Generali, nec poterit obtinere facultatem confitendi alij, nisi ad Generalem recurrendo, & ita esset ipse peioris conditionis, quā cæteri. Respondeo ad priorem difficultatem, illud non esse inconueniens in rigore loquendo, quia satis est quòd Prouincialis vni committat vices suas, qui ad illud opus quasi permanenter expositus sit, & sit quasi pœnitentiarius eius: quòd si aliquis subditus illo contentus nō fuerit, recurrere poterit ad Prouincialem, medio alio sacerdote, nomine pœnitentis tacito, petente facultatem: quod si passus fuerit moram, sibi imputet, cùm ad pœnitentiariū expositum nolit recurrere. Suauius tamen faciet Prouincialis, committendo talem facultatem cum potestate subdelegata, vel duobus, aut tribus illam committendo, si commodè fieri potest.

XIX. Atque idem ferè dici potest ad alteram partem, quamuis in eo casu sit specialis difficultas, eo quòd recursus ad Generalem & difficilior est, & tardior; & præterea, quia Prouincialis vix, aut nullo modo potest petere nouam facultatem, tacito suo nomine. Et ideo in designando confessore Prouinciali cū tali facultate, videtur magis necessarium, vt habeat illam cum potestate delegandi; vel certè vt illam habeat tanquam ordinarius minister respectu talis personæ. Vtcunque tamen id fiat, non potest vitare Prouincialis quin ab eo petat facultatem cōfitendi alteri, & siue illam per se, siue per alium petat, excusari non potest quin confessori innotescat persona, pro qua facultas postulatur; quia non habet alium pœnitētem pro quo possit postulare. Sed hoc non est inconueniens, est enim tanquam onus illius muneris quod tolerandum est, nam & est necessarium ad debitum ordinem, quia etiam prælatus cùm sit homo, indiget freno reseruationis, & non potest alio conuenienti modo illi prouideri de ministro, qui eum possit absoluere, eo quòd Superiorem distantem habeat. Et aliunde, sicut ratione muneris, & donorum, quæ ad illud supponūtur, tenetur liberior esse huiusmodi culpis, mirum non est, si in illas inciderit quòd maius etiam sentiat onus, & grauamen.

XX. Occurrit tamen statim quæstio, an Superior non solùm possit, sed etiam teneatur delegare hanc facultatē quando subditus id postulet. Sed hanc quæstionem tractaui sufficienter in 4.to. disp. 30. sect. 4. & in 5. explicaui modum cōcedendi illam; quæ hoc loco repetere necesse non est. Sed propter quosdam, qui nimiam licentiam in hoc negotio subditis cōcedunt, addendum hic occurrit vulgare dubium, si prælatus neget hanc licentiam subdito perenti illā per se, vel per alium, an eo ipso possit subditus alteri confiteri, & ab illo absolui à peccatis reseruatis. Non enim defuerunt, qui id affirmarent: quia tunc subditus vim patitur à prælato: ergo eo ipso habet ius confitendi alteri. Antecedens patet, quia prælatus grauiter peccat, negando huiusmodi facultatē, contra suum munus, & contra præceptum Pij V. in quodam motu proprio anni 1571. Prædicatoribus concesso, in quo declarat, eos non posse per Bullam Cruciatæ eligere confessorem sine licentia prælatorum. Et subdit, *Eisdem tamen prælatis in vsu huiusmodi potestatis, seu cum subditis benignos, & faciles se exhibeant, præcipimus.* Consequentia autem probatur, quia eo ipso quòd inferior prælatus iniustè negat dictam facultatem, præsumitur superior prælatus, vel ipse Papa concedere illam, ne subditus perplexus, & sine remedio maneat.

XXI. Sed nihilominus sentētiam hanc falsam esse existimo, quia nullo iure fundatur, nec auctores antiqui illam docent, nec talis consuetudo est inter timoratos viros, nec denique ratio vlla illi suffragatur. Nam in hoc Sacramento non sufficit ratihabitio de futuro, nec voluntas præsumpta, si non fit de aliqua volūtate, quam reuera habeat, vel habuerit prælatus, & præsumptio fundetur in aliquibus sufficientibus signis talis voluntatis; in præsenti autem nulla sunt talia signa, neque vlla verisimilitudo, quòd Superior habeat, vel habuerit talem voluntatem. Imò, si prudenter res consideretur, existimo nec ratihabitionem de futuro hic interuenire, quia potius prælati superiores præsumendi sunt grauate ferre huiusmodi subditorum libertatem, quia licet alicui fortasse interdū posset esse vtilis, saepius esset in ruinam, & in dispendium religionis. Denique illa sententia intellecta de absolutione directa à reseruatis parum consentanea est doctrinæ Concilij Tridentini sess. 14. c. 7. quomodo autem possit sano modo explicari, statim dicam. Videantur quæ generatim de hac facultate petita, & non obtenta dixi in 4.tom. disp. 17. sect. 4.

XXII. Sed quæret aliquis, quid faciet pœnitens, cui hęc facultas negatur, & necessitatem habet celebrandi, vel communicādi, ita vt si omittat, scandalum, vel infamia sequatur. Quidam dicunt, habita contritione, vel probabili existimatione eius, posse communicare non præmissa confessione, tanquam is, qui non habet copiam confessoris. Sed circa hoc est in primis aduertendum, non quodcunque peccatū prælati in deneganda facultate sufficere vt statim concedamus subdito hanc, vel similem licentiam. Potest enim hoc peccatum consistere, vel solùm in nimio rigore, & in periculo, in quo constituit subditum, vel malè confitendi, vel concipiendi auersionem, & quasi odium confessionis; vel potest esse peccatum in hoc quod Superior intendit abuti notitia confessionis, ita vt subditus inde probabiliter timeat aliquod graue damnum, vel fractionem sigilli. Quando peccatum est tantùm primi generis, illud non est satis vt subditus deobligetur ab obseruatione diuinorum præceptorum, quando vincendo difficultatem, & sustinendo rigorem nimiū Superioris, nullum probabile incommodum, neque iniuriam sacramenti timet, licèt Superiori contradicatur. sed solùm ruborem, verecundiam, & similes difficultates, quæ, moraliter loquendo, non sufficiunt ad excusandum à diuino præcepto. Si ergo in eo casu communicare vult, confiteatur integre cui potest, quia habet diuinam obligationem, & nulla sufficientem excusationem.

XXIII. Quādo autem peccatum est posterioris rationis, habet sine dubio subditus sufficientem excusationem, vt cōstat ex materia de Pœnit. Potest ergo tunc communicare, licèt Superiori non confiteatur. Addo verò, etiam posse confiteri alteri ordinario confessori, & ab eo posse absolui, quamuis absolutio solùm cadat directè in peccata non reseruata, & alia tollantur solùm indirectè, sicut oblita. Imò vero nō

solum

solùm existimo hoc posse fieri, sed etiam esse cõuenientius, & omninò faciendum, si quis habeat cõscientiam alterius peccati mortalis non reseruati: quia ille est dispositus ad confessionem, & ad effectum absolutionis, quantum est ex se, vt supponimus, & alioqui confitetur quantum potest, & quomodo potest, & quòd licitè id facit, cũ sit in necessitate cõmunicandi; quæ est sufficiens, vt debeat fic confiteri, tum vt impleat præceptum diuinum, tum vt fiat ex attrito contritus, si fortasse non peruenit ad veram contritionem. Confessor autem potest, & debet tunc absolutionem præstare, si sibi constet, pœnitentem habere iustam excusationem non cõfitendi Superiori: quia pœnitẽs est dispositus, & integrè confitetur quantum potest, & est in sufficienti necessitate absolutionis. Neque est quòd confessor de iurisdictione dubitet, quia tunc non vtitur iurisdictione præsumpta. (In quo differt hæc sentẽtia à præcedenti) sed vtitur iurisdictione certa, quã habere debet circa alia peccata confessa, quæ sufficit ad conficiendum sacramentum, quo indirectè tollantur peccata reseruata, etiamsi in illa nulla sit iurisdictio. Per hoc autem remediũ subuenitur necessitati pœnitentis, & seruatur reuerentia debita sacramento Eucharistiæ, & non minuitur rigor reseruationis, nam semper manet eadẽ obligatio cõfitendi directè illa peccata Superiori, vel ei, qui ab illo iurisdictionem habuerit: in quo maximè differt hic modus dicendi à præcedenti in n. 20. nam iuxta illum, consequuta semel absolutione, non oporteret illa peccata iterum confiteri Superiori: quia remissa fuisse dicuntur per iurisdictionem ipso iure, vel tacitè datam à maiori prælato, imò etiam sit vt pœnitens maneat liber ab omni onere comparẽdi, quia sicut præsumitur iurisdictio data, ita præsumetur absolutè, & simpliciter data: maximè vbi peccatum non habet annexam censuram reseruatam, quod sine dubio maximum inconueniens est. Et ideo illa iurisdictio præsumpta, vt dixi, nullo modo est admittenda; absolutio autem directa iuxta mẽsuram propriæ iurisdictionis cum remissione indirecta eorum peccatorum, in multis casibus necessariò admittenda est, vt ex propria materia constat: vnus ergo illorum est hic, de quo agimus, & alium similem in sequenti c. videmus.

CAPVT XX.

An prælati regulares possint absoluere suos subditos à censuris.

I. HActenus de peccatorum absolutione dictũ est, iam de absolutione censurarum agendum, quæ possunt etiam distingui in censuras ipsiusmet religionis, & ab extrinseco prouenientes: item in censuras à iure, vel ab homine: item in reseruatas, & nõ reseruatas. Deinde potestas absoluendi ab illis, esse potest vel ex iure communi, vel ex iure, & priuilegiis regularibus. Primò ergo dicendum est, prælatũ religionis iure cõmuni posse absoluere ab omnibus censuris non reseruatis, & ipso iure latis, siue sit ius commune, siue proprium religionis. Probatur ex c. *nuper*, de sent. excom. vbi quilibet proprius sacerdos dicitur habere hanc potestatem: quia vbi conditor iuris absolutionem non reseruat, concessisse videtur, vt ibidem dicitur. Quæ regula in omni iure, tã communi, quàm regulari, eadem ratione locũ habet: prælatus autem religionis est proprius sacerdos suorum subditorum, vt per se constat: ergo. Ex quo infero, etiam ordinarium confessorem conuentus, vel quemcunque alium approbatum ab ipso prælato ad audiendas confessiones subditorum cum iurisdictione absoluendi à mortalibus nõ reseruatis, posse etiam absoluere à quibuscunque censuris nõ reseruatis per talia peccata contractis: nam iuxta probabiliorem sententiam, quam in tom. 5. approbauimus, decisio c. *nuper.* extenditur ad quemlibet sacerdotem habentem iurisdictionem ad absoluẽdum à peccatis mortalibus, ratione quorum censetur consequenter concessa potestas absoluendi ab huiusmodi censuris: nam, qui delegat potestatẽ ad aliquid censetur concedere potestatem ad omnia necessaria ad talem finem, vt est vulgatum in iure. Et confirmatur, quia aliqua est constituenda differentia inter excommunicationem reseruatam vel non reseruatam prælato: nulla autem esset, si cõfessor ordinarius non posset absoluere ab excommunicatione non reseruata. Hic autem oriebatur dubium de censuris iuris communis peculiariter cõmissis Episcopis, de quo infrà dicemus.

II. Secundò dicendum est, prælatum religionis iure ordinario posse absoluere subditum ab omni censura lata ab homine, tam per sententiam generalẽ, quàm per particularẽ, nisi fit lata à Superiore prælato suo. Probatur assertio, quia cẽsura ab homine, ab eodem tolli potest, à quo fuit posita, vel ab eius superiore; sed religiosus non potest ab alio homine excommunicari nisi à prælato suo: ergo ab eodem potest, & debet absolui. Habet ergo prælatus iure ordinario hanc potestatem, quæ, si consideretur in prælato superiore, extenditur ad omnes censuras latas ab inferioribus prælatis sibi subiectis. Atque hinc facilè probatur exceptio: nam inferior nõ potest superioris sententiam reuocare.

III. Potest autem quæri, an illa exceptio intelligẽda sit tã de sentẽtia generali, quàm de particulari: Breuiter tamen respõdeo, quòd licet in rigore iuris vtrique adhibenda videatur, nihilominus ex vsu, & pia interpretatione generalis sentẽtia in hoc æquiparatur iuri, ita vt, si censuram sic latã prælatus sibi expressè non reseruet, eo ipso illam ordinariis prælatis, vel confessariis reseruare censeatur iuxta regulam dicti c. *nuper.* Solùm ergo in sententiis specialibus illam limitationem intelligit. Ex dictis autem constat, nomine prælati in præsenti comprehendi Summum Pontificem, qui generali, & speciali titulo est supremus prælatus religiosorum, & ideo ipse potest absoluere quoscunque religiosos à quibuscunque cẽsuris, latis à quibuscunque aliis prælatis: alij verò non possunt absoluere à latis ab ipso, nisi quatenus ab eo conceditur, vel expressè, vel per generalem regulam c. *nuper.*

IV. *An de censuris ab Episcopis latis procedat ad fertio.* Peculiarem verò difficultatẽ habet quid dicendum sit de excõmunicatione religiosi lata ab Episcopo in casibus in quib. eam in religiosos ferre potest, etiamsi exempti sint: nam de sibi subiectis nulla est quæstio, quia cũ ipse sit Ordinarius prælatus talium religiosorum, regula posita, in eo locũ habet. Potest autem interdum Episcopus aliquid præcipere religiosis sub pœna excõmunicationis, vt quòd ad processionem vocati accedant, iuxta Concilium Trident. sess. 25. c. 13. de Regular. & in aliis casibus illis commissis in eadem sessione, variis decretis de Regularibus, & sess. 5. c. 1. de Reformat. & aliis locis similibus. Tunc ergo, cùm certum sit, ipsummet Episcopum posse absoluere, & à fortiori Pontificem; de prælatis religionis dubium est, nam cũ non sint subditi Episcopis, non videntur comprehendi sub exceptione posita, poterũt ergo absoluere subditos ab his censuris. Respondeo nihilominus non posse: quia in eo actu reuera sunt Episcopi superiores prælati respectu prælatorum religionis: nã vel Episcopi in eo actu procedunt vt delegati Sedis Apostolicæ, vt sæpè in dicto Concilio dicitur, & tunc constat nõ solùm esse Superiores, sed quodammodo supremos, quia vtuntur iurisdictione Pontificia sibi delegata: Vel se gerunt vt propria iurisdictione vtentes, ablata exemptione, quantum ad talem casum;

& sic etiam sunt Superiores, quia omnes prælati religionum iure ordinario essent subditi Episcopis, nisi essent exempti: ergo pro illis casibus, in quibus exempti non sunt, manent inferiores Episcopis: ergo non possunt absoluere à censura lata ab Episcopo in aliquo tali casu per sententiam particularem, nam de generali aliud est, vt diximus.

V. *Priuilegium eximens religiosos à cõsuris nisi nominentur.*

In quo tamen obiter notandum est priuilegium cõcessum à Nicolao IV. quod his verbis refertur in Compendio Societatis, verb. *Excommunicatio*. §. 3. *Nicolaus IV. voluit fratres [illegible] gari aliqua sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti, hominis, nisi nominatim fieret mentio, nec sufficeret si diceret in sententia generali, vt perinde valeant, ac si essent nominati expressè.* Quod priuilegium si intelligatur de expressa nominatione singularum personarum regularium, est satis magnũ; si autem intelligatur solùm de expressa nominatione talis, vel talis religionis, vel monasterij, & omniũ religiosorum eius, minorem continet gratiam, sufficientem tamen ad explicationem priuilegij, si alia verba non repugnant. Videtur prior sensus magis consentaneus verbis, quia propriè non dicitur fieri mentio nominatim aliquorum quãdo sub generali appellatione talium religiosorum comprehenduntur; præsertim quia ibi dicitur, *non sufficere si diceretur in sententia generali, vt perinde valeat ac si essent nominati expressè.* Quod credibile non est, positum esse propter nominationem religionis, aut monasterij, quæ facillimo negotio fieri potest expresè: positum ergo est propter expressam nominationem personalem. Ita ergo videtur hic fauor intelligendus, ampliandus, & valde notandus.

VI. Dico tertiò, à censuris latis, & reseruatis iure religionis eodem iure absoluere potest prælatus, ad quem reseruatio facta est, & à fortiori prælatus superior, & cõsequenter delegati ab ipsis. Hæc omnia constãt ex communi doctrina de censuris, & ex dictis in præcedenti capite de solutione à culpis reseruatis: nam quoad hoc eadem est ratio, & proportio. Solùm quæri potest, si reseruatio censuræ fiat prælato absolutè, & absque addito determinante, quis veniet sub illa appellatione, & præsertim, an prælatus, etiam localis, possit absoluere. Respondetur affirmando: nam sub illa voce absolutè prolata, quilibet prælatus comprehenditur, & indefinita locutio in his rebus vniuersali æquialet. Itẽ, quia Præpositus Conuentualis est verè prælatus, & participat suo modo iurisdictionem Episcopalem; vt suprà c. 2. à n. 9. dixi.

VII. Circa delegationem autem occurrit illa vulgaris interrogatio, si Superior cõmittat potestatem absoluendi subditum à censuris, an censeatur cõmissa ad absoluendum à censuris reseruatis. Videtur enim negatiuè respondendum, iuxta regulam textus in c. 2. de pœnit. & remiss. in 6. In contrarium autẽ est, quia per illam facultatem plus videtur concedi, quàm per facultatẽ absoluendi à peccatis mortalib. non reseruatis, sed per hanc conceditur consequenter potestas absoluendi à censuris nõ reseruatis, vt n. 1. diximus. ergo vt illa facultas aliquid operetur, oportet vt extendatur ad censuras reseruatas. Respondetur nihilominus, si aliunde non colligatur, hanc fuisse mentem concedentis, non esse facilè extensionem illam admittẽdam; propter citatam regulam, & quia potest illa expressa, & directa cõcessio fieri ad tollendã omnem dubitationem, vel opinionẽ: nam in iurisdictione delegata non est certũ, eum, qui potest absoluere à mortalibus, posse etiam absoluere ab excõmunicatione maiori non reseruata, licèt sit probabile: item potest operari illa facultas, vt absolutio à censura per se detur sine ordine ad absolutionem sacramentalem. Hoc autem procedit quando in religione sunt quædam cẽsuræ reseruatæ, & alię non reseruatæ: nam si tantũ essent reseruatæ, necessariò venirent sub generali appellatione, quia in tali religione non sunt aliæ, & ideo ex materia ipsa fit sufficiens determinatio.

VIII. Dico quartò, prælatus religionis, partim iure cõmuni, partim ex priuilegio, potest absoluere subditos è censuris reseruatis Papæ quæ in iure commissæ sunt Episcopis. Non agimus de censuris, quas ipsi Episcopi sibi reseruant; quia illæ non ligant religiosos exemptos, de quibus agimus; censuræ autem Papales ligãt illos, si alioqui ad illos vel specialiter, vel generatim dirigantur; & consequenter etiam reseruatio Papalis ex se vim habet respectu illorum: ideoque nisi ab ipso Papa detur aliquo modo iurisdictio, non poterunt ab illis absolui. Solet autem in iure committi Episcopo in aliquibus casibus absolutio à censura Papæ reseruata: quod dupliciter cõtingit, scilicet, vel simpliciter ex generali ratione Episcopalis iurisdictionis, vel ex peculiari commissione, & præsertim si addatur, *vt legato Pontificio*. Priori modo committitur ei absolutio ab excommunicatione can. *Si quis suadente*, vt in c. *peruenit*, cum similibus, de sent. excomm. & in Concilio Later. sub Alex. III. p. 14. In his ergo casibus, & similibus absoluere possunt prælati religionum suos subditos iure ordinario. Probatur, quia habent in illos iurisdictionem Episcopalem, & præsertim in his rebus, quæ ad spiritualem salutem, & medicinam pertinent, vt est absolutio à censura: sicut ergo illam iurisdictionem habent communi iure, vt suprà probatum est; ita etiam habent potestatem absoluendi in his casibus.

IX. Posteriori modo sunt multæ concessiones factæ Episcopis in Concilio Tridentino; illa verò præcipua est, quæ habetur sess. 24. c. 6. de Reformat. vbi conceditur Episcopis facultas absoluẽdi in quibuscunque casibus occultis, sedi Apostolicæ reseruatis. Quæ concessio, si nuda verba inspiciantur, videtur esse prioris generis, & cõsequenter extendi ad prælatos religionum, etiam iure ordinario. Nihilominùs in 4. tom. 3. part. disp. 30. sect. 2. n. 7. propter quãdam responsionem Cõgregationis Cardinalium, opposuit dixi: retuli tamen ibidem Motum proprij Pij V. in quo facultatem illam extendit ad prælatos ordinis Prædicatorum: quo priuilegio aliæ etiã religiones per viam communicationis vti possunt. Conceditur autem illa facultas tam Prioribus Cõuentualibus, quàm superioribus prælatis. Vnde cõstat Superiores, aut Vicarios ordinarios non posse illa facultate vti, nisi eis à prælatis delegetur: intelligetur autem delegata, quoties prælatus à monasterio absens, Vicarium loco suo relinquit. Fruentur autem illa facultate Superiores paruorum conuentuum, qui licèt Abbates, aut Priores non nominentur, munus tamen integrè exercẽt, & immediatè Prouinciali subiiciuntur. Atque idem dicendum est circa priores casus, in quibus hi prælati vtuntur sua iurisdictione ordinaria, iuxta superiùs dicta de his prælatis, & eorum iurisdictione in genere.

X. Hîc autem occurrebat specialis quæstio de excõmunicatione incursa per peccatum hæresis, an possit ab his prælatis absolui per illud priuilegium Pij V. dicendum autem est, si Concilij facultas reuocata nõ esset, sine dubio id possent hi prælati, quia extensio Pij V. generalis est quoad omnes facultates; etiam Concilium autem concedit hanc facultatem Episcopis, saltem per seipsos. Ego autem in dicta sect. 2. probabilius censui, dictam facultatem esse reuocatam per Bullam Cœnæ, quod explicando eandem Bullam in tom. 5. & disp. 21. de fide sect. 3. n. 12. iterũ confirmaui, & nunc etiam verum censeo, etiamsi nonnulli moderni oppositum docuerint, in quibus sunt Henriquez lib. 3. de Pœnit. c. 3. & Emmanuel Rodr. tom. 1. q. 20. art 10. & in explicat. Cruciatæ §. 9. nu. 70. Gutier. in Quæst. canon. statim citandus.

Vnde

Vnde consequenter in præsenti pro indubitato habeo, non posse hos Prælatos absoluere ab hac censura ex vi Concilij, & Priuilegij Pij V. quod etiam sensit Sancius lib. 2. Decalogi. cap. 11. n. 7. tum quia ille non vult, vt hi Prælati in hac parte habeant maiorem iurisdictionem, quàm Episcopi, sed tantùm, vt non sint peioris conditionis: tum etiam, quia reuocatio, quæ fit in Bulla Cœnæ, generalis est quoad omnes, qui non habent facultatem peculiarem in casus ibi contentos prout ibi reseruantur.

XI. Addunt verò aliqui, quòd licèt Episcoporum facultas non esset reuocata, Prælati religionum illam non haberent, quia illa non est data Episcopis, vt Episcopi sunt, sed vt Inquisitores sunt, quod munus Prælati religionum non habent. Sed hoc non potest satis probari ex verbis Concilij Tridentini: nam postquam generaliter de alijs criminibus occultis dixerat, subdit, *Idem & in hæresis crimine*, &c. ergo hoc etiam committit Episcopis, vt Episcopi sunt; solùm addidit restrictionem, vt non possint eam potestatem delegare: de cuius restrictionis sensu alibi disputandum est. Vide quæ dixi disp. 30. de pœnit. sect. 2. & disp. 21. de fide sect. 4. & disp. 21. de censur. sect. 3. num. 5. & Cordubam in Summa Hispana, q. 8. Gutierez in suo Quæstionario cap. 13. num. 28. Emman. Rodr. tom. 1. q. 20. art. 11. Igitur licèt Concilium ex se non extendatur ad Prælatos religionum, sed solùm ex concessione Pij V. tamen, illa supposita, non dubito, quin extensio comprehendat etiam crimen hæresis; tamen reuocatio æquè etiam extenditur, vt dixi, & in sequentibus ampliùs explicabo.

XII. Dico quintò, per priuilegia religionum, præsertim Mendicantium, possunt Prælati regulares absoluere suos subditos ab omnibus censuris à iure, vel ab homine latis. Priorem partem huius conclusionis, quæ spectat ad censuras à iure, (sub quibus nunc censuras Bullæ Cœnæ comprehēdo) colligo ex his, quæ breuiter notantur in Compendio Societatis, verb. *Absolutio*, & ex multis priuilegijs, quæ indicat Emmanuel Rodericus tom. 1. quæst. 20. Non censeo tamen necessarium per singula priuilegia discurrere: quædam enim concedunt absolutionem tantùm ab vna censura, excommunicatione, v. g. alia ab alijs, vel ab omnibus, & interdum extendunt sermonem ad dispensationem ab irregularitate, de qua nunc non agimus. Item, quædam addunt hanc limitationem, *Nisi adeo fuerint graues, & enormes excessus, quod sint ad Sedem Apostolicam merito destinandi*, vt ex Clemente IV. refertur in lib. Monumenta ordinum, concess. 318. & 319. Alia verò addunt contrariam extensionem, *etiamsi talia forent, propter quæ Sedes Apostolica esset consulenda*, &c. prout refertur in dicto Compendio Societatis, §. 10. ex priuilegio Benedictinis concesso. Ex omnibus ergo priuilegijs sufficienter inspectis colligitur vniuersalis conclusio posita (etiam quoad vtramque partem.) In qua sunt tria explicanda. Primum materia, circa quam hæc facultas versatur: secundum, quis Prælatus possit illa vti: tertium, circa quas personas.

Probatur ex variis priuilegijs.

CAPVT XXI.

A quibus censuris & pœnis possint Prælati regulares absoluere suos subditos per priuilegium religionibus, præsertim mendicantibus, concessum.

I. IN hoc puncto, quoad primum in fine præcedentis capitis proposuimus, dicendum est censuras Pontificias esse materiam horum priuilegiorum. Hoc constat ex eorum verbis, quę vniuersalia sunt, & prædictam distributionem multis modis declarant. Quia verò sub vniuersali clausula non solent speciales casus comprehēdi, dubitari inprimis potest, an sub ea comprehendantur casus reseruati in Bulla Cœnæ, qui, vt aliqui censent; ita sunt speciales, vt sub generali facultate non comprehendantur. qua de re vide Staphylæum de Reseruat. in forma Breuium, pag. 191. Gomez in tract. Breuium, n. 26. Nihilominus dicendum est comprehendi, non quidem sub singulis priuilegijs, nam, vt dixi n. 12. c. præced. in aliquibus sunt vel tantùm generalia, vel nimis limitata, sed sub omnibus simul. Primò quidem est priuilegium Sixti IV. cuius fit mentio in nostro Compendio §. 6. verb. *Absolutio.* ex Monumentis Minorum. In eo enim à generali exceptione quatuor tantùm casus excipiuntur; exceptio autem, vt iurista aiunt, firmat vniuersalem regulam in contrarium: ergo ex vi illius indulti extenditur hæc facultas ad omnes alios casus in Cœna Domini contentos, & quomodocunque Pontifici reseruatos. Erant autem casus excepti à Sixto IV. Primò *relapsus in hæresim, schisma, literarum Apostolicarum falsificatio, & delatio prohibitorum ad infideles.* Qui omnes sunt casus in Bulla Cœnæ contenti, & ex his, quæ circa illius expositionem tomo de Censur. disp. 21. sect. 2 diximus, satis clari. Ex his autem intelligitur vis rationis factæ: nam ex eis constat, illam facultatem extendi etiam ad primum lapsum in peccatum hæresis, quod inter omnia reseruata habet maximam specialitatem; ergo à fortiori intelliguntur concessi omnes alij casus ibi non excepti. Item cùm in sola hæresi relapsus excipiatur, in alijs non exceptis quicunque relapsus, seu quodcunque recidiuum intelligitur concessum.

II. *Neque hodie excipitur casus hæresis.*

Addo verò vlteriùs, illam exceptionem magna ex parte sublatam esse per concessionem Gregorij XIII. Societati factam, *absoluendi ab hæresi, & a relapsu etiam in hæresim eos omnes, qui sub Societatis obedientia viuunt, si quis (quod Deus auertat) in eam incideret*, vt dicitur in dicto Compendio, §. 7. & in 9. additur, eandem facultatem concessisse Alexandrum VI. Minoribus de Obseruantia, cum duplici tamen limitatione, scilicet, pro solis Vltramontanis, & dummodo relapsorum crimina publica, & notoria apud seculares non sint: Gregorius verò nullam limitationem addit. Circa quam extensionem dubitari potest, an per illam sublatæ sint aliæ tres exceptiones positæ à Sixto IV. nam ita videtur affirmandum, quoniam potissima illarum exceptionum erat relapsus in hæresim, & inter omnes casus ille habet maximam specialitatem: ergo illo concesso, reliqui omnes censentur concessi. Sed nihilominus ex vi illius solius indulti non auderem hoc affirmare, quia in materia iurisdictionum, & potestatum argumentum illud non est firmum, nam potest quis habere iurisdictionem ad iudicandum de grauissimo crimine, & non de minori, maximè in iurisdictione delegata, qualis datur per hæc priuilegia. Verum est, iuxta materiam subiectam intentionem illorum Pontificum videri fuisse, vt omnis exceptio & limitatio auferretur. Existimo tamen supposuisse alias exceptiones iam sublatas, & ideo illam tantùm, quæ maxima erat, abstulisse; ablatæ autem videntur aliæ exceptiones per priuilegia generalia, quæ exceptionem non habent, & addunt illam clausulam, *etiamsi talia forent, propter quæ Sedes Apostolica esset consulenda.* Dices, per hāc clausulam, etiam exceptionem relapsus in hæresim videri sublatam. Respondeo, adeò esse specialem casum illum, vt sine specifica expressione non putaretur concessus, etiam per illa generalia verba; sicut in disp. 21. de fide sect. 4. diximus, per priuilegia concedentia facultatem

Quid de aliis 3. casibus exceptis à Sixto IV.

absoluendi à casibus Cœnæ, non comprehendi hæresim, nisi exprimatur. Propterea igitur specifica concessio, & extensio meritò obtenta est. Atque ita relinquitur satis probata conclusio quoad omnes censuras à iure, & Pontificias, quia omnes continentur vel extra Bullam Cœnæ, vel intra illam; sed ad vtraque extenditur hæc facultas; ergo. Quocirca non est dubium, quin hæc facultas se extendat ad excommunicationem, cap. *si quis suadente*. nam licèt olim de iure communi hæc censura committeretur Episcopo in grauioribus casibus, & Abbati in leuioribus, cap. *Monachi*. de sent. excommun. tamen etiam illa concessio generalis non erat, sed solùm quando permissio erat monachorum inter se. Et licèt postea extensa sit ad percussionem clerici secularis, cap. *Religioso*. de sent. excom. in 6. tamen & soli Episcopo committebatur, & non vniuersaliter, sed in percussione non enormi, iuxta communem interpretationem: at verò iuxta prædicta priuilegia absolutè concessa est hæc facultas non in speciali, sed per sufficientem clausulam generalem, vt explicatum est.

Extenduntur etiam ad omnes casus cap. Si quis suadente.

III. Dubitari verò hîc potest, an hæc priuilegia hodie sufficiant ad huiusmodi obseruationem. Est autem duplex ratio dubitandi: prima, quia priuilegia non cadunt in futuras reseruationes; eæ autem reseruationes Cœnæ Domini singulis annis renouantur, & tanquam de nouo fiunt: ergo priuilegia priùs concessa non extenduntur ad illas. Quæ ratio procedit de quibuscunque casibus post dicta priuilegia reseruatis, etiam extra Bullam Cœnæ. Alia ratio est, quia hæ facultates videntur reuocatæ per posteriores Bullas Cœnæ, in quibus ad finem dicitur, *etiam præ extu quarumuis facultatum, vel indultorum quibuscunque personis quorumuis ordinum etiam Mendicantium, ipsisque ordinibus, & eorum monasteriis*, &c. Per quæ verba videntur expressè derogata dicta priuilegia. Dicendum nihilominus est primò, hæc priuilegia de se sufficere ad absoluẽdum à quibuscunque peccatis reseruatis, tam in Bulla, quàm extra illam, etiamsi reseruatio post concessionem priuilegiorum facta fit. Probatur, quia sensus illorum priuilegiorum non est per ea dari facultatem ad absoluendum ab illis peccatis, quæ tunc reseruata sunt, quando priuilegium conceditur; sed ab illis, quæ tunc reseruata sunt, quando fit confessio, & absolutio præstanda est: ergo, licèt reseruatio sit posterior, nihil refert. Antecedens probatur, quia inprimis Papa potest hoc sensu suam iurisdictionem delegare, vt est apud omnes indubitatũ, quia potest facere delegationem de se perpetuam, id est, quandiu reuocata non fuerit, & potest suam propriam iurisdictionem, & pro tempore vitæ suæ illo modo delegare: ergo pro omnibus futuris temporibus. Quòd autem hoc etiam intendat probatur, quia concedit illa priuilegia vt perpetua, & vt generalia ad omnes casus reseruatos; non possent autem esse talia, nisi ea intentione concederentur. Item, quia priuilegia illa sunt absoluta, & continent gratiam & fauorem, quæ in nullius præiudicium cedunt, nisi ipsius concedentis: ergo non sunt à nobis restringenda, sed amplianda potiùs, iuxta communem regulam iuris.

Dubium insurgens an dicta priuilegia hodie valeant.

IV. Confirmatur à simili: nam, si Rex eximat oppidum ab aliquo onere, quantumcunque postea crescat, totum id, quod in futurum auctum est, censetur exemptum, vt tradit Baldus in l. *cum fundus*, ff. de legatis 2. & tractat Couar. in Pract. cap. 2. ergo similiter, &c. Confirmatur secundò à simili, nam si Pontifex concedat Regi præsentationem beneficiorum talis prouinciæ, vel ciuitatis, extenditur illa concessio etiam ad beneficia postea creata, argum. cap. *quia circa*. de priuileg. vbi ratio affertur, quia in beneficijs plenissimè est interpretatio adhibenda: ergo multò magis in præsenti adhibenda est: tum quia nouæ reseruationes sunt quotidianę, & ideo facilius creditur de eis cogitasse Pontificem, quando tale priuilegium concessit; tum etiam, quia hæc priuilegia data sunt propter publicam, & magnam vtilitatem, scilicet spiritualem, iuxta ea, quæ tradunt Ioan. Andr. in c. *qui sentit*. de regulis iuris in 6. & Panormit. in c. *quia circa*. n. 5. Alexand. li. 2. consil. consilio 178. n. 21. Tandem confirmatur ex vsu sequentium Pontificum: quando enim volunt vt talia priuilegia non valeant ad absoluendum à casibus denuo ab ipsis reseruatis, reuocant expresse dictas facultates: ergo supponunt, illas de se extendi ad subsequutas etiam reseruationes.

V. Secundò dicendum est, prædictas facultates non esse reuocatas per Bullam Cœnæ Domini. Circa quam assertionem sciendum est; olim in reuocatione, quæ fiebat in Bulla vsque ad Gregor. XIII. solita fuisse poni illa tantùm verba, quæ suprà retulimus; illis verò, vt notauit Nauar. c. 27. n. 73. addidit Sixtus V. hæc verba, *Nisi in eis etiam casus præsentibus literis expressi comprehendantur*. quæ etiam adduntur in Bulla S.D.N. Clementis VIII. Igitur iuxta hanc additionem manifesta est conclusio posita, quia per illa verba declaratur non reuocari priuilegia, in quibus conceditur specifica facultas absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ: huiusmodi autem sunt priuilegia regularium, vt ostendimus: ergo. Specialiter etiam concessit Gregorius XIII. Societati, vt nullæ eius facultates per Bullam Cœnæ Domini derogatæ censeantur, vt refertur in Compendio Societatis, verb. *Bulla Cœnæ*. §. 2.

VI. At verò iuxta antiquam formam dubium erat, an talia priuilegia essent reuocata, propter verba superiùs citata sine prædicta, vel aliqua alia limitatione posita. Et affirmandum censuit Collector priuilegiorum Mendicantium, verb. *Absolutio ordinaria quoad fratres*. §. 13. vbi refert responsum Cardinalis Alexandrini, ita affirmantis. Aliquibus tamen iuris doctis nimis rigorosa visa illa interpretatio, quia non putant verisimile Pontificem voluisse reuocare omnes facultates datas in specie ad ipsos met casus Cœnæ: quia inde possunt inferri multa incommoda, quæ videntur absurda, quæ indicans magnam inconstantiam in voluntate Principis, quæ præsumenda non est, vt latiùs refert Emman. Roder. tom. 1. q. 20. art. 9. Ad illa verò incommoda respondere possunt, hanc reuocationem non esse intelligendam respectu eiusdem Pontificis, qui concessit priuilegium, vt adnotauit etiam Cardinalis Alexandrinus, quia de eodem verisimile non est infra eundem annum velle reuocare facultatem perpetuam, quam in specie concesserat, præsertim cum illa reuocatio, cùm sit ordinaria, censeatur præsa, nam videretur eludere vel decipere concedendo hoc priuilegium, quod statim est reuocaturus: respectu ergo eiusdem magnam habet vim illa cõiectura, quæ quando est adeò vehemens, magnam vim habet in interpretatione legum, vt latè prosequitur Piraquel. in Præfatione ad l. *si vnquam*. n. 37. at verò quando Bulla reuocatoria, edita est à diuerso Pontifice, nulla potest argui inconstantia, quia, cùm diuersa sit voluntas, non est inconstantia quòd vna reuocet, quod alia voluit, vt quotidie fieri videmus: nec particularia incommoda, quę hinc inferuntur, aut potiùs cogitantur, apud me vim habent, quia sunt valdè priuata, & extraordinaria, quæ morales leges non considerant. Probabilius fundamentum illius sententiæ esse potest, quia facultas absoluendi à casibus Cœnæ, non exceditur, nisi in specie detur, nec sufficit clausula generalis absoluendi à casibus reseruatis Papæ, vt multi sentiunt: ergo & è conuerso facultas specialis ad absoluendum à casibus Cœnæ non reuocatur per clausulam

sulam generalem, donec expressa mentio illius fiat: sed in Bulla Gregorij XIII. & alijs non fiebat talis reuocatio, sed tantùm generalis. Vnde iuxta hanc sententiam, & rationem per illa verba solùm reuocantur generales facultates absoluendi à censuris reseruatis Papæ, vt nimirum illæ non sufficiant ad absoluendum à casibus Cœnæ, non verò reuocentur facultates expressè hoc concedentes; quod quidem explicauit Sixtus Quintus, non verò addit.

VII. *1. Obiectio contra allatam rationem.* Veruntamen hæc ratio videtur seipsam falsificare: nam, si facultas generalis ad absoluendum à casibus omnibus Papę reseruatis, non comprehendit casus Cœnæ: ergo talis facultas non est reuocabilis per prohibitionem absoluendi à casibus Cœnæ: quia non reuocatur nisi facultas, quæ antea erat; sed antea illa non erat facultas absoluendi à casibus Cœnæ: ergo per Bullam Cœnæ non reuocabantur illa priuilegia generalia: atque adeò ex illa ratione potiùs sequitur, per illa verba solùm reuocari illa priuilegia, quæ in specie illos casus concedebant, nam alia generalia per se erant limitata, & excluſa. Dices, ergo immeritò in Bulla Sixti V. illa additio facta est, quia destruit ipsam reuocationē. Respondeo, inde fieri probabile oppositum eius, in quo fundatur prædicta ratio, quæ alio modo ita *2. Obiectio.* impugnatur. Nam per vniuersalem clausulam absoluendi à casibus Papæ reseruatis, datur facultas etiam ad casus Cœnæ in specie: ergo è conuerso per reuocationem generalem absoluendi à casib. Cœnæ reuocantur etiam facultates expressè illos concedentes. Antecedens probatur ex mente Sixti V. & Clementis VIII. addendo enim illam limitationem, supponunt dupliciter dari facultatem ad absoluendum à casibus Cœnæ, scilicet, per generalem clausulam, vel per specificam, & ideo declarant se reuocare priorem facultatem, non posteriorem. Idemque confirmari potest ex alijs indultis, in quibus Pontifices generaliter concedentes suos casus, excipiunt casus Bullæ Cœnæ, supponentes comprehendi, nisi excipiantur. Sed hæ rationes non concludunt, quia in his literis Apostolicis aliqua verba addi solent tantùm ad maiorem declarationem, & ad tollenda dubia.

VIII. *Ad obiect. 1. respond.* Vnde sustinendo illud fundamētum (quod probabile est) sub concessione generali casuum Pontificis non comprehendi casus Cœnæ, dicendum est ad priorem obiectionem, hoc ipsum prouenire ex vi illius clausulæ, & ideo respectu præcedentium priuilegiorum esse reuocatoriam ex parte; respectu verò subsequentium esse quasi declaratoriam, seu impedientem, ne ad hos casus extendantur. Per illa enim verba factum est, vt illi casus tam specialem habeant reseruationem, vt sub generali clausula absoluendi à reseruatis non comprehendantur. Si enim non adderetur illa clausula reuocatoria priuilegiorum, non esset cur illa omnia delicta non comprehenderentur, quia atrocitas culparum non sufficit per se sola; alia enim fortasse delicta, vt Simoniæ, vel blasphemiæ, sunt tam grauia ac multi casus Bullæ Cœnæ, & nihilominus licèt habeant annexam excommunicationem reseruatam Pontifici, comprehenderentur sub illa clausula generali *ad soluendi à reseruatis*. Si ergo casus Cœnæ non comprehenduntur, ideo est, quia per illam clausulam reuocatoriam sunt exempti, & ita per illa verba & reuocantur, vel limitantur quoad hāc partem priuilegia priùs concessa, & simul fit, vt subsequentia priuilegia sub generali clausula con- *Ad 2. obiect. in fundam.* cessa, hos casus non comprehendant. Ad secundam ergo obiectionem ex verbis Pij V. respondetur, solum esse addita ad hoc ipsum explicandum, scilicet, priuilegia generalia non sufficere ad absoluendum ab his casibus, & fortè ita explicasse mentem suorum prędecessorum. Et simili modo, si aliquando in generalibus priuilegijs fit exceptio casuum Cœnæ Domini, ad maiorem claritatem fieri, non quia sit necessarium; & ideò rarò fit illa exceptio. Frequentiùs è conuerso quando Pontifex vult priuilegium extendere ad casus Cœnæ, eos specialiter exprimit, sentiens, in vniuersali clausula non comprehendi. Est ergo probabile, priuilegia religionum in hac parte nunquam fuisse reuocata per Bullam Cœnæ; incertum tamen; & ideo prudenter Societas declarationem, vel renouationem obtinuit à Gregorio XIII. iam verò per posteriores Bullas dubium sublatum est.

IX. *An dicta priuilegia extendantur etiam ad censuras propter Simoniam tractas.* Supereſt verò aliud speciale circa censuras, quæ per Simoniam contrahuntur. Nam licèt dicta priuilegia ad illas etiam extendantur, vt declaratum est, tamen Sixtus V. in Motu proprio aduersus clericos malè promotos, §. 8. easdem pœnas renouans, & alias addens, sibique eas reseruans, reuocat omnia priuilegia, etiam in Mari magno contenta, vel quibuscunque ordinibus, aut personis regularibus concessa, & similiter derogat facultatem Concilij Tridentini concessam Episcopis ad absoluendum à casibus occultis. Quæ reuocatio integra adhuc manet, quia licèt Clemens VIII. Motu proprio edito anno 1595. constitutionem illam Sixti V. reduxerit ad terminos iuris communis, & Concilij Tridentini, addidit exceptionem, *Præter quam contra simoniace ordinatos, & ordinantes in fictas*. Respondetur *Resolutio, extendi ad omnes, præter contractas ex ordinatione Simoniaca.* inprimis hanc reuocationem non esse generalem de quacunque Simonia, sed de illa tantùm, quę circa ordines committitur, & ideo si aliqua censura contrahitur per Simoniam circa beneficia, vel prælationes obtinendas, facultas absoluendi ab illa reuocata non est. De alia verò, quæ contrahitur per ordinationem simoniacam, concedēdum est, nunc non habere Prælatos religionum hanc facultatem circa suos subditos, nisi à Sede Apostolica habeant, saltem viuæ vocis oraculo, nouam confirmationem suorum priuilegiorum. Estque admiratione dignum, quòd possint hi Prælati absoluere à peccato hæresis, & non à peccato simoniæ: vbi constat verum esse, quod suprà num. 2. diximus, in his facultatibus non valere argumentum, qui potest in maius, posse etiam in minus. Et ad illam admirationem respondeti potest, licèt peccatum simoniæ minus graue sit, quàm hæresis, esse tamen frequentius, & plerunque esse homines, præsertim regulares, nimium procliues ad ordines suscipiendos; & ideo non immeritò potuisse reseruationem illius delicti magis restringi.

X. *An extendantur ad censuras contractas spe. & fiducia priuilegiorum.* Dubitari præterea potest de quadam restrictione, quæ in dictis priuilegijs addi solet, scilicet, vt possit ab his censuris absolutio dari, nisi fuerint peccata commissa in contemptum clauium, vel nisi commissa fuerint spe, & fiducia talium priuilegiorum, vt constat ex priuilegijs Bonifacij IX. & Eugenij IV. quę referuntur in Supplemento, & Monum. Minorum. In contrarium autem est, quia licèt illa priuilegia non plus concedant, tamen alia & nouiora, & vniuersaliora non addidere illas restrictiones, & ideo certum est ex vi priorum priuilegiorum non esse limitatam hanc materiam, nam potuit per alia priuilegia amplificari. Neque oportuit priorem limitationem expressè reuocari: quia per solam additionem tollitur limitatio. Manet autem dubium, an generalia verba sufficiant ad huiusmodi extensionem. Nam de posteriori præsertim limitatione, spe scilicet, & fiducia, quidam existimant, tacitè contineri in huiusmodi priuilegijs, vel facultatibus, & in alijs similibus, etiamsi non exprimatur. Ratio est, quia in generali concessione non comprehenditur casus specialis, qui verisimiliter non esset à Pontifice in particulari conce-

concedendus; sed illud genus peccati est valde speciale, & contrarium intentioni Pontificis, qui non vult, vt eius gratia sit alicui occasio peccandi. Atque hæc sententia sumi potest ex Antonino 1. p. tit. 10. cap. 3. §. 5. vbi in forma generali concedendi indulgentiam plenariam, ponit hanc particulam; *Præter ea, quæ ex confidentia huius indulti commiserit*, sentiens includi in huiusmodi indultis dictam conditionem, & in eandem inclinat Corduba li. 5. de Indulgentijs, q. 37. quem sequitur Emman. Rodr. to. 2. q. 20. art. 16. qui consequenter idem sentiunt de quibuscunque similibus gratijs, vel facultatibus, quæ à Pontifice concedi solent.

XI. *Contraria sententia suadetur.*

Sed licèt hæc opinio pio zelo cogitata sit tanquã securior, & cautior, ne priuilegiati sumant occasionem peccandi, nihilominus videtur nimis rigorosa. Primò, quia quando Pontifices volunt cum illa limitatione facultatem concedere, expressè declarant, quod frequenter faciunt, præsertim in Bullis Compositionis propter damnum tertij: ergo quando non exprimunt, præsumendum potius est, noluisse illam addere præsertim in priuilegijs, quæ per se solùm ordinantur ad spiritualem reparationem, & medicinam subditorum. Vnde argumentor secundò, quia hæc facultas necessaria est etiam pro illis, qui ex beneficio priuilegij sumunt occasionem peccati: ergo ad benignitatem Principis, intendentis reparationem lapsi, pertinet tota illa amplitudo facultatis: ergo quando ipse eam non limitat, ita interpretanda est tanquam Principis beneficium. Tertiò, quia grauius est crimen hæresis, & præsertim cum lapsu, quàm peccatum aliud commissum etiam cum illa circunstantia fiduciæ priuilegiorum: ergo, si facultates extenduntur ad hæresim, cur non etiam ad illam prauam fiduciam? cùm non excipiatur. Et confirmatur, nam in aliquibus indultis fiunt aliquæ exceptiones particulares, & reliqua generaliter conceduntur: ergo nihil aliud excipere nobis licet. Et hanc sententiam tradidimus lib. 6. de voto cap. 13. n. 6. & sequutus est Sancius lib. 4. de voto c. 54. n. 18. Tenet item Sylueſt. verb. *Indulgentia*, q. 10. partic. 5. vbi contra Antoninum ait, illam limitationem solùm esse necessariam, si in indulto exprimatur: & Corduba fatetur, in rigore hoc ita esse.

XII. *Ad fund. aduersarium.*

Neque obstat, quòd Pontifex non intendat dare incentiuum peccandi: quia cùm hoc stat, quòd intendat, vt absoluatur etiam ille, qui talem occasionem sumpsit, quam ipse non dedit: sicut Deus, quando promittit omnium peccatorum veniam, non intendit dare incentiuum peccati, & nihilominus suam promissionem extendit etiam ad ea peccata, quæ ex fiducia in sua misericordia, & promissione fiunt: quia illud spectat ad perfectam misericordiam, quam exaltat hominum malitia, & quia alio modo non sufficiẽter esset prouisum fragilitati hominum. Ita ergo suo modo se gerit Pontifex in his indultis erga religiosos, quibus non esset alio modo sufficienter prouisum. Vnde etiam prædicti auctores fatentur, in casu particulari, ne nimia tristitia absorbeatur, qui sic peccauit, posse absolui per dictam facultatem. At certè, si facultas de se non haberet dictam amplitudinem, non posset quis in eo casu absolui simpliciter, sed cum onere comparendi: ergo, si pro illo, & similibus casibus creditur facultas concessa, veriùs dicitur absolutè, & simpliciter concessam esse, quanuis non omnibus hoc prædicandum sit, ne inde sumant occasionem peccandi. Igitur prædictæ limitationes hodie omnino sublatæ sunt.

XIII.

Tandẽ quæri potest de quadam extensione, quæ in his indultis addi solet, quia non solùm datur potestas absoluendi à censuris, sed etiam à pœnis, & interdum additur potestas absoluendi ab irregularitatibus, infamia, inhabilitate, &c. sed de illa generali particula *à pœna*, dicam ex professo infrà, tract. 10. lib. 9. cap. 2. à n. 20. explicando potestatem, quam habent confessarij Societatis ad absoluendos quoscunque fideles; vbi etiam ostendam, sub illis verbis non comprehendi irregularitatem, quę in pœnam delicti solet imponi. Quia verò ad id asserendum, vnum ex præcipuis fundamentis esse solet, quia irregularitas non absoluitur, sed dispensatur, quod etiam in materia de Censuris, & deirregularitate ostensum est, difficultatem in præsenti ingerunt illa indulta, quatenus dant potestatem absoluendi ab irregularitatibus: aut enim illud principium falsum est, aut illa verba includunt repugnantiam. Idemque dubium est de concessione absoluendi ab infamia, vel inhabilitatibus: nam hæ sunt etiam veluti irregularitates quædam, quæ non absoluuntur, sed dispensantur. Item, quia pœnæ perpetuæ non absoluuntur, aliàs extenderetur illa potestas ad absoluendum à depositione perpetua, vel degradatione, si fieret sine mortis pœna subsequuta, quod planè falsum est: sed hujusmodi inhabilitates de se sunt pœnæ perpetuæ, vel, si imponantur ad præfixum tempus, intra illud non absoluuntur, sed dispensantur: quæ est ergo hæc potestas absoluendi? Propter hanc fortè difficultatem solet hæc concessio ita explicari, vt per absolutionem ab irregularitate non intelligatur ablatio ipsius irregularitatis, sed absolutio à culpa, cui est annexa talis irregularitas. Potest enim absolutio sacramentalis à culpa dari, irregularitate manente, vt est communis doctrina, quam in tom. 4. & 5. 3. partis tractauimus: & videri etiam potest Cardinalis receptus in Clem. *Dudum.* de sepultur. q. 8. ergo etiam potest concedi potestas absoluendi à culpa, & non tollendi irregularitatem. ita exponit Collector Compendij Ciftercienſis, verb. *Absolutio*: sequitur Emman. Rodr. tom. 1. q. 20. art. 18.

Argumen prima contraria prouisioni concessæ.

Aliæ rationes huiusmodi sententiæ.

XIV.

Obijci verò potest, quia, iuxta hanc interpretationem, nulla facultas conceditur per hæc verba, *talium priuilegiorum.* Probatur primò, quia, quanuis culpa habeat irregularitatem annexam, non propterea absolutio peccati quoad culpam reseruata est, non solùm Summo Pontifici, verùm etiam neque Episcopo, vt tractaui tom. 4. in 3. p. disp. 28. sect. 3. ergo si per illa verba solùm conceditur absolutio à culpa, nihil conceditur, quia iure communi habebatur. Secundò, multùm repugnat proprietas verborum, quia absolutio à sola culpa reuera dici non potest absolutio ab irregularitate, cùm illam non tollat.

XV.

Ad hæc verò responderi potest, ex his, quæ subobscurè insinuat prædictus auctor, seu Collector absolutionem hanc ab irregularitate, non intelligi ab irregularitate iam contracta, sed de absolutione à delictis quibusdam, quæ producunt irregularitatem, si cum eis celebretur, quia secum afferunt suspensionem, vt sunt publicus concubinatus, & similia, iuxta doctrinam Nauarri cap. 25. n. 76. Sed hoc & gratis dicitur, quia verba indulti generalia sunt, & sine fundamento sic limitantur, & non soluit difficultatem; tum quia illa est maior improprietas verborum, quia non absoluitur quis à vinculo, quod nondum contraxit, nec necessariò est contracturus, si nolit: non enim dicetur sacerdos absolui ab irregularitate, quando ab excommunicatione absoluitur, eo quòd esset contracturus irregularitatem, si excommunicatus celebraret: ergo idem est in suspensione. Tum etiam, quia illa peccata non sunt reseruata ratione illius suspensionis, præsertim Summo Pontifici: vbi enim facta est talis reseruatio? imò neque inter peccata, quæ olim dicebantur ipso iure Episcopis reseruata, numerari solebant, vt patet ex dictis in illa sect. 3.

Tum

Tum denique, quia illa doctrina Nauarri, vt existimo, vera non est, vt alibi ostendi, quia illa suspensio non est vera censura, cùm ipse fateatur, per solam pœnitentiam tolli.

XVI. *Vera Auctoris resolutio.* Videtur ergo dicendum, ibi verbum absoluendi latiùs sumi pro verbo abolendi, seu tollendi, quæ verba abstrahunt à propria absolutione, & dispensatione: sicut enim sub potestate ligandi, & soluendi includitur potestas dispensandi, ita verbum absoluendi potest interdum sumi in illa generali significatione, quæ dispensationem includit. Verum quidem est iuxta ordinarium, & proprium vsum iuris canonici, non ita solere accipi verbum illud, & ideo vbi verba adiuncta non cogunt, propria significatio retinenda est, & hic est sensus illius principij, seu fundamenti, *irregularitas non absoluitur*, &c. quod alijs locis posuimus. Si autem adiuncta verba cogant ad intelligendum, verbum accipi in illa latiori significatione, non est adeò impropria, quin admitti possit. Eò vel maximè, quòd coniunctio illarum duarum vocum, *absolutio irregularitatis*, cogit nos, vt in alterutra illarum improprietatem, vel extensionem significationis admittamus: ergo eligenda est, quę minor fuerit; multò autem minor improprietas est in extensione verbi absoluendi ad dispensationem, quàm in acceptione vocis *irregularitatis* pro culpa, quæ irregularitatem produxit, aut producere potest. Præsertim, quia per priorem verbi interpretationem ampliatur priuilegium, quod fieri debet quando cum nulla, vel minori improprietate verborum fieri potest. Tandem in hismet priuilegijs statim subiungitur exceptio (vt ijdem auctores referunt) homicidij voluntarij, mutilationis, & bigamiæ: ergo signum est non esse sermonem de absolutione à culpa; quia nec bigamia est culpa, nec peccatum homicidij, aut mutilationis tale est, vt per hæc priuilegia absolui non possit. Et hactenus de materia huius potestatis.

CAPVT XXII.

In quibusnam Religionibus Prælatis sit dicta potestas absoluendi subditos ab omnibus censuris tam à iure, quàm ab homine.

I. CIrca secundum punctum de personis, quibus hæc potestas conceditur, quod etiam in fine capitis 20. proposuimus; primum omnium considerandæ sunt verba priuilegiorum: nam si in specie quædam nominantur, & non alia, illa solùm habebunt potestatem, quia priuilegia tantum valent, quantum sonant. Si autem generatim potestas conceditur Prælatis, vel Prælato, dicendum est dari Prælatis conuentualibus, & à fortiori omnibus vniuersalioribus. Ratio prioris partis est, quia illi sunt veri Prælati, vt suprà ostendimus, & concessio indefinita æquiualet vniuersali. Quod est manifestius quando loquutio est in plurali, nam cùm est sermo de Prælato in singulari, nonnihil dubitationis habere videtur. Nihilominus tamen restringi non potest ad vnum tantùm Prælatum supremum, tum quia potius nomine proprio Generalis, quàm communi nominaretur: tum etiam, quia regulariter hoc est contra communem vsum religionum, nam ipso iure censentur hæ facultates per ipsamet priuilegia communicata Prouincialibus, & ad vsum earum moraliter necessarium est. Quâtunuis ergo Prælatus in singulari nominetur, sub illa voce comprehenditur Generalis, & Prouincialis: ergo etiam Conuentualis Prælatus, quia nulla est ratio restringendi. Dices, alij habent magis propriè iurisdictionem Episcopalem. Respondeo, parum hoc referre: nam hic etiam habet eam iurisdictionem, quæ sufficit, vt sit verè & simpliciter Prælatus, vt hac ratione sub illa voce comprehendi possit, quæ indefinitè posita tantum valet, ac si diceretur, quicunque Prælatus. Aliunde verò actus absoluendi, propter quem datur hæc facultas, magis ordinatur ad internam salutem, quàm ad forense iudicium, ideoque meritò censetur concessa illa facultas proximo Prælato, qui curam gerit animarum subditorum. Vnde quando in iure committitur Prælato casus aliquis reseruatus Pontifici, Abbas specialiter nominatur, vt patet ex c. *cùm illorum*. cum similibus, de sent. excom. quia nimirum ille est veluti proprius pastor religiosorum; idem autem est de quocunque Prælato Conuentuali.

II. Nihilominus tamen (vt alteram partem probemus) non potest sub illa voce, etiam in singulari posita ita intelligi particularis Prælatus, vt excludantur vniuersales, tum propter rationem factam de infinita loquutione: tum maximè, quia illi sunt præcipuè Pastores, & magis propriè. Vnde sicut alibi in tomo de pœnit. diximus, nomine proprij sacerdotis ita in iure significari Parochum, vt non excludatur Episcopus, vel Pontifex; ita de nomine Prælati in præsenti dicendum est. Quapropter, etiamsi indulta solùm facerent mentionem Prælati Conuentualis, v.g. Prioris, vel Guardiani, aut Abbatis, non existimo excludi superiores Prælatos eorundem subditorum, propter rationem factam, & quia reuera hoc postulat debitus ordo, & verisimile non est Pontificem velle aliquid præter illum concedere.

III. *Limitatio prædicta partis, & eius explicatio.* Dico autem, *respectu eorundem subditorum*, quia interdum priuilegium conceditur in fauorem vnius tantum monasterij, & religiosorum, vel Prælati eius, vt sic, & tunc quanuis dicamus, non solùm Abbatem, vel Priorem localem, sed etiam Prouincialem, vel Generalem posse vti illo priuilegio: nihilominus non poterunt illo vti nisi circa religiosos illius monasterij, quia non conceditur illis vt Prouinciales, vel Generales sunt absolutè, sed vt sunt Prælati talis monasterij. Exemplum esse potest in multis priuilegijs concessis Abbati monasterij S. Benedicti Vallisoleti, quæ in Compendio etiam Mendicantium, & in nostro interdum referuntur, verbo *Absolutio*, & verbo *Dispensatio*: si tamen supponamus illa ipsi concedi vt Abbati illius monasterij, & non vt Generali sui ordinis, prout est in Castella, de quo mihi non satis constat, quia originales literas videre non potui. Addo etiam per alias Bullas, & indulta, quæ concedunt communicationem omnium priuilegiorum, factum iam esse, vt ferè nullum sit priuilegium vni domui, vel prouinciæ, aut nationi concessum, quibus non possint alij conuentus gaudere, vt constare potest in nostra Societate ex Bulla Pij V. *Dum indefessæ*. vbi communicationem priuilegiorum illi concedens, addit illa verba, *Tam in genere, quàm in specie, & tam communiter, & conuentualim, quàm particulariter, & diuisim, etiam per modum extensionis, seu communicationis, & aliàs quomodolibet quibusuis ordinibus fratrum, & sororum Mendicantium, quocunque nomine nuncupentur, illorumque congregationibus, conuentibus, & Capitulis, ac vtriusque sexus personis, ac illorum monasterijs, domibus, Ecclesijs*, &c. Et similia verba habet Gregorius XIII. in Bulla anni 1575. *Ad perpetuam rei memoriam*, addens extensionem ad omnes religiones, *Mendicantium* (inquit) *aliarumque religionum ordinibus, congregationibus, conuentibus, Capitulis, monasterijs, domibus, Ecclesijs*, &c. & multæ aliæ religiones habent similem communicationem, & ideo, vt dicebam, iam non multum refert, an priuilegium in principio fuerit vni monasterio, vel Abbati illius, aut toto ordini concessum.

Secundò

IV. Secundò dicendum est, ex vi talium priuilegiorum, in quibus Prælati nominantur, non posse inferiores ministros, vel confessores absoluere à prædictis casibus. Probatur, quia nulli alij sunt proprij Prælati, & priuilegium non extenditur vltra verborum proprietatem. Vnde fit ex vi horum priuilegiorum Vicarios ordinarios monasteriorũ, quocunque nomine appellentur, non posse hanc absolutionem dare ex vi talium priuilegiorum. Probatur, quia non sunt Prælati, vt suprà ostensum est.

Dubium trimembre circa assertionem.

V. Dubitari autem potest, an sit aliquod speciale priuilegium, per quod facultas concedatur Vicarijs, seu Subprioribus, &c. In hoc duo videntur certa inter auctores, & tertium incertum. Primum est, Vicarium illius domus, quæ non habet alium Prælatum conuentualem, vel quia mortuus est, vel tempus suum absoluit, vel certè, quia in tali domo non consueuit alius prouideri Prælatus, hunc, inquam, Vicarium gaudere his priuilegijs, quia, licèt non nomine, re ipsa Prælatus conuentualis est, vt suprà tetigimus: vnde ad hoc non est necessarium speciale priuilegium, sed suprà dicta verba sufficiunt. Secũdum est, huiusmodi Vicarium, vel Subpriorem ordinariè non habere hanc potestatem, dum scilicet proprius Prælatus suum monasteriũ præsens gubernet, propter conclusionem, & rationem adductam, & quia nullum inuenitur priuilegium, quod maiorem extensionem habeat, vt statim dicam.

Resolutio primi membri.

Resolutio secundi membri.

VI. De tertio verò puncto est nonnulla dubitatio, scilicet, quando monasterium habet propriũ Prælatum, ille autem absens est, an possit tunc Vicarius his facultatibus vti. Nam Collector priuilegiorum in Compendio Mendicantium, verb. *Absolutio quoad fratres*. §. 7. & 34. partem negantem indicat. Contrarium verò cum Veracruce, quem citat, & tenet Emmanuel Rodericus dict. qu. 20. art. 2. & 3. nimirum, quemcunque Vicarium Prioris conuentualis relictum ab ipso Priore pro tempore suæ absentiæ habere eandem auctoritatem. Fundatur in quodam priuilegio Clementis IV. quod ipse refert art. 1. ex li. Monumenta ordinum, vbi hoc videtur concedi *Generali, Prouincialibus, Prioribus conuentualibus, & eorum vicem gerentibus in eorum conuentibus, & locis sibi commissis.* Hæc verba refert dictus auctor art. 3. quæ si eodem tenore habentur in originali, planè conuincunt, nec possunt benè exponi de Vicario, qui Sede vacante loco Prælati substituitur: nam illa verba, *Eorum vicem gerentibus in eorum monasterijs*, non possunt commodè intelligi, nisi de monasterijs, vel prouincijs habentibus proprios Prælatos, qui dum absunt, alios relinquunt, qui vices suas gerunt. Et inde rectè sequitur Vicarium, vel Ministrum absente Prælato, seu Rectore, posse vti illis facultatibus, quia tunc vices Prælati gerit. Veruntamen idem auctor in art. 1. alio tenore refert illud priuilegium, scilicet, *Concessit Generali, & Prouincialibus ministris, & eorum Vicarijs, atque etiam Custodibus fratrum Minorum in Prouincijs, & Custodijs sibi commissis*, &c. In quibus verbis constat nec Prioribus conuentualibus, nec eorum Vicarijs factam esse illam concessionem, vt idem auctor fatetur. Imò, si tenor verborum seruetur, nec Vicarijs Custodum fit concessio, sed tantùm Vicarijs generalibus, vel Prouincialibus, fortasse propter maiorem illorum auctoritatem. Addit verò idem auctor in eodem art. 1. ex libro Monum. ordin. concessione 548. & concess. 432. priuilegium illud extensum fuisse ad Priores conuentuales in gratiam Prædicatorum, & Carmelitarum; de Vicarijs autem ibi nihil dicit: sed in art. 2. statim in principio ait; ex Mari magno Prædicatorum constare hæc priuilegia extẽdi ad Priores conuentuales; & eorum Vicarijs nihil tamen in particulari allegat, sed refert se ad articulum 1. D. autem Antoninus 1. p. tit. 19. cap. 2. priùs dicit, generalem Vicarium Magistri ordinis ex potestate sibi à priuilegijs tradita ita posse fratres absoluere ab omnibus peccatis, & censuris, sicut magistrum ipsum, & idem postea subdit de Vicario Prioris Prouincialis, & infrà inquit, *Item Vicarius Prioris conuentualis in suo conuentu potest omnes, ut supra de Vicario Magistri ordinis posita sunt*; addit verò exceptionem, quæ ad absolutionem non spectat; & subiungit, *Hæc, quæ dicta sunt de Vicario, habentur in diversis priuilegijs, & præcipue Bonifacij, Virtute.* Ex his autem Antonini verbis non possumus satis iudicium ferre, an loquatur de Vicarijs, qui Sede vacante constituuntur, vel in quacunque absentia loco Prælatorum relinquuntur, tamen dum alia restrictio non constiterit, possumus in ampliori sensu verba accipere, cum omnes ibi sint verè ac propriè Vicarij. *Antonini sententia.*

VII. Dicet aliquis eadem ratione extendendæ sunt hæ facultates ad Vicarios, etiam pro eo tempore, quo Prælati sunt præsentes, quia etiam tunc sunt verè ac propriè Vicarij. Respondetur negando sequelam, quia licèt in aliquibus religionibus ita appellentur, non tamen in eadem significatione, quia tunc non gerunt vices proprij muneris Prælatorum, quod in iurisdictione consistit, sed habent proprium ministerium cuiusdam domesticæ administrationis; in dictis autem indultis nomen Vicarij significat eum, qui vices gerit in iurisdictione, & Prælatione, imò his verbis aliquando explicatur, vt dicti auctores referunt: in religionibus autem, vbi Subprior Vicarius appellatur, voxilla significat idem ministerium, seu officium, quod in religionibus monachalibus nomine Prioris significari solet, & in Reg. S. Benedicti, c. 65. vocatur Præpositus monasterij. Quando ergo Abbas, Guardianus, &c. præsens adest, ille, qui Vicarius dicitur, non propriè vicem eius gerit, sed proprium ministerium exercet, & ideo tunc non gaudet dictis facultatibus: at verò quando Prælatus abest, iam vices illius gerit in proprio illius munere, & ideo iam est Vicarius, de quo loquuntur indulta. Vnde, vt omnis tollatur scrupulus, optimum consilium est, vt Prælatus, dum recedit, omnes potestates suas committat Vicario, & ne hoc pendeat ex memoria, vel voluntate singulorum, debet esse stabili lege, aut recepta consuetudine introductum. *Illam quo Prælati sunt præsentes, verè ac propriè Vicarij.* *Respondetur negando sequelam.* *Vicarius dicitur, non propriè vicem eius gerit.*

Secundum dubium.

VIII. Vt autem hoc magis declaretur, dubitari potest secundò, an hæ facultates delegabiles sint. Et ratio dubitandi est, quia non pertinent ad iurisdictionem primariam, sed ad delegatam in foro conscientiæ, quæ subdelegari non potest. Item, quia nemo potest priuilegium sibi personaliter concessum in alium transferre, hæc autem sunt priuilegia concessa talibus personis; ergo non possunt & alijs committi. Item, confessor Societatis, v. g. qui ex priuilegio habet potestatem absoluendi à casibus Papæ reseruatis, non potest hanc facultatem committere alij sacerdoti non habenti: ergo. Respondetur nihilominus posse Prælatos committere vices suas alijs, etiam in vsu harum facultatum, ita docent omnes, qui de his priuilegijs scribunt, & vsu ipso satis comprobatum est. Item in aliquibus indultis Pontificijs hoc expresè explicatur, vt in Bullis Societatis, Paulus III. in sua Bulla vltima expresè concedit Generali, *vt omnes gratias, concessiones, & indulta sibi concessa à Sede Apostolica, exercere possit per Vicarios, aut personas ad id sibi bene visas.* Quod etiam declarauit Gregor. XIII. in Bulla de vsu facultatum. *Dato dicto.* *Potest committere.* *Ita docent omnes.* *Indultis.*

tum. Idem concessit Sixtus IV. Prælatis Minorum in quodam indulto suprà relato, vt scilicet, per se, vel per alios possint hanc absolutionem præstare.

IX. *Altera aliorum suasio.*

Est etiam hoc cõsentaneum iuri communi, maximè supponendo, iurisdictionem Episcopalem ex iure communi, diuino, vel Ecclesiastico extendi quasi natura sua ad omnes hos casus, si non impediatur, vel limitetur ab aliquo superiore. Vnde fit (vt multi opinantur) vt quando Summus Pontifex casus sibi reseruatos Episcopo concedit, non censeatur iurisdictionem delegare, sed tantùm impedimentum, aut prohibitionem auferre, qua ablata, statim ex vi suæ ordinariæ iurisdictionis potest ab illis casibus absoluere. Sic ergo de Prælatis religionum ratiocinari possumus, habent enim iurisdictionem Episcopalem, & ideo in hoc æquiparantur Episcopis, vt ex vi suæ iurisdictionis possint quidquid eis non prohibetur, quod maximè verum habet in absolutione à censuris, iuxta doctrinam Panormitani in cap. *at si clerici. §. de adulterio.* de Judicijs, & aliorum ibi: ergo eadem ratione per hęc priuilegia non delegatur illis iurisdictio, sed solùm tollitur prohibitio, qua ablata, ex vi muneris, atque adeò per iurisdictionem ordinariam hæc omnia possunt.

X. *Dissentitur vna ex partibus dictæ suasionis.*

Quod fundamentum prout nititur in iure diuino, mihi probari non solet, quia in vniuersum censeo, iurisdictionem Episcoporum non esse immediatè à iure diuino, sed per Pontificem; maximè verò id censeo de potestate immutandi, vel tollendi præcepta, vel quæcunque vincula à Superiore posita: non enim video, quo iure diuino, naturali, vel positiuo habeat inferior potestatẽ ad destruendum, quod superior construxit: id enim nec in Euangelio scriptum, neque vlla traditione confirmatum reperio, neque enim necessariam illationem video, vt ex principijs reuelatis naturali discursu inferatur: quin potiùs nec rationi consentaneum videtur in illa generalitate sumptum, quia est contra debitam subordinationem inferioris ad superiorem. At verò limitatum illud fundamentum ad absolutionem à censuris, & fundatum non in iure diuino, sed in canonico, est satis probabile propter cap. *nuper.* de sent. excomm. in quo ponderanda sunt illa verba, *Quia conditor canonis absolutionem sibi specialiter non reseruauit, eo ipso concessisse videtur facultatem relaxandi*: per quæ satis significatur, illam facultatem non esse à iure diuino immediatè, sed ab auctore ipsiusmet censuræ, vt alibi in tomo de censuris. latiùs extendi.

Infirmatur vna ex probabilibus ex alia parte.

XI. *Confirmatur confirmatio dictæ suasionis.*

Ex hoc tamen videtur infirmari illatio facta, nam hæc concessio potest esse & ordinaria, & delegata: ergo ex vi illius iuris neutra colligi potest. Nec dubito, quin possit Papa concedere Episcopis suos casus reseruatos per modum delegationis tantùm, sicut in Concilio Tridentino multa eis committuntur vt Papæ delegatis, quæ aliàs possent ab eis fieri iure ordinario, secluſis priuilegijs, vel exemptionibus. Et multi valde probabiliter putant, commissionem ad absoluendum in casibus occultis factam Episcopis à Concilio Tridentino sess. 24. c. 6. de Reformat. fuisse specialem delegationem, & non restitutionem iurisdictionis ordinariæ Episcopalis, aliàs hodie casus illi occulti, essent Episcopales, & consequenter, qui haberet generale priuilegium absoluendi à casibus Episcopalibus, posset ab illis casibus absoluere, quod planè falsum est, & cõtra communem vsum, vt etiam sentiunt Henriquez lib. 3. de Pœnit. c. 15. §. 7. lit. P. & Emmanuel Rodriquez in expositione Bullæ, num. 135. & contra illa verba eiusdem Concilij, *Per seipsos aut Vicarium ad id specialiter deputandum*, quæ satis indicant illam iurisdictionem esse valde specialem, & non communem Episcopalem: imò etiam indicant esse delegatam, quia si esset ordinaria, eo ipso posset per Vicarium exerceri: quanquam hoc iudicium non conuincat, vt ex statim dicendis constabit.

XII. *Tertia & probatior suasio pro vera resolutione.*

Quidquid ergo sit, an illa sit dicenda concessio, vel restitutio ordinariæ iurisdictionis, vel solùm commissio iurisdictionis propriæ, nihilominus ex alio etiam principio satis probatur assertio posita, quia Commissarius ex priuilegio perpetuus potest alteri vices suas committere: quod esse communiter receptum à Doctoribus, ait Corduba in Summa Hispana, quæst. 8. ex Syluestro, verb. *Absolutio.* 4. num. 6. dub. 2. qui refert glossam in cap. vlt. de offic. Ordin. & fauet textus ille, vbi sic dicitur, *His, quibus ex officio in certis casibus competit illos absoluere, qui pro violenta manuum injectione incidunt in canonem sententiæ promulgatæ, licet alijs absolutionem huiusmodi committere cum viderint expedire.* Hæc autem potestas, quæ datur Prælatis per priuilegia perpetua, proprijssimè dicitur competere ex officio, quia ratione officij conuenit: nam priuilegium illud quoad hoc magis est reale, quàm personale, quia dignitati adhæret, & ratione illius competit personæ: ergo ex officio competit. Neque oportet, vt omninò conueniat ex officio tanquam iurisdictio ordinaria, nam particula, *in certis casibus*, quæ ibi additur, satis indicat sufficere, quòd ex priuilegio conueniat ratione dignitatis, vt rectè ibi glossa expendit, quæ subdit, idem esse in omnibus alijs communicationib. quòd illi, qui ordinario iure, vel delegato à Principe, possunt absoluere, possint etiam committere vices suas, vt viderint expedire, dummodo delegatio, vel commissio sit ratione officij, ac proinde per priuilegium perpetuum. Atque idem tenent ibi Panormitanus, Felinus, & alij in cap. vlt. de Offic. deleg.

XIII.

Atque ita responsum est ad rationem dubitandi in num. 8. positam: nam hæc iurisdictio vel ordinaria est, vel in hoc æquiparatur ordinariæ, quia ex officio ratione legis, seu perpetui priuilegij competit. Quando autem Prælatus committit vices suas alteri quoad hanc absolutionem, non transfert priuilegium in illum, propriè loquendo, sed vtitur ministerio eius ad suum priuilegium exequẽdum, quod valde diuersum est. Vnde ille Commissarius non potest alteri vices suas committere, quia non tam iurisdictio, quàm nudum ministerium ei commissum est, iuxta caput vltimum §. vltimo de offic. delegat. atque ita procedit exemplum eodem numero octauo de simili potestate absoluendi cõmissa confessori religioso, qui illam committere non potest, quia nudum ministerium ei commissum est. Aduertendum est tamen pro nostra Societate, &, si quæ est alia religio, quæ hunc modum obseruet, quòd in ea omnis hæc potestas censetur concessa Generali, iuxta Bullas Pontificum, vt infrà videbimus tractatu 10. libro 9. capite secundo à numero secundo, & per illum conceditur Prælatis inferioribus, vt constat etiam ex Compendio priuilegiorum eiusdem Societatis. Nihilominus tamen & Prouinciales, & Rectores, seu Præpositi locales possunt alijs committere vices suas, vel delegare hanc potestatem quotiescunque in concessione sibi facta non fit expressa restrictio, vel prohibitio, vt per se, & non per alios absoluere in aliquo casu possint, quia eo ipso, quòd talis restrictio non ponitur, censetur eis concessa potestas eo modo, quo per indultum conceditur, seu eo modo, quo iuxta commune ius administrari potest facultas, quæ ratione officij Prælato competit.

* * *

Tertium dubium.

XIV. Hinc verò nascitur tertium dubium, an possint superiores Prælati restringere hanc facultatem inferioribus, scilicet Generalis Prouincialib., & Prouincialis Prælatis Conuentualibus. Oportet autem loqui præcisè stando in virtute dictorum priuilegiorum, nam vbi est speciale indultum declarans, vel concedens hanc potestatem, vt est in Societate, sublata est quæstio. De alijs ergo videtur res dubia, quia cùm Pontifex immediatè, & quasi ex æquo concedat hanc potestatem omnibus his Prælatis, licèt aliàs sint subordinati in iurisdictione ordinaria, & in ea possit Superior restringere iurisdictionem inferioris, vt suprà dictum est, tamen in hac commissione videntur æquales, & ideo non posse in vno eorum ab altero restringi. Nihilominus etiam in hac potestate probabilius censeo, posse restringi à superioribus Prælatis respectu inferiorum quandiu expresè hoc non prohibetur in ipso indulto. Ratio est, quia Papa concedens priuilegium in fauorem religionis, censetur conferre iuxta debitum ordinem, & magis consentaneum ipsi religioni, quandiu aliud expresè non declarat, sed debitus ordo religionis postulat, vt inferiores Prælati pendeant à superioribus: ergo credendum est hanc esse voluntatem Pontificis concedentis talia priuilegia, atque ita tunc non dici potest inferior auferre facultatem à superiore cõcessam, quia non creditur simpliciter concessa, sed cum hac subordinatione.

XV. Sed fortasse hæc coniectura alicui non satisfaciet, quia priuilegia absolutè loquuntur, & potius sunt extendenda. Item, quia, cum hi casus iam sint extra iurisdictionem ordinariam Prælatorum, & sint proprij ipsius Pontificis, potest ipse æqualiter illos concedere sine illa subordinatione, quæ in re tam fauorabili ad remedium subditorum non videtur necessaria. Nihilominus illa mihi videtur moralis coniectura satis probabilis, quam aliter ita explicare possumus: quia Pontifex concedendo has facultates, non aufert ab his Prælatis potestatem reseruandi sibi casus, quia hoc expedit ad disciplinam religiosam; sed expedire potest, vt ex his casibus Pontificijs aliqui sint reseruati Prouinciali, vel Generali: ergo credendum est ita concedi hanc facultatem Prælatis religionis, vt semper maneat in maiori Prælato ius reseruandi sibi casum, quem expedire iudicauerit. Quod maximè locum habet iuxta opinionem asserentem, per hæc priuilegia solum auferri prohibitionem, & remitatim reduci ad commune ius: nam stando in iure communi, licèt aliqua censura Pontificia non esset ab ipso Pontifice reseruata, posset Generalis, vel Prouincialis religionis eam sibi reseruare: ergo post hæc priuilegia possunt etiam id facere, quia per priuilegia solum constituuntur in terminis iuris communis, & quãtus Papa auferat suam prohibitionem, non tollit ius Prouincialis, vel Generalis, vt possit id prohibere, si religioni fuerit expediens. Præterea, sustinendo, vt videtur verius, per hæc priuilegia non tantum auferri prohibitionem, sed etiam concedi positiuam facultatem, & iurisdictionem: Nihilominus vnaquæque religio cum approbatione Sedis Apostolicæ habere solet auctoritatem distribuendi has facultates prout sibi iudicauerit expedire: ergo potest vnaquæque religio statuere, vt quædam ex his facultatibus sint reseruatæ Generali, aliæ Prouincialibus, &c. nec dubito, quin factum teneat propter præsumptam, vt dixi, voluntatem Pontificum, qui religionibus ipsis & propter maius earum bonum has facultates concedunt. Denique tota ipsa religio potest cedere iuri suo, & non obstante priuilegio sibi concesso, pro singulis Prælatis, aliqua eorundem priuilegiorum pro maioribus Prælatis reseruare. Dices, esto possit hoc fieri à Capitulo generali, vel Prouinciali, non tamen à singulis Prælatis maioribus. Respondeo, hoc pendere ex modo gubernationis vniuscuiusque religionis: nam earum Prælati habent potestatem à Capitulis, à quibus eliguntur, & ideo si ab eis fuerit concessa etiam ad hunc actum, poterunt illa vti, non verò alijs. Addo tamen vltimò, nunc stando circa hoc esse nouo decreto Clementis VIII. circa reseruationes regularium: nam quælibet restrictio harum facultatum ad absoluendum à casibus reseruatis Papæ, re vera est noua reseruatio in tali religione facta, & ideo circa illam decretum Clementis seruandum est. Ex quo duo colligo; vnum est, non posse fieri nisi in generali, vel Prouinciali Capitulo respectiuè, iuxta formam in eodem decreto præscriptam: aliud est, à Capitulo posse fieri, nam Pontifex hanc generalem facultatem præbet huiusmodi Capitulo ad reseruandum quoscunque alios casus, vltra designatos ab ipsomet Pontifice: & mirum profectò esset, quòd posset religio reseruare casus minus graues, & non aliquem ex grauioribus reseruatis Papæ.

Quartum dubium.

Hinc porrò emergit quartum dubium, an scilicet omnia peccata, quæ in iure, vel in Bulla Cœnæ, aut alijs, sunt reseruata Summo Pontifici, censenda sint reseruata in quacunque religione, non obstantibus prædictis priuilegijs; & consequenter, an Prælatus concedens alicui religioso absolutam potestatem audiendi confessiones suorum subditorum, censeatur illi concedere has facultates, seu hos casus: nam, si reseruati non sunt in tali religione, comprehendentur sub generali facultate; non videntur autem reseruari, quia Summus Pontifex per illa priuilegia abstulit reseruationem, & religio aliam non addidit, vt supponimus. Vnde Clemens VIII. in suis casibus reseruatis regularium non facit horum mentionem, nec singulæ religiones in suis proprijs reseruationibus, vt de Societate nobis constat, & de alijs suprà tetigimus. XVI. Fides ex priuilegio. Reservatio. Non censentur reservati.

Nihilominus respondetur, hos casus non solum esse reseruatos, sed etiam altiori, & strictiori modo quàm sint particulares casus religionum. Declaratur, nam Pontifex nunquam simpliciter abstulit suam reseruationem ab his casibus, etiam respectu religiosorum, sed solum eorum absolutionem religiosorum Prælatis commisit, quod longè diuersum est: nam si ablata fuisset simpliciter reseruatio respectu talium personarum, absolui possent ab illa censura à quocunque proprio confessiore, iuxta cap. *super* de sent. excom. quod tamen falsum est, vt ex primo, & secundo dubio constat. Vnde eo ipso quòd Pontifex hanc potestatem concesserit solis Prælatis, & eorum vices gerentibus, voluit absolutionem hanc esse illis reseruatam. Hæc autem reseruatio non fundatur in potestate, & voluntate ipsius religionis, sed manat ex voluntate ipsius Sedis Apostolicæ, quæ prius talem reseruationem abiolutè fecit, & postea circa illam maiorem potestatem non concessit, neque amplius (vt sic dicam) illam remisit: & ideo dixi hanc reseruationem altiorem esse, quàm sint propriæ reseruationes vniuscuiusque religionis. Et ideo fortasse hi casus Pontificij non numerantur inter particulares reseruationes religionum, quia sunt alterius ordinis, & supponuntur tanquam omnibus communes. XVII. Casus reservati. XVIII. Casus non comprehendi sub gene-

Ex quo infertur, hos casus non comprehendi sub gene-

Conclusium ex prosumarejolutione.

generali delegatione, vel commissione facta à Prælato religionis ad absoluendum à peccatis, vel censuris, iuxta regulam textus in cap. 2. de Pœnitent. & remiss. in 6. Quin potiùs licèt superior concedat facultatem ad absoluendum à peccatis reseruatis in religione, non videtur concedere facultatem ad absoluendum ab his casibus Pontificijs, quia habent reseruationem longè alterius rationis, vt dixi, & ideo habent specialitatem sufficientem, vt sub illa generalitate non comprehendantur. Item, quia circa peccata reseruata in religione habet Prælatus ordinariam iurisdictionem, quam per illa verba delegare videtur: circa hos autem casus Pontificios habet solùm iurisdictionem ex peculiari commissione Pontificis, quæ difficilius, & maiori cum consideratione committi alteri debet, ideoque sub illa generalitate non comprehenditur. Quod maximè verum censeo de casibus Cœnæ Domini, & inter eos lapsus in hæresim, propter eorum specialem, vel specialissimam grauitatem, & reseruationem. Ideoque prudenter in Compendio Societatis licèt absolutio à casibus Cœnæ respectu subditorum committatur superioribus cum facultate delegandi, nihilominus lapsus in hæresim soli Generali reseruatur, ita vt nec Prouinciales possint absoluere, nisi sub onere comparendi. Et alibi etiam diximus, ipsummet Pontificem committendo casus suos, non censeri committere casus Cœnæ, nisi exprimat; & committendo casus Cœnæ, non committere absolutionem ab hæresi, nisi in specie id declaret: ergo idem dicendum est de Commissario Pontificis. Vnde Episcopus, v.g. committens alicui casus suos, non videtur committere absolutionem, v.g. à censura canonis *si quis suadente*, pro illis casibus, in quibus ipsi in iure committitur, quia illi non sunt propriè casus Episcopales, vt alibi diximus. Vt ergo Prælatus religionis censeatur committere hos casus Pontificios, oportet, vt vel in specie eos exprimat iuxta vniuscuiusque exigentiam, vel, si, vt atur generalibus verbis, quòd talia sint, vt omnem tollant ambiguitatem: vt si dicat, v.g. concedere omnes facultates suas, vel quantum per priuilegia potest, aut quid simile. In quo etiam obseruare oportet, vt distinctè explicetur an concedatur potestas absoluendi à culpis, vel etiam à censuris: nam hæc duo diuersa sunt. Verum est, in casibus Pontificijs ita esse coniuncta, vt vno concesso, alterum concessum esse intelligatur. Videantur dicta in 4. tomo disp. 30. sect. 2.

Tomo de parnit.

CAPVT XXIII.

An non solum in religionis Prælatis, sed etiam in Episcopis sit prædicta potestas ad absoluendum religiosos.

I. Priuilegia religiosorum, regularium non habent Episcopi hanc potestatem.

IN hac quæstione in primis certum est non conuenire Episcopis hanc potestatem ex vi priuilegiorum ipsorum regularium, cùm in eis nulla de Episcopis fiat mentio, sed potiùs ab eorum iurisdictione eximantur. Loquimur enim de exemptis, nam circa regulares sibi subiectos clarum est posse Episcopos quidquid in hoc genere possunt iure cõmuni, & si quid ampliùs per priuilegia Pontificia aliis religiosis fuerit concessum respectu suorum Prælatorum, nam Episcopi sunt proprij illorum Prælati, quod munus non habent respectu exemptorum. Solum ergo habere potest locum dubitatio posita in duobus, vel tribus casibus: primò in nonnullis casibus, in quibus iure communi scripto seu canonico possunt Episcopi absoluere à casibus aliàs Pontifici reseruatis, vt à leuiori læsione clerici, cap. *Monachi*, & cap. *cùm illorum*. de sentent. excommunicat. Secundum est de aliquo casu necessitatis, in quo propter difficilem recursum ad Pontificem censetur tacito iure, & recepta consuetudine, facta commissio Episcopo, quæ necessitas potest interdum in religioso exempto occurrere. Tertium est de Prælato religionis, qui non potest absoluere seipsum, neque habet alium à quo possit commodè absolui; nec debet esse peioris conditionis: poterit ergo ab Episcopo absolui.

Triplex casus in quo Episcopi absoluere possunt.

II. Quorũdam placitum in 1. casu & eorum fundam.

Circa primum casum quidam putant quòd licèt religiosus exemptus possit in illis casibus absolui à suo Prælato; nihilominus posse etiam absolui ab Episcopis, si velit: quia licèt Pontifex concesserit illam potestatem Prælatis religionis, non abstulit Episcopis: ergo liberum est religiosis, si velint eis subijci quoad hanc absolutionem. Nec videtur obstare exemptio, quia hæc videtur esse à iurisdictione coacta, non à voluntaria. Item videtur esse in his, quæ spectant ad grauamen, non in his, quæ ad fauorem; est autem maior fauor religiosi quòd à pluribus Prælatis possit absolui. Atque ita opinati sunt Fredericus de Senis consil. 14. & Ioannes de Lignano in Clemen. *Ne in agro*, de statu regularium, & alij, quos Syluester citat. Contrariam sententiam tenet Abbas in cap. *Monachi*. de sentent. excommunicat. numero 4. vbi refert Ioannem Andream, & seipsum in alijs locis; quos sequitur Syluester verb. *Absolutio*. 5. num. 2. Fundamentum est, quia religiosus exemptus non tantùm eximitur à iurisdictione fori contentiosi, sed etiam à iurisdictione fori pœnitentialis: nam hac ratione non potest confiteri Episcopo sine licentia sui Prælati, vt suprà visum est: ergo in neutro foro potest Episcopus absoluere religiosum, quantumuis ipse se illis subijciat. Et confirmatur, quia exemptiones priuilegij non in fauorem priuatum religiosi, sed in fauorem totius religionis concessum est, & in fauorem etiam Prælatorum eius: ergo nullus religiosus potest in hoc cedere iuri suo, nec sibi iudicem constituere extra Prælatos suos, iuxta cap. *significasti*. de foro compet. Atque hæc sententia planè videtur in rigore iuris vera, & per se loquendo, ac suppositis religiosorum priuilegijs omninò seruanda.

Contrarium verum.

Eius fund.

III. Quomodo posset procedere prima placitum.

Dico autem suppositis priuilegijs, quia si Prælati religiosorum non haberent potestatem absoluendi suos subditos ab aliquo casu reseruato Papæ, & aliàs concesso Episcopis, in eo casu probabilem censerem primam sententiam. Exemplum esse poterat in facultate absoluendi à casibus occultis concessa Episcopis in Concilio Tridentino: nam si illa non fuisset extensa ad Prælatos religionum, possent, vt opinor, religiosi absolui ab Episcopis, quia non debent esse deterioris conditionis: & rationabiliter interpretamur non esse exemptos, nisi in his, in quibus subduntur iurisdictioni suorum Prælatorum. Si enim in foro exteriori non possent de aliquo delicto iudicari à suis Prælatis, profectò eo ipso non censerentur in illa causa exempti à iurisdictione Episcoporum, quia non debent sine ordinario iudice relinqui. Potestque hoc non improbabiliter colligi ex capite *si Papa*, de priuilegijs in sexto: ergo idem cum proportione in absolutione à censuris locum habet. At verò nunc, quia tota iurisdictio Episcoporum ad absoluendum à censuris, etiam eis iure commissa circa Pontificios casus, commissa est Prælatis regularibus per priuilegia perpetua, non possunt religiosi, per se loquendo, in talibus casibus ab Episcopis absolui, quia prorsus exempti sunt, & quia Prælati religionum meritò possunt respectu suorum subditorum sibi tales casus reseruare, quia illis iudicium eorum commissum est, & in fauorem ipsorum, vt planè significauit Pius V. in Motu proprio, quo Prælatis

Fauet ei ius.

Prædicatorum concessit facultatem illam Concilij Tridentini, cùm ait, *Nec Prior conuentualis, & superiores Prælati dicti ordinis in hac parte deterioris conditionis existant.* Nec fundamentum contrariæ sententiæ tunc habet vim, quia sufficienter prouisum est religiosis, & illa maior licentia licèt videatur fauor priuatæ personæ, non tamen religionis; & fortasse etiam respectu priuatorum non esset fauor in ordine ad eorum spiritualem profectum: nam inde fortasse sumerent licentiam peccandi.

Ad fund. in num. 2.

IV. *2. Casus.*

Circa secundum casum necessitatis, in quo religiosus non potest adire Prælatum suum, potest autem conuenire Episcopum, Syluester suprà numero 3. affirmat cum Panormitano, in eo casu posse religiosum absolui ab Episcopo ex æquitate, licèt non possit de rigore iuris. Per æquitatem autem intelligit epijcheiam, vt Panormitanus expressè declarat. Itaque intelligunt ex vi legis, & exemptionis in rigore sumptæ non posse; ex quadam tamen interpretatione voluntate Pontificis posse, ne religiosus in eo casu sit deterioris conditionis, quàm seculares, quod videtur esse contra intentionem eximentis. Sed difficile mihi est in materia iurisdictionis, & in lege irritante actum huiusmodi epijcheiam admittere extra casum extremæ necessitatis; hæc autem materia iurisdictionis est, sine qua non potest Episcopus absoluere religiosum: lex etiam, quæ vetat exercere iurisdictionem circa personam exemptam, est irritans actum, vt constat ex iuribus citatis, & ex capite *frater.* 16. quæstione prima: ergo extra casum extremæ necessitatis, id est, periculi mortis, non possumus hanc licentiam Episcopo dare. Dicit enim Concilium Tridentinum sessione 14. capite 7. loquens de casibus reseruatis, extra illum articulum inferiores sacerdotes nihil posse: vocatur autem inferior sacerdos respectiuè omnis ille, qui est inferior comparatione reseruantis, & ab illo non habet commissam facultatem; ita verò se habet Episcopus in eo casu respectu religiosi exempti, quia & est inferior Papa reseruante, & ab illo non habet commissionem ordinariam, vt supponimus: ergo, nec ex interpretatione possumus illam admittere, nisi in periculo mortis, iuxta doctrinam Concilij. Aliàs pari ratione possemus dicere, posse nunc Episcopum absoluere in simili casu clericum sibi non subditum solum, quia habet difficilem recursum ad suum Prælatum; quod planè videtur falsum, quia illa difficultas non præbet alteri iurisdictionem. Similiter etiam posset Episcopus absoluere religiosum in casu, in quo recursum habet ad suum Prælatum, & illi iniustè negat absolutionem: quod etiam non videtur admittendum, quia iniustitia vnius Prælati, vt capite 19. numero 21. diximus, non dat alteri iurisdictionem, quando subordinati non sunt. Alioqui aperiretur via, vt in similibus casibus religiosi quasi appellent à suis Prælatis ad Episcopos, quod magnum incommodum est, & contra intentionem eximentis.

Impugnatur quod casum necessitatis nõ extrema.

V. *Vera huius casus decisio.*

Dico igitur, non videri necessariam hanc interpretationem ad fauorem religiosorum, sed per generales, & communes regulas casuum reseruatorum posse illis sufficienter subueniri absque vlla epijcheia, quæ admittenda non est, nisi vbi manifesta necessitas vrget; hic autem nulla erit necessitas, si aliter potest sufficienter subueniri necessitati religiosi. Quòd autem possit, declaro ex generali principio in iure fundato, quod posui in 4. tomo tertiæ partis, disputatione 30. sectione 3. scilicet, in casibus Pontificijs, quoties non patet aditus ad Summum Pontificem, vel Commissarium eius, nisi cum magna difficultate, & mora, tunc posse peccatorem absolui ab inferiori sacerdote cum onere comparendi coram Pontifice, vel habente iurisdictionem ab illo circa tales casus respectu talis personæ. Hoc ergo principium censeo in præsenti esse applicandum. Quando enim religiosus non habet facilem aditum ad suum Prælatum, absolui quidem poterit ab alio, non tamen ita vt maneat omninò liber à reseruatione, sed vt absoluatur cum onere comparendi coram Summo Pontifice, aut coram suo Prælato, qui respectu sui vices illius gerit. Hoc enim satis est ad subueniendum necessitati religiosi, & aliunde seruatur rigor reseruationis, & debita subiectio ad Prælatum. In eo autem casu non est necessarium, vt religiosus recurrat ad Episcopum, quia à quolibet sacerdote, à quo potest absolui à culpis mortalibus, poterit pro tunc absolui à tali censura, quia non absoluitur simpliciter, sed cum onere comparendi; sicut posset ex sententia omnium absolui, quando etiam ad Episcopum esset difficilis accessus; idem autem est quanuis sit facilis, quia ad absoluendum cum illo onere non habet maiorem facultatem Episcopus respectu personæ sibi non subditæ, quàm ordinarius confessor. Et ex hac parte hic modus absolutionis cedit in maiorem fauorem religiosi, quia faciliùs absolui poterit, & ita meliùs poterit onus comparendi tolerare, præsertim quia nullum est ius, quo possimus illum eximere à tali onere, quòd secum affert reseruatio, quando potestas absoluendi solùm datur occasione talis difficultatis, vel necessitatis.

VI. *Confirmatur.*

Tandem confirmatur hoc, & declaratur, quia Prælatus regularis, quando mittit subditum ad peregrinandum, potest illi dare facultatem eligendi confessorem, à quo possit absolui etiam à casibus Papæ reseruatis sub onere comparendi coram se. Tunc ergo, si talis religiosus incidat in censuram canonis *si quis suadente*, in eo loco, vbi non potest recurrere ad Prælatum absentem, non potest recurrere ad Episcopum, vt ab eo simpliciter absoluatur sine onere comparendi coram suo Prælato, quia tunc iam habet sufficientem iudicem, seu confessorem à suo Prælato designatum, nec est recurrendum ad iurisdictionem interpretatiuam, vbi expressa, & sufficiens haberi potest: at verò quanuis Prælatus expressè non declaret illam voluntatem, ex ipso communi iure satis explicatur. Relinquitur ergo solùm Prælatum regularem habere hanc iurisdictionem in religiosos exemptos sub Pontifice Summo, nisi in casu extremæ necessitatis, in quo nulla est reseruatio.

VII. *Quæ difficultas magis pertinet ad caput sequens de his, qui per hanc potestatem absolui possunt.*

In tertia autem interrogatione, seu casu petitur, quid dicendum sit de ipso Prælato religionis. Quæ difficultas magis pertinet ad caput sequens de his, qui per hanc potestatem absolui possunt. Nam certum est, absolutionem Prælati religiosi in his casibus non pertinere ad Episcopum, tum quia non minus est exemptus, quàm reliqui, tum etiam, quia non minùs potest absolui per priuilegia religionis, quia non debet esse deterioris conditionis cùm sit principale membrum eius, & priuilegia generaliter pro omnibus dentur. Igitur, iuxta communem vsum præcisè loquamur, potestas absoluendi ab huiusmodi censuris Prælatum conuentualem, est apud Prouincialem, & respectu Prouincialis apud Generalem, nam vnusquisque solùm pendet à suo proximo Prælato, & quando priuilegia concedunt hanc facultatem Prælatis, intelligenda sunt respectiuè, scilicet, illis Prælatis, vel illi Prælato, quos, vel quem vnusquisque religiosus habuerint: Generalis verò, quia intra religionem non habet superiorem Prælatum, sed solùm generale Capitulum, absolui potest

terit ab illo confessore, cui Capitulum suas vices commiserit.

VIII. *De modis amittendi tam ordinarii habendi hanc potestatem ergà Prælatos.*

Quòd si Capitulum ipsum nihil circa hoc obliguerit, eo ipso poterit Generalis eligere confessorem cum omni potestate, quam priuilegia concedunt: quia non superest alius modus, quo possit ipse Generalis passiuè frui huiusmodi priuilegijs, quibus priuari non debet. Estque ille modus consentaneus iuri communi in cap. vlt. de Pœnitent. & remiss. Quin potiùs in multis religionibus obseruari intelligo, vt etiam Prouinciales, & Conuentuales Prælati eodem modo sibi eligant confessores cum omnibus facultatibus, quas ipsi possunt suis subditis communicare. Quod fieri potest, vel quia in ipsa religione ita specialiter, & positiuè (vt sic dicam) ordinatum est, quod sine dubio fieri potest, vel etiam consuetudine recipi, aut certè quia contrarium ordinatum non est; quod censeo etiam sufficiens. Quia ex priuilegio dicti capitis vlt. de pœnitent. & remiss. hi Prælati possunt sibi eligere confessorem *præter licentiam suorum Superiorum*, vt dixi in 4. tom. disput. 27. sect. 2. dub. 5. & nunc in confirmationem eorum, quæ ibi dixi, expendo illam particulam, *præter suorum Superiorum licentiam*: non enim dicit, contra eorum ordinationem, aut voluntatem, sed solùm præter, id est, absque eorum licentia, & quando illi non prouident alio modo de ordinario confessore; qui est casus, de quo loquimur. Deinde confessor sic electus, eo ipso habet circa talem Prælatum omnes facultates Pœnitentiarias, siue hoc sit, quia ab ipsomet communicantur, sicut Papa eligendo confessorem dat illi iurisdictionem in seipsum, siue (quod verius existimo) quia virtute priuilegiorum immediatè ei conferuntur, eo quod vices gerit superioris Prælati in eo munere.

IX. *Quid vbi aut tantum sint sacerdotes Prælatus & subditus, ambo excommunicati.*

Hic verò occurrere potest casus, in quo in religioso conuentu tantùm sint Prælatus, & alius sacerdos, & ambos incurrisse in censuram reseruatam Pontifici: vt, v. g. per mutuam rixam in censuram canonis *si quis suadente*. quomodo possint absolui; quia tunc nec Prælatus potest absoluere subditum, cùm ipse sit excommunicatus, neque etiam potest illum eligere in confessorem, quia similiter ligatus est: quid ergo in eo articulo facient? Quidam vt Emmanuel Rodriquez tom. 1. quæst. 20. ar. 12. citans Ioannem Fabianum verb. *Absolutio*. 2. §. 6. & alij, respondent, ob necessitatem posse tunc mutuò absoluere: quia necessitas caret lege. Item, quia excommunicatus potest in casu necessitatis absolui à peccatis: ergo & à censuris. Quòd si in praxi sequenda esset hæc sententia, deberet Prælatus prius absoluere subditum, & iam ille absolutus, esset idoneus minister ad absoluendum Prælatum.

X. *Limitanda declaratio sententiæ ad casum nostrum.*

Indiget tamen, vt opinor, illa sententia magna declaratione, & limitatione. Et inprimis, si neuter illorum est nominatim excommunicatus, vel si censura fuit canonis *si quis suadente*. & delictum est occultum, videtur Prælatus posse absoluere subditum, quia nondum est omninò priuatus iurisdictione, & communicatione cùm illo saltem in bonum subditi. Dices, hoc haberet locum, si subditus non esset etiam excommunicatus; quia verò excommunicatus supponitur, non videtur posse vti fauore Extrauag. *Ad euitanda*. Respondeo, etiam licèt subditus excommunicatus sit, Prælatus non est iurisdictione priuatus in suos subditos, quantum est ex se: licet autem talis subditus excommunicatus sit, non peccat petendo à Prælato absolutionem, quia illa communicatio cùm sit ordinata ad bonum animæ, & ad se liberandum à censura, non est prohibita ex vi suæ excommunicationis; neque etiam propter Prælati excommunicationem prohibetur ratione Extrauag. *Ad euitanda*, &

ideo in eo casu non dubito, quin, seruato hoc ordine, licitè petatur, & detur absolutio.

XI. *Quando cùm sus est publicus neuter in alterum habet potestatem.*

Vrgendo tamen casum, ita vt delictum sit publicum, cessat hoc remedium, & tunc non censeo statim esse dandam licentiam Prælato absoluendi subditum, vel è contra, cùm hoc sit contra rationem factam, & contra iura, argument. cap. *audiuimus*. 24. quæst. 1. & cap. *prudentiam*. §. 6. de offic. deleg. & cap. *duobus*. de sentent. excommunicat. per argumentum à contrario; ibi enim dicitur, duos habentes facultatem sese inuicem absoluendi, si ambo in excommunicationem minorem incidant, non priuari dicta potestate, nec vsu eius, vt rectè glossa exponit. quia excommunicatio minor priuat receptione Sacramentorum, non vsu iurisdictionis: ergo de excommunicatione maiori contrarium tacitè exponit, quia hæc priuat vsu iurisdictionis: & ita sentiunt ibi glossa, & Doctores. Quapropter in eo casu Prælatus extra religionem debet eligere alium sacerdotem habilem, vt ab eo absoluatur, & postea ipse absolutus poterit absoluere subditum. Dico autem, Prælatum debere hoc facere, quia subditus non habet hanc facultatem; neque ipse Prælatus dum excommunicatus est, potest illam concedere, vt alibi dixi. *Quo remedio tunc sit vtendum.*

XII. *Instantia contrà remedium diluitur.*

Dices, ergo nec ipse potest eligere sibi confessorem. Respondetur, negando consequentiam: quia dare licentiam subdito, vt eligat confessorem, est actus iurisdictionis, cuius vsu priuatus est excommunicatus; eligere autem confessorem non est vsus iurisdictionis, sed cuiusdam priuilegij, quo non priuatur excommunicatus. Dices, cum Prælatus eligit confessorem, committit illi iurisdictionem suam, vt illa circa se vtatur; ille autem videtur esse actus iurisdictionis. Respondeo, non ipse committit, sed Pontifex, vel superior Prælatus virtute priuilegiorum, vt supra in fine numero 8. dictum est. Sed instabit aliquis, fingendo casum, in quo non sit copia alterius sacerdotis secularis, vel alterius religionis, qui eligi possit. Respondeo, in eo casu ita se habere quemlibet illorum ac si esset solus, & non haberet copiam confessoris, extra casum articuli mortis, quia excommunicatus vitandus extra hunc articulum non habet vsum iurisdictionis; in illo autem articulo possunt se inuicem absoluere à peccatis, & ratione illorum etiam à censuris, vt in 4. tomo generaliter dictum est. *Replica vetatur.* *Vltima instantia huius casus publici.*

CAPVT XXIV.

Ad quas personas absoluendas extendantur hæc priuilegia.

I. *Assert. pro professis, & similibus.*

HOc est tertium punctum superiùs in fine capitis 20. propositum. In quo inprimis certum est, talia priuilegia posse habere effectum circa omnes professos talis religionis, quia pro illis maximè conceduntur hæc priuilegia. Quia verò priuilegia hæc concedi solent sub his verbis, vt Prælati possint absoluere subditos suos, oriebatur dubium de ipsis Prælatis. Sed hoc iam expeditum est in fine capitis proximè præcedentis; nam illi etiam sunt subditi vel superioribus Prælatis, vel saltem ipsi religioni. Oriebatur deinde dubium speciale de scholaribus, & Coadiutoribus Societatis, qui non sunt professi. Sed nullam habet rationem dubitandi, tum quia sunt veri religiosi, & regulares, sub quibus vocibus solent hæc priuilegia concedi: tum etiam, quia eorum incorporatio, & vota sub nomine professionis comprehenduntur, præsertim in fauorabilibus, vt infrà tractatu 10. libr. 3. cap. 5. ostendam. Tum denique, quia Pius V. & alij Pontifices expressè illis communicant hæc priuilegia.

II. *2. Assertio pro peregrinis. In lib. Monum. Ordinum, conceff. 318. & 319. sic.*

Secundò dicendum est, hanc facultatem extendi non tantùm ad proprios religiosos subditos, sed etiam ad hospites, seu peregrinos, qui iure hospitij possunt ab eis sacramentaliter absolui. Probatur primò ex ipsis priuilegijs: sæpè enim expressè nominant hospites, nam Clemens IV. in priuilegio citato inquit, *Nec non fratribus aliis eiusdem ordinis interdum ad eos declinantibus vndecunque.* Alia verò priuilegia indefinitè loquuntur de suis monachis, aut religiosis, vnde conuenienter intelliguntur de illis, qui ab vnoquoque Prælato sacramentaliter absolui possunt, quia hæc priuilegia, vt dicemus, ad forum conscientiæ præcipuè ordinantur. Et licèt aliqua priuilegia loquantur de subditis, rectè etiam exponuntur de subditis in foro conscientiæ secundùm præsentem statum. Secundò probatur ex quadam declaratione Cardinalium ad cap. *Ineat.* sess. 24. Concilij Tridentini, quæ habet, forenses dum versantur in aliquo Episcopatu, posse absolui à casibus occultis ab Episcopo loci per facultatem ibi concessam: ergo similiter religiosus hospes absolui poterit per facultates religionis à Prælato illius loci, in quo tanquam hospes degit, ibi enim se habet tanquam forensis, & militat in eo eadem ratio.

III. *Peregrinus absolutio, non dispensatio danda.*

Est autem notanda differentia, quæ ibi assignatur, inter dispensationem, & absolutionem: nam de dispensatione dicitur, non posse dari homini forensi ab Episcopo loci per illam facultatem Concilij, sed petendam esse à proprio Episcopo; absolutio autem dicitur posse dari ab Episcopo loci. Et ratio insinuatur, quia absolutio solùm conceditur in ordine ad forum sacramentale, & ideo sicut sacramentum Pœnitentiæ ministrandum est in præsentia pœnitentis, ita & hæc absolutio per se loquendo danda est ab Episcopo præsente; ideoque Episcopo loci commissa censetur; dispensatio autem postulari potest ab Episcopo absente, & ideo semper reseruatur proprio Prælato, & Episcopo. Iuxta quam doctrinam in proposito etiam obseruandum erit, quia in multis eorum & dispensandi, & absoluendi facultas committitur, absolutionem semper extendi ad hospites, non verò dispensationem, nisi in ipso priuilegio expressè contineatur, vt est in dicto priuilegio Clementis IV. nam immediatè post citata verba subdit, *Absolutionem, vel dispensationem indigentibus.* Secluſa autem expressa concessione, est illa doctrina valde probabilis, tum propter auctoritatem Congregationis, eiusque rationem: tum etiam, quia absolutio à censura conceditur hospitibus, quia est necessaria ad absolutionem à culpa, quæ differenda non est, *ne propter dilationem pœnitentiæ, periculum immineat animarum,* vt dicitur in cap. vlt. de pœnit. & remiss. dispensatio autem non est necessaria ad ministerium pœnitentiæ, nec ad salutem animæ, vnde differri potest, & reditus ad Prælatum expectari, vel ab absente postulari.

IV. *Latius ex declaratione Card. in dubio.*

Vnum verò aliud insinuatur in illa doctrina, quod, si verum est, satis singulare est, scilicet, per facultatem absoluendi à censuris, concessam tantùm in foro pœnitentiæ, (qualis est illa Concilij Tridentini) non posse absolutionem etiam à censura dari absenti, quia debet dari in sacramento Pœnitentiæ, vnde ibi expressè exponitur, Concilium loqui de absolutione sacramentali. Sed hoc receptum non est, quia videtur nimia restrictio priuilegij, & facultatis sine cogente ratione. Vnde multi putant, posse Episcopum ex vi Concilij per seipsum absoluere à censura hæresis occultæ monialem, vel aliam impeditam personam absentem, quia nec facultatem potest delegare, vt Concilium indicat, quanuis Corduba in Summ. Hispan. quæstione 8. & alij aliter exponant; nec cogendus est Episcopus ad pœnitentem impeditum accedere, vt illum absoluat, nam data absolutione à censura, tollitur reseruatio culpæ, & ita poterit à quocunque legitimo confessore absolui. Sed quid in hoc sentiendum sit pro re, de qua agimus, inferiùs explicabimus. vide interim Nauarrum consil. 15. de sentent. excommunicat. iuxta primam impressionem. Emmanuel Rodriquez tom. 1. quæst. 20. articulo 11. in fine. Gutierez in Practicis quæstio. cap. 13. num. 28.

Dico tertiò: Hæc potestas absoluendi extenditur etiam ad nouitios, qui virtute dictorum priuilegiorum possunt absolui. ita habetur expressè in multis priuilegijs citatis, in quibus etiam explicatur, vt possint absolui ab omnibus peccatis ante, vel post ingressum commissis, & ab omnibus Ecclesiasticis, & secularibus sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine latis, vt refertur ex priuilegio Sixti IV. in Compendio Societatis, verb. *Absolutio.* §. 6. ex monumentis Minorum, & idem habetur in citato priuilegio Clementis IV. & in alijs. Est autem aduertendum, in eis non tantum concedi hanc facultatem pro nouitijs, qui iam habitum susceperunt, sed etiam pro his, qui ingredi volunt: quod etiam Paulus III. concesserit Societati in Bulla vltima, qui addit limitationem, quæ est. demverbis in antiquis priuilegijs continentur, scilicet, *Volentes ingredi Societatem, seu religionem: ipsi vero ingrediantur, eo ipso in pristinas sententias, à quibus absoluti fuerint, reincidant, etiamsi sui et hoc inducia ex aperta religionis concedantur.* Aliqui verò exponunt, vt qui vult ingredi priusquam recipiantur. Vnde hæc absolutio videtur concessa quasi præparatio ad ipsum ingressum, seu receptionem habitus. Ex prædicta verò limitatione constat, si quis postulet ingredi sine animo ingrediendi, solùm vt absoluatur, absolutionem esse nullam: imò nisi habeat animum ingrediendi, & profitendi, saltem bona fide ingrediendo ad probandum cum animo profitendi, si iusta causa ad illum mutandum non occurrat. Vnde in illo priuilegio Societatis expressè dicit Paulus III. *Reincidunt in pristinas sententias, nisi mox ingredi, & peractis experientiis secundum Constitutiones Societatis vota emittere parati sint*: ergo qui non habet hunc animum, & bonam fidem, non consequitur absolutionem. Et idem est proportionaliter in alijs religionibus, nam eadem ferè verba in priuilegijs Mendicantium habentur.

V. *3. Assertio pro tertia parte.*

Sed quid, si quis sic absolutus bona fide suscipiat habitum religionis cum animo profitendi, postea non profiteatur absque culpa sua, quia vel à religione ejicitur, vel ex iusta causa egreditur, nunquid reincidet in priores censuras? Communiter auctores affirmatiuè respondent, & non afferunt aliud priuilegium, nisi vel Clementis IV. & Pauli III. Sed ex illis obscurè colligitur, nam Clemens solùm ait, *Nisi mox ordinem intrauerint.* & Paulus ferè similia habet verba. Quæ inelligenda vi- dentur de primo ingressu ad nouitiatum, nam de illo erat sermo suprà, vbi dicitur, *Volunt ingredi: ingrediantur*: ergo qui semel ingressus est bona fide, & animo profitendi secundùm ius, tam impleunt con-

ditionem

ditionem requisitam: ergo licèt postea egrediatur, præsertim licitè, non reincidet: nulla est enim ratio extendendi illud verbum, *Nisi intrauerint*, ad introitum per professionem, quia talis expositio nec cõsonat superioribus verbis, nec rigor ipsius verbi ad illam cogit, cùm de se sit indifferens; nec priuilegiũ coarctandum est, sed extendendum. Præsertim cũ sit valde consentaneum rationi, vt qui absolutus fuit in ordine ad insignem actum ingrediendi religionem, & illum bona fide expleuit, non priuetur postea illo beneficio, & quod facultate sibi à iure concessa legitimè vtatur, dimittendo religionem. Et confirmatur, nam ille esset quidam modus cogendi nouitium ad profitendum, saltem timore reincidendi in censuras, quam coactionem iura valde abhorrent, præsertim Concilium Tridentinum sess. 25. de Regularib. c. 15. & sequentibus. Quapropter probabile reputo, hanc absolutionem datam nouitio, qui bona fide in religione versatur cum animo profitendi, non esse ad reincidentiam, sed omnino absolutam, ac permanentem, datam verò ei, qui vult ingredi antequam nouitius sit, esse ad reincidentiam, si cum effectu non ingrediatur, aut ingressus nimium differatur: si autem cum effectu ingrediatur, omninò firmetur absolutio, ita vt licèt casu postea non profiteatur, non reincidat. Hæc omnia videntur satis probari coniecturis adductis, & maximè patebunt si attentè legatur Pauli III. indultum. Priùs enim concedit facultatem absoluendi *omnes & singulos Societatis socios, & personas sub eorum obedientia, disciplina, & correctione pro tempore degentes.* Sub quibus verbis clarum est nouitios comprehendi; & de horum absolutione nulla cõditio ponitur: postea verò solùm ponitur conditio circa eos, qui ingredi volunt, & eo titulo absoluuntur, priùs nimirum quam ad aliquid recipiantur.

Extende eo quando, vel post ingressum sua voluntate reuertantur.

VII. *Reuertentes priusquã absoluti fuerint, absolui non possunt.*

Quia verò hæc nostra sententia incerta est, alia via potuerunt hæ personæ certiùs liberari à periculo reincidendi, si nimirum non absoluantur titulo huius priuilegij, sed absolutè vt seculares per facultatem, quam ibi concedit idem Paulus III. religiosis Societatis ad absoluendum quoscunque fideles à quibuscunque censuris, &c. extra Bullam Cœnæ, quod priuilegium infrà tract. 10. lib. 9. c. 2. declarabimus. Verum est quidem absolutionem sic datam, etiam ante receptionem habitus, esse omninò absolutam, & sine periculo reincidentiæ, quia non datur titulo religionis, sed ficut dari potest cuicunque seculari. Est tamen magna differentia inter has facultates, & absolutiones: nam hæc, quæ communis est omnibus secularibus, non extenditur ad casus Cœnæ, alia verò, quę datur titulo religionis, extenditur ad omnes ferè casus Pontificios iuxta ea quæ diximus c. 21. n. 1. & sequentib. Item est alia differentia, quia facultas pro secularibus solùm est ad absolutionem, alia verò extenditur ad dispensationem in aliquibus irregularitatibus.

Vtrum vna facultas pro vno seculari nõ extendatur ad absolutionem omnium.

Differentia inter facultatem absoluendi & dispensandi.

VIII. *Differentia inter priuilegia absoluendi & dispensandi.*

Præter hæc autem sunt alia priuilegia, per quæ possunt nouitij absolutè, & sine vlla conditione absolui à censuris reseruatis, vt est illud Eugenij IV. & Cælestini V. quod refertur in Compendio Cisterciensis, verb. *Absolutio.* §. 1. vbi datur facultas Generali reformatori regularis obseruantiæ *absoluendi monachos, & nouitios*, & postea extenditur etiam ad dispensationem in irregularitatibus, & nulla conditio ad reincidendum apponitur, possuntque per viam communicationis aliæ religiones ea facultate vti, perillam tamen semel tantum in vita potest dari hæc absolutio. Dubito verò an illa extendatur ad casus Cœnæ. Domini, quia non fit illorum propria, & specifica mentio, sed verba generalia sunt hæc, *Ab omnibus qualitercunque enormibus peccatis*; & infrà, *a quibuslibet excommunicationis*, &c. Verum est, particulã illam, *qualitercunque enormibus*, multum augere præcedentem distributionem, *ab omnibus*: ergo, vt aliquid addat, necessarium videtur vt extendat facultatem ad casus Cœnæ. Quæ ponderatio esset efficax apud me si præcessisset particula, *ab omnibus reseruatis*; nunc verò non ita est, sed dicitur, *ab omnibus qualitercunque enormibus*, & ideo dici potest in sola distributione *ab omnibus*, non includi reseruata; per aliam verò particulam extendi ad reseruata tantùm generaliter, & ideo non oportere vt extendantur verba ad casus Cœnæ. Sed contra hoc instо, & expendo particulam *qualitercunque*. Nam ad illam extensionẽ generalem de casibus Papæ reseruatis sufficeret dicere, *ab omnibus etiam enormibus*: dum ergo additur, *qualitercunque enormibus*, maior ampliatio significata est: ergo fit ad casus Cœnæ, saltẽ in generali (vt specialitatem hæresis excludam) quia non est alia ampliatio, propter quam illa particula poni potuerit. Et potest confirmari à simili exglossa in Clemen. 1. de Reiudic. verbo *quauis*, quam commendat Panormit. 1. p. consil. vlt. n. 5. & ad hanc partem confirmãdam videtur adduci ab Emmanuele tom. 1. q. 20. a. 4. vbi licet non loquatur expresè de casibus Cœnę, dicit tamen illud priuilegium extẽdi ad casus quomodolibet reseruatos Papæ: est ergo hæc extensio satis probabilis. Non tamen videtur illa ponderatio sufficiens, vt vere possimus dicere, in hoc indulto esse expresè comprehensos casus Cœnæ, & ideo quoad hanc partem videri potest reuocatum per Bullam Cœnæ, nisi eam reuocationem impediat speciale indultum Gregorij Societati concessum, de quo suprà c. 21. num. 8. in fine dictum est. Veruntamen etiam absque illo existimo non esse reuocatã illam facultatem, quia illa est sufficiens expresio, præsertim si alia verba eiusdem indulti ponderentur.

IX. *Vltimum priuilegium pro iisdem nouitiis.*

Vltimò addo, etiam videri concessam sufficientẽ facultatem absoluendi nouitios absolutè & sine reincidentia per priuilegium Benedictinorum, quod sub his ferè verbis refertur in Compendio Societatis, verb. *Absolutio.* §. 10. *Possunt prælati absoluere omnes, qui in Societate* (seu in tali religione) *proposuerunt perpetuum Deo reddere famulatum, à quibuscunque peccatis*, &c. Expendo enim non dicere *qui promiserunt*, sed *proposuerunt*, & ideo verisimile est extendi ad nouitios, qui eo animo in religione versantur, qui licèt postea non perseuerent, absoluti manebunt, quia ibi nulla limitatio, nec conditio adiungitur. Intelligo tamen necessarium esse, vt illi iam sint aliquo modo in religione, saltem per susceptum habitum, nec sufficere illud propositum, si extra religionem habeatur, quia verba indulti diriguntur ad eos, qui in religione iam sunt.

X. *Quarta facultas pro donatis.*

Dico quartò, priuilegia hæc etiam extẽdi ad donatos, seu oblatos religioni. ita habetur expresè in priuilegio concesso Cistercien sibus ad obseruandũ semel in vita, de quo proximè in numer. 8. loquuti sumus, vbi cum monachis, & nouitiis expresè numerantur donati, & commissi: sub quibus vocibus comprehenduntur omnes illi qui conuersi appellantur, licèt professi non sint, nec tria vota substantialia emittant, dummodo religioni donati, seu dicati sint cum aliqua firmitate, & obligatione, siue per obedientiæ votum, siue per aliud genus promissionis, & pacti: nam omnes hi dicuntur propriè donati, aut oblati, vt in 5. tom. dixi, explicando canonem *si quis suadente*. Quia verò hæc extensio ad donatos in aliis priuilegiis non fit, sed semper est sermo de monachis, fratribus, aut religiosis, ideo assertio hæc non est vniuersaliter intelligenda de omnibus gratiis, & facultatibus, quas explicuimus; sed solùm de illis, in quibus talium personarũ expressa mentio facta fuerit. Nam hi reuera non sunt monachi, nec religiosi; & quamuis interdum late sumpto vocabulo soleant hæ personæ nomine

Prima obseruatio pro assertione.

regularium, aut monachorum comprehendi, præsertim in dispositione fauorabili, iuxta doctrinam Panorm. & aliorum in rubrica de Regularibus: nihilominus in his priuilegiis comprehendi non debent, nisi exprimantur, tum quia ex communi vsu constat hanc esse intentionem Pontificum, & ideo vbi volunt plus concedere, id exprimunt: tum etiã, quia licèt priuilegia cõtineant fauorem, sunt iuxta proprietatem verborum intelligenda, vbi iura ipsa illa non extendunt. Hoc autem intelligimus de illis conuersis, qui tria vota substantialia non emittũt, nam de illis, qui hæc profitentur, non est dubium quin sub illis priuilegiis comprehendantur, etiamsi monachorum tantùm mentionem faciant, quia licèt monachus interdum strictè dicatur vt distinguitur à conuerso, tamen in generali significatione satis propriè significat quemcũque religiosum fratrem. Aduerto vlteriùs si priuilegium vtatur aliis verbis generalibus, quæ in rigore non requirant illa vota, extendi posse ad huiusmodi donatos. Talia videntur esse verba illa suprà num. 9. citata ex priuilegio Benedictinorum, *Omnes, qui in tali religione proposuerunt perpetuo Deo reddere famulatum*: nam hi donati verè, & propriè dici possunt proposuisse, imo & promisisse perpetuò in tali religione Deo reddere famulatum. Idem videtur dicendum de his verbis, *Omnes, qui sub obedientia talis religionis viuunt*: nam hoc etiã de his personis in proprietate dicitur, quia vel votum obedientiæ emittunt, vel certè promissionem, aut pactum illi perpetuò seruiẽdi: quod satis est, vt dicantur sub obedientia talis religionis viuere. Semper tamen consulenda sunt alia verba ipsius priuilegij, vt ex tenore illius verus sensus colligatur: ad quod etiam multum conferre potest religionis consuetudo.

Secunda observatio.

Tertia assertio.

XI. *An laici seruientes gaudeant etiam dictis priuilegiis.*

Sed quid de aliis laicis seruientibus religioni? Respondeo. De his nihil speciale inuenio, quod attinet ad religiones virorum, præter ea, quæ de administratione sacramẽtorum respectu talium personarum dicam infrà, tract. 10. lib. 9. c. 2. tractando de ministerio Societatis erga pœnitentes. De seruitricibus autem monialium nonnulla tradit Emanuel Rodriquez tom. 1. q. 20. a. 24. quæ in eo videri possunt.

XII. Vltimò circa hanc absolutionem explicandum supereſt, quomodo dãda sit. Et in primis quæri potest, an danda sit solùm in foro sacramentali quod iterum occurret tract. 10. lib. 9. cap. 2. n. 24. Et ratio dubij est, quia in his priuilegiis sæpè dicitur, vt hæc absolutio detur in foro conscientiæ tantùm. Responderi potest, per hæc verba non significari modum dandi absolutionem, sed effectum eius: quæ duo valde diuersa sunt: potest enim absolutio à cẽsura dari per se, & extra sacramentum Pœnitentiæ, & nihilominus non habere effectum quoad externum forum, sed solùm quoad obligationem in cõscientia. Et ita exponunt illa verba moderni Doctores, & reuera in rigore non videntur aliud postulare. Sed difficultatem mihi ingerit quædam declaratio Cardinalium, quam suprà retuli n. 4. Nam cùm Concil. Trident. sess. 24. c. 6. tribuat Episcopis facultatem absoluendi in casibus occultis sedi Apostolicæ reseruatis, & addat illa verba, *In foro conscientiæ impositâ pœnitentia salutari*. Inde colligunt Cardinales, Concilium loqui de absolutione sacramẽtali in foro conscientiæ: ergo pari ratione idem dicendum est de quolibet indulto per similia verba concesso. Verum est tamen, illud non affirmari in responsione directa, quæ in ea declaratione datur, ad dubium directè propositum; sed incidenter in quadam ratione, quæ non semper est efficax, aut necessaria etiã in decretis. Nihilominus distinctione vti possumus: nam hæc facultas interdum conceditur solùm ad absoluendum à peccatis reseruatis in foro conscientiæ, nulla facta mentione cẽsurarum, & tunc verisimilius est per se concedi potestatem ad absoluendum à culpis, à censuris vero consequenter ratione culparum, & ideo tunc censuras non posse tolli nisi in ipso vsu sacramẽti, & in ordine ad absolutionem sacramentalem: & in hunc modum loquitur Concilium Trid. illo loco, & in hoc videtur fundata dicta expositio. At verò sæpè conceditur hæc facultas directè ad absoluendum à censuris, vel à peccatis, & censuris, & tunc directè conceditur absolutio censurarum, & ideo non limitatur ad sacramentalem absolutionem: quia quando potestas alicui conceditur directè, censetur iuxta modum & naturam suam concedi; & ideo extra Sacramentum exerceri potest, cùm per se, & natura sua illud non requirat. Sed quid si indultum dicat, *in foro conscientiæ, & pœnitentiali*? Quidam putant per hæc verba fieri maiorem restrictionem, ita vt facultas sic data etiam directè ad censuras tollẽdas, restringatur ad forum sacramentale. Dico tamen illa verba vel esse æquiualentia, vel solùm addi ad magis explicandum finem & modum huius absolutionis. Quamuis enim censura extra Sacramentum absolui possit in foro conscientiæ, nihilominus simul esse debet forum illud aliquo modo pœnitentiale, quia absolui non debet nisi qui pœnitentiam oẽtẽdat, & ad satisfaciendum paratus sit, & ideo in huiusmodi indultis addi soler, *Salutari pœnitentia iniũcta, & satisfacta parte*. De quibus particulis quid operentur, & an valor absolutionis ex illarum executione pendeat: item, an satisfacta parte, possit hæc absolutio extendi, & valere etiam quoad forum externum, dicemus infrà tract. vltimo lib. 9. c. 2. tractãdo de priuilegiis religiosorum Societatis ad absoluendos quoscunque fideles, nam doctrina illa omnibus generalis est. Hæc autem omnia, quæ diximus præcipuè pertinent ad absolutionem à censuris à iure latis, in quibus semper comprehendimus latas generaliter ab homine, vt in quinta assert. capitis 20. posuimus, vel quia ex generali consuetudine iam æquiparantur quoad effectus, & quoad absolutionem, vel quia in prædictis indultis exprimitur, vt constat, & statim etiam dicam.

CAPVT XXV.

An superiores religionum possint per sua priuilegia absoluere subditos etiam à censuris specialibus ab homine.

DIcendum verò supereſt de excommunicatione ab homine speciali, an per hæc indulta tolli possit. Quidam enim moderni affirmant per hæc priuilegia concessum esse absoluere religiosos à censuris lata ab homine in particulari contra talem religiosum. ita Emmanuel dict. q. 20. art. 4. non tamen affert expressum de hoc priuilegium, sed nonnulla inducit. Primum est, illud Clementis IV. suprà citatum cap. præced. in quo facultas hæc extenditur etiam ad casus Bullæ Cœnæ, paucis exceptis, iuxta aliam declarationem Sixti IV. suprà etiam allegatam in cap. 21. num. 1. Vnde sic colligitur, qui concedit maius, concedit etiam & minus, in regula, *Qui iur.* de regulis iuris, in 6. ergo qui concedit facultatem à casibus Cœnæ, quæ maior est, cõcedit etiam quãcunque censuram ab homine quomodocunque latam. Similis collectio fit ex verbis illis Martini V. in priuilegio Benedictinis concesso, *etiamsi talia forent, propter quæ esset sedis Apostolicæ consulenda, vel quæ sibi Pontifex reseruare consueuit*; item ex illis Eugenij IV. in priuilegio Cistercien sibus concesso, *ab omnibus etiam qualitercunque enormibus*. Nam ex his, & similibus verbis potest idem argumentum fieri à con-

cessione

cessione maioris facultatis ad concessionem minoris. Secundò adducit priuilegium Gregorij XIII. concessum Generali ordinis Ministrorum infirmorum, vt possit per se, vel alios, absoluere subditos à quibusuis censuris à iure, vel ab homine (*non tamen nominatim*) quomodolibet latis, refert verò Cassarubius in Addit. ad Compendium Mendicantium, verb. *Solutio quoad fratres.* integram Bullam huius priuilegij. Fit autem vis in exceptione illa, *non tamen nominatim*: nam hæc exceptio firmat regulam in omnibus aliis: ergo extenditur illa facultas etiam ad sententias particulares ab homine, dummodo persona non sit nominatim excommunicata. Tertiò addere possumus, quòd in illo indulto Eugenij IV. generaliter, & sine restrictione dicitur, *ab omnibus censuris, & sententiis à iure, vel ab homine, in genere, vel in specie, promulgatis, vel promulgandis.*

II. Nihilominus contraria sententia suaderi potest, retorquendo hæc eadem argumenta. Primum quidem, quia Clemens IV. in dicto priuilegio expressè dicit, *à iure vel à iudice generaliter promulgatis*: ergo non est verisimile alia eius generalia verba extendi ad sententias etiã particulares, cùm illa expressa limitatio ad illas excludendas posita sit. Vnde argumẽtum illud à maiori facultate ad minorem in potestatibus non ordinariis, nec subordinatis (de quibus regula iuris intelligenda est) parum efficax esse, suprà ostendimus. Huiusmodi autem sunt hæ potestates, non proueniunt enim ab extrinseco ex vi proprij muneris, sed per voluntariam Pontificis concessionem, & quasi delegationem, & inter se subordinatæ non sunt: ergo ex concessione maioris non rectè alia infertur. Maximè, quia quotidie videmus per Iubilæa, vel alia indulta Pontificia cõcedi casus reseruatos Papæ, etiam Bullæ Cœnæ, & non concedi censuras ab homine particulariter latas, quia licèt in his non sit maior grauitas quoad culpam, & censuram, tamen in earum absolutione concedenda est maior difficultas propter peculiare ius illius iudicis, qui tulit sententiam, & ne perturbetur ordo iudicialis. Et ideo parum probant alia generalia verba de concessionibus casuum reseruatorum Pontifici, vel quantumcunque enormiũ, quia in eis vel est sermo de censuris à iure, vel ad summum per sententiam generalem.

III. Secũdò illa particula, *nominatim*, posita in indulto Gregorij XIII. videtur potiùs excipere huiusmodi sententias particulares: excommunicatio enim, v. g. tunc fertur particulariter in aliquẽ, quando fertur nominatim in eum; neque apparet quomodo sententia possit esse particularis ex parte personæ, (sic enim loquimur) nisi in illam nominatim feratur. Dico autem, ex parte personæ, quia posset ferri sententia excommunicationis pro dilecto speciali, v. g. furto, generaliter tamen in eum, qui illud commisit, & post trinam admonitionem satisfacere noluit, quia occultus est: tunc enim licèt in reipsa excommunicatio feratur in personam, vel personas particulares, quia particulare factum à particularibus personis necessariò extitit: nihilominus ex forma sententiæ generaliter fertur in personas incertas, & de huiusmodi sententia rectè probatur ex vi illius priuilegij, & aliorum, vt dicemus, comprehẽdi sub hac facultate. Non tamẽ id probatur de sententia particulari, id est, quæ directè fertur in particularem personam. In quo etiam est considerandum, aliud esse excommunicationẽ esse latam nominatim in aliquem, aliud verò illũ declarari nominatim excommunicatũ. Nam potest primũ stare sine secundo; declaratio enim non facit censurã, sed supponit, vt alibi dictum est: igitur in illo priuilegio non tantùm excipitur censura, quam declaratio nominatim facta subsequuta est, sed omnis illa, quæ nondum declarata est: sic enim ibi dicitur, vel ab homine, (non tamen nominatim) quomodolibet latis. Sic autem excommunicatio nominatim lata, & excommunicatio per sententiam particularem idem sunt: ergo.

Tertiò, sub generali clausula, *vt est regula iuris*, non IV.
comprehenduntur specialia, quæ in particulari cõcedi non consueuerunt, præsertim vbi peculiaris difficultas, vel iniuria tertij intercedit; sed huiusmodi est facultas absoluendi à particulari censura ab homine lata, vt cõstat tum ex vsu, tum ex ratione facta, quia cepit aliquo modo in iniuriam iudicis: ergo talis facultas non cõprehenditur sub clausulis generalibus, specialis autem concessio non inuenitur: ergo negandum est esse concessam. Et ideo non satis colligitur ex alio indulto Eugenij IV. & Celestini V. nam omnia illa verba generalia sunt. Licet enim in eis dicatur, *à iure vel ab homine*, & infrà addatur, *in genere, vel in specie promulgatis*, non satis determinantur verba ad sententias particulares ab homine, nam illa particula, *vel in specie*, non videtur referri ad personam, in quam specialiter fertur censura, sed ad speciem censuræ, vel pœnæ: aliquando enim fertur censura sub nomine generali, vt suspẽsionis, v. g. aliquando sub nomine speciali, vt suspẽsionis ab officio, vel beneficio. Potest etiam illud verbum referri ad speciem delicti commissi, vt suprà declarauimus.

Nihilominus censeo per priuilegia religionum V.
absolui posse religiosos, & nouitios, seu ingredientes religionem ab omnibus censuris latis, etiam ab homine per sententiam specialem. Hoc suadet satis probabiliter priuilegium proximè tractatum: nam verba illa, *Vel in specie promulgatis*, reuera habẽt vim, & difficilè distrahuntur ad alios sensus, nam sentẽtia specialis distinguitur à generali; dicitur autem generalis sententia, quæ non fertur in determinatã personam, & propriè dicitur illa, quæ nec ratione delicti determinatur ad auctorem eius: ergo specialis dicitur ratione determinatæ personæ in quam fertur. Et licet verum sit, posse dici specialem eam, quæ fertur in auctorem singularis delicti commissi, licèt incognitum, non est tamen cur ad illam solã verba illa limitentur, cum magis propriè sit specialis quæ fertur in personam nominatam, & verba priuilegij absoluta sunt. Præterea persuadet omninò, vt opinor, hanc sententiam indultum Pauli III. Societati concessum, & sub his verbis conceptum, *à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis, & secularibus sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quomodolibet latis, & promulgatis.* Expendo enim illud aduerbium *quomodolibet*; si enim absolutè dixisset ab homine, posset per argumentum suprà factum restringi ad sententiam generalem; cum verò additur, *quomodolibet*, non habet locum restrictio: nã solùm ad hoc addi potuit, vt talis restrictio tolleretur. Vnde infero, doctrinã hanc procedere etiamsi quis nominatim denunciatus sit, quia Pontifex non fuit contentus dicere, *quomodolibet latis*, sed addit etiam, *promulgatis*: denũciatio autem excommunicationis latæ nihil aliud est quam promulgatio talis sententiæ; at sententia quomodolibet promulgata, per hanc potestatem remitti potest: ergo etiamsi nominatim denunciatus sit. Et ideo in Compendio Societatis, verb. *Absolutio*. §. 6. vbi de hac facultate fit mentio, simpliciter dicitur, *vel ab homine latis*, sine vlla restrictione, vel declaratione; in quo significatur, nullam esse necessariam. Sed de hoc priuilegio iterum in tract. 10. lib. 9. c. 2. n. 22.

Dices. Ergo si contingat religiosum excommuni- VI.
cari ab Episcopo in casu aliquo sibi commisso poterit nihilominus à suo prælato absolui, imò etiamsi excommunicatus sit à legato, vel iudice aliquo Aposto-

Apostolico. Item licèt sit excommunicatus à suo Generali, vel Prouinciali, poterit absolui à Guardiano, vel Priore. Quæ omnia videntur absurda, quia sunt contra debitum ordinem, & regimen, & in iniuriam iudicis ferentis sentẽtiam. Sequela autem patet, quia verbâ illa, *quomodolibet ab homine*, tã generalia sunt, vt omnia hæc comprehendant. Imò in illo priuilegio additur exceptio, nisi casus sint adeò graues, & enormes, vt meritò censeatur Sedes Apostolica consulenda, & declaratur huiusmodi esse solùm illa quatuor à Sixto IV. excepta suprà cap. 21. num. 1. allata: ergo hæc exceptio firmat regulam quoad omnes alias sententias à iure, vel ab homine quomodolibet latis: ergo comprehenduntur omnes casus suprà numerati. Quin potiùs nisi illi comprehenderentur, non posset hæc facultas exerceri circa religiosos quoad sententias particulares in eos latas postquam religiosi sunt. Consequens est absurdum: ergo. consequentia patet, quia in illo statu iam constituti excommunicari non possunt, nisi vel à suis prælatis, vel ex speciali commissione, & potestate Apostolica. Minor probatur. quia licèt in fauorem religionis concedatur hoc priuilegium pro his, qui volunt ingredi, non tamen pro solis illis, sed maximè pro iam professis, seu religioni per vota coniunctis, imò ad eos principaliter dirigitur priuilegium, vt ex eius tenore constat, & in eo expressè additur, vt absolui possint ab omnibus ante, vel post ingressum religionis in Societate commissis: ergo etiam à sententiis in eos latis quomodolibet ab homine, etiam postquam religiosi sint.

VII. Respondeo igitur concedendo sequelam quoad eam partem de censura lata à iudice, vel prælato aliquo extra religionem, quia priuilegium ad hæc omnia extenditur, & ex vi alterius priuilegij Benedictinis concessi possunt Superiores etiam Locales Societatis iuxta compendium in verbo *Absolutio* §. 10. absoluere subditos à quibuscunque sententiis & peccatis, *etiam si talia forent, propter quæ Sedes Apostolica esset consulenda*. Additur autem ibi, *vt id fiat præmissa ex parte subditorum debita satisfactione*. Ad hanc autem satisfactionem pertinere existimo, vt quando specialis sententia ab homine præcessit, vt non solùm parti læsæ, si qua fuerit, sed etiam Ecclesiæ, id est, iudici (iuxta modũ loquendi Euangelij) nam per contumaciam specialem illi facta est specialis iniuria. Oportet ergo vt ante omnia absoluendus à contumacia recedat: deinde, vt satisfactionem exhibeat, vel offerat, aut promittat, prout potuerit, & tandẽ vt iudicem, à quo excommunicatus est, saltem reddat certum de obedientia sibi, & Ecclesiæ reddita, & absolutione obtenta: ita enim vitantur incommoda, quæ ex dicto priuilegio sequi posse videbantur. Et hæc est sufficiens ratio huius interpretationis, quia priuilegium ita debet sortiri suum effectũ, vt in reliquis omnibus quàm minimum lædat aliorum iura, & præsertim ea, quæ ad conuenientẽ gubernationem pertinent.

VIII. Ad alteram verò partem, quæ spectat ad sententias maiorum prælatorum eiusdem religionis, dicendum est, in eis esse hoc speciale quòd Superiores possunt sibi casus, vel sententias reseruare: & inferiorum prælatorum iurisdictionem restringere, nõ obstantibus priuilegiis, vt dictum est. Si ergo superior prælatus hoc modo tulerit sententiam, vel ex Constitutionibus, aut ex consuetudine religionis constiterit, hanc restrictionem, seu reseruationem esse factam, tunc neganda est sequela, quia quoad hanc partem habet inferior prælatus restrictã, vel non sibi communicatam huius priuilegij facultatẽ. Si autem talis restrictio, vel reseruatio non est facta, concedenda est sequela eodem modo, quo in superiori parte dictum est. Et fortasse hęc est intentio superioris prælati non restringentis iurisdictionẽ inferioris, vt subditus statim ac fuerit bene dispositus, & satisfactionem obtulerit, sine dilatione possit absolui.

CAPVT XXVI.

De potestate prælatorum religionis circa bonorum temporalium administrationem ex primæua institutione, à iure antiquo permissam.

PRæter potestates circa personas, necesse est vt prælatus religionis habeat potestatem circa bona temporalia e iusdem religionis, quia non potest religio omninò carere his bonis temporalibus vel quoad proprietatem, possessionem, & vsum, vel saltem quoad simplicem tentionem, & vsum, iuxta vniuscuiusque modum: quomodocũque autem habeantur, necesse est vt eorum administratio & cura ad aliquem pertineat. Non potest autem pertinere ad singulos, tum quia per se repugnat ordini, & cõseruationi rei, tũ etiam, quia potius per votũ paupertatis simul impediti sunt, ne propria voluntate, & arbitrio possint de temporalibus bonis disponere, vt suprà tractatum est. Quamuis autem hæc potestas in tota communitate, vt sic, esse possit, tamen non potest communitas per se ipsam immediatè exercere omnia, quæ ad hanc administrationem pertinent, & ideo necesse est; vt hæc potestas vel omninò, vel magna ex parte prælato commissa sit. Explicandum ergo à nobis est quantum potestatis in hoc genere commissum sit prælatis religionis, & ad quos actus, & cum quibus conditionibus extendatur. Quia verò hæc concessio potestatis aliquo iure constare debet, triplex ius hic distinguere possumus, scilicet naturale, commune, seu canonicum, & speciale ex priuilegiis seu ordinationibus Pontificum circa singulas religiones. Primũ breuiter expediemus, quia fere ad vsum non deseruit. Tertium autem latissimè patet, & ferè non cadit sub generalem doctrinam; sed vnaquæque religio sua debet scire statuta, & priuilegia: & ideo solùm obiter & gratia exempli aliquod particulare institutum indicabimus. Dicemus ergo præcipuè de potestate, quam ad hanc administrationem habet prælatus religionis iure communi. Et quamuis hæc potestas de facto amplior videatur esse in vniuersalioribus prælatis, quia tamẽ iura canonica, vt suprà notaui, frequentius loquuntur de Abbatibus, quibus respondent omnes prælati Conuentuales, ideo potestatem hanc in eis explicabimus, vnde facilè colligabit quid de cæteris dicendum sit. Tandem quia actiones huius administrationis variæ sunt, omnes possumus ad tria capita reuocare, quæ sunt recipere, conseruare, & alienare. Sub prima comprehendimus omnem acquisitionem bonorum, quæ religioni fit: sub secunda omnem actionem, quæ pertinet ad gubernationem, beneficentiam, augmentum, custodiam, & vsum talium bonorum: ad tertiam pertinet omnis consumptio, distractio, seu alienatio; imò etiam omnis vsus talium bonorum.

I. Notatum aliquot propositiones circa hoc caput.

II. Primò ergo dicendum est, iuxta primæuam institutionem religionum, quam ius antiquũ admittebat, totam administrationem bonorum monasterij esse seu fuisse apud solum Abbatem. Colligitur ex c. *nullam* 18. q. 2. vbi Pelagius Papa inquit, *Vniuersa, quæ vel ad diuini cultus reuerentiam, vel ad vtilitatem monasterij pertinent, Abbatis solicitudo, ad quem potestas ista pertinere conferet, debeat adimplere*. Hoc autem ius quantum ex verbis eius colligitur, non constituebat, sed declaratiuum fuit, non enim de nouo statuit,

tuit, sed pro constanti supponit totam potestatem esse apud Abbatem. Est ergo aduertendum, ex vi status religiosi, & secluso omni iure positiuo Ecclesiastico, fieri potuisse, & antiquitus ita factum esse, vt hæc potestas tota in solo prælato existat. Dico, fieri potuisse, quia hoc semper dependet ex voluntate, & consensu totius communitatis. Si enim ex sola rei natura loquamur ex vi institutionis religiosæ congregationis, in qua singulæ personæ paupertatem profitentur, potestas administrandi quæcunq; bona, immediatè est in ipsa communitate, quia illa est domina, vel vsuaria per se primò. Item, quia ex natura rei non est maior ratio de vno membro illius communitatis, quàm de alio. Præterea quia, cũ omnes habeant votum paupertatis, nullus potest proprio nomine vti huiusmodi bonis: ergo oportet, vt facultas, in quocũque particulari sit, deriuetur ab alio; non potest autem resolutio vltima fieri nisi ad totam communitatem vt sic, quia in nulla particulari persona sistere possumus intra communitatem ipsam, nõ oportet autem extra illam progredi, vt scilicet potestas illa manet ab Episcopo, vel Pontifice, nam ex natura rei hoc necessarium non est, nam vnaquæque cõmunitas habet ius propriũ administrandi sua bona, quo non priuatur cõmunitas religiosa eo quòd religiosa sit, quia non repugnat voto paupertatis singulorum, nisi hoc etiam voluntariè profiteatur: pendet ergo hoc ex voluntate eorum, qui ad instituendam, vel inchoandam talem communitatem primùm conuenerunt: nam illi possunt inter se statuere, & quasi pacisci vt tota administratio temporalium rerum sit apud solum prælatum: ergo ita fieri potuit in initio religionum; semel autem facta, & approbata institutione, qui tam postea profiterentur, consequenter præberent suum assensum, & quantum in ipsis esset, idem ius in prælatum transferrent. Confirmatur, ac declaratur, nam hæc potestas administrandi bona temporalia nec est iurisdictionis, nec per se requirit illam, sed est potestas dominatiua, sub hac cõprehendendo potestatem ministerialem à domino cõmissam: ergo talis potestas respectu communitatis religiosæ, per se, & ex natura rei, ac secluso iure positiuo, non pendet à concessione Pontificis, vel alterius prælati Ecclesiastici, sed ex voluntate eorum, qui in tali communitate sociantur: ergo per eandem voluntatem fieri poterit, vt in solum prælatum ea potestas transferretur.

Præstam. assentiendo nõ procedere loquendo ex natura rei probatur.

Confirmatur.

III.

Quòd autem ita in initio religiosum factum sit, intelligi potest ex antiquis institutoribus religionum, & Regulis eorum, Basilij in regula 7. & 8. ex fusius disputatis, & serm. 2. de Instit. monachor. & sæpè aliàs docet, totam hanc curam debere esse apud Antistitem, & ita interpretatur exemplum primitiuæ Ecclesiæ, quando omnia erant communia, & singulis diuidebantur prout vnicuique opus erat. Et de eadem re videri possunt in regulis breuioribus 87. 91. 100. & 101. & 302. Similiter Augustinus in Regula statim in principio, *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia, & distribuatur vnicuique vestrum à Præposito vestro*, &c. & infrà præcipit, vt nihil occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositi. Cassianus etiam lib. 4. de Institutis renunciant. c. 13. & 14. idem de antiquis monachis refert, de quo etiam legi potest c. 20. & sequentibus, in quibus planè supponit, totam hanc curam penes Abbatem fuisse: & idem sumitur ex toto lib. 7. Idem constat ex Regula S. Benedicti, c. 32. & 33. & 54. & 57. in quibus locis, & aliis supponit, totam hanc potestatem esse apud Abbatem; quod generalius declarat c. 65. Idem habetur in Regula S. Pachomij cap. 18. & 19. & regula 40. Denique reduci hoc posset ad primam congregationem religiosam, quæ in Ecclesia fuit, nimirum Collegium Apostolicum, in quo ita erant omnia communia, vt eorum dispensatio & administratio præcipuè ad Christum Dominum pertineret: Vnde cum Ioannis 13. Christus Iudæ dixisset, *Quod facis fac citius*, discipuli existimarunt, *quia loculos habebat Iudas quod dixisset ei Iesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis vt aliquid daret.* Ratio verò huius institutionis reddi potest, quia, vt in principio num. 1. dicebamus, necessarium fuit hanc potestatem alicui committere, quia non poterat per totam communitatem administrari: ergo maximè debuit committi prælato, vt debitus ordo, & perfecta obedientia in omnibus seruaretur. Et quamuis posset non soli prælato, sed cum consilio, & consensu paucorum hæc potestas committi; non tamen legimus ita olim esse factum, sed potestatem fuisse soli prælato commissam, quamuis ad prudentiam, & obligationem eius pertineret vti consilio aliorum iuxta rerum qualitatem. Ratio autem esse potuit, quia vel monarchia etiam quoad hanc partem tanquam perfectior gubernatio electa est, vel quia hoc iudicatum est pertinere ad maiorem sui, & rerum omnium abnegationem, & obedientiæ ac paupertatis professionem. Iuuare etiam potuit, quia monachorum bona parua tunc indigebant administratione, & Abbates veri Patres erant, & aliorum vtilitati, non suæ consulebant.

Probatur ita assertio loquendo ex positiua voluntate.

Fuit communis.

Prima conclusio.

Secundo ratione.

Administratio hæc cum in solidum competebat prælato.

IV.

Ob has ergo, & alias causas talis fuit olim religionum institutio quoad hãc partem, eamque iure communi antiquo Pontifices approbarunt, vt docet Panormitanus, & communis sententia in c. *edoceri.* de rescriptis. & in c. *ad apostolicam.* de Regul. & Nauarr. Commen. 3. de Regularib. num. 5. & 6. & c. sufficienter probatur ex dicto c. *nullam.* & ex dicto c. *ad Apostolicam.* & ex c. *cum ad monasterium*, de statu monachorum, iuncta glossa ibi verbo, *amouerit.* & c. 2. eiusdem tit. ibi, *Nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permissum.* Item ex c. *edoceri.* de rescriptis, ibi, *Cum ex officio suo teneantur* (scilicet Abbates) *congregationis suæ negotia procurare.* Additur autem statim, *Nisi Abbatu, & conuentus negotia essent omnino discreta*, vbi Panor. n. 2. aduertit, hoc non esse secundũ ius commune, nam ex hoc iure omnia debent esse communia in statu regulari quoad dominium, & pertinere ad Abbatem quoad administrationẽ. Ratio autem huius communis iuris fuisse videtur, quia in eo Pontifices non tam condiderunt nouum ius quantum ad monachos spectat, quàm approbare, & confirmare quod ex vi suæ professionis institutum erat.

Hanc insolidum administrationẽ ius communẽ approbauit.

De potestate acquirendi.

V.

Sed quæres, ad quos actus ex tribus allatis in fine n. 1. extendatur ex vi iuris antiqui hæc potestas prælati. Respondetur, nullam in hoc inueniri limitationem in iure scriptam, præter eam, quæ in dict. c. *nullam*, significatur per illa verba, *Feliciter & studiose, vniuersa, quæ vel ad diuinis cultus reuerentiam, vel ad vtilitatem eiusdem monasterij pertinent.* Per quæ verba nihil speciale additum est, sed explicatur solùm quod ex natura rei necessarium est. Itaque ex tribus illis actibus, quos suprà numerauimus, in primo, scilicet acquirendi monasterio, nulla limitatio ponitur, sed tota auctoritas est penes Abbatem, supponendum est enim, acquisitionem esse iustam, & decentem religioso statui: talis enim acquisitio ex se cedit in vtilitatem monasterij, & ad cultum Dei ex se refertur, & ideo absolutè, & simpliciter comprehenditur sub prædictis verbis, & pertinet ad dictam potestatem. Vnde ratione illius potest prælatus recipere quidquid monasterio oblatũ fuerit, & quod sibi fuerit donatum, quamuis non sibi, sed monasterio acquirat. Item, cũ illius facultate alij possunt acquirere monasterio, quamuis non sibi, sine illa

autem

autem nec sibi, nec monasterio. Et ideo quoad hūc actum rectè additum est in illo textu, *Ad vtilitatem eiusdem monasterij*, quia hæc potestas non extenditur ad acquirendum alicui personæ priuatæ, sed soli monasterio, cum alia acquisitio paupertati repugnet.

VI. *An Abbas vnius monasterij possis acquirere alteri monasterio.*

Sed ponderanda est particula, *eiusdem*; quia vnus Abbas non potest acquirere alteri monasterio, sed solùm illi, cuius administratio illi cōmissa est; quia in alia monasterja nullam habet potestatem. Inquiret verò aliquis, quomodo posset vnus Abbas acquirere suæ religioni pro alio monasterio, quando vnusquisque Abbas erat supremus, & non habebāt vnum prælatum generalem, neque etiam Capitulū generale celebrabant, cuius consensu, & potestate posset talis acquisitio fieri. Respondetur, in eo casu nullum Abbatem vnius monasterij potuisse ex vi sui muneris acquirere alteri monasterio, vel (vt ita dicam) potuisse acquirere aliud monasterium, & bona eius suæ religioni, cùm eius prælatio non extenderetur extra suum monasterium. Potuisse nihilominus facultatem concedere aliquibus ex suis subditis, vt in alio loco nouum monasterium erigerent, cuius acquisitio, & acceptatio ab eisdem non vt singulis sed vt vniuersis, id est, vt constituētibus nouum Capitulum, fierent, & tunc ad illos etiam pertinere proprium eligere Abbatem, ad quē administratio bonorum noui monasterij pertineret. Addo insuper, monachos tunc fuisse Episcopis subiectos, quorum, auctoritate, & consensu respectiuè monasteria erigebantur, & ita accedente cōsensu Episcopi diœcesis, in qua monasterium erigēdum erat, & concurrente nouo Capitulo religiosorum illuc conuenientium de licentia sui Abbatis, vel suorum Abbatum, facilè poterat noua acquisitio fieri tali religioni.

De potestate conseruandi.

VII. Quoad secundum actum, qui est conseruatio bonorum, nulla etiam necessaria est limitatio, præter eam, quam citata verba præ se ferunt, habet enim prælatus totam potestatem, quæ ad debitam conseruationem, & gubernationem talium bonorum necessaria est, nō minus quàm si essent sua propria, quia & ad bonum regimen hoc necessarium est, alioqui communia bona facilè perirent: tum etiam, quia hæc est intentio domini talium bonorum, id est, conuentus, à quo, vt diximus, manauit hæc potestas. Vnde etiam fit, vt iuxta mensuram potestatis sit etiam mensura obligationis quoad hanc curam, & solicitudinem ita fideliter administrandi talia bona, vt ad maius Dei obsequium, maioremque monasterij vtilitatem cōseruentur. Vnde quia per se non potest totam curam immediatè exercere, ad eandem potestatem spectat posse officiales, & ministros creare, per quos hanc temporalem curā exequantur, quibus etiam obligationem res fideliter administrandi, & conseruandi imponant, quæ obligatio tantæ æstimationis erat inter antiquos Patres, vt delictum reputarent tres lēticulas è manibus per nonnullam incuriam elabi, vt est apud Cassianum lib. 4. Instit. c. 20. *Cuius* (inquit) *negligentia reatus non aliter et remissus est, nisi eum publica pœnitentia diluisset.* Et rationem declarans subdit, *Non solum enim seipsos non esse suos, sed etiam omnia, quæ sua sunt, credunt Domino consecrata. Propter quod si quid fuerit monasterio illatum, vt sacrosanctum cum omni decernunt reuerentia debere tractari; tantaque fide vniuersa procurant, atque dispensant, vt etiam ea, quæ despectui habentur, paruaque reputantur, ac vilia, siue loco mouerint, vel competentius collocauerint. si tenuem festucam de oratorio, cellaue submouerint, mercedem se consequuturos à Domino tota credulitate confidant.* Ex quibus verbis intelligi potest, curam hanc conseruandi bona monasterij ad omnes, & singulos religiosos pertinere; sed diuerso modo: nā ad omnes pertinet conseruatio quasi per accidens, per obligationem (vt sic dicam) negatiuam, nō dissipandi, aut non malè tractandi res monasterij: quæ obligatio & ad paupertatem, & interdum ad iustitiam pertinere poterit. Positiua autem cura conseruandi res, per se non spectat ad singulos, nisi quatenus charitas interdum eam dictare potest: spectat ergo ex officio, & iustitia ad prælatum, cui est primariò commissa dicta potestas; per participationē verò ad ministros quos ipsi sibi constituerint. Denique etiam pertinet ad prælatum strictiori modo conseruatio rerum per negatiuam obligationem non consumendi, vel alienandi res nisi iuxta mensuram statim explicandam.

De potestate alienandi, ac primo quoad mobilia.

VIII. Tertius ergo actus, & præcipuus huius potestatis est alienatio talium bonorum; sub qua voce comprehendimus omnem vsum, quo talia bona consumuntur. Hic ergo actus etiam est commissus ex vi iuris antiqui prælato monasterij sine vlla limitatione, præter eam, quam ius naturæ postulat, nimirum vt talis dispensatio fit *fidelis, & in monasterij vtilitatem.* Vt autem hoc magis in particulari explicetur, distinguere possumus bona monasterij in immobilia, & mobilia; de quibus terminis diximus lib. 4. Defensionis fidei c. 18. & mobilia rursus in ea, quæ permanentem habent durationem cum ipso vsu, vt sunt vestes, libri, & similia; & in ea, quæ vsu cōsumuntur; quæ duplicia etiam distingui possunt: quædam, quæ pertinent immediatè ad conseruationem vitæ, vt sunt esculenta, & poculenta, quædam quæ mediatè, vt pecunia. Ab hac ergo vltima incipiendo, duplicem habet vsum, (quantum ad præsens spectat) quo potest consumi, nimirum aut emendo latè hac voce vtendo, vt explicaui; aut gratiosè donando; & vterque est suo modo in potestate prælati religiosi, quatenus vterque vel necessarius, vel vtilis, vel decens monasterio, aut religiosis eius (inter quos prælatus ipse præcipuè cōputatur) esse potest, & ideo necessariò debet potestas prælati ad hunc vsum extendi. Est tamen differentia inter illos duos vsus, quòd prior licèt sit consumptio pecuniæ, non tamen est consumptio bonorum, sed cōmutatio, quia loco pecuniæ succedit illud, quod per illam emitur, quodque ad vsus humanæ vitæ necessarium est, & ideo in eo vsu maior facultas conceditur.

IX. Nam extenditur in primis ad ea omnia, quæ ad diuinum cultum necessaria, vel decentia prudenter iudicata fuerint, seruata proportione ad monasterij facultates, & ad modum ac institutum religionis: quod & per se satis est consentaneum rationi, & sufficienter fundatur in illo verbo dicti c. *nullā. Vt ad diuini cultus reuerentiam*; sub quo verbo, vt recèd notauit Nau. comprehenduntur omnes sumptus fabricæ, & ornamentorum Ecclesiæ; addo etiā ministrorum secularium, si qui forte ad seruitium Ecclesiæ necessarij sunt: nam hæc omnia pertinent ad reuerentiam diuini cultus, & hos omnes sumptus nomine *emptionis* comprehendimus. Deinde extenditur ad ea omnia, quæ ad religiosos sustentando, & conuenienter, & decenter, iuxta suum statū fuerint opportuna: quia ad hunc finem maximè talia bona deputata sunt, & sub his sumptibus comprehenduntur omnia, quæ pertinent ad fabricam monasterij, & ad supellectilia eius, tam communitati, quàm singulis necessaria, tam quoad corporis conseruationem, vt sunt ea, quæ ad delectum, & vestitum spectant, quam ad alia ministeria iuxta institutum religionis conuenientia, vt sunt libri, & similia.

similia. Et huc etiam spectant expensæ, quæ fieri solent cum operariis, seu seruitoribus, & iumentis familiæ religiosæ necessariis. Hæc enim omnia, & similia prudenti arbitrio prælati commissa sunt, & ideo ad illa omnia plenam accipit potestatem, cõmensuratam regulæ, & rectæ rationi. Addo etiam non solùm posse, sed etiam debere prælatum huiusmodi sumptus, & expensas facere, quia non solùm charitas, sed etiam officium illũ rigorosè obligant: nam sub hac lege, & conditione munus accepit, vnde, vt suprà dicebamus, interce dit quasi pactũ mutuum inter religiosos, & religionem, cuius potestatem, & obligationem prælatus suscepit.

X. Addit vero Nau. posse prælatũ in primis accipere necessarios, & honestos vsus suæ personæ, & secundo loco ponit vsus fabricæ, & in tertio sustentationem conuentus, iuxta doctrinam Abbatis in *c. de his.* de Eccl. ædific. ibi tamen Pan. loquitur de clericis secularibus habentibus beneficia in aliqua Ecclesia, de quibus ait, nõ teneri ex fructibus sibi necessariis Ecclesiam ædificare, vel instaurare, vel pauperes alere, sed ex superabũdantibus. At in nostra materia longe diuersa ratio est, tractamus enim de conuentibus religiosis, in quibus perfectus modus viuendi in communi, & rigor disciplinæ seruatur, vbi nõ est (seclusis abusibus) certa portio ad sustentationẽ prælati, alia ad fabricam, alia ad religiosos sustentandos designata; sed omnia monasterij bona indiuise destinata ad omnia onera huius conuentus sustentanda. Quapropter non inuenio ordinem vllũ, quem possit prælatus inter se, & alios seruare, præter eum, quem necessitas potest exigere, quæ interdum obligabit ad subueniendum prius aliis, quàm sibi, interdum è contrario. Per se autem loquendo, æquè primò ad alendum totum conuentũ tenetur, in quo ipse etiam comprehenditur, potest autẽ cedere iuri suo, non verò aliorum, nisi in his, quæ regulæ consentanea sunt: & è conuerso, sicut nõ debet terminos regulæ, aut modestiæ religiosæ cum aliis excedere, ita nec secũ, quod multò magis cauere debet, tum propter exemplum, tum propter periculũ, quod ex propẽsione, quam vnusquisque habet ad seipsum, oriri facilè potest. Per hæc tamen non excluditur, imò maximè cõmendatur proportionalis distributio, nam æqualitas religionis non cõsistit quoad hanc partẽ in absoluta vnitate, seu pari formitate, sed in proportionali distributione; optima autem illa est, quæ in Actibus c. 4. docetur, *Diuidebatur singulis prout cuique opus erat*, vt Basil. Aug. & alij religiosorum Patres frequenter expendunt.

XI. Circa alium modũ distrahendi pecunias per gratuitam donationem, sciendum in primis est, nõ esse commissum prælato religionis, vt solo titulo liberalitatis possit huiusmodi largitiones facere, tum quia non est dominus, sed dispẽsator fidelis, & prudens, cuius non est liberales donationes ex alienis facere: tum etiã, quia in dicto *c. nullam*, solùm dicitur, posse expẽdere in Dei cultum, & proprij monasterij vtilitatem. Et confirmat optimè *c. abbati.* dist. 54. vbi dicitur, non licere Abbati seruum monasterij facere liberum: & redditur ratio, *Qui enim nihil proprium habet, libertatem rei alienæ dare non potest*; hoc enim intelligendum puto quando illa est mera, & liberalis donatio libertatis, alienando rem, quæ erat monasterij: idem ergo erit in pecunia. Vnde à fortiori sequitur, non posse turpes donationes facere, quales sunt in præsenti omnes illæ, quæ nullo titulo honesto fiunt, sed ad vanam ostentationem, vel ad quemcunque prauum finẽ. Quapropter prælatus sic expendens pecuniam monasterij, & contra suum officium, atque adeo cõtra iustitiam peccat, abutendo sua potestate, & contra votum paupertatis, quia vtitur illis bonis, non vt prælatus religiosus, sed vt dominus.

Dispensando pecunias quælibet.

Prælatus dolo malo impingens peccat contra iustitiam, & contra votum paupertatis.

Nihilominus tamen potest ex aliis honestis titulis aliquid gratiosè donare: primò titulo misericordiæ in eleemosynam, vt est certũ apud omnes, quia monasterium potest, imò & debet facere eleemosynam, si valeat: hæc autem cura demandata est prælato, quãtum est ex iure communi, vt loquimur, & ex antiqua institutione, quia neque alij singuli possunt eam facere sine licẽtia prælati, vt suprà tractatum est, nec ad hoc erat semper totus cõuentus cõgregandus, neque etiam legimus, hoc fuisse cõmissum alicui Concilio ex pluribus suffragiis decisiuis constante: ergo erat commissum Abbati. Et in dicto *c. nullam*, comprehendi potest tam sub his quæ pertinent ad reuerẽtiam, & cultum Dei, quàm sub his, quæ ad vtilitatem monasterij pertinent, vtrumque enim habet eleemosyna. Quantum autem in hoc genere largitionis possit prælatus, non potest certa regula præscribi, sed prudenti arbitrio relinquendum est, consideratis monasterij facultate, & aliis occurrentibus circunstantiis.

XII. *Titulo eleemosynæ donare potest iuxta facultates conuentus.*

Specialiter autem quæri solet, an possit, vel debeat prælatus omnes superabundantes redditus in eleemosynam dare. Respondetur, neque in hoc etiã posse assignari generalem regulam; regulariter autem id necessarium non est, nec conueniens, quamuis interdũ possit esse laudabile, & aliquando præceptum. Pendet enim hoc ex occurrentibus necessitatibus proximorum: nam si illæ sint extremæ, nõ solùm superflua, sed etiam aliqua ex necessariis dãda sunt, habita ratione aliorum, qui ad talẽ necessitatem subleuandam solent cõcurrere. Si verò necessitas sit grauis, omnia superflua sunt danda, nisi ex concursu aliorum necessitas minuatur. Si autem necessitates tantùm sint communes, licèt aliquid ex superfluis dandũ sit, maximè à religiosis propter exemplum; dare tamen omnia nec necessarium est, vt suppono ex materia de eleemosyna, neq; in prælato religioso esset consilium, & ideo non opinor esse id in potestate eius, regulariter loquendo, tum quia melius est, si commodè potest, augere, & perficere monasterium ipsum, vel quoad ea, quæ pertinent ad cultum diuinum, aut habitationem, vel quoad perpetuos redditus, vt ex eis plures religiosi sustentari possint, quod maius Dei obsequium est, quàm abundans eleemosyna in communibus necessitatibus, vt adnotauit Nau. dicto Comment. 3. de Regul. n. 7. in fine.

XIII. *An possint dare omnia superflua.*

Potest præterea prælatus huiusmodi gratuitam donationẽ facere titulo gratitudinis, seu remunerationis, quæ ex iustitiæ obligatione non debeatur: hactenus enim donationem hãc gratuitam appellamus, quam iurisperiti *Antidoralem* vocant, quia nõ omninò liberalis, sed ex aliqua obligatione naturali exorta, quamuis efficaci ad agendum, l. *sed & si* §. *consuluit.* ff. de petitione hæreditatis. Ob hanc ergo naturalem æquitatem, & obligationem quã talis largitio supponit, necessarium est, vt comprehẽdatur sub potestate prælati, tum quia necessaria est ad perfectam bonorum temporalium administrationem: tum etiam, quia talis gratitudo & remuneratio maximè decet statum religiosum, nam est solutio alicuius debiti moralis. Dici etiam potest pertinere ad vtilitatem monasterij: nam qui gratum animum non ostendit, etiam in his temporalibus bonis, iuxta modum suo statui conuenientem, non potest aliorum beneuolentiam, & amicitiam conseruare, quod est magnum incommodum, etiam humanum ac temporale. Vnde etiam addo nõ solũ habere potestatem prælatum ad remuneranda obsequia, vel beneficia iam recepta, sed etiam ad præueniendum aliquid gratis erogando, vt se vrbanũ, & beneuolum ostendat, respiciẽdo semper ad maiorem proximorum ædificationẽ, vel ad monasterij vtilitatẽ; atque ita omnia hæc comprehendũtur

XIV. *Potest prælatus relig. donare ad remunerandam gratiã.*

Imo & ad nouam acquirendam.

sub citatis verbis c. *nullam*. Et ad hæc capita videtur reuocari omnis erogatio pecuniæ, quæ à prælato religioso fieri potest; mensura autem, & modus in qualibet earum regula prudentiæ præscribenda sunt, quia nulla alia vel iure taxata est, vel generali ratione definiri potest: considerandus ergo est finis largitionis, & potestas monasterij, vt seruata proportione, & respectu ad vtrumque, medium in largitione seruetur.

XV. *De motu proprio Clem. VIII. contra largitiones.*

Hic autem occurrebat specialis difficultas orta ex speciali motu proprio Clementis VIII. quem latè explicat Sancius lib. 6 de matr. disput. 4. n. 7. & adducit Azor tom. 1. lib. 12. c. 9. q. 5. quo largitiones religiosorum prohibentur. Sed præterquam quòd nunc loquimur stando præcisè in antiquo iure cõmuni, non credimus ibi esse prohibitas largitiones, quæ & nomine communitatis, seu, quod perinde est, per potestatem ab illa acceptam, & honestissimis titulis à nobis explicatis, & cum debita moderatione fiunt: quod facilè ex ipso motu proprio cõstabit, & per se est verisimile, quia hæc omnia & valdè decentia sunt, & religioso statui necessaria, vt rationes factæ ostendunt. addo etiam non videri eum motum satis vsu receptum saltem in hoc Lusitaniæ Regno.

XVI. *De vsu aliorum mobilium qui est eorum consumptio.*

Ex his facilè intelligi potest quid possit prælatus circa alienationem, vel consumptionem aliorum bonorum, quæ ipso vsu consumuntur: nam de his eadem proportionalis ratio est, quæ de pecuniis, imò interdum sub pecunia comprehenduntur, quatenus & pecunia æstimantur, & quoad multa eundem habent vsum. Dupliciter ergo possunt hæ res consumi, aut alienari; primò simpliciter, id est, per puram amissionem seu consumptionem earum, vel per aliquam permutationem, sub hac voce cõprehendendo venditionem, & quemcunque alium contractum, per quem ita hæ res alienantur, vt loco illarum aliæ monasterio acquirantur. Vterque ergo modus dispensationis cadit sub potestatem prælati, & consequenter ab illius voluntate pendet eisdem rationibus, & cum eisdem regulis, & moderationibus, quibus de pecunia id explicauimus. Et ob easdem etiam causas vterque modus cadit sub obligationem prælati, sed prior frequentior est, & magis necessarius, quia immediatè ordinatur vel ad religiosorum sustentationem, vel ad sacra ministeria, & cultum Dei. Posterior autem per se necessarius non est, sed tunc solùm, quando vel ad conseruationem bonorum monasterij, vel conuenientem eorum administrationem, fuerit necessaria. Interdum etiam est opportuna talis alienatio ad religiosos sustentandos dum quidam fructus venduntur, vel pro aliis necessariis commutãtur, aut immediatè, & vnico contractu, vel mediãte pecunia, & duplici contractu ex pretio vnius rei venditæ, aliam emendo. Hoc enim modo contractus huiusmodi efficere non est alienũ à statu religioso, sed vsitatum etiam ab antiquis monachis, qui etiam propria opera suis manibus, & arte facta ad se sustentandos vendere solebant, vt in superioribus retulimus: sola enim emptio, & venditio per modum negotiationis ad temporale lucrum, religiosis prohibita est.

Duplex consumptio, & vtraque licita prælato

XVII. *De aliis mobilibus quæ in vsu diu permanent.*

Præterea de aliis bonis mobilibus, quæ in vsu diu permanent, licèt paulatim conterantur, & tandem consumantur, eadem ferè regula seruanda est; nam etiam est apud prælatum potestas alienandi illa, quia hæc actio interdum esse potest vtilis, vel necessaria monasterio: ergo oportet vt potestas circa illam alicui demandata sit: ergo est in prælato, cui est tota potestas commissa. Limitatio autem huius potestatis eadem est quoad illa duo principia in dicto textu insinuata, quia non vt dominus, sed vt dispensator potest prælatus alienare hæc bona, vel ad maiorem cultum, & reuerentiam supremi domini, vel ad proprij monasterij vtilitatem. Vnde fit, vt ex illis duobus modis alienandi vel simpliciter donando, aut consumendo; vel pro pecunia seu alia re, commutando, prior rarius liceat prælato, & cum magna moderatione, in rebus paruæ æstimationis, & superuacaneis monasterio, quanquam in hoc etiam non possimus aliam regulam nisi prudentiam assignare, quia nulla certa quantitas absolutè limitata est; regulis ergo superius positis & cum proportione applicatis vtendum est. Posterior autem alienandi modus fæpiùs potest esse conueniens, quanquam etiam debeat rarior in his bonis, quàm in fructibus, qui vsu consumuntur, quia quò res ipsæ maiorem habent stabilitatem, eo etiã eorum dominium, vel professio maiorem firmitatem postulare videtur: tum etiam, quia hę res ex suo genere solent esse gratiosiores, & habere meliorem vsum in vno indiuiduo, quàm in alio: ac denique vẽditio, vel commutatio talium rerum raro solet esse vtilis monasterio, nisi in aliqua graui necessitate, vel nisi in alias vtiliores commutetur.

Quid de bonorum quantitate bonorum.

Quid de tempore.

De potestate alienandi immobilia.

XVIII.

Hinc tandem immobilium alienatio ex suo genere difficilior est, quia talia bona solent esse quasi fundamenta monasterij in his, quæ ad vsum & cõseruationem corporum pertinent, sine quibus spiritualia non possunt subsistere. Vnde fit, vt nunquã fuerit in potestate prælatorum talia bona ita distrahere, vt monasterium omninò illis priuetur sine æquiualenti, vel meliori compensatione, quia hæc non esset administratio, sed dissipatio bonorum, prælato autem tantùm data est potestas administrandi, non in destructionem, sed in ędificationem (vt verba Pauli 2. Corinth. 13. vsurpem.) Nihilominus tamen non omninò caret prælatus ex vsu iuris communis, potestate alienandi hæc bona, quia alienatio sit in vtilitatem, etiam continebitur sub regula in dicto cap. *nullã*; quia verba generalia sunt, & nullo alio iure antiquo fit illa exceptio; nec ratio cogit ad illam admittẽdam, quin potius, si superius factæ pro licitis alienationibus mobilium, conuenienter applicentur, etiam ostendunt huius facultatis necessitatem, suppositã monarchia antiquorũ monasteriorum. Quod erit euidentius si nomen alienationis aliquantulum extendamus: in rigorosa enim significatione importat venditionem, donationem, vel quamcunque aliam similem actionem, per quam dominium rei in alium transfertur: latiùs autem solet extẽdi illa vox ad locationem, vel conductionem, & alios similes contractus, per quos vsus, vel vsusfructus rei, vel dominium vtile eius perpetuò, vel ad aliquod certũ tempus sub aliquo onere, seu pensione alienatur, iuxta ea, quæ statim dicemus, & constat ex c. *nulli*. de rebus Eccles. non alien. & l. vlt. C. de rebus alienis non alienandis, & Auth. de non alienandis. §. *n. sigitur*. verſic. *Alienationes*. collat. 2. Manifestum autem est in monasteriis habentibus bona immobilia necessarium sæpe esse huiusmodi contractus facere: ergo necesse fuit potestatem administrandi prælato concessam ad huiusmodi actiones extendi, sub limitatione posita in dicto c. *nullam*. nam in his bonis est maxime necessaria.

Obiectio huius potestatis limitata antiquo.

XIX.

Neque inuenio in antiquis historiis limitationẽ aliam prælato regulari impositam in vsu huiusmodi administrationis quoad alienationes talium bonorum, præter illam generalem, quæ ex natura rei in illa est per se conueniens, vt grauiora negotia sine prudentum consilio non tranſigantur, hæc enim alienatio rerum immobilium inter res graues monasterij meritò computatur, & ideo comprehenditur sub

Quæ limitatio in his bonis.

sub dicta regula, quæ à S. Benedicto, cap. 3. & ab aliis exprimitur. Quantum autem, & quale futurum esset illud consilium, non fuit fortasse eodem modo ab omnibus constitutum, sed vnaquæque religio suam consuetudinem, vel regulam seruabat. Nec etiam inuenio in antiquo iure canonico ante Leonem X. peculiarem modum, aut formam circa hoc præscriptam. In iure autem ciuili inueniuntur quędam leges Imperatorum prohibentes alienationes talium bonorum, vt patet in l. *iubemus*. 2. C. de sacrosf. Eccles. cum sequentibus, & Authenticis, quæ ibi referuntur ex collatione 2. tit. de non alienan. & collat. 9. tit. de alienat. & emphyt. Sed illæ leges, cũ essent ciuiles, non poterant directè ligare personas ecclesiasticas, nisi quatenus per Ecclesiæ Pontifices admittebantur, licèt quoad forum externum & ciuile, & quoad personas laicas, vendentes, & ementes talia bona, possent habere aliquos effectus. Sed circa illas leges nunc immorari non oportet, quia in hoc standum est iuri Canonico, quod iam sequẽti c. explicauimus.

XX. Enucleatur conclusio posita n. 1.

Vltimò verò addendum est circa dictam conclusionem excluſiuam (vt vocant) numero 2. positam, non excludere concomitantia. Cùm ergo dicimus solum prælatum habere hanc potestatem, non excludimus dependentiam eius à suo Superiore, si talem habeat; sed dependentiam à iuris subditis, de qua expresè loquitur dictum caput *nullam*. Vnde cùm olim Abbates regulares essent subditi Episcopis, tenebantur in hac administratione, & nihil agere contra eorum voluntatem, & in rebus grauioribus, præsertim in alienationibus earum, Episcoporum consensum expectare, vt expresè cauetur in cap. *Abbatibus* 12. q. 2. ex Concil. Aurelian. III. c. 23. & in c. *In venditionibus* 17. q. 4. ex Conc. Agath. c. 56. in quo etiam aduertendum est bona monasteriorum, seu religionum, semper habita esse in Ecclesia tanquam Ecclesiastica, vt constat ex decretis 10. q. 2. & 12. q. 2. & 17. q. 4. per multa capita, & in Decretalibus. de rebus Ecclesiæ non alienandis & Cod. de sacrosanct. Eccles. & meritò, quia & monasterij ipsa loca sacra sunt, & religiosi personæ sunt ecclesiasticæ, ac bona eorum peculiariter sunt diuino cultui dicata. Hinc ergo fit vt quamuis prædicta potestas esset apud Abbates, nihilominus tenerentur non vti illa contra ecclesiasticos canones in his quæ de rebus Ecclesiæ nullo, vel certo modo alienandis disponunt; nam illi non erant à sacris canonibus exempti.

CAPVT XXVII.

De potestate prædictæ administrationis immobilium, iuxta posterius ius Canonicum.

1. DIximus præcedenti capite de hac potestate iuxta antiquum ius commune; nunc iuxta posterius agendum. Dico ergo: Potestas administrandi bona Religionis, nunc etiam, standoin iure communi, eadem est in prælato regulari, excepta solùm restrictione quæ iure Canonico aduecta est, quoad alienationem aliquorum bonorum. Probatur prima pars, quia ab antiquo iure non recedimus, nisi quatenus per posterius immutatum est, sed nullum inuenitur nouum ius commune seu Pontificiũ quod potestatem hactenus explicatã amplius restringat; ergo. Minor quoad negationem quã includit, probatur, quoniam neque in corpore iuris Canonici, neq; extra illud extat lex in vniuersum aliquid circa hoc statuens, vel generaliter de Ecclesiasticis bonis, vel specialiter de regularibus, præterquam circa alienationes rerum immobilium aut pretiosarum, de quibus vt ad posteriorem partem assertionis veniamus, multa sunt antiqua decreta, quæ prohibẽt prælatis res immobiles vel pretiosas Ecclesiæ alienare, tamen omnia intelligũtur de alienatione cõtraria diuino cultui, vel vtilitati Ecclesiæ, & ideo semper intelligũtur excepti casus, in quibus vel pietas, vel necessitas, aut vtilitas, causa est talis alienationis, vt notant glossa & Doctores in c. *nulli*. de reb. Ecclesiæ non alienand. Tamen pro illis casibus, in quibus talis alienatio licet, verum est in Authenticis citatis inueniri specialem formam seruãdam in alienatione rerum Ecclesiasticarum, quam multi Doctores censent semper fuisse seruandã, quia erat canonizata, 10. q. 2. c. 2. At verò licet Gratianus ibi eam inseruerit, non sequitur esse canonizatam, vt constat ex materia de legibus; & ideo plures Canonistæ censent neque esse, nec fuisse semper necessarium formam illius authenticæ seruare: de qua re videri potest glossa in cap. 1. de reb. Eccles. non alienand. in 6. Glossa, Pan. & alij in c. *nulli*, extra eodem titulo. & Rebuffus in tractat. de alienatione rerum Ecclesiasticarum. n. 2.

II. *Solemnitas alienationis quo posteriore iure fundatur.*

Omissis ergo similibus legibus, per iura canonica specialis solennitas postulatur, sine qua Prælatus Religionis nequit bona immobilia aut mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, &c. cum illa alienare potest, nulla habita ratione aliarum cõditionum, etiamsi per ius ciuile requirãtur, vt tradũt prædicti Doctores, & Innoc. in c. 1. de rebus Eccles. non alienandis in 6. Panor. in cap. *in præsenti*. de probat. num. 28. Et ratio facta conuincit, quia hæc materia Ecclesiastica est, non ciuilis. Primo autem fundatur necessitas huius formæ seu solennitatis in c. *sine exceptione* 12. q. 2. quod à Gratiano tribuitur Leoni Papæ in epist. ad Episcopos Siciliæ, non citat autem numerum epistolæ inter epistolas autẽ Leonis primi, solum quarta est ad Episcopos Siciliæ, in qua hoc caput non habetur. Neque in tomis Conciliorum inter opera eius refertur. Vnde non mihi constat an fuerit Leonis I. vel alterius, quia neque à Gratiano notatur. Neque inter decreta vel gesta alicuius Pontificis Leonis vocati illud inuenio. Vt autem in Gregoriano Decreto aduertitur, alij referunt illud caput ex Leone in Concilio apud Valentias, vel ex Concilio Carthagin. IV. sed in nullo Cõcilio ex Valentinis, quæ habemus, illud c. habetur; in Concilio autem Carthagin. IV. can. 30. ita legitur. *Vt Episcopus rebus Ecclesiæ tanquam commendatis, non tanquam propriis vtatur*. Et c. 32. subiungitur, *Ritè erit donatio Episcoporum, vel venditio, vel commutatio rei Ecclesiasticæ, sine consuetudine, & subscriptione clericorum*. Quæ verba habentur in vltima parte illius capitis, *sine exceptione*, & in cap. 1. de his quæ fiunt à Prælatis, &c. vbi tribuuntur Conc. Valent. Cuiuscunque igitur authoris fuerit illud decretum, certum est esse authenticum, & formam in eo præscriptam, esse necessariam, ex vi iuris communis, prout nunc loquimur.

III. *Prima conditio vt subsit causa sufficiens alienandi.*

Plura autem sunt quæ in illo capite requiruntur. Primum est, causa, quæ explicatur his verbis, *nisi forte aliquid horum faciat, vt melioratio prospiciat*. & infrà, *quod non sit dubium profuturum Ecclesiæ*. Sub quibus verbis comprehenduntur quatuor causæ, quæ ab authoribus numerantur, vt videre licet in Panormitano, & Rebuffo suprà ex Glossa in Summ. 12. q. 2. Prima est necessitas, quæ à fortiori comprehenditur sub vtilitate. Secunda est vtilitas, quæ solet etiã appellari necessitas, vt Philosophi dicũt, ad melius esse. & ita existimo quoad hæc duo capita iura indifferenter loqui, vt patet ex dicto c. *sine. c. si. ut. c. non habenti*. 12. q. 2. & cap. *vt super*. de rebus Eccles. non alien. & in Authen. *Hoc ius*. Cod. de Sacrosf. Eccles. 10. q. 2. Tertia causa dicitur esse quando res est incommoda Ecclesiæ, c. *terrulas*. 12. q. 2. & cap. *fugitiui*. de rebus Eccles. non alien. Sed hæc quid est nisi quædam vtilitas? Si enim rem vtilem pro vtiliori comutare

Prima causa necessitas. *Secunda vtilitas.* *Tertia causa ad spectat.*

magna vtilitas est, dict. c. *super.* §. 1. etiam rem inutilē in vtilem conuertere, vel damnosam diuendere, vtile est: nam hoc ipsum, scilicet vitare damnum, est quædam vtilitas. Non enim existimo, rem immobilem, quantumuis inutilis, vel damnosa videatur, ita licere diuendere, quin, si commodè fieri possit, alia illius loco substituitur, quæ nonnullam vtilitatem afferat: quia, vt dicitur dict. c. *sine exceptione.* illud semper eligendum est, quod sit profuturum Ecclesiæ, semper autem talis commutatio est profutura, si fieri potest.

IV. *Instantia occurritur.*

Dices. Interdum potest res ita esse inutilis, vt nec vendi possit, nec commutari pro alia vtili; tunc ergo licèt talem rem donare absque alia vtilitate. Respondeo, primùm si habere talem rem esset onerosum religioni, quia nimirum in conseruanda illa aliquid expendit, tunc iam esset vtilitas in ea donâda, quia vitare expensas infructuosas vtile est: sed hoc vix accidere potest in rebus immobilibus, sed solùm in se mouentibus, quæ quando huiusmodi sunt, tam paruæ æstimationis sunt, vt non pertineant ad bona de quibus agimus. Si autem res immobilis sine vllo damno, vel incommodo monasterio sub eius dominio conseruari posset, quantūuis inutilis videatur, non potest, vt opinor, liberaliter donari sine aliqua commoditate, vel morali vtilitate monasterij, tum quia habere illud non nocet, & quod nunc videtur inutile, in aliqua occasione poterit esse vtile: tum etiam, quia vt causa sit legitima, non satis est quòd alienatio non sit inutilis, sed oportet vt sit vtilis, vt iura citata docēt, & ideo inter res vtiles non licet commutare æqualem pro æquali, licet aliquid commodi inde monasterio accrescat: omnes ergo hæ causæ sub vna vtilitate continentur.

V. *Vltima causa piæ.*

Addunt verò auctores citati aliam causam, scilicet pietatem, qualis est, v.g. redemptio captiuorum, nam pro illa dicunt posse bona Ecclesiæ alienari, quod probant ex l. *Sancimus.* C. de sacrosanct. Eccles. ibi, *Excepta videlicet causa captiuitatis, & famis: nam si necessitas fuerit* (inquit) *in redemptione captiuorum, tunc venditionem prædictarum rerum diuinarum, & hypothecam, & pignorationes fieri concedimus, quoniam non absurdum est animas hominum quibuscunque vasis, vel vestimentis præferre.* In qua lege solùm est sermo de rebus mobilibus: expendi autem possunt illa verba, *quibuscunque vasis, & vestimentis*, nam planè extenduntur ad res pretiosas, quæ æquiparantur immobilibus; expresse vero in Authent. de alienat. & emphyt. tit. 3. de alienatione, & emphyteusi, c. 9. *Sanctissimas*, dicitur, *Ecclesias, seu œconomos ciuitatum præcipimus alienare res immobiles pro captiuorum redemptione, nisi sub hac conditione possessiones aliquid dederint, vt nullo modo has alienent.* Sed hæ leges cùm Ecclesiasticæ non sint, non possunt de rebus Ecclesiarum disponere, & ita non videtur illis standum nisi vel quatenus ipsum ius naturale, & diuinum explicant, vel canonibus consentaneæ sunt. Inuenimus autem illas leges canonizatas per iura canonica, c. *sacrorum.* 12. q. 2. vbi Gregorius ait, *Et sacrorum canonum statuta, & legalis auctoritas permittit, licite res Eccl. si opus sit in redemptionem captiuorum impendi.* Similia verba habet lib. 6. epist. 35. cap. 199. & apud Gratianum suprà c. *& sacrorum.*

VI. *Ministeria Ecclesiæ vasa sacra vocantur.*

Sed oportet causæ exponere verbum illud, *Ministeria Ecclesiæ*, non enim est sensus, Ecclesiastica munera, aut actiones vendi posse propter opera misericordiæ, constat enim illud non licere; sed vasa sacra, quia ad diuina ministeria deputata sunt, ministeria nuncupauit, vt patet ex verbis infra subiunctis, *Si de prædicta Ecclesia vsuale argentum est, suprascriptā quantitatem accipiet, aliosq; ide sacratis vasis vos hac in re tam, quam prædiximus, qualitatem præbere nec esse est: nam sicut omnino graue est frustra Ecclesiastica ministeria vendere, sic iterum culpa est imminente huiusmodi necessitate res desolatæ Eccl. sticæ captiuis suis præponere, & in eorum redemptione cessare.* Quod etiam elegāter prosequitur Ambrosius lib. 2. de Offic. c. 28. Et habetur apud Gratianum cap. *sicut.* cap. *aurum.* 12. q. 2. Ex prædictis autem verbis constat, hunc casum comprehendi sub Ecclesiæ vtilitate, imò etiam necessitate, vt Gregorius in citatis verbis satis declarauit, rectèque comprehenditur hæc causa in dicto c. *sine exceptione*, in verbis illis, *Vt meliora prospiciat.* Addit quintam causam Hostien. in Summa, tit. de rebus Eccles. non alien. scilicet, æquitatem, ex cap. *ad aures.* eod. tit. Verumtamen in illo etiam textu maior Ecclesiæ vtilitas considerata est, vt patet ex illis verbis, *Nisforte tunc alia possint ad maiorem Ecclesiæ vtilitatem cum eodem labore, & onere conferre.* Solùm ergo potest ratio æquitatis facere, vt cum æquali Ecclesiæ vtilitate is præferatur, cui alia ratio æquitatis fauet.

Vide Molin. tract. 2. disp. 468. & Con. lib. 2. de iust. disp. 25. n. 6. & 7.

Atque hæc conditio ita explicata per hæc omnia membra non tam est positiui iuris, quàm diuini, & naturalis, quod quidem verum est de quocunque prælato Ecclesiastico, quantum ad bona ipsius Ecclesiæ, quorum ipse non est dominus, sed dispensator: multò verò magis in prælato regulari propter paupertatem, quā profitetur. Additur verò expositiuo iure necessarium esse vt de hac causa cōstet per publicum instrumētum ad hoc specialiter factum, ita vt non sufficiat hoc inseri in instrumento alienationis. Ita docet Dominicus, Philippus, Socinus, & Guido, quos refert, & sequitur Rebuffus suprà, num. 10. Hanc verò solennitatem non inuenio expressam in dict. cap. *sine exceptione.* ipsi verò allegant cap. 1. de rebus Eccles. non alien. in 6. cuius verba sunt, *Præsertim cum euidens necessitas quare fieri debeat, vel vtilitas non subesset.* Ex quibus non video quomodo illa peculiaris conditio & solennitas colligatur, nam ibi solùm requiritur vt verè subsit euidens necessitas, & vtilitas: quòd autem hoc constare debeat per speciale instrumentum, ibi non dicitur, neque ego inuenio aliud in iure expressum durum autem est admittere conditionem vt necessariant ad contractus valorem, vel honestatem, quam iura non exprimunt. Præsertim, quia in cap. 2. de rebus Eccles. non alien. in 6. solùm postulatur vt alienatio fieret *in forma, & casibus à iure permissis*, casus autem sunt suprà numerati, circa quos, vt de illis constet, nulla forma ponitur in iure, sed circa alia, quæ statim dicemus. Quocirca nisi cōsuetudo fortasse obstet, videtur probabile ex parte causæ sufficere quòd in re subsit, & sufficienter possit de illa in iudicio constare siue per speciale instrumentum, siue aliis modis. Ad quem autem pertineat probare huiusmodi vtilitatem Ecclesiæ, si forte polt alienationem lis exorta sit, videri potest in citatis auctorib. & præsertim in Couarruuia lib. 2. Variarum cap. 17. ad nos enim non spectat.

VII. *Ratione explicatur conditio iuris naturalis.*

VIII. *Secundo requiritur tractatus.*

Secundò vt rectè fiat alienatio, necessarium est vt ante illam præcedat tractatus, dict. c. *sine exceptione.* ibi, *Et cum totius cleri tractatu, & consensu,* & in cap. 1. de rebus Eccles. non alien. in 6. quædam concessio reprobatur. *Quia tractatus solennis, & diligens, qui in talibus concessionibus perpetuis, & alienationibus rerum Ecclesiasticarum exigitur,* non fuit habitus in eadem. Est autem tractatus mutua collatio conuentus, seu Capituli de necessitate, vel vtilitate alienationis; vnde ad illum conuenire debent omnes, qui circa talem alienationem suffragium habent, nam eorundem petitur tractatus, quorum consensus postulatur. Oportet etiam (iuxta communem interpretationem) vt tractatus fiat inter religiosos, vel clericos capitulariter congregatos, ita vt non sit satis separatim cum singulis rem tractare, aut per literas cum eis conferre, nisi in vnum

vnum conueniant, & inter se conferant, nam & verba iurium hoc indicant, & iuuat cap. *tertio loco.* de probationibus & res ipsa ita postulat vt conuenienter agi possit, & Doctores consentiunt, vt patet ex superius citatis. Addit Rebuf. suprà numero suo 12. debere fieri speciale instrumentum de hoc tractatu, quod in iure non inuenio expressum, & ideò non iudico esse necessarium in foro conscientiæ; tamen in exteriori praxi sequendus est vsus, & communis sententia: existimo tamē sufficere quòd in eodem instrumento alienationis narretur tractatus præcedens, non tantùm præsupponendo, sic enim oportebit vt alia via de suppositione constaret; sed narrando illum, & dando fidem illius, ex sententia Capituli, quæ ex illo resultaret circa vtilitatem alienationis; & fortasse Iuristę nihil aliud intelligunt.

IX. *Tertia conditio.*

Tertia conditio est consensus Capituli in talem alienationem. Patet ex citatis verbis c. *sine exceptione.* & ex aliis statim citandis: vnde quoad hanc partem multum diminuta est potestas prælati, quia non est monarchica, sed cōiuncta cum aristocratia. Ratio autem seu congruentia huius iuris fuisse videtur, vt difficilior fieret hæc alienatio, & quia fortasse prælati abutebantur potestate, quam antea in solidum habere solebant, &, si petebatur consilium seniorum, vel Capituli, non erat decisiuum, sed cōsultiuum, iuxta hanc verò formam omnes de conuentu habent suffragium decisiuum. Vnde duo actus hic distinguendi sunt, vnus pertinens ad tractatum, alius pertinens ad ipsum contractum alienationis. Prior pertinet ad intellectum, seu iudiciū, per illum enim quasi fertur sententia quòd talis alienatio expediat, vel necessaria sit monasterio, ad hanc enim ordinatur tractatus, &, si in ea Prælatus non cōfirmaretur Capitulo saltem pro maiori parte, non esset vltrà progrediendum, quia iam deesset iustæ alienationis fundamentum, nec posset rationabiliter postulari consensus in alienatione ab his, qui eam conuenientem non esse iudicassent. Alius actus est voluntatis, quia propriè nomine consensus significatur, & est voluntas quòd talis alienatio fiat: potest enim aliquis iudicare vtile esse monasterio vt fiat alienatio, & nihilominus nolle vt hic & nunc, vel cum tali persona fiat, propter extrinsecos respectus, vel rationes: propterea ergo requiritur consensus in ipsamet alienatione. De quo consensu, quomodo debeat exprimi in instrumento per propria nomina, & subscriptiones singulorum, & de aliis circumstantiis eius, videri possunt auctores citati.

Vnus actus pertinens ad hanc rem.

Alter actus.

X. *Explicatur vnus ex dictis.*

Quod ad nos spectat, solùm est aduertendum requiri simul consensum prælati, & Capituli. Vt autē Capitulum consentire dicatur, non est necesse vt omnes de Capitulo consentiant, sed sufficit maior pars, vt ibi glossa aduertit, nam quod à maiori parte fit, censetur à toto fieri, vt suprà c. 5. tractando de electionibus diximus: si autem saltem magna pars non consentiat, etiamsi plures cum prælato velint, nihil fieri poterit, quia tunc verum non est, Capitulum consensisse: è contrario verò quamuis totum Capitulum, excepto prælato, consentiret, non posset alienatio fieri, vt est communis sententia Doctorum, quos retuli, quia vtriusque simul, prælati scilicet, & Capituli consensus necessarius est. Item, quia per hanc formam non priuatur prælatus sua potestate, sed solùm limitatur ne possit illa vti sine consensu Capituli, vt apertè colligitur ex iuribus citatis: ergo semper necessarium est vt interueniat auctoritas, & potestas prælati, quod esse non potest sine consensu eius. Tandem ob hanc causam sede vacante non potest Capitulum cathedralis Ecclesię bona eius alienare, vt constat ex c. 1. de rebus Eccles. non alien. in 6. vbi glossa aduertit idem esse in minoribus Ecclesiis c. *si qua.* & c. *precaria.* 12. q. 2. Huius autem ratio inter alias est, quia auctoritas prælati est maximè necessaria ad huiusmodi actum; ergo quando Ecclesia non vacat, fieri non potest sine cōsensu eius.

Solùm quæri potest, si contingat in Capitulo paria esse suffragia præter prælatum, & inter se æqualiter diuidi, an id sufficiat, vt accedente consensu prælati, fieri possit alienatio: videtur enim non satis esse: quia Capitulum in hoc negotio debet considerari vt condistinctum à prælato, nam iura dicunt, prælatum non posse hoc facere sine consensu Capituli; & è conuerso dicimus consensum totius Capituli sine Episcopo non sufficere: considerantur ergo Capitulum, & prælatus tanquam duæ personę condistinctæ, quarum consensus simul necessarij sunt, sic autem considerando Capitulum nō potest dici in eo casu consentire, quia maior eius pars non consensit. Nihilominus probabilius videtur saltem in religionibus, vbi Capitulum non ita condistinguitur à prælato, sicut in cathedralibus Ecclesiis, illum consensum Capituli sufficere, quia prælatus est pars Capituli, & ideo absolutè verum est tunc maiorem partem Capituli, & Consequenter Capitulū ipsum cōsentire. Neque est incōueniens quòd prælatus suo consensu operetur, & vt pars habens suffragiū in Capitulo, & vt caput, & superior sua fungens potestate: atque idem censeo de quocunque Capitulo, in quo prælatus eodem modo præsideret. Alia multa possent de his conditionibus tractari, quæ omitto, quia pertinent ad vniuersaliorem materiam de bonis Ecclesiasticis, & quia vnaquæque religio hæc obseruat, vt statim dicam, iuxta priuilegia sibi concessa: videri ergo possunt in citatis auctoribus, præsertim in Panormitano in c. 1. & c. *sua.* de his quæ fiunt à prælatis, &c. Geminiano, & aliis in c. 1. de rebus Eccles. non alien. in 6.

XI. *Quæstiuncula insur-gens.*

Authoris probabilis resolutio.

Solùm ergo addendum est, pro regularibus prælatis iure nouo confirmato, & declarato esse illud antiquum ius in Clemen. vnic. de rebus Ecclesiæ nō alienandis, vbi omnibus *religiosis, monasterio. Prioratui Ecclesiæ, seu administrationi cuiuspræsidentibus* prohibetur hæc alienatio, *nisi necessitas aut vtilitas monasterij, Prioratus, Ecclesiæ, aut administrationis huiusmod. hoc exposciant, conuentus sui aut, si conuentum non habeant, prælati proprij assensu ad hoc nihilominus accedente.* In quo iure solùm superest explicanda illa vltima conditio, quæ additur quando deest conuentus: tunc enim solius prælati consensus postulatur. Ex quo in primis videtur à contrario sensu colligi, quando prælatus, aut prior habet conuentum, tunc, si vterque consentiat, non esse necessarium consensum superioris prælati. Probatur, quia hic specialiter postulatur quando deest conuentus: ergo, quando non deest, sufficit consensus eius sine consensu superioris prælati.

XII.

Sed contra hoc obiici potest, quia prælatus non exemptus non potest aliquid alienare sine consensu Episcopi, etiamsi conuentus consentiat, vt colligitur ex cap. *Abbatibus,* 12. q. 2. & cap. *in venditionibus.* 17. q. 4. & tradit glossa recepta in Summa, 12. q. 2. prælatus autē conuentualis exemptus indiget consensu sui Prouincialis, quem habet loco Episcopi, nam, cùm sit exemptus, in illo consensus Episcopi necessarius non est, vt notauit Turrecr. in dicta Sūma, in princ. 12. quæst. 2. tamen loco illius est necessarius consensus sui prælati. Respondetur ad priorem partem, in dicta Clementina non requiri in eo casu consensum superioris prælati; & ita ex vi illius non esse necessarium consensum Episcopi; tamen quia illa nō reuocat antiquum ius, nec de hoc aliquid positiuè disponit, ideo, ea non obstante, veram esse communem sententiam. Nam argumentum in contrarium licèt sit efficax ad probandum,

XIII. *Obiectio.*

ex vi illius iuris non postulari talem consensum, nō tamen est efficax ad probandum non requiri ex vi aliorum iurium. Atque idem dicendum est ad posteriorem partem, quæ per se est consentanea iuri communi, quatenus Prouincialis, vel Generalis vicem Episcopi tenet respectu monasterij exempti; nihilominus tamen illud pendet ex proprio iure vniuscuiusque religionis. Vbi autem nihil in contrarium statutum fuerit, prędictum ius commune seruandum est, adeo, vt Archidiac. Hostien. & alij, quos refert & sequitur Rebuff. suprà n. 85. non valere cōsuetudinem in contrarium dixerint.

XIV. *Circa postulandum cōsensum prælati superioris, dubium vnum.*

Circa eandem verò partem, quatenus postulat consensum Superioris, quando Prior, vel administrator non habet conuentū, interrogari potest primò, an prælatus superior, vel Episcopus possit solus cōsensum præstare, vel simul debeat cōcurrere Capitulum Ecclesiæ, vel monasterij, cui talis prælatus præest. Et ratio dubij esse potest, quia iuxta formā *c. sine exceptione.* Episcopus non potest alienare bona Ecclesiæ sine consensu Capituli, quæ forma non est reuocata per dictam Clementinam. Respondetur nihilominus, ex vi illius textus non requiri consensum nisi solius Episcopi, v. g. Quam sentētiam significant Geminianus, Perusius, Speculator, quos refert, & sequitur Rebuffus suprà, n. 88. vbi allegat etiam alia iura. Sufficiunt tamen verba eiusdem Clementinæ, quæ solū requirit consensum prælati proprij: nec oportet addere onus, quod lex non addit. Nec ex vi antiqui iuris id erat necessarium, nam in dicto *c. sine exceptione*, expresè dicitur, *ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ suæ*: vnde omnes colligunt, ad alienāda bona inferiorum Ecclesiarum non requiri consensum Capituli Ecclesiæ cathedralis, sed Episcopi, & eorum, ad quos pertinet proxima cura taliū Ecclesiarum. De quo possunt optimè intelligi vltima verba eiusdem textus, quę generaliùs loquuntur de alienatione rei Ecclesiasticæ, & prohibetur fieri ab Episcopo *absque consuetudine, & subscriptione clericorum.* Quæ intelligenda sunt respectiuè, id est, clericorum vniuscuiusque Ecclesiæ, vel vnius tantùm, si plures non habuerit. Ergo, si Ecclesia fuerit regularis, &, si conuentum non habuerit, etiam ex vi illius textus sufficit consensus Episcopi, & Prioris.

XV. *Dubium alterum per distinctionē duplicis casus resolutum. Quid in posteriori.*

Sed quid si talis Prior fuerit exemptus? Respondeo, aut est immediatus Papæ, aut habet prælatum superiorem intra eandem religionem: in hoc posteriori casu proprij prælati regularis consensus necessarius est, & sufficit. Solùm tenebitur ipse prælatus superior ad præbendum suum assensum, vti consilio sibi, iuxta suam regulam præscripto ad similes res graues definiendas, siue illud consultiuum sit, siue definitiuum: quoad hoc enim verum est, dictam Clementinam licèt in eo casu non requirat consensum alicuius Capituli, vel consilij, non tamē excludere alia iura specialia, quæ illud possunt requirere. Quocirca, si bona illius Ecclesiæ, quæ per huiusmodi Priorem sine proprio conuentu administrantur, sunt ita annexa alteri monasterio, vt cēseantur etiam bona illius, ideoque talis Prior sit subiectus prælato illius monasterij; tunc sine dubio erit necessarius consensus non tantùm prælati, sed etiam Capituli monasterij: quia ipsemet prælatus non potest dare suum consensum ad alienanda bona monasterij sine consensu Capituli, illa autem bona etiam sunt talis monasterij. At verò in priori casu necessarius erit consensus Pontificis, nam ille est proprius prælatus talis Abbatis, seu religiosi exempti: quod notat glossa in dicta Clementina, verbo *Proprij.* & Rebuffus suprà, numer. 86. Quo omnes addunt, si talis Abbas Ecclesiam habeat pleno iure sibi subiectam, id est, cum Episcopali iurisdictione, tunc non indigere consensu Pontificis, nam potiùs ipse potest præbere auctoritatem alienationibus bonorum cuiuscūque Ecclesiæ sibi subiectæ, consentiente illius Rectore. Aduerto tamen non solùm in regularibus, sed etiam in secularibus prælatis inueniri minimè posse aliquem habentem iurisdictionem Episcopalem, & Pontifici immediatè subiectum, qui tamen conuentum non habeat, seu Capitulum, vel saltem clerum: quapropter nullum existimo esse talem Abbatem, qui solo arbitrio suo sine consensu alicuius prælati sibi superioris, saltem Papæ, & sine consensu alicuius Capituli, vel cleri, vel saltem proximi rectoris Ecclesiæ possit bona Ecclesiæ alienare. Nam in dicto cap. *sine exceptione.* generalis regula ponitur, Episcopum nō posse alienare bona Ecclesiæ sine consensu cleri: ergo multò minùs poterit inferior prælatus habens iurisdictionem Episcopalem: ergo è contrario quotiescunque locum habet casus dictæ Clementinæ, in quo religiosus præfectus non indiget consensu alicuius conuentus, vel cleri, quia illum non habet, necessarius illi est consensus alicuius prælati superioris, saltem Papæ, quantumcunque ipse exemptus sit: nec in hoc existimo posse habere locum limitationem, vel exceptionem, sed solùm in illis prælatis, qui cùm habeant conuentus, in eis habent Episcopalem iurisdictionem solùm Pontifici Summo subordinatam.

De quibus rebus alienandis intelligatur prædicta solennitas.

Additur verò in dicta Clemenrina limitatio huius formæ, seu prohibitionis his verbis, *Vsumpraemissa ad locationes, vel etiam reddituum aut fructuum venditiones ad tempus modicum faciendas, declaramus vltimam non extendi.* Circa quæ verba duo in hoc puncto declaranda supersunt. Primum, in quibus bonis alienandis requirantur prædictæ conditiones: secundum, in qua eorum alienatione necessaria sit: vtrique autem horum satis distinctè explicatur in Extrauag. *Ambitiosæ.* de rebus Eccles. non alien. nam generalis regula ibi statuta de Ecclesiasticis bonis, ad regularia etiam applicanda est. Quoad priorem ergo partem, declaratur ibi, bona, circa quæ prædicta omnia seruanda sunt, esse omnia *immobilia*, & *pretiosa mobilia*: vnde fit, circa alia omnia, quæ huiusmodi non fuerint, conditiones illas non esse necessarias, ac proinde circa alienationem illorum integrum manere ius antiquum, & potestatem, quam iuxta illud habent regulares prælati. Quid autem per immobilia bona intelligatur, res nota est, & videri potest Panormitanus cap. *Nulli.* de rebus Ecclesiæ non alienandis, numer. 9. & 10. & tomo præced. illud attigimus, tractando de materia paupertatis. In præsenti ergo sub immobilibus bonis comprehenduntur tam res corporeæ, fixæ, & immobiles, quam actiones, & iura, vel redditus longi temporis, seu ius diuturnum ad illos, censetur autem diuturnum, si sit saltem decem annorum. Item etiam iura, seu debita rerum immobilium, quę naturam eorum participant.

Circa hæc autem debita oportet aduertere, necessarium esse, vt iam sit monasterio ius acquisitum, nam antea non sunt bona monasterij, nec Ecclesiastica, & ideo nondum comprehenduntur sub prædictis legibus, ideoq; si quis modus alienationis in dicta lege eis esse potest, manet sub ordinaria potestate administratiua prælati. Exemplum est, si donatio offeratur monasterio sub his, vel illis conditionibus, vel legatum relinquatur, ante acceptationem non habet monasterium ius acquisitum, & ideo ad nō acceptandum manet potestas apud prælatos, possuntque alienare, vel commutare bona sibi relicta modo suprà dicto, tractando de paupertate in materia

vtili-

vtilitatem, vel commoditatem monasterij. Quam sententiam tenuit Freder. de Senis consil. 9. quem refert, & sequitur Panormitan. in cap. 1. de in integrum restit. n. 9. & cap. *tua.* de his, quæ fiunt à Prælatis, num. 9. vbi additio refert Romanum, Ancharanum, & Lapium, & alios refert Rebuffus suprà, num. 30. vbi tamen refert etiam Ancharanum & alios in contrarium, & ipse, licèt distinctione vtatur, in eam sententiam magis inclinat, & eam sequitur noster Molina disput. 468. de iustitia. Sed mihi in rigore prior opinio vera videtur, nam ante acceptationem nō est proprium ius acquisitum, quod inter bona immobilia computari debet. Facit ad hoc confirmandum dictum Pauli de Castro consil. 11. & Felin. cap. *cognoscentes.* de Constit. num. 7. limit. 3. mulierem posse repudiare donationem sibi factam nondum acceptatam omissa solennitate statuti loquentis de alienationib. mulierum, quia loquitur vbi ius est acquisitum in re. Quod etiam sentit Sanch. lib. 6. de Matr. d. 4. à num. 11. Verum est debere Prælatos in hoc seruare modum sua regula præscriptum, vel si in hoc nihil esset speciale definitum, seruare debet generalem regulam, vt in rebus arduis nihil agat sine consensu conuentus: de qua videri potest Felinus in cap. *docenti*, de rescriptis, num. 3.

XVIII. *Quæ censeantur mobilia pretiosa.* Quę verò censeri debeant mobilia pretiosa, non inuenio in iure declaratum, neque ab auctoribus de illa re certa regula assignatur præter quædam exempla sumpta ex l. *lex.* C. de administr. tut. vt videre licet in glossa in cap. *tua.* de his, quæ fiunt à Prælatis, & Panormitan. in dict. cap. *nulli.* num. 8. & 11. prudens ergo iudicium interuenire debet. Primum autem locum inter hæc bona obtinent vasa, & vestimenta diuino cultui deputata, quando sunt ex materia multæ æstimationis, præsertim si in eo genere, & quantitate materiæ, & artis qualitate præstent, vt sunt vasa aurea, vel argentea, gemmæ, vestes aureæ, aut sericæ maioris pretij: & de his præcipuè loquitur dicta Extrauagans, *Ambitiosa*, dicens, *Pretiosa mobilia Deo dicata, ex quibus Ecclesiæ, monasteria, & pia loca ornantur, illustrantur que.* Existimo præterea in hoc numero computari copiosam bibliothecam monasterio competentem: nam licèt singuli libri, vel plures illorum alienari possint sine illa solennitate, vendere tamen totam bibliothecam est sine dubio res grauissima, quæ inter mobilia pretiosa, quæ seruando seruanda sunt, vt iura loquuntur, meritò computatur. Et idem iudico de grege integro ouium, aut similium rerum se mouentium, quæ fructiferæ sunt, & immobilibus bonis communi æstimatione æquiparantur. Idem censuit Nauarrus consil. 7. de reb. Eccles. non alien. de cæsione arborum ferentium & non ferentium fructus, quæ magno pretio æstimantur, & venduntur: nam, licèt illa res videatur mobilis, est pretiosa, & quatenus pertinet ad vtilitatem prædij, & illi adhæret, quodammodo est immobilis: & nihilominus in consil. 6. ait idem Nauarrus, succidere aliquas arbores inutiles, vel opacas, & eas vendere, non transcendere æstimationem, & modum rerum mobilium, quæ seruando seruari non possunt, vel non debent, quia reuera & sunt paruæ æstimationis, & non pertinent ad vtilitatem prædij, & ideo nullo modo reputantur immobiles; cætera autem bona mobilia, quæ huiusmodi non sunt, & seruando seruari non possunt, etiam ratione quantitatis, si aliquando sint magni pretij, inter mobilia pretiosa non computātur, vt sunt pecunia, oleum, triticum, vinum, & alij fructus, atque etiam vestes, quæ quotidiano vsu facilè teruntur, & magnæ æstimationis non sunt.

Quæ mobilia non censeantur pretiosa.

XIX. *Opinio Panormitani.* Ex quo infert Panormitanus dicto cap. *nulli.* cum glossa ibi, hæc omnia permutari posse à Prælato, aut vendi sine prædicta solennitate, quia in eis integram retinet administrandi potestatem, nam, vt suprà dicebamus, ius antiquum integrum manet, vbi per nouum non est immutatum; circa hæc autem bona nihil innouatum est in prædictis iuribus. Solùm excipitur in dicto c. *nulli, rusticum mancipium, iuxta* Authenticum de non alienandis, §. *nec igitur.* nam iuxta ius antiquum computabatur huiusmodi mancipium quasi accessorium, vel quasi pars ipsius prædij, & ideo inter immobilia computabantur. Et ideo fortasse idem nunc censendum erit de iugis boum, aut aliorum iumentorum cum alijs rebus deputatis ad cultum prædij: nam licèt singula ex his non sint mobilia pretiosa, tamen peculium illud rusticanum (vt sic dicam) quid pretiosum dici potest, & coniunctum prædio est, veluti quid immobile: in eo ergo etiam videtur seruanda forma iuris. In cæteris autem mobilibus, vt dixi, Prælatus habet suam integram potestatem, vt plane colligitur ex dicta Extrauag. per argumentum ab speciali, & ex dicta Clemen. in fine, per argumentum à fortiori, & est communis sententia his locis, & 12. quæst. 2. in princ. cum glossa ibi, & in cap. *tua*, vbi etiam Panormitan. de his, quæ fiunt à Prælat. &c. Additur verò in dicta Extrauagante verbum notandum, *Ac de fructibus, & bonis, quæ seruando seruari non possunt pro instantis temporis exigentia.* Quo significatur, etiam hæc bona non esse alienanda nisi quando opportunitas, vel occasio id exigit, respiciendo semper ad necessitatem, vel commoditatem monasterij, vel ad debitam pietatem.

verum de his non præsumitur.

Exceptio à consuetudine.

Notandum.

De qua alienatione intelligatur eadem solennitas.

XX. Quoad alterum verò partem num. 16. propositam, in qua scilicet alienatione requiratur prædicta solennitas, dicitur in prædicta Extrauagante, *Omnium rerum, & bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omnesque pactum, per quod eorum dominium transferatur, concessionem, hypothecam, locationem, & conductionem vltra triennium, nec non infeudationem, vel contractum emphyteutisum, præter quam in casibus à iure permissis, & de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, & cum Ecclesiarum euidenti vtilitate.* Per quæ verba inprimis sublata est ambiguitas, quæ in dicta Clementina relinquebatur, quod censeatur modicum tempus: quam ibi tractat glossa, & refert varias opiniones, & Panormitanus ibi videtur approbare illam, quæ tempus infra decennium censet esse modicum: tamen dicta Extrauagans limitauit tempus trium annorum, & ita de facto seruatur, & seruandum est. Deinde possent hìc quæstiones institui de singulis contractibus istorum quomodo Prælato prohibiti sint, & an sint omninò inualidi sine debita solennitate facti, & an saltem valeant pro tempore permisso, quando pro maiori indebitè facti sunt. Sed ab his, & similibus quæstionibus nunc abstineo, quia generales sunt de omnibus Ecclesiasticis bonis, & latè tractantur à citatis auctoribus, & videri potest Molina tom. 2. de Iustit. disp. 466. & tribus sequentibus. Nunc solùm suppono ex dictis iuribus manifestum esse, huiusmodi contractus esse irritos ex vi prædictarum legum absque alia sententia, vel declaratione, quia in ipsa lege satis explicatur, neque talis irritatio est pœna, vt sit necessaria sententia. Nec mihi placet sententia eorum, qui dicunt, si non cesset iusta causa, & vtilitas Ecclesiæ propter solum defectum solennitatis non teneri quempiam in conscientia recedere à contractu, quod sentit Nauarrus Commentario de Alienatione rerum Eccles. num. 15. & sequentib. & in Comment. de spoliis clericorum, §. 2. num. 6. quia solennitas (inquit) inducta est ad

Varia alienationum, in quibus requiritur dicta solennitas.

Defectus illius solennitatis irritat alienationē.

præsumendam iustam causam; vbi autem intercedit veritas, cessat præsumptio. Sed non placet, quia non est tantùm ad præsumendum, sed ad præcauendum ne aliter fiat, & ideo non obstante veritate causæ, necessaria est solennitas. Tum quia effectus legis, & obligatio non cessat, etiamsi finis in particulari cesset: tum etiam, qui deest potestas ad contrahendum alio modo: ergo actus est simpliciter nullus.

XXI. *Tunc aut contractus rescindendus, aut solennitas denuò adhibenda.*

Quapropter qui hoc modo accipit bona alienata à monasterio, non potest illa in conscientia retinere, nec fructus, imò, si sit in mora restituendi, tenebitur ad damna monasterij, nisi propter bonam fidem à culpa excusetur. De quo videri potest Nauarrus tribus consilijs vltimis de rebus Eccles. non alien. Couar. in reg. *Peccatum*, §. 3. n. 11. Anton. Gom. l. 3. Tau. n. 124. Gutier. de iure confirm. 1. p. c. 1. n. 42. Rebuff. referens alios antiquos, suprà, n. suo 42. & Molina loco citato; neque in hoc potest monasterium cedere iuri suo, nisi confirmando denuò contractum, & supplendo priorem defectũ: nam quando ius præscribit certam formam essentialem seruandam in contractibus, nemo potest huic iuri renunciare, vt sumitur ex l. *contra ius*. a. ff. de pactis, & l. *nemo potest*. ff. de legat. 1. notat Panormit. in c. *si diligenti*. de foro compet. num. 7. ex Bartolo in l. *si quis in conscribendo*. C. de pactis. Vnde si in præsenti casu consensus Capituli, v. g. prætermissus fuisset, actus quidem in rigore esset inualidus, potest tamen ratificari per consensum Capituli, præmisso tractatu, & tunc incipiet valere contractus non à tempore, quo factus est, sed à tempore, quo fuit ratificatus, vt est communis sententia Doctorum, quos refert Rebuffus suprà, n. 95. Et per hæc satis videntur dicta iura explicata quantum ad præsens institutum spectat. De pœnis autem excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, quæ ibi adduntur, præsertim in Extrauag. *Ambitiosæ*, dictum in particulari est in tomo de Censuris: disp. 22. sect. 6. à num. 6. De alijs verò, quæ pertinent ad priuationem beneficiorum, aut officiorum, iuxta generales regulas materiæ de Legibus iudicandum est, vbi etiam in specie illam Extrauagantem attigimus, & cum Nauarro adnotauimus, quoad has pœnas non videri vsu receptum.

De pœnis indebitè alienantium.

CAPVT XXVIII.

De potestate prædictæ administrationis iuxta statuta & specialia indulta religionum, nominatim Societatis Iesu.

I. *Assertio pro 1. parte tituli.*

IN hac re dicendum est, Prælatum vniuscuiusque religionis posse & debere administrare bona monasterij, aut religionis iuxta indulta, & priuilegia à Sede Apostolica suæ religioni concessa, & iuxta suã regulam, vel constitutiones ab eadem Sede approbatas. Probatur, quia indulta Apostolica dant potestatem derogando etiam iuri communi, quando id sufficienter exprimunt, (nam quòd possint id facere, manifestum est.) Constitutiones autem cõstituunt ius, quod huiusmodi Prælatus seruare tenetur: ergo & potest, & debet iuxta talia indulta, ac statuta religionis bona administrare. Quæ verò sint huiusmodi statuta, & indulta in singulis religionibus, non est nostrum nunc inquirere, vel examinare, sed videri possunt, quæ de his priuilegijs, sicut & de cæteris alijs, doctè, & diligenter tractat Emmanuel Rodericus in 1. tomo Quæstionum regularium, q. 27. Si quis autem attentè animaduertat, in priuilegijs communiter concessis Mendicantibus, aut monachalibus religionibus, nihil ferè derogatum est de solennitate ad alienationem requisita, in reliquis verò, quæ ad administrationem pertinent, idem ferè ius commune est omnibus. Quod si aliqua sit varietas in specialibus statutis, eorum intelligentiam, & obseruantiam vnicuique Prælato remittimus.

Priuilegia religionum parum derogant solennitati iuris communis.

II. *Priuilegi alienandi non obstantibus vltimis voluntatibus.*

Solùm est notatu dignum priuilegium illud à Sixto IV. & Leone X. concessum Minoribus ad alienandum aliqua bona immobilia, *non obstantibus vltimis voluntatibus testatorum, vel donantium*, prout refertur in Supplemento Minorum, conceſſ. 95. & 317. Quanquam, quia illi non habent bona immobilia, solùm conceditur eis commutatio talium bonorum, quando primùm illis traduntur. Alij verò Mendicantes, qui habere possunt dominium rerum immobilium, vti possunt illa facultate, etiam postquam acceptant, & possident talia bona, iuxta testantis voluntatem, dummodo obseruent conditiones in priuilegio requisitas, nimirum, vt sine scandalo fiat, & cum diligenti informatione de talis alienationis, vel commutationis necessitate. Et ita habetur in priuilegijs Augustinianorum, & in Compendio Societatis, verb. *Alienatio*, §. 5. vbi vsus huius facultatis reseruatur Generali, iuxta proprium, & peculiarem modum procedendi Societatis. De quo pauca hic addere necesse est, ne oporteat iterum postea in tract. 10. de hac temporali administratione sermonem facere, & quia antiquus modus procedendi religionum videtur in ea quoad hanc partem, innouatus. Ac denique, quia, vt in fine dicam, aliqui putant, posse alias religiones, vel Generales earum per communicationem priuilegiorum vti Pontificijs facultatibus Præposito Generali Societatis in hac parte concessis.

III. *Amplissima facultas Societatis in hac parte limitata.*

Est igitur in hac materia aduertendum, quòd sicut in Societate religiosum regimen ad perfectam monarchiam reuocatum est, vt infrà tract. 10. lib. 10. cap. 1. dicam, ita tota potestas administrandi omnia domorum, vel collegiorum Societatis bona temporalia, illi per Constitutiones Societatis attributa est, hoc solo excepto, quòd collegia semel acceptata dissoluere non potest, nec etiam immobilia bona omninò alienare, vt habetur 9. p. Constit. his verbis: *Est penes Præpositum Generalem omnis facultas agendi quoscunque contractus emptionum aut venditionum quorumlibet bonorum temporalium mobilium tam Domorum, quàm Collegiorum Societatis: & imponendi, ac redimendi quoslibet census super bona stabilia ipsorum Collegiorum, in eorundem vtilitatem ac bonum, cum facultate seses onere liberandi, restituta pecunia, quæ data fuerit. Alienare autem, aut omninò dissoluere Collegia, vel Domos tam erectas, quàm non erectas Societatis, sine generali eius Congregatione, Præpositus Generalis non poterit.* Et statim §. 6. Generali datur facultas disponendi, & applicandi huic, vel illi loco quæcunque bona Societati indifferenter relicta, prout magis censuerit expedire: & infrà §. 17. declaratur, posse etiam admittere Collegia, & Domos, quamuis non posit ea dissoluere, vt statim additur in 18. Ex quibus constat hanc potestatem ex vi Constitutionum esse latissimam, extendique omnia mobilia sine vlla limitatione, ideoque etiam pretiosa comprehendere. Item extendi ad immobilia quoad imponendos census super illis, dummodo redimi possint, & cedant in religionis vtilitatem, qui est modus quidam alienationis: ex quo planè sequitur posse etiam locare, vel facultatem dare ad locandum vltra triennium, & omnes alios contractus efficere, qui non continent propriam ac perpetuam alienationem, vel translationem dominij directi, aut vtilis: nam omnes illi sunt minores alienationes rerum immobilium, quàm venditio census super illis: cui autem maius conceditur (vt habet regula iuris 53. in 6.) censetur etiam minus concessum, in his saltem, quæ eiusdem sunt rationis.

At

IV. 1. Limitatio non alienandi emmobilia immobilia.

At verò absoluta seu perpetua alienatio rerum immobilium, ex vi huius constitutionis Generali non conceditur, quamuis sub his terminis ibi expressè non dicatur, sed ex his, quæ illi specialiter conceduntur, constat hoc non esse concessum, & consequenter esse prohibitum, cùm desit potestas. Vnde inferiùs, c. 4. §. 5. inter graues lapsus, propter quos posset Societas Generalem officio priuare ponitur, *Aliqua stabilia bona Domorum, vel Collegiorum alienare*. quomodo autem hoc intelligendum sit, infrà explicabitur.

V. 2. Limitatio non dissolvendi Collegia, &c.

Quid requiratur, vt hæc limitatio cesset.

Alia verò limitatio expressiùs ponitur in eadem constitutione, §. 18. scilicet, non posse Generalem transferre, vel dissoluere, quod intelligitur de Generali solo, nam ipse cum Societate, hanc habet potestatem, vt habetur in 4. p. Constit. cap. 2. §. 3. vbi in Declaratione exponitur, per Societatem commodè intelligi congregationem generalem; tamen fieri etiam posse sine congregatione generali, concurrentibus his, qui habent ius suffragij, mittendo scilicet sua suffragia. Qui autem tunc habeant ius suffragij cum Generali, ibi non explicatur: ad minimum autem in Societate solent esse Prouinciales omnes in Europa, quando res sine congregatione generali transigenda est, vt à simili constat ex p. 9. Constit. cap. 5. §. 3. vbi agitur de electione Assistentis, quando extra congregationem generalem fit, ad quam sufficere dicuntur suffragia omnium Prouincialium. Tamen in alijs casibus postulari solet cum Prouincialibus suffragium duorum Præpositorum, vel Rectorum localium vniuscuiusq; Prouinciæ, vt patet ex eadem 9. p. cap. 4. §. 6. & 8. p. cap. 2 lit. C. & ideo ambiguum manet, an hîc etiam ad alienandum, tot suffragia necessaria sint. Sed confidero tunc solùm extra congregationem generalem requiri suffragia Præpositorum localium præter Prouinciales, quando Generalis cum eis non concurrit, sed ipsi inter se per literas conferunt ad supplendum aliquem defectum Generalis, & cogendum, vel obligandum eum ad aliquid faciendum, quod solùm facere possunt in casibus expressis, & modo præscripto in Constitutionibus. Quoties autem Generalis ipse cum consensu Societatis absque congregatione generali aliquid facturus est, tantùm solent postulari suffragia Prouincialium, vt constat ex primo loco citato, & clariùs ex altero loco 9. p. cap. 4 §. 6. vbi prædicta differentia expressè constituitur: nam si Generalis velit sibi Vicarium generalem eligere, potest id facere cum solis suffragijs Prouincialium; si autem Societas velit illi dare Vicarium, necessaria sunt suffragia aliorum Præpositorum. In præsenti ergo censeo, ius suffragij in eo casu esse apud solos Prouinciales, quia solus Generalis potest alienare cum consensu Societatis: ergo sufficienter tunc præbet consensum per Prouinciales; in quo receditur à iure communi, nam iuxta illud non sufficiunt suffragia per literas, nec fingillatim extra Capitulum. E contrario verò nunquam potest Societas sine Generali alienationem facere, & ideo extra congregationem generalem non requiruntur suffragia Præpositorum localium. Quin potiùs nec congregatio generalis Sede vacante, licèt Vicarium generalem Præsidentem habeat, potest talem alienationem facere, quia constitutio citata expressè dicit, *P. æpositus Generalis simul cum ipsa Societate potestatem habebit*, quæ verba cum omni proprietate sunt intelligenda, & ideo de Præposito, non de Vicario illa intelligo, sic enim & magis conformia sunt iuri communi, & magis prospiciunt indemnitati Societatis. Ratio etiam in ipsamet constitutione insinuata iuuat, quia non est membrum à corpore abscindendum sine consensu capitis; & ideo dum corpus quasi truncum est, & caret proprio capite, non est aliquod principale membrum abscindendum, donec caput eligatur.

Sententia dubitans in hoc dubio.

Specialiter etiam de vniuersitatibus Societatis dicitur in 4. p. cap. 11. §. 2. ad Generalem pertinere eas admittere, *non tamen postquam admissa fuerint, sine congregatione generali per eum dissolui posse*. Vbi neque in textu, neque in Declaratione ponitur disiunctiua de suffragijs Prouincialium extra cõgregationem: vnde videtur probabile, præcisè requiri consensum congregationis in vnum corpus conuenientis, nam hoc significat vox *congregatio* in proprietate; & ita magis consulitur firmitati vniuersitatum, & minùs receditur à iure communi. Potestque ratio huius specialitatis reddi: quia vniuersitates sunt magis publicæ, & solent esse grauiores quàm priuata Collegia, aut Domus, & ideo earum dissolutio, aut mutatio potest esse in maius dispẽdium, & scandalum, ideoque prudenter potuit reseruari ad congregationem generalem strictè sumptam. Nihilominus probabile est, hanc constitutionem non esse diuersam à præcedenti, & congregationem ibi sumptam esse tanquam æquipollentem Societati, cuius rei iudicium ei remitto, ad quem auctoritas interpretandi Constitutiones ex officio spectat.

VI. *Quid etiam vt cesset quoad dissolutionem vniuersitatum.*

Responsio probabilis.

Ex his à fortiori constat, posse Generalem cum consensu Societatis alienare bona stabilia Collegiorum, & Domorum: quia plus est dissoluere Collegium, quàm aliqua bona stabilia illius alienare; cui autem in his maius conceditur, non negatur, quod est minus. Tum etiam, quia hæc actio interdum potest esse conueniens Societati: ergo oportet, vt in ea sit potestas ad illam; sed non est in solo Generali, neque in sola congregatione: ergo saltem esse debet in vtroque simul. Denique hoc est consentaneum iuri communi, imò plus est quàm ius commune requirat, quia ius commune solùm requirit consensum conuentus cum Prælato, vel Episcopo, aut Prouinciali, hîc autem cum Generali postulatur consensus congregationis generalis, vel Prouincialium totius Societatis pro maiori parte. Necessarium autem est, vt talis alienatio cedat in vtilitatem Domus, vel Collegij, hæc enim conditio ex natura rei necessaria est, & iura omnia illam requirunt; nec esset rationabilis constitutio, quæ in hoc esset illis contraria. Vnde notari potest differentia inter dissolutionẽ omnimodam vnius Collegij, vel alienationem bonorum stabilium eius: quòd dissolutio non potest cedere in vtilitatem ipsius Collegij, cùm per illam omninò destruatur, & rei destructæ nulla fit vtilitas; alienatio autem aliquorum bonorum stabilium Collegij, vel Domus permanentis potest cedere in vtilitatem eius; & ideo in dissoluendo Collegio non habetur ratio priuatæ vtilitatis eius, sed Societatis; in alienandis autem aliquibus bonis primùm omnium habenda est ratio vtilitatis eius Collegij, cuius sunt talia bona.

VII. *Quid denique requiratur, vt 1. limitatio positam 4. cesset.*

Sed quid si fingatur casus, in quo talis alienatio sit vtilis Societati, & non priuato Collegio, cuius sunt bona. Videtur certè in eo etiam casu habere Generalem cum consensu Societatis hanc potestatem, ex argumento facto, quòd propter hunc finem potest id, quod maius est: ergo etiam quod est minus. Id autem intelligendum erit dummodo non sit ita onerosum Collegio, quòd priuatur talibus bonis, vt sine illis commodè sustentari non possit, neque ex alio capite institutioni repugnet. Dices: ergo posset Generalis cum consensu Societatis partem bonorum stabilium vnius Collegij auferre, & applicare alteri, si priori superflua sint, & posterius indigeat; quod videtur graue incommodum, & contra vsum. Respondeo, non videri hoc esse vltra absolutam potestatem, si aliunde ex circun-

VIII. *Quæstiuncula suborta dissoluitur.*

circunstantia extrinseca non repugnet, & aliàs cõstet illud secundùm se esse maius Dei obsequium, maiusque bonum Societatis. Probatur, quia Societas est vnum corpus, & bona singulorum Collegiorum magis sunt totius corporis, quàm partis: ergo potest totum ipsum corpus cum capite dictã mutationem facere cùm cedat in maius bonum totius corporis, & tali Collegio non fiat vera læsio, cùm supponantur illa bona esse illi superabundantia. Item hæc potestas non est prohibita Societati, aut specialiter reseruata Summo Pontifici; vbi enim est hæc prohibitio, vel reseruatio? ergo continetur sub potestate dissoluendi Collegium, præsertim, quia in toto pars continetur.

IX. Dico autem, si aliunde non repugnet; tum quia si bona sint beneficia Ecclesiastica tali Collegio vnita, non possunt disiungi, & alteri vniri sine auctoritate Pontificis: tum etiam, quia si ex pacto inito cum fundatoribus, vel cõditione ab eis posita hoc prohibeatur, non licebit, quia iusta pacta seruanda sunt. Sicut in 4. p. Constitut. cap. 2. in prima Declaratione dicitur, quando Societas dimittit aliquod Collegium, non posse bona eius extra Societatem donare; sed vel debere ea in manu Patroni relinquere, si aliquis talis sit, cui ex institutione, & voluntate fundatoris reseruata est pia dispositio de talibus bonis, pro tali casu: si verò nulla intercesserit talis reseruatio, Societatem posse applicare illa bona prout expedire iudicauerit, id est, applicando illa alijs Collegijs, vel Domibus indigentibus, id enim necessariò sequitur cùm dictum fuerit, nõ posse extra Societatem donari: idem ergo cum proportione dicimus de parte bonorum vnius Collegij in casu dicto. Qui, vt dixi, rarò potest contingere, tum quia ferè semper interuenit aliquod ex dictis impedimentis: tum etiam, quia nullum est, & vix esse potest Collegium, quod habeat superabundantia bona, quia si plures habet redditus, plures etiam habet quos alat, & semper plures habere potest, omnesque solent esse necessarij ad finem talis Collegij, vbicunque ita copiosè fundatum est. Frequentius autem posset hoc subsidium fieri ex redditibus vnius Collegij eleemosynam alteri faciendo, ad quod habet potestatem solus Generalis, quia illa non est alienatio bonorum immobilium, sed mobilium tantum.

X. *3. Limitatio non tam potestatis Generalis, quã capacitatis aliorum.*

Addenda verò est limitatio, quæ in dictis Constitutionibus sæpè exprimitur, pertinetque maximè ad paupertatem Societatis professæ, nimirum Generalem non posse redditus Collegiorum in vsum Societatis professæ conuertere, nedum ipsa bona stabilita. ita habetur 4. p. c. 2. §. 5. & p. 9. c. 3. §. 18. Quod ita intelligendum est, vt non modò Præpositus solus, verùm etiam nec cum consensu totius Societatis, aut Societas ipsa hoc possit efficere, quod ex dictis locis insinuatur, expressiùs verò habetur in 4. p. c. 10. supremam curam Collegiorum, dicitur ibi, iuxta Sedis Apostolicæ literas professa Societas habebit: cùm enim quidquam priuatæ vtilitatis, ex redditibus quærere, vel in suum vsum conuertere non possit, est valdè probabile, quòd maiori cum puritate procedat, &c. & in Examine, c. 1. §. 4. declaratur, idem esse intelligendum de redditibus Domorum probationis, quæ sunt veluti Collegiorum membra. Hæc autem limitatio non inde oritur, quòd potestas Generalis ad administranda bona Collegiorum diminuta sit, sed ex eo præcipuè, quòd Societas professa ratione sui peculiaris voti, est incapax huiusmodi vsus. Per hoc tamen non videtur excludi, quin, interueniente vera necessitate, possit Collegium Societatis eam eleemosynam facere domui professæ, quam posset facere monasterio S. Franciscæ: sed de hoc plura infrà, tractando de paupertate Societatis, in tract. 10. lib. 4. c. 9. & sequentibus.

XI. *Indultum fuit confirmatum. Et innumerabilia. Statuta in materia alienationis.*

Hæc sunt peculiaria iura, quæ circa hanc administrationem habet Societas ex vi suarum Constitutionum, quæ in hac parte specialiter approbatæ sunt per varia indulta, & priuilegia Apostolica. Et inprimis Pius V. in Bulla anni 1568. *Innumerabilis*, Constitutiones quoad hoc expressè confirmauit, vt contractus in Societate non celebrentur capitulariter, sed per Generalem Præpositum, ad quem ordinario iure tota facultas eos celebrãdi spectat, vel per eum inferiorem Prælatum, aut delegatum, cui ipse hoc commiserit. Per hoc tamen non excluditur, quin ad dimittenda, vel transmutanda Collegia indigeat Generalis consensu Societatis, quia non de huiusmodi dimissione ibi agitur, sed de his contractibus, vt in Compendio, verb. *Alienatio*. §. 1. adnotatur, & meritò, tum quia non fuit mens Pij V. derogare in aliquo Constitutionibus, sed confirmare illas: tum etiam, quia in principio expressè dicit sub disiunctione, gubernationem Collegiorum pertinere, *vel ad Præpositum, vel ad ipsam Societatem*, indicans se velle tribuere, vel relinquere vnicuique quod ad illum spectat. Et nihilominus illa confirmatio posset ad dictũ casum applicari, quando sine congregatione generali cum suffragijs Prouincialium à Præposito fiunt: tunc enim licèt fiat cum consensu Societatis, non fit capitulariter.

XII. *Indultum Iulij III. si esset. Iulius III. in filio. Concilium vero necessario conuocandum ad condendas, vel immutandas Constitutiones, & alia grauiora, vt alienare, vel dissoluere Domus, vel Collegia semel erecta, intelligatur esse maior pars totius professæ Societatis;*

Et iuxta hoc etiam intelligendum est, quod de hoc casu dicitur in Bulla 1. Iulij III. vbi cùm dictum esset, Præpositũ debere grauiora statuere cum consilio Societatis, subditur, *Concilium vero necessario conuocandum ad condendas, vel immutandas Constitutiones, & alia grauiora, vt alienare, vel dissoluere Domus, vel Collegia semel erecta, intelligatur esse maior pars totius professæ Societatis*; & hoc inferiùs confirmat Pontifex; ex quibus posset aliquis intelligere, omninò esse necessariam conuocationem Societatis ad illum actum, atque ita non posse nisi capitulariter fieri. Sed non ita est, illa enim verba non sunt Pontificis, sed petitionis, & narrationis oblatæ Pontifici ab ipsa Societate, quæ expressè statim adiungit, *iuxta Constitutionum nostrarum declarationem*. in Declarationibus autem explicatum est, vt capitularis congregatio non sit necessaria ad talem actum: ergo tãtum abest, quòd hoc ibi reuocatum sit, vt fit potiùs à Iulio III. confirmatum. Vnde quoad hunc effectum Prouincia les omnes simul sumpti, licèt in vnum locum congregati non sint, totam Societatem repræsentant, & quod Generalis facit ad plura illorum suffragia, censetur facere cum consensu maioris partis Societatis.

XIII. *Indulta auxit. Indulsit. Indulsit. Apostolicæ Sedis.*

Ad hæc Gregorius XIII. prædicta priuilegia, & indulta varijs modis declarauit, confirmauit, & auxit: nam in Bulla anni 1575. de vsu facultatum, ei concessit, vt posset Societas vti priuilegijs concessis alijs religionibus ad exercendos contractus, vel alios actus, qui ab aliis religionibus capitulariter fiunt, vti (inquam) more suo, & iuxta Constitutiones suas per eos, quibus administratio talium bonorum commissa est; in Bulla autem anni 1576. *Apostolicæ Sedis*. hoc ampliùs declaratur, & tota potestas Præpositi relinquitur cum facultate eam delegandi quibus, & quomodo expedire iudicauerit, iuxta Constitutiones. Ampliatur præterea ibi Præpositi potestas etiam ad alienationes bonorum immobilium, vel quasi mobilium, & ad pretiosa mobilia cuiuscunque qualitatis, & quantitatis, ac valoris. Quod priuilegium ampliùs extenditur ab eodem Gregorio in Bulla anni 82. *Ex debito*, &c. vbi omnia genera contractuum numerantur, & conceduntur Præposito, vt per se, vel alium eos exercere, cum varijs clausulis, & extensionibus, quæ ibi, & in

& in Compendio priuilegiorũ videri possunt; semper tamen cauetur, vt omnia fiant in euidentem Collegiorum vtilitatem, quanuis ibi concedat Gregorius, vt qui cum Societate contrahunt, aut bona illius emunt, non teneantur probare euidentem vtilitatem, nec pretium ab eis datum in Societatis commodum fuisse conuersum, sed solum ostendere patentes literas à Societate, seu Præposito Generali de contractu cum ea inito, & pretio soluto. Additurque, non esse necessarium specialem Sedis Apostolicę confirmationem ad omnimodam talium contractuum firmitatem, sed consensum Præpositi, vel congregationis generalis respectiuum sufficere. Additur etiam ibi extensio notanda, & necessaria ad componendas lites. Datur enim Generali facultas, vt *possit de bonis Societatis compromittere, & quomodolibet super illis transigere, illisque simpliciter vel lites desuper habitæ, & actionem in non possessorem cedere, & renunciare.* Quod etiam intelligitur sub illa conditione, in euidentem vtilitatem, vel necessitatem: nam hæc fuit in principio posita, & sub illa, omnia sequentia vnico textu conceduntur. In huiusmodi autem compositione non oportet, vt vtilitas sit semper temporalis, sed sufficiet spiritualis, vt ad tollenda scandala, vel perturbationes, ne impediatur fructus animarum, cuius rei iudicium in toto hoc negotio prudenti arbitrio eiusdem Generalis relinquitur, his verbis, *vtilitatemque venditionum, & aliarum huiusmodi, vel etiam necessitatem, aut aliam causam, propter quam fiant, simpliciter, & absque figura iudicii cognoscere, iudicare, definire, & penitus terminare libere, & licite valeat.*

XIV. *Obseruatio prima circa præsentia indulta.* Circa quæ priuilegia nihil ferè notare necesse est, cùm & per se, & ex dictis sint satis clara; in eis autem considerare licet quantum Apostolica Sedes approbet monarchicum regimen Societatis, quantumque de fidelitate, & prudentia Præpositi Generalis confidat: illi enim præcipuè hanc facultatem concedit, nec requirit cum illo aliquod definitiuũ consilium, sed ordinarium modum procedendi Societatis. In quo etiam aduerto, nullam formam, vel specialem solennitatem canonicam esse hodie necessariam ad validitatem horum contractuum, sed simpliciter fieri posse per ordinarias Scripturas, sicut fiunt inter seculares, quia ita concedit Gregorius in hac vltima Bulla. Imò, cùm in priori Bulla citata anni 1576. quandam peculiarem solennitatem postulasset, & contractus aliter factos, irritos declarasset, in hac vltima hoc onere Societatem liberauit, & simpliciùs procedendi facultatem concessit. In quo tamen vlteriùs aduertere oportet, concessionem disiunctiuè fieri his verbis: *Præposito Generali dictæ Societatis, vel ipsi Societati, dum ea scilicet tenus generaliter congregata.* ad vtrumque ergo membrum cum proportione applicandum est, quod dixi. Et de Præposito res est clara; quando autem res in congregatione agitur, vel si congregatio sibi aliquid reseruaret (quod facere potest) tunc ex natura rei sequitur, vt res ad plura suffragia decisiua definienda sit, quia non potest alio modo congregatio consentire, vel sua potestate vti: posset tamen eam potestatem delegare alicui singulari personæ, & tunc ad delegationẽ esset necessaria maior pars suffragiorum congregationis; delegatus autem postea poterit simpliciter & solus, iuxta morem Societatis, negotia transigere.

Secunda.

Tertia.

XV. *Quid possit Vicarius in alienationibus vacante Sede Apostolica.* Dubitari autem hic posset, an vacante Generalatu, Vicarius generalis habeat quoad hoc plenam potestatem Generalis. Idemque interrogari potest de congregatione generali, Sede vacante, antequã Generalem eligat, an scilicet intelligatur habere potestatem ibi concessam. De quibus infrà tract. 3. lib. 10. cap. 4. dicetur: nunc breuiter ad vtrumque respondeo negatiuè, quia vtriusque potestas est limitata per Constitutiones, & quasi determinata ad finem eligendi Generalem, & quia priuilegium illud in hac parte potius coarctandum est, quàm extendendum.

XVI. *Quid requiratur in Prælato Societatis, vt iuste vtatur dictis indultis.* Tandem dubitari potest, quid teneatur facere Prælatus Societatis, vt iustè ac validè vtatur hac potestate, præsertim in alienatione bonorum immobilium, vel pretiosorum mobilium. Respondeo, quod attinet ad iustitiam & conscientiam, nullam peculiarem obligationem habere ex iure positiuo, præter eam, quam naturalis ratio ex vi talis muneris postulat procurandi per huiusmodi contractus maiorem vtilitatem Societatis: nihil enim aliud in prædictis Bullis postulatur, neque in modo inquirendi de huiusmodi vtilitate, vt plena illius notitia, & informatio habeatur, nulla specialis solennitas, vel diligentia præscribitur, sed totum relinquitur prudentiæ, & conscientiæ Generalis, vt constat ex verbis Gregorij in vltimo priuilegio in numero 13. citato, quæ amplissima sunt, nam prius refert concessionem in priori priuilegio factam, *Nos eidem Societati, illiusque Præposito Generali pro tempore existenti, quod ipse formatione de contractibus iuendis per literas, vel alias prout ipse Generalis statueret à subordinatis localibus Præpositis, vel Rectoribus, aut Præfectis, seu horum vicegerentibus, vel à Prouincialibus, seu Visitatoribus, aut Commissariis, vel ab aliis sibi bene visis, auditis, iuxta eorum institutum Consultoribus, acceptis concedimus,* &c. Postea verò subiungit, *Ex nunc de cætero perpetuis futuris temporibus (supra concedimus) si, ut præmittitur, vel si vtilibet (id est, Præposito, vel congregationi generali) visum erit extraiudicialiter, ac summarie, & simpliciter acceptabit, vel etiam ea omnino omissis,* &c. Quod verbum vltimum positum est, non quia Præpositus, vel congregatio possit ad contractum faciendum procedere sine sufficienti notitia vtilitatis; id enim cõtra rationem naturalem est: sed quia interdum possunt habere hanc notitiam sine noua informatione, quod maximè contingere potest in congregatione generali, vbi adesse solent hi, quibus ex officio incumbit talem habere notitiam, & possunt cæteris illam præstare, & Præpositus ipse potest interdum non indigere noua informatione, quia sufficienter nouit qualitatem rei, de qua agitur. Itaque in conscientia solùm tenetur recta intentione, & prudenter procedere, vt Societas non damnificetur, & nihilominus in Societate magna diligentia, & peculiaris ẽt forma obseruatur, vt hęc informatio plenè ac fideliter Generali tradatur.

XVII. *Quid requiratur vt valide, & licitè vtatur dictis indultis.* Vnde tandem fit, huiusmodi contractus validos esse quotiescunque bona fide ob maiorem vtilitatem fiunt; quæ est manifesta intentio Pontificis in dicta Bulla. Quare licèt postea effectus probet, venditionem, v.g. non fuisse vtilem, non propterea iudicandum est contractum fuisse nullum, quia eius valor non pendet ex futuro euentu, dummodo in ipsomet contractu non interueniat deceptio, vel enormis læsio ex parte ementis, nam hæc sunt alia principia generalia nullitatis, de quibus nunc non agimus. Si autem contractus à principio fieret mala fide propter complacendum alteri in vtilitatem eius cum nocumento Societatis, existimo in conscientia contractum esse nullum, non propter solam iniustitiam, sed quia non seruatur forma in vsu potestatis concessæ, sed exceduntur limites potestatis. Sicut enim hæc priuilegia tollunt obligationem aliarum solennitatum iuris communis, ita dum hanc conditionem retinent, cum eadem vi, & necessitate, quam in iure communi habet, illam requirunt, constat autem secundùm commune ius esse de substantia contractus. Vnde si emptori constet de tali defectu,

& ini-

& iniquo modo alienandi, tenebitur in conscientia non contrahere, vel si ita contraxit, rescindere contractum, imò si ipse fuit in causa, restituere Societati damna, quæ fortasse Prælatus reparare non valet. Et ita etiam esset in externo foro iudicandum, si defectus sufficienter probaretur; difficile autem esset vtrumque ad praxim reducere. Hæc ergo sunt propria indulta Societatis in hac administratione.

XVIII. *Quousque alijs religiosis possit communicatio horum indultorum competere.*

An verò alij religiosi per viam communicationis illis vti possint, ipsi examinabunt, & videbunt. Ego solùm aduerto per communicationem non intendere Pontifices inuertere modum procedendi vniuscuiusque religionis secundùm suas Constitutiones; neque ad hoc licentiam dare: communicatio ergo ad vnamquanque accommodari debet iuxta modum suum; vt, v.g. Pontifex concedit Generali Societatis, vt in alienationibus simpliciter procedat iuxta suas Constitutiones, non conceditur per communicationem Generali, v.g. S. Augustini, vt possit similiter vti illo priuilegio iuxta Constitutiones Societatis, sed iuxta suas, quia intentio Pontificum non est derogare aliquibus Constitutionibus, nec priuare religionem, vel religiosum suo iure, quod fortasse iuxta suas Constitutiones habet. Vnde licèt in Societate tantùm requiratur consilium consultiuum, in alijs requiretur definitiuum; & licèt in Societate non sit de substantia actus, in alijs esse poterit. Obseruata ergo hac moderatione, & conuenienter applicata, habebit locum dicta communicatio.

CAPVT XXIX.

Quam potestatem habeant Prælati regulares ad Ordines conferendos?

I. *Esse in Prælatis religionum aliquã ciusmodi potestatem.*

DVplex potestas Ecclesiastica distingui solet, iurisdictionis, & ordinis: ad priorem pertinent, quæ hactenus de potestate horum Prælatorum tractauimus, nam potestas administrandi temporalia quasi accessoriè iurisdictioni adiungitur; potestas autem ordinis vocatur illa, quæ est ad quoscunque actus sanctificandi, consecrandi, aut solenniter benedicendi rem aliquam, vel personam. Hęc autem potestas non conuenit specialiter Prælatis religionis per se, & præcisè ex eo, quòd Prælati sunt, sed supponi solet in illis ex eo, quòd sacerdotes sunt. Nihilominus tamen ex peculiari institutione, vel concessione Ecclesiæ aliquid eis in hac parte concessum est, quod vel omnibus, vel multis eorum est communicatum, & ideo breuiter est hoc loco explicandum. Supponendo inprimis sacerdotem simplicem solùm posse ex vi suæ ordinationis, & communis institutionis Ecclesiæ præter sacramenta, quædam pauca sacramentalia conficere, vt aquam benedictam, & similia, quæ in Missali, & Manuali Romano continentur: nihilominus tamen posse Pontificem hanc potestatem extendere per specialia priuilegia. Vnde si Prælati religionum aliquid amplius potestatis in hoc genere habeant, per specialia indulta Pontificia illis concessum esse necessarium est, & ideo illa consulenda sunt, licèt aliqua sint in iure communi inserta, vt videbimus.

1. *Suppositio pro hac potestate explicanda*

II. Secundò supponendum est, Abbates religionum quosdam esse benedictos, alios non benedictos, vt ex vsu constat, & ex priuilegijs statim referendis. Et colligitur etiam ex c. 1. de supplen. neglig. Prælat. quod sumptum est ex 6. priuilegio Ciscerciensium, & idem habetur in 8. ab Vrbano III. concesso. ex quo nonnulla ad rem præsentem notari possunt. Primò, Abbatem non constitui in suo munere per benedictionem, sed per electionem, & confirmationem, vt ibi glossa notat, Panormitan. & omnes; atque ita benedictionem se habere veluti quoddam ornamentum, & quasi ordinationem, seu cõsecrationem personæ in ea dignitate constitutæ. Vnde rectè infert Nauarrus Consil. 2. de Sacramentis non iterandis, benedictionem illam non posse iterari, sicut prima tonsura, & aliæ benedictiones Ecclesiasticæ circa eandem rem permanentem non iterantur. Secundò colligitur ex dicto textu, hanc benedictionem habuisse olim aliquos actus proprios, qui dici possunt veluti actus Ordinis, vt insinuauit Sylvest. verb. *Abbas*. num. 4. nam Abbas electus, & confirmatus potest actus iurisdictionis exercere, tamen benedicere, aut ordinare, qui sunt veluti actus Ordinis, non poterat olim, nisi esset benedictus, quod in illo textu supponitur, & statim amplius patebit. Simul verò constat ex illo textu, per concessionem Pontificis fieri posse, vt Abbas non benedictus possit eosdem actus quasi Ordinis exercere, quos potest benedictus: cùm enim olim Abbates ab Episcopis benedicerentur, antea non exercebant prædictos actus Ordinis, quia verò Episcopi interdum negabant, vel nimium differebant benedictionem, concedit ibi Alexander III. *Vt si Episcopus tertio cum humilitate ac deuotione, sicut conuenit, requisitus, Abbates benedicere renuerit, liceat Abbatibus proprios monachos benedicere, & alia, quæ ad officium huiusmodi pertinent, exercere.* Constat igitur illam benedictionem Abbatis non esse simpliciter necessariam ad tales actus.

III. Dico ergo: Aliqui Prælati religionum possunt primam tonsuram & minores Ordines conferre, & olim poterant etiam subdiaconos, & Diaconos ordinare. Hæc assertio partim constat iure communi, partim priuilegijs extra illud existentibus. Primum ius, quod in hac re inuenio, est in c. 1. 69. dist. ex VII. Synodo, cap. 14. vbi dicitur, *Abbates posse tantummodo in proprio monasterio lectores ordinare.* vnde glossa colligit, etiam posse facere Ostiarios, quia inferior gradus est. Et Innocentius III. in cap. *cum contingat.* de ætat. & qualit. inde concludit, posse etiam dare primam tonsuram, quia qui maius potest, etiam potest id, quod est minus, maximè quando sunt per se subordinata. Hoc ergo ius antiquum indubitatum est. Nonnulla verò ad illius declarationem interrogari possunt.

Prima Quæstio, in quibus sit hæc potestas?

IV. Primum sit, qui Prælati regulares habeant hanc potestatem. Respondeo, qui quatuor conditiones habuerint, quantum ex textu colligitur. Prima, vt sit Abbas, id est, Prælatus monasterij; & si hæc sola esset necessaria, existimo ibi comprehendi quoscunque veros Prælatos regulares, etiamsi Abbates non appellentur, quia hoc non pendet ex nomine, sed ex re significata per nomen, & in re, quantum attinet ad dignitatem Prælationis, æquales sunt, vt sæpe in superioribus dictum est. Et confirmatur, nam in originali, saltem prout habetur in editione Latina Conciliorum (Græcam enim videre non potui) non est nomen Abbatis, sed Præfecti monasterij. Secunda conditio est, vt Abbas sit sacerdos, vt etiam Innocentius expressit, olim enim sæpè Abbates non erant sacerdotes, quod vsque ad sua tempora durasse, Innocentius significat. Tertia conditio est, vt sit benedictus, & significatur illis verbis, *Si eidem Abbati manus impositio facta noscatur ab Episcopo secundum morem perficiendorum Abbatum*; illa enim manus impositio ibi non est nisi benedictio, vt glossa aduertit, quia reuera nihil aliud commodè intelligi potest. Quarta conditio est, vt habeat iurisdictionem, de qua

statim.

Secunda

Secunda Quæstio, Qui possint ordinari.

V. Secundò interrogari potest, quos possint Prælati ordinare ex vi illius iuris, id est, an solùm monachos eiusdem religionis, vel etiam extraneos, aut seculares. Hoc pendet ex intelligentia illorum verborum, *Solummodo in proprio monasterio*: nam referri possunt vel solùm ad personas, vel solùm ad locum, vel ad vtrumque simul. Iuxta primum sensum dicendum est, vnumquenque Abbatem tantùm posse ordinare monachos sui monasterij; posse tamen illos ordinare vbicunque reperiantur, quia monasterium ibi sumitur formaliter pro personis, & quia qui potest ordinare subditum in sua diœcesi, etiam potest extra illam, quia ille est actus voluntariæ iurisdictionis, vt Canonistæ docent, quos refert, & sequitur Rebuffus in Practica, p.1. cap. *De clericis*, &c. Iuxta secundum sensum Abbas solùm poterit ordinare in loco sui monasterij, ibi tamen poterit extraneos illuc legitimè venientes ordinare: quia iuxtà hunc sensum in personis nulla ponitur limitatio. Iuxta tertium verò sensum solùm poterit ordinare suos subditos, & intra suum monasterium.

Triplex sensus privilegiando dicendum.

VI. Et hunc sensum existimo verum: nam quòd hæc potestas solùm conferatur respectu propriorum monachorum, certissimum est ex vsu, & ex alijs priuilegijs, quæ infrà referemus, & declarat apertè Innocentius III. suprà dicens, *Cum contingat interdum quod laici ad monasteria confluentes à suis Abbatibus consecrantur*, &c. Et iuxta hoc intelligit statim decretum VII. Synodi, cuius ratio, & motiuum non tam fuit fauor Abbatis, quàm religionis, & vt facilè, & sine distractione possent religiosi ordinari: ergo solùm pro subditis data est hæc potestas. Denique coniectura sufficiens est, quia similia priuilegia ad subditos tantum referri solent, nisi aliud expressè declaretur, quod in præsenti non fit. Deinde, quòd talis facultas limitetur ad propria monasteria; patet etiam ex proprietate verborum, & cõmuni interpretatione. Item potest reddi ratio, quia nullus Episcopus potest in aliena Diœcesi ordines conferre, etiamsi proprios subditos ibi ordinare velit, vel alios exemptos, qui ab ipso ordinari cupiunt; argumento cap. *Episcopum non*, & sequentibus. 9. quæst. 2. & cap. *placuit*. 7. quæst. 1. & Clementin. vnica, de foro competenti. Sed Diœcesis (vt sic dicam) vniuscuiusque Abbatis, non extenditur extra proprium monasterium; ergo non possunt extra illud Ordines conferre. Quæ ratio optimè probat etiam ex vi iuris communis non posse ordinare in alio loco inuito Prælato illius Diœcesis; quæri autem potest, an ex consensu alterius Prælati possit id facere; nam glossa in dicto cap. *quoniam*, verb. *Monasterio*, affirmat posse si inuitetur ab alio Prælato, quod solùm probat ex cap. vlt. 9. quæst. 2. vbi sermo est de Episcopis, de quibus ratio longè diuersa esse videtur, quia Episcopus ex vi suæ consecrationis potest ordinare quoscunque, & solùm ex lege Ecclesiastica requiritur certus modus, vt licitè fiat; in præsenti autem potestas est ex priuilegio. Vnde non videtur excedere formam, & concessionem illius.

Tertia Quæstio, An valida sit ordinatio excedendo formam priuilegij.

VII. Vt ergo circa hoc veritas constet, insurgit alia quæstio, si Abbas excedat formam canonis ordinando sibi non subditos, vel extra suum monasterium, ordinatio sit valida, esto licitè non fiat. Videri enim potest, ita esse affirmandum, quia facultas per hoc decretum concessa est veluti quædam potestas ordinis; potestas autem ordinis non pendet ex loco, aut iurisdictione, vt validum efficiat actum, si aliàs versetur circa materiam capacem; ergo postquam hęc potestas per priuilegium data est, quanuis non liceat ea vti, nisi modo, & circunstantijs à concedente præscriptis, si tamen aliter fiat, factum tenebit; si concurrant reliqua omnia necessaria ad tale sacramentum. Atque ita sentit glos. in cap. *Abbates*, de priuilegijs in 6. verb. *tonsuram*: vbi cum Archidiacono ait Abbatem alteri (id est, non subdito) conferendo ordines imprimere characterem. Quòd si hæc pars vera est, probabiliter defenditur, quòd dicta glossa in c. *quoniam*. sup. relata affirmat, quam aliqui sequuntur, & tunc non solùm validè, sed etiam licitè poterit Abbas ordinare extra suum monasterium, quia illa limitatio solùm censetur addita in fauorem Prælati alterius loci; & ideo illo cedente iure suo cessat illa obligatio. Imò eadem ratione (quod etiam glossa sentit) poterit vnus Abbas licitè ordinare subditos alterius Abbatis inuitatus ab illo, quia potestas ordinis non deest, vt supponitur: reliqua autem, quæ ad iurisdictionem pertinent, per licentiam alterius Prælati licitè fiunt.

VIII. Nihilominus, in priori puncto de ordinatione non subditorum contraria pars videtur probabilior, saltem quoad circunstantiam personarum. Itaque si Abbas ordinans seculares, vel Religiosos, non sui ordinis, aut sibi non subditos, ordinatio non tenebit ex defectu potestatis in ordinante. ita sentiunt communiter Doctores in dicto c. *quoniam*, & in cap. *cum contingat*. de ætate & qualitate, & Rebuffus in practica, p.1. cap. *de Clericis* num. 14. & ideo in num. 15. ait extraneos promotos ab Abbatibus debere priuilegium Abbatis ostendere, sine quo tonsura eorum non valet. Ratio autem est, quia licèt hæc potestas sit ad actum Ordinis, & ideo latè potestas ordinis dicatur; tamen non est ex intrinseca, & quasi diuina extensione siue characteris sacerdotalis, qui solus in Abbate supponitur, sed est ex quadam veluti extrinseca extensione per Pontificis voluntatem; ergo hæc extensio non excedit terminos à Pontifice præscriptos; ergo extra illos nulla est potestas in tali ministro, non solùm vt licitè, verùm etiam vt validè faciat; ergo si potestas solùm data est ad ordinandos regulares subditos; circa alios facta nulla est. Probatur consequentia, quia illa extensio, & potestas non est de se indifferens ad omnes, ad modum potentiæ naturalis, sicut dici potest de charactere Episcopali, sed est voluntaria, iuxta concessionem delegantis; ergo non extenditur vltra illa etiam, quoad potestatem faciendi actum validum. Confirmatur exemplo: nam si Pontifex det licentiam Sacerdoti ad confirmandum tantùm personas huius ciuitatis, non potest validè alios extraneos confirmare, quia per se non est minister huius sacramenti, sed solùm quantum ei conceditur; idem est autem in præsenti.

IX. Declaratur etiam ex alio effectu: nam Pontifex potest concedere hoc priuilegium solum pro tali tempore, quo transacto, si quis tentaret Ordines conferre, vel confirmare, nihil faceret; quia iam non est minister ex commissione. Item potest Papa tale priuilegium absolutè datum reuocare, vt per se certum est; ergo potestas eius non est in omnibus similis potestati characteris, quæ indelebilis est, & irreuocabilis; ergo etiam quoad personas limitari omnino potest à concedente. Ex qua resolutione sequitur huiusmodi Abbates non posse ordinare alios sibi non subditos, etiam rogatus à Prælato illorum, quia vnus Prælatus solùm potest inuitare alium supposita in alio sufficienti potestate ordinis, vel sufficienti commissione Pontificis; neutra autem in præsenti inuenitur, vt ostensum est: ergo.

Maior patet, quia nullus Prælatus infra Summum Pontificem potest committere extraordinario ministro (vt sic dicam) ea, quæ pertinent ad potestatem ordinis, sed solùm possunt inferiores Prælati dare licentiam subditis, vt ab his, qui vel per consecrationem, vel per concessionem Pontificis possunt esse Ministri huius Sacramenti, illud recipiant.

X. *Rationes dubitandi de altero puncto ordinandi extra locum à priuilegio expressum.* Magis autem videtur res dubia de circunstantia loci proprij Monasterij; videtur enim res nimis extrinseca, vt ab illa validitas actus pendere censeatur. In contrarium autem obijci potest, quia, si facultas Pontificis detur ad tempus determinatum, extra illud non manet potestas; ergo si dat pro loco definito extra illum, non est potestas. Est enim eadem ratio, scilicet, quòd hæc potestas commensuratur concessioni, vt dictum est. Mihi sanè videtur posse Pontificem cum tanta restrictione delegare hanc potestatem, vt extra locum ab ipso designatum, nec validè exerceri possit, quia cùm totum pendeat ex illius voluntaria concessione, potest conditionem, quam voluerit, apponere.

XI. Nihilominus ex vi verborum dicti cap. *quoniam*, non existimo esse positum, neque esse præsumendum, nisi satis expressè declaretur propter coniecturam factam, quòd hæc circunstantia est nimis extrinseca ad substantiam, & valorem talium actuum. Et ideo non est simile de personis, quia concessio, & potestas, illas principaliter respicit, & ideo ad personas designatas præcisè terminatur vbicunque sit; neque etiam est simile de limitatione temporis, quia ex illa pendet substantia, (vt sic dicam,) seu totum esse talis potestatis; pendet enim in fieri, & conseruari à concedente, & transacto tempore ab ipso designato statim desinit conseruari; atque ita cessat. A loco autem non ita pendet, sed solùm respicit illum, vt circunstantiam actus necessariam, vt licitè fiat. Qua sententia suppositâ existimo veram esse sententiam glossæ, quoad monachos subditos Abbati, quia & validè & licitè poterit illis conferre ordines dictos extra suum monasterium, si à Prælato alterius loci vel inuitetur, vel permittatur. De valore patet ex dictis. De honestate autem probatur, quia licèt textus dicat *in suis Monasterijs* quoad circunstantiam loci, solùm eam postulat, quatenus iure communi ad debitum ordinem necessaria est; consentiente autem Prælato alterius loci nullus peruertitur ordo, & ideo non fit contra hanc legem, sicut non fit contra commune ius.

Quomodo vera sit glossa in c. nullata de licita ord.

Quarta Quæstio. An per hoc priuilegium ordinari possint Nouitij.

XII. Quartò interrogari potest, vtrum hæc potestas ex vi illius iuris extendatur ad Nouitios eiusdem monasterij, & suo modo subditos Abbati; videtur enim non extendi, quia Nouitij non sunt religiosi, neque in rigore sunt subditi. Item, quia Nouitius potest discedere; Ordo autem semel datus est indelebilis; ergo non est verisimile, pro illis etiam datam esse hanc potestatem. Præsertim, quia est communis opinio, Nouitios secundùm commune ius non posse licitè ordinari; ergo illa concessio intelligenda est, secundùm hoc commune ius. In contrarium autem est, quia verior sententia fert Nouitium posse ordinari; si aliud speciale non impediat, & præsertim ad tonsuram, vel minores ordines, ad quos specialis titulus non est necessarius; ergo in fauorem Religionis extendenda potius est hæc potestas, quàm restringenda, cùm sit etiam beneficium Principis, quod latè explicandum est, quantum verba legis patiantur. Verba autem illius legis solùm habent *in suis Monasterijs*, in quibus etiam comprehenduntur Nouitij, & aliquo modo sunt partes illius Communitatis Religiosæ; ergo.

Confirmatur, quia Innocentius III. in dicto cap. *cum contingat*, solùm ait, *Laici ad Monasteria conuolantes à suis Abbatibus tonsurantur*, per quæ verba propriè videntur Nouitij significari, qui ex sæculo ad Religionem conuolant. Vnde Alexander IV. in cap. *abbates*. de priuilegijs in 6. duo membra distinguit, dicens: *Monasteriorum suorum Conuersis, & qui ad illa conuolauerint*. Vbi per Conuersos non intelligit Religiosos laicos prout solent Conuersi à Monachis distingui; constat enim potestatem hanc non pro illis præcipuè dari, sed intelligit Monachos professos, qui Conuersi appellantur, quia in professione promittunt modum conuersionis; ergo per illos, qui conuolauerunt ad monasteria, intelligit Nouitios, quos enim alios intelligere potest. quod sensit glossa ibi, verb. *Conuolauerunt*, addens, *vt sic conuertantur, & fiant monachi*. Et idem sentiunt ibi Francus, & Cardinalis Alexandrinus, & expressè Rebuffus suprà num. 18. dicens valere talem ordinationem intra annum professionis, neque annullari (loquitur de prima Tonsura) etiamsi Nouitius egrediatur. quia legitimè facta est, iuxta regulam *actus legitimi*. de regul. iuris in 6. & efficacior ratio est, quia ordo est indelebilis. Atque hæc sententia, vt magis fauorabilis, ac probabilis sustinenda est, quam à Iulio II. confirmatam, & declaratam inuenio in priuilegio concesso Ordini Cistercienſi in Hispania, vbi inter alia sic habet, *Nec non Nouitios, & alios quoscunque dicti monasterij subditos prout poterant prafati perpetui Abbates clericali charactere insignendi*. per quæ verba multa alia ex his, quæ diximus, comprobantur. XIII.

Quinta Quæstio. An ad omnes ordines conferendos priuilegium hoc extendatur.

XIV. Quintò interrogari potest, ad quos ordines conferendos hæc potestas extendatur, ex vi illius antiqui vsus. In quo duo sunt certa. Primum non extendi ad sacros ordines, quia ibi non exprimuntur, & posse conferre aliquem ordinem sacrum absque Episcopali consecratione ordinantis est magnum priuilegium, quod non conceditur, nisi exprimatur in specie. Secundò est certum potestatem extendi ad omnes gradus infra lectorem, vt in principio num. 3. dixi: nam qui dat potestatem ad formam, dat, vel supponit potestatem ad dispositionem præuiam; prima autem tonsura, & gradus Ostiarij est quasi dispositio ad gradum lectoris, qui in eo textu expressè conceditur; ergo, &c. Solùm ergo superest difficultas de duobus gradibus Exorcistæ, & Acolyti; nam glossa in cap. 1. de ordinatis ab Episcopo, qui renuntiauit Episcopatum, partem affirmantem indicat. Cùm enim in textu dicatur omnes Ordines vsque ad Subdiaconatum excluſiuè à non Episcopis quandoque conferri, glossa id confirmat ex dictis capitulis *quoniam*, & *cum contingat*; sentit ergo ex vi illorum iurium posse Abbates omnes dictos ordines conferre. Et potest ex textu sumi argumentum, quia Alexander III. affirmat hoc fieri, & nullum extat aliud ius, quo possit fieri.

XV. Nihilominus contraria sententia probabilior est, quam tenet glossa in dicto c. *quoniam* communiter ibi approbata, vt constat ex Turrecremata, & alijs. Ratio est, quia in textu expressè limitatur potestas ad lectoratum, & non potest à nobis extendi ad id, quod maius est; priuilegia enim nec per similitudinem rationis, possunt extendi vltra verborum proprietatem, nec dum vbi est tanta disparitas. Denique priuilegia tantum valent, quantum sonant,

XVI.

sonant, & ideo suprà n.8. dicebamus, si concedant facultatem circa tales personas, non posse ad alias extendi; ergo cùm verba illius textus de lectoribus tantùm mentionem faciant, non possunt cum fundamento vltrà extendi. Nec verba Alexandri III. in contrarium vrgent; nam licèt referat omnes ordines minores interdum dari à non Episcopis, non tamen dicit fieri ex vi illius iuris antiqui, imò nec alterius iuris communis scripti, sed poterat tunc fieri ex vi aliorum priuilegiorum, vt mox dicemus.

Sexta Quæstio, An Prælatus non benedictus vti possit hoc priuilegio in aliquo casu?

XVI. Sextò interrogari potest, an hoc ius, quoad omnia in illo statuta nunc duret, vel quoad aliqua mutatum sit. Et specialiter quoad eam conditionem Abbatis ordinantis, quod scilicet debeat esse benedictus, dubitatur, vtrùm Abbas non benedictus possit nunc Ordines conferre. In quo dicendum est ex parte ampliatum esse hoc ius per concessionem Alexandri III. quæ habetur dicto cap.1. de supplenda negligentia Prælatorum, vbi sic inquit: *Si Episcopus tertio cum humilitate, ac deuotione, sicut conuenit, requisitus Abbates benedicere renuerit, licet Abbatibus proprios Monachos benedicere, & alia, quæ ad hoc officium pertinent, exercere.* Vbi glossa verb. *Alia*, intelligit, *vt conferant Lectoratum in proprio Monasterio*, quam Panormitanus ibi, & alij approbant, & idem tenet Ioannes Andreas in Clementina *Attendentes.* §. *statuimus.* de statu monachorum. Felinus in cap. *eam te.* de rescriptis. Panormitanus & communis in cap. *inter Monasterium.* de re iudicata. Et quanuis verba Alexandri III. obscura sint; nam in originali, quod est priuilegium sextum Cistercienfibus concessum, sic habet: *Liceat nouitios proprios benedicere, & alia, quæ ad illud officium pertinent, exercere.* Vnde obscurum redditur, an faculeas solùm referatur ad illud officium benedicendi monachos, aut vestes, vel similia: licèt hoc (inquam) ita sit, nihilominus Vrbanus Tertius, in priuilegio octauo eorundem Cistercienfium clariùs dixit concedens idem priuilegium, *& cætera, quæ ad officium suum pertinent, exercere*: pertinet autem ad officium eorum Lectores in suo Monasterio ordinare; ergo in eo casu, non est dubium, quin Abbas non benedictus possit hoc præstare. Neque etiam potest dubitari, quin possit Papa hoc concedere; quia illa benedictio, non imprimit characterem, neque est ex Christi institutione, vt necessaria reputetur ad hanc concessionem; sicut ergo potest Papa simplici Sacerdoti absque præuia aliqua benedictione committere confirmationem, ita etiam ordinationem; & ita pro illo casu de facto illam commisit.

Septima Quæstio, An extrà dictum casum possint Prælati non benedicti, seu non perpetui ordinare?

XVII. Vlteriùs verò inquiritur septimò; an extra illum casum habeant aliqui Abbates non benedicti, imò nec benedicendi, prædictam potestatem ordinandi. Quod dubium mouetur propter Abbates triennales, qui non benedicuntur, vt perpetui, eo quòd benedictio sit etiam quasi perpetua, & indelebilis, & ideo non datur propter officium temporale, prout statuit Eugenius Quartus in priuilegio sexto Cistercienfibus de Obseruantia in Hispania concessum: de illis ergo Abbatibus dubium est, an possint tunc Ordines conferre in suis Monasterijs. Et quidem, quod de iure communi non possint, neque etiam ex antiquis priuilegijs Cistercienfibus, aut alijs similibus, certum est, quia in eis non inuenitur concessum. Nihilominus aliqui id affirmant ex priuilegijs concessis Cistercienfi familiæ in Hispania. Primum est dictum priuilegium sextum concessum ab Eugenio Quarto, anno 1437. vbi vult, *vt Abbates triennales, licet eis munus benedictionis non impendatur, omnibus, & singulis honoribus, præeminentijs, priuilegijs, prærogatiuis, turibus, & insignijs Abbatialibus fungi possint.* Hæc autem verba nimis generalia sunt, & de illis meritò dubitari posset, quia potestas conferendi ordines est priuilegium valde speciale. Tamen priuilegium Iulij Secundi, suprà relatum omnem tollit dubitationem, quia expressè, & in specie concedit his Abbatibus triennalibus potestatem insigniendi clericali charactere, quam habebant Abbates perpetui, quid autem per characterem clericalem ibi intelligendum sit, infrà dicemus. Aliæ item concessiones de hac re citantur in Compendio Cistercienfi, verbo *Abbas* §.4. & 5.

Octaua Quæstio, An per hæc priuilegia soli subditi religiosi nunc valeant ordinari.

Octauò interrogari potest, an hæc potestas etiam nunc limitetur ad solos subditos Religiosos. XVIII. Ratio dubitandi sumitur ex capite *Abbates.* de priuilegijs in 6. vbi expressè conceditur his Abbatibus, *vt possint primam tonsuram conferre Monasteriorum suorum conuersis & qui ad illa conuolauerint, & in quos Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem iurisdictionem obtinent.* Deinde Innocentius Octauus anno 1489. concessit Cistercienfis Ordinis Generali, & quatuor præcipuis Abbatibus, (& est priuilegium 118.) *vt possent omnes ordines minores personis eiusdem Religionis intra Monasteria predicta conferre*; imò ibidem refert antea hoc ipsum fuisse ab Apostolica Sede illis concessum: quæ concessio non limitatur ad subditos, sed extenditur ad omnes Religiosos eiusdem Ordinis, quanuis non ad seculares etiam subditos, sicut præcedens, in qua tertium membrum planè intelligitur de secularibus, qui interdum subijciuntur his Abbatibus habentibus iurisdictionem Episcopalem. Vnde illa concessio quoad hoc magis ampla est, licèt, quoad potestatem conferendi sit magis restricta, vt in sequenti quæstione dicam.

Sed licèt verum sit per hæc iura, seu priuilegia amplificatam fuisse antiquam concessionem iuris communis. Nihilominus, quoad Abbates triennales videtur restricta à Iulio II. ad solos subditos per illa verba, *Nouitios, & alios quoscunque dicti Monasterij subditos.* per quæ certum est excludi non subditos etiam Religiosos eiusdem ordinis; an verò comprehendantur subditi, etiam seculares, dubium est propter illa verba, *alios quoscunque.* Tamen dubitationem abstulit Concilium Tridentinum sess.23. c. 10. de reformatione, vbi statuit, vt ampliùs non liceat his Abbatibus *cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores Ordines conferre*; & infrà subdit, *non obstantibus quibuscunq; priuilegijs, præscriptionibus, aut consuetudinibus etiam immemorialibus.* Circa quæ verba dubitari potest, an per illa reuocetur priuilegium etiam in iure insertum, vt est in dicto cap. *Abbates.* quia hæc priuilegia difficiliùs reuocari solent; sed nihilominus etiam illud reuocatum censetur, & ita declaratum inuenio à congregatione Cardinalium.

XIX. *Resolutio vera de solis subditis religiosis Abbatum triennalium.*

Sed quid si aliquis subditus secularis ordinetur ab Abbate; nunquid ille indigebit noua tonsura, vel ordinatione? Ad hoc respondetur inuenio eiusdem congregationis tam manuscriptum, quàm ex varijs impressionibus, circa citatum c. 10. Trid. illum

XX. *Quoad subditos seculares horum Abbatum ordinario valet, sed non licet.*

lum non indigere iterum tonsurari, seu ordinari quoad minores iam receptos, sed solùm indigere dispensatione. Vnde tacitè videtur explicari illud verbum Concilij, *non licet*, vt contineat prohibitionem, non verò auferat potestatem. Nam si potestatem abstulisset, reuera illa ordinatio non fuisset valida, quia ignorantia, vel bona fides etiamsi intercedat, non reddit actum validum, quando potestas deest: ergo si Ordo bona fide susceptus à tali Abbate fuit validus, non deerat potestas in Abbate, sed solùm prohibitus est illa vti circa talem personam. Et ideo dicitur esse necessaria dispensatio, quia per illam ordinationem, quanuis sit datus character, non tamen vsus eius, eo quòd sit datus ab habente potestatem impeditam, seu ab alieno, & non à proprio Episcopo, & absque literis eius. A quo autem sit danda hæc dispensatio ibi non explicatur: credo tamen pertinere ad proprium Episcopum ordinari iuxta principia posita in materia de suspensione disp. 31. sect. 1.

XXI. *Licebit tamen iuxta respons. Cardin. si sint Abbates mitrati, &c.*

Additur verò, in eisdem responsionibus Cardinalium circa idem caput Concilij Tridentini, vnum valde notandum, scilicet Abbates, qui habent ius baculum deferendi, & mitram si Sacerdotes sint, & benedicti, posse, & validè, & licitè conferre omnes minores ordines, quibuscunque, tam regularibus, quàm secularibus, etiam sibi non subditis, si tamen ordinandi habeant dimissorias literas, à proprio Episcopo, vel Prælato, per quas singulatim, & in particulari hanc licentiam præbeat, & consensum etiam Episcopi illius loci, in quo sunt ordines ministraturi. Ex qua responsione planè sequitur, quòd si huiusmodi Abbates hos ordines conferant talibus personis sine dimissorijs literis suorum Prælatorum, ordinatio substantialiter erit valida, & non iteranda, quanuis sic ordinati indigeant dispensatione, propter suspensionem contractam ratione ordinis malè suscepti. Consequutio est euidens, quia si Abbas licitè hoc faciat suppositis dimissorijs literis, supponitur potestatem habere, quia dimissoriæ literæ, non dant illi potestatem, sed solùm licentiam, vel ius vtendi sua potestate circa talem personam.

XXII. *Hæc Cardinalium responsio, si authentica est, parit difficultatem,*

Hæc autem omnia videntur repugnare resolutioni traditę circa tertiam quęstionem in n. 8. Nam hîc clarè supponitur potestatem horum Abbatum ex vi suæ benedictionis se habere ad modum potestatis collatæ per characterem, quæ de se sufficit ad operandum circa personam quamcunque, licèt ad iustè operandum requirat iurisdictionem. Sed nos suprà tantùm diximus ex illo iure antiquo Septimæ Synodi id non haberi, quod reuera videtur sufficienter probatum; fortasse autem per posteriora priuilegia id ampliatum est, aut consuetudine idem est explicatum. & in hac consuetudine potissimum videtur fundata illa resolutio: nam de iure, aut de priuilegio scripto mihi non satis constat. An verò illi resolutioni standum sit, alijs iudicium relinquo; nam de authoritate, & certitudine illius responsi, mihi hactenus dubia res est.

Nona Quæstio, An dicta priuilegia extendantur ad aliquos ordines conferendos vltra Lectoratum.

XXIII. *Resolutio affir quoad omnes ordines minores*

Nonò interrogari potest, an illud antiquum ius sit ampliatum quoad potestatem conferendi aliquos ordines vltra lectoratum. Ad quod affirmando respondendum est: nam Alexander III. in dicto capite primo de ordinatis ab Episcopo, qui renuntiauit Episcopatum, refert, solere aliquos non Episcopos omnes ordines infra subdiaconatum conferre: ergo cum ex iure communi hoc non constet, credendum est ex priuilegio factum esse. Item Innocentius VIII. commemorat, vt suprà retuli, nonnullos Abbates Cistercienses ex priuilegijs & indultis Apostolicis hoc posse. Imò Congregatio Cardinalium in responso suprà citato supponit, omnes Abbates benedictos habentes ius deferendi mitram, & baculum, posse omnes minores ordines conferre, ita vt benedictio illa sit quasi ordinatio quædam conferens hanc potestatem. Potuit enim sub hac ratione à Pontificibus institui; an verò à principio habuerit hanc institutionem, affirmare non possumus, quia non est in iure expressum; sed potius ius cum limitatione loquitur, vt videmus. Priuilegium etiam Innocentij Octaui non de omnibus Abbatibus benedictis, sed de Cistercienſi, & quatuor alijs loquitur. Alexander etiam Tertius in dicto capite primo, solùm indefinitè dicit, *huiusmodi Ordines à non Episcopis, quandoque conferri.* Non est etiam dubium, quin Abbates Sancti Benedicti habeant hoc priuilegium. Idem de Abbate Camaldulensi, & alijs; hinc ergo vel vsu, vel expressa concessione extensa est hæc potestas conferendi omnes minores ordines ad omnes Abbates benedictos, ex vi suæ benedictionis.

Additum præterea est, ab Innocentio Octauo in dicto indulto, vt Abbas Cistercienſis, & quatuor principales Abbates eiusdem Ordinis possint et iam Diaconatum, & Subdiaconatum conferre. De qua commissione controuersia est inter Theologos, an possit à Papa fieri, vt in materia de ordine tractandum est: nunc autem factum tanquam certum supponimus, & ideo credimus iure etiam esse factum, quanuis in ratione, & modo explicandi hoc ius possit esse varietas, de qua suo loco. Veruntamen priuilegium hoc quoad hanc partem reuocatum esse per Concilium Tridentinum, sentit Nauarrus Consilio decimotertio de priuilegijs. Nam sessione 23. capitę 8. de reformatione, statuit Concilium ordinationes sacrorum Ordinum à proprio Episcopo faciendas esse; vnde significat solos Episcopos posse ordines sacros conferre; illud verò cap. non multum vrget; nam, vt ex contextu constat, & à Congregatione Cardinalium declaratum est, cap. illud, etiam in minoribus ordinibus locum habere. Maius indicium est, quod in cap. 10. cùm de ordinatione Abbatum loquitur, solùm Tonsuram, vel minores Ordines respectu subditorum Monachorum eis permittit, & cap. 12. Episcopis tribuit curam eligendi & examinandi dignos ad sacros ordines, & subdit, *Regulares quoque, nis in minori ætate, necsine diligenti examine Episcopi ordinentur, priuilegijs quibuscunque quoad hoc penitus exclusis*, ergo vult Concilium, vt regulares ordinari non possint in sacris, nisi ab Episcopis, & reuocat priuilegia contraria, quale erat hoc, de quo tractamus. Quæ sententia Nauarri mihi placet; nam licet (vt ipse etiam putauit) reuocatio illa non sit tam expressa, quin possint coniecturæ illæ dissolui, nihilominus priuilegium illud adeò est exorbitans, vt eius reuocatio etiam tacita, & insinuata tantùm admittenda sit. Videtur enim Concilium consultò noluisse expressam mentionem illius priuilegij facere, sed tacitè illud præterire, ne videretur illud tanquam validum recognoscere (quod controuersum est) sed simpliciter statuit, & supposuit, quæ in priuilegio repugnabant, addita solum generali reuocatione, per quam hoc etiam priuilegium reuocatum intelligitur. Quod etiam fenit Collector compendij Priuilegiorum Ordinis Cistercienſis, hoc priuilegium omittens.

Vnde multo certius est, Abbates nō benedictos, & triennales non gaudere hoc priuilegio, quibus solùm cōceditur, vt possint subditos suos Clericali

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

charactere insignire, prout poterant perpetui Abbates, sub quibus generalibus verbis certum est, tam singulare priuilegium non comprehendi, maximè, quia illud commune non erat omnibus perpetuis Abbatibus; ibi autem solùm conceditur, quod omnibus commune erat. Vnde certum existimo etiam ante Concilium Tridentinum, hoc non potuisse. De alijs verò quatuor minoribus Ordinibus contrarium est, etiam de his Abbatibus non benedictis, ratione illius priuilegij; nam licèt verbum *character clericalis* sufficienter posset in sola prima tonsura verificari, tamen ex se ad illa non limitatur, & ideo conuenienter extenditur ad omnes ordines Minores; ad quos saltem ex consuetudine extendebatur potestas perpetuorum Abbatum, quibus quoad hoc triennales æquiparantur.

XXVI. *Obiectio contra nunc dicta, non vsque eadem tamen quibusdam.* Sed obijci potest capitulum, *Abbates*, de priuilegijs in 6. vbi solùm permittitur Abbatibus primam clericalem conferre tonsuram, per quod videtur etiam antiquum ius limitari. Nonnulli volunt extendere textum illum ad omnes minores ordines, vt videre licet in expositoribus, & alijs, quos refert Sylu. verb. *ordo* 3. q. 2. Sed planè repugnat proprietas literæ; nam prima tonsura Clericalis propriè significat solam illam, vt à proprijs ordinibus distinguitur. Et ideo dicendum est in illo textu, non præcipuè disponi de ordinibus, quos possunt Abbates conferre, sed de personis, quibus possunt eos conferre, & quoad hoc ampliabat textus ille ius antiquum, (vt dixi) ad quoscunque subditos Abbati habenti iurisdictionem Episcopalem, etiam seculares. Igitur ratione huius ampliationis solùm primæ tonsuræ mentionem fecit, quia quoad omnes illos subditos noluit illi Pontifex maiorem potestatem dare, si tamen aliunde habeatur, non abstulit illa; nullum enim verbum reuocatorium quoad hanc partem addidit. Et vel maximè, quòd priuilegia, quæ minores ordines concedunt, posteriora sunt, & consuetudo etiam id semper obtinuit.

Tenuasio.

Decima Quæstio, An in priuileg. ordinandi communicent alij religiosi.

XXVII. Vltimò dubitari potest, vtrùm Prælati aliarum Religionum per viam communicationis gaudere possint hoc priuilegio; & ratio dubitandi est, quia Prælati Mendicantes, v. g. communicant non solùm inter se, sed etiam cum Religionibus Monachalibus, vt constat ex varijs priuilegijs, quæ in eorum compendijs referuntur, verb. *Communicatio*; sed hæc facultas conferendi Ordines minores pertinet ad vnum ex priuilegijs Apostolicis; ergo in illo etiam communicabunt. Patet consequentia, quia verba Pontificum generalissima sunt, vt constat præcipuè ex priuilegio Clementis VII. Minoribus concessum, in quo inter alia dicitur, *omnibus facultatibus & gratijs nostræ professioni regulari obseruantia, non contrarijs aliis ordinibus quibuscunque non Mendicantibus quomodolibet concessis, & in omnibus, & per omnia, perinde ac si nobis concessa specialiter fuissent.* vbi hæc potestas comprehenditur sub nomine facultatis, & gratiæ, maximè cum illa ampliatione, *in omnibus, & per omnia.* Nec talis facultas repugnat institutis aut Regulari obseruantiæ aliarum Religionũ, quæ Monachales non sunt. Cur ergo Prælati earum non participabunt hanc potestatem; cùm sint verè Prælati, & æqualem habeant in suos subditos iurisdictionem Episcopalem, & consequenter in re ipsa habeant æqualem dignitatem, etiamsi non eodem nomine appelletur.

XXVIII. *Dissentiens priorem multipliciter.* De hoc nihil inuenio à Doctoribus tractatum, tamen ex perpetuo eorum silentio colligo, omnes pro manifesto supponere Prælatos aliarum Religionum, qui Abbates non sunt, non gaudere hoc priuilegio. Idem videtur certum ex perpetuo non vsu omnium Religionum non Monachalium; nullus enim earum Prælatus hac vtitur potestate; ergo signum est non agnoscere illam sibi concessam per viam communicationis. Et idem existimo etiam de Canonicis regularibus, quorum instituto, & procedendi modo posset faciliùs hæc facultas accommodari, & nihilominus non vtuntur illa, per viam communicationis, nisi aliquibus sit specialiter concessa. Deinde potest reddi ratio, quia hoc priuilegium adeò speciale est, vt sub generali clausula non censeatur comprehendi. Item, quia non est ex his priuilegijs, quæ pertinent, vel ad spiritualem vtilitatem, vel ad conueniens regimen Religionis, sed potiùs ad quandam dignitatem & præeminentiam talium Prælatorum, quæ non videtur ita accommodata statui aliorum Religiosorum, præsertim mendicantium; & ideo non censetur ad illam extendi communicatio. Denique quoties iura loquuntur de inferioribus Prælatis, quibus hæc potestas ordinandi communicata est, semper loquuntur de illis sub nomine *Abbatis*. quod est signum per eam vocem, in iure significari peculiarem dignitatem, quam non habent Prælati aliarum Religionum, qui hoc nomine non vocantur. Et ideo in hac potestate non communicant: Præsertim, quia ex se & ex primæua institutione postulabat hæc potestas benedictionem ipsius Abbatis, & licèt specialiter commissa postea sit Abbatibus non benedictis eorundem ordinum, id solùm fuit, quia eis quodammodo erat debita benedictio, ne omnino priuarentur commodis eius. Prælati verò aliarum Religionum per se nullam habent benedictionem, & ideo, nec ex iure communi habent hanc potestatem, neque illa specialis concessio facta Abbatibus triennalibus, ad illos spectat etiam per communicationem. Cuius signum etiam est, quia neque alijs insignijs dignitatis vti possunt, scilicet mitra, baculo, &c. neque ad hoc priuilegium extenditur communicatio, quia re vera non est res accommodata alijs institutis; ergo multo minus extenderetur ad potestatem ordinandi, cum hoc ministerium sine Pontificalibus insignijs perficere non possint.

Tacitè obijcitur obiectioni oppositæ.

CAPVT XXX.

De potestate eorundem Prælatorum ad res, aut vestimenta benedicenda, vel consecranda.

SCiendum est, quædam ex his iure communi concessa esse simplicibus Sacerdotibus, vt est, aquæ, aut panis benedictio, de quibus in Missali ordinario mentio fit, & de his hic non tractamus, quia supponimus Prælatos, de quibus agimus, esse sacerdotes, & eo titulo posse quidquid possunt Sacerdotes simplices: alia verò sunt propria Episcoporum iure ordinario, vt sunt consecratio calicis, vel altaris, & benedictio sacrarum vestium, & de his est in præsenti sermo. Est tamen vlteriùs aduertendum, quasdam ex his benedictionibus fieri adiuncto chrismate, vt calicis, vel aræ, alias verò per simplicem orationem, & aspersione aquæ benedictæ. Tandem supponendum est, quanuis iure ordinario hæc non conueniant nisi Episcopo consecrato, nihilominus per Summum Pontificem posse regulariter committi Presbytero. Dico *regulariter*, quia de quibusdam dubitarunt aliqui, vt de confectione chrismatis, & de benedictione olei infirmorum, an scilicet possint ex delegatione Pontificis ita cõfici, aut benedici à simplici Sacerdote, vt sit sufficiens

Notationes pro discussione. 1.

cíens materia Sacramentorum, confirmationis, & extremæ vnctionis, contra quos dictum à nobis est in 3. tom. 3. partis disp. 33. sect. 2. & 4. tom. disp. 40. sect. 2. Sed in illis est specialis ratio propter ordinem ad Sacramentum, cuius materia, & minister sunt de iure diuino; relictis ergo illis materijs, quæ ad Sacramenta pertinent, de cæteris benedictionibus ad sacramentalia tantùm spectantibus, certum est posse Pontificem illas committere simplici sacerdoti, quia cùm omnia sint immediatè ex institutione Ecclesiæ per eiusdem potestatem supremam, designari potest earum minister. Vnde etiam fit, vt ex communi sententia Doctorum multum in his posset valere consuetudo, præsertim, quoad simplices benedictiones, quæ sine vnctione chrismatis fiunt.

II. *Assertio bipartita.*

His positis dicendum inprimis est Abbates regulares posse vestes sacras & pallas altaris, & corporalia benedicere, non tamen possunt consecrare calices, vel aras, nec consecrationem vllam efficere, quæ vnctionem chrismatis requirat. Vtraque pars communis est Canonistarum in c. *Abbates.* de priuilegijs in 6. & in Clementina *Attendentes.* de statu monachorum. Vt autem singulas partes probemus, dubitari potest circa priorem: vnde duxerit originem hæc potestas, vel quo iure fundetur; nam in decretis c. præced. citatis nulla de hac potestate fit mentio, sed solùm de benedictione, & ordinatione Monachorum, ex quibus, esto maioris momenti sit saltem, quoad sacramentalem ordinationem, non licet inferre hanc potestatem, quę diuersæ rationis est; & similiter in dicto cap. *Abbates*, dicitur quidem huiusmodi Abbates posse in suis Ecclesijs, quæ ad eos pertinent, pleno iure benedictionem solemnẽ post Missam, vesperum, aut matutinum tribuere; de alio verò benedictionis genere non fit mentio, neque ex illa colligi potest propter argumentum factum; quin potiùs per argumentum ab speciali, dum hæc benedictio tantùm exprimitur, aliæ videntur negari. Propter hæc Doctores communiter hoc reducunt ad consuetudinem. Difficile autem est, explicare quomodo actus ordinis consuetudine præscribatur, quia pendet ex potestate ordinis, quam non potest dare cõsuetudo, licèt dare valeat potestatem iurisdictionis. Quod autẽ hi actus sint potestatis ordinis, constat, tum quia non possunt fieri, nisi saltem à Sacerdote, tum etiam, quia in eis seruatur certa forma, & solennitas ad rem aliquam diuino cultui sacrandam ordinata; tum etiam à posteriori, quia Sacerdos, vel Episcopus ligatus censura, & hos actus exercens fieret irregularis.

Dubium circa 2 partem huius assert. vnde ad Abbates manauerit hæc potestas benedicendi.

Manasse ex consuetudine quidam aiunt.

III. *Quo pacto explicetur à nonnullis talis consuetudo.*

Duobus ergo modis hoc explicari potest, primùm iuxta sententiam Angeli verb. *Benedictio* n. 1. dicentis Sacerdotem simplicem, ex vi suæ ordinationis posse confícere hæc sacra benedicendo vestes, &c. niũ prohibeatur (imò, quod grauius est, idem dicit de benedictione calicis.) Quod si hoc verum est, facile intelligitur potuisse per consuetudinem introduci, vt his Abbatibus non censeatur prohibitum hoc ministerium. Veruntamen fundamentum Angeli, vt ipse fatetur, receptum non est communiter, & illud etiam reprobarunt postea Syluester, & alij. Deinde ipse tantùm illud ostendit à posteriori, quia potestas illa consuetudine acquiritur, quæ nec est bona collectio, vt statim dicam, nec ostendit cur Sacerdoti conueniat hęc potestas, eo ipso, quod Sacerdos est; quocirca vt sacerdos habeat hanc potestatem, non satis est, quòd non sit prohibitus, sed necesse est, vt positiue illi fit concessa. Nam, vt dixi in tom. 3 3. part. disput. 15. sect. 3. sicut hæc sacramentalia ab Ecclesia sunt instituta, ita ministri eorum per Ecclesiam determinari potuerunt, & debuerunt. Nec videtur dubium, quin potuerit Ecclesia à principio instituere simplicem Sacerdotem, vt proprium & ordinarium ministrum harum benedictionum, cùm in hoc nulla sit repugnantia, vt ibi cum Durando dixi. Quòd autem ita factum sit à principio, nec probari potest, neque est verisimile; ergo & gratis asseritur Sacerdotem hoc posse, nisi prohibeatur, sed dicendum potiùs esset, si ei cõcedatur, & verisimilius est (quod communis habet sententia) ex primæua institutione solos Episcopos esse ordinarios ministros harũ benedictionum; & consequenter in illis solis esse hanc potestatem quasi ordinariam. Probatur tum ex cap. *consulto.* de consecr. d. 1. vbi dicitur corporale debere esse ab Episcopo benedictum, neque id ponitur tanquam speciale, vt Syluest. indicat, sed pro occasione loci illud potius quàm alia nominatur; significatur autem talium rerum benedictionem ordinario iure Episcopalem esse, tum ex Pontificali Romano, vbi semper ponitur Episcopus tanquam ordinarius minister harum benedictionum, semperque supponitur debere esse Pontificem, qui mitra vti valeat; tum etiam, quia ad maiorem reuerentiam & æstimationem talium rerum, ita fieri oportebat; cuius signum etiam est, quia nunquam legimus hoc licuisse omnibus Sacerdotibus, cum tamen etiam expressam prohibitionem non legamus; ergo ideo fuit semper prohibita, quia non fuit concessa, vt à simili colligitur ex c. *quamuis.* 68. distin. Vbi de Chorepiscopis dicitur, non posse ea, quæ sunt propria Episcoporum, quoniam quamquam consecrationem habeant, Pontificatus apicem non attigerunt.

Alio ergo modo explicari potest illa consuetudo, distinguendo, quædam conuenire Episcopis ratione suæ consecrationis, ex vi iuris diuini, qualia sunt confirmationis Sacramentum dare, ordinare, & similia, & de his verum est, non posse consuetudine acquiri. cap. *quanto.* de consuetudine. & ratio à priori est, quia nec consecratio potest acquiri consuetudine, nec consuetudo potest mutare ius diuinum, & de his intelligi debet communis doctrina Canonistarum in dicto c. *quanto.* & in c. *aqua.* de consecratione Ecclesiæ, vel altaris. Alia verò sunt, quæ Episcopis conueniunt, & reseruantur ex institutione Ecclesiæ, vt ea, de quibus agimus, & in his videtur consuetudo posse habere vim ad conferendam potestatem, quia hæc potestas in hoc comparatur iurisdictioni, quòd per solam extrinsecam concessionem dari potest; ergo sicut iurisdictio propter hanc causam consuetudine acquiritur, ita etiam hæc potestas. Item, quia hæc dari potest per extrinsecum priuilegium, sed consuetudo dare potest priuilegium.

IV. *Alium modum ponit Sylu. Angel. Bonac.*

V. *Difficultas.*

Dices, ergo posset consuetudine acquiri, vt Sacerdos possit Ecclesiam reconciliare, quia hoc etiam ex institutione Ecclesiæ pertinet ad Episcopũ, consequens est contra dictum cap. *aqua.* de consecrat. Ecclesiæ, vel altaris. Respondetur ibi esse sermonem de priuata consuetudine Episcopatus Bracharensis, quæ ad hanc potestatem introducendam satis esse non poterat, sine consuetudine Ecclesiæ Romanæ, quod est valde considerandum, vt ita intelligatur sententia communis, quam tractamus. Vt autem huius ratio intelligatur, aduertendum est, quoddam principium in eo textu positum *Reiectur Sylueſter.* scilicet Episcopum non posse delegare, quæ sunt ordinis Episcopalis inferioribus Sacerdotibus, sed tantùm alijs Coepiscopis, vt habetur etiam in cap. *quod sedem.* de offic. ordin. Cùm tamen Summus Pontifex possit aliqua ex his committere inferioribus Sacerdotibus, vt nunc supponimus. Ratio autem differentiæ est, quia actus ordinis, aut est iure diuino annexus ordini Episcopali, & sic vel à nemine potest committi inferiori Sacerdoti, vel non nisi in aliquo raro casu à solo Summo Pontifi-

Pontifice ex plenitudine potestatis. Aut talis actus est annexus Episcopali ordini ex institutione Ecclesiæ, & sic etiam talis institutio ad Summum Pontificem spectat, & ideo nullus inferior potest institutiones mutare, aut alteri sua potestate illud ministerium committere, nisi in casibus in iure expressis. Quia ergo consuetudo non habet vim ad dandā aliquam potestatem nisi ex tacita voluntate illius Principis, qui talem potestatem delegare potest, ideo in præsenti priuata (vt sic dicam) diœcesana cōsuetudo non fuit sufficiens ad huiusmodi potestatem conferendam; generalis autem consuetudo Ecclesiæ Romanæ sufficit, quia in ea Pontificia authoritas interuenire censetur.

VI. *Consuetudo non dat potestatem Abbatibus ad benedicendā, sed est signum date*

Vltimò tamen obseruandum est, quod aliàs diximus de iurisdictione, multo magis habere locum in hac potestate, scilicet consuetudinem ipsam non concedere hanc facultatem, sed esse signum concessionis à superiori factæ, quod multo magis in præsenti verum censeo; nam iurisdictio absque speciali concessione potest acquiri per consuetudinem legitimè præscriptā adminiculo iuris, ita circa hoc expressè disponentis; de hac verò potestate nullum extat expressum ius quòd consuetudine possit acquiri; est ergo hæc consuetudo signum concessionis à Summis Pontificibus factæ circa talem facultatem: & verisimile mihi est manasse ex aliqua expressa concessione, vel institutione Pontificum; quam in hunc modum probabiliter declaro, supponendo Abbates non posse iure ordinario, seu ex vi huius consuetudinis has res sacras benedicere, nisi ipsi benedicti sint. Argumento cap. *quoniam* d. 69. & cap. *cum contingat*. de ætate, & qualitate. quod etiam sentiunt communiter Doctores, & patet etiam, quia sine benedictione non possunt iure communi vti insignibus Episcopalibus; ergo multo minus possunt hos Episcopales actus participare. Requiritur ergo benedictio, & illi censetur esse annexa ipso iure potestas benedicendi has res sacras. Et hinc verisimile fit, huiusmodi Abbatum benedictionem, ex voluntate, & institutione Summorum Pontificum habuisse vim conferendi hanc potestatem, & potestā declarari. Nam in ipsa benedictione Abbatis dicitur per eam ordinari Abbatem, & constitui in ordine Prælatorum Ecclesiæ, & quodammodo participare dignitatem Episcopalem; ergo mirum non est, quod ex vi benedictionis huiusmodi participet etiam aliquos actus Episcopales inferioris ordinis, & qui etiam possunt simplici Sacerdoti committi.

Quomodo probabiliter ordinatur ordinis facultatem Abbatibus à Pontificibus.

VII. *Obstat communi doctrinæ decretum communi sententia.*

Sed adhuc obstat huic communi sententiæ priuilegium ab Innocentio Octauo concessum Cisterciensibus, vt generalis, & quatuor præcipui Abbates possint pallas altaris, & omnia ornamentā Ecclesiastica benedicere; ergo signum est hoc non conuenire illis ex vi benedictionis, nec esse commune omnibus Abbatibus perpetuis, aliàs nihil Abbatibus illis speciale concederetur. Respondeo propter hoc incertum mihi esse, quid ante tempora Innocentij Octaui in hoc habuerit consuetudo, potuit tamen ab eo tempore vel ea occasione introduci. Nam Innocentius Quartus qui plusquam ducentis annis præcessit, in Clem. *Attendentes*. de statu Monachorū, negat Abbates hoc posse ex consuetudine. Deinde dicitur ex consuetudine solum posse Abbatem benedicere paramenta sui monasterij, vt notat Gemianus in cap. *Abbates*. de priuilegiis in 6. In illo autē priuilegio amplior potestas illis Abbatibus specialiter conceditur: nam verba sunt, *Pallas altarū & omnia ornamenta Ecclesiastica*, quæ non limitantur ad sola illa quæ Monasterii sunt, sed absolutè ad omnia extenditur. Addit verò Syluest. verb. *Benedictio* n. 5. consuetudinem iam tenere, vt omnes possint cuiuscunque loci paramenta benedicere: quod ipse etiam fundare conatur in dict. cap. *Abbates*, iuncta gloss. verb. *quasi Episcopalem*. Sed ex iure illo nihil colligitur, quia iurisdictio quasi Episcopalis non dat facultatem ad actus ordinis nisi aliàs expressè concedatur: de consuetudine autem probabilius id est, quamuis iam magis videatur in priuilegiis fundata.

VIII. *Ostenditur iam 2 pars eiusdem 1 assert. quod sit vera de facto.*

Ex his ergo satis probata est prior pars assertionis affirmatiua: altera verò, quę negatiua erat, quoad consecrationes, quæ fiunt cum vnctione chrismatis, probatur primò, quia nullo iure, vel consuetudine (vt omnes fatentur) concessum est: & aliàs constat hos actus esse Episcopales. Imò sunt qui cēseant, esse adeo strictè Episcopales, vt consuetudine præscribi non possint, quod tenuit Syluest. suprà, & non parum fauet vsus non cōcedendi talem facultatem. Contrarium tamen tenet Angelus cum Cardinali, quod in rigore verius est, quia hoc simpliciter est ex iure humano, & ita potuisset Papa, si voluisset, hunc actum etiam adiūgere, quasi ex officio, Abbatiali dignitati, ac benedictioni. Deinde in dicto priuilegio Innocentij Octaui dictis quatuor Abbatibus & generali Cistercienſi conceditur, vt possint etiam calices, & altaria consecrare, chrismate sacro prius ab aliquo Antistite Catholico recepto: nō est ergo dubium, quin possit Pontifex hunc actū committere Sacerdoti non Episcopo: cur ergo non poterit etiam consuetudine præscribi, vel benedictione Abbatis ipso iure coniungi? De facto verò certum est non ita factum esse, imò & de illo speciali priuilegio mihi incertum est, an fuerit vsu receptum, & an nunc duret.

De possibili tamen contraria pars vera est.

IX. *Facultas prædicta, seu annexa quodammodo Abbatibus ad quid extendatur secluſis aliis priuilegiis.*

Atque hinc vlteriùs addendum est facultatem hanc non esse extendēdam vltra benedictiones earum rerum, quæ ad sacra vestimenta pertinent, vel pallas, seu ornamenta altaris, sub quibus etiā corporale comprehēdimus: nam ad hæc omnia, & hęc sola extenditur consuetudo, vt omnes Doctores docent. Quare licèt in Pontificali Romano multæ aliæ res nominentur, quæ sine benedictione olei benedicuntur, nihilominus nō extenditur hæc facultas ad omnes illas, sed tantùm ad supradictas. In dicto autem priuilegio Innocentij octaui conceditur dictis Abbatibus, vt possint etiam benedicere vascula, ad reponēdam sacram Eucharistiam, & quascunque imagines. Item vt possint Ecclesias, seu Monasteria sui Ordinis, quoties fuerit opportunum, dummodo ex homicidio polluta non forent, recōciliare aqua priùs per aliquem catholicum Antistitem (vt moris est) benedicta obtenta: hoc autē priuilegium quoad hanc partem nō est commune, sed particulare quorundam Abbatum. Denique licèt hæc facultas olim solùm concederetur Abbatibus benedictis, tamen Iulius II. in priuilegio *Sacræ Religionis* cōcesso familiæ Cistercienſi in Hispania, quod inter impressa est 19. concesit Abbatibus triennalibus, vt vestes, tunicas, & alia ornamenta, pro celebratione Missarum, & aliorum diuinorum officiorum, in Ecclesiis monasteriorum prædictorum duntaxat necessaria benedicerent.

X. *Assertio tripartita. Prior pars suadetur per communicationis.*

Secundò dicendum est Prælatos Ordinum mendicantium etiam posse sacra ornamenta benedicere, imò & suas Ecclesias, vel cœmeteria. Prior pars probatur inprimis per vim communicationis; nam quoad hanc benedictionem est in vsu, & praxi Religionum, eamque supponunt omnia compēdia priuilegiorum Religionum, vt videre licet in Compēdio Minorum, verbo *Benedicere*, & in Cōpendio Sacietatis eodem verbo §. 3. Vnde considerandum est, quoad alios Prælatos, qui nō sunt Abbates, nō posse allegari cōsuetudinem, vt immediatam rationē, seu titulum huius facultatis, quia reuera nulla est talis consuetudo, nec probabilis ratio eius; debet ergo fundari in aliquo priuilegio, quod potest esse,

vel directè concessum in hac specie Mendicantibus, vel omnibus, vel alicui Religioni illorum; vel tantùm indirectè per viam communicationis, cũ Religionibus Monachalibus. Et de hoc posteriori modo posset alicui esse dubium, propter dicta in cap. præced. Nam si non est communicatio cum illis in collatione Ordinum minorum, cur erit in hac benedictione. Item quia non communicant cum eis in facultate vtendi insigniis Põtificalibus: ergo neque in hac benedictione; nam hæc duo sese comitãtur. Vnde Cõgregatio Cardinalium in quodam responso, circa Concil. Trid. sess. 23. c. 10. sic inquit: *Abbas qui est benedictus, vel qui ex priuilegio Sedis Apostolicæ habet, vt Pontificalia exercere possit, ac si esset benedictus, potest omnia sacra benedicere, illis exceptis, in quibus vnctio requiritur.* Nihilominus omnes, vt dixi, in hoc admittunt communicationem, cuius ratio statim patebit.

Dubitatio contra hanc partem remouetur.

XI. *Posterior pars etiam per directam concessionem est tenditur cum suis limitationibus, & ampliationibus.*

Secundò ergo probatur assertio, quia simile priuilegium directè concessum est Minoribus per Leonem X. vt habetur in supplemento Minorum concessione 55. & in Compendio eorundem, verb. *Benedicere.* §. 14. & in Compendio Societatis eodẽ verb. §. 1. In quo priuilegio duplex ponitur limitatio; vna, vt solùm pro suorum fratrum vsu possint hæc benedicere; alia, vt benedicere non possint ea, in quibus chrisma interuenit, in reliquis verò amplissima est cõcessio, nam extenditur ad Ecclesias, cœmeteria, Capitula, & Oratoria benedicenda, & cõsequenter etiam ad reconciliandam Ecclesiam pollutam quoties opus fuerit sine alia limitatione, vt notatur etiam in Compendio Societatis verb. *Ecclesia* §. 2. Item extenditur ad paramenta, & ornamenta, & alia quæcunque ad diuinum cultum necessaria. Vnde fit, vt etiam Corporalia possint benedicere, & pyxidem Eucharistiæ, & omnia alia, quæ ad altaris ornamentum, vel ad vsum sacrificij Missæ iuxta morem Ecclesiæ Romanæ benedici solent. Deinde quoad personas conceditur hæc facultas non solùm Generalibus, & Prouincialibus, sed etiã Conuentualibus Prælatis; & sub his comprehenduntur omnes Vicarij, qui in defectu Prælatorum eorum regimen, & iurisdictionem tenent, illos enim suprà cap. 22. num. 4. diximus sub nomine Prælatorum comprehendi, & in præsenti expressius declaratum est à Pio V. in quodam priuilegio Hieronymianis concesso. Præterea in dicto priuilegio Minorum additur, *vt idem possint alij fratres eiusdem Ordinis, qui ad hoc in Capitulo generali deputati fuerint.* Alij verò referunt concessum fuisse à Sixto quarto Ordini minorum, vt omnes simplices Sacerdotes possint hæc sacra benedicere, exceptis Corporalibus. Ita refert ex summa Rosella, Sylvest. verb. *Benedictio.* n. 4. qui inde infert idem posse Sacerdotes Ordinis Prædicatorum. Existimo tamen, hanc tantam amplificationem nõ esse in vsu, neque etiam expedire. Præterea limitatio illa de benedicendis tantùm vestibus ad proprium vsum, sublata creditur per viã communicationis, per dictum priuilegium Innocentij Octaui concessum Cistercien sibus. Nam expressè dicit *tam sus monasterij, quàm vnd. cunque sit.* Et in Compendio Societatis verb. *Benedicere.* §. 2. refert priuilegium concessum à Iulio II. Priori Generali Canonicorum Sancti Saluatoris, quo simpliciter, & sine limitatione conceditur facultas benedicendi hæc, quæ sunt sacris vsibus necessaria. Atque ita supponitur fieri posse in scholio eiusdem Compendij, dum pro vsu huius potestatis quoad externos, prudens moderatio adhibetur, scilicet, vt non fiat nisi necessitate vrgente & prælatis distantibus, & sine illorum offensione. Ex quibus tantum constat actionem hanc esse ex his quæ à prælatis Mendicantium iuxta suum institutum exerceri possunt; aliàs per propria, & directa priuilegia non ipsis cõcederetur, & ideo quoad ipsam gaudere possunt per viam communicationis etiam priuilegiis Abbatibus concessis, & hactenus de prælatis Religiosis.

INDEX

INDEX CAPITVM LIBRI TERTII.

De Religiosis deserentibus, vel mutantibus aliquo modo statum suum, & de obligationibus eorum.

CAP I. *Quando Religiosus sit positiuus, vel Apostata censendus; & quas pœnas ob tale crimen incurrat.*

II. *Expediuntur aliquot dubia circa doctrinam cap. præcedentis.*

III. *De culpa, obligatione, ac pœna cooperantium modo aliquo ad alterius apostasiam.*

IV *An Religiosus professus iuste possit à religione expelli?*

V. *Ad quid teneatur professus è Religione eiectus, ac primùm, an teneatur ad illam redire.*

VI. *Ad quid obligetur Religiosus expulsus licitè & liberè in seculo permanens.*

VII. *An liceat Religioso professo extra monasterium viuere, retento, vel mutato habitu de licentia Prælati; & ad quid tunc teneatur.*

VIII. *An ex natura rei, seu secluso iure humano, liceat professo vnius Religionis ad aliam perfectiorem propria authoritate transferri.*

IX. *An liceat etiam ex natura rei transitus propria authoritate factus ad Religionem laxiorem vel æqualem.*

X. *Quousque ex vi iuris communis liceat transitus ad Religionem perfectiorem.*

XI. *An ex vi dicti iuris communis liceat transitus ad Religionem, æquè vel minus strictam.*

XII. *An spectato iure particulari, seu indultis Religionis, liceat transitus ad aliam Religionem.*

XIII. *An Religiosus legitimè transiens ad aliam Religionem, possit secum transferre aliquod peculium.*

XIV. *An cum Religioso transeunte transeant etiam immobilia vel mobilia pretiosa, quæ forsè ratione illius pertinebant ad priorem Religionem.*

XV. *An cum Religioso transeunte, transeant etiam prærogatiuæ, quibus in prima Religione fruebatur.*

XVI. *De transitu Religiosi ad Episcopatum, & de obligationibus eius ex vi votorum castitatis, & paupertatis.*

XVII. *De obligationibus eiusdem ex vi voti obedientiæ.*

XVIII. *An prædictus Episcopus gaudeat gratiis suæ Religionis: & vtrum omnia dicta à cap. 16. procedant de Religioso assumpto ad Cardinalatum.*

XIX. *An Religiosus transferri queat ad beneficium infra Episcopatum, & quibus obligationibus tunc teneatur.*

LIBER

LIBER TERTIVS.

DE RELIGIOSIS DESERENTIBVS, VEL MVTANTIBVS aliquo modo ſtatum ſuum, atque de obligationibus eorum.

I. HActenus dictum eſt de omnibus, quæ ſpectant ad ſtatum religioſum in cõmuni ſumptum. Nunc priuſquam ſequenti Tractatu deſcendamus ad ſpecies eius, oportet etiã in generali tractare de his, qui ab hoc ſtatu deficiunt, vel illũ mutant quocunque modo; nam oppoſitorum cognitio ad eandem doctrinam ſpectat, atque adeò quas obligationes per talem mutationem deponant, vel retineant, aut etiam de nouo incurrant. vnde meritò præſens liber ad tractatum hunc de obligationibus veluti acceſſoriis annectitur.

Mutatio de religioſo in non religioſum duplex & vtraque ab hoc lib. aliena.

Poteſt autem in præſenti duplex diſtingui mutatio, vna, qua fit aliquis ex Religioſo non Religioſus; alia, qua retento ſtatu Religioſo, fit mutatio in vſu, & vita illius, vel in alium ſtatum. De priori modo hic non agimus, quia ſolùm duobus modis contingit, vnus eſt per diſpenſationem Summi Pontificis, de qua ſatis in ſuperioribus oſtenſum eſt eſſe poſſibilem ex cauſa grauiſſima; facta autem illa mutatione modo legitimo per ſe loquendo nulla ſupereſt obligatio prioris ſtatus, quia omnino ſublatus eſt, ſi diſpenſatio fuit abſoluta; nã ſi habet admixtã commutationem aliquam, manebit obligatio ad illud opus in compenſationem impoſitum, quę obligatio eſt vel præcepti à Superiore diſpenſante impoſiti, vel erit potiùs cuiuſdam voti ſimplicis, quod virtualiter ſit, quando talis commutatio acceptatur, quia ſuſcipitur illa tanquam obligatio religioſa ſuccedens loco alterius, quæ aufertur, & accipitur, ſub eodem genere obligationis. Dico autem, *ſecluſa commutatione*, nullam tunc manere obligationem rigoroſam prioris ſtatus, quia nec vota manent, nec ſubiectio ad regulam; nihilominus ex quadam decentia manet quædam obligatio honeſte viuendi, & conſentaneè ad priorem ſtatum, quoad fieri poſſit. Dixi etiam, dummodo legitima ſit diſpenſatio, quia ſi ſit ſurreptitia, aut ſine iuſta cauſa, & conſequenter nulla, nullam auferet obligationem, & ita erit iudicandum, de tali perſona, ſicut de Apoſtata, & fugitiua; de quibus ſtatim dicemus.

1. Mutatio per totalem diſpenſationem.

2. Mutatio per relaxationem votorum.

Alius modus, quo hæc mutatio contingit, eſt, per talem eiectionem à religione, quæ includat votorum irritationem, & hic modus non habet locum in Religioſis profeſsis, ſed eſt ſpecialis in religione ſocietatis, quoad aliqua membra illius, & ideo in ſpecialem tractatum hunc modum reſeruamus.

II. *De mutatione non tollente vinculum ſubſtantiale religioſi ſtatus hic tractatur.*

Retento autem religioſo ſtatu quo ad vinculum, & ſubſtantiam eius, poteſt fieri deſertio, vel mutatio illius, quoad vſum communis vitæ, habitationem, habitum, ſubiectionem ad regulam, & alios mores vitæ religioſæ. De hac ergo mutatione duo præcipuè à nobis explicanda ſunt, quibus ſcilicet modis licitè vel illicitè fiat, & poſt illam factã, quæ obligatio maneat in Religioſo quatenus talis eſt. Vt autem in particulari diſtinctè rem tractemus, di-

Multiplex modus dicta mutationis.

ſtinguere poſſumus quinque vel ſex modos huius mutationis. Quædam enim eſt voluntaria, ſed illicita, vt eſt per fugam, vel apoſtaſiam; alia eſt inuoluntaria, quæ ſupponit cauſam illicitam, tamen cũ ſit ſine culpa fieri poteſt, vt eſt per iuſtam eiectionẽ. Alia eſt voluntaria, & poteſt eſſe licita ex iuſta diſpenſatione, ſolùm ad viuendum extra Conuentũ, vel ad tempus, vel perpetuò, vel retento habitu, vel mutato. Quarta mutatio ſit per trãſitum ad alium ſtatum, non repugnãtem priori, qui poteſt eſſe, vel ſtatus in alia religione, vel aſcenſus ad gradum Epiſcopalem, quibus etiam addere poſſumus tranſitum ad ſeruiendum Eccleſiæ, in aliquo beneficio ſeculari, vel regulari, de quibus omnibus ſigillatim dicemus.

mutationis tractatus.

CAPVT I.

Quando Religioſus ſit fugitiuus vel Apoſtata cenſendus: & quas ob id crimen incurrat pœnas.

PRimum omnium ſupponendum eſt, Religioſum profeſſum non poſſe licitè ſuo arbitrio, & ſine debita facultate, à ſua religione, imò nec à ſuo conuentu diſcedere, quia ratione ſui ſtatus, & profeſſionis ad perpetuam perſeuerantiam obligatur, & conſequenter ratione regulæ, vel obedientiæ, tenetur aliquo modo ad vitam religioſam in clauſtro vel in clauſura retinendam ſub propriis inſigniis ſeu habitu talis religionis, vt ſuprà lib. 1. à cap. 5. oſtenſum eſt. Non poteſt ergo licitè ſuam religionẽ, vel monaſterium relinquere abſque legitima facultate. Hæc igitur mutatio ſine culpa non fit. Sunt autem varij gradus huius mutationis; & conſequẽter etiam culpæ, quos oportet diſtinguere. Primus & minimus eſt quando quis egreditur è monaſterio, ſine ſcientia prælati, ſeruando, in reliquis omnia, quæ in ordinario, & quotidiano egreſſu ſeruari ſolent: id eſt, de die, & per communem ianuam, & ad breue tempus. Et licèt talis egreſsio ſecluſo ſcandalo, ac praua intentione; imò & ſecluſo præcepto ſub obedientia, vel declaratione alia Prælati, aut ſtatuti, (materia enim capax eſt grauis obligationis ſi imponatur, quia multum ſpectat ad cuſtodiam diſciplinæ religioſæ.) videri poſsit eſſe leuis culpa, de quo Nauar. commento 4. de regularibus à n. 29. præſertim in 35. imò & ab ea excuſari, ſi fingantur caſus iuſtæ neceſsitatis, vel magnæ vtilitatis; ita vt prudẽter præſumatur ſuperioris abſentis, vel ẽtad quẽ non ſit aditus in eo articulo, licẽtia. Attamẽ vix poterunt in tali egreſsione omnes dictæ circunſtãtiæ conuenire; vnde iuxta earum defectum, grauior etiam erit culpa, vt ſi non per conſuetam ianuam, aut nec per ianuam, ſed per aliam extraordinariam viam fiat egreſsio, quòd vix poterit per aliam honeſtam circunſtantiam à mortali peccato excuſari ſaltem propter morale periculum ſcandali, & infamiæ, non tantũ ipſius egredientis, ſed etiam religio-

1. Generalis affectus præmiſſa diſtinctionis.

Error communis.

ligionis. Multo tamen erit grauius, si sit de nocte, quia nũquam excusabitur, etiamsi fingamus, quod vix credi potest, fieri sine intẽtione grauiter peccaminosa ex suo obiecto. Et ita Clemens VIII. in decreto de casibus pro regularibus reseruandis, absolutè ponit nocturnam, ac furtiuam è monasterio egressionem, etiam nõ animo apostatandi; reseruatio autem de graui culpa fit. Quocirca etiamsi nullum sit expressum ius Canonicum quod in vniuersum egressionem sine licentia, sub mortali prohibeat; nec etiam in regula alicuius religionis sit fortasse expressum præceptum hoc prohibẽs sub mortali; nihilominus ex communi obseruantia, & consuetudine omnium religionum hoc videtur esse receptum sub graui obligatione, quia ea consuetudo (quæ vim legis habet) nõ curat rarissimum casum, qualis esset, qui propter illas omnes circumstantias omni malitia careret. Est tamen difficile ad explicandum in qua specie talis malitia sit, & contra quã virtutem directè militet, seclusis affectibus scandali vel infamiæ prædictæ, ac secluſa malitia ex prauo fine, quæ omnia sunt per accidens. Dico tamen esse extrinsecè contra iustitiam, & quia versatur circa rem sacram includere malitiam sacrilegij. Monasterium enim & clausura eius, res quædam sacra est, quæ grauiter violatur per furtiuam ac nocturnam egressionem, ideoque intrinsecè continet grauem iniuriam religionis, & rei sacræ. Quanquam ob talecrimen nulla sit censura vel pœna alia ipso iure posita, neque etiam sequatur alia obligatio, ex eo delicto, per se loquendo, præterquam ad emendationem, & condignam pœnitentiam, & ad procurandum omnimodè, ne talis actus in religionis, vel alterius infamiam vel nocumentum aliud redundet.

De secundo modo peccaminosi discessus.

II. Secundus gradus huius mutationis est, qnando quis sine licentia egreditur monasterium fugiẽdo ab obedientia & subiectione proprij Prælati, non quidem animo manendi in sæculo, nec relinquendi religionem, aut habitũ; sed alia occasione, vel prætextu, cum mora notabili, & scandalosa, quamuis semper quasi in via ad redeũdum. Et hic lapsus grauior est, & videtur sanè ex obiecto peccatum mortale, (nisi iusta excusatio interueniat) quamuis non attingat veram, & propriam rationem apostasiæ, vt omnes Doctores statim citandi docent. Potest ergo illa propriè dici fuga à monasterio, non tamẽ apostasia, quę plures conditiones requirit infrà tractandas, vbi etiã dicemus, quomodo in rigore differant malitiæ horum peccatorum. Est autem huiusmodi fuga peccatum graue. Primo quidem (vt mihi videtur) ex natura talis status, vel professionis, ratione cuius tenetur quis subesse potestati, & imperio Prælati talis religionis, & esse vnitus suo corpori sub tali capite: qui autem hoc modo exit à monasterio, subtrahit se durabiliter, seu permanẽter, pro aliquo notabili tempore à potestate, & dominio sui Prælati & religionis; ergo peccat grauiter contra iustitiam & religionẽ. Secundò constat hoc esse opus natura sua scandalosum tã ipsis Religiosis, quàm externis, & de se creans magnam infamiã religioni. Tertiò hoc specialiter prohibitum est in Cõcilio Trident. sess. 26. c. 4. de regularibus, vbi specialiter de hoc egressu loqui videtur, cum dicit, *Nõ liceat regularibus à suis conuentibus recedere.* Non enim possunt hæc verba propriè accommodari ad egressum ex sola domo ad breue tempus, de quo in priori puncto dictum est, quia per illum nõ dicitur quis propriè recedere à conuentu. Nec propter illũ potest quis iustè reputari desertor sui instituti, sicut hic quem tractamus damnatur ibi à Concilio. Nam subdit eos, qui ita recedunt à suis Conuentibus fugitiuè ab Ordinariis *tanquam desertores suorum institutorum* puniendos esse.

Hic modus fugæ continet peccatũ mortale.

III. *Quo modo punienda talis culpa.*

Vbi etiã obiter adnotari potest propter hoc crimen nullam incurri pœnam ipso facto ex vi communis iuris; specialia enim Religionũ singuli religiosi consulent. Adnotant etiam Cardinales in quodam responso suo, non dixisse Concilium, vt excommunicentur, sed vt puniantur, in quo indicat, alio modo cogendos, & castigandos esse, non verò excommunicandos, nisi fortasse necessarium sit. Quam iurisdictionem Ordinariorum amplificauit Sixtus V. in motu proprio contra illegitimos, &c. qui est 73. in Bullario, vbi præcipit Ordinariis & ministris eorum, vt curent diligenter inquiri, an regulares vacantes, vel diuertentes ad sæcularia hospitia literas suæ obedientiæ secum ferant, & alioqui contra illos procedant, & tãdiu sub custodia detineant, donec de illis certa notitia habeatur. Prælatis autem regularibus præcipit, vt eos sine tali licentia (nisi aliàs cogniti sint) in hospitium recipiant sub grauibus pœnis. Ipsis autem regularibus, sic vagantibus, vel sine licentia incedentibus, nullam nouam prohibitionem, aut specialem pœnam imponit. Hæc autem omnia satis manifestè ostendunt esse hoc graue crimen ex genere suo.

Quarta dicta punitio probat à posteriore grauitatem.

IV. *De excusatione ab hac culpa.*

Dixi autem, *nisi iusta excusatio intercedat*, quia non est hoc adeò intrinsecè malum, quin ex iusta, & necessaria causa possit honestari. Omitto autem ignorantiam, quæ vix in huiusmodi negotio interuenire potest, quamuis iuuare nonnihil possit concurrentibus aliis circumstantiis, de quibus statim. Cõmunis ergo excusatio esse solet, si interueniat nimia vexatio proximi Prælati cum manifesta iniuria, vel vltra modum puniendo aliquod delictum, vel certè sine iusta causa affligendo, vel auferendo ea quæ ex ordinario iure religionis debentur, præsertim cum dedecore, & infamia; tunc enim si religiosus sine licentia recedat, non animo vagandi, sed eundi ad Superiorem Prælatum, qui se defendat, videtur excusari à culpa, tum quia ius defensionis naturale est, tum etiam, quia ibi interuenit voluntas interpretatiua maioris Superioris.

V. *Bannes & alij eam non admittunt.*

Hanc verò excusationem in nullo casu admittẽdam putant aliqui viri graues, quibus assentitur Bannes 2. 2. quæst. 13. art. 1. tum propter absolutam prohibitionem Concilij Tridentini, quod addit etiam prætextu ad superiores suos accedendi, &c. & sub pœna adeò seuera, vt indicet satis in illo facto peccatum graue: tum etiam, quia id non fit sine graui scandalo, & perturbatione Religionis. Tenetur autẽ quis paulisper sustinere, & cedere iuri suo propter commune bonum, & ideo ipsi etiam Superiores Prælati, non solent tales executiones admittere sed grauiter puniunt ad se hoc prætextu confugientes. Nihilominus contrariam sententiam tenet Nauarrus Comment. 2. de regularibus. n. 61. citans Baldum, Decium, & alios, quia huiusmodi accessus ad superiorem est quædam virtualis, seu implicita appellatio, argumento cap. *dilecti.* 2. de appellat. & legis *contra pupillum.* §. *si qui.* ff. de re iudicata. Iusta autem appellatio nemini denegatur. Hoc autem fundamentum parum profectò vrget, quia appellatio etiam est interdicta religiosis, vt præced. lib. cap. 11. visum est, & licèt in manifestis iniuriis permittatur, non tamen subtrahendo religiosum propria authoritate ab obedientia sui Superioris. Quidquid verò sit de voce appellationis, propria ratio est paulo antè insinuata de iusta defensione. Quam (inquit Nauarrus) noluit prohibere Concilium Tridentinum, quia non est verisimile voluisse impedire tam intrinsecum, & naturale ius; solum ergo prohibet voluntarium accessum propter alias causas.

Inter

VI. *Authoris sententia.*

Inter has sententias prior est magis tuta, & regulariter sequenda; quia, licet hic accessus per se non sit intrinsecè malus, tamen, & de se malè sonat, & regulariter habet adiuncta grauia incommoda. Nihilominus in rigore, si causa sit euidenter iusta, & satis publicè nota, res non est per se mala, propter rationem factam de iusta defensione: nec etiá prohibita est à Concilio Tridentino, vt bene explicatũ est. Et optimè confirmat Sixtus V. in declaratione ad suum motum proprium suprà citatum, vbi de his regularibus peregrinantibus, sine licentia suorũ superiorum addit; *Quod si dicerent se ad Apostolicam sedem confugere, ob grauamina à suis superioribus sibi illata, & ideo ab ipsis superioribus licentiam, & literas obtinere non potuisse, non propterea vllo modo recipi debent, nisi fide dignorum testimonio de petita ab eis licentia, & per suos Superiores denegata constiterit.* Ex qua exceptione manifestè colligitur, non esse omnino, & semper malum egredi claustrum sine licentia Prælati prætextu adeundi superiorem. Et quamuis ibi Sixtus solùm loquatur de prætextu confugiendi ad Apostolicam sedem, tamen eadem proportionalis ratio est de prætextu adeundi Prouincialem, vel Generalem, tum quia in his est sufficiens iurisdictio ab eadem sede Apostolica communicata, tum etiam, quia si rationes extrinsecas respiciamus, non minus scandalizare, & perturbare solet huiusmodi Romana profectio sine voluntate prælatorum regulariter. quã profectio ad superiorem prælatum religionis, sine inferioris consensu: si autem respiciamus rationem intrinsecam, eadem necessitas, & iusta causa esse potest, adeundi tales prælatos; imò quoties sufficiens fuerit intra religionem defensionem quærere à maiore præsato, sine causa tentaretur maior profectio.

VII. *Quando nõ sit opus patrono licentia adeundi ad superiorẽ prælatum.*

Vnum autem valde notandum occurrit in dictis verbis; significant enim Sixtus, vt hoc rectè fiat necessariam esse licentiam petitam, licèt non sit obtenta, quia sine sufficienti testimonio petitæ licentiæ, non vult admitti excusationem; per quod videtur excludi, quod Nauarr. suprà ait non esse petendam licentiam ab eo cuius grauamen per superiorẽ tolli procuratur, quod significat glossa 1. in cap. *cum pastoris*. 2. q. 7. & sumi videtur ex c. *ex parte*. de accusationibus. Sed glossa prædicta non loquitur de licẽtia petita, sed de consensu, qui includit licentiam etiam concessam, quòd si hoc tántùm voluit Nauarrus, non repugnamus. Addo verò etiam petitã licentiam de rigore iuris, & in foro conscientiæ nõ videri simpliciter necessariam, quia nullo alio iure positiuo præcepta est in hoc casu, in quo scilicet cõsensus prælati non est necessarius, nec Sixtus V. directè hanc præcipit, sed ex præsumptione quadam, sine illa non vult admitti excusationem ab Ordinario; illa verò præsumptio non oberit conscientiæ, si reuera solùm emissa sit, quia nullus eius fructus sperabatur. Quocirca hoc in particulari pendet ex circumstantiis. Nam si subditus timeat Prælatũ immediatum non solùm non esse concessurum facultatem, sed etiam omnino impediturum, recursum ad Superiorem, vel negotiationibus effecturũ vt Superior Prælatus fallis informationibus præueniatur, vel álio modo noceat suæ defensioni; tũc excusari poterit subditus etiam à petenda licentia. Quòd si fortasse ob eam rem in itinere capiatur, vel alias pœnas sustinere cogatur, non est hoc argumẽtum sufficiens culpæ in cõscientia, sed præsumptionis eius in exteriori foro: in quo si de veritate constiterit, cessabit sine dubio afflictio, & dabitur religioso testimonium, quo possit securè ad Superiorem peruenire.

VIII. *Quando sit opus.*

Si autem ex petitione licentiæ nullum damnum timetur, petendam esse censeo, & in primis si est aliqua spes obtinẽdi illam, vel etiam, si nulla est sufficiens ratio desperandi, omnino necessarium iudico illam petere, quia tenetur religiosus per se loquendo non ire sine licentia; ergo tenetur etiá prius procurare illam; neque habet iustam causam hoc emittendi, quando non habet probabilem rationẽ desperandi, neque timet aliquid incommodi. Imò licèt non habeat spem obtinendi licentiam, debet illam petere. Primò ex quadam vrbanitate, ne suũ Prælatum contemnere videatur. Secundò, vt causam suam quãtum in se est iustiorem faciat. Tertiò, quia hæc potest esse maxima ratio sedandi scandalum; nam si quod postea nascitur illius causa potius Prælatus, quàm subditus cẽsendus est. Denique necessarium est, vt tanta sit necessitas, quæ non det locum petendi prius licentiam à Superiori Prælatò, & expectãdi illam, nisi res talis sit, vt ad plenam informationem, necessaria sit præsentia, nec speretur per solas literas aliquod remedium, vel licentiá posse obtineri. Est autem rarò, & difficile hæc omnia simul concurrere; difficilius item est subdito in huiusmodi casu prudens iudicium ferre in sua causa, & ideo nunquam hoc facere debet sine prudentum consilio, qui rarò, vt existimo, id suadebũt, aut permittent.

Tandem verò quæri potest, an sit aliqua censura vel pœna propter hunc exitum. Nam Rebuffus in practica. p. 2. tit. de dispensatione cum regularibus dicit propter hoc delictum incurri excommunicationem ipso facto. Probat primò, ex cap. 2. de clericis, vel monachis in 6. sed ibi solùm est sermo vel de religioso dimittente habitum, de quo statim dicemus, vel de accedente ad studium literarum, sine legitima licentia sui Prælati. Vnde illa excommunicatio non extenditur extra hos casus, vt tom. 5. 3. partis latiùs explicuimus. Probat secundò, quia licut piscis sine aqua caret vita, ita sine monasterio Monachus c. *placuit*. 2. p. 16. q. 1. Sed illud dictum est ratione periculi, vel ratione culpę non ratione censuræ.

X. *Opinio Nauarri.*

Dicendum est ergo propter hoc crimen nullam esse censuram, vel pœnam ipso iure latam, vt rectè docet Nauar. suprà citatus in num. 5. & colligitur ex Conc. Trid. dicto cap. 4. in verbo *Puniantur*, & maximè adiuncta congregatione Cardinalium suprà relata n. 3. Secundò probatur ex Extrauag. 1. de regular. vbi religiosus sine licentia recedens, & vagans, non excommunicatur, nisi monitione præuia, post quindecim dies ad monasterium non reuertatur; verum est nõ loqui generaliter, sed de illo qui exiit prætextu transeundi ad aliam religionem, sed inde sumitur à fortiori argumentum, atque etiam ab speciali: nam si in eo casu nõ excommunicatur quis ipso facto, nisi monitione præuia, neque etiam in cæteris, cùm in eis non sit lata maior excommunicatio. Imò, neque illo modo extendenda est censura ad alios casus, cùm tantùm in illo speciali posita sit, ne quis, prætextu fictæ licentiæ transeundi ad monachalem ordinem, propriam mẽdicantem dimittat. Dices, ibi esse sermonem etiam de illo qui exiit habitu dimisso. Respondeo, ex vi illius textus etiam illum non incurrere censuram, nisi post dictam monitionem & contumaciam, tamen ille textus est antiquior, quàm capit. 2. *ne Clerici, vel Monachi*, vbi absolutè excommunicantur dimittentes habitum, vt statim videbimus. Nam Martinus IV. auctor illius Extrauagantis præcessit Bonifacium Octauum, qui fuit auctor dicti cap. 2. Ex quo tandem capite potest idem confirmari, quia ibi etiam fertur censura hæc solum in speciali casu; ergo extra illum non est extendenda, cùm in iure non sit expressum.

De tertio modo peccaminosi discessus. XI.

Tertius gradus huius mutationis est, quando quis

quis deserit propriam Religionẽ animo non redeũdi amplius ad illam, etiam si habitum eius non deferat, quod dupliciter fieri potest. Primò animo transeundi ad aliam Religionem, & de hoc transitu dicemus infrà à c.9. Secundò fieri potest animo manendi in sæculo, vel cum proposito retinendi semper habitum, vel absolutè cum animo sese gerendi prout ibi magis placuerit, aut expedire censuerit. Et in hoc in primis certum est graue peccatum mortale per hanc fugam cõmitti, quod à fortiori patet ex dictis in præcedenti discessu, quia hoc peccatum includit totam malitiam illius, & auget illam propter animum perpetuum deserendi religionem, & consequenter negando Prælatis eius obedientiam in toto tempore vitæ, & defraudandi perpetuò religionem, suis obsequiis, & actibus, seu ministeriis, in quo est magna iniustitia & sacrilegium.

Probatur grauitas eius

XII. *Adhuc modus discessus à apostasia.*

Difficultas verò est, an peccatum illud sit vera apostasia à religione. In quo suppono primò vulgarẽ distinctionem de triplici apostasia, à fide, ab Ordine, & à Religione ex Theologis, cum D. Thom. 2.2. q.12.art.1. & Canonistis cum glossa c.1.de Apostatis; quam distinctionẽ attigi disp.16. de fide sect.5. Suppono secundò Apostasiam à religione, de qua solà hic loquimur, non committi sine desertione religionis; itaque quantumuis aliquis sit incorrigibilis, vel rebellis obedientiæ, si in conuentu perseueret, apostata non est, vt bene notauit Nauar. consil. vlt. de regular. aliàs consil. vnico sub tit. de Apostatis. quia licèt retrocessio ab obedientia possit latè dici apostasia, tamen proprio, & vsitato modo loquẽdi iurium, non committitur sine retrocessione ab ipso statu. Sic ergo inquiritur an in prædicto casu ille religiosus dicendus sit Apostata; videtur enim non esse, quia non deserit habitum, vt supponimus; ergo non deserit professionem talis religionis, nec statũ eius, sed solum vsum, & habitationem, quod longè diuersum est. Confirmatur. Nam hæc egressio à religione, solùm differt à fuga superiori puncto explicata, secundum magis, & minus, id est, in maiori temporis duratione; ergo, si prior non est apostasia, neque hæc etiam erit, quia apostasia videtur esse peccatum specie differẽs ab omni peccato, quod apostasia non est.

XIII. *Contraria sententia approbatur.*

Nihilominus dicendum est peccatum illud esse propriam apostasiam à religione. hęc est communis sententia Canonistarum cum Innocentio in c. finali de renuntiatione, vbi Abbas. n.3. idem Caietan. & alij expositores D.Th. 2.2. quæst.12. art.1. Et Syluest. verb. *Apostasia* §.9. Angelus ibi n.4. Armilla n.11. & reliqui Summistæ; Sumitur ex Clement. 8. in decreto de casibus reseruatis Regulariũ, vbi ponit Apostasiam à religione siue habitu dimisso siue retento. Ratio est, quia ille, qui sic recedit, à religione, non manet, nec perpetuò vult manere, sub obedientia religiosa alicuius Prælati; ergo vult simpliciter retrocedere ab statu religioso; ergo est apostata à religione. Antecedens supponitur ex casu, prima consequentia probatur; quia sine obedientia non potest perdurare status religiosus, quia & ipsa obediẽtia substantialis est, & sine illa non potest paupertas exerceri, vt in superioribus declaratum est. Dices, hac solum impediri quãtum ad vsum; vsum autem non esse de substantia religiosi. Sed contra hoc obiicitur probando simul secundam consequentiam rationis factæ, quia ad apostasiam à religione, non est necesse, vt aliquis se priuet à substantiali vinculo religionis, quia hoc impossibile est propria authoritate fieri; quod si fieret authoritate Papæ, iam non esset apostata; ergo sufficit actu relinquere illum statum, quantum in se est. hoc autem facit, qui recidit à religione, proposito perpetuo manendi sine iugo obedientiæ, & consequenter sine vsu paupertatis.

Probatur consequentia.

Nec refert, quòd non relinquat habitum, neque habeat propositũ relinquendi, quia habitus non facit Monachum, neque est de substantia religionis. Et ideo potest esse vera religio sine speciali habitu, vt ex vsu Ecclesiæ constat, vnde in tali religione potest esse euidens apostasia, sine mutatione habitus; ergo & in qualibet alia, quia retentio signi accidẽtalis parum refert, si substantia religionis relinquitur; & confirmatur. Nam licèt quis retineat obseruantiam castitatis, quæ magis substantialis est statui religioso, non propterea apostasiam euitat, & idem est, etiamsi retineat obseruantias, vt ieiunij, &c. ergo idem erit etiamsi habitum retineat. Et ita responsum est ad rationem dubitandi.

XIV. *Ad argum. in num 11.*

In confirmatione autem petitur, an hoc peccatũ reipsa differat specie à fuga, quæ solùm ad tempus fit. De hac re nihil inuenio ab auctoribus explicatum, sed speculatiuè loquendo satis probabile apparet, non esse diuersitatem specificam inter hæc peccata, vt videtur probare confirmatio facta, quæ declaratur amplius, nam tota malitia vtriusque peccati est iniustitia contra religionem, & sacrilegij contra Deum frangendo promissionem illi factam, & contrectando iniuste (vt sic dicam) rem Deo sacratam; ergo malitiæ sunt eiusdem speciei, licet vna sit maior quàm alia. Declaratur item exemplo, nam furari rem animo restituendi illam post aliquod tempus, vel cum proposito nunquam eam restituendi, peccata sunt eiusdem speciei, licèt vnum sit grauius alio, sed ita prorsus in præsenti comparantur: ergo. Dices qui recedit, sine animo redeundi, simpliciter retrocedit à statu religioso: alter verò non retrocedit: ergo committunt peccata specie diuersa. Respondeo vtrunque retrocedere, sed priorem simpliciter, posteriorem verò ad tempus, & proinde secundùm quid, quod patet, quia pro eo tempore non vult talis fugitiuus vt religiosus viuere: ergo pro tunc vult retrocedere à religione, quamuis habeat animum postea redeundi: vt si Nouitius relinquat vitam sub obedientia religiosa animo redeundi postea ad religionem, id satis est, vt retrocedere pro tunc dicatur, & nouitiatum interrumpere: ergo similiter in professo illa est quædã retrocessio, licet dicatur secundùm quid, quia solũ est ad tempus. Quæ differentia non satis est ad distinctionem specificam, quia semper manet priuatio eiusdem honestatis solùm differens secundùm magis, & minus.

XV. *Confirmatio in eodem n.12. conficit instituum loquendo speculatiue;*

Moraliter autem videntur reputari hæc peccata tanquam specie diuersa, primò in ordine ad cõfessionem: nam sine dubio religiosus temerè dimittẽs suam religionem animo nunquam redeundi ad illam, tenetur hanc circumstantiam in confessione explicare; hoc videtur certum ex communi sensu omnium Doctorum: Vnde licèt sit controuersia an circumstantia notabiliter aggrauans, & non mutãs speciem, sit necessariò in confessione aperienda, in præsenti puncto non videtur admittenda. Non enim censeo esse probabile practicè, negare hanc circumstantiam esse confitendam, eo quòd non mutet speciem, sed tantùm notabiliter aggrauet: quidquid enim sit de illa speculatione, moraliter est recepta illa differentia tanquam sufficiens ad illam obligationẽ, siue hoc sit propter rigorosam distinctionem specificam, siue, quia non potest status pœnitentis aliter sufficienter explicari, siue propter notabilem grauitatem, & quia se habent tanquam complerum, vel incompletum in illa specie, quod ego verius censeo, & sicut multi censent, de mutilatione, & homicidio, & idem valde probabile est, in exemplo furti supra posito, quamuis nomen furti absolutè dictum de se includat illam intentionem, nisi aliud explicetur: & idem erit in præsenti, si quis declaret suum peccatum nomine apostasiæ.

XVI. *Non conficit tamen loquendo moraliter quod ostenditur 1. in ordine ad confessionẽ.*

XVII. *Secundo ex ordine ad pœnam.*

Secundò differunt moraliter in ordine ad pœnas iuris; nam propter temporariam fugam nulla est pœna ipso iure imposita, vt suprà num. 10. dixi, propter hanc verò incurruntur omnes pœnæ, quę propter apostasiam à religione ipso iure impositæ sunt. Et de aliis quidem pœnis dicemus inferius in 5. modo discessus. De excommunicatione verò inquiri hic potest, an propter hoc crimen incurratur. Quidam affirmant, quia ille est apostata, & apostata est excommunicatus pro iure, cap. *Et periculosa.* ne Clerici vel Monachi, & hanc opinionem aliqui tribuunt Syluestro, & Caietano. sed immerito, magis hoc insinuat Armilla verb. *Apostasia.* num. 11. dicens absolutè apostatam à religione hodie esse excommunicatum. Dicendum ergo est propter hoc crimen nullam esse iure communi impositam excommunicationem. Ita sentiunt Syluester verb. *Apostasia.* §. 8. vbi primùm ait apostatam à religione si habitum dimiserit esse excommunicatum; ergo non impleta illa conditione de habitus dimissione, sentit non incurrere excommunicationem, & infrà clariùs id explicat, & Caietan. verbo *Apostasia*, vbi ait apostatas à religione excommunicatos esse ob habitus dimissionem, in quibus verbis clarè sentit excommunicationem non incurri donec apostasia perueniat ad illum actum. Idem sentiunt Innocentius, & Panormit. in cap. *in illis.* mus. de ætate, & qualitate. Ratio est, quia pro his apostatis nulla est alia excommunicatio in iure, nisi quæ lata est in dicto cap. *vt periculosa.* Sed ibi non fert in hos apostatas absolutè; sed in dimittentes habitum. ergo non est extendenda vltra verba textus. Præterea in Extrau. 1. de regularibus; exiens sine licentia, & ita vagando incedens non excommunicatur, donec monitione præuia, per quindecim dies in suo malo statu perseueret, & tunc dicitur, *quod si effugere negligerit post ipsum terminum, tanquam notorius apostata excommunicatus in omnibus, & per omnia debet ab omnibus reputari*; ergo antea non est excommunicatus. Quod intelligendum est de iure communi; nam iure speciali aliud potest contingere in particularibus religionibus propter propria indulta Apostolica, quæ consulenda sunt, & aliqua statim attingemus.

XVIII. *Obiectio cõtra nunc tradita.*

Sed oppones Titulum vltimum de apostatis, vbi dicitur de Monacho apostata, si in apostasia sacrum ordinem recipiat, non posse sine dispensatione Sũmi Pontificis in suscepto ordine ministrari; quod non potest in alio impedimento fundari, nisi quia cum esset excommunicatus suscipiendo ordinem factus est irregularis. Respondetur, Primùm probabile esse ibi esse sermonem de apostata, qui habitum monachalem dimisit, & in clericali ordinatus est, quod significat Panormitanus. Sed hoc, & est diuinare, quia textus indistinctè loquitur, & non satisfacit, quia eo tempore non incurrebatur excommunicatio propter hanc apostasiam etiam cum dimissione habitus, quia nondum erat conditum decretum Bonifacij VIII. & antea nullum erat continens illam sententiam. Dico ergo illam non esse irregularitatem propter ordinationem receptam cum censura, sed esse specialem pœnam suspensionis reseruatæ impositam propter graue crimen suscipiendi ordines, in prauo, & infami apostasiæ statu. De qua suspensione, & eius reseruatione latè dixi in tomo de Censuris. Cætera, quæ de hac apostasia dici possunt, communia sunt, cum illa quę fit per habitus dimissionem, de qua dicemus in quinto puncto.

De quarto modo peccaminosi discessus.

XIX. Quarta mutatio fieri potest per fugam à religione cum dimissione habitus, sine intentione perpetuò manendi extra religionem, sed solùm pro aliquo tempore, & de hac mutatione, primò certum est, esse graue peccatum mortale, vt à fortiori constat ex dictis. Secundò est certum propter illud incurri ipso facto excommunicationem latam in c. 2. ne clerici, vel Monachi in 6. quam in tom. de censuris latè explicui. Tertiò dicendum censeo illam circumstantiam dimissionis habitus esse de necessitate, in confessione aperiendam, tum quia, quando illa adiungitur incurritur censura, & non aliàs. & ita ratione illius habet peccatum specialem circumstantiam contumaciæ contra præceptum Ecclesiæ, tum etiam, quia illa per sese notabiliter aggrauat, & multum variat iudicium Confessoris, iuxta communem sensum omnium prudẽtum: tum denique, quia moraliter loquendo, illa circumstantia ratione scandali addit malitiam specie distinctam. Dubitari insuper potest, an per se addat specialem malitiam, quod pendet ex illa quæstione ad quam virtutem, & ad quod præceptum spectet obligatio quã religiosus habet, ad non dimittẽdum habitum religionis. De qua re suprà dictum est in n. 1. & iuxta ibi dicta probabile est, illud esse speciale delictum saltem ratione Ecclesiastici.

XX. *Prædicta confirmantur ex opinione contraria.*

Difficultas autem superest, an talis censendus sit Apostata; videtur enim non esse. Primùm, quia in definitione apostasiæ poni solet quòd sit cũ animo omnino relinquendi statum religiosum, sed ille nõ habet hanc intentionem vt supponimus; ergo. Secundò, quia si quis temerè discedat à propria Religione animo transeundi ad aliam, non est Apostata, vt est communis sententia Doctorum cum glossa in cap. 1. de Apostatis, Caiet. & aliorum 2. 2. q. 12. art. 1. & Summistarum verb. *Apostasia.* Quod censetur esse verum, etiamsi habitum propriæ religionis dimittat; ergo à fortiori, si dimittit habitum cum animo reassumendi, & redeundi ad propriam Religionem, non erit Apostata. Tertiò est ratio à priori, quia apostasia est retrocessio à statu religionis, sed qui sic recedit, non retrocedit à statu, quia semper habet animum redeundi; ergo; & confirmatur: nam hac ratione dicimus in secundo puncto fugitiuum cum animo redeundi, & retento habitu non esse Apostatam; ergo quamuis relinquat habitum, non erit Apostata, cum habitus non sit de substantia religionis, & consequenter dimisso illius non addit substantialem mutationem, atque hanc sententiam tenent moderni expositores D. Thomæ, 2. 2. quæst. 12. art. 1. Bannes, & Aragon. & putant esse sententiam Caietani, qui non satis illam declarauit. Nam cum distinguit de eo qui recedit cum intentione redeundi, vel non redeundi, sic inquit, *Distinguere oportet, quia religiosum cum habitu sua licentia, & alterius obedientia manere dupliciter contingit*, &c. Vbi constat loqui de religioso, qui retinet habitum; postea verò nihil dicit de dimittente habitum cum animo resumendi. tamen in Summa verb. *Apostasia*, satis explicuit mentem suam pro hac sententia.

XXI. *Contraria sententia probatur.*

Est ergo mihi difficilis illa recentiorum opinio. Primò, quia multi ex antiquioribus indicant oppositum, vt patet ex Innocẽtio, Panormitano, & aliis in c. vlt. de renuntiatione, & in c. *Intelleximus*, de ætate, & qualitate. Secundò, quia ex illa opinione sequitur Monachum, qui dimittit habitum animo vagandi, vel militandi per aliquot annos, cum intentione reuertendi tandem ad religionem, non esse Apostatam, neque incurrere infamiam, & pœnas Apostatarum; consequens est falsum; ergo. Minor patet ex communi modo loquendi, & sententia omnium iurium, & prælatorum Ecclesiæ, omnes enim hos vocant Apostatas, & vt tales eos puniunt. Tertiò, Clericus in sacris, qui dimisso habitu Clericali secluariter viuit, aut militat, simpliciter est, & censetur

XXII.

censetur Apostata ab ordine, siue habeat intentionē redeundi ad pristinum statum, siue non: ergo idem est in præsenti. Probatur consequentia, quia vtraque apostasia consistit in retrocessione à perfectiori statu; ergo si in ordine est vera retrocessio sine intentione perpetuitatis, erit etiam in religione. Vnde argumentor quartò ratione impugnante simul fundamentum contrariæ sententiæ, quia, vt aliquis retrocedere dicatur, nō est necessaria intentio, nunquam redeundi ad priorem statum, sed sufficit velle nunc cadere à priori statu; & conuerti in alium, etiāsi postea redeundum sit ad priorē: vt, qui recedit à fide absolutè est Apostata, etiamsi fingamus habere animum redeundi ad fidem, & qui cadit à gratia, simpliciter retrocedit à via Dei, etiāsi eodem tempore quo peccat habeat animum postea pœnitendi; ergo intentio non redeundi, non est de ratione apostasiæ; ergo in illa fuga cum dimissione habitus nihil deest ad veram apostasiam.

XXII. Hæc argumenta videntur facere hanc partē valde probabilem. Cauendum tamen est, ne in aliud extremum incidamus, omnem exitum à religione cum dimissione habitus, quæ sufficit ad peccandū mortaliter, & ad incurrendam excommunicationem esse apostasiam; hoc enim nullum eruditum dixisse ait Nauarrus in dicto consil. de Apostatis n. 6. Respondere tamen possumus id satis sentire glossam in dicto cap. *vt periculosa*. verb. *horum*. vbi ita exponit, *id est, quod Apostata dimittendo habitum, vel quia vadit ad studium sine licentia*. per quæ verba sentit omnem fugam religiosi cum temeraria dimissione habitus sufficiente ad excommunicationem incurrēdam esse apostasiam, quod etiam sentiunt ibi Ioannes Andreas, & Bernardus, quos refert Sylu. verb. *Excommunicatio*. 9. num. 52. & ex parte sequitur, quāuis dicat istos nō semper esse propriè Apostatas, sed tantùm ad aliquid, scilicet assumptione alterius habitus. Sed nec declarat, nec ostendit cur illa non sit propriè & simpliciter apostasia. Vnde hoc concedere fortasse non est magnum inconueniens. Cum limitatione tamen existimo esse verum, nimirum, si fuga, & dimissio sit cum animo permanendi, & viuendi stabiliter, vt sic dicam, in statu sæculari prolōgo tempore, siue determinato trium vel quatuor annorum, siue indeterminato ad suum arbitrium, vel donec aliquam actionem perficiat; nam in huiusmodi casu censeo committi veram apostasiam, etiamsi quis habeat animum redeundi ad religionē finito tempore, vel negotio. Hoc mihi probant rationes posteriori loco factæ, neque enim concipere possum quin esset Apostata religiosus, qui in Lusitania dimitteret habitum, vt iret in Indiam, animo ibi negotiandi aliquid, & redeūdi, & tunc reuertēdi ad suam religionem, quia illa reuera est moralis retrocessio, & abdicatio sui status. Itē, quia quoad malitiam eiusdem speciei est cum dimissione ex intentione non redeundi, vt suprà in simili est probatum; quoad quantitatem verò est grauissimum, satisque in sua specie consummatum; quoad pœnas verò iuris, propter illud incurruntur, vt in sequenti puncto ostendam; ergo quātum ad rem spectat habet omnes effectus morales apostasiæ, & communiter ita vulgò nominatur; cur ergo non censebitur, & theologicè & iuridicè apostasia.

XXIII. Et fortasse alij authores hoc non negarent in eo casu, quia Nauarrus dicto n. 6. solùm dicit illam dimissionem habitus, quę fit cum animo eum citò resumendi, & sine animo religionem deserendi, non esse apostasiam. In prædicto autem casu deest illa prior conditio, quia ille non habet intentionem citò resumendi habitum, sed post longum tempus. Item in hac re morali intentio mutationis pro tempore diuturno potest tanquam perpetua reputari; tum propter periculum mortis; tum propter periculum nunquam redeundi, propter prauam consuetudinem, & maiores difficultates, quæ in tanto tempore timeri possunt.

Ad fundamenta ergo prioris sententiæ respondemus in primis, si per intentionem deserendi simpliciter religionem intelligatur cū toto rigore intentio nunquam redeundi ad religiosum statū, sine fundamento poni talem intentionem in definitione apostasiæ, quia nullo iure probatur, nec efficaci ratione, neque in aliis speciebus apostasiæ ita est, nec denique est consentaneum communi modo loquendi, & sentiendi, cui multum debent hæ morales definitiones accommodari. Si autem illa intentio latiùs sumatur pro intentione permanēdi simpliciter in statu sæculari, id est, pro aliquo tempore notabili, sic facilius admitti potest, & non repugnat resolutioni datę, quamuis habeat aliquam difficultatem, vt statim attingemus. Ad secundum idem cū proportione dicendum est. Nam si quis relinquat habitum suæ religionis, vt in sæculo aliquādiu permanenter viuat, quamuis simul habeat propositū ingrediendi aliam religionem etiam laxiorem, Apostata est; quod expressè docent Innocētius, & Panormitanus suprà, imò ipsi largius loquuntur. Sed hoc nunc nobis satis est, & sufficienter probatur illo secundo argumento, & aliis rationibus factis. Secus verò est quando aliquis relinquit habitum suæ religionis, vt immediatè transeat ad aliam, tunc enim non censetur propriè Apostata, quia nō retrocedit à statu religioso vt sic, & hoc tantùm docet cōmunis opinio; quando verò id fiat licitè, vel illicitè, & quæ pœna incurratur, & an possit habere aliquā rationem apostasiæ, infrà dicemus. Ad tertium iam responsum est, satis recedere à statu religioso, qui pro diuturno tempore sæcularem assumit. Nā moraliter ita se gerit, ac si non haberet alium statum. Ad confirmationem respondeti potest primò, quāuis habitus non sit de essentia religiosi status, esse tamen publicum quoddam signum professionis, & retentionis eius iuxta doctrinam D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 7. ad 1. & ideo quamdiu habitus retinetur cum intentione redeundi ad clausstrum, seu ad obedientiam prælatorum, non censeri aliquem permanenter reliquisse religionem, quia semper exterius profitetur illam, & reditum ad vsum eius. Quando autem exuit habitum, vt ita durabiliter viuat, censetur simpliciter exuere religionem quoad exteriorem statum, etiamsi retineat animum redeūdi. Secundò, & fortasse verius, respondetur negando assumptum, nam etiam retento habitu potest committi apostasia per notabilem moram in seculo extra omnem obedientiam: vt c. sequenti in quodam dub. explicabimus: in secundo autem puncto superiori, solùm de fuga quasi in transitu quodam licèt graui, & peccaminoso, locuti sumus.

XXIV. *Ad primum argum. in num. 20.*

Rationes autem factæ pro altera parte probant sufficienter resolutionem positam, pariunt verò aliam difficultatē, quando scilicet iudicanda sit mora sufficiens ad apostasiam post dimissum habitum, & quæ sufficiat ad excommunicationem incurrendam, & non ad apostasiam: nam si hæc non distinguuntur per intentionem manendi, vel non manēdi perpetuò in sęculo, difficile videtur ea distinguere per maiorem, vel minorem temporis moram. In qua re in primis assero aliquam esse dimissionem habitus, etiam post temerarium egressum, quę non sufficit ad excommunicationem incurrendam, vt est in exemplo Nauarri dimissio habitus solùm ad exercendum aliquem actum turpem. Idemque est si fiat dimissio solùm ad se occultandum in aliqua occasione ne capiatur, dummodo fiat animo statim resumendi illum, quia tunc non censetur temeraria dimissio, vt sentit etiam Caietan. verb. *Apostasia*, & latiùs explicui in tomo de Censuris.

XXV. *Difficultas orta, ex sententia tradita n. 21. & 22.*

Deinde

Deinde dico fugam vel exitum temerarium secũdum cum dimissione habitus ad euagandum etiam per breue tempus esse peccatum mortale cum excommunicatione annexa ipso facto, iuxta cap. 2. Ne cleric. vel Monach. in 6. & quæ circa illud notauimus in 5. tom. 3. partis. Denique propter communem sententiam addere possumus, hanc non censeri simpliciter apostasiam, quoad alias pœnas iuris, nisi quando quis censetur absolutè dimittere tam permanenter habitum, vt censeatur etiam simpliciter dimittere religionem, & hac ratione posse aliquando dimissionem habitus sufficere ad excommunicationem incurrendam, & non ad apostasiam simpliciter propter temporis breuitatem. Quanta autem esse debeat illa temporis mora, quæ ad apostasiam sufficiat, prudentis arbitrio æstimabitur, scilicet quando tanta est, vt moraliter censeatur mutatio quædam totius status. Neque hoc est incõueniens, quia etiam in ipsa dimissione habitus ad iudicandum, quando sufficiat ad incurrendam excommunicationem, nec ne, vtuntur authores prudentis viri arbitrio, vt videre licet in Sylueſtro suprà, & in Nauarro in summa c. 27. n. 131. Est autem aduertendum, an fugitiuus dimittens habitum à principio id faciat cum intentione seculariter viuendi per multum tempus, vel cum intentione statim habitum resumendi. Nam in priori casu statim committit apostasiam, quia reuera ex tunc dimittit religionem, & habitum simpliciter; in alio verò casu non fit statim Apostata propter contrariam rationem: tamen si postea paulatim differat reassumere habitum per tempus notabile, incipit esse Apostata, quando formaliter, aut virtualiter id decreuerit, vel voluntariè consummauerit.

De quinto modo peccaminosi discessus.

XXVI. *Hic modus continet apostasiam, & pœnas eius cum completur per externum actum.*

Quintus gradus huius mutationis est, quando religiosus deliberato animo relinquendi in perpetuum religiosam vitam fugit, & dimittit habitum, & hic est consummatissimus actus in hoc genere malitiæ, quare certum est esse apostasiam, & qui illud committit, statim in ipso puncto fieri Apostatam, & incurrere excommunicationẽ, & alias pœnas Apostatarum. Circa quod primum oportet distinguere apostasiam internam ab externa; illa cõmittitur per solum propositum dimittendi religionẽ; illa verò non sufficit ad pœnas Ecclesiasticas, etiam excommunicationem, neque etiã ad reseruationem, vt ex aliis locis suppono. Exterior consistit in ipsa reali dimissione habitus, vel religionis.

XXVII. *Quatenus circa hunc modum quando consummetur externum actum.*

Quæri autem potest, quando primum ita exterius consummetur, vt ad censuram & reseruationẽ sufficiat. Hoc videtur nobis declarasse Clemens VIII. in dicto Decreto casuum reseruatorum, dicens apostasiam reseruari, *quando eo peruenerit, vt extra septa monasterij, seu conuentus egressio fiat.* Igitur quãuis religiosus muret habitum, & sæcularẽ accipiat, & egrediatur cella, & perueniat vsque ad septa monasterij, si ibi ad se conuertitur, & mutat animum, imò licèt per vim capiatur, & detineatur, non est absolutè Apostata, quia non consummauit actum, quem apostasia significat, & ideo casus ille reseruatus non est ex vi illius Decreti Clementis; nam ex speciali statuto alicuius religionis reseruari posset, quia est sufficienter exterior. Non sufficit etiam ad pœnas in iure latas contra Apostatas vt sic, quia huiusmodi pœnæ restringuntur ad actus consummatos, vt diximus latius in materiis de censuris & de Legibus. Dixi autem, *vt sic*, quia de excommunicatione fortasse est alia ratio, quia non fertur in Apostatas, vt sic, propter quod diximus suprà, non omnes Apostatas illam incurrere, sed fertur in dimittentes habitum religionis suæ, vt constat ex dicto cap. 2. ne clerici vel Monach. in 6. Hoc autẽ peccatum satis consummatum est in illo actu. Nihilominus satis probabile existimo etiam excommunicationem tunc incurri, quia verba illius textus sunt; *ne in scholis, vel alibi temere habitum sua religionis dimittant.* ex quibus iuncto principio textus; *Vt periculosæ religiosis euagandi materia subtrahatur*, valde verisimile sit, sermonem præcipuum Pontificis esse de locis extra monasterium, & illa referri, per illam particulam, *vel alibi*, ac proinde donec quis extra monasterium dimisso habitu existat, nõ incurrere illam censuram. quem sensum confirmant verba Clementis suprà citata; cur enim voluisset peccatum illud non esse reseruatum, ante exitum extra septa monasterij, si censeret esse sufficiens ad excommunicationem Papalem incurrendam.

Antè consummationem non est apostasia à Clemente reseruata; nec alia pœna incurruntur.

Secundò quæri potest, quænam pœnæ incurrantur propter hanc apostasiam. In quo primùm certum est secluſa excommunicatione, esse annexam apostasiæ vt sic, quandam inhabilitatem, & quasi irregularitatem ad Ordines sacros susciptendos durante illo statu. ita enim expressè habetur in c. vltimo de Apostatis. In quo in primis obserua hoc impedimentum non esse propriam censuram, quia per solam pœnitentiam, & reditum ad pristinum statum tollitur absque alia absolutione, vt colligitur ex illis verbis, *Monachus in apostasia Ordinem sacrum recipiens*: nam ex eis colligitur, esto ponatur apostasia ante ordinationem, eo ipso tolli impedimentum, absque alia absolutione, vel dispensatione, quæ est communis intelligentia. Vnde etiam fit, non esse irregularitatem perpetuam, & absolutam, sed esse ex illis quæ per temporis successum, vel rei mutationem ipso facto cessant, vt est illa quæ nascitur ex infamia, vel ex defectu ætatis. Quod secus est de impedimento, quod nascitur ex susceptis Ordinibus in tali apostasia; nam illud sine dispensatione, aut absolutione auferri non potest; sed de illo impedimento, quæ non est pœna apostasiæ, sed alterius criminis Ordinis malè susceptí non est hic dicendum, sed dictum est in tom. de Censuris disp. 21. de suspensione.

Deinde obserua vocem illam *Monachus*. Nam ex illa colligi potest pœnam hanc non esse communem omnibus religiosis. Nam in odiosis, non solent sub ea voce comprehendi Canonici Regulares. argumento cap. *quod Dei timorem*. de statu Monachor. vbi id notat Panormitanus, & Nauarrus Comm. de regularibus num. 4. & 41. Sed nihilominus verior sententia est legem hanc comprehendere omnes religiosos; etiam Canonicos, vel quoscunque Clericos regulares. Ratio est, quia tota illa lex habet respectum ad statum religiosum vt sic, & non quantum ad id, quod est speciale Monachis; ergo licet illud decretum de solis Monachis expressè loquatur, de omnibus religiosis intelligendum est, nam in substantia, & perpetuitate status sunt pares. Quod planè confirmat cap. 2. de postulando, vbi Pontifex declarat canonem prohibentem Monachum esse aduocatum comprehendere Canonicum regularem, *Licet de Monachis specialiter in canone sit expressum*, vt ibi dicitur. Et ratio illius declarationis est, quia illa prohibitio facta est intuitu religiosi status: ergo idem est in præsenti, imò etiam in omni simili casu, vt ibi fatetur Panormitanus, & Nauar. dicto numer. 41. vbi ex communi sententia ait quando fundamentum canonis tale est, vt in eo æquiparentur secundum ius antiquum Monachis & Clerici Regulares; tunc dispositionem etiam odiosam de Monachis extendi ad Canonicos regulares, quia tunc reuera intentio legislatoris est, loqui de Religiosis, licèt quasi materialiter nominet *Monachos*. Ita verò est in præsenti. Nam apostasia

æque

æquè damnata est in Clericis regularibus ac in Monachis, & fundamentum illius legis est obligatio ad religiosum statum, quæ eiusdem substantiæ est in vtrisque.

XXX. *Obiectio contra dominium Ordinarium præcedere dictã pœnam.*

Tertiò expendi potest verbum illud, *aliquem sacrum Ordinem*; nam ex illo oritur dubiũ, an hoc impedimentum extendatur ad Ordines minores; nam interdum omnes Ordinationes generaliter vocantur sacræ quatenus sacramentum sunt; propria verò, & speciali ratione solùm dicuntur Ordines sacri, Subdiaconatus, & superiores: Est ergo dubium quomodo ibi accipiendi sint Ordines sacri; vera tamen interpretatio est ibi Ordines sacros propriè sumi: tum quia iuxta communem vsum iuris hæc est magis propria significatio, tum etiam, quia non oportet legem pœnalem ampliari. Vnde fit religiosum suscipientem minores Ordines in statu apostasiæ non manere suspensum, quoad vsum talis Ordinis, & consequenter si apostasiam relinquat, & pœnitentiam agat, posse sine noua dispensatione ad superiores Ordines ascendere. Scio multos ex Canonistas ibi asserere ipsum cõtrahere impedimentum, dispensabile tamen per Episcopum, & in eo textu fieri mentionem sacrorum ordinum solùm propter specialem seruationem; sed illud nullo iure probatur, & ideo non est admittendum, vt dixi latius tom. 5. in 3. p. Loquimur autem ex vi apostasiæ, vt loquitur ille textus; nam si dimittendo habitum excommunicationẽ incurrisset, & in eo statu susciperet Ordines minores, ratione excommunicationis fieret irregularis; sed illa pœna est ex alio generaliori principio, de quo in eodem 5. tom. Hic verò vlterius potest interrogari, si religiosus Apostata esset sacerdos, & in apostasia consecraretur Episcopus, an maneret suspensus ab Episcopali ordine, & est ratio dubij, quia consecratio Episcopi inter sacros Ordines non numeratur. De hoc nihil inuenio in expositoribus, & Summistis; mihi tamen videtur illum manere suspẽsum ab executione Ordinis Episcopalis; tum per argumentum à fortiori, quia plus est consecrari Episcopum, quàm ordinari Diaconum: tum etiam (& melius) quia consecratio Episcopalis est, veluti extensio quædam characteris sacerdotalis, & ideo sub illo comprehenditur in numeratione sacrorum Ordinum.

An præcedat etiam in Ordin. Episcopali.

XXXI. *Assertio excludens aliam pœnam.*

Secundò principaliter dicendum est, nullam aliam pœnam esse ipso iure impositam propter hanc apostasiam. ita sentiunt Sylvester, Angelus, & alij verbo *Apostasia*, & ratio est, quia nullo iure inuenitur talis pœna imposita. Dices in iure imponi infamiam propter hoc crimen, cap. *alieni* 2. quæst. 7. Respondeo primò verba illius canonis amplissima esse, & extendi ad apostasiam largissimè sumptã pro inobedientia Ecclesiastica, iuxta illa verba, *Aut sacru Patrum regulis & constitutionibus non obedientem*. Potest etiam intelligi de Apostatis tam à fide, quàm ab ordine, & religione, quæ est communior expositio, & consentanea principio textus, *alieni erroru̇ socium, vel à sui propositi tramite recedentem*. Postea vero subditur, *Infames omnes esse censendos qui suam aut Christianam prævaricantur legem, aut Apostolicam, vel regularem libenter postponunt authoritatem*, & in hoc sensu rectè probatur hæc pœna; non tamen ipso facto, neque ante sententiam iudicis incurrendam, quia ibi nulla sunt verba, quæ talem rigorem indicent. Idemque confirmatur ex c. *Beatus* 3. quæst. 4. vbi *Apostata refutandus dicitur ante conuersionem suam*; scilicet ab accusatione, vel testimonio; ergo donec refutetur per iudicem tanquam infamis, non incurrit huiusmodi pœnam ipso facto, vnde Sylvester explicans hanc pœnam in apostasia ab ordine, solum dicit, interim ab accusatione & testimonio tanquam infamis repellitur; ergo senent ante sententiam iudicis non incurri hanc pœnam. Hoc autem intelligimus de infamia iuris; nam si delictum sit publicum, propter eius grauitatem sufficiat ad infamiam facti, iuxta ea quæ de infamia in materia de irregularitate tradidimus.

Obiectio, pœna infamiæ excludens.

Præter has vero pœnas traduntur aliæ à Doctoribus, quæ propter apostasiam ab Ordine incurrũtur, quas nonnulli extendunt ad apostasiam à religione, sed ego pro regula constituo, nullam pœnam impositam propter apostasiam Ordinis in specie esse extendendam ad apostasiam religionis, nisi in ipsamet lege, vel in alia fiat talis extensio, quia in pœnali lege, vt talis est, non admittitur talis ampliatio, etiamsi fortasse delictum sit grauius: Nec sufficit similitudo rationis, tum quia requiritur voluntas legislatoris, tum etiam, quia illa similitudo nũquã est exacta. In aliis verò pœnis, nõ inuenitur talis extensio facta in iure, & ideo in eis explicandis non immoror: nam de apostasia ab Ordine Deo dãte dicturi sumus in 6. tom. 3. partis. Tandem aduertendum est, hæc omnia intelligi de iure communi, contento scilicet in corpore iuris; nam extra illud sunt quædam constitutiones Pauli IV. & Pij V. ferentes speciales pœnas, quas inferius attingemus; sunt etiam in particularibus religionibus, specialia indulta quæ consulenda sunt, vt de societate iam dicemus.

XXXII. *Quorundã placitum de pœnis aliis reiicitur.*

CAPVT II.

Expediuntur dubia quatuor circa doctrinam capitis præcedentis.

I. *Dub. an sint Apostatæ qui non professi discedunt.*

SVpersunt verò hic nonnulla dubia. Primum est an religiosi non professi per vota solennia retrocedendo modis supradictis fiant veri Apostatæ, eorumque pœnas incurrant; antiqui enim Doctores partem negantem, vt certam supponunt. Nam Nouitius propterea non fit Apostata retrocedendo, quia professionem nondum emisit, ac proinde Religiosus non est, cap. *Religioso*. §. 1. de sentent. excommun. in 6. Præterea, quia non dicitur quis simpliciter ingredi religionem donec profiteatur, iuxta ea quæ authores notant in Authentica *Ingressi*, & Authentica, *Si qua mulier*. de sacrosanctis Ecclesiis per Bartolum, & alios, quos refert Tiraquellus de vtroque retractu tractat. 1. §. 1. gloss. 8. numer. 34. Felinus cum additione in cap. *cum dilecti*. de iudiciis numer. 2. ergo neque antea potest esse egressio à religione; ergo neque apostasia. Ad hoc dubiũ duo dicenda sunt, primum est non esse verum Apostatam, neque incurrere pœnas eius, nisi qui est verus Religiosus. Hoc conuincit ratio dubitandi proposita, & hic est sensus communis sententiæ antiquorum Doctorum. Vnde infertur, si quis post votum simplex castitatis matrimonium contrahat, non esse Apostatam. Item neque illum, qui post tria vota simplicia, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ in seculo emissa, siue in priuatum viuendi modũ, siue in aliqua communitate, & modo eius viuendi non approbato ab Ecclesia pro vera religione, vt dicuntur esse fœminæ, quæ Mantellatæ, aut Tertiariæ vocantur: neque hunc, inquam, esse Apostatam, neque incurrere pœnas, etiamsi assumat statum omnibus illis votis repugnantem. Ratio est, quia ille non est Religiosus, & ita non retrocedit à statu religioso, in quo ratio huius apostasiæ consistit.

Vide Greg. Lopez. leg. 17. tit. 1. part. 1. Pronunciatum in hoc dubio.

II.

Dices, retrocedere ab obligatione eiusdẽ rationis: nam hæc est eadem in votis simplicibus, & solennibus, vt suprà dixi. Respondeo primum, id nos non tractare speculatiuè, an malitia illorum peccatorum differat specie, nec ne. satis enim est, quòd loquendo Ecclesiastico more illa peccata differant quam plurimùm in æstimatione, appellatione, &

punitione, quia vnum est longe grauius alio, & quia illud est contra instituta Ecclesiastica, & non aliud; ac denique, quia vnum est multo magis cõsummatum in sua specie quam aliud. Addo verò illa peccata etiam differre specie quoad aliquam malitiã, nempe in malitia iniustitiæ, quam cõmittit verus Religiosus apostatãdo à sua religione, propter traditionem illi factam, & ab Ecclesia acceptatam, quã malitiam non incurrit retrocedens ab alio viuendi modo, quantumuis pio, quia in eo non interuenit traditio valida; hæc enim sine Ecclesiæ approbatione esse non potest.

III. 2. *Pronuntiatum.*

Dico secundò, omnes verè Religiosos, etiam illos qui tantùm simplicia vota emittunt in religione ab Ecclesia approbata ad verũ statum religiosum etiam in illo gradu esse verè Apostatas, & incurrere pœnas iure communi Apostatis impositas retrocedendo criminosè à sua religione. Hæc conclusio est certa ex declaratione, & approbatione Pontificum. Supponitque posse dari verum statum Religiosum, cum votis simplicibus, quod esse certum secundùm doctrinam Ecclesiæ infrà ostendemus tract. 10. lib. 3. c. 3. Ex hoc autem principio manifestè infertur assertio posita: nam apostasia est iniqua retrocessio à statu religioso; sed verus status religiosus constitui potest aut per professionem, aut traditionem votis tantùm simplicibus confirmatam; ergo etiam potest esse vera apostasia huic statui contraria. Vnde Paulus III. in vltima Bulla, quam Societati concessit, huiusmodi recedẽtes à Societate post vota simplicia emissa Apostatas vocat, & omnem potestatẽ Superioribus præbet ad eos cogendos, & puniẽdos, quia reuera iniuriam suæ religioni faciunt, vt statim explicabimus, & Pius IV. ac Pius V. in Bulla, *Aequum reputamus*, addunt pœnam excomm. ipso facto in eosdem Apostatas, & vt tales puniendi, & cogendi declarantur, & Gregorius XIII. in constitutione, *Ascendente Domino. Si à Societate* (inquit) *desciant ex. õmunicationis, & aliis Apostatarum pœnis sint subiecti.* & infrà, *Ex. ommunicationis ma oris latæ sententia, & aliis Apostatarum pœnis, si qui à Societate discesserint subiacere, & tanquam veros Apostatas puniri posse.* Quæ verba omnem tergiuersationem excludunt; nam hos non fictos, aut reputatos, sed veros Apostatas esse declarat.

IV. *Satisfit motiuis in 2.*

Neque antiqui authores huic veritati repugnãt; nam verum est Nouitium nõ posse esse Apostatam, quia non est verus Religiosus, quod de his Religiosis, de quibus loquimur, dici non potest. Verum est etiam proprium ingressum in religionem, quo scilicet quispiam fit membrum illius, & particeps religiosi status esse professionem, tamen modus talis professionis pendet ex institutione Ecclesiæ, quæ potest facere vt per vota simplicia firmetur professio, seu incorporatio sufficiens ad religiosum statum, & ita potest esse verus ingressus in religione, sine votis solennibus. Antiqui autem authores loquuti sunt secundùm morem sui temporis, in quo non erat in vsu professio, vel incorporatio religiosa, niti per vota solennia, & ideo indifferenter de his loquuntur. Formaliter autem intelligendum est dictum eorum de professione quatenus est incorporatio cum religione, & assumptio religiosi status. Vnde etiam iura antiqua loquentia de Apostatis in his etiam Apostatis locum habent; nam si loquuntur nomine Religiosorum, aut regularium, etiam isti veri Religiosi, & regulares sunt; si verò loquuntur nomine Monachorum, tamen, vt cap. præced. numer. 29. dicebam, formaliter respiciunt religiosum statum, & ideo omnes veros Religiosos comprehendunt, iuxta communem doctrinam.

V. *Vera & propria traditio*

Et potest ratione declarari; nam hi Religiosi verè se tradunt Deo, vt loquuntur Pius IV. & Pius V. suprà, & religioni, vt loquitur Gregorius XIII. & quantum in se est in perpetuum hanc traditionem per vota confirmant; ergo dum iniustè recedunt, priuant religionem & Deum iure suo, & ita cõmittunt apostasiam eiusdem malitiæ, cum altera quæ est contra professionem solennem. Et ideo meritò datur religioni potestas capiendi huiusmodi fugitiuum, & Apostatam; nam Dominus etiam potest capere seruum fugitiuum, vbicunque illum inuenerit. leg. 1. Cod. vbi causæ status agi debet. & in leg. 1. §. *per seruum*. ff. de acquirenda possessione. facit quæ lex 1. Cod. vbi quis de Curiali, &c. Quibus locis Bartolus, Baldus, & alij dicunt in hoc casu valere argumentum à seruo ad Religiosum. Cùm ergo hi Religiosi, de quibus agimus, verum sui dominium religioni tradiderint, veram apostasiam recedendo committunt, & in omnia iura Apostatis contraria peccant, & consequenter eorum pœnas incurrunt.

VI.

Sunt autem aliqui moderni authores, qui post hanc institutionem simpliciter scripserũt, eum qui non fecit votum solenne non esse Apostatam, vt Aragonius 2. 2. quæst. 12. art. 1. qui solùm dicit eas quæ vulgò *Beata* dicuntur, non esse Apostatas, licèt contra simplex votum castitatis nubant, quod erat per se clarum; sed ille reddit rationem, quia non sunt professæ, nec fecerunt aliquod votum solenne. Sed hic author loquutus est more antiquorum, & fortasse non vidit Bullas Societatis, neque eius institutum satis perspectum habuit; nam quando ipse scripsit nondum erat hæc res in iudicio contradictorio (vt sic dicam) ventilata. Difficiliùs ibidem loquutus est Dominicus Bannes, dicens Apostatam esse qui retrocedit à religione, quam vouit solenniter. *quoniam si sit religio in qua emittatur votum simplex tantùm, retrocedere ab illa non est apostasia.* Non est autem ausus ponere exemplum in Societate, neque ego volo intentionem eius iudicare, sed ponit exemplum in fœminis tertij Ordinis S. Francisci, vel Dominici. Sed immeritò, quia quam illæ profitentur non est religio, nec religio appellati potest, quæ ab Ecclesia vt religio approbata non est; & ideo conditionalis illa, *Si sit religio, in qua fit tantum votum simplex, retrocessio ab illa non est apostasia*, in rigore & proprietate sermonis falsa est; nam si sit religio approbata, erit apostasia recedere ab illa post veram incorporationem eius, per quæcunque vota fiant, vt probatum est; si vero non est approbata, non est religio; & ideo recessus à tali modo viuẽdi non est quidem apostasia, tamen nihil refert ad veritatem illius conditionalis.

VII.

Dixi autem hunc recessum esse apostasiam si criminosè fiat, quia null⁹ recessus à religione sine peccato factus dici potest apostasia, vt rectè notauit Caiet. dicta quæst. 12. art. 1. & commemorat Nauarrus in dicto consilio de Apostatis. num. 4. Nam apostasia est nomen vitij secundùm propriam significationem, & communem vsum eius, & ideo in Clericatu, qui post ordines tantùm minores relinquit habitum, & statum Clerici, non est Apostata, quia in eo non peccat, neque etiam est Apostata Religiosus professus, qui ex licentia Pontificis dimittit habitum, & viuit extra clausĩrum, vel licèt ducat vxorem, si dispensatio ex legitima causa ad hoc extenditur. Ad hunc ergo modum in præsenti si quis retrocedat à tali statu ex legitimo consensu religionis, quamuis ipse etiam consentiat, non est Apostata, quia in tali consensu vel egressu non peccat, imò licèt peccaret malo fine consentiendo, aut procurando egressum, vel licèt priùs peccando daret causam dimissioni; nihilominus in ipso egressu non committeret apostasiam, quia, nec vota violaret, nec religioni propriè facere iniuriam per quam apostasia consummatur. Dico autem, si hoc

hoc fiat ex legitimo consensu religionis, nam si esset extortus per fraudem, & subreptionem fingendo causam vbi verè non est, vel per quandam moralem viam, ex instituto malè viuendo, vt liber dimittatur, non esset consensus legitimus, nec reddet quempiam securum ab apostasiæ crimine in conscientia, etiamsi exterius non ita appareat.

VIII. *Præsumunt. Apostatæ à Societate Iesu incurrunt excommunicationem licet habitum nō mutent.*

Addendum denique est peculiariter pro religione Societatis non solum committi hoc vitium ab omnibus iniquè ab ea retrocedentibus, post incorporationem, in quocunque gradu eius, sed etiam præter alias iuris pœnas incurri excommunicationem ipso facto Pontifici vel Generali Societatis reseruatam, etiamsi fiat sine dimissione habitus, vel etiamsi fiat transeundo ad religionem. De hoc secundo puncto dicemus infrà in capite 12. Primum autem patet ex Bullis Pij V. & Gregorij XIII. qui hanc censuram ferunt præcisè propter apostasiam, vel illis verbis, *Si qui à Societate desciant*, nihil aliud postulatur, quod est contra ius commune, in quo dimissio habitus postulatur ad censuram. Fuitque hoc necessarium in hac religione, quia non habet peculiarem habitum à Clericali distinctum: imò quamuis in illo obseruet peculiarem modum, & decentiam, & fugitiuus statuat illam retinere, & obseruare; nihilominus dictam excommunicationem incurret, si egrediatur animo manendi extra obedientiam Societatis, quia est verus Apostata. Secus verò esset, si exiret titulo adeundi Superiorem, vel animo redeundi ad Societatem sine permanentia in sæculo. Tunc enim licèt aliàs peccaret, non esset propriè Apostata, & ideo non incurreret hanc censuram. In qua etiam est notanda reseruatio eius, nam inde constat grauiter decipi eos, qui putant posse ordinarium Confessorem ab illa absoluere.

IX. *Dicta reseruatio nec per Cruciatam cessat.*

Dices, esto non possint per potestatem ordinariam, posse per Bullam Cruciatæ, quæ concedit omnes casus reseruatos Pontifici; ergo etiam hunc cùm illum non excipiat. Sed hoc etiam est falsum. Primùm, quia suprà lib. 2. cap. 16. ostensum est Religiosos absolui non posse sine licentia suorum Prælatorum virtute illius Bullæ; Apostata autem Religiosus est, & suis Prælatis iure subiectus. Secundò, quia, vel ille permanet in sua apostasia, & sic est incapax absolutionis, vel recedit ab apostasia, & sic debet redire ad suam religionem, ac proinde à propriis Prælatis, ac iudicibus absolui, non ab extraneis. Dices, licèt in apostasia manens sit incapax absolutionis à culpa, quia est in statu damnationis, posse tamen absolui à censura, saltem validè. Respondeo, esto possit facere hoc Pontifex, tamen per Bullam Cruciatæ non concedit hanc potestatem, quia vel solùm concedit illam in ipsa confessione, vt multi volunt, vel certè solùm conceditur in ordine ad confessionem, & satisfacta parte, & ideo solùm conceditur pro his, qui saltem sunt dispositi ad absolutionem de tali culpa. Denique cùm in illa absolutione interueniat præiudicium tertij, scilicet Religionis, non intelligitur comprehensa sub generali clausula, iuxta communem doctrinam, & intelligentiam priuilegiorum fundatam in cap. *quamuis*, de rescriptis in 6. & in cap. *suggestum*, de decimis, & in leg. *quoties*. Codic. de precibus Imperat offeren. & in leg. 2. §. 2. & leg. *Officij*. ff. Si quis à Principe, & in ratione naturali, quia intentio Principis non est iniuriam alicui inferre, vel ad hoc occasionem dare, & ideo, quando est necessarium ad bonum commune priuare aliquem iure suo, id exprimitur in lege, vel priuilegio; & è conuerso, quando non exprimitur, generalis concessio non intelligitur ad talem casum extendi, sicut etiam in alijs religionibus Prædicatorum, Minorum, &c. si Apostatæ, aut fugitiui excommunicationem reseruatam incurrunt, iuxta talia priuilegia talium ordinum, non possunt per huiusmodi Bullas absolui in iniuriam talium religionum. Ad quod etiam applicari potest illa regula iuris, in generali concessione non comprehendi, quod in specie non esset Princeps verisimiliter concessurus.

Rou. t. 2. tr. Cord. q. 3. p. 19. Dormient. lib. 1. Solemnum qua-stionum c. 20. n. 3.

Dubium 2. de religioso fugitiuo prout distinguitur ab Apostata.

X. Secundò dubitari potest, an fugitiui à religione incurrant pœnas Apostatarum. Supponimus per fugitiuum intelligi Religiosum, qui vagatur extra monasterium, & extra obedientiam suorum Prælatorum sine animo deserendi religionem iuxta superius explicata in 2. 3. & 4. puncto, & iuxta leg. 17. ff de ædilitio edicto. *Quid sit fugitiuus* (dicitur ibi) *& respondetur fugitiuus est, qui extra Domin. domum fugæ causa quo se à domino celaret, mansi*; ita ergo cum proportione vocatur Monachus fugitiuus, vt notant Doctores communiter in capite vltimo de Regular. & quamuis Panormitanus ibi dicat eo ipso, quòd Religiosus recedit à Monasterio, & non est sub obedientia Prælati esse Apostatam, & ita videatur hæc duo confundere; nihilominus iuxta super ùs dicta licèt omnis Apostata sit fugitiuus, non è conuerso omnis fugitiuus est Apostata, quæ est sententia Ioannis Andreæ ibi, & magis recepta; ita ergo nunc loquimur de fugitiuo, & inde nascitur propositum dubium, quia si non est Apostata, non incurret pœnas eorum.

XI. *Quid sit esse fugitiuum.*

Et quidem dubium suppositis, quę diximus, difficultatem non habet, stando in iure communi: nam fugitiuus aut dimittit habitum, aut non dimittit; si dimittit, excommunicationem incurrit, non verò alias pœnas, si non fugiat cum animo deserendi religionem modo suprà explicato; si autem non dimittat habitum, nec excommunicatus est ipso iure, neque alias pœnas incurrit, quandiu Apostata non est, quæ omnia ex superioribus constant, & excipitur casus specialis de eo, qui accedit ad studia, sine legitima licentia; nam est excommunicatus, licèt habitum non dimittat, nec Apostata sit, ex cap. 2. ne Clerici vel Monach. in 6. quod in 5. tomo explicatum est. Solet autem quæri de fugitiuo, qui licèt non dimittat habitum, occultat illum, an ille sit Apostata, vel excommunicatus. Sed de apostasia iudicandum est iuxta modum fugæ; nam si sit ad deserendam religionem simpliciter, erit Apostata, sin minus, sola occultatio non facit Apostatam eum, qui aliàs non esset, quia non sufficit ad consummandum actum in ratione desertionis, seu retrocessionis à statu religioso, qua de re consule Quintilianum Mandosium de signatura gratiæ, tit. licentiæ fol. 101. De excommunicatione verò videri possunt dicta in citato 5. tom.

Resolutio de pœnis fugitiui iuxta varios modos sumi.

XII. *Videri Vasquez contra hanc resolutionem æquiparare fugitiuos cum Apostatis.*

Habet autem difficultatem propositū dubium de pœnis latis à Paulo IV. in 3. constitutione, quæ in Bullario habetur, vbi contra huiusmodi fugitiuos, simul, & indifferenter cum Apostatis varias multiplicat pœnas ipso iure incurrendas, scilicet priuationem omnium beneficiorum, inhabilitatem ad illa recipienda, incapacitatem fructuum Ecclesiasticorum, ita vt illos suos non faciant, sed restituere teneantur, & perpetuam suspensionem ab omni ordine & Ecclesiastico ministerio, &c. Quæ omnia confirmauit, & auxit Pius Quartus in sua constitutione prima in eodem libro. Videntur ergo ibi æquiparari fugitiui Apostatis, quoad has pœnas, quia generaliter feruntur contra omnes, *qui temere ete propria, & contra ius amentium in sua profession præstitum, & contra regularia sui ordinis instituta extra claustra suorum Regularium locorum diguri habitu*

retento, vel dimisso. Vnde in ipsomet titulo vtriusque cōstitutionis dicitur contra Religiosos extra claustra vagantes, & Apostatas; ergo contra vtrosque indifferenter feruntur pœnæ.

XIII. *Ostenditur tamen non id voluisse Pontifices*

Nihilominus dicendum est solos veros Apostatas incurrere illas pœnas. Et inprimis supponendum est non loqui Pontifices illos contra eos, qui ex legitima facultate extra claustra morantur, vel cum habitu, vel sine habitu, quia illud nec est contra votum in professione factum, neque dici potest contra regularia instituta, quia regula non excludit Superioris Prælati legitimam facultatem, nec denique dici potest factum temeritate propria. Et quamuis ibi subiungatur, *temeritate propria, & quouis prætextu, vel causa.* intelligendum profectò est de iniquo prætextu, & causa non vera, sed ficta, vt Pius etiam IV. declarauit, dicens non incurrere illas pœnas nisi Apostatas, qui cum literis, & dispensationibus *subrepti in* sæculo vagantur. Et ratione facilè persuaderi potest, Paulus IV. voluit punire, quæ licitè fiunt, nec damnare, aut irritare licentias, vel dispensationes, exveris, & iustis causis concessas. Deinde, quòd ad illas pœnas incurrendas necessaria sit apostasia, probatur ex verbis illis Pauli IV. *Volentes contra apostasiam ipsam plenius prouidere, & eam quantum possumus ex alto conceditur de medio tollere.* & iuxta hanc intentionem semper loquitur repetendo frequenter nomina *Apostatarum*, & *Apostasiæ*, & Pius IV. ita declarat eius intentionem, dicens: *Paulus prædecessor, quod diuersorum Romanorum Pontificum Constitutionibus contra Apostatas edictis deerat supplere studens, & apostasiæ morbo per ampliùs mederi intendens*, &c. ergo iuxta hanc intentionem explicanda est dispositio talis legis, maximè cùm pœnalis sit, & restringenda; ita enim esse iura interpretanda, & ipsa iura, & eorum interpretes docent, vt patet apud legem finalem ff. de hæredibus instituendis, & ibi Bartol. Baldum, & alios, ac ratio ipsa conuincit, quia ex intentione, & voluntate legislatoris tota legis efficacia pendet, & quia pœna & eius intentio maximè restringenda est, quantum verba patiuntur. Quanuis ergo simul cum vocibus Apostasiæ, & Apostatarum alij termini in illis constitutionibus addantur, omnes eo tendunt, vt turpitudinem apostasiæ declarent, & exaggerent, non tamen, vt propter aliud vitium, præsertim minus graue, eædem pœnæ imponantur.

XIV. *Apostata nomen ad quos se extendat etiam propriè*

Probant autem sufficienter, vt opinor, constitutiones illæ, quod cap. præced. à num. 19. diximus ad apostasiam satis esse, longo tempore, & quasi permanenter in sæculo manere, & extra omnem obedientiam vagari; manifestè enim ibi dicitur hoc sufficere ad incurrendas omnes illas pœnas, & consequenter censetur per illa verba sufficienter describi vitium apostasiæ, quod ibi tantùm punitur. Imò ex eisdem decretis etiam colligitur (quod suprà cap. præced. num. 14. fortasse non tam expressè diximus) hoc satis esse ad apostasiam, etiamsi habitus non dimittatur, vt patet ex illis verbis Pauli IV. *Alis verò nullo sub illis prætextu temeritate propria, &c. extra claustra suorum Regularium locorum degunt, & in sæculo, aliqui habitu sui ordinis retento, aliqui illo abiecto in habitu Presbyterorum sæcularium, & quamplurimi in habitu laicali temere vagantur.* Hos ergo omnes censet Apostatas, & pro omnibus illis pœnas imponunt inferiùs; ergo eandem moram, vel euagandi tempus in sæculo, censet sufficere ad apostasiam habitu retento, aut dimisso, sicut censet eandem sufficere cum habitu clericali, & laicali, & in nullo ex his modis postulat, quòd fiat egressio sine animo vnquam reuertendi. Et sine dubio quoad forum externum ita semper iudicabitur.

XV. *Euasio de*

Responderi autem potest illud iudicium esse ex præsumptione; nam qui ita vagatur, diu præsumitur non habere animum reuertendi. Sed certè si tale iudicium fundaretur in præsumptione, non deberet æquè puniri, qui habitum retinet, nam de illo potiùs posset præsumi habere animum reuertendi, cùm semper retineat propria insignia religionis. Deinde falsum existimo, illam legem, vel pœnam eius fundari in præsumptione; nam in ea solùm consideratur id, quod exterius committitur, & conuinci potest, scilicet temeraria desertio, & euagatio sine iusto prætextu. Vnde si quæ ex ibi impositis incurritur ipso facto, & in conscientia ante omnem sententiam etiam declaratoriam, illam incurret Religiosus, qui temerè in sęculo commoratur, seu vagatur, etiamsi habitum non dimittat, & siue habeat animum redeundi ad religionē, siue non, quia Pontifex expressè ponit pœnam propter illud crimen, quod in illo actu sufficienter consummatur, & illa intentio redeundi, vel non redeundi, est valde extrinseca, pertinens magis ad futuram, & contingentem resipiscentiam, quàm ad crimen, quod in præsenti committitur, & propter quod pœna imponitur. Sic igitur pœnæ ibi latæ non extenduntur vltra Apostatas à religione; qui verò sint Apostatę difficilius declarari videtur, quâ multi authores opinati sunt, nisi iuxta modum suprà insinuatum explicentur.

XVI. *Quo pœnæ illæ incurrantur*

Occurrebat verò statim declarandum, an pœnæ illæ incurrantur ipso facto, & ante omnem sententiam declaratoriam criminis; sed non censeo necessarium in hoc immorari, sed legantur attentè, & ponderentur verba, & applicentur generales regulæ de lege pœnali, & erit facilis resolutio. Præsertim, quia Pius IV. quoad pœnas priuationis beneficiorum, & dignitatum, videtur declarasse non incurri ante sententiam declaratoriam criminis, quod secus esse de censuris ibi latis manifestè supponit. Addendum denique est præter hæc omnia habere Prælatum religionis potestatem capiendi, cogendi, & incarcerandi huiusmodi Apostatas, eosque condignè puniendi etiam corporaliter, iuxta suam regulam, vel iuxta prudens arbitrium, regulari statui consentaneum. Et quoad hoc genus pœnæ, & coactionis æquiparantur fugitiui Apostatis; non quoad quantitatem pœnæ; nam hæc imponenda est iuxta modum delicti, seu quoad modum coactionis, quæ illis inferri potest ratione subiectionis, & iurisdictionis eiusdem. De qua potestate optimè scribit Nauar. comment. 3. de Reg. num. 50. Eam confirmans non solùm ex titulo iurisdictionis, sed etiam ex titulo dominij, ratione cuius potest dominus seruum fugientem capere, vel rem propriam recuperare vbicunque illam inuenerit, etiam iuxta leges ciuiles; & hoc in specie multi Pontifices concesserunt religionibus, vt cōstat ex compendijs priuilegiorum, verb. *Apostata.* verb. *Fugitiuus.* In quibus multæ aliæ facultates ad hanc causam pertinentes, & aliquæ aliæ pœnæ continentur, quæ ibi videri possunt; non indigent enim speciali declaratione. Solùm aduerto in aliquibus indultis, non tantùm esse sermonem de Apostatis, sed de recedentibus à religione sine licentia Prælati, quæ videntur extendi etiam ad fugitiuos, licèt non sint propriè Apostatæ. Tale videtur esse priuilegium concessum minoribus, vt recedentes à religione nisi post mandatum Superioris infra octo dies ad obedientiam religionis redeant, excommunicationem Pontifici reseruatam incurrunt. Hæc enim facultas monendi, & præcipiendi reditum, veluti sub tali censura, non solùm datur respectu Apostatarum, sed etiam respectu omnium fugitiuorum.

Dubium

Dubium 3. de obligatione Prælatorum ad reuocandos Apostatas.

XVII. Sed inquiret aliquis (sitque tertia dubitatio, in hoc cap.) an suppolita dicta Prælatorum potestate teneantur Prælati huiusmodi fugitiuos inquirere, & cogere, vt ad suia monasteria redeant. Respondetur *per se loquendo* teneri, tum quia iure communi ita statutum est in c. vlt. de Regularib. vbi Prælatis præcipitur, vt annuatim quærant, & reduci studeant fugitiuos suos, tum etiam, quia ex vi muneris, & officij sequitur hæc obligatio, quia tenetur Prælatus, & bono communi religionis, & spirituali saluti talis subditi prospicere, & ad vtrumque finem, necessaria est illa diligentia, & cura Prælatorum. Satisfacient autem, vt existimo, huic muneri, si iuxta ortam occasionem, vel occasiones moralem diligentiam adhibuerint. Nam illa particularis circunstantia, de annali inquisitione, non videtur esse in vsu, & vix potest moraliter esse necessaria, vel expectari; nam si Prælato constiterit nullum esse fugitiuum, nihil est, quod quærat; si autem aliquis aufugit, non est expectandum tempus vnius anni ad inquirendum illum, sed statim adhibenda est omnis diligentia, vt possit esse fructuosa. Quòd si tunc capi non possit, non videtur necessarium singulis annis specialem inquisitionem facere, sed satis erit vigilare, & iuxta occurrentes occasiones prudenti arbitrio moralem diligentiam adhibere.

Resolvitur obligari.

XVIII. Dixi autem *per se loquendo*, quia si talis est persona fugiens, vt experimento constet esse incorrigibilem, vel nociuam religioni, excusandus videtur Pastor ab onere quærendi tam morbidam ouem, quia bonum commune præferendum est priuato, quod significauit S. Bonauentura de libro quæstionum circa regulam S. Francisci, q. 14. vbi loquens de tali Religioso, inquit, *si Deo permittente talis sepsum eiiceret, gratiæ sunt Deo agendæ, non quia ille peccauit, sed quia oues suæ à pestifera contagione liberauit: vtinam abscindantur, qui vos conturbant, scilicet puritatẽ vestram, pacem & famam*; & infinuat rationem, quia religio potest huiusmodi Religiosum pernicioſum à se abijcere; ergo si ipse abeat non tenebitur eum requirere, & ita etiam sentit Syluester verbo *Apostasia*, num. 10.

Excusantur aliquando Prælati à tanta obligatione.

XIX. Addendum verò occurrit, etiamsi talis sit Religiosus, vt postea ejciendus sit, requirendum tamen esse, vt in prauo apostasiæ statu non permaneat, quia debet Prælatus, quod in se est, & sine incommodo potest facere, vt illum liberet à statu damnationis; quanuis autem religio gaudeat de illius membri abscisione, tamen quia illicito modo facta est, ille Apostata manet semper in statu damnationis, donec à Prælato competente absoluatur & licencietur. Et quanuis ipse teneatur sibi consulere, & remedium procurare, tamen, quia dum est fugitiuus, semper est sub cura & iurisdictione religionis, ideo etiam Prælatus tenetur illi malo remedium adhibere, quod si id possit facere, absolutionem, & facultatem mittendo abſenti, & prudenter iudicet ita expedire, satisfaciet suo muneri; regulariter tamen loquendo existimo debere reuocari, & propter apostasiam incarcerari, & puniri, iuxta cap. *à nobis*, de Apostatis. quia ita etiam expedit ad exemplum aliorum; & quia fortè vexatio dabit intellectum, & quanuis ejciendus sit, fortè illi proderit, vt extra religionem cautius viuat. Deinde potest talis reductio esse vtilis, vt Religiosus ille audiatur, an in ea religione, vel prouincia habeat speciales causas suæ perditionis, & contumaciæ; atque ita remedium illi adhibeatur suæ fragilitati accommodatum quoad fieri possit. Nam & religiosa charitas & pastoralis cura totam hanc diligentiam videntur postulare.

Quærendum tamen Apostatam reuocandum, ad iustam correctionem, & exemplum aliorum.

Dubium 4. ad quem pertineant bona parta in apostasia.

XX. Quartò dubitari potest de bonis acquisitis ab his Apostatis, dum in eo statu permanserunt, ad quem pertineant, quoad ius, & dominium; & consequenter cui reddi debeant, vel durante apostasia, vel recedendo ab illa, aut per mortem, aut per reditum ad religionem, aut per licentiam obtentam manendi in sæculo. Circa quod inprimis distinguendum est de modo acquisitionis; aut enim talia bona sunt acquisita per iniustitiam contra commutatiuam, vt per furtum, vsuram, vel quamcunque negotiationem iniquam, vel sine iniuria alicuius. In priori casu videtur clara responsio, nam bona illa obnoxia sunt restitutioni, vt per se constat; ergo proprijs dominis restituenda sunt; hoc ergo certissimum est, quando certi sunt domini, ad quos ius talium bonorum spectat. Contingit autẽ dominos esse incertos, & occultos, & tunc, quanuis bona sint restituenda pauperibus, seu in pias causas, dubitari potest, an hoc fieri possit arbitrio ipsius apostatiæ, vel debeat hoc suis Prælatis committere, vel etiam an Camera Apostolica habeat ius aliquod ad talia bona: sed in hoc puncto suppono, non habere ius quandiu viuit, qui ea lucratus est, sed solùm post mortem eius posse illa recuperare, iuxta modum infrà tractatum. Quod semper intelligendum est, deducto ære alieno, habente certum dominum, vt est per se notum ex materia de iustitia; pro incertis autem dominis bene potest Camera Apostolica subrogari. Dum verò Pontifici non est acquisitum ius, non video præcisam obligationem in conscientia, ob quam non possit Apostata pœnitens statim bona illa restituere erogando pauperibus prout sibi placuit intra latitudinem iustitiæ, quia hoc non est contra votum paupertatis, & nullum aliud præceptum occurrit, cui repugnet; ergo. Probatur maior, quia illa dispensatio, seu elargitio non est actus dominij, vel proprietatis, quia potius est alieni restitutio, vnde non fit nomine proprio, sed nomine ipsius domini talium bonorum; nam ex voluntate illius interpretatiua pauperibus erogantur. Addo verò posse Prælatum religionis, ex obedientia præcipere tali Apostatæ, vt in restitutione talium bonorum seruet modum à se præscribendum, supponendo illum esse iustum; probatur, quia illud præceptum non excedit materiam voti obedientiæ; cùm sit de re honesta, & quæ multum potest conferre, & ad salutem, & ad perfectionem, vt ipsamet restitutio aliàs necessaria optimè fiat. Secundò etiam in pœnam delicti apostatiæ, & iniustæ acquisitionis potest Prælatus hoc onus imponere subdito. Tunc ergo peccabit subditus contra obedientiam, si aliter faciat, tamen si faciat, videtur factum tenere, quia non est de bonis monasterij, nec contra paupertatem, existimo tamen posse Prælatum factum irritare iuxta principia in superiori tomo posita.

1. Pronunt. quoad bona alieni domini.

Quid quando domini ignorantur.

Supereſt dicendum de bonis acquisitis sine iniustitia, quæ possunt esse in duplici differentia, quædam obtenta sine turpi negotiatione, vel lucro, alia per modum prohibitum acquinta. De prioribus clarum est reddenda esse monasterio, vel religioni, iuxta dispositionem Prælati, & iura Religionis, quia Religiosus nihil sibi acquirit, & per se loquendo, & ex vi status acquirit suæ religioni, vt suprà eodem tomo probatum est, & hoc ius religionis per nullum aliud impeditum est circa hæc bona; oporteret n. esse Pontificium ius, quod ostendi non potest. Tenetur ergo Apostata ad monasterium redire, secũ deferre hæc omnia bona, nec potest illa donare, vel superfluè consumere, sed tantũ

XXI.

2. Pronunt. quoad bona licitè acquisita.

necessa-

necessarijs vti. Quomodo autem hæc bona pertineant ad spolia Cameræ Apostolicæ si Apostata extra clausurum ea lucretur, & ibi cum illis decedat infrà declarabimus. Dices quî fieri potest, vt Apostata licitè aliquid acquirat, cùm in eo ipso contra paupertatem peccet. Respondetur, inprimis dicitur *licitè acquirere* quantum est ex parte actionis, aut medij, per quod acquiritur, quia nimirum actio, per quam acquirit, non est ei prohibita, neque indecens in statu religioso, vt si acquirat petendo eleemosynam, vel acceptando liberalem donationem, vel recipiendo stipendium iustum pro Missa, aut concione, &c. vel denique si laborando manibus suis in re honesta. Deinde, quanuis Religiosus nihil possit accipere sine licentia Prælati ratione paupertatis, non est necesse, vt Apostata semper peccet cùm dictis modis aliquid accipit sine licentia, quia est in statu, in quo est illi moraliter impossibilis talis licentia, cùm tamen sit illi necessarium aliquid accipere. Et quanuis antecedenter illa impossibilitas nata sit ex peccato, tamen postquam ineest, excusare potest à nouo peccato, vt per se constat. Quòd si fortasse ille ex dissoluto animo peccet intendendo id accipere, vt proprium, vel contemnendo licentiam Prælati, illæ sunt circunstantiæ internæ magis quàm externæ, & ideo illis non obstantibus bona illa reputantur honestè acquisita, scilicet ex se, & ex modo acquisitionis.

XXII. *3. Pronunt. quoad bona illicite, sed non iniustè parta.*

De alijs autem bonis turpiter & non iniustè acquisitis, certum est ex se non esse obnoxia restitutioni, siue illa turpitudo sit contra naturalem legem, vt si Monialis acquireret abutendo sua castitate, vel Monachus accipiendo pretium, vt actioni turpi cooperetur, siue sit tantùm contra sacros canones, vt si lucrum fiat per negotiationē prohibitam personis Ecclesiasticis, non quia intrinsecè mala sit, sed quia secularis est, & habet speciem mali, vel periculum peccandi adducit, vel quia indecens est, vt omnis mercatura, & negotiatio, militare, exercere officium forense, & similia. Ratio est, quia sola iniustitia obligat ad restitutionem, non autem alia turpitudo, quæ facit inæqualitatem in bonis acquisitis, iuxta communem doctrinam 2. 2. q. 62. Hinc ergo fit, vt secluso iure positiuo, talia bona etiam acquirantur monasterio, quia acquirerentur ipsimet Religioso, si esset capax; ergo loco illius succedit monasterio, nisi aliunde impediatur. quod & est consentaneum iuri communi c. *non dicatis*, cum glos. 12. q. 2. & cap. *cum olim*, 2. cum notatis ibi per Innoc. & alios de priuilegijs. Atque ita expresè declarauit Paul. IV.

XXIII. *Opponitur contra hoc primum constitutio pro Camera Apost.*

Solùm ergo facit in hoc puncto difficultatem quædam constitutio Pij IV. quæ est quinta illius Pontificis, in summa constitutionum, & incipit, *Decens esse censemus*. In qua declarat pertinere ad Cameram Apostolicam, bona acquisita à Clericis in sacris, tam Regularibus, quàm secularibus per illicitam negotiationem, vel alias contra sacros canones. Et Nauar. in comm. de spolijs §. 7. n. 3. 4. & 5. refert aliam constitutionem eiusdem Pontificis, quæ in margine notatur esse trigesima prima, & incipere, *Romanus Pontifex*. Sed eam non habet Summa Lugdunensis; habetur tamen in copiosiori Bullario Romano, in quo prior est vigesima tertia in ordine, & posterior, quod ad præsens attinet, non mutat difficultatem, quia in ea dicitur confirmare eandem applicationem illorum bonorum, solùm quia eam limitat, ne locum habeat in Cardinalibus, neque in eis, qui ex legitima facultate Pontificis, testamentum condit, vel licentiam habet, vt ei ab intestato succedatur. Videtur ergo per illas constitutiones ablatum esse ius Monasterio ad talia bona, & translatum esse in Cameram Apostolicam, & ita indistinctè fatetur Nauarrus ponens exemplum de quodam Religioso Apostata, qui in Indijs ad viginti millia Ducatorum negotiando acquisierat, quæ secundùm antiquos canones ad religionem pertinebant. Iuxta nouum autem ius illius constitutionis dicit pertinuisse ad sedem Apostolicam, & ideo consulit Monasterijs, vt circa talia bona se componant cum Camera Apostolica, vt possent iure firmo illa petere, & nonnullas ampliationes, ac limitationes adhibet, quæ in eo videri possunt.

In quib. decretis duo mihi notanda occurrunt. XXIV. Primum ibi tantùm esse sermonem de Clericis, & ideo dubitari posse, an Religiosus conuersus, seu laicus, veram professionem emittens, seu vota substantialia religionis ibi etiam comprehendatur? & ratio dubij esse potest, quia nomine *Clerici* venire solet aliquādo quælibet persona Ecclesiastica, præsertim in fauorem eius: illa autem constitutio, cùm sit fauorabilis Cameræ Apostolicæ, licèt sit alijs onerosa, videtur simpliciter inter fauores computanda, & ita Nauarr. suprà absolutè loquitur de quocunque Religioso Apostata. Nihilominus videntur bona talis Apostatæ ad religionem pertinere. Probatur, quia talis Monachus non est Clericus, nec sub tali appellatione etiam latè sumpta comprehendi solet, vt patet ex canone, *Si quis suadente*, & similibus, & ex titulo, ne Clerici, vel monachi. Cōfirmatur primò, quia constitutio non est fauorabilis Clericis, imò est pœnalis, vt statim dicam; ergo ex ea parte non est amplianda, sed restringenda; ergo etiamsi nomen *Clerici* posset ita ampliari, non esset ibi extendendum. Confirmatur secundo, quia illa constitutio non fit directè in tuitionem status religiosi vt sic, sed Clericatus, & decentiæ eius, vt constat ex illis verbis, *Per quos in Clericatus seculares, quam regulares etiam in sacris ordinibus constitutos*, &c. Ergo licèt laicus Monachus illicitè negocietur, bona sic acquisita non adiudicantur Cameræ Apostolicæ, quia casus ille non pertinet ad intentionem huius legis.

Vnde obiter infert, licèt Religiosus Apostata sit Clericus, & acquirat modo sibi illicito ratione sui peculiaris status, non tamen ratione clericatus, vel propter prohibitionem sacrorum canonum, bona illa non esse comprehensa sub illa constitutione, quæ tantùm loquitur de bonis acquisitis per illicitam negotiationem, vel alias contra sacros canones. Illa autem acquisitio, vt supponimus, non fuit contra sacros canones, sed contra regulam, vel constitutiones religionis, nec potest dici negotiatio illicita, tum quia non est illicita Clerico vt sic, vt etiam supponimus, & textus ille vtpote pœnalis, cum hac formalitate videtur explicandus, tum etiam, quia Pontifex loquitur secundùm ius commune. Vnde non vocat simpliciter negotiationem illicitam, quæ ex peculiari instituto aliquibus prohibetur, si aliàs regulariter Ecclesiasticis personis licita est. Quæ omnia vera quidem videntur attenta sola constitutione Pij IV. Tamen iuxta aliam constitutionem Gregorij XIII. planè dicendum est omnes regulares comprehendi modo infrà explicando.

Secundò aduerto ibi non simpliciter adiudicari hæc bona Cameræ Apostolicæ, sed in duobus casibus; Vnus est per successionem, quasi hæreditariam post mortem, quando talis persona, vel condit testamentum sine legitima facultate, vel licèt habeat facultatem testandi intestata decedit, nisi in facultate esset expressum, vt ei ab intestato succederetur. Argumento legis, *ex impefecto*, & legis *hac consultissima*, Codic. de testam. Secundus casus est, quoties talis persona priuata fuerit illis bonis in vita sua. Circa quem dubitari potest primùm de quibus bonis loquatur Pontifex; quidam eum intelligunt solum de bonis, quæ relinquit Apostata extra

claustra

clauſtra decedens; nam hæc ſignificantur nomine *ſpoliorum*, vel ea etiam bona, quæ poſt eius mortem inuenta fuerint extra religionem, vt ſic dicam. Vnde ſit, vt ſi Apoſtata redeat ad religionem, bona non pertineant ad Cameram, ſed ad monaſterium. ita Emm. Rodr. tom. 1. quæſtionum regularium q. 30. art. 11. citans Nauarrum conſil. 17. de ſtatu Monachorum, ſed ibi Nauarr. affirmat quidem in eo caſu, quo Apoſtata decedit extra ipſam religionem, talia bona pertinere ad Cameram Apoſtolicam, non tamen negat, extra illum caſum non pertinere, & præterea ibi ad hoc non allegat conſtitutionem Pij IV. ſed aliam Greg. XIII. *Officii noſtri*, quæ eſt 44. in Bullario Romano maiori, & 19. in minori, quæ directè facta eſt circa illum caſum. Pius autem IV. videtur latiùs loqui, quia adiudicat Cameræ etiam illa bona, quibus Apoſtatæ priuantur, dum viuunt. Vnde licèt verum ſit hæc bona non numerari inter ſpolia, neque occupari à Collectore, ſeu Camerario Apoſtolico, vſque ad mortem eius, ad quem pertinent, tamen tunc non ſolùm inter illa bona videntur computanda ea, quæ apud illum tempore mortis inueniuntur, ſed etiam quælibet alia, quibus viuens priuatus eſt.

XXVII. *Auctoris reſponſio probabilis.*

Dici ergo poteſt, omnia huiuſmodi bona Apoſtatæ pertinere ad Sedem Apoſtolicam, ita tamen, vt viuente ipſo Apoſtata hoc intelligendum ſit ad modum legis pœnalis, ita vt tunc ſolùm intelligantur hæc bona applicata Cameræ Apoſtolicæ, quando viuente tali perſona, in pœnam illius priuata fuerit; ſi autem ipſa propria ſponte de illis diſpoſuerit, non teneatur in conſcientia illa reddere Cameræ Apoſtolicæ, quia nemo tenetur ad pœnam ante condemnationem. Poterit ergo ea in vita dare ſuæ religioni, & conſequenter etiam religio, ſi ad ſe reuocet perſonam; poterit etiam cum illa talia bona recuperare, nec poterit poſtea illis priuari, quia iuſto titulo illa vſurpat, cùm nondum eſſent Cameræ Apoſtolicæ adiudicatę, nec etiam poſſunt dici fuiſſe confiſcatæ, vt poſtea retrotrahatur ſententia, quia in illa conſideratione nullum eſt verbum confiſcationis, neque aliud ex quo id colligi poſſit. Quę expoſitio & ſententia probabilis videtur, quia cùm conſtitutio illa priuet religionem antiquo iure, videtur quoad fieri poſſit reſtringenda; illa autem reſtrictio videtur accommodata iuri communi, ex proprietate illius verbi, *priuati fuerint*.

Qua bona omnia Apoſtata ſtatim ad Cameram Apoſtol. optimo quoad iure.

XXVIII. *Obſtaculum remouetur.*

Sed obſtat aliud verbum, quod ſtatim ſubiungitur, *& eis deſtitui contigerit*. Nam illud verbum in rigore ſignificat quamcunque abdicationem, ſeu derelictionem talium bonorum. Si quis autem rectè conſideret, Pontifex non dicit, ſi contigerit eos deſtituere talia bona, ſic enim conſideratio dicta haberet vim, ſed paſsiuè dicit, ſi contingat deſtitui illis bonis, & ita idem ſignificat, quod priuari, & cùm ſit paſsiuum, optimè per modum pœnę explicatur. Nihilominus interpretationē hanc non aſſero tanquam ſecuram, ſed alijs conſiderandam propono. Et præcipuè obſeruare oportet, quo ſenſu conſuetudo interpretata fuerit hanc legem. Nam fortaſſe Camera Apoſtolica & ius, & vſum habet, exigendi, & recuperandi hæc bona, vbicunque illa inuenerit poſt mortem talium perſonarum: ſi tamen illæ viuentes ea donarunt, vel aliàs alienarunt, qui ea poſſident fortaſſe non tenentur in conſcientia ea reddere Cameræ, donec exigantur, propter rationem dictam. In Religioſo verò Apoſtata oportet ſpecialiter obſeruare, quòd ſi ea non tradat Cameræ Apoſtolicæ (id enim ſemper facere poteſt, ſe huic iuri conformando) non poteſt ſuo arbitrio de iſtis diſponere, quia repugnat voto paupertatis, ſed tunc debet religioni ea donare, quæ poterit illa retinere ſaltem vſque ad mortem Apoſtatæ. Poſt mortem autem eius, ſi adhuc bona illa in indiuiduo extent, & non cenſeantur conſumpta in ſuſtentationem eius, magis dubia res eſt, an in conſcientia pertineant ad Cameram Apoſtolicam, etiamſi ab ipſa non exigantur; tum quia Pius IV. non loquitur tantùm de Apoſtatis, ſed de omnibus Clericis per illicitam negotiationem, vel contra ſacros canones lucrantibus aliqua bona. Conſtat autem quòd licèt ſecularis clericus poſtquam lucratus eſt aliqua bona huiuſmodi, ceſſet à tali negotiatione, & conuertat illa bona in vtilitatem Eccleſiæ ſuæ vſque ad mortem, nihilominus poſt eius obitum pertinere ad Cameram Apoſtolicam; ergo idem erit cum proportione in Apoſtata Regulari, etiamſi dum viuit illis bonis fruatur monaſterium, tum etiam, quia Gregorius XIII. dicit Cameram Apoſtolicam habere vices, & nomen veri hæredis in huiuſmodi bonis, & in ea dominium, ac poſſeſsionem eorum nulla traditione præcedente tranſire; eſt ergo optimum Nauarri conſilium, vt de his bonis ſemper compoſitio fiat cum Camera Apoſtolica.

XXIX. *Varia diſcrimina inter Pontificii decreta circa bona Apoſtatarum adeunda.*

Sed eſt aduertenda differentia inter Gregorium XIII & Pium IV. Nam hic tantùm loquitur de bonis per negotiationem illicitam, vel contra canones acquiſitis: Gregorius autem abſolutè loquitur de omnibus acquiſitis extra clauſtra in apoſtaſia, quocunque modo acquirantur, & ibi ferè numerat omnes modos in ſpecie, qui per ſe aliàs prohibiti non ſunt. Et ideo quantum ad ſucceſsionem poſt mortem Apoſtatæ extra clauſtra morientis videtur hoc extendendum ad omnia eius bona, quocunque modo illa acquiſierit ex vi conſtitutionis Gregorij. At verò ſi Apoſtata ad clauſtrum redeat ante mortem, non habet in illo locum illa cōſtitutio, & ideo quoad bona licitè acquiſita procedit regula ſuperius poſita, quoad bona autem illicitè comparata videtur ſemper habere locum conſtitutio Pij IV. quanuis res ſit incerta, vt dixi.

XXX. *Quid de bonis illicitè partis à religioſo non Apoſtata.*

Imò etiam ex vi illius conſtitutionis dubitari poteſt, an Religioſus non Apoſtata, ſed ſub obediētia ſuorum Prælatorum viuens ſi aliquid acquiſierit per illicitam negociationem, vel per modum à ſacris Canonicis prohibitum, an illud in morte eius pertineat ad ſpolia Pontificis, ſi in propria ſpecie extet, vt in preciosis mobilibus, vel copioſa pecunia, &c. Et ratio dubij eſt, quia Pius IV. non loquitur de Apoſtatis, ſed in vniuerſum de Clericis illicitè lucrantibus, ſiue ſecularibus, ſiue Regularibus, & ſanè in ſecularibus indiſtinctè id accipimus, etiamſi Apoſtatæ non ſint; ergo eodem modo intelligendum eſt in regularibus; eſt enim eadem ratio, nimirum, quòd vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere valemus, quando nec ratio, nec ius aliud cogit. Addo præterea Gregorium XIII. etiam non loqui de ſolis Apoſtatis, ſed de omnibus Religioſis extra clauſtra degentibus, etiam de licentia legitima ſuorum Prælatorum, & velle, vt bona ibi ab eis lucrata ad ſpolia Pontificia pertineant, ſaltem ſi apud eos tempore mortis extra eadem clauſtra inueniantur; ergo à fortiori conſtitutio Pij IV. ad non Apoſtatas extendenda eſt. Obſeruandæ autem ſunt multæ differentiæ. Prima, quòd Pius ſolùm loquitur de clericis; Gregorius ſimpliciter de Regularibus. Secunda, quòd Pius ſolùm loquitur de bonis illicitè acquiſitis; Gregorius ſimpliciter de acquiſitis. Tertia, quòd Pius loquitur de bonis, ſiue vſque ad mortem retentis, ſiue in vita ablatis; Gregorius autem videtur ſolùm loqui de bonis vſque ad mortem poſſeſſis; & hæ tres differentiæ à nobis iam explicatæ ſunt. Quarta addi poteſt, quia Gregorius ſolùm loquitur de bonis acquiſitis extra clauſtrum; Pius autem non adhibet hanc limitationem, & ideo dubitari vltrius poteſt, an bona illicitè acquiſita à

Clerico

Clerico regulari, etiam in claustro assistente, pertineant ad spolia post mortem eius, vbicunque inuenta fuerint, & ratio dubij est, quia Pontifex indistinctè loquitur; ergo ita est à nobis intelligendus propter rationem suprà factam. Item, quia Gregorius noluit indistinctè id statuere, vel intelligere, cum limitatione loquutus est; ergo è conuerso Pius sine limitatione loquens, indistinctè, & sine limitatione voluit intelligi. Præterea habet hoc probabilem congruentiam, quia Pius, vt dixi, non loquitur indistinctè, vt Gregorius, de bonis acquisitis, sed tantùm de illicitè partis, & ideo meritò loqui potuit etiam de regulari sic lucranti intra claustrum, quia illa culpa, & indecentia, quam in ea lege maximè respexit Pontifex in totum monasterium, & Prælatum eius redundat, quando Religiosus eius, præsertim clericus, vel illicitè negotiatur, vel contra sacros canones lucratur; videntur ergo sanè hæc bona prædicta constitutione comprehendi, saltem cum dicta limitatione legis pœnalis, vt scilicet possint à Pontificio collectore recuperari modo explicato.

CAPVT III.

De culpa, obligatione, ac pœna cooperantium modo aliquo ad alterius apostasiam.

I. VLtimò circa hanc materiam de religiosis fugitiuis dubitari potest, quid peccent, vel quam obligationem, aut pœnam incurrant, qui huiusmodi Apostatis cooperantur, vel illis auxilium præbent, aut fauorem, eos recipiendo, defendendo, &c. In quo possumus considerare, vel ius tantùm naturale diuinum, vel ius Ecclesiasticum. Priori modo dicendum est, huiusmodi cooperatores peccare grauiter ex genere suo contra diuinum, & naturale ius, quia cooperâtur ad rem intrinsecè malam, sacrilegam, & iniustam. Duæ autem difficultates circa hoc occurrunt. Prima est, quando aliquis censeatur cooperari huic peccato, in qua dicẽdum est duos esse modos generales huius cooperationis, scilicet positiuum, & negatiuum, & in vtroque esse varios gradus. Primus & maximus positiuæ cooperationis est, inducere, & excitare Religiosum ad exitum, vel fugam, nam hoc non solùm est cooperari, sed etiam quodammodo principaliùs operari, & esse primum auctorem ipsius apostasiæ. Secundus est, consilium dare petenti, & approbare similem deliberationem, nam hoc præter moralem cooperationem, est perniciosè decipere proximum in re graui. Tertius est adiuuare ad ipsummet iniquum exitum, vel fugam, vel aperiẽdo ianuas, aut tollendo alia impedimenta, vel certè alijs modis auxilium præbendo ad illa superanda. Quartus esse potest post exitum recipiendo, occultando, aut defendendo Apostatam. In quo oportet aduertere hunc non esse concursum ad proprium peccatum apostasiæ, quod in ipso prauo exitu committitur; quia verò Apostata non solùm peccat exeundo, sed etiam permanendo in sæculo, seu non redeundo ad claustrum, ideo isti receptatores, &c. in tantum peccare possunt, in quantum cooperantur huic detentioni, vel sunt in causa, ne huiusmodi Apostatæ statim ad suam religionem redeant.

Varij gradus positiuæ cooperationis ad apostasiam explicantur.

II. Quapropter si amicus, vel consanguineus recipiat huiusmodi Apostatam in domo sua, vel præbeat ei necessaria ad vitam, solùm quia amicus, vel consanguineus est, & alio modo non cooperetur suæ detentioni, non videtur cooperari peccato eius, quia nullo modo causat illum, sed solùm naturam sustentat: si autem illi præbeat iustrumenta necessaria ad fugam, vt equum, aut pecunias, videtur sanè cooperari peccato eius. Nam si sciret illum ire ad occidendum hominem, & præberet illi equum, sine dubio cooperaretur, & in vniuersum daret instrumentum necessarium ad opus: est magnus concursus ad illud. Nec refert, quòd talis res, & præsertim pecunia de se sit indifferens ad alios vsus; nam res moraliter consideranda est, prout hic, & nunc constat esse moraliter determinatam ad prauum vsum. Idem erit, si per vim defendatur, ne à Prælato religionis, vel ministris eius capiatur, quia est defensio iniusta, & quædam veluti apostasiæ conseruatio. De occultatione verò non est omnino idem, si secludatur positiua vis, aut iniusta deceptio, quia, quod reliquum est, solùm videtur esse negatiuum, vt non prodere Apostatam, vel non cogere illum, vt domo exeat, vel certè habere clausam ianuam domus, vel cubiculi, quamquam in hoc iam videatur esse positiuus concursus, quod magis moraliter quàm physicè prudenter spectandum est, iuxta occurrentes circunstantias, & præsertim ex intentione; nam si id fiat, vt Apostata liber euadat, & vagetur, planè est cooperatio; si autem fiat solum ad tuendum honorem eius, vt cum minori dedecore, ac pœna reducatur ad monasterium in interiori foro, vt opinor, excusabitur à cooperatione, quanuis in exteriori præsumatur cooperari.

Qua receptio Apostatæ sit, aut non sit cooperatio.

Negatiuè dicimus cooperari illum, qui cùm possit impedire Apostatæ exitum, vel commorationem in sæculo, id facere negligit; necessarium autem est, vt in eo supponatur obligatio, alias non delinquet. nam omissio non imputatur, nisi supposita obligatione, hæc autem obligatio duplex in præsenti esse potest, vna charitatis, alia officij, quæ ad iustitiam pertinet. Prior non sufficit ad propriam cooperationem, neq; ad incurrendam propriam malitiam apostasiæ, quia illud solum est peccatum contra charitatem, vel misericordiam. At verò posterior obligatio censetur sufficere ad positiuam cooperationem, quia ille infert iniuriam religioni, non impediendo tale peccatum, & ideo illi imputatur nocumentum inde prouenies religioni, ac si positiuè illud inferret, & ideo censetur moraliter cooperari. Et quanuis possit speculatiuè cõtrouerti, an ille propriè participet malitiam apostasiæ, quia non videtur in ea negligentia peccare contra votum, vel contra virtutem religionis, tamen & certum est peccare concurrendo moraliter ad nocumentum religioni illatum, ac proinde contra iustitiam; & probabilius est peccare contra virtutem religionis, quatenus illud nocumentum est rei sacræ, & contra personam sacram, imò etiam dici potest contra votum, non quod habet Prælatus, v. g. negligens sic delinquens, sed quod habet subditus, & ipse tenetur ex iustitia illæsum custodire.

III. Epicuus. al. a quo. Pater. Aug.

IV. Alia difficultas. Palud. Paludan. Ruinam. Ruinam. Restitutio. restituere.

Altera verò difficultas est, an huiusmodi cooperator teneatur ad aliud, quàm ad restitutionem non quidem respectu Apostatæ, quia scienti, & volenti non fit iniuria; sed respectu religionis, quæ graue nocumentum patitur, dum priuatur personam, in quam habet dominium, & ius, & consequenter obsequijs, vel vtilitatibus eius, cuius nocumenti huiusmodi cooperator causa est, & maximè si ipse fuit excitator & inductor. Vnde consequenter videtur teneri ad restitutionem. Quod non solùm de inducente ad exitum eum, qui iam professus est, sed etiam de impediente, vel consulente alicui, ne ingrediatur, vel profiteatur religionem, affirmat Scotus in 4. d. 15. & ibi Maior q. 17. §. *Quarto*. Palud. q. 2. art. 2. & ibi Gabr. q. 17. art. 3. dub. 1. Richard. art. 5. q. 4. ad 8. D. Antoninus 2. p. tit. 11. c. 2. §. 1. Sylvest. verb. *Restitutio*. 3. q. 1. vbi dicit esse opinionem non solùm Richardi, & Scoti, sed etiam S. Thomæ, locum tamen non adducit, nec existimo S. Thomam alicubi

alicubi hoc in particulari dixisse. Refert etiam in hanc sententiam Archidiaconum, Summam Angelicam, Rosellam, & alios. Ratio huius sententiæ est, quia ille, qui causam damni dat, damnum dedisse videtur, vt ait regula iuris: qui autem infert damnum, tenetur illud restituere; ergo in præsenti nascitur obligatio ad restitutionem respectu religionis propter damnum datum. De modo autem restitutionis dicitur inprimis debere exhortari Apostatam, vt redeat, quod si obtinere non possit, alium quærere debere, qui ingredi velit, & locum Apostatæ supplere, quòd si non inueniat ipsum teneri ingredi religionem, vt per seipsum reddat æquialens religioni, cùm non possit idem. Quod etiam sentit Adrianus in 4. quæst. 3. in fine, & quodlibet. 12. & Nauar. c. 12. n. 44. c. 17. n. & 11. 14.

V. *1. Assertio negans cooperatorem in aliquo casu obligari, vt ipse pro altero impedimatur.*

Sed hæc sententia absolutè probari non potest, & ideo distinguamus modum cooperationis, seu causalitatis, an fuerit per vim, vel fraudem, aut solùm per inductionem, & preces; alij etiam distinguunt intentionem, an scilicet factum fuerit ad nocendum religioni, vel ob alias rationes humanas. Sed ad obligationem restitutionis parum refert intentio, & ideo distinctio illa necessaria non est. Dico ergo primò, qui religiosum apostatare facit, in nullo casu tenetur religionem ingredi, vt locum alterius suppleat. Quod intelligo etiamsi vis, vel fraus interuenerit, & aliter reparari non possit damnum. ita tenet Maior suprà, & Soto li. 4. de iustitia q. 6. art. 3. Nauar. c. 12. n. 44. Ledesm. 2. 4. q. 18. art. 2. dub. 1. Probatur primò, quia ingressus religionis est opus adeò difficile, & supererogationis, vt nemo sit cogendus ad restituendum, cum tanto onere. Secundò, quia si quis alienum seruum ad fugam incitauit, licèt teneatur illum restituere, non tamen tenetur se pro illo in seruitutem dare, vt illum restituat, etiamsi aliter non possit, quia præceptum restituendi non obligat cum tanto detrimento. Tertiò, qui occidit Religiosum, non tenetur ingredi religionem pro illo, vt videtur manifestum ex communi vsu, & existimatione; ergo à fortiori, &c. Et hoc magis ex sequentibus constabit.

VI. *2. Assertio, nec obligari nent Sot. & Ledesm. & potest probari applicando quarere qui se fingere diatur.*

Dico secundò, non tenetur quis quærere alium, qui loco Apostatæ velit religionem ingredi, ita tenent Sot. & Ledesm. & potest probari applicando rationes factas, & præterea, quia ingressus religionis non debet fieri propter hunc finem, imò per se non sit propter commodum religionis, sed propter spirituale bonum ipsius Religiosi; ergo, nec iustitia per se obligat ad compensandam hoc modo fugam alterius. Et confirmatur, quia non esset prudens consilium inducere aliquem ad ingressum religionis principaliter ob eum finem, vt suppleat absentiam alterius. Dices, esto priùs debeat considerari, an expediat ingressuro, & an satis voluntariè id faciat, tamen si seruatis his circunstantijs potest quis suo consilio, vel alio auxilio iuuare illum ad ingressum, tenebitur id facere in recompensationem apostasiæ alterius. Respondeo optimè quidem faciturum, si id faciat, & ita esse consulendum, tamen in rigore ex vi restitutionis non teneri, quia nemo tenetur restituere de alienis bonis, etiam petendo consensum à domino. Nam si ego teneor restituere mille aureos, quos non habeo, non teneor petere ab alio, vt pro me restituat, & in exemplo de seruo suprà posito non teneor procurare, vt alius se donet in seruum pro altero, quem fecit fugere, & sic de alijs, præsertim, quia hic alia specialis ratio intercedit, vt iam exponam.

VII. *3. Assertio non solum carentiam religiosi, obligans alterum, sed*

Dico ergo tertiò, in dicto casu non tenetur quis aliquid restituere religioni pro sola carentia talis personæ, quando ipsammet restituere non potest. Dico, *sola*, vt excludam alia damna, vel carentiam lucri, de quibus statim dicam. Probatur primò ratione generali, quia hoc damnum est ex his, seu in his bonis, quæ in eodem genere restitui non possunt, neque est obligatio compensandi illa in bonis inferioris ordinis. Declaratur exemplo de homicidio; nam qui patrem alicuius interficit, non tenetur præcisè pro vita, vel carentia patris, aut mariti aliquid in conscientia restituere, quia non est damnum ab homine reparabile, sed solùm tenetur ad alia nocumenta, quæ inde sequuntur. Idem est in exemplo suprà posito de interficiendo Religioso, item de abscindente manum alterius, &c. Secundò est hic specialis ratio, quia Religiosus non est ita sub dominio religionis, sicut seruus; nam, vt suprà dictum est, seruus principaliter est propter vtilitatem domini; Religiosus autem non ita est in religione propter eius vtilitatem, præsertim temporalem, sed propter suammet spiritualem perfectionem, & ideo carentia Religiosi præcisè spectata non est proprium nocumentum religionis, quod ab homine restituēdum sit, nam præscindendo emolumenta temporalia, quæ ex tali persona possunt prouenire religioni, sola eius præsentia, & societas, non potest reputari damnum factum religioni in proprijs bonis, ex quo obligatio restituendi nascatur, sed est veluti damnum proueniens vni amico ex absentia alterius. Quòd si inde cessat religioni aliquod spirituale commodum, etiam illud est ab homine irreparabile, neque cadit sub humanam restitutionem, nisi fortasse modo statim explicando.

VIII. *4. Assertio tripartita.*

Dico quartò, si quis per vim, vel fraudem Religiosum professum religioni eripiat, tenetur inprimis cessare à vi, vel deceptionem auferre, vt Religiosus religioni se restituat. Si autem hic effectus non sequatur, non tenetur ad aliam restitutionem ratione personæ; si tamen monasterium amisit aliqua temporalia lucra propter absentiam Religiosi, tenebitur illa restituere monasterio. Probo singula, nam inprimis violentia est contra iustitiam; ergo si illa durat, durat etiam peccatum contra iustitiam; ergo sicut est obligatio cessandi à peccato, ita etiam est obligatio cessandi ab huiusmodi vi. Vnde si coactio semel facta est, & Religiosus postquam est per vim extractus, sua libertate omnino relinquitur, cessat consequenter hæc obligatio. Quæri autem potest, an teneatur ille qui per vim extraxit Religiosum per similem vim eum ad monasterium reducere, videtur enim teneri, quia non debet esse aliquis minus efficax in restituendo, quàm in auferendo. Nihilominus dicendum est non teneri, imò nec propria auctoritate posse id facere, quia nemo potest priuata auctoritate personæ liberæ vim inferre: Religiosus autem est liber, vt possit redire, & non redire; ergo non potest cogi ab aliquo priuata auctoritate. Confirmatur, quia si sua voluntate exijsset, non posset ab alio cogi ad reditum, ergo licèt fuerit ereptus per vim, si postea sua voluntate vult extra manere non potest cogi, vt redeat. Patet consequentia, quia prior iniuria non dedit eripienti potestatem, aut iurisdictionem ad talem actum. Dices saltem posse illam vim & coactionem inferre authoritate ipsius religionis, illa scilicet petente, aut consentiente, vt illum ad se per vim reducat; ergo tunc tenebitur id facere si valeat. Respondeo, difficile est tantam obligationem imponere, quia illud munus est valde odiosum, & periculosum, & quodammodo vile, quando non fit per propriam iurisdictionem, sed tanquam à ministro alterius, & ideo licèt tunc possit licitè fieri, & consulendum sit quando sine incommodo potest, non existimo tamen pertinere ad obligationem restitutionis, quia est medium valde remotum, ac violentum, magisque pertinet ad punitionem delicti, vel ad remedium

Probatur 1. pars de vi in extrahendo alterum à relig.

Qui per vim extraxit religiosum non tenetur per vim reducere.

dium ipsiusmet Religiosi, quàm ad restitutionem, quæ religioni fiat: nam huiusmodi coacta reductio potiùs solet esse onerosa Religioni.

IX. *Probatur 1. pars de fraude decipiendo vt recedat.* Secunda pars de fraude communis est in omni materia, præsertim morali, vel pertinente ad salutem animæ, in qua vnus ab alio decipitur; tenetur enim ille ad restitutionem faciendam, non minus in nocumento spirituali quàm in corporalibus, vt rectè docuit Caiet. in summa c.7.verb. *Restitutio*, & omnes Auctores citati. Et ratio est, quia illud est graue nocumentum, & fit alteri contra eius voluntatem, quia ipsamet deceptio causat inuoluntariũ; ergo est actio iniuriosa, quæ de se parit restitutionem. Prima autem restitutio in hoc damno est deceptionem auferre, planè confitendo, & admonendo personam, quòd à se decepta fuerit, vel quòd suum consilium fuerit erroneum. Vnde talis obligatio (sicut & præcedens) tam est respectu ipsius Religiosi, quàm respectu religionis; illius, quia ei immediatè est facta iniuria, & nocumentum illatum; ipsa enim deceptio ipsius Religiosi decepti magnum damnum est: huius verò, quia etiam ipsa religio, per illud medium passa est iniuriam.

X. *Proxima probatio conficit etiam 3. partem assertionis de obligatione ad spiritualia damna, non tamen ex iustitia.* Ex quo vlterius infertur, teneri huiusmodi deceptorem respectu ipsius religiosi, ad restituendum ei omnia damna, quæ ob eam causam passus est, & inuoluntariè patitur, etiam postquam deceptio sublata est. Hæc illatio potest intelligi, vel de spiritualibus damnis, vel de temporalibus. De prioribus non est ita certa quoad obligationem iustitiæ, quia talia nocumenta, nec sequuntur ex absoluta necessitate extrinseca sine proprio consensu, & voluntate ipsius hominis, nec reparari possunt, aut compensari per aliquid, quod ab homine restitui possit. Dices saltem posse procurari per aliqua media, vt sunt orationes, exhortationes, consilia, &c. Tenebitur ergo ille qui decepit, vel vim intulit, non solùm vim, & tenebras auferre, sed etiam orare pro alio, vel exhortari illum, ac denique quod in se est facere, vt ad pristinum statum spiritualem redeat. Item inter spiritualia bona computari potest ipsemet quietus & pacificus status religiosus, à quo alterum deturbauit; & sic etiam tenetur facere, quod in se est, vt restituatur ad illum statum, vel ex parte ipsius consulendo, & admonendo, vel ex parte religionis excusando illum, & procurando, vt admittatur ad eandem vitam sicut antea erat.

XI. Respondetur ad priorem partem generalem esse quæstionem, scilicet an qui alium ad peccandum induxit, ad illa omnia damna postea fortasse secuta teneatur ex iustitia; & quanuis multi auctores in n.4. citati ita censeant; verior tamen sententia est non teneri ex iustitia, sed ex charitate obligari posse, & fortasse speciali titulo ratione prioris nocumenti, vel strictiori obligatione secundùm ordinem charitatis; quod tenent Sylu. Sot. & Ledesm. suprà, & Corduba in summa q.172. & Nau. c.14.n.45. & in c. *noli*, de pœnit. d.1. & ratio est, quia sicut iniuria solùm est in dãno, quod inuito infertur; ita restitutio ex iustitiæ obligatione solùm est, vsque ad tollendũ damnum, quod alter patitur inuitus: nam cætera, quæ pẽdent ex arbitrio eius, ab eo fieri possunt, eo ipso, quòd vis vel deceptio tollitur; ideoq; non est necesse, vt ab alio procurentur. Imò eo ipso, quòd ipse liber, & instructus de veritate non vult redire, & virtute remittit priorem iniuriam, & incipit sibi esse auctor sui nocumenti. Ad alteram verò partem respondetur admittendo omnia, quantum ad ea, quæ non pendent ex arbitrio ipsius Apostatæ, sed ex parte religionis, quod ex sequenti puncto magis patebit, nam illa restitutio directa magis pertinet ad temporalia nocumenta, licèt per quandam relationem dicantur spiritualia, quatenus possunt spiritualia bona impedire.

XII. *De obligatione quoad damna temporalia.* De posterioribus ergo, seu temporalibus bonis obligatio est manifesta ex consensu omnium Doctorum, quos citaui, & ex contrario fundamento, quia nocumenta his bonis contraria inferuntur inuito, & ad ea tollenda ac reparanda non sufficit, auferre vim, vel deceptionem; ergo manet obligatio restituendi illa. Huiusmodi est, v.g. infamia, quã fortasse incurrit talis Religiosus: nam tenetur alter, vel omnino illam auferre, si potest, demonstrãdo illum non voluntate sua, sed per vim fuisse à clausstro eductum, vel certè minuere dicẽdo illum fuisse deceptum, &c. Aliud damnum est amissio honoris, & sui gradus in religione sua, & quædam inhabilitas, quæ inde relinquitur ad honores, vel ministeria religionis. Tenetur ergo huiusmodi malefactor procurare, vt hæc omnia incommoda vel nulla, vel minima sint. Pro his autem, quæ euitare non potuerit, aliam satisfactionem facere nõ tenetur, quia non potest, neque illa talia sunt, vt in bonis alterius ordinis restitui ex iustitia debeant. Aliud damnum erit, si Religiosus ob eam causam fecit temporales sumptus, quorum est debitor, vel si amisit, v.g. libros, aut alias res similes, tenebitur. deceptor omnia huiusmodi refarcire. Denique maximum nocumentum est, si religio nolit illum recipere, sed à se illum expellat, tunc autem tenebitur deceptor illum alere, & de temporalib. prouidere, saltem donec habeat vnde cõmodè sustentari possit, quia per grauem iniuriam & fraudem priuauit illum etiam hoc temporali cõmodo, quod est maximè aduertendum pro his Religiosis Societatis, qui tantùm per vota simplicia incorporati sunt, ad quos expellendos maiorem libertatem habet religio, & pro illis tota hæc doctrina communis est.

XIII. *Hæc alia damnum esse non possunt.* Atque ex his facile intelligitur, & probatur reliqua pars quartæ assertionis: nam si deceptor errorem abstulit, vel contrarium consilium dedit, & alter redire nolit, non potest aliter personam ipsam restituere religioni, & ideo præcisè ex hoc capite ad nihil amplius tenetur, iuxta dicta in tribus primis assertionibus. Si autem persona illa erat vtilis religioni in temporalibus, quibus religio ob eam causam priuata est, tenebitur, qui causam dedit per vim vel deceptionem, ad restituendum, quia per manifestam iniuriam fuit causa illius nocumenti, seu carentiæ lucri certi, quod perinde reputatur, sicut qui per vim vel deceptionem impedit pauperem ne certam eleemosynam obtineat; ergo similiter in præsenti: Hoc autem intelligendum est quãdo vis infertur ipsi Religioso, nam si soli religioni inferatur fortasse aliud dicendum est, vt statim dicam. Est etiam hoc intelligendum de nocumento, quod passa est religio eo tempore, quo Religiosus pervim, vel fraudem, extra illam detentus est. Nam de illo tempore efficaciter procedit ratio facta, at verò si ablata vi aut errore, & Religioso volente redire religio nolit illum acceptare, extunc cessat obligatio restituendi religioni lucra, quibus deinceps priuatur, quia iam illis non priuatur in vita. An verò idem dicendum sit, si religiosus ipse admonitus, & suæ libertati relictus nolit redire, patebit ex sequenti assertione.

XIV. *Lapsus in Religione.* Dico ergo quintò, qui sine vi & fraude inducit Religiosum ad apostasiam, nihil illi postea restituere tenetur, nec religioni, ex iustitia. ita sentiunt Ledesm. Sot. & alij, & tandem videtur consentire Nauarr. Et ratio prioris partis est, quia illa inductio respectu religiosi non est actio contra iustitiam, sed contra charitatem tantùm, ex huiusmodi autem culpa non nascitur obligatio restituendi, vt supponimus cum D. Thom. secunda secundæ, quæstione 62. & communi sententia; ergo. Maior patet ex verbis assertionis, nam sub vi includimus omnem actionem iniuriosam, per quam metus grauis,

grauis, vel alicuius momenti incutiatur; sub deceptione verò omnes falsas promissiones, vel consilia erronea, his autem seclusis, scienti, & volenti non fit iniuria. Respectu verò religionis non habet locum hæc ratio, quia illa reuera iniuria fit, quia inducere alium ad faciendam iniuriam iniuria est, ipsamet autem actio apostatandi iniuria est religioni; ergo inductio ad illam non fit sine iniuria religionis.

XV. Nihilominus probatur assertio; nam ex illa iniuria duo damna oriuntur, vel oriri possunt, quæ postulant reçompensationem: vnum est separatio illius personæ, quæ est quasi abscissio vnius membri; aliud est priuatio vtilitatum, seu emolumentorum temporalium, quæ talis persona possit afferre suo monasterio. Primum ex his nocumentis tale est, vt non possit restitui nisi ab ipsomet Religioso, qui voluntariè redire debet, & ideo alter qui illum induxit excusatur propter impotentiam, nec tenetur reddere æquiualens, vt suprà n. 7. probaui. Vnde ad summum posset obligari ad inducendum rationibus Apostatam, vel rogando vt redeat, & securius erit ita facere, & fortè frequenter erit necessarium, vel ad retractandum prauum consilium, vel ad relinquendum alium in plena libertate sua, ne fortè existimet eum, qui se induxit, adhuc permanere in sententia, & voluntate sua, & ideo non audeat ipse mutare etiam consilium. Per se autem loquendo solùm tenetur ad tollendam omnino priorem inductionem, &, vt ita dicam, omne semen eius; nam eo ipso alter manet liber ad reditum, & cùm aliàs ad illum sit obligatus, ipsamet obligatione sua satis mouetur, & conscientia impellitur vt redeat, & ideo in rigore iustitiæ non videtur alter teneri ad aliam inductionem, iuxta generalem etiam doctrinam suprà tactam de præbente scandalum, vel inducente ad malum.

XVI. Aliud nocumentum de cessatione lucri non censetur esse propria iniuria religionis, & ideo ex illa non nascitur obligatio ad restitutionem. Antecedens declaratur, & probatur, quia Religiosus non tenetur ex iustitia lucrari aliquid religioni, sed solùm obligari potest ex charitate, vel obedientia; quanuis enim dicatur esse sub dominio religionis, non tamen eo modo, quo seruus. Nam seruus est ad vtilitatem domini, sicut equus, & ideo ex iustitia tenetur esse vtilis domino in temporalib. commodis; ac proinde qui seruum inducit ad fugam, tenetur domino restituere lucrum cessans. leg. 1. ff. de seruo corrupto, & leg. *qui seruo*. ff. de furtis. & sumitur ex cap. *si seruus*. 54. d. Religiosus autem non est propter vtilitatem, præsertim temporalem monasterij, & ideo non tenetur ex iustitia ad lucrandum illi; ergo nec monasterium habet ius iustitiæ ad talia lucra, nisi supposita voluntate, & operibus ipsius Religiosi. Nam si lucratur, religioni lucratur; si tamen lucrari nolit, non facit iniuriam religioni contra iustitiam commutatiuam; ergo qui illum inducit ad non lucrandum ex hoc capite non peccat contra iustitiam commutatiuam, nec tenetur restituere, sicut qui inducit testatorem sine vi, aut fraude, vt legatum, vel hæreditatem non relinquat Petro, non peccat contra iustitiam, nec tenetur restituere, solùm quia alter non tenebatur ex iustitia dare, & consequenter Petrus non habebat ius iustitiæ ad talem rem. ergo ita est in præsenti; nam qui inducit alterum ad apostasiam, mediatè inducit eum vt nolit lucrari monasterio, & hoc secundum non est iniustitia; ergo ex illa inductione, vt cadit in hanc partem, non oritur obligatio restituendi. Et confirmatur, nam ipsemet Religiosus Apostata non tenetur ex iustitia restituere monasterio emolumenta, quibus caruit propter absentiam eius; ergo neque inductor tenebitur, quia solùm redundare posset in hunc obligatio ex læsione alterius. Dicunt aliqui Religiosum etiam per se teneri, sed excusari, quia non potest, & ideo redundare obligationem in alium. Sed certè illud prius, nec fundari potest, nec verisimile est, aliàs Religiosus doctus, qui nollet, verbi gratia, legere Cathedram, ex qua monasterio prouenirent copiosi reditus, teneretur per se de iustitia commutatiua ad restituendos illos, ita si fiat Episcopus, vel alia quacunque via, posit restituere, obligetur id facere, quod incredibile est, & inusitatum, & præter intentionem primariam status religiosi, qui non ordinatur ad emolumentum temporale, sicut status serui.

Sed obijcitur contra hanc assertionis partem; XVII. *Obiectio bimembris contra probata inn. praced.*
nam interdum oritur obligatio restituendi carentiam lucri dependentis ex voluntate alterius sine debito iustitiæ, vt qui detinet pauperem ne petat eleemosynam, tenetur illam restituere, quanuis eleemosyna non deberetur ex iustitia, sed liberaliter esset conferenda. Item, quia aliàs etiamsi quis extraheret Religiosum à religione per vim, vel fraudem, non teneretur ea lucra religioni reddere, quia etiam tunc religio non habebat ius iustitiæ ad illa. Ad priorem partem respondetur, non esse similem rationem, quia pauper habet proprium ius, ad actum petendi eleemosynam, quo actu iniustè priuatur per violentam detentionem, aut deceptionē; ille autem actus tanti æstimabilis est, quantum est commodum, quod cùm morali certitudine ex illo reportari solet, & ideo tunc non obstat, quòd lucrum pendeat ex voluntate alterius, quia de voluntate illa moraliter constat: si autem contingeret mutari voluntatem eorum, qui daturi sunt eleemosynam, & hæc etiam mutatio certò cognita esset, cessaret etiam obligatio restituendi illud emolumentum. Ita est autem in præsenti, nam mutatur voluntas ipsius Religiosi, sine quæ non habet monasterium ius iustitiæ ad illud lucrum, & ideo cessat obligatio restituendi illud. Et hinc patet responsio ad alteram partem; nam est etiam ratio dissimilis, quia quando Religioso infertur vis, vel fraus, tunc non deest eius voluntas ad obsequia & lucra religionis, & ideo iniuria, quæ fit religioni, priuando eam tali persona, æstimatur etiam secundùm lucra, & emolumenta, quæ ex tali persona illi prouenirent, quia ille nunquam censetur mutasse voluntatem, quia vis, & fraus tollit voluntarium: quando autem Religiosus solùm inducitur, ipse mutat voluntatem suam, & per illam definit esse vtilis religioni, quoad illa lucra temporalia; ideoque carentia talis personæ iam non æstimatur per respectum ad illa lucra, quia ipsamet persona non habet voluntatem acquirendi illa, & aliunde, non habere illam voluntatem, non est simpliciter contra iustitiam respectu religionis, vt declaratum est.

Dices; ergo etiamsi Religiosus extrahatur per XVIII.
vim, factam religioni, & non Religioso, non sequeretur obligatio ad restituendum, quod videtur contra dicta in præcedenti assertione num. 8. Explicatur sequela. Si Religiosus habeat voluntatem fugiendi, & religio ei resistat, eumque diligenter custodiat, tunc potest tertia persona inferendo vim religioni, & non Religioso, illum eripere. Probatur ergo tunc sequela, quia ille Religiosus non habet voluntatem lucrandi tunc aliquid religioni; ergo damnum illatum religioni priuando illam per vim tali personę non est æstimandum ex quantitate lucri quo priuatur religio, quia illud lucrum futurum erat voluntarium, & voluntas deest. Sicut si illa persona esset impotēs ad lucrandum, nulla æstimatio ex lucro fieret: perinde autem reputatur esse nolētem, ac esse impotentem. Respondeo, con-

sequenter loquendo argumentum conuincere, & ita concedendam esse sequelam; nec consequens est contra dicta, quia loquuti sumus de deceptione ipsius Religiosi, & similiter de vi ipsi illata, vel per absolutam coactionem, vel saltem per grauem metum, quæ suo modo impedit voluntarium.

XIX. Sed adhuc superest scrupulus, quia obligatio restituendi principaliter oritur ex damno reipsa illato, vel lucro cum effectu impedito, per actionem iniuriosam. At verò in præsenti casu, si Religiosus maneret in monasterio, moraliter loquendo, vel amore religionis, vel timore pœnæ, cum effectu lucraretur religioni tantam quantitatem, vel operas tantæ æstimationis in eius obsequium, vel vtilitatem impenderet; ergo, qui infert religioni dictam vim, reipsa priuat illam tali emolumento per actionem iniuriosam; ergo reipsa tenetur illud restituere. Et ideo etiam non videtur satisfacere prior responsio, de mutatione voluntatis, tum quia indecens est causa illius mutationis; non sine iniuria religionis, nam ipsa inductio iniuriosa est illi, tum etiam, quia hæc æstimatio non debet fieri tantùm secundùm præsentem voluntatem ipsius Religiosi, sed multo magis secundùm effectum, qui in re futurus esset, si vis illa vel iniuria non fieret religioni. Confirmatur exemplo, nam si quis de manibus iudicis eriperet reum, vel debitorem desiderantem fugere, teneretur ex iustitia satisfacere, vel iudici luerum, quod reuera esset recuperaturus, si ob eam causam illud amittit.

XX. Respondeo rationem factam esse valde probabilem, & reddere rem dubiam ac consideratione dignam. Nihilominus respondeo restitutionem nõ semper esse faciendam secundùm effectum in futuro præsumptum, seu qui creditur futurus, si talis actio, vel mutatio non fieret, nisi in præsenti habeat quis ius iustitiæ ad illum effectum, & ad causas à quib. pendet, quatenus cadunt sub humanam potestatem, alioqui effectus est merè contingens, & extra dominium alterius, & ideo carentia illius non censetur damnum ab altero illatum, quod restituendum sit: vt, v.g. Si Petrus per iniustitiam cogatur esse absens à domo, vel ciuitate sua, & ea occasione contingat non eligi ad officium, vel non consequi aliud commodum, pendens omnino ex voluntate alterius, non tenetur qui vim intulit totam hanc carentiam lucri restituere, quia est res valde extrinseca; ita ergo est in præsenti. Neque est simile de iudice, quia ille habet proprium ius iustitiæ ad pœnam media condemnatione, quæ iam erat in potestate, & voluntate eius. Et simile est de creditore; nam habet ius iustitiæ ad rem sibi debitam, quod ostendimus non ita esse in religione respectu lucri, vel operis quo comparandum est. Esset autem exemplum magis simile, si aliquis esset debitor non ex iustitia, sed ex aliquo voto, & ab alio persuaderetur ne impleret votum; nam licèt grauiter peccaret inductor, non tamen teneretur ad restitutionem, quia debitum non erat ex iustitia. Idemque esset si per vim illatam tali creditori pararetur via alteri habenti votum ad fugiendum, & non soluendum. Est item simile si quis Religiosum in monasterio manentem induceret, vt non obediat Prælato præcipienti, vt legat, vel aliud simile faciat, vnde monasterio lucrum reportaret, nam licèt moraliter constet cum effectu ita fuisse futurum, si ipse non induceret, non tenebitur ad restitutionem. Idemque erit si per vim, vel metum cogat Prælatum, ne vim inferat subdito nolenti legere, aut laborare. Non potest tamen negari quin ratione huius violentiæ teneatur ad aliquam satisfactionem arbitrio boni viri, vt dicit Soto; non tamen ad cessationem lucri, si aliud damnum in proprijs bonis non intercessit, hoc enim semper restituendum est.

Consectaria ex hactenus dictis.

Ex dictis sequitur à fortiori, quid dicendum sit de illo, qui impedit alterum, ne in religionem ingrediatur, vel ipsi, vel religioni, & potest esse sermo vt in num. 4. proponebatur, vel de solo ingressu per professionem, vt cùm quis impedit iam Nouitium ne profiteatur, vel de primo ingressu, vt cùm quis impedit secularem ne habitum religionis assumat. Et de vtroque dicendum est, si inductio sit sine vi, & fraude, per solas preces, & alia humana motiua, nullam inde oriri obligationem restituendi respectu vtriusque partis. Probatur, quia neutrius respectu illa actio est contra iustitiam. Imò si consideretur præcisè vt est aliquo modo in damnum religionis, nec peccatum mortale ex genere suo esse videtur, quia religio non habet ius in tali, vel ad talem personam; ergo peccatum illud respectu religionis non est contra iustitiam; ergo non habet ex obiecto grauem malitiam, quia nulla apparet alia virtus cui grauiter repugnet. maximè enim charitati repugnaret, inde autem grauem malitiam non habet, per se loquendo, quia religio non est in graui necessitate, vt ob eam causam sit mortale peccatum impedire illi bonum illud, seu commodum talis personæ; sicut non est peccatum mortale impedire ne aliquis instituatur hæres, quando id fit sine vi, & fraude, & sine formali odio. Et ita etiam hîc limitari solet hæc pars, quæ communis est, dummodo hoc non fiat ex intentione damnificandi religionem, quæ limitatio vera est, quoad peccatum mortale. Nam illa intentio includit odium grauiter repugnans charitati, non tamen est necessaria illa limitatio in ordine ad restitutionem, quia etiam illa intentio non est contra iustitiam, neque actio ab illa procedens ob illam causam iniuriosa sit.

XXII.

At verò respectu ipsius personæ, quæ tanto bono impeditur, videtur esse actio illa peccatum mortale ex genere suo, non tantùm ratione intentionis, vt si fiat ex odio, & inuidia spiritualis profectus fratris (quod est manifestum) sed etiam ex ipsa materia, quia est illud genus quoddam gratis scandali. Nam scandalum non tantùm est inducere proximum ad malum, sed etiam auertere illum à bono, vel meliori, præsertim quando illud iam inchoauerat, vel in proposito habebat. Vel si quis nolit hoc vocare propriè scandalum, (nec in voce hæreamus) certè est quoddam opus inferens graue nocumentum proximo; quod licèt non sit contra iustitiam, quia non fit inuito, est tamen contra charitatem inducere hominem in eam voluntatem, quæ talis nocumenti causa est. Et confirmatur, nam inducere aliquem prauis consilijs, & precibus vt dilapidet bona sua, graue peccatum est contra charitatem, quia est causa damni notabilis contra eandem virtutem.

XXIII.

Nihilominus aliqui censent hoc non esse peccatum mortale ex genere suo, nisi ex aliqua prana intentione illam accipiat, quia non tenetur quis magis diligere proximum in spiritualibus, quàm seipsum; sed non peccat quis grauiter nolens ingredi religionem, vel mutando propositum ingrediendi, & consequenter se priuando omnibus bonis, quæ status ille secum affert; ergo nec etiam peccabit grauiter eodem modo se gerens circa proximum, prout potest sine iniuria, scilicet inducendo voluntatem eius. Confirmatur; nam obiectum illius inductionis, scilicet, vt proximus nolit ingredi religionem, non est intrinsecè malum; ergo neque actus inducendi, ex vi obiecti est al-

quod

quod peccatum, nedum mortale: cuius signum etiam est, quia ex iusta causa potest esse actus bonus, vt est per se notum; ergo ex causa seu motiuo, propter quod fit, sumenda est ratio, & grauitas talis culpæ; ergo nisi fiat ex mortali intentione, non erit peccatum mortale. Non ergo peccabit mortaliter parens retrahens filium à religionis ingressu, solùm vt habeat hæredem. Nec amicus retrahens amicum, cuius conuersatione & familiaritate, sine Dei offensione gaudet, neque Dominus retrahens seruum propter suam vtilitatem temporalem, quia in his casibus, & similibus, non est malitia mortalis; sed vel nulla est, vel ad summum erit venialis, si delectatio aliqua humana, & indifferens, vel temporalis vtilitas propter se desiderantur: ergo absolutè dicendum videtur hoc non esse peccatum mortale, nisi, vel ratione intentionis praua, vel nisi aliquis modus moralis violentiæ adiungatur, vt est in parente timor reuerentialis, aut nimis importunæ preces, vel etiam promissiones vanæ, quæ vix possunt à deceptione excusare. videatur Nauarr. li. 2. de restitut. c. 2. n. 15.

XXIV. *Secundum confirmatur diuisum.* Secundò infero ex dictis, eum qui per vim vel dolum ingressum, vel professionem religionis impedit, peccare mortaliter, & teneri ex iustitia ad tollendam vim, & ignorantiam, seu errorem, non tamen teneri ad ampliorem restitutionem faciendam, aut personæ, aut religioni. Prima pars clara est, quia actio illa non solùm est contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, saltem respectu personæ, cui vis infertur, vel quæ decipitur: respectu autem religionis erit etiam actio iniuriosa, si coactio fiat Prælato, ne talem personam recipiat, aut si per dolum & deceptionem Prælati idem fiat; an verò vis facta volenti esse Religiosus, fit etiam iniuria religionis, & è conuerso, dubitari potest, quia tunc sunt quasi personæ minus distinctæ. Nihilominus affirmatiuè respondendum est, quia vnusquisque habet ius, vt per vim & fraudem cuicunque factam, nemo impediat, ne sibi beneficium conferatur: vt si quis per violentiam impediat diuitem, ne faciat eleemosynam pauperi, non solùm diuiti, sed etiam pauperi iniuriâ facit; ita ergo est in præsenti. Quando enim Prælatus per timorem grauem cogitur, ne aliquem admittat, huic fit grauis iniuria, quia per iniqua media & iniusta, inuitus priuatur magno bono. Et è conuerso, cùm vis infertur personæ, iniuria fit religioni, quia impeditur progressus, & augmentum eius. Item indirectè priuatur vnusquisque sua libertate per violentiam alteri factam, quod in quocunque humano contractu iniustum est. Atque idem est de deceptione, in qua solet peculiaris iniuria interuenire, quia solet decipi vna pars infamando aliam, quæ est noua & directa iniuria. Et hinc probata relinquitur secunda pars, nam iustitia obligat ad cessandum ab iniuria, & ad tollendum iniustum impedimentum, vt suprà satis dictum est.

Qui contra iustitiam impedit, & religioni & impedito est iniurius.

XXV. Tertia verò pars, quæ nunc est communior, vt patet ex Soto, Ledesm. & alijs recentioribus probanda est à fortiori ex superiùs dictis. Nam damnum spirituale, quod ibi considerari potest, non potest, vt sic dicam, in se & efficaciter restitui, & quoad præteritum tempus, est quasi irreparabile; quoad futurum verò satis reparatur tollendo omne impedimentum; & quanuis possint dari alia auxilia monendi, precandi, intercedendi, &c. illa, vel sunt ad melius esse, vel ad summum ad charitatem pertinent, non ad iustitiam. Damnum verò temporale ex parte Religionis non consideratur ob rationem suprà factam, quæ hîc maiorem vim habet, quia religio nondum habet ius in talem personam; ex parte verò futuri Religiosi posset magis considerari, quia fortè priuatur temporali subsidio, &c. Tamen, quia illud est valde accidentarium, & remotum, & quia regulariter plus in hoc genere relinquitur per ingressum religionis, ideo etiam hæc obligatio moraliter non æstimatur, præsertim, quia quoad tempus futurum satis resarcietur illud damnum, si quis ablato impedimento religionem ingrediatur, quod in eius est potestate: incommodum autem præteritum, quatenus temporale est, moraliter quasi nihil æstimatur. Possunt quidem excogitari circunstantiæ, quæ reddant hoc damnum æstimabile, & dignum temporalis recompensationis: sed hoc adeò est rarum, vt non impediat generalem regulam, & tunc arbitrio prudentis relinquendum est.

Tertiò infertur ex dictis, eos qui cooperantur Religioso volenti apostatare, adiuuando, recipiendo, &c. licèt grauiter peccent pro ratione cooperationis, non teneri ad aliquam restitutionem. Probatur, quia non tenentur Religioso, quia respectu illius peccatum illud non est iniustitia, sed sacrilegium. Nec tenentur religioni, propter fundamenta superiùs adducta; si enim is, qui inducit, non tenetur, multo minus obligabitur, qui solùm adiuuat. Atque hæc sunt, quæ ex iure naturæ consequuntur; iure autem Ecclesiastico (vt 3. parti tituli satisfaciamus) additum est, vt hæ personæ excommunicationem ipso facto incurrant, vt constat ex priuilegijs concessis Mendicantibus ab Innocentio IV. & Leone X. & Iulio II. in lib. Monument. Ordin. concessione 554. & 651. & 452. & in compendio priuilegiorum Mendicantium verb. *apostata* §. 8. & in Compendio Societatis verb. *Apostata.* §. 3. & 4. vbi notatur hanc excommunicationem esse reseruatam Pontifici. Solumque indiget hæc censura declaratione, quoad receptatores, quam trademus infrà à cap. 8. tractando de transitu ab vna religione ad aliam. XXVI. *Tertium corollarium de cooperantibus ad apostasiam.*

CAPVT IV.

An Religiosus professus iustè possit à religione expelli.

RAtio dubitandi est, quia professio est contractus reciprocus inter Religiosum, & religionem, vt sæpè dictum est: ergo debet esse æqualis ex vtraque parte; sed Religiosus ipse ob nullam causam potest inuita religione illam deserere, vel ad seculum redire, etiam quoad habitationem & vitam à religionis communitate segregatâ: ergo nec è contrario potest religio ipsum Religiosum inuitum à se expellere. Atque ita sentit Cardinalis in Clement. 1. §. *Quia verò* de stat. monach. Monachum incarcerari, & alijs modis puniri, non tamen posse expelli. Quod videtur posse confirmari ex c. vlt. de Regular. vbi Pontifex præcipit omnes eiectos inquiri, & ad monasterium, si ordo religiosus id patitur, vel ad habitationem aliquam monasterio coniunctam reuocari, vt ibi pœnitentiam agant: ergo saltem post illud ius non licet talis eiectio. Alij ita moderantur hanc partem, vt dicant Religiosum, quantumcunque incorrigibilem, expelli non posse, si permanere vult, atque adeò nisi ipse consentiat. Ita sentit Syluester, tribuens D. Thomæ, verb. *Religio.* 6. §. 17. Armilla verb. *Religio.* §. vltimo. I.

Nihilominus res certa est, posse licitè Religiosum à religione expelli iusta de causa. Probatur primò ex iure communi, cap. *cùm ad monasterium*, de statu monach. vbi de proprietario contumaci, & post regularem monitionem præmissam, dicitur, *De monasterio expellatur, nec recipiatur vltrius nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam.* Exponet fortasse aliquis, ibi non dici, vt expellatur à religione, sed à monasterio, nimirum quasi relegando illum in aliud, II. *Prima pro hac parte ex iure communi.*

liud, non verò extra totam religionem pellendo: ita enim in simili interpretari conatur Archid. in c. *Abbates*. 18. q. 2. n. 5. Veruntamen considerandum est, Pontificem loqui de monasticis religionibus, in quibus professio fit in particulari monasterio, in quo acquiritur filiatio, & peculiaris vnio, & obligatio, ita vt nec Religiosus possit ad aliud monasterium eiusdem religionis sine monasterij consensu transire, nec aliud monasterium possit cogi ad illum recipiendum in proprium membrum, ac socium: & ideo perinde loquitur Pontifex de monasterio, ac de integra religione, quia ad illum modum professionis alia monasteria sunt omninò per accidens; intelligit ergo vt expellatur simpliciter à religione. Et ita sentit ibi glossa, licèt addat, posse mitti in arctius monasterium, ne euagetur, sed pœniteat: quod est verum, si religio velit, & expedire iudicauerit: tamen si aliud iudicat, etiam potest omninò expellere iuxta Pontificis mentem, & communem intelligentiam. Quod clariùs explicauit Honorius in c. vlt. eiusdem tit. dicens, *Omem morbidam eiciant ab ouili, ne inficiat sanas oues.* Idem probatur apertè ex c. *relatum*, ne clerici, vel monachi; ibi, *vel si restiterint ausu temerario cucis ctu*, &c. & cap. *cum in Ecclesiis*. de maioritate, & obedientia, ibi, *Alioquin de fratrum consortio penitus excludatur.*

III. *Probatio ex iuribus & vsu peculiar. relig.*

Secundò idem probatur ex regulis, & consuetudinibus religiosis. Nam Basil. in reg. 28. ex fusiùs disputatis, de inobediente post plures admonitiones, contumaci, ait, *Vt membrum vitiatum, inutileque, medicorum more, præcidere conuenit.* Affert illud Matth. 5. *Si oculus tuus dexter scandalizet te*, &c. Idem habet reg. 44. ex Breuioribus, & sanè non ob culpam nimis grauem, sed quia impatienter suffert correctionem cum contumacia. Idem reg. 57. & 61. pro quocunque vitio incorrigibili, vel quia laborare non vult, nec Psalmos discere, & similia cum incorrigibilitate coniuncta. Idem in animaduersi. ad canonicos delinq. reg. 8. & in Constitut. monast. cap. 34. Benedictus etiam in sua regula, cap. 28. præcipit, contumaces, & incorrigibiles expelli; & planè loquitur de absoluta eiectione à tota religione, nam supponit, præcessisse plures admonitiones, correctiones, pœnas, vsque ad flagella, & excommunicationem, & alia media, nullaque sufficere, & tunc ait, vtatur Abbas consilio Apostoli, *Auferte malum ex vobis ipsis*, 1. Cor. 5. &, *Si infidelis discedit discedat*, 1. Corinth. 7. *Ne ouis morbida totum gregem contaminet.* Et ita obseruant religiones monachales, quæ ferè omnes (Carthusiam excipio) sub regula Sancti Benedicti militant, vt sumitur ex Conc. II. Aquisgran. sub Ludouico, tit. de Ordine Rectorum, c. 15. & ex Bern. epist. 122. vbi eodem consilio vtitur. Et vsu etiam id seruasse S. Benedictum, refert Greg. lib. 2. Dialog. cap. 25. Augustinus in regula, cùm dixisset, contumacem grauiori pœna plectendum esse, subdit; *Quam si ferre recusauerit, etiam si ipse non abscesserit, de vestra societate proiiciatur: non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat.* Et ita etiam obseruant religiones, quæ regulam Augustini profitentur, vt de Canonicis regularibus dicitur in Concilio I. Aquisgran. sub Ludouico, cap. 134. vbi latissimè plura ponuntur remedia priusquam ad hoc extremum supplicium perueniatur. Idem obseruare licet in sacra Prædicatorum religione, distin. 1. suarum constitut. cap. 19. vbi post alias pœnas additur, *Vel secundum regulam Patrum nostri Augustini, si magis expediens iudicetur, exutus habitu ordinis, de nostro ordine expellatur*; quod etiam confirmat D. Thom. quodlib. 12. art. vlt. Idem statutum est à S. Francisco in sua regula, cap. 13. vt Apostata, qui religionis habitum voluntariè exuerit, penitus ab ordine expellatur: quòd, licèt cum aliqua moderatione infrà tractanda, in illo ordine receptum est, & ad alios casus ampliatum per Alex. VI. vt refertur in lib. Monumenta Minorum, conc. 65. & alia videri possunt in Compend. priuileg. Mendicant. verb. *Eiicere.* & in Specul. Minor. 2. p. tit. 1. & apud Bonauent. q. 14. in regulam.

Cord. q 31. inc. 1. sua regula.

Manuel Rodr. 1. tom. quæst. regul. q 30 a 13. 14

Tandem probatur ratione, quia commune bonum religionis priuato commodo religiosi præferendum est, sed ad commune bonũ religionis moraliter necessarium est, vt possit à se expellere membrum putr. dum, ne alia inficiat, vt Sancti citati docent: ergo. Quæ ratio multis iuribus confirmari potest, quæ de censuris Ecclesiasticis, præsertim de excommunicatione loquuntur, cum proportione tamen in præsenti locum habent. Facit cap. *execranda. c. ecce*, 24 q. 3. cap. *sed illud*, 45. d. cum similibus. Vnde facilè soluitur ratio dubitãdi proposita, & confirmatur veritas. Primùm enim nulli parti fit iniuria, si pacta & fœdera, iuxta conditiones, quibus inita sunt, seruentur: pactum autem religionis cum religioso, quando se illi obligat, eius professionem acceptando, habet hanc conditionem inclusam, vt secundùm regulam viuere studeat, & religionem non perturbet, sed obedientem & corrigibilem se exhibeat: ergo si ipse Religiosus fidem non seruat, nec religionis obligatio integra manet, poteriterego illum à se expellere. Quod autem illa conditio subintelligatur (reliqua enim clara sunt) constat, quia tam in communi iure, quàm in ipsis regulis religionum, quàm in ratione naturali continetur; vota autem & professio fiunt secundùm regulam, & commune pactum censetur fieri secundùm ius, & secundùm rectam rationem: ergo. IV.

V. *Medium in quam à religione expellantur.*

Atque hinc colligitur, non esse necessarium, vt ipse Religiosus eiectioni consentiat, si alias sufficiens causa præcesserit. Probatur primò ex omnibus iuribus, & regulis adductis, quæ absolutè loquuntur, & consensum ipsius personæ non requirunt. Secundò probatur ex vsu, ita enim nunc fit in omnibus grauioribus religionibus, esseque antiquissimum morem intelligi potest ex facto Magni Pachomij, quod ex Simeone Metaphraste refert Surius in vita eius, cap. 59. die 14. Maij, vbi ait, cum quidam monachus, Syluanus nomine, inhonestè se gereret, eum vocasse post vigesimum annum suæ exercitationis, iussisseque veste exui monastica, & expelli monasterio. Eum autem, ad pedes Patris procidens, rogasse, *Hoc adhuc mihi condona Pater, &c.* Pachomium autem respondisse: *Si tot acceptis monitionibus, meluisti a. cipere id, quod est melius, neque plagis affectus eligere id, quod est vile, quemadmodum possum diutius permittere, vt membrum morbosum congregetur cum grege Christi: ne forte vnius ouis affricata scabies, non paruam eius partem in. ficiat, & corrumpat.* Potestatem ergo in se agnoscebat Pachomius illum inuitum expellendi, quamuis tandem precibus, & promissis sub fideiussore datis cesserit, & illum cum magno illius fructu retinuerit. Idem intelligitur ex Ioan. Climach. in gradu 4. Obedientiæ, vbi refert de antiquis monachis, dissidentes iussu Prælati solitos reconciliari ante Solis occasum, & priuari cibo donec in gratiam redirent. *Aut certe* (inquit) *e monasterio exi; elicbantur.* Tertiò declaratur ratione, quia eiectio hæc non tam est medicinalis pœna, quàm vindicatiua, propter commune bonum: ergo non pendet per se ex consensu delinquentis, sed ipso inuito inferri potest, si ad commune bonum expedire iudicetur. VI.

Dices, hoc ad summum procedere, si Religiosus nollet suæ eiectioni consentire, nec etiam vellet emendari, tunc enim propter contumaciam, & incorrigibilitatem eijci posset inuitus: at verò si cum voluntate permanendi in religione ostenderet etiam emendationis propositum, non videtur posse expelli, quia tunc iam non est contumax, nec dici

potest

potest incorrigibilis; cum tamen propter solam cõtumaciam, & incorrigibilitatẽ possit expelli, iuxta c.vlt. de statu monach. Vnde D. Thom. quodlib.12. art.vlt. comparat eiectionem hanc excommunicationi, vt sicut excommunicari non potest quis, nisi quia contumax est, & emendari non vult; ita nec à religione expelli: nam æquiparantur hæ personæ; vtraque enim spiritualis est, & pœna spiritualis non fertur nisi in contumacem.

VII. Respondeo, semper quidem esse necessariam aliquam incorrigibilitatem, non tamen semper necessariam esse actualem contumaciam. Priorem partẽ probat dict. c. vlt. de stat. monach. & alia testimonia suprà adducta in num. 3. & illam intendit præcipuè D. Thom. loco citato, ex Bonau. q.14. in exposit. reg. & sumitur etiam ex Bulla Alexand. VI. quæ refertur in lib. Monumenta Ordi. concessione 65. & hoc cõuincit ratio, quam D. Thom. insinuat: nam hæc est grauissima pœna, quæ priuat hominem non solùm temporalibus commodis, sed etiam spiritualibus, & ideo non debet statim imponi propter delictum commissum, etiam graue; sed debent aliæ medicinales pœnæ adhiberi priùs, & omnibus modis tentari, vt talis Religiosus emendetur. Est etiam hoc consentaneum statui religioso, qui est schola virtutis, ac perfectionis, ad quam pertinet non solũ promouere ad virtutem, sed etiam vitia corripere, & specialiter infirmos curare: ergo est valde alienum à tali statu infirmos statim deplorare, quod fieret eos eiiciendo absque multa curatione præuia, quæ

VIII. inefficax inueniatur propter contumaciam infirmi. Nihilominus probatur altera pars, quia si quis iterum ac sæpius correctus, non emendetur, aut iterum atque iterum recidat; etiam si postea offerat, & promittat emendationẽ, potest & interdum debet expelli: nam ille satis dici potest incorrigibilis, & ideo in eo locum habent iura, quæ incorrigibilem expellendum dicunt. Aliud enim est esse incorrigibilem, aliud actu cõtumacem; hoc enim etiam actualem resistentiam voluntatis, illud verò solùm dicit iteratum lapsum contra adhibitam correctionem. Vnde iura Canonica statuunt, incorrigibilem clericum in aliquibus criminibus, degradandum esse, & tradendum brachio sæculari; quod fieri potest, etiamsi tunc cõuertatur, & maximè doleat, ac promittat emendationem, si iam sufficiens castigatio, & monitio semel, vel iterum præcesserit; quomodo etiam se gerit Ecclesia in puniendis hæreticis relapsis: ita ergo de eiectione à religione censemus. Nõ est ergo omninò comparanda cum censura, seu excommunicatione; sed solùm quoad hoc, vt requirat aliquam præuiam monitionem, castigationem, & contumaciam; non tamen in hoc quòd illam etiam actualem & perseuerantem postulet. Ratio autem differentiæ est suprà facta, quòd excommunicatio est pœna medicinalis, quæ per se primò respicit bonum eius, qui punitur: hæc autem non est huiusmodi, sed principaliter respicit bonum aliorum, scilicet totius religionis, tum in exemplum, & vt alij timeant esse ita rebelles ordinariæ correctioni, & disciplinæ religiosæ: tum etiam, vt auferatur malum de medio fratrum, ne & ipsi contaminentur; quod alia via non efficaciter cauetur: nam licèt talis persona dicatur offerre emendationem, non est tamen fide digna, nec probabilis de illa spes concipitur propter præcedentem incorrigibilitatem; & ideo licet in ordine ad bonum eius credendum illi sit, & ideo absolutio à censura statim detur, quia solùm pendet ex præsenti bona dispositione; nihilominus in ordine ad bonum aliorum id non sufficit, quia propositum illud facile mutabitur, vergetque eius societas in aliorum detrimentum.

Quæ sit causa iusta expulsionis.

Ex dictis declaratum ferè est, ob quam causam possit Religiosus professus à religione expelli. Ordinariè enim loquendo, duę cõditiones necessariæ sunt. Prima est, vt graue aliquod peccatum præcesserit externum, & de se inferens scandalum aliis, vel infamiam religioni: tam grauis enim pœna non potest inferri nisi propter grauem culpam; oportet etiam esse externam culpam, quia de internis Ecclesia non iudicat, extra forum Sacramentale. Addit S. Bonau. opusc. 9. in regulam S. Francisci, q.14. non satis esse quòd sit externum, & sæpiùs correctum, si sit occultum, ne oriatur scandalum ex publica eiectione cùm culpa non pateat. Intelligendum est autem satis esse quòd sit publicum iuridicè, id est, ita vt de illo sit sufficienter conuictus in regulari iudicio, iuxta debitam formam & modum eius, quia in omni delicto hoc satis est ad condignam pœnam. Nec potest ab aliis existimari iniustè punitus, eo quòd delictum non fuerit publicum notoreitate facti; quia potiùs debent præsumere prælatum vt iudicem iustè procedere: nec etiam reo fit iniuria publicando delictum, vel pœnam eius, quando in iudicio satis probatum est, & ita expedit ad commune bonum. Dices, nisi tale peccatum in aliorum vergat detrimentum, non meretur pœnam separationis à consortio aliorum, non vergit autem in aliorum detrimentum donec sit publicum, vt infamiam vel scandalum generet. ergo. Respondetur, non oportere expectare effectum, sed satis esse quod delictum de se tale sit, nam tale peccatum in persona religiosa, quæ in communitate viuit profitente perfectionem, non potest non esse de se scandalum, & religionem infamans. Vnde Alexander VI. Minoribus concessit, vt possint contumaces expellere, nulla addita restrictione de infectione fratrum, vel scandalo, & notoreitate facti. Quin potius expectare vt delictum sit notorium externis, quod Bonau. suprà q.17. clariùs indicat, non solùm necessarium non videtur, verùm nec conueniens, sed maximè nociuum religioni.

IX. *Prima conditio ad iustam expulsionem; grauis delictum.*

Altera conditio est, vt de tali peccato præcesserit correctio, & admonitio fine fructu, vel emendatione: hoc etiam constat ex dictis, quia oportet, vt non solùm Religiosus peccator sit, sed etiam incorrigibilis, vt iuribus, & ratione declaratum est. Quæri autem potest circa hanc secundam conditionem primò, quanta, vel quotuplex correctio necessariò præcedere debeat. Secundò, an semper, & in omni casu necessaria sit, vel aliquando grauitas peccati semel commissi, & scandalum vel infamia inde sequuta sufficiat. Ad priorem interrogationem dicẽdum est, de ea re non esse vnam certam regulam pro omnibus religionibus præscriptam, sed maximè relinqui prudentiali iudicio. Hoc constat ex Basilio, Augustino, & aliis adductis, solùm enim asserunt, eum qui sæpius correctus contempserit emẽdari, eiiciendum esse. Quam regulam sequitur ordo Prædicatorum, nam in suis Constitutionibus d. 1. c.19. vbi ille dicitur incorrigibilis, *qui culpam non timet cõmittere, & pœnas recusat ferre: vel ex earum sæpius appetita infictione iudicio discretorum cognoscitur non proficere.* At verò in religione Minorum ille propriè censetur incorrigibilis, qui ter conuictus & punitus de crimine, nõ emendatur, vt habetur in Ordinat. general. Toletan. tit. de Incorrigibil. c.6. & refert Emman. Roder. q. 80. art. 14. Et in regula S. Benedicti, cap. 58. qui ter deserit religionem, post professionem factam, amplius admitti prohibetur, atque ita omninò expellitur, tuncque censetur satis incorrigibilis: quòd si aliqua moralis regula tradi potest, hæc certè videtur maximè probabilis,

X. 1. *Conditio; præuia monitio.*

magisque vsitata. Vnde clericus, qui de grauioribus criminibus bis est canonicè punitus, vel ter admonitus, & non emendatur, censetur incorrigibilis, vt degradari possit, & tradi brachio seculari: vt videri potest in Iulio Claro lib. 5. §. vlt. q. 36. n. 33. & 34. Menochio consil. 82. n. 97. Bernard. Dias in praxi c. 151. qui alios referunt.

XI. Nihilominus non est hæc regula adeò certa, quin detur semper locus prudenti iudicio prælatorum, vel ampliùs expectandi, vel citius expellendi reum, si ad commune bonum valde conueniens existimetur, & nulla sit expressa lex specialis, quæ oppositū statuat: ius enim commune nullum est, sed loquitur indefinitè, vt vidimus. Vnde etiam in religione Minorum ex concessione Leonis X. quæ refertur in compēdio priuilegiorum, §. 5. potest aliquando expelli Religiosus pro attroci delicto semel tantùm perpetrato, vt si ex illo delicto tanta infamia, tantumque scandalum ortum esset, vt sine magno detrimento detineri reus inter Religiosos non posset. Et religioni S. Hieronymi in Hispania cōcessit Pius V. anno Domini 1566. vt in delictis grauioribus, aut grauissimis velut inobedientię contumacia, seu incorrigibilitate possit suos Religiosos etiam vsque ad priuationem habitus includuè punire. Vbi etiā cùm indefinitè de grauioribus & grauissimis delictis loquatur, solumque gratia exempli ponat contumaciam inobedientiæ, constat non ponere regulam omninò definitam, sed prudentiæ iudicis relinquere, quando delictum sufficientem grauitatē habeat ad hanc pœnam, & an, quæve contumacia expectanda sit. Similem in Societate nostra institutionem à Pontificibus probatam infrà tract. 10. ostendemus. Denique secluso speciali iure ac priuilegio, ex sola ratione naturali hoc ipsum significauit Sylvest. verb. *Abbas*. n. 6. vbi referens sententiam D. Thomæ dicentis, non posse expelli Religiosum nisi propter contumaciam, addit, *Quod intelligo, nisi incorrigibilitas præsumatur de facto propter conditionem viri, vel de iure propter regulam ita mandantem.* Vbi in primis modum & distinctionem indicat explicandi regulam à D. Thoma, & communiter traditam de contumacia, vel incorrigibilitate, scilicet, vel actuali, seu præterita, & præsumpta. Deinde duos modos insinuat præsumendi iustè incorrigibilitatem, etiam si actu non præcesserit, vel de iure, vt quando regula aliqua religiosa illam præsumit in aliquo delicto, vel de facto, vt quando tales sunt circumstātiæ personæ, vt nulla sit moralis spes correctionis. Addo, etiam interdum fieri posse, vt licèt sit spes correctionis in ipsa priuata persona, non tamen possit satisfieri publicæ infamiæ, vel scandalo totius religionis, nisi expellendo religiosum delinquentem: vel non posse conuenienti modo, & sine magno dispēdio religionis in perpetuo carcere detineri, vel alio simili modo puniri: & tunc etiam esse posse sufficientem causam expulsionis, quantum est ex vi iuris communis, si ius speciale alicuius religionis non repugnet. Quia commune bonum religionis præferendum est priuato; & quia interdum iustè punitur quis perpetuo exilio, imò & morte, propter vnum delictum sine alia contumacia; & interdū potest hoc fieri arbitrio iudicis propter grauissimas circumstantias, vt videri potest apud Eman Roder. tom. 1. q. Regul. q. 30. art 14. vbi pro se citat Iul. Clar. lib. 5. §. sacrilegium n. 3. & Maranta in speculo fol. 29. post n. 53. quid ergo mirum, quòd hoc possit fieri in aliqua religione, maximè vbi propriū ius non resistit?

XII. *Qui putant electionem corrigibilis esse illicitam in foro conscientiæ.*

Addunt verò aliqui ex doctrina S. Bonauenturæ, licèt in exteriori foro possint prælati iustè expellere Religiosos propter graues excessus, etiam sine propria incorrigibilitate, non tamen in foro conscientiæ; propter scandalum, quod in animis secularium potest generari, & propter periculum damnationis, cui exponuntur sic electi, quia nequeunt seruare regulam, quam promiserunt, à cuius obligatione non possunt liberari. Sed debent (aiunt) tales religiosi perpetuis carceribus mancipari, & ibi puniri pro qualitate delictorum. Hanc verò distinctionem de foro interno, & externo ad hanc materiam applicatam, apud S. Bonauenturam non inuenio, nec videtur mihi posse probabiliter accommodari, per se loquendo: itaque quoties iuxta regulam approbatam, vel iuxta Pontificia diplomata, seu concessionem, licitum est in exteriori foro expulsionis sententiam ferre & exequi contra religiosum professum; etiam in foro conscientiæ id est licitum, per se loquendo.

XIII. *Probatur conclusio.* Ratio est, quia ex duplici tantùm capite posset id non licere, vel quia esset contra iustitiam, vel quia contra charitatem, alia enim radix in præsenti cogitari non potest: neutrum autem ex his potest cum probabilitate affirmari: ergo. Probatur minor quoad priorem partem de iustitia, quia vel hoc intelligitur de iustitia commutatiua, ratione mutui contractus facti inter Religiosum & religionem in ipsa *nam.* professione; & hoc non, vt etiam S. Bonauent. dict. quæst. 14. fatetur, quia pactum illud intelligitur secundùm regulam approbatam, & secundùm priuilegia Pontificia, & secūdùm rationem rectam: iuxta hæc autem iura omnia, includit conditionem ex parte religionis, si ita professus vixerit, vt decet, vel debetur religioso statui, & communitati: aut clariùs, nisi se reddat dignum expulsione, iuxta regulam & mentem Pontificis: ergo quoties quis enitur iuxta regulam, & priuilegia, non frangitur pactum à principio factum: ergo ex hac parte non peccatur contra iustitiam: ergo ex eodem capite quod licet in foro exteriori, licet etiam in foro conscientiæ.

XIV. *Secunda conclusio.* Vel sermo est de iustitia vindicatiua, & ex hac parte non potest etiam cōtra conscientiam agi, saltem per excessum contra Religiosum (nam de defectu contra religionem, vel Rempublicam, statim dicam.) Probatur, quia in tali religione per legem iustam, qualis est regula approbata, vel per Pontificiam declarationem, quæ in priuilegio continetur, illa iudicata est condigna pœna talis delicti, vel talium delictorum: ergo non fit iniuria reo illam exequendo. Nec enim putandum est illam concessionem Pontificis esse permissiuam tantùm, sed approbatiuam: tum quia oppositum constat ex verbis concessionum, tum etiam quia esset cōtra omnem rationem. Cur enim permitteret Pontifex religioni, (quæ tenetur non solùm ad iusta, sed etiam ad perfecta) vt iniustam pœnam imponeret, & exequeretur, sine impedimento, & sub Pontificis umbra, & authoritate? Quòd si quis dicat, Pontificem non approbare hanc, vel illam electionem in particulari, se d illam, quæ fit iusta causa; hoc est quod intendimus: nec enim nos defendimus vt iustam omnem expulsionem in individuo: sed ex hypothesi dicimus, eam quæ fuerit iusta in foro externo, iuxta regulā vel priuilegia, nō posse esse in foro conscientiæ iniuriosam electionem. Vnde si iudicium particulare de causa electionis in re verum sit, & prudētiale, iuxta verum sensum regulæ & priuilegiorum, reddet sine dubio prælatum tutum in foro conscientiæ, saltem quoad hanc partem non inferendi iniuriam reo: si verò iudicium sit falsum, quia minimum delictum tale non est, quale regula, vel priuilegium requirit: tunc nec ipsa expulsio est iusta secundùm regulam, & ideo neque in conscientia erit iusta per se loquendo, imò etiam erit contra obligationem inclusam in primo pacto professionis, vt patebit facilè conuertendo rationem superiùs factam. Dico autem, per se loquēdo, quia per ignorantiam,

rantiam, & bonam fidem prælati poterit interdum factum excusari. Nunquam ergo hic separatur iustitia in conscientia, & in iudicio externo, respectu religiosi.

XV. *Nisi denique contra iustitiam legale.*

Maius dubium esse posset, an talis expulsio possit interdum esse contra iustitiam legalem, & bonũ commune, quia nimirum delictum non satis punitur illo modo: imò sæpè fortasse ipse delinquens desiderabit hanc pœnam, vt possit liberius viuere. Vnde quoad hanc partem regula, vel p iuilegium non videntur esse præceptiua, seu ordinatiua, sed concessiua, vt ita fiat: semper autem videntur subintelligere conditionem, *nisi ratio iustitiæ plus fieri postulauerit.* Respondeo, Pontificem per hanc concessionem, vel regulam non tam intendere punitionẽ delicti, quàm præseruationem, quietem & decentiam religionis: & ideo si ad hos fines necessaria sit religiosi eiectio, non est omittenda, eo quòd delictũ non videatur adæquatè puniri, nam hoc non est ita intrinsecè necessarium, vt ex iusta causa omitti non possit. Accedit, quòd semper potest antecedere alia vindicta delicti, quæ pro capacitate status religiosi videatur sufficiens. Potest etiam sic eiectus ad triremes mitti, si dignus iudicetur, vel perpetuò, vel ad tempus, itaque nunquam condigna punitio repugnat cum eiectione, ideoque qui concedit facultatem expellendi à religione, non aufert obligationem puniendi delicta modo sufficienti ad publicam satisfactionem, quatenus simul esse potest cum expulsione à religione: & ideo non refert ad iustitiam & honestatem talis concessionis quòd sola expulsio non sit interdum sufficiens pœna. Esset autem contra rationem tale priuilegium, si ratione illius posset quis expelli, etiam in eo casu, in quo talis expulsio esset contra iustitiam in foro conscientiæ.

XVI. *Probatur deinde neque est contra charitatem.*

Venio ad alteram partem de obligatione charitatis, quæ in primis locum non habet vbi hæc pœna non est arbitraria, sed lege præscripta, in qua inferior, seu ordinarius prælatus dispensare non potest. Deinde, etiamsi prælatus religionis ex charitate teneatur procurare bonum religiosi quantumuis criminosi, magis tamen tenetur custodire puritatem & pacem suæ religionis, & auferre scandala, &c. Vnde Bonauent. dict. q. 14. dixit, *Crudelis est miseratio, vnde plures, & meliores grauiter offendantur.* Præterea obligatio ex charitate, cessante iustitia, plures conditiones requirit, quæ vix possunt in huiusmodi casu inueniri. Primùm enim necessarium est, vt proximus sit, vel constituatur in graui periculo, morali, & proximo suæ salutis: deinde, vt alius possit sine magno incommodo, præsertim spirituali, suo, vel aliorum illi necessitati succurrere: at in præsenti religiosus per eiectionem non statim constituitur in proximo periculo, imò neque in morali salutis suæ: potest enim vexatio dare intellectum, & humiliatio conuersionem, vel potest multis modis sibi consulere, vt pericula effugiat: aliunde verò sæpè non potest prælatus sine magno onere religionis, & periculo aliorum religiosorum, & suæ famæ, & quietis, illum detinere: non ergo obligatur ad hoc ex charitate. Asserendum ergo simpliciter est, id quod regula per Pontificem approbata, vel priuilegia, aut bullæ Pontificiæ permittunt, seu concedunt singulis religionibus, circa eiectionem contumacium, seu discolorum religiosorum, non solùm in externo foro, sed etiam in conscientia per se loquendo licita esse. An verò in aliquo particulari casu charitas exigat moderationem aliquam in executione, id ad factum pertinet, non ad ius, estque accidentarium & ex prudenti arbitrio pendens. Et tunc etiam considerare oportet, an prælatus authoritatem habeat ad talem moderationem faciẽdam vel potestatem superiorem iuxta regulam, requirat: id enim seruandum est.

Concluditur contra citata iura.

In quo prælato sit potestas ad expulsionem.

XVII. *Est in Papa.*

Tandem facile etiam ex dictis intelligitur, quis possit religiosum à religione eiicere, suppositâ causa sufficienti, nam sine illa nullus potest, & cum illa non quilibet, sed qui iurisdictionem ad hunc actũ habet, nam est actus vindicatiuæ iustitiæ, & magnæ coactionis, qui sine iurisdictione fieri non potest. Primò ergo ac præcipuè habet hanc potestatem Summus Pontifex, non solùm, vt supremus pastor Ecclesiæ, quod clarum per se est, sed etiam vt supremus prælatus religionis, ad quem spectant actus supremi, ad bonum eiusdem religionis pertinentes. Deinde habet hanc potestatẽ corpus ipsum religionis; vt autem illam habeat non est necesse, vt à Summo Pontifice specialiter conferatur, sed satis, vt non auferatur, seu reseruetur talis actus. Ratio prioris partis est, quia hæc eiectio ex natura rei iusta est, ex vi conditionis inclusæ in priori pacto inter religionem, & Religiosum, vt suprà explicatum est: ergo ex natura rei est in ipsa religione tota, seu vt est vnum corpus, si aliunde non impediatur: sicut è contrario ex natura rei est apud illam onus retinendi, & alendi religiosum, qui nullam causam præbet eiectioni. Confirmatur, quia omne corpus habet ius separandi à se contagiosa membra, & omnis Respublica abiiciendi, qui eam conturbant, & potestas ad hunc actum per se est in corpore Reipublicæ: ergo similiter est cum proportione in corpore religioso.

Est in tota Religione.

XVIII. *Excipe, nisi à Papa reseruetur.*

Posterior verò pars, quæ est limitatio prioris, patet, quia potestas corporis subordinata est capiti, aliàs esset summa confusio: ergo si per caput restringatur, id est, per Pontificem reseruantem sibi illum actum, non poterit tota religio sine consensu eius religiosum eiicere. Considerandum itaque est corpus integrum religionis in rigore sumptum Pontificem ipsum vt supremum prælatum includere, qui quatenus iurisdictionem in illam habet, non ab ipsa, sed ex se, seu à Christo illam habet: quatenus verò habet potestatem dominatiuam, licèt à religione illam habeat, in illo tamẽ ordine est suprema etiã respectu totius corporis religionis simul sumpti, quod non habent prælati intrinseci (vt sic dicã) ipsius religionis. Hac ergo ratione potest hanc potestatem non solùm vt vniuersalis pastor, sed etiam vt supremus prælatus sibi reseruare. Quia verò iure, & potestate ordinaria relinquit religionem seipsam plenè gubernare: ideo quandiu hæc potestas ablata, seu reseruata non est, in ipsa religione integra manet. Et in eo casu, quo Pontifex illius vsum sibi reseruaret, teneretur ex iustitia, post plenã causæ cognitionem in eiectionem Religiosi consentire, si & culpas haberet tali pœna dignas, & ad religionis bonum, illius pœnæ executio necessaria moraliter videretur.

XIX. *Est denique in Generalibus.*

Tertiò solet hæc potestas esse in Generalibus religionum. Nam illis commissa est tota potestas necessaria ad gubernandam religionem, & ad vniuersale bonum eius: huiusmodi autẽ est hæc potestas, de qua agimus, vt ostensum est. Vnde Pius V. in priuilegio suprà citato concesso Ordini S. Hieronymi in Hispania, quod habetur in Compend. priuileg. eiusdem Ordinis, verb. *Condemnare*, inter alia sic ait; *Considerans quod Prior Generalis, per constitutiones dicti ordinis habet omnimodam, & ordinariam potestatem, quam ipsum Capitulum generale, tempore, quo celebratur, habet: Priori Generali concessit facultatem relegandi*, &c. In quibus verbis solùm expendo rationem, quæ mouit Pontificem, ad concedendum Generali potestatẽ, quam Capitulo concedebat: quia

tota

tota potestas Capituli translata esse debet in Generalem: eadem ergo ratione iure ordinario habere videtur Generalis potestatem eiiciendi Religiosum ex iusta causa. De aliis verò inferioribus prælatis, vt sunt Prouinciales, Priores, Guardiani, &c. nihil certum dicere possumus ex communi iure, sed solùm consulenda esse iura specialia regularum, seu priuilegiorum singularum religionum, & illa esse obseruanda. Regulariter autem videtur esse in solo Generali iure ordinario; nec immeritò, quia abscindere membrum corporis est res grauissima, & ideo meritò postulatur consensus capitis. Prouinciales autem aliquando hac potestate vtuntur ex commissione, vel generali, vel speciali, iuxta varios vsus religionum.

Quid de inferioribus prælatis.

XX. *Requiratur ne consultatio vt prælatus eiiciat religiosum.*

Quæri autem hic potest, an prælatus habens hãc potestatem possit illa vti suo iusto arbitrio, sine cõsilio aliorum, qui in ordinibus ad hoc ministerium deputari solent, vel potiùs huiusmodi consilium sit omninò necessarium ad valorem actus. Nam in prædicto priuilegio Pij V. ad Hieronymianos additur, *Dum tamen hæc omnia faciat de consilio fratrum*, &c. & similia haberi solent in Constitutionibus religionum, vt in Constit. Prædicatorum, cap. 19. d. 1. dicitur, *De consilio discretorum, si expediens iudicetur, potest Magister ordinis*, &c. Verumtamen in hac etiam re non possumus generalem regulam tradere, sed obseruandum est in vnaquaque religione institutum eius ab Ecclesia approbatum: nam in quibusdam suffragia consulentium decisiua sunt, ita vt sine illis, vel eorum numero competenti, nihil validè fieri possit, & in eis responsio est clara, quia consilium est de substantia actus, imò solum apud illud est potestas. *In* aliis verò consulentium suffragia sunt tãtùm consultiua, quibus auditis, potest prælatus statuere quid iudicauerit expedire; duobus autẽ modis potest intelligi huiusmodi consilium necessariò esse adhibendum, vt in superioribus notauimus, tractando de receptione Nouitiorum, scilicet vel ex præcepto tantùm vel vt res bene fiat, non tamen ad valorem actus, vel vtroque modo; ex iure autem communi non constat, quo istorum modorum in præsenti requiratur, sed consulenda sunt priuata iura vniuscuiusque religionis, & illa sunt seruanda. In eis autem attente considerandum est, an potestas absolutè detur prælato, postea verò solùm iniungatur, vt tales, vel tales personas consulat: an verò detur talis potestas, quasi sub ea conditione, vt in dicto priuilegio Pij V. dicitur, *Concedimus Priori Generali*, &c. *dum tamen hæc omnia faciat de consensu fratrum*, &c. Quando enim concessio est sub hac posteriori forma, est sine dubio illa substantialis conditio, ita vt licet necesse non sit consilia sequi, necessarium sit illa audire, iuxta communem sententiam fundatam in proprietate verborum, quam in citato loco exposui. At verò quando potestas priori modo datur, consultatio solũ est necessaria ex præcepto, vel regula, &, si illa omittatur, malè fit, nihilominus actus est validus, quia illa tunc nõ est substantialis forma, vt eodem loco dixi.

CAPVT V.

An & quomodo professus eiectus teneatur ad religionem redire.

I. *Supponitur eiectum non liberari à vinculo trium votorum substantialium solemnium.*

IN primis supponendum est, per huiusmodi eiectionem non solui religiosam professionem quoad vinculum, sed solùm quoad vsum, seu cohabitationem; sicut quando separantur coniuges propter alterius adulterium, semper manet vinculum matrimonij integrum. Quãquam enim de antiquo vsu Ecclesiæ incertum sit, an religiosi dyscoli eiicerẽtur omninò liberi à professione religiosa, nunc tamen in his, qui solenniter profitentur, certum est non ita fieri. Quam diuersitatem videre licet in vna Societatis religione, in qua scholares approbati eiiciuntur soluto vinculo, professi verò minimè. idẽque est in omni alio professo. Nam licèt eiiciatur, non definit esse religiosus, vt est concors sententia Doctorum in 4. dist. 38. Innocen. c. *Dilectus*. 2. de simoni. Cardin. Clemen. 1. de Regularib. §. *Quomodo*. q. 1. Estque euidens ex suprà dictis de immutabilitate professionis religiosæ; & ex vsu Ecclesiæ, nam constat hos manere semper inhabiles ad matrimonium, etiamsi non sint in sacris ordinati. Denique hoc apertè supponitur in cap. vlt. de Regularib. vt statim in num. 6. expendemus. Manet ergo in his religiosis integra professio, & quidquid est de substãtia eius, atque adeò tria vota, castitatis, paupertatis, & obedientiæ in eo perseuerant: quomodo autem eis vti debeat, & ad quid ratione eorũ, & professionis obligetur, explicandum superest. Et de castitate quidem nulla est difficultas, tenetur enim illam integrè seruare, quia potest, & in hoc non ita pendet ab actuali subiectione, vel vnione cum sua religione.

De obligatione redeundi ad religionem.

II. *Primo ostenditur eum teneri ad redeundum.*

De aliis ergo inquiri potest primò, an teneatur semel eiectus ad suam religionem redire, quamdiu aliam professus validè non est, nam in eo casu certum est nõ teneri: an verò possit id facere, infrà videbimus. Quidam ergo asserunt absolutè non teneri ad reditum, nec ad illum posse compelli, si per sententiam definitiuam, & iustam eiectus in perpetuũ est. Ita tenet Nauarr. Comment. 2. de Regularib. n. 36. Comment. 3. num. 52. & lib. 3. Consilior. tit. de Regularib. consil. 77. & seq. Fundamenta eius sunt, primò, quia per sententiam definitiuam extinguitur obligatio, quæ proinde non potest amplius reuiuiscere. *In perpetuum enim sublata obligatio restitui non potest*, vt dicitur in l. *quæres*. §. vlt. ff. de solution. Secundò, quia res iudicata seruanda est, l. *res iudicata*. ff. de regul. iur. & quod bene definitum est, retractari non debet, cap. *quod bene*. 6. q. 4. adeò vt res iudicata impediat litis ingressum, Clement. 1. de except. Tertiò, quia est res durissima, vt eiectus definitiuè contra suam voluntatem, reducatur ad monasterium, vbi vix æquo animo ferre possit improperia, quæ in eum alij de more obiicient. Quartò, quia degradatus realiter à suis ordinibus, non potest cogi vt redeat ad gradum, quem prius tenebat; ergo nec monachus eiectus, &c. Tandem ad hoc inducit anthoritas Bernardi, Abbatis, Cardinalis, & Antonini, qui de eiectis nunquam hoc asseruerunt, sed solùm de fugitiuis. Addere vltimò possumus, quia religio non tenetur semel eiectum iterum recipere; ergo nec ipse tenetur redire, etiamsi renouetur. Debet enim esse par vtriusque conditio, seu obligatio.

III. *Secundo ostenditur eum teneri ad redeundum.*

Alij dicunt, teneri huiusmodi eiectum in primis ad emendationem, ita vt fiat aptus ad religionem, & dignus vt in ea recipiatur. Deinde, teneri ad petendum, & procurandum, vt in religione iterũ recipiatur, & consequenter teneri ad ingressum si admittatur. Tertiò verò aiunt, si post moralem petitionem sufficientem repellatur, non teneri amplius ad ingressum, etiamsi maximè cogatur, vel præcipiatur. ita tenet Soto lib. 7. de Iustitia, q. 2. art. 1. circa ad 3. Qui consequenter ait, hunc Religiosum in eo casu manere liberum à vinculo religionis, & ab obedientiæ voto, imò & à voto paupertatis, de quo infrà.

IV.

Et prima quidem huius opinionis propositio verissima est, teneri scilicet hunc Religiosum ad emendationẽ non solùm per se, id est, propter vitæ viranda,

VII.

vitanda, propter quæ punitus est, sed propter statũ religiosum, vt, quantum in ipso est, non stet per illum, quominus ad illum restituatur, & aliàs non esse tutum in conscientia. quam partem tenet etiam Sylvest. *Religio.* 6. q. 12. & idem supponit in verb. *Apostata.* q. 5. & 6. tenet etiam Angles, tit. de Voto, art. 2. difficult. 8. c. 3. Cordub. in c. 2. suæ Regulæ, q. 21. & fauet Bonau. q. 14. super Regulam. Sumitur etiam ex c. vlt. de Regularib. vt statim videbimus. Ratione probatur, quia ille eiectus verus religiosus manet; ergo per se & ex vi suæ professionis obligatus manet ad viuendum secundùm illum statum; ergo tenetur, quantùm in se est, illum non impedire. Confirmatur, quia habens votum simplex religionis, tenetur non ponere ex parte sua voluntarium impedimentum receptioni, quam etiam procurare tenetur: ergo multò magis ad hoc tenetur religiosus iam professus, etiamsi eiectus sit, nam eiectio nõ abstulit vinculum, & consequenter nec obligationem. Maximè cùm sua culpa iustè eiectus fuerit, & nemini debeat sua iniquitas patrocinari.

V. Et hinc etiam probatum manet secundum dictũ illius sententiæ, quod etiam alij authores recipiũt, & ego verum censeo. Nam qui tenetur viuere in aliquo statu, tenetur non solùm illum non impedire, sed etiam illum procurare, & si admittatur, tenetur acceptare, vt exemplo etiam adducto de habente votum simplex religionis ostenditur; sed religiosus sua culpa eiectus tenetur semper obligatione viuendi in statu illo: ergo tenetur illum sufficienter procurare, quantum in se est. Confirmatur, quia non censetur sic eiectus satis moraliter emẽdatus, donec humiliter petat iterum in religionem recipi, sed tenetur emendari sufficienter, ita vt satisfaciat religioni, vt in eam posset iterum recipi: ergo. Imò addit Tabiena verbo *Religio*, n. 25. si in vno monasterio non recipiatur, teneri alia adire, si sit probabilis spes. An verò teneatur aliam religionem ingredi, vel hoc ei liceat, dicemus num. 18. nunc enim loquimur de reditu ad priorem religionem. Tertia verò propositio illius sententiæ probari maximè potest argumentis Nauarri, mihi tamen nihilominus non placet.

VI. Dico ergo, Religiosum semel eiectum etiamsi iterum atque iterum petierit iterum recipi, & repulsus sit, teneri ad ingrediendum iterum, quoties reuocatus fuerit, si ad aliam religionem non transiit, tunc enim iam prima obligatio cessauit, & quasi commutata est, vt statim dicam. Probatur ergo assertio ex c. fin. de Regularib. vbi Gregorius IX. præcipit Superioribus religionum, vt fugitiuos, & eiectos de ordine suo requirant sollicitè annuatim, eosque recipiãt, si regularis ordo id permittit, aliàs eis prouideant modo ibi statuto: quod intelligitur, si illi electi & fugitiui emendati inuenti fuerint, nã si adhuc sint contumaces, aliud remedium adhibẽdum est, vt ibi statuitur. Exponitur in illo textu, Superiores semper habere ius reuocandi eiectos, & cogendi ad iteratum ingressum, si regula non resistat. Vnde etiam supponit, eos teneri ad obediendum, & reuertendum si præcipiantur, & ideo præcipit eos excommunicari, si contumaces sint. Et, quod notandum est ibi, in hoc æquiparantur fugitiui, & eiecti, constat autem fugitiuos semper teneri ad religionem reuerti, si admittantur; ergo & eiecti. Respondet Nauarr. caput hoc intelligendum esse de eiectis iniustè, vel non per sententiam definitiuam, ritè & rectè latam. Sed hoc gratis dictum est, & sine fundamento inuentum, quia dictũ caput absolutè, & sine restrictione loquitur: imò supponere videtur nullum religiosum posse ita definitiuè eiici, quin religio retineat ius reuocãdi illum.

VII. Vnde argumentor ratione, quia per eiectionem non soluitur religiosus ab obediẽtiæ voto, licèt pro tunc careat vsu illius, quia caret actuali regimine Superioris: ergo si ad obediendum reuocetur, tenetur ex vi voti reuertere & obedire. Antecedens patet, tum quia votum illud solenne extingui non potest ordinario iure, tum etiam, quia ille manet verus Religiosus, & consequenter retinet omnia essentialia, tum denique, quia non debet reportare commodum ex culpa sua, fuit autem propter culpam eiectus, & priuatus commodis religionis, non tamen fuit liberatus onere obedientiæ omninò. Respondet Nauarr. licèt fuerit propter culpam eiectus, iam tamen fuisse sufficienter punitum, & ideo non debere iterum puniri propter idem delictum, sed qui sensit onus, debere potiùs sentire commodum illi annexum. Sed contrà, nam hæc non est secunda punitio, sed debita obseruantia voti, quod semper manet: vnde licèt ille fuerit sufficienter punitus, dum postea reuocatur, non iterum punitur, sed mandatur ei, vt obligationem suam expleat. Neque hoc commodum exonerandi se hac obligatione, annexum est illi pœnæ: cur enim, aut quo iure id cautum est? Nulla enim ratio per se spectata rei natura, id postulat: sed potius debitus ordo requirit, vt post debitam satisfactionem pro delicto, persona redeat ad priorem statum, vel soluat obligationem in qua semper manet.

Dices, religionem eo ipso quòd noluit Religiosum petentem, & rogantem admittere, cessisse iuri VIII.
suo, & ideo illum iam non teneri redire, licet reuocetur. Sed falsum est quod assumitur. Aut enim religio iusta ex causa recusauit illũ acceptare, & quasi ab exilio reuocare, & tunc non est cur censeatur iuri suo cessisse simpliciter, & pro omni tempore, sed solùm voluisse illum condigna pœna afficere, donec satis pateretur: Aut iniustè & contra rationem negauit illi reditum, & tunc error non est totius religionis, sed vnius prælati, vel conuentus particularis; vnde nõ sufficit vt tota religio iuri suo cessisse censeatur. Quare potiùs existimo, etiamsi velit, cedere iuri suo in perpetuum, & sine vlla limitatione non posse: quia illud ius considerandum est vt pertinet principaliter ad Deum, quomodo nõ potest tolli per voluntatem hominis, sine iusta causa: sicut non posset nunc religio licentiam dare religioso, vt extra illam maneat, cedendo iuri suo: ita ergo est in quolibet eiecto, nam licèt ad eiiciendum illum posit esse iusta causa, tamen ad cedendum in perpetuum absolutè, & simpliciter, ita vt religiosus, quantum est ex se non teneatur redire, non habet religio potestatem, quia nulla potest subesse iusta causa, supposito perpetuo vinculo professionis. Et eadem ratione non potest religiosus remittere religioni obligationem, quam habet recipiendi illum, quando & delictum est sufficienter punitum, [illegible] futurum nullum est periculum, quia hoc etiã est contra ius acquisitum per vinculum perpetuæ professionis.

Dices: Etiam vinculum matrimonij est perpetuũ, IX.
& tamen interdum fit separatio quoad totum ita perpetua vt non teneantur coniuges iterum ad se redire: aliquando etiam vnus eorum propter delictum ita priuatur iure in alium, vt alter ampliùs non teneatur ad ipsum redire: ergo similiter esse potest in præsenti. Respondeo primò, exemplum posse retorqueri quoad id, de quo agimus. Nam, si separatio fiat, v. g. propter adulterium vnius, licèt ille, qui passus est iniuriam, non teneatur amplius coniugi alteri cõsentire, nec eum acceptare in suum consortiũ: tamen si velit idem qui iniuriã est passus, alterum reuocare, & cum eo redire in amicitiam, alter semper tenetur acceptare, & vitã maritalem cum alio agere, debitũ reddere, &c. vt est cõmunis resolutio Doctorum in 4. cum D. Tho. in 4. d. 35.

d.35.& q.62. Addit art. 6. quia innocens non priuatur iure suo propter peccatum alterius, sed in fauorem illi conceditur quòd possit alium à se abiicere; quod autem in fauorem conceditur, non debet in detrimentum verti, l. *quod fauore*. C. de Legib. & è contrario, nullus debet reportare commodum ex suo delicto, & ideo non liberatur coniux adultera propter peccatum suum ab onere cohabitandi, & reddendi debitum, si alter velit vti iure suo, & cedere fauore sibi concesso. Vnde etiamsi adultera priùs rogasset admitti, & alter noluisset, si postea ille mutet voluntatem, & reuocet adulteram, ipsa tenetur consentire; sic ergo in proposito. Deinde dico, quoad aliam partem esse dissimilem rationem, tum quia in separatione adulteræ à marito agitur de vindicanda iniuria mariti; hic autē agitur præcipuè de vindicanda offensione diuina, & de tollēdo omni impedimento perfectionis, præcipuè ipsi religioni, & ideo postquam hoc sublatum est, & Deo est satisfactum, cessat ratio diuortij spiritualis ex vtraque parte inter Religiosum & religionem. Tum etiam, quia iure declaratum est, illam perpetuam pœnam esse debitam iniuriæ adulterij, vel alteri simili: seu (quod perinde est) perpetuum illum fauorem esse cōcessum innocenti; in exclusione verò à religione, nihil tale declaratum est, sed potiùs ei imponitur onus quærendi eiectos, cum limitatione suprà explicata.

X. Atque hinc facilè respondetur ad argumēta Nauarri. Ad primum enim negatur antecedens, nam per sententiam definitiuam, per quam aliquis eiectus est, non extinguitur obligatio eius, cum vinculum professionis, & obedientiæ votum non tollatur, quatenus exercitium eius per subtractionem materiæ impeditur. Ad secundum concedo, rem iudicatam esse seruandam, neque hic proprie mutari sententiam, sed finitur effectus eius, tempore ab ea virtualiter præscripto. Cùm enim aliquis per definitiuam sententiam à religione eiicitur, nō est sensus talis sententiæ, vt ille liber omninò maneat ab onere religionis, seu ad manendum extra illam, sed solùm vt à religione separetur quamdiu religioni iustè placuerit. Sicut sententia definitiua diuortij perpetui, non mutatur, etiamsi nocens cogatur redire ad petitionem nocentis, quia hæc ipsa conditio in sententia erat inclusa. Ad tertium respondetur, illud incommodum esse valde accidentarium, & extrinsecum quod sua culpa meruit talis religiosus. Addo præterea, minus malum esse illa improperia in religione sustinere, quàm extra religionem perpetuò manere. Denique addo, si ille verè pœnitens redeat, & vitam omninò aliorum ædificatione mutet, non esse cur timeat talia improperia, vel incōmoda: & ad obligationem prælatorum religionis pertinebit illa impedire.

XI. Ad quartum primò negatur consequentia, & similitudo, nam degradatus non tenetur speciali voto ad obediendum, & perseuerandum in illo statu sicut Religiosus. Item degradatus ad ea, quæ sunt oneris, tenetur, etiam perseuerante degradatione, quia tenetur seruare castitatem, & horas canonicas recitare; reliqua verò sunt magis honoris, & vtilitatis, quibus potest renuntiare: at Religiosus eiectus excusatur pro tunc à multis oneribus religionis, quæ sustinere incipit cùm redit, & ideo non debet liber manere omninò ab obligatione redeundi, aliàs commodum saltem temporale & humanum ex sua culpa reportaret. Secundò respondeo negando assumptum, quia degradatus realiter à nullo præter Rom. Pontificem potest ad pristinum statum, seu dignitatem reuocari, ab eodem autem potest præcipi, & obligari, si oportuerit, vt ad talem statum redeat, eo prorsus modo, quo sacerdos non degradatus cogi potest, vt conuenienter suo statui viuat, eiusque munera exerceat. Nec enim iusta pœna liberauit reum ab hac obligatione, vt probant cum proportione rationes factæ: nec adduci potest ius, vel ratio in contrarium, quæ probet efficaciter Pōtificem fuisse priuatum hac potestate, propter degradationem.

XII. Ad quintum, ponderationes illorum authorum, quas Nauarrus affert, non multum nos mouent, nō solùm quia ius, & ratio plus mouēt, sed etiam quia paruum fundamentum in eis habent: nam Bern. in positione casus dict. cap. vltimi apertè dicit, vtrosque, scilicet, fugitiuos, & eiectos reducendos esse ad claustrum; supponit ergo vtrosque teneri ad reditum, quantum est ex se. Quod autem in fine dicitur, sicut fugitiui inobedientes extiterunt, &c. vbi videtur omittere eiectos, vt Nauarrus pōderat: vel breuitatis tantùm causa feciisse credendum est; nec enim à textu ipso, in quo vtrique in eadem clausula numerantur, dissensisse verisimile est: vel certè subtiliter iudicauit, etiam eiectos postquam incipiunt esse inobedientes quoad non redeundum cōtumaciter, incipere etiam esse fugitiuos. Et eodem modo intelligendi sunt Abbas, & alij Canonistæ, quos ibi citat, qui interdum de vtrisque, interdum de fugitiuis loquuntur.

XIII. In vltimo argumento petitur, an religio teneatur susc̄ipere hos eiectos? ad quod dicendum ferè est sicut suprà de fugitiuis. Posset ergo negari consequentia, quia non est æqualis ratio, cùm religio sit innocens, & qui eiicitur sit nocens, & sua culpa mereatur priuari omni bono religionis, licèt religio ius suum integrum retineat, sicut exemplo matrimonij declaratum est. Vnde secundò dicitur, in hoc expectandum esse ius religionis, nam si iuxta propriam regulam potest propter certa, vel grauia crimina aliquos perpetuò eiicere sine obligatione ampliùs eos recipiendi ipsa libera manebit, quamuis alter non omninò maneat liber. Nam à principio intelligitur pactum inter religiosum, & talem religionem sub ea conditione initum, quod tacitè approbatur in dict. c. vlt. dum dicitur, eiectos recipiendos esse, nisi regula obstet: quod non est intellectum, quia ius religionis maius est, quia eius bonū diuinius, vtpote communius, est: item, quia, vt dicebam, religio est innocens, alter autem nocens, & pro eo casu, & non pro alio ponitur dicta conditio. De qua re plura in simili dicemus tractatu decimo de Societate.

XIV. Adduntur verò duo iure communi statuta in illo cap. vlt. Vnum est, quòd vbi regula non obstiterit, eiecti recipiendi sunt in religione, secundùm regularem disciplinam, id est, sufficienter emendati, & castigati, & exhibita cæteris religiosis sufficienti cautione. Secundum est, vbi secundùm regulā satisfactione. Secundum est, vbi secundùm regulā recipi non possint ad communem vitam, recipiendos esse ad arctam aliquam custodiam, vel separatum viuendi modum prope monasterium, vt sub illius prouidentia, & expensis, ne in perniciem suarum animarum vagari cogantur. Nam quia hic status principaliter ordinatur ad salutem animæ, huius maior ratio habenda est, quàm alicuius oneris, vel expensarum religionis. Vnde colligo, iuxta ius illud, nullum religiosum esse ita eiiciendum, vt liberè vagari permittatur, quia si vagantes reducendi sunt iuxta textum illum, nunquam vagari permittendi sunt: ergo nec à principio sunt liberi permittendi, sed custodiendi eo modo, quo in illo casu pōnitur. Regulariter autem hoc non seruatur, quia vel religiones non possunt sine magno suo detrimento hos custodire, vel quia religiones noua habent priuilegia, aut statuta à Pontificibus confirmata, quæ consulenda sunt.

Qua-

Quomodo recipiendus sit in eandem religionem professus expulsus.

XV. *Dubia potestatis ad receptionem.*

Quæri autem potest vlteriùs, quando huiusmodi eiectus reuertitur ad religionem vel ipso petente, & religione consentiente, vel è contrario religione cogente, & ipso non resistente, quomodo recipiendus sit. Respondeo in primis requiri sufficientem potestatem in recipiente, quia est res grauissima, & pertinens ad gubernationem religionis, & ideo nō potest priuata authoritate fieri, sed publica potestate religionis. Apud quem autem sit talis potestas iuxta varia instituta & regulas religionum respondendum est. Nihil enim video iure communi statutum, præterea, quæ de receptione religiosorum tomo præced. diximus, & quod in dict. cap. vlt. disponitur, vbi Abbates præcipiuntur huiusmodi eiectos recipere, si regula non resistat, vel aliquo modo eos custodire, vbi aliter iuxta regulam recipi non possunt. Quod ergo ibi de Abbatibus dicitur, in aliis religionibus cum proportione intelligendum est de prælatis, ad quos hæc cura pertinet, vel solis, vel cum aliquorum consilio, iuxta regulam.

XVI. *Noua professio in alia religione non requiritur.*

Deinde respondeo non debere eiectum cùm recipitur, nouam professionem emittere: cum enim suprà nu. 1. dictum sit, hos non liberari per eiectionem à vinculo professionis, & votorum solēnium, clarum est non indigere noua professione, sed solùm reuocationem prioris suspensionis, & actualis separationis à gremio religionis, ratione cuius erat quis impeditus ab actuali vsu obedientiæ, & ab actuali vnione cum tali corpore; postea verò restituitur ad talem vnionem actualem per solam mutationem voluntatum, & mutuum consensum in actualem vsum, (vt sic dicam) non in vinculum. Sicut in exemplo suprà posito in num. 9. de matrimonio, cùm illi, qui perpetuo diuortio erant seiuncti, per nouum voluntarium consensum iterum cōiunguntur, non contrahunt matrimonium, quia non est nouum vinculum, sed nouus vsus eius. Vnde non solùm non est necessaria noua professio, verùm nec propriè videtur possibilis, quia professio valida, & eadem omninò non est multiplicabilis in eadem persona, licèt ad maiorem deuotionem possit exteriùs renouari. Dixi autem *eadem omnino*, quia si in alia diuersa religione ille eiectus reciperetur, deberet in ea denuò profiteri, quia nunquam se illi tradidit, nec votum obedientiæ ibi fecit, & ita est professio quodammodo specie diuersa, eo modo, quo instituta distinctarum religionum moraliter diuersa sunt. Similiter si religio esset ex his monachalibus, in quibus vnusquisque in sua domo speciali profitetur, tunc eiectus ab vna domo, si in aliā eiusdem religionis reciperetur, deberet in illa profiteri, vt esset filius illius domus, nam hoc necessarium esset etiamsi eiectio non intercederet, sed immediatus transitus ab vna domo in aliam. Vt autem iterum recipiatur in eandem religionem absolutè, non indiget noua professione, sed externa acceptatione habentis potestatem, nam hoc ipso manet actualiter subiectus, sicut antea erat.

Quæ sit ad aliam fiat redim.

XVII. *An eiectus recipiendus gaudeat antiquitate præmissa.*

Interrogari autem potest vlterius circa hoc punctum, an recipiendus sit talis eiectus in eodem gradu antiquitatis professionis, quoad locum sedendi, ferendi suffragium, & alias prærogatiuas, ad quas professionis antiquitas necessaria est, iuxta varios vsus religionum. Quidam enim affirmant, alij partem negantem absolutè docent: mihi autem videtur neutrum esse simpliciter necessarium, sed arbitrio prudenti recipientium committendum esse. Regulariter autem loquendo, ille, qui eiici meruit, consequenter videtur amisisse ius ad suæ professionis gradum, & ideo meritò recipi posse in nouissimo loco. Item, ratione prioris delicti dignus est hac priuatione in pœnam, nam si dignus fuit eiectione, multò magis hac priuatione, & licèt ei, dum iterum recipitur, ex parte remittatur pœna, nihilominus non est necesse vt omninò remittatur, quoad hanc conditionem accidentalem. Sed licèt hoc regulare sit, nihilominus talis esse posset conditio personæ, tantaque pœnitentia & emendatio, vt censeatur dignus maiori remissione, & ideo iustè posit vel ad pristinum gradum, vel ad mediocrem alium recipi. Imò aliquando id expediet ad bonum religionis, vt alij eiecti ad pœnitentiam agendam animentur.

Indicium dubitatis.

Ad quid teneatur Religiosus expulsus, si in suam religionem non recipiatur.

XVIII. Tertiò verò quæritur, quid teneatur facere eiectus quoad statum suum si in sua religione non recipiatur, an scilicet teneatur aliam ingredi religionem, vel posit liberè in seculo manere. Nam Bonauent. d. q. 14. super regulam sentit, teneri aliam religionem ingredi, quod sequitur Cordub. dict. q. 21. in cap. 2. suæ regulæ, propè finem. Dicendum autem est primò, religiosum semel eiectum posse liberè aliam religionem ingredi, si velit, quod est manifestum, si prius diligentiam aliquam adhibuit, vt in sua religione reciperetur, nec potuit obtinere, vt à fortiori patebit ex dicendis: veruntamen absolutè id verum existimo, posse, scilicet, statim ac eiicitur, nulla alia expectata licentia, vel diligentia præmissa, aliam religionem ingredi, si strictior, vel saltem æqualis sit, quia tunc nec suæ religioni faciet iniuriam, cùm ipsa eum expulerit, nec statui religioso vt sic, cùm æqualem accipiat. De transitu verò ad laxiorem, dubitari potest, quia talis religiosus ex vi prioris professionis tenetur permanere, quantum in se est, in statu tantæ perfectionis: ergo donec per illum stat quominus in illo permaneat, non potest liberè ad laxiorem transire. Confirmatur. quia non potest liberè manere in seculo, quandiu ipse est in causa vt sit à religione eiectus, & ideo tenetur tollere impedimentum, & se ostendere paratum ad reditum, vt suprà à numer. 6. dixi. Ergo eadem ratione in eodem casu & cū eadem proportione minuere (vt sic dicam) statum perfectionis, quem professus est, donec per ipsum non stet, quominus in priori statu maneat. Tandem confirmatur, quia Innocentius IV. concesit Minoribus, vt refertur in lib. Monumenta Ordinis, concess. 162. vt semel eiecti possent liberè ad aliam religionem transire, exceptis militaribus: ergo signum est, hoc per se non esse licitum propria authoritate, saltem quantum ad religionem laxiorem. Alioqui non fuisset necessaria specialis concessio, nec debuissent excipi religiones militares, nam illæ veræ religiones sunt, esto sint laxiores. Et hæc pars mihi probatur.

Primum prænuntiatum in hoc tertio puncto, posse eiectum ingredi aliam religionem.

Non tamen laxiorem:

XIX. Non desunt tamen quibus videatur in eo casu posse Religiosum sic eiectum statim transire ad religionem laxiorem, si velit, quia in ea saluatur substantia status religiosi; ad modum autem, seu austeritatem eius, ille non se obligauit absolutè, sed solùm in ea religione quam professus est, ab illa autē iam est eiectus in perpetuum, vt supponitur: ergo eo ipso manet liber ab illo speciali vinculo. Sed hæc ratio solùm probat hoc licere post factam diligentiam, ita vt per religiosum non stet quominus in priori austeritate perseueret, nam ex sua culpa non debet commodum, & libertatem ab obligatione arctioris religionis comparare: ergo donec emendatus à culpa, ostendat se paratum ad illam obliga-

Aliorum placitum, & fundamentum.

tionem implendam, & per illum nō stet, non potest ei talis libertas concedi. Quamuis autem ex natura rei hoc ita esse videatur, ex dict. concessione Innocentij, id licebit cum limitationibus in ea positis. Quia ex dispensatione Pontificis licitum est ad laxiorem religionem transire; illa autem concessio continere videtur in hac parte generalem dispensationem, quæ potuit habere iustam causam ad euitanda maiora mala. Limitationes autē sunt; prima vt non fiat transitus ad religionem militarem, quoad milites arma portātes, nam quoad clericos, vel monachos, qui in eis religionibus spiritualem vitam profitentur, non videtur id prohibitum. Alia limitatio est, vt sic electi deferāt literas testimoniales Prouincialis, vel Generalis sui ordinis, & aliter recipi non possint absque licentia speciali Sedis Apostolicæ. Et quantum ex verbis concessionis colligitur, si hæc forma receptionis non seruetur, professio erit inualida, non minùs quàm si alius non electus reciperetur. Vltima limitatio est, quòd hæc concessio specialiter facta est Minoribus, & ideo solùm alij, qui cum illis in priuilegiis communicāt, illa vti poterunt.

XX. *Secundum pronunciatum, electi non obligari ad transitū illum.*

Secundò dicendum est, religiosum electum nunquam teneri ad aliam religionem transire, sed posse in seculo liberè manere, postquam iam emendatus repulsus est, licèt re sufficienter ostenderit paratum ad reditum. ita tenet Soto suprà, & à fortiori Nauarr. Syluest. & alij citati. Et probatur, quia ille sic professus non se obligauit alteri religioni, & per illum iam nō stat quominus in ea viuat, vt supponitur: ergo non tenetur alteram ingredi, quia in his, quæ ad consilia pertinent, nemo tenetur, nisi ad id, quod voto se obligauit. Sicut qui promisit ingredi determinatam religionem, si in ea non recipiatur, non tenetur aliam quærere, quia ad illam solā se obligauit: sed similiter per professionem in hac religione solùm illi, eiusque regulæ se obligauit: ergo si ab ea repellitur, non tenetur aliam quærere. Dices: esto ipse ex vi votorum non teneatur, posse à Prælato religionis cogi, & obligari, vt ad arctiorem religionem transeat, in pœnam delictorum. Respōdeo, etiam hoc modo non posse simpliciter obligari, vt docet Nauarr. consil. 77. de Regularib. quod ipse probat, quia postquam electus est, non est subditus: ergo non tenetur parere, quia extra territorium ius dicenti impunè non paretur. Sed contrà, quia potest religio non prius hunc eiicere, sed immediatè condemnare vt transeat ad religionem arctiorem. Item quia in pœnam delicti prius commissi, potest illum obligare, vt post electionem ieiunet, vel sit relegatus à tali ciuitate, sicut potest ad triremes condemnare. Ratio ergo est, quia nemo potest ad statum religiosum obligari (etiam in pœnam delicti) si illum non vouit: eadem ergo ratione nō potest cogi ad arctiorem religionem absolutè: poterit tamen sub conditione, vel disiunctione obligari, vt vel transeat ad aliam, vel maneat in perpetuo carcere, aut ad triremes eat, supposito delicto digno tali pœna.

XXI. Dices: Ergo saltem si prius ante professionem in ea religione factam vouisset absolutè religionem, teneretur postea electus ex vi prioris voti, repulsus à tali religione aliam quærere. Respōdetur, ita sentire Sotum, neque id esse directè contra nostram assertionem, in qua solùm consideramus obligationē per se, & ex vi professionis. Respondemus tamen secundò, negando consequentiam: probabilius enim nobis videtur, etiam in eo casu non obligari religiosum electum, & omninò repulsum, aliam religionem ingredi, ex duobus capitibus: vnum est, quia prius votum simplex, etiamsi de religione absolutè fuerit, iam satis fuit completum; & ideo ampliùs non obligat. Sicut qui bona fide ingressus est vnam religionem, vt probaret illam, & ante professionem licitè dimittit habitum, non tenetur aliam ingredi, quia impleuit votum, vt suprà dictū est: ergo à fortiori, &c. Aliud caput est, quia prius votum per priorem professionem prorsus fuit extinctum. Imò addo, licèt prius votum fuisset de particulari religione strictiori, ita vt ille peccauerit laxiorem ingrediendo, & in ea profitendo, nihilominus postea ab hac electus, iam non tenetur alteram, quam vouerat, vel aliam æqualem, aut inæqualem ingredi, quia votum illud simplex omninò extinctum fuit per talem professionem, vt definit Pontifex in c. *qui post votum.* de Regularib. in 6. & resoluit D. Thom. 2. 2. q. 188. art. 8. ad 3. & ibi Caiet. & à nobis est in superioribus declaratum.

CAPVT VI.

Ad quid obligetur Religiosus expulsus licitè & liberè in seculo permanens.

I Am verò de hoc religioso electo, & in seculo licitè permanente multa occurrunt, circa obligationem, honestumque modum viuendi eius, certum est enim in eo manere vincula professionis, & triū votorum, vt ostendimus, in vsu ergo illorum, & in actualibus obligationibus, quæ ex illis nasci possūt in tali statu, est tota huius rei difficultas. Quæ in voto castitatis nulla est, nam obseruantia eius non pendet ab aliquo prælato, nec ab speciali viuendi modo, & ideo vbique seruari potest & debet mirabiliter. Igitur de voto obedientiæ est dubitatio, cui tenetur ille religiosus actu obedire, quia videtur nemini teneri ex vi voti, sed solùm ex vi communium legum, aut præceptorum: Quod si ita est, ad nullum vsum obedientiæ religiosæ tenebitur, & consequenter nec ad vsum paupertatis, quia hic intelligi non potest sine ordine ad aliquem prælatum religiosum, quia votum paupertatis inuoluit ex parte materiæ ordinem ad aliquem prælatum, qui possit licentiam dare vtendi temporalibus bonis, vt suprà dictum est, & consequenter nec ad alia onera religionis omninò tenebitur: quæ omnia videntur incommoda, quia illa persona ex vi sui status semper manet obligata ad statum perfectionis: ergo necesse est vt ad aliquem vsum eius maneat obligata. I

De obligatione quoad votum obedientiæ.

Primò ergo circa obedientiæ votum est sententia Nauarri, religiosum sic electum teneri ad obediendum Episcopo non tantùm vt alij fideles, vel clerici tenentur ratione suæ iurisdictionis, sed specialiter ratione voti obedientiæ, atque adeo in his, quæ ad perfectionem aliquo modo pertinent, secundum modum illi rationi viuendi proportionatum. ita habet in Comment. 2. de Regularib. n. 33. & Cōment. 3. n. 46. Et inde refert teneri eiusmodi electū, ad se præsentandum Episcopo, & manifestandum se esse religiosum, & paratum ei obedientiam præstare. Vnde intelligitur ipsum loqui de speciali obedientia religiosa, & ex voto, nam si solùm teneretur obedire vt alij clerici, non oporteret se amplius manifestare, quàm clericum. Fundamentum eius est, quia nullus potest manere sine Superiore, c. *nulla.* 93. d. sed ille electus manet sine Superiore suæ religionis: ergo necesse est vt alteri subesse incipiat; nullus est autem nisi Episcopus, ab eius enim obedientia per professionem liberatus erat; ergo in illius obedientiam incidit cùm à iugo professionis per electionem liberatur. II

Contrariam sententiam indicat Soto lib. 7. de Iustit. quæst. 1. art. 1. dum ait, huiusmodi religiosum manere III

manere liberum à voto obedientiæ. Expressiùs id docuit noster Molina, tom. 1. de Iustit. disp. 140. vbi sententiam Nauarri dicit esse contra praxim Ecclesiæ, ideoque omninò improbabilem. Fundamentũ est, quia nemo tenetur ex voto obedire, nisi cui promisit; sed religiosus ille non promisit obedire Episcopo, sed prælatis suæ religionis: ergo si his obedire non potest, nec tenetur; quia ab eis electus est, non est vnde obligetur obedire Episcopo ex speciali voto, sed ab vsu talis voti liber manet, solumque manebit sub obedientia Episcopi sicut cæteri clerici, vel fideles. Confirmatur, nam hac ratione suprà dicebamus non teneri aliam religionem ingredi, quia illam non vouit: ergo similiter, &c. Atque hinc sequitur (iuxta hanc opinionem) non teneri religiosum hunc manifestare Episcopo quòd religiosus sit, quia satis est quòd ei obediat vt simplex clericus, ad quod necesse non est vt Episcopus sciat illum esse religiosum. Solùm ergo tenebitur esse paratus redire ad obedientiam religiosam, quoties reuocatus, & admissus fuerit, & hoc satis est vt vinculum voti obedientiæ maneat.

IV. Nihilominus opinio Nauarri contemnenda non est, nec minùs probabilis, sed absolutè probabilior debet reputari; quamuis in vsu adeo limitanda sit, vt non relinquatur magna diuersitas. Hæc posterior pars ex discursu eorum, quæ num. 10. dicemus, constabit. Prior autem suadetur, quia in primis eã significant graues Doctores, Panormit. in c. vnico de infantibus & languidis. in fine ait, religiosum legitimè electum esse sub potestate Episcopi. Idem sentit Innocent. in c. *cum olim.* 2. de priuileg. n. 3. quatenus dicit, hunc monachum electum acquirere Episcopo, à cuius iurisdictione non est absolutus: videtur enim loqui de iurisdictione religiosa, quia alia communis non sufficeret vt Episcopo acquireret. Hanc autem Innocentij opinionem videntur probare Doctores ibi communiter, vt affirmat, & sequitur Alexand. de Neap. in Addition. ad Panormit. suprà; tenet etiam Archidiacon. in c. *Abbates.* 16. quæst. 2. Specul. de stat. Monach. vers. 41. Fredericus de Sen. consil. 38. Sylvest. verb. *Apostasia.* quæst. 6. Præterea est hæc opinio per sese valde consentanea rationi: nam hic electus manet verus religiosus; ergo tenetur eo modo, quo commodè potuerit, seruare statum suum, & vitam religiosam, saltem quoad substantialia, sed hoc non potest nisi alicui specialiter obediat; nullus autem est alius, cui hæc obedientia magis præstari possit, & debeat, quàm Episcopo. Quod in hunc modum confirmatur, quia olim in Ecclesia, qui profitebantur statum religiosum priuatum, seu solitariũ, eo ipso subiiciebantur specialiter Episcopo, & omnes monachi erant illi specialiter subiecti, nisi eximerentur; sed iste religiosus postquam electus est, manet in statu religioso quasi solitario, seu particulari, priuatur etiã per electionem priuilegio exemptionis: ergo eo ipso reducitur ad ius antiquum, manetque Episcopo subiectus, nõ solùm communi modo, vt alij fideles, sed speciali titulo religiosorum.

V. Argumentum in contrarium expediri potest primò supponendo quod suprà diximus, votum obedientiæ religiosæ non tantùm fieri prælatis intrinsecis eiusdem religionis, sed etiam extrinsecis, vt ita loquamur, & ideo diximus nunc fieri à Religiosis exemptis ipsi Papæ, nam ille speciali modo est prælatus omnium religionum; à religiosis autem non exemptis fit etiam Episcopo, cui subiiciuntur tanquam Prælato superiori omnibus prælatis, seu Præfectis religionis, & consequenter etiam Papæ tanquam supremo. Si ergo religiosus electus sit non exemptus, clarum est manere sub obedientia Episcopi, ex vi sui voti, quia à principio illi tanquam prælato illam promiserunt, vt declaratũ est. In religioso autem exempto videtur id difficilius explicari. Dicendum autem est, quamuis in eo tempore, seu statu non promiserit obedientiam Episcopo, materialiter, vt sic dicam, promisisse tamen illam omnibus prælatis suis, & quia pro eo tempore Episcopus non erat proprius prælatus eius, ideo nõ obligabatur illi ex voto obedientiæ; tamen, quia post electionem incipit esse prælatus eius, ideo incipit etiam illi ex voto obligari. Confirmatur, & declaratur, quia prius votum factum est non solùm prælatis religionis, sed etiam Summo Pontifici, imò huic primò ac præcipuè, aliis autem vt gerentibus vicem eius: ergo etiam post electionem obligat votum ad obediendum Pontifici: ergo & gerenti vicem eius, qui tunc est Episcopus, nam per electionem perdit religiosus priuilegium exemptionis, & cõsequenter ex voluntate Pontificis, vel expressa, vel tacita, subiicitur Episcopo, quia non est verisimile, vt Pontifex, qui verè est prælatus & superior ordinarius talis Religiosi, relinquat illum liberum omninò, & sine vllo regimine. Sicut ergo ante exemptionẽ omnes religiosi erant sub obedientia Episcoporum, ita intelligendum est ad eandem redire, finito priuilegio exemptionis, vt per electionem finitur, & sub hac tacita conditione concedi. Declarari potest exẽplo Religiosi, qui ad seculare beneficium promotus est, nam eo ipso desinit esse sub obedientia prælatorum suæ religionis; & incipit esse sub obedientia Episcopi, sub quo habet beneficium, vt est communis sententia, quam ostendit Nauar. suprà ex glossa, Cardin. in Clement. 1. de statu Monach. verb. *Claustrum.* Ioan. Andr. Panormit. & alij, & textu ibi in c. vlt. de Capellis Monach. Panormit. c. *quod Dei timorem.* de statu Monach. n. 9. Sylvest. verbo *Religio.* 7. quæst. 11. Nec est verisimile illam obedientiam esse cõmunem tantùm, prout illam debent seculares clerici, sed accommodatã religioso statui, quia aliud esset prorsus inordinatum, & contra bonum animarum: ergo signum est eo ipso quòd Religiosus liberatur ab obedientia prælati exempti, incidere in obedientiã Episcopi: idem ergo est in casu electionis.

VI. *Altera eiusdem fundamenti enodatio.* Denique dicitur; præter votum obedientiæ, & directam obligationem ex illa ortam, Episcopũ ex vi sui muneris, & iurisdictionis habere potestatem regendi personam quamcunque religiosam nõ exemptam, modo conuenienti, & apto statui religioso. Nam, vt suprà dicebam, esto religiosus non voueat obedientiam Episcopo, eo ipso quòd religiosus est, & in foro Ecclesiæ in eo statu constitutus, pertinet ad Episcopum eum in illo statu gubernare, & conuenientia illi statui præcipere, & inconuenientia remouere: sicut persona clerici eo ipso quòd ordinatur, subiicitur specialiter Episcopo, nam persona religiosa, eo ipso est specialiter res sacra, & Ecclesiastica, vnde vel hoc solo titulo incipit esse sub speciali cura Prælatorum Ecclesiæ, & consequẽter, remota exemptione, pertinet ad specialem curam Episcopi, & ob eandem causam debet illi specialem obedientiam longè alio modo, quàm reliqui seculares laici, vel clerici, quia in ordine ad diuersum finem, & consequenter etiam in diuersis mediis, & rebus. Hoc ergo satis est, vt secluso etiam voto dicatur Religiosus electus esse sub speciali obedientia Episcopi, tenerique ad obediẽdum illi in rebus suo statui conuenientibus, si non ex voto, saltem ex pastorali potestate Episcopi tali statui proportionata: licèt ferè non fit tam ampla sicut addito obedientiæ voto. Vnde etiam consequenter fit, vt talis Religiosus teneatur se manifestare Episcopo, & sui status notitiam ei dare, vt ab eo possit gubernari. Qui enim ad aliquid agendum tenetur, consequenter obligatur ad ea, quæ necessaria sunt, vt illud fieri possit, argumento cap. 1. & c. *præterea.* de offic. deleg.

Cui Episcopo, habitationis ne, an originis, an fortè beneficii, teneatur electus se præsentare.

VII. Statim verò oritur secundum dubium, quod latè suprà tractat Nauarrus dict. Comment. 2. n. 34. cui Episcopo teneatur hic Religiosus se præsentare, & obedire, an Episcopo originis, vel domicilij, seu loci, in quo eiicitur, aut beneficii regularis, si quod habebat. Et respondet, subiici Episcopo originis, vnde vult eo ipso quòd eiicitur, incipere esse subiectus Episcopo originis, quantumuis ille distet, ideoque teneri adire, vel conuenire illum, eique obedientiam præstare, & sub eius dispositione viuere, aut, si velit ad alium Episcopatum transire, ab illo licentiam postulare, nec posse licitè suo arbitrio id facere. Fundamentum illius est, quia solus Episcopus originis est certus, & immutabilis. Nam licèt per beneficium, vel aliis modis alibi possit acquiri domicilium, & subiectio ad Episcopum, nunquam tamen aufertur domicilium originis, sed accumulatur aliud, reliqua verò mutabilia sunt, & facilè auferuntur. Confirmatur, quia aliàs religiosus electus, cùm primùm incipit esse extra religionē, maneret quasi sui iuris, vt liberè possit cui voluerit Episcopo se subdere, & præsentare, quod est contra statum eius.

VIII. Hæc verò sententia practicè pati potest plures difficultates, & non sufficienter fundatur, ideoque nō videtur sequenda, nec ipsi electi in has angustias redigendi sunt. Contingit enim sæpè Religiosum eiici in loco remotissimo à loco suæ originis; cur ergo cogetur statim peregrinari, & illum adire? Interdum etiam illud erit magnum incommodum non solū spirituale, sed etiam temporale, vel quia erit illi occasio liberè diuagandi per multum tempus, & varia loca, vel quia redire ad locum originis erit fortasse nociuum. Sæpè etiam erit molestissimum, vel propter honorem, vel propter ruborem, & verecundiā nimiam: cur ergo tam duram obligationem imponemus sine sufficienti fundamento? Nam quòd immutabilior sit origo, non refert: inde enim habetur ad summum, posse hunc electum, si velit, se subdere statim Episcopo originis, non verò quod illi necessariò subiiciendus sit, nam hoc præstant alij tituli domicilij, aut beneficij, vt possit quis alteri subdi, si velit. Et ita quoad alios actus iurisdictionis liberū est aliis personis se subdere Episcopo beneficij, aut domicilij, & non originis: vt, v. g. ad recipiendum ab eo literas dimissorias, & similia: ergo idem erit inpræsenti.

IX. *Iudicium authoris liberū esse electo subdi Episcopo originis, Sellecti Monasterii.*

Quocirca probabile mihi est, esse liberū huic religioso electo statim se præsentare Episcopo loci, in quo est monasterium, à quo eiicitur, & illi obedire; siue hoc sit ratione domicilij, quod sibi eligit, & incipit ibi habere, siue quia tunc est quasi peregrinus, & nullum habens domicilium, & ideo subiicitur pastoribus illius loci, in quo præsens est, & quasi peregrinari incipit. Nec tamen ad hoc ipsum censeo esse obligandum, quia, si velit, potest etiam adire Episcopum originis propter fundamentum Nauarri. Nec est inconueniens, quod Nauarri confirmatio aiebat, electo liberum esse inter hæc eligere, præsertim priusquam se præsentet, quia est veluti carēs determinato prælato, cui actu subiectus sit, ideoque aliquam spontaneam electionem in eo habere potest. Videri autē potest probabile inter hos duos Episcopos debere necessariò eligere, quia respectu aliorum nullum habet titulum subiectionis. Nam quòd habuerit domicilium sub alio Episcopo antequam ingressus esset religionē, non refert, quia iam omninò domicilium mutauit: & idem est, si antè beneficiū habuit, quod iam omninò reliquit, nulla enim inde manet subiectio. Sed licèt sit verū, nullam rationem subiectionis respectu aliorum Episcoporum, adhuc manet dubium, an pro suo arbitrio possit illam præbere, cui voluerit, quod pendet ex alia dubitatione, scilicet an postquam vni se præsentauit; & actu subiecit, teneatur perpetuò sub illo manere, ita vt sine illius licentia non possit mutare domicilium, de quo statim numero 16. dicam, & inde patebit alterius dubij resolutio. *Quid quando alterum iam elegit.*

Quomodo, & in quibus rebus debet electus obedire Episcopo.

X. Dubitari enim vlterius potest, quomodo, & in quibus rebus teneatur hic Religiosus electus obedire Episcopo, cui iam se præsentauit, & subiectus actu est, vt 2. parti assertionis satisfaciamus. Ratio autem dubitandi esse potest, quia ille solùm promisit obedire prælato secundùm talem regulam, sed electus iam non tenetur seruare regulam: ergo non tenetur obedire secundùm illam: ergo nulla in re tenetur obedire, quia quidquid extra regulam præcipitur, non cadit sub tale votum, vt suprà ostensum est. Quæ dubitatio supponit aliam simul hic necessariò tractandam; an teneatur Religiosus electus regulam seruare, quantum in illo statu potest: illa enim, quæ pendent ex actuali vita regulari, & communitatis, seruare non potest, & ideo clarum est ab illis excusari; vt est, v. g. assistere in choro, clausuram suo modo seruare, ita vt sine licentia prælati non possit claustrum exire, interesse Capitulo, & communem pœnitentiam suscipere, & similia; sunt verò alia multa, quæ possent extra claustrum seruari, à quibus non videtur exonerandus hic electus, cum possit ea seruare, ne commodum ex iniquitate sua reportare videatur. Huiusmodi sunt in primis priuatim recitare officium Canonicum, quæ videtur esse generalior obligatio consequens professionem; item ieiunia ordinis custodire, quæ videtur etiam grauissima obligatio, itē disciplinas, vel alias pœnitentias, quas regula præscribit, &, si quæ alia sunt eiusmodi. Eadem quæstio est de habitu, quem scilicet deferre teneatur, aut quem possit ei præcipere Episcopus, cui subiectus est. Tandem quęstio similis est de habitatione, & de aliquali modo clausuræ, ita vt ei præcipi possit ne tam facilè domo exeat, vel non solus, vel non sine alicuius facultate. Ac denique an possit illi prohiberi mutatio in alium locum, vel etiam, an possit ei præcipi. Nam ex vna parte videtur valde alienum ab statu religioso, vt possit suo arbitratu locum, vel domicilium mutare, vel etiam vt non possit à suo Superiore mutari. Ex alia verò parte non apparet quomodo possit ad aliquid horum præcepto cogi, cùm ea non promiserit, nec sint secūdùm regulam, quam promisit.

XI. In hac re incipiendo à secundo dubio, Soto li. 7. de Iustitia, quæst. 2. articul. 1. & circa, ad 3. pro certo habet, non teneri huiusmodi electum ad obseruationem regulæ, cùm ad nullum obedientiæ vsum obligetur. Idem Molina loco citato: Nauarrus etiam, licèt in puncto de obedientia Episcopi ab eis differat, in hoc tamen consentit, quòd non putet teneri ad regulam seruandam, tum circa loc-cis, tum etiam lib. 3. Consiliorum, consil. 79. Alij dixerunt, hunc teneri ad obseruanda substantialia regulæ, non verò ad accidentalia. Et hoc posterius communiter receptum est, vt ait Nauarrus supra. Primum verò videtur sensisse Fredericus de Senis, quem ibi citat conf. 8. Sed difficile est, aliqua substantialia in regula distinguere præter tria vota. Et ideo absolutè asserendum videtur cum communi, hunc

hunc non teneri ad regulæ obseruationem. ita tenet cum Soto suprà Nauarrus Comment. 3. de Regularib. num. 46. Et ratio est, quia ad regulam non obligatur quis nisi ex vi professionis, & quasi sub pacto, & conditione, vt permittatur viuere in tali statu, & communitate: nam ciuis in tantum obligatur legibus ciuitatis, in quantum in illa viuere permittitur; si autem ab illa eiiciatur ac relegetur, cessat obligatio. Item, quia obseruantia talis regulæ in tali vita communi, est suo modo facilis propter propositionem, quam habet cum tali modo viuendi, & auxilia, quæ in eo statu sunt ad illam obseruãtiam sustinendam, quod extra claustrum, & in seculari vita esset molestissimum religioso: ergo non intendit se obligare ad regulam, nisi ex suppositione talis status. Item ille non gaudet priuilegiis religionis, nec alitur bonis eius, & consequenter non exoneratur cura, & diligentia quærendi necessaria ad vitam: ergo non debet onerari cæremoniis, vel obseruantiis religiosis.

XII. *Euincitur assertum discurrendo per obligationes Regulæ, & reuocatur Dicastillo canonicorũ.*

Vt verò assertum hoc magis in particulari explicetur, dicendum est, hunc religiosum eiectum non teneri ad officium canonicum recitandum, si clericus in sacris non sit. ita Soto suprà: & probatur, quia vel teneretur ex voto, & hoc non, quia illud non expressè, & in specie vouit; vel ratione regulæ, & hoc non, quia non tenetur ad regulæ obseruationem, vt ostensum est; vel ratione Ecclesiastici præcepti, quod obliget omnes in religione professos, & hoc nullum extat, vt diximus lib. 4. de horis canon. c. 10. n. 7. vel ratione consuetudinis, & hæc solũ probari potest de religiosis suum statum profitẽtibus, ac retinentibus, & ad chorum per se obligatis, nam illi, qui chorum non profitentur, vel qui non sunt ad chorum deputati, nec talem habent consuetudinem, nec ad hoc obligantur ex sententia omniũ; multò autem minùs potest ostendi consuetudo in his eiectis; nec consuetudo, quæ est intra religionẽ, potest obligare ad illam extra religionem seruandam, tum quia non est maior ratio de consuetudine, quàm de regula; regulam autem nõ tenetur seruare, ergo nec cõsuetudinem: tum etiam, quia modus viuendi longè diuersus est, & consuetudo respicit illum specialem vitæ modum: tum etiam quia extra religionem deficit fundamentum illius consuetudinis, quod est obligatio ad chorum ex vi regulæ, & fortasse sustentationis ex eleemosynis aut Ecclesiasticis bonis, vt aliqui volunt: eiectus enim iam non alitur ex bonis religionis, sed oportet vt quærat vnde alatur: durum ergo est illum obligare: nam habens titulum beneficij sine sacris ordinibus, si omnino fructibus eius gaudere non potest, non obligatur pro tunc ad recitandum: ergo similiter, &c. Vel tandem tenetur ille præcisè ratione professionis, & hoc non, quia, vt tract. 4. suprà citato, & tract. 8. cum Caietano, Ioanne de Medina, & aliis diximus, professio per se non affert secum obligationem officij canonici, sed media consuetudine orta ex prædictis capitibus. Et hac ratione professi laici non tenentur ad officium canonicum, quia nõ sunt ad chorum deputati. Vnde omnes dicunt, si monachus professus, & constitutus in gradu eorũ, qui ordinandi sunt, & chorum profitentur, arbitrio Superioris mutetur ab illo gradu ad gradum fratrũ laicorum, iam non teneri ad officium recitandum: maior autem mutatio fit in religioso per eiectionẽ, magisque separatur à choro (vt sic dicam) potestque perpetuò manere licitè in statu laicorum, extra coniugium: ergo multo magis deobligatur ab illo officio.

XIII. *Nauarra pro. sitio dicta refellitur*

Contra hanc verò partem opinatus est Nauarrus in Enchirid. de Orat. cap. 7. num. 20. tum quia culpa non debet ei patrocinari, nec libertatem conferre, tum etiam quia semper manet religiosus, & ad suũ monasterium aliquo modo reuerti potest, si velit. Hanc opinionem sequitur Emmanuel Roder. tom. 1. quæst. regular. quæst. 30. art. 19. quia non sunt hi exonerandi, nisi in his, quæ in seculo commodè seruare non possunt, cùm sua culpa extra religionem sint; sed possunt commodè canonicum officium dicere: ergo. Sed hæc non cogunt, quia prius quærendum est fundamentum obligationis, quàm quæratur ratio excusationis. Hìc ergo non ideo hos excusamus, quia commodè seruare non possunt hanc obligationem, sed quia in eis deest obligationis fundamentum, quod non est nuda professio, vt dictum est, sed professio, cum actuali deputatione ad chorum, & consuetudine in illa fundata, per eiectionem autem, licèt non tollatur professio, tollitur actualis deputatio ad chorum, & mutatur quodammodo status, in quo illa obligatio fundatur. Nec refert quòd sua culpa eiectus sit, quia illa fuit causa remota, ad cuius pœnam per accidens secutum est, vt tolleretur fundamentum huius obligationis. Vt si intra religionem ipsam aliquis propter delicta transferretur à statu monachorũ chori, ad gradum laicorum, consequenter tolleretur illa obligatio; & de obligatione ad seruandam totam regulam idem dicendum est. Nec illud reputatur commodum, quia plus habet incommodi, & pœnæ, licèt suppositio tali malo pœnæ, aliquod onus auferat. Vnde quoad hoc non est eadem ratio de fugitiuo, nam ille re vera non mutauit statũ, & gradum in suo ordine, & ideo cum eadem obligatione manet.

can sententia refutatur

Tertiò quod ad habitum pertinet, certum est hunc religiosum nõ teneri, imò nec posse habitum suæ religionis deferre, quia iustè illo priuatus est, & quia est depositus, & quasi degradatus à monachatu, & ideo ei non permittitur habitus religionis. Item, illud cederet in magnam iniuriam, & infamiã talis religionis. Denique habitus ille, iuxta communem impositionem, & conceptionem significat actualem vnionem cum tali religione, & vitam sub obedientia eius: quæ significatio in tali persona falsa est. Atque ita sentit Nauarrus citatis locis, præsertim Comment. 3. de Regularib. vbi significat, teneri hunc religiosum eiectum ad deferendũ habitum clericalem; existimo tamen ex vi professionis ad hoc non teneri: nam, si sit clericus, ratione ordinum tenebitur, quantum gradus ordinis postulauerit: si autem clericus non sit, existimo posse manere in habitu laicorum, quia potest in eorum statu perpetuò manere sine animo suscipiendi ordines: cur ergo obligabitur clericalem habitũ deferre? Item, si eiectus sit ex religiosis laicis, certum videtur non cogi ad habitum clericalem: ergo idem est, licèt esset ex deputatis ad chorum, si nondum erat ordinatus, quia sine culpa potest animum mutare, & cœlibatum in statu laicorum seruare. Quare nec per obedientiam Episcopi existimo posse cogi ad talem habitum deferendum, quia hoc directè non vouit, nec etiam vouit obedire in omnibus sine discrimine, etiamsi per se non pertineant ad statum religiosum, habitus autem clericalis per se non pertinet. Solùm ergo potest obligari vt honestum habitum deferat, consentaneum ei, qui castitatem, imò etiam statum perfectionis profitetur; in particulari autem prudenti arbitrio hoc relinquendum est. Vt, si persona eiecta, esset monialis professa, cogi posset ad habitum honestum, virginibus accommodatum, deferendum, non verò ad aliquem specialem modum, vel figuram propriam aliquam, vt est in viris habitus clericalis.

XIV. *De gestatione habitus.*

Quartò, idem cum proportione dicendum est de loco, & habitatione huius eiecti. Fuit enim opinio Frederici de Senis, posse ab Episcopo obligari, vt in ali-

XV. *De habitatione modo.*

in aliquo loco solitario viuat, vt ibi seruet substantialia religionis. Sed hoc meritò refellit Nauarrus dict.cõsil.79.quia nullo iure, nec ratione fundatur, ille enim electus nec solitariam vitã vouit, nec etiã promisit obedire in huiusmodi rebus, nec ille modus viuendi est secundùm regulam, secundùm quã obedire promisit: nec etiam est illud medium necessarium ad seruandam castitatem,vel paupertatẽ quam vouit. Quocirca solùm poterit ab Episcopo obligari,vt in loco honesto viuat, vbi sine periculo morali castitatis violandæ conseruari possit.

XVI. Maior enim dubitatio est suprà tacta in fine n. 9. an possit hic religiosus obligari ad viuendum in eodem loco semper,vel sub obedientia eiusdem Episcopi,vel possit liberè,& pro arbitrio suo mutare solum, vel intra eandem diœcesim, vel ad aliam transeundo,in reliquis parendo Episcopo, sub quo fuerit iuxta mensuram suæ obligationis. Nauarrus dict.Comment.2.n.34. sentit, non posse mutari suo arbitrio, cùm sit religiosus, & consequenter velle, aut nolle non habeat,cap.*quorundam*. cap.*si religiosus*. de elect.in 6. ideoque teneri ibi habitare, vbi Episcopus præscripserit,& postquam vni Episcopo subiectus est,non poterit sine licentia eius mutare domicilium. Quæ sententia etsi tutissima videatur, non video, tamen quomodo fundari possit sufficienter.Quia ille non vouit clausuram nisi religiosam,& cœnobiticam, seu conuentualem, vt sic dicam:seu,quod perinde est, non vouit obedire quoad habitationem nisi secundùm regulam;habitatio autem secundùm regulam supponit permanentiã in religione, eiusque cõmuni vita: ergo ablato hoc fundamento non manet obligatio obediendi in ea materia.Et confirmatur, quia alias durior, & strictior esset quoad hanc partem obligatio religiosi electi, quàm erat in sua religione, quia tenetur semper manere sub obedientia eiusdem Episcopi, si ipse velit,& in loco ab eo designato,quod iugum durissimum est. Quare non censeo esse imponendum sine maiori fundamento obligationis. Nam obligatio obediendi non est absolutè in omnibus, sed secundùm regulam,vt suprà declaratum est,& cum eadem limitatione intelligitur religiosus non habere velle,aut nolle, scilicet, in his, quæ secundùm regulam præcipiuntur: in his autem quæ sunt extra, vel supra regulam, potest habere aliquam libertatem. Et ita in præsenti existimo posse mutare domicilium sine licentia obtenta à suo Episcopo vel intra eandem diœcesim, vel ad aliam migrando. Et consequenter censeo in dubitatione suprà posita in num.9.etiam à principio cùm efficitur,esse in suo arbitrio eligere Episcopatũ,in quo viuat, & Episcopum,cui se subiiciat,quãdiu ibi vixerit: quia nullum video votum, vel præceptum quod ad aliud cogat.

XVII. *De actibus pœnitentiæ orationis,& misericordiæ*

Quintò censeo idem esse dicendum de specialibus actibus,seu exercitiis virtutum,vt sunt ieiunia, disciplinæ,aut aliæ corporis afflictiones, orationes vocales,aut mentales,aut opera misericordiæ corporalis, vel spiritualis circa proximos: existimo enim posse obligari per specialem obedientiam Episcopi,nisi quatenus ad castitatis obseruationem iudicauerit esse necessarium. Probatur,quia ex vi regulæ pro eo statu non tenetur ad talia opera, vt ostensum est,sed ex vi voti obedientiæ solùm potest ad illa obligari, quatenus sunt secundùm regulam, id est, quatenus regula ipsa ad ea obligat:ergo. Itẽ, quia aliàs posset obligari ab Episcopo ad hæc opera pro arbitratu Episcopi,sine vllo respectu ad regulã, quod repugnat:aliàs potestas Episcopi ad præcipiẽdum ex vi voti obedientiæ maior esset, quàm fuisset in prælatis religionis,quod dici non potest, cum sit quasi subrogata loco illius. Sequela verò patet, quia respectu electi regula perinde se habet ac si nõ esset,quia (vt sic dicam) non est pro illo posita, sed pro religiosis,& obligatione,& vsu. Addidi verò limitationem de necessitate talium operum ad obseruationem castitatis,quia existimo, vnam ex potissimis materiis voti obedientiæ esse, ea, quæ pertinent ad obseruationem aliorum duorum votorum,& ob eã causam potissimùm requiri hoc votum in omni statu religioso,etiam priuato,vt suprà tetigi,& infrà latius dicam. Vnde,quia votum castitatis in tota sua vi, & vsu integrum manet, licèt aliæ regulæ,& obligationes cessent;hæc semper durat,& consequenter secundũ illam potest per obedientiam iniungi quidquid specialiter ac prudenter iudicatum fuerit necessarium. Huius autem rei iudicium apud prælatum esse debet, vt per se constat.Nec expectanda est extrema necessitas,aut euidens periculum: Sed satis est quòd tale medium iudicetur valdè conueniens ad præcauendum periculum,vel ad quandam maiorem securitatem, qualis in omni statu religioso procuranda est.

XVIII. *De iubilæo non tollendo.*

Sextò,& vltimò concludo, hunc religiosum non teneri obedire Episcopo, nisi in tribus materiis.Primò in his rebus,quæ secundùm generale arbitrium prudentiæ pertinuerint ad decentiam status religiosi,prout in illo modo viuendi durat,in honestate,ac decentia habitus, occupationis, seu negotiationis,conuersationis,& similia.Secũdò in his,quæ pertinent ad castitatem religiosam. Tertiò in his, quæ ad vsum paupertatis necessaria sunt. Hæc probantur in primis, quia nulla probabilior ratio huius obedientiæ,& subordinationis assignari potest. Quia non debet hęc obedientia esse sine aliqua mẽsura, cùm hoc sit vltra ordinariam mensuram status religiosi: illa autem mensura non est prior regula,quia ad illam non tenetur,nec alia,quia illam professus non est:ergo nõ potest alia excogitari,nisi quæ ex ipsis votis,& decentia status sumitur. Confirmatur, quia in illis tribus reperitur ratio clara: nam in primis votum obedientiæ vix potest ad vsum reduci sine subordinatione obedientiæ ad aliquam personam in materia eiusdem voti, vt ex superioribus constat. Deinde obedientia religiosa ex generali ratione sua ordinatur ad debitam institutionem, & aliquam disciplinam pro illo statu, & maximè ad obseruantiam castitatis: ergo si manet in hoc religioso obedientia ad Episcopum,maximè propter illa tria capita manet; præter illa verò nullum aliud potest cum fundamẽto addi: ergo. Et per hæc satisfactum est omnibus interrogationibus in præcedenti dubio propositis.

De obligatione quoad votum paupertatis.

XIX. Dixi à n.10.de voto obedientiæ,superest dicendũ de effectibus, & obligationibus, quas votum paupertatis habere potest in huiusmodi religioso electo. Et in primis quæri solet, cui acquirat ea, quæ quacunque via recipit,vel lucratur: certũ est enim non acquirere sibi taliũ rerum dominium, quia nõ est capax eius:cui ergo acquirit? Est autem quæstio quando iustè,& per definitiuam sententiam in perpetuum electus est,nam si temerè, & iniustè sit electus;adhuc acquirit monasterio secundùm omnes, quia temeritas, aut iniustitia particularis prælati non potest nocere monasterio: vt notauit Panorm. in cap.*sicut nobis*. de Regularib.n.6.& in cap. vnic. de infantibus,& langui. expos. Archidiaconus cap.*dilectus*. 18. quæst. 2. ex Regula *delictum*. de Regul. iur. in 6. in quibus auctoribus, & aliis citandis, aduertendum est,promiscuè tractare hoc punctum, de electis fugitiuis, vel translatis; sed nos figillatim de his agimus,& ideo confundendæ non sunt difficultates,nam sunt valdè diuersę:hic enim solùm de iustè electis agimus, & maximè de perpetuò electis: nam

nam si non sit perpetuò expulsus, sed ad tempus, monasterio acquirat, quia licèt pro eo tempore, quo extra illud viuere compellitur, possit vsus rerum ad suam sustentationem retinere: tamen non potest eas in alios vsus distrahere, cùm re vera sit subditus religionis, & finito tempore, tenetur cum suis omnibus rebus ad religionem redire. Imò etiam existimo, quòd licèt iustè & omnino electus sit, quandiu non emendatur, nec procurat redire, sed per eum stat, quo minus recipiatur; pro tunc acquirere monasterio, saltem quoad hunc effectum, vt si monasterium velit illum reuocare, teneatur omnia secum deferre, & monasterio tradere; nec possit ea in alium vsum distrahere: quod à fortiori patebit ex dicendis.

XX. *Electus in perpetuum non acquirit monasterio.*

Difficultas verò est, postquam iam est omnino electus, sine spe redeundi, etiamsi per ipsum non stet. In quo casu ferè omnes Doctores conueniunt, hunc electum non acquirere monasterio, à quo eiectus est, quia iam non habetur vt membrum eius. Item, quia videtur renunciasse iuri suo, vel potiùs necessariò amisisse illud, ita expellendo personam, quia abdicat à se dominium eius quantum potest. Dici inprimis posset, nulli acquirere, quia non monasterio, eo quòd ab illo absolutus sit, nec alteri, quia nullius alterius est: ergo nulli. Vnde fiet, vt contractus ab illo facti nihil valeant, sed solùm accipiat vsum rerum. Hanc opinionem refert Innocentius cap. *cum olim*. 2. de Priuileg. num. 2. Non est tamen verisimilis, præsertim quoad vltimam partem: nam si ille dono accipit aliquid ab eo, qui potest donare, & cum alijs conditionibus requisitis ad valorem donationis quantum est ex parte donantis, re vera tenebit donatio, saltem quoad hoc, vt à donante reuocari non possit. ergo abdicauit se dominio rei donatæ. idemque argumentum fieri potest de vendi: ione, emptione, & similibus. Vnde etiam fit, vt talium rerum dominium alicui acquiri debeat, quia non manent sine domino, & quasi pro derelicto, vt magis ex dicendis patebit. Alij ergo dixerunt, illum acquirere Episcopo, quia sub eius obedientia viuit. ita Innocentius suprà, quem videtur sequi Panormit. locis citatis, & cap. vlt. de Regul. Antonin. 3. p. tit. 16. c. 5. §. 4. Angel. verb. *Monasterium*, num. 6. Tabiena verb. *Religio*. num. 27. Veruntamen hæc opinio non satis explicat, quis sit proprius dominus illorum bonorum, certum enim est Episcopum non esse dominum illorum, cur enim? ad summum ergo esse potest dispensator, tanquam Prælatus, cuius facultate distribuenda, seu applicanda sunt. dominus autem esse non potest, quia nullum titulum dominij habet. Et ideo Nauarr. dict. Commen. 2. de Regularib. num. 33. dixit, hunc electum acquirere Deo, administrationem eius pertinere ad Episcopum: & ita exponit auctores proximè citatos. Ipse autem fundatur in suo generali principio, quòd omnia Ecclesiastica bona sunt immediatè sub solo dominio Dei; de quo aliàs: nobis enim necessarium videtur semper addere aliquod dominium humanum, seu quòd ad aliquem hominem, vel hominum communitatem pertineant circa talia bona.

Imò nemini acquirere, quidam censent.

Aliorum placitum, quòd acquirat Episcopo.

Nauarri placitum quòd acquirat Deo.

XXI. *Relatio quando religiosi transfertur ad aliquam Ecclesiam secularem, vel secularem.*

Dico ergo, hunc electum considerari posse vel solùm ac præcisè ratione electionis, vel ratione translationis ad aliam Ecclesiam regularem, per professionem in illa; vel secularem, per beneficium: ratione translationis certum est acquirere Ecclesiæ, vel monasterio, ad quod translatus est, cap. 1. 18. quæst. 1. cap. *Si quis tranſlatus*. 21. quæst. 2. & infrà c. 13. latius dicetur de translatione ad monasterium. Translatio autem ad Ecclesiam secularem fieri potest, vel per beneficium in illa susceptum, & tunc etiam est res clara, & infrà cap. 19. tractanda: vel fieri potest solùm per habitationem, & domicilium, ac obedientiam iam præstitam Episcopo illius loci, absque vllo beneficio, sed viuendo ex eleemosynis: vel alijs suorum operum fructibus, vel stipendijs, (non est enim dubium, quin vtroque modo liceat tali religioso viuere, cùm neutrum sit prohibitum, nec per se malum, nec ab statu religioso alienum, aut indecens, vt in superioribus generatim tractatum est, & in particulari tractat Nauarrus dict. Comment. 2. num. 37.) Igitur de religioso hoc tantummodo translato ad Ecclesiam secularem etiam censeo veram esse communem sententiam, scilicet, acquirere illi Ecclesiæ, ad quam specialiter translatus est, id est, bona illius pertinere ad bona communia illius Ecclesiæ, cum onere alendi illum, & cum potestate vtendi bonis illis, quæ acquirit, de licentia Episcopi, quæ debet esse iusta, & in pios vsus, non extraneos, nec alienos ab illa Ecclesia, quanuis ex rationabili causa, & pia possint etiam alij Ecclesiæ applicari. Ratio est, quia per hanc qualemcunque translationem acquiritur ius illi Ecclesiæ, quia illa quodammodo suscipit onus alendi talem religiosum; & Episcopus acquirit etiam ius distribuendi, & dispensandi talia bona: ac denique, quia iura canonica ita disponere videntur satis rationabiliter. Quocirca si contingat, hunc religiosum reuocari ad monasterium, non habet monasterium ius repetendi bona illo tempore acquisita, imò nec religiosus voluntariè illa deferre poterit, sine consensu Episcopi, cui iam fuit ius acquisitum, quoad dispensationem eorum. Et eadem ratione, si talis religiosus se transferat ab vna Ecclesia in aliam, prout diximus facere posse, non poterit secum deferre bona acquisita ibi sine licentia Episcopi, propter eandem rationem, sed solùm ea, quæ suo actuali vsui sunt moraliter necessaria.

XXII. *Quid quando simpliciter efficitur sine tali aliqua translatione.*

At verò si hic eiectus nunquam propriè transfertur ad aliam Ecclesiam, quia nec beneficium in aliqua recipit, nec sub speciali obedientia alicuius Episcopi viuit, nec tanquam religiosus se gerit (siue hoc malè, siue licitè faciat) semper videtur mihi acquirere suæ religioni, illamque habere ius ad reuocandam personam, & cum ea omnia, quæ acquisiuit: &, si illa in tali statu moriatur, credo posse recuperare bona si quæ reliquit. Ratio est, quia per solam eiectionem nulli alteri Ecclesiæ, nec certo aut determinato Episcopo acquisitum est ius ad talia bona, quia nullius Ecclesiæ ille est speciale membrum effectus, neque in vlla viuit, aut alitur vt religiosus, sed vt alij clerici, vel seculares. Vnde in eo casu existimo habere locum, quod dixit Syluester verb. *Apostata*. quæst. 9. ius disponendi de bonis acquisitis à tali religioso pertinere ad supremum Prælatum religionis, à qua eiectus est. Ipse tamen in hoc distinguit inter religiosos exemptos, & non exemptos: quod mihi non probatur. Nam si religiosus eiectus, est translatus, etiamsi exemptus sit, subijcitur Episcopo, & procedunt, quæ diximus: quia per eiectionem totalem amittit ius exemptionis, quia desiit gaudere priuilegijs suæ religionis, & ipsa etiam religio amittit hoc ius respectu talis personæ, quia, quantum potest, illam à se præscindit, & ita relinquit illam sub obedientia Episcopi, saltem quandiu illam ad se non reuocat: quod idem est in religioso non exempto, in eodem casu, in quo fit omnino translatus ad Ecclesiam secularem, seu potestatem Episcopi, tanquam proximi superioris sui. Si autem translatio facta non est, tunc de non exempto verè dicitur manere sub obedientia Prælati suæ religionis, saltem supremi, vel superioris illi, à quo eiectus est; & consequenter verum est, illum acquirere suæ religioni, licèt fortasse non acquirat suo monasterio, à quo eiectus est, sed applicatio sit in potestate

Prælati superioris: tamen idem est proportionaliter de non exempto: nam licèt ille maneat subiectus Episcopo, id est, quia ipse Episcopus est veluti superior Prælatus talis religionis.

CAPVT VII.

Virum liceat Religioso professo extra monasterium viuere retento, vel mutato habitu, de licentia Prælati, & ad quid tunc teneatur.

I. DIximus de vitiosa, vt sic dicam, & pœnali mutatione Religiosi status: Sequitur dicendum de mutationibus, quæ per se ac licitè fieri possunt, quarum minima esse videtur, quæ fit per solam separationem, seu habitationem, sine assumptione alterius status, vel officij, quod per se postulat talem mutationem. De hac igitur separatione religionis, primò certum est non esse licitam sine legitima facultate, alicuius Prælati, qui possit illam concedere. Hoc satis constat ex dictis in c. 1. & sequia sine tali licentia committeretur peccatum apostasiæ, vt ibi probatum fuit.

Non licere sic viuere absque licentia.

II. Secundò est certum ex legitima facultate posse hoc licitè fieri. Probatur, quia non est hoc intrinsecè malum, neque etiam est contra votum, quia paupertas, castitas, & obedientia exrra clausttrum possunt seruari. De castitate id supponimus, vt in Clericis secularibus, & c. De paupertate infra id declarabimus. De obedientia verò constat, quia per eandem legitimam facultatẽ seruatur debita subordinatio obedientiæ ad Prælatum; nam semper talis Religiosus pendet à Prælati voluntate quoad locum habitationis suæ. Religiosus autem de se ibi habet clausttrum, & monasterium, vbi per voluntatem Superioris habitauerit. Denique hoc satis constat ex vsu Ecclesiæ, quem antiquissimum etiam esse ex dicendis constabit.

De licentia vero licere.

III. Dubium verò imprimis est, quis possit hanc facultatem concedere? & quidem de Summo Pontifice constat posse, quia est supremus Prælatus, & in eo est suprema potestas; Dubium ergo est de Prælato ipsius Religionis, quod potest tractari, vel secundùm ius commune, vel secundum priuilegia, ac specialia iura Religionum. Priori modo dicendum est habere Prælatum hanc potestatem. ita sentit Nauarr. Comment. 2. de Regularibus n. 16. & 40. & Comment. 4. n. 14. & sequentibus. Et probatur, primò, quia iure communi potestas supra Religiosum est penes Prælatum, c. *nullam* 18. q. 2. Secundò, quia iure communi potest quis profiteri aliquam regulam alicuius Religionis manens in domo sua de licentia Prælati, & ad nutum eius, cap. *insinuante*. qui Clerici vel vouentes; quod antiquum ius nullo posteriori reuocatum est, nec potestas Prælatorum limitata; ergo integrum manet. Tertiò, quia licentia non est dispensatio in aliquo voto, sed ad summum in regula; sed Prælatus potest dispensare in regula; ergo potest illam licentiam concedere.

Dictam licentiam potest Papa concedere.

Potest etiam Prælatus regularis ex vi iuris communi.

IV. Sed obijci potest, primùm, quia Prælatus non potest dispensare in iure communi; sed communi iure videtur prohibitum Monacho viuere extra clausttrum; ergo. Minor colligitur ex c. *placuit* 2. 16. q. 1. vbi dicitur, *Placuit communi nostro Concilio, vt nullus Monachorum pro lucro terreno de monasterio exire nefandissimo ausu præsumat*, & infrà. *Sit clausttro contentus, quia sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine monasterio Monachus.* Idem sumitur ex c. *Monachi* 2. Ex quibus sumi potest secunda ratio, quia Prælatus non potest dispensare in his, quæ sunt vel substantialia statui religioso, vel adeò propinqua, & necessaria, vt sine illis vix possint substantialia conseruari; sed ita se habet vita clausttri respectu status Religiosi, vt ex dictis iuribus constat. Licèt enim status religiosus in communi possit esse in vita solitaria, vel in priuata domo, nihilominus specialis status vitæ Cœnobiticæ, & regularis, non potest extra clausttrum retineri, quia non potest ibi regula & communitas obseruari. Tertiò non potest Prælatus eximere aliquem ab obedientia sua, sed extra clausttrum viuens manet ab obedientia exemptus; ergo non potest hoc illi concedere. Quartò est similis difficultas de voto paupertatis, quia extra clausttrum viuens necesse est vt habeat bona, & reditus vnde viuat, & vt de bonis, quæ habet, liberè possit disponere, quod videtur repugnare voto paupertatis, & obseruantiæ eius, quam præscribit Concilium Trident. sess. 25. c. 2. de regular.

V. Ad primum dicitur imprimis posse Prælatum regularem dispensare cum subditis, in his, quæ sunt iuris communis, vt in superioribus visum est. Deinde dicitur nullam esse talem prohibitionem absolutam ex vi solius iuris communis; nam in dicto c. *placuit* solùm prohibetur ne Monachus præsumat exire nefandissimo ausu, &c. Qui autem egreditur cum licentia Prælati, non egreditur nefandissimo ausu, & in c. *Monachi* additur, *Nisi cum Abbatis imperio*; ergo potiùs supponitur Abbatem posse dare hanc facultatem. Magis absolutè videtur id præcipi in c. *qui vero* eadem causa, & quæstione, quod est Concilij Chalcedonensis can. 4. Et iuxta illud ait Alex. II. in capite *iuxta*. ibidem, *iuxta Chalcedonensis sancti Concilii tenorem Monachis, quamuis Religiosis ad normam Sancti Benedicti intra clausttrum morari præcipimus, vicos, castella, ciuitates peregrare prohibemus.* Tamen in priori canone Concilij Chalcedonensis expresè additur, nisi fortè iubeantur propter vrgentes necessitates ab ipsius ciuitatis Episcopo. Erant enim tunc Monachi illi subiecti. Vnde nunc in exemptis illa potestas translata est ad Prælatũ, & iuxta eandem limitationem præceptum Alexandri intelligendum est, cùm ad aliud referatur. Et c. 2. ne Clerici vel Monachi in 6. fumitur optimum argumentum ab speciali. Nam ibi præcipitur, vt nullus Religiosus se conferat ad studia literarum, vt scilicet ea occasione extra clausttrum viuat, nisi de licentia Prælati, & ibi specialiter postulatur, vt illa non detur sine consensu maioris partis Capituli, quæ conditio ibi specialis est, & ideo si licentia detur ad alios fines, neque illud Concilium necessarium est; est ergo potestas apud solum Prælatum ex vi communis iuris.

VI. Ad secundum respondetur, probare quidem argumentum facultatem hanc, sine grauissima, & ferè necessaria causa dari non debere, nõ tamen simpliciter non posse dari, quia habitatio in clausttro multum sine dubio confert ad vitam religiosam, & ad cauenda pericula, & ad seruandam conformitatem, & perfectam vnionem cum toto corpore, & ad externorum etiam, & secularium exemplum, & ædificationem: nam sine dubio hæc separatio Religiosi à suo choro, & priuatus viuendi modus ex suo genere non confert populo ædificationem, nisi gratuibus & manifestis causis honestetur. Absolutè tamen non est res simpliciter necessaria ad honestum viuendi modum etiam supposito statu religioso, quia non est de substantia eius, nam extra clausttrum possunt seruari tria substantialia vota, & vita etiam regularis quoad præcipuas eius obseruantias. Nam qui extra clausttrum viuere permittitur, non eo ipso absoluitur ab omnibus oneribus, & obligationibus religiosæ regulæ, cur enim? aut quæ est ratio talis consequutionis? nullo ergo modo admittenda est talis extensio, nisi in indulto exprimatur, & fiat quasi specialis dispensatio. Quæ multo quidem difficilior est, & vix potest habere causam

ſam iuſtam, præſertim ſi generaliter fiat. nam in aliquibus ſpecialibus regulis poſſet aliquando tolerari. Secluſa autem huiuſmodi diſpenſatione tenetur huiuſmodi Religioſus ibi ſeruare totam ſuam regulam, pro loci & temporis opportunitate, præſertim quoad actiones, quæ priuatim, & ſolitariè fieri poſſunt, vt ſunt ieiunia, & alij modi auſteritatis ac pœnitentiæ, orationes, & ſimilia, quia nulla eſt ratio excuſationis per ſe loquendo, cùm ſine conſortio aliorum fieri poſsit, & regula ſimpliciter, & ſine loci determinatione loquatur. Quòd ſi aliquæ regulæ determinatè reſpiciunt clauſtrum, vel communitatem, licèt non dentur executioni, non fit earum tranſgreſsio, ſed quaſi ſuſpenditur earum obligatio, quia pro tali loco, & tempore deeſt occaſio, & facultas exequendi huiuſmodi regulas. Et quod caput eſt, formaliter in eo ſeruari poteſt omnis regula, quòd ſemper fieri poteſt aliquid ex obedientia, vel quod cenſetur eſſe voluntati ſuperioris conſentaneum. Vnde etiam ſeruatur vita communis, & Cœnobitica, quia ſeruatur vnio cum toto corpore ſub obedientia eiuſdem Prælati, & quia eſt ſemper quis paratus redire ad monaſterium, quando iuſſus fuerit, vt in tertia obiectione dicitur.

VII. *Prælatus peccat grauiter dando ſine cauſa licentiam habitandi extra clauſtrum.* Sed quid ſi talis licentia ſine cauſa legitima detur? Reſpondeo inprimis grauiter peccare Prælatum eam concedentem, quia omnis diſpenſatio in lege iuſta ſine cauſa data, iniqua eſt ex parte dantis. Dices, hoc eſſe verum quando lex obligat ad peccatum mortale, & continet abſolutam prohibitionem; regula autem, quæ obligat Religioſum ad habitandum in clauſtro, vel non obligat de ſe ſub peccato mortali, vel ſaltem non continet abſolutam prohibitionem contrariam, ſed ſub illa conditione, niſi de licentia Prælati; & ideo Prælatus dans talem licentiam, non videtur propriè diſpenſare, ſed ſolùm neceſſariam conditionem apponere, vt actus debito modo fiat. Sicut, quando Prælatus dat licentiam Religioſo, ad egrediendum è monaſterio, non diſpenſat propriè, aliàs malè faceret dando talem licentiam ſine ſpeciali cauſa.

VIII. Ad hoc reſponderi poteſt ex Nauarro dict. Comment. 4. de Regularib. n. 32. legem prohibentem religioſum egredi clauſtra monaſterij includere non ſolùm illam conditionem ſine licentia Prælati, ſed etiam hanc, neque cum illa, niſi iuſta neceſsitate, vel vtilitate id ſuadente, quod ipſe ſolùm probat ex c. citatis, *Placuit & Monachi, Iuxta, & Qui vere* 16. q. 1. In quibus, vt ſuprà tractauimus, videtur Religioſis præcipi clauſura, & prohiberi exitus niſi de licentia cum neceſsitate conceſſa. Vnde videtur ſentire Nauarrus etiam ordinariam licentiam ad exeundum è Monaſterio ad breue tempus, vel horam non poſſe licitè dari ſine iuſta neceſsitate, vel vtilitate. Erit tamen differentia, quia dare hanc licentiam ad communem exitum, erit tantùm culpa venialis; dare autem ad commorandum extra monaſterium erit culpa mortalis, quia, quoad hoc lex, & materia eius grauiſsima eſt, & talis diſpenſatio tam Religioſo, quàm religioni poteſt afferre graue incommodum.

XI Ne tamen nimiùm hoc reſtringere videamur, aduertere oportet antiquos illos canones non loqui de omnibus religioſis, ſed de proprijs monachis, qui vitam magis ſolitariam, & à conſortio hominum remotam profitentur, & præcipuè factos eſſe illis temporibus, quando monachi non permittebantur miniſteria Clericorum exercere in populis concionando, aut Sacramenta miniſtrando, vnde præcipuè illis prohibent exitum ad hunc finem, & ideo requirunt Epiſcopi licentiam ex neceſsitate, vel magna vtilitate conceſſa; nam ad ordinarium exitum pro alijs ordinarijs occaſionibus, non videtur veriſimile fuiſſe etiam tunc neceſſariam licentiam Epiſcopi, nec tantam circunſpectionem in ea concedenda. Nihilominus tamen verum exiſtimo in illo ſtatu iuxta ſuum inſtitutum non poſſe illam licentiam licitè concedi, ſine aliqua neceſsitate, vel vtilitate alicuius momenti, quia re vera cenſetur hæc vna ex præcipuis obſeruantijs illius ſtatus, & ad decorem & puritatem eius maximè pertinens. Tamen quoad hoc non eſt æqualis ratio de omnibus alijs inſtitutis religionis, quæ tantam clauſuram ex vi ſui inſtituti non profitentur, vt ſunt religiones mendicantes, & aliæ ſimiles, quia licèt in eis neceſſaria ſit licentia ad exitum; tamen facilius poteſt concedi, non quidem omnino ſine cauſa rationabili, quia hæc in omni actu humano neceſſaria eſt, vt honeſtè fiat, ſed ſine tanta neceſsitate, vel vtilitate, quia interdum ſufficere poteſt ratio honeſtæ amicitiæ, vel moderatæ recreationis, vt reddat cauſam rationabilem, quæ in monachali ſtatu fortaſſe non ſufficeret. Et cum eadem proportione grauior fortaſſe cauſa, & magis extraordinaria neceſſaria eſt in proprio Monacho, vt ei concedatur licentia habitãdi extra clauſtrum, quàm in alijs Religioſis, qui cum proximis magis verſantur. Et nihilominus etiam in illis grauiſsima cauſa neceſſaria eſt, & regulariter vrgens neceſsitas, aut tanta vtilitas vel propriæ religionis, aut alterius boni communis, vt prudenter cenſeatur incommoda talis facultatis compenſare.

X. *Prædicta licentia à Prælato regulari data, eſt nulla.* Vlteriùs verò dubitari poteſt, eſto, peccet Superior concedendo hanc facultatem ſine cauſa legitima, an illa valida ſit. In quo mihi diſtinguendum videtur inter Prælatum religionis, & Summum Pontificem. Nam de licentia conceſſa à Prælato religionis exiſtimo eſſe nullam, ſi abſque cauſa legitima concedatur. Ratio eſt, quia diſpenſatio data ab inferiori in iure Superioris eſt nulla, ſi abſque cauſa detur; Prælatus autem religionis concedit hanc licentiam, tanquam diſpenſans in iure Superioris; ergo. Declaratur minor. Primò, quia ſi attendamus ius religionis, quilibet Prælatus religionis eſt inferior illo. Nam ſemper eſt conſtitutum à tota religione, quæ ſuperior eſt cuicunque perſonali Prælato, etiam ſi Generalis ſit, & ſolet eſſe approbatum, vel confirmatum à Papa, quod ad minimum facit difficiliorem diſpenſationem. Eo vel maximè, quòd hoc ius iam non eſt quoad hanc partem vnius, vel alterius religionis, ſed totius ſtatus religioſi, prout nunc eſt in vſu Eccleſiæ. Vnde dici poteſt ſaltem vſu, & acceptatione omnium religionum introductum eſſe tanquam ius omnib. commune, iam non tantùm obligans ad modum regulæ, ſed vt rigoroſum præceptum. Denique cenſeri etiam poteſt hoc ius Pontificium & Conciliarium ex decretis ſuprà citatis, à quibus conſuetudo etiam declarauit omnes religiones comprehendi, & meritò, quia hoc clauſuræ genus non reſpicit peculiarem vitam Monachorum, ſed communem ſtatum regularium, & ideo in hoc iure conueniunt, vt etiam indicat Nauar. ſuprà. Vnde clariùs conſtat in ordine ad hoc ius diſpenſationem Prælati eſſe inferioris. Quod idem cenſeo de licentia Epiſcopi, reſpectu non exemptorum, quia licèt in ipſis decretis illi concedatur hæc facultas, ſemper conceditur vt inferiori, & ideo in eis poſtulatur expreſſe iuſta neceſsitas, vel vtilitas.

Nunc dicta procedunt etiam de licentia Epiſcopi.

At verò ſi talis licentia à Summo Pontifice concedatur ſine cauſa legitima, valida erit, quia non eſt diſpenſatio in voto, cùm hæc per ſe non ſit materia voti, vt oſtenſum eſt, neq; in iure diuino, aut naturali, quia ſecluſo voto nullum tale excogitari poteſt, vt ſuprà diſputando de clauſura oſtenſum eſt; eſt ergo diſpenſatio in iure Eccleſiaſtico, in quo diſpẽſatio à Pontifice data ſine cauſa, valida eſt, vt ex ma-

XI. *Quid de licentia Papæ?*

ex materia de legibus suppono. Solùm oportet cauere (quia in hoc aliquid est periculi) ne licentia subreptitia sit falsas causas allegando, aut aliquid necessarium occultando, nam tunc ex alio capite dispensatio inualida erit.

XII. *Non peccat subditus obediendo quando præcipitur, etiam sine causa, habitare extra claustrum.* Atque hinc constat, quid dicendum sit de subdito, an sit tutus in conscientia vtendo tali facultate sine causa data. Primùm enim distinguendum est inter licentiam, & mandatum. Nam si Prælatus non solùm permittat, sed etiam præcipiat subdito habitare extra claustrum, non peccabit subditus parendo, etiamsi Prælatus peccet præcipiendo, quia subditus non tenetur examinare factum Prælati. Dices, subditus non potest obedire Prælato iniustè præcipienti. Respondeo tamen posse, quando non præcipit aliquid per se malum, aut diuinæ, vel Ecclesiasticæ legi contrarium, manere autem extra claustrum non est huiusmodi, & ita fieri potest, etiamsi imprudenter præcipiatur. Dices, Religiosus non debet obedire Prælato præcipienti aliquid cõtra regulam, quia tunc excedit suam potestatem, & ideo præualere debet directio regulæ, etiam si non seruare illam aliàs malum non sit, vt sentit Bernar. lib. de præcepto, & dispensatione; viuere autem extra claustrum, per se est contra regulam, imò & cõtra rigorosum ius, vt diximus: ergo non licet obedire Prælato id præcipienti sine causa. Respondetur respectu subditi, hoc ius non esse absolutum, non morandi extra claustrum, sed non morandi sua voluntate, & arbitrio. Vnde quando simpliciter ducitur præcepto superioris, formaliter non agit contra tale ius, siue superior benè, siue malè præcipiat. Probabile autem est propter rationem factam, non teneri subditum ad obediendum in illo casu; oportet autem, vt certò & sine dubitatione constet de iniustitia præcepti iuxta vulgare principium, quòd in dubijs parendum est Prælato, quod multo facilius locum habet, quando non dubitatur de re intrinsecè mala.

Potest tamen licita non obedire.

XIII. *Peccat tamen grauiter quando non præcipitur petendo licentiam, & illa vtendo.* At verò quando non interuenit mandatum, sed solùm licentia, seu dispensatio, primùm quidem grauiter peccat subditus eam petendo à Prælato, si certus est nullam interuenire rationabilem causam, sed solùm appetitum libertatis, vel alterius humanæ commoditatis, quia vel decipit Prælatum in re graui, vel inducit illum ad id, quod non potest sine graui peccato concedere. Et præterea Religiosus ipse non manet tutus in conscientia cum tali facultate, quia ostensum est illam esse nullam; ergo non excusat à culpa, quæ in transgressione illius præcepti committitur. Dices, ergo ille viuens extra claustrum cum tali facultate erit Apostata, quia si id faceret sine vlla facultate, tale peccatum committeret, & facultas illa, vt dictum est, culpam non excusat; nam actus nullus nihil operatur. Respondetur negando sequelam; quia non est Apostata qui manet sub obedientia Prælati. Et quoad hoc est magna differentia inter eum, qui manet extra claustrum sine licentia, vel cum licentia, licèt inualida, nam prior non manet sub obedientia, & ita dupliciter peccat, scilicet manendo extra claustrum, & recedendo à subiectione debita Prælato, & in hoc secundo apostasia consummatur: Alter verò licèt peccet contra præceptum manendi in claustro, manet tamen in subiectione Prælati, & ideo Apostata non est. Licentia ergo illa quanuis sit nulla, quoad effectus iuris, operari nihilominus potest aliquid facti, quale est, quòd talis persona recognoscat alium vt Prælatum, & de facto eius obedientiæ subsit.

XIV. Sed hinc potest quispiam in contrarium argumentari, licèt talis Religiosus peccauerit, inducendo superiorem ad malum, tamen post licentiam datam, licèt iniquè, non peccabit, saltem grauiter illa vtendo, quia iam non agit contra præceptum saltem ex defectu materiæ illius; nam, vt dicebamus, materia huius prohibitionis non est absolutè viuere extra claustrum, sed viuere sine voluntate Prælati; illa autem licentia sufficit, vt id non fiat sine voluntate Prælati; ergo sufficit vt ille non sit transgressor præcepti; ergo vt non sit peccatum graue. Respondeo primò cum Nauarro suprà, præceptum non solùm requirere voluntatem Prælati, sed etiam iustam causam, & ex hac secunda parte semper fieri contra præceptum. Secundò dicitur ipsum præceptum postulare licentiam, vel voluntatem Prælati, non quamcunque, sed validam seu efficacem ad tollendam præcepti obligationem, quia verba legis intelliguntur secundùm ius, & quia ipsa ratio, & iustitia legis hoc postulat: nam hæc licentia non postulatur solùm vt seruetur debita subordinatio inter subditum & Prælatum, sed maximè vt religiosa clausura iuxta exigentiam Religiosi status illæsa seruetur. Ad hoc autem necessarium est, vt non quæcunque voluntas Prælati sufficiat, sed illa, quæ valida, & efficax est.

Sed quid si facultas sit Pontificia. Respondeo in primis etiam malè concedi, si absque legitima causa concedatur. ita Nauarr. dict. n. 40. qui rationem reddit, quia Papa non potest dispensare in voto sine causa iusta. Quæ ratio probat dispensationem illam non solùm esse iniustam, sed etiam nullam, si illa est dispensatio in voto, vt Nauar. indicat. Sed re vera non est dispensatio in voto; nam suprà ostendimus vota per se non obligare ad manendum intra claustrum nisi ratione obedientiæ seclusis religionibus Monialium, vel si aliquæ virorum illud specialiter promittunt. Sufficiens ergo ratio est, quia etiam Pontifex malè faciet dispensando in suis legibus sine legitima causa regulariter loquendo, vt ex propria materia de legibus suppono, & maximè verum habet in materia adeò odiosa, & quodammodo perfectioni Religionis, & proximorum ædificationi contraria. Verum est respectu Pontificis plures esse posse causas legitimas ad hæc facultatem concedendam, quæ non erunt respectu Prælati Religionis, vt si Pontifex hoc concedat alicui veterano Ecclesiæ ministro ad maiorem quietem, & quasi in præmium laborum, illum suæ obedientiæ reseruando, vel si id faciat in gratiam alicuius Prælati, etiam sine magna necessitate, quia cùm ipse sit author iuris, in quo hæc obligatio fundatur; facilius potest in illo legitimè dispensare. Si tamen omnino causa sufficiens desit (quod rarò sine surreptione continget) peccaret concedens etiam si sit Pontifex: vnde etiam peccabit postulans, tanquam inducens ad malum nisi per ignorãtiam excusetur. Videtur autem nihilominus valida illa licentia, quia dispensatio data à Pontifice sine causa, in lege positiua valida est. Non est autem ita valida, quin teneatur semper Pontifex illam reuocare, quia eiusdem rationis, & malitiæ esse videtur eam conseruare, cuius fuit concedere, cùm semper retractabilis sit, & in virtute illius, quasi continuò contra legem fiat.

XV. *Regulæ quando illa vtendo peccatum sit graue.*

Quandiu verò non reuocatur, videtur reddere Religiosum tutum in conscientia, ne sit violator clausuræ, manendo extra claustrum, quia licentia est valida; ergo tollit obligationem prohibitionis, ergo excusat culpam transgressionis eius. Sed licèt ex hoc ex directa obligatione illius legis ita esse videatur, iuxta communem doctrinam, non excusatur quis ab aliqua culpa vtendo tali facultate, quia *tutius est pars, quæ sine causa legitima discordat à toto*, quæ culpa in alijs legibus humanis reputari solet venialis. Vereor tamen ne in præsenti, ratione materiæ, sit mortalis, quia separatio à toto corpore in re tam graui sine causa legitima videtur notabilis deformitas,

nitas, cuius signum est, quia regulariter scandalum generat, & nonnullam etiam infamiam creat religioni præter alia pericula, quæ magis extrinseca sunt.

XVII. *Quæ sit iusta causa licentiæ.*

Tandem in hoc puncto interrogari potest, quænam sit censenda legitima causa ad huiusmodi facultatem concedendam. Respondeo cum Nauarro suprà, has causas non esse per ius definitas, & ideo prudenti arbitrio superioris committi. Argumento cap. *De causis. §. Illu.* de offic. deleg. & legis r.ff. de iure deliberandi. Generalia autem capita harum causarum sunt suprà insinuata num. 9. scilicet vtilitas monasterij. Argumento cap. *Monachi* 16. quæst. 1. quod Nauarrus extendit, siue sit vtilitas directa siue indirecta, vt si sit vtilitas Patroni ipsius Monasterij, vel si sit amicus valde vtilis monasterio, aut Princeps magnus defensor eius, quòd in simili docuit Innocent. in cap. *Cum G. & A.* de sentent. & re iudicata num. 2. vbi eum sequitur Panormit. num. 29. & communis. Idem dicendum censeo de alia vtilitate publica Ecclesiæ, aut totius populi, & Nauar. ponit exemplum, vt gratia docendi facultatem aliquam regulari licitam, iuxta cap. *non magnopere.* ne clerici, vel monachi. Quam conditionem in omni simili causa vel vtilitate subintelligendam censeo, quia si negotium vel ministerium non esset licitum Monacho, quomodo posset causa honestari? Aliquando etiam potest sufficere priuata causa præsertim pietatis, præcipuè si ad ipsammet personam Religiosi pertineat.

XVIII.

In tertia obiectione petitur, an hæc facultas possit concedi perpetua, & irreuocabilis. Et quoad priorem partem respondeo, facilius posse dari ad breue tempus, quàm ad diuturnum, & minorem causam sufficere, vt per se clarum est, & eadem ratione posse melius concedi ad tempus limitatum *quamuis diuturnum*, quàm indefinitè sine temporis limitatione. Nihilominus certum est posse etiam hoc modo dari, non solùm à Pontifice, sed etiam à Prælato, quia nullo iure prohibetur, & causa potest esse talis, quæ ad illum modum facultatis sufficiat. Igitur in hoc sensu potest hæc licentia esse perpetua negatiuè, vt aiunt, id est, sine certo termino. Perpetua autem positiuè, atque adeò irreuocabilis esse non potest proportione seruata, quod rectè sensit Nauarrus Comment. 2. de regul. num. 16. & coniuncit ratio in obiectione num. 4. insinuata, quia non potest Prælatus eximere subditum ab obedientia sua; Quandiu autem facultas est reuocabilis, semper manet subditus sub obedientia Prælati, & ideo non repugnat talis facultas obedientiæ voto, quia non est de necessitate eius, vt subditus sit loco coniunctus alicui Prælato, à quo possit in singulis proximè gubernari, sed hoc ipsum subordinatum est prudenti arbitrio ipsius Prælati. At verò si facultas esset irreuocabilis, eo ipso maneret subditus exemptus ab obedientia Prælati, vt per se clarum est. Est autem hoc intelligendum seruata proportione, vt dixi: nam si concedens licentiam est Prælatus regularis, non potest dare illam irreuocabilem à se, vel à superiore Prælato, propter discursum factum. Potest tamen dare irreuocabilem ab inferiori, & maiori ratione potest Pontifex ita illam dare, vt à nullo Prælato religionis reuocari possit, quia est supremus Prælatus. Neque hoc est contra obedientiæ votum, quia ipsamet obedientiæ ratio postulat ordinem, & subordinationem, & consequenter petit vt superior Prælatus possit dare facultatem, quam inferior reuocare non possit, & consequenter integra ratio obedientiæ seruatur, si supremo Prælato obeditur, quando omne ius in talem personam, ipse sibi reseruauit.

XIX. *Quando ex.*

In quarta obiectione petitur, quomodo seruandum sit paupertatis votum ab eo, qui extra claustrum viuere permittitur; nam quod seruari debeat certissimum est, cùm illud non tollatur. Primò ergo nihil proprium habere potest propter illam mutationem, quia repugnat voto. Nec necessarium est, quia talis religiosus manet semper mẽbrum suæ religionis, & ideo si quid habet, dominium eius esse potest apud religionem, vel apud eum, apud quem est dominium omnium bonorum, quibus sua religio vtitur, quod propter fratres minores dicimus. Deinde (vt satisfaciamus Concilio Tridentino) non est necesse vt habeat administrationem aliquorum bonorum immobiliũ, neque annuos reditus certos, ad quos ius aliquod quasi proprium habere videatur; nam sunt plures alij modi, quibus sustentari possit. Primùm recipiendo certam aliquam portionem, à suo Prælato, vel Monasterio, cuius vsum, & non ampliùs recipiat. Secundò petendo eleemosynam. Tertio suis laboribus, vel ministerijs aliquid acquirendo, vel sustentationem, aut stipendium ab aliquo Prælato, Ecclesia, vel Academia, &c. recipiendo. In quibus modis omnibus integra seruari potest paupertas, nõ solùm quoad proprietatem, sed etiam quoad vsum, quia semper est dependenter ab aliena voluntate, & iuxta beneplacitum eius. Vnde etiam fit, vt talis religio possit disponere, dum sic viuit de bonis, quæ veluti in peculium habet suo arbitrio, & salua nihilominus paupertate, quia totum illud facit ex licentia Superioris. Et ideo licèt eius arbitrium sit veluti proxima regula; principalis verò cui conformari debet, est iusta licentia Prælati, vel formalis, vel interpretatiua, iuxta superiùs dicta de voto paupertatis. Tandem possit etiam in eo statu aliquid acquirere modis licitis ac sibi permissis; Atque ita suum peculij modum congregare, per illam tamen acquisitionem nullum ius sibi comparat, sed totum transit in monasterium iuxta cõmune ius Religiosorum suprà explicatum, quod eodem modo locum habet in Religioso, etiam si extra clausturum viuat; non agimus enim de Episcopo vel beneficiario, de quibus infrà à cap. 16. dicemus, quibus titulis seclusis, nulla est ratio eximendi quemcunque Religiosum propter solam separatam habitationem.

tra claustrum cum licentia, nihil potest habere proprium.

Neque oportet habere ius administrandi bona immobilia.

Quomodo possit acquirere bona aliqua.

Itaq; in omnibus seruare debet paupertatis regulas suprà positas, solumque intercedit differentia, quòd existenti extra clausturum necessariò conceditur licentia, veluti permanens, & aliquo modo generalis, dandi, & recipiendi; quæ tamen necessariò limitatur, vel iuxta expressam voluntatem Prælati, vel iuxta generales regulas de obligatione voti paupertatis. Vnde rectè aduertit Nauar. suprà, ex vi facultatis viuendi extra clausturum, si nihil aliud exprimatur, nullam specialem licentiam concedi ad disponendum liberè de bonis, quæ in eo statu acquiruntur, quia nulla est inter hæc connexio necessaria. Imò nec per se rationabilis est, nisi specialis causa intercedat ad eam extensionem faciendam, quia maior effectus maiorem causam requirit. Quod ego verum esse opinor, non solùm de tam ampla licentia, qualis est conuertendi omnia in suos vsus, sed etiam de quacunque relaxatione in regulari paupertate, quam ille modus viuendi non postulat; sed tantùm vel ex necessitate quadam humana, vel ex decentia, & honestate, præsertim misericordiæ, vt est facultas faciendi aliquam eleemosynam, prout recta ratio dictauerit, quæ censenda est concessa, eo ipso, quòd non negatur, quod à fortiori confirmari potest ex his, quæ Nauar. supra tractat n. 41.

XX. *Concluditur modus paupertatis extra clausturum gentis.*

CAPVT

CAPVT VIII.

An ex natura rei liceat professo vnius religionis propria authoritate ad aliam strictiorem transire?

TRansitus ab vna religione ad aliam potest esse vel ad strictiorem, vel ad æqualem, vel ad laxiorem. Potest item considerari tripliciter, primò ex natura rei. Secundò stando præcisè in iure communi. Tertiò iuxta peculiare priuilegium per Sedem Apostolicam religioni concessum. De primo ergo modo dicemus in hoc & sequenti capite; de alijs duobus, in sequentibus.

I. Dico igitur primò, transitus ab vna religione ad aliam non est per se & intrinsecè, seu ex natura rei malus, etiamsi propria authoritate fiat, dummodo fit ad religionem perfectiorem. Dixi *etiamsi propria authoritate fiat*, quia si Pontificis authoritas interueniat, res est extra omnem controuersiam vt constat ex vsu, & ex his, quæ infrà dicemus de iure Canonico. Ratio etiam id ostendit, quia iuxta humanam conditionem sæpe occurrere potest moralis necessitas faciendi hunc transitum; ergo oportet, vt saltem authoritate Pontificis licitè fieri possit. Addimus ergo in assertione sine hac etiam facultate interdum fieri posse. Et præterea per illam particulam intelligimus non esse necessariam licentiam eiusdem religionis; nam si ipsa consentiat, nulla etiam est dubitandi ratio, quia volenti, & consentienti nulla fit iniuria; ergo si religio, quæ relinquitur, consentit, nulla iniuria fit illi: neque etiam fit Deo, quia eius obsequium, & cultus in vtroque loco quæritur. Quæ ratio etiam videtur probare ex consensu religionis licitum esse hunc transitum etiam ad æqualem, secluſa humana prohibitione, de qua infrà videbimus, quia secluſa iniuria tertij non est improbabile, posse propria authoritate votum licite commutari in æquale. Oppositа tamen sententia est longè probabilior, eamque latè defendimus tract. 6. lib. 6. c. 19. à n. 5. Conclusio ergo posita loquitur de transitu, qui fit ad perfectiorem inuita propria religione. Ratio autem eius est, quia per hunc transitum non fit contra obligationem Deo factam in professione religionis; ergo non est vnde fit illicitus ex natura rei, etiam si propria authoritate fiat. Antecedens patet, quia per professionem religionis præcipuè intenditur tendentia ad perfectionem ex vi status, ad hanc ergo per se primò Religiosus obligatur: sed per hunc transitum non receditur ab hac tendentia in perfectionem, sed potiùs magis apprehenditur; ergo non est contra illam obligationem.

II. Sed contrà, in hac obligatione non est attendendus finis eius, sed materia, ita enim in omni lege, & promissione seruatur; sed per professionem licèt intendatur tendentia ad perfectionem, non est tamen illa materia promissionis & voti, nisi quatenus in particulari promittitur talis paupertas & obedientia secundùm talem regulam; hæc autem materia non seruatur transeundo ad aliam religionem, quia ad minimum mutatur obedientia secundùm regulam. Ad hoc verò respondendum est, per aliam partem assertionis; ideo enim restricta est ad transitum in religionem perfectiorem. Vnde probatur simul illa pars, & satisfit difficultati; nam in materia voti, licet mutare vnam in aliam, præsertim, quando in ordine ad finem intentum diuini cultus, & propriæ perfectionis fit commutatio in meliorem, vt suprà tract. 6. probatum est; sed ita est in præsenti: ergo. Dices illud esse verum, quando votum fit soli Deo, & non datur ius in re alicui hominis; at in perfectione religionis præter vota Deo nuncupata fit promissio, vel potius traditio tali religioni, quæ acquirit dominium in talem personam; ergo non potest professus priuari religione illo dominio sua authoritate, quod facit transeundo ad aliam religionem sua authoritate. Sicut, qui se alicui vendit, aut tradit in seruum, non potest se alteri donare priuādo priorem dominum suo iure propter quodcunque maius commodum suum. Respondetur etiam, in Religiosa professione licitam esse illam commutationem eius loquendo ex sola rei natura, quia sicut in matrimonio rato, verum ius, & dominium acquiritur sponso, & nihilominus potest à contractu recedere transeundo ad religionem, quia in illo contractu intrinsecè inest conditio melioris frugis; ita multo maiori ratione in contractu, qui per professionem cum religione fit, inuoluitur intrinsecè conditio melioris frugis; multo enim maior ratio in hoc contractu interuenit, quàm in illo, quia matrimonium non ita per se, & immediatè ordinatur ad spiritualem perfectionem, & cultum Dei, sicut professio Religiosa. Et ideo meritò est maior hæc licentia in professione quàm in matrimonio, quia in matrimonio solùm durat quandiu consummatum non est, quia postea inuoluit intrinsecam malitiam; in professione verò est perpetua, quia nunquam inuoluit malitiam neque tractu temporis, aut aliquo vsu, vel actione ius maius religioni acquirit, & vt sic dicam, status ille talis est, vt vsque ad gloriam, seu finem vitæ non censeatur consummari.

III. Denique propria ratio est, quia ipsamet traditio professionis, licèt fiat religioni, non fit principaliter propter ipsam, sed propter Religiosum, & perfectionem eius, & ideo semper censetur reseruata facultas, assumendi statum perfectiorem, & in hoc est magna differentia inter seruum, & Religiosum, vt suprà tactum est. Atque hoc confirmat vsus antiquorū Monachorum; legimus enim fuisse solitos sua monasteria relinquere, vel ad vitam solitariam, & magis austeram sustinendam, vel ad vitanda aliqua spiritualia incommoda. Optimum de hac re exemplum legimus apud Cassianum lib. 4. de institutis renunciantium c. 30. vbi refert Abbatem Pynuphium suum Cœnobium reliquisse vitandi honoris gratia, propter maximam reuerentiam, & subiectionem, quam omnes illi præstabāt; vt ergo humilitatem, & subiectionem, quam deliderabat, exercere posset, *clam fugiens de Cœnobio fassit solus, in Thebaidis vltimas partes, vbique depositis habitu monachorum assumpta seculari veste Cœnobium Tabennesitarum expetit, quod scibat cunctis esse districtius.* & c. 31. refert eundem Sanctum semel reuocatum ad suum Cœnobium iterum in Palæstinam aufugisse, & in alio monasterio receptum fuisse. Nec lectorem perturbet illa mutatio habitus monachalis in secularem, quia non fuit temeraria, nec ad permanendum, vel vagandum, in illum habitum, sed ex pia causa, & ad breue tempus, quantum scilicet ad illud sanctum propositum esset necessarium. Idem fecisse Macharium, & à Sancto Pachomio ignorante fuisse susceptum, refert Paladius in Prato spirituali, aliàs in Lausiaca historia c. 6. & simile refert c. 21. de quadam Sanctimoniali. Præterea de Sancto Benedicto legimus priùs mutasse monasterium, vt ad regendum aliud petentibus fratribus accederet, postea verò illis iniquè se gerentibus ergà illum ad pristinum monasterium redisse, apud Gregorium lib. 2. dialogorum c. 3. Et quod amplius est, idem Benedictus in sua regula c. 61. agens de Monachis peregrinis, dicit recipiendos esse, & si ibi perseuerare voluerint, & stabilitatem suam firmare, & bonum specimen sui dederint, admittendos esse. Tamen D. Benedictus ibi loquitur de Monachis eiusdem

eiusdem religionis suæ, qui cùm profitentur secundùm illam regulam, eo ipso habent hanc facultatem modo in ea præscripto.

IV. Sed obijci potest, nam sequitur Religiosum, qui habet licentiam à Summo Pontifice ad transeundum ad determinatam religionem, posse authoritate sua transire ad strictiorem; consequens est falsum; ergo. Sequela probatur à paritate rationis. Minor autem patet, quia delegatus non potest mutare voluntatem delegantis, quia delegatio est stricti iuris, cap. P & G. de offic. deleg. ergo similiter, qui talem habet licentiam, non potest virtute illius aliud facere, nisi quod in illa præscriptum est; non potest ergo ordinem mutare. Respondeo concedendo sequelam, etiamsi viri aliqui docti aliud sentiant. Duobus autem modis potest alia religio esse strictior. Primò etiam comparatione illius religionis à qua fit transitus, & sic constat esse licitum; non tam virtute illius facultatis, quàm ex natura rei, vt dictum est, & ex iure communi, vt infrà cap. 10. patebit. Nisi fortè ex priuilegio esset prohibitus ille transitus; nam tunc necessarius erit vsus facultatis, & tunc dico etiam illam sufficere eadem ratione, qua in puncto sequenti.

V. Alio ergo modo potest religio esse strictior comparatione alterius, ad quam transitus concedebatur, licèt non sit respectu eius à qua fit, & tunc est nonnulla maior ratio dubitandi. Dico tamē etiam tunc posse fieri. Primò, quia votum de quacunque religione determinatè sufficiēter impletur in quacunque strictiori; ergo à fortiori hæc facultas. Nam duo respectus possunt in ea considerari; vnus est libertatis, quæ datur ad relinquendam propriam religionem, & hic semper est idem, seu eadem reuocatio iuris, seu priuilegij talis religionis; secundus est ad aliam religionem, ad quam fit transitus, & quoad hoc fit restrictio transeundo ad meliora. Est enim considerandum, determinationem talis religionis factam à Pontifice in tali facultate, non esse in specialem fauorem vel auxilium talis religionis; nam si de hoc constaret, tunc verum esset non posse mutari Pontificis voluntatem; nunc autem non ita loquimur, sed prout ordinariè conceditur talis licentia in gratiam Religiosi, & frequenter fit determinatio ad petitionem eius, vel si fit ab ipso Pōtifice, solùm est ad restringendam facultatem, ne transitus fiat ad laxiorem, & vt obligatio relinquatur magis certa, & determinata; ergo quando quis vtitur facultate illa ad transeundum ad arctiorem, non excedit, sed potiùs minùs vtitur illa facultate, quàm posit. Tertiò argumentor ex voluntate præsumpta cōcedentis. Cur enim vellet impedire Pontifex transitum ad perfectiorem, si ad minùs perfectam illum concedit? Declaratur in hunc modum; nam si quis vtens illa facultate transeat ad religionem sibi designatā, potest deinde transire ad perfectiorem illa; ergo potuit etiam à principio immediatè transire; nam ille intermedius terminus non est per se necessarius, neque vlla ratio probabilis apparet, ob quam censeamus Pontificem voluisse cum hoc rigore illum præscribere. Quocirca sicut in iure dicitur non esse reum voti, qui in melius illud commutat, ita hic dicimus non esse reum talis facultatis, vt sic loquamur, id est, non excedere illam, neque ea abuti, qui virtute illius ad strictiorem immediatè transit: nam ex parte termini à quo, eam formaliter implet; ex parte verò termini

VI. ad quem, impletur eminenter.

Per quod patet responsio ad fundamentum cōtrariæ sententiæ, tum quia licèt delegatio sit stricti iuris, in præsenti non extenditur, sed potiùs restringitur, vt declaratum est, tum etiam, quia in dicto cap. P & G. solùm significatur delegationem esse stricti iuris; quoad iurisdictionem, vt non posit extendi ab vna persona in aliam, vel ab vna causa in aliam, vbi nulla est connexio; non est tamen ita stricti iuris, vt sub formali concessione non posimus, & sæpe debeamus intelligere aliquid virtualiter concessum. Neque existimo Nauarrum aliud sensisse consil. 63. de Regul. n. 4. cùm de quadam delegatione facta ad certum ordinem seu conuentum, ait nihil potuisse fieri virtute illius, nisi ad illum ordinem: loquebatur enim manifestè comparatione ordinis laxioris, vt constat ex clausula proximè præcedenti.

Sed quid si Religiosus habeat votum non transeundi ad aliam religionem, licebitne nihilominus huiusmodi transitus? Respondeo duplici tempore, & duobus modis potuisse fieri tale votum, primò ante ingressum in primam religionem, vel post professionem in illa. Item fieri potuit vel absolutè non transeundi, vel determinatè non transeundi ad perfectiorem, vel ad laxiorem, vel ad æqualem. Si ergo votum fuit factum ante professionem primæ religionis, quocunque sensu factum fuerit, postea non obligat, quia per professionem extinguitur tota eius obligatio. Nam licèt fecisset votum determinatum ingrediendi strictiorem religionē, & nihilominus profiteretur laxiorem, ampliùs non teneretur priori voto, vt declaratum est in capite penultimo de Regularib. in 6. ergo multo minùs obligabitur priori voto transeundi vel non transeundi ad aliam religionem. Si autem votum non transeundi factum est post professionem, obligare quidem potest specialiter ad non transeundum ad laxiorem, neque ad æqualem, nam licèt ad hoc teneatur Religiosus ex vi suæ professionis, vt dicemus, non repugnat nouam voti simplicis obligationem superaddere. Quia Religiosus capax illius est, nam præcedens professio, non extinguit aut impedit subsequentia vota, vt suprà vidimus. Materia etiam illa apta est ad votum, quia respectu talis personæ est de meliori bono, quod est manifestum, quoad non transeundum ad laxiorem; habet autem etiam locum in ordine ad æqualem, quia licèt absolutè, & secundùm se, non sit melius esse in vna religione quàm in alia æquali, tamen supposita professione iam facta in vna religione, melius est illi permanere, quàm ad æqualem transire; quia est iam ius acquisitum priori religioni, & quia cæteris paribus mutatio est in minus bonum. Operabitur autem tale votum duo: vnum est, vt si eo non obstante transitus ad laxiorem, vel æqualem indebitè fiat, grauiùs peccetur propter transgressionem talis voti, quæ adiungitur priori malitiæ; aliud est, quia si petenda sit dispensatio ad transeundum, oportebit hanc specialem obligationem declarare, alioquin licèt soluantur alia vincula, semper hoc manebit; oportet ergo, vt illud etiam dispensetur, vel irritetur à Prælato religionis, nam hoc etiam modo tolli potest, vt ex superioribus constat.

VII. *Quæstiuncula de voto non transeundi ad aliam religionem.*

Resolutio quando votum factum est ante professionem in priore religione.

Item quando factum est post professionem, de non transeundo ad æqualem, vel laxiorem.

Dices, non videri hoc votum distinctum à prioribus, sed idem repetitum, seu renouatum, vt licèt Religiosus post professionem iterum promittat Deo seruare castitatem, vel seruare professionem, quoad hanc partem non addit nouam voti obligationem, & si dispensatio in ipsa professione petenda esset, non oporteret illam quasi reflexam promissionem explicare, & idem est, si post professionem addat votum non nubendi, vel quid simile; ergo idem est in præsenti, quia hoc votum non transeundi, non videtur esse aliud, quàm repetitio & explicatio voti obedientiæ facti in tali religione; nam ratione illius tenetur quis ibi perpetuò manere, sicut votum non apostatandi non videtur distinctum ab ipsa professione, nec circunstantia necessariò in confessione aperienda. Respondetur

VIII.

tur hoc non esse improbabile, sed eo non obstante, multi putant illud votum addere nouam obligationem, & esse circunstantiam, vel aperiendam in confessione, si tale votum violetur, vel explicandam in obtinenda dispensatione, quia indiget etiam propria relaxatione. Sed hoc non credimus conuenienter, nec consequenter dici, vt suprà tractando de voto in communi disputauimus.

IX. Respondetur ergo aliter, votum illud reuera esse specie, & forma, ac materia distinctum à tribus votis substantialibus professionis, quod est manifestum quoad castitatem, & paupertatem. De obedientia autem probatur, quia formaliter hoc non est votum obediendi, sed permanendi tantùm in tali statu, vel non transeundi ad alium incompassibilem, nec satis est, quòd vna materia ad aliam ordinetur, vt vota confundantur; nam licèt quis habens votum castitatis, voueat non ingredi in talem domum, in qua periclitatur castitas, nihilominus votum illud distinctum est, & addit specialem circunstantiam, & obligationem; ita ergo in præsenti censeo. Hoc enim votum immediatè & directè non respicit ipsam obedientiam, sed quidveluti præuium ad illam, imò nec pro motiuo proprio habere videtur obedientiæ bonum, sed firmam semper habere traditionem huic religioni factam, quæ est materia distincta à materia trium votorum, & illi addi potest obligatio voti, quia obligatio ipsius traditionis, vt sic, reuera non est voti, sed quasi iustitiæ, vt in superioribus visum est.

X. *Denique quando fit de non trãseundo ad strictiorem.* At verò non potest tale votum obligare ad non transeundum ad perfectiorem religionem, siue in speciali de hoc fiat, siue in generali de non transeundo, quia priori modo est imprudens & nullum; posteriori autem modo non potest intelligi, neque esse efficax cum tanta extensione. Ratio est, quia tale votum de se est impeditiuum maioris boni, & ideo est nullum. Dices, hunc transitum non esse regulariter consulendum, quia moraliter non expedit; ergo hoc satis est, vt non efficere illum sit materia voti. Respondetur, ascensum ad perfectiorem statum secundùm se cadere sub consilio, & hoc satis esse, vt possit esse materia voti, & consequenter, vt oppositum eius de se non sit materia voti, quanuis ex circunstantijs possit interdum non expedire, vt statim declarabimus, quod non satis est, vt possit absolutè fieri votum non transeundi ad perfectiorem religionem, sed cum addito; non transeundi scilicet sine debito modo, vel consilio.

CAPVT IX.

An liceat etiam ex natura rei transitus propria authoritate factus ad religionem laxiorem, vel æqualem?

I. HAc in re dicendum est, transitum ad religionem laxiorem, vel æqualem propria authoritate, seu absque dispensatione esse illicitum. Probatur prior pars de laxiori, quia commutare votum de re meliori in minus bonam, non licet sine iusta dispensatione; ergo. Quia verò hæc ratio non ita vrget in transitu ad æqualem, addenda est alia, quæ comprehendat vtramque partem, scilicet, quia huiusmodi transitus est contra ius acquisitum tali religioni. Nam conditio supradicta incluſa in tali contractu, solùm est de meliori fruge, quia solùm est propter maiorem cultum Dei, vel maius animæ bonum. Nam sine hoc respectu irrationabilis est libertas ad relinquendam propriam religionem. Esset que magna inæqualitas, si ipsa obligaretur absolutè ad retinendum perpetuò Religiosum, & ille posset eam relinquere pro alia æquali: quod nec religio expressè vult vt dicamus renuntiare iuri suo, nec præsumi potest id velle, cùm nemo contra se ipsum contrahere præsumatur. Dices, eandem inæqualitatem interuenire in transitu ad meliorem religionem; nam plus obligatur religio, cùm non possit dimittere ipsum Religiosum, vt meliorem recipiat. Respondeo primò, non esse similem rationem, quia respectu perfectioris status est rationabilis causa præsumendi, vel potiùs obligandi religionem ad contrahendum sub illa conditione; respectu verò alterius æqualis nulla est talis ratio. Secundò dicitur aliunde compensari hanc apparentem inæqualitatem; nam religio potest dimittere vnum Religiosum propter defectum eius, vt suprà cap. 4. visum est; nulla ergo est inæqualitas, quòd ipse possit dimittere religionem solum propter defectum minoris eius perfectionis. Religio autem non potest communi iure dimittere Religiosum professum quandiu vita eius moraliter tolerabilis est: iniquum ergo esset si ipse posset eam dimittere, non solùm tolerabilem, sed etiam æquè perfectam.

Dubium I. *An transitus ex natura rei licitus expediat.*

II. Ordinarij mutationis, deinceps.

Supersuntverò nonnulla dubia circa hanc assertionem. Primum; esto hic transitus per se licitus sit, an sit expediens, & moraliter vel regulariter consulendus. Tractat hoc D. Thom. 2. 2. quæst. 189. art. 8. & respondet his verbis: *Transire de religione ad religionem non simpliciter propter magnam necessitatem non est laudabile, tum quia ex hoc plerunque scandalizantur illi, quorum in quibus proficit aliquis in religione quam consuevit, quàm in illa quam non consuevit, etiam in paribus.* Et deinde affert sententiam Nestorij Abbatis, quam refert Cassianus collat. 24. cap. 5. *Vnicuique* (ait) *vtile, atque conueniens est, vt secundum propositum, quod elegit, siue gratiam, quam accepit, summo studio ac diligentia, ad operis arrepti perfectionem peruenire festinet, & aliorum quidem laudans admiransque virtutes, nequaquam à sua quam elegit professione discedat.* Et cap. 6. addit, ex hac mutatione sequi dispendium potius, quàm profectum, quia dum quis varias inchoat vias, per nullam earum ad terminum tendit. Vnde concludit: *Multis viis ad Deum tenditur, & ideo vnusquisque illum, quam semel arripuit, irreuocabiliter cursu suæ intentionis conficiat, vt sit in qualibet professione perfectus.* Basilius etiam in Constitutionibus monasticis, cap. 34. loquens etiam de Monasterijs eiusdem religionis monasticæ (in ea enim professio de se perpetua sit in vno monasterio) monet Prælatos eorum ne temerè, vel inconsideratè desciscentes inuicem alter alterius fratres suscipiat; *Siquidem hoc facere* (inquit) *summa confusio est, dissolutio, atque pernicies spiritualis ædificij.* quod latè prosequitur, ac tandem concludit: *Tunc autem tantummodo reprehensione vacare fratris segregatio debet, quandocunque ex Antistitis iudicio, occultæ alicuius, quam ipse sciat, vtilitatis causa fiat.* D. etiam Bernardus in Epistola 1. ad Robertum tractans de tranſitu Roberti nepotis sui à suo Cistercienſi ordine ad Cluniacenſem, grauiter inuehit in huiusmodi transitum, diciteque esse contra regulare decretum, & contra votum. Quod si quis dicat Bernardum ibi conqueri de tranſitu à religione austeriori ad laxiorem: obstat idem Bernardus in lib. de præcepto, & dispensatione, cap. 20. vbi ex professo tractat de stabilitate professionis in eodem loco, & an liceat mutare illam vel expediat: *Ad quod* (inquit) *interim nunc secundum rationem dixerim, à bono, quod semel quis voverit, non licere discedere, & ad hoc mutare locum, quem sibi quisque deligendo, & cui se sua voluntate ac voce firmauerit, omnino non vocabulo.* Sed in his verbis planè loquitur de tranſitu, vel

vel ad sæculum, vel ad laxiorem ordinem; nam ille est propriè decessus, & ideo simpliciter dicit, *Non licere*; Inferiùs verò subdit, *Sane de Religiosis, ac bene ordinatis monasteriis nullus professorum meo consilio, ne arctioris quidem vitæ desiderio, sine licentia sui senioris egrediatur*; & inferiùs adhibet exemplum. *Forte vult aliquis de Cluniacensibus institutis ad Cistercienſium sese stringere paupertatem, eligens præ illis, nimirum consuetudinibus, magis regulæ puritatem. Si me consulit non consulo; si non, sanè id sui Abbatis vsurparit assensu.* Et in Apologia ad Guillelmum Abbatem, testatur se multos religiosos ab illo transitu remouisse, cùm tamen in eadem Apologia illius ordinis relaxationem reprehēdat.

III. *Primum conclusionem ex ad. ductu Patrum.*

Ex mente igitur istorum Patrum imprimis colligimus, huiusmodi transitum, etiam si fiat titulo maioris perfectionis, periculosum esse, & rarò aut nunquam esse consulendum. Primùm (aiunt Bernard. & D. Thom.) propter scandalum eorum, quos deserit. Secundò (prosequitur Bernard.) quia certa pro dubijs relinquere tutum non est, forsan enim hoc tenere potest, illud non poterit. Tertiò ex D. Thom. quia bona consueta relinquere, & insolita inchoare, non solet ad proficiendum esse vtile. Quartò (ait Bernard.) *suspectam habeo leuitatem*, &c. quæ prosequitur.

IV. *Secundum conclusionis.*

Secundo colligitur ex dictis Patribus hunc transitum non esse faciendum sine assensu, & iudicio Prælati, quod duplici ratione verum est. vna, quia res adeo grauis & lubrica fieri non debet sine prudenti consilio; quod subditus à Prælato suo, quem Dei loco habet, accipere debet regulariter, ac per se loquendo: præsertim, quia cùm ille cognoscere soleat vultum pecoris sui, & naturam ac mores eius, faciliùs poterit, & rectum consilium illi dare, & si fortasse occasione aliqua leuiter moueatur, illi remedium adhibere. Altera videtur hoc necessarium propter conuenientem subordinationem subditi ad Prælatum. Vnde aliqui censent ex natura rei esse graue peccatum egredi monasterio ea intentione, sine licentia Prælati petita, & obtenta, vel saltem iniustè negata, quia Prælatus pro eo tempore habet ius custodiendi, & regendi talem personam, ergo non potest subditus inscio Prælato, licitè egredi etiam illo titulo, item quia illo tempore solicitus erit Prælatus de statu subditi, quod est magnum morale incommodum, & præterea occasio scandali multùm inde augetur, & exponuntur alij periculo iudicandi eum esse Apostatam.

V.

Quę rationes iudicio meo probant occultam fugam, etiam hoc titulo factam, vix posse moraliter excusari à peccato mortali. Quia verò hæc malitia non est in ipso opere, vt sic dicam, id est, in transitu, ideo si semel fiat, & alia religio perfectior assumatur (loquendo ex natura rei vt loquimur) non est iterum ad priorem statum reuertendum, vt ait Bernard. suprà, sed sufficiet priorem Prælatum certiorem reddere de suo statu ne solicitus sit. Addo præterea dependentiam à proprio Prælato in hoc negotio non esse ita debitam ex natura rei, vt sine assensu & consensu eius nunquam possit licitè fieri. Ratio est, quia ex voto obedientiæ Religiosus ad hoc non obligatur; ergo simpliciter non tenetur. Patet consequentia, quia ex nullo alio capite potest oriri obligatio per se, cùm ex contractu, & traditione non oriatur, vt suprà ostendi, & alia incommoda, quæ sequi possunt, accidentaria sunt, & alijs modis præueniri possunt. Antecedens autem patet, quia votum obedientiæ solùm obligat secundum regulam, non autem ad ea, quæ spectant ad superiorem regulam, quale est, illam assumere vel relinquere. Et ideo diximus tract. superiore, Prælatum regularem non posse irritare votum ascendēdi ad perfectiorem ordinem, etiam si possit irritare cætera. Vnde, quod spectat ad assensum, id est, iudicium Prælati an transitus expediat nec ne? optimum consilium est expectare illud, & stare illi, non tamen video vnde sit præceptum ex natura rei, imò aliquando potest Prælatus in hoc esse suspectus, quia est veluti pars propter affectum ad suum monasterium, & curam eius, quam gerit. Interdum etiam potest authoritate & numero aliorum contrarium consulentium vinci; cæteris autem paribus Prælati iudicium præferendum est. Vnde à fortiori constat, non esse præceptum expectare consensum eius, quia si assensus non est necessarius, multo minus erit consensus, cùm secundum rectam rationem voluntas debeat sequi intellectū; & ratio à priori est suprà tacta, quia obedientia Prælati non obligat in illa materia; ergo ex vi voti, vel præcepti, non tenetur subditus sequi voluntatem Superioris. Et hoc etiam supponit ius Canonicum cap. seq. citandum, quia non disponit contra ius Superioris, sed potiùs in fauorem eius.

VI.

Addunt verò Authores communiter limitationem, quæ si vera est, locum habet non tantùm respectu iuris communis, sed etiam ex vi iuris naturalis. Est autem limitatio, vt ex transitu huiusmodi non grauiter lædatur, vel infametur prius monasterium: nam tunc nec Prælatus tenetur dare licentiam, nec subditus potest recedere sine illa obtenta, nec recedens erit securus, licèt alibi recipiatur, sed reuocandus est, argum. cap. *licet* de regular. ibi, *In iacturam, vel iniuriam sui ordinis*, & ibi, *Sicut maius bonum minori bono præponitur, ita communis vtilitas priuatæ vtilitati præfertur*. Ita refert Panormitan. ibi, n. 12. & sequitur Sylueſt. verb. *Religio*. 4. q. 2. & quia Panormitan. dubitat, addit non esse dubitandum, quando illa infamia, vel iactura non prouenit ex culpa monasterij sed ex rerum conditione, & idem sequitur referens Innocentium Antoninus 3. p. tit. 16. c. 4. quia *non debet* (inquit) *esse causa scandali, nec grauis iactura*, citatque illud Ambrosij 2. de officijs. cap. 24. *Veritatis est regula, vt nihil facias ommendandi tui causa, quo minor alius fiat*. habetur in cap. *Si quis vero* 11. q. 3. vbi Glossa aliam confirmationem adducit. In fine tamen addit aliquid, quod dubitationem Panormitani confirmat. *Si tamen* (inquit) *facies aliquid eo proposito, vt tibi prosit, licet alij noceat, non peccas*. Quod verum est, nisi nocumentum alterius tam graue sit, vt charitas obliget ad carendum proprio commodo propter vitandum malum proximi, & ita est limitanda illa doctrina communis.

VII. *De occulta fuga ad strictiorem regulam.*

Denique in hoc dubio animaduerto occultam fugam à monasterio etiam propter hunc finem *per se loquendo* non videri licitam ex natura rei propter rationem insinuatam; quòd Prælatus habet ius custodiendi talem personam, & talem locum, contra quod ius sine rationabili causa facere inordinatum est. Est etiam de se scandalosum, & habens speciem mali, quia opus ipsum ex se habet apparentem apostasiam, vel fractionem clausuræ, intentio autem in occulto latet. Dixi verò *per se loquendo*, quia si Religiosus iniustè impediatur à suo proposito, quod sanctum esse credit, vel probabiliter timet per importunas preces fore impediendum, & alioquin est tam integræ vitæ, vt non possit generare scandalum, vel si adhibet aliud remedium sufficiens ad præueniendum illud, poterit illa actio excusari à culpa, sicut excusatur in antiquis Sanctis, quorum exempla cap. præced. n. 3. retulimus; quia potest quis vti iure suo, & consulere suæ perfectioni spirituali non seruato iure Superioris, quando, vel ipse superior malè illo vtitur, vel subditus non potest sine graui suo incommodo illud custodire, quin potius secluso graui scandalo actiuo, non appareat in illo actu ex sola rei natura malitia mortalis, quia illud ius Superioris in huiusmodi materia magis videtur pertinere ad quandam decentiam,

& debitum ordinem, quàm ad rigorem iustitiæ, nihilominus tamen peruersio huius ordinis, & imprudens fuga est magnum indicium, instinctum illum, vel motionem non esse ab Spiritu sancto; nam quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Et ideo huiusmodi transitus tali modo factus, id est, occultè, & sine scientia saltem Superioris, ex se habet speciem mali, & minimè expedientis, & ideo nec consulendus, nec permittendus est, etiam secluſa prohibitione positiua, nisi vbi euidens apparuerit necessitas.

2. *Dubium, Quænam iudicanda sit religio perfectior ad hoc, vt transitus ad illam per se sit licitus?*

VIII. *Interrogantur quatuor in hoc dubio.*

Secundò dubitari potest circa eandem assertionem, quando vna religio iudicanda sit perfectior alia, ad hunc finem, vt huiusmodi transitus per se sit licitus. Ratio dubij est, quia religiones propriæ, & perfectæ (de his enim loquimur) in substantialibus, id est, in tribus votis conueniunt. In reliquis autem solent se habere tanquam excedens, & exceſſum. Nam vna excedit in paupertate; alia in austeritate habitus, vel cibi; alia in diuturna contemplatione, vel assistentia chori; alia in amplitudine, & perfectione obedientiæ; alia in excellentioribus operibus charitatis. Quæ ergo regula vtendum erit? Præterea contingit vnam religionem esse quoad hoc securiorem alia, quòd maiorem solitudinem & separationem à conuersatione hominum profitetur, & ideo pauciores occasiones peccandi in ea esse videntur, propter quod securior appellatur; & nihilominus alia potest esse perfectior, quia reuera in ea sunt maiora media ad consequendam excellentiam sanctitatis, quæ igitur illarum erit præferenda ad huiusmodi transitum? nam vtrumque est per se intentum in statu religioso, scilicet, & maior feueritas, & maior perfectio. Rursus contingit vnam religionem ex vi suæ institutionis, & regulæ esse perfectiorem, & strictiorem alia, & nihilominus de facto, melius, & faciliùs tendi ad perfectionem in ea, quæ de se videtur inferior, quia integrè seruat suum institutum, & in altera remissè viuitur, &c. quid ergo ad hunc transitum magis expectandum est? institutum, an actualis obseruantia? Denique potest accidere religionem secundum se in omnibus esse perfectiorem, & iure, & facto, & nihilominus huic personæ non sit accommodata ad crescendum in perfectione; nam vt Gregorius aliàs dixit, licèt diuturna contemplatio secundùm se melior sit multis, non est melior propter naturam inquietam, & improportionatam; idemque dici potest, de austeritate vitæ, & similibus proprietatibus. Eritne igitur hæc sufficiens ratio ad faciendum hunc transitum sine vlla dispensatione, si per diuturnam experientiam de illa inæqualitate constet?

IX. *Quorundam responsio ad primam interrogationem.*

Circa primam interrogationem aliqui existimant ad hunc effectum honestandi hunc transitū illam esse religionem præferendam, quæ arctior est; vocant autem arctiorem illam, quæ in exterioribus obseruantijs corporis asperior, & rigorosior est. Ita sentit Panormit. citans Ioannem Andream cap. *sanct.* de regularibus in fine, & dicit esse opinionem Canonistarum. Sed ipsi non loquuntur ex natura rei, sed secundùm iura, & solùm dicunt, attendendum esse vbi viuitur strictiùs, in quo autem hæc stricta vita consistat non declarant, videntur tamen loqui de exteriori austeritate, quia de illa potest esse exterior certitudo, quam ipsi requirunt propter externum forum, & fauet lex Hispanæ partita 1. tit. 7. leg. 9. vbi etiam Gregorius Lopez glossa 3. vbi ita etiam interpretari videtur arctiorem religionem, distinguens illam contra sanctiorem, & fructuosiorem. Denique hanc opinionem sequutus est Emmanuel Rodriq. 3. tom. quæstionum regularium, q. 52. art. 4. solùmque fundatur, quia hic transitus debet ita fieri, vt in exteriori foro valeat. In exteriori autem foro, maior perfectio consistit in maiori austeritate, nam si ex vberioribus fructibus, & sanctitate esset pensanda, cùm hoc pertineat magis ad factum quàm ad ius, nihil certum statui posset.

X.

Contrariam sententiam tenet D. Tho. dicto art. 8. qui vult attendendam esse excellentiam, & perfectionem religionis secundùm veritatem; sic autem *non attenditur secundum solam arctitudinem, sed principaliter secundum id, ad quod religio ordinatur, secundario vero secundum discretionem obseruantiarum, debito fini proportionatarum*, & idem dixerat q. 188. art. 6. Sequitur Syluester verb. *Religio*. 4. quæst. 1. & 2. Nauar. Comment. 4. de regular. num. 3. idemque sentiunt Palud. Antoninus, & alij infrà citandi. Estque hæc opinio sine dubio vera, præsertim prout nunc loquimur ex natura rei, in qua magis attenditur veritas, quàm præsumptio. Nam ratio, & fundamentum huius transitus, vt sit licitus, est maior Dei honor, & maior spiritualis perfectio propria: si ergo verè, & in re ipsa religio in hoc præeminet, in ea inuenitur fundamentum huius liciti transitus; ergo, Confirmatur, & declaratur. Nam si professus in religione perfectiori licèt minùs austera, transeat ad minùs perfectam licèt magis austeram, re vera retrocedit, quia minùs exactè tendit ad perfectionē, quam promiserat. Ergo è conuerso, qui ab arctiori ad perfectiorem transit, non retrocedit; ergo licitè facit. Confirmatur secundo à simili de voto simplici; nam qui vouet opus perfectius, v.g. diuturnam orationem, non potest illud commutare in opus austerius, vt, v.g. ieiunium, solùm propter austeritatem, si omnibus pensatis prius opus semper iudicetur gratius Deo. Ergo similiter in præsenti. Vnde intelligitur conditionem inclusam in voto tam solenni, quàm simplici, non esse de austeriori vita aut opere, sed de meliori, seu gratiori Deo.

XI. *Ad fundamentum Emmanuelis in vltima numero.*

Ad fundamentum prioris sententiæ primùm dicimus, nos magis loqui in foro conscientiæ, & secundùm veritatem, quàm in foro exteriori, & apparentia. Deinde dico (quod statim cap. sequenti latiùs tractabitur) ius Canonicum non discordare ab hac veritate. Nam in cap. *licet*. de regularibus, priùs dicitur *arctioris religionis obtentu*. postea verò dicitur, *prætextu maioris religionis*, & ne quis dicat textum arctiorem vocasse maiorem, subdit tertio, *ad frugem meliorem vitæ valeat transmigrare*. & iterum subdit; *licite potest sanctiorem vitæ propositum assumere*. Certum est autem illam esse vitam meliorem, & sanctiorem, quæ perfectior est in ordine ad finem charitatis. Si ergo semel concedatur dari posse perfectiorem religionem cum minori arctitudine quoad austeritates corporis, vt reuera concedendum est, negari non potest, quin illa sit maior religio, quia maiorem Dei cultum profitetur, & consequenter, quòd vita eius ex vi status sit melior, & sanctior; ergo iuxta illud ius est licitus transitus ad illam. Vnde quoties ius loquitur de arctiore religione, vel intelligit cæteris paribus in alijs perfectioribus, vel certè (quod verisimile mihi est) loquitur non de arctitudine tantùm quoad corporis austeritates, sed absolutè quoad totam regulam, totumque viuendi modum. Quod rectè sensit Palud. in 4. d. 38. q. 3. n. 17. dicens: *Arctior dicitur religio, non quæ maiorum austeritatū, sed quæ est perfectiorū, & maiorū meritū*. Sic enim existimo nullam esse religionem simpliciter perfectiorem alia, quæ non sit etiam simpliciter arctior, quoad totam regulam. Primò quidem ob generalem rationem virtutis, quæ versatur circa

difficile, & ideo ſtatus, qui ex vi ſua maiorem perfectionem in exercitio virtutum requirit, difficilior eſt ex ſuo genere; ergo eſt etiam arctior ex vi regulæ. Secundò, quia vt religio ſimpliciter ſit perfectior, neceſſe eſt, vt omnibus penſatis, obſeruantiam trium votorum ſubſtantialium perfectius profiteatur, præſertim ſi in exteriori auſteritate minùs excellat, quia ſi in accidentalibus inferior eſt, oportet, vt in ſubſtantialibus excellat, aliàs cur erit ſimpliciter perfectior? At verò religio, quæ circa materiam trium votorum ſtrictior eſt, non tantùm perfectior, ſed etiam arctior dicenda eſt, quia maior rigor, & difficultas eſt in perfecta obedientia, v.g. quàm in corporali pœnitentia, & ſic de cæteris, cum proportione.

XII. Quamobrem non rectè exiſtimatur comparatio religionum in perfectione pertinere ad factum, & non ad ius; falſum enim hoc eſt, quia etiam hæc comparatio fit ſecundùm regulam conſiderato fine ad quem ordinatur religio, (vt dixit D. Thom.) & mediis illi proportionatis, quibus vtitur, vtique ſecundùm regulam, quidquid ſit de fructibus, ſeu effectibus, quos nunc non conſideramus. Atque ita non video cur etiam in exteriori foro non poſſit conſtare ex vi regulæ, maior perfectio vnius religionis, & maior etiam auſteritas in rebus difficilioribus, ſed magis ſubſtantialibus, etiamſi in corporali auſteritate inferior eſſe videatur. Non ergo inextricabiles quæſtiones ex huiuſmodi comparatione oriùntur etiam quoad externum forum. Nam ex fine, & regulis vniuſcuiuſq; religionis, per principia certa, & conformia ſacris Scripturis & Canonibus, id diſcerni poteſt, vt videbimus infrà in ſequentibus tractatibus, agendo de varietate religionum, & in particulari de Societate. Quod ſi tandem res fuerit dubia, non eſt contentioſè agendũ, ſed Superioris, hoc eſt Apoſtolicæ Sedis, iudicium expectandum eſt, & interim ſubditus non poteſt mutare ſuam religionem inuito ſuo Prælato, tum quia in dubio, iudicio Prælati ſtandum eſt, tum etiam, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, tum denique, quia durante dubio reputantur illæ religiones tanquam æquales, & ideo non eſt licitus transitus inuito Prælato.

XIII. *Conſultur auctator interrogatio. hic. n. 8.* Igitur, vt illi primæ interrogationi integrè ſatisfaciamus, dicimus in huiuſmodi tranſitu omnes conditiones vtriuſque extremi conſiderandas eſſe ad iudicium ferendum. Nam ſi cætera ſint paria, & vna religio excedat in aſperitate vitæ, ſine dubio eſt licitus tranſitus ad illam, quantum eſt ex parte perfectionis eius. Si autem in alijs non eſt æqualitas, conſideranda ſunt ea, in quibus inuicem ſe excedunt, vt ea præferatur, quæ excedit in re altioris ordinis, & magis grata Deo. Et præcipuè conferre ſolet excellentia finis, quia in moralibus eſt præcipua circunſtantia, & ſi res bene ſit inſtituta, vt eſt quælibet religio approbata, habebit etiam media ſuo fini proportionata. Quanuis in hoc etiam poſſit eſſe inæqualitas, & ideo ſi religiones in fine conueniant, illa præferenda eſt, quæ plura, vel meliora obſeruat media, magiſque fini proportionata ex vi ſuæ regulæ. Sicut etiam licèt duæ religiones videantur æquales in vitæ auſteritate, non ſtatim credendum eſt eſſe prohibitum tranſitum ab vna ad aliam, quia in alia perfectione poteſt vna excedere, quod ſatis eſt, vt illa præferatur.

XIV. Tunc verò difficultatem ingerit, quod ſecundo loco interrogaui, ſi vna excedat in perfectione, & alia in ſecuritate, quid dicendum ſit: caſus enim profectò non repugnat, ſtatus enim Epiſcopi perfectior eſt, non tamen ſecurior; & actus martyrij perfectiſsimus eſt. in eo autem plus periculi eſſe poteſt, propter maiores occaſiones, & difficultates, & ſolitaria vita per ſe ſpectata eſt perfectiſsima, ſed periculoſior quàm Cœnobitica, vt cum Hieronymo ſentit D. Thom. 2.2. q. 188. art. 8. & inter Cœnobiticas, ſeu communes vitas, contemplatiua videtur ſecurior, quàm actiua, vel mixta, & tamen non ſemper perfectior eſt. De hac ergo comparatione nihil ſpeciale dictum inuenio ab Authoribus, & mihi eſt res dubia, ſpectata (vt loquimur) ſola ratione, & ſecluſo iure humano. Tamen iuxta mentem D. Thom. videtur dicendum ſemper eſſe licitum tranſire ad perfectiorem, etiamſi non videatur ita ſecura. Nam D. Thom. ſine vlla limitatione illud prius affirmat, & ratio eſſe poteſt, quia maior perfectio eſt per ſe primò intenta per profeſſionem, & alioqui nulla eſt religio, quæ non habeat ſufficientem moralem ſecuritatem, ſi quis eam diligenter obſeruare procuret.

Et fortaſſe in hoc fundatum fuit, quod refert Syluester verb. *Religio* 4. q. 6. Pariſienſem Academiam decreuiſſe licitum eſſe tranſitum ab Ordine Carthuſienſium, ad ordinem Prædicatorum, quod ipſe etiam affirmat, cum Antonino 3. p. art. 16. cap. 4. §. 4. qui in hanc ſententiam refert Ioannem Andream, & Monaldum, & Zabarellam Cardinalem, & Ioannem Dominicum, qui idem dicit de ordine Minorum; imò de Mendicantibus in vniuerſum idem ſentiunt cum Paludano in 4. diſt. 38. q. 2. n. 17. qui etiam addit inter Mendicantes licitum eſſe tranſitum ab alijs, ad Minores & Prædicatores. Denique Nauarr. conſil. 68. de regul. in prima impreſſione & 53. in 2. referens ſententiam Syluestri ſolum dicit ſe non vidiſſe textum, qui hoc in ſpecie declaret, tamen ſi bono zelo fiat & ſine ſcandalo, poſſe rectè fieri in foro conſcientiæ, quod planè intelligit ſine licentia obtenta à ſuo Prælato, ſicut intellexit Syluester. Fundamentum enim huius reſolutionis eſt, quia licèt religio Carthuſianorum ſecurior ſit, religio tamen Prædicatorum ex vi ſuæ inſtitutionis eſt perfectior, vt D. Tho. ſentit. Quod enim illa prior ſit ſecurior, videtur ſufficienter probari ex Extrauagant. *Viam.* de Regularibus, vbi Martinus Papa declarat licitum eſſe tranſitum ex Ordinib. Mendicantium ad Carthuſienſem, quod ſaltem fundari debuit in maiori ſecuritate. Verum eſt eundem Nauarrum conſil. 51. in 2. impreſſione & 10. in prima, affirmare Ordinem Carthuſienſem eſſe arctiorem omnibus Ordinibus Mendicantibus, *Carthuſiani* (inquit) *notabil ter omnes Mendicantes præcedunt vitæ auſteritate*, quam maximè fundat in perpetuo ſilentio, & clauſura, vix tamen poterit hoc dictum cum priore conciliare; nam ſi religio Carthuſianorum eſt arctior, cùm ſit etiam ſecurior, cur licet in conſcientia tranſitus ab illa ad Minores, vel Prædicatores? niſi dicamus eſſe arctiorem, quoad aliquas externas obſeruantias; non verò quoad perfectionem ſimpliciter, quomodo nunc nos de arctiori loquimur.

XV. *An ex natura rei liceat tranſitus à Carthuſienſibus ad Prædicatores, & alios mendicantes.*

XVI. Dices, ſi ex natura rei non licet tranſire à religione perfectiori, ad minùs perfectam, etiam titulo maioris ſecuritatis, cur Pontifex illud permittit? Reſpondeo, multa ſimilia facta eſſe de iure poſitiuo reſpiciendo ad bonum commune, quæ propria authoritate non licerent; & alia eſſe prohibita, quæ licerent, vt infra videbimus, poteſt enim in his Pontifex diſponere vel diſpenſare, prout iudicauerit expedire. Deinde ratio in præſenti eſſe potuit. Quia exceſſus in perfectione ſtatus incertus & controuerſus eſſe ſolet, quia pendet ex multarum circunſtantiarum comparatione; de maiori autem ſecuritate poteſt eſſe maior certitudo. Item quia licèt maior perfectio ſit melior, ſecuritas tamen exiſtimatur regulariter magis neceſſaria, leges autem conſiderant id, quod frequentiùs neceſſarium eſt, atque de hoc tranſitu iterum tract. ſequenti li. 2 c. 4. à num. 7. dicemus.

XVII. In tertia interrogatione petitur, an hic excessus inter religiones, vt sit licitus transitus ab vna ad aliam, spectandus sit, secundùm ius, vel secundùm factum, id est, secundùm primariam regulæ institutionem, vel secundùm actualem obseruantiam eius. Ad quod respondet D.Tho. dict. art. 8. obseruantiam potius quàm institutionem spectandam, & affert exemplum Ioannis Monachi ex Cassiano collatione 29. cap. 3. & sequentibus, quæ sententia est communiter recepta, non solùm à Theologis, sed etiam à Canonistis, vt patet ex Innocentio, & Panormitan. in cap. *sanè*. & in cap. *licet*. de regular. ad quod expendunt verba textus in dict. cap. *sanè. Si locus vbi nunc permanes, maioris religionis quàm Ecclesia Romatensis existit*, &c. Vbi existentia non institutio, & similiter ponderant verbum capit. *licet vtiam duceret arctiorem*, quo significatur non sufficere strictam regulam, nisi vitæ & mores sint illi conformes. idem tenet Gregorius Lopez in leg. 9. tit. 7. partita 1. Sylueſt. verb. *Religio* 4. q. 2. Palud. & Antoninus suprà, & omnes. Ratio autem est, quia hic transitus fit licitus ex intentione, & occasione maioris perfectionis; sed ad hoc parum refert institutio, si vsus & mores non sint illi conformes; ergo. Et confirmatur, quia lex consuetudine abrogata, vel derogata, iam non est lex, vel non est tam rigorosa sicut antea, sed iuxta moderationem, quam per consuetudinem accepit; ergo similiter iudicandum est de religione, & eius perfectione, secundùm eum statum, ad quem per consuetudinem deducta est, & non iuxta rigorem regulæ. Vnde considerari potest, tribus modis posse religionem esse temperatam, seu remissam à prima institutione. Primo de licentia Pontificis, & quasi per nouam institutionem, vel saltem consensionem totius religionis, & tunc est res clara, & sine limitatione.

Religio remissior tripliciter. A remissa primo modo licet transitus.

XVIII. Secundo potest contingere sola consuetudine adeò præscripta, vt reuera obligationem remiserit, ideoque in tali statu licitè viuatur, quanuis minus perfectè, & tunc æquè procedit eadem ratio, si consuetudo sit vniuersalis. Contingit tamen reseruari aliqua monasteria, in quibus rigor, & perfectio regulæ obseruatur, & tunc ait Ioannes Andreas, & sequitur Sylueſt. transitum debere fieri ad monasterium strictum eiusdem ordinis; idemque à fortiori dicent, si ex approbatione Pontificis quædam monasteria, vel Prouincia rigorem regulæ; aliæ verò mitigationem obseruent. Veruntamen si Religiosus solùm professus est secundùm regulam sic mitigatam, licèt velit transire ad perfectiorem modum viuendi, non credo teneri transitum facere ad monasteria, in quibus totus rigor primitiuæ regulæ obseruatur; tum quia potest ille quærere maiorem perfectionem, & non tantam; dari enim potest medium inter illa duo extrema; tum maximè quia potest quærere maiorem perfectionem, & non maiorem austeritatem. Vnde cùm aliàs non teneatur ad illum rigorem, quem non est professus, non est cur obligetur ad sumendam austeritatem suæ primæ regulæ, eo ipso, quod vult maiorem perfectionem. Si autem velit transire ad aliam æquè austeram, & perfectam, tunc verisimile est debere potiùs manere in rigoroso statu propriæ religionis, quàm ad aliam transilire, tum quia illud fit cum minori nota, vel infamia religionis, & cum minori periculo, ac mutatione antiquæ consuetudinis, tum etiam, quia ibi potest seruare omne id ad perfectionem spectans, quod professus est, & aliquid addere, in alia verò religione, necesse est multa omittere, vel mutare: tum maximè, quia conditio melioris frugis in professione inclusa, potest seruari manendo in eadem religione, & obediendo Prælato eius: ergo ex vi professionis adhuc tenetur ibi manere, quia solùm est illi licita mutatio, quando est necessarium ad finem melioris frugis. Quæ ratio conuincit maximè; quando tota religio est sub vno Generali; nam si militent sub capitibus omnino diuersis, ferè reputantur tanquam religiones distinctæ, & ideo magna ex parte cessat hæc ratio; aliæ verò non probant præcisam obligationem, probant tamen maximè expedire ita omnino consulendum esse, & faciendum, nisi aliunde magna causa intercedat.

A remissa secundo modo quoquo licent, vel non liceat transitus.

XIX. Tertio modo contingit regulam non seruari, solùm ex abusu, & praua consuetudine, quæ non excusat à culpa, vel propria, vel regulari, & tunc non solùm licitè, sed etiam suo modo necessaria est illa mutatio, si quis expertus sit, se moraliter non posse viuere, nisi secundùm illam consuetudinem, quia tunc non est professus secundùm regulam sic violatam, sed secundùm regulam obseruandam, & ideo, quærere debet statum & viuendi modum, in quo moraliter id facere possit; tunc autem si in religione sint monasteria, vbi regula seruatur, & in eis firmiter & stabiliter manere potest, nec sit periculum, quòd aliquando cogatur redire ad monasteria relaxata, tunc in eis manere tenebitur, nec poterit totam religionem relinquere propter laxiorem, quia reuera professus est secundùm obseruantiam talis regulæ, quam tenere potest, & sic retenta est perfectio status; ergo non habet ius relinquendi illum. In hoc etiam tertio modo consuetudinis locum habet, quod Ioannes Andreas addit, si quis habeat spem, quod permanendo in religione reformabitur, non potest illam dimittere propter laxiorem, quod est quidem verisimum supposita prædicta spe, quia tunc illa consuetudo non impedit perfectiorem vitam; imò præbet occasionem operis perfectæ charitatis, vt est reformatio propriæ religionis, tamen illa spes, in primo, & secundo modo relaxationis, nulla profecto est moraliter loquendo, & in postremo erit rara: vnde ex hoc capite rarò etiam priuabitur quis dicta libertate. Ait denique D.Tho. suprà citatus in num. 10. ad hanc mutationem in illo casu necessarium esse iudicium Prælati, quid autem nomine *iudicii* intelligat, non declarat. Sed loquendo ex natura rei, vt nunc loquimur, existimo eodem modo esse intelligendum, quo in superiori puncto explicatum est, nam est eadem ratio, quanuis Caiet. ibi oppositum sentiat dicens, in hoc casu necessariam esse licentiam petitam, & obtentam. Et ratio, inquit, est, quia hic transitus non est ad melius absolutè, sed in casu regulare est autem, vt quod est agendum in casu, à Superioribus hauriendum sit, quę ratio non cogit, quia ille transitus est ad melius simpliciter in individuo, licèt non sit melius ex specie, vel genere; & hoc satis est, quando de excessu certo, & sine dubitatione constat; & ita sentiunt Authores citati æquiparantes in hoc prædictos casus.

XX. In quarta interrogatione petitur, an hæc comparatio Religionum debeat absolutè inter eas neri, an respectiuè ad personam religiosi, qui sperat magis proficere in religione laxiori, quàm in arctiori, quam professus est. Ad quod respondetur intelligendam esse absolutè, & non cum illo respectu, ideoque non licere tali religioso sua authoritate, hunc transitum facere. Hoc sentit D. Thom. communiter receptus dicto ar. 8. dum ait, in eo casu necessariam esse dispensationem. Et ratio est, quia illud votum religiosum simpliciter factum est de meliori bono, & absolutè loquendo potest implerinam licèt fortè sit difficilis, & repugnans, natura cum diuina gratia, & auxilijs religionis superari potest; ergo non potest propria authoritate in minus commutari. Vnde confirmatur, & declaratur, nam quando quis per professionem se tradit religioni, non includitur ibi hæc conditio, *nisi experiar*

XX. *Quid sit mutatio.*

hunc statum esse repugnantem meæ naturæ, aut conditioni, vel *nisi mihi sit arduum, ac difficile illum integrè obseruare:* alioquin non esset firma, nec stabilis illa traditio, & quicunque vellet, facilè posset illo prætextu retrocedere; imò non solùm ad laxiorem Religionẽ, sed etiam ad sæculum, & ad nuptias illo prætextu liceret descendere, quia *melius est nubere, quàm vri:* & quia non absolutè, sed sub ea conditione se obligauit, quam multi dicerent in toto statu religionis, quantum ad ipsos, non impleri; quod absurdissimum est; & in errores huius temporis contra cœlibatum, inducit. Ergo professio religiosa talem conditionem non includit; ergo, & voto & iustitiæ repugnat recedere à professione facta illo solo titulo. Tandem confirmari hoc potest ex his quæ de votis simplicibus suprà tract. 6. diximus, non licere in eis similem commutationem in minus bonum ob similes difficultates propria authoritate facere.

XXI. Nihilominus tamen certum est, quod D. Thom. ait; ex dispensatione licitum esse huiusmodi transitum. Constat enim dispensationem transeundi ad laxiorem religionem esse possibilem, quod nullus negat, quia tunc nõ dispensatur in voto solenni, sed in qualitate eius, vt sic dicam. Deinde est certũ posse esse iustum, quia in hac materia, quod non est iustum, nec validum est, quia est dispensatio in obligatione voti, quæ si non est ex iusta causa, non est valida. Inter causas autem maximè iustas ad hanc dispensationem vna est, quæ in dicta obiectione tãgitur, de impedimentis specialibus talis personæ ad proficiendum in tali religione, sicut etiam dictũ est de voto simplici: nam seruata proportione in omnibus quæ ad hanc commutationem, vel dispensationem pertinẽt, eadem est in præsenti ratio. Vnde si quæratur apud quem sit potestas concedendi hãc dispensationem, respondendum est iure diuino esse in Summo Pontifice; an verò de facto sit in illo solo, dicemus in sequentibus.

XXII. *Quando aliquando prouenerit talis dispensatio.* Quæret autem fortasse aliquis, vtrùm in eo casu non solùm liceat, verum etiam expediat aut necessarium sit, & sub præcepto talem dispensationẽ postulare. Non enim desunt, qui hoc vltimum affirmant, quando defectus commissi in tali religione de se meliori, sunt peccata mortalia, & occasio eorũ nascitur in tali subiecto supposita eius fragilitate ex modo viuendi talis religionis. Quia vnusquisque tenetur vitare periculum peccandi; ergo si Religioso constet talem statum esse sibi periculum peccandi; etiamsi illud periculum non oriatur ex imperfectione status, sed ex improportione suarum virium ad perfectionem eius, tenetur procurare illud periculum vitare; ergo, & dispensationem ad hoc necessariam petere. Sed difficile est huiusmodi obligationem imponere, cùm status perfectior de se inducat ad maius bonum, & occasio, si quæ est, tota nascatur ab ipso homine, & ideo non debeat illam fugere fugiendo ab statu, cùm secum deferat seipsum; non ergo ob eam causam teneri potest ad petẽdam facultatem mutandi statum, sed ad faciendam vim sibi ipsi seruando regulas talis status. Confirmatur, quia aliàs obligandus est qui habet votum castitatis, & propter fragilitatem suam sæpius labitur, ad petendam dispensationem; quod sanè non ita est, quia licèt possit illam petere, non tamen tenetur, alias Clericus in sacris æquè fragilis esset ad id obligandus, & cognita eius necessitate, necessariò esset illi dispensatio concedenda, quod est apertè falsum, quia potest pugnare, & cum diuina gratia vincere. Ita ergo est in præsenti.

XXIII. Quare censeo regulariter non esse talem obligationem, nisi fingatur casus in quo est in monasterio aliqua occasio proxima, & moralis peccandi, quæ nõ possit manendo in tali religione vitari, qui casus non est moralis. Faciliùs posset excogitari casus in quo ministeria, & occupationes religionis, quamuis aliàs sanctæ & perfectæ, afferant tali personæ occasiones cadendi, nec possit in tali religione permanere, qui paratus sit, & expositus ad tales actiones exercendas, quando illi iniunctum fuerit, tunc enim non videtur improbabile, posse hanc obligationem interuenire, sicut enim nemo potest tuta conscientia exercere officium, quod scit certò sibi esse periculum peccandi. Ita videtur non posse retinere statum, in quo ad tale officium, seu ministerium cum tanto periculo cogendus est. Sed neque hoc etiam est morale; sunt enim alia remedia; aliàs frequentissimè deberent omnes petere dispẽsationes, ad relinquendos suos status. Aperiat ergo talis persona fragilitatem suam, & periculum Prælatis suis, vt huiusmodi occasionem remoueant, quod moraliter semper facere possunt, & debent, quia non desunt in religione præsertim perfecta, & bene instituta occupationes variæ in quibus possit religiosus sine periculo occupari, si ipse etiam ex parte sua, quam potest, & debet diligentiam adhibeat. Non est ergo absolutè imponenda talis obligatio, sub disiunctione tamen neganda non est in prædicto casu, id est, vel ad procurandum remedium, & adhibendam ex parte sua omnem diligentiam necessariam, vt religiosè viuat iuxta suam professionem, vel certè ad procurandam dispensationem transeundi ad alium statum vbi careat illo periculo, siue in reliquis obseruantiis laxior sit, siue æqualis, vel strictior.

CAPVT X.

Quousque ex vi iuris communis liceat transitus ad religionem perfectiorem.

AD hanc quæstionem quæ initio capitis 8. secundo loco ponebatur, dice ex vi iuris posse Religiosum transire ad perfectiorem religionem, sine dispensatione, non tamen sine licentia Prælati, saltem petita. Hæc assertio communis est Theologorum cum D. Th. dict. q. 189. art. 8. & Canonistarum in cap. *sane.* & cap. *licet.* de regul. ex quibus iuribus hoc sufficiẽter probatur. Est autem in hac assertione, & in illo iure, perfectior religio intelligenda modo explicato in præcedenti cap. nam ibi ostendimus illud esse consentaneum iuri communi, tam quoad hoc, vt excessus debeat esse simpliciter in statu perfectionis, & non necessariò in austeritate exteriori, quàm quoad hoc vt talis excessus attendi debeat, secundum actualem statum, & obseruantiã, non iuxta regulam secundùm se. Habet autem locum posita assertio in omnibus religiosis tam clericis, quàm laicis, etiam illis qui conuersi dicuntur, quia si sunt professi, veri etiam religiosi sunt, & in eis procedunt rationes factæ, & probat optimè c. *non est.* de regul. ibi, *Monachos vel conuersos,* idemque est de Monialibus cum proportione, vt habetur ex Concilio Triburiense II. q. 4. cap. 1. Propter clausuram autem nunc indigebunt licentia ad exeundum de monasterio. Solet autem dubitari de oblatis, vel conuersis, qui professionem non emittunt, an habeant hanc licentiam transeundi ad arctiorẽ religionem; nam Gloss. in cap. *vt lex* 27. q. 1. negat illis hanc facultatem, quia sunt veluti serui monasterij, & eam sequitur Panorm. in dicto cap. *non sit.* Sed mihi non probatur eorum sententia, quia hi oblati non efficiuntur serui monasterij, nec per oblationem aut contractum cum monasterio initum redduntur inhabiles ad profitendam religionem. Propriè enim dici non possunt transire ab vna religione ad aliam, quia religiosi non sunt, sed ex non religiosis fieri religiosos, quod omnibus per se licet. Neque oblatio simplex priori monasterio facta excludit

I. *Obiectio quædam dif ficilis.*

cludit conditionem illam *melioris frugi*. aliàs non esset rationabilis oblatio, cùm principaliter ad Dei obsequium, & animæ salutem ordinetur, non ergo debet maius bonum impedire, & ita sentit Archidiaconus in dicto c. *vt lex*. & Gregorius Lopez in leg. 9. tit. 7. partit. 1. Imò probabile existimo, ad emittendam veram professionem religiosam posse ad quâcunque religionem transire, quia ille est simpliciter status perfectionis, & ita fit transitus ad meliorem statum, & non inuenio ius aliquod illud prohibens, aut irritans professionem à tali persona factam, neque etiam ex natura rei video cur malè fiat, si reuera ex intentione maioris perfectionis fiat. Videantur suprà dicta de ingressu religionis.

II. Superest verò obiectio circa assertionem positã ex decreto Vrbani Papę in c. *mandamus* 19. q. 3. prohibẽtis, ne quis Canonicus regulariter professus Monachus fiat, cùm tamen constet Monachorum professionem esse arctiorem, quàm sit Canonicorum regularium, vt expresè dicitur in c. *quod Dei timore*. de statu Monachorum. Hanc obiectionem tangit D. Th. suprà ad 2. Et primò dicit, decretum illud esse intelligendum de Monachis considerãtis secundùm statum, quem ex prima institutione habebãt; nam erant laici, & non Clerici; & quia Canonici regulares directè ordinantur ad diuina ministeria, & sunt religiosi Clerici ex vi sui instituti, ideo prohibentur transire ad Monachos etiam arctiores, quia licèt ex hac parte viderentur ascendere ex alia nobiliori, descenderent à statu sacri ministerij ad laicorum statum. Secundò addit D. Thom. quod si Monachi essent laici, licitum esset transire ab statu Monachorum ad statum Canonicorum Regularium, iuxta illud Hieronymi Epist. 4. ad Rusticum, *Sic viue in Monasterio, vt Clericus esse mereare*. Tertiò denique dicit nunc licitum esse Canonico regulari ad Monachatum transire petita Superioris licentia, quia iam Monachi Sacerdotes sunt, & diuinis ministeriis inseruiunt, & aliàs in arctitudine superant.

III. Sed in his omnibus dictis D. Th. est nonnulla difficultas, & in primis circa textus expositionem difficile creditu est, ibi esse sermonem iuxta antiquum ritum Monachorum, quando non ordinabantur, quia illud decretum est Vrbani II. qui floruit post annum 1180. quando iam Monachi, tam Benedictini, quàm Carthusiani, & alij frequenter ordinabãtur, nam à tempore D. Gregorij videtur hæc consuetudo introducta, vt infrà in tract. 9. lib. 1. c. 7. n. 2. dicam. Deinde, hoc etiam admisso videtur difficilis D. Th. sententia, quia propter ordinationem non videtur debuisse impediri, quominus Canonicus regularis Monachus fieri posit; aliàs nec Clericus sæcularis deberet permitti Monachus fieri, quod est falsum, & contrà iura cap. *licet*. de regularib. cum similibus, vt suprà tractatũ est, & sequela patet, quia etiam clericus sæcularis non debet transire ad statum laicorum. Quòd si respondeatur, illum non esse in statu perfectionis, & ideo posse ad illũ transire non obstante clericatu. Instabimus etiam Canonicum regularem, non esse in statu maioris perfectionis, ac proinde non esse propter clericatum impediendum, quominus ad illum transire posit. Eo vel maximè, quòd licèt Monachi non essent Clerici, ex vi instituti non omnino prohibebantur esse, vnde status ille de se erat indifferens clericis, & laicis ergo licèt Canonicus regularis ad illum transiret, non propterea assumeret statum repugnantem clericatui, nec priuaretur fructu quem ex ministerio sacro habere posset; cur ergo illi prohibitus est assensus ad maiorem perfectionem.

IV. Hinc etiam difficile est secundum dictum D. Th. quòd Monachi laici possent transire ad Canonicos regulares, sequitur enim inde Monachum laicum religionis arctioris, verè professum & obnoxium rigori regulæ, posse transire ad Canonicos regulares, vel ad laxiorem religionẽ, si recipiatur ad gradum clericorum, seu eorum, qui ad chorum deputantur. Consequens videtur planè absurdum, quia rationes factæ in præcedenti capite, & iura citata æquè de omnibus religiosis tam clericis, quàm laicis probant. Nam clericatus per se non pertinet ad perfectionem, neque illam confert, licèt eam suo modo postulet; ergo non est licitum deserere statũ maioris perfectionis sine sacerdotio propter statũ minùs perfectum cum sacerdotio. Respondeti potest, supposito statu perfectionis etiamsi in aliis obseruãtiis minus strictus sit, eo ipso quòd illi ex proprio instituto coniungitur sacrum altaris ministerium, constitui statum simpliciter perfectiorem, quàm sit Monachatus laicorum, quantumuis strictus sit. Sed hoc profectò incredibile est, præsertim quando vterque status ad eundem finem vitæ cõtemplatiuæ tendit, & in eo sistit, vt de Canonicis regularibus D. Th. supponit, & de primæua institutione Monachorum certum est. Nam licèt ad hunc finem multum conferant sacra illa ministeria, quæ sunt propria Clericorum, tamen in ordine ad propriam perfectionem obtinendam, possunt multo plus conferre diuturnæ vigiliæ, & cõtemplationes, & obedientia, humilitatis, & pœnitentiæ operæ; ergo pensatis omnibus potest esse Monachatus laicorum ex vi status perfectior quàm religio Canonicorum. Neque oppositum suadent verba Hieronymi, quæ D. Th. affert, nam in eis solùm docet Hieronymus Monachum non debere affectare Clericatũ, sed vitam, quæ clericatum mereatur. Vnde non fit esse meliorem statum clericatus quàm statum laici, quando aliàs non habet tot media ad perfectionẽ assequendam. Aliàs dicendum esset antiquos illos Sanctissimos Monachos Benedictum, Paulum, Antonium, Pachomium, & similes, ex vi status nõ fuisse professos maiorem perfectionem quàm Canonicos religiosos.

V. Circa primam difficultatem num. 3. propositam Syluester *Religio* 4. n. 8. sentit illud decretũ esse fundatum in communi iure, quod non licet transire à religione magis perfecta ad minùs perfectam, etiamsi hæc arctior sit, & ita inde sumit argumentum contra opinionem Canonistarum c. præced. à num. 17. tractatam. Sed difficile est credere religionẽ Clericorum ex eo solùm quòd Clericorum est, esse magis perfectam, quacunque religione Monachorum laicorum, etiamsi arctissima, & tam in austeritate, quàm in contemplatione, & clausura, vel solitudine perfectissima sit, vt obiectiones factæ declarant. Et ideo addi posset Canonicos regulares tempore Vrbani II. non fuisse professos laxiorem vitam, quã Monachi tunc etiam seruarent. vnde enim potest contrarium constare? nam licèt regula D. Augustini, quam Canonici regulares profitentur, per se non sit nimis austera, vel stricta, capax tamen est cuiuscunque rigoris, & austeritatis, quam vnaquæque religio per suas constitutiones, & obseruantias addere potest, sic enim Prædicatorum religio, quanuis Augustini regulam profiteatur, satis arcta religio est, & in Lusitania Canonicorum regularium obseruantia, præsertim in hoc insigni Conimbricensi Cœnobio Sanctæ Crucis, satis arcta censetur propter rigorosam clausuram, & exercitium vitæ contemplatiuæ, præsertim in foro, & diuinis officiis. sic igitur fieri potuit, vt tempore Vrbani II. eorum professio non fuerit æstimata laxior, quàm Monachorum; prout communiter tunc viuebant, nondum enim tunc Mendicantium Ordines, vt nunc sunt in Ecclesia Romana approbati, inceperant. Et quamuis Carthusiensium ordo paulo ante Vrbanum II. sub Victore III. aut Gregorio VII. ince-

incepisse videatur, fortasse sub illo decreto cõprehensa non est, quia sub generali clausula non videtur tam specialis casus comprehendi, qui semper solet à similibus legis à Pontificibus excipi. Vel fortasse ille ordo nondum natus erat; nam multi putant ab ipsomet Vrbano tam Carthusiensem, quàm Cisterciensem ordinem fuisse confirmatum, Platina in eius vita ita referente.

VI. Sed hæc sicut non facilè expugnari possunt, ita planè incerta sunt, & nullo ferè fundamento nituntur, & ideo D.Th. ne diuinare videretur, aliquid in illis statibus Monachorum, & Canonicorum, considerauit per se illis conuenientem, in quo illam prohibitionem fundaret, siue Monachorum vita arctior esse supponatur, siue non. Potest enim Pontifex, vt infrà videbimus, propter commune bonum prohibere transitum vnius religionis ad aliam, etiam arctiorem, vel perfectiorem, quia bonum commune præfertur priuato, & quia per hoc in rigore nõ impeditur spiritualis profectus singularum personarum, quia licèt status ipse non obliget ad maiorem perfectionem, nunquam tamen illam excludit, nec de se impedit, quominus vnusquisque possit proficere quantum cum diuina gratia velit, & præterea si in particulari casu aliud expediat, semper est locus recurrendi ad Pontificem, vt legitimè fiat. Vnde talis prohibitio (quod valde notandum est pro omni simili,) non est nisi reseruatio quædam facultatis necessariæ ad huiusmodi transitum. Nam, vt cap. præced. n. 4. dixi, ratio postulat, vt non fiat sine licentia Prælati; cùm ergo Pontifex sit supremus Prælatus omnium religionum, potest hanc facultatem sibi reseruare, quando expedire iudicauerit. hoc autem facit per similem prohibitionem. nam licèt absolutè fiat, semper includit tacitam conditionem sine facultate mea.

VII. Duo ergo consideranda sunt in statu Canonicorum regularium, vnũ est, quod ex genere suo quatenus est religio Clericorũ, perfectior est quàm religio Monachorum, quod planè supponit D.Th. loco citato, & nos tractatu sequent. c. 7. ex professo ostendemus; aliud est, quòd ille status per se ac principaliter ordinatur ad ea quæ aguntur in diuinis mysteriis; igitur propter honorem & dignitatẽ tanti muneris & ministerij suppositа sufficienti perfectione illius status, & excellentia, quam ex suo genere habet, meritò potuit Põtifex illum transitu prohibere. Neque obstant, quæ in contrarium obiiciũtur; nam respiciunt tantum priuatas, & particulares rationes, & ita facile soluuntur ex dictis.

VIII. Sunt autem, qui existimant nõ obstante illa prohibitione potuisse Canonicum regularem transire ad arctiorem religionem Monachorum, de licentia sui Prælati, quod est probabile, si intelligatur de licentia obtenta, vt ibi Gratianus sentit. vbi etiam videri potest Glossa, & Archidiaconus, & Ioannes Andreas in c. *sane*. de regul. Sed fortasse probabilius est ex vi illius textus, non potuisse fieri sine licentia Pontificis: tum quia prohibitio est valde absoluta, & per verba rigorosa, *Mandamus & vniuersaliter interdicimus*, &c. tum etiam, quia addit exceptionem, *nisi publicè lapsus fuerit*. quæ firmat regulam in contrarium, maximè cùm in eo etiam casu, non posset Canonicus fieri monachus, nisi ex voluntate sui Prælati, cui conceditur illa facultas, vt possit in pœnam publici lapsus illum transitum concedere; ergo extra illũ casum non posset id concedere ex vi illius iuris. Sed iam illud ius reuocatum est, vel moderatũ, vt mox explicabimus, & ideo non obstat conclusioni positæ in n. 1.

An possint licentia Prælati ad transitum ab vna religione ad aliam.

Canonici regulares ad monachos, ex vi iuris communis.

IX. In dubio secundo petitur, an Monachus laicus arctioris professionis possit transire, ad Canonicos regulares, & intelligitur dubium si in gradu clericorum recipiatur; nam etiam in religione clericorum regularium sunt fratres laici professi, de quibus non potest esse controuersia, quia certum est ad illorum statum, non esse licitum transitum, quia in laicali gradu est æqualitas, & in arctitudine vitæ supponitur excessus in monachali religione. De trãsitu verò ad clericalem gradum D.Th. significat esse licitum, & idem affirmat Turrecremata dicto cap. *nullus*. q. 5. conclus. 3. quæ sic habet, *Monachi laici possunt transire ad ordinem Canonicorum propter altitudinem, & excellentiam actuum. ad quos ordines sacri cõstituti sunt*. Idem tenet Nauarrus comment. 4. de Regul. n. 2. & 4. Qui Authores videntur loqui de Monachis laicis prout nunc sunt communiter in religionibus Monachorum, & ex sententia D.Th. videtur sequi à paritate rationis, idemque sequitur ex opinione Syluestri n. 5. suprà recitata, quòd status clericorũ simpliciter perfectior sit.

Posset tamen aliquis respondere nõ esse eandem rationem, de Monachis laicis prout nunc sunt, & prout olim erant, quia olim ipsi efficiebant principaliter totum corpus religionis, & ita tota perfectio illius status ex capacitate illorum mensurabatur; iã verò nunc religiones etiam Monachales præcipuè constant ex clericis, & ad eorum ministeria destinãtur, & ita iam habent totam perfectionem religionis clericalis, & iuxta illam perfectionem iudicandum est de illo statu, quoad omnes personas eius, etiamsi quædam, quæ sunt veluti membra minùs principalia, ad ordines non destinentur: nam hoc accidentarium est, & ideo non est iudicandum de illis secundùm personalem conditionem, sed secũdùm totius corporis perfectionem. Quæ differentia est vtcunque probabilis, non tamen satisfacit, quia status perfectionis respectu vniuscuiusque non est considerandus quasi per denominationem extrinsecam, ex concomitantia aliorum, sed ex modo intrinsecæ professionis, & obligationis; illæ autẽ personæ ex vi sui status terminantur ad functiones laicorum, neque possunt iure ordinario vltrà progredi. Imò hæc limitatio maior in illis est, quàm in antiquis Monachis. nam antiqui licèt per se non tenderent ad ministeria ordinum, non tamen ex vi status ab ordinibus suscipiendis positiuè excludebantur, sed arbitrio Episcopi, & Abbatis iuxta personæ dignitatem & monasterij, vel Ecclesiæ necessitatem ordinari poterant, ad quod alludit Hieronymus dicens, *Sic viue in monasterio, vt Clericus esse mereare*. Nunc autem positiuè excluduntur Monachi laici ab omni spe, & cogitatione Ordinum; neque alicui conceduntur nisi rarissimè, & ex priuilegio extraordinario. Quapropter consequenter loquendo iuxta illã sententiam censeo idem esse dicendum de his monachis laicis, quantum est ex vi iuris communis, quod nunc consideramus. X.

Mihi tamen difficile est hoc admittere. Et in primis non video id sequi ex dicto c. *mandamus*. nam licèt Pontifex prohibeat transitum ab vnã religione in aliam, non propterea sit consequens vt concedat contrarium transitum alterius in istam, vt licèt esset prohibitus transitus à religione Prædicatorum ad Carthusianos, non sequeretur esse Carthusianis permissum trãsitum ad Prædicatores, & sic de aliis. Et ratio est, quia sæpe fit illa prohibitio propter æqualitatem, sæpe propter dubiũ, & frequenter ad tollendas contentiones, vel occasiones instabilitatis, etiamsi religio ad quã transitus prohibetur, perfectior sit, quod ità in præsenti factum esse probabile est, vt suprà declarauì, secluso autem hoc iure ex nullo alio probari potest hoc esse licitum. quia nullibi est positiuè concessum, quin potius in c. *licet*. de regular. absolutè prohibentur Monachi transire ad laxiorem ordinem, neque ex parte Monachorũ distinguitur inter laicos & Clericos, neque ex parte laxioris religionis fit distinctio inter religionem Cano- XI.

Canonicorum, & Monachorum. vbi autem lex nō distinguit, nec nos distinguere debemus. iuxta doctrinam Bartoli in leg. vnica Cod. *quorum legatorum*, & Iasonis in leg. *triticum* ff. de verborum obligationibus. numer. 6. Præsertim quando ratio non cogit, nec fauet vt est in præsenti, suppositio illo principio, quòd status Monachi laici non solùm austerior, sed etiam arctior simpliciter, id est, perfectior esse potest, quàm status religiosi per se Clerici, quod principium videtur satis probatum in obiectionibus factis, propter quæ hanc partem censeo veriorem de iure communi, & per sese valde conuenientem ad pacem & quietem laicorum Monachorum. Nam si hoc titulo liceret illis religionem clericorū appetere, & postulare sub titulo maioris perfectionis, magna occasio illis daretur ambiendi clericalem dignitatem, & fugiendi sui status austeritatem, & humilitatem. Multùm autem in suo statu stabilientur, si intelligant in ordine ad veram perfectionem animæ coram Deo obtinendam, suum statum excedere posse, etiam statum eorum, qui ad sacra ministeria per se ordinantur, quamuis illi superent in dignitate, & in aliquorum operum excellentia. Et hoc magis explicabimus infrà tractando de iuribus specialibus, quæ habent religiones quoad hanc partem.

An ad hunc transitum sufficiat petita licentia, & non obtenta: & quam necessaria illa sit.

XII. *Agitur de secunda parte assertionis initio capitis posita.*

Circa tertiam D. Thom. propositionem est tertia dubitatio, pertinens ad alteram partem nostræ assertionis, an sufficiat ad hunc transitum petita licentia & non obtenta. Et ratio dubitandi est, quia D. Thom. solùm dicit *petita licentia*, nihilque amplius declarat. Textus autem quem citat, videtur postulare licentiam obtentam. Nam verba capituli *statuimus* 19. q. 3. sunt, *sine Patrū & totius congregationis permissione recedere*, vel vt alia litera habet, *sine Patris totius congregationis permissione*: ergo requiritur consensus, vel Abbatis, & Capituli, vel saltem Abbatis. Alij in hoc distinguunt inter forum conscientiæ, & externum, & dicunt in foro conscientiæ necessariā esse licentiam obtentam à Prælato, quia fit illi iniuria recedendo ab obedientia illi promissa, eo inuito, & ita loquutum fuisse Vrbanum II. In exteriori autem foro dicunt sufficere licentiam petitam & non obtentam, iuxta determinationem Innocentij III. in c. *licet*. de reg.

XIII. Sed hæc sententia licèt ab aliquibus referatur, à nullo authore classico defenditur, neque est probabilis, neque ad mentem Vrbani. Primum patet ex suprà dictis, quia secluso iure positiuo licitum est transire ad arctiorem religionem renuente Prælato, in quo illi non fit iniuria, vt ibi explicatum est; ergo in foro conscientiæ, non est necessaria licentia obtenta. Innocentius autem III. expressè etiam id concedit in foro conscientię. *Postquam*, inquit, *à Prælato suo licentiam postulauerit, ex lege priuata absolutus, liberè potest sanctiorū vitæ propositum adimplere, non obstante proteruia inde fieri contradictione Prælati.* Non diceretur autem verè absolutus ex lege priuata, si haberet legem conscientiæ ad id obligantem, nec esset liber ad transeundum, si absque peccato id facere non posset, quia id possumus, quod iure possumus, maximè in loquutionibus iuris.

XIV. Secūdum patet, quia Vrbanus, etiam in foro exteriori loquitur dum subdit; *Discedentem verò nullus Abbatum, vel Episcoporum, nullus Monachorum sine communi literarum cautione suscipiat.* Vnde ex vi illius textus potius dici posset Vrbanū in foro exteriori postulasse licentiam obtentam, etiamsi in interiori nō fit necessaria, quia quando hic transitus fit contrà iudicium, & voluntatem Prælati, non præsumitur fieri bono spiritu, sed ex animi leuitate, & hanc expositionem insinuat Gloss. ibi. Mihi tamen etiam non probatur, primùm quia in ipso textu expressè distinguitur vel alicuius leuitatis instinctu, vel districtioris religionis obtentu, nec verisimile est præsumpsisse Pontificem huiusmodi obtentum semper esse fictum, seu palliatum: hoc enim in vniuersum non potest nisi temerè iudicari; scimus enim D. Antonium de Padua ex Canonico regulari factum esse Monachum, quod optimo fecisse spiritu sine dubio credimus. Stante ergo illa lege, quòd secundùm illam necessarium erat in vno foro, erat etiam sine dubio in altero, neque in re adeò pertinente ad sanctitatem animæ, conuenienter possent illa duo seiungi.

Melius ergo alij distinguunt de duplici iure antiquo & nouo, dicuntque ex illo iure Vrbani, quod antiquius est, necessariam fuisse licentiam petitam & obtentam; postea verò ius illud temperatum esse ab Innocentio III. vt sufficiat petita, & non obtenta; atque ita successu temporis, hæc res multipliciter variata est. Nam Gregorius VII. cum Concilio Educensi in c. 1. 19. q. 3. non simpliciter, sed cum quadam moderatione hunc transitum prohibuit, dicens: *Nullus reuocare, & ad monast. cum habitum trahendum suscipere audeat, vt Monachi fiant*, &c. Vbi verbum illud *reuocare & trahere* energiā habet, & ideo Glossa ibi inquit, *Quidam Abbates, vel Monachi sua suggestionibus Canonicos regulares ad monasteria pertrahebant. & ideo statuit Gregorius*, &c. Ex vi ergo illius decreti non erat prohibitum Canonicum sponte ad Monachatum venientem suscipere, sed solùm suggestionibus attrahere, & sic attractum suscipere; fortasse enim circa hoc abusus aliquis Monachorum peccrebuerat. Postea verò Vrbanus II. quia fortasse illud remedium non fuerat sufficiens, absolutam fecit prohibitionem, cum sola exceptione publici lapsus, vt explicatum est. Quia verò illa videbatur nimia restrictio, idem Vrbanus illam moderatus est, requirens tamen semper consensum Prælati, quia verò hoc priuilegio abuti poterant Prælati, ideo Innocentius III. (vt in ratione sua ipse insinuat) absolut necessitatem licentiæ obtentæ, & petitam sufficere voluit. XV

Atque hæc sententia verissima est quoad hanc partem, scilicet, quod nunc hoc ius vigeat, & seruādum sit; ad concordiam autem iurium, intelligi potest Innocentium non derogasse, sed declarasse decretum Vrbani. Nam quod Vrbanus ait, *sine permissione* intelligi debuit, vel concessa, vel debita, nam si iniustè negetur, non debet impedire ius subditi, nec spiritualem profectum eius, quia fraus & iniuria nulli patrocinari debet. Ita ergo lex Innocētij quoad hanc partem haberi potest, magis vt declaratiua, quàm vt constitutiua, quod ipse indicat dicens, hoc fuisse concessum, ne quis ex temeritate, vel leuitate transferatur, non verò, vt ei facultas denegetur, qui verè frugem melioris vitæ intendit. & infrà dicit Prælato indiscretè negante facultatem, subditum manere liberum, non ex sua lege Canonica, sed ex priuata lege Spiritus sancti, quod non diceret Innocentius, si intelligeret talem inspirationem esse contra præceptum Pontificis Vrbani; nam idemmet Innocentius in cap. *nisi cum pridem*, de renuntiatione. legem priuatam quæ est contra obedientiam Ecclesiæ, non esse credendam esse ab Spiritu sancto, nec dare homini libertatem sine licentia sui Prælati, quod secundùm legem ordinariam, vt loquimur, certissimum est. Denique hoc confirmat cap. *sanè*. de regular. quod est Alexandri III. qui Innocentium antecesit; & tamen in eo confirmat similem translationem sine consensu Prælati factā, quod

quod est signum etiam ante Innocentium legē Vrbani non obligasse cum tanto rigore; est ergo probabile licentiam obtentam etiam ex illo iure antiquo non fuisse necessariam, sed de illo capitulo *sanè* plura statim.

XVII. Obligatio petendi licentiam ad transitum grauis est.

Quartò dubitari potest circa assertionem positam, quàm necessaria sit facultas petita. in quo certum est esse necessariam ex præcepto obligante sub mortali culpa. in hoc conueniunt omnes doctores infrà citandi, & probabile est esse hanc obligationem ex lege naturę supposito hoc statu, tamen multo est certior ex lege Ecclesiastica in decretis citatis; nam Innocentius ait, *Sicut subditus à Prælato debet trāseundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur, ita Prælatus debet illam indulgere*, &c. Vbi verbum *debet* licèt non sit nimis rigorosum, tamen iuxta contextum ex capacitate materiæ, satis indicat obligationem in conscientia, quam esse grauem, & ipsa etiam materia, & ratio subiuncta satis indicat, ne obedientiam contemnere videatur, hoc enim valde necessarium & grauissimum est in statu religioso. Denique id constat ex illa æquiparatione, quæ ibi fit inter subditum, & Prælatum per idem verbum *debet*, quod in Præsato significat grauem obligationem; nam sine dubio mortaliter peccat Prælatus, si sibi constet licentiam, nec temerè, nec de re incerta aut dubia peti; quia iniuriam facit subdito denegando illi ius suum, & quantum in se est impediendo meliorem statum, & præbendo occasionem scandali, vel infamiæ, si se inuito, subditus discedat; ergo etiam in subdito indicat verbum illud grauem obligationem. Denique Vrbanus vsus est verbo *statuimus*, quod propriam legem significat, quam saltem in hac parte certum est nō esse reuocatam.

XVIII. Prælatus ab obligatione non vrget transitus, nisi urgeatur ex terra.

Difficultas verò est, an petitio huius licentiæ sit ita necessaria vt sit de substantia, & valore actus, videtur enim ita esse ex dictis decretis Vrbani: nam in cap. *mandamus* 19. q. 3. præcipit, vt Canonicus regularis, si contra suam legem monachatum profiteatur, ad ordinem Canonicorum redeat & cucullam memorialem deferat, *Non quia sit Monachus*, inquit ibi Glossa, *sed ratione prioris maleficij*. Si enim verè esset Monachus, non deturbaretur à suo monachatu, sed aliter puniretur propter illud crimen. In cap. autem *statuimus*, licèt mitiget prohibitionem transitus, concedendo illum cum debita facultate, tamen quoad transeuntes indebitè non mitigat pœnam, neque irritationem. Ergo ex vi illarum legum est irritus hic transitus sine licentia factus. Ergo etiam nunc irritus est. Probatur consequentia, quia Innocentius III. quoad hoc non immutauit hanc legem: nam licet daremus moderatum fuisse illam quantum ad necessitatem consensus Prælati, si fortasse ex vi decreti Vrbani esset necessarius, tamen quoad necessitatem licentiæ petitæ integram illam reliquit; ergo sicut antea erat ita necessaria vt omissio illius irritaret actum, ita etiam nunc. Confirmari hoc potest ex vulgari regula, quòd quæ cōtra legem fiunt, debent pro infectis haberi. Regul. 64. in 6. & leg. *non dubium*. Codic. de legibus. Quod maximè verum habet, quando peccatur in forma præscripta ad faciendum actum, sic enim forma præscripta in huiusmodi transitu est, vt fiat petita licentia.

XIX. Est igitur prima sententia simpliciter affirmans petitionem licentiæ esse de substantia huius actus. Ita tenet Panormitanus in dicto cap. *licet*. num. 10. & lib. 1. Consil. consil. 95. dicit esse communem opinionem Hostiensis, Ioannis Andreæ, & Modernorum, citat Glossa in cap. *intelleximus*. de ætate, & qualitate, quæ varias opiniones refert, & tandē in hanc partem inclinat, quòd Monachus sic translatus reuocandus est, indicans transitum fuisse nullū. Citat etiam Gloss. in c. *cum singula*. §. *prohibemus*. verb. *Canonica*. de præbend. in 6. Sed illa solùm dicit, ad hūc transitum sufficere licentiam Prælati requirere, etiam si non obtineatur. Denique citat Glossam in dicto c. *mandamus*, quę expressè dicit regularem Canonicum sic translatum non esse Monachum; loquitur tamen iuxta illud ius antiquum. Videtur tamen posse illud ius confirmari, ex dicto cap. *intelleximus*. de ætate, & qualitate, quod est Innocentij III. & tamen in eo allegatur ius illud tanquam obligans & habens effectum illo tempore; ergo etiam nunc eandem vim habet, nam post Innocentium reuocatum non est. Addit rationem Panorm. quia necessitas petitæ licentiæ imposita est, ne bonum obedientiæ contemni videatur; ergo si sine tali licentia discedit, præsumitur contemnere bonū obedientiæ; ergo non potest dici quòd instinctu Spiritus sancti transierit; ergo non est validus transitus.

XX. Secunda sententia distinctione vtitur. Nam in Canonicis regularibus censetur transitus ad monachatum nullus, si fiat sine licentia petita; non verò in quolibet alio transitu, vel Canonicorum regularium inter se, vel monachorū inter se, vel monachorum ad Canonicos regulares. Sunt enim etiā inter ipsos diuersi modi religionum, vel familiarū militantium sub diuersis Generalibus, & constitutionibus, quarum vna est arctior alia, & similiter potest esse aliqua regularis Canonia strictior aliquo modo monachatu; ita ergo potest intelligi transitus, & monachi ad strictiorem monachatum, vt per se constat, & ad statum strictiorem Canonici regularis, & Canonici etiam regularis ad Canonicatum strictiorem. Dicit ergo hæc opinio omnem huiusmodi transitum factum absque petita licentia validum esse, etiamsi peccaminosè fiat. Hæc opinio potest tribui Ioanni Calderino, qui vt refert Panormit. distinctione vsus est, sed reuera erat alia eius distinctio: nam omnem transitum huiusmodi à Monasterio priuilegiato, quoad hanc partem, dicebat esse inualidum; si autem monasterium à quo fit transitus, non est priuilegiatum, dixit esse validum; & fundamentum illius erat, quia priuilegium aliquid debet operari. Quæ ratio, vt bene aduertit Paludan. generatim sumpta non conuincit, nā posset priuilegiū alium effectum operari. Considerādus ergo est tenor priuilegij. Nam si illud non solū prohibeat, sed etiam irritet transitum, factum sine licētia petita, tunc illud operabitur, & reuocari poterit sic translatus; si autem priuilegium non fecerit huiusmodi, nihil confert ad hunc effectum, sed alium operabitur secundùm tenorem suū; quod si fortasse Calderinus non est loquutus de priuilegio priuato, sed de inserto in corpore iuris, sic coincidit eius distinctio cum superiori, quia in iure non inuenimus hoc priuilegium concessum nisi Canonicis regularibus in prædictis decretis, licet Glossa in c. *licet*. de regular. indicet similem concessum esse Cistercienſibus in c. *non est*. de regular. quod ex illo nō satis colligitur, vt infra videbimus. Esto verò sit aliquod tale priuilegium, prout commemorat Innocentius in dicto c. *licet*. idem erit de illo iudicium.

XXI. Ratio ergo illius distinctionis est, quia transitus Canonici regularis ad Monachatum sine licentia sui Prælati, erat nullus ex vi decreti Vrbani II. sed Innocentius III. non reuocauit, vel declarauit illud decretum, nisi quoad hoc, vt sufficiat licentia petita, & non obtenta: ergo quoad reliqua omnia manet prius decretum in sua vi; est ergo irritans, sicut antea erat, & eadem ratio procedit de quacunque religione, quæ simile priuilegium habebat ante declarationem Innocentij III. nam ipse de omnibus expresse, & eodem modo loquitur. in aliis verò, in quibus facta nō fuerat talis irritatio, cessat

hæc

hæc ratio, quia Innocentius in dicto cap. *licet*. solùm prohibet, tranſitum ſine licentia petita, non vero addit clauſulam irritandi, neque poſt illam legem eſt alia edita in iure communi, quæ illam addat: ergo non eſt vnde illa profeſsio ſit irrita, quæ ratio rectè probat hanc poſteriorem partem, ſed prior non ſufficienter probatur.

XXII. Vnde eſt tertia ſententia, quæ mihi magis probatur, negans generaliter petitionem licentiæ eſſe de ſubſtantia actus, ideoque profeſsionem eſſe validã, ſi certum ſit factam eſſe in religione perfectiore, etiam ſi tranſitus ad illam factus fuerit abſque licentia petita. Ita tenet Gloſſa in cap. *ſanè*. & in cap. *licet*. de regularibus, & Abbas antiquus. Gofredus, & Ancharanus, quos Panormit. refert. Sequitur Syluester verb. *Religio* 4. num. 1. citans Archidiaconum, Veruetium, & Supplementum, idem Turrecremata in cap. *nullus*. 19. q. 3. in ſua quæſtione 2. Ratio eſt, quia illa profeſsio non eſt irrita ex natura rei, neque ex iure canonico, ergo nullo modo. Prima pars antecedentis conſtat ex dictis in capite præced. nam ille tranſitus in ſubſtantia non eſt contra profeſsionem priorem, cùm ſit iuxta conditionem in illa incluſam; ergo ex natura rei non habet vnde ſit inualidus, quia ſi quid peccatum fuit, ſolùm fuit in modo, non tamen in iuſtitia, & conſequenter nec in ſubſtantia contractus. Secunda verò pars probatur, primò quia hæc irritatio non eſt facta, ex vi capituli *licet*. vt Panormitanus vult, quia in eo textu nullum eſt verbum irritans, ſed ſolùm præcipitur ſubdito, vt licentiam petat, &c. Verba autem illa, quæ expendit Panormit. *ne bonum obedientiæ contemnere videatur*, ſolùm declarant rationem ſeu motiuum talis præcepti, quod ad irritationem nihil refert. Item quia ex ratione Panormitani, ſolùm ſequitur peccare religioſum in modo illius tranſitus, inde tamen non ſequitur, profeſsionem poſtea factam in ſe non fuiſſe bonam, & ab Spiritu ſancto intentam, ſæpè enim Deus inſpirat opus de ſe bonum, & homo in executione eius miſcet aliquam malitiam, quæ non obſtat, quominus opus ſuum effectum, & valorem habeat. Quin potiùs (quod notandum eſt propter aliquos modos loquendi Canoniſtarum) licèt ex parte religioſi tranſitus fieret ex leuitate, vel paſsione aliqua, ſi tamen reuera fiat ad religionem arctiorem validus eſt. Sicut eſt validum votum de materia licita, etiamſi ex parte vouentis fiat modo illicito, qui modus nõ obſtat quominus effectus ipſe poſsit eſſe intentus à Deo, qui, vt Auguſtinus dixit, nouit permittendo mala exequi bona, quæ fieri decreuit. Nec denique Innocentius ponendo illud præceptum, dedit formam ſeruandam in tali contractu, ſed ſolùm voluit illum ordinem ſeruari propter reuerentiam debitã Prælatis, vt verba rationis eius ſatis declarant; nullum ergo eſt fundamentum irritationis in illo decreto: nec etiam poſt illud facta eſt in iure communi, nullibi enim extat in corpore iuris; Quid verò de priuatis priuilegiis poſtea conceſsis ſentiendum ſit, infrà dicam.

XXIII. De antiquioribus verò decretis, quæ ſolùm de ſpecialibus religionibus loquuntur: Primùm dici poteſt ſi quod fuit tale priuilegium conceſſum per illa decreta, non poſtulaſſe tantùm licentiam petitam, ſed etiam obtentam, atque ita voluiſſe, vt valor tranſitus, & receptionis ex illo ſequutæ, penderet ex conſenſu prioris Prælati, & ideo Innocentiũ, auferendo neceſsitatem huius conſenſus, abſtuliſſe etiam talem dependentiam, & conſequenter irritationem, quia ablato fundamento auferuntur reliqua, neque mens antiquorum Pontificum fuit, vt petitio licentiæ eſſet neceſsaria niſi propter conceſsionem, nunc autem non eſt neceſsaria propter illum finem, ſed ſolùm propter ſubordinationem obedientiæ, & ideo licet retenta ſit quoad neceſsitatem noui præcepti, non verò, quoad neceſsitatem valoris actus; nam hanc ſolùm habebat ratione cõſenſus, & quatenus erat via ad illum.

Deinde aſſero etiam in dictis decretis non inueniri hanc irritationem. Quod quidem de Canonicis regularibus videtur probari ex c. *ſane*. de regular. vbi Alex. III. præcipit non reuocari canonicum regularem, qui ad monachatum ſine licentia tranſierat, & tamen tunc decretum Vrbani non erat reuocatum ab Innocentio III. Reſpondet Panormit. illam fuiſſe diſpenſationem, quod colligit ex illo verbo *remanere permittas*. Sed non eſt veriſimile, tum quia illa declaratio habet vim legis ſemper ſeruandæ in ſimili caſu, tum etiam, quia ſolùm fundatur in ratione maioris religionis, tum præterea, quia ſi fuiſſet diſpenſatio, neque ille religioſus antea fuiſſet ibi cum bona conſcientia, vt in textu ſupponi videtur, nec ſimpliciter relinquendus eſſet ſine cõfirmatione, vel iteratione profeſsionis, ſi nulla fuerat. Verbum ergo *permittas*, neque ſemper, neque in rigore ſignificat idem, quod diſpenſes, ſed, non cõpellas ad contrarium; ita enim hæc duo verba in illo textu opponuntur. Deinde probatur exipſis decretis Vrbani II. nam in c. *mandamus*. vbi abſolutè prohibuit hunc tranſitum, veriſimile eſt irritaſſe etiam illum, quia reuocationem tranſeuntis præcipit: at verò in c. *ſtatuimus*. in quo moderatur prohibitionem, & concedit poſſe trãſitum fieri ex permiſsione Prælati, imitationem etiam abſtuliſſe videtur, quia non præcipit reuocari eum, qui ſine licentia tranſierit, ſed ſolùm addit; *Diſcedentem nullus Abbatum, vel Epiſcoporum ſine communi literarum cautione ſuſcipiat*. Si autem ſuſcipiatur cum effectu, non irritat receptionem, vel profeſsionem, nec receptum reuocari præcipit; ergo indicium eſt abſtuliſſe irritationem, quod fortaſſe indicium per ſe ſolùm non conuinceret, tamen iunctum cum c. *ſane*. magnam facit perſuaſionem. XXIV.

De tranſitu præterea regularium Canonicorum, vel Clericorum inter ſe, ex laxiori ad ſtrictiorem nulla eſt ſpecialis diſpoſitio in iure illum prohibẽs, nedum irritans. Nec denique de Monachis reſpectu ſtrictioris religionis, ſiue aliorum monachorum, ſiue Clericorum, talem prohibitionem inuenio in iure communi, quamuis eam referat Innocentius in dicto cap. *licet*. vbi Gloſſa verbo *Monachis*. refert capitulum *non eſt*. de regular. ſed ibi ſolùm præcipit Alexander III. Prælatis Galliæ, *Ne Monachos, vel conuerſos Ciſtercienſis Ordinis poſt profeſſionem ſine licentia Abbatum ſuorum per Epiſcopatus ſuos recipi nullatenus permittant*. Quam prohibitionem cum irritatione factam eſſe, ex fine textus, & ex ipſo originali manifeſtum eſt. Tamen in citatis verbis nulla eſt mentio religionis arctioris, quare optimè intelliguntur ſecundum commune ius, de tranſitu ad laxiorem, vel æqualem, vt ibi Gloſſa ſentit. Nam pro ratione reddit, quia non reperitur ordo arctior, quod non placet Hoſtienſi, quia Carthuſia arctior eſt, & forſan inquit: *Etiam alij, quos non expedit nominare*. Vnde ipſe intelligit ibi eſſe datum priuilegium Ciſtercienſibus, vt ſine conſenſu Abbatis ad arctiorem tranſire non poſsint. Tamen ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. cap. 6. colligimus priorem fuiſſe mentem Pontificis, ſic enim dicitur: *Non eſt dubium, quod incertum, quomodo fratres Religioſi Ciſtercienſis ordinis religione præmineant, & virtute, quod ex inſtitutione Patrum, & prædeceſſorum noſtrorum, hi, qui in eorum monaſterio profeſſionem faciunt, ſine licentia ſui Abbatis prohibentur de clauſtro diſcedere, & diſcedentes in alio monaſterio non recipi. Inde eſt, quod nos eandem inſtitutionem, non ſolùm amicam religioni, ſed rationi conſonam ſolicitè conſeruare volentes, vniuerſitati veſtræ mandamus*, &c. Ex quibus verbis ſatis conſtat, Pontificem reſpexiſſe ad arcti-

arctitudinem, & perfectionem illius religionis, in qua fortasse tunc adeo vigebat disciplina, & reformatio, vt Pontifex eo tempore nullam aliam existimauerit esse arctiorem. Quapropter mutatis iam rebus, non credo ex vi illius textus esse prohibitum Cistercienſibus transitum ad arctiorem sine consensu Prælati. Vnde idem Hostiensis in cap. *licet.* non adducit illum textum, sed alluſisse putat Innocentium ad quandam decretalem antiquam, *Si qua libera.* de statu regularium, quæ nunc non habetur in corpore iuris, sed habetur in secunda collectione Decretalium Antonij Augustini, eiusque verba sunt, *apostolica auctoritate interdicimus ne quis vestros fratres clericos, siue laicos post factam in monasterio vestro professionem absque vestra licentia susciperе audeat, vel tenere,* quæ verba magis generalia sunt; tamen mihi non constat, an illud priuilegium suam vim retineat, cum à corpore iuris reiectum sit, vel fortasse ideo fuit omissum, quia idem reputatum est cum cap. *sanè*, & ideo iuxta tenorem illius erit intelligendum.

XXVI. *Concluditur valere transitum etiãsi licentia prius non post discessum à primo monasterio.*

Sic igitur concluditur petitam licentiam esse necessariam, vt actus recte fiat, non tamen, vt validè fiat ex vi iuris communis; vnde fit Religiosum sic translatum, & iam receptum in alio monasterio arctiori, non esse reuocandum, quod est manifestum, si in alio monasterio professionem iam emisit, quia est valida, & consequenter obligat, & reuocat priorem. Si autem tantum ad habitum receptus sit, posset esse maior dubitatio, quia adhuc est sub obedientia alterius Prælati, & indebito modo ab illa recesit; ergo potest reuocari. Nec satis esse videtur, inde petere licentiam, vt si negetur, iam compelli ad reditum non possit; nam vbi ius requirit licentiam, non satis est illam petere post factum, sed debet peti à principio, vt ait Panormit. in dict. cap. *licet.* n. 11. & in cap. vltimo de Ecclesiis ædificandis num. 7. & 8. Sed licet hoc verum sit, vt actus recte fiat, vt in præsenti clare disponit dictum cap. *licet.* si tamen transitus iam est factus, etiam quoad solam receptionem habitus, videtur sufficiens; illam petere ad ibi permanendum, quia quod prætermissum fuit accidentarium erat, & ideo satis esse videtur, vt suppleatur eo modo quo fieri possit, non retractando prius factum, cum id nullius videatur esse vtilitatis, quandoquidem ille potest redire, statim post petitam licentiam, etiamsi non concedatur. Quod maxime verum habet, quando licentia in principio fuit prætermissa, ex aliqua rationabili, & vrgente causa, iuxta doctrinam eiusdem Panormitani in dicto cap. vlt.

XXVII. *Limitatur nisi sit dubium, an alterum monasterium sit strictius.*

Sed hæc omnia intelligenda sunt, vt dixi, quando omnino indubitatum fuerit transitum fieri, vel factum esse ad strictiorem religionem. Nam vbi res dubia fuerit, nullo modo erit validus transitus sine licentia factus, quia tunc vel non solum est necessaria licentia petita, sed etiam concessa; vel si Prælatus noluerit eam concedere, non potest priuari iure suo, priusquam res per Superiorem decidatur, iuxta dictum capitulum *licet*, quia in dubio melior est conditio possidentis; quapropter, si existente dubio religiosus transeat sine licentia, reuocandus est, etiam post professionem alibi factam, vt proprium monasterium ad suam possessionem restituatur, & postea de dubio, & controuersia inter subditum & Prælatum agatur.

XXVIII. *A quem petitus sit dubium, declaratur.*

Solet autem quæri, ad quem pertineat illam litem definire. nam in textu solum dicitur *Superioris est iudicium requirendum.* Sed quisnam est iste Superior? Quidam aiunt esse proximum Prælatum vtriusque partis. ita dicit Syluester *Religio* 4. numero 1. cum Panormitan. & Innocent. Sed si hoc intelligant de proximo Superiore eiusdem religionis, vt v.g. de Prouinciali, si contentio erat cum Priore, vel de Generali, si dubium erat cum Prouinciali, videtur sequi idem inconueniens, quòd Prælatus sit Iudex in causa sua, propter quod vitandum committitur hoc iudicium Superiori, vt iidem Authores fatentur. Sequela patet, quia respectu omnium Prælatorum eiusdem religionis, illa causa est tanquam propria, quia nullus eorum contendit pro commodo suæ personæ, sed pro iure, & dignitate suæ religionis. Vnde illud dubium non versatur in rigore inter Prælatum, & subditum, sed inter religiones, quæ scilicet illarum arctior sit, & ideo verosimilius censeo hoc iudicium reseruari Superiori vtriusque religionis, qui erit Pontifex, si religiones, vel altera earum sit exempta. Si verò essent monasteria eidem Episcopo subiecta, ad ipsum iudicium pertinebit, vel si fuerint Monasteria diuersarum diœcesum, vt in monasteriis monialibus facile accidere potest, tunc per metropolitanum videtur lis dirimenda. Denique quoniam hoc ad forum externum spectat, ille Superior, ad quem pertinet alias causas iudicare, inter illas duas religiones, vel Monasteria est iudex in hoc dubio.

XXIX. *Resolutio priorum partis, vbi monasterium vni tantum prælato subordinatur.*

Quintò dubitatur, à quo sit hæc licentia postulanda, & quomodo. Respondetur ad priorem partem, ex vi iuris communis satis esse postulare illam ab Abbate, seu Prælato proprij Monasterij; Probatur, tum quia iure communi tota potestas in his quæ ad talem domum pertinet, est apud illius Prælatum, vt suprà visum est; tum etiam, quia iura citata non amplius requirunt. Solùm in dicto cap. *statuimus.* videtur requiri licentia *Patris, & totius congregationis.* ex quibus verbis aliqui colligunt necessariũ esse, vt licentia petatur ab Abbate cum conuentu. ita colligit Turrecremata ibi, qui ad hoc etiam põderat alia verba eiusdem textus *sine communi literarum cautione.* putat enim vocari communes literas, quia dari debent à toto conuentu. Sed hoc posterius parum cogit, quia non literæ vocantur communes, sed cautio, quæ per literas datur, dicitur communis, id est, vsitata: vel dicitur communis non ex parte dantium literas, sed eorum ad quos dantur. Priora autem verba non constat ita esse in originali, nam alia habent *Patris totius congregationis.* Nihilominus si iuxta illud ius requirebatur licentia obtenta, probabile est, eo modo fuisse tunc necessarium concursum conuentus ad talem licentiam, quod ad receptionem Monachorum necessarium esse suprà diximus, tamen iuxta nouum ius dicti c. *licet.* sine dubio sufficit à solo Prælato Monasterij licentiam postulare. Probatur ex verbis eiusdem capituli *licet. Subditus à Prælato debet licentiam postulare.* probatur etiã ex ratione eius, scilicet, vt bonum obedientiæ non contemnatur; nam obedientia exhibenda est Prælato, & ordinariè non pertinet ad totum conuentum.

XXX. *Idem putãt aliqui etiam nunc vbi habentur Prouinciales, & Generales.*

Difficultas verò est an nunc quando monasteria habent maiores Prælatos vniuersales, quibus grauiora negotia reseruantur, an teneatur subditus petere à Prouinciali, vel à Generali licentiam, quando iuxta morem religionis hæc causa illis reseruata est. Videtur enim non posse ad hoc obligari, quia ius commune tantum imponit illi onus petendi licentiam à Prælato suo proximo; ergo si ille non dederit, vel distulerit responsum vsque ad Prouincialis, vel Generalis consultationem, non tenetur expectare, quia iura particularia non possunt auferre libertatem iure communi concessam, nisi ad hoc speciali priuilegio Pontificio munita sit religio; quæ ratio videtur non improbabiliter partem hãc suadere; & potest addi congruentia, quia cùm hæc licentia non petatur propter consensum Prælati, sed propter reuerentiam ei debitam, non videtur pendere ex vniuersaliori iurisdictione, Prouinciasium, aut Generalium; neque illam postulare. Nihilomi-

hilominus oppositam censeo securiorem, & omnino seruandam. Itaque ab illo Prælato petenda est facultas ad quem similia negotia secundùm mores, & statuta religionis pertinent. Ratio est, quia supposita tali institutione, & limitatione iurisdictionis, proximus Prælatus quoad hoc negotium non est Prælatus, & ideo petenda est licentia ab illo Prælato, qui in tali negotio ius Prælationis habet. Vnde per hoc non derogatur iuri communi, sed propter mutationem quæ fit veluti ex parte materiæ ipsummet commune ius applicatur diuersis Prælatis, iuxta varia instituta religionum. nam in dicto c. *licet*. non dicitur satis esse petere licentiam à Prælato conuentuali, sed simpliciter *à Prælato*, quod est iuxta materiam subiectam intelligendum, de Prælato ad quem licentia illa pertinuerit; & confirmatur ex ratione eiusdem textus, ne obedientia contemni videatur: Nam ad hoc necessarium est, vt vnicuique Prælato religionis seruetur obedientia, in his quæ ad illum pertinent, iuxta institutum religionis. Denique licentia hæc non præcipitur postulari propter solam exteriorem ceremoniam, sed etiam, vt intentio, & zelus religiosi, qui mutationem appetit, possit prudenter examinari, & per iudicium Superioris dirigi quoad fieri possit. Et ideo monet Sylvester suprà, & rectè, mea sententia, si post petitam licentiam Prælatus differat responsum, donec de re cogitet, & consulat, & à Deo etiam lumen petat, subditum teneri ad expectandum cõuenienti tempore; ergo quamuis consensus Prælati necessarius non sit, nihilominus meritò potest reseruari hæc licentia superiori Prælato, cuius iudicium, & consilium pluris æstimari solet; neque illa mora debet subdito iniuriosa, vel onerosa videri, quia pro tam graui negotio non potest esse nimia, & ipse tenetur, vt dixi, tempus sufficiens ad prudẽtem consultationem concedere, & in tali religione saltem per modum consultationis ille recursus iudicatur moraliter necessarius.

XXXI. *Resolutio posteriorũ partiũ huius quinti dubii de seruandis duob. modis in petenda licentia ad transitum.*

Atque ex his constat, quis modus seruandus sit in hac facultate petenda, qui per hæc verba explicatur in dicto cap. *licet*. *Debet cum humilitate, & puritate licentiam postulare*, id est, cum reuerentia Superiori debita, & veram causam, ac motiuum suæ deliberationis Prælato proponendo. nam primum pertinet ad humilitatem, secundum ad puritatem. Vnde contra priorem conditionem, rarò peccabitur grauiter, si duæ conditiones seruentur; vna, vt licentia petatur ante omnem mutationem, seu egressum è monasterio; alia, vt ab eo Prælato, & modo quo iuxta institutum & morem religionis peti debet, postuletur. Solùm in hoc dubitari potest an sit necessarium semper licentiam postulare intra monasterium ad excusandam culpam grauem, vt v.g. Si Religiosus esset absens à Monasterio cum legitima facultate, & inde petat facultatem per scriptum, an satisfaciat suæ obligationi, ita vt si denegetur, possit tuta conscientia propositum suum exequi, videtur enim satisfeciſſe, quia etiam per literas potest humiliter, & cum puritate postulare, & ius non postulat, vt licentia petatur coram, seu in præsentia Prælati; Item quia si petenda sit à Prouinciali, sufficit per literas postulare, & si neget, vel etiamsi nõ respondeat, (sentit Sylvest. suprà) non tenetur subditus amplius expectare. Item quia suprà numero 26. dicebamus, qui iam receptus est in alio monasterio, licèt non seruato debito ordine, satisfacere petendo licentiam per nũtium, vel per literas ad profitendum; ergo quod illi licet præcedente culpa, licebit alteri per aliam occasionem, in qua culpa non præcesserit. Nihilominus existimo, si Prælatus nolit esse conuentus tali petitione licentiæ, de se non sufficeret, nec posse subditum sine culpa statim transire inuito Prælato, sed teneri redire ad proprium monasterium, & inde debito modo ac ordine egredi, vel negotium tractare. Ratio est, quia ille modus petendi facultatem est contra ius quod Prælatus habet, vt subditus ad suam obedientiam, seu potestatem redeat. Item quia petendo illo modo facultatem videtur decipi & contemni Prælatus, & ita non satisfieri illi præcepto. Hæc autẽ obligatio intelligitur per se loquendo. nam si graue aliquod periculum vel impedimentum timeretur, posset inde honestari, & sufficiens reputari petitio talis facultatis; & hæc ratio locum habet quotiescunque res non est integra, sed status mutatio inchoata est, per receptionem alterius habitus, tunc enim non potest reditus fieri sine magno incommodo, & ideo existimo tunc in conscientia excusari, etiamsi culpa sua in eo statu se constituerit. sic ergo seruanda est illa conditio, quoad fieri possit iuxta occurrentes circumstantias.

Quomodo violetur prior modus non petendo coram.

Altera verò conditio, quæ puritatem requirit in postulanda licentia, maximè violabitur, si quis fingat se procurare transitum, ex affectu maioris perfectionis, cùm re vera ex alia humana causa moueatur, in qua deceptione non credo excusari culpam grauem, quia si Prælatus totius causæ veram notitiam haberet, non teneretur petitam facultatem concedere; & ipso denegante iustè, non posset subditus licitè transire, quia tunc solum hoc licet, quando Prælatus iniustè negat, vt diximus. Sicut ergo in petitione cuiuscunque gratiæ, vel dispensationis necessaria est vera narratio ne gratia fiat surreptitia, & nulla, ita in præsenti necesse est, vt hæc licentia cum puritate, id est, pura veritate petatur; alioquin talis licentia etiam vt petita, erit surreptitia, & ideo non sufficiet ad excusandam culpam, quamuis non irritet actum postea subsequutum, quia talis licentia, non est de substantia eius, vt diximus num. 22.

XXXII. *Quando valeat dispensatio petenda sine vera causa.*

CAPVT XI.

An ex vi prædicti iuris communis licet transitus ad religionem æque, vel minus strictam.

I. *Disputatio prima de non minus strictis.*

VLterius verò inquirendum superest, de hoc transitu ex vi iuris communis, vt loquimur, an possit Prælatus religionis ex iure communi, dare facultatem transeundi ad religionem æqualem vel laxiorem. Quod ad primam partem attinet, certum est non posse transitum ad religionem æqualem fieri à Religioso sine facultate non solum petita, sed etiam obtenta, quia ex natura rei hoc necessarium est, vt suprà cap. 9. ostendi, & ius Canonicum non id concedit, quia solùm de arctiore religione loquitur, quando vult licentiam petitã sufficere. Ex quo sequitur necessarium esse hanc licentiam postulare ab illo Prælato, qui possit illam cõcedere, quia aliàs nihil operaretur licentia ab alio ostensa. Præterea indubitatum est, posse Pontificem hanc licentiam dare, vt à fortiore constabit ex dicendis in sequenti dubio.

II. *An possit Prælatus dare licentiam transeundi ad religionem æque strictam.*

Solùm ergo superest difficultas de Prælatis inferioribus, circa quod multi sentiunt posse Abbatem seu Prælatum religionis hanc licentiam dare. Ita sentit Glossa in cap. *non est*. de regular. & in cap. *singula*. de præbend. in 6. Sequitur Panormit. dict. cap. *non est*. numero 6. Addit verò cautius esse habere dispensationem Episcopi, cum Innocent. in cap. finali de renunciatione. Sed videtur nihil referre considerato præsenti vsu Ecclesiæ, quòd de Episcopo, vel de Prælato religionis habente iurisdictionem quasi Episcopalem loquamur. Nam si religiosi sunt exempti, Episcopus non potest talem licentiam

licentiam dare, cùm nullam in eos potestatem habeat, in his quæ spectant ad ordinarium regimen eorum: si verò loquamur de monasteriis subiectis Episcopo, ipse ibi est quasi proprius Prælatus, & ideo eadem erit de illo ratio. Oportet tamen aduertere in Monasteriis virorum subditis Episcopis, dari proprium Prælatum regularem, scilicet Abbatẽ, vel Priorem, ad quem comparatur Episcopus, sicut in religionibus exemptis comparatur Prouincialis ad conuentuales Prælatos. Omnes ergo tanquam manifestum supponunt Prælatum superiorem, id est, Episcopum, vel Prouincialem posse hanc licentiam dare respectiuè. Ratio autem est, quia in hoc transitu duo sunt, vnum est commutatio votorũ, quatenus ad Deum obligant, & hæc ordinaria potestate potest à quolibet fieri, vt nunc supponimus; aliud est alienatio, & quasi abscisio cuiusdam membri ab hoc corpore religioso; ergo quoad hoc habẽt etiam potestatem huiusmodi Prælati, quia hoc pertinet ad ordinarium regimen religionis, & nullibi inuenitur Papæ reseruatum.

Resolutio affirm. de prælatis superalentes.

III. *Difficultas an prælatus localis possit dictam licentiam dare.*

Difficultas verò est, an solus Abbas sine Episcopo etiam si supponatur illi subiectus, vel nunc, sine Generali, aut Prouinciali cui est subiectus, possit talem licentiam dare, & in hoc sensu videtur id negare Innocentius dicto cap. vltimo de renuntiatione num. 2. citans cap. *qui vere* 16. quæst. 1. vbi dicitur Monachos debere esse subiectos Episcopo permanentes in locis in quibus semel se Deo deuouerunt. Panormitanus ergo non putat esse licentiam Episcopi necessariam, licèt securius iudicet illam postulare. Nauarrus autem comment. 4. de regular. numero 10. simpliciter affirmat sufficere licentiã Prælati Minoris, per quem Abbatem, & quemlibet alium Prælatum intelligit, iuxta quam opinionem consequenter dicẽdum est in religionibus exemptis non requiri licentiam Prouincialis ex vi iuris communis. Præcipuum fundamentum sumitur ex cap. *statuimus* 19. quæst. 3. ibi, *sine Patris, & totius congregationis permissione*, &c. ex quo in primis solùm sumitur argumentum à contrario, & præterea iuxta illam lectionem Prælatus solus, sine conuentu non potest illam licentiam dare. Potest verò eadem sententia probari ex dicto capitulo *non ist.* de regularib. ibi, *sine licentia Abbatum suorum.* nam clare ibi supponitur cum licentia posse transire, ergo maximè ad æqualem. Veruntamen qui existimant ibi prohiberi transitum sine licentia ad quamcunque arctiorem, respondere possunt illud solùm intelligi de transitu ad arctiorem, vt scilicet cum licentia Abbatis fieri possit, ad aliam verò non arctiorem nullo modo.

IV. Quare non videtur hæc sententia positiuè, vt sic dicam, satis ex iure conuinci, quod etiam Nauarrus sensit. Existimo tamen sufficiens fundamentum esse, quòd non inueniatur in iure prohibitum Abbati, quominus possit hanc licentiam dare; atque adeò eo ipso quòd non reseruatur esse cõcessam, quasi ordinario munere. Assumptum patet, quia in dicto cap. *qui vere*, neque agitur de transitu ad aliã religionem, sed ad ministeria Clericorum in Ecclesiis exercenda, quod tunc nõ permittebatur Monachis, nisi iussu Episcoporum, nec negatur Monachos esse subiectos Abbatibus, quoad ea quæ pertinent ad eorum iurisdictionem, licèt affirmetur debere esse subiectos Episcopis. Ex quo ad summum sequitur, contradicente Episcopo non posse Abbatem licentiam hanc dare, sicut nec potest localis Prælatus exemptus, contradicente Prouinciali, illam dare, quia est superior Prælatus. Quod autem sit per se necessarium petere & obtinere licentiam ab Episcopo, inde non probatur, quia licèt ipse superior sit, nihilominus Abbas habet suam ordinariam iurisdictionem.

Altera verò pars, seu illatio, nimirum si hoc non est prohibitum esse concessum Abbati, probatur primò, quia suprà ostensum est iure communi apud illum esse totam monasterij potestatem. Secundò declaratur in hunc modum, quia ad hanc licentiã, non tam est necessaria potestas iurisdictionis, quàm administratiua bonorum monasterij, & quasi dominatiua in personas eius. Hæc autem potestas est in Prælato, vel solo, regulariter loquendo, vel simul cum conuentu in casibus in iure, vel in regula expressis, vt suprà ostensum est; Ergo talis est potestas ad hanc facultatem concedendam. Maior patet, quia ex vi commutationis votorum non est necessaria iurisdictio, cùm sit in æquale iuxta receptam doctrinam, vel licet secundum quosdam necessaria sit, minima sufficit vel solius Confessoris. Ad reliquum autem sufficit vt religio cedat iuri, quod habet in talem personam, quod potest facere Prælatus per potestatem administratiuam, quam à religione habet, & eodem modo potest cedere obedientiæ sibi, & suis superioribus debitæ; ergo nihil aliud necessarium est. Vnde existimo antiquos Abbates habuisse hanc potestatem etiam quando Clerici non erant, nec propriam iurisdictionẽ Ecclesiasticã habebant. Nunc verò erit in his Prælatis hæc potestas si per propriam regulam, vel constitutiones non sit ablata, facilè enim id fieri potest, cùm ius commune positiuè non resistat, sed solùm non assistat, seu non prohibeat; & eadem ratione existimo posse facile Episcopos in Monasteriis sibi subiectis hanc facultatem sibi reseruare.

V.

Explicandum solùm superest an sit necessaria iusta causa, vt talis facultas, vel validè, vel licitè detur. In quo aliter de Summo Pontifice, aliter de inferioribus loquendum est. nam si Summus Pontifex talem facultatem concedat, etiam sine causa valida est, quia nullam inuoluit dispẽsationem in voto, sed meram commutationem in æquale, quæ sine causa facta valida est. Aliunde verò peculiaris obligatio personæ ad talem religionem, in particulari, est solùm ex humana institutione, quæ pendet ex voluntate Pontificis; ergo, si ipse illam auferat, vel licentiã det commutãdi illam in aliam, factum tenebit etiamsi absque causa fiat; nam dispensatio in iure humano data à supremo Principe, etiam sine causa valida est. Dices, illud non tantùm esse dispensari in iure, quatenus ius legem significat, sed esse tollere alicui ius suum, prout ius dominium & actionem significat, quia religio habet ius acquisitũ, & dominium in talem personam, quo priuatur per translationem eius. Quamuis autem hoc ius media institutione humana acquisitum sit, tamen postquam est acquisitum, non videtur posse à Pontifice auferri validè pro sua tantùm voluntate sine iusta causa, quia non est dominus omnium iurium religionis, sed fidelis dispensator, & prudens. Sicut non posset sine causa auferre ab vna religione omnia temporalia bona, & conferre alteri, nec factum teneret, quia esset contra iustitiam commutatiuam; ergo à fortiori idem dicendum est de persona, quia non minùs habet religio dominiũ suarum personarum, quàm aliorum bonorum, & magis videtur lædi, per priuationem personarum, quã bonorum.

VI. *Ad valorem dictæ licentiæ non eget Papa iusta causa.*

Respondeo, Pontificem esse supremùm Prælatum cuiuscunque religionis, & ratione huius supremæ potestatis posse eximere quemcunque religiosum ab obedientia inferiorum Prælatorum, & sibi reseruare, quod factum erit validum, etiamsi absque vlla causa ob solam beneuolentiam, vel gratiã talis personæ fiat, & ita potest priuare religionem omni iure fruendi, vel vtendi tali persona, in quo non facit illi iniuriam, quia vtitur iure suo. Eodem ergo iure vtitur, quando dat facultatem transeũdi

VII.

ad aliam religionem, nam sicut sibi reseruare potest, ita etiam potest concedere, vt mediis Prælatis alterius religionis promissam obedientiam seruet. Denique, quamuis per professionem persona se tradat religioni, & religio acquirat dominium in persona; tamen illud non est, (vt ita dicam) principaliter dominium vtile religioni, præsertim in temporalibus, sicut est dominium serui, sed est principaliter ordinatum ad spirituale bonum, & ideo illa traditio principaliter censetur fieri supremo Pastori. vnde non est simile de aliis bonis temporalibus & dominio eorum.

VIII. *Eget tamen causa iusta, vt licitè det licentiam.*

Probat autem rectè illa obiectio, non posse etiam Pontificem licitè dare hanc facultatē sine causa legitima, tum quia nec reseruare sibi potest quēcunque religiosum eximendo illum ab obedientia suorum Prælatorum sine rationabili causa, quia illud non esset in ædificationem, sed in destructionem, tum etiam, quia illa facultas nonnullum nocumentum est propriæ religionis; non debet autem fauor vni fieri cum detrimento alterius habentis ius, & possessionem rei sine causa. Tum præterea, quia hæ mutationes ex suo genere sunt odiosæ, & parum vtiles, vt suprà visum est, cap. 9. à numero 2. ergo non rectè faceret Pontifex illas permittendo sine legitima causa; nam ad illum maximè spectat procurare vt omnia ordinatè fiant. Quæ rationes multo magis probant inferiores Prælatos non posse hanc facultatem dare sine legitima causa, quę autem illa sit, & an sit eadem respectu omnium, infrà dicetur.

IX. *Prælati regulares infra Papam quousque valide, vel licite concedant transitum ad aliud monasterium eiusdem ordinis.*

De aliis verò inferioribus Prælatis dubium est, an si dent huiusmodi facultatem sine causa legitima valida sit, quod tractari potest, vel de Prælatis exemptis, vel de Episcopis, quoad monasteria ipsis subiecta. De prioribus Prælatis dicendum videtur validè posse dare hanc facultatem intra monasteria eiusdem ordinis sibi subiecta, non tamen ad extranea niſi ex legitima causa. Prior pars non habet propriè locum in religionibus in quibus nō fit specialis professio pro vno particulari monasterio, sed absolutè pro tota religione; nam in illis clarum est posse Prælatum superiorem mutare ab vna domo in aliam prout iudicauerit expedire, & licèt aliquando fortè excedat vel imprudenter faciat, constat subditum non solum posse, sed etiam debere obedire, quia illa non est mutatio professionis, sed loci tantum. Procedit ergo illa pars in religionibus vbi professio fit determinatè ad certum monasterium, in quo dicitur filiatio acquiri, vt solent esse Monachales, & in eis interdum fit mutatio tantùm localis, vt professus vnius domus mittitur ad habitandum in altera, quod quidem, vt rectè fiat, nō debet sine legitima causa fieri, quia per id derogatur, vel iuri religioſi, si absque causa inuitus ad id cogatur, vel monasterij, si ipso inuito mittatur. Nihilominus tamen si fiat, factum tenebit, quia illa facultas sufficit, vt ex parte subditi sine peccato id fiat, & similiter ex parte monasterij tam illius à quo recedit, quàm alterius ad quod tendit, quia illa solùm est mutatio etiam localis, quæ ad rem præsentem non satis est; aliquando ergo fit mutatio, quodammodo in statu, quia fit quoad determinationem professionis, relinquendo filiationem vnius monasterij, & acquirendo in alio, & ad hoc dicimus validam esse licentiam Prælati superioris vtrique monasterio, vel certè licentiam proprij Prælati conuentualis, & voluntariam admissionē alterius; Ratio est, quia in ordine ad Deum supponitur æqualitas, & in ordine ad ipsam religionem non videtur hoc excedere potestatem administratiuam Prælati, quantum ad substantiam eius, vt sic dicam, licèt in modo, seu prudentia vtendi illa potestate cōmittatur aliquis excessus, quod ita declaratur, quia hic non agimus de præcepto, seu de coactione, sic enim existimo non posse subditum professum in vno monasterio compelli profiteri in alio, quia professio debet esse voluntaria, & obedientię votum semper sit iuxta regulam & primam professionem, & per se non obligat ad secundam. Intercedere ergo debet voluntas subditi petentis, vel saltem acceptantis facultatem; ergo Prælato voluntariè illam concedente id sufficiet, vt incorporatio ex vi illius facta in alio monasterio valida sit, & hoc est illam facultatem esse validam. Probatur consequentia quia Prælatus sufficienter consentit nomine Monasterij cùm habeat potestatem administrandi iura eius, nec per hunc transitum censetur ita notabiliter lædi, vt ob eam causam actio irrita fit, quia tota religio est vnum corpus, & ita illa non censetur substantialis mutatio, sed valde accidentalis, in qua totius corporis vtilitas seu commodū conseruatur.

X. *Obseruantiæ non dantur in monasteriis.*

Hoc autem intelligimus ex vi iuris communis, quo tota potestas confertur Abbati, at verò secundùm iura specialia talium religionum (quæ consulenda sunt) sæpe non potest dari talis facultas, sine consensu totius monasterij quando non est transitus ad arctius monasterium. In quo etiam est obseruandum, quod licèt vna religio videatur vnius obseruantiæ, & perfectionis, ex vi institutionis, nihilominus in Monasteriis, vel prouinciis eius potest esse magna inæqualitas, & ideo loquimur de transitu ad æquale monasterium, nam si manifestè sit maioris obseruantiæ, & arctitudinis, tunc res est euidentior; imò seruata proportione in eo habet locum doctrina in præcedenti c. tradita, sicut è contrario si sit laxius, applicanda erunt potius, quæ in sequenti dubio à n. 13. dicemus.

XI. *Ad aliam religionem omnino distinctam, non videtur posse dari talis facultas.*

Altera verò pars est, quando transitus futurus est ad aliam religionem omnino distinctam, & tūc videtur sanè non posse Prælatum sine causa legitima dare validam facultatem subdito ad huiusmodi transitum, quia ipse habet potestatē à tota religione, vel à conuentu respectiuè, nunquam autem religio habuit animum dandi talem potestatē, quia per illam intendit suam conseruationem, & ædificationem, non destructionem, aut mutilationem, per illam autem facultatem priuatur tota religio suo membro, & suo iure sine vlla vtilitate, cū supponatur nullam intercedere legitimam causam. Item potestas Prælati regularis non est tanta vt possit alienare rem pretiosam sine vtilitate monasterij, vel causa vrgente, neque etiam, vt possit eximere subditum ab obedientia sua, vel suæ religionis in perpetuum, in quo multum differt à Pontifice, qui potest eximere religiosum ab obedientia totius religionis eius, & per hoc, vel etiam dando illi facultatem transeundi ad aliam religionem, non eximit eum ab obedientia sua. Atque hæc pars videtur communiter rerepta ab Innocentio, Panormit. & aliis suprà citatis, qui ad hanc facultatem seu dispensationem requirunt legitimam causam etiam in Episcopo. & quamuis in particulari non declarent, an sit necessaria ad honestatem, vel ad valorem actus, satis indicant hoc secundum, tum quia de Pontifice aliter loquuntur, tum etiam, quia loquūtur de potestate simpliciter, eamque censent non esse sine causa legitima.

XII. *An aliqua monasteria possint dari in commendam.*

Nonnulla tamen dubitatio potest circa hoc esse de Episcopo habente sibi subiecta plura monasteria monialium, v.g. diuersarum quidem professionum seu regularium, æqualis tamen perfectionis, an possit concedere facultatē transeundi ab vno ad aliud sine speciali causa, sed solùm vt complaceat tali personæ, vel esto non possit licitè (vt re vera non potest nisi aliqua ratio diuini obsequij intercedat) factum nihilominus teneat si id faciat, in eo enim

videtur

videtur esse specialis ratio, vt factum teneat, quia est superior vtrique monasterio, & ita potest sibi reseruare totum ius, seu subiectionem talis personæ; ergo & illi concedere, vt in alio monasterio, sub sua obedientia militet, sicut in Pontifice argumentabamur; nam cum proportione videtur procedere ratio. Nihilominus non videtur hoc Episcopo concedendū, quia videtur actus supremæ potestatis; talis enim mutatio, per se est contra ius commune, & ideo dispensatio quæ circa illam fit, à quocunque inferiore sine legitima causa est nulla; ergo quidquid virtute illius fit est inualidum. Confirmatur, quia aliàs peioris conditionis esset monasterium subiectum Episcopo, quam Prælato regulari. Denique nulla est sufficiens ratio, cur concedamus Episcopo hanc potestatem, quæ ad ordinarium regimen monasterij necessaria non est, & nullibi inuenitur concessa, nec consuetudine recepta. Nec satis est, quòd ipse non se priuet, nec suam sedem subiectione talis personæ, quia potestas non est illi data propter ipsum sed propter monasterium, & ideo non extenditur ad actum de se pernicioſum monasterio, & sine causa legitima facta. Tandem verò inquiri hic posset, quæ sit censenda causa legitima, sed hoc explicabimus in sequenti puncto.

An & ex qua facultate liceat transitus ad religionem laxiorem.

XIII. *Tria tanta in hoc puncto.*

Iam ergo videndum est de transitu ad laxiorem religionem, de quo primum est certum, etiam iure communi Ecclesiastico non esse licitum, sine dispensatione legitima. Patet, quia de se est contra votum, & contra pactum cum religione initum, vt ex supradictis constat, & nullum est ius quod talem licentiam præbeat, ideoque, quantumuis rationabilis causa intercedere videatur, nunquam id licet propria authoritate, quia commutatio voti in minus præter causam requirit potestatem, vt suprà tract. 6. de voto visum est, & ita hic sentit D. Thom. dicta quæst. 189. quem omnes sequuntur. Secundò est certum ex legitima dispensatione hunc transitū esse licitum, quia ius commune illi non repugnat, nec potest, quia ipsamet dispensatio derogat iuri communi, & prævalet contra illum si legitima sit, aliàs in ipsismet terminis inuolueretur repugnantia. Tertiò est certum, hanc dispensationem à quocunque detur, requirere causam rationabilem, vt licitè detur. Hoc à fortiori patet ex dictis de transitu ad æqualem, de quo hactenus, & patebit ampliùs ex dicendis.

XIV. *Papa licentiando ad laxiorem religionem, absque causa, nō valet.*

Difficultas verò est primum, an hæc facultas data à Summo Pontifice, sine causa rationabili valida sit, Glossa enim in cap. *cum singula.* de præbend. in 6. sentit de licentia Papæ posse hunc transitum fieri sine causa, quamuis secus sit in inferioribus Prælatis, sed vt rectè dixit Panorm. in dicto cap. *non est.* de regul. hoc ad summum est verum quoad forum Ecclesiæ, non quoad Deum; quod significauit similis Glossa in cap. *non est.* verb. *Adimplere* de voto. Dico ergo facultatem Papæ sine causa datam non esse ita validam vt religiosus possit tuta cōscientia in virtute illius transire ad laxiorem religionem; ita sentit Nauar. dict. Comment. 4. numero 10. & probatur, quia illa est commutatio voti de meliori bono in minus bonum, sed talis commutatio sine causa legitima est iniqua contra ius diuinum & naturale; ergo licentia ad talem commutationem faciendam non potest esse valida. Sed quæri vlteriùs potest, an professio tunc facta in laxiori religione, etiamsi malè fiat, nihilominus valida sit; nā hæc duo simul esse non repugnat, quando nullum intercedit decretum irritans: in præsenti autem nullum esse videtur. Imò Pontifex ipse, qui est super omnia decreta, assistit illi professioni per talem dispensationem, & illam acceptat per monasterium, seu monasterium in virtute eius, ergo cùm ibi intercedat voluntaria traditio, & Ecclesiæ acceptatio, erit valida professio. Neque obstare potest ius prioris monasterij, quia Pontifex illi cessit, quod quantum ad hanc partem, validè facere potuit, iuxta superiùs dicta.

Valet tamen professio, si malè fiat, nisi simul esse non repugnat, si decretum irritans fiat.

XV. *Oppositum communis probatur, tum quoad vota Deo facta:*

Respondeo nihilominus probabilius videri illam professionem ipso facto irritam esse, non tam humano, quā diuino iure naturali; Probatur, quia si vota in professione emissa sunt inualida, & obligationem non inducunt, nec professio valida esse potest, quia substantia eius principaliter in votis consistit, sed vota illa sunt inualida, & nulla, & non obligant; ergo etiam professio est nulla. Minor probatur, quia votum secundum, factum contra primum melius, est nullum; quia est de re iniqua; est autem huiusmodi posterius votum, siue quis explicitè voueat, non seruare, quod Deo promisit, siue voueat facere aliquid repugnans priori obligationi, vt si Monialis quæ vouit clausuram, voueat visitare externam Ecclesiam: talia autem sunt vota in laxiori professione facta, quod maximè cerni potest in voto paupertatis, & obedientiæ, nam in obligatione castitatis, quædam æqualitas est in omnibus. Materia autem paupertatis strictior est in vna religione quàm in alia, qui ergo vouet paupertatem laxiorem, vel intendit deobligari à priori stricta paupertate, & sic vouet contra perfectius votum; vel intēdit seruare nihilominus priorem paupertatem, & hoc repugnat secundæ professioni. Multo autem euidentius cernitur hæc repugnantia in voto obedientiæ. Tum quia ad illud reducitur tota obseruantia asperitatum regulæ, ad quam vel obligatur religiosus, vel saltem potest obligari per huiusmodi votum; tum etiam quia promittit obedientiam diuersis Prælatis, & *nemo potest duobus dominis seruire.* Prior autem obedientia erat perfectior, vt supponitur. vnde licèt in paupertate esset æqualitas, imò licèt in materia eius excederet secūda religio, illa repugnantia in voto obedientiæ sufficeret ad annullandam posteriorem professionem, quia supponimus priorem religionem, licèt excedatur in paupertate, esse simpliciter perfectiorem, quod esse non potest, nisi propter excessum in materia voti obedientiæ, vt explicatum est. Præcipuum enim votum in professione religiosa est obedientiæ, & ideo si illud repugnat meliori bono, non potest professio esse valida. Eo vel maximè, quòd propter cōnexionem, quam habent talia vota in tali professione, si vnum eorum inualidum est ex natura rei, etiam reliqua. Et eadem ratione inualida est traditio quę fit religioni, quia non fit nisi vt annexa & coniuncta huiusmodi votis, & in ordine ad eorum obseruationem, per quod responsum est ad rationem dubitandi in contrarium posita.

Tum quoad traditionem factam religioni laxiori.

XVI. *Facultatem cum causa datam à prælatis inferioribus licere, quidā putant.*

Ex quibus à fortiori concluditur, non posse Episcopum, vel quemlibet inferiorem Prælatum, licitè aut validè hanc licentiam dare, sine legitima causa. Superest verò inquirendum, an saltem possit cum causa legitima, vel hæc facultas sit soli Papæ reseruata. in qua re communis sententia esse videtur, Episcopum posse dispensare. Tenet Innocentius in cap. *dilectus.* de temp. ordin. numero 3. & in dicto cap. vltimo de renuntiatione, sequitur Panormitanus, in dicto cap. *non est.* de regular. num. 6. Syluester verb. *religio* 4. quæst. 2. qui bene aduertit hoc esse intelligendum respectiuè scilicet, de proprio Episcopo respectu religiosorum sibi subditorum, vel de Prælatis habentibus iurisdictionem Episcopalem respectu exemptorum, & de illis respectiuè scilicet de vnoquoque respectu suorum subditorum, & idē sequitur

sequitur Nauar. dicto Comment. 4. numero 11. Ad hoc autem probandum Innocentius præter cap. *qui vere* 16. q. 1. (quod nihil probat, vt suprà vidimus, quia solùm in genere dicit monachos debere esse subiectos Episcopis) adducit cap. *significatum.* de regular. sed ibi solùm scribit Pontifex ad quendam Episcopum, *tum ad aliam religionem transire compellas*, vbi Glossa exponit ad aliam professionem eiusdē, vel maioris religionis. Panormit. autem ibi rectè aduertit, quoniam textus indistinctè loquitur, indicare professionem, de qua ibi est sermo, scilicet tacitè factam à puero oblato, vel recepto ab infantia, per delationem habitus, vsque ad annos pubertatis; illam, inquam, solùm obligasse ad religionem in genere, iuxta cap. *constitutionem.* de regul. in 6. Et ita nihil probat. Ipse ergo Panormit. adducit alia duo iura, vnum est in cap. *non cogantur* d. 41. aliud est cap. *non mediocriter.* de consecratione dist. 5. sed in eis solùm continetur sententia quædam D. Augustin. & D. Hieron. quibus docent tractationem corporis quoad austeritates, & viuendi modum accommodandam esse vniuscuiusque fragilitati; hinc tamen solùm colligitur ex hoc capite oriri posse iustā causam huius dispensationis, quod verum est, vt statim declarabimus. Ex hoc autem non satis probatur esse in Episcopis potestatem ad dandam hanc dispensationem, quod nunc inquirimus. Quocirca non videtur hoc posse probari positiuè ex iure, nam canon alius, quem Innocentius adducit suprà à nobis explicatus est; fundanda ergo videtur illa sententia, solùm in hoc, quòd talis dispensatio nullibi legitur Papæ reseruata, & ideo censenda est Episcopo commissa.

XVII. Contrariam sententiam tenuit expresè Glossa in c. *cum singula.* §. *prohibemus.* verb. *Canonice.* de præbend. in 6. vbi dicit solum Papam dispensare. Tenet etiam Socinus consil. 270. quem refert & sequitur Rebuffus. Idem tenet Rebuffus in practica p. 1. tit. de translatione monachorum numer. 9. qui tamen addit in numero 10. si causa exigeret celeritatem, tunc sufficere dispensationem Episcopi, & ita interpretatur sententiam Innocentij in d. cap. finali. de renuntiat. & in c. *dilectus.* sed reuera non iuxta mentem eius. Illam verò limitationem ex Antonino refert Panormit. in dicto cap. *non est.* de regular. Dixit enim Episcopum tantum posse hoc facere, quādo est periculum in mora accedendi ad Pontificem, quæ exceptio generalis est, in aliis dispensationibus reseruatis Papæ, quæ habent instantem, & euidentem necessitatem; ergo sentit ordinario iure hanc dispensationem esse reseruatam Papæ. Tenet etiam Antonin. 3. p. tit. 16. cap. 4. qui etiam rigorosius loquitur dicens solum Papam posse dispēsare in transitu etiam ad æqualem, sed de hoc iam dictum est.

XVIII. Ratio pro hac sententia esse potest, quia Episcopus in huiusmodi dispensationibus nō potest quidquid ei non prohibetur, sed solùm quod ei conceditur. Hoc autem nō est ei, concessum in aliquo Canone, vt dictum est: ergo. Maior in tom. de censuris, & tomo 2. tractando de dispensatione voti, & in materia de legibus fusè tractata est, & eam admittit expresse Innocentius in dicto cap. *dilectus*, & sumitur ex cap. *proposuit.* de concessione Præbendæ, & ex Clement. *ne Romani.* de electione. Nunc autem declaratur exemplis ad rem præsentem pertinentibus, aliàs etiam posset Episcopus dispensare cum religioso, vt ad vitam clerici secularis transeat, quæ laxior est, tamen in ea possunt seruari tria substantialia vota; quia hoc nullibi inuenitur prohibitum, aut Papæ reseruatum. consequens est contra communem consuetudinem Ecclesiæ: Imò etiam sequitur posse Episcopum dispensare cum religioso in aliis votis, relicta solùm perpetua continentia, quia de solo voto castitatis constat factam esse prohibitionē Episcopo; ergo ex illa negatione prohibitionis, seu reseruationis, non sumitur regula sufficiēs, ergo oportet quærere positiuam concessionem, aliàs non potest cum fundamento attribui potestas Episcopo. Cōfirmatur, nam hæc dispensatio inuoluit aliqua contra ius commune: primum quòd religiosus dimittat suum habitum, quod ius simpliciter prohibet. Deinde si sit monialis, quòd exeat extra claustrum in casu à iure non concesso; & similia, sed Episcopus non potest dispensare in iure cōmuni, nisi in rebus ordinariis, & quæ frequenter occurrunt, vel quæ specialiter conceduntur, aut consuetudine constant. Hic autem transitus ad laxiorē non potest dici res ordinaria, aut cuius necessitas frequens sit, imò est res valde grauis, cuius necessitas rarò occurrit, & de qua meritò videatur sedes Apostolica consulenda.

Præterea, licèt olim quando immediata iurisdictio in religiosos tota erat in Episcopis, haberent fortè ipsi hanc potestatem, nunc considerato præsenti statu religionis vix videtur posse fieri hic trāsitus sine dispensatione Papæ. Primum fit verisimile, quia Episcopi tunc approbant religiones, quod maximum esse videtur, nam consequenter poterant illas reformare, aut si necesse esset mutare, vel tollere, ergo multò facilius poterant religiosum ad laxiorem mutare. Denique tota gubernatio religionum apud ipsos erat, sub qua multa grauiora comprehendebantur; ergo non est cur putemus hac potestate potiùs quàm aliis caruisse. Altera pars declaratur, quia si nunc loquamur de religionis exemptis, clarum est, non posse ordinarios Episcopos ei eis dispensare, quia non sunt ei subditi, vnde neque in aliis votis, aut præceptis cum eis dispensare possunt. Prælati autem regulares, quamuis habeant iurisdictionem quasi Episcopalem, non videntur tantam habere iurisdictionem, vt possint saltem ex parte, in votis substantialibus religionis dispēsare, quod fit per licentiam ad huiusmodi trāsitum. Antecedens patet, quia illa vota sunt quasi fundamētum, quod necessariò supponitur ad potestatem talium Prælatorum; ergo non extenditur potestas ad immutandum illum. Confirmatur, nam ob hanc causam non potest Prælatus religionis irritare votum subditi transeundi ad arctiorem religionem, quia eius potestas nō extenditur extra ea, quæ pertinent ad talem statum, ergo eadem ratione non potest concedere transitum ad laxiorem. Denique potestas, quæ olim erat in Episcopis circa religiosos, non est tota translata ad Prælatos exemptos, ni quia ipsi non approbant religionem, vel aliquid simile, tum etiam, quia huiusmodi religiones sunt specialiori modo sub protectione & gubernatione Papæ, quàm olim essent antiqui religiosi. Vnde etiam si loquamur de religiosis, qui nunc sunt subiecti Episcopis, non est eadem ratio potestatis Episcoporum in ipsos, quæ antiquitus erat, nam dispositiones iuris canonici, quæ nunc sunt, comprehendunt regulares etiam subiectos Episcopis, & ideo in his, quæ sunt contra Canones, non possunt cum illis dispensare, nisi vbi constiterit illis esse concessum; trāsire autem ad laxiorem religionem, est specialiter per canones prohibitum, c. *sane.* de regular. cum similibus.

Inter has sententias hæc posterior videtur mihi verior ex vi iuris communis, quamuis prior sit practicè probabilis propter authoritatem Innocentij Hostiens. Ioannis Andreæ, & Panormitan. Et quia in dicto cap. *significatum.* probabiliter fundatur, quia Pontifex indistinctè ait; ad aliam religionem, & vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus, & ibi interueniebat rationabilis causa dispensandi etiam ad laxiorem, propter religionis ingressum in re-

in tenera ætate, vnde videtur sumi argumentum ad alios casus similes, quando legitima causa interuenerit. Facile etiam possunt congruentiæ adduci ad hanc partem confirmandam, quia est fauorabilis, & iuxta hominum fragilitatem, & occasiones, non ita rarò necessaria. Maximè autem fiet probabilis si consuetudo illi fauet, quia in his rebus plurimum potest; sed de illa mihi non constat, & vereor contrarium potiùs esse in vsu.

XXI. *Qua sit causa iusta transeundi ad laxiorem religionem, vt dispensatio concedi possit?* Superest vt breuiter explicemus, quæ sit causa huius dispensationis: de qua dicendum est, non esse aliquo iure præscriptam, & ideo prudenti arbitrio dispensantis relinqui. Solùm ergo admotare possumus hanc causam posse respicere, vel commodum religiosi tantùm, vel religionis à qua transfertur, vel eius ad quam transit. Et quidem si omnium vtilitas concurrat, erit consummatissima causa, vt si religiosus sit vtilis religioni ad quam tendit, & alteri à qua redit, potiùs sit onerosus, quia fortè non est vtilis ad ministeria eius, & est aptus ad canendum in choro, quod alia religio magis profitetur, & ipsi etiam religioso speratur forte vtilius in eo vitæ genere occupari, licèt alioqui ex suo genere minùs austerum, aut perfectum sit.

XXII. *An sufficiat solum transmissa vtilitas?* Quando autem hæc omnia simul cõcurrere non possunt, primùm regulariter considerandum est spirituale commodum religiosi, quacunque enim ratione prudenter speretur futurum esse maius, sufficit ad iustam causam dispensationis, quia per religiosam vitam est hoc per se primò, ac proximè intentum, & ideo D. Tho dict. q. 189. art. 8. hanc ferè posuit vt vnicam causam huius dispensationis. Significat autem necessarium esse, vt procedat *ex infirmitate vel debilitate personæ*. Intelligendum autem existimo de infirmitate, & debilitate, non tantùm corporis, sed etiam animi, quia prouidentia Prælati vtrique debet prouidere, & ad maius Dei obsequium attendere. Ita etiam interdum expedit quando experientia docuit non solùm ex pura malitia, vel prauo habitu, sed veluti ex innata conditione habere aliquem quandam ineptitudinem ad talem statum, vel ingentem difficultatem in portandis oneribus eius, quam ante professionem satis prospectam non habuit. Ad quod etiam iuuare potest emisisse professionem in tenera ætate, quia solet multum postea natura mutari, vel certè dignosci. Addi etiam potest, si sufficiat dispẽsatio Prælati circa onera religionis, non esse facilè procedendum ad dispensandum in transitu, nisi vel illemet modus viuendi cum dispensationibus, alijs odiosus fit, vel ipsimet religioso nimis molestus. nam hoc ipsum multum impedire solet spirituale profectum; qui semper præ oculis habendus est. Vnde quando intercedit hæc ratio maioris boni spiritualis ipsius religiosi, non obstabit etiamsi aliquod onus, vel incommodum monasterij intercedat; nam si loquamur de monasterio ad quod fit transitus, nihil huiusmodi in eo consideratur, quia voluntariè est admissurum talem personam; hanc enim conditionem omnia iura, & indulta inprimis postulant, & ideo ipsa religio debet sibi consulere, & de vtilitate, vel onere personæ iudicare, qualiscunque enim illa sit, volenti non fit iniuria; & ideo ex hac parte non potest dispensatio esse iniusta. Nisi per illam cogeretur alia religio talem personam suscipere, quod solus Pontifex de plenitudine potestatis facere potest; ordinariè autem non facit, neque expedit fieri, sine grauissima causa. Respectu autem religionis à qua recedit tur non consideratur incommodum eius, quia illud ad summum esse potest in re temporali, vel externa; tenetur autem ipsa religio magis procurare spirituale bonum religiosi, quàm huiusmodi commodum suum. Præterquam quòd, simpliciter loquendo, vix potest esse commodum religioni habere intra se religiosum, qui iuxta statum, & perfectionem eius non possit perfectè viuere.

XXIII. *Quid quando interuenit solum commodum religionis? Vnde fit transitus.* Aliquando verò contingit transitum non esse in maiorem vtilitatem spiritualem religiosi, cedere tamen in vtilitatem religionis à qua fit transitus, & tunc vix potest causa esse rationabilis; aliquando tamen esse poterit si multa concurrant. Primum est, vt ipsa persona religiosa saltem, non exponatur periculo morali detrimenti spiritualis, quia hoc repugnat professioni, & obligationi eius, & ordini charitatis; oportet ergo, vt licèt maior profectus non speretur, saltem non timeatur defectus alicuius momenti, quod facilè sperari poterit, si persona sit adeò religiosa, vt plus soleat operari, quàm ex obligatione regulæ teneatur. Deinde necessarium est moraliter loquendo, vt religio à qua recedendum est, cedat iuri suo, quod habet maximum, quando transitus non est necessarius propter ipsum religiosum; nam si ipsimet religioni commodum est, talem religiosum dimittere, quia licèt sit probus, non tamen est sibi vtilis, vel ad suum finem accommodatus, oportet, vt ipsamet religio huiusmodi vtilitatem cognoscat, & velit, quia non fit beneficium inuito, maximè cum diminutione suorum bonorum.

XXIV. *Quid quando est commodum tantum religionis ad quam trãsitur.* Si autem vtilitas est tantùm alterius monasterij ad quem fit transitus, multo magis est necessarius consensus proprij monasterij, quia non potest vnus ditari ex bonis alterius illo inuito. Atque hoc procedit non solùm in transitu ad laxiorem, sed etiam ad æqualem religionem, nam procedit eadem ratio. Imò existimo in huiusmodi casibus, quando causa non ex parte religiosi, sed ex parte alterius religionis consideratur, solum Pontificem posse dare huiusmodi dispensationem, præsertim si transitus fit ad laxiorem, & illa causa est valde extrinseca ad obligationem voti, pertinetque ad Prælatum habentem Superiorem prouidentiam, & gubernationem vtriusque religionis. Vnde tunc etiam magis vrgent omnes rationes in superioribus factæ. Præter has causas possunt aliæ excogitari extrinsecæ, & accidentariæ, vt sunt necessitas subeuiendi parentibus si possit, naturalis illa obligatio impleri in religione minùs stricta quàm sit propria. Item si quis patiatur iniustissimam persecutionem, & similes, quas omitto, quia generales sunt, & tot modis variari possunt, vt interdum etiam liceat, in seculo ob similem causam remanere cum debita facultate.

CAPVT XII.

An spectato iure particulari, seu indultis religionum liceat transitus ad alteram religionem.

I. *Proponuntur indulta, ac primum vetans recipere alienos religiosos.* VLtimò pro tertio principali, quod initio capitis 8. proponebatur, dicendum est, in vnaquaque religione, præter ius commune spectanda esse specialia priuilegia, & indulta, & illa esse seruanda. Declaratur, nam multa emanarunt Apostolica indulta in fauorem religionum, quibus hic transitus prohibitus est, vel simpliciter, vel cum aliqua limitatione, & inprimis Pius V. sua constitutione 91. *Quæcunque*, videtur generaliter hunc trãsitum prohibere sine licentia à Superioribus obtenta. nam prohibet ne volentes transire recipiantur, etiamsi laxiorem professi fuerint. Veruntamen in illa constitutione solùm irritantur priuilegia concessa religionibus, aut quibuscunque pijs locis aut Prælatis, &c. præter iuris communis dispositionem

emanata, recipiendi huiusmodi religiosos, & consequenter irritat, quidquid virtute talium priuilegiorum facultatum, aut dispensationum factum fuerit. Imò etiam, quod mirandum est, etiam præcipit Pontifex, vt qui antea fuerant translati, virtute talium facultatum, ad proprias religiones redeant. Quod dico esse mirandum, quia professiones antea factæ erant validæ, quia etiam facultates & priuilegia valida fuerant, donec ab ipso Pio irritata fuere; quomodo ergo potuerunt illi religiosi reuocari ad suas pristinas religiones. Dicendum verò est, Pontificem inprimis potuisse id facere, quia licèt professionem semel validam non posit in totum, seu quoad substantiam irritare, tamen prout ad hanc vel illam religionem determinatur, potest eam irritare, seu mutare etiam inuito religioso, vel religione, quia hoc totum pendet ex iure humano. In eo ergo casu credendum est interfuisse legitimam causam id faciendi, propter maius commune bonum, & quietem, seu pacem religiosorum; nam multi fortasse eo titulo religiosum statum indignè tractabant, vt in principio illius constitutionis significatur. Ex vi ergo illius indulti, nihil circa ius commune immutatum est, vt bene notauit Nau. consil 88. de regularibus. Quocirca translati alio titulo, vel secundùm commune ius, siue ante illam constitutionem siue post, non prohibentur retineri, aut recipi. Vbi etiam considerandum est, aliud esse loqui de priuilegijs datis ad recipiendum alienos religiosos, & aliud de priuilegijs datis, ne proprij religiosi ab alijs recipi possint, sine suorum Superiorum licentia. Priora enim priuilegia sunt exorbitantia iure communi; sunt que odiosa alijs religionibus; possunt enim inter eas scandala, & dissensiones generari, ac denique facilè possunt in occasionem relaxationis, & inconstantiæ peruerti, & ideo meritò reuocata fuere. Alia verò priuilegia fauorabilia sunt, quia directè consulunt immunitati, & quieti eius religionis cui conceduntur, & alijs non nocent, sed solùm vetant, ne cum alterius detrimento velint proficere, quod est maximè consentaneum charitati, & ideo talia priuilegia reuocata non sunt, sed potiùs in variis religionibus multiplicata, quæ ab alijs obseruanda sunt, dummodo de illis constet.

II. *Proponuntur indulta Societatis vetantia transitum ad quamcunque, etiam religiosam, præter Carthusiam, absque licentia obtenta.*

Exemplum sit de priuilegio Societati concesso, vt nullus in ea professus, vel per tria vota substantialia admissus, possit ad aliam religionem (Carthusia excepta) transire, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, tam à transeuntibus, quàm à recipientibus ipsos prætextu cuiusuis indulti concessi, aut concedendi, etiam quæsito colore ob frugem melioris vitæ, aut strictioris obseruantiæ, quodque secus facta non teneant. Habetur in literis Apostolicis eiusdem Societatis in Bulla vltima Pauli III. *Licet debitum*. §. *Ac in hibemus*, &c. & in Bulla prima Pij V. *Aequum reputamus* in principio. vbi expedit, & confirmat Concessionem illam, quam Pius IV. iam fecerat. Idemque Pius V. viuæ vocis oraculo Carthusiæ limitationem ita limitauit, vt transitus ad illam semel tantùm fieri possit, quod si in ea vsque ad professionem non perseueret translatus, ad Societatem redeat, & ampliùs ad Carthusianos transire non possit inuita Societate; Quam limitationem confirmauit, & sub eadem censura obligare declarauit Gregorius XIII. in speciali Bulla de hac re *Dilecte fili*, &c. Et aliæ circunstantiæ in illis priuilegijs declarantur, quæ ad modum seruandum in hoc transitu pertinent, quas in sequentibus, quantum ad generalem doctrinam pro huius loci opportunitate vtile fuerit, attingemus. Ex dictis verò constat in hac religione hoc iure standum esse, quàtum ad transitum ab illa; nam ad illam nullus fieri potest iuxta suas constitutiones, vt suo loco tract. 10. lib. 2. cap. 1. videbimus. Ad eundem ergo modum dicendum est de singulis religionibus respectiuè, iuxta sua priuilegia, vel indulta.

Primum dubium circa prædicta indulta, an vcient transitum sine licentia obtenta, etiam ad religionem strictiorem.

III. Dubitari autem potest primò; an per similia indulta prohibeatur transitus ad perfectiorem religionem, sine consensu Prælati, & ratio dubitandi est primò, quia non videtur Pontifex posse tale priuilegium concedere, quia non potest obligare aliquem, vt seruet, quod non promisit, sed nullus, qui professionem religionem promittit perseuerantiam in illa respectu melioris, id est, non transire ad meliora; ergo non potest ad hoc cogi per tale priuilegium. Minor patet, quia in professione includitur conditio, seu exceptio melioris frugis, vt diximus. Vnde illa negatio transitus nullo modo dici potest comprehensa sub voto obedientiæ directè, vel indirectè, vt ea ratione ad illam possit quis cogi; nam est extra totam regulam, & quasi intrinseca limitatio omnis voti obedientiæ. Dices, ex vitalis indulti fieri, vt in illa religione professio, vel incorporatio non fiat sub ea conditione, sed renuntiando illi, vel potius sub conditione opposita. Quia promissio, seu votum obedientiæ, fit iuxta constitutiones, & literas Apostolicas; literæ autem Apostolicæ excludunt illam conditionem, & ponunt oppositam. Sed contra hoc insto, quia videtur contra rationem excludere. vt si Ecclesia ordinaret, quòd à contractu matrimonij rati excluderetur conditio seu libertas transeundi ad meliorem frugem ante consummationem, non esset cõueniens institutio, vtpote impediens maius bonum; ergo similiter in præsenti ita ligare hominem inferiori religioni, vt priuetur libertate ascendendi ad perfectiorem statum, videtur esse impedimentum maioris boni spiritualis; non est ergo licitum, imò nec videtur cadere sub Ecclesiæ potestate. 1. arg. in primo.

IV. Secundò argumentor ex cap. *licet*. de regular. vbi Innocent. III. refert priuilegia aliquibus religiosis concessa, *Ne postquam aliquis apud ipsos prof ssus fuerit, ad alium locum possit ipsis inuitis ad strictiorem etiam religionis obtentu transire*, & tamen postea ita illa interpretatur, vt illis non obstantibus possit hic transitus fieri petita licentia & non obtenta; sed in priuilegijs specialibus religionum non plus conceditur, quàm quod ibi Innocentius refert, vt exempli gratia, videre licet in prædictis indultis Societatis; ergo illis non obstantibus, eadem semper declaratio admittenda est. patet consequentia, quia priuilegia, quàtum fieri possit, secundùm ius declaranda sunt. Maximè verò quia Innocentius indicat declarationem illam esse secundùm ius diuinum, & naturale, *quia vbi spiritus Domini, ibi libertas*, &; *qui Dei spiritu aguntur, non sunt sub lege*, quæ ad hoc propositum ibi adducit Innocentius, vt concludat tale priuilegium non dari, vt licentia denegetur, sed vt prudenter res agatur. Vnde talem indicat rationem, quia vel Prælatus confisus tali priuilegio negat facultatem, cum rationabili causa, vel sine illa. In priori casu etiam iure communi, non habet subditus ius transeundi, quia non est certum religionem esse meliorem; in posteriori autem casu abutitur priuilegio suo Prælatus, & ideo meretur illud amittere, vt ibidem ait Innocentius, & ex vi illius sui decreti ipso facto illud amittit quantum ad hunc effectum, & subditus habet ius transeundi ex vi illius decreti. Quod non est reuocatum quoad hanc partem per dicta priuilegia. 4. arg. in primo

Nihilo-

V. *Resolutio quæstionis.*

Nihilominus certissimum est, posse Pontificem eo sensu talia priuilegia cõcedere, vt absolutè non liceat ad aliam religionem transire sine licẽtia obtenta, etiam titulo maioris perfectionis, certumque est de facto ita esse concessum in dictis indultis Societatis, & idem erit de alijs, si per similia æquipollentia verba concessa fuerint. Probatur primò, ita esse factum, quia in Bulla Pij IV. & V. in particulari subiungitur non obstante dicto capitulo *licet.* ad excludendum nimirum declarationem, vel limitationem in illo factam; nam quoad hoc derogatum est. Secundò probatur, quia expresè postulatur ibi *licentia obtenta*, in quod verbum non potest cadere illa declaratio. Nisi quis fortè exponat obtenta de facto, vel de iure, id est, debitè & non iniustè negata. Sed præterquam hæc euasio excluditur per derogationem dicti capituli *licet.* etiam reijcitur sufficienter per illa verba *sine expressa licentia*, vt ait Paulus III. vel per illa *sine expressa, & ad id specialiter obtenta*, vt ait Pius. Tertiò, exceptio, quæ de ordine Carthusiensium fit, hoc satis cõfirmat, quia etiam ad illum non licet transire sine licentia petita, & iuxta tenorem cap. *licet.* ergo aliquid amplius prohibitum est, ex vi huius indulti respectu aliarum religionum, scilicet, vt non fiat sine licentia reipsa obtenta. Quartò ad idem faciunt illa verba Pauli III. *Nisi de expressa ipsius præpositi, vel dictæ Sedis licentia transferri*, &c. Nam in eis indicatur, si Prælatus religionis negauerit facultatem, & subditus contendat iniustè negari, non posse statim sua authoritate propositum suum exequi, sed debere ad Sedem Apostolicam recurrere, nam per tale indultum illa sibi hoc iudicium reseruauit.

VI. *Ostenditur præcipuus, & iure.*

Atque hinc rectè colligitur potestas; impium enim esset dicere, talia indulta esse iniquè, aut sine sufficienti potestate concessa, quia in re adeò graui, & ad salutem, & perfectionem animarum pertinente, non potest Pontifex errare, præsertim, cùm non tantùm vnus vel alter, nec semel aut iterum, neque sub aliqua probabilitate, & cum formidine, sed plures, & sanctissimi, ac doctissimi Pontifices, & sæpius, mulrisque religionibus, similia indulta ex certa, & plenaria potestate concesserint; non potest ergo de tali potestate dubitari, cùm de facto constet.

VII. *Primus modus iustificandi indultum. 1. relatus.*

Modus autem explicandi iustitiam, & rationem huius facti, in superioribus insinuatus est, & primò dici potest, quando Pontifex hoc indultum alicui religioni concedit, hoc ipso supponere, non esse inferiorem alijs, quas non excipit, scilicet quatenus est via ad perfectionem; nam licèt in vna vel alia conditione possit esse inferior absolutè, ac simpliciter comparata potest iudicari non minùs apta ad perfectionem assequendam. Certum est enim posse Pontificem hoc iudicium ferre, & ad illum maximè pertinere. Non oportet tamen adeò restringere hæc indulta; nam in maiori amplitudine videntur concessa. Secundò ergo potest Pontifex hoc concedere, saltem supponendo rem esse dubiam, an religiones aliæ, vel omnes, vel aliquæ sint arctiores nec ne, & reseruando sibi iudicium in particulari quando licentia postulatur à tali religione, & ipsa non vult eam dare, nec cedere iuri suo, & hoc insinuare videtur Paulus III. in verbis citatis, per sese constat esse iustum, quando ex parte religionis, cui priuilegium conceditur, est sufficiens fundamentum illius ambiguitatis, vt re vera est in exemplo adducto de Societate, cum quacunque alia religione conferatur, vt infrà tract. 10. lib. 1. cap. 9. ostendemus. Nam & vniuersaliter loquendo, in quacunque controuersia Ecclesiastica potest Pontifex iudicium sibi reseruare, & maximè in his, quæ spectant ad approbandum, vel declarandum statum perfectionis, & hoc etiam à fortiori colligitur ex c. *licet.* de regularibus. Tertiò dicitur, etiamsi constet aliam religionem esse perfectiorem, posse Pontificem iustè prohibere transitum ad illam sine licentia obtenta; tum quia per hoc non impeditur simpliciter ascensus ad statum perfectiorem, sed prohibetur, ne fiat sine maturo consilio, & sine regula voluntatis Prælati, quantumuis enim alia religio sit perfectior, potest mutatio ad illam in indiuiduo non esse conueniens, & ideo huius rei iudicium potest conuenienter Prælato reseruari, ita vt consensus eius omnino necessarius sit, eo vel maximè, quòd semper relinquitur recursus ad Pontificem, si resistentia Prælati iniusta reputetur. Quod si ipse etiam Pontifex facultatem neget, temerarius erit, qui velit resistere, & non potiùs sentire sibi non expedire talem mutationem, etiam si alia religio perfectior videatur. Tum etiam, quia hæc difficultas transeundi potest esse valde conueniens ad commune bonum, & ad stabilitatem, singulorum religiosorum, & ad pacem, & vnionem religionum inter se, & ideo licèt vni, vel alteri possit esse incommoda, illud in morali lege non æstimatur, quæ commune bonum respicit. Præsertim, quia licèt transitus ad religionem perfectiorem impediatur, nemo simpliciter impeditur, quo minus semper possit esse perfectior: nam in quacunque religione est ad hunc profectum sufficiens occasio, si homo velit facere quod in se est, & voluntariè adiungere, quod in tali statu sub obligatione non imponitur.

Tertius modus.

VIII. *Ad 1. arg. in num. 3.*

Vnde ad primam rationem dubitandi, præter responsionem ibi insinuatam dicitur, etiam stante professione, quam diximus fieri cum subintellecta conditione melioris frugis, posse Pontificem illud priuilegium concedere, & prohibere transitum, quia, vt diximus, non tam simpliciter prohibet, quàm præscribit modum eius, scilicet, vt non fiat sine tali facultate, & ideo potest ẽt irritare quidquid sine illa conditione, seu solennitate fit. Neque hoc præceptum excedit iurisdictionem Pontificis, in qua magis quàm in voto obedientiæ fundatur, quanuis præreq uirat illud vt conditionem necessariam. Supposita n. obligatione, quam religiosus habet ad statũ perfectionis, eo ipso habet ius Summus Pontifex, sub cuius speciali cura sunt omnes religiosi, vt possit modum præscribere circa perseuerantiam, vel mutationem talis status; nam hoc sine dubio est necessarium ad conueniens regimen religionum, & singulorum religiosorum.

IX. *Prædicta indulta non obligant ad dandã licentiã iustè petita.*

Ex quibus intelligimus per huiusmodi priuilegium non liberari Prælatum religionis ab obligatione dandi licentiam subdito petenti transitum ad aliam religionem, quando & iudicauerit aliam religionem esse simpliciter perfectiorem, in quo, non debet tantùm suo sensu, & affectione duci, quia posset facilè errare, & esse iniuriosus alteri, sed ex receptis sententijs, & doctrinis, vel ex sapientum consilio iudicium ferre debet: Et præterea necesse est, vt iudicet huic subdito suo expedire, seu magis vtilem esse talem transitum; debet autem ita sentire, quoties rationes non occurrunt, quæ contrarium suadeant, præter solam mutationem, quia illius incommodum vincitur ex maiori perfectione alterius religionis, quando aliud non obstat. His autem concurrentibus iniuriam facit Prælatus subdito negando facultatem, & cogendo illum adire Summum Põtificem; nam ipsemet Summus Pontifex suppositis eisdem conditionibus, non posset licitè negare in indiuiduo similem facultatem per se loquendo, quia non potest impedire viam maioris perfectionis. Semper tamen excipitur necessitas boni communis. Vnde si

Præla-

Prælatus religionis negaret talem facultatem, quia reuera credit esse valde nociuam suæ religioni, & ob eam causam illam remitteret Summo Pontifici, nihil, vt existimo, peccaret, imò hunc esse puto vnum ex potissimis effectibus talis priuilegij.

X. *Expenditur euasio, eiusque praclusio vis n. 3.*

Vnde cõstat non esse necessariam responsionem positam suprà num. 3. in argumento, quia Pontifex non solùm potest concedere, & de facto concedit hoc priuilegium pro his, qui postea professionem emittunt, sed etiam pro iam professis, vt constat manifestè ex indultis citatis; Pontifex autem non immutat professionem Deo factam, sed illa non obstante, vel conditione in illa inclusa, præcipit obseruari certum modum in eius assequutione, & aliter fieri prohibet. Cur enim nõ prohibebit Pontifex aliquid, quod aliàs ex vi professionis non est prohibitum, quando ratio boni communis id postulat? Addo verò, etiam modum ibi insinuatum non esse impossibilem, nec contrarium rationi, quia, vt dixi, per hanc prohibitionem non tollitur omnino facultas ascendendi ad arctiorem religionem, sed cum hoc addito, *nisi de consensu Prælati, vel Pontificis*. In eodem ergo sensu rectè potest quis obligari, vt in ipsa professione renuntiet libertati transeundi, nisi sub hac conditione, sic intellecta, nam ille quasi contractus inter religiosum, & religionem liber est ex parte religionis, sicut ex parte religiosi; ergo potest religio professionem non acceptare, nisi religiosus se obliget sub tali conditione, quam ostensum est esse honestam. Neque est simile de matrimonio, tum quia status matrimonij est longè inferioris ordinis, & absolutè excludens statum perfectionis, simpliciter, de quo nunc loquimur, religiones autem conueniunt substantialiter in ratione talis status, & differunt secundùm magis, & minus; tum etiam, quia in matrimonio ius vtriusque partis est priuatum, in professione autem religiosa ex parte religionis intercedit ius pertinens ad bonum commune, quod maioribus priuilegijs gaudet, tum denique, quia in matrimonio mutabilitas illa, quæ est in transitu ad religionem ante copulam, non solùm est honesta, sed etiam nullam habet speciem indecentiæ, aut inconstantiæ, neque infert scandalum, & non solùm in genere, sed in individuo, & regulariter consulendum, ideoque non esset iusta lex, vel conditio contractus, quæ ad illum transitum imponeret grauamen, expectandi consensum, vel alterius coniugis, vel Principis, aut Pontificis, quia esset ponere obstaculum statui perfectionis simpliciter sine iusta causa; mutabilitas autem in statu religioso etiam in ordine ad meliorem, regulariter non consulitur, indigetque multis circunstantijs, vt conuenienter, & sine scandalo fiat; ideoque iusta est lex, & conditio, quæ simile grauamen imponit.

XI. Dices, ergo secluſa prohibitione Pontificis posset religio hanc conditionem ponere professibus, vt se obligent ad non transeundum etiam ad perfectionem, sine suo consensu, vel Pontificis, quia conditio est de se iusta, & religio potest pacisci, vt voluerit intra latitudinem iustitiæ. Respondeo de facto hoc non posse sine approbatione Pontificis, quia est contra ius commune tale grauamen apponere. Tamen secluso iure communi, & sola rei natura spectata, non videtur improbabile id admittere propter rationem factam, tamen quia id nunquam factum legimus in religionibus, sine Pontificio priuilegio, ideo simpliciter negatur sequela, & ratio reddi potest, quia licèt illa conditio non sit iniqua, est tamen satis exorbitans à communi regula, & ideo non potest imponi priuata authoritate, aliquod enim grauamen potest esse iustum authoritate publica impositum, quod in ordine ad authoritatem priuatam esset iniquum. Præsertim, quia in religionis statu est magna latitudo, & varietas, possetque illa conditio in vno esse iusta, & non in alio, & ideo ad Pontificis authoritatem hoc iudicium pertinet. Vnde quodammodo spectat ad specialem talis religionis approbationem, & stabilitatem, quam Pontifex dare potest, nulla autem religio debet authoritate sua illam vsurpare.

XII. Ad secundam rationem dubitandi negatur non plus concedi per huiusmodi priuilegia, quàm per antiquiora iura fuerat concessum, saltem prout declarata fuerant ab Innocentio III. nam per hæc posteriora priuilegia, declaratio illa Innocentij expressè reuocatur. Quamuis autem Innocentius afferat verba Scripturæ ibi citata, ad ostendendum illam declarationem esse consentaneam rationi, & diuinis literis, & ideo potuisse tunc conuenienter dari, non tamen ostendunt ita esse necessariam illam limitationem, vt priuilegium cum maiori amplitudine concessum, diuino iuri, aut Scripturæ contrarium esse appareat; nam eadem Scriptura, quæ dicit, *qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*, dicit, *probate spiritus an ex Deo sint*, & quæ dicit, *vbi spiritus Domini, ibi libertas*, consulit, *vt vnusquisque in ea vocatione, in qua vocatus est, permaneat*. Cùm ergo priuilegium non ordinetur ad impediendam libertatem, & efficaciam illius vocationis, quæ verè est à diuino spiritu, sed ad probandam vocationem, vt ea, quæ est à Spiritu sancto, constanter retineatur, nulla est repugnantia inter hoc priuilegium, & priuatam legem, quam Spiritus sanctus per suam inspirationem imponere solet, vt in simili sensit idem Innocentius in capite *nisi cum pridem*. de renuntiatione. *Ad 1. arg. in num. 4.*

XIII. Vnde ad rationem ibi factam respondemus, in vtroq; membro dilemmatis inueniri differentiam inter ius commune & hoc priuilegium: nam in priori posset contingere, vt Prælatus prudenter negaret licentiam transeundi, non propter dubium de maiori perfectione alterius religionis, sed propter circunstantias personæ, quia vel non putat esse aptam ad illud institutum, vel tunc non moueri bono spiritu, sed turbatione aliqua, vel quid simile, & nihilominus ex vi iuris communis posset tunc subditus transire licentia petita, & non obtenta, quia si constat religionem, ad quam tendit, esse perfectiorem, hoc satis erat ex vi dicti cap. *licet*. vbi solùm requiritur iudicium Superioris, quando de arctitudine maiori alterius religionis dubitatur. nunc autem in simili casu nullo modo licebit transitus inuito Superiore, hoc operante dicto priuilegio. In posteriori etiam casu est differentia, quia Superior indebitè negans licentiam, ipso iure dicti cap. *licet*. priuatur priuilegio quoad hoc, vt non possit obligare subditum ad non transeundum, imò vt possit subditus sua authoritate, & renuente Prælato transire. Posito autem hoc priuilegio, etiamsi fingamus Prælatum indebitè negare licentiam, quia nullum graue damnum suæ religionis rationabiliter timet, & certò scit aliam esse perfectiorem, & nihil habet cur iudicet hanc personam non bono spiritu moueri, & nihilominus non vult permittere transitum eius: subditus in hoc casu non potest sua authoritate transire, sed indiget Pontificia, nec Prælatus ipso facto amittit potestatem obligandi, & retinendi illum donec per Pontificem priuetur. *Ad 1. arg. in num. 5.*

XIV. Posset autem hîc non immeritò dubitari, si religio, cui hoc priuilegium concessum est, multum à sua obseruantia declinet, censenda sit admittere tale priuilegium ipso facto; videtur enim id valde verisimile; tum quia non minùs meretur priuilegium amittere, qui fit illo indignus, quàm qui illo malè vtitur; tum maximè quia tollitur fundamentum talis priuilegij necessarium ad iustificationem eius; *Aduerte obiectum materia priuilegium.*

eius; hoc enim esse debet talis ac tanta religionis obseruantia, vt in fauorem eius possit meritò ille transitus interdici. Atque ad eam partem suadendam possent hîc adduci multa generalia principia de legibus, & de priuilegijs, præsertim, de cessatione eorum, cessante causa, & fine adæquato. Et quidem in conscientia, si euidenter constaret de tanta religionis mutatione, fine dubio cessaret obligatio talis prohibitionis. Ad quod etiam confirmandum valet communis opinio in c. 9. à n. 17. adducta, dicens maiorem perfectionem non esse attendendam secundùm primæuam institutionem, sed secundùm actualem obseruantiam. Nihilominus, quia euidenter constare vix potest de tanta mutatione, quæ ad hoc sufficiat; ideo non est priuanda religio tali priuilegio, præsertim in exteriori foro, donec in eo declaretur, aut priuetur.

Primum dubium, An transiens absque facultate Superioris sit apostata?

XV. *An sint apostatæ, qui mutant religionem sine facultate.*

Interrogabit verò vlteriùs aliquis, an religiosi transeuntes sine facultate Superiorum iuxta illud priuilegium necessaria, sint apostatæ, & incurrant censuras non solùm speciales illius indulti, sed etiam iure communi impositas contra apostatas, vel dimittentes habitum suæ religionis. Ratio dubij est, quia communiter Doctores asserunt non esse aliquem apostatam transeundo ad aliam religionem etiam indebitè. Vnde in definitione huius apostasiæ ponunt, quòd sit desertio huius religionis, sine transitu ad aliam, vt videre licet in Syluestro verb. *Apostasia* quæst. 4. cum Glossa in cap. finali de apostatis, & cap. *ex parte*. de temporibus ordinationum. vbi Innocent. Panormit. & alij idem sentiunt. Idem Innocentius in cap. vlt. de renuntiatione, & in cap. *intelleximus*. de ætate, & qualitate, Caiet. secunda secundæ, quæst. 12. art. 1. Nauar. consil. vnico de apostatis, & Summistæ ac moderni communiter, quorum fundamentum est, quia apostasia est retrocessio ab statu religioso: in eo autem casu non retrocedit quis à religioso statu, sed solùm à tali statu religioso, quæ licèt sit illicita mutatio, non tamen apostasia. Quæ quidem sententia esset mihi indubitata secundùm antiquum ius, in eo casu, in quo quis transiret ad religionem strictiorem absque vlla licentia saltem petita, quia licèt peccaret, non tamen in substantia mutationis, sed in modo, neque illa potest dici retrocessio, tum quia non est recessus à promissione facta, tum etiam, quia potiùs est progressus, & tendentia ad maiorem perfectionem. Vnde magis ibi peccatur per excessum temerariè tendendi, quàm per defectum retrocedendi.

XVI.

Extra hunc verò casum, difficilem semper iudicaui illam sententiam quamuis communem, quia considerata rei natura illa videtur formalis apostasia, & antiquum commune ius nullam quoad hoc faciebat mutationem: hæc posterior pars in confesso est. Prior verò probatur primò, quia apostasia à religione dicit retrocessionem ab statu religioso, & à pacto cum Deo & cum religione inito: sed, qui relinquit suam religionem propter aliam non meliorem, retrocedit à pacto inito, & ab statu quem retinere tenebatur; ergo. Quod si dicatur non recedere à religione in communi, sed à tali. Contra hoc est inprimis D. Thom. dicta quæst. 12. art. 1. vbi dicit; *Contingit aliquem apostatare à Deo, retrocedendo à religione, quam professus est*, nec posuit limitationem sine transitu ad aliam: qui autem exit animo transeundi præsertim ad laxiorem, re vera retrocedit à religione, quam professus est, quando enim tendit ad meliorem, licèt relinquat illam, quam professus est, non retrocedit, sed vlteriùs pergit; quando verò tendit ad æqualem, licèt retrocedere non videatur in ordine ad perfectionem, vt sic, in eo tamen retrocedit, quòd infidelis est promissioni factæ. Secundò argumentor in hûc modum, nam professio facta in alia religione siue æquali, siue laxiore est ipso iure nulla, quando fit sine dispensatione, & sine licentia propriæ religionis, vt suprà probaui, ergo transitus ad talem professionem non est transitus ad statum religiosum verum, sed apparentem, & fictum: ergo simpliciter est retrocessio à vero statu religionis.

Potest controuersia hæc, vt dixi in simili aliquãto superius, esse de modo loquendi, tamen si loquamur de specie malitiæ, quam peccatum illud in re ipsa habet, profectò est eiusdem speciei; nam eius intrinseca malitia non consideratur ex termino ad quem tendit, licèt inde possit minui, vel augeri iuxta intentionem operantis, sed sumitur ex termino à quo recedit, id est, ab iniuria, quam propriæ religioni facit, quæ eiusdem rationis est, quocunque indebitè tendat, & ita si vnum peccatum est apostasiæ, etiam & aliud. Nisi quis contendat vocem apostasiæ, non vtcunque significare peccatum habens illam malitiam, sed cognotando, quòd fiat animo relinquendi omnem religionem, seu simpliciter statum religiosum, quod pertinebit ad quæstionem de modo loquendi, oportebit tamen ostendere vocem illam, aut ex primæua significatione habere illam vim, aut ex vsu iuris, neutrum autem, vt opinor, potest satis ostendi. XVII.

Primum quidem, quia apostatare in Latino rigore tãtùm significat deficere, & impugnare, quod antea probabatur. Vnde dicitur apostata à fide qui ab illa deficit, & impugnat cùm antea probaret. & ibi quidem non potest esse transitus ad aliam veram fidem vel Ecclesiam, quia hæc est vna tantùm. Tamen quacunque ratione excogitarentur duæ, transitus ab vna ad aliam contra fidelitatem, vel professionem eius esset apostasia, sicque inter hæreticos censetur apostata, qui ab vna secta ad aliam transit. Magisque accommodatum exemplum est, si tempore legis veteris aliquis circuncisus vellet adducere præputium, & transire ad solam legem naturæ etiam sub vera fide, & cultu vnius Dei, esset enim nihilominus apostata, vt satis significat Paulus 1. ad Corinth. 7. ergo ex vi vocis non potest illa significatio colligi. Neque ex vi iuris, quia nullibi in iure id explicatur, & potiùs iura in vniuersum vocant apostatas, omnes iniquos desertores suorum institutorum, quod statim ex indultis Pontificum ostendemus. Nec etiam ad effectus iuris erat necessaria significatio, quia nulli sunt effectus, quos ius operetur in apostatas, quos non etiam operetur in hos desertores suæ religionis, propter aliam non meliorem. Quia vt suprà vidimus, propter apostasiam, vt sic, nulla excommunicatio est ipso iure lata, & infamia, quæ inde contrahi potest, etiam in hoc casu contrahitur durante delicto, nam ingressus indebitus, & inualidus in aliam religionem nihil excusat, secundùm veram rationem iuris, etiamsi in hominum opinione nonnihil diminuat. Excommunicatio autem, quam apostata incurrit, dimittendo suæ religionis habitum, non euitatur propter transitum ad aliam, vt probaui in 5. tom. 3. p. disp. 23. sect. 4. n. 26. ergo nullius vtilitatis est negare hoc delictum esse veram apostasiam, quoad nomen, cùm tota res in illo inueniatur. XVIII.

Ex quo infero nunc, omnes transeuntes à sua religione ad quamcunque aliam quocunque titulo maioris perfectionis, in casibus per noua iura vel indulta Pontificia prohibitis, & sine licentia in eisdem indultis requisita, esse veros apostatas. Exempla sunt primum in extrauagante *Viam*. de regularibus, vbi prohibet Papa sub excommunicatione XIX. *Confectarium ex tradita diuisione.*

latæ

latæ sententiæ, & sibi reseruata, ne aliquis ex ordinibus mendicantib. ad monachales transeat, Carthusia excepta, sine Sedis Apostolicæ facultate; religiosus enim mendicans transiens contra illam legem apostata censendus est, propter rationes factas. Idem dicendum est, de quolibet religioso Societatis, si ad quancunque religionem siue monachalem (Carthusia pro semel tantùm excepta) siue mendicantem siue quancunque aliam, sine facultate Summi Pontificis, vel sui Generalis transeat, erit enim apostata, atque ita illum appellant Pontifices. Paulus III. in sua Bulla vltima, vbi post priuilegium concessum, & factam prohibitionem aliter egrediendi subdit, *Illos sic egressos ac alios quoscunque dicta Societatis apostatas, vt etiam alios quosuis insolentes, & qui id mereri videbuntur, in quocunque habitu apostatas predictos contigerit inueniri, excommunicare, capere, & incarcerare licite valeant.* ex quo verborum contextu constat illos sic egressos vocari apostatas, tum ibi *& alios apostatas*, tum maximè, quia in quocunque habitu inueniantur sic egressi, vt apostatæ excommunicari & capi permittuntur. Pius verò V. expressiùs dicit; *Si quis absque Superiorum licentia exiret, & in seculo vel alio etiam regulari loco degere præsumeret, licet dicto Generali, aliisque dictæ Societatis Præpositis, & Superioribus eosdem transgressores, & transeuntes tanquam apostatas, ad suam societatem reuocare.* Nec dici potest illam particulam *tanquam* esse diminutiuam, quia æquè cadit in egredientes ad manendum in seculo, vel ad transeundum ad aliam religionem. Denique Gregor. XIII. in citata Bulla *Dilecte fili.* expressè dicit; *Qui secus fecerit, in excommunicationem, & alias apostatarum pœnas & censuras eo ipso incurrat.* Quid ergo illi deest, vt sit verus apostata? Loquitur autem etiam de transeunte secunda vice ad ordinem Carthusiensium. Vnde constat nihil referre, quòd trãsitus fiat titulo maioris perfectionis, vel securitatis, nam hic titulus maximè colorari poterat in ordine ad Carthusiam.

XX. Dices, qui sic transit, non potest dici retrocedere ab statu religionis, cùm maiorem perfectionem intendat. Respondeo, hoc argumento probaretur, si quis illo titulo in Eremum tenderet, vt duriorem & perfectiorem vitam ageret sub aliquo habitu religioso, vel quantumcunque austero, non retrocedere, quia semper intendit maiorem perfectionem, & consequenter non esse apostatam, quod falsum esse constat. Non sufficit ergo intentio, nisi medium proportionatum sit, ad quod necessarium est, vt in vero statu religionis perseueretur. Hoc autem non fit in illo transitu; nam ille status, qui videtur assumi, non assumitur re vera, & ita dupliciter fit retrocessio, etiam in eo casu, quia & non permanetur in statu religioso, & violatur pactum religionis priùs assumptæ. Ampliari hoc potest, etiamsi religiosus priùs fugitiuus fuerit, sine animo apostatandi. nam ille etiam non potest suo arbitrio, vel ad vitandum supplicium suæ religionis, aliam ingredi non arctiorem: nam de arctiori tolerari posset, supposito priori malo; de alijs verò minimè, quia illud per se malum est, & non fit licitum ex priori malo, id est, ex præcedenti fuga, quia nemo debet ex iniquitate sua commodum reportare. Addit verò lex quædam Hispaniæ partit. 1. tit. 7. leg. 10. Si religiosus fugitiuus in ea regione, in qua versatur, cùm ad meliorem mentem conuertitur, non inueniat monasteria sui ordinis, nec arctioris, vel æqualis, posse ad laxiorem transire, quia si nullum inueniat, etiam potest inter honestos seculares viuere. Vbi Gregorius Lopez aduertit legem illam non esse sumptam ex aliquo canone, sed ex dictis Raimundi, quem refert, & sequitur Summa Angelica verb. *Religiosus.* n. 43. Et intelligendum est quando reditus ad propriam prouinciam esset moraliter impossibilis.

Secundum dubium, Sit ne etiam apostata, qui obtenta quidem licentia, alias indultorum prædictorum conditiones violat.

Sed quæret vlteriùs aliquis, an necesse sit seruare in huiusmodi transitu vltra licentiam etiam modum, vel alias conditiones in prædictis indultis, seu priuilegijs positas; ita vt etiam per earum violationem apostasiæ crimen incurratur. Ad hoc generatim loquendo solùm respondere possumus, consideranda esse verba priuilegij, & iuxta tenorem eius esse iudicandum; nam modus, & circunstantiæ omnes, quæ præceptæ fuerint seruandæ sunt, & siquidem fuerint tales, vt earum omissio irritet ingressum, vel professionem in alia religione, vel illa impediat, incurretur per illam transgressionem crimen apostasiæ, si tamen modus non est tantæ necessitatis, eius omissio ad tantum crimen non sufficiet. Ratio prioris partis est, quia eo ipso, quòd alia professio non est valida, & vel non tempore debito, & in eo statu permanetur, exit religiosus extra statum & obedientiam suæ religionis, cum animo ita perdurandi, sine debita facultate, quod est apostasiæ crimen. Ratio autem posterioris partis è conuerso est, quià tunc non receditur à statu religioso, etiamsi in modo commutandi illum aliquis defectus committatur, & ideo substantialiter, vt sic dicam, non receditur à pacto professionis, quia tranitus fit cum licentia sufficiente saltem ad valorem actus. XXI.

Intelligetur hoc meliùs descendendo ad aliquod particulare, ad cuius instar poterunt facilè reliqua declarari. Persistemus autem in eodem exemplo n. 19. allato, de indulto Societatis, in quo inprimis pro tranitu ad ordinem Carthusiensem designantur tres menses, intra quos teneatur illum ordinem ingredi, qui eo titulo è Societate egressus est. Pro alijs verò religionibus, quando tranitus ex licentia Superioris fit, eidem Superiori committitur, vt tempus præfigat. Si ergo sic egressus intra tres menses, vel designatum tempus, religionem aliam ingressus non fuerit, & ad Societatem statim non reuertatur, pœnam excommunicationis ipso facto inprimis incurret, iuxta Constitutionem Pij V. dicentis, *Absque vlla mora ad dictam Societatem regredi teneantur sub pœna excommunicationis prefata*, quam incurrent siue voluntariè non ingrediantur, siue quia non recipiuntur, vt ibidem explicatur. XXII.

Oportet tamen, vt ipsa mora non redeundi voluntaria sit, alioquin non erit peccaminosa, si propter impotentiam, vel naturalem, vel moralem reditus aliquantulum differatur, non incurretur censura, quia excusatur culpa, idemque erit, si mora sit adeò breuis, vt prudenti arbitrio non censeatur sufficiens materia peccati mortalis. In quo tamen scrupulosè cauenda est mala fides, quia vbi lex præfixit certum terminum ad soluendum debitum, eo ipso, quòd totum tempus elabi permittitur, tota substantia præcepti violatur, vt patet in præcepto confessionis annuæ, vel recitandi horas quotidie, non enim licet transferre actum ab vno die in alium, nec differre confessionem in primum diem alterius anni Ecclesiastici, nec propter breuitatem moræ fiet illa culpa venialis. Sic ergo posset quis in præsenti argumentari. Non tamen est omnino similè, quia ex vi illius legis non cogitur quis intra terminum trium mensium ad Societatem redire, sed ingredi aliam religionem; si autem intra illum terminum non ingrediatur, finito illo termino re- XXIII.

netur

netur sine mora redire, & ita tempus redeundi non habet indiuisibilem terminum præfixum, sed tantùm hunc, vt fiat, scilicet sine mora, in quo necessariò debet interuenire prudens arbitrium, & bona fides, ideoque licèt aliqua parua negligentia aliquantulum detineat, non erit statim peccatum mortale.

XXIV. *Quando posita simile cessare.*

Et hoc quidem verum est, quoad illud tempus à iure designatum pro Carthusia: nã in eo quod Prælatus pro aliis religionibus limitare potest, & debet, potest ipse præfixum terminum eũdem, vel diuersum ad vtrumque effectum designare. v g. vt intra mensem teneatur redire, vel ingredi; aut, quòd si intra mensem non recipiatur, intra alios quindecim dies redire teneatur, & tunc videtur procedere ratio facta, quòd si intra præfixum terminum præceptum non impleatur, substantialiter violatur, & ideo grauis erit culpa, etiamsi post elapsum terminum mora sit breuissima, nisi alia excusatio impotentiæ interuenerit. Posset etiam sufficere ad excusationem probabilis præsumptio voluntatis Prælati, quòd non fuerit mens eius cum tanto rigore terminum illum præfinire, sed cum ea amplitudine, qua in moralibus parum pro nihilo reputatur. Et iuxta hoc priuilegium cessat solicitudo Doctorũ admonentium, ne Prælatus religionis det licẽtiam Monacho abeundi, donec ei constet, & aliam religionem esse paratam ad suum subditum recipiendum, & ipsum esse expeditum ad immediatè transeundum; quia alias daretur ei occasio vagandi. Ita Innocentius, & alij in cap. vlt. de renunciatione, & notat Rebuffus in practica tit. de translatione Monachorum, n. 8. Et latiùs referens plures Greg. Lopez in l. 7. tit. 7. partita 1. verbo *Aotra*. Hoc verò consilium non in aliquo iure, sed in prudenti consideratione authorum fundatum est, sæpe autem non potest moraliter ad praxim reduci, sed necessarium est dare licentiam subdito, vt eat ad quærendum locum vbi recipiatur. Vnde id fieri posse Innocentius fatetur, retento tamen habitu, vt ego intelligo, & præfixo termino, vt vitetur illud incommodum vagandi, & ad hunc finem, & ad tollendam omnem dubitationem, & augendam potestatẽ, priuilegium illud concessum est.

XXV. *Designatum tempus ad transitum, an licitè infirmatur firmo animo non secundi.*

Sed quæres, an peccet religiosus manens toto illo tempore, v. g. per tres menses extra monasterium si multo antea vel mutauit propositum ingrediendi alium ordinem, vel certè intellexit non fore in illam recipiendum, videtur enim non peccare, nam Pontifex absolutè concedit, *vt infra tres menses*, &c. ergo potest liberè vti tota illa concessione, etiamsi iam de effectu desperet, quia licèt data sit licentia propter illum finem, non cessat ipso facto cessante fine, vt patet de quacunque alia facultate data ad existendum extra monasterium per annum, v. g ad aliquod negotium peragendum, nam licet antea perficiatur, non cessat licentia ipso facto, quia ille terminus videtur positus, vt vltra illum reditus, vel ingressus non differatur, non verò sub conditione, vt si antea finitum negotium fuerit, expiret facultas, nisi talis conditio in ipsamet facultate exprimatur.

XXVI. *Primus casus in hac questione explicatur.*

Hæc interrogatio nõ habet vnam simplicem responsionem, quia multis modis possunt circumstãtiæ variari. Primo ergo si quis à principio non habeat animum transeundi ad aliam religionem, sed eo colore petat facultatem, vt habeat occasionem eo tempore libere vagandi, non est tutus in conscientia, nam, & exeundo grauiter peccat, & permanendo, eadem intentione extra clausttrum, & extra actualem obedientiam alicuius religionis. Probatur, quia illa facultas est subreptitia; prima enim conditio requisita in tali indulto est, *vt ad alium ordinem transire velint*; ergo si re vera nolunt, sed solùm fingunt velle, nec possunt vti facultate iuris, quia de illis ius non loquitur, nec in eis completur conditio quam ius postulat, neque etiam vti possunt facultate Prælati quem decipiunt. Est ergo ille exitus sine legitima facultate; ergo peccaminosus, & quidem non sine culpa graui, iuxta dicta in superioribus de obligatione ad clausuram, quamuis enim illa dici non possit apostasia, quia & retinetur habitus, vt suppono, & intentio redeundi intra illud breue tempus, neque in exteriori foro appareat fuga; tamen coram Deo reuera est quædam fuga, quia est exitus inuito Prælato, deceptio enim reddit illum inuoluntarium, est etiam illa deceptio ex mendacio pernicios, & contra Prælatum, quia decipit illum in re graui, & priuat illum subiectione, & obedientia ipsi debita, & contra religionem, cui potest magnum detrimẽtum ex similibus fictionibus prouenire.

XXVII. *Secundi casus resolutio.*

Deinde licèt exitus sit factus bona fide, si postea mutat animum, & statuit non ingredi alium ordinem, tenetur statim ad proprium redire, nec potest licitè abuti tempore à lege concesso, vel à Superiore designato. Probatur, primò ex natura rei, quia iam non habet legitimam causam permanendi extra clausttrum, loquimur enim per se, & ex vi talis exitus, cuius totum fundamentum sublatum est. Vnde etiam colligitur licentiam siue iuris, siue hominis, ipso facto cessasse, quia non potest intelligi data nisi ex causa legitima, & iuxta exigentiam eius; illa ergo conditio in ipso indulto posita, *si alium ordinem ingredi vellent*, intelligitur supponi pro toto tempore, pro quo datur facultas, quia est fundamentum eius, & veluti causa motiua adæquata, qua cessante, facultas, non tantùm inutilis, sed etiam pernicios efficitur; cessat ergo cessante illa. Vnde addo vlterius, si religiosus infrà illud tempus desperet se posse ingredi illam religionem, pro qua habuit facultatem, vel quia intellexit se habere inhabilitatem aliquam, vel impedimentum propter quod in nullo illius loco recipietur, eo ipso teneri statim redire ad suam religionem; probatur, quia tunc etiam cessat ipso facto facultas manendi extra clausttrum; tum quia rationes factæ non minùs probant, quando deest potestas, quàm vbi deest voluntas; tum etiam, quia si desperatur ingressus; necesse est etiam deficere ab intentione procurandi illum. In his autem duobus casibus, non facilè damnabo peccati mortalis, quamcumque moram, quæ non excedit terminum à lege vel à Prælato transactum, neque est cum scandalo, vel extrinseca intentione mortali, quia non videtur materia nimis grauis, & à principio non interuenit dolus, vt supponimus. *Nota.*

XXVIII. *Vltimus casus expeditur.*

Vnde è conuerso si huiusmodi religiosus ponit statim, vel infra tempus breuius intrare alium ordinem, nolit tamen vsque ad finem temporis sibi designati, vt toto illo libertate fruatur, non videtur, per se loquendo, peccare mortaliter, quamuis minùs religiosè faciat. Probatur prior pars, quia ex vi legis solùm ei imponitur onus ingrediendi infra illud tempus, & semper habet propositum hoc implendi, vt supponimus; ergo ex hac parte, seruat ius; ergo facultas sibi concessa semper etiam durat, quia semper durat fundamentum eius, quod est esse quasi in via ad alium ordinem; ergo in rigore, non est ibi grauis transgressio alicuius præcepti, quia non obligatur quis summa celeritate, vt sic dicam, illam viam peragere, sed potius facultas illa concedere videtur totum illud tempus ad transitũ illum consummandum. Quia verò directa intentio illius concessionis est terminum illum ponere, vt vltra illum non differatur ingressus, non verò, vt per totum illum retardetur sed quoad hoc permissio tantùm esse videatur, ideo si talis detentio sine

rationabili causa fiat, non potest aliqua culpa excusari, quia est contra debitum clausuræ religiosæ, & abusus quidam permissionis, sub facultate sibi concessa.

XXIX. *De altera conditione redeundi ad priorem religionem, si in posteriore non perseueret.*

Additur præterea in illo indulto, quod explicamus, si huiusmodi translatus, & in alio ordine iam receptus in illo nolit, vel non possit perseuerare, vel profiteri, teneri postquam ab illo egreditur ad societatem, seu religionem suam, sine mora reuerti; cuius ratio manifesta est, quia ille semper manet religiosus Societatis, seu prioris religionis, & solùm concessum est ei esse extra obedientiam eius, vt posset aliam religionem probare; ergo eo ipso quod ab alia deficit, tenetur ex vi suorum votorum ad propriam religionem redire. Ad hunc autem reditum nullum certum tempus conceditur, sed præcipitur fieri absque mora, & additur eadem excommunicatio, nisi ita fiat, quòd intelligendum est iuxta supra dicta, quando mora culpabilis est, & ita notabilis, vt prudenti arbitrio ad culpam mortalem sufficiat.

XXX. Dubitari autem hic solet, an teneatur prior religio sic redeuntem admittere, quod tractat Syluester verb. *Religio* 4. q. 5. & affirmatiuè respondet, estque res manifesta, quia nemo potest à religione expelli sine causa sufficiente: ille autem qui ex legitima facultate voluit ad aliam religionem transire non dedit causam vt expellatur postea, quia in alia receptus non est, vel in ea non perseuerauit; ergo debet recipi; quin potius addo esse cogendum, & ad hoc teneri Prælatum religionis, quia nec religio, nec ipse religiosus possunt in hoc cedere iuri suo, quia esset contra bonos mores, & contra obligationem professionis, quatenus Deo principaliter fit. Idque confirmat cap. *Abbates*. 18. q. 2. Et idem satis indicant Pius IV. & Pius V. in dicto indulto, quatenus dicunt hos religiosos teneri ad reditum, & excommunicat tam ipsos in mora existentes, quàm illos recipientes, vel eis auxilium, consilium, vel fauorem præstantes. Nam hæc omnia supponunt ex parte etiam religionis esse obligationem illos suscipiendi. Et licèt ibidem statim tantum subiungatur, vt Prælatis liceat eos per coactionē si necessaria sit, reuocare, illud verbum, *licet*, non excludit obligationem, quam ipsi Prælati ex officio habeant reducendi, seu colligendi huiusmodi vagantes, sed explicat specialem potestatem ibi concessam dictis Prælatis, vt expeditius, & efficacius hoc præstare valeant.

XXXI. *De tertia cōditione, si translatus deserat illicite secundā religionem, subiaceat iurisdictioni primæ.*

Tertiò hic addere possumus concessionem aliam ad modum, seu conditionem huius transitus pertinentem, quæ facta minoribus est, vt in eorum cōpendio refertur, & in compendio societatis verb. *Apostata* §. 10. ratione ergo illius sic translatus ex legitima facultate suæ religionis, non solùm si in alia non profiteatur, sed etiam, si post professionem in ea factam illam deserat, vt in sæculo maneat, vel etiam, vt ad laxiorem transeat, subiacet iurisdictioni Societatis, vel religioni Minorum à qua translatus est. Nam ex vi dictæ cōcessionis possunt Prælati talis religionis cōtra illum translatum, tanquam cōtra apostatam procedere. Quæ quidem est satis noua potestas, nam ille profitendo in alia religione liberatus est ab obedientia prioris; ergo & à potestate coactiua eius. Vnde etiamsi sit proprietarius, vel subornator, nō potest à Prælatis religionis puniri, quia iam nō est illi subditus; ergo nec propter apostasiam cogi, aut puniri potest. Respondetur tamē, ideo necessariam fuisse specialem Pontificis cōcessionem, quem constat potuisse hanc iurisdictionem Prælatis prioris religionis communicare, seu delegare. Congruentia autem fuisse videtur, tum quia talis apostasia etiam cedit in iniuriam prioris religionis, tum etiam ad vitandam fraudem, ne quis illum transitum procuraret spe liberius postea vagandi, deficiendo ab altera religione, in qua fortasse circa hoc non tanta diligentia adhibetur, licèt fortasse in aliis obseruantiis strictior sit.

XXXII. Aduertendum est autem, hoc solùm concedi in duobus casibus. Primo, quando ille translatus iterum ad sæculum. Secundo, quando ad religionem laxiorem se transfert. Vnde si ad æqualem secundò transeat, etiamsi in eo peccet, non habet societas, seu prima eius religio ius in illum, quia ibi non conceditur, & aliunde non habet, vt probatum est; nec potest fieri extensio per similitudinem rationis, tum quia in priuilegiis hoc locum non habet, tum etiam quia nec similitudo rationis ibi reperitur, nam potiùs congruentiæ adductæ ibi cessant, quia vbi est æqualitas religionis, nec timeri potest fraus, nec propria iniuria, sed hæc sit tantùm illi religioni à qua proximè receditur ad quam spectabit illam propulsare. Dubitari autem potest, an secundus casus de transitu ad religionem laxiorem intelligendus sit, quando fit sine debita dispensatione, vel etiamsi fiat cum illa, si non intercesserit consensus societatis, seu primæuæ religionis. Posset enim hic consensus postulari, & tunc dispensatio esset subreptitia, ac proinde nulla, si absque illius mentione impetraretur. Verius tamen existimo intelligendum esse casum illum, quando transitus ad laxiorem fit sine legitima dispensatione, quia si fiat cum legitima dispensatione, nullum crimen committitur, & ideo non potest sic translatus vt apostata tractari. Nec verisimile est talem dispensationem pendere ex licentia vel consensu Prælati prioris religionis, quia neque ad illum cura illius personæ iam pertinet, per se loquendo, neque concessio illa ad hoc extenditur quantum ex tenore eius intelligi potest.

Tertium dubium principale, An prælatus religionis gaudentis prædictis indultis possit dare facultatem ad transitum.

XXXIII. Vltimò circa hæc indulta inquiri potest an possit Prælatus societatis. v. g. (& idem de aliis intelligi potest cum proportione iuxta vniuscuiusque priuilegia) an possit, inquam, dare suis subditis licentiam transeundi ad aliam religionem, & an circa hoc ius commune aliquo modo immutatum sit, nam cum subditi prohibeantur transire ad aliam religionem sine licentia sui Prælati, consequenter permitti videtur, vt cum illa transire possint; ergo & Prælato datur potestas illam concedendi. Rursus cùm indultum indifferenter loquatur de quacunque religione, imò maximè prohibeat transitum ad laxiorem, videtur etiam transitum ad illam concedere de licentia Prælati, & à fortiori, ad æqualem. Confirmatur, quia in illis indultis sub diiunctione dicitur, nisi de licentia Generalis, vel Summi Pontificis; ergo significatur licentiam Generalis sufficere ad quemcunque transitum, sicut sufficit Pontificis Summi. In contrarium autem est, quia priuilegium non extenditur ad aliquid contra ius commune, quantum ad id quod neque in ipso exprimitur, neque ad effectum directè intentum in priuilegio necessarium est: talis verò est licentia, ergo.

XXXIV. Circa hoc in primis certum est posse hos Prælatos dare licentiam transeundi ad aliam religionem arctiorem, seu perfectiorem; probatur quia hoc iure communi est concessum, vel potiùs naturali, & diuino, & per indulta non est prohibitum, vt per se constat, quia neque in eis inuenitur talis prohibitio, neque finis eorum est tollere, sed augere potiùs ius & potestatem Prælatorum. Quin potius,

potiùs, vt suprà dixi, tenebitur Prælatus dare hanc facultatem, si conditiones superius etiam positæ concurrant. De Prælatis autem Societatis existimo nunquam obligari per se loquendo, id est, ex vi perfectionis alterius religionis, quia meritò iudicare possunt institutum suum ab alijs non superari in absoluta perfectione, licèt in aliquibus austeritatibus corporalibus superetur, vt constabit ex infrà dicendis in tract. 10. de hoc instituto.

XXXV. Solùm posset quis dubitare de Ordine Carthusiense, quando secundò postulat licentiam transeundi ad illam, qui iam semel ad illam transijt, & in illa non perseuerauit, sed ad Societatẽ redijt; nam cùm Pontifices in his priuilegijs excipiant Ordinem Carthusiensem, etiamsi exceptionem limitauerint ad vnam vicem, propter vitandam inconstantiam, tamen per hoc satis videntur declarasse, illum ordinem esse arctiorem, ergo quanuis prohibeant secundum transitum ad illum sine licentia, cùm non prohibeant hanc licentiam concedere, videtur statim sequi obligatio naturalis dandi illam, quæ etiam est iuxta cap. *Iu et.* de regular. quod suam vim retinet in eo, in quo reuocatum non est. Respondeo inprimis non teneri in particulari, quãdo iudicant, vel personæ ipsi non expedire, vel religioni esse nociuum, nam, hoc ad minimum, vel concedit, vel supponit priuilegium, aliàs esset inutile, & præter rationem. Deinde assero etiam per se, & ex parte religionis non teneri ad hanc facultatem secunda vice dandam, quia non coguntur credere illum statum esse perfectiorem, nec Pontifices fecisse illam exceptionem, sed ob maiorem securitatem, vt suprà dicebam. Non dubito tamen, quin in hoc casu possint illam concedere, quia possunt renuntiare priuilegia sua, quando hæc renuntiatio non vergit in damnum suæ religionis, vt supponimus in tali casu etiam in indiuiduo.

XXXVI. *Secundò.* Secundò dicendum est, quotiescunque Prælatus Societatis iudicauerit, vel ad bonum suæ religionis, vel ad maius bonum ipsius religiosi non professi, sed tantùm per vota simplicia in Societate emissa expedire, dare illi licentiam, vt ad aliam religionem transeat, etiam laxiorem, potest id facere, & subditus securus transire. Hoc non assero ex vi indultorum, quæ nunc explicamus; nam vt statim de professis dicam, ex illis non satis probatur, sed fundatur hoc in speciali potestate, quam habet Societas ad dimittendos huiusmodi religiosos, etiam à votis suis liberos ex iustis causis, iuxta suas constitutiones; nam in eo euidenter fit, posse eis dare licentiam ad huiusmodi transitum, per quem tollitur religiosus status, licèt fortasse minuatur. Vnde fit ex minori causa posse Prælatum hanc licentiam dare, quàm dimittere religiosum, vt ad seculum transeat, quia minor immutatio fit in statu religioso. Verum est tamen, non posse religiosum Societatis cogi ad admittendam illam conditionem, quia nemo potest compelli ad profitendam religionem, quam non promisit, si tamen ipse acceptare vellet, Prælatus optimè potest sub illa conditione eum dimittere, & ipse tenebitur eam implere, vel ad societatem redire.

XXXVII. Sed quid, si solutis votis dimittatur, cum eo tamen onere ab ipso acceptato? Respondeo consultius videri, vt in eo casu vota non irritentur, sed relinquantur, donec per professionem in alia religione extinguantur, quia nulla apparet necessitas anticipandi solutionem votorum, & aliunde securius id erit, vt impleatur conditio, quàm si subditus statim liber dimittatur; si tamen postea nolit implere conditionem, vix poterit efficaciter compelli: nam licèt possit, vel capi, vel puniri, in rigore non est apostata, quia iam nõ est Religiosus, quem statum sine apostasia reliquit, postea ergo ad summum peccat, quia non implet promissum ingrediendi religionem, pro qua infidelitate poterit aliquandiu puniri, vel affligi iuxta retentam iurisdictionem in talem personam ex vi prioris pacti, & priuilegiorum; si tamen sit pertinax in suo proposito, non est perpetuò excommunicandus, aut incarcerandus ob eam rem, sed tandem erit suæ conscientiæ relinquendus.

Dico tertiò, Prælatos Societatis non posse ex vi superioris indulti dare licentiam professis Societatis transeundi ad strictiorem religionem, nisi aliud habeant. Prima pars probatur, quia inprimis non potest dari hæc licentia ad transeundum ad religiones omnes monachales, excepta Carthusiense, quia in extrauag. *Viam.* de regularibus. hoc prohibitum est omnibus mendicantibus etiam de licentia suorum superiorum: Societas autem vna est ex mendicantibus, quæ licèt nondum existeret, quando illa constitutio edita est, nihilominus ad illam extenditur, tum quia generaliter loquitur Constitutio, & extenditur etiam ad futura; tum etiam quia Pius V. declarans Societatem esse veram religionem mendicantem, concessit illi frui omnibus priuilegijs mendicantium; vnum autem est, quod in illa Extrauag. conceditur; nam in fauorem totius religionis facta est illa prohibitio, vt constat etiam ex illis verbis, *Volentes etiam conseruationi ordinum mendicantium prouidere*; ergo hoc etiam priuilegio fruitur Societas, vt religio Minimorum, & quelibet alia vera religio mẽdicans, quanuis nouior sit. Hoc autem decretum renouatum non est per prædictum priuilegium, vt statim ostendemus. XXXVIII. *3. Pronunt. bipartitum.*

Respectu verò religionum mendicantium, non inuenitur vniuersalis prohibitio, transeundi ab vna ad aliam. Referuntur autem speciales prohibitiones transeundi de licentia Superiorum, vel à Minoribus ad Minimos, vel è conuerso, quo indulto, quatenus fauor est religionis, à qua transitus prohibetur, vti potest Societas per communicationem priuilegiorum. Respectu verò aliarum religionum mendicantium vtendum est generalibus principijs suprà positis in c. 11. de potestate, quam habent Prælati religionum, concedendi licentiam subditis transeundi ad religionem æqualem, vel laxiorem. In quo nos probabilius credimus non posse dispensare saltem in ordine ad laxiorem, vt videtur etiam satis probare Concilium Tridentinum, ibi, *Cuiuscunq; facultatis vigore*; nam planè comprehendit etiam facultates propriorum Prælatorum. Quod quidem ius non derogatur per dictum priuilegium, quia nec expresè ac formaliter id fit, nec etiam virtute, cùm talis derogatio necessaria non sit ad proprium finem, & effectum ipsius priuilegij. Et hæc est ratio, ob quam existimo ibi non esse datam talem potestatem, nam directè solùm conceditur, vt subditus non possit exire sine licentia Prælati; inde autem non sequitur, quòd cum illa simpliciter possit; nam aliud est licentiam esse necessariam, aliud esse sufficientem, multoque magis ad hoc posterius requiritur quàm ad primum, ibi ergo solùm statuitur, vt necessaria sit, ergo inde inferri non potest sufficere, neque ad hoc dari potestatem in Prælato, si aliunde non habebat. Quapropter, nisi Prælatus Societatis iudicet aliam religionem mendicantem esse simpliciter perfectiorem, (quod nec faciet, nec facere debet in ordine ad suum regimen) non potest ex vi illius priuilegij, nec etiam ex vi iuris communis, vt existimo, talem facultatem concedere. XXXIX. *Deinde quoad mendicantes.*

Sciendum est autem (vt aliam pronuntiati partem declaremus) Gregorium XIII. in quadam Bulla *Cùm alias* anni 1582. concessisse Præposito Generali Societatis, vt possit professos è Societate emittere, & eis licentiam conferre vt possint ad quamlibet XXXX. *Secunda pars declaratur.*

libet aliam religionem etiam laxiorem transire. In quo indulto considerandum occurrit non concedi absolutè potestatem dandi hanc licentiam, professis quibuscunque volentibus transire ad alias religiones, siue Monachales, siue mendicantes, siue pares, siue laxiores, solùm per modum cuiusdam dispensationis, quia magis appetunt aliud vitæ genus, vel sperant se maiorem consolationem ibi habituros, vel quid simile. Sed solùm concedit cum limitatione ad illas personas, in quibus tales causæ inueniuntur, vt licèt professi sint, eos expediat è Societate eijcere, quod esse non potest nisi propter graues culpas; aliæ enim causæ quęcunque illæ sint, non sufficiunt ad professum emittendum, vt infrà tract. 10. lib. 11. ostendam.

XXXXI. *Suadetur declaratio.* Quòd autem hæc fuerit mens Gregorij, constabit expendendo tenorem priuilegij; nam inprimis in petitione seu dubitatione solùm proponitur, an Præpositus pro tempore existens, valeat etiam professos ex causis id exigentibus ab ipsa Societate emittere, & ipsis sic emissis liberum sit de eius licentia, se ad quemuis alium Mendicantium, vel non Mendicantium ordinem transferre, non ergo de omnibus professis, sed de illis, in quibus tales causæ inueniuntur; quæstio mota est; nec potestas dandi talem licentiam pro alijs, quàm pro sic emissis desiderabatur. Et iuxta tenorem huius propositionis respondet Pontifex, *Nos Societatis puritati atque incremento emisso unque pro tempore saluti consulere volentes statuimus, vt in perpetuum liceat dicto Præposito, quos iuxta cauerit ab ipsa Societate emittere, eosque de ipsius Præpositi licentia, non tantum ad Carthusienses, sed ad quemuis alium*, &c. In quibus verbis primò expendo verba illa, *Volentes consulere puritati Societatis*; nam ex eis colligo causam huius emissionis solum esse posse peccata, & prauos mores; nam hæc tantùm sunt, quæ puritati religionis repugnant; huiusmodi ergo causa supponi debet, priusquam illa licentia locum habeat. Deinde, ex cæteris verbis satis constat, solùm professis sic emissis talem licentiam dari posse; nam hoc satis expressè in eis continetur; Quod etiam indicatum est in illa particula *& incremento*, quam Pontifex in sua ratione posuit; nam dare hanc licentiam probis, & bonis professis per se, non conferret ad incrementum Societatis. Atque hinc per argumẽtum ab speciali confirmatur prior pars assertionis, quia manifestè supponitur extra hunc casum, & modum non habere Præpositum hanc potestatem. Imò vlteriùs mihi etiam probat iure communi, non habere Prælatos religionum potestatem concedendi suis subditis similem facultatem, maximè extra illum casum: præsertim, quia ibidem prohibentur, ne illa gratia per viam communicationis vti possint, etiamsi alias amplissimam communicationem habeant.

XXXXII. *Obiectio bimembris.* Sed occurrit obiectio, quia hoc modo nihil noui per illud priuilegium cõceditur; nam iure communi possunt Prælati religionis cuiuscunque eijcere professos, qui talem pœnam merentur, vt suprà probatum est. Item absolutè eiectus sine alia licentia, potest quancunque religionem intrare; cùm possit in seculo manere. Respondetur ad priorem partem, primum priuilegium sæpe concedi ad dubium tollendum, & priuilegium illud ad hunc finem directè postulatum esse, vt ex eius initio constat, & ideo licèt aliud non concederet, quoad hanc partem satis foret. Addo verò ex vi huius priuilegij concedi Præposito, vt non solùm iuxta rigorem iuris communis, sed etiam ex minoribus causis possit professum emittere, si causæ illum gradum attingant, vt ad puritatem, & incrementum Societatis expediat talem personam emittere, vt latiùs infrà tract. 10. lib. 11. in proprio loco dicemus. Vnde ad alteram partem respondetur eisdem modis, scilicet id, quod assumitur, non esse tam certum, quin ad tollendam dubitationem priuilegium expediri potuerit. Deinde dicitur videri concessum specialiter Societati, vt possit professum dimittere cum onere transeundi, ad quancunque religionem, quam Prælatus voluerit assignare. Verum est tamen non posse subditum absolutè cogi ad eeundum cum illa obligatione, sed necessarium esse vt voluntariè illam accepet, vt suprà generatim vidimus. Nihilominus tamen iustè compelli potest proponendo illi optionem, aut sustinendi in Societate, condignam suis delictis pœnam, aut transeundi ad aliam religionem, quia religio habet ius puniendi illum; & liberum eum ad seculum dimittere, cùm aliàs verus religiosus Societatis semper maneat, non iudicat expedire ad puritatem & bonum nomen Societatis, & ideo iusta est illa compulsio. Vt tamen sit suauior, & faciliùs conditio à subdito acceptetur, data est ampla facultas Præposito, vt ad quamcunque religionem illi magis accommodatam, licèt aliàs laxiorem possit transitum concedere. Atque hactenus de priuilegijs.

CAPVT XIII.

An religiosus legitimè transiens ad aliam religionem possit transferre secum aliquod peculium.

SVpereſt explicandum quid religiosum transeuntem consequatur; vel potiùs, quid transeat cum ipso, vel quid amittat transeundo, quod per tria sequentia capita expediemus. Et primò, ac præcipuè dubitari solet, an possit secum deferre mobilia, seu peculium aliquod, quod priùs habebat de licentia Prælati, vel aliquam partem eius, vel saltem ea bona, quæ ad monasterium attulit. Procedit autem dubium, quãdo transitus legitimè factus est, id est, ex debita facultate, vel iusta dispensatione: nam aliàs transitus est nullus, & ideo si seipsum transferre non valet, multo minùs bona sua secum deferre poterit. Vnde licèt postea contingat religiosum sic malè translatum, manere in alio monasterio, permittente priori religione, & obtenta dispensatione; nihilominus nõ tenebitur prior religio aliquid de bonis, quæ occasione talis personæ habuit, reddere secundo monasterio, quia ipsa inuita, translatus est, & altera religio voluntariè illum suscepit, cum suo onere, & sine talibus bonis; ergo, licèt postea prior religio consentiat in transitu, intelligitur id facere sine suo præiudicio, & consentiendo receptioni solius personæ prout iam facta fuerat, quod ex dicendis à fortiori constabit. I. *Quæstio transitus validi, & quæ bona transeuntes etiam ligata habeant.*

Addo igitur etiamsi transitus sit validus, & legitimus, non posse religiosum secum deferre aliquid ex bonis, quæ in priori religione quouis titulo cõparauerat, vel donatione, vel industria, vel alio simili modo. Ita docet Nauarrus Comment. 4. de regular. n. 24. versic. *Vndecimo*, & consil. 55. de regularibus; vbi refert Abbatẽ, Cardinalem, & alios. Ratio eius est, quam modò attiginus, quia beneficiũ per legem concessum intelligitur sine præiudicio tertij; ergo cùm ius cõcedit transitum personæ, intelligi debet sine præiudicio prioris religionis, quoad cætera omnia. Hæc verò ratio supponit aliã fundamentalem, scilicet, quòd religiosus nihil sibi acquirit, sed religioni, vel monasterio; ergo licèt postea discedat, non potest priuare monasterium dominio talium rerum sua authoritate, neque aliud monasterium potest illa accipere inuito domino; vtrumque enim contra iustitiam est. Nemo; vtrumque enim contra iustitiam est. Necesse est ergo, vt vel prius monasterium velit illa dona- II.

donare, quod non præsumitur regulariter, nisi suum consensum satis exprimat, vel Superior, dispensando in transitu, in hoc etiam dispenset, quod etiam non præsumitur, nisi id declaret propter rationem à Nauarro inductam.

III. *Dicta ratio vilet pro quouis transitu.* Atque hic discursus ostendit, hanc regulam indistinctè procedere in quacunque mutatione religiosa, siue fit ad monasterium arctius, siue ad alia, & siue fit ad petitionem eius per modum dispensationis, siue ex alia causa necessaria, vel per modum coactionis propter culpas, vel etiam propter vtilitatem, & exonerationem ipsius monasterij cum consensu religiosi, & dispensatione, seu priuilegio Superioris. In omnibus enim his casibus, si transitus absolutè concedatur, sine appositа conditione quasi per modum mutui contractus, de aliquib. bonis secum deferēdis, nulla prorsus transferre potest; ratio est, quia dominium acquisitum monasterio in talia bona, fuit omnino absolutum, & independens à futura conditione, vel mutatione personæ: ita vt licèt in professione includatur conditio, vt persona possit transire ad meliorem frugem, non tamen illa extenditur ad bona, quæ religiosus acquirit post professionem in tali religione.

IV. Ratio autem huius est, primò, quia status religiosus non postulat, nec per se requirit huiusmodi bona, sed potiùs abnegationem eorum, & ideo licet quoad personam includatur conditio melioris frugis, non oportet, vt illam comitentur bona. In quo est magna differentia inter vinculum matrimonij rati, quando dissoluitur per professionem: tunc enim vnicuique parti reddenda sunt bona, quæ ad illam pertinent, quia & illorum habebat dominium, & quodammodo per se sunt necessaria in tali statu, quod secus est, vt dixi, in statu religioso. Secundò, quia quanuis in professione includatur dicta conditio, quandiu illa non impletur, religiosus est sub absoluto dominio religionis, quia dum conditio non impletur status est absolutus; omnes ergo actiones eius, & quidquid ex eis resultat, transeunt in absolutum dominium religionis. Vt si Petrus sit seruus Pauli pro certo tempore, vel non, vt talis conditio impleatur quidquid eo tempore seruus acquirit, sit domini, ita vt licèt postea impleatur tempus, vel conditio, & persona serui fiat libera, bona priùs acquisita maneant apud dominum: Imò nulla est seruitus tam perpetua, quæ non includat saltem hanc conditionem, nisi dominus voluntariè manumittat, nemo autem dixerit seruum manumissum secum posse deferrè bona in seruitute acquisita; ita ergo de religioso censendum est, qui in his maximè rebus, quæ ad dominium bonorum spectant, ferè æquiparatur seruo, vt in superioribus dictum est.

V. Dices, esto hæc vera sint de his bonis quoad dominium eorum, non verò quoad vsum. Nam hic vsus debebatur tali religioso, & hoc ius non amisit propter transitum ad aliam religionem, ergo potest ea bona deferre, non vt dominus illorum, sed tantùm ad vtendum illis, atque adeò sub hac conditione, vt si post mortem eius durauerint, ad prius monasterium redeant. Et confirmatur primò, quia qui sentit onus, debet & sentire commodum, sed monasterium secundum recipit onus sustentandi & alendi talem personam; ergo debet etiam bona recipere, saltem, vt ipsa eis vtatur. Confirmatur secundò, quia aliàs neque vestimenta propria, quibus induitur, nec instrumenta artis si aliquam fortasse exercet, nec propria scripta etiam proprio ingenio & manu elaborata, nec etiam libros, vbi in particulare peculium conceduntur, poterit talis religiosus secum ferre, quod videtur durissimum. Probatur autem sequela, quia in his omnibus procedit ratio facta, nam omnium illorum dominium religioni fuit acquisitum, & apud eam semper retentum.

Respondetur ad rationem, regulam positam VI. tam de vsu, quàm de dominio esse intelligendam, quia sicut religiosus non habet dominium, ita nec ius vtendi, sed tantùm vsum facti, & ideo in ipsa persona ex se nihil transit, vel potiùs nihil in ipsa est, ratione cuius possit secum deferre huiusmodi bona ad vsum eorum, nec prior religio tenebatur in rigore concedere illi vsum talium bonorum in particulari, sed tantùm absolutè ad alendum illum; hoc autem debitum extinctum fuit per translationem, sicut in exemplo de seruo, etiam dominus tenetur illum alere, quandiu seruus est, si autem illum manumittat, cessat obligatio, nec potest secum deferre bona, quibus vtitur. Sic ergo religio non tenetur dare religioso obligatione iustitiæ, nisi, quandiu religiosus eius est, nam hæc obligatio nascitur, vel ex naturali debito quo totum obligatur alere partem, vel ex mutua æqualitate, & iusto contractu inter religionem, & religiosum; sicut enim religiosus non tenetur seruire religioni, nisi quandiu religiosus eius est, ita nec religio obligatur ad illum alendum, nisi pro eodem tempore, vel sub eadem conditione. Ex quo à fortiori constat, si bona acquisita religioni industria religiosi, sint immobilia, non transire cum religioso, etiam quoad vsumfructum quandiu illeviuit, quia etiam dominium talium bonorum fuit absolutum, nec religiosus acquisiuit ius fruendi, nec fingi potest alius titulus, nisi fortè sustentationis; ad hanc autem non tenetur prior religio, vt declaratum est.

Neque obstat prima confirmatio, haberet enim VII. locum principium quod assumit, si prior religio alteri inuitæ imponeret onus alendi suum religiosum, non tamen ita est, quia posterior religio voluntariè recipit talem personam, & ideò si non possit sustinere illud onus sine tali subsidio, oportet vt in ipsa receptione conditionem illam explicet, & quòd prior religio consentiat, vel quòd aliquis Prælatus vtrique superior rem componat, alioquin sibi imputet, quòd onus susceperit sine illo commodo. Et deinde iam non alit religiosum alienum, sed suum; ideoque non deest sufficiens æqualitas, cùm actiones etiam, & futuræ vtilitates talis personæ illius iam sint. Eo vel maximè, quòd hic modus recipiendi onus sustentandi religiosum sine speciali subsidio temporali, per se est conueniens tali statui, vt in superioribus declaratum est.

Ad aliam confirmationem respondetur, exvi iu- VIII. stitiæ concedendam esse sequelam, vt probat ratio, tamen ex præsumpta voluntate rationabili, & ex recepta consuetudine aliquam posse admitti exceptionem. Quod verò spectat ad vestes, si tantùm sit *De vestibus.* sermo de his, quæ ad actualem vsum, vt sic dicam, & decentem exitum è monasterio necessariæ sunt, clarum est posse illas secum deferre, tum quia nec debet nudus incedere, nec mutare habitum suę religionis, donec alterius induat: tum etiam, quia cùm ille sit adhuc religiosus talis religionis, licitè potest habere vsum pro tunc necessarium, saltem rerum quibus tegatur. Quæ ratio probat etiam, tunc posse ali de bonis religionis, nec compellendus est mendicare, nisi religio ipsa hoc profiteatur. Si autem de duplicatis vestibus, aut alijs ornamentis sit sermo, sine dubio nihil horum potest secum deferre, nisi ex consensu Prælati, quem relinquit; nam de illis omnibus procedit optimè discursus factus, quia illarum rerum vsus est pro alio tempore futuro, non pro præsenti, quidquid enim pro eo tempore necessarium est, non duplicatum, sed simplex vestimentum appellamus, etiam si ex varijs partibus constet. Quin potius de hoc simplici vestimento dubitari potest, an teneatur secunda

religio illud priori restituere, postquam religiosus professus est; videtur enim in rigore teneri non minus, quàm si ibi esset naturaliter mortuus, vel sicut, si vestem aliquam mutuò acceptam à tertia persona tulisset, teneretur religio illam restituere vero domino, sic enim quilibet religiosus etiam proprium vestimentum non habet nisi quasi mutuatum à sua religione. Esto tamen hoc ita sit, quoad hanc partem censemus temperare rigorem hunc ex quadam vrbanitate, & interpretatiuo consensu omnium religionum, quem satis declarat consuetudo, neque enim decebat in re tam minima, vel amaritudinem animi erga transeuntem, vel nimiam affectionem ad temporalia bona ostendere. Vnde etiam consuetudo hæc in diuersis religionibus pro maiori, vel minori paupertate earum, habet maiorem etiam, vel minorem amplitudinem, quæ sine scrupulo seruari poterit.

IX. *De peculio librorum.* De libris autem, sicut non est eadem ratio, ita non est etiam eadem consuetudo; nam libri ex suo genere computantur inter mobilia preciosa, vel saltem multæ æstimationis, & alioquin non habent vsum simpliciter necessarium, sed voluntarium, & præterea potest per alios similes in futurum supplere, & ideo nulla ratio postulat, quòd prior religio cogatur librorum peculium concedere, etiam quoad vsum pro futuro tempore, seu pro vita talis personæ in alia religione. Neque etiam est illa ratio ad præsumendum talem consensum, vbi non fuerit satis expressus, vel vbi nõ fuerit materia tam parua, vt quasi pro nihilo reputetur. Nec refert, quòd iuxta morem religionis libri quasi in peculium stabile, vel ad vitam concedantur, quia nunquam potest ista concessio ita fieri, quin semper pendeat ex voluntate Prælati, qui ad nutum potest illam licentiam reuocare, & libros ad vsum aliorum religiosorum applicare, vt suprà ostensum est, eo autem ipso, quòd subditus mutat religionẽ, nec Prælatus persistit in priori voluntate, neque ipse potest eius facultate vti. Imò licèt talis concessio fiat ex vi regulę, semper habet conditionem adiunctam perseuerantiæ in tali statu; nam omnis lex ad eos tantùm, qui sub ea sunt, loquitur.

X. *De manuscriptis ad proprium vsum.* De scriptis autem est mihi nonnullum dubium, licèt nonnulli absolutè idẽ de illis affirment, quia illa etiam sunt bona quædam temporalia, & interdum non paruo pretio æstimabilia, quorum dominium etiam acquiritur monasterio; ergo procedit in eis ratio facta. Neque est ibi ratio præsumendi tacitum consensum, quando occultè, & inscio Superiore scripta deferuntur. Hæc ergo sententia sine dubio tutior est. Nihilominus dico esse dubiam, quia scripta videntur esse quasi pars scientiæ, & doctrinæ, quam aliquis in religione comparauit, sunt enim in adminiculum memoriæ, à qua maximè scientia pendet. Potest autem religiosus suam scientiam, & doctrinam secum deferre; ergo & talia scripta, quibus, vt videtur, iniustè priuaretur, quia non esset sine magno scientiæ, & doctrinæ suæ nocumento, & dominium religionis non videtur esse adeò absolutum, vt possit cum tanta iactura talis personæ illa retinere. Et declarari potest, quia accessorium sequitur principale, scripta autem sunt veluti quid accessorium respectu scientiæ; ergo possunt & debent comitari personam, ad cuius propriam scientiam pertinent. Nihilominus Nauar. dicto consilio, num. 10. eadem certitudine, qua de alijs bonis, affirmat religiosum translatum solùm posse deferre scripta, quæ inutilia essent suæ religioni priori, & quæ probabiliter crederet Prælatum donaturum: addere verò possumus, vel quæ iuxta morem religionis Prælatus non potest iustè negare, vel auferre nisi in pœnam alicuius grauis culpæ. Addo etiam, ob rationem factam, si quis deferat scripta sibi vnica, & singularia, quorum copiam inuenire non poterit, maiorem aliquam excusationem habere, ita vt non audeam illum condemnare, præcipuè si solùm ad propriam vtilitatem illa deferat, animo restituendi illa cum primum, vel transumptum eorum habere potuerit, vel saltem in fine vitæ, si prius absque magno incommodo non potuerit.

Tandẽ à fortiori constat, instrumenta artis multo magis comprehendi sub bonis, quæ deferri non possunt, quia & sunt æstimabilia pretio, & facilè etiam possunt pretio comparari, & ab eis non pendet ars ipsa, sed tantùm vsus eius. Vnde cùm talis vsus in vtilitatem alterius religionis transferatur, ad illam spectabit instrumenta artis præbere. Solent autem esse etiam inter religiosos aliqui insignes artifices, habentes exquisita aliqua instrumenta, quibus similia, vel non inuenient, vel non sine magno labore, & difficultate, & in his posset habere aliquam vim illa ratio, quod priuari tali instrumento esset magnum incommodum; quæ ratio suadet quidem debere Prælatum tunc se facilem exhibere, saltem ad mutuandum simile instrumentum, ad vsum eius, vel pro toto tempore vitæ, vel donec aliud simile habeat, vel certè ad vendendum illud, si alius posset illud pretio redimere. XI. *De instrumentis artium.*

CAPVT XIV.

An cum religioso transeunte transeant etiam immobilia, vel pretiosa mobilia, quæ fortè ratione illius pertinebant ad priorem religionem.

SVpereſt verò dicendum de bonis præsertim immobilibus, vel mobilibus pretiosis, quæ in propria specie extant, vel quibus monasterium ditius factum est, sub quibus maximè pecuniæ comprehenduntur; de his ergo omnibus, quæ secum attulit religiosus, quando primam religionem ingressus est, non immeritò dubitatur, an possit illa secum deferre, cùm ad aliam transit etiam reluctante Prælato; nam in his videtur esse dissimilis ratio, quia licèt per professionem trãseant in dominium religionis, tamen ibi interuenit pactum, quod habet implicitam conditionem, donandi scilicet, illa monasterio, pro tempore, quo personam ipsam secum habuerit, nam illa bona comitantur personam, cuius hæc videtur esse iusta, & rationabilis intentio. I.

Circa hoc aliqui Iurisperiti, vt videri potest in Decio in Authent. *Generali* C. de Sacrosanctis Eccles. n. 4. & Anchar. consil. 69. n. 8. distinguit de illo, qui ante legitimam ætatem professus est, vel debito tempore; & de priori aiunt, bona, quæ attulit transire cum illo ad aliud monasterium; de posteriori autem negant. Sed distinctio non est necessaria; quia si professio ita est facta ante legitimam ætatem, vt fuerit inualida, & nunquam fuit ratificata, clarum est personam illam quocumq; transeat, posse deferre secum sua bona, neque oportebat specialiter loqui de defectu ætatis; sed generaliter de quocumque annullante professionem. Ratio enim generalis est, scilicet, quia semper retinuit dominium illorum, nam votum paupertatis validum numquam fecit, ergo neque à se bona sua abdicauit, item seipsum non tradidit validè monasterio; ergo nec bona; nam quoad hoc saltem, certissimum est illud principium, quod in hoc negotio bona sequuntur personam, quod est commune Bartoli, & Doctorum in Authentica *Si qua mulier.* & Authentica *Ingressi.* & Authent. *Generali.* de Sacrosanctis II.

sanctis Ecclesiis, quia saltem hoc necessarium est in principio traditionis. De hoc ergo casu nulla est quæstio, saltem iuxta antiquum ius; nam ex quodã iure nouo Concilij Tridentini potest habere aliquã difficultatem, quam in c. sequenti attingam. Si autẽ professio inualidè facta ante ætatem, postea validè ratificata est, siue expressè, siue tacitè, parum refert quòd professio nulla antecesserit. Itaque generaliter loquimur de quocumque religioso verè professo, & de transitu etiam valido, ac legitimo, vt in ca. præced. n. 1. etiam monui.

III. Alij ergo censent huiusmodi bona transire cum religioso etiam quoad dominium, & proprietatem, pro qua citantur Calderinus consil. 29. de regular. colum. 2. Socinus senior lib. 4. Consilior. consil. 92. n. 14. & sequent. Et Menochius lib. 2. de arbitrariis, c. 436. n. 11. qui fundantur in ratione dubitandi proposita. Et potest confirmari ex c. *Quod à te.* de Clericis coniugatis, vbi de clericis apostatantibus à suis Ordinibus dicitur. *Sanè Ecclesiis quibus immutati fuerunt si de possessionibus, aut aliis bonis, aliqua contulisse noscuntur, cum ab earundem Ecclesiarum ministerio fuerint & beneficio sequestrati, adipsos debent recta via sine contradictione remitti*; ergo à fortiori in præsenti casu debent transire cum ipsa persona bona, quæ monasterio donauerat.

IV. Alij distinguendum putant, si religiosus transit cum legitima licentia, vel sine illa, item de bonis quoad proprietatem, vel quoad vsumfructum; nã in priori casu, quando transitus illicitè fit, negant posse vllo modo secum deferre bona; quando autem iuste fit, affirmant posse, & debere, saltem quoad vsumfructum, ne fiat difficilior huiusmodi transitus ad perfectiorem religionem. nam si cogatur relinquere talia bona in monasterio, non erit ita liber, & expeditus, vt transire possit ad perfectiorem statum, quod esset impedimentum ponere ascensui ad perfectiorem statum, quod esset inconueniens.

V. Mihi placet sententia Nauarri absolutè negantis talia bona transire cum persona, quam etiam tenet Couar. referens multos in cap. 1. de testamentis numer. 20. & 21. iuxta quam sententiam dicendum est, nec transeuntem posse tuta conscientia per vim, vel fraudem illa secum deferre sine consensu monasterij, nec monasterium teneri de iustitia ea donare, quoad proprietatem, vsumfructũ, aut vsum; quod intelligo per se, & secluſa exceptione, quæ propter accidentales circumstantias fieri potest. Quia verò hoc non est æque certum in omnibus bonis, neque in omni transitu, ideo oportet hæc distinguere, & sigillatim probare. Duobus ergo modis potest religiosus conferre monasterio bona quæ prius habebat, vel ius ad illa, quæ habere poterat, primò necessaria consequutione, & ex vi iuris communis, eo ipso, quòd vult ibi religionem profiteri. Secundò liberali voluntate, & donatione distincta à traditione suæ personæ, quia nimirum poterat ante professionem illa bona aliis donare, & voluit potiùs dare monasterio, quod maximè procedit, quãdo non solùm ex negatione donationis, vel legati, aut testamenti facti in fauorem alterius, sequitur necessaria successio monasterij facta professione (hunc enim casum in priori modo includimus) sed, quia necessaria est positiua actio donandi, & hanc etiam voluntarie habuit.

Ostenditur data resolutio, quando bona obueniunt priori religioni ex vi professionis in ea facta.

VI. Quando ergo bona transierunt in monasterium priori modo, in nullo casu potest illis priuari, saltem quoad proprietatem, propter trãsitum personæ, quia iure quasi hæreditario acquisiuit absolutum dominium eorum, sine dependentia ab actuali existentia, seu perseuerantia talis personæ, in tali religione, vel monasterio. Quis enim talem dependentiam, vel conditionem apposuit, an religiosus ipse? at ille non potuit, quia licèt voluntas eius fuerit necessaria ad profitendum, tamen suppositа voluntate hac, iam non ex ipsius arbitrio, sed ex necessitate iuris transeunt illa bona in monasterium. At ius illam conditionem non ponit, sed absolutè vult bona illa transire in monasterium, quia supponit personam illam quasi mortuam, & statum illum perpetuum, & propter accidentales, & raros casus non adhibuit dependentiam, vel conditionẽ, quæ posset magis obesse, quàm prodesse stabilitati illius status.

VII. Dices, ille poterat testari, vel illa bona aliis donare; ergo etiam potuit hanc conditionem, vel hoc onus monasterio ponere. Respondeo primò, probabile esse illam conditionem esse repugnantem professioni, de quo statim dicam. Deinde quando nullum condit testamentum, sed permittit religionem quasi ab intestato succedere, licèt voluntariè, & liberaliter hoc faciat, tamen per hoc nullam apponit conditionem, sed relinquit, vt religio succedat iuxta dispositionem iurium, sicut qui non instituit hæredẽm solùm hac intentione, vt nepos ab intestato succedat, gratiam quidem illi facit, non tamen propter hoc aliquam illi conditionem apponit, si autem religiosus condat testamentum, & monasterium instituat hæredem, & dictam conditionem expressam non apponat, absoluta est etiam successio, quia illa conditio, nec ex natura rei subintelligitur, nec præsumi debet, præsertim præsumptione iuris, cùm illa reputetur mors quædam ciuilis, qui autem ante mortem naturalem instituit hæredem, non habet subintellectam hanc conditionem, vt si contingat ad vitam redire ei etiam restituantur bona. Si autem fingatur casus, in quo illa conditio in testamento expresè ponatur, primùm non existimo esse moralem, quia illa conditio indicat animum non satis constantem, & firmũ in statu quem assumit, & ideo nemo illam adhibebit, nec religio deberet illam vel personam acceptare; an verò in rigore addi possit, statim dicam à num. 16.

VIII. Atque hinc infero idem iudicium esse de quibuscunque bonis, quæ post professionem talis religiosi aduenium monasterio per necessariam successionem, quatenus induit, seu repræsentat personam eius; Probatur, quia illorum omniũ dominium absolutè acquirit non ex noua voluntate religiosi, sed ex vi ac necessitate iuris communis, suppositа solũ priori voluntaria professione. Nec potest religiosus iam professus illam conditionem, vel onus aliquod super talia bona religioni apponere, quia iam mortuus est, neque vllũ ius habet circa talia bona. Neque etiam ex vi prioris pacti, vel professionis intelligitur talis conditio magis appositа pro bonis aduentitiis in futurum, quàm pro illis, quæ statim cũ ipsa persona proueniũt. Imò licèt aliqua bona postea aduenient religioni, ius ad illa vel ad successionẽ illorum, translatum fuit in religionem in puncto professionis, quod ius inter bona incorporalia statim acquisita religioni computari potest; ergo sicut alia bona, tunc absolute acquiruntur, & sine vlla cõditione, ita & ius illud; ergo eodem modo acquiruntur postea religioni omnia bona, in quæ necessariò succedit propter illud ius.

IX. Sequitur etiam resolutionem positam procedere de transitu talium bonorum, nõ solùm, quoad proprietatem, sed etiam quoad vsumfructu, vel vsum; Probatur, quia in primis, nullum est ius positiuum,

quod in præsenti materia aliud disponat de vsufructu, quàm de proprietate: secluso autem iure positiuo, vsusfructus ex natura rei, est domini cuius est proprietas, nisi etiam ex aliquo pacto humano hæc separentur, quòd hic etiam nullum est, ergo sicut prior religio iustè retinet proprietatem talium bonorum, ita etiam professionem tam ciuilem, quàm naturalem, & vsumfructum eorum. Solùm superest declaranda vltima particula antecedentis; nam cætera omnia, & illatio per se nota videntur; probatur autem ex dictis; nam, præter professionem, nullum pactũ interuenit super talia bona inter religiosum & religionem, ratione cuius pacti vsusfructus taliũ bonorum reseruetur religioni posteriori, si ad illam transire contingat; ostendimus enim religionem succedere non ex speciali voluntate religiosi, sed ex vi iuris communis; cùm ergo ius commune illam reseruationem non faciat, nec religiosus potest sua voluntate illam superaddere. Deinde esto posset, de facto nihil tale declarat, nullam enim omnino conditionem adhibet, nec etiam est, cur ex natura rei subesse intelligatur, vt explicuimus, & magis ex dicendis constabit.

Ostenditur deinde eadem resolutio quando bona obueniunt ex mera liberalitate religiosi.

X. Supereſt, vt dicamus de aliis bonis, quæ religiosus suo mero arbitrio extra legis dispositionem religioni donat in ipsa professione, vel ante ipsam; nã post ipsam non habet locum hic modus donationis, cùm religiosus, neque aliquid sibi retinere posſit, vt de illo postea cùm voluerit donationem faciat, nec potest aliquid de nouo acquirere, quod non ipso facto statim in religionem transeat. De huiusmodi ergo bonis idem in primis dicendum est, quando donatio in principio simpliciter facta est, nulla in ea adiecta conditione, vel limitatione, quia etiam tunc monasterium obtinet absolutum dominium talium bonorum; ergo quidquid postea eueniat, non posset iustè sine suo consensu illis priuari; patet consequentia, quia hic etiam nullum est ius naturale, vel positiuum, quod illam obligationem imponat, nec etiam est vlla ratio subintelligendi hanc tacitam conditionem in illa donatione; nam licèt fiat occasione professionis, non tamen fit sub conditione aliqua pendente in futurũ, imò ipsa professio est actus ita legitimus, & intrinsecè perpetuus, vt non pendeat in futurum, & ideo ad summum potest intelligi illa donatio dependẽter à professione vt de præsenti fit, ita, vt si contingeret professionem esse nullam, donatio etiam nulla redderetur, tamen facta professione valida, nulla conditio de futuro intelligitur nisi exprimatur.

Probatio quando liberalis donatio facta est absque vlla conditione.

XI. Et hæc ratio maximè vrget, quando non stat per religionem, quominus religiosum semper retineat, quia quantum est ex se, parata est ad illum alẽdum, & ad implendam conditionem, etiamsi fingamus fuisse in donatione inclusam; ergo iniustum esset illam cogere ad bona alteri tradenda. Imò idem certum existimo, etiamsi ex iusta causa religiosum emittat: quia donatio monasterio facta neq; ipsi religioso debet dare licentiam ad liberiùs peccandũ, nec religioni debet adimere libertatem ad expellẽdum illum, si suis peccatis id mereatur, vtrumque autem sequeretur, si cogeretur religio bona reddere quando illum expellit. In hoc autem casu si religiosus sic punitus transferatur in aliud monasterium, vt ibi in pœnam detrudatur, alẽdus quidem erit sumptibus monasterij, quod illum eiecit. Id tamen non est propter bona, quæ in monasterium contulit, eodem enim onere tenebitur monasterium, etiamsi nulla tẽporalia bona ab illo habuisset, sed ratio est, quia non debet grauari aliud monasterium, nisi omnino sponte velit ipsum sine alimentis recipere, de qua re in simili materia optimè loquitur Gregorius lib. 1. Epist. 42. vbi latiùs tractat non solùm de monachis, sed etiam de clericis sæcularibus habentibus propria bona, qui propter lapsus detruduntur in monasteriis. Si autem contingeret iniustè expelli, etiam tunc non debet pati religio graue nocumentum propter vnius Prælati iniustitiam, vel imprudentiam, sed cogendus est Prælatus, vel illum iterum admittere, vel alere, aut alio modo iniuriæ factæ satisfacere. Et quando iustum esset monasterium priuare bonis propter tale delictum, id non esset ex intrinseca obligatione orta ex priori donatione, quod nunc agimus, sed esset quædam pœna per Superiorem imponenda.

Hæc probatio non solũ valet quando religio vult retinere religiosum, sed etiã quando expellit.

Atque hic discursus non minùs probat de vsufructu bonorum, quàm de proprietate, quia hic etiam habet locum ratio suprà facta in n. 9. cùm monasterium sit verus dominus, esse etiã vsufructuarium, quia nullum est ius, vel pactum humanum, ratione cuius impediatur verus dominus frui, & vti re sua. Neque etiam talis obligatio prouenit ex alia obligatione, quam habebat hæc religio ad alendam talem personam, tum quia hinc ad summum sequeretur obligatio ad tribuendum ei sufficientia alimenta in alio monasterio; non verò ad dandum totum vsumfructum, aut totum dominium vtile, si fortasse pluris æstimetur. Tum etiam, quia nec alimenta tenetur dare, quia parata est, ad alendum illum in suo gremio permanente, & ad hoc solùm à principio se obligauit. XII. *Patet ex dictis, & ex propria.*

Dices, hoc ad summum procedere, quando religiosus transit ad laxiorem, vel æqualem sine culpa religionis, & solùm permittente, vel dispensante ad illius postulationem, ex opinione probabili cap. 11. à num. 16. tractata; tunc enim nisi in ipsa permissione seu licentia, ipsamet religio se voluntariè obliget ad aliqua alimenta præstanda, profectò non potest ex conscientia, vel iustitia obligari, etiamsi in præstando suo consensu hanc conditionem, seu libertatem à tali obligatione non expresserit; quod fortasse esset consultoris, non tamen necessarium, quia per se nullus est in re ipsa titulus talis obligationis, sed alia religio quæ illum recipit, sibi consulat, & videat quale onus assumat. At verò quando transit ad perfectiorem religionem, vtitur religiosus iure suo; ergo non debet priuari actione quam habet ad vsumfructum talium bonorum, vel saltem ad alimenta. Et hic etiam habet locum congruentia alterius opinionis, scilicet, ne difficilior fiat transitus ad meliorem frugem. vnde sicut in ipsa professione includitur conditio, nisi velit transire ad altiorem religionem, ita in donatione bonorum intelligi potest inclusa proportionata conditio. Quæ ratio si quid probat, in omnibus bonis etiam per necessariam successionem comparatis locum habet, & licèt in vsufructu vel alimentis maiorem quandam speciem congruitatis habere videatur, tamen in rigore etiam procedit de proprietate, quia si semel admittatur illa conditio subintellecta, etiam in ipsa donatione proprietatis dicetur includi. XIII. *Obiectio solutio requiritur ad transitum religiosi ad laxiorem religionem.*

XIV. Dico ergo, quantacumque bona religiosus donauerit monasterio, non habere post professionem maiorem actionem ad vsumfructum eorum, quàm si nihil contulisset, vel quàm habeat quilibet alius religiosus professus eiusdem monasterij. Item è cõuerso, religionem ipsam non teneri maiori obligatione iustitiæ ad alendum talem religiosum quàm alios, qui nihil contulerunt. Quæ doctrina inuenietur passim in sanctis Patribus, Basilio, Augustino, Benedicto, & aliis, qui de monasticis institutis scribunt.

bunt. Et est euidens, tum quia æquè pauper eiicitur, qui diues erat ac qui nihil habebat; tum etiam, quia religio non obligatur ad alendum religiosum, propriè, & per se, propter temporalia bona, quæ ab illo habuit, sed propter professionem religiosam: illa autem bona censentur per modum eleemosynæ liberaliter donatæ, perinde ac si inter alios pauperes fuissent distributa. Hinc ergo ad illam difficultatẽ respõdeo, etiam si quis ad altiorem religionẽ transeat, non posse deferre secum talia bona, vel vsumfructum eorum, quia nullum ius ad illa habet, vt probatum est, atque ita nulla actione priuatur, quia religio non tenetur illum alere, nisi in eadem permanentem, nec etiam tenetur parare illi viam, vt sic dicam, per temporalia commoda, vt se relinquat & ad aliam perfectiorem etiam transeat, satis enim est quòd non resistat, neque impediat. Nec dici potest impedire, eo quòd bona non restituat, quia carentia temporalium bonorum per se non impedit, imò est optima dispositio ad ingressum religionis, præsertim arctioris, quæ in hoc debet maiorem puritatem obseruare, sine temporali subsidio, vel spe religiosos admittendo, quod si contingat, aut nolle, aut non posse, accidentarium est obstaculum, quod alia religio non tenetur tollere, sua bona erogando.

XV. Optimum exemplum est in Monialibus, quæ nõ recipiuntur ordinariè sine dotibus, & tamen cùm de licentia sedis Apostolicæ de vno ad aliud monasterium transferuntur, earum dotes monasteriis, quæ relinquunt, remanent, vt constat ex vsu. Et habetur in quadam declaratione Cardinalium ad Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 5. de regularib. qui absolutè loquuntur de transitu, siue sit ad arctiorem, siue non, & siue sit eiusdem, siue alterius religionis. In Monialibus autem maximè potest impedire hic transitus ob dotem non restitutam, quia in alio nulla recipitur regulariter sine dote, & aliam quærere non est facile. sed hoc impedimentum non imputatur huic monasterio, quia non tenetur dotare monacham suam, vt in alio recipiatur. Est etiã optimum argumentum à simili, si religiosus tempore suæ professionis copiosam donationem suorum bonorum fecisset hospitali, & postea velit trãsire ad arctiorem religionem, nunquid teneretur hospitale reddere bona, vel vsumfructum eorum, ne transitus fiat difficilior? Cur ergo obligabitur religio, cui non minus absoluta donatio facta est, & cuius bona nõ minus, imò magis Ecclesiastica sunt, & ob eam causam difficilius etiam alienari possunt; vnde ad hoc confirmandum, nõ parum iuuant quæ de non alienandis Ecclesiasticis bonis sacri canones statuunt.

XVI. Supereſt, vt explicemus quid dicendum sit, si à principio in ipsamet donatione expresè addita fuerit hæc conditio, vt quacumque ratione cõtingat religiosum mutare suum statum, religio teneatur vel bona reddere, vel saltem dotem competentem pro alio monasterio, vel saltem alimenta, aut quid simile. In quo in primis dubitari potest, an talis conditio sit iniqua, & inualida, videtur enim non esse, quia nulli est iniuriosa, suppono enim donationem esse liberalem, de bonis scilicet quæ posset nouitius, aut nouitia non donare monasterio; potest ergo ea donare, prout voluerit; ergo, & sub illa conditione. In contrarium autem est, quia illa conditio videtur esse contra votum paupertatis, ac proinde contra substantiam professionis. Probatur assumptum, quia per illam conditionem retinet illa persona ius aliquod ad illa bona; habere autem tale ius, repugnat voto paupertatis, nam est retinere aliquod genus dominij, quia ius illud æstimabile pretio est, & est quoddam bonum temporale quãuis incorporeum.

Quæ ratio procedit quidem optimè, si conditio in eo sensu apponatur, vt persona retineat ius aliquod ad talia bona, posset tamen in alio sensu poni, in quo non video intrinsecam malitiam, scilicet, vt religio maneat in conscientia obligata ad subueniendum religioso in tali occasione, etiamsi ipse nec ius, nec actionem aliquam contra religionem habeat; hæc enim duo, & inter se non repugnant, & optime compatiuntur cum integro voto paupertatis, vt suprà visum est. Imò addi etiam posset in tali conditione, vt si religiosus transierit ad aliam religionem, eo ipso altera religio acquirat ius ad talia bona, quia hoc etiam nihil derogat paupertati ipsius personæ, & aliunde nec iustitiæ repugnat, vt ratio suprà facta probat; ergo talis cõditio sic intellecta non est intrinsece mala. Non potest tamen negari, quin male sonet, quia vt numer. 7. in fine dicebam, indicat animum non satis constantem in statu, quem assumit. In aliquo tamen casu rarò possent occurrere circumstantiæ, quæ conditionem illam postulare etiam secundum prudens consilium videantur, vt si fœmina religionis habitum assumens in aliquo monasterio, timeret probabilem necessitatem transeundi postea ad aliud, vel eiusdem ordinis, vel alterius ex graui causa, & legitima facultate; si ergo priori monasterio copiosam donationem bonorum faceret, nulla inconstantia, neque indicium eius est sub conditione ponere, vt occurrente tali casu, vel cogente tali necessitate teneatur monasterium primum dare secundo comperentem dotem, aut vsumfructũ dotis, vel alimenta, aut aliquid simile: suppositio ergo tali casu, seu modo donationis, dicendum plane est teneri monasterium implere conditionem, eo modo, quo in contractu posita fuerit, quia est iusta, & paupertati non repugnat, vt declarauimus, & nulla est lex canonica quæ resistat, nam illa non esset alienatio bonorum Ecclesiasticorum, quia illa bona nunquam fuerũt simpliciter donata tali monasterio, sed sub tali modo, vel vsque ad cõplementum talis conditionis.

XVII. *Decidituraffirmatiue, tamen ordinarie male sonare talẽ conditionẽ.*

In quo euentu satis honesta esset.

Ex dictis sequitur, si religiosus, vel religiosa ex dispensatione Pontificis quantumuis iusta reuertatur ad sæculum sine vllo vinculo professionis, & votorum, non posse deferre secum bona, quæ religioni donauerat absolute, sine consensu religionis, nisi hoc ipsum Pontifex in sua dispensatione specialiter concedat. Probatur, nam idem fundamentum absoluti dominij habet locũ in tali casu. Imò in eo magis vrget, quia licet persona Deo consecrata reuertatur ad sæculum, non propterea debent bona Deo consecrata profanari, seu alienari, vel, vt ita dicam, ad sæculum redire: neque in dispensatione personæ continetur dispensatio in alienatione bonorum, nisi in specie concedatur; neque etiam causa, quæ ad primum sufficiat, erit semper sufficiẽs ad vtrumque, quin potius, vt dispensatio in persona tolerabilis sit, erit regulariter cõueniens, vt pro bonis non concedatur, sed quòd relinquantur religioni. videantur, quæ in simili tractat Rebuffus in proœmio ad regias constitutiones gloss. 5. num. 23. vbi ex multorum sententia dicit religiosum factum sæcularem non succedere in hæreditate paterna, quod difficilius est.

XVIII. *Illatum de redeuntibus ad sæculum ex iusta dispensatione.*

Dices, in eo casu tollitur fundamentum talis donationis, vel cuiusuis tituli: quo mediante bona illa peruenerũt ad monasterium vel per testamentũ, vel per successionem necessariam, &c. ergo eo ipso redibunt bona ad priorem dominum, quia ablato fundamento, euertitur quidquid in illo nitebatur. Antecedens patet, quia tota ratio translationis talium bonorum in monasterium est, vel incapacitas personæ ad dominium talium bonorum, vel voluntas donandi illa fundata in tali professione;

XIX.

per

per illam autem dispensationem, & professio tollitur, & persona fit habilis ad dominium talium bonorum. Confirmatur, quia si Papa dispenset in matrimonio rato, eo ipso reuertitur ad sponsum quidquid sponsæ donauerat, & è cõtrario, quia destruitur fundamentum; ergo similiter in præsenti.

XX. Respondetur, nec professionem, nec incapacitatem dominij esse fundamentum, vt sic dicam, à quo pendeat in conseruari dominium absolutè datum monasterio de talibus bonis, sed solùm fuit veluti occasio, aut motiuum, vt talis donatio monasterio fieret, sicut si donatio illa facta esset pauperibus, vel consanguineis, quia, vt diximus, donatio æquè absoluta est. Imò in præsenti casu multo minùs potest pendere à tali conditione, quia religiosum professum per religionem fieri non religiosum rarissimum est, & moraliter non consideratur in tali cõtractu, seu donatione. Ad simile, quod affertur de matrimonio, respondeo, vnum esse casum, in quo, via, & iure ordinario potest matrimonium ratum dissolui, per professionem religionis, in quo casu iure etiam communi statutũ est, quid de bonis inuicem donatis ab sponsis faciendum sit, vt in superiori tractatu visum est. Dissolutio autem matrimonij per dispensationem extraordinaria est, & de his quæ rarò eueniunt; & ideo pro illo casu nihil iura disposuerunt, & ideo si quæ donatio intercesit, tenor illius considerandus est; nam si donatio fuit omnino absoluta, & non expresè ad supplementũ dotis, vel ratione matrimonij sustentandi, certè non reuocabitur donatio propter dispensationem illam, maximè si præbendo consensum ad dispensationem, nullam cõditionem de donatione reuocanda sponsus exigat; & ita ex hac parte potiùs confirmatur doctrina data. Si autem fuit conditio posita saltem generalis, vt si matrimonium, quacunque ex causa non peruenerit ad effectum, donatio rescindatur, seruanda est, quod nihil etiam obstat his quæ diximus.

An saltem religiosi Societatis, qui vota tantum simplicia emiserunt, possint deferre secum bona, quæ ipsi Societati donarunt, si ab ea dimittuntur.

XXI. Vltimò occurrit speciale dubium in hoc puncto circa religiosos Societatis, qui professionem non emiserunt, sed per vota simplicia incorporati sunt, & aliquid de bonis suis Societati donarunt, an si postea emittantur, possint deferre secum talia bona; & consequenter teneatur Societas ea reddere, & donationem rescindere. Est enim hoc propriũ Societati, vt non necessariò succedat in bonis suorum religiosorum secundùm commune ius, sed ipsi religiosi possunt, & debent iuxta suas constitutiones de suis bonis disponere, & ita non habent hic locum omnia, quæ de priori genere bonorum diximus. Possunt autem si velint, sicut aliis pauperibus, ita etiam Societati bona sua, vel eorum partem donare, prout in tract. 10. lib. 4. c. 6. exponetur. de hac ergo donatione dubium est, an idem sit iudicium, quod de religiosis professis. Videtur enim hic esse dispar ratio, quia licèt ex parte religiosi oblatio, & obligatio sit perpetua, ex parte religionis non fit absoluta obligatio retinendi perpetuò huiusmodi religiosos, sed sub conditione *nisi ipsi hoc demeruerint*, vel alia simili; ergo ratio postulat, vt donatio, quæ fit religioni, habeat etiam hanc conditionem, si religiosum non expellat, vel similem. In contrarium autem est, quia forma donationis absolutè fit, ergo etiam confert absolutum, & irreuocabile dominiũ. patet consequentia, tum quia talis persona potest hoc modo donationem facere, & voluntas eius ex verbis colligenda est; tum etiam, quia si eodem modo faciat donationem consanguineis, vel pauperibus, non rescinderetur donatio, etiamsi postea è Societate emittatur. Accedit præterea, quòd alias sequerentur incommoda suprà tacta in aliis religiosis. Primum ac præcipuum est, quòd tales religiosi non perfectè renunciarent temporalibus bonis, nã semper haberent spem recuperandi illa, si ad sæculum redirent, quod vel repugnat omnino, vel derogat multum religiosæ paupertati. Secundũ, quia hinc sequeretur occasio licentiosè viuendi, quia vel sperarent non esse dimittendos à religione, ne cogantur etiam bona dimittere, vel certè minus timebunt dimitti, quia iam habẽt vnde viuant. Tertium ex parte etiam religionis minuetur liberras ad dimittendum religiosum dyscolum, ne cogatur bona illi reddere, quæ fortasse sustentando alios iã consumpsit, quod ad commune bonum eius esset magnum incommodum.

In hac re nihil existimo posse ex communi iure definiri, quia pendet ex modo contractus, seu donationis, quæ est res facti potius quàm iuris. Nam loquẽdo de posibili, certum est potuisse huiusmodi religiosum absolutè talem donationem facere, sine vlla cõditione, quæ in futurum pendeat, quod probat euidenter ratio facta pro parte affirmante, quia voluntariè facit, & est absolutus dominus, & quia ita potest alienare, vel donare aliis, cur erit in hoc religio peioris conditionis, aut magis incapax talis donationis? Secundò censeo certum, facta in hunc modum donatione, non teneri religionem in rigore iustitiæ, talia bona reddere tali personæ, si eam iustè à se dimittat. Probatur primò ex ratione facta; nam in eam fuit absolutè translatum dominium. Item, quia tertia persona cui facta esset similis donatio, non teneretur ea restituere in eodem euentu. Dices, non esse eandem rationem, quia alia persona non est causa talis mutationis in huiusmodi religioso; at religio est causa illius, & constituit illum in nouo statu, in quo indiget talibus bonis. Sed hoc parum refert; nam vel religio iniustè hoc facit, vel iustè. Si iniustè; est contra conditionẽ posita in pronuntiato; estque ille casus distinctus, in quo meritò obligatur & cogenda est religio, vt reddat bona ei quem iniustè dimisit, illa verò obligatio non est ob defectum prioris donationis, sed propter specialem iniuriam respectu talis personæ sic donantis. Si verò iusta est dimissio, vt in casu supponimus, non debet propterea religio obligari ad relinquenda bona, quæ iustè possidet, cùm nec ratione rei acceptæ, nec ratione alicuius iniuriæ teneatur. Neque in eo casu imputari potest religioni infelix euentus talis religiosi, sed ipsi imputandus est. nam propter hanc etiam causam, nulla facta est in principio iniuria tali religioso, obligando illum ad relinquenda bona sua, exponendo se illi periculo: nam in primis non obligatur vnquam relinquere talia bona religioni, sed liber ad hoc relinquitur. Deinde sicut non cogitur talem religionem ingredi, ita nec bona alienare: si autem voluntariè verùque facit, nulla ei fit iniuria. Denique non potest dici exponi periculo, quantum est ex parte religionis, cum nunquam dimitti possit, si ipse velit viuere iuxta regulam status, quem assumit, vt latiùs tractat. 10. suo loco dicemus. Vnde addo tertiò, huiusmodi renuntiationẽ, etiãsi fiat in fauorem religionis, fieri in hoc sensu absoluto, & immutabili, seu independẽte à mutatione, quæ potest accidere circa statum personæ. Probatur rationibus factis, quæ mihi certè probant aliũ modũ donationis esse valde pernicio- sum religioni, non tam in temporalibus, quã in spiritualibus, & ideo nec acceptare debet donationem in alio sensu factã, nec permittere, vt renuntiatio aliter fieret in cuiuscunque fauorẽ fiat.

XXII. Declaratur materia.

Quamuis

XXIII. Moderamen præcedentium præmunitorum. Vide p. 2. Const. c. 3. lit. B & decretum S. congreg. 5.

Quamuis autem religio ex iustitia non teneatur hęc bona reddere in huiusmodi casibus, ex quadam æquitate, & ad tollendam omnem occasionem offensionis, potest licitè, vel omnia, vel aliquam eorum partem priori domino reddere, vel pretium eorum, quia hæc non censetur alienatio simpliciter bonorum religionis, sed quædam iusta dispensatio, necessaria ad conseruandam libertatem, quam talis religio profitetur, ad dimittendas personas quæ sibi non congruunt; imò ex praxi & consuetudine instituto consentanea, videntur hæc bona à principio acceptari à religione, cum hac potestate, & libertate, dimittendi etiam illa simul cum persona, si fiunt expediēs ad finem societatis, & ad communem ædificationem. In hac tamen æquitate facienda, obseruare etiam necesse est, ne nimium grauetur religio, quæ per multos annos alit personam, quæ postea literis, & aliis donis instructa dimittitur, & nihilominus integra vult recipere bona quæ donauerat, quod non potest non esse graue onus religionis. Cauendum etiam est, ne facilitas in hac parte generet in subditis certam spem, recuperandi bona in simili euentu; nam posset hæc esse occasio licenter viuēdi, vt suprà dicebamus. Denique præcauendum est etiam, ne hoc fit tam frequens, & tali modo fiat, vt inducatur consuetudo obligationem inducens.

CAPVT XV.

An cum religioso translato transferantur etiam prærogatiuæ quibus in priori religione fruebatur?

I. PEr prærogatiuas hoc loco intelligimus quamcunque facultatem actiuam, vt eligendi, ferendi suffragium, &c. vel capacitatem passiuam, vt eligatur, v.g. ad tale officium, ministerium, vel beneficiū. item ius sedendi in tali loco, & similia. item immunitates vel exemptiones, à tali onere, vel labore, &c. Circa quod aduertendum est, sermonem esse posse, vel de his omnibus, quatenus fundantur in professione facta in religione à qua fit transitus, & in eius regula, vel quatenus fundari possunt in professione, & regula alterius religionis. Nam quatenus ex natura rei consequuntur quamcunque personam in religioso statu existentem, nisi ab extrinseco illis priuetur, constat, transitum nihil obesse talibus prærogatiuis. Duas ergo generales regulas constituo. Prima est, omnis prærogatiua præcisè fundata in professione primæ religionis, & in regula eius, non transit cum persona, sed admittitur transitu consummato; exempla sunt, primum de antiquitate religionis; nam illa fundatur in professione facta in tali religione, & ideo quandiu in illa permanetur, computatur per se loquendo à die quo ibi professio facta est. Talis autem professio non valet pro alia religione, quia per illam non est effectus membrum eius, nec obligatus obedientiæ eius. Hac enim ratione, qui transfertur, & aliam religionem per annum probare, & in ea professionem emittere debet, vt rectè Nauar. consilio 60. & 67. de regular. in 2. impressione. Hinc ergo fit, vt translatus amittat antiquitatem, quam habebat in monasterio priori, & consequenter fit, vt amittat locum, & quodcunque priuilegium sibi debitum ratione antiquitatis. Fit etiam, vt translatus ad monasterium alterius ordinis, non fit capax prælationis in illo ordine, nisi in eo professionem emittat, quia capacitas ad prælationem alicuius ordinis, secundùm ordinarium ius fundatur in professione, facta in eodem ordine, vt in superioribus latè tractatum est, & habetur etiam ex Trid. sess. 25. c. 21. de regul. & sess. 14. c. 10. de reformat. Vnde etiam si quis ad hunc finem ex vno ad alium ordinem transferatur, vt ibi prælationem exerceat, non debet sine speciali dispensatione ad prælationem admitti, nisi prius ibi professionem emittat. Vnde cùm professio perpetua sit, quamuis ille postea prælationem dimittat, vel quacunque de causa illa priuetur, in eodem ordine ad quem fuit translatus, manere debet, vt rectè dixit Nauarrus consil. 61. de regular. & sequitur Emmanuel Rod. tom. 3. q. 52. art. 16. vbi fusius hoc disputat, sed mihi videtur res extra omnē controuersiam.

Prima regula prærogatiuas religionis à qua fit transitus.

Diuersa ratio antiquitatis & eam consequentium.

Diuersa in prælatura.

II. Secunda regula disparitatis de prærogatiuis religionis ad quam transitur.

Secunda regula est, postquam translatus ad aliū ordinem ibi professus est, consequenter habet quācunque prærogatiuam, facultatem, aut capacitatē, quam alij religiosi eiusdem ordinis habent ex vi suæ professionis, & regulæ, nisi specialiter in aliquo prohibeatur per ius. Probatur prior pars, quia ille translatus post professionem est verus religiosus talis ordinis; nam professio ibi facta vera professio est, eiusdem speciei, vt sic dicam, cum professionibus aliorum ibi solùm profitentiū, & ratione prioris professionis, non est talis persona incapax, nec per se demeretur omnia priuilegia, & commoda talis religionis. Prior enim professio optima fuit, vnde habuisse illam non nocet, in præsenti autem iam non existit, neque obligat, quatenus repugnare poterat posteriori, quia quoad hoc per illam irritata est. Mutatio autem ab vna in aliam, vel fuit consilij, vt si trāslatio fuit in religionem perfectiorem. Si autem fuit ad laxiorem, supponitur autem facta ex legitima dispensatione, & cōsequenter honestè; ergo translatio, ex nullo capite impedit quominus translatus fruatur omnibus effectibus, & commodis professionis illius religionis ad quam translatus est, & quam denuo est professus. Confirmatur primò, nam per professionē posterioris religionis amittit omnia iura specialia prioris professionis. argumento capituli, *si quis iam translatus* 21. quæst. 2. & *c. nepro* 16. quæst. 1. ergo debet gaudere omnibus iuribus secundę professionis. Confirmatur secundò; nam ille per secundam professionem, tenetur sustinere onera omnia talis religionis, quia eodem voto obedientiæ, & paupertatis astringitur, ad quod faciunt, quæ tractat Nauar. Comment. 4. de regular. n. 26. & 27. ergo debet etiam gaudere omnibus commodis talis professionis, nam qui sentit onus, debet etiam & commodum sentire. Atque hinc fit, vt huiusmodi translatus iam professus habere debeat locum, & suffragium iuxta morem & regulam talis religionis. sequitur etiam posse eligi in Prælatum eiusdem religionis quātum est ex hoc capite, & similiter posse habere beneficia regularia talis religionis, & sic de aliis priuilegiis, &c. de quibus multa apud Nauarrum in dicto Comment. 4. & in citatis consiliis de regularibus.

III. Dicta Clementina ad omnes mendicantes extenduntur.

Exceptio autem seu posterior pars regulæ, addita est primò propter Clemētinam primam de regularibus, in qua statuitur, vt mendicantes omnes, qui ad religiones non mendicantes transierint, vocem, aut locum in Capitulo habere non possint, etiamsi ab aliis cōcedatur, & vt assumi nō possint ad Prioratus, administrationes, officia, curam animarum, vel regimen, vel etiam ad hæc loco aliorum exercēda. Et ita fiūt ad hæc omnia incapaces; vt quidquid in contrarium factum fuerit sit irritum, & inane. Quæ constitutio suam vim retinet, & omnino seruanda est, ratioque illius fuisse videtur, vt religiosi mendicantes in sua paupertatis professione stabilius, & quietius perseuerent. Gaudent autem illo priuilegio, non tantùm quatuor antiquiores ordines mendicantes, sed etiam recentiores, vt religio Minimorum, & religio Societatis, vt suprà c. 12. numer. 38. in simili dictum est, quia tam veræ mendi-

mendicantes sunt hæ posteriores, sicut & priores, vt per Pontifices declaratum est, & infrà tractatu 9. ostendemus, & ita comprehenduntur sub lege vniuersali, quæ disponens in ea specie, comprehendit etiam futuras religiones mendicantes, sicut decreta quæ generaliter disponunt de regularibus, comprehendunt quamcunque religionem de nouo approbatam.

IV. *Huic extensioni obstare videtur Nauarrus.*

Potest autem contra hoc citari Nauarrus consil. 57. de regularibus in prima impressione, & 66. in secunda, vbi ait religiosum sanctæ Mariæ de mercede, translatum ad ordinem non mendicantem, nõ incurrere dictas inhabilitates, quia religio mercedis, non est ex quatuor mendicantibus de quibus Clementina loquitur; sentit ergo solùm dictos quatuor ordines comprehendi in illa Clementina. idē etiam suadet eius ratio, quia illa dispositio est pœnalis, & ideo non debet extendi. Sine dubio tamen non fuit hæc mens Nauarri, sed ratio eius in illa responsione fuit, quia dicta religio sanctæ Mariæ, omnino non est ex mendicantibus, vt ipse sentit in cõsilio 63. eiusdem impressionis, vel 65. alterius. Vbi etiam addit, quòd si illa religio ex primæua institutione, vel ex noua reformatione à Papa confirmata, profiteretur paupertatem in communi, in ea haberet locum dispositio dictæ Clementinę; ergo sentit non limitari ad quatuor ordines prædictos, & ita confirmat declarationem datam.

V. *Ad locum citatum in præced.*

In priori ergo consilio illa dictio *quatuor* casu addita videtur; & ita in fine eiusdem consilij meliùs dixit Clementinam loqui de mendicante transeũte, & ideo non extendi ad nõ mendicantem. & hoc ad summum concludit congruentia. Quanuis autem lex illa, licèt respectu translati videatur pœnalis, vel potius odiosa, simpliciter est fauorabilis & priuilegiatiua, quia respectu totius religionis, cuius bonum maius est, continet priuilegium, & fauorẽ. Hinc verò non sequitur, etiam ad non mẽdicantes extendendam esse, quia etiam priuilegia maximè debent propriis terminis contineri. Sicut è conuerso, quamuis lex illa esset pœnalis, extenderetur ad omnes verè mendicãtes, etiam denuo approbatos, quia lex etiam pœnalis non est ita limitanda, quin proprietas terminorum seruetur.

VI. *Extenditur deinde ad omnes non mendicantes, præter Carthus.*

Sicut autem ex parte mendicantium vniuersalis est constitutio, ita etiam ex parte religionũ ad quas fit transitus, est prorsus vniuersalis, & comprehendit omnes non mendicantes etiamsi Apostolica authoritate ad eas transitus fiat, vt in textu expressè dicitur. Inuenio autem quãdam limitationem adhibitam à congregatione Cardinalium circa Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 11. his verbis; *Omnes cuiuscunque religionis legitime translati ad Carthusianos possunt in eadem Carthusiensi religione in claustro Priores, & extra claustrum Procuratores esse.* Quæ exceptio firmat regulam in contrarium quoad omnes alias religiones, & ipsa videtur fundata in principio iuris, sub generali regula non includi casum specialem rationem habentem; qualis in præsenti est Ordo Carthusiensium, iuxta frequentem iuris consuetudinem.

VII. *Extenditur denique ad omnem administrationem.*

Quæri autem vlteriùs potest, quid comprehendatur sub officiis, & muneribus, quæ his religiosis translatis prohibentur. Sed de hoc videri potest glossa ibi, & Panorm. qui sentiunt sine distinctione omnia officia illis interdici, non solùm quæ iurisdictionem habent, de quibus est res indubitata, sed etiam, quæ solam habent administrationem, vt officium Oeconomi, Syndici, & Castaldi, vt loquitur illa Glossa, quam vocem alia Glos. in §. *pœna.* Instit. de iniuriis, significare dicit actorem seruum. Quæ ampliatio ex verbis textus satis colligitur: nã prohibet assumi ad omnes administrationes, & officia non solùm tanquam principales ministros, sed etiã vt tenentes locum aliorum. Quod verò Glos. & Panormit. habet de ministerio prædicandi, nimium mihi videtur: tum quia in verbis textus in rigore non comprehenditur, nam in prioribus verbis, *ad priorat us quoque, administrationes*, &c. sermo tantum est de muneribus pertinentibus ad administrationem rerum temporalium; postea verò de spiritualibus solùm dicitur, *Quodque animarum curam, & regimen, nec pro se possint, nec pro aliis exercere.* prædicare autem non est exercere curam, aut regimen animarum. neque obstat, quòd prędicare sit officium Curæ; non est enim officium, prout dicit potestatem, sed prout dicit actum: ibi autem nõ prohibetur his translatis omnis actus curandi, sed ipsa cura, & regimen. Nam etiam ministrare sacramentum cõfessionis, seu Eucharistiæ, est officium Curæ, & tamen dicendum non est hos esse factos inhabiles ad hæc sacramenta ministranda. Tum etiam, quia in hac actione, nõ est eadem ratio, quæ in aliis ministeriis, quia non est verisimile aliquem transire à mendicantibus, ad non mendicantes, ex nimio affectu cõcionandi, nam ad hoc munus ex se aptiores sunt mendicantes ordines, quod secus est de ministeriis temporalibus, vel de aliquo beneficio, &c. Pontifex autem voluit huiusmodi occasionem præcidere. Et ideo non credo prohibuisse hoc munus prædicandi, præcipuè cùm ad commune bonum spirituale ordinetur, sicut nec prohibuit munus legendi, seu docendi, quæ oneris esse, & non honoris expositi Sixtus V. in declaratione sui motus proprij de legitimis, quæ hanc etiam interpretationem confirmat.

Secundò posita est illa exceptio propter quod à decretum Concilij Trident. sess. 14. cap. 11. de reformatione, quod sic habet, *Quia regulares de vno ad alium ordinem translati fac le à suo Superiorib us in etiam stantia extra monasterium obtinere solent, ex quo vagandi, & apostatandi occasio tribuitur: nemo cuiuscunque Ordinis Prælatus, vel Superior vigore cuiuscunq; facultatis aliquem ad habitum, & professionem admittere possit, nisi, vt in ordine ipso ad quem transfertur, sub sui Superioris obedientia in claustro perpetuo maneat. Ac taliter translatus etiamsi canonicorum regularium fuerit, ad beneficia secularia etiam curata omnino incapax existit.* In quo decreto duæ prohibitiones continentur: vna pertinet ad obseruantiã clausuræ in huiusmodi translatis, & directè ibi solùm præcipitur ne huiusmodi recipi possint, nisi, vt in ordine ad quem transferuntur, in clausto sub Prælati obedientia perpetuò maneant. Ponderanda est enim illa particula *vt*, per quam significatur mentẽ Cõcilij fuisse prohibere, ne translatio, vel receptio translati fiat ad hunc finem, vt ea occasione translatus maneat extra clausstrum de licentia Prælati illius ordinis ad quem fit translatio. Vnde, si expresse, vel tacitè eo fine translatio fiat, sine dubio graviter peccabit, & transiens & recipiens illum.

VIII. *Extenditur ad omnem administrationem.*

Quæri autem potest an receptio in eo casu sit irrita; nam Concilium solùm dicit *admittere non possit nisi*, &c. Tamen quia non addit verba irritantia, nõ videtur ex vi illius prohibitionis receptio, vel professio irrita; quando enim Concilium hoc intendit, id exprimit, & verbum *non possit* solam prohibitionem significare frequenter solet. Ex alio tamen capite posset illa translatio esse irrita, si quis procuras transitum reuera illa intentione, dispensationem peteret sub alio titulo, vel colore, tacita illa circumstantia, talem enim dispensationem subreptitiam iudico, vt pote obtentam ex falsa vel diminuta narratione contra Pontificis mentem, quæ sine dubio, in hac parte Concilio conformis est. Hac ergo ratione omnia subsequuta in vi talis dispensationis erunt irrita, sicut essent si absque vlla dispensatione fierent. Et præterea etiam post factam huiusmodi translationem prædicta intentione, non potest Præla-

Prælatus dare licentiam sic translato ad manendũ extra clauſtrum iuxta expreſſam, vel tacitam conuentionem præcedentem : quia hoc manifeſte eſt contra intentionem Concilij. Vnde nihil aliud eſt, quàm conſummare delictum contra prohibitionem Concilij. Propter huiuſmodi autem delictum nulla pœna imponitur à Concilio : non tamen propterea cauſa grauis non eſt ; nam materia eſt grauiſsima, & verba Concilij ſatis etiam rigoroſa ſunt.

X. Addit verò Nauarrus Comment. 4. de regular. n.12. Concilium in hac parte non videri nouum ius inducere, ſed antiquum declarare ; antiquum autẽ vocare videtur ipſum ius naturale, & diuinum, quod huiuſmodi tranſitum ea intentione factum videtur reprobare, quia nullum ius ſcriptum inuenitur prius circa hunc caſum conditum. Vnde, quia ille modus tranſeundi, non eſt per ſe ita intrinſecè malus, quin poſsit ex aliqua magna neceſsitate honeſtari: concludit Nauarrus, ſi nunc occurrat caſus, in quo ex natura rei licitè poſſet fieri talis receptio propter illum finem, etiam nunc poſſe fieri, nõ obſtante Concilio, quia non eſt veriſimile, voluiſſe Concilium prohibere receptionem aliàs iuſtam in eo caſu, in quo poteſt eſſe ad remedium alicuius religioſi neceſſaria.

XI. Hęc interpretatio Nauarri pia eſt, non poſſumus tamen adhærere illi, quia magis pium eſt præcepta ſeruare, & lex Concilij non eſt tantùm declaratiua iuris naturalis, ſed etiam diſpoſitiua, & conſtitutiua noui iuris, vt conſtat ex verbo illo *poſſit*, ſi enim tantùm declarare intenderat, diceret *nemo poteſt*, &c. Quia verò nouam prohibitionem imponit, dicit *nemo poſſit*. Cuius etiam ſignum eſt, quia ſi ex natura rei tantùm loquamur, ſæpiſsimè illud fieri poſſet ſine peccato, ſaltem mortali, quando exiſtentia extra clauſtrum futura eſſet ad determinatum locum, & opus religioſo dignum, & ex parte perſonę ſine morali periculo, &c. Non poteſt autem dici in omnibus illis caſibus nunc etiam hoc licere, non obſtante Concilio, quia eſt contra tenorem verborũ eius, & contra diſciplinam religioſam, quam reformare intendit, vnde nec Nauarrus id admittit, niſi in raro caſu. Neque eſt verum illam legem latam eſſe ex præſumptione, & ideo non obligare vbi ceſſat præſumptio ; nam aliud eſt motiuũ legis, aliud præſumptio. Concilium autem motum eſt ad eam legem ferendam, ex eo quòd ex facilitate dandi licentiam ad permanendum extra clauſtrum ſumi ſolet occaſio vagandi, vt in principio dicit ; hæc autem non eſt præſumptio, ſed certum iudicium, ratione cuius fertur generalis, & abſoluta prohibitio, quæ omnes caſus, etiam de ſe non malos, comprehendit, quia indiſtinctè fertur, & hæc eſt vis poſitiuæ prohibitionis. Non ergo prohibet omnia, quia præſumat omnia & ſingula futura fuiſſe mala, etiamſi non prohiberentur, ſed quia illa materia moraliter eſt nociua, & periculoſa, id ſatis eſt, vt abſoluta prohibitio fiat, quia leges morales conſiderant, quod frequentiùs accidit, vt dicitur in leg. 4.5. & 6. ff. de legibus. Quocirca licèt in aliquo caſu particulari ceſſet finis huius legis, non ideo ceſſat obligatio eius, vt conſtat ex doctrina de legibus. niſi fingatur caſus, in quo eſſet contra charitatem nõ admittere volẽtem transferri, eo fine, & modo. Sed in primis licèt caſus admittatur, ſolùm ſequitur per epiikeiam ceſſare obligationem prohibitionis, non verò illam non eſſe veram legem de nouo aliquid prohibentem. Et deinde caſus ille vix poteſt euenire, & multo minùs poteſt eſſe tam vrgens, quin cõcedat locum & tempus ad petendam diſpenſationem.

XII. Altera prohibitio illius decreti eſt, vt religioſus translatus non poſsit habere ſæcularia beneficia etiam curata, imò, vt ſit incapax illorum, vnde ſit etiamſi illi dentur, collatio non teneat. Sed aduertendum, verba Concilij poni cum illo addito, *taliter translatus*, & in eis oriri dubium, an referantur ad verba poſita in principio capitis, *de vno ad alium ordinem translati* : an verò ad eos qui translati fuerint, vt extra clauſtrum maneant. Quod eſt quærere, an hæc ſit pœna eorum, qui in poſterum translati fuerint contra illam diſpoſitionem Concilij ; an verò ſit conditio appoſita pro omnibus translatis ab vno ordine in alium, quantumcumque licitè ac rectè facta ſit translatio, ita vt illa non ſit pœna, ſed quaſi irregularitas pœnæ adiuncta à Concilio, ad præcidendas occaſiones translatis manendi extra clauſtrum. In qua re dubius ego ſum, & ob hoc ipſum dubium videbatur prior ſenſus præferendus, quia ſumus in materia odioſa, quę reſtringenda eſt, & quia ſi Concilium de omnibus translatis loqui voluiſſet, non dixiſſet *taliter translatus*, ſed abſolutè *translatus*.

2 *Prohibitio decreti allati n.8.*

XIII. Nihilominus iuxta ſincerum contextum poſterior ſenſus videtur præferendus. præcipit enim Cõcilium, vt religioſus vnius ordinis non admittatur in alio, *niſi vt in ordine ipſo ad quem transfertur ſub ſui Superioris obedientia in clauſtro perpetuo maneat* : ſtatim verò ſubdit, *ac taliter translatus*, &c. vbi manifeſte conſtat, illud *taliter* referri ad modum recipiendi, & tranſeundi proximè præſcriptum. loquitur ergo de translato etiam legitimo modo. Nec propterea ſuperfluè addita eſt particula *aliter*, quia poſita eſt ad augendam, & exaggerandam curam, & prouidentiam, quam Concilium adhibuit in hac lege, per quam voluit, vt etiam legitimè trãslati, nullo modo poſſent occaſione beneficiorum ſæcularium extra clauſtra manere. Et ideo etiam interpoſuit illam particulam augmentatiuam ; *etiamſi Canonicorum regularium fuerit*, quia illi maximè videntur capaces horum beneficiorum, vt inde etiam conſtet nullam in hac prohibitione admittendam eſſe exceptionem, etiam poſitam in præcedenti puncto de Ordine Carthuſienſi, cuius inſtitutum magis abhorret ab huiuſmodi curis, & ſæcularibus beneficiis. Voluit ergo Concilium in hac parte, non ſolùm auferre translatis intentionem manendi extra clauſtra, ſed etiam impedire qualemcunque ſpem, quam concipere poſſent de huiuſmodi libertate obtinenda, mediis huiuſmodi beneficiis, quamuis tranſitus non eſſet ad eum finem ordinatus.

XIV. Attentè autem ponderanda ſunt illa verba, *De vno ad alium ordinem translati*. Nam ex eis plane cõſtat, non habere locum in tranſitu intra eundem ordinem etiam ſi ſit, mutando filiationem ab vno monaſterio in aliud ; vel ab vna prouincia in aliam, vbi huiuſmodi filiationes ſunt in vſu ; quia illa non eſt translatio ab vno ordine in alium, ſed ab vno monaſterio ad aliud, vel ab vna prouincia in aliam, & ideo tunc non eſt neceſſaria noua profeſsio, ſed quædam incorporatio ; & tranſitus ſit cum tota antiquitate profeſsionis, & cum aliis prerogatiuis cõmunibus toti religioni. Vnde obiter confirmatur quod ſuprà n.11. dixi, legem hanc Concilij, non tantùm eſſe declaratiuam iuris naturalis, ſed ſpecialem addere prohibitionem, nam ſi ſolam rationem ſpectemus, tam alienum eſt à vera religione, mutare monaſterium eiuſdem ordinis, propter finẽ obtinendi faciliùs licentiam viuendi extra clauſtrum, ac mutare ordinem ; & nihilominus Concilium hoc ſpecialiter prohibuit inter diuerſos ordines, & de eodem nihil loquutum eſt, ſed hoc reliquit arbitrio & prudentiæ Prelatorum eiuſdem ordinis ; nam interdum fortaſſe poteſt hoc expedire religioni, cui neceſſarium eſt habere religioſum extra clauſtrum, & non habet in tali monaſterio perſonam accommoda-

Decretum loquitur de tranſitu ad alium diſtinctum ordinem.

modatam; tunc ergo alium trãsferre ex altero monasterio, propter hunc finem, vt maneat extra claustrum, non est malum.

XV. *An sit distinctus ordo eo ipso quo habet distinctum Generalem*

Solùm potest dubitari an habeat locum hoc decretum Concilij à transitu à familia vnius ordinis, ad aliam familiam eiusdem ordinis, quando sunt ita diuisæ, vt vnum caput, seu Generalem communem non habeant, quales sunt familiæ Sancti Benedicti, aut S. Bernardi in Lusitania, Castella, & Italia, & in ordine Carmelitarum Mitigati, & Discalceati, & in ordine S. Francisci, Conuentuales, Obseruantes, & Capucini Hispaniæ. In his enim, & similibus est specialis ratio dubitandi, quia licèt propter conuenientiam in regula & primo fundatore, censeantur vna religio, tamen simpliciter videntur distinctæ, quia vnitas religionis est vnitas corporis politici, quæ sine vno capite non videtur esse posse. Sed de hac vnitate, vel distinctione talium religionum dicturi sumus tractatu sequenti; nunc quòd ad præsens attinet; videtur hæc vnitas sufficiens, vt hic transitus non censeatur esse ab vno ordine in alium. Quod præcipuè videtur clarum, quando pluralitas illa familiarum solùm est propter diuersitatem nationum aut regnorum; nam hæc diuersitas valde materialis est, cùm alioquin in fine, & substantialibus mediis, cæremoniis, regula, clausura, & habitu sit conformitas. Conuenientia autem in vno capite etiam erat ex vi institutionis inter has familias, & semper remanet aliquod eius vestigium; quod autem Summus Pontifex exemptionẽ maiorem, aut minorẽ huic vel illi familiæ, & Prælatis Prouincialibus, vel Nationalibus earum tribuat, non tollit prædictam vnitatem; imò licèt singulas cum suis Prælatis immediatè sibi in omnibus subiiceret, sufficienter in illo vnirentur, tanquam in vno supremo Prælato talis religionis, præsertim in ordine ad transitum de quo agimus, in quo magis consideratur vnitas, vel distinctio in modo viuendi, & tendendi ad perfectionem, ex vi talis professionis. Et ideo vbi distinctio harum familiarum est, etiam in rigore vitæ, & obseruantia regulæ, & aliquo modo in habitu; magis dubia est dicta resolutio. Nihilominus tamen etiam pro his religionibus censeo esse retinendam, tum quia substantialis conuenientia semper manet; tum maximè, quia verba legum intelligenda sunt iuxta communem vsum; communiter autem, quælibet ex his religionibus, vna reputatur, vt tota religio S. Francisci numeratur vna ex mendicantibus, & alia religio Carmelitarum; & ideo communiter etiam, qui mutatur ab vna familia in aliam, non censetur mutare religionem.

XVI. *Quid dicendũ de asportatione bonorum in hoc transitu*

Est autem aduertendum in hoc transitu intra eandem religionem posse habere locum quæ c. præced. diximus de bonis temporalibus secum deferẽdis vel relinquendis; nam quantum attinet ad religiosum ipsum, idem est fundamentum paupertatis, vt nihil secum deferre possit, nisi, quæ ad necessariũ vsum conceduntur. Quod verò spectat ad ipsa monasteria, potest quidem intra eandem religionem esse maior quædam bonorum communicatio, in qua in primis seruanda est regula, deinde honesta consuetudo; postea decens ac prudens liberalitas Prælati, quæ paupertatis & discretę administrationis limites non excedit. Quando verò tanta est distinctio prouinciarum, seu familiarum eiusdem religionis, vt nec conuenientiam in vno Generali habeant, nec communes congrẽgationes, seu capitula, tanta solet esse distinctio in temporalibus bonis, quanta inter diuersas religiones, & ideo omnia superiùs dicta in rigore seruanda sunt, nisi vbi aliud habuit consuetudo.

XVII. Vltimò dubitari potest, an post translationem factam ab vna religione ad aliam legitimè, & iuxta intentionem Concilij, possit postea Prælatus eiusdem libertate, seu facultate, seu ex simili ratione dare licentiam translato ad viuendum extra claustrum, sicut cæteris subditis suis. Ratio dubij est, quia si hoc admittimus, nullius vtilitatis est prouidentia Concilij, quod in legibus interpretandis cauẽdum est. Antecedens patet, quia Cõcilium cauere voluit, ne hi translati facile obtineant licentiam manendi extra claustrum; & ideo prohibet ne ad hoc recipiãtur: si autem eadem facilitate possent hanc licentiã obtinere, qua cæteri, non obstante hac prohibitione Concilij, non consequeretur Concilium, quod intendit: Respondetur nihilominus, posse Prælatum eodem modo mittere, vel licentiam dare his translatis, ac cæteris, solùm facta exceptione, nempe illa facultas detur titulo beneficij sæcularis. Ratio est, quia Concilium hoc non prohibet, secluſa autem prohibitione nihil est, cur hi sint peioris conditionis, aut cur religio minorem potestatem in eos habeat, si fortasse illis extra claustrum indigeat. Antecedens patet, quia Concilium nullam de hac re mentionem fecit, sed solùm ne transitus, seu recessio fieret ad hunc finem manendi extra claustrum. Item, quia postea Concilium addidit specialem prohibitionem, & incapacitatem beneficiorum sæcularium; solum ergo prohibere voluit, ne hoc titulo possent extra claustra manere; ergo, quoad reliqua commune, & antiquum ius integrum reliquit.

XVIII. Nec propter hoc fit inutilis prior Concilij prohibitio, quia per illam solùm voluit cauere, ne à principio in ipso transitu, fieret quasi implicitum pactũ inter religiosum transeuntem, & religionem ad quam fit transitus, non recipiendi illum ad eum alendum, sed solùm quasi ad acquirendum ius in illum, & remittendum, seu licentiandum illum, vt extra claustrum viuat; & quærat vnde ali possit; nam hinc magna religionum peruersio, & infamia creari posset. Quæ incommoda non sequuntur ex eo, quòd religiosus legitimè translatus æquè in hoc subsit potestati Prælatorum ac cæteri religiosi. Atque ita sensit etiam Nauarrus dicto Comment. 4 de regular. numer. 12. & 15. vbi alias rationes adducit, quæ in eo videri possunt. Vnum verò addit, quod mihi dubium est, scilicet hunc translatum posse esse vicarium Episcopi, nisi obstet Clementina I. de regularibus, id est, nisi fit translatus à religione mendicante, ad non mendicantem. Censet itaque quoad hoc Concilium nihil obstare, & in hoc dico esse dubium, ex ea parte qua Concilij prohibet hunc translatum habere beneficia sæcularia, etiam curata; nam licet Vicaria Episcopi, in rigore beneficium non sit, tamen videtur esse quid maius, quàm ordinarium beneficium curatum, & ratio, quæ Concilium mouere potuit, in illa etiam viget. Nihilominus tamen, quia in lege rigorosa proprietati verborum standum est, veram existimo illam Nauarri assertionem, de qua plura inferius in cap. 19.

CAPVT XVI.

Ad quid teneatur religiosus Episcopus factus, quantum ad votum castitatis, & paupertatis.

NOn inquiro an hic transitus licitus sit, quia id certum, & indubitatum est. Cùm enim status Episcoporum perfectior sit, quàm status religiosorum, sine dubio licitum est ab hoc ad illum ascendere, dummodo debitus modus seruetur. Est autem debitus modus, quod & ritè electus sit, seu prouisus, & quòd de licentia sui Prælati, & non alias Episco-

Episcopatum acceptet, iuxta iuris dispositionem in cap. *si religiosus*, & in cap. *quorundam*, de Electione in 6. quam suprà tom. præced. explicando materiam voti religiosæ obedientiæ, declarauimus, & in tract. 10. aliquid addemus; si ergo in reliquis debitus modus seruetur, nihil est in persona religiosa, ex vi status, cur non possit ad Episcopatum assumi. Quia nec iure aliquo positiuo id prohibetur, nec ex natura rei sequitur prohibitio, aut impedimentum ex vi professionis religiosæ. quin potius cum status religionis sit via ad perfectionem, & status Episcopalis, sit quasi terminus, seu existentia in statu perfectionis, videtur, quantum est ex hoc capite, valde proportionatus ascensus à religione ad Episcopatum.

II. *An ei liceat id appetere.*

An verò liceat religioso desiderare, vel procurare hunc ascensum ad Episcopatum, dicemus alibi in 6. tom. 3. p. si Deus dederit, interim videri possunt quos latè refert Henriquez lib. 10. cap. 32. nu. 3. in Commen. Salmeron, & expositores in illud 1. Tim. 3. *qui Episcopatum desiderat.* &c. Nam illa quæstio non est propria de religiosis, vt existimo; nec enim placet, quod quidam dicunt, habere hoc desiderium specialem malitiam in persona religiosa, propter stabilitatem, quam in suo statu habere debet, quod insinuat S. Bonauentura in expositione regulæ cap. 2. post medium, tractans specialiter de suis religiosis; sed ascensus ad Episcopatum non est contra stabilitatem religionis, tum quia ille status secundùm se perfectior est, tum etiam, quia Episcopatus non destruit statum religiosum, vt statim dicemus. Nec S. Bonauent. ex illo capite damnat hoc desiderium, sed quatenus ex ambitione, & ex affectu fugiendi religiosam humilitatem, & austeritatem oritur, quomodo etiam in non religioso erit damnabile, si ex illis, vel similibus motiuis oriatur. Ex obiecto igitur, & per se non habet illud desiderium maiorem malitiam in religioso, quàm in cæteris; quamuis fortasse intra latitudinem perfectionis, maiori quadã obligatione teneatur religiosus cauere hoc desiderium, quàm sæcularis. An verò liceat etiam voto se obligare ad non acceptandum Episcopatũ, dicemus infrà tractando de Societate, in lib. 6. cap. 7. & 8.

III. *Arguitur religiosum talem Episcopum non manere religiosum.*

Difficultas ergo est, an religiosus factus Episcopus desinat esse religiosus, quòd si non desinit, quas religiosi obligationes, & quomodo implere teneatur. Videtur enim non manere religiosus, quia non potest esse religiosus, nisi alicuius religionis, sed ille nullius religionis religiosus manet; ergo religiosus non est. Probatur minor, quia si alicuius esset, maximè illius cuius antea erat; sed non illius; ergo nullius. Probatur minor. Primò, quia omnino disiungitur à tali religione, ita vt non maneat membrum eius, nec teneatur legibus eius, nec comprehendatur (vt sic dicam) appellatione eius. item non tenetur obedire Prælatis eius. item si aliquid acquirit, iam non illi acquirit; ergo non habet moralem vnionem cum illa; ergo, &c.

IV. *1. assertio generalis.*

Nihilominus certum est religiosum, cùm fit Episcopus, non amittere substantialem statum religiosi. Ita docet D. Thom. 2. 2. quæst. 185. art. 8. & est communis omnium sentẽtia quos statim referemus, & sumitur ex glossa in cap. 3. 16. quæst. 1. & in cap. vnico 18. quæst. 1. Citat D. Thomas decretum Innocentij I. in Epistola 2. cap. 10. quod refertur 16. quæst. 1. cap. 3. de Monachis, qui diu morantes in monasteriis, si postea ad Clericatus ordinem peruenerint, non debere eos à priore proposito deuiare. Nam sub Clericatus ordine Episcopatum etiam comprehendi, & D. Thom. ibi supponit, & omnes pro comperto habent, & ex ratione, quæ in ipsa Epistola subiungitur, optimè colligitur, scilicet, *Quia sicut in monasterio fait, & quod diu seruauit, id in meliori gradu positum amittere non debet.* Et huc etiam tendit ratio D. Thom. quia status religiosus comparatur ad Episcopatũ, sicut dispositio ad perfectionem, vel sicut disciplina ad magisterium. Dispositio autem non tollitur adueniente perfectione, quoad id in quo, illi non repugnat, sed potius congruit, imo simul manet, & magis confirmatur; ergo nec status religiosus tollitur adueniente Episcopatu. Probatur consequentia, quia religiosus status, quoad substantiam suam non repugnat cum statu Episcopali. Et quia in hoc vltimo consistit tota vis huius rationis, & intelligentia assertionis, ac sequentium capitum resolutio, ideo sigillatim discurrendo per tria vota religionis, & consequenter per alia onera eis annexa, videndum est, quæ possint manere, & maneant simul cum statu Episcopali, quæ verò repugnent vel tollantur.

V. *Castitatis votũ magis qualificatũ fit in Episcopo regulari.*

Et quidem circa votum castitatis immorari non est necesse; nam constat esse coniunctum cum statu Episcopali, etiam per se spectato, & separato à regulari, quod votum idem est, & eandem inducit obligationem, & idem impedimentum ad matrimonium contrahendum. Quin potius in regulari Sacerdote erat iam illud votum duplici titulo, per consecrationem ergo Episcopalem non aufertur, sed magis quodammodo consecratur. Vnde fit vt eius obligatio aliquantulum augeatur; grauius enim peccabit religiosus iam factus Episcopus violando castitatem, quam simplex religiosus, imò & quàm Sacerdos & religiosus, propter maiorem cõsecrationem, & obligationem. Quanquam hoc argumentum non videatur tam graue, vt sit circumstantia necessaria in cõfessione explicanda, nisi adiunctum fuerit scandalum; vel alia specialis circũstantia, quia illa sola nec speciem malitiæ addit, nec iudicium confessoris grauiter immutat, vt disp. 22. de pœnit. sect. 4. n. 1. diximus.

VI. *2. Assertio quadrimẽbris.*

Secundò dicendum est, paupertatis votum non repugnare cum statu Episcopali, & ideo manere in religioso facto Episcopo, quantum ad vinculum, & substantialem effectum eius, licet in vsu paupertatis maior licentia Episcopo religioso detur. Prima pars per se est euidens, quia diuitiæ præsertim quoad earum dominium, & proprietatem, nõ sunt per se necessariæ ad Episcopale ministerium; ergo nec votum paupertatis repugnat tali statui. Antecedẽs patet, quia licet habere vsum & dispensationem talium bonorum, moraliter necessarium sit in eo statu, non tamen habere proprietatem, seu dominiũ, paupertati autem non repugnat vsus, nisi sit rei tãquam propriæ. Vnde multi putant Episcopum etiam sæcularem non habere dominium reddituum sui Episcopatus, & nihilominus habere administrationem sufficientem ad essentiam, & finem illius status. Paupertas ergo quamuis non sit necessaria ad statum Episcopalem, nec per se cum illo coniũcta, vt probat D. Thom. dicta quæst. 185. art. 6. & alibi dicendum est latiùs, non tamen repugnat illi statui, sed potius esse potest decor & ornamentum eius, quale fuit in Apostolis, qui Episcopi fuerunt, simulque paupertatis votum habuerunt, vt suprà ostensum est. Imò non solùm regularis Episcopus, sed etiam sæcularis, qui ante Episcopatum non haberet paupertatis votum, posset illud simplex emittere; quamuis enim non possit sine dispensatione renunciare Episcopatum, vt religiosus fiat, potest tamen in suo statu manens paupertatem vouere, quia hoc nulli iuri repugnat, & est maior perfectio.

VII.

Altera verò pars, quæ ex hac priori infertur, probatur ex illo principio, quòd status religiosus manet simul cum Episcopali, in omnibus quæ cum illo non repugnant, vel ex natura rei, vel ex canonico iure; neutro autem modo Episcopatui repugnat

promissa paupertas. Vnde ratio à priori est, quia religiosus quando promittit paupertatem, in perpetuum, seu pro toto tempore vitæ suę illam promittit: ergo illud vinculum semper manet, quia nihil est à quo expellatur. Dices, religiosum non vouere simpliciter paupertatem, sed in tali statu; ergo non aliter promittit perpetuitatē paupertatis, nisi quatenus promittit perpetuitatem talis status; sed status ille non est perpetuus simpliciter, sed sub conditione, nisi in meliorem mutetur, vt de facto mutatur per ascensum ad Episcopatum; ergo tunc cessat obligatio prioris voti paupertatis, quæ non obligabat nisi in tali statu, & quasi sub hac conditione, quandiu in hoc statu fuerit. Confirmatur, ac declaratur, quia non omnes religiosi eandē vouent paupertatem, sed vnusquisque secundùm talem regulam; ergo signum est solum vouere paupertatē pro eo statu, in quo vnusquisque subiectus est regulæ, qui est status religiosi non Episcopi.

VIII. Respondeo, votum solemne paupertatis, de quo agimus, absolutè, & simpliciter perpetuum esse; nā hæc est intentio institutoris religionis, & Ecclesiæ approbantis illam, & consequenter ipsorum vouētium, qui ita promittunt sicut institutio religiosa postulat. Imò ex vi talis voti obligatur religiosus non accipere statum repugnantem religiosæ paupertati, & quia status Episcopalis illi non repugnat ideo, neque acceptare illum est contra obligationē paupertatis, neque etiam ipse status excludit talem obligationem. Cùm verò dicitur, quòd prior status non durat, æquiuocum est; nam si per statum intelligatur actualis viuendi modus in tali communitate, sub tali obedientia, &c. sic verum est relinqui illum statum per ascensum ad Episcopatum. In hoc autem sensu falsum est dicere, paupertatem nō esse promissam nisi pro illo genere status quandiu durauerit, quia illæ sunt quædam conditiones accidentales status religiosi, à quibus substantia eius non pendet, & ideo talis conditio, nec ponitur, nec subintelligitur in substantiali voto religionis. Si autem nomine status religiosi intelligatur pactum illud cum Deo initum in professione religiosa, seu dispositio vel præparatio ex obligatione manans in persona sic Deo consecrata, tunc verum est votum paupertatis tandiu durare, quamdiu durat hic status; imò potius verum est ipsum votum formaliter concurrere ad constituendum hunc statum. Sic autem falsum est hunc statum amitti per ascensum ad Episcopatum; sed potiùs dicendus est perfici.

IX. Vnde ad confirmationem respondetur primò, Episcopum regularem non omnino esse extra regulam, vt paulo post dicemus; & ideo licèt votū paupertatis fuerit secundum regulam, posse obligare in statu Episcopali. Deinde dicitur (quod notandū est) quamuis promittatur paupertas secundùm regulam, postea non obligare præcipuè ex regula, sed ex voto. Nam regula solum se habuit vt conditio vel mensura præfiniens certos terminos in materia talis voti; promissio autem fit de materia ipsa sic definita ac declarata. Quamuis ergo daremus Episcopum iam non obligari regula, nihilominus obligari potest voto paupertatis facto secundùm regulam, quia ibi regula non concurrit imponendo obligationem, sed designando materiam voti. Ex quo infero (quod etiam attentè considerandum est) votum paupertatis in statu Episcopali plus, vel alio modo obligare vnum Episcopum regularem, quàm alium, iuxta diuersitatem regulæ, secundùm quam paupertatem professus est, vt v. g. religiosus S. Francisci si fiat Episcopus, obligabitur fortasse ad strictiorem obseruantiam paupertatis quàm alij, & professus Societatis factus Episcopus, retinere poterit aliquas speciales obligationes paupertatis, quas infrà tract. 10. lib. 6. videbimus. Verum est tamen huiusmodi circumstantias, vel speciales obligationes paupertatis includere conditionem non habendi, vel non faciendi hoc, aut illud, nisi ex legitima facultate, & ex hac parte posse cessare in Episcopo, quia ipso iure censetur habere talem facultatem. Sed hoc ipsum non habet locum nisi quatenus ad decentiam, vel conuenientem modum talis status, necessarium est, & ideo intra illam latitudinem adhuc habet locum vt vnusquisque regularis Episcopus seruet paupertatem iuxta modum suæ religioni accommodatum, vt v. g. si ponamus in religione Minorum esse materiam voti vilibus indui vestibus, licet hoc non debeat ita seruari ab Episcopo, sicut à puro religioso; poterit nihilominus ad id seruandum cum proportione ad suum statum obligari. Similiter in Societate, si est materia voti non accipere stipendium pro ministerio spirituali, non poterit religiosus Societatis factus Episcopus obligari, vt non alatur de reditibus sui Episcopatus: cur autem non poterit obligari, vt alia stipendia pro muneribus, seu ministeriis spiritualibus non accipiat?

Ex his etiam constat tertia pars de effectu huius voti in persona Episcopi regularis; nam in primis habet in illo naturalem (vt sic dicam) effectum voti, qui est obligare ad non habendum proprium, vel non vtendum aliqua re, vt propria, habet etiam effectum quasi legalem, qui in voto solemni est reddere personam inhabilem perpetuò ad dominium & proprietatem temporalium bonorum, vt suprà explicatum est. Vterque ergo effectus manet in Episcopo; nam prior est inseparabilis à voto manente ipso, quia est quasi effectus formalis eius: votum autem manet, vt ostendimus; ergo. Posterior autem esset quidam separabilis per Ecclesiam, manēte etiam substantia ipsius voti, quia ille effectus magis est à lege quàm ab ipso; non tamen legimus hanc separationem esse factam respectu Episcoporum, seu talem dispensationem ei concessam; neque id posset quispiam nisi temerè affirmare; ergo etiam hunc effectum habet in illo paupertatis votum, & hac ratione dixit D. Thom. ibi ad 3. Episcopum regularem nullo modo posse habere proprium. & quæst. 88. art. 11. ad 4. addidit, *nihil debet habere tanquam proprium, sed sicut dispensator communium bonorum Eccl.sia.* Immeritoque Sot. lib. 10. de iustitia quæst. 5. art. 7. ab hac recedit sententia, propter friuolam rationem, scilicet, quia eodem modo adiudicatur sua portio Episcopo regulari ac sæculari; ergo æque acquirit dominium. Negatur enim consequentia, quia non est æquè capax, sed habet impedimentum irritans. Ex parte ergo dantium applicatur eodem modo, ex parte verò recipientis non eodem modo accipitur. Potest autem vterque ex his effectibus considerari, vel in actu primo tātùm, vt sic dicam, & sic sunt faciles, quia vnus impedit acquisitionem dominij eti effectu, alius consistit in obligatione seruandi illud genus paupertatis, & quidquid ad illam consequitur. Vnde vlterius considerari possunt in ordine ad actum secundum, qui est non vsus dominij, vel vsus paupertatis, & quoad hoc est difficultas, quomodo paupertas in Episcopo seruari possit quantum ad vsum.

XI. Propter hoc posita est vltima pars assertionis, *Episcopo regulari ampliorem vsum temporalium bonorum licitum esse, quam antea fuisset.* Quam partem probat optimè ratio superiùs facta, & cum proportione applicata, quia religiosus status non manet cum Episcopali, quantum ad ea quæ Episcopatui repugnant; sed in his cedit illi tanquam meliori. Repugnat autem statui Episcopali habere vsum paupertatis tam restrictum & limitatum, sicut habet purus religiosus; ergo votum paupertatis non ita

obligat

obligat Episcopum, quin liceat illi amplior vsus, vel alterius rationis, quàm antea liceret. Vt autem hoc explicemus, & simul declaremus obligationem omnem, quæ in huiusmodi Episcopo manet ex vi talis voti, aduertendum est in tribus posse hanc maiorem facultatem Episcopi spectari, primò in quãtitate bonorum, secundò in vario vsu illorum, tertiò in modo vtendi illis independenter ab alterius voluntate.

Quantum extendatur in Episcopo regulari facultas possidendi, & adquirendi bona temporalia.

XII. *Resolutio quod priorem partem sitli.*

Quoad primum clara est differentia talis Episcopi à simplici religioso; quia licitum est Episcopo habere vsum omnium bonorum ad suum Episcopatum pertinentium; potest etiam habere vsum & possidere suo modo, bona sæcularia, quocunque legitimo titulo ad eum perueniant, siue per donationem, siue per emptionem, siue etiam per hæreditariam successionem, vt mox videbimus à n. 13. Posset verò hic quæri, an sit etiam capax aliorum bonorum, seu redditauum Ecclesiasticorum, præter suum Episcopatum. Sed quia hoc alterius considerationis est, dico breuiter ex dispensatione Pontificis posse, vt per se constat, sine dispensatione autem Pontificis non posse. Nec solùm necessaria illi est communis dispensatio ad obtinenda plura beneficia, sed etiam specialis, ex eo quòd religiosus est, quia in persona religiosi, quodlibet beneficium est incompatibile cum alio; adeò vt si vtrunque velit retinere, ab vtroque penitus repelli debeat, & eo ipso fiat ineligibilis, vt dicitur in cap. *cum singula.* de præbendis in 6. Vnde rectè infert Rebuffus consil. 14. q. 2. religiosum Episcopum obtinentem à Papa secundum beneficium, vt illud simul cum Episcopatu habeat, nulla facta narratione status religiosi, sed tantùm quòd sit Episcopus, non esse tutũ in conscientia, quia gratia, & narratio subreptitia est; oporteret enim narrare illam circumstantiam, quæ speciali indigebat dispensatione, & multum reddebat negotium difficile. Nec enim satis est dicere, Põtificem iam sciuisse illam personam esse religiosam, quia non oportet eum recordari omniũ, quæ fecit, neque id in iure præsumitur, c. *ex parte* 1. de offic. deleg. cum similibus.

Limitatio de aliis redditibus Ecclesiasticis.

XIII. *De acquisitione.*

Quoad secundum de vsu multiplici distinguẽda sunt illa tria, quæ suprà tractando de paupertate distinximus, scilicet, acquirere, retinere, & expendere. Quantum ad acquirendum, hoc necessariò manet in Episcopo regulari, vt nihil possit tanquam verus dominus & proprietarius acquirere, hoc autem secluso, quantum ad actualem receptionem & tentionem, potest acquirere omnibus modis, quibus potest sæcularis Episcopus, per donationẽ, per licitum, & honestum contractum, & per testamentum; imò etiam per necessariam & legitimam successionem, vt notauit D. Tho. dicto artic. 8. ad 3. ex cap. *statutum* 18. q. 1. vbi ex Concilio apud Altheum, (quod non extat) dicitur, *Monachus factus Episcopus, velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea iure vendicandi potestatem habeat*, de quo textu plura statim. Quod si inquiratur cui acquirat huiusmodi Episcopus quoad dominium, & proprietatem, cum sibi non acquirat, dicendum est non acquirere monasterio, in quo differt à puro religioso, sed acquirere suæ Ecclesiæ; quod etiam docet D. Thom. supra, & sumitur ex eodem cap. *statutum*, vbi dicitur: *Postquam Episcopus ordinatur ad altare, ad quod sanctificatur & titulatur secundum sacros Canones, quidquid acquirere poterit restituat.* Idem colligitur ex capit. *cum olim* 2. de priuilegiis, vbi id Glossa notat, & alij Doctores.

Hanc quisitionem quoad dominium vide Eccles.

Ratio autem est, quia religiosus factus Episcopus desinit esse membrum sui monasterij, & incipit esse sponsus suæ Ecclesiæ, & ideo iam non acquirit monasterio, sed Ecclesiæ (quando verò eam nõ habet, vt titularis, c. seq. n. 5. intelligetur.) Deinde sicut ab Ecclesia alitur, ita omnem suam operam, & industriam suæ Ecclesiæ debet, & ideo meritò statutum est, vt illa lucretur, quidquid ad ipsum quacunque via peruenerit.

XIV. *Videntur tamen accipienda bona hereditaria.*

Solùm poterat hic superesse difficultas circa successionem necessariam, vt in hæreditate paterna, & alia simili, in qua religiosus ab intestato succederet, quomodo possit hæc transire ad Ecclesiam: & ratio dubij est, quia ius succedendi in talibus bonis trãslatum est in monasterium ex vi professionis; ergo non potest postea monasterium iure acquisito priuari, propter translationem personæ ad Episcopatum. Hanc difficultatem tangit Glossa in dicto cap. *statutum.* & in summa respondit per solam professionem ante mortem religiosi non acquiri monasterio ius succedendi, sed solam spem, quę euanescit per transitum religiosi ad Episcopatum. Sed obiici potest, quia ius succedendi non manet in persona ipsius religiosi, quia est incapax ratione voti paupertatis; ergo trãsit in monasterium; nam in aliquo esse necesse est. Et ita sentit Innocentius in c. *in præsentia.* de probat. n. 4. ex cap. *si qua mulier.* 19. q. 3. Dicendum ergo est, illud ius translatum quidem esse in monasterium eo tantùm modo, quo iura Canonica disponunt, & non firmius: nam hic effectus merè legalis est, & ideo non excedit iuris dispositionem. Dispositio autem iuris est, vt hoc ius licet sit in monasterio pendeat à persona religiosi quantum ad hoc, vt si talis persona translata fuerit ad Ecclesiam Cathedralem, ad illam transeat ius succedendi. Secus autem est si ante transitum ad Episcopatum mortuus esset pater, & hæreditas iam esset translata ad monasterium, quia tunc iam haberet ius acquisitum in re absolutum & independens à personali statu talis religiosi, iuxta dicta in simili & in cap. 14. num. 8. Quod ampliandum est, vt procedat, etiam si casu aliquo hæreditas iaceret, nec monasterium illam adiisset iuxta dicenda in puncto sequenti.

XV. *Exceptio affertur. Et pro ea arguitur.*

Sed quid, si talis religiosus professus fuerat in aliqua ex religionibus, quæ non succedunt loco religiosorum, vt in religione Minorum, vel Societatis; videtur enim tunc succedendi ius non transire ad Ecclesiam; quia ipsa religio nullum ius acquisiuit, neque etiam in persona religiosi mansit; ergo omnino amissum fuit, transiuitque ad alios fratres, vel cognatos, ac si talis persona fuisset mortua; ergo nullum est ius quod postea in Ecclesiam transferri possit. Confirmatur, quia hæc translatio solùm fit virtute iuris; sed nullum est decretum quod in eo casu disponat hoc ius transire ad Ecclesiam; ergo. Probatur minor, quia in dicto cap. *statutum.* sermo est de monachis S. Benedicti, vt ex fine eiusdem textus constat, in qua religione monasterium ius habet succedendi; præter illum autem textum nullus est, vnde hoc colligi possit. Nihilominus contraria sententia communis est, quam tenet Bartolus in tractatu Minoritarum in fine libro 4. quem sequitur Rebuffus consil. 14. quæst. 1. & id manifestè supponunt Fredericus de Senis consil. 26. & Romanus consil. 296. quos refert. & sequitur Tiraquellus, de vtroque retractu, tractat. 1. §. 1. glossa. 9. numer. 105. Aiunt enim, si pater, vel testator moriatur, priusquam talis religiosus transeat ad statum Episcopatus, vel alium in quo sit habilis, tunc hæreditatem non pertinere ad Ecclesiam, sed ad alium hæredem, qui succedat in gradu, etiam si contingat hæreditatem aliquo tempore iacere, & interim religiosum illum ad Episcopatum transire,

Confirm.

quia ius, & ordo succedendi attenditur iuxta capacitatem & statum personarum, tempore quo decedit pater, seu testator. Supponũt ergo, quòd si trãslatio fuisset facta ante mortem patris, succederet religiosus, vel Ecclesia, iuxta exigentiam status quẽ tunc habebat. Fundamentum autem est idem, scilicet, quia ius succedendi spectandum est secundũ statum, quem quis habet eo tempore, quo pater decedit, & non secundùm eum quem tempore præcedente habuit. Vnde ait Bartolus, per illam translationem seu beneficium talem personam restitui in integrum, & ita recuperare ius succedendi iuxta legem 2. Cod. de sententiam passis; quæ certè parum probat; nam potiùs in ea dicitur, per remissionem vnius pœnæ non restitui bona, vel ius ad illa, *nisi speciale beneficium super hoc fuerit impetratum.* & ferè similia verba habentur in leg. 1. vers. *filio qui mortis.* ff. ad Tertullianum, quam etiam adducit. Oportet ergo in præsenti ostendere speciale beneficium Principis de tali restitutione.

XVI. *Quomodo fundanda sit dicta communis sententia.*

Quare difficulter potest hæc sententia efficaciter probari; tamen quia pietati fauet; cuius fauor ampliandus est, & quia cõmuniter recipitur à Iurisperitis, quorum iudiciũ in huiusmodi causis propriũ est, sustinenda est, & approbanda. Potest autem in hunc modum exponi: Nam quandiu talis religiosus est in religione incapaci hæreditatis; ideo non succedit religio, quia ipsa cedit iuri suo, non quia quãtum est ex parte talis personę, non posset habere ius succedendi, & ideo statim ac illa persona vnitur alteri Ecclesiæ, quæ est capax successionis, & non cedit iuri suo, transfert in illam ius succedendi. Vnde intelligitur per professionem in tali religione non fuisse extinctum omnino ius succedendi, neque absolutè fuisse translatum ad alios fratres, vel possibiles hæredes, sed vel mansisse quasi suspensum, vt secundùm præsentem statum in nullo actu sit tale ius, sed sit quasi spectans rerũ euentum; vel certè, si ad alios fuit translatum, fuerit etiam non absolutè, sed dependenter à futuro euentu; vel denique dici potest, hoc ius radicaliter semper manere in persona religiosi, neque hoc repugnare paupertati, quia non est, vt ipse succedat, vel sibi acquirat, sed vt loco & nomine eius Christus (vt sic dicam) vel aliquis pius locus succedat. Vnde etiam considero, per professionem acquiri Christo, vel Ecclesiæ ius succedẽdi in bonis, in quibus religiosus succedere deberet; hoc tamen ius applicari illi religioni, vel monasterio, cuius filius, vel membrum est talis religiosus, & ideo quandiu ipsa religio renuntiat, seu non vult tale ius, amittitur hæreditas, si eo tẽpore succedat, & ita transit ius succedendi ad fratres, &c. Si autem ante tempus successionis, id est, ante mortem parẽtis, translatio fiat ad Episcopatum, applicatur ius illud tali Ecclesiæ, quia illa applicatio est quasi deãbulatoria, quandiu viuit ille cui succedendum est; neque intelligitur Christus, aut Ecclesia aliter eam feciſse, aut omnino renuntiasse ex vi primæ professionis. Hęc autem omnia non aliter probantur, nisi, quia sine dubio potuit Ecclesia hoc modo disponere circa successionem religiosi, estque talis modus valde consentaneus pietati, & rationi, & nihil repugnat tali statui religioso; nam illi satisfit per hoc, quòd eius communitas non succedat, neque etiam religiosus ipse (eo modo quo posset) quãdiu est mẽbrum eius. Neque etiam hic modus est iniuriosus aliis, qui cupiunt esse hæredes, quia non debetur illis ius succedendi, cui religiosus voluntariè renuntiat, & ideo potest renuntiare sub quacunque conditione, vel modo ab Ecclesia instituto. Denique ius dicti c. *statutum.* non fundatur in hoc, quod prius monasterium fuerat Ordinis S. Benedicti, & capax hæreditatis, sed in hoc solum, quod consecratio Episcopalis absoluit monachum à priori lege, & facit capacem paternæ hæreditatis: ergo non est à nobis restringendum sed extendendum.

Quin potiùs relati authores non solùm de translatione ad Episcopatum hanc legem intelligunt, sed etiam illam ampliant, ad omnem legitimam translationem ad alium statum. Ita vt si monachus S. Francisci viuente suo patre transeat ad alium ordinem capacem hæreditatis, & ibi secundò profiteatur, postea mortuo patre secundum monasterium succedit in hæreditate paterna, quia cum persona transfertur hoc ius, & secundum monasterium illi non cedit, neque illi præiudicat, quòd prius monasterium illud non acceperit, quia nõ fuit propterea omnino extinctum, neque absolutè translatum ad alios sæculares, vt explicuimus. Et eadem ratione hoc ampliant, etiamsi primum monasterium fuerit capax hæreditatis, quia si de facto non successit, eo quòd pater semper vixit, & eo viuente filius transfertur ad aliud monasterium capax etiam hæreditatis, & ibi legitimè profitetur, postea morientе patre non prius, sed posterius monasterium succedit propter eandem rationem, quia prius monasteriũ nunquam habuit ius firmum, vel certè tantum habuit spem, & vtriusque fundamentum per transitum sublatum est, & in aliud monasterium translatum. Vnde consequenter etiam dicendum est, si secundum monasterium sit incapax hæreditatis, nihilominus prius amittere ius, vel spem succedendi, licet posterius illam non acquirat. Nam amissio per se fit ex vi translationis, & ablationis fundamenti, quòd autem altera religio nolit tale ius succedẽdi, accidentarium est; vnde in eo casu transibit hæreditas ad alios legitimos hæredes. Quæ omnia minus mihi certa sunt, quia non sunt in aliquo expresso iure fundata: tamen, quia probabiles rationes sunt deductæ ex supradicto iure, & quia communiter doctores cum Bartolo ita sentiunt, probanda sunt, nisi alicuius regni expressum ius obsisterit, vt Rebuffus dict. conf. 14. significauit. XVII.

Vnum autem inconueniens ex dictis sequi videtur, scilicet, si huiusmodi religiosus viuẽte patre ad sæculum redeat, tunc etiam monasterium priuari successione, si cõtingat eo tempore, quo religiosus à tali religione absolutus in sæculo manet, testatorem, vel parentem mori; quod videtur contra superius dicta, & contra rationem, quia per solenne votum paupertatis acquisitũ fuit Christo, aut Ecclesiæ speciale ius ad illam hæreditatem, & ideo licèt ab vna religione possit trãsferri in aliam, vel in aliquam Ecclesiam, ad quam legitimè transfertur persona; tamen semper respectu Dei conseruatur illud ius tanquam sacrum quid, solumque in applicatione ad locum sacrum, fit mutatio. In mutatione verò ad sæculum si religio amittat successionem ius illud, (vt sic dicam) omnino amittitur Christo, & quod sacrum effectum fuerat, iterum profanum efficitur, quod videtur inconueniens. Circa hoc Bartolus dicto lib. 4. Minoritarum c. 3. generaliter affirmat, quoties religiosus absolutur ab ordine suo sine translatione ad aliquam Ecclesiam, seu dignitatem, non recuperare ius succedendi, etiamsi absolutio licito modo fiat. XVIII. Casus quo religiosus ad sæculum redit. XIX.

Veruntamen hanc doctrinam intelligendam cẽseo, quando absolutio solùm est ab actuali obedientia, vel clausura religionis, & non ab ipsomet vinculo professionis. ita enim intelligendum est exemplum Bartoli ibidem; aut certè, nec verum est, nec cõsequenter positum. Ait enim religiosum propter sua merita electum à religione, & translatum ad aliam de licentia Prioris, non transferre in aliam ius succedendi, quia illa absolutio magis est ad pœnam, quàm ad præmium. Hoc autem erit verum si translatio ad aliud monasterium, solùm fit, quasi per coactionem, & destructionem in illud in pœnã

nam

tam tunc quoad proprietatem semper illa bona pertinent ad prius monasterium, quamuis secundū posſit eis frui, quandiu talis religiosus in eo vixerit. Si autem sit vera translatio per nouam professionem in altera religione, planè transfertur in illam ius succedendi, iuxta superius dicta. Neque enim obstat, quod abiectio fuerit pœna, quia illa non potest impedire ius alterius religionis, quod necessario consequitur ex professione, & admissione talis personæ, & prior religio eo ipso, quod permisit talē personam aliam profiteri, permisit etiam amittere spem, quam de illius successione habere poterat. Sic ergo dicendum censeo de transitu ad sæculum; nam si solum fiat quoad separationem à consortio religionis, manente vinculo, tunc certum est religiosum nūquam recuperare ius succedendi in propria psona, quia semper est incapax; vnde si sit frater Minorita, nullo modo succedere potest, si autem sit alterius religionis capacis hereditatis, semper illi acquiret succedendo, nisi ita sit omnino separatus, vt alteri Ecclesiæ, vel Episcopatui addictus sit, siue intercesserit electio iuxta superius dicta de illa; siue fuerit pura, & legitima translatio; tunc enim succedet acquirendo Ecclesiæ, vel Episcopatui, vt dictum est.

XX. At vero si transitus ad sæculum fiat per ablationem vinculi professionis, media legitima dispensatione (supponimus enim interdum esse posſibilem) tunc recuperabit illa persona ius succedendi & acquirendi sibi, quia facta est capax ante mortem parentis, & quia prior religio amittendo personam amisit spem ad successionē eius, vt constat ex præcedentibus punctis. Vnde qui legitimè dispensauit cum persona sacra, vt desineret esse sacra, consequenter dispensauit, ne ius illud, vel spes, quæ videbatur aliquo modo consecrata Deo, amplius permaneret. Neq; hoc repugnat dictis in c. 14. nam ibi loquuti sumus de bonis non tantum in spe, sed in re ipsa acquisitis monasterio, de quib. longe alia ratio est. Et in hanc sententiam inclinat Gregor. Lopez in glossa 1. ad legem 22. tit. 3. partit. 6. & videri etiam potest noster Molina tomo 1. de iustitia disp. 140.

Quantum in Episcopo regulari extendatur facultas retinendi bona temporalia.

XXI. *De quibus acquisitis sit hæc retentio facta.* Hactenus de acquisitione, sequitur dicendum de retentione, seu possessione bonorum acquisitorū, quæ secundo loco in n. 13. proponebatur. nam in hoc etiam multum differt inter religiosum factum Episcopum & alios, quia quidquid acquirit in Episcopatu, siue ex bonis sui Episcopatus, siue quolibet alio titulo, etiā hereditario, iustè & licitè possidet, seu tenet apud se. Ita docent omnes, & colligitur ex dicto c. *statutum*, in quo in primis expendo illam particulam *sibi hæreditatem vendicandi potestatem habeat*; nam illa particula *sibi* demonstrat, quoad commoditatem, atque adeo, quod possessionem, seu tentionem, sibi acquirere, quanquam Glossa ibi exponat *sibi*, id est, Ecclesiæ suæ, quod ad textum nō est necessarium; nam infra satis explicat quomodo acquirat sibi. Si autem admittatur expositio, intelligendum est quoad proprietatem, quod in textu significatur, cum infra dicitur *ad altare restituat*. intelligiturq; postquam decesserit, vel Episcopatum dereliquit, iuxta statim dicenda.

XXII. *De quibus non liceat.* Loquuntur autem de acquisitis in Episcopatu; nam quæ prius in religione, seu monasterio acquisierat, vel peculium quod de licentia Prælati habebat, amplius retinere non potest; ita enim habetur in eodem cap. *Sicutum*. cuius verba sunt, *Sed quidquid acquisierat, vel habere visus fuerat, monasterio relinquat & Abbatis arbitrio*. Quæ verba nonnulli limitant ad bona acquisita per industriam religiosi; nam patrimonialia transferri putant, quod tenuit Panormit. cum Cardinali in c. *quod ad te*. de Clericis coniugatis nu. 8. vbi additio eius idem sequitur, & alia refert. Sed oppositū censeo verius, quod tenuit Petrus de Perusio ibi, & Anton. de Butrio consil. 76. & satis probant verba illius textus, *Quidquid acquisierat vel habere visus fuerat*. quę disiunctio excludit omnem aliam distinctionem, & præterea id satis confirmāt supradicta circa translatos de vna religione ad aliā. Constat vlterius ex illis verbis, statim esse talia bona relinquenda; nec posse retineri, etiam quoad vsum, vel vsumfructū, vt postea restituantur monasterio tempore mortis; nam textus manifestè in hoc etiam distinguit inter bona prius & posterius acquisita. Quod similiter confirmant supradicta de religioso transeunte ab vna religione ad aliam. Vnde D. Anton. in tractatu de suspensione c. 4. num. 20. refert priuilegium concessum à Clemente IV. ordini Prædicatorum, vt qui assumitur ad Episcopatum, priusquam cōsecretur, resignet ordini libros, & alia quæ habebat, & alioqui sit ab executione Pontificalis ministerij suspensus; idemque præcepit Minoribus Alexander IV. vt refert in libro *Monumenta Minorum* tract. 1. non longè à principio.

Quæri autem hic potest, an idem iudicium cum proportione sit de bonis acquisitis in Episcopatu, nimirum si talis Episcopus regularis ab vno Episcopatu ad alium transferatur, an posit secum deferre bona in illo acquisita, vt eis vtatur & fruatur quandiu vixerit, quanuis postea tempore mortis restituenda sint priori Ecclesiæ; an vero teneatur statim illa relinquere. In dicto enim cap. *statutum*. solum dicitur esse restituenda Ecclesiæ, vel Episcopatui bona in illo acquisita, non tamen declaratur, quando sunt restituenda: videtur autem proportio seruanda inter hunc transitum ab vno Episcopatu ad alium, & priorem à religione ad Episcopatum: nam sicut Episcopus adquirit suæ Ecclesiæ, ita religiosus suo monasterio: sed propter huiusmodi acquisitionem tenetur religiosus cum fit Episcopus, statim relinquere omnia bona monasterio: ergo eadem ratione transiens ad alium Episcopatum, tenetur statim relinquere priori Ecclesiæ, quidquid in illa acquisierat. Confirmatur, primo, quia proprietas illorum bonorum est apud talē Ecclesiam, ergo eo ipso quod dissoluitur spirituale matrimonium inter Episcopum & suam Ecclesiam, nascitur obligatio relinquendi illi bona sua, quia nullum iustum titulum habet ad retinendum illa bona, & vsum, vel vsumfructum eorum inuito domino. Et confirmatur secundo, quia quoad vtilitatem, & seruitium suæ Ecclesiæ, perinde est mutare Episcopatum, ac mori: ergo perinde tenetur in vtroq; casu relinquere huiusmodi bona tali Ecclesiæ. In contrarium autem est, quia in dicto cap. *statutum*: dicitur monachum factum Episcopum, vendicare sibi hæreditatem paternam: ergo simpliciter sibi comparat talium bonorum commoditatem, illam ergo retinere potest, quandiu viuit, satisfacietque vltimæ parti illius canonis, si ea restituat monasterio tempore mortis, & confirmatur, quia cum in iure non sit maior obligatio expresse imposita Episcopo, non est cur nos illam augeamus.

XXIII. *An transitus ad alium Episcopatum possit retinere acquisita in priore.*

XXIV. In hac re ego non inuenio expressam iuris decisionem, imo nec in authoribus adhuc reperi hanc dubitationem expresse tractatam. Videtur autem probabiliter posse distingui inter bona acquisita ex reditibus Episcopatus, vel aliunde comparatis, siue fuerint iure hæreditario obtenta, siue quocunque alio sæculari titulo. De prioribus enim probabilius videtur debere statim relinqui illi Ecclesiæ, in qua acquisita fuere, qui omnino sunt eius, quasi ex intrinseco titulo, eorumque vsus, & administratio solum concedebatur huic personæ ratione

Responsio quoad acquisita ex fructibus prioris Episcopatus.

Episcopatus talis Ecclesiæ; ergo, quacunque ratione dimittat Episcopatum, non potest amplius illa bona apud se retinere, neque eis frui, item quia alias etiamsi esset magna quantitas pecuniæ, vel aliarum rerum, quæ vsu consumuntur, posset omnia secum deferre, & illa in sua vita consumere, quod esset in magnum præiudicium talis Ecclesiæ, idque sine sufficienti titulo, & ratione, eum ille iam tali Ecclesiæ non inseruiat, & aliam habeat vnde sustentari possit.

XXV. *Responsio verisimilis quoad acquisita alio titulo.*

De alijs autem bonis proprio & peculiari titulo acquisitis videtur satis verisimile, quod transeant eum persona, argumento ex cap. *ex transmissa.* de renuntiatione, & cap. *quod à se.* de Clericis coniugatis, vbi Panormitan. notat bona patrimonialia sequi personam, citans etiam leg. primam. ff. de Collegijs illicitis. & ratio differentiæ esse potest, quia bona patrimonialia, seu extranea per se non pertinebant ad Ecclesiam, sed solum per accidens ratione conditionis talis personæ. Vnde alij Episcopi per se directè illa sibi acquirunt, & possunt de illis testari, etiamsi de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis nō possint, vt notant Panormit. & omnes in cap. 1. de Testamentis; ergo verisimile est translata persona ad alium Episcopatum, transferri cum ea hæc bona patrimonialia, seu sæcularia.

Dices, si illa iura & hic discursus aliquid probaret, etiam suaderet talia bona transire ad secundum Episcopatum quoad dominium, & proprietatem, quia dicta cap. *ex transmissa.* & *quod à te*, ita loquuntur, & Panormitanus & alij Doctores in eodem sensu aiunt, bona donata Ecclesiæ à clerico habente in ea beneficium, translata inde persona secum deferre bona, quæ antea erant illius propria. Nihilominus in præsenti non censeo tantam extēsionem admittendam; nam in dicto capite *statutum* dicitur illa bona *esse restituenda ad altare, ad quod sanctificatur, & titulatur.* item quia dominium illorum bonorum semel acquisitum fuit primæ Ecclesiæ, ergo non debet illo priuari, quamuis priuetur persona. tum quia beneficium principis semper intelligitur fieri sine præiudicio tertij; tum etiam, quia afflictis non est augenda afflictio; sic ergo Ecclesia orbata suo pastore, non est simul bonis eius priuanda. Neque alia iura loquuntur in simili specie, sed de clerico sæculari capace proprij dominij, de quo est longe diuersa ratio, & eodem modo loquuntur citati authores, qui varijs modis explicant, & limitant illam doctrinam etiam in eo casu, & summa omnium est, in illo reddi bona tali clerico, vel ex benignitate potius quam ex iustitia, vel quia in donatione talis conditio inclusa subintelligitur, ex dispositione iuris. In præsenti autem casu nullum habemus simile ius, quare illud extendendum non est in Ecclesiæ præiudicium.

Quin potius propter has rationes est mihi res valde dubia, an liceat Episcopo in eo casu deferre secum talia bona, etiam quoad vsum, vel vsumfructum, nisi in eo casu, in quo ipse Episcopus illis indigeret ad suam sustentationem, vt si renunciasset Episcopatui, sine transitu ad alium, vel sine aliqua pensione, aut beneficio Ecclesiastico ad suam sustentationem sufficientem. Tunc enim ipsa ratio postulat, vt de bonis quæ ad ipsum pertinebant, alatur. Extra hos vero casus non video sufficiens fundamentum ad limitandum dictum ius, etiam quoad possessionem & vsumfructum talium bonorum, cum ille non sit dominus eorum, & desinat esse administrator, quia hoc munus solum ratione prælationis illi conueniebat, vt bene notauit Panormit. in cap. primo de Testamen. in fine.

Quantum in Episcopo regulari extendatur facultas expendendi bona temporalia.

Vltima actio est vsus, seu dispensatio bonorum, quæ tertio loco in numero 13. posita est. In qua etiam manifestum est habere Episcopum ampliorem facultatem, quantum religiosus status postulet, vel etiam permittat, quæ multo plura in statu Episcopali necessaria sunt. Quæri autem solet, an in hoc vsu habeat Episcopus regularis tam liberam facultatem sicut sæcularis; Nam quod illam habeat, videtur esse communis sententia, quam tenet Nauarrus, quæstione 1. & 2. de reditibus Ecclesiasticis & Sot. lib. 10. de iustitia articulo vltimo, idem sentit, tamen ex diuersis principijs; Nauarrus enim putat Episcopos etiam sæculares non esse veros dominos, imo nec perfectè vsufructuarios reddituum Ecclesiasticorum, sed tantum administratores, cum plena facultate vtendi, & disponendi de illis bonis in pios vsus. Hanc autem facultatem sine dubio habet æqualem regularis Episcopus, quia non minus fideliter hoc munus præstare potest, quam sæcularis, & quia illa facultas conuenit ex vi tituli Episcopalis, qui titulus eiusdem rationis est in vtroque, & hanc sententiam tenuit Cardinalis, in Clementina 2. §. *sed & talis.* de vita, & honestate Clericorum, & videtur fauere Concilium Tridentinum capite 1. de reformatione dicens de Episcopis. *Omnino vero ex interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos augere studeant, cum & Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, iis vt pauperibus distribuant &c.* & infra subdit hoc habere locum non solum in Episcopis, sed etiam in quibuscunque tam sæcularia, quam regularia beneficia obtinentibus; ergo idem etiam sentit Concilium de Episcopo regulari, neque ampliorem facultatem sæculari concedit. At vero Soto longè diuerso nititur fundamento; ipse enim quæstione 4. eiusdem lib. ex professo probat Episcopos esse veros dominos suorum reddituum, & consequenter, tanquam veros dominos habere liberam dispensationem, cum onere tamen fideliter implendi onera Episcopalia; postea vero in alio artic. vlt. facit æquales Episcopos regulares, etiam in ipso dominio, vt supra retulimus ex quo manifestè concludit, Monachos Episcopos perinde posse considere Ecclesiastica bona ac reliquos sæculares. Itaque Nauarrus, dum sæculares Episcopos re ipsa pauperes facit, æqualitatem inter eos, & regulares constituit, Soto vero, vt eandem faciat æqualitatem, regulares Episcopos diuites facit.

XXVII. *Sententia maiorum.*

XXVIII. *Nauarri opinio de hac re.*

XXIX. *Soti opinio.*

Inter has sententias Nauarri opinio minus improbabilis est; nam fundamentum Soti, quoad hāc partem de dominio regularium Episcoporum, retinere est improbabile. Absolutè vero etiam opinio Nauarri non placet; probabilius enim censeo Episcopos sæculares esse dominos fructuum suorum, *per totum sequentem.* Episcopatuum, vt planè sentit D. Thom. dicta quæstione 185. artic. 7. vbi prius dicit Episcopos habere propriorum bonorū dominium; postea vero subdit, eandem esse rationem de his reditibus Ecclesiasticis, quæ specialiter sunt Episcopatui deputata, de qua re alibi in opere de Ordine tractari solet. Ex hac ergo inæqualitate, quam regularis, & sæcularis Episcopus habet in dominio talium bonorum, infero non esse æquales in facultate dispensandi illa; Probatur primo ratione generali, quia maior est potestas domini, quam dispensatoris ex genere suo; ergo etiam in præsenti est maior, quia nullo iure speciali impeditur illa inæqualitas. Secundo declaratur; nam aliqua dispensatio seu vsus talium bonorum

norum esse potest licita Episcopo sæculari, quæ non sit regulari, vt v.g. si ille pauperum necessitatibus, & alijs pijs operib. sui Episcopatus sufficienter prouidit, & adhuc habeat superflua de suis reditibus, nihil profectò peccabit, si aliquid donet ob solam cognationem, vel liberalitatem, quidquid Nauarrus dicat in citata q.1. monito 40. num.12. neque id repugnat Concilio Tridentino, quia fieri potest, sine dissipatione Ecclesiasticorum bonorum, vt alibi dicemus. Episcopo autem regulari hoc non licet, nisi cum magna moderatione. Præterea in multis casibus licet vterque peccet abundantius donando quam possit, est tamen diuerso modo; nam sæcularis non peccabit contra iustitiam, sed contra religionem, abutendo bonis aliquo modo sacris, vel contra misericordiam omittēdo pauperes propter consanguineos, vel contra obedientiam Canonum Ecclesiasticorum, præsertim dicti Concilij Tridentini. Regularis vero præter hos modos peccabit etiam contra iustitiam, cum ea donet quorum non est dominus, & vltra facultatem dispensandi quam habet. Dices, cui facit iniustitiam, non enim suæ religioni, quia illa nullum ius habet ad talia bona: nec suæ Ecclesiæ, quia illa potius tenetur ex iustitia, portionem suam dare Episcopo. Respondetur, in iustitiam fieri propriæ Ecclesiæ, in qua manet dominium talium bonorum, propter incapacitatem talis personæ; & ideo licet ex iustitia teneatur alere Episcopum; eique administrationem illorum bonorum committere; nihilominus ipse etiam tenetur ex iustitia ius Ecclesiæ illæsum seruare.

XXX. *Regulares non multum dispensabiles.*

Præter hæc Episcopo sæculari per se loquendo licitum est habere ditiorem supellectilem, & ampliorem familiam quam regulari: nam licet vterq; possit, & debeat Episcopalem dignitatem, cum omni decentia & honore tractare, tamen sæcularis, etiamsi in hoc aliquantulum excedat, vel nihil, vel saltem non grauiter peccabit, si aliunde sufficientem pauperum curam habeat; regularis vero mea sentētia facilè poterit in hoc grauiter peccare, quia debet seruare paupertatem religiosam in his, quæ dignitati Episcopali non repugnant. Et simili modo dicā, faciliùs posse grauiter peccare religiosum Episcopum notabilem pecuniæ quantitatem perludum, aut alium modum similem expendendo, quam sæcularem, ex eodem fundamento. Denique quanuis neuter ex his Episcopus possit testari de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis, nihil tamen repugnaret consuetudine alicubi introduci, vt Episcopi testari possint de illis bonis, & nihilominus ex vi talis consuetudinis non posset testari Episcopus regularis propter incapacitatem personę, imo fortasse; quoad hoc nunquam posset consuetudo præualere, quia voto contraria videtur. Et ob eandem causam licet Pontifex possit vtrique Episcopo facultatem testandi concedere, longè tamen facilius, & ex leuiori causa Episcopo sæculari quam regulari. imo facultas data sæculari, sine vlla causa valida esset, licet illicitè daretur; data autem regulari videtur inualida; nam prior est tantum contra ius humanum, posterior vero includit dispensationē in voto, quæ sine causa data nulla est. Denique patrimonialia bona potest sæcularis Episcopus liberè expendere, & de eis testari, quod non potest regularis Episcopus. Ex his ergo vt existimo manifestè conuincitur, non habere tam amplam facultatem dispensandi, & expendendi bona temporalia religiosum Episcopum, quam sæcularem, quamquam authores non tam accuratè, & in particulari hanc comparationem expenderint. Fortasse tamen Cardinalis & alij, cum hos Episcopos faciunt æquales in libera dispensatione bonorum, non loquuntur de æqualitate in actibus, & radice huius dispensationis, prout à nobis explicata sunt, sed solum in libertate quoad modum dispensandi, vt in proximo sequenti puncto declarabimus.

XXXI. *In qua independentia æquiparentur Episcopus regul. & sæcul.*

Vltimò enim ex his constat, quod vltimo etiam loco supra in fine num. 11. proposuimus, quare scil. dicatur religiosus factus Episcopus habere ampliorem vsum rerum quoad modum, & quandam independentiam ab alterius voluntate. Diximus n. tomo præced. in hoc maximè consistere vti re aliqua, non vt propria, quia solum fit ad arbitrium Prælati, & dependenter à voluntate eius; religiosus ergo factus Episcopus iam non habet hanc dependentiam, sed ipso iure, vt sic dicam, & ex vi tituli Episcopatus, potest liberè dispensare talia bona in omnem vsum alias sibi non prohibitum. in hoc ergo rectè æquiparatur Episcopus regularis sæculari, & id solum probant fundamenta Soti, Nauar. & aliorum, quia scil. titulus Episcopalis eiusdem rationis est in regulari, & in sęculari Episcopo. Nihilominus tamen, multa sunt prohibita in hoc genere dispensationis Episcopo regulari, quæ non prohibentur sæculari. Quod quidem non oportet intelligi, de prohibitione speciali iuris positiui; sufficit enim naturalis prohibitio, quæ sequitur ex vi voti paupertatis, & status religiosi, vt declaratum est.

XXXII.

Dices, illamet independentia à facultate alterius, etiam quoad vsus licitos, videtur esse contraria voto paupertatis. Respondetur in primis non esse contrariam, quia est quasi intrinseca tali statui, & ideo Superior qui illum statum concessit, consequenter fecit facultatem vtendi bonis eius quantum eius conditio postulat. Vnde licet hæc dicatur independentia à facultate per hominem (vt sic dicam) concedendam, includit nihilominus facultatem Prælati per ius ipsum datam, quod satis est ad substātiam paupertatis. Quod inde maximè declaratur, quia ipsemet Superior, hoc est, Summus Pontifex, posset in hoc modum ponere Episcopo regulari, limitando modum disponendi de huiusmodi bonis, quia est illi specialiter subiectus per obedientiæ votum, vt statim videbimus, & votum etiam paupertatis retinet, vt hactenus demonstrauimus: de essentia autem voti paupertatis est, vt dispositio talium bonorum, ex Superioris arbitrio semper pendeat. Sicut ergo in superioribus diximus, non posse Prælatum religionis ita concedere peculium religioso, & facultatem disponendi de illo, quin semper possit à Prælato reuocari, vel determinatus modus præscribi, ita regularis Episcopus non potest in hoc esse omnino independens à Pontifice, sed eius arbitrio in vsu talium bonorum semper debet subesse, & ita satis constat quomodo substantiam paupertatis retineat.

CAPVT XVII.

Ad quid teneatur idem Episcopus quantum ad votum obedientiæ erga Prælatum suæ religionis, aut etiam regulas.

I.

SVpereſt dicendum de obedientia, quæ dupliciter à religiosis exercetur. Primò circa præcepta Prælatorum religionis, quæ ab homine, vt sic dicam, imponuntur; secundò circa obseruationem regulæ religiosæ, & obseruantialis, quæ ratione illius vnicuique regulari competunt. Quantum ergo spectat ad priorem partem tituli, dicendum est, quanuis Episcopus regularis substantiale votum obedientiæ retineat, nihilominus ratione illius non teneri ad obediendum Prælatis suæ religionis, sed soli Pontifici Summo subesse. Prima pars constat ex dictis, quia hoc votum est maximè de substantia religionis. item quia non repugnat statui Episcopali, vt per se constat. Secunda pars declaratur primò, quia votum obedientiæ, etiam factū in tali religione, non postulat essentialiter actualem subie-

1. *Assertio tripartita pro priore parte tituli.*

subiectionem ad aliquem Prælatum talis religionis; nam Generalis religionis, etiamsi perpetuus sit, votum obedientiæ retinet, & tamen nulli Prælato regulari subest. item quia Summus Pontifex, est summus Prælatus cuiuscunque religionis, & substantia voti obedientiæ sufficienter saluatur respectu cuiuscunque Prælati religionis, cuiuscunque gradus vel conditionis sit. Sic ergo sufficienter probatur hoc non repugnare substantiæ huius voti; quod autem ex vi dignitatis Episcopalis illa exemptio sequatur, probatur primo ex vsu Ecclesiæ; secundo ex dicto cap. *statutum.* 18. q. 1. ibi, *Monachus, quem canonica electio à iugo regulæ monasticæ professionis absoluit, & sacra ordinatio de monacho Episcopum facit*; nam hoc maximè de iugo obedientiæ ad Prælatos religionis verum est, & dicitur esse à regula, quia obedientia esse debet secundum regulam, vt statim amplius exponemus. Tertio, quia hæc vota non manent in his quæ repugnant statui Episcopi, vt sæpe dictum est; repugnat autem Episcopum, qui suæ Ecclesiæ curam gerere debet, & omnes actiones suas in illius vtilitatem cõsecrare, subesse obedientiæ suæ religionis. Quæ ratio probat optimè respectu Episcopi habentis propriam Ecclesiam, & Episcopatum, in quo hæc exemptio ex natura rei consequitur, propter incompatibilitatem inter Episcopale munus & obedientiam regularem.

II. *Episcopi etiam titulares hac assertione comprehenduntur.*

In Ecclesia autem obseruatur, vt religiosus, eo ipso quod consecratur Episcopus, licet reuera non habeat proprium Episcopatũ, sit liber ab obedientia omnium Prælatorum suæ religionis; de illis ergo alia est ratio, scilicet, quia non decet dignitatem Episcopalis consecrationis, vt talis persona maneat subdita inferioribus Prælatis regularibus, quo sensu talis exemptio fundanda est in Ecclesiæ institutione, quæ ex traditione satis nobis constat; sola enim ratio decentiæ congruentiam ostendit, non tamen per se sufficit obligationem promissæ obedientiæ tollere. Accedit tandem, quod nullus consecratur Episcopus, nisi sub titulo alicuius Ecclesiæ, ratione cuius habet ius illam regendi, quod per se satis est, vt ex vi talis status liberari debeat à priuata obligatione religionis; nam quod actu non possideat suam Ecclesiam, accidentarium est. Vnde ex vi etiam talis consecrationis definit religiosus esse actuale membrum in sua religione, quia per se, & ex vi suæ dignitatis factus est caput alicuius Ecclesiæ; ergo eadem ratione liberatur à iugo obedientiæ religionis.

III. Hinc vero facilè concluditur vltima pars assertionis; in qua primo probanda est pars negatiua, scilicet, quod huiusmodi Episcopus alteri quam Romano Pontifici, ex vi huius voti, non subsit. Contingere enim potest, vt huiusmodi Episcopus subordinationem aliquam habeat saltem in aliquibus rebus ad Archiepiscopum, vel ad Patriarcham, aut Primatem; nulli autem eorum subesse potest, eo quod regularis est, seu ratione voti obedientiæ. Ratio est, quia ipse non promisit obedientiam nisi Prælatis suæ religionis, inter quos non computantur vllo modo Archiepiscopus, vel alij Superiores extra Summum Pontificem; ergo ex vi illius voti non obligatur obedire illis, etiam in his quæ ipsi possunt præcipere per Ecclesiasticam iurisdictionem, sed obligabitur tantum ratione illius, eo modo quo alij Episcopi sæculares obligantur. Item hac ratione non tenetur Episcopus regularis obedire ex voto Concilio Prouinciali præcipienti, sicut nec seruare alia iura, vel leges Ecclesiasticas, quia hoc specialiter non promisit, licet aliunde ratione officij, vel alijs titulis ea seruare teneatur.

IV. Hinc ergo rectè concluditur teneri ex speciali vinculo religionis obedire Summo Pontifici, tum à sufficienti partium enumeratione, tum etiam, quia Pontifex est verè Prælatus religionis, & semper manet illi Superior, & obedientia ad illum non repugnat, imo maximè congruit cum statu Episcopali. Aduerti autem potest, quod sicut votum obedientiæ religiosæ non est illimitatum, sed secundũ regulam, ita Episcopus regularis non tenetur ex vi sui voti obedire in omnibus Summo Pontifici, sed in his tantum quę directè, vel indirectè ad suam regulam pertinent; quia votum obedientiæ mutatũ non est in se, sed tantum vsus eius quoad respectum ad hunc, vel illum Prælatum. Fieri tamen potest, vt suppositio statu Episcopali, aliquid indirectè pertineat ad obseruantiam regulæ in tali persona, quod in alijs non pertinet, sicut intra eandem religionem in eo qui habet munus Prælati Procuratoris, vel aliud simile, aliquid pertinere potest ad obseruantiam regulæ, quod in alijs non habentibus tale munus non pertinet. Et hac ratione existimo quidquid in tali persona potest esse moraliter necessarium, suppositio tali statu, vel ad spiritualem animæ salutem, vel ad perfectionem secundum regulam, esse materiam huius obligationis, si ex viillius voti præcipiatur, quia indirectè, & reductiuè sub illo continetur.

V. *Dubium circa declarationem de Episcopis regularibus.*

Occurrit vero hoc loco circa exclusiuam positam incidens dubium de Episcopo titulari, & regulari, qui intra diœcesim alterius Episcopi habitat, cuius iurisdictioni ordinariæ videtur subiectus, an teneatur ex vi voti obedientiæ eidem obedire, nam videtur tunc perinde se habere ac religiosus à sua religione separatus omnino, quoad habitationem & subiectionem, de quo diximus supra cap. 6. manere subiectum obedientiæ Episcopi. Dicendum vero est, etiam hunc Episcopum regularẽ soli Pontifici debere obedientiam religiosam. Et inprimis si talis Episcopus antea erat professus in religione exempta, euidens est non manere subiectum Episcopo loci, quia ante consecrationem erat exemptus ab eius obedientia, & per consecrationem, neque exemptionem amisit, nec denuo factus est illi subiectus. Quin potius licet ponamus antea non fuisse de religione exempta, ex vi consecrationis eximeretur à iugo Episcopi, sub ea ratione, qua Prælatus est talis religionis, cui ex voto alij regulares fortasse obedire tenentur. Nam sicut quilibet religiosus exemptus, per Episcopatum eximitur ab obedientia omnium Prælatorum religionis, præter Pontificem; ita etiam non exemptus, quia eadem est vtriusque ratio; ergo licet Episcopus loci sit vnus ex Prælatis talis religionis, ab illius etiam obedientia eximitur. Quin potius existimo huiusmodi Episcopos titulares iure ordinario, esse immediatè subiectos Summo Pontifici, quoad Ecclesiasticam iurisdictionem, de qua re alibi dicendum est. Hinc etiam obiter intelligitur, cui acquirat regularis Episcopus titularis, quia non habet Ecclesiam cui acquirat, & certum est non acquirere religioni, à qua separatus est. Dicendum est enim per se, & ex vi iuris acquirere illi Ecclesiæ, cuius titulum habet, quia vero non possunt illi cum effectu applicari talia bona, in pia opera dispensanda sunt, quæ dispensatio ipsi Episcopo est commissa, dependenter autem à Summo Pontifice, modo explicato in superiori puncto.

An Episcopus regularis teneatur ad obseruantiam regulæ, vel constitutionum suæ religionis.

VI. *Tenetur ad ea quæ pertinent ad obseruantiam regulæ.*

Ad secundam partem Tituli dicendum est, Episcopum regularem per se, & directè non teneri ad obseruationem regulæ, vel cõstitutionum religionis, nisi quoad ea quæ sunt materia alicuius voti, vel

vel quæ per aliquam Ecclesiasticam legem scripta sunt. Contrarium huius assertionis sentiunt multi Summistæ vt Angelus, verb. Monachus. n. 7. Armil. n. 8. Tabiena §. 5. Sylvest. *Religio.* 6. q. 10. & *Religio.* 7. q. 11. qui dicunt teneri ad obseruandas eas obseruantias regulæ, quæ non impediunt Episcopale munus; cui sententiæ multum certè fauet D. Thom. dict. artic. 8. Sed assertio posita communior est, vt statim referemus, & fine illa limitatione habetur in dicto c. *statutum.* in illis verbis, *Quem Canonica electio à iugo regulæ monasticæ professionis absoluit*, vbi Glossa id aduertit. Ratione declaratur, distinguendo omnes leges religionis in illa duo membra, constitutiones, & regulas, quæ supra lib. 1. c. 1. declarata sunt. Primò ergo quoad constitutiones ratio est clara, quia illæ non obligant, nisi vt præcepta Prælatorum, vel Capitulorum religionis; sed talis Episcopus non tenetur obedire Prælatis; ergo nec huiusmodi legibus; par enim est ratio præcepti scripti, seu legis permanentis, & præcepti ab homine impositi, si ex æquali iurisdictione procedunt; imo præcepta ab homine rigorosiùs obligare solent, quia vt Iuristæ dicunt, mitiùs agitur cum lege, quam cum homine. De regula vero potest esse nonnullum maius dubium, quia licut esse solet à primis fundatoribus tradita, ita substantialis professio videtur directè respicere obseruantiam eius. Nihilominus, idem de illa censeo præcisè loquendo, ex vi regulæ; ita colligitur ex dicto c. *statuimus*: 18. q. 1. ibi, *Quem Canonica electio à iugo regulæ monasticæ professionis absoluit*, vbi Gloss. id est, à ieiuniis, vigiliis, &c. idem habet Gloss. in dicto c. 3. 16. q. 1. citans cap. 2. eiusdem quæstionis. vbi Gregorius ait: *Nemo potest & Ecclesiasticis obsequiis deseruire, & in monarchica regula ordinate persistere, vt ipse monasterii districtionem teneat, qui quotidie in ministerio Ecclesiæ est coactus per manere.* Ex quibus verbis congruentia huius exemptionis colligitur. item sentit Glossa in can. *carnem.* de consecrat. d. 5. Et idem planè tenent Sot. & Caiet. infra citandi. Ratio autem est, quia illa regula solum obligat, tanquam quædam lex huic cõmunitati imposita; ergo solum obligat personas huius communitatis, quandiu sunt membra illius, quia omnis lex pro communitate per se primò fertur, & ita ad eos tantum loquitur, qui sunt partes illius communitatis: sed religiosus eo ipso quod fit Episcopus, desinit esse membrum talis communitatis, quia nec est subditus, nec Prælatus eius: ergo non obligatur legibus eius. ergo, nec regula eius. Confirmatur; nam ob hanc causam non tenetur huiusmodi Episcopus seruare consuetudines proprias suæ religionis; nam consuetudo est quædam lex non scripta, quæ seruanda est quandiu viuitur inter eos, qui talem consuetudinem seruant, vt Augustinus dixit; ergo eadem est ratio de omnib. aliis legibus positiuis propriis talis communitatis, inter quas regula connumeratur.

Probatur tamen primo quoad immunitatem à constitutionib.

Probatur secundo quoad immunitatem à regula.

Confirm.

VII. *Prima obiectio contra hanc assert.*

Sed contra, quia multa esse possunt in regula, quę seruari optimè possunt in statu Episcopali; ergo ad illa seruanda tenebitur talis Episcopus; patet consequentia, quia iuxta doctrinam D. Th. quam supra etiam secuti sumus, licet obseruantiæ religiosæ, quę impediunt Episcopale munus, cessent in eo statu, non tamen illæ, quæ cum illo statu optimè conueniunt. Cur enim cessabit prior obligatio, cum nullum ei ponatur impedimentum? Respondetur, doctrinam illam procedere de his obseruantiis, quæ sunt de substantia status religiosi, vel directè, aut indirectè, seu implicitè sub votum cadunt, & ideo hanc exceptionem primo loco in assertione posuimus. Ratio autem differentię est, primò, quia status religiosus, quoad substantiam est immutabilis, quoad accidentalia vero mutari potest: per transitum autem ad Episcopatum fit in eo maxima mutatio accidentalis. Secundò, quia obligatio voti est personalis, & ideo sequitur personam quocumque tendat; obligatio autem legis, est communitatis per se primò, & ideo cessat per separationem à communitate.

Hæc obiectio concludit de obseruantiis substantialibus, non de accidentalibus.

VIII. *Inter obseruantias substantiales censentur vota, si quæ fiunt vltra tria ordinaria Exemplum de Voto Mimorum Item de votis aliis professorum Societatis.*

Vnde fit, exceptionẽ illam extendendam esse ad vota specialia, quæ in aliqua religione fiunt, præter tria substantialia, si talia sint, quæ statui Episcopali non repugnent. Vt v. g. si religiosus ex ordine Minimorum Episcopus fiat, tenebitur ad obseruantiam, non comedendi carnes, quia illa non est tantum ex regula, sed ex proprio, & speciali voto, cessabit autẽ illa obligatio, quando speciali conditione personæ illa abstinentia impedimentum fuerit ad Pontificalia munera. Similiter in Societate, si professus fiat Episcopus, tenebitur seruare votum speciale, quod pro tali statu emittit, de quo nullum potest esse dubium, vt infra videbimus tract. 10. li. 6. c. 19. & idem cẽseo de cæteris votis simplicibus, quatenus materia eorũ in tali statu occurrere potest, quia omnia illa perpetua sunt, & supposita occasione, seu materia, executio, & obseruatio eius nihil repugnat cum statu Episcopali. De voto autem solenni obediendi Pontifici circa missiones, potest esse specialis ratio excusationis, quia videtur repugnare cum obligatione inseruiendi proprio Episcopatui. Dico tamẽ, obligationem de se manere, quia votum immutabile est. Vnde in primis, si quis esset tantum Episcopus consecratus, & Titularis, ex vi illius voti posset obligari ad quamcunq; missionem æque ac cæteri religiosi; Deinde licet habeat Episcopatum, potest ex vi illius voti obligari ad relinquendum illum, vt in Indiam v. g. mitti possit, vel ad alium Episcopatũ illuc transferri. Deniq; cum impedimentum illud subsit dispositioni eiusdem Pontificis, cui ipsum votum fit, non potest censeri impedimentum ad non obediendum Pontifici, iuxta obligationem illius voti præcipienti; nam ipse poterit impedimentum huiusmodi auferre, solum ergo necessarium est de re tota illum certiorem facere, & postea obedire.

Quid de quarto voto solenni.

IX. *Obiectio contra eamdem assert.*

Sed obiicitur secundò, nam sequitur non teneri Episcopum regularem ad deferendum habitũ suæ religionis, consequens est falsum; ergo. Probatur sequela, quia deferre habitum non est materia voti, sed tantum est vna ex constitutionibus religionis, nec etiam est canon aliquis Ecclesiasticus, qui Episcopum regularem obliget ad habitum suæ religionis deferendum. Circa hoc communis sentẽtia est, teneri huiusmodi Episcopum ad deferendum habitum suæ religionis; ita affirmat D. Th. dict. ar. 8 quę ibi alij sequuntur, Sylvest. verb. *Religio* 7. q. 11. Couar. c. 1. de testa. n. 18. vbi alios Authores refert. Et colligitur ex cap. *clerici.* 2. de vita, & honest. cleric. vbi dicitur. *Pontifices autem in publico, & in Ecclesiæ superindumentis lineis omnes vtantur, nisi monachi fuerint quos oportet ferre habitum monachalem.* Vnde constat hanc obligationem non tantum ex regula, sed ex iure communi desumptam esse, & ideo addidimus aliam limitationem in cõclusione; nam si de aliqua obseruantia religiosa per ius canonicum declaratum sit ab Episcopis esse obseruandam, tunc respectu illorum, non oritur obligatio immediatè ex regula, sed ex tali iure. Imo significat D. Th. hanc obligationem sequi ex substãtiali statu religioso, cum n. dixisset, Episcopum manere ad hæc substantialia obligatũ, subdit, *& per consequens ad portandum habitum suæ religionis, qui est obligationis signum, indicans professionem tum perpetuo obligare ad signum eius deferendum*, sicut ad præstandum actus ad quos obligat. Vnde licet verbum *oportet*, positum in dicto cap. *clerici.* non sit adeo rigorosum, vt grauem obligationẽ sub mortali soleat significare, tamen iuxta subiectam materiam, ita interpretandum est, & intelligitur ab authoribus, vt patet ex Panorm. ibi n. 6. Et hoc tandem confirmat generalis Ecclesiæ cõsuetudo; nam quod Soto supra

Episcopus regularis tenetur ad habitum religionis.

dixit

dixit in Italia hoc non seruari, quia Itali non dignantur Episcopos in habitu monachali videre, non video quo fundamento dictum sit.

X. *Imo putant aliqui teneri sub excommunicatione.*

Imo addit Sylvester supra, hanc obligationem tantam esse, vt Episcopus, si habitum suæ religionis omittat, incurrat excommunicationem latam in cap. 2. *ne clerici vel monachi* in 6. Couarr. autem de hac excommunicatione dubitat. *Non enim est* (inquit) *in aliquo canone excommunicatio indicta monacho, qui praetextu Episcopalis dignitatis non dimisso habitu monachorum assumit albam illam, vel candidam vestem, quae ab Episcopo exterius defertur, tametsi male faciet monachus Episcopus ea vti.* Veruntamen Couar. non contradicit formaliter Sylvestro, sed aliquid addit, & vtrumq; indiget consideratione. Duo ergo hic distinguenda sunt, scilicet dimittere habitum; vel illo retento, superinduere rochetum. Propter hoc ergo secundum ait Couar. non inueniri in iure positam excommunicationem, quod ego verum censeo, quamuis inter Doctores dubium sit, an occultare habitum religiosum sufficiat ad excommunicationem dicti ca. 2. incurrendam; in eo autem casu occultaretur habitus religiosus.

XI. *Id tamen non est verum, si occultat habitum sub sotheto.*

Nihilominus quidquid sit de alia occultatione, in hoc casu non censeo esse sufficientem causam illius excommunicationis, quia est nimia extensio legis pœnalis vltra verborum proprietatem. Eo vel maximè, quod non obstante indumento albo, posset retineri aliquod signum habitus religiosi, siue habitum longiorem deferendo, vel in colore, & forma caputij, aut manicarum. Sylvester autem loquitur in priori casu, in quo etiam, non videtur res adeo certa, tum quia illud caput 2. apertè loquitur de religiosis in suo puro statu, & clausura manentibus; quod patet ex principio textus, *Vt periculosa religiosis euagandi materia subtrahatur, &c.* quæ non possunt ad Episcopum accommodari, tum etiam, quia illa nō videtur temeraria dimissio habitus, cum sit commutatio in alium habitum proprium Episcopalis status. Sed cum Ecclesia non concesserit regularibus Episcopis habitum illum, nec monachalis habitus desertionem, certè non posset illa commutatio à temeritate excusari; aliunde verò, quanuis ratio textus non videatur tam propriè habere locum in Episcopo, verba tamen in rigore illum comprehendunt, & ideo timendam esse censeo talem excommunicationem, præsertim, quia monachalis habitus etiam in Episcopo deseruire potest ad subtrahendum saltem euagandi nimium excessum.

XII. *Quando habitus mutatio licet.*

Dices, in cap. *Deus qui.* de vita & honestat. cleric. conceditur religiosis, vt possint habitum mutare propter vniformitatem vnius conuersationis, quādo in vnam Ecclesiam conueniunt, quia vnusquisque se debet conformare illis cum quibus viuit. ca. *quisque.* dist. 41. cap. *in nona.* 16. q. 7. Ergo cum monachus fit Episcopus, permitti deberet monachalem habitum in clericalem mutare, cum inter clericos viuere debeat. Respondetur, id solum permitti, quando ex dispari habitu scandalum generatur; iam vero nullum generatur scandalum eo eo, quod Monachus Episcopus suum habitum retineat, quin potius oppositum subditis scandalum inferret.

XIII. *Tertia obiectio contra eandem assertionem in num. 6.*

Tertiò obiici potest, quia sequitur Episcopum regularem nihil peccare omittendo ieiunia, & ficmilia opera præcepta in sua regula, etiam sub mortali, quamuis possit facile, & commode in suo statu illa seruare, consequens est falsum; ergo. Sequela patet, quia si *ille* non est *subiectus* legi, nihil peccat non seruando illam; Minor autem probatur ex D. Th. dicente, posse Episcopum vti dispensatione in huiusmodi obseruantijs regularibus, quæ non repugnant Episcopatui. Qui autem indiget dispensatione, peccat, si absque illa transgrediatur legem, imo oportet dispensationem esse rationabilem, & ideo addit D. Thom. *Secundum quod requirit necessitas personæ, vel officii, vel conditio hominum cum quibus venit;* loquitur ergo de propria dispensatione, quæ veram obligationem supponit. Confirmari hoc potest ex cap. 3. 16. q. 1. vbi dicitur, *De monachis quidem morantes in monasterijs, si postea ad clericatus ordinem peruenerint, statuimus non debere eos à priori proposito discedere, seu deuiare,* satis autem discedit à priori proposito, qui regulam non obseruat, quando in illo statu commode potest.

XIV. *Responsio ad hanc obiectionem.*

Propter hæc Caiet. in Comment. dict. artic. 8. & tom. 1. opusculorum tractat. 25. q. 2. & Sot. lib. 10 de iustitia q. 5. artic. vlt. & alij Thomistæ communiter concedunt; teneri huiusmodi Episcopum in conscientia, ad seruandas regulas, vel constitutiones sui ordinis obligantes ad culpam. Addunt vero, non obligari debito legali, sed morali, id est, non ex directa obligatione talis legis, verum enim esse putat, quod hactenus diximus, eos non manere subiectos his legibus. Sed ex rectitudine quadam rationis naturalis, quia ex ascensu ad perfectiorem statum, non debet religiosus deficere à fructu prioris vitæ; deficeret autem si ea quæ per se conferunt ad perfectionem, & Episcopale munus non impediunt, desereret. Vnde vlterius addunt iidem Authores, hanc obligationem in Episcopo in suo genere, non esse mortalem. Itaque, licet lex religionis de ieiunio v.g. obliget religiosos sub mortali, eum qui factus est Episcopus non ita obligabit, sed tantum sub veniali; ratio eorum est, quia illa obligatio in Episcopo non est ex virtute illius legis, sed ex illa morali decentia, qua tenetur non desistere ab operibus perfectionis, qui perfectionis statum conscendit; hæc autem decentia solum levem obligationem inducit. De legib. autem seu constitutionibus religionis, quæ tantum pœnales sunt, indicant dicti Authores nullo modo obligare Episcopum, cùm ad pœnam religionis ipse non teneatur.

XV.

Hæc sententia mihi non probatur, secluso enim obligatione regulæ, in vi regulæ, aut legis nullam inuenio naturalem rationem, quæ sufficienter obliget ad eosdem actus regulæ sub aliqua culpa. Primò, quia illa ratio Caietani, ad summum probat, debere Episcopum exerceri in actibus perfectionis, *& hoc pertinere ad decentiam* sui status. Quod autem *illi actus iidem futuri sint, qui per regulam* suæ religionis perscribuntur sub obligatione ad aliquam culpam, non potest inferri ex illo generali principio; nam existens in statu perfectionis, non potest omnes actus perfectionis exercere; determinatio ergo ad hos, vel illos voluntaria est, secluso lege obligante: ergo cum Episcopus non teneatur legibus suæ religionis, esto debeat ex decentia occupari in operibus perfectionis, nihilominus non obligatur determinatè ad perscripta per talem regulam. Secundò, status ipse Episcopalis secum affert proprios actus perfectionis, quos ex intrinseca obligatione postulat, vt sunt, docere & illuminare alios, spiritualiter regere, & omnes eorum miserias, quoad fieri possit, subleuare, ad quos actus alij necessarij sunt, qui consequenter sub eandem obligationem cadunt, quantum ad alios fuerint necessarij: scilicet orare, legere, vigilare, &c. ergo si Episcopus etiam religiosus suo muneri, quoad omnes istos actus satisfaciat, sufficienter implet illam rationem decentiæ exercendi opera perfectionis suo statui consentanea. Ergo si alioqui paupertatem etiam, castitatem, & obedientiam *perfectè obseruet*, & omnia, quæ cum illis connexa sint, vel ex absoluta necessitate, vel ex decentia, per hoc satisfaciet etiam decentiæ *religiosæ*, etiamsi alias particulares obseruantias non obseruet, quia non pertinet ad decentiam superioris status, vt o-neremus illum, & proprijs obligationibus, & alijs perti-

pertinentibus ad inferiorem statum, non tantùm substantialiter, & per se, sed etiam accidentaliter. Et huc tendunt verba sup. cit. in num. 6. ex cap. 2. 96. q. 1. quod est Gregorij li. 4. Epistolarum, quamuis ipse ibi non tractet de religioso translato ad Ecclesiam sæcularem, sed potius de clerico sæculari, qui vult regimen monasterij assumere. Tamen per similitudinem rationis verba illa nostro proposito accommodantur.

XVI. *Ad obiectionem in n. 13. vera respons.*

Respondeo ergo ad obiectionem, concedendo non teneri Episcopum in conscientia etiam sub veniali culpa, per se loquendo, ad observantias suæ regulæ. Hoc mihi probant sufficienter omnia adducta; nam Canones, & Glossa illorum, ac Interpretes simpliciter absoluunt Episcopum regularem à iugo regulæ, & nulla sufficiens ratio naturalis est, quæ illum obliget, vt declaratum est. Solùm ergo ad hoc tenetur, vt iuxta integrum statum suum, scilicet religiosi Episcopi, decenter viuat, & consentaneè operetur; quod autem huiusmodi opera sint hæc vel illa, nisi lege aliqua Ecclesiastica vel diuina sint præscripta, vel ex voto vel ex officio sint debita, liberè optioni, & determinationi operantis relinquitur. Quapropter si Episcopus Dominicanus fit, non magis tenetur in conscientia ad abstinendum à carnibus, quam Franciscanus, vel è conuerso, Franciscanus non magis tenetur ad suas peculiares observantias, quam Dominicanus. Neuter etiam tenetur ad habendum socium sui ordinis, & similia. De quibus etiam Caiet. & Soto inter se non conueniunt. Et ob eandem causam nihil quoad hoc distinguendum puto, inter opera dissona, vel consona statui Episcopali, sed in omnibus censeo prudenti arbitrio relinquendum, an talia opera expediant, vel deceant, aut magis conueniant in tali statu, & post tale iudicium libera etiam est electio eorum, & non sub obligatione ad aliquam culpam, nisi aliquod indecens opus, vel inutile otium, loco talium operum admittatur. Non nego tamen esse aliquam congruitatem, vt cæteris paribus vnusquisque potius eligat opera suæ religioni, & regulæ conformia quam alia, cæteris paribus: non credo autem illam esse tantam, vt per se inducat obligationem in conscientia, quia nullum est principium ex quo sufficienter colligatur, seclusa directa obligatione ipsarum constitutionum positiuarum.

XVII. *Regula dilatatur explicatur.*

Dices, teneri saltem ex illo principio, *quod turpis est pars, quæ non concordat toti.* Respondeo, primum etiam ex hoc principio non teneri omnes partes ad seruandas omnes leges communitatis, sed vnamquamque teneri ad illas, quæ ad ipsam spectant. vnde si leges aliunde habeant, non obligare in conscientia, sed tantum ad pœnam, ex illo principio non erit culpa illas non seruare; sic ergo non obligatur Episcopus ad seruanda statuta religionis propter illud principium, quia non cadunt in illum, neque eorum observantia postulat tantam vniformitatem in membris adeò disparibus, & statuum diuersorum. Vnde secundò dicitur Episcopum in rigore iam non esse membrum illius communitatis, & ideo ex hoc titulo conformitatis cum illa non obligari ad observantias eius. Nec propterea licet inde colligere, illum non manere religiosum talis religionis in specie potiusquam alterius, quia in substantialibus, & in habitu semper manet religiosus in tali specie, & quoad vinculum præcipuè obedientiæ, semper manet ita ligatus habitualiter, vt si à Pontifice priuetur munere, & exemptione Episcopali, manebit subiectus suæ religioni; & non alteri. Hoc ergo satis est, vt statutum religiosum eiusdem rationis retineat, quamuis subiectus actu non sit, nec Prælatis, nec legibus talis religionis.

XVIII. *Illatum ex dictis per quod satisfit ad D Th. in illo nu. 13.*

Atque ex his infero, huiusmodi Episcopum non indigere propria dispensatione ad comedendum carnes prohibitas. v. g. per præceptum regulæ, & idem est de similibus, quia dispensatio solum est ad tollendam obligationem, vbi ergo non est obligatio, nec dispensatio necessaria est. Cum ergo D. Thom. nu. 13. citatus ait posse secum dispensare, vel indicat se sequi priorem sententiam, quæ probabilis est, licet quam defendimus, in rigore iuris videatur vera; vel certè in lata quadam significatione illo verbo vsus est, vt indicaret melius esse, magisque consulendum cuilibet Episcopo religioso, vt regulam suæ religionis quoad hanc partem obseruet. Et ideo noluit licentiam præbere ad oppositum faciendum nisi per modum dispensationis, quia vir religiosus, & perfectus, ea quæ meliora, & suo statui conuenientiora sunt, etiamsi sub obligationem non cadant, absque iusta causa prætermittere non debet, & ideo quando sub hac tantum consideratione sibi indulget, aliquid huiusmodi secum dispensare dicitur. Nec ex cap. *de monachis*, seu 3. 16. quæst. 5. aliud colligitur, quia in eo non est sermo de Episcopis, nec etiam necesse est textum illum intelligere de monachis translatis ad Ecclesiam sæcularem, sed de quocunque monacho clerico ordinato; olim enim monachi ex vi status non ordinabantur, quamuis ergo interdum ex indulgentia ordinarentur, non propterea liberabantur à regulari obedientia, & obseruantia. Vel denique licet extendamus textum illum ad monachum translatum ad Episcopatum, respondetur cum Glossa ibi, non posse deficere à suo proposito, quoad substantialia sui status, & quamuis alias regulas non obseruet, non potest dici propriè deuiare à proposito, quia vbi cessat obligatio, non habet locum deuiatio à proposito.

XIX. *Quid de obseruantia sexta feria in quam incidit Natalitium Christi.*

Solum superest specialis difficultas, an hoc generale corollarium habeat locum in speciali casu cap. vltimi de obseruatione ieiuniorum: de die natiuitatis, quando incidit in sextam feriam, an possit religiosus Episcopus, sine dispensatione comedere carnes illa die, quando ex regula suæ religionis erat prohibitum. Caiet. enim in hoc puncto contraria docuit. nam in 2. 2. dict. art. 8. dicit non posse hoc facere sine peccato mortali, quia non gaudet beneficio, seu indulgentia concessa omnibus fidelibus: nam in illo capite, excluduntur ab illa omnes religiosi, quorum instituta obligant ad abstinendum à carnibus, seu ad ieiunandum sexta feria, & ideo præceptum Ecclesiæ abstinendi à carnibus sextæ feriæ, rigorosè obligat huiusmodi Episcopum. Idem verò Caiet. in citato opusculo negat illud esse peccatum mortale, & ait Sot. Caietanum ibi cordatius mutasse sententiam, quod ipsemet Caiet. significauit in vltimis verbis illius opusculi dicens: *Tu lector memento scripta nostra, de huius quæstionis materia in commentariis super 2. 2. ad hæc referre subtilius discussa.* Itaque dicendum est, vbi abstinentia à carnibus, vel ieiunium, solum est ex regula, vel præcepto eius, & non ex speciali voto; Episcopum posse licitè eo die carnes comedere, quia iam ipse regulari obseruantia non est astrictus, & textus solum excipit eos qui aut voto, aut regulari obseruantia sunt astricti. vnde Carthusianus si fiat Episcopus, licitè poterit carnes comedere eo die; religiosus autem de ordine Minimorum etiam factus Episcopus, non poterit, quia specialiori voto obligatur, quod semper durat.

Eam ipse tractat verius.

CAPVT XVIII.

An Episcopus regularis gaudeat gratiis suæ religionis. Et quæ obligationes maneant in religioso facto Cardinali.

I. *Pro priore parte tituli arguitur negatiuè.*

DVo in titulo posita supersunt breuiter inquirenda circa hanc materiam. Primum est, an religiosus factus Episcopus gaudeat priuilegijs, & indulgentijs, concessis suæ religioni. Ex dictis enim videtur sequi pars negatiua, quia Episcopus iam non tenetur oneribus religionis; ergo nec priuilegiis & commodis gaudere debet. item hæc priuilegia conceduntur intuitu religionis, sed Episcopus iam non est membrum illius religionis; ergo nec communicat cum ipsa in priuilegiis, & gratiis. Propter hæc quidam absolutè, & sine vlla limitatione excluduntEpiscopum regularem à participatione omnium gratiarum suæ religionis: nam cessante causa fundamentali priuilegij, cessat priuilegium, vt in materia de legibus tractauimus, & notat Glossa in cap. *Ita nos.* 25. q. 2. verbo *Cessauerint.* Decius in cap. *cum accessissent.* de constitutionibus. n. 15.

Arguitur affirmatiuè.

Sed ex eodem fundamento potest contrarium suaderi, quia priuilegia conceduntur in fauorem status religiosi, qui non tantum est in toto corpore mystico religionis, sed etiam in singulis personis eius; sed hic status verè manet in Episcopo, non solum in genere, sed etiam in tali specie, vt ostensum est ca. præced. ergo in illo non cessauit causa & fundamentum priuilegij, aut indulgentiæ; ergo nec gratia ipsa cessauit, quia non est specialiter reuocata, vt supponimus, nec sublatum est fundamentum vt per se ipsa cesset.

II. *Decisio per distinctionem.*

Quapropter distinctione mihi vtendum videtur, nam aut gratiæ & priuilegia concernunt corpus religionis, vt sic, & fauorem eius, quoad iurisdictionem, administrationem temporalium bonorum, & alia huiusmodi, aut respiciunt singulas personas. De prioribus non videtur dubium, quin Episcopus illis gaudere non possit, vt conuincit prior ratio facta; talia enim priuilegia non fundantur in toto statu religioso personali, sed in vinculo, & coniunctione ad hoc corpus, cui per se primò conceduntur, & ad illius vsum, & commodum ordinantur. De posterioribus autem iterum distinguendum est, quia vel vsus talium gratiarum aut priuilegiorum ab Episcopo vsurpatus, esset onerosus ipsi religioni, vel non. Quando priuilegium concedit gratiam, qua persona religiosa gaudere potest in commodum suæ animæ, vel corporis, sine onere, vel grauamine suæ religionis, profectò non cessat propter statum Episcopalem. Sicut enim diximus obligationes, & vincula substantialia religionis, quæ non repugnant muneri Episcopali in ipso, seu cum ipso durare, ita etiam ratio postulat, vt gratiæ, & indulgentiæ status religiosi, quibus potest Episcopus frui sine incommodo suæ religionis, in ipso etiam perseuerent, & ita omnes rationes pro vtraque parte propositæ, hanc assertionem persuadent, quia verisimile est solum religiosum statum quoad substantiam eius esse sufficiens fundamentum, & causam talium gratiarum, & quoad eas retorquetur optimè illa ratio, quod qui retinet religionis onus, debet etiam retinere fauores eius.

III.

At verò, si vsus talium gratiarum redundet in onus religionis, aut monasterij, admittendus non est, quia semper censetur huiusmodi fauor principaliter concessus in fauorem religionis. Et quoad hoc procedit quædam declaratio Sixti IV. quæ refertur in monumentis Minorum fol. apud me 149. concess. 365. quæ sic habet; *Ne ex habilitationibus ad beneficia, cum facultate, quod etiam post illa obtenta, in domibus dictiordinu residere, cameras habere in illis, & in generalibus capitulis fratrum eorundem Prædicatorum, & Minorum ordinum vocem activam, & passivam habere, ac priuilegiis fauoribus, gratiis, & indultis concessis ipsorum ordinum professoribus gaudere possint, præfatis ordinibus, & illorum professoribus grauamen inferatur: eisdem motu, & authoritate decernimus, huiusmodi habilitationis literas intelligi, & interpretari debere, vt fratres ipsi quibus concessa sunt, vel concedentur in posterum per Sedem Apostolicam, postquam aliquod beneficium adepti fuerint pacifice, aut pro Capellanis in aliquibus Ecclesijs cœperint deseruire, concessionibus prædictis, prout vocem activam & passivam, residentiam in domibus dictorum ordinum, ac retentionem dictarum domorum, camerarum, & alia, quæ ordinum præfatorum sunt concernentia, de eorum ordinum Prælatorum consensu, dumtaxat gaudere possint, & non alias, nec alio modo. Idem statuentes de promotis ad cathedrales, etiam titularis appellatas Ecclesias, & alias dignitatis Ecclesiasticæ.* In quo indulto expendo Pontificem non absolutè excludere hos Episcopos à participatione gratiarum, sed cum duplici limitatione; vna est, si illa sit cum onere religionis, quæ significatur in illis verbis, *prout vocem activam, &c.* vsque ad illa, *quæ ordinum præfatorum sunt concernentia.* Alia est, vt illa non sit sine consensu Prælatorum; vnde colligitur, de consensu Prælatorum etiam posse frui his gratiis concernentibus aliquo modo religionem ipsam, & consequenter ad fruendum aliis gratiis, quæ corpori religionis nihil obstant, Prælatorum consensum necessarium non esse.

IV. *Dubium secundum.*

Aliud dubium est, an omnia, quæ diximus de Episcopis, eodem modo locum habeant, in Cardinalibus religiosis, etiamsi Episcopi non sint. Ad quod breuiter dicitur, eodem modo omnia accommodanda esse, quia religiosus Cardinalis verè *Quod secundum.* religiosus manet. eadem. n. est de illo ratio, vel certè maior, quia ex vi illius dignitatis non ita constituitur in statu perfectionis, sicut Episcopus. Quare vinculum paupertatis retinet, & incapax est proprij dominij, & ideo sine dispensatione testari non potest, vt rectè dixit Baldus, in Authentica *Ikentiam.* de Episcopis, & Clericis. Vide Martinum Laudensem in tract. de Cardinalibus. q. 58. & 59. & Andream Barbatiam de præstantia Cardinalium 1. p. q. 3. & Hieronymum Manfredum de Cardinalibus, q. 133. Vnde quidquid acquirit post talem dignitatem, Ecclesiæ suæ videtur acquirere, semper enim habet alicuius particularis Ecclesiæ titulum, & regimen: Alias acquiret Ecclesiæ Romanæ seu Apostolicæ sedi. Quod verò ad obedientiam attinet, *Quoad hoc* clarum est soli Pontifici immediatè subesse, retinet *alterum.* tamen idem obedientiæ vinculum. De obligatione *Quantum* verò ad alias obseruantias regulæ eadem ratio ex- *ad alia.* emptionis est, quia iuxta institutionem Ecclesiæ *suus ipse* per illam dignitatem æquè separatur quis à corpore religionis atque Episcopus. Habitum tamen de- *Quoad ha-* ferre debet, ita enim obseruat Ecclesiæ vsus, & fa- *bitum.* uent iura supra citata. Solus religiosus factus Summus Pontifex hac obligatione liberatur. Quamuis *Exitur* substantiam status religiosi non amittat, vt in supe- *ad Papat.* rioribus tractando de obedientiæ voto tactum est.

CAPVT XIX.

Vtrum Religiosus professus possit ad beneficium, vel dignitatem inferiorem Episcopali transire? & quo iure tunc obligetur?

I. *Prima opinio.*

SVppono in primis religiosum ex vi professionis factæ non esse incapacem Ecclesiastici beneficij, etiam curam animarum annexam habentis. Sunt *Secunda opinio.* qui-

Professioni religiosa ex se non repugnare beneficium Ecclesiastic.

quidem multa antiqua decreta prohibentia, ne monachi clericorum officia populis celebrare, aut ministrare præsumant, quæ congerit Gratianus 16. q.1. veruntamen illa decreta loquuntur primò secundum antiquam consuetudinem monachorum qui laici erant, & ex vi suæ professionis clerici non erant, neque ad hunc finem instituebantur. Deinde non omnino excludunt monachos ab hoc ministerio, tamquam inhabiles, vel ad ordines, vel ad beneficia, aut ministeria Ecclesiastica, sed prohibẽtur, ne suo arbitrio & vsurpato iure his ministeriis se ingerant, nec sine debita superiorum facultate ad illa assumantur. Nunc autem solum asserimus professionem religiosam per se, & vi sua non reddere personam incapacem Ecclesiastici beneficij, quod declaratur, in hunc modum; nam duo sunt in beneficio Ecclesiastico distinguenda, primum est spirituale ius ad tale ministerium, quod ius interdum etiam includit iurisdictionem Ecclesiasticam, vel in administratione verbi Dei, & Sacramentorum, vel etiam fori contentiosi. Secũdum est temporale commodum, quod ratione officij habet beneficium. Quantum ad primũ, constat religiosum non esse incapacem illius iuris, quia non repugnat cum aliquo voto substantiali religionis. De castitate constat; de paupertate probatur ex dictis supra de materia illius voti, quia per illud non excluduntur, nisi iura & bona temporalia quoad proprietatem, & proprietarium vsum: ministeria autem, & officia præsertim spiritualia, non excluduntur per illud votum, etiam quoad proprietatem, & possessionem eorum, vt ibi declarauimus, huiusmodi autem sunt beneficia Ecclesiastica quoad hanc partem. Quoad alteram vero de temporalibus bonis, non est de ratione beneficij, vt eorum proprietas acquiritur habenti beneficium, sed satis est quod ad illud pertineat administratio, vsus & dispensatio talium bonorum. imò multi existimant beneficiarios sæculares non plus habere; ergo ex vi paupertatis religiosus non est incapax beneficij. Neque etiam ex vi voti obedientiæ, quia in obtinendo beneficio seruari potest obedientia, vt statim declarabimus. Denique quoad hoc eadem ferè est ratio de Episcopali beneficio, & de quacunque Superiori dignitate.

Probatur quantum ad ius spirituale ministerium.

Item quoad commoda fructuum temporalium.

II.

Nullida suppositio nec iuri canonico id repugnare.

Secundò supponendum est, etiam ex iure Canonico non esse religiosum incapacem Ecclesiastici beneficij inferioris Episcopatu, etiam habentis annexam animarum curam; vt hoc ostendamus supponenda est vulgaris distinctio beneficij, quoddam est sæculare, aliud regulare, quæ sumitur ex cap. *cum singula*; & cap. *cum de beneficio.* de præbend. in 6. & ex Doctoribus communiter eisdem locis. Sæculare dicitur, quod clericis sæcularibus dari solet, ex debito, seu institutione, aut legitima consuetudine. Regulare autem vocatur, quod alicui religioni, vel monasterio addictum est, vel ex institutione, vel ex præscripta consuetudine quadraginta annorum, iuxta citata iura. Et vtrumque beneficium multiplex est, vt videre licet in Rebuffo in practica p.1. à principio, & de sæcularibus beneficiis Deo dante alibi dicturi sumus; hic enim necessaria non est distinctio, quia generatim de omnibus agimus. Circa regularia autem beneficia aduertendum est, sub illis interdum numerari prælationes ipsiusmet religionis, vt Abbatia conuentualis, vel Prioratus, & in vniuersum omnia munera eorum regularium, qui alijs religiosis præficiuntur. Imò ipsemet monachatus, vel simplex munus Canonici regularis, solet interdum beneficium simplex appellari, vt videre licet in Rebuffo supra. Quidquid verò sit de hoc modo loquendi, hic non agimus de beneficiis in hoc sensu, quia manifestum est in hoc sensu omnes veros religiosos habere ius ex se perpetuum, vt à sua religione alantur, cui ipsi etiam inseruire & obedire tenentur, certum est etiam religiosum ex vi suæ professionis esse capacem prælationis præfecturæ, vel administrationis eiusdem religionis, seu personarum, & bonorum eius, quod satis constat ex dictis supra lib. 2. à cap. 7. de Prælatis, & eorum electionibus. Loquimur ergo de beneficiis regularibus in alio sensu videlicet de his, quæ sunt propria beneficia eiusdem rationis quoad substantiam cum sæcularibus; solumque dicuntur regularia, quia pleno iure ad monachos, seu regulares pertinent, & per eos administrantur.

Beneficiorum genera varia.

Quæ benefic. ita regularia hinc non fiant.

III.

Ostenditur iam prædicta 2. suppositio.

Ex his ergo constat, religiosum non esse incapacem beneficij etiam secundum ius Canonicum, quia quantum ad beneficia regularia ipsum ius illa permittit, vel concedit; ergo supponit per regulares administrari posse, & debere. nam commune axioma iuris est, beneficia regularia regularibus conferenda esse; sæcularia vero sæcularibus. De sæculari autem beneficio probatur, quia licet iura prohibeant monachum non assumi ad tale beneficium, sine debita facultate, & legitimo titulo, seu prouisione illius qui potestatem habeat, non tamen absolutè prohibent, nec reddunt regulares personas inhabiles ad talia beneficia. Primò ergo videndum est de beneficiis regularibus; & de omnibus quæ ad illa pertinent, & deinde de sæcularibus.

IV.

Prima assertio, posse regulares habere beneficium regulare sui ordinis.

Primò ergo dicendum est, regularem posse habere beneficium regulare sui ordinis, vel monasterij, non verò alterius, nisi ex speciali dispensatione. Vtraque pars est certa, & communis, vt videre licet in Rebuffo in practica. p. 1. tit. vltimo, qui est de translatione monachorum, & p. 2. titulo de dispensatione cum regularibus facta, & ex Nauar. Comment. 4. de regularibus. num. 23. Sylvest. verb. *Religio.* 6. & Panormitan. in cap. *Deus qui.* de vita & honestate cleric. & cap. *quod Dei timorem.* de statu monachorum. & sumitur ex cap. *cum singula.* §. *prohibemus.* de præbend. in 6. In quo prior pars supponitur potius, quam asseratur; nam officia, & beneficia consueta administrari per monachos alicuius monasterij, illis non solum possunt, sed etiam debent conferri. Vnde si talia beneficia pleno iure sint tali monasterio subiecta, per solam voluntatem Prælati regularis, potest religiosus ad tale beneficium transferri, vt Panormitan. & Sylvest. notant, & colligi potest, ex cap. *dilectos.* & cap. *si monachus.* cum sequentibus. 16. quæst. 1. & ratio est, quia tunc prouisio beneficij omnino pertinet ad Prælatum monasterij; hac enim ratione dicitur pleno iure ad monasterium pertinere, sub Prælato autem Capitulum monasterij comprehendimus, si iuxta monasterij statutum, vel consuetudinem ad illud pertineat prouisio. Persona etiam est plenè subiecta Prælato monasterij: ergo non ab Episcopo, sed ab illius voluntate pendet, quoad prouisionem, seu receptionem talis beneficij.

Hæc beneficia conferuntur solum à prælatis regul.

V.

Subdi tenentur illa acceptare.

Vnde addit Nauar. suprà non solùm posse, sed etiam teneri ad acceptandum tale beneficium, si Prælatus præcipiat, quia illud præceptum iustum est, & non excedit latitudinem obedientiæ religiosæ, quia gubernatio beneficiorum monasterij valde pertinet ad vtilitatem, & regimen eiusdem monasterij, argumento cap. *quorundam.* de electione in 6. ibi, *extra administrationes proprii ordinis solium prælaturæ conscendere moliuntur*; ergo comprehenditur illa administratio, vel susceptio beneficij, sub materia obedientiæ illius monasterij. Quapropter meritò etiam hoc extendit Nauar. ad beneficium tenue, & paucos redditus habens, quia obedientia religiosa, non fundatur in pro-

pria authoritate, aut commodo temporali, sed in obsequio religionis. Ait tamen Nauarrus, si beneficium sit tam tenue, vt religiosus non possit ex illo sustentari, non posse obligari, ad relinquendum monasterium, vt in tali beneficio resideat, non obstante Clementina 1. §. *Caterum.* de electione, quia nemo potest cogi ministrare sine sufficientibus saltem alimentis; debet ergo tunc monasterium alere religiosum in alia Ecclesia residentem, vt ad hoc possit eum obligare. Quod videtur etiam intelligendum, nisi religiosus mendicitatem professus sit, & iuxta suum institutum ad mendicandum posset obligari.

Quid si non sufficeret ad alendum religiosum.

VI. De huiusmodi autem religioso in tali beneficio prouiso, dubitari potest, an teneatur ad omnem obseruantiam regularem. Nam, quod verè maneat religiosus, & teneatur substantialia vincula religionis seruare, & habitum deferre, non est dubium; & à fortiori patet ex dictis ca. 17. de Episcopo regulari. Hic verò addendum est, hunc religiosum manere obnoxium regulæ, quantum extra monasterium, & in priuata domo seruari potest; vt à fortiori patet ex dictis supra cap. 7. de religioso viuente extra claustrum cum licentia, vel dispensatione legitima. Ratio vero est, quia talis religiosus verè manet sub obedientia sui Prælati, & adhuc est membrum suæ religionis; ergo obligatur regula religionis eodem modo quo antea, solumque excusabitur ab his obseruantijs, quæ vel in tali habitatione, à communitate separata, impleri non possunt, vel tale munus impediunt.

Ad quas obseruantias teneatur.

Cuinam acquirat beneficiarius regularis habens beneficium suæ religioni pleno iure subiectum:

VII. Duæ verò supersunt difficultates, vna est circa paupertatem cui scilicet acquirat talis religiosus; an scilicet Religioni, vel suæ Ecclesiæ; nam cum aliis nulla potest fieri rationabilis comparatio, nec cum ipsomet religioso; nam certum est sibi non acquirere quoad proprietatem. Ratio ergo dubij est, quia in aliis beneficiis religiosus acquirit Ecclesiæ suæ, vt statim dicemus; ergo etiam in his quæ subsunt suæ religioni seu monasterio. Probatur consequentia, quia iura generaliter loquuntur, & quia ratio est eadem, quia omnis beneficiarius efficitur sponsus Ecclesiæ suæ, illi ergo acquirit. In contrarium vero est, quia talis religiosus manet sub obedientia sui Prælati, & eodem modo totus est monasterij sicut antea erat; ergo & acquirit monasterio sicut antea, vt in vsu paupertatis omnino subordinatur voluntati Prælati, & consequenter illi acquirit, cui ipse vult, ergo acquirit monasterio. Quæ ratio minimè procedit, quando beneficium pleno iure subiectum est monasterio, & præsertim si sit ad nutum auferibile. Et confirmari potest, quia quando Ecclesia, & beneficium sunt ita subiecta pleno iure monasterio, vt beneficium sit auferibile ad nutum Prælati, tota vtilitas, totusve vsus fructus beneficij directè pertinet ad bona monasterij; ergo beneficiarius solùm potest sibi retinere, quæ, vel sibi consignata fuerint, vel ad Ecclesiæ obsequium debitum necessaria fuerint; ergo quidquid vltra hoc acquirit religiosus ex beneficio, ad monasterium pertinet. Quod si aliunde quam ex beneficio acquirat, manet in eo integra ratio acquirendi monasterio, neque sub ea ratione spectatur tanquam minister seu sponsus talis Ecclesiæ. vnde si paupertatis votum non haberet, clarum est non acquirere talia bona Ecclesiæ, sed sibi. Votum autem paupertatis non confert ius aliquod propriæ Ecclesiæ, quandiu integra manet vnio in propria religione, & subordinatio ad obedientiam eius.

Arguitur beneficiarium regularem acquirere fructus ipsi Ecclesiæ.

Arguitur acquirere potius monasterio.

Confirm.

Hæ rationes videntur aliquam probabilitatem efficere, & fortasse propter eas, quando Authores dicunt monachum translatum ad aliam Ecclesiam, non acquirere monasterio, sed Ecclesiæ, loqui solent cum hac limitatione, si Ecclesia non sit pleno iure monasterio subiecta, vt infrà videbimus. Nihilominus distinguendum videtur, de bonis acquisitis à tali religioso intuitu ipsius Ecclesiæ, vel aliunde. De prioribus dicendum est acquirere Ecclesiæ suæ, & non monasterio. ita sentit Bartolus in leg. *si seruus communis.* 37. ff. de stipulatione seruorum. num 6. vbi item sequitur additio ad illum. idem tenet Nauar. comment. 2. de regularibus. num. 6. vers. *Octauo.* & probatur ratione priori loco facta. Et quia eadem est proportio beneficij perpetui respectu totius temporis, & beneficij temporalis respectu temporis pro quo durat, semper enim beneficium & fructus eius debent in commodum Ecclesiæ redundare. Quod optimè confirmat Nauar. ex Clement. vnica. de supplenda negligentia Prælatorum, vbi prohibentur Prælati regulares, ne huiusmodi beneficia applicent mensis suis, pensionesve nouas imponant, aut veteres augeant. & infra declarat hoc habere locum in beneficiis, *quæ speciales Priores, administratores, seu Rectores consueuerunt habere, licet Priores, seu administratores huiusmodi libere possint ad claustrum cum oportuerit reuocari.* Et infra statuit, vt huiusmodi Prælati bona talium beneficiorum vacantium occupare non possint. In quibus omnibus planè supponit Pontifex quæsita ex fructibus beneficij non pertinere ad monasterium, alias cur non posset Prælatus pensionem imponere, imo & reseruare sibi aut suo monasterio omnia, quæ ipsi beneficiario in suo munere necessaria non essent. Dicet aliquis, ibi non prohiberi pensionem imponi pro monasteriis, sed pro mensis Prælatorum. Respondetur, pro eodem reputari Prælatum, & monasterium, tanquam caput, & corpus; vtriusque enim ius vnum, & indiuisum est, ex vsfructus religiosi, nam Prælatus monasterij non habet veluti proprium ius ad fructus, vel reditus monasterij, sed solum ratione communitatis. Vnde intelligitur, quod supra in quadam confirmatione nu. 7. sumebatur, in huiusmodi beneficiis fructus eorum directè pertinere ad monasterium: non esse in vniuersum verum.

Aduertitur aliquem fructus a beneficio quæsitos acquirere sibi.

De pensionibus.

VIII. Possunt quidem aliquando beneficia esse sic vnita monasteriis ex speciali gratia Pontificum, & tunc non habet in eis locum decisio illius Clementinæ; nam in ea expressè declaratur illam intelligi *de beneficiis, quæ non sunt de mensa Prælatorum ipsorum.* Quod idem est de beneficiis, quæ non sunt ipsorum monasteriorum. Vnde illa nec censentur vacare propter mortem beneficiarij, iuxta capitul. vnicum. vers. *quidam etiam.* de excessibus Prælat. in 6. semper enim monasterium viuit, cuius sunt tales fructus. Et ideo mirum non est, quod beneficiarius tunc acquirat monasterio; non enim ipse propriè acquirit, sed dat monasterio, quod suum est, ex speciali vnione, vel applicatione alias ei facta. Possunt autem esse alia beneficia etiam manualia, seu quod idem est, ad nutum auferibilia, & pleno iure ad monasterium seu Prælatum eius pertinentia, quorum reditus non sint applicati monasterio, nec mensæ Abbatiali, vt manifestè supponitur in dicta Clementina, & de his tractatur præsens quæstio, an ratione personæ religiosæ, & subditæ tali monasterio, acquiratur aliquid eidem monasterio, de fructib. seu bonis, quæ intuitu beneficij, & talis Ecclesiæ acquirit beneficiarius. In his ergo beneficiis non

Exceptio aliquorum beneficiorum, quæ non sunt de mensa Prælatorum.

non procedit dicta ratio, & ideo dicimus non acquirere monasterio, sed Ecclesiæ. Neque quoad hoc obstat, quod talis persona subsit obedientiæ monasterij, quia hæc obedientia debetur secundum regulam, & secundum iura monasterij: ditare autem monasterium ex bonis Ecclesiæ, non pertinet ad obedientiam, secundum regulam, neque ad ius monasterij, & ideo non sequitur ex dicta subiectione. Vnde sicut religiosus pro tempore quo residet in tali Ecclesia, tenetur ei inseruire, nec potest obligari ad aliquid incompossibile illi ministerio, nisi à beneficio reuocetur, ita pro eodem tempore, non potest obligari, vt ex bonis, vel fructibus Ecclesiæ acquirat monasterio.

Quid sit argumento pro posteriore parte dubii inn. 7.

X. *An possit dictus beneficiarius dare aliquid monasterio suo.*

Sed quæres, an saltem possit licitè ipse beneficiarius de fructibus sui beneficij partem aliquam voluntariè monasterio tribuere. Respondetur, ipsum non esse dominum sed dispensatorem, habere tamen liberam administrationem illorum bonorum, id est, independentem à voluntate sui Prælati regularis, quia quoad hanc partem, non est illi subiectus, vt declaratum est. Nihilominus tamen ex natura rei, & ex vi sui muneris, tenetur debitum ordinem seruare in dispensandis bonis suo vsui non necessarijs, nam prouidere in primis debet Ecclesiæ suæ, deinde pauperibus sibi subiectis, sed eiusdem Ecclesiæ. Si quid vero postea superfuerit, iustè, & religiosè potest, dum viuit, suo monasterio ea donare, quia est opus religionis, & misericordiæ, nulloque iure inuenitur prohibitum. Testari autem in morte religioso non permittitur, vt supra dictum est, nisi ex speciali priuilegio. Vnde si talis religiosus peculium habeat ex huiusmodi bonis vsq; ad mortem, (pro vt habere potest, nisi speciali regula prohibeatur) in eis succedet Ecclesia, & non monasterium.

de testari.

XI. *Quid fiet de peculio, si veniens reuocatur ad monasterium.*

Sed quid, si talis religiosus reuocetur ad monasterium, & amoueatur à beneficio, poteritne secum deferre suum peculium, & omnia bona mobilia, & se mouentia, quæ in illo habebat. Respondeo, posse quidem illa si velit Ecclesiæ relinquere, vel successori, vel in pauperes distribuere, quia, donec recedat, liberam administrationem illorum habet. Ob eandem vero rationem censeo etiam posse illa secum deferre; tum quia administratio secundum se ad hoc extenditur; tum etiam quia talia bona iam erant eius vsibus applicata. Existimo tamen eo ipso, quod persona iterum redit ad monasterium cum talibus bonis, incorporari bona illa bonis monasterij, quia in primis talis religiosus iam non potest habere liberam administrationem talium bonorum, quia hoc repugnat religiosæ vitæ, cum iam illa persona sit omnino actu subiecta Prælato religionis; ad illum ergo iam spectat talium bonorum administratio. Vnde eo ipso, quod religiosus secum defert talia bona ad monasteriū, quantum est ex se, illa applicat, & Prælatus illa permittendo consequenter acceptat, & ideo ex tunc incipit dominium talium bonorum esse apud monasterium.

XII. *Quid sentiat Bartolus circa quandā priorem partem dubii quoad fructus aliunde quam ex Ecclesia quæsitos.*

De bonis vero aliunde acquisitis à tali beneficiario, quocunque modo, est maior difficultas, quia Bartolus supra dicit, quoad talia bona non acquirere Ecclesiæ suæ, sed monasterio, cuius opinionem videntur multum suadere rationes prius factæ in num. 7. & in num. 8. præsertim cum nullum sit ius, quod talia bona applicet monasterio. Nam capitul. *statutum.* 18. quæst. 1. & loquitur de Episcopo, & licet extendatur ad inferiora beneficia, merito requiri potest, vt cum Episcopatu conueniant in perpetuitate, & consequenter in vi eximendi religiosum à iugo regulæ, quia alias non est similitudo rationis; & ideo neque extensio locum habet. Declaratur assumptum, nam quando religiosus liberatur à iugo regulæ totaliter (vt sic dicam) disiungitur à corpore suæ religionis, & vnitur suæ Ecclesiæ, & ideo merito illi tantum acquirit. Quando autem non liberatur à iugo obedientiæ, & regulæ, adhuc manet coniunctus suæ religioni, & actu subiectus illi, in omnibus, quæ non repugnant ministerio Ecclesiæ; ergo etiam in his bonis, quæ non comparat intuitu Ecclesiæ, sed aliunde, non acquirit Ecclesiæ, sed monasterio cuius est membrum. Est enim illa persona quasi diuisa; nam partim est monasterij, partim Ecclesiæ, ita tamen, vt quoad omnia quæ per se non pertinent ad ius Ecclesiæ, sit monasterij; quoad acquisitionem autem talium bonorum per se non pertinet ad Ecclesiam, cuius signum optimum est supra tactum cap. 16. num. 25. quia si illa persona esset sui iuris, nullo modo talia bona pertinerent ad Ecclesiam, ergo cum sit iuris monasterij, vt sic dicam, illi potius acquirit talia bona, quam Ecclesiæ. Vnde confirmatur tandem, quia antea monasterium habebat hoc ius ratione talis personæ, & non amisit illud propter tale beneficium, quia per illud non fuit persona translata simpliciter, sed tantum secundum quid, vt declaratum est. Neque etiam potest aliud colligi ex dicta Clementina, quidquid Nauar. dicat, quia illa solum disponit de beneficio, & de immunitate eius, (vt ita dicam) non vero de persona, nec de omnibus bonis, quæ quacunq; via possunt ad illam peruenire.

XIII. Nihilominus Nauarrus supra dicto Comment. 2. de regularibus num. 6. tenet, huiusmodi religiosum beneficiarium acquirere suæ Ecclesiæ, quocumque titulo vel ratione aliquid acquirat, qui videtur maximè fundari in dicta Clementina. nam ad Bartolum postea respondet, vel non vidisse illam Clementinam, vel non satis eam ponderasse. Sed, vt dixi, nullum argumentum efficax ab illa sumi potest; quæ enim consequutio est à fructibus beneficij ad bona, quæ, vel iure hæreditario, vel libera donatione, aut alio simili modo acquiruntur? Citat deinde Panormitanum in cap. *Monachi.* de statu regular. & in cap. vltimo, de capellis monachorum, sed in neutro loco aliquid dicit ad hanc quæstionem pertinens; sed potius ait religiosum promotum ad beneficium perpetuum, non habere amplius communionem cum primo monasterio; eum vero, qui tantum habet beneficium naturale, non esse separatum à monasterio, neque extra obedientiam Prælati: de acquisitione vero bonorum nihil dicit. Deinde argumentatur Nauarrus ex quadam doctrina Frederici Senens. cons. 35. num. 74. dicentis, occiso beneficiario manuali, pœnam homicidæ applicandam esse Ecclesiæ, & non priori monasterio, quia pro tunc est verus beneficiarius talis Ecclesiæ, & secundum illum statum iudicandus est, vt ibi latius prosequitur, adductis varijs coniecturis, ex quibus fit quidem probabile illud assumptum, non tamen certum, nec sufficiens ad confirmandam rem multo magis dubiam. Præsertim, quia est longè diuersa ratio, illa enim pœna applicatur ratione iniuriæ, & nocumenti; in eo autem casu proximè & principaliter nocumentum, & iniuria fit Ecclesiæ, quæ, vt sic dicam, actu possidet talem personam, & ideo ad illam maximè pertinet ius acquirendi illam pœnā, quamuis fortasse prudenti arbitrio iudicis etiam esset pars aliqua monasterio applicanda. At vero quando acquisitio non fit ratione iniuriæ, neque titulo ipsius Ecclesiæ, nullum apparet fundamentum sufficiens, ob quod Ecclesia habeat ius ad bona talis personæ aliunde acquisita.

XIV. Addit tamen Nauarrus rationem aliam, quam censet efficacem, quia bona acquisita ex fructibus beneficij manualis, & ex opera ipsius monachi, non debentur monasterio; ergo nec bona aliunde acquisita; probat consequentiam; nam si religiosus acquireret monasterio, multo magis acquireret ex re ipsius monasterij, quam ex re aliena; sed fructus & opera monachi, sunt quodammodo ipsius monasterij cuius est monachus; ergo, si per illa non acquirit monasterio, multo minus aliunde. Verumtamen neque hæc ratio videtur efficax. In antecedente autem duo inuoluuntur, vnum est de fructibus, & quoad illam partem admittitur facile, & negatur consequentia; nam quoad eam partem falsum est, quod in probatione eius sumitur, scilicet, Monachum acquirendo ex illis fructibus acquirere ex re monasterij; nam illi fructus nullo modo sunt monasterij, neque immediatè, vt per se constat, nec mediatè ratione personæ, quia ostensum est eum non acquirere monasterio talia bona, sed Ecclesiæ. Vnde tales fructus non possunt dici bona monachi, sed Ecclesiæ, quamuis administratio, & vsus illorum commissa sint beneficiario monacho.

XV. Altera vero pars antecedentis erat de acquisitis per opera monachi, & quoad hoc dubito de veritate illius antecedentis vniuersaliter sumpti; nam licet illud sit verum, de operibus pertinentibus ad ministerium Ecclesiæ, aut beneficij, quando ratione illorum aliquid per modum stipendij, vel eleemosynæ datur; hæc enim omnia, lato quodam modo possunt in fructibus beneficij computari: de alijs verò operibus merè personalibus, seu temporalibus, quæ omnino sunt extra obligationem, vel titulum beneficij, non videtur illud antecedens adeò certum, quia monachus non exercet illa opera, vt beneficiarius talis Ecclesiæ, sed vt homo, vel vt monachus, ergo non est, cui per talia opera acquirat Ecclesiæ, & non potius monasterio, cum secluso respectu beneficiarij, semper illa persona, & consequenter actiones eius sint monasterij. Nihilominus Bartolus in leg. *sed & si.* 30. §. *interdum.* ff. de vsufructu. sentit huiusmodi monachum per opera sua acquirere Ecclesiæ. nam si emat (inquit) rem aliquam, & soluat illam pecunia acquisita de opera sua, res illa Ecclesiæ acquiritur; & rationem reddit, quia illa Ecclesia cui est præpositus, debet habere vsumfructum personæ suæ. Verum est illum non loqui in particulari, quando beneficium est manuale; loquitur tamen indifferenter de monacho alicui Ecclesiæ deputato. Et ratio quam reddit, generalis videtur. Vnde quoad hanc partem probabile est, quidquid talis monachus acquirit per opera sua, acquirere suæ Ecclesiæ, quia protunc, quoad vsum, seu ministerium deputatus est illi Ecclesiæ, & consequenter omnes actiones eius illi sunt consecratæ; ergo & fructus earum.

XVI. Sed licet hoc admittamus, non sequitur idem esse dicendum de quocunque alio modo acquirendi, ratione suæ personæ præcisè per hæreditariam successionem, vel per aliam donationem, ac denique recipiendo potius, quam agendo, quia persona illa non est omnino translata, vt sic dicam, in dominium talis Ecclesiæ, etiam pro illo tempore, sed solum quoad ministerium, & quasi vsumfructum actionum, non vero quoad reliqua omnia, quæ ad talem pers. nam pertinere possunt, cum illa semper maneat actu subiecta, & vnita monasterio. Neque tunc verum est quod Nauarrus supponit, monachum acquirendo Ecclesiæ per sua opera, acquirere illi ex re aliena, seu ex re mo[illegible] non enim ita est; nam illa opera iam non sunt monasterij, sed Ecclesiæ, quæ licet persona quoad proprietatem sit monasterij, quoad possessionem, & vsum, seu vsumfructum protunc est Ecclesiæ. Sic enim seruus alicuius alteri ad vsum & seruitium tantum pro aliquo tempore donetur, acquiret vsuario per operas suas, quia pro illo tempore illæ operæ non sunt proprietarij domini, sed proximi professoris, seu vsuarij. Et simili modo non censeo verum, monachum illum acquirendo monasterio per hæreditariam successionem, vel similem modum, acquirere ex alieno: nam licet acquirat id quod erat alienum, non tamen ex alieno, sed ex re maximè propria, qualis est propria persona, vel natiuitas, aut origo, ratione cuius habet ius succedendi, vel alia personalis conditio, ratione cuius sine intuitu actionum, vel Ecclesiæ, aliquid ei donatur. Vnde non rectè applicatur illud axioma, *qui potest alteri acquirere ex re aliena, magis potest ex re sua.* Possumus ergo retorquere rationem Nauarri, quia multo maior ratio est acquirendi monasterio ea bona, quæ præcisè intuitu personæ acquiruntur, quam alia, quæ respiciunt opera, vel fructus Ecclesiæ: nam persona secundum se manet semper sub potestate, & quasi sub dominio monasterij, licet quoad opera sit protunc applicata Ecclesiæ.

Ex his ergo videtur sententia Bartoli fieri satis XVII. probabilis. Et sanè cum ex vi professionis, & actualis subiectionis ad Prælatum monasterij. per se constet de iure religionis ad bona pertinentia ad religiosum, quamdiu non constet certa aliqua ratione, aut lege monasterium esse priuatum illo iure, seu ius illud translatum esse in Ecclesiam, non est facilè proferenda sententia contra monasterium, præsertim, cum in dubijs melior sit conditio possidentis. Accedit etiam, quod beneficia manualia non simpliciter, sed secundum quid beneficia censentur, quia beneficium debet esse perpetuum, vt notat gloss. in cap. vnico de capellis monachorum. in 6. verb. *perpetuo.* ex text. ibi, & ex cap. *præcipio.* d. 55. & in cap. *Sanctorum.* d. 70. & ideo licèt inter regulares propter eorum peculiarem statum hęc manualia beneficia admittantur, non oportet in eis habere locum omnia, quæ ex perpetuis beneficiis consequuntur, cum in eis non fiat absoluta & integra personæ translatio. Atque ex hac sententia consequenter dicendum videtur, non posse religiosum beneficiarium ad nutum amouibilem retinere hæc bona aliunde, quàm ex suis operibus, vel fructibus acquisita, vel quoad naturalem possessionem, vel quoad vsum, vsumfructum, vel administrationem, nisi quantum ei fuerit à suo Prælato permissum; nam illa bona statim acquiruntur monasterio. ergo ratione beneficij non acquirit monachus speciale ius administrandi illa, quia cum non sint bona suæ Ecclesiæ, beneficium non confert administrationem illorum: ergo pertinet ad Prælatum monasterij, cui etiam ipse monachus subditus est: ergo sine licentia illius non potest detinere aut contrectare talia bona. Quod secus dicendum esset consequenter loquendo iuxta opinionem Nauarri, vt ex superioribus constat.

An beneficiarius regularis habens beneficium suæ religionis pleno iure subiectum, Prælatis suis obedire teneatur, vt alii simplices religiosi.

Secunda difficultas est circa obedientiam hu- XVIII. ius religiosi, an se extendat ad omnia, in quibus *Religiosus* alij simplices religiosi obedire tenentur. Sed hoc *beneficia-* expe-

Vtri subditur regula in qua ambo tenentur cum cura beneficij.

expeditum ferè est ex dictis; cum proportione enim applicãda est regula suprà posita in dubio præced. de paupertate. Nam in his quę pertinent ad statum religiosum, & ad obseruationem propriæ regulæ, & cum munere, & occupatione beneficij non repugnent, tenetur hic religiosus fauere Prælato suo, quia non est disiunctus omnino à corpore monasterij, vt ostensum est, & ideo manet sub obediẽtia Prælati; ergo maximè in his rebus, quæ non repugnant beneficio, & in illis omnibus, quia non est maior ratio de quibusdam, quàm de aliis. Specialiter verò circa hoc disponitur in iure, vt talis religiosus habeat secum socium sui ordinis, vt constat ex cap. *mona h.* & cap. *quod Dei timo em.* de statu monachorum. & Clement. 1. §. *ad hæc.* de statu monach. quibus in locis Doctores notant, hoc maximè intelligi de Monachis beneficiariis, qui ad nutum Prælati moueri possunt, vt notat Ioannes Andreas in glossa Clementinæ *ne in agro.* §. *Ad hæc.* de statu regularium, verb. *ad claustrum*, & Panormit. in d. cap. *quod Dei timorem.* de quo plura in sequentibus dicemus. In his verò, quæ fuerint contraria seu repugnantia obligationi beneficij, aut vtilitati Ecclesiæ suæ, non tenebitur talis religiosus parere suo Prælato, quia *nemo potest duobus dominis seruire*, maximè si repugnantia iubeantur. item quia ille ex iustitia tenetur implere munus suum, ergo non potest Prælatus contrariam obligationem imponere, esset enim de re iniqua.

Non verò in alijs, quæ sibi non repugnant.

XVII.

XIX. *Solebatur quoque prælatis quæ pertinent ad bonum huius ii exempti.*

Dubitari autem posset, an habeat Prælatus ius præcipiendi in his quæ spectant ad administrationem beneficij, & non sunt contra vtilitatem, vel finem eius, sed potius illi consentanea arbitrio Prælati. Respondeo, si talis Ecclesia sit exempta omnino à iurisdictione Episcopi, & subiecta Prælato regulari, ea ratione tenebitur beneficiarius monachus illi parere sicut teneretur parere Episcopo, si ordinario iure illi esset Ecclesia subiecta, vt per se manifestum est. Si autem Ecclesia sit subiecta Episcopo, non tenetur monachus parere Prælato in his rebus, quæ pertinent ad regimen, vel administrationem Ecclesiæ, cuius est beneficiarius. Probatur primò, quia in his rebus tenetur parere Episcopo, ergo non proprio Prælato regulari, quia in eadem materia non potest habere duos superiores inter se non subordinatos. Secundò, quia illa non est materia obedientiæ, quia non pertinet ad regulam, neque ad obseruantiam religiosam, & ob hanc posteriorem rationem, etiamsi Prælatus religionis simul sit quasi Episcopus illius Ecclesiæ, non tenebitur monachus beneficiarius illi parere in tali materia, ex vi voti obedientiæ, sed solùm ratione iurisdictionis, sicut teneretur obedire Episcopo.

Non tamen si monasterium sit subiectũ ordinario.

XX. *Dubium bimembre de fuga ob quod reuocationem religiosi à beneficio.*

Tandem dubitari potest, an hic monachus teneatur semper obedire Prælato reuocãti eũ ad monasterium; in quo duo possunt inquiri; Vnum est, an beneficium regulare ex genere suo, & quasi ordinario iure tale sit, vt ad arbitrium Prælati auferri possit. Aliud est, supposito beneficio quod constat esse ad nutum auferibile, quod manuale dicitur, an possit auferri sine vlla causa, solùm ad voluntatem Prælati, ita vt subditus teneatur statim parere. De vtroque dubio possunt videri Ioannes Andreas in cap. *cum singula.* de præbend. in 6. Panormitan. aliique Doctores in c. *monachi.* & in cap. *quod Dei.* de statu monachorum. Ex quibus breuiter dicendum est ad priorem partem, quando Ecclesia est pleno iure subiecta monasterio, regulariter loquendo, beneficium regulare illius esse manuale. ita fumitur ex Panormit. dicto cap. *monachi.* in fine. & ex Rebuff. tracta. de pacificis possess. numer. 279. vbi refert alios. Et probatur, quia monachus per tale beneficium non eximitur ab obedientia sui Abbatis; ergo tenetur illi parere; nam cum non habeat velle nec nolle, non potest reuocationi eius resistere; ergo tale beneficium manuale est. Dices, in hac ratione peti principium, quia hoc est quod inquirimus, an tale beneficium sit manuale. Respondetur non peti, sed ex ipsa conditione status religiosi ostendi, quando Ecclesia est pleno iure subiecta monasterio, etiam monachum beneficiarium eius debere esse plenè subiectum Prælato monasterij. Et confirmatur, quia beneficia regularia ex suo genere, & ratione talis status, non sunt ita firma, & perpetua, sicut beneficia sæcularia, argumento cap. *per tuas.* in fine de Simonia; ergo si alioquin accedat subiectio Ecclesiæ pleno iure, meritò censetur tale beneficium esse manuale. Intelligendum autem hoc est, nisi contrarium aliunde constet, vel ex institutione beneficij, vel ex recepta consuetudine, vel ex priuilegio concesso ipsi Ecclesiæ, vel beneficio; nam si sit tantùm concessum personæ, non mutat naturam beneficij, sed impedit effectum in tali persona, vt statim explicabimus. In illis autem casibus beneficium ipsum erit perpetuum, vt notauit Nauarr. Comment. 2. de regular. numer. 6. quia non repugnat habere hanc conditionem, etiamsi regulare sit, & in Ecclesia pleno iure subiecta; ergo potest illa conditio, vel consuetudine acquiri, vel à principio poni, vel à Pontifice concedi; neque enim illa conditio iniqua est. oportet tamen, vt de aliquo ex prædictis titulis sufficienter constet. Quod ergo dicimus, solùm est, quamdiu oppositum non constat, seu sufficienter probatur, tale beneficium præsumi manuale. Quid autem dicendum sit, quando Ecclesia non est pleno iure subiecta, paulo post videbimus.

XXI.

Hinc ad alteram partem respondetur facilè, teneri monachum obedire Prælato reuocanti illum, quia Prælatus vtitur iure suo, & alter est illi subiectus. Et quidem si Prælatus id faciat ex causa, non solùm validè, sed etiam licitè id facit ex omnium sententia, quia tunc rationabiliter vtitur sua potestate. Causam autem rationabilem esse intelligo, non tantùm culpam aliquam beneficiarij, sed quãcunque vtilitatem, vel commoditatem sufficientem religionis, aut Ecclesiæ, quia hæc mutatio, seu reuocatio non est pœna, neque actus iustitiæ vindicatiuæ, sed prudentis gubernationis, & iurisdictionis, quam Prælatus habet in subditum. Si autem Prælatus reuocet huiusmodi subditum sine causa, quidam dicunt illicitè agere & posse subditum coram maiore Superiore conqueri. ita significat Innocentius in cap. *insinuantes.* qui clerici, vel vouentes. numer. 2. *Si Superior* (inquit) *vellet ex malitia remouere illum à loco, posset suppl. care Superiorem, & Superior eum audire deb. ret ad similitudinem seru.* Expressius Rebuffus referens alios tractatu de pacificis possessionibus. numer. 275. vbi plura de his beneficiis tradit. Ex eisdem tamen Authoribus colligitur, non posse huiusmodi religiosum sua authoritate resistere Superiori reuocanti illum; neque ex solo defectu causæ posse veluti ex iustitia postulare coram superiore Prælato, vt non reuocetur, sed solùm proponere, aut supplicare, vt ait Innocentius. Præterea existimo maiorem Prælatum non teneri, etiam ex prudenti regimine reuocationem impedire, nisi ei constiterit ex malitia fieri, quia secluſa extrinseca deformitate, reuocatio religiosi ad claustrum est valde vtilis, & vicissitudo illa est moraliter necessaria, ad bonum religionis, ne per longam consuetudinem existendi extra claustrum amittat religiosus cõsuetudinem etiam obediendi, & alios religiosos mores. quapropter nisi aliunde constet malitiã interuenire, vel scandalũ generari, aut infamiã, reuocatio illa potiùs sustinenda est à superiori Prælato, quàm cassanda. Denique

consulendam etiam in hoc censeo consuetudinem, nam si vsu receptum sit, vt reuocatio saltem intra aliquod tempus non fiat sine causa, & aliter facta cedat in infamiã religiosi, tunc iniquè ageret Superior, reuocando subditum cum eius infamia, nec superior Prælatus id permittere debet. Vide Nauar. Comment. 2. de regularib. num. 65. versicul. *Ad octauum.*

Quid dicendum de beneficiariis regularibus habentibus beneficia regularia, non tamen suæ religioni pleno iure subiecta.

XXII. *Ad collationem horum beneficiorũ duorum voluntas concurrit.*

Ex his facilè intelligitur quid dicẽdum sit de beneficiis regularibus, quæ non subsunt pleno iure potestati Prælati, vel monasterij; nam quatenus hęc beneficia regularia sunt, possunt conferri religioso, sine dispensatione speciali, quia iam sunt ex propria conditione pro religiosis deputata, vt dixi. Quatenus verò talia beneficia non subsunt pleno iure religioni, dari non possunt religiosis per solam voluntatem Prælati regularis, quia si voluntas eius sufficeret, haberet plenum ius in collatione talis beneficij; si ergo ius plenum non habet, ideo est, quia pendet ab Episcopo, vel alio simili Prælato quoad institutionem, vt notauit Nauar. Duplex ergo voluntas ibi concurrere debet, scilicet Prælati regularis, sine cuius consensu nullus religiosus potest ad aliquod beneficium transire, vt est frequens in iure 16. q. 1. & 18. q. 2. & tomo præcedenti tractando de obedientia latè dictum est; & præterea voluntas Episcopi, cui talis Ecclesia subiecta est. In quo etiam obseruandum est, religiosum tantùm posse transire ad beneficium regulare sui ordinis, iuxta cap. *cum singula.* de præbend. in 6. quia neque prorius Prælatus potest dare subdito licentiam transeundi ad beneficium alterius ordinis, cum non possit monachus locum habere in diuersis monasteriis, nec etiam Episcopus potest beneficia pro tali ordine seu monasterio deputata aliis tradere. Denique licèt monachus possit ad huiusmodi beneficium transire, specialiter tamen & maximè illi prohibetur, ne plura possit habere, vt in dicto cap. *cum singula.*

XXIII. *Sola voluntate prælati non potest religiosus amoueri à tali beneficio.*

Igitur de monacho sic translato longè aliter iudicandum est, quàm de habente beneficium tantũ manuale, quia quando Ecclesia non est pleno iure subiecta religioni, beneficium eius licèt regulare sit, non est manuale sed perpetuum, quia religiosus in illo semel constitutus non potest ad nutum sui Prælati amoueri; sicut enim non potuit per solam voluntatem Prælati prouideri, vt dictum est, ita nec priuari potest. Dices, semper religiosus pendet à voluntate Prælati; vnde potest argumentum retorqueri, quia in principio solus dissensus Prælati impediret receptionem beneficij; ergo etiam postea sufficit ad impediendam retentionem: nam licet plures causæ simul requirantur ad aliquem effectũ, cuiuscumque tamen defectus sufficit ad illius destructionem. Respondetur, consensum Prælati postulari in principio ad receptionem talis beneficij, non vt causam per se illius, sed vt conditionem necessariam, & ideo non immutare naturam talis beneficij, sed potiùs illi accommodari. Est autem natura beneficij vt sit perpetuum, quæ conditio ex speciali ratione mutatur, seu deficit in beneficiis regularibus pleno iure subiectis religioni, quia illa per se debent tantùm ex voluntate Prælati regularis, & aliunde obedientia religiosa postulat illum modum subordinationis. Quando ergo beneficium non ita pendet à Prælato regulari, ex se perpetuum manet, & Prælatus ipse, quando prębet consensum, vt suis subditis de illo prouideatur, consequenter consentit, vt perpetuò tali Ecclesię adscribatur, quia concessio rei facta censetur iuxta illius qualitatem, vt notatur in Clement. vnica de supplenda negligentia Prælatorum, cum Glossa ibi verbo *monasteriorum.* Cedit ergo Prælatus tunc iuri suo, & ideo non potest postea sua voluntate reuocare religiosum, neque ille tenebitur parere, donec iuridicè beneficio priuetur ex legitima causa ab habẽte potestatem.

Atque hinc infertur cum Nauarro dicto Comment. 2. de regular. numer. 6. religiosum translatum ad tale beneficium, durante eo statu manere liberum ab obedientia Prælati, & consequenter etiam à iugo regulæ. argumento cap. vnici 18. q. 2. & omnium, quæ suprà dicta sunt de regulari translato ad Episcopatum, & quæ statim dicemus de translato ad beneficium sæculare, nam quoad hoc æquiparãtur, quia in hoc conueniunt, quòd omnino separãt religiosum à corpore religionis, & perpetuò illum dedicant, & vniunt Ecclesiæ cuius est beneficium. Præterea, ille incipit esse subiectus Episcopo, seu ordinario talis Ecclesiæ, & debet perpetuò sustinere onera talis Ecclesiæ, & illi inseruire, & ideo meritò manet exemptus ab actuali subiectione suæ religionis, & consequenter etiam ab accidentalibus obseruantiis eius. XXIV. *Nō subiacet iurisdictioni ordinarij quoad multa, quæ subiacent Episcopo.*

Vnde etiam fit, vt in his etiam, quæ ad paupertatem pertinent, differat ab habente beneficium manuale, & conueniat potius cum Episcopo. Nam vndecumque acquirat per successionem hæreditariã, vel alio modo, non monasterio sed Ecclesiæ suæ acquirit, ideoque administrationem eorum retinet & vsum, cum subordinatione tamen ad suum Episcopum, in quo solùm differt ab Episcopo regulari. Idemque Nauarrus censet, de regulari cui Papa cõcedit ad vitam suam beneficium regulare, etiamsi illud alias esset ad nutum auferibile, quia licèt per talem concessionem natura beneficij non mutetur, tamen in tali persona accipit perpetuitatem, estque communis sententia Canonistarum vt intelligi potest ex Felino in c. *in nostra.* de rescriptis in fine. Ioanne Andrea, Dominico, & aliis in cap. *cum singula.* de præbendis in 6. Panorm. in c. *porrecta.* de confirmatione vtili, vel inutili, & in c. *nisi essent.* de præbendis n. 12. Quia per confirmationem Papæ censetur religiosus fieri obedientiarius Papæ, & beneficium cẽsetur plenè illi concedi. de quare plura videri possunt in Rebuffo dicto tractatu de pacificis possessoribus. n. 279. & sequentibus. Et hactenus de beneficiis regularibus. XXV. *Quando portio dicitur peculium.*

Quid denique dicendum de beneficiariis regularibus habentibus beneficia sæcularia.

De sæcularibus beneficiis breuius potest res expediri, suppositis his quæ diximus. nam in primis ordinario iure, non potest regularis transire ad beneficium sæculare sine dispensatione Pontificis, etiam de licentia sui Abbatis, quia iuxta generalem regulam iuris, beneficia regularia regularibus, sæcularia sæcularibus danda sunt, argumento cap. *cum singula.* & cap. *cum de beneficio.* de præbend. in 6. & cap. *nullus.* de electione in 6. quibus locis Doctores id notant, & ex natura, seu institutione talium beneficiorum, est per se manifestum. Sumitur denique ex cap. *monachi.* de statu regularium; nam licèt ibi directè solùm prohibeantur monachi, ne singuli per villas vel oppida in Ecclesiis constituantur, tamen consequenter prohibentur habere beneficia sæcularia; quia, si illa habeant, consequenter possunt soli, & sine sociis habitare, vt ibi omnes notant, & ideo illam prohibitionem intelligunt de beneficiis manualibus; vnde in regularibus etiam perpetuis constitui possunt sine dispensatione; in sæcula- XXVI. *Regularis aliquando potest habere beneficium sæculare.* *Papa potest transferre ad sæcul. se cum.*

sæcularibus autem minimè, vt ex Cardinali & aliis notat Rebuffus in practica tit. de dispensatione cum regularibus n. 5. & 6. & 7. Ratio etiam ex parte ipsorum beneficiorum est, quia beneficia illis debent conferri, quibus vel iure, vel consuetudine sunt destinata; Ex parte verò personarum est optima congruentia, quia religiosus status per se non ordinatur ad huiusmodi ministeria clericorum sæcularium propria, & ideo nisi beneficia speciali ratione ad religionem pertineant, non debent monachi se illis immiscere; vnde in cap. *super eo.* de regul. dicitur, *neque amplius in Ecclesiis sæcularibus debent assumi, ne contrà votum quod domino fecerunt, venire probentur.*

XXVII. Multi verò Doctores excipiunt ab hac generali regula beneficia parochialia, vel quæ curam animarum habent annexam, & consequenter regulam solùm procedere in beneficiis simplicibus, præbendis, Canonicatibus, dignitatibus, &c. ita sentit Panormit. in cap. *quod Dei timorem.* de statu regular. numer. 5. & sequentibus, cum gloss. ibi, & glossa in Clement. 1. de electione verbo *sæculari.* idem tenet Hostiensis in dicto cap. *quod Dei timorem.* n. 8. & sequenti, & in summa tit. de statu regular. §. *Vtrum.* Fundamentum est, quia religiosus potest sine dispensatione transire ad Episcopatum propter curam animarum. Contrariam verò sententiam tenet Calder. & multi alij, vt suprà refert Panormit. Quibus non parum fauet per argumentū ab speciali Clem. 1. de electione. ibi, *Per hoc autem, quin religiosos in Episcopum sæcularis, vel cuiuslibet regularis Ecclesiæ licite possit eligi, non intendimus prohibere*; ergo significat superiorē prohibitionem extendi ad omnem Ecclesiam sęcularem, sola Episcopali excepta. In quo etiam est specialis ratio propter perfectionem status Episcopalis: vnde Episcopatus quasi abstulit à beneficio sæculari, & regulari, ideoque non comprehenditur sub regula data. At beneficium curatum communiter est sæculare, & tale esse præsumitur, nisi oppositum probetur, ideoque generalis regula in eo seruanda est, vt regulari dari non possit, sine dispensatione. Quare hæc posterior opinio videtur magis vsu recepta, vt intelligitur ex Rebuffo suprà numer. 7. & ex Quintiliano Mandosio de signatura gratiæ, tit. *dispensatio pro obtinendis beneficiis*, & in ea seruanda sunt priuilegia, & leges singularum religionum.

Suppositā autem translatione legitima religiosi ad beneficium sæculare, quoad paupertatem, idem iudicium de illo est, quod de translato ad Episcopatum, seruata proportione; nam acquirit suæ Ecclesiæ, quocunque titulo acquirat, habet tamen dū viuit, administrationem talium bonorum. Deinde quoad obedientiam liber est à Prælatis religionis, nec potest ad eam reuocari, nec tenetur in suo regimine eis parere, sed Episcopo, nec etiam tenetur habere socium religionis, vt docent glossa, Panorm. & alij Doctores suprà citati in cap. *monachi.* & in cap. *quod Dei timorem.* de statu regula. Dēnique in rigore præcepti & legis, non tenetur seruare particulares obseruantias suæ religionis, licèt ex consilio illas seruare debeat, vt significatur in cap. *quod Dei timorem.* de statu monach. iuncto cap. *volentes.* eodem titulo, & quæ suprà de Episcopo regul. diximus. Nam quoad hoc procedit eadem ratio separationis perpetuæ talis personæ à corpore religionis, ex qua nascitur exemptio ab actuali obedientia, & legibus eius. Hæc autem, quæ diximus, locum habent in propriis beneficiis, nam de pensione longè diuersa ratio est, nam ex vi illius etiamsi per dispensationem Apostolicam habeatur, nō liberatur quis ad obedientia religionis suę, nisi tantùm quoad administrationem talis pensionis, quoad reliqua ergo religiosis obligationibus subiectus manet, & suo monasterio acquirit, vt bene notauit Nauar. Comment. 4. de regular. num. 68. & seq. vbi plures differentias respectu religiosi constituit inter pēsionem, & beneficium, quas extendit etiam ad pensiones perpetuas, quæ præstimonia appellantur, quæ in eo videri possunt: censeo enim principia à nobis posita sufficere, & iuxta ea de illis omnibus esse iudicandum.

XXVIII. *Translatus ad tale beneficium acquiparatur translato ad Episcopat. quoad paupertatem, obedien. &c.*

INDEX

INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI.

De varietate religionum in genere.

Cap. I. *An potuerit, vel debuerit esse in Ecclesia religionum varietas.*

II. *De diuisione vitæ religiosæ in solitariam & cœnobiticam, & vtra sit perfectior.*

III. *An militaris religio sub genere status religiosi propriè comprehendi possit.*

IV. *An militares religiones quæ de facto dantur comprehendantur proprie sub genere status religiosi.*

V. *De diuisione religionis in actiuam, & contemplatiuam.*

VI. *Quæ religio sit perfectior, actiua ne, an contemplatiua, an mixta.*

VII. *De diuisione religionis in clericalem, & monachalem simpliciter.*

VIII. *An recte diuidatur religio monachalis simpliciter, seu prout contradistinguitur à clericali, in monachalem presse, & in mendicantem.*

IX. *Quot sint ordines clericorum Regularium.*

X. *An religiones Monialium à virorum religionibus, atque etiam inter se distinguantur.*

XI. *De receptione, ac nouitiatu Monialium, earumque professione cum ceremonia veli.*

XII. *De obseruantia Monialium tam quoad substantialia vota, quàm quoad subiectionem erga prælat. ac regulam.*

TRACTA-

TRACTATVS NONVS
DE VARIETATE RELIGIONVM, TAM IN GENERE, QVAM IN SPECIE, COMPLECTENS LIBROS DVOS.

LIBER PRIMVS.

De varietate religionum in genere.

Ordo & partitio huius tractatus.



POstquam ea omnia explicuimus, quæ de ſtatu religioſo abſolutè ſpectato conſideranda occurrunt, quoniam propoſitum noſtrum eſt ea omnia in religione Societatis ſpecialiter contemplari, & pro viribus explicare: vt completa doctrina ſit, neceſſe eſt de diſtinctione, & varietate religionum aliqua prǽmittere. Poſſunt autem religiones diſtingui vel per quædam generalia capita, ſeu conditiones, & fines earum, vt religio contemplatiua, vel actiua, &c. vel per ſpecies proprias earum, vt Prædicatorum, Minorum, &c. hoc ergo lib. priorem diuiſionem, in ſequenti verò, poſteriorem explicabimus.

CAPVT I.

Vtrum potuerit, vel debuerit eſſe in Eccleſia religionum varietas.

I. Impugnatio hæreticorum pro parte negatiua.

HÆretici, qui ſummo odio hunc ſtatum proſequuntur, multitudinẽ, ac varietatem religionũ maximè damnant, ac perinde putãt eſſe dicere, hos religioſos eſſe ſancti Dominici, illos ſancti Franciſci, aç dicere, *Ego ſum Pauli, ego autem Apollo.* Quod reprehendit Paul. 1. Corint. 1. & 3. quia hoc eſt ſchiſmata, & diuiſiones in Eccleſiam introducere. vnde videntur contendere, ſalua vnitate fidei, & charitatis, non poſſe hanc multiplicationem admitti. Nã ſicut fides, & charitas vna eſt, & ideo eſſe poteſt vna religio Chriſtiana, ita etiam perfectio charitatis vna eſt: ergo non poſſunt in ordine ad illam religionem multiplari. maximè, quia nos docemus viam conſiliorum eſſe viam ad hanc perfectionem, & cõſilia eadem ſunt reſpectu omniũ, ergo & religio debet eſſe eadem. Tandem concluditur, ſaltem nõ expedire hanc varietatem propter diuiſionem, & incommoda, quæ ex ea naſcũtur. Quod videtur experimẽto poſſe comprobari: nam occaſione huius diuerſitatis multæ contentiones inter varias religiones ortæ ſunt dum aliæ alias præcedere contendũt, vel honore & loco, vel fama, & exiſtimatione apud homines, vel literis, & aliis huiuſmodi bonis. Ex quo etiã fit, vt ſæpè proximorũ fructus propter religioſorum cõtentionem inter ſe impediantur: quæ omnia ceſſarent, ſi omnes idem corpus religionis conficerent. His accedit Diui Baſilij authoritas, ille enim ſimilem ferè quæſtionẽ pertractat in regulis fuſ. diſp. qu. 35. vbi quærit, an expediat in eodem pago plures eſſe religioſorũ conuentus, reſpondet nõ expedire, tum quia difficile eſt vnum inuenire condignum prælatum, ne dum plures; tum quia inter eos qui ſunt eiuſdem artis, facilè oriuntur contentiones, & æmulationes, quod (inquit) idem ferè in hac vita ſolet accidere, *Initio enim contentiones à rebus honeſtis auſpicantes, cum inter ſe certatim alii alios ſtudeant ſuperare, dum progreſſus maiores faciunt, poſtremo in ſimultates contentioſas delabuntur.* Loquitur autem Baſilius de monaſteriis eiuſdem rationis, & religionis, multò autem grauiùs ſequuntur illa incommoda in diuerſitate religionum. Accedit tãdem, quòd ſi ſemel hæc varietas admittatur, in infinitum creſcere, & multiplicari poteſt, vt etiam experiẽtia nos docet, quia homines ſemper amant noua, & inuentiones proprias; at hæc nimia multitudo non poteſt non parere confuſionem, vt dicitur in c. vlt. de Regular. & cap. vnic. eodem tit. in 6. ergo. &c.

II.

Nihilominus veritas Catholica eſt, varietatẽ religionum ad decorem, & vtilitatem Eccleſiæ; maiuſque Dei obſequium pertinere. Hæc veritas de fide certa eſt, ad quam confirmandam ſufficiunt nobis ſanctorum exempla, qui varias religiones inſtituerunt, & communis Eccleſiæ conſenſus, Pontificumq; authoritas, quę illas approbarunt, & optima verba Gregorij XIII. in quadam Conſt. *Aſcendẽte Domino*, in Societatis confirmationem, vbi ſic inquit, *Cum diuina prouidentia, pro temporum neceſſitate, varia, & ſalutaria ordinum inſtituta, in Eccleſia ſua produxerit, nouiſque in ea ſubinde naſcentibus morbis noua remedia, nouiſque emergentibus hoſtium impugnationibus, noua regularium ordinum auxilia excitarit, & cuique illorum, iuxta cuiuslibet peculiaris gratiæ vocationem, peculiares quaſdam notas, peculiaria inſignia, & opportuna ad finem, quem intendunt media ſuggeſſerit, &c.* Conſtat ergo varietatẽ religionũ diuina prouidentia introductam eſſe, eſſeq; Eccleſię opportunam, & auxiliarem. Vt autem hãc veritatẽ magis explicemus, & confirmemus, tria puncta declaranda ſunt; Primum, qualis diſtinctio, & varietas inter religiones intelligi poſsit: Secundum, quæ ſit ſufficiens ratio eius: Tertium, ſi quæ incommoda ex illa naſci poſsint, quomodo caueantur; per quod allatis in n. 1. impugnationibus ſatisfiet.

Puncta 3. tractanda proponuntur

Qualis diſtinctio & varietas inter religiones intelligi poſsit.

III. Hæc varietas ex ſtatus

Circa primum ſtatuendum in primis eſt, omnes religiones neceſſariò conuenire in ſubſtantiali ritu

fine peculiari, aut ex medijs petenda.

status religiosi, qui consistit in duobus, scilicet, in intendenda perfectione charitatis erga Deum, & consequenter etiam circa proximum, & in renunciatione seculi per tria vota substantialia, & traditionem illam talibus votis firmatam, per quam homo se totum consecrat diuino obsequio. Hæc duo satis constant ex omnibus hactenus dictis de statu religionis, cùm hæc enim sint substantialia illi statui, non possunt non conuenire omni veræ religioni, siue illa sit substantia generica, siue specifica, de quo statim. Hinc D. Thomas 2. 2. quæst. 188. artic. 1. concludit, duobus tantùm modis posse distinctionem inter religiones inueniri, scilicet, vel in fine proprio, vel in exercitiis, & mediis, quibus ad eundem finem tendit. Cùm enim religio sit status tendens in finem perfectionis, necesse est vt per certa, ac determinata media tendat: ergo non potest alia distinctio inter religiones cogitari, nisi ex fine proprio, vel mediis.

IV. *Obiectio contra Caietanum ex fine.*

Dices, imò non videntur religiones distingui in finibus, sed solùm in mediis, omnia enim, quæ intendunt, vel operantur, sunt media in finem charitatis perfectæ. ergo solùm possunt distingui in mediis, quibus vtuntur ad hunc finem charitatis perfectæ. Respondeo, verum quidem esse, omnes fines particulares religionum singularum, esse media, si cum generali perfectione charitatis comparentur; sunt tamen nihilominus fines proprij, quia sunt bona per se honesta, quæ propter se proximè expetuntur, & propter ipsa reliqua omnia exercitia talium religionum instituta sunt, vel assumuntur. Dici etiã possunt illi fines, quia sunt quasi formales quædam actiones ipsius charitatis, quæ vt in se tales sunt, intendũtur vt fines, vt verò per eas comparatur perfectio charitatis absolutè, & secundùm se spectatæ, media dici possunt. Itaque si charitas secundùm se consideretur, plura habet officia, in quibus exercetur, & eisdem proximè augetur: sunt autem illa adeò diuersa, vt non possint omnia, & singula per se primò ab omni religione intendi, quia quædam in cõtemplatione Dei, aliæ in operatione circa proximum versantur, & inter actiones erga proximum magna est varietas, quæ non potest sub eodem vitæ instituto principaliter intendi, vt redemptio captiuorum, infirmorum curatio, &c. Hinc ergo factũ est, vt quædam religio dicatur instituta ad hũc finem proprium, id est, ad hoc officium charitatis, alia ad alium, & hac ratione distinguuntur aliquæ religiones ex finibus, vt religio contemplatiua ab actiua, & sic de aliis. Ad hunc autem finem propriũ consequendum, & religiosè exercendum, vtitur vnaquæque religio propriis modis, & obseruantiis, vt orationibus, ieiuniis, operibus manuum, & similibus, & hæc vocantur propria media, quia immediatè referuntur ad illum proprium finem, & illo mediante ad generalem finẽ perfectionis charitatis. Contingit autem aliquando duas religiones

Quid quando duæ religiones habẽt eundem finẽ proximum.

ad eundem proximum scopum esse institutas, vt ad militiam v.g. vti tamen diuersis obseruantiis, ad illum finem religiosè exercendum, & tunc dicuntur religiones distingui in mediis, & non in fine; sicut motus interdum distinguuntur, quia ad diuersos terminos tendunt, aliquando verò quia ad eũdem tendunt diuersa figura, vel per diuersa spatia: quæ posterior distinctio solet à Philosophis reuocari ad distinctionem terminorum formalium, cùm prior distinctio sit per terminos reales, & formales: sicque in proprio dici possunt religiones omnes distingui ex fine, quia licèt aliquæ in proximo fine realiter conuenire videantur, tamen quatenus illum intendunt per diuersa media, & exercitia, etiam in ipso formaliter distingui videntur, quia sub alia ratione, aut modo, aut perfectione illam intendunt. Modus autem loquendi Diui Thomæ sic-

V. *Distinctio religionum ex finibus maior.*

ut magis realis est, ita etiam est magis perspicuus, & clarus.

Ex quo rectè idẽ infert, magis distingui religiones, quæ ex fine, quàm quę ex solis mediis, siue exercitiis in ordine ad eundem finem distinguuntur. Quod est per se satis clarum: tum quia distinctio in rebus moralibus maximè est ex finibus; religio autem moralis res est: tum etiam, quia religiones, quę in finibus distinguuntur, regulariter etiam in mediis, & exercitiis diuersitatem habent, quia ad fines diuersos regulariter media diuersa requiruntur, etiamsi in aliquibus eorum possit esse conuenientia: tum denique, quia quo maior est conuenientia inter aliqua duo, eo illa minus distinguuntur, religiones autem, quæ in fine conueniunt, magnam inter se habent conuenientiam, quam aliæ non habent: ergo. Quapropter adeò verum hoc est, vt religiones, quę in fine distinguũtur, possint quodammodo dici specie diuersæ, aliæ verò tantùm accidentaliter. Patet proportionali ratione, nam finis est, qui in moralibus dat speciem; ergo religiones, quæ distinguuntur in fine, dici possunt specie diuersæ. Item artes, quæ tendunt ad diuersos fines, specie distinguũtur, sed religiones sunt veluti quædam spirituales disciplinæ, seu artes: ergo. Hæc autem distinctio in finibus tanto erit maior, quanto inter ipsos fines secundùm se spectatos maior fuerit. Aliquando enim fines ipsi erunt quasi substantialiter diuersi, vt hospitalitas, & prædicatio verbi Dei; aliquando verò solùm secundùm magis, & minus, vt contemplatio perpetua, seu diuturna, vel solùm definitis horis: item prædicatio Euangelij inter fideles, vel in vniuerso orbe, & inter infideles, & sic de aliis. Clarum est ergo maiorem esse diuersitatem religionum, quando fines sunt substantialiter diuersi, tuncque magis dici posse religiones ipsas substantia diuersas: quamuis in hoc oporter magnam vim in verbis constituere, quia hic re vera non potest esse diuersitas in substantia quia physica, vt sic dicam, quia traditio, & tria substantialia vota, quæ in omnibus religionibus fiunt, eiusdem speciei, & essentiæ sunt: igitur religionum diuersitas nõ potest esse in substantia status. Moraliter autem dici possunt quodammodo substantialiter differre, quæ in primario fine differunt, comparatione earum, quæ in ordine ad eundem finem solùm in mediis, seu exercitiis distinguuntur.

VI. *Exemplo quomodo aliquando finis sit magis distinctiuus exercitiorum.*

Rursusque inter has tanto erit maior diuersitas, quanto media, & exercitia fuerint magis diuersa: aliquando enim tam parua est differentia, vt solùm in habitu, & insignijs, & paucis cæremoniis distinguantur, vt religio Sancti Benedicti, & S. Bernardi inter monachales; & inter militares, Alcantaræ, aut Calatrauæ, & similes, quæ videntur solùm numero distingui, quamuis in ea latitudine magis distinguantur, quàm duo monasteria eiusdem habitus, sicut in naturalibus homo albus, & niger, solùm numero differunt, quamuis magis in ea latitudine, quàm duo homines albi distingui videantur. At verò mendicantes religiones vt Minorum, & Prædicatorum, non videntur distingui in fine, sed in modo, & mediis, & est differentia longè maior, ita vt ad specificam differentiam magis accedere videatur.

VII. *Distinctio ex fine, & exercitijs maior.*

Maximè verò distinguentur religiones, si in vtroque fine, scilicet, & exercitijs distinctionem habeant. Et præsertim si in votis ipsis, & in obseruantijs eorum diuersitatem habuerint, quia cùm in votis consistat substantia religionis, diuersitas in illis maximè ad substãtiales accedit. Sicut dicimus, beatos distingui in essentiali beatitudine, quia in re illa in qua est substantia beatitudinis, habent aliquam varietatem, licèt in rigore diuersitas illa specifica, aut essentialis non sit. Tandem aliquando intra

Distinctio ex diuersis pendet 5.

intra eandem religionem videtur esse tanta varietas, vt plures religiones esse appareant, vt inter Minores, quod maximè verum est, quando sub diuersis Prælatis generalibus versantur, quia tunc sunt veluti diuersi exercitus, habentes diuersos duces, & insignia distincta, & interdum etiam arma diuersa, quamuis in fine, & aliis multum conueniant. His ergo modis potest distinctio, & varietas in religionibus reperiri.

VIII. Vnitas religionis è contrario, ab vnitate finis pendet.

Ex quibus intelligere licet, ad vnitatem religionis requiri conuenientiam in fine, & in mediis, quę quanto maior fuerit, tanto erit maior vnitas: nam bonum vt aiunt ex integra causa; vnitas autem habet rationem boni, pluralitas vero, quia talis, à perfectione declinat: nam vt dixit Augustinus serm. 27. de verbis Domini, *proponitur vnum multis, non enim à multis vnum, sed multa ab vno.* Item res morales maximè recipiunt vnitatem vel distinctionem ex fine: vnitas autem religionis, vt numer. 5. dicebam, moralis est; maximè ergo requirit vnitatem & conuenientiam in fine proprio, qui est veluti scopus religionis.

IX. Item ab vnitate mediorum.

Deinde necessaria est etiam conuenientia in mediis, tum quia, vt numero 4. attigi, nunquam finis est omnino & formaliter idem, si per diuersa media, & vias omnino distinctas quæritur. Tum etiam quia religio est quasi via quædam, & tendentia in finem; via autem, vt sit eadem, non satis est quòd ad eundem terminum tendat, sed per eadem media. Tum denique quia si media sunt diuersa, mores etiam, & vitæ consuetudinem diuersa esse oportet, cum qua diuersitate non stat vera vnitas moralis. Hoc autem intelligendum est de præcipuis & substantialibus mediis, quia nonnulla diuersitas in rebus minutioribus, & accidentalibus, non obstat. Intelligendum etiam est de mediis non subordinatis, aut connexis inter se, si quidem intra eandem religionem possunt esse plura media, & consequenter plures gradus personarum, quæ ad diuersa munera destinentur; quæ varietas non impedit vnitatem, quia sunt velut membra eterogenea eiusdem corporis.

X. Vnitas capitis conducit, sed non requiritur.

Præter illa autem duo, finis scilicet, ac mediorum conuenientiam, requiri potest ad vnitatem, conuenientia in vno capite, vel supremo prælato proprio eiusdem religionis, sed si considerentur ea, quæ tractatu præcedente lib. 2. cap. 2. de prælatis religionum diximus, hæc conditio non videtur ita necessaria, si aliàs sit conuenientia in regula, & origine religionis; maximè secundùm modum loquendi, non solùm vulgi, sed etiam iuris: sic enim moniales omnes regulam sanctæ Claræ, v. g. profitentes, eiusdem religionis esse perhibentur, quamuis aliqua earum monasteria Episcopo subdantur, aliqua verò prælato regulari, qui inter se minimè subordinantur; & eadem prælatorum diuersitas in aliis, tam fœminarum, quàm virorum conuentibus facilè deprehendi potest. quanquam negari non debet maiorem fuisse futuram vnitatem, si non solùm regulam, sed etiam prælatum eundem haberent, quia politicum corpus, qualis est religio, ex vnitate capitis recipit etiam vnitatem, siue id caput vna sit persona, siue aggregatum ex pluribus.

XI. Similiter & vniformitas commoda in habitu.

Addi præterea potest, requiri ad religionis vnitatem conuenientiam in exteriori habitu: quia licèt hic non sit de substantia religionis, est tamen signũ talis, vel talis professionis. Hæc etiam conditio non est adeò necessaria, quin intra eandem religionem nonnulla diuersitas in exteriori habitu permittatur, vt sentiũt Glossa, & Doctores ex textu in Clem. 1. de electione; & vsu ipso constat. Et ratio est, quia interdum ipsamet regula postulat positiuè (vt sic dicam) hanc diuersitatem, iustas ob causas, vt videmus in religiosis laicis & clericis eiusdem religionis. Aliquando verò illam diuersitatem permittit, quatenus directè non prohibet, & id quod de habitu statuit, seruari potest cum aliqua diuersitate in aliis conditionibus, vt si statuat de figura, & materia; non verò de colore habitus, tunc licèt aliqua varietas in colore in diuersis monasteriis aut prouinciis permittatur, non erit contra vnitatem religionis. Hæc autem varietas in habitu nunquam potest tanta esse, quin aliqua vnitas seu conuenientia conseruetur, quæ vnitatem talis religionis indicet, vt videre est in religione S. Francisci Obseruantiæ & Conuentualium, ac Capucinorum; & in religione Sanctissimæ Trinitatis, ac multo magis in religione canonicorum regularium. Omitto Societatem IESV, quæ peculiarem habitum nõ assumpsit, & ita admittit illam varietatem, quam habitus clericorum in diuersis regionibus habuerit: seruando tamen illam vnitatem, nimirum vt vbique eo habitu honesto, & ad statum religiosum decente vtatur. In aliis verò religionibus semper seruatur aliqua vnitas vel in figura, vel in colore, vel in vtroq; signo, vel in aliquo alio signo speciali, quod iuxta vniuscuiusque religionis regulam obseruandum est, vt vnitas religionis quoad habitum retineri censeatur. Et hæc de primo puncto.

Quæ vniformitas in habitu seruanda in Societate.

Approbatur ac defenditur dicta religionum varietas.

XII. Secundò dicendum est varietatem religionum non sine magna diuinæ prouidentiæ dispositione, & Spiritus Sancti directione inuectam esse, & in Ecclesia introductam, tanquam illi valde vtilem. Ratio penetrabilis est, quia status religionum proponitur hominibus tanquam via vtilissima ad perfectionem acquirendam. fieri autem non poterat, moraliter loquendo, vt vna religio vnusque viuendi modus omnibus accommodaretur propter varias hominum complexiones ac propensiones; vt notauit Gregor. 6. Moral. c. 26. alias 27. *Nonnulli namque hominum* (ait) *ita otiosæ mentis sunt, vt si eos labor occupationis accipiat, in ipsa operis occupatione succumbant, & nonnulli ita inquieti sunt, vt si vacationem laboris habuerint, grauius laborent, quia tanto deteriores tumultus tolerant, quanto eis licentius ad cogitationem vacat. Vnde necesse est, vt nec quieta mens ad exercitationem se immoderati operis dilatet, nec inquieta ad studium contemplationis angustet.* Ob hãc ergo causam vtilissimum fuit quasdam esse religiones ad quietem, & otium contemplationis ordinatas, alias ad actiones, alias ex vtroque mixtas, vt omnes haberent, vnde, quod sibi magis expediret, eligere possent. Et eadem est ratio de aliis differentiis, hi enim his actionibus, & exercitiis potius quàm aliis delectantur, quidam ad solitariã, alij ad socialem vitam propensi sunt: quidam corporibus fortiores ad labores, & rigores corporis sunt apti, alij ad studia, & spiritualia exercitia: sic ergo per varietatem religionum omnibus subuentum est. Alia ratio etiam valde generalis est, quia religiones ex intẽtione Spiritus Sancti non solùm instituꝫ sunt ad bonum eorum qui in eis congregãtur, sed etiam vt per eos alij, atque adeo vniuersa Ecclesia iuuetur: quia ergo variæ sunt actiones, & ministeria, in quibus possunt religiones Ecclesię inseruire; & non sufficit vna pro omnibus actionibus, ideo ex earum varietate consurgit plenitudo ministrorum, qui possint omnibus modis, & in omni actionum genere Ecclesiam iuuare. Et hoc est etiam quod Gregor. XIII. citato loco dixit, *Pro temporum etiam varietate prouidisse Deum varias religiones, prout occasiones, vel necessitates temporum postulabant.* Addit etiã Bernard. in Apolog. Guillel. Abb. ad pulchritudinẽ Ecclesiæ pertinere hanc varietatẽ iuxta id Psal. 44.

astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate. Nec mirum (inquit) *si in hoc exilio, peregrinante Ecclesia, sit huiusmodi pluralis varietas, & vna pluralitas, cum in illa quoque patria quando & ipsa regnabit, futura sit aliqua disparaequalitas, cùm scriptum sit, in domo patris mei mansiones multæ sunt.*

XIII. Ex his ergo constat, quàm longè sit hæc religionũ distinctio ab omni Ecclesiæ diuisione, & schismatè, sicut enim in eadem domo diuersitas mansionum, & cubiculorum, non destruit, sed pulcherrimè cõstruit vnitatem domus, & in republica, vel ciuitate pluralitas artium, & officiorum, non est contra vnitatem, sed potiùs est maximè necessaria, vt ciuitas sit consummata, & perfecta; ita in Ecclesia varietas religionum eius vnitatem non diuidit, sed illustrat. Neque obstat quòd charitatis perfectio vna sit, quia viæ ad illam possunt esse plures, non quidẽ quoad substantiam omninò diuersæ, sed quoad actionẽ, vel quoad modũ, & (vt ita dicã) quoad mistionem, & participationem actionũ. Omnes enim religiones in substantia eadẽ ferè actiones exercẽt, tamen quædã in quibusdam excedunt, aliæ in aliis, quædã hoc modo, aliæ alio illas participant, omnes tamen sunt sanctæ, & ad suprà dictos fines necessariæ. Incommoda autem, quæ ex hãc varietate sequi obiiciuntur, minoris momenti sunt, neque cum vtilitatibus numeratis possunt comparari. Res enim humanæ huiusmodi sunt, vt nũquam omnibus incommodis careant, & ideo quando hæc sequuntur, nõ ex re ipsa, vel actione, sed ex infirmitate, vel malitia hominum, non sunt propter illa omittẽda bona maiora, sed adhibenda remedia, ne illa mala sequantur; potissimum autem est charitas. Vnde elegãter Bernard. in dicta Apologia. *Requiritur* (inquit) *à me, cur, cum omnes ordines laudem, omnes non teneam, laudo enim omnes, & diligo, vbicumque iuste, & pie viuitur in ecclesia: vnum opere teneo, ceteros charitate: faciet autem charitas* (fidenter loquor) *vt ne illorum quidem fructu fraudet, quorum institutis non sequor.*

XIV. Diuus autem Basilius citato loco non loquitur propriè de diuersitate religionum, sed de multiplicatione domorum, seu monasteriorum eiusdẽ religionis in eodem oppido, tractatque prudentialẽ quæstionem, an expediat talia monasteria multiplicari in eodem oppido: & ipse fert probabile iudicium expedire magis, vt in vno domicilio, & sub vno prælato omnes aggregentur. Hæc autem quæstio longè diuersa est ab ea, quam nunc tractamus, estque in ea satis verisimile Basilij iudicium, & fortasse regulariter ita est; & maximè eo tempore, in quo, vt supponere videtur Basilius, religiosæ domus erant ita distinctæ, vt non vnirentur sub vno capite, quarum multiplicatio vicina poterat facilè discordiam parere, & non erat necessaria, quia regula erat vniformis omninò in modo viuendi separato, & remoto ab actionibus externis. Ait etiam Basilius fuisse tunc penuriam hominum, qui huiusmodi domos regere vtiliter possent, quia monachi regulariter sacerdotes non erant, neque docti. Quæ rationes hoc tempore cessant, nam in eadem religione sunt variæ actiones, vel ad studia, vel ad cõciones, & alia ministeria, est etiam vnio earum inter se, & sub vno superiori prælato, nec desunt homines docti, & prudentes, per quos possint gubernari, & ideo etiam hoc modo possunt vtiliter sæpè monasteria in eadem ciuitate multiplicari. Quia verò in vtraque multiplicatione poterat esse excessus, ideo multiplicatio religionum Summo Pontifici meritò reseruata est, vt patet ex Concil. Later. in c. vlt. de Religios. dom. & Concil. Lugdun. in c. vnic. eod. tit. in 6. In Concilio autem Trident. sess. 25. cap. 3. de Regul. ad alia incommoda vitanda statuitur, vt sine licentia Episcopi monasteria non erigantur.

CAPVT II.

Vtrùm religiosa vita in solitariam, & cœnobiticam rectè distinguatur: & vita perfectior sit.

SVpponendum est, sermonem esse de proprio statu religioso, latè enim potest religiosa vita appellari omnis illa, quæ ad diuinum cultum instituitur, etiamsi non habeat omnia requisita ad religiosum statum, vt ex superiùs dictis satis notum est. Videtur autem hoc modo non posse habere locum distinctio proposita; quia repugnat vitam esse verè religiosam, & esse solitariam. Primò, quia vota religiosa esse debent sub speciali obedientia alicuius prælati; qui autem solitariam vitam agit, nullius obedientiæ specialiter subiectus est, vt patet de Ioanne Baptista, de Paulo primo eremita, & similibus: ergo. Secundò, quia vita religiosa debet esse regularis, debet enim statui, & firmari per professionem sub aliqua certa regula: vnde & in iure religiosi regulares appellantur, & pro eodem reputantur: sed qui vitam solitariam agit nullam regulam profitetur, vt per se constat: ergo. Tertium, quia status religiosus requirit Ecclesiæ approbationem, & acceptationem; in vita autem solitaria nihil horum reperitur. In contrarium est, quia antiqui, & perfectissimi monachi hanc vitam professi sunt: imò hac ratione Ioannes Baptista eorum princeps, & dux in lege gratiæ appellari solet, & ante illum in lege veteri Elias censetur huic statui principium dedisse: cuius exemplum etiam Christus dare voluit, quando in desertum per quadraginta dies secessit, vt ieiunio, & contemplationi vacaret. Atque ita est apud Patres vulgaris distinctio monachorũ in anachoretas, & cœnobitas, vt videre licet apud Hieronymum epist. 22. ad Eustochium de Custod. virgin. Cassianum collat. 18. cap. 4. Isidorum lib. 2. de Offic. Eccles. cap. 15. de Monachis, & lib. 7. etymolog. cap. 13. vbi anachoretas & eremitas in duos ordines distinguit, nam eremitas vocat qui semper à principio solitariam vitam profitentur, anachoretas qui post acquisitam perfectionem in vita cœnobitica, in solitudinem separantur. Sufficiens tamen est bimembris diuisio: nam quicunque solitariam vitam agunt, vtroque nomine appellari solet, & cum illa duo membra quasi per contradictorias differentias distinguantur, adæquatè distinguunt diuisum. Solent etiam Patres addere alia membra illi diuisioni, vt patet ex proximè citatis, & ex S. Benedicto in principio suæ Regulæ. Veruntamen illa alia membra non pertinent ad veros & religiosos monachos de quibus agimus, sed dantur de quibusdam fictis & reprobis monachis, qui illis temporibus vigebant.

Tota ergo difficultas huius diuisionis, vt argumenta ostendunt, versatur in altero membro, scilicet, vitæ solitariæ: nam de vita cœnobitica non est dubium. Dicitur enim cœnobitica vita, quæ agitur in religiosa congregatione, cuiuscunque ordinis illa sit, quę dici etiam potest vita communis, & socialis. Sed quia hæ voces generaliores sunt, ideo religiosæ vitæ, quæ in conuentu fratrum fit, vox illa accommodata est. Quòd ergo hæc vitæ communis ratio accommodatissima sit statui religioso, per se notum est, tum ex vsu Ecclesiæ, in qua hic modus vitæ religiosæ prævaluit, ac ferè solus conseruatur: tum etiam, quia ad omnia vota religiosa statui substantialia, & ad praxim omnium consiliorum, & virtutum est valdè opportuna, vt statim magis patebit. Vnde de hac interpretatur Augustin. illud Psalm. 132. *Quam bonum, & quàm iucundum habitare*

habitare fratres in vnum: quia in huiusmodi religiosis cœnobiis ita sunt multi, vt tamen sit cor vnum, & anima vna, cuius initiũ, & quasi exemplar ait fuisse in cœnaculo, vbi post Christi Domini ascensionem erant Apostoli cum fidelibus congregati in vnum, orationibus instantes, & expectantes Spiritus Sancti aduentum. Et ideo in hos etiam cœnobitas interpretatur, optimè conuenire monachi nomen, quia licèt ab vnitate sumptum sit, *monos* enim est *vnus*, vnde monachus, quasi vnus & solitarius dictus est; tamen etiam cœnobitæ monachi rectè dicuntur, *Nam qui sic viuunt in vnum* (ait August.) *vt vnũ hominem faciant, vt sit illis verum, sicut scriptum est, cor vnum, & anima vna, multa corpora, sed vnum cor, & vna anima, rectè dicitur monos, id est, vnus solus.* Igitur modis omnibus, & res, & vox religiosi status in huiusmodi congregationes, earumque religiosos conuenit: de alio ergo membro videndum superest.

III. *Vita solitaria licèt, & perfectior.*

Est ergo vlteriùs aduertendum, generaliter dici posse solitariam vitam omnem illam, quę communis non est, neque in Societate multorum idem genus vitæ professentium, siue agatur in solitudine ab omni commercio hominum separata, quæ propriè dicitur vita eremitica; siue agatur in pagis, villis, & ciuitatibus, in propriis tamen ac priuatis domibus: licèt enim hæc non possit dici vita solitaria, quantum ad conuersationem, & conuictum cum aliis hominibus: potest tamẽ dici solitaria, si alioqui religiosa sit quoad societatem, & vnitatem in eodem genere vitæ. Fuit autem vterque modus viuendi cultus in Ecclesia ab his hominibus, qui viam consiliorum, & perfectionis amplexi sunt. Nam de vita eremitica extant clarissima antiquitatis exempla. Tamen, ne sit ambiguitas in nomine, oportet aduertere, interdum dici eremitas eos, qui in cœnobiis degunt, quando talia monasteria solùm in desertis locis, ac eremis construebant, & ex sua viuendi ratione talem separationem à populis hominum postulabant. Hoc modo fuerunt eremitæ religiosi Sancti Basilij, vt ex eo accipi potest in regul. 6. ex fus. disput. in hac etiam amplitudine videtur mihi de solitaria vita loqui Hieronym. cum illam mirè laudat in epist. 1. ad Heliodorum. Augustini monachi eremitæ dicuntur, ad quos sunt sermones eius ad Fratres in eremo, de quorũ authore licèt aliqui recentiores dubitauerint, tamen plerique doctiores, eos Augustinianos verè esse recognoscunt, & ita inueniũtur passim citati à grauibus authoribus, præsertim à Nicolao V. in tractat. de laudib. Augustini, & à S. Antonio de Paulo, Vincentio Ferrar. & Bernard. Senen. sæpè in suis concionibus, & Concilium Aquisgran. citat sermon. de cõmuni vita clericorum, qui eiusdem ordinis, & rationis esse censentur. Et fortasse non pauci inter illos inserti erunt, qui non sint Augustini, de quo iterum libro sequẽti cap. 8. num. 8. tamen quòd aliquos inscripserit eo titulo, verisimillimum est ob tantam antiquitatem. Sic etiam Carthusiani eremitæ appellari solent, & in sua professione promittunt conuersionem, & emendationem morum in illa eremo; constat autem illorum vitam cœnobiticam esse, licèt multum participẽt de vita solitaria. Alio verò modo dicuntur eremitæ, qui vitam solitariam profitentur extra omnem hominum congregationem, & conuersationem, qualem egit sæpius Elias in monte Carmelo, & Ioannes Baptista in deserto, & Paulus primus Eremita, vt in Kalendario Rom. appellatur.

Vita eremitica proprie, qua.

Eremitæ ad Fratres in eremo, non sine Augustini.

Vita eremitica proprie sumpta est vera status religiosi.

IV. *Hæc vita laudabilis est.*

Hanc ergo vitam eremiticam in hoc rigore sumptam sanctam, & Deo gratam esse ostendit latè Bellar. contra huius temporis hæreticos lib. 2. de Monachis, cap. 39. vbi plurima, & optima congerit Patrum testimonia, quæ ibi videri possunt, nam res satis clara est, tam ex se, quàm ex vsu, & approbatione Ecclesiæ, propter quod in Concil. Chalcedon. c. 4. dictum est, *Qui vere, pureque solitariam eligunt vitam, digni sunt conuenienti honore*: habetur 16. quæst. 1. cap. *Qui vere*. Supposita verò illius vitæ sanctitate, ostẽdere oportet, fuisse verè statum religiosum. Circa quod sciendum est, vitam illam solitariam dupliciter assumi posse: primò, statim à principio cõuersionis ab illa inchoando: secundò, ad illam à cœnobitica vita transeundo. Hoc posteriori modo consulunt Patres vitam illam esse assumendam, postquam, scilicet, aliquis in cœnobio per multos annos se exercuerit, & magnos progressus in perfectione fecerit, vt monet Hieronym. in epist. 22. de Custod. virgin. ad Eusto. in fin. & epistol. 4. ad Rusticum, *De ludo monasteriorum huiusmodi volumus regredi milites, quos eremi dura rudimenta non terreant.* Idem sensit Augustin. lib. 1. de Morib. Eccles. c. 3. Cassian. collat. 10. cap. 3. Benedictus cap. 1. suæ regulæ, Bern. serm. 3. de Circuncis. & Isidor. lib. 2. de offic. c. 15. sub titulo *De tertio genere monachorum*. refert morem antiquum fuisse, vt per viginti annos, alias 30. prius probarentur in cœnobiis, & postea non nisi per electionem obedientiæ, ad solitariam vitam transirẽt, in Canone autem 41. Trullano saltẽ quãtuor anni requiruntur, & Episcopi approbatio. Hãc ergo vitam solitariam manifestum est, & supponere, & includere religiosum statum, quia ex illo, quẽ in monasterio quispiam professus est, ad eremum transit; per hunc autem transitum non aufertur religiosus status, qui in tali persona supponitur, cùm talis status immutabilis ex se sit, sed vsus eius accidentaliter mutatur. Vnde quod spectat ad castitatem, & paupertatem, manifestum est in illa solitaria vita perfectissimè posse seruari, & eandem obligationem manere: quoad obediẽtiam verò existimo, huiusmodi transitum semper debuisse fieri seruata obedientiæ lege, & obligatione: imò etiam in ipso eremo semper conseruari debuisse subordinationẽ aliquam ad prælatum secundùm aliquam regulam: quia obedientiæ votum in se manebat etiam integrum, & ideo aliquem vsum eius fuisse necesse est, iuxta regulam tamen, & consuetudinem vouentiũ. Et eadem ratione illa separatio à cœnobio non repugnat traditioni, quam de se fecerat quispiam monasterio per professionem suam, quia illa traditio etiam intelligitur iuxta mensuram regulæ, & obedientiæ, & tota ordinatur ad malus bonum, & perfectionem profitentis, quæ omnia in illo transitu seruabantur.

Fuit etiam status religiosus quando à cœnobiõ ad illa transitus erat.

V. *Quando verò immediate à seculo ad illam transitus erat, non videri statum religiosum.*

Quando verò status ille eremiticus immediatè inchoabatur, sine vllo transitu per cœnobium, nec per professionem in illo factã, vt fuit in Sancto Paulo per totam vitam, & Antonio multis annis, & plerisque aliis, difficile est definire, an & quo modo in eis fuerit vera professio religiosi status. Quia licèt quoad obseruantiam, summam paupertatem, & perfectissimam castitatem coluerint; non constat nobis, an talia vota emitterent. Deinde licèt demus ea emisisse, ex illo affectu, quem habebant se totos consecrandi cultui diuino, & perfectioni quærendæ; & quo vitam illam assumebant firmo proposito in illa perpetuò manendi, & ideo credibile sit perpetuam illam perseuerantiam Deo promisisse: maximè quia non ignorabant, hoc esse melius, & gratius Deo, hoc tamen totum ad verum religiosum statum non sufficit. Et, quod caput est, illi nullam obediẽtiam alicui homini profitebantur, nec secũdum certam regulã, vel voluntatem alienam viuere statuebant, aut promittebant: quomodo ergo poterat in eis esse status religiosus perfectus? De hac verò difficultate inferius dicam in n. 12.

VI. *Modus quidam vitæ solitariæ*

Venio ad alium modum vitę religiosæ priuatum quidem, non tamen omninò solitarium. Vbi primum reiiciendus est quidam monachorũ gradus,

memorantur, & reiicitur.

cuius mentionem fecit Hieron. in epist. 22. de custod.virginit.in fin.eosque *Remototh* appellat, quod nomen Ægyptium est,qui non omnino soli, sed bini,vel terni habitabant, suo tamen arbitratu, & sine obedientia viuebant, & licèt aliqua opera paupertatis,& pœnitentiæ facerent, perfectionem tamen vitæ non profitebantur. Eorundem videtur facere sermonem Benedictus in sua Regula, c.1. vbi duo genera horum hominum distinguit. Sed eos missos faciamus, nihil enim ad præsentem causam pertinent,non enim erant veri religiosi, sed ficti, & perditi homines, & vt tales, dicti Patres eos reprehendunt.

VII. *Alter modus à fœminis præsertim visitatus, & statũ religionis includens.*

Illius ergo status,ac modi viuendi vestigia præcipuè in fœminis, & sacris virginibus inueniuntur, quamuis enim olim etiá in monasteriis viuere solerent,vt ex Ambr.ad Virg.lapsc.7. Hier.epist. 8. ad Demetriad.& 48.ad Sabinian. & aliis constat: sæpè etiam in propriis domibus viuebant, postquá corã Episcopo virginitatem professæ fuerant, & ab eo velum acceperant.Vnde Aug.ser.1.de commun.vit. cleric.*Virgo* (ait) *est nunquam fuerit in monasterio, si virgo sacrata est, illi nubere non licet. quamuis esse in monasterio non compellatur.* Hinc Conc. Tolet. IV.c.8. & est apud Burch.lib.8.decret.c.48.& Gratian.27.q.1.c.7. *De viduis* (ait) *& puellis, quæ habitum religionis in domibus propriis, tam à parentibus, quàm per se mutauerunt. si postea cõtra institutã Patrũ, vel præceptacanonum coniugia mutauerint copulanda, tamdiu à communione habeantur suspensæ, quamdiu quod illicite perpetrarunt emendauerint.* Quibus verbis significatur illas fuisse veras religiosas,& incapaces matrimonij,quamuis in domibus propriis professæ fuissent: imò significatur professionem tacitam per solam gestationẽ habitus fuisse sufficientem.Idem sumi potest ex Cõcil.Carthag.IV.c.54. & ex aliis, quæ referuntur à Gratiano 27. q.1.Clarius ex Concilio Carthagin.III.c.33. colligimus virgines sacras,quæ parentes habebant,sub eorũ custodia in propriis domibus viuere potuisse:ac mortuis parẽtibus dicitur ibi,in monasteriis sub prouidentia Episcopi esse custodiendas.Quod etiam ex Concil.African.c.11.refert Burchar.lib.7.c.75.qui etiam c.54. refert decretum Eugenij Papæ,dicentis, *Mulieres sub obtentu religionis velatæ, aut in monasterio regulariter viuant, aut domibus suis suscepturn habitum caste obseruent.* Hinc etiam in Concil.Eliber.c.27.permittitur Episcopo,& presbytero apud se habere filiam virginẽ Deo dicatam.Denique in c.*ex parte* 2. de conuer. cõiug. clarè supponitur, in propria domo posse religiosam professionem fieri. & idem clarius habetur in c.*insinuante*.qui cler.vel vouen.

VIII. *Iuxta hunc modũ satis verificatur diuisio in titulo posita.*

Constat igitur etiam hoc modo rectè distingui posse statum religiosum in cœnobiticum, seu regularem,& solitarium, seu vitæ priuatæ, quia in hoc etiam interueniunt omnia, quæ sunt de essentia talis status:non enim est de essentia eius quòd fiat sub certa regula,vt suprà ostensum est: potestque habere Ecclesiæ approbationem sufficientẽ, si talis professio cum vera traditione, & votis substantialibus religionis, authoritate Ecclesiæ recipiatur, & approbetur.Quamuis autem hoc ita sit,& olim fuerit in vsu,nunc iam non est in Ecclesia talis consuetudo,quia nulla professio ab Ecclesia recipitur, quæ non fiat secundùm aliquam regulam ab eadem Ecclesia approbatam,iuxta capit.vltimum de religios. domibus & capit.vnic.eod.titul.in 6.ergo qui nunquam religiosi fuerunt,nec sub obedientia alicuius prælati, & approbatæ regulæ viuunt, sine dubio non sunt veri religiosi,etiamsi fortè castitatem voueant.

IX. *Hodie dicta diuisio simpliciter locũ non habet.*

Quapropter distinctio hæc iam non habet ferè locum in Ecclesia,nam licèt sint aliqui,qui solitariã vitam agunt, & Eremitæ dicuntur, illi aut professi sunt sub obedientia alicuius regulæ approbatæ,sub qua etiam viuunt, licèt à consortio communis congregationis separati: aut tales professionem nunquam emiserunt.Priores,vt benè notauit Syluester ver.*Eremita*,non sint præcisè Eremitæ,sed sunt religiosi ducentes vitam eremiticam, qui in præparatione animi etiam ducunt vitam cœnobiticam,si ad illam per obedientiam reuocentur. Cuius vitæ antiqua vestigia, & exempla in Hispania conseruãt Patres Sancti Benedicti in celeberrimo, & religiosissimo conuentu Sanctæ Mariæ de monte Serrato. Quocirca licèt in his distingui possit vita solitaria à cœnobitica, quantum ad actualem viuendi modum, vt sic dicam, non tamen quantum ad statum religiosum : quia est vnus & idem varias actiones sub eadem regula,& obedientia exercens.

X. *Enumerantur quinque species aliquot à Sancto.*

Posteriores autem non sunt veri religiosi, vt cõmuniter authores sentiunt, adeò vt multi negent eos gaudere priuilegio clericali.Nam primò illi non vouent,nec se tradũt in manibus alicuius,nec profitentur secundùm aliquam regulam approbatam. Secundò,vel castitatem non vouent, vel si vouent, id est merè priuatim, & simpliciter, vnde necinhabiles fiunt ad matrimonium:nec publicè, & coram Ecclesia vouent,per se loquendo. Tertiò, non obligantur ad paupertatem, vt ait Glossa in c. *qui vere*. 16. q.1.quam omnes Doctores sequuntur: Vnde etiam possunt condere testamentum, vt supponit Gratianus 19 q. 3. §. *è contra*. vbi etiam ait Paulum primum eremitam testamentum condidisse; sed in facto deceptus est, vt constat ex Hieronymo in vita Pauli ,quidquid sit de iure an illud condere potuerit.Quartò,nec obedientiam vouent,vt ait S. Thomas in 4. d. 27. in expositione literæ ad finem circa illa verba, *Eremi solitudinem elegit*.Sed solùm tenentur obedire Episcopis sicut alij fideles, vt idem ait 2. 2. q.186.art.5.ad 3.

XI. *An sint exempti à iurisdictione Ordinarij.*

Hinc à multis Doctoribus hi eremitæ non reputantur personæ Ecclesiasticæ, nec gaudere priuilegio clericali. Quod sensit Ioannes de Lignano in Clem.*per literas*.de præben.Abb.in cap.*null*.de foro compet.Angel.ver.*Eremita*.n.3.qui tamen inconstanter ait hunc eremitam esse personam Ecclesiasticã, & de foro Ecclesiastico,per cap.*nullatenus*,d. 93. & cap.*si autem*,11.q.3.qui textus nihil omninò de hac re loquuntur, nec ad illam faciunt, & hoc repugnet cum eo,quod proximè dixerat hic author, hos eremitas esse laicos,& manere sub iurisdictione Imperatoris, quia nihil habent, quod illos eximat. Item sine causa negaretur eis priuilegium clericale,si personæ essent Ecclesiasticæ: vnde Glossa in dicto cap. *qui vere*,dicit, eos gaudere priuilegio clericali, quia ibi in textu dicitur , *Qui verè, pureque solitariam diligunt vitam,& gnosse competenti honore*. Sed hoc longè diuersum est, nimisque generale. Vnde Archid. quem sequitur Syluester,ait, gaudere, si subsint regioni,vel personæ religiosæ, gaudenti illo priuilegio.Sed licèt hoc demus , id non erit, quia sunt religiosi, sed quia tunc sunt veluti conuersi, aut obligati religioni: de qua re dixi plura in tom. 5.in 3.part.disp.22.sect.1.numer.1.exponendo canonem, *Si quis suadente*. vbi partem negatiuam sequutus sum.

XII. *Declaratur dubium proposit.*

An verò idem sentiendum sit de antiquis sanctis eremitis,Paulo,& similibus, quòd scilicet veri religiosi non fuerint, iudicium aliis relinquo. Nam D. Thom.2.2.quæstione 186.art.5. ad 3. videtur eos inter religiosos computare, & ideo conatur declarare, quomodo habeant sufficientem obedientiam ad illum statum, quia scilicet subsint Episcopis. Quod quidem esset verum , si constaret eas vouisse specialem obedientiam Episcopis,sed hoc nobis nõ constat.Idem verò D.Thom.q.188.art.8. ad 3. significat hos sanctos habuisse obedientiam in præparatione animi, idq; satis illis fuisse, quia actu obedire

(ait)

(ait) non est necessarium perfectis. Sed licèt hoc sit verum respectu perfectionis personalis, tamen respectu status necessarium videtur actuale votum obedientiæ, in quo illa aptitudinalis obedientia fundetur, & non tantùm in generali obligatione præceptorum: de hoc autem voto nobis dubium est, an illi sancti eremitę, qui sŏlitariam omnino vitam à principio vixerunt, illud emiserint. Et probabilius, ac ferè certum videtur, non emisisse illud, nec alia vota in manu alicuius, qui vice Dei, eiusque authoritate illa reciperet, & acceptaret, atque adeò nec veram professionem ad statum religiosum necessariam fecisse. In hac ergo re nihil certi habeo, quod respondeam, & ideo mallem aliorum iudicio hoc relinquere, quàm quicquam definire. Aut enim dicendum est, hos sanctos Patres priusquam in eremum secederent, religiosam professionem in manibus Episcoporum fecisse, quod est diuinare, nam in historiis, seu vitis eorum hoc non legitur: aut dicendum est, eos non fuisse propriè, ac formaliter religiosos quoad statum publicum, & approbatum iure ordinario in Ecclesia, sed fuisse religiosos apud Deum altiori ratione, specialiter approbata peculiari Spiritus sancti instinctu. Quod videtur significasse D. Thom. quæst. 188. art. 8. cum ait, in illis sanctis viris Spiritum sanctum sua gratia suppleuisse, quod in aliis per exercitationem acquiritur: vnde dicere possumus in eis fuisse statum religiosum quasi eminenter, per abundantiam gratiæ confirmantis illos quasi immobiliter in tali viuendi modo, & supplentis directionem obedientiæ, quæ in aliis per homines fieri solet, & in illis sanctis erat perfecta in animi præparatione respectu prælatorum Ecclesiæ. Quod paulò inferiùs ampliùs declarabitur.

XIII. *Nequitiã locum nunc habet diuisio quoad religiosam statum in n. 7.*

Neque etiam habet locum prædicta distinctio, etiamsi vita solitaria non sumatur in illo rigore, sed vt distinguitur à vita cœnobitica, seu in communitate aliqua. Nunc enim iam non possunt fieri vota religionis, nec professio valida in statu omnino priuato, sed propter fieri in religione approbata per Romanam sedem, iuxta cap. vltim. de religios. dom. & cap. vnic. eod. tit. in 6. Talis autem religio non est nisi communitas aliqua sub obedientia alicuius prælati, & sub aliqua regula viuens; cuius mẽbrum effici necesse est, eique se tradere, qui secundùm illam statũ religiosum assumit, ac profitetur. Quocirca omnes siue viri, siue fœminæ virgines priuatam vitam agentes, quantumuis se Deo dedicent, & voueant castitatem, vel etiam paupertatẽ, & obedientiam, etiam in manibus Episcopi, religiosi non sunt, quia illa non est vera professio, nec traditio, cùm non sit acceptata ab habente potestatem, nec modo ab Ecclesia præscripto, vt satis ex superioribus patet.

Vtra sit vita perfectior, cœnobitica ne, an solitaria.

XIV. *Resolutio D. Th. solũ procedit de vtroque vt sumitur sub suam statum.*

Vltimò constat ex dictis, quid dicendum sit de comparatione inter hos duos status, solitarium, & cœnobiticum. Nam D. Thom. d quæst. 188. art. 8. videtur simpliciter solitariam vitam præferre, quando debito ordine, ac modo assumitur: quia comparatur ad aliam, sicut terminus ad viam; terminus autem ex suo genere perfectior est via. Et in præsenti cœnobia ad hoc sunt, vt homines tendant ad perfectionem, vita autem solitaria supponit perfectionem acquisitam, vnde solùm est ad exercendã perfectionem. Sed in primis D. Thomas loquitur de vita solitaria, quando ad illam per vitam religiosam in cœnobio, seu conuentu transitur. Quomodo vita hæc solitaria iam supponit verum statum religiosum, & ita non præfertur status statui, sed in eodem statu præfertur gradus perfectorum, gradui proficientium. Vnde etiã supponitur diligens exercitatio in vita communi religiosa, ita vt perfectio iam comparata sit, & ad illam exercendam solitudo eligatur, non proprio iudicio, sed superioris arbitrio, nam talis solitaria vita non caret obedientiæ subordinatione, cùm non destruat religiosum statum, sed perficiat.

XV. *Solitaria vita ex cœnobitica vt sit perfectior, supponis licentiam prælati.*

Quapropter in viro iam religioso solitaria vita aliter assumpta, non solùm perfecta non esset, verũ nec laudabilis, quia obediẽtiæ, & obligationi prioris professionis repugnaret. Neque quoad hoc credendum esset cuicunque spiritui mouẽti ad vitam solitariam, contra superioris voluntatem assumendam: nam quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Vbi applicari possunt verba Innocentij III. in cap. *nisi cum pridem*, de electione, vbi ad quendam Episcopum, qui cedere Episcopatui volebat sine alia legitima causa, vel authoritate, solùm vt contemplationi vacaret, sic inquit; *Sed dices, Spiritus vbi vult spirat: & nescis vnde veniat, aut quo vadat: & ideo non est, qui possit vias illius spiritus perscrutari, qui vero spiritu Dei aguntur, non sunt sub lege, quia vbi spiritus Dei, ibi libertas quare si cedendi* (quod nos in præsenti dicere possumus, si recedẽdi) *potestas data ab homine non fuerit, nihilominus tamen cedes*, (seu recedes) *à Deo certe* (respondit Pontifex) *despicis si sic sapis, nam quomodo spiritu Dei agitur, qui contra Spiritum Dei agit, si enim vera sunt quæ præmisimus* (scilicet de obligatione Episcopi, & idem est in præsenti de obligatione professionis) (*imo quia indubitanter sunt vera*) *procul dubio contra spiritum Dei agit, qui aliquid contra veritatem attentat, quoniam ipse est spiritus veritatis.*

Dices, nonne licet religioso ad arctiorem religionem transire sine obtenta licentia sui prælati? Respondeo primò, illum transitum esse ab Ecclesia illo modo approbatum. Deinde ibi mutatur status in perfectiorem, quæ exceptio fuit in priori professione virtute inclusa, & ita non agitur contra illam: hic verò non mutatur status, sed in eodem assumitur certus vitæ modus, quem non licet propria voluntate assumere, quia licèt ille modus vitæ videatur secundùm se perfectior, tamen ei, qui in tali statu existit, melius est obedire, & contra obedientiam nullus viuendi modus potest esse in tali statu perfectior.

XVI.

At verò quando hic status vitæ solitariæ nõ supponit statum religiosum, licet possit fortasse dici modus viuendi perfectior, quoad actionem, vel quoad vsum, non potest dici status perfectior, quia status non est: & ex ea parte imperfectus modus vitæ est, quia potest propria voluntate mutari. Quomodo dixit Glossa in dict. c. *qui vere*, Eremitam trãseundo ad monachum, transire ad vitam arctiorem, quia iam nõ potest habere proprium: adde, & quia iam est sub obedientia, quod est omnium optimũ, quantum ad statum spectat. Quin potius licet supponatur religiosus status, si non supponitur exercitatio religiosa in congregatione fratrum, & magna virtus, ac perfectio acquisita: illud vitæ genus regulariter loquendo eligibile non est, quia non est via secura ad perfectionem, sed periculis plena: *Nisi diuina gratia* (ait D. Thomas) *suppleat quod in aliis per exercitationem acquiritur, vt in S. Benedicto, & aliis.* Quamobrem absolutè, ac humano modo loquendo, ille viuendi modus omnino solitarius, illo modo assumptus, non cadit sub humanum consilium, nec potest dici simpliciter melior, sed solùm cum hoc addito, nisi specialis Spiritus sancti instinctus interueniat, ita vt homo interius ab Spiritu sancto certitudinem accipiat, quòd sub protectione, & directione sua illum suscipiat. Quin etiam addo, regulariter item loquendo, etiã religiosis viris, & in vitę sanctitate exercitatis, salubrius esse in fratrum con-

gregatione, quàm in solitudine versari, vt docuit Basilius ser.1.de Institutis monachorum,vbi ad minimum in conuentu denarium numerum requirit, ex professo verò id disputat regula 7. ex fusioribus, comparatione facta inter vitam solitariam, & cœnobiticam,& hanc multis rationibus præfert.

XVII. Quæ à fortiori probant,statum religiosum in vita communitatis esse longè vtiliorem,& securiorẽ, quàm in vita priuata domestica,& non omnino solitaria,quia in tali modo viuendi & desunt vtilitates vitæ communis,quales sunt,maior, & quasi cõtinuus obedientiæ influxus,adiutorium aliorũ fratrum per exemplum,per correptionem, & per alia charitatis opera, plures item occasiones exercendi omnes virtutes, humilitatis præcipuè, ac charitatis,maior custodia, & vigilantia ad proficiendum, & vitandos omnes defectus;atque aliæ similes. Deest etiam in illo viuendi modo illa specialis cõmoditas,vacandi semper Deo, propter quam vita solitaria in veneratione,& admiratione habetur. Vnde factum est,vt vterque modus vitæ religiosæ priuatæ, seu solitariæ, ferè ab vsu Ecclesiæ sublatus fuerit. Domesticus quidem & vrbanus (vt sic dicã) vt parum vtilis,& occasionibus expositus: eremiticus verò,& omnino solitarius vt periculosus,& ordinariè etiam minus vtilis, nisi sub actuali obediẽtia alicuius religionis retineatur.

XVIII. Addo prẽterea,etiam illo modo,quo vita eremitica præfertur à D.Thoma cœnobiticæ, intelligendum id esse præcise stando intra latitudinem vitæ contemplatiuæ,ideo enim solitaria vita præfertur, quia ad actualem contemplationem aptior est. Nihilominus tamen si vita illa omnino solitaria & otiosa illo sancto otio, quod diligit charitas veritatis,vt Augustinus ait;si illa(inquam)comparetur cũ vita actuosa, actione illa, quæ ex contemplatione manat, & aliquam conuersationem inter homines requirit: perfectior simpliciter est hæc vita, quàm illa omnino solitaria,vt manifestè probat discursus eiusdem D.Thomæ, d.q.188. art. 6.& ideo in art. 8. ab illa comparatione vitæ socialis, & solitariæ, separat religiones, quæ ad actiones aliquo modo ordinantur,de quibus iam dixerat, eas, quæ ad docẽdum, & prædicandum ordinantur, ex suo genere præferre his,quæ tantùm contemplationi vacant, quia altius est perficere,quàm perfici,& ex abundãtia perfectionis prouenit, contemplata aliis tradere.Vnde Basil.dict. regula 7. vitam socialem maximè præfert propter exercitium operum charitatis, inter quæ potissima sunt quæ proximè ex ipsa contemplatione nascuntur.Hoc etiam videtur confirmari exemplo Ioannis Baptistæ, qui post vitam solitariam ad prædicandũ accessit. Item ad hoc propositum vtiturInnoc.III.in d.c.*nisi cum pridem*,de renun.exemplo Ieremiæ, dicens ad quendam Episcopum,qui propter otium contemplationis Episcopi munus recusabat; *S.ire debes non esse te sanctificato in vtero sanctiorem & ideo non oportet te prædicationis iam susceptæ respuere ministerium*, &c. Et in fine illius capitis plura dicit in confirmationem huius sententiæ,quę inferius c.8. cùm iterum hæc comparatio occurret afferemus.

XIX. *Vita acta sit antiquior.* Vltimò possunt hi duo status comparari in antiquitate,vter scilicet antiquior fuerit. Quidã enim censent eremiticũ fuisse antiquiorem : nam authorem cœnobiorum dicunt fuisse Antonium, quem præcesit Paulus, qui eremitarum pater post Christum appellatur, quamuis ante ipsum Christum illius vitæ exempla præcesserint in Elia,Eliseo, & Ioanne Baptista teste Hieronymo epist.22. Sed nihil certum existimo posse in hoc statui : & si quid affirmandum est, verisimilius videtur, cœnobia fuisse antiquiora.Nam à tempore Apostolorũ,& D. Marci inceperunt,siue clericorum, siue monachorum,vt in superioribus tactum est,& infrà tract.10 lib.1.etiam dicetur. Et tempore etiam Elisei & Prophetarum fuisse societatem aliquam inter solitariam vitam agentes,ex antiquis authoribus colligitur. Verisimile autem est nunquam defuisse aliquos, qui desiderio contemplationis maioris solitariam vitam amauerint,vt ait Cassianus collat.18.c.6.& ideo hi duo status quoad hoc dici possunt æquales, quamuis ordine magis cõgruo cœnobiticus debeat præcedere,vt dixi n.15.licèt interdum ex diuina inspiratione ordo mutetur, sicut Paulus ad solitudinem statim vocatus est, occasione quidem vitandi persequutionẽ, vt suprà ait Cassianus & Nicephorus lib.8. Histor. cap.39.& 40.ex speciali tamen Dei prouidentia ad singulare illius vitæ exemplum Antonius & Benedictus solitariam vitam prius coluerunt, & postea ad multorum perfectionem cœnobiticam instituerunt.

CAPVT III.

Vtrùm religio rectè diuidi possit in militarem, & non militarem.

OMisso statu religionis solitario, quia vel in vsu iam non est,vel si aliquo modo est, pars est cœnobitici, & de illo iam satis diximus : agendum sequitur de varietate quadam adhuc generica ordinum religiosorum, nempe militarium. Nam militares ordines multum ab aliis differre videntur, & in cõtrouersia est,an sint religiones simpliciter, vel secundum quid,ideo hoc in primis discutiendũ est. De aliis enim non militaribus liquet & dari in Ecclesia, & in ea esse non solùm statum religiosum simpliciter,sed etiam maximè perfectũ,& pro nunc satis distingui à militaribus per negationem finis illarum,quia videlicet ad corporalem militiam ordinatus non est.

De militaribus ergo ordinibus duplex quæstio I tractari potest.Vna est de possibili, an possit religio militaris institui,id est,per se primò ad militandũ, quam præsenti c expediemus. Alia de facto,an ordines militares, qui nunc sunt instituti, sint verè, propriè,ac simpliciter religiones quam in caput sequens reseruamus. Præsentem ergo quæstionẽ tractat D.Thom.2.2.quæst.188.art.3.& respondẽt affirmando : & rationem reddit, quia militare debito modo, potest esse opus insignis charitatis,& religionis;religiones autem actiuæ ad huiusmodi actus instituuntur. Vt autem certa ab incertis discernamus, supponendum est, actum militãdi debitis circunstantiis factum,esse opus bonum, & iustũ,quod latiùs ostenditur in materia de Bello 2.2.quæst.40. contra aliquos hæreticos,qui dixerunt,bellum esse intrinsecè malum, vel saltem lege Euangelica prohibitum,quod est euidenter falsum,vt positiuè cõstat ex tota Scriptura veteri;ex noua autem,saltem negatiuè, quia nulla talis prohibitio in ea continetur,nec ex traditione habetur, sed potius oppositũ constat ex consuetudine Ecclesiæ:nam Christianissimi Principes sæpè bella gesserunt iustissima propter Ecclesię defensionem,approbantibus,imò excitantibus Summis Pontificibus, imo & Deo ipso miraculosè ea confirmante. Denique ratio est cumdens,quia ad pacem,& defensionem Ecclesiæ id saepe necessarium est : & in Principibus supremis est ius,& potestas ad tuendam,imò & ad vindicãdam suam Rempublicam.

Est autem vlteriùs considerandum,duplex posse esse bellum iustum:vnum,quod ad temporalem II. finem tantùm proximè ordinatur,vt sunt v.g.bella,quę ordinariè geruntur inter Principes Christianos, nam licèt ex alteta saltem parte sint iusta, non tamen per ea intendunt, nisi aliquod temporale domi-

dominium, quo priuati sunt, aut iustam vindictam alicuius publicæ iniuriæ, vel aliquid simile. Aliud vero est bellum non solum iustum, sed etiam pium ac religiosum, quia proximè à militantibus ordinatur ad defendendam religionem, finem, vel Dei populum ab iniurijs infidelium, paganorum, vel hæreticorum. Tale fuit bellum Machabæorum, quorum exemplo D. Thomas maximè vtitur; & in Ecclesia tale habitum semper fuit bellum contra Turcas pro defensione, vel restauratione terræ sanctæ. Et ideo antiquissimum fuit, voto se Deo consecrare ad huiusmodi bellum; vel ad præstandum fauorem, vel auxilium in eo militantibus, & insigne crucis assumere in signum talis voti, & obligationis, vt colligitur ex cap. *ex multa*, & ca. *postulastis*, cum multis aliis de voto, & ex supra dictis de votis simplicibus reseruatis, inter quę tale votum computatur. Huiusmodi etiam fuit bellum Caroli V. Imperatoris contra hæreticos Lutheranos, & similia.

Altero modo.

III. *Bonitas 1. mixtum sufficit ad finem religionis.*

Religio ergo ad militandum, non pro quocunq; bello iusto instituti potest, vt benè adnotauit Caiet. dicto art. 3. & significauit D. Thomas cum dixit, militiam religiosam non ordinari ad bonum temporale, sed finem mundanum: hic enim finis non excludit quin bellum sit iustum, nam seruata æquitate potest quis velle sua temporalia bona, propter temporale commodum, vel propter ipsum principatum terrenum. At vero militia inter hos limites contenta, quantumuis iusta, non potest esse finis religiosi status, quia est actio merè terrena, & temporalis, non minus quam mercatura, vel alia similis negotiatio. Item, quia status religiosus debet primariò respicere cultum Dei, & pietatem, ac perfectionem animæ, militia autem illo modo spectata, licet habeat quandam bonitatem moralem, quatenus iusta est; non tamen continet diuinum cultum, nec est opus pietatis, nec per se confert ad animi perfectionem: quin potius ex se multis est periculis expositа, quæ nisi compensentur ex aliquo perfecto fine religionis, & boni communis, non sunt eligibilia ei, qui velit perfectionem consequi.

IV. *Sufficit tamen bonestas 2. modi.*

At verò si sumatur militia religiosa (vt sic dicam) id est, quæ pro defensione Christianæ religionis, & Ecclesiæ, ac innocentum assumitur, sic quidem potest esse finis aptus, vt propter illum instituatur religio, & hoc modo dicendum est, possibilem esse religionem militarem, id est, ad religiosè militandum, tanquam ad proprium scopum, & finem institutam. Hæc est mens D. Thomæ supra, cuius sententia sine controuersia ferè communiter recepta est, & vsu Ecclesiæ satis confirmata: nam militares ordines sub nomine, & approbatione religionum, iam diu in Ecclesia fuerunt, & initium sumpserunt ab Vrbano II. ante 570. annos, vt ex historijs illorum temporum constat, & attigit Thomas Bosius tom. 2. de signis Ecclesiæ lib. 19. cap. 1. num. 22. vbi originem, & progressum harum religionum breuiter recenset. Probatur autem ratione, quia finis ille optimus est, & valde perfectus, & ad Dei gloriam, & cultum multum pertinens; sed ad illum finem possunt esse aptissima media illa eadem, quæ substantialiter constituunt religiosum statum: ergo si accedat debita potestas, seu authoritas Summi Pontificis, vt facilè potest, nihil deerit ad verum statum religiosum. Consequentia euidens est ex hactenus dictis. Maior etiam declarata iam est. Minor explicatur, & probatur. Nam inprimis votum castitatis aptissimum est ad illum finem, quia obligatio coniugis, & onera matrimonij multum impediunt libertatem necessariam ad militandum, & ad exponendum vitam suam bellorum periculis, nulla habita cura vxoris, aut filiorum. Supposito autem cœlibatu, consecratio castitatis per votum per se est gratissima Deo, eritque vtilis ad obtinendum ab ipso auxilium in eo munere maximè necessarium. Est autem valdè vtilis ad conseruandam animæ puritatem, adeo necessariam his, qui vitam suam tot periculis expositam gerunt. Denique ad sanitatem, & robur corporis conseruandum, ad illud munus adeo necessarium, plurimum conferre potest. Atque eædem, vel similes vtilitates in voto paupertatis inueniri possunt. quia vt aliquis verè, & ex corde Dei militiæ se consecret, & lucrum temporale in ea non quærat, nulla potest esse melior dispositio, quam rebus omnibus temporalibus omnino renunciasse; totumque illius affectum deposuisse; alias multum semper esset periculi, bellandi potius propter rem familiarem augendam, quã propter Deum, ex qua intentione sæpissimè oriuntur bella iniusta, furta, ac prædationes, & similia. Deinde status militiæ requirit animum liberum omni cura & solicitudine, vel augendi, vel conseruandi temporalia bona. Item requirit animum adeo despicientem res huius mundi, vt etiam vitam suam contemnat, propter diuinum obsequiũ, eamque quotidie periculis exponat, ad quæ omnia optima dispositio est abrenunciatio temporalium bonorum.

V. At verò obedientia, etiam secluſa religione, per se maximè necessaria est in bello, quia sine illa nec debitus ordo, nec executio opportuna occurrentium actionum, & mediorum, nec debita solicitudo, ac prouida rerum omnium distributio, seruari potest: cum tamen ex his circumstantiis fœlix belli successus maximè pendeat. Ergo si militia sit religiosa, & solum propter Deum, ad perfectionem eius maximè pertinebit, vt illa obedientia voto sit consecrata Deo: sic enim & superiores maiori cum protestate, & fiducia præcipient, & inferiores maiori cum reuerentia, & promptitudine obedient. Accedit, quod in negotio tam arduo nihil potest esse fœlicius, quam diuino nutu, per Vicarium, cui Dei nomine se tradidit, gubernari, sic enim & ipsa opera erunt maioris meriti, & maiori ratione poterit in eis diuinum auxilium sperari. Tandem, qui hoc Dei bellum militat, debet esse expositus, vt huc, vel illuc, vbi fuerit necessarium, vel ad actionem communi bono magis opportunam, mittatur, hanc autem animi præparationem confert obedientia: est ergo hoc votum tali statui maximè accommodatum.

VI. Vnde etiam concluditur, traditionem illam, quę in professione religiosa fit, huic statui maximè congruere, quia illa nihil aliud esse videtur, quam præparatio quædam ad perfectam obedientiam, & simul ad paupertatem, & rerum omnium nudationem. Nam qui se tradit, se abnegat, & se quodammodo derelinquit; ideòq; optimè dispositus est ad obediendum, &c. Quin potius qui militiam profitetur, non solum actionem, sed etiam animam & vitam ponit in manibus prælati, perfectè ergo se tradit: nihil igitur in tali viuendi modo, ad verum statum religionis deerit, si ita institutus sit.

VII. Contra hanc veritatem visus est tenere Sarmiento in suo defenso. 1. p. nam monit. 57. ita obiicit, officium, quod tendit ad irregularitatem, opponitur religioni; sed officium militandi tendit ad irregularitatem homicidij, vt per se patet: ergo non est vera religio quæ ad hunc finem instituitur. Quo argumento ipse quidem solum intendit probare, religiones militares, quę nunc sunt, non esse veras religiones; tamen, si ratio est alicuius momenti, etiam probat, non esse possibilem talem religionem veram; an verò ipse hoc senserit, vel calore disputationis excesserit, & consequutionem non viderit, haud satis scio. Respondeo tamen facilè, distinguendo maiorem, officium tendens ad irregularitatem opponitur religioni clericorum, transeat;

religioni laicorum, nego assumptum. Quia cum talis status non ordinetur ad sacerdotium, nihil ei officit irregularitas, cum illa nec peccatum sit, nec ex peccato trahatur, nec sit per se intenta, sed per accidens consequatur. Illa ergo consecutio irregularitatis, valdè accidentaria est ad statum perfectionis.

VIII. Grauius obiici potest, quia status religionis debet esse schola perfectionis acquirendæ, at verò status militiæ non potest esse status perfectionis acquirendæ: ergo. Probatur minor, tum quia perfectio duo requirit, & carentiam, vel diminutionem culparum, quoad fieri possit, & profectū in omnibus virtutibus, præsertim in charitate, & cognitione Dei. Ad vtrumq; autem est ille status valdè improportionatus. De primo patet, quia munus illud est infinitis periculis peccandi expositum, tum propter nimiam exteriorem communicationem cum aliis hominibus, qui nec religionem profitentur, nec ordinariè honestè viuunt, quæ conuersatio, & familiaritas vix potest moraliter excusari, tū propter ordinarium otium, quod in hoc vitæ genere esse solet, quandiu actuale bellum non agitur: tum propter alias innumeras occasiones, quarum effectus satis ipsa experientia ostendit. De secundo patet, tum quia ob easdem occasiones, & causas non potest esse in his hominib. frequens virtutis exercitium; tum etiam, quia nulla, vel parua est, aut moraliter esse potest in tali statu institutio spiritualium magistrorum, minorque vigilantia, & custodia prælatorum: quomodo ergo potest esse talis status, status perfectionis?

IX. Respondeo, statum perfectionis esse omnem illum, in quo præter præceptorum obseruantiam, consiliorum via custodienda est ex vi talis viuendi modi, & præsertim vbi seruanda sunt tria illa magna consilia, quæ ostendimus in tali statu posse reperiri. Certum est autem in illo statu posse seruari præcepta, & illa etiam, & ad hunc finem posse prouideri sufficientia media. Item status perfectionis est ille, qui destinatur ad aliquid agendum propter Deum, quod perfectionem charitatis & requirit, & ostendit, & affert; tale autem opus est animam suā ponere pro amicis suis, vt Christus dixit, quod planè faciunt, qui huic sacræ militiæ se consecrant: ergo talis status ex ratione sua sine dubio perfectionis est.

X. Considerandum autem est, in rebus creatis nullam substantiam esse perfectam, nisi debitis sit accidentibus ornata, & similiter in rebus moralibus, & præsertim in statu vitæ, non satis esse quod habeat substantiam (vt sic dicam) talis status, sed necessarium esse vt debitis sit circumstantiis, & particularibus mediis communitus. Solùm ergo concludit ratio facta, in huiusmodi statu moraliter necessarium esse, vt priusquam milites actuali militiæ committātur, in virtute aliquo tempore instruantur, & exerceantur, quod libenter concedimus. Tum quia dignè, & cum debita intentione religiosa militare, est potius opus perfectionis acquisitæ, quam acquirendæ; religio autem, licet possit esse ad exercendam perfectionem, per se requirit, vt sit schola acquirendæ perfectionis, & debitus ordo postulat vt priùs quis perfectionem acquirat, quam illam exerceat. Tum etiam, quia nisi huiusmodi milites priùs sint in virtute radicati, & fundati, nō poterunt, moraliter loquendo, effugere pericula peccandi, quæ in eo statu occurrunt, vt obiectiones factæ ostendunt. Ex quo etiam vlterius colligi potest, conuenientissimum esse, & moraliter necessarium, vt in talibus ordinibus militaribus sint conuentus religiosi, in quibus fratres milites aliquandiu versentur, & in virtute, ac perfectionis via instruantur, priùs quam militiæ se dedant, & ad illos aliquoties recurrant tempore pacis, seu quando ab vsu militiæ commodè vacare possunt, vt in virtute instaurentur, &, si pro humana fragilitate lapsi fuerint, vel de virtute aliquid remiserint, reparentur, & reficiantur.

Denique ex eodem principio colligitur, valdè XI.
etiam opportunum, ac expediens esse, vt hæ religiones non sint purè militares, sed coniunctionem aliquam, seu mistionē habeant cum religione spirituali, & societatem cum religiosis, qui non militiæ, sed spiritualibus exercitiis, & cultui diuino incumbant; vt nimirum possint milites à clericis religiosis in rebus spiritualibus instrui, & iuuari. Vnde in historiis de origine ordinis militaris Sancti Iacobi refertur, apud Didacum de la Mota lib. 1. de fundatione illius ordinis cap. 2. §. 2. & cap. 3. cum prius ille ordo in solis militibus per modum cuiusdam fraternitatis incepisset, & in vitæ honestate, ac virtutis profectu perseuerare non potuisset, milites ad se reuersos intellexisse, se non posse Domino militare, nec institutum suum secundum debitum finem perficere, sine religiosis sacerdotibus, & spiritualibus, à quibus spiritualia reciperent, ideoque cum religiosis quibusdam canonicis regularibus in vnum religionis corpus conuenisse. Atq; hunc morem aliæ religiones militares in vniuersum seruant, vt constat. Atque ita sufficienter ostensum est, & religionem militarem esse possibilem, & obiter tactum est quomodo debeat exerceri munus illud, vt statui perfectionis accommodetur.

CAPVT IV.

An religiones militares, quæ nunc sunt de facto, comprehendantur propriè sub genere status religiosi.

SVpereſt dicendum de altera quæstione, quæ difficilior est, an religiones militares prout nunc I.
sunt in Ecclesia, quoad milites, sint veræ religiones simpliciter, & absolutè. Dico autem, *quoad milites*, quia quoad clericos, vel monachos, cum quib. habent supradictam in proximo cap. nu. 11. vnionem, non est dubium quin illi veri religiosi sint, veram enim professionem faciunt, & se Deo dedicant immutabiliter, & tria vota substantialia plenè obseruant, ex vi suæ professionis. Difficultas ergo est de militibus, & constitui maximè solet in hoc, quod illi non emittunt votum castitatis simpliciter, sed coniugalis tantum, hæc autem castitas non videtur sufficiens ad constituendum statum simpliciter religiosum: ergo. Probatur minor, primò, quia detione status religiosi est votum castitatis, adeo vt hoc non possit Summus Pontifex immutare, vt dicitur in cap. *cum ad monasterium*, de statu Monachorum; sed illud non est votum castitatis simpliciter, sed tantùm secundum quid: ergo non potest constituere statum religiosum simpliciter, sed tantùm secundum quid. Secundò, quia status religiosus postulat professionem obseruandi consilia, præsertim castitatis, illud autem votum non est de consilio castitatis seruando, sed solum de seruanda ea castitate, quæ ex natura rei est necessaria, & in præcepto: ergo non satis est ad statum religiosum constituendum; quia modus ille seruandi eandem castitatem alias necessariam, maiori obligatione non promouet homines ad opera consilij, & perfectionis facienda, sed solum ad seruanda strictius præcepta, vel ad summum ad maiorem perfectionem eiusdem operis præcepti, quod satis non est ad opus perfectionis. Tertiò, si attentè consideretur ratio, ob quam est necessaria obseruatio continentiæ ad perfectionem, planè constabit, castitatem coniuga-

fugalem ad hunc finem satis non esse. Quia quod maximè impedit profectum perfectionis, est ipse vsus matrimonij, cum omnibus oneribus, & curis, quas secum affert. Vnde Paul. 1. Cor. 7. quando consilium castitatis dat, præcipuè consulit abstinere à matrimonio, & virginitatem seruare: & rationem subdit dicens, *Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine vxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.* & infra, *Porro hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueos vobis iniiciam, sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obseruandi.* Sentit ergo matrimonium, & vsum eius, hoc impedimentum afferre, & non solam illicitam venerem, sed etiam coniugij honestatem diuidere cor, & afferre curas, & solicitudines, quæ perfectionem impediant: ergo ad statum perfectionis simpliciter non potest sola castitas coniugalis sufficere. Vnde Basil. regula 5. ex fusiùs disputatis, locum hunc tractans, ait, Paulum occupationes, quæ ex matrimonio nascuntur, cum his, quæ propter Deum sumuntur, opposuisse, *Perinde quasi hæc cum illis cohærere non possint.*

II. Quartò accedunt similes rationes ex alijs duobus desumptæ. nam talis paupertas ab his militib. vouetur, vt non liberet eos à solicitudinibus huius seculi, nec reprimat affectum conquirendi diuitias. imò, quod peius est, ad hoc talem paupertatem vouere videntur, vt ditiores fiant. denique, cum parentes filiorum sint, illis thesaurizare debent: quomodo ergo perfectam, & religiosam paupertatem profiteri possunt? De obedientia formari argumentum posset simile, quia qui obligatus est vxori, & curæ filiorum, ac familiæ, non potest perfectam obedientiam profiteri: tamen quidquid sit de vsu, quoad hanc partem non est difficile rationem religiosi status saluare, si cætera non desint.

III. Propter has, & similes difficultates nonnulli moderni authores docuerunt, hos militares ordines, prout iam instituti sunt, & vsu seruantur, non continere verum religiosum statum, quoad milites, sed tantum secundùm quid. Primus huius assertionis author videtur fuisse Soto lib. 7. de Iustitia, articul. 3. & in 4. d. 27. quæst. 1. articul. 4. vbi vehementiùs inuehitur in mores, & vitam horum equitum, quàm fortasse par esset. Eius tamen opinionem secutus est Sarmiento in suo Defensorio initio, & p. 1. monit. 6. & lib. de Redit. Eccles. p. 4. cap. 1. qui etiam addidit, hos milites non esse personas Ecclesiasticas, neque gaudere priuilegio canonis, vel fori: & monit. 16. negat hos emittere vota substantialia religionis. Idem tenuit postea Azeuedo libro 5. Nouæ recopil. lib. 3. titul. 5. lib. 14. num. 3. Ludouicus Lopez in Instruct. conf. 2. p. cap. 48 & nonnulli alij, qui in suum fauorem afferunt D. Thom. 2. 2. quæst. 185. art. 4. ad 3. vbi sic ait, *illi modi viuendi, in quibus homines matrimonio viuuntur, non sunt simpliciter, & absolute loquendo religiones, sed secundum quid, in quantum scilicet et in aliquo participant quædam, quæ ad statum religionis pertinent.* Imò significat vlterius Soto, milites hos, cum quibus dispensatum est, vt possint vxores ducere, non solùm post hanc dispensationem, verum etiam ante illam, quando inhabiles erant ad matrimonium, non fuisse verè religiosos: arguens enim, quia si ante hoc priuilegium matrimonium contrahere tentarent, nihil facerent, quod non aliunde emanare videtur, nisi à ratione religionis; Respondet, non inde prouenire quod sit vera religio, sed ex Pontificis statuto. Vnde etiam concludit, non solùm modò, verùm etiam antea, per professionem huius militiæ non dissolui matrimonium præcedens ratum, & non consummatum: quod etiam de militibus S. Ioannis affirmat in 4. vbi suprà. Quamuis fateatur, quod certum est, eos nunc esse inhabiles ad matrimonium: sentiens etiam illos non esse inhabiles ex vi voti, seu veritatis religionis, sed ex statuto Papæ: & ideo subiungit ibidem, posse Pontificem cum his dispensare vt ducant vxores, salua eorum religione, licet non esset (inquit) ita honestum & condecens: quæ omnia ferè sequitur Sarmiento suprà.

In quo non loquitur Sotus consequenter, nam in priori loco lib. 7. de Institut. concedit hos milites Sancti Ioannis esse propriè religiosos, quia *pro suo instituto* (ait) *conuentum habent, & obedientiæ speciem, neque matrimonium contrahunt.* At in altero loco 4. ait, non contrahere matrimonium, solùm ex statuto Papæ, non ex proprietate religionis: & in alijs religiosis militibus censet id non fuisse antea sufficiens, vt essent veri religiosi, cum tamen in reliquis pares essent, nam etiam habent obedientiæ speciem, & antea maius habebant. ex sua etiam institutione conuentum habent, quanuis hoc ad veritatem religiosi status necessarium non sit. Aliam etiam repugnantiam in dictis eius inuenio, nam apertè sentit, hæc vota omnium horum militum, etiam S. Ioannis, per se esse simplicia, & solùm habere, vel habuisse illum effectum inhabilitandi ad matrimonium ex statuto Pontificis, sicut votum ordinis sacri: alijs verò locis ipse contendit ad veritatem religionis necessarium esse votum natura esse sua solenne, id est, vi sua, absque constitutione Ecclesiæ impediens, ac dirimens matrimonium, quomodo ergo cum his stat, vt milites Sancti Ioannis sint veri religiosi? Denique in eo etiam non sibi constat, quod ait, non esse ita honestum, & condecens cum his, sicut cum alijs militibus dispensare, vt matrimonium possint contrahere: nam si votum eorum est eiusdem rationis, & in alijs fuit decens, & expediens, vt in lib. de Iustitia ipse docet, cur non erit in his? tam enim est obseruatu difficilis castitas ab his, sicut ab alijs; & in eisdem periculis versantur, & eodem modo lautè viuunt. Est ergo de omnibus eadem ratio, si Papa velit sua potestate vti, de facto verò fortasse non est inuenta tanta necessitas in militibus sancti Ioannis: & præsertim, quia impensiùs suæ professioni, & militiæ vacant, & maiorem quandam rationem ordinis, & obedientiæ retinent. IV.

De militibus ergo sancti Ioannis, pro constanti supponimus, esse veros religiosos ex vi institutionis suæ. Ita sentiunt omnes Doctores citandi, & Soto non negat. Et probatur, quia possibilis est religio vera & militaris, vt supra ostensum est; sed in hoc instituto inuenitur quidquid ad veritatem talis religionis desiderari potest; ergo. Patet minor, quia in primis habent integrum votum castitatis, vt supponitur, vota autem paupertatis, & obedientiæ non habent certam mensuram necessariam ad veritatem status religiosi, sed satis est quod sint secundum aliquam regulam approbatam, qualis est illa religio. Præsertim, quia quoad paupertatem re vera sunt incapaces dominij, & omnis vsus, seu dispositionis eius, sine superiorum facultate: quod autem in hac maiorem aliquem latitudinem habeant, spectare potest ad minorem rigorem, non ad tollendam substantiam religionis. Eademque ratio est de obedientia, præsertim cum ex vi instituti teneantur ad obediendum in re satis ardua, & difficili, qualis est aggredi quæcunque pericula belli propter fidei defensionem. V.

1. *Assertio pro militib.*

Quod

VI. Quod autem Soto ait, impedimentum contrahendi matrimonium in his religiosis esse tantùm ex statuto Ecclesiæ, & non ex vi religionis: primùm nihil obstat veritati status religiosi, nam hoc commune est omnibus religiosis professis, vt ex sententia Bonifacij, & Gregorij Pontificum, & ratione tomo præced. ostendi. Deinde, voluntariè videtur hoc dictum, in hoc genere professionis, seu religionis, magis quam in aliis: nec ab ipso Soto differentia hæc aliqua ratione probatur, aut declaratur. Cur enim in alijs religionibus inhabilitas hæc intrinsecè oritur ex natura talis professionis, & in hac non, nisi ex statuto Ecclesiæ? Aut enim ex sola ratione generali, quia militaris religio est, vel ex aliqua speciali: primum dici non potest, alias nulla militaris religio posset esse vera religio, quia ipse Soto putat, illam solam esse veram religionem, quę vi sua hanc affert inhabilitatem; consequens autem falsum esse ostensum est cap. præced. Secundum etiam excogitari non potest, quæ enim specialis ratio fingi potest necessaria ad hunc effectum, quæ in religione militari inueniri possit, & in hac non inueniatur? Deniq; ipse ait, hunc effectum sequi ex traditione, per quam efficitur religiosus, quasi seruus religionis, sed hæc traditio inuenitur in his religiosis, alioqui religiosi non sunt, quod ipse Soto alibi dicere non audet. Igitur si in alijs religionibus illa inhabilitas sequitur ex natura votorum, & professionis, etiam in hac: vel quod verius est, sicut in aliis, ita etiam in hac solennitas illa est ex constitutione Ecclesiæ, quod ad veritatem, & proprietatem religionis nihil refert. Quare falsum est etiam quod Soto ait, per professionem in hac religione non dirimi matrimonium ratum, non consummatum, oppositum enim in citato tomo ostendimus. Denique non video qua consequentia, aut ratione Soto admittat Pontificem posse in hac professione dispensare, cum de cæteris religionibus non militaribus id neget, de quo etiam infra dicendum est. Quæ ferè omnia attingit & confirmat Nauarrus consil. 2. de conuersione coniugat. quod incipit, *Quidam nobilis.*

VII. *Consectarij ex assertione.* Hinc concluditur, omnes religiones militares, quæ à prima sua institutione cum integro voto castitatis, ac reliquis institutæ fuerunt, quandiu in illo statu, & integritate permanserunt, veras ac proprias religiones fuisse: nam rationes factæ de religione sancti Ioannis, prout nunc est, idem de cæteris probant, quoad illum statum, & tempus, pro quo durauit.

An etiam ordines militares, qui castitatem tantum coniugalem vouent, sint propriè religiones.

VIII. *Non videri veros religiosos.* Difficultas verò superest de his, quæ vel à principio solum castitatem coniugalem pro militibus professæ sunt; prout de militibus sancti Iacobi refertur: vel per relaxationem à Pontifice concessam ad eum statum defecerunt, nam iam perinde se habent ac si à principio ita essent institutæ; quia iam re vera nihil amplius vouent, aut profitentur, & ita remissio illa non est tantùm in vsu; sed in ipso statu, & ideo videtur transiisse à statu religioso, ad non religiosum, seu solùm secundùm quid religiosum.

IX. *Opinio Nauarri affir. eos esse verè religiosos.* Nihilominus communis opinio est, hos milites etiam nunc esse veros religiosos, simpliciter, & absolutè. ita tenet Nauar. consil. 11. de regular. quod incipit, *Quidam eruditissimus*, vbi ad hoc confirmandum affert communem sententiam asserentem cõtra D. Thomam, Pontificem posse dispensare cum religioso vt vxorem ducat: sed illa sententia, vt ego opinor, nihil ad rem præsentem facit, nam illa non asserit posse fieri per dispensationem, vt religiosus manens religiosus ducat vxorem, licitè, & validè, sed vt desinat esse religiosus, & ita possit id facere. Nec rectè dici mihi videtur, statum hunc esse religiosum, cum perpetua (vt sic dicam) dispensatione: sed cum li institutione, quæ iam non requirat dispensationem, & ideo dixi num. præced. perinde esse hanc rem considerandam, ac si à principio religio ita esset instituta. Affert etiam ibi Nauarrus ad hoc declarandum, solennitatem voti iure Ecclesiæ, & non diuino esse adiunctam professioni religiosæ. Sed hoc etiam non existimo ad rem facere, nam licet inhabilitas ad matrimonium sit ab Ecclesia addita, tamen votum integrum castitatis, & obligatio ad non nubendum à Christo tradita sunt, & sub consilio posita cum statu religioso: punctum ergo difficultatis est, an tale votum, integrè saltem obligans, sit de essentia status religiosi absolutè dicti. Nam quod Nauarrus ibidem subiungit, sicut solennitas voti fuit ex institutione Ecclesiæ, ita etiam ex eiusdem voluntate, & institutione pẽdere, quod ad religiosum statum requiratur votum integrum castitatis, vel partiale sufficiat, non est æquè certũ, nec eiusdem rationis. Nam solemnitas illa, quæ consistit in inhabilitate ad matrimoniũ, intrinsecè non est necessaria ad perfectionem, licet deseruiat ad occasiones tentationum magis tollendas: & non est res consistens in voluntate hominis, sed in extrinseca lege; at quod votum castitatis sit integrũ, vel coniugale tantùm, multùm videtur ad perfectionem pertinere intrinsecè, & natura sua: & ideo non videtur simile, quod possit Ecclesia statum perfectionis approbare sine solennitate voti, vel etiam sine integritate.

X. *Opinion Nauarri ampliatur.* Eandem nihilominus sententiam docuit idem Nauarrus statim consil. 12. & latiùs in tit. de Reditibus Eccles. q. 1. monit. 55. & 56. & q. 3. monito 27. & sequentib. quibus locis latè contra Sarmientorem hanc disputat. Eandem sententiam comprobat Martinus Ayala in Compendio, & declaratione ordinis sancti Iacobi, cap. 1. & 2. Breuiùs eam attigit Couarr. in Epit. 4. p. 2. cap. 3. §. 1. num. 18. vbi allegat Fortunium Garciam in quodam consilio pro ordine sancti Iacobi: latè Michael Medina lib. 4. de Sacr. hominum continen. controuer. 7. ca. 33. Pro eadem sententia refert alios, & præsertim varios Doctores Hispaniæ, qui ei subscripserunt, Didacus Motta, in speciali opere de hac re lib. 2. cap. 1. & 2.

XI. *Fundamentum huius sententię partim authoritate nititur, partim ratione. Primò ergo ad hoc afferuntur Bullæ Pontificiæ, à quibus hæ militiæ approbatæ sunt, vt ordines regulares, ac religiones: & ita in eis sæpissimè nominantur. Has latè, & eruditè adducit Didacus Motta in 1. lib. illius operis, & in lib. 2. earum verba doctè expendit, & ideo pauca hic attingam. Solum aduerto in eis numquam expressè, directè, & quasi ex instituto tractari, an talis sit vera religio, necne; sed solùm sub nomine religionis sæpius significari, & de illa tanquam de Ecclesiastico quodam gradu tractari, ac denique eisdem formulis loquendi, religiosam professionem, habitum, fraternitatem, obedientiam, & cætera similia, huic statui, ac alijs religionibus attribui. Sic Alexander III. in principio suæ Bullæ, *In Ecclesiastici gradibus* (ait) *generationes iustorum per tempora hîs succedunt*: iudicans statum illum ad gradus Ecclesiasticos pertinere: & infra, *In habitu, & conuersatione religionis, sub vnius magistri statuerunt obedientia commorari*: & infra, *A Sede Apostolica requisistis, vt vos tanquam peculiares filios in defensionem vestram, & locum, in quo caput ordinis factum fuerit, in ius, & proprietatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ suscipere deberemus*: & infra, *Ordinem vestrum au-*

thori-

thoritate Apostolica confirmantes, &c. & infra, *Inter ea, quæ in professionu vestra ordine statutum est obseruari, primus est, vt sub vnius magistri obedientia, in communi humilitate absq; discordia, sine proprio viuere debeatis.* Et statim adducit exemplum primitiuæ Ecclesiæ, quod, vt sancti docent, omnes religiones imitatæ sunt; & statim adiungit votum continentiæ coniugalis. Et infrà prohibet post factam professionem *redire ad seculum, vel ad alium ordinem transire sine magistri licentia*: & infrà. Declarat, has personas frui priuilegio canonis. Similia verba reperiuntur multa in alijs bullis, quarum fragmenta prædictus author refert, quę omitto, quia eiusdem rationis sunt.

XII. *Item ex regula ipsa.*

Ex fragmento autem regulæ hęc adnotanda censui. Primum refertur ibid. n. 17. & 18. longam disceptationem Archiepiscoporum, & Episcoporum circa illum ordinem factam fuisse. *Qui* (dicitur ibi) *cum magno gaudio, & celebritate, ordinem sanctum, & confirmatione dignum acceptarunt*, atq; ita Summum Pontificem illum confirmasse. Numero autem 21. ponuntur tria vota, quæ ab his militibus emittuntur, & subditur statim n. 22. *Prædicta autem tria, vt vera, & perfecta status complementum sunt instituta.* Quibus verbis aperte significatur, hunc esse statum perfectionis: ne autem quis dicat sermonem esse de substantiali tantùm perfectione charitatis, subditur statim, *Cùm enim perfecta charitas foras omnem abiciat timorem, & prædicti fratres, pro exaltatione Christianæ fidei, & fratrum defensione personas, & res vniuersas diuersis periculis, & martyrijs indifferenter exponant: Deum tota mente, & totis viribus, & proximum sicut seipsos diligere comprobantur.* Constat enim hanc charitatis perfectionem, quæ foras mittit timorem, & quæ ita omnia contemnit propter Deum, non esse communem, sed excellentem, ac religiosam. Denique in discursu illius regulæ multa traduntur, quæ, si seruentur, magnam quidem perfectionem afferent, & sine profectu in perfectione seruari non possunt: ergo signum est professionem illius regulæ esse statum perfectionis, quia & modus viuendi stabilis est, & à Pontifice probatur, ac votis firmatus, & ad perfectionem ducit; cum ergo non sit status Episcopalis, erit religiosus, quia non est alius status perfectionis.

XIII. *Concluditur ratio fundamentalis ipsius oppositi affirm.*

Atq; hinc tandem manifesta relinquitur fundamentalis ratio pro hac sententia, nam hic ordo est verus status perfectionis, ergo est verus status religionis, ergo eius membra sunt veri religiosi. Prima consequentia probata iam est, & secunda est per se nota, quia verus status religionis non est nisi in singulis personis. Antecedens autem probatum est ex verbis regulæ: & declaratur ampliùs, quia hic status non est vitæ ordinariæ, & communis obseruandorum præceptorum; sed etiam subleuatur ad obseruanda consilia, non vtcunque, sed cum vera traditione totius hominis, totiusq; vitæ eius ad obsequium Dei, & in actu satis difficili, qualis est vitam pro defensione honoris, & Ecclesiæ eius tot periculis, ac laboribus exponere. Ac denique cum obligatione perpetua ad illa tria magna consilia, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, quatenus ad illum finem accommodata sunt, & sufficiunt, ergo est status perfectionis.

XIV. *Differitur hæc ratio discutiendo per singula vota substantialia.*

Quia verò in his votis, & præsertim castitatis opposita opinio num. 8. maximè hæret, ampliùs in hoc puncto explicanda est dicta ratio. Ponderanda ergo sunt illa vltima verba in fine præcedentis nu. posita, quatenus ad talem finem accommodata sunt, & sufficiunt. Quia, vt rectè Nauarr. Coarr. & alij aduertunt, non est de ratione status religiosi in communi sumpti, vt summam paupertatem, vel obedientiam profiteatur, alioqui vix vlla esset vera religio: & saltem hæ religiones, de quibus agimus, etiam quoad illam partem, qua ex clericis constant, non essent veræ religiones, quod nullus audebit concedere: sequela autem patet, quia etiam illi non profitentur summam paupertatem, vel obedientiam, sed iuxta suam regulam. Ergo vnaquæque religio determinat sibi certum modum, & mensuram circa materiam horum votorum: hęc autem non potest meliùs aliunde sumi, quam ex fine religionis: quia omnes res morales ex fine sortiuntur media, & speciem, modum, & formam; hæc autem vota sunt media ad perfectionem, vnde sicut perfectio in tali religione, quæritur determinatè in tali actione, quæ est scopus proprius illius religionis, ita etiam vota & eorum materiæ debent illi accommodari. Cùm ergo hę religiones, etiam quoad milites, hæc vota vsurpent, cum debita mensura, ac modo respectu sui finis; & finis alàs sit sufficiens ad perfectionem, vt in c. 3. probatum est, nihil illis deesse potest ad veritatem religionis.

At enim dicet aliquis rationem hanc optimè satisfacere pro voto paupertatis, & obedientiæ: de quibus profectò nulla potest esse ratio dubitandi, si de institutione, non de vsu loquantur, vt loquimur. Pro voto autem castitatis, non videri satisfacere: nam inter hoc votum, & reliqua est notanda differentia, quod materia castitatis non videtur recipere moderationem, seu diuisionem, nã tota materia eius, quæ est contra matrimonium, non est consilij, sed præcepti, solùm continentia à matrimonio, & vsu eius est in consilio tantùm: & ideo, si quis vouet castitatem, quæ est in consilio, necessariò vouet totam castitatem, vel saltem tenetur seruare totam castitatem, quia ex tali voto tenetur non consummare matrimonium, & consequenter vel ex eodem voto, vel saltem ex naturali iure tenetur omninò castus esse: si autem non vouet castitatem quoad abstinentiam à matrimonij copula, non amplectitur consilium castitatis, nam castitas coniugalis non est in consilio, sed in præcepto. Cum ergo ad statum perfectionis necessarium sit vouere castitatem, quæ est in consilio, non potest diuidi hoc votum ex parte materiæ, ita vt ad perfectionem sufficiat. Quod non est in aliis duobus, quia potest quis vouere paupertatem, & obedientiam quatenus in consilio sunt, & tamen non vouere omnia, quæ in ea materia sunt in consilio, quia non est necessarium ad perfectionem sequi omnia consilia.

XV. *Prædictam rationẽ non videre concludere quoad votum castitatis.*

Explicanda ergo sunt tria: primum quomodo castitas coniugalis accommodata sit huic instituto. Secundum, quomodo sufficiens ad statum religiosum. Tertium, quomodo tale votum sit de materia consilij. Primum in regula & bullis citatis insinuatur, & ex ipso fine, & actionibus ad illum necessarijs non obscurè intelligitur. Cum enim finis illius instituti sit, agere iustum bellum pro fidei defensione, non potest natura sua non esse multis periculis humanis expositus, considerata hominis fragilitate. Quia necesse est, vt inter frequentes occasiones milites versentur: item necessarium est ad conseruandas corporis vires, pro laboribus belli sustinendis, illud abundantius reficere, & robustius reddere, quod vix potest fieri, quin simul aculei carnis, & sensualitatis augeantur. Deinde pro ratione status, & muneris, hæ personæ non possunt in claustris viuere, nec ordinariè, & ex regula asperioribus vestibus vti, nec denique applicare alia media ad castitatem seruandam moraliter necessaria. Quia ergo status religiosus ita debet ad opera perfectionis in ordine ad aliquem finem obligare, vt non implicet homines periculis peccandi: ideo considerata ratione illius finis, & status, castitas coniugalis videtur accommodatissima.

XVI. *Tria explicanda pro obiectione proxima.*

Deinde erit talis castitas sufficiens, si fini illius reli-

XVII.

religionis, seu instituti per eam satisfiat. Quod ergo satisfiat, sic patet. quia finis illius instituti non est contemplari, nec contemplata alijs tradere, nec spiritualibus ac internis exercitijs impensiùs vacare, ad quos fines necessaria est perfecta custodia castitatis. Et de his loquebatur Paulus, cum dicebat, *qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi*: quia illa solicitudo re vera impedit prædictos fines spirituales, & consequenter perfectionem status, qui ad illos ordinatur. At horum militū status ordinatur ad seruiendum Deo in actib. externis, & re militari, ad quem finem non est absolutè necessaria castitas, quæ excludat coniugium: nam licet quis vxorem habeat, potest cum tota perfectione necessaria debitis temporibus militiæ vacare: ergo ad talem statum suffi-ciens esse potest votum castitatis coniugalis.

XVIII. *Primus modus explicandi parū sufficiens.* Quod denique hoc votum aliquo modo suffi-ciat, vt consilium castitatis in tali statu aliquo modo seruari dicatur, explicari potest: Primò, quia offerre Deo, & voto consecrare castitatem alioqui necessariam, consilium est; sed hoc non videtur satis, quia illud non est profiteri castitatem, quæ sit in consilio, sed solum est facere opus consilij in vouendo. Secundò ergo explicatur, quia ex vi voti castitatis tenetur hic religiosus abstinere ab vxore, quæ est materia consilij castitatis, quia, secluso voto, abstinere à tali vsu, non esset præceptum. Assumptum patet, quia hi milites tenentur multis temporibus separari ab vxoribus, vt militiæ interfint; & vxores etiam hoc patienter ferre, de quo debent à principio admoneri ante matrimonium, si veri iam religiosi sunt, vel postea quando consentiunt vt religiosi fiant. Quæ explicatio non displiceret, si sufficienter probaretur hanc obligationem nasci in his militibus ex voto castitatis: at hoc facilè negabitur, sed nasci dicitur ex voto obedientiæ, vel ex regula. Et potest hoc suaderi, quia licet hi milites aliquando fortè peccent non eundo ad bellum contra obedientiam, aut contra iustitiam, si tenentur ratione stipendij, vel commendæ adire: non tamen peccabunt contra votum castitatis, etiamsi illo tempore suis vxoribus vtantur? ergo signum est non obligari ad eundum in bellum ex voto castitatis. Antecedens patet ex bullis, & instituto ipsorum: quia solùm vouent castitatem coniugalem, sed ille actus non est contra castitatem coniugalem, vt per se patet: ergo non est contra votum. Imò licèt militiam debitò tempore omittant, ob amorem vxoris, vel ob nimiam libidinem, aut affectum rei vxoriæ, licèt peccent contra iustitiam, vel obedientiam, ratione actus præcepti, à quo impediuntur, non tamen videntur peccare contra castitatem coniugalem, & consequenter nec contra votum.

Secundus modus explicandi.

Sed nihilominus probabile mihi est, eos peccare contra castitatis votum, saltem quando debitam militiam omittunt ex affectu ad rem vxoriam, quia iam tunc ille affectus in tali persona non solum est contra iustitiam, vel obedientiam, sed est contra castitatem, quia est intemperatus affectus libidinis, quia licèt de se mala non sit, ex indebito modo potest affectus eius esse malus; & quamuis videatur illa malitia consistere in hoc, quod est causa alterius mali, seu omissionis: tamen non solùm est malus ille affectus, quia causa est, sed etiam quia in se inordinatus est: non enim ideo est inordinatus quia est causa, sed quia est inordinatus ideo est causa: effectus ergo non confert, sed indicat malitiam: quæ in illo affectu non est alia nisi intemperantiæ contra castitatem: ergo actus libidinis ex illo affectu procedens, etiamsi sit cum propria vxore, contra castitatem est, quia in illa delectatione vltimus finis constituitur: ergo eadem ratione est contra votum castitatis talis personæ; quia votum castitatis coniugalis, licet non prohibeat vsum castum propriæ vxoris, impedit nihilominus omnem vsum intemperatum illius, sic enim omnis vsus vxoris propriæ, vel contra debitum ordinem, aut modum, aut propter solam voluptatem, est contra votum castitatis coniugalis, licèt sit magis, vel minùs graue peccatum pro ratione materiæ. Quocirca licèt votum castitatis coniugalis in alijs personis non habentibus talem statum, non inducat talem obligationem, quia in eis talis affectus non esset malus, nec nimius, in persona nihilominus, quæ illum statum, per tale votum simul cum alijs profitetur, vsus ille est castitati contrarius: atque ita necesse est, vt votum solius castitatis coniugalis in tali statu factum, aliquam continentiam comprehendat, quæ simpliciter sit in consilio, & non in præcepto.

XIX. Potest etiam hoc alio exemplo, seu actu declarari; quia verisimillimum est, obligari hos milites ex vi suæ professionis ad ita moderandam rem vxoriam, vt per illam non extenuentur viribus, sibi ad militiam necessarijs. Nam cum ad eum finem primariò profiteantur, & hæc media abeis assumantur, & promittantur, vt necessaria moraliter ad illum finem consequendum, videntur profectò, sicut ex voto obedientiæ obligantur ad obedientiam illi fini necessariam, & cum proportione ad paupertatem, ita etiam obligari ad castitatem coniugalem, quę continentiam illi fini necessariam præscribat. Igitur ex hoc etiam capite nimius vxoris vsus poterit in tali persona esse malus, & voto contrarius, qui aliàs in persona omnino libera non esset peccatum. Vnde in eadem regula Sancti Iacobi cap. 9. aliàs 25. dicitur, milites non debere vti abstinentijs, & afflictionib. corporis, quę vires ad militiam necessarias debilitent: ideoq; in his rebus obediendum esse Magistro: ergo multò magis in alia materia requiret moderationem. Et sicut ibi obedientiam, ita hic vult regulam esse castitatis obseruationem. Neque nunc contendo, an tale peccatum mortale sit, vel veniale: nam licet sit contra votum, poterit interdum esse veniale, quia inordinatio illa in ordine ad castitatem, videri potest materia leuis: id quod parum refert, satis enim est ad statum perfectionis, quod ille obligetur ad seruandam cōtinentiam, quantum materia est capax in tali actu, vel opportunitate. Vnde licèt hæ personæ voueant simpliciter castitatem coniugalem, tamen prudenter intelligitur de castitate coniugali proportionata tali personæ, ac statui: quæ castitas non solùm includit abstinentiam ab omni vago concubitu, & ab omni turpi delectatione ad illum pertinente, sed etiam debitam moderationem in vsu propriæ vxoris, conuenienter ad finem talis status. Denique huc etiam spectare videtur, quod in dicta regula cap. 13. alias 32. prohibentur hi milites ad vxores accedere, cum ieiunauerint, & in solennitatibus Sanctæ Mariæ, Sancti Ioannis Baptistæ, Apostolorum, & in alijs maiorib. festiuitatibus, & vigilijs earum. Et in Bulla Alexandri III. de confirmatione illius ordinis, ante medium, significatur, non debere hos milites suscipere vxores sine licentia Magistri; maximè si ad secundas nuptias, mortuis priorib. vxoribus, transire voluerint. Hæc autem omnia indicant in hoc statu seruandam esse, saltem secundum regulam, aliquam castitatem, quæ non est in præcepto, sed in consilio: quam totam verisimile est sub voto comprehendi, quia vouent seruare tria vota iuxta talem regulam.

XX

XXI. Atque hæc quidem omnia probabiliter declarant materiam talis voti, tamen ne scrupulos, aut laqueos iniiciam, non existimo certum, nec necessarium, has circumstantias castitatis, quas explicui, licèt pertineant ad perfectionem, & ad regulam, & conuenientem modum illius religionis, cadere sub proprium

proprium votum castitatis, ita vt in eis peccare sit propriè sacrilegium, aut maius peccatum, quàm sit illud, ad quod obligat talis regula; quia coniecturæ adductæ, licèt sint congruentes, tamen non cogunt, vt asseramus illam esse materiam talis voti, sicut multa seruantur ex regula in aliqua religione, quæ ad perfectionem paupertatis pertinent, & tamen non statim sunt materia voti paupertatis, vt vilioribus pannis vti, vel quid simile, ita ergo in illis omnibus dici potest. Quamuis autem hoc admittatur, nihilominus ad statum religiosum censebitur sufficiens, castitatem necessariam ad salutem ex voto seruare, maiorem verò aliquam ex regula, & generali obligatione tendendi ad statum perfectionis, quē quis profes⁹ est, ēt si illa obligatio non sit ex voto, nec etiā fortasse sub culpa mortali.

XXII. *Differitur iam ratio pro quā paupertatem.*

Ex his, quæ de castitate diximus, facile erit de paupertate cum proportione ratiocinari. Constat enim statum illum, qui secum admittit coniugium, non posse exactum, vel magnum vsum paupertatis secum compati. Quia necesse est, vt vxoratus suam habeat familiam, cui prouideat, morale etiam est vt filios habeat, quibus thesaurizare debeat, ergo necesse est, vt professio paupertatis tali statui accommodata hæc non prohibeat: nō ergo potest esse nimium stricta. Item non potest esse tanta, quæ excludit omnem solicitudinem, & curam acquirēdi temporalia bona, quia aliqualis cura huiusmodi intrinseca est statui matrimonij, moraliter loquendo. Quocirca licèt in regulis horum ordinum dicatur non habere proprium, & hoc vouere: nihilominus illud lato modo illi statui accommodato intelligendum est. Quia nimirum non habent dominiū omninò liberum quoad omnem vsum, sed dependentem à voluntate, & licentia suæ religionis: habent tamen vsum illarum rerum ita firmum, vt nō possit iure etiam ab ipsa religione auferri, nisi in casibus certis, ac definitis in ea, nec etiam possint filij talium militum hæreditate paterna priuari; & alia huiusmodi, quæ vel sufficiunt ad dominium, licèt impeditum aliquo modo, sicut est dominium maioratuum, vel certè moraliter illi æquiualet.

XXIII. *Differitur modo paupertatis, ad statum relig.*

Quòd autē huiusmodi paupertas sufficere possit ad aliquē verum statū religiosum, eodem discursu ostendi potest, quo de castitate factū est. Quod hic facilius est, vt Couarr. suprà notauit, quia paupertas maiorem habet latitudinem, & adhuc in perfectionib. religionibus non est æqualis. Ergo ex se non est definitus certus modus paupertatis ad verum statū religiosum, ergo ex fine definiendus est. Nā in omni religione dicātur homines Deo, ad eius speciale obsequium, secundū aliquem finem, qui ad perfectionem sufficiat: vnde paupertas illa, quæ sufficiat ad talem finem exactè consequendum, erit etiam sufficiens ad verum statum religiosum in tali specie, & modo perfectionis. In hoc autem statu, ad finē eius, hic modus paupertatis sufficiens est, quia licèt aliquam solicitudinem temporalium bonorū habeat adiunctam, non tamen tantam, quæ impediat debitum modum tendendi in talem finem. In aliis autem religionibus, quarū finis est spiritualibus exercitiis, vel diuinę contemplationi impensius vacare, necessaria est maior paupertas, quæ omnem solicitudinem temporalium bonorum auferat, quātum humana infirmitas, ac necessitas patitur, & in superioribus declaratū est, at verò in hoc ordine religionum, quæ ad externa opera vitæ actiuæ, & præsertim ad militiam ordinantur, nō est cur requiratur tam stricta paupertas. Sufficiet ergo illa, quæ iuxta conditionem, & modum talis status excludat superflua, & tollat curam, & solicitudinem tali fini repugnantem, qualis est illa, quæ descripta est.

XXIV.

Tandem hinc multò facilius cōcluditur, in hoc statu non deesse verum obedientiæ votum ad statū perfectionis sufficiens: imò si attentè bullæ, & regulæ horum ordinum legantur, inuenientur non parū perfectionis in hac parte profiteri, quantum est ex vi instituti, quidquid sit de vsu, vel dispensationibus, quib. se ab actuali exercitio obedientiæ eximunt: hoc enim non minuit veritatem, & proprietatem status religiosi, licèt perfectionem personarū possit minuere. Et ad eundem modum de aliis obseruantiis, & regulis discurrendum est. Ergo consideratis omnibus, nihil deesse videtur huic statui, quominus propriè, & verè religiosus censendus sit. *Differitur denique de obedientia.*

XXV. *Conciliatio vtriusque opinionis reiicitur.*

Non desunt tamen, qui has sententias in concordiam redigere volentes, distinctione vtantur, dicētes, statum religiosum posse & latè, & stricte sumi, vt est communis distinctio Iuristarum in Rubrica de Regularib. & Summistarum, verb. *Religio*. Atque priori modo, hos milites esse religiosos, eorumque statum verè religiosum: posteriori autem modo nō esse religiosos, nisi secundùm quid, & hoc putant significasse D. Thomam in loco superiùs citato in n. 3. Ne autem per hanc distinctionem tota quæstio reuocetur ad vsum terminorum, necesse est interrogare ab his Doctoribus, quid per religiosum late sumptum intelligant? Nā si sub ea voce omnes personas comprehendant, quæ speciali modo diuino obsequio obligatæ sunt, & non solùm præceptorū, sed etiam consiliorum viam profitentur (sic enim sæpe vox illa *religiosus*. etiam in iure accipi solet) parum profectò his personis tribuunt, idque nec Soto, nec Sarmiento, vel alij negarent: sed id satis non videtur ad ea omnia, quæ Pontifices in suis bullis significant, cum proprietate intelligenda. Si verò aliquid amplius his personis, quod ad proprietatem status religiosi pertineat, attribuunt, quid est cur eos lato modo religiosos, & non stricto, sicut alios appellent? Deinde interrogo, an in illo lato modo includatur analogia, & tanta diminutio, vt nō simpliciter, sed tantùm cum addito, & secundū quid, hi dicendi sint religiosi, nam contra videntur procedere omnia adducta: si verò vniuoce, & simpliciter tales sunt, non oportet ambiguitatem media illa distinctione introducere.

XXVI. *Vera decisio controuersiæ.*

Igitur absolutè asserendum censemus, hos milites quoad statum esse proprie religiosos, quamuis quoad vsum, & obseruantiam reuera non viuant simpliciter religiosè, sed valde secundum quid: hoc enim negare non possumus, nisi adulatores videri velimus. Vt autem distinctius constet quid per verba illa *esse scil. religiosos propriè quoad statum, non ita tamen quoad vsum*, significetur; addimus. In primis ex illo principio (quod scil. habeant statum simpliciter religiosum) haberi, has personas esse Ecclesiasticas, simpliciter loquēdo, & gaudere priuilegio canonis, & fori, ita enim in prædictis bullis expresse dicitur. Et patet, quia specialiter sunt assumptæ sub Summi Pontificis protectione, tanquam personæ specialiter diuino cultui dicatæ. Deinde religiosorum appellatione in iure veniunt, simpliciter loquendo, præsertim quoad fauores, & gratias: tum quia in suis Pontificiis bullis ita simpliciter appellantur: tū etiam, quia censentur habere in Ecclesia proprium, & specialem statum Ecclesiasticum, & non secularem, nec clericalem, ergo religiosum.

XXVII. *Obiicitur à triplici absurdo.*

Dices, ergo talis status venit in iure sub nomine regulæ, aut religionis approbatæ; consequens videtur falsum, alias eius personæ comprehenderentur sub c. vnico, de voto in 6. dicente, votum castitatis solennizari per professionem factam in religione approbata. Item comprehenderentur sub decreto Concilij Tridentini sess. 25. c. 15. de Regularib. quod annos decimum sextum ætatis completum, & integrum annum probationis requirit ad valorem professionis. Respondeo, concedendo primam, & principalem illationē, hoc enim probāt testimonia

Primum absurdum nullum esse.

Pontificum, quę de approbatione horum ordinum adducta sunt. Confirmari etiam potest ex c. vlt. de Relig. dom. & c. 1. eodem tit. in 6. vbi prohibetur omnis professio facta in religione non approbata per Sedem Apostolicam; sed professio in his ordinibus valida est, & consentanea illis decretis: ergo re vera hi ordines comprehenduntur ibi sub religionibus approbatis. Vnde è contrario non dubito, quin, si aliqui intentarent nouam religionem militarem introducere sub specie religionis, & professionis, sine approbatione Papæ, grauiter peccarent, & inciderent in pœnam excommunicationis latam in d. c. 1. de Religiosis dom. in 6. etiamsi non perfectiora vota emitterẽt, quàm in his ordinibus modò emittantur; quia & verba, & ratio, & consequenter intentio Pontificum in illis textibus ad has religiones propriè, & meritò extenduntur. Cùm enim agitur de multitudine, & varietate religionum, quæ est in Ecclesia, militares planè comprehenduntur: cùm ergo ait Pontifex se velle ponere modũ, & terminum huic multiplicationi religionum, has etiã comprehendit: nã simpliciter, & generatim loquitur: item non minor confusio, & perturbatio sequi potest in Ecclesia ex multiplicatione voluntaria religionum militarium, si absq; Apostolicæ Sedis approbatione fiat, quàm ex aliis: imò eò possent sequi maiora pericula, quò talis religionis modus, minus austeritatis, & plus habet libertatis: ergo hæ religiones comprehenduntur sub illo decreto: atque adeo in iure sunt simpliciter religiones approbatæ.

Ordo militaris institutus nequit absque Sede Apost.

XXVIII. *Secundum absurdum non sequi.*

Prima verò illatio, quæ ex ipsa principali consequentia subinferebatur, nõ sequitur, nam licèt votum castitatis horum militum sit emissum in religione approbata, non tamen est votum integræ castitatis, dictum autẽ c. vnicum de voto in 6. loquitur de voto integro castitatis, & ideo non sequitur votum horum militum esse solenne: itaque ex parte status, & approbationis nihil illi deesset ad solẽnitatem, de qua est sermo in illo textu, si alioqui ex parte intensionis materiæ esset sufficiens. Repugnat autem directè, votum esse de sola castitate coniugali, & esse solenne, quoad inducendũ impedimentum irritans subsequens matrimonium. Et eadem ratione certum est, tale votum non esse solenne, quoad irritandum matrimonium antea contractũ non consummatum: impossibile enim est matrimonij vinculum dissolui per votum, quod simul stare potest cum matrimonio postea subsequuto; vt infrà in discursu de votis Societatis iterum dicam tract. 10. lib. 4. c. 1. & 2. Et in præsenti esset valde absurdum, vinculum matrimonij dissolui per assumptionem status, quo perseuerante, & durante in tota sua perfectione, posset contrahi matrimoniũ tum alia.

XXIX. *Votum hoc castitatis quid participet de solennitate.*

Aduerto tamen licèt hoc votum non habeat solennitatem quoad prædictos effectus, nihilominus participare aliquid de voti solennitate quoad perpetuitatem absolutam, propter coniunctionem, quam habet cum vera traditione religiosa: propter quod solent à Nauarro, & aliis authoribus suprà n. 10. citatis, vota horũ religiosorum solẽnia appellari. Vnde etiam habent, vt difficilius multo dispensari possint, quàm vota merè simplicia: quia traditio ipsa ex suo genere, ac natura difficiliorem habet dispensationem, quàm votum merè simplex, vt in superiori tomo tactum est. Hæc autem vota vel omnino, vel certè difficillimè possunt separari à tali traditione, & statu, argumento c. *cum ad monasterium*, in fin. de Regularibus, & ideo multò difficilius dispensari possunt, quàm vota purè simplicia, quæ extra statum religiosum fiũt. Imò addo ex parte causæ difficilius posse dispensari, quàm votum perfectè solenne, quia in hoc potest occurrere necessitas, & causa iustæ dispensationis, suppositâ potestate; in illo verò, etiamsi potestas ex parte Pontificis non desit, vix potest causa sufficiẽs cogitari, quia cum hoc votum non impediat matrimonium tam licitum quàm validum, nulla communis, vel publica necessitas potest dare causam tali dispensationi, nam illi sufficienter per matrimonium succurritur: aliæ verò causæ priuatæ, & occultæ, quæ excogitari possunt, ex fragilitate hominis, vel quid simile, nihil referre possunt, cum lex ipsa naturalis obliget ad superandam illam difficultatem, & alia remedia inquirenda. Vnde potiùs quando necessitas occurrerit dispensandi in proprio solenni voto integræ cõtinentiæ, optimum consilium erit non omninò illum religiosum in non religiosum statum transferre, sed in alicuius militaris religionis statum cum castitate coniugali commutare, si aliquid speciale non occurrat, quod talem personam ad hunc statũ inhabilem, aut minus idoneam reddat.

Vltima denique illatio, quæ fiebat ex Concilio Tridentino à Nauarro variis in locis, admittitur, scilicet, ad professionem faciendam in his religionibus militaribus, esse necessarium integrũ probationis annum, & ętatem sexdecim annorum: ita indicat in consil. 10. de Regularibus, quod incipit, *Cũ Vincentius*, n. 10. ad 3. agens enim de militibus Sancti Stephani, ait, in Rota declaratum esse, eos posse sua vota omittere infra annum probationis: ex quo aliqui inferebant, eos nõ esse verè religiosos: ipse autem respondet, illud esse in eis speciale, licèt veri religiosi sint ex dispensatione Pontificum, qui post Concilium Tridentinum tale illius religionis statutum confirmarunt. Vnde apertè intelligit, in nulla religione militari, quam ipse veram religionem esse vbique defendit, posse professionem aliter fieri, quàm seruatis conditionibus Concilij Tridentini, nisi specialem dispensationem à Pontifice habeat. Et in consilio 12. quod incipit, *Per dilationem*, ait, hos religiosos milites, qui in monasterio habitum suscipiunt, & postea de licentia Magistri, vel alterius legitimi Prælati, extra claustrum illum deferunt per annum in illo probationem sufficienter implere, quia dum versantur sub obedientia prælati, cum habitu, moraliter censentur in claustro versari: quod ad probationem satis est: supponit ergo annũ probationis esse his religiosis ad professionem necessarium. Præterea hoc expresse videtur affirmare in Consil. 9. de iis, quæ vi, incipit, *N. nobilis*, vbi licèt expressius loquatur de defectu ætatis, tamen & latis clarè loquitur de vtroque, & planè est eadem ratio, quam ipse ibi expendit, quia nimirum Concilium æquè de vtraque conditione loquitur, & generalia valde habet verba, scilicet, *In quacunque religione virorum, aut mulierum*, & ita generaliter intelligendum est, etiamsi non militet in omnibus eadem omninò ratio, & maximè addita distributione, *quacunque*, quæ magnam habet vim, vt ibi latè expendit, adductis Doctoribus.

XXX. *Concilio posse ab aliquibus quidam priuilegia tolli.*

Quamuis hæc probabilem efficiant hâc parte nihilominus inter responsa Congregationis Cardinalium inuenio circa illa eadem verba, *In quacunque religione*, ita declaratum esse, *Hoc decreto, & declaratione non comprehendi*, infrà, *Quicunque regularis, non comprehenditur ordines regulares militares, sic etiam Rota decidit*, vbi non ex priuilegio, & dispensatione Papæ, sed ex vi ipsorum decretorum, significat Congregatio, non comprehendi prædictam religionem. Hoc autem supposito, respondendum est, non ideo excipi ab illo decreto, quia religiones non sunt, nam oppositũ in ipsa declaratione supponitur, sed quia decreta illa nec necessaria, nec accommodata sunt illis religionibus: & Concilium loquutum est de religionibus, quibus propter obseruantiam, & rigorem talia decreta si n necessaria; loquutum est autem generaliter, quia, iuxta frequẽtem modũ loquendi,

quendi, cùm est sermo de religionibus, intelligitur esse sermo de his, maximè si subiecta materia id expostulat.

XXXII. Et per hæc satisfactum existimo difficultatibus etiam in principio positis: probant enim religiones has, vel secundùm præsentem statum & vsum, parum habere (regulariter loquimur quoad milites) de exercitio perfectionis ac religionis, vel etiam secundùm se, minorem quandam perfectionē religionis participare; non tamen probant secundùm suam institutionem, & substantiam non esse veras religiones.

CAPVT V.

Vtrùm conuenienter, & sufficienter diuidatur religio in contemplatiuam, & actiuam.

DIuisio hæc aliam supponit, quæ eadem habet membra, diuersum tamen diuisum, scilicet vitam, quæ in actiuam, & contemplatiuam diuidi solet: ex cuius diuisionis intelligentia pendet illa, quā nunc tractamus, & ideo pauca de illa præmittenda sunt, plura enim legi poterunt apud D. Thom. 2. 2. à quæst. 179. vsque ad 182. inclusiuè.

Explicatur diuisio vitæ in actiuam & contemplatiuam.

I. Primò ergo statuendum est, vitā hominis Christiani partim contemplatiuam esse, partim actiuam, & ita conuenienter in illa duo membra diuidi posse. Quam partitionem irrident Lutherani, qui omnia confundunt, voluntque Christianos omnes eiusdem ordinis, status, & occupationis esse; sed contra eos sufficiunt dicta de statibus in genere, tom. præced. Veritas ergo hæc, quantum ad rem ipsam spectat, de fide certa est; quam aliqui colligere volunt ex illis verbis Pauli 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, vt ei placeat, cui se probauit.* Et illud Matth. 6. *Nemo potest duobus dominis seruire*, & infrà, *Non potestis Deo seruire, & Mammonæ.* Sed hæc loca magis conferunt ad probandum distinctionem status religiosi à seculari, quàm ad distinctionem duplicis vitæ, actiuæ, & contemplatiuæ, quæ & in secularibus inuenitur, & maximè in ipsismet hominibus Deo specialiter dicatis, quibus omnibus, siue contemplationi, siue actioni vacent, commune esse debet, vt *non seruiant Mammonæ*, neque *implicent se negotiis secularibus.* Nam si hæc verba intelligantur de seruitio, & implicatione illicita, per ea verba distinguuntur iusti ab iniustis hominibus: non contemplatiui ab actiuis; si verò intelligantur de amore temporalium, & negotiatione in eorum lucris procurandis, licitis quidem, secularibus tamen ac temporalibus, sic distinguuntur homines sequentes perfectionem, vel obsequiis diuinis specialiter dicati, à communi Christianorum vita: nam qui diuitias immoderatas quærunt, & seingerunt negotiationibus humanis propter diuitias, vel honores, vel propter potentiam humanam acquirendam, non sunt apti ad perfectionem sectandam, non solùm per vitam contemplatiuam, verùm etiam nec per actiuam: inde ergo non rectè probatur illa distinctio.

Hæc diuisio quoad rem ipsam, de fide est.

II. Neque erit facile in Scriptura inuenire loca, in quibus ad literam hæc distinctio tradatur: inuenientur tamen multa, in quibus vtraque pars, seu mēbrum illius vitæ commendetur, tanquam ab alio distinctum: quod satis est ad illam diuisionem cōfirmandam. Vt autem hoc ostendamus, oportet supponere primò, nomine vitæ hîc significari actū vitæ, seu illam rationem viuendi, quæ ad talem actum exercendum destinetur, ac tendat. Quod explicuit optimè D. Thom. dict. q. 179. art. 1. ex generali viuentium ratione, quæ in hoc consistit, quòd habeant principium sese mouendi, seu operandi in seipsis, nā inde actualis vita in ipsa operatione censetur consistere, & illa operatio, ad quam vnumquodque maximè tendit, dicitur vita eius. Secundò supponenda est distinctio illa vulgaris non solùm Theologica, sed etiam metaphysica, contemplationis, seu speculationis, & praxis, seu actionis practicæ: hæc enim distinctio in præsenti accommodatur ad modos viuendi hominum, morales, studiosos, & rectos. Contemplatio enim in præsenti non sumitur pro cuiuscumque speculatione veritatis, sed illius, quæ ad Deum, eiusque cognitionem spectat; nec sumitur pro speculatione arida, & sterili, quæ nullum habet fructum circa voluntatem, & rectitudinem eius; sed pro illa, quæ ita subleuat mentem in Dei cognitionem, vt ei totam animam vniat. Actio verò sumitur propriè pro exteriori opera, & occupatione, non tamen pro quacumque seculari negotiatione; sed pro actione virtutis, præcipuè misericordiæ, quæ subleuandis proximorum miseriis, vel corporalibus, vel spiritualibus intendit.

III. Sic ergo explicatis nominibus, solet præcipuè colligi hęc diuisio ex celebri loco Lucæ 10. vbi Christus Magdalenam defendit dicens, *Optimam partem elegit.* Vacabat enim Maria contemplationi verborum Christi, eiusque dulcedine, & amore fruebatur, quod institutum Christus maximè commendauit. Dum verò eam approbat vt *optimam partem*, aliam insinuat esse partem, non malam, licèt non æquè bonam, illam scilicet, cui Martha intendebat, Christo ministrando, eique necessaria præparando. Ita intellexerunt locum illum Patres Ecclesiæ, qui proinde dixerunt, in illis duabus sororibus has duas vitas esse significatas. Augustinus lib. 1. de consen. Euangel. cap. 5. & lib. 22. contra Faustum, c. 52. & sequentibus, & serm. 27. de verb. Dom. & tract. 127. in Ioan. Greg. lib. 5. in libros Regum, cap. 4. & homil. 14. in Ezech. circa medium, & lib. 6. Moral. cap. 26. & 28. alias 17. & 18. Hieronymus in cap. 3. Threnor. circa verba illa, *Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius, & tacebit*, &c. Per quæ etiam verba dicit, laudari vitam contemplatiuam, & condistingui ab actiua; quamuis ad actiuam pertinere dicat, omnem aliam viuendi rationem, præter monasticam & eremiticam: de quo postea videbimus. Idem Hieron. epist. 22. ad Eustoch. de Virginit. post medium, vbi vitam contemplatiuam virginibus sacris præcipuè commendat, illamque optimè describit. idem Basil. in constitut. monast. cap. 2. latè & optimè, & aliqua addit cap. 5. Est denique distinctio hæc apud alios Patres satis communis, quos in sequentibus referemus. Et ad confirmandam adduci possunt omnia loca Scripturæ, in quibus vel diuina contemplatio, vel proximorum beneficentia, & misericordia commendantur, nam priora contemplatiuam vitam, posteriora actiuam commendant. De priori dicitur Psal. 47. *Vacate, & videte, quia ego sum Dominus.* Ad Col. 1. *Sine intermissione orate.* 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate:* & Christus dixit Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deū videbunt:* quod etiam in hac vita suo modo impleri Sancti interpretantur, sicut etiam dixit, Ioan. 14. *Hæc est vita æterna, vt cognoscamus te solum Deum verum*, &c. De posteriori dicitur Matth. 25. *Quod vni ex minimis istis feciſtis, mihi feciſtis*, & cap. 5. *Beati misericordes*, &c. cum similibus. Ex his ergo locis rectè colligimus, esse in nobis duplex genus operationū gratiæ, & sanctitatis, quæ vita supernaturalis est: vnū

Probatur iam diuisio in ipsa de fide.

Suppositio prima pro secunda propositione.

ad internam considerationem, aliud ad externam operationem pertinens: cum ergo vtraque hæc operatio sit quædam vita, rectè secundùm illam duplex vita distinguitur, quarum altera contemplatiua, altera actiua meritò nominatur, iuxta communem vsum illarum vocũ, etiam apud Philosophos, vt suppositum est.

IV. *Obiectio contra nunc resoluta.*

Sed dicet aliquis, hæc duo genera actuum humanorum, & supernaturalium, non esse separabilia ab aliquo modo viuendi huius vitæ mortalis rectè institutо, & ideo non rectè distingui vitam actiuam & contemplatiuam tanquam duas viuendi rationes, sed ad summum tanquam duas operationes, quæ in omni statu rectè instituto copulandæ sunt. Antecedens expresse est Augustini 19. de Ciuitate, cap. 19. & ostendi potest ex eisdem locis suprà adductis, nam omnibus hominibus rectè viuentibus dicitur, *Vacate & videte; & estote misericordes:* & (quod Basilius etiam tanquam mirabile aduertit) Paulus eisdem hominibus ait, *Sine intermissione orate*, & *Nocte ac die laborantes*. Et idem Basilius in Regulis fusius disputatis, regula 37. ex professo ostendit, neminem esse excusandum ab operatione, & labore, prætextu contemplationis. sed statis horis vtrumque esse exercendum. Et Christus ipse quando Magdalenam defendit, non negauit actionem esse necessariam, sed excessum & nimietatem eius reprehendit, concludit autem, vnum esse necessarium scilicet, quod ad sustentationem vitæ vel propriæ, vel proximi fuerit necessarium, vt idem Basilius notauit in Breuiorib. regul. in 20. Et ratio est, tum quia in vita mortali non potest homo semper esse continuè intentus contemplationi, & ideo oportet vt in aliarum virtutum actibus exerceatur: tum etiam quia vnusquisque indiget propria mortificatione, & societas hominum sine mundi obsequiis conseruari non potest, & ideo aliqua actio omnibus est necessaria. Martha etiam licet ministerio incumberet, non omninò priuabatur contemplatione, vt ponderauit Gregor. lib. 5. in 1. Regum, cap. 4. circa finem, circa illa verba Lucæ 10. *Quæ stetit, & ait. Quo exemplo* (inquit) *instruimur, vt, qui fratribus ministeria exhibemus, si per moram sedere ad redemptoris pedes non possumus, per aliquantulam morulam redemptori assistere debeamus.* Considerat autem Gregorius, Martham dum sedulò ministrabat, aliquando per transitum vidisse, & audisse Christum, aliquando verò stetisse, vnde concludit, *Sed bene assistimus si transeundo, & seruiendo videamus. Quid est autem transeundo Dominum cernere, nisi in omni nostro bono opere ad ipsum dirigere cordis intentionem? transimus enim cum huc, illuc discurrendo in membris suis Domino ministramus, sed transeundo Dominum cernimus, si per omne quod agimus, præsentem nobis ipsum, cui placere cupimus, contemplamur.* Vult ergo actionem non debere esse sine contemplatione; & meritò, tum quia sine oratione nihil possumus rectum & pium ex nobis facere, tum etiam, quia nisi interna consideratione homo innumeris periculis exponitur, etiamsi in bonis operibus versari videatur, iuxta illud Hierem. 12. *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde.*

V.

Hæc obiectio postulat vt sensum & sufficientiam diuisionis explicemus. Et inprimis responderi potest, ad vitam actiuam propriè nõ pertinere quamcunque externam actionem, sed illam tantùm, quæ ad alium dirigatur, vt sunt misericordiæ opera. Hoc autem modo recte posse vitam contemplatiuam ab actiua separari, quia potest esse vita, quæ nullis misericordiæ operibus incumbat. Et è contrario contemplationem solùm dici consideratione veritatis ratione sui, & ita etiam posse inueniri actionem sine contemplatione, sed hoc simpliciter verum non est: nam licèt contemplationis præcipuum obiectum sit Deus, non tamen adæquatè, sed est omnis veritas, quæ ad Deum ordinatur. Item, licèt speculatio Philosophica sistat in cognitione: hæc verò contemplatio affectiua, eminenter est practica, & non excludit ordinem ad effectum. Ac denique, licet vita actiua præcipuè versetur in actionibus ad alterum, vt in optimo agibili; adæquatè verò comprehendit omne agibile, & virtutes omnes morales, vt tradit D. Thom. 2. 2. quæst. 180. artic. 1. & quæst. 181. art. 1. & 3. d. 35. quæst. 1. art. 2. & 3. quæstiuncula 1. & sæpe alias, & ex dicendis amplius constabit. Concedendum ergo est, nullum esse posse vitæ studium rectè institutum ad perfectionem obtinendam, quod non aliquid deactione, & de contemplatione participet, vt discursus factus probat. Vnde distinctio illa non est in eò sensu intelligenda, vt vita actiua omnem excludat contemplationem, aut vita contemplatiua omnem actionem. Sed ita denominantur ex eo, quod principaliter intenditur in vnaquaque: sicut enim medium, quod ex contrariis compositum est, ab eo denominatur simpliciter, quod prædominatur, & excedit: ita hominis vita, quæ ex actione & cõtemplatione, non tanquam ex contrariis, sed diuersis muneribus coalescit, ab ea denominatur, quæ in vitæ instituto præminet. Dicitur autem præeminere in præsenti (quod notandum est) non illa, quæ maiori tempore vitę, vel diei exercetur: sed illa, quę habet rationem finis, propter quem omnia illa intenduntur: nam finis in moralibus est qui dat speciem, & præcipuam denominationem. Sicut Aristot. dixit, qui furatur propter mæchiam, magis est mæchans quàm fur, quod verum est etiamsi plus temporis furando, quàm mæchando consumat. Sit ergo quoddam est vitæ institutum quod per se primò, ac principaliter respicit tanquam proprium finem & scopum, opera misericordiæ, hospitalitatę, redemptionem captiuorum, &c. tamen adiungit aliquam orationem, & considerationem, vt opus illud sanctè exercere valeat, & propter generalem rationem cultus diuini, &c. hæc vita dicitur actiua à suo fine. E contrario verò quando principaliter quæritur contemplationis perfectiq, & actio, ac mortificatio corporis in eum finem ordinatur, vt contemplationi inseruiant, illa est proprie vita cõtemplatiua, & ita cessat obiectio facta. Estque differentia hæc consentanea D. Thom. dict. q. 179 art. 1. dicenti, *In hominibus vita vnusquisque videtur esse id, in quo maximè delectatur, & cui maximè intendit. Quia ergo quidam homines præcipuè intendunt contemplationi veritatis, quidam verò intendunt principaliter exterioribus actionibus, inde est, quòd vita hominis conuenienter dinidatur per contemplatiuam & actiuam.*

Bonam esse diuisionem religionis in actiuam & contemplatiuam, non tamen adæquatam.

VI. *De diuisione religionis.*

Atque hinc etiam concluditur cum eadem proportione, recte statutum religiosum diuidi in contemplatiuum, & actiuum. nam religio supra communem vitæ rationem, solùm addit conditionem status tendendi ad perfectionem; certum est autem illud secundum genus vitæ, aptum esse perfectioni quærendæ, nam vtrumque perfecit charitatem, & quantum est ex se excludit omnia peccata, in quibus duabus rebus substantia perfectionis consistit. Vnde optime Nazianzen. orat. 10. in laudem Cæsarij, §. *Age nunc, Philosophari,* (inquit, eo verbo indicans contemplatiuam vitam) *vt maximum ita & difficillimum est, nec id aggrediendi multorum*

vt non

est, nec aliorum quàm quos diuinæ afficit mentis magnitudo, quæ bonæ hominum voluntati manum porrigere solet. Non parum autem hoc quoque æstimandum est, si quis secundum vitæ genus complexus, probitati studeat. Vtrumque ergo vitæ genus propriæ sanctificationi, & perfectioni principaliter studet. Ergo vtrumque aptum est, vt per modum status tendendi ad perfectionem assumatur, & votis religiosis consecretur.

VII. Quod etiam ita factum esse vsus ipse Ecclesiæ catholicæ satis ostendit: nam quædam sunt religiones monasticæ, quæ ad contemplationem solam principaliter ordinantur, cuiusmodi sunt omnes illæ, quæ per se, & ex institutione sua circa proximos non versantur, & in laude Dei præcipuè occupantur, &, si quid habent actionis, ad propriam tantùm perfectionem refertur, vel accidentarium est tali statui. Aliæ verò sunt religiones, quæ ad actiones misericordiæ exercendas erga proximum, præcipuè institutæ sunt, & in ordine ad illas expeditè, & perfectè exercendas, & cœlibatus eligitur, & curæ omnes diuitiarum tolluntur, & obedientia promittitur, vt patet in religionibus Mendicantibus, & aliis, quæ vel infirmis curandis, vel redimendis captiuis, aut aliis similibus operibus incumbunt. Rectè ergo diuiditur religio in contemplatiuam, & actiuam: quia religio vna distinguitur ab alia ex proprio fine, seu scopo, & propriis mediis, vt suprà dictum est cum D. Thoma quæst. 188. art. 1. & 6. At hæ religiones habẽt diuersos fines proprios, quamuis enim conueniant in generali fine quærendi propriam perfectionem, & diuinum obsequium, tamen proximos fines habent diuersos, scilicet perfectionem contemplationis, vel actionis, vt declaratum est.

VIII. Vnde consequenter necessarium est, vt in propriis mediis principalioribus differant, nam licèt aliqua generalia habeant communia, vt sunt tria vota substantialia, aliqua corporis castigatio, oratio aliqua & similia: necessarium nihilominus est, vt in aliquibus omninò propriis differant, quia necesse est vt ad proprium & singularem finẽ propria etiam media accommodentur, qualia sunt v. g. confabulatio cum proximo, vel ab illo separatio: peregrinari extra domum, aut in clausto semper manere, exercitium chori, aut studij, & similia. Ergo meritò religionis status in hæc membra diuiditur, vt diuersa: nam in his rebus non metaphysica, aut physica distinctio quærenda est, sed moralis, quæ cum illa physica quandam proportionem obseruet.

IX. *Quædam pars neg. probatur.* Maior difficultas est circa sufficientiam huius diuisionis. Aliqui enim censent, addendum esse tertium membrum religionis mixtæ ex contemplatione, & actione: nec sine magno fundamento, quia non repugnat dari religionem, quæ simul contemplationi, & actioni principaliter intendat. Primò, quia hæc duo non sunt inter se ita repugnantia, quin simul possint cum magna perfectione simul principaliter intendi. Secundò, quia Christus Dominus hoc vitæ genus professus est, ideo enim & pernoctabat in oratione Dei, & prædicabat, ac discurrebat benefaciendo & sanando. Vnde idem vitæ genus Apostolos docuit, nam & cum ipso in montem ascendebant, & in hortum Gethsemani frequenter cum ipso ad orandum conueniebant: & cũ eo similiter incedebant ad prædicandum, & ab eo mittebantur bini ad prædicandum, & curandum infirmos: denique hac ratione ipsi dicebant Actor. 5. *Nos autem orationi, & verbo instantes erimus.* Tertiò sumi potest argumentum ex verbis Christi, Lucæ 10. *Maria optimam partem elegit*, prout expenduntur à Caietano 2.2.q.182.art.1. Maria enim puræ vacabat cõtemplationi, & ideo Christus illam appellauit partem, eam præferens alteri parti, quæ in sola actione consistit. Significans esse aliud vitæ genus totale (vt sic dicam) & ex vtraque parte mixtum, & compositum. Atque ita Caietanus ibi hanc videtur sequi sententiam.

X. *Pro parte affirm. arguitur primò ex Patribus.* Contrariam verò partem suadere videtur in primis authoritas D. Thomæ dicta q. 179. art. 2. vbi diuisionem illam bimembrẽ sufficientem esse docet, & videtur esse communis sententia Patrum, quos suprà n. 3. retulimus, duas enim tantùm vitas vbique distinguunt, & ideo per duas sorores Martham, & Mariam significari dicũt: & similiter per Rachel, & Liam, vt latè August. 22. contra Faustum, cap 52. & seq. Greg. lib. 6. Moral. cap. vlt. Ratio est, quam *Item ratione.* D. Thom. ibi ad 2. insinuat, quia nullum est vitæ sanctæ genus, quod contemplationem, & actionem non amplectatur, vt suprà explicatum est, ac denominatur contemplatiuum, vel actiuum ab eo, quod excellit, semper autem aliquod horum prædominatur, ergo necesse est vt vel contemplatiuum, vel actiuum dicatur, & ita diuisio erit sufficiens. Dicet fortè aliquis, posse dari genus vitæ cum tanta æqualitate vtramque partem complectens, vt nulla prædominetur, & consequenter à neutra denominari, & ita esse addendum tertium membrum. At profectò id morale non est, nec ostendetur tale genus vitæ in Ecclesia; quod autem non est, nec fortasse vnquam fuit, non est in moralibus recẽsendum. Accedit, quòd illo etiam posito, denominaretur saltem à nobiliori, & ita esset vita illa contemplatiua.

XI. *Ratio altera pro eadem parte.* Tertiò tamen argumentor aliter, quia non potest vnus & idem status habere duos fines proximos, quos propter se intendat, quæcumque ergo religio contemplationem, & actionem complectitur, vel intendit actionem propter contemplationem, vel è contrario contemplationem propter actionem, non autem vtramque propter ipsam; status autem denominatur ex fine: ergo semper est vel contemplatiuus, si actionem solùm propter cõtemplationem quærat, vel actiuus, si quærat contemplationem propter actionem. Et ita D. Thom. 2.2.q.188. art. 6. religiones illas, quæ ad spiritualia ministeria circa proximos ordinantur, vitam actiuam profiteri dicit, licèt magna ex parte diuinis laudibus, & contemplationi vacent, quia contemplationem ad actionem ordinant, scilicet, vt contemplata aliis tradant. Et ita Societas, quæ vna ex his religionibus est, contemplationem sumit vt vnum ex præcipuis mediis ad auxilia spiritualia conuenienter proximis præstanda, vt constat ex eius constitutionibus p. 10. §. 2. Sic ergo erit sufficiens diuisio, nec oportebit tertium membrum adiungere.

XII. *Arridet magis pars negatiua.* Controuersia hæc magna ex parte potest esse de nomine, & ideo non multum refert alterutro modo loqui, nam vterque loquendi modus in Patribus inuenietur. Dico tamen satis aptè diuidi statum religiosum in illa tria membra, maioris claritatis gratia, & quia D. Augustinus 19. de Ciuitate, cap. 19. tertium vitæ genus adiungit, ex actuoso, & otioso compositum. Potestque hæc sententia confirmari ex doctrina Prosperi in discursu librorum de Vita contemplatiua: Nam in lib. 1. postquam vitam contemplatiuam declarauit, à cap. 13. ostendit, pontifices Ecclesiæ, & prædicatores vitam contemplatiuam debere profiteri, quibus nihilominus tam in illo, quàm in sequentibus libris magna officia tribuit vitæ actiuæ. Idem licet colligere ex doctrina Abbatis Nestorij apud Cassianum collat. 14. c. 4. vbi fic ait, *Quidam summam intentionis suæ erga eremi secreta, & cordis constituunt puritatem, vt in præteritis Eliam, & Eliseum, nostrisque temporibus B. Antonium, aliosque eiusdem propositi sectatores familiarissimè Deo per solitudinis silentium cohæsisse cognoscimus. Quidam erga institutionem*

tutionem fratrum, & peruigilem cœnobiorum curam, omnem studij sui solicitudinem dediderunt, vt nuper Abbatem Iohannem, qui in vicinia ciuitatis, cui nomen est Thumis, grandi cœnobio præfuit, ac nonnullos eiusdem meriti viros Apostolicis etiam signis meminimus claruisse. Quoddam Xenodochij, & susceptionis pium delectat obsequium, per quod etiam in præteritis Abraham Patriarcham, & Loth Domino placuisse scimus, vt nuper B. Macarium singularis mansuetudinis ac patientiæ virum, qui Xenodochio ita apud Alexandriam præfuit, vt nulli eorum, qui solicitudinis sunt secreta sectati, inferior sit credendus. Quidam eligentes ægrotantium curam; alij intercessionem, quæ pro miseris atque oppressis impenditur, exequentes, aut doctrinæ instantes, aut eleemosynas pauperibus largientes, inter magnos ac summos viros pro affectu suo ac pietate viguerunt.

XIV. Hæc autem partitio magis est enumeratio quædam singulorum statuum, qui sub actiuo, & contemplatiuo inueniri possunt, quàm methodica, & immediata diuisio status religiosi. Si enim omnia verba attentè considerentur, supponunt diuisionem suprà datam de contemplatiua, & actiua vita, & vtramque subdiuidunt. Nam in duabus primis clausulis videtur diuidi vita contemplatiua in solitariam, & cœnobiticam; de qua diuisione nos suprà cap. 2. sub generaliori ratione diximus: significatur autem in verbis prædictis solitariam vitam tenere apicem puræ vitæ contemplatiuæ: cœnobiticam autem aliquid de actiua participare, præcipuè in illis, qui aliorum institutionem & peruigilem curam ac solicitudinem suscipiũt: & ita quoad hanc partem indicatur ibi trimembris diuisio. In aliis verò duabus vltimis clausulis diuiditur vita actiua in varias species, iuxta varietatem finium & actionum. Potuisset autem aptiùs distingui in vitam actiuam, quæ corporalibus misericordiæ operibus occupatur, qualia sunt plura eorum, quæ ibi numerantur: & quæ incumbit spiritualibus actionibus, quæ in solo illo verbo ibi insinuantur, *aut doctrinæ instantes*, sub quo verbo (vt adæquata sit partitio) comprehendi debent omnia ministeria quibus animæ proximorum iuuantur, siue sit concio, siue confessio, siue priuatum colloquium, & similia. Et hoc posterius genus vitæ actiuæ non solùm non excludit contemplatiuam, verum potiùs illam requirit vt germanam sororem, vel potiùs eam quodammodo intrinsecè includit, quia magnam internam considerationem in operante exigit; ergo ex illo etiam tertium membrum vitæ mistæ rectè colligitur.

XV. *Idem institutum conficitur consideratis actibus concionandi, &c.* Nam concio v. g. tota est contemplatio quædam externis actibus expressa, quæ non solùm ipsos concionantes, sed etiam alios, quantum in se est, in Deum eleuat; supponit autem, vt rectè fiat, diuturnam orationem, & meditationem eorum, quæ dicenda sunt: & hæc præcedere debet lectio, quæ pars etiam est vitæ contemplatiuæ, vt D. Thomas docet 2. 2. q. 188. art. 6. Et per se constat, quia est veluti primum initium eleuationis mentis in Deum: lectione enim discimus, & accipimus quæ per meditationem conseruamus, & digerimus, & ita paulatim inflammatur anima in Deum. Hinc sunt illi quatuor gradus, quos posuit, & exposuit Bernard. lib. de Scala claustrali, lectio, meditatio, oratio, & contemplatio. Quamuis enim vltimus tanquam perfectissimus, contemplationis nomen per antonomasiam sibi vsurpet: tamen, generaliter loquendo, vita contemplatiua omnes complectitur, *Quia lectio inquirit, meditatio inuenit, oratio postulat, contemplatio degustat*, vt ibidem ait Bernardus, qui postea rectè subiungit; *Ex his possumus colligere, quod lectio sine meditatione arida est, meditatio sine lectione erronea, oratio sine meditatione est tepida, meditatio sine oratione infructuosa, oratio cum deuotione contemplationis acquisitiua, contemplationis adeptio sine oratione aut rara, aut miraculosa.* Sicut ergo inter se connexa sunt, ita cõtemplatiuus status, vt talis est, illa omnia complectitur, tanquam initium, medium, & finem. Sic enim dixit Isidorus, & confirmari potest ex illo Bonauen. in Pharetra, lib. 4. cap. 26. *Omnis profectus ex lectione, & meditatione procedit, quæ enim nescimus, ex lectione discimus, meditationibus conseruamus.* Et Sanctus Vincentius tract. de vita spirit. 6. de somno & vigilia; *Lectio* (inquit) *& oratio sese vicissim excipiant, mutuoque iuuant.* Docent præterea Augustinus, & Patres omnes, Magdalenam, cùm ad Christi pedes sedebat, audiens verbum eius, actum contemplatiuæ vitæ exercuisse, & occasione illius idem dicit Augustinus serm. 27. de verb. Domini, de his, qui cuiuscunque prædicatoris Euangelici concionem audiunt, quia per illum loquitur Deus; at etiam loquitur per librum, dum simili intentione legimus; nam, vt ait Richardus de Sancto Victore lib. 4. de contemplatione, cap. 14. *Sicut per orationem nos ad Deum loquimur, ita per lectionem ipse loquitur nobis.*

XVI. Addo etiam sub verbo illo instanti doctrinæ, nõ solùm doctrinam illam comprehendi debere, quæ per conciones datur, & ad inflammandos affectus præcipuè ordinatur, sed etiam illam doctrinam, quæ ad eruditionem, & illustrationem proximorum ordinatur. Nam, vt infrà agentes specialiter de Societate tractatu 10. lib. 5. cap. 4. ostendemus, institui potest religio, quæ ad hoc etiam actionis genus ordinetur, saltem secundùm aliquem gradum ministeriorum, seu mediorum, quibus ad bonum proximorum vtitur. Quod etiam D. Tho. docuit opuscul. 19. c. 2. & sequentibus, & 2. 2. quæst. 188. artic. 5. & 6. Ex quo etiam licèt intelligere, tale docendi institutum, licèt ex parte actiuum sit, quatenus actus docendi exterior est, & ad alios ordinatur: nihilominus intrinsecè ac necessariò includere contemplationem, quando doctrina est de veritate per se intenta, vt expresse docet etiam D. Thomas 2. 2. quæst. 181. artic. 3. & q. 11. de verit. artic. 4. citans Augustinum dicto sermo 27. de verb. Domin. vbi absolutè de doctrina loquitur, cum ait; *Vt accurrebo, inhient doctrinæ dulcedini:* tum quia hæc doctrina potissimum est sacra, includens meditationem, & considerationem veritatis diuinæ, ac supernaturalis, quæ ex se multùm iuuat ad contemplationem diuinæ sapientiæ, & ad inflammandum affectum. Tũ etiam, quia licet interdum hæc studia versentur circa creaturas, tamen ordinantur ad Dei cognitionem, & amorem, vt principalem scopum, & iam dictum est quidquid ad cõtemplationem ordinatur, vitam contemplatiuam pertinere; præsertim quia creaturarum cognitio, debita intẽtione assumpta, ducit in cognitionem Dei, & vt sic contemplationem participat. Vnde D. Thom. 2. 2. q. 180. artic. 4. ait, omnem considerationem veritatis creaturæ, quę ad diuinam conducit, pertinere ad vitam contemplatiuam, & quæst. 179. artic. 2. ad 4. ait, omnia humana studia, quæ conducunt ad cognitionem talis veritatis, pertinere ad vitam contemplatiuã. Igitur talis etiam vita simul contemplatiua, & actiua esse videtur.

XVII. Videtur ergo satis fundata illa trimembris diuisio, adiungendo præsertim ea, quæ in principio dubitationis numer. 10. posuimus. Nec in re ipsa, vt dicebam, potest in hoc esse dissensio: nam per hanc trimembrem diuisionem solùm declarare intendimus esse quoddam genus vitæ, quod vtrumque munus exactè colit, & exequitur: quidquid sit de denominatione illi tribuenda. Et hoc solùm D. Thomas relatus in numer. 11. voluit in prædicta diuisione, vt satis in solutione ad 3. declarauit: nec aliud

aliud intendunt Patres ibi citati. Et prima ratio solùm insistit in denominatione, de qua plura statim.

XVIII. *An religio complectens contemplationem, & actionem, necessariò vnam ad alteram ordinet.*

In vltimo verò argumento num. 12. posito quippiam tangitur, quod ad quæstionem de re pertinere potest, scilicet, an illa religio, quæ vtrumque munus amplectitur, vnum ad alterum necessariò ordinet, vel vtrumque per se intendat tanquam finē. Quidam enim putant primum necessariò esse dicendum, & ideo religionem semper denominari ab eo munere, quod pro fine habet, sicque non esse necessarium tertium membrum. Mihi autem verius videtur, vtrumque munus intendi vt finem, in his præcipuè religionibus, quæ ad eam partem vitæ actiuæ ordinantur, quæ in spiritualibus actionibus circa proximum cōsistit. Nec tamen affero, vtrumque munus intendi tantùm per modum finis, negari enim non potest, quin actus vitæ contemplatiuæ in tali religione ad actionem ordinentur, nam studium, lectio, meditatio frequentiùs ad seruiendum proximis referuntur: imò etiam ipsa oratio, & vnio cum Deo, propter illum finem potest rectissimè deliberari, & procurari, quia eo quis est aptius instrumentum Dei in auxilio animarum, quò ipse fuerit Deo iunctior, vt rectè dicitur in loco supra citato n. 12. ex constitutionibus Societatis. Nihilominus tamen etiam debet per se ac præcipuè intendi contēplatio, etiam in tali religione; primò, quia contemplatio non est purè medium, sed propter se maximè appetibilis. Secundò, quia in tali religione magis per se intēditur propria perfectio, quàm proximorum; at perfectio propria in contemplatione maximè sistit, & in ea comparatur: ergo. Tertiò, quia talis religiosus non solùm ea contemplatione vtitur, quæ ad auxilium proximorū sibi necessaria est, sed etiam illa fruitur, quæ sibi proficua, & in Deo delectabilis est. Vnde vt rectè suo munere fungatur, quoties circa proximum occupari necesse non est, contemplationi, vel alicui actui vitæ contemplatiuæ se statim applicat; nō propter actionem, sed quia *otium sanctum diligit charitas veritatis*, & ita statim ad illud redit, qui verè amat, quoties *negotium iustum nō imponit necessitas charitatis*: vnde subdit Augustinus 19. de Ciuitate, c. 19. *Quam sarcinam si nullus imponit, perpiendæ, atque intuendæ vacandum est veritati.* Igitur talis religio per se contemplatiua est, & nō tantùm propter actionem, sed propter se contemplationē amplectitur, quod satis significauit idem Augustinus suprà dicens, *Si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem. Sed nec sic omnimoda veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suauitas, & opprimat ista necessitas.*

XIX. *Religio cur actiua, vel contemplatiua vocetur.*

Solet autem talis religio magis actiua, quàm cōtemplatiua nominari (quamuis proprio nomine possit dici mista) vel quia nomen contemplatiuæ vitæ, est quasi exclusiuum, ita vt significet vitam illam, quæ ita per se tendit ad contemplationem, vt actionem nullo modo per se, quæ ad proximos ordinatur, intendat, sed solùm illam exerceat, quàm vel charitas ipsa exigit, vel quæ conducere potest ad contemplationem. Omnis verò alia religio, quę ad actionem circa proximos versatur, dici potest actiua, quæ si in actione corporalis misericordiæ occupatur, propriè, & quasi omnino vel præcipuè talis est; si autem in actione, & auxilio spirituali proximorum versatur, dicitur actiua, quia non in sola contemplatione sistit, non quia illam non per se, ac principaliter amplectatur, vel saltē amplecti possit, si ratio sui instituti hoc patiatur. Potest etiam ita denominari, quia contemplationem potest aliquo modo ordinare ad actionem, actionem verò non ita propriè ad contemplationem.

XX. Dices, potius solet inferius ad superius ordinari, quàm è contrario, contemplatio autem actione superior est, ergo magis potest actio ad contemplationem, quàm contemplatio ad actionem ordinari. Vnde & Gregor. 6. Moral. sæpè repetit, præsertim c. 17. actionem debere præcedere, tanquam parans viam ad contemplationem. Respondeo, quando ordo est causalitatis, & auxilij, optimè ordinari superius ad inferius, ita verò ordinatur cōtemplatio ad actionē vt det illi efficaciam, & vt illam moderetur ne spiritum extinguat. Actio verò non potest hoc modo ordinari ad contemplationem: alio verò modo potest aliqua actio referri ad contemplationem tanquam dispositio præparans subiectum, de qua maximè loquitur Gregorius suprà, & D. Th. 2.2.q.180.artic.2. tamen illa non solet esse actio circa proximum per se, & ex intrinsecis loquendo, sed est illa actio quæ versatur circa propriam mortificationem, pœnitentiam &c. Aliquo tamen modo magis extrinseco potest actio erga proximum ad contemplationem ordinari, per modum meriti; vel impetrationis apud Deum, nam qui erga proximū recta intentione, & vitæ puritate ministerium suū implet, à Deo obtinebit faciliùs donum cōtemplationis; quod ex ipsius gratia, magis quàm ex vlla humana industria pendet.

Obiectio contra mentē dicta.

Dilutio.

CAPVT VI.

Quæ religio sit perfectior actiuane, an contemplatiua, an ex vtraque mista.

I. *De purè actiua certum esse alios, quidquid nonnulli sentiant.*

SVpereſt dicēdum circa diuisionem hactenus tractatam, quæ religio perfectior sit actiua, vel contemplatiua, aut mista. Et de purè actiua nulla est difficultas. Quamuis quidam Iuristæ, vt suos labores exaggerent, suam vitam actiuam contemplatiuæ præferant, & illi etiam actioni, quæ in spiritualibus ministeriis circa proximos versatur: quod videtur sentire Hostiens. in principio Summæ, nam comparans huiusmodi vitam reliquis, ait, *quæsi rectè duceretur, magis esset fructifera.* Addit Alber. l. *per diuersas.* C. Mandati. fore etiam magis meritoriam: sequitur Iaſ. l. 1. ff. de Iustitia, & iure, Lucas de Penna l. 2. C. de pignoribus lib. 12 Licet hi (inquam) authores ita loquantur, tamen vel per exaggerationem loquuti sunt, vel non comparando status seu rationes viuendi, sed personales labores, & merita. Comparādo ergo vitam ipsam secundùm se, certissimum est, hanc purè actiuam, in infimo gradu esse cōstituendam, vt comparatione aliarum minus perfecta sit, nam id satis colligitur ex verbis Christi Lucæ 10. *Optimam partem elegit sibi Maria.* quem locum ita exponunt sancti communiter, vt cap. superiore ex Augustino, & Gregor. & aliis relatum est, & videri etiam potest Gregor. homil 13. & 14. in Ezech. & lib. 6. Moral. cap. 28. Bernard serm. 5. Assumptionis, & 41. in Cant. Ruper. lib. 7. in Genes. cap. 81. Richardus de Sancto Victore lib. 1. de vita contemplatiua, cap. 1. Cassian. collat. 1. cap. 8. Innocent. III. lib. 1. de myster. Missæ c. 63. & in serm. de Assumpt. Bonauent. de septem itiner. æternit. d. 5. Anton. 4. p. tit. 10. c. 4. §. 4. Et ita vt certum supponunt omnes Doctores citandi, & probabitur clare ex omnibus rationibus statim afferendis, pro sequentibus opinionibus.

II. *Quod etiam mixta tedat purè contemplatiua aliquatenus augeatur meritorii. quo-rundam.*

Igitur quòd ex duabus aliis pure contemplatiua præferenda sit, tenet Henric. quodlib. 12. q. 14. & 18. Et primò fauent huic opinioni authores, qui comparando absolute vitam contemplatiuam cum actiua, tanquam duo membra adæquatè diuidentia vitam hominis, absolute præferunt contemplatiuam nā iuxta illum diuidendi modum, vita mista sub actiua comprehenditur, vt paulò antea c. præced. n. 19. dicebamus, & sentiunt omnes, qui vitā actiuā diuidunt in eā, quæ circa actiones corporales,

vel in actionibus spiritualibus doctrinæ, & similibus versatur, vt D. Tho. 2.2. q. 188. artic. 6. Bonauent. in meditat. vitæ Christi, c. 45. Carthus. opusc. de cõtemplat. lib. 1. art. 14. & D. Greg. hom. 14. in Ezech. circa medium; *Actiua vita est panẽ esurienti tribuere, verbo insipientem docere.* Constat ergo in ea diuisione bimembri mistam vitam sub actiua comprehendi, si ergo in eadem diuisione vitæ contemplatiua simpliciter præfertur actiuæ, etiam mistæ antefertur. Ita verò sentit D. Tho. 2.2. q. 182. art. 1. & Caiet. ibi, Bonauent. loco proximè citato, c. 57. & omnibus aliis suprà allatis. Multum etiam fauent huic sententiæ D. Tho. 2.2. q 188. artic. 8. quatenus ait, vitam solitariam ex se, & ex suo genere esse perfectissimam, & ita religionem solitariam comparari ad omnes reliquas sicut perfectum imperfecto: quod non est nisi propter puriorem vsum contemplationis, ad quam status ille omnino ordinatur: ergo contemplatiua religio, vt sic, est perfectior, nam supremum in aliquo genere est mensura cæterorum.

III. *Arguitur etiam ratione.* Ratione item suaderi potest hæc opinio, quia vita purè contemplatiua est aptior ad meritum, & ad diuini amoris augmentum, ergo est de se perfectior ex vi status: consequentia per se patet, nam hæc cõparatio ex vi status facienda est, vt à principio diximus. Vt autem antecedens probemus, aduertendum est, non debere fieri comparationem inter vitam purè contemplatiuam, & mistam, in eo sensu, vt simul pro eodem tempore, actus solius contemplationis, cum actu vtriusque vitæ simul sumpto conferamus: sic enim non erit æqua comparatio, sed totius ad partem. Vt si quis nunc exerceatur in solo amore Dei, alter verò simul æqualem Dei amorem exercẽdo, actu prædicet: sine dubio hic posterior pro hoc tempore magis merebitur, cæteris paribus, quia habet totum meritum amoris, & vltrà prædicationis. Quo sensu etiam vita mista ex actione exteriori erit perfectior, vt si in dicto exemplo simul amet æqualiter Deum, & peregrini pedes lauet. Debet ergo mistio intelligi pro diuersis temporibus, prout humano modo fieri potest, nunc orando, postea legendo, prædicando: & comparari cum vita simplici, quæ pro omnibus temporibus in actibus vitæ contemplatiuæ licèt variis versetur. Sic ergo intellectum antecedẽs probatur, quia formalis actus charitatis, & amoris Dei, ex se sunt magis meritorij, magisque perficiunt charitatem: ergo status, qui ex se aptior est ad hos actus frequentius, & ardentiùs exercendos, aptior est ad perfectionem charitatis, & consequenter perfectior: huiusmodi autem est status vitæ purè contemplatiuæ, tùm quia frequentiùs in ea vacatur huiusmodi actibus, tum quia in meditatione magis ardet diuinus amor.

IV. Secundò, perfectio huius vitæ in duobus præcipuè consistit, in maiori peccatorum diminutione, & in frequentiori Dei memoria ac dilectione, vt in superioribus cum D. Thom. tradidimus; at illa duo faciliùs, securiùs, & vberiùs comparantur per vitã purè cõtemplatiuam, quàm per mistam: ergo. Probatur minor, nam vita contemplatiua minorem habet occasionem peccandi, siue grauiter, siue leuiter: deinde nihil ferè habet, quod auertat animum ab actuali Dei memoria, & consideratione. In actionibus verò circa proximum, multa similia impedimenta, & occasiones occurrunt, vt per se notum est. Vnde in hoc statu vitæ mistæ seruari minimè possunt multæ circumstantiæ exteriores, quas sancti Patres vt necessarias ad perfectionem acquirendam commendarunt, vt habere habitationem seiunctam ab his, qui communem vitam agunt, vt ait Basil. in regula 6. & 7. ex fusiùs disputatis: item custodia claustri, tum ne religiosi illud egrediãtur, tum ne ad confabulandum seculares admittant, vt latè Basil. in Procem. regul. fusi. disput. & duobus sermonibus asceticis, proximè præcedẽtibus: item, vt omni careant solicitudine, & externa cura, quæ illorum mentem possit distrahere, ex eodem Basilio regula 5. ex fusi. disput. circa principium; hæc autẽ omnia, & similia in vita mista nec seruantur, nec seruari possunt. Vnde Bernard. epist. ad Sugerium Abbatẽ, ad hos religiosos, qui cum proximis multum conuersantur, alludens, ait, *Claustrum frequenter stipari militibus, vrgeri negotiis, iurgiis personare, patere interdum & fœminis, quid inter hæc cœleste, quid diuinũ, quid spirituale poterit cogitari? luge, quippe silentium, & ab omni strepitu secularium perpetua quies cogit cœlestia meditari.* & epist. 42. in fine, *labor, & latebræ, & voluntaria paupertas, hæc sunt monachorum insignia, hæc vitam solent nobilitare monasticam.*

V. Tertiò argumentor, quia quo homo in hac vitã magis abstrahitur à corpore in actionibus suis, & Deo, Angelis, ac beatis similior efficitur, eò sine dubio perfectiorem vitam profitetur; at vita contemplatiua quò purior, eò similior vitæ Dei & Angelorum, quia spiritualior; & vitæ beatorum, quia intentior est Dei cognitioni & amori: & quia in vita beata cessant hæc ministeria.

VI. Quartò denique, quia omnes rationes, quæ probare possunt vitam actiuam, quę in actionibus corporalis misericordiæ versatur, esse minùs perfectã contemplatiua, probant cum proportione de alia vita mista. Probatur antecedens, nam in primis illa vita actiua non est sumenda sine vlla contemplatione, sic enim etiam hæc vita actionum spiritualiũ esset valdè imperfecta, & periculosa: sumenda ergo est cum proportione ex parte contemplationis: sic enim dixit D. Thomas 2.2. quæst. 188. art. 2. ad 2. agens de hac vitã, *Dum religiosi operibus vitæ actiuæ insistunt intuitu Dei, consequens est vt in eis actio ex contemplatione deriuetur.* Quæro ergo cur hæc vita in hoc gradu sumpta sit minus perfecta, quàm purè contemplatiua? Certè non alia ratione, nisi quia illæ actiones erga proximũ minoris meriti, & perfectionis sunt, quàm actus contemplationis, qui circa Deum versatur. Vel (quod in idẽ redit) quia tales actiones ad summum procedunt ex charitate proximi; cõtemplatio autem habet adiunctam dilectionem Dei, quæ excellentior est.

VII. Hæ autem rationes eodem modo procedunt de illo gradu vitæ actiuæ, quæ in spiritualibus actionibus circa proximum versatur: nam licèt hæ actiones perfectiores sint corporalibus, & maioris meriti; non excedunt gradum charitatis proximi, vnde non attingunt gradum charitatis Dei, Quòd si dicas, eam posse fieri ex imperio charitatis Dei: idẽ dicetur de actionibus corporalibus: ergo si hoc non obstat quominùs hæc vita absolutè maneat minùs perfecta, quia totum hoc mistum (vt sic dicam) non adæquat simplicem dilectionem Dei, in sua puritate, & summa perfectione existentem, ad quem gradum de se tendit, vel etiam accedit vita contemplatiua: idem planè de alio statu misto dicendum erit.

VIII. Contrariam sententiam, nimirum religionem, quæ simul contemplatiuam vitam ex sua institutione profitetur, & ad spiritualia opera circa proximos descendit, præferendã esse, quoad perfectionem, & dignitatẽ, tenet apertè D. Thom. 2.2 quæst. 188. art. 6. & opusc. 19. cap. 1. & 3. d. 35. quæst. 1. art. 4. quæstiuncula 2. & quæstione 2. art. 3. vbi etiam Durand. quæst. 2. Caiet. 2.2. dicta quæstione 188. art. 6. & quæstione 182. art. 1. Palud. 4. d. 38. quæst. 3. art. 1. in fin. & q. 5. art. 2. Anton. 3. p. tit. 16. c. 1. §. 2. Sylu. in Summa ver. *Religio*, 1. q. 4. Tabien. q. 5. & magis videtur in hanc partem inclinare Henr. quodl. 12. quæst. 25. Hanc etiam sententiam sequuntur Canonistæ in cap. *quod Dei timorem*, de statu monachor. & in cap.

Contraria sententia proponitur & refellitur.

in cap. *nisi cum pridem*, de renunc. Archi. in cap. *si quis.* 36. d. Et probatur primò ex Innocent. III. in d. cap. *nisi cum pridem.* de renunc. circa fin. vbi priùs ait, licèt vita Mariæ sit securior ac suauior, vitam tamen Marthæ vtiliorem, magisque fructiferam esse. Deinde verò subdit, Quamuis simul in vnum & contemplatiuus esse valeas, & actiuus, exemplo Domini: affertque in exemplum Moysem, qui nunc ascendebat in montem, vt ibi gloriam Dei videret, nunc descendebat ad castra, vt cum maiori vtilitate necessitatibus populi prouideret. *Et ideo* (inquit) *facilius indulget vt monachus ascendat ad præsulatum, quam vt præsul ad monachatum descendat.* Quod expressius declarauit idem Pontifex in cap. *Licet.* §. *Si vero,* de Regularib. *Illa* (inquit) *regula obseruata, vt nullus sine licentia Rom. Pont. præsumat occasione quacunque deserere præsulatum, quoniam sicut maius bonum minori bono præponitur, ita communis vtilitas speciali vtilitati præfertur, & in hoc casu rectè præponitur doctrina silentio, solicitudo contemplationi, & labor quieti.*

IX. *Quid aduersus responsa ad obiecta.*

Dices, Pontificem ibi loqui de statu Episcoporũ, quem esse perfectiorem certum est, & à nobis suprà tract. præced. est probatum; non verò licet inde argumentari ad statum religiosum: quia in prælato non ideo est illa actio perfectior, quia secundùm se magis cõferat ad perfectionem propriam, sed quia supponit maiorem perfectionem, à qua proficiscitur, vt argumentatur Durand. 3. d. 35. quæst. 2. art. 8. & ideo est accommodata statui Episcoporum, qui est status iam perfectorum: at religio est status acquirendæ perfectionis, & ideo respectu illius non videtur esse hæc maior perfectio; quia ad propriam perfectionem acquirendam magis confert quies contemplationis. Et ob hanc etiam causam non sunt argumenta efficacia, quæ ex vitæ Christi D. & Apostolici muneris exemplis desumuntur: quia illi etiam fuerunt in statu perfecto, & consummato perfectionis.

X. *Refelluntur.*

Sed hæc differentia nihil obstat. Primò, quia abstrahendo ab hoc, vel illo statu, inquiro, an vita habens actionem spiritualem erga proximum admistam contemplationi, sit perfectior coram Deo, magisque illi grata, quàm simplex contemplatio, vel minùs: si primum asseratur, profecto, in quocunque statu illa vita assumatur, si pro dignitate exerceatur, erit etiam secundùm se melior, & gratior Deo: si autem dicatur secundum, etiam in statu iam perfecto, non erit vita illa præferenda, tum quia in hac vita nullus est status ita perfectus, quin in illo proficiendum semper sit: & ideo illud vitæ genus est in illo statu præferendum, quod secundùm se melius est, magisque confert ad crescendum amplius in perfectione: tum etiam, quia id repugnat exemplo Apostolorum, qui sine dubio magis merebantur, & proficiebant prædicando, & laborando pro salute animarum, quàm solùm contemplando. idque non solùm per accidens, ex feruore affectus, sed etiã per se ex vi actionum: impossibile enim videtur quòd altissimum munus & perfectissimum obliget ad opera minoris meriti, vel quæ secundùm se maius meritum impediant.

XI.

Secundò, quia licèt illa differentia ostendat, in omni statu bene instituto ad salutem proximorum necessarium esse, vt propria perfectio supponatur, & ideo in omni religione ad eum finem instituta, ante vsum talium actionum præcedere debeat sufficiens contemplatio & actio ad propriam perfectionem acquirendam: non tamen licet inde colligere, esse improportionatum illud genus vitę statui religioso, quia in illo non solùm potest perfectio acquiri, sed etiam exerceri: ergo religio, quæ vtrumque amplectitur, ex se perfectior erit. Si enim monachus iam bene institutus, conuenienter ascendit ad præsulatum, & consentanee ad perfectionem, vt Innocentius suprà sentit: cur etiam religiosus iam benè in perfectione institutus, non assumetur ad opera perfectionis ex charitate circa proximos exercenda? Hinc Bernard. ad fratres de monte Dei, colum. 3. monachos suos soli contemplationi vacantes, ad humilitatem hac cõsideratione exhortatur; *Longè* (inquit) *supra vos virtutem eorum suspicientes, & admirantes gloriam, qui ambidextri fortissimi (sicut Abod ille fortissimus iudex Israel, qui vtraque manu vtebatur pro dextera) & quamdiu licet, deuotissimè intus vacare amant charitati contemplandæ veritatis, & cùm necessitas vocat, vel officium trahit, promptissimè se foràs mittunt pro veritate adimplendæ charitatis.* Et sermon. 57. in Cant. egregiè ad hanc rem exponit idem Bernardus verba illa Cantic. 2. *Surge, propera amica mea:* vbi primùm ait, animæ contemplanti dari interdum latitudinem mentis insolitam, & infusionem luminis illuminantis, *vel ad scientiam scripturarum: vel ad ministeriorum notitiam, quorum alterum* (ait) *propter nos oblectandos, alterum propter ædificandos proximos reor dari.* & infrà, *Post hunc tantæ dignationis, ac miserationis respectum, sequitur vox blandè, & leniter diuinam insinuans voluntatem, qua non est aliud, quàm ipse amor; qui otiosus esse non potest, de his, quæ Dei sunt, solicitans, & suadens. Hoc si quidem vera, & casta contemplatio habet, vt mentem, quam diuino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo, & desiderio acquirendi Deo, qui eum similiter diligant, vt otium contemplationis pro studio prædicationis libentissimè intermittat, & rursum posita votis aliquantulum in hac parte, tanto ardentius redeat in id ipsum, quanto fructuosius intermisisse meminerit, & iterum sumpto contemplationis gustu valentius ad conquirenda lucra solita alacritate recurrat.* Ex quibus verbis multa poterit vnusquisque argumenta sumere ad hanc partem confirmandam.

Alia pleraque suppeditabit Basil. in regula 7. ex fusius disputatis, vbi non agit quidem de hac comparatione vitę solitariæ cùm cœnobitica: tamen dũ hanc præfert, & argumentum sumit ex occasionibus exercendi charitatis operà, planè sentit tanto fore perfectiorem hanc mistionem, quo illa opera charitatis fuerint excellentiora, & fructuosiora, vt sunt ministeria circa salutem animarum. Vnde in regula 37. ex eisdem, & sæpe aliàs, ex professo probat contemplationi oportere adiungere aliquem laborem, & actionem, *cùm non ad corporis castigationẽ modo vtilis nobis huiusmodi vita sit, sed ad charitatem etiam erga proximum,* scilicet, ad eleemosynas faciendas ex comparatis per laborem manuum. Multò ergo magis idem censeret idem Sanctus de charitate erga proximũ per opera spiritualis misericordiæ. Quod expressius sumi potest ex eodem Basilio in constitutionibus monasticis cap. 2. & 5. nam in priori distinguit vitam actiuam, & contemplatiuam, & hanc illi præfert, afferens doctrinam Christi in duobus sororibus Maria, & Martha. Subdit autem hęc verba, *Quòd si vtramque simul potes imitari, vtrinque omnino salutis fructum reportabis. Cæterum præcipuum spiritualis doctrina locum tenet, reliqua verò omnia in secundis consistunt.* Expendendum est autem semper, ibi loqui de actiua vita, quoad actiones vitæ corporalis, nam aliam videtur sub contemplatione includere, & ita spiritualem doctrinam non solùm ex parte audientis, sed multò magis ex parte docentis, inter ea ponit, quæ præcipuum locum tenent In cap. verò 5 ex professo probat, perfectiorem vitæ rationem esse, quando contemplationi aliquis labor, vel actuosa charitatis negotiatio adiungitur. Posteaque in exemplum adducit Christi Domini vitam, quam dicit semper habuisse admistam actionem aliquam priùs quidem in pueritia in laboribus, & ministeriis domesticis parentes iuuando, vel etiam eis seruiẽdo: postea verò in prædicatione Euangelij, & conuersione animarũ. Et postea subdit,

XII.

Quid Apostoli, nonne ipsi quoque Dominum suum imitati, nonne assidui in laboribus erant? Animaduerte Paulum indutulse laborantem, contenteque itinera facientem, nauigantē, pericula adeuntem. Et infrà concludit. *Quamobrem præclare is facere existimandus est, qui cùm Domini, & discipulorum, atque adeò Apostolorum ipsius, & animi virtutem, & corporis exercitationem sibi imitandam proposuerit, haudquaquam otio marcere corpus sinit, sed in optimis assiduè officiis illud continet.* Et infrà de Domino, Moyse, & Elia inquit, *Auxiliaria opera corporis animæ virtutem illustriorem reddiderunt, dum omnibus suis partibus absoluendæ spirituali suæ conuersationi operatoriam eiusmodi, & actiuā vitam; ceu sigillum ac clausulam adiecerunt.* Et postea addit exemplum Ioannis Baptistæ, *Qui cum aliquando ex arcano quodam Dei consilio se in solitudine illa tenuisset, in loca culta postea egressus est, ibique prædicando, & baptizando, quæ munera ipsam etiam rerum actionem attingunt, illa sua demum apud Herodem intrepida sui animi libertate certaminis sui finem inuenit.*

XIII. Hinc Gregorius Nazianzenus orat. 20. in magna eiusdem Basilij laude ponit, quòd actionem cum contemplatione perfectissimè coniunxerit. Et primùm ait, præclarè reconciliasse ac permiscuisse inter se solitariam ac socialem vitam, quę inter se dissidere videbantur; *Non* (inquit) *velut muro quopiam interiecto ea distinguens, atque à se inuicem separans, verum propriè coniungens ac dirimens, vt nec contemplatio communicationis expers esset, nec actio contemplatione careret: sed quemadmodum terra, & mare: ita etiam hæ duæ vitæ commoda sua inter se communicantes, ad vnicam Dei gloriam concurrerent.* Hinc idem Gregorius Nazianz. orat. 23. in laudibus Neronis philosophi, & martyris ponit, quòd esset *virtute dexter*, tam quæ in contemplatione, quàm quæ in actione versatur. Et infrà de eodē refert, cùm de genere vitæ deliberasset, eam elegisse, *quæ ad multorum vtilitatem se diffundit: atque ad diuinam dispensationem propè accedit.* Quòd (dixerat superius) *perfectissimi animi, ac sapientissimi esse iudicaret, priuatæ vtilitatis cum publicis commodis coniunctam habere rationem: neque enim quemquam nostrum sibi soli natum esse, sed omnibus, qui eiusdem naturæ participes sunt.* Quæ fuit Platonis sententia, cuius meminit etiam Cicero 1. de Officiis. Multaque ad eandem rem sumi possunt ex eodem Nazianzeno orat. 1. vbi ex huius muneris, & mistionis excellentiâ, exaggerat quàm sit arduum Episcopale munus.

XIV. Hanc etiam vtriusque vitæ permistionem satis commendat Augustinus lib. 19. de Ciuit. cap. 19. dum ait, perfectam charitatem, & otium amare, & negotium iustum suscipere, cùm necessitas ita postulat. *Nec sic* (inquit) *quisquam debet esse otiosus, vt in eodem otio vtilitatem non cogitet proximi, nec sic actuosus, vt contemplationem non requirat Dei:* & lib. 22. contra Faustum, cap. 54. de eisdem vitis agens, ait, *Vna amatur, & altera toleratur: sed quæ toleratur, ipsa prius, & vberius fœcundatur, vt si non propter se ipsam, certè propter filios diligatur. Labor enim iustorum maximum fructum habet in eis, quos regno Dei generant, inter multas tentationes, & tribulationes prædicando Euangelium.* Hoc ergo vitæ genus planè anteponit Augustinus.

XV. Egregia verò est sententia Isidori li. Differentiarum, in 29. *Quibusdam* (ait) *sola contemplatio proficit, aliis verò sola actiua est consolatio: his media vtrisque composita vtilior est: nam quod Saluator per diem signis, & miraculis in villis coruscabat, actiuam nobis commendabat vitam, quòd verò in nocte per orationes tandiu pernoctabat, vitam contemplationis significabat: idcirco Dei seruus, iuxta imitationem Christi, nec actualem vitam omittit, & contemplatiuam agit. Aliter enim incedens offendit, sicut enim per contemplationem amandus est Deus, ita per actualem vitam amandus est proximus, ac per hoc sic non possum sine vtraque esse vita, sicut sine vtraque dilectione.* Hæc vero posteriora verba intelligenda sunt pro articulo necessitatis proximi: sicut autem ex necessitate Isidorus colligit obligationē; ita ex magna vtilitate, quę respectu totius communitatis est quædam necessitas infert maiorem perfectionem.

Eandem omnino doctrinam latè commendat & exaggerat Chrysostomus, homil. 34. ad Popul. Hanc (inquit) *viam teneamus, hæc enim est, quæ maximè reducit ad Deum, quæ Christi facti imitatores, & quoad fieri potest, Deo similes reddit.* & infrà, *Sint igitur duæ optimæ vitæ, & earum quidem vna bonum facit obeuntem, altera viro & proximum. Videamus vtra probabilior, & ad virtutis culmen nos magis perducit.* Postea verò ita respondet, vt priorem comparatione posterioris reprehendere videatur. *Igitur* (ait) *ille, qui sua duntaxat quærit, à Paulo mille accusationes accipiet (cum autem Paulum dixero, Christum significauero,) hic autem laudes, & coronas:* infrà verò hoc magis explicans ait, *Ieiunare quidem, & humi cubare, & exercere virginitatem, & temperantiam colere, solis hæc obeuntibus vtilitatem afferunt; quæ vero proximis à nobis exhibentur, vt eleemosyna, doctrina, & charitas, hæc & nobis ipsis, & proximis, ad quos à nobis transeūt, prosunt.* Vnde infrà concludit, qui propter proximi ædificationem occasionem martyrij vel differt, vel etiam omittit, magis probari apud Deum. Multa similia habet homil. 36. & 79. & alij Patres frequenter, præsertim Gregor. hom. 5. in Ezech. & hom. 14. versus finem, & lib. 5. in 1. Regum, c. 4. & lib. 1. Regiſt. epistol. 5.

Possumus præterea veritatem hanc exemplis persuadere. Nam in primis etiam in veteri Testamento, Elias, & Eliseus, qui videntur fuisse vel primi, vel ex præcipuis professoribus vitæ cōtemplatiuæ, ita illam professi sunt, vt zelum Dei, & salutis animarum maximū haberent, & ab instruendis populis, & corrigendis vitiis non desisterent, vt patet ex lib. 3. Regum, c. 17. & sequentibus. Posteà Ioannes Baptista, qui etiam contemplationis arcem ascendit, tempore opportuno ad docendum & prædicandum descendit. Potissimum verò huius vitæ mistæ exemplar in Christo Domino conspicimus, vt sancti allegati sæpè attingunt, & in Euangeliis compertum est, & in 2. tomo, 3. p. disput. 28. latè declarabimus. De Apostolis etiam res est manifesta, imò in illis occupatio erga proximos potissimum videtur habuisse locum, nam ad hoc vocati sunt, vt fierent piscatores hominum, & Christi nomen portarent coram gentibus, & regibus, ac filiis Israël: & in hac vocatione, & munere explendo vitam suam consumpserunt. Nihilominus tamen dubitari non potest, quin simul vitam cōtemplatiuam summa cum perfectione intenderint: nam in omni perfectione primitias Spiritus habuerunt, & quamdiu cum Christo conuersati sunt, in eo genere vitæ ab ipso fine dubio fuerunt instructi, nam cum ipso in horto ad orandum sæpe conueniebant, cum eo in montes secedebant, cum eo pernoctabant in oratione Dei, vel saltem exemplo, & doctrina ad hoc paulatim inducebātur: postea verò ascendente Christo in cœlum iussi sunt sedere, & orare donec induerentur Spiritu sancto: rursus post aduentum Spiritus sancti ipsi dixerunt, *nos orationi, & verbo instantes erimus*, & vtrumque suis temporibus exercuisse, sæpe in Actibus Apostolorum legimus. Et Petrus orationi ante prandiū vacabat, quando circa vocationem gentium illuminatus est. Paulus etiam de sua excellentissima contemplatione multa narrat in epist. 2. ad Corint. 12. & sæpe alias.

XVI.

XVII. De fugiendo examinio ea ex quibus Deus glorificatur.

XVIII. Item ex vita Apostolorum.

De aliis item viris Apostolicis, & sectatoribus Apostolorum res etiam est clara, vt de Basilio, & Nazianzeno tetigimus, idemque est de Athanasio, Augustino, & similibus. Quia verò hi omnes Episcopi fuerunt, libet hic commemorare historiam, quam de Eulogio, & Protogene referunt Theodor. lib. 4. Histor. cap. 16. & Nicephor. lib. 11. cap. 23. Illi enim

cùm

tum Valentis Arriani iussu relegati essent in Thebaidem, & plures gentiles, paucos verò fideles ibi esse comperissent, ita proximis subuenire procurarunt, vt Eulogius in cella concluſus dies noctesque totas Deum oraret: Protogenes verò cùm esset admirabilis vir, & in literis educatus, cœpit docere, & signis, ac doctrina homines ad Christi gratiam perducere: Additque Theodorus, eum tantæ humilitatis fuisse, vt si quem ad recipiendam Spiritus Sancti gratiam induxisset, eum ad Eulogium deduceret, pulsaretque ostium, & oraret, *Tum* (inquit) *vt aperiat, tum sigillum dominicum ei, quem verbo Dei ad fidem traxisset, imponat. At cum Eulogius ægrè ferret, velut precibus interruptis, tum Protogenes, Est, inquit, errantium salus magis necessaria.* Additque cœpisse omnes mirari Protogenem, *Cùm enim miracula edere, & tam multis lucem diuinæ cognitionis impartiri cernerent, primas Eulogio concessisse, & eos, quos verbo Dei cæperat, ad illum deduxisse: Merito igitur multò maiorem, præstantioremque virtutem in eo esse suspicati sunt.* Denique Antonius, & Benedictus duo præclarissima vitæ contemplatiuæ exempla, quando in illa fuerunt perfectiores, tunc circa salutem proximorum intentiùs laborarunt. Nam de Antonio refert Athanasius, descendisse aliquando in Alexandriam ad resistendum hæreticis, & nunquam se denegasse multitudini hominum ad se concurrentium, vt omnes doceret, omnibusque benefaceret. *Vnde effectum est* (ait) *vt post eius doctrinam omnes diaboli patrent insidiæ. Quid plura? totus orbis homines ad illum confluebant: nullus se frustra illuc venire conquestus est, omnibus delectabile, atque iucundum laboris commercium fuit.* De Sancto autem Benedicto refert Gregor. lib. 2. Dialog. cap. 8. *Sanctus vir.* non solùm plura monasteria ædificasse, & instituisse, ac docuisse, (quod sine magna actione non fit) sed etiam postea in monte Cassino idolorum templum euertisse, & oppidanos, ac incolas, Christianis præceptis imbuisse. Est ergo hoc genus vitæ ex se perfectius, quod à pluribus, ac maioribus sanctis cultum est.

XIX. *Euaditur tandem ratione.*

Superest, vt ratione etiam veritatem hãc declaremus. Potest autem ita formari ratio: quia hæc vita mista includit totam perfectionem vitæ cõtemplatiuæ, & in nullo eam diminuit, sed potiùs addit aliquid: ergo est absolutè perfectior. Consequentia clara est. Maior item est certa, si intelligatur de substantiali perfectione vitæ contemplatiuæ, quia supponimus illam per se intendi, exerceri, doceri, ac procurari in tali statu, alioqui non erit vita, seu religio mista, de qua disputamus: si verò maior illa intelligatur de perfectione quoad gradum, sic pendet ex probatione minoris, in qua est tota difficultas. Probatur ergo minor primò, quia si in aliquo diminuit, maximè quia eo tempore, quo actioni proximorum vacatur, distrahit, & occupat animũ, ne actu possit Deum in se diligere, sed hoc in primis non ita est ex vi talis actionis, regulariter, ac per se loquendo: quia illa actio per se includit cogitationẽ de Deo, & rebus diuinis: & saltem secum admittit frequentem ascensionem cordis in Deum; imò, vt rectè fiat, illam postulat. Tum ratione debitę intentionis, per quam omnis hæc actio ad Dei gloriam ordinatur, & propter eius purum amorem fieri debeat; ita vt licèt proximè sit propter charitatẽ proximi, hæc eadem charitas proximi sit virtualis quædam dilectio Dei, qui est tota ratio sic diligẽdi proximum. Tum etiam propter excellentiam ministeriorum, quæ ex diuino auxilio maximè pendent: & ideo ad hoc impetrandum necessarius est frequens ascensus cordis in Deum.

XX.

Secundo probatur eadem minor, quia estò concedamus huiusmodi actionem pro aliquibus temporibus ita occupare mentem, vt vel actu non feratur in Deum, vel non ita intensè; nihilominus inde non fit, vt aliquis detrimentum aliquod patiatur in tota illa perfectione, quam in vita purè contemplatiua obtinere posset, ob duas præcipuè causas. Vna est, quia, moraliter loquendo, imò humano modo, & secluſis specialibus priuilegiis, fieri non potest, vt animus hominis continuè temporibus omnibus, sine intermissione actu diligat Deum in se ipso, vel quòd sit in actuali considerationẽ eius: & ideo in omni statu necessarium est aliquod genus actionis, vt omnes Sancti, & Doctores mystici, & in vita contemplatiua exercitatissimi, docent, vt ex allegatis constare potest. Si autem actualis contemplatio Dei aliquando interrumpenda est, nullo meliori ac fructuoso modo interpolari potest, quã actionibus charitatis erga proximum, & maximè in spiritualibus ministeriis, quæ sunt longè maioris meriti, quàm omnes alij actus extra formalem dilectionem Dei, vt ex dicendis à fortiori constabit. Vnde licèt fortasse contingat occasione horum ministeriorum interruptionem hanc, & temporis occupationem esse aliquantulum maiorem, quam esset in alio genere priuatæ actionis, per excellentiam actionum, & ministeriorum erga proximum compensatur, vt ex verbis D. Thomæ statim citandis colligi etiam potest.

Causa vna cur actio nõ impediat perfectionẽ contemplationis.

XXI.

Alia causa est, quia ipsamet priuatio dulcedinis contemplationis propter Deum susceptæ, seu permissa, est magni meriti coram Deo, adeò vt ipsimet contemplationi illam præferat D. Thomas 3. d. 35. quæst. 1. art. 4. quæst. 2. dicens, *Quantum ad intensionem meriti, videtur vita contemplatiua maioris meriti illa parte actiuæ, quæ circa sui moderationem studet: minoris autem quantum ad illam partem, quæ profectui aliorum inuigilat, quia hoc ipsum videtur esse fortioris charitatis secundum genus, quòd homo prætermissa consolatione, qua in Dei contemplatione reficitur, gloriam Dei in aliorum conuersione quærat: quia etiam in humana amicitia verus amicus quærit magis bonum amici, quàm de eius præsentia delectari.* Hinc plurimum commendatur charitas Pauli, qui ad Rom. 9. cupiebat, *anathema esse à Christo pro fratribus suis:* id est (iuxta probabilem expositionem) ad tempus priuari eius consortio, & visione, vt fratribus proficeret. Vnde clarius ad Philip. 1. dicebat, *Coarctor è duobus desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo melius: permanere autem in carcere, necessarium propter vos. Et hoc confidens scio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum.* In quo eius excellentia charitatis commendatur, quia bonum proximorum præferebat ei, quod sibi erat melius. Quod notauit Innocent. III. d. cap. *nisi cum pridem*, commendans similiter charitatem S. Martini, qui exemplum Pauli imitatus dicebat, *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Est autem considerandum, hos sanctos non solùm acceptasse carere dulcedine contemplationis huius vitæ, sed etiam visione patriæ, in quo videtur eorum charitas excellere: nihilominus optimum inde argumentum sumitur, ad participationem illius beatitudinis, quæ in hac vita esse potest. Et ex alio capite videtur argumentum esse efficax à fortiori: quia priuari ad tempus æterna beatitudine, licèt sit quædam dilatio boni magni, tamen non est carentia alicuius meriti, quin potius inde augetur meritum: & ob dilationem temporalem beatitudinis comparatur æternum augmentum intensiuum eiusdem beatitudinis, quod lucrum incomparabiliter maius est: At verò dum homo in hac vita se priuat actuali contemplatione Dei, propter eundem Deum in proximo glorificandum, non solùm patitur dilationem alicuius boni, sed priuationẽ cuiusdã magni meriti, ex quo pendet æterna quædã perfectio maior beatitudinis, qua perpetuò carebit, nisi meritum illud alia via compensetur: non est autem verisimile priuari hominem tanto præmio à

Deo

Deo ipso, propter opus bonum factum in obsequiũ eius: ergo ita augetur ex hac circumstantia, & ex tali affectu huiusmodi actus, vt compensẽt, & superabundanter reficiat iacturam illius boni, quantum spectat ad meritum, & sanctificationem apud Deum.

XXII. Hinc tertiò satis probabiliter possumus eandem minorem alio sumpto principio ostendere nimirum, opera illa, & ministeria spiritualia circa salutem proximi, suis debitis, & opportunis temporibus, & debito modo exhibita, esse maioris meriti apud Deum, quàm esset actualis contemplatio pro eodem tempore suscepta. Hoc autem probatur, quia illud opus est magis meritorium, & ad perfectionem aptius, quod est diuinius, & gratius Deo; huiusmodi autem est actio spiritualis erga salutem proximorum ex suo genere: ergo. Probatur minor primò ex Dionys. cap. 3. de cœlesti Hierarch. dicente, *perfectionem esse ad Dei imitationem totis conatibus eniti: quod est præstantius, atque omnibus diuinius, Dei cooperatores fieri, & ostendere diuinam in se ipso actionem, secundùm quod possibile est.* Intelligit autem de cooperatione Dei circa salutem animarum, vt ibi omnes expositores intelligunt, iuxta illud 1. Corinth. 3. *Dei adiutores sumus*: nam hæc propriissimè dicitur diuina actio. Vnde paulò superius dixerat de viris perfectis, *fieri à Deo perlucida specula, & omni labe pura, dignaque quibus principalis illius ac diuinæ lucis sanctissimus radius influat*: & subdit, *quæ vbi indultum sit sacratissimum iubar affatim hauserint, hoc ipso posthodum absque inuidia sequentibus fundant, atque in hoc ipso diuinis obtemperant legibus.* & cap. 5. de Eccles. Hierar. latè ostendit, actiones hierarchicas, quæ in illuminandis ac perficiendis aliis consistunt, esse omnium perfectissimas. Et hac ratione diximus suprà cum D. Thoma, ac reliquis Theologis, Episcopalem statum esse omnium perfectissimum. ergo ex suo genere sunt hæ actiones gratiores Deo, ac magis meritoriæ: ergo ex participatione illarum non potest religiosus status in perfectione minui, sed potiùs augeri. Hoc etiam confirmat Gregor. homil. 12. in Ezech. circa finem dicens, *Nullum sacrificium esse Deo magis acceptum, quam sit zelus animarum.* Vnde lib. 6. epist. 5. alias cap. 169. *Si vnigenitus* (inquit) *Patris pro explenda vtilitate omnium de secreto Patris egressus est ad publicum nostrum, nos quid dicturi sumus, si secretum nostrum præponimus vtilitati proximorum?* Atque hoc ipsum ad perfectionem charitatis Dei pertinere ostendit ex interrogationibus Christi ad Petrum, *Amas me, Pasce oues meas.* Nam qui renuit pascere cùm possit, indicat se non perfectè amare. Similia habet 1. p. Pastor. cap. 5. Et Chrysost. lib. 2. de Sacerdot. eandem Christi interrogationem ita expendit. *Atqui illi quidem licebat verbis huiusmodi Petrum affari, Si me amas Petre, iejunia exerce, super nudam humum dormi, vigila continenter, iniuriam pressis patrocinare, orphanis patrem te exhibe, viduæ item te maritorum loco habeant.* Quod postea latè declarans, ait, in hoc demonstrari excellentiam, & perfectionem actionum, quibus salus animarum procuratur, quòd illæ maximè sunt coniunctæ charitati Dei: quod licet ab ipso dictum sit de pastorali munere & actionibus eius, cum proportione habet locum in statu religioso participante onera illius muneris ex vi institutionis suæ.

XXIII. Ratione possumus hoc ipsum declarare ex D. Thoma in 3. d. 30. quæst. vnica, art. 4. ad 2. vbi sic inquit, *Dilectio Dei & proximi, quantum ad actum interiorem, ad vitam contemplatiuam pertinet, vnde Gregor. homil. 14. in Ezechi. dicit, quod contemplatiua vita insistit dilectioni Dei & proximi: sed quantum ad actum exteriorem, vtraque ad vitam actiuam pertinet, quamuis huiusmodi actus in proximis expendantur, quia Deus operum nostrorum non eget.* Hinc ergo argumentum conficitur, quia hæc ipsa ministeria, quæ in salutem proximorum fiunt, sunt actus externi non tantum dilectionis proximi, sed etiam Dei: ergo ex suo genere sunt magis meritorij quàm pura interna cõtemplatio. Antecedens patet ex citatis verbis D. Thomæ. Et ratione, quia per illos actus directe quæritur gloria & honor Dei: & ideo tales actus non tantum imperatiue, & remote possunt esse à dilectione Dei, sicut actus eleemosynæ corporalis, vel alij similes; sed proximè & quasi elicitiuè sunt nati fieri ex dilectione Dei, quia velle, & procurare quodlibet bonum Dei, siue internum, siue externum, opus formale est amicitiæ erga Deum: gloria autem & honor Dei est quoddam bonum externum eius: ergo hęc procurare est officium proprium dilectionis Dei, sed hæc gloria, & honor Dei existit in honorantibus, & glorificantibus ipsum: ergo non potest aliter quæri, quàm illuminando, & conuertendo homines ad ipsum: ergo actiones, per quas hoc fit, per se, ac directè sunt opera externa amicitiæ in Deum: sunt ergo proprij actus externi dilectionis Dei: licet simul esse possint actus dilectionis proximi, si bonum illud consideretur vt intrinsecum ipsi proximo. Prima verò consequentia probatur primò, quia, moraliter loquendo, amor Dei quò est efficacior, eo est melior, & magis meritorius: amor autem, qui nõ sistit tantùm in interiori affectu, sed prodit in exteriores effectus adeo perfectos, est magis efficax: ergo.

Dices, actum exteriorem nihil addere interiori. XXIV. Respondeo primò, quando exterior actus requirit nouum interiorem actum, multum addere; ita vt. Primum. ibi est in præsenti: nam amor, qui sistit in pura contemplatione, non parit voluntatem efficiendi alia opera, quibus glorificetur in hominibus Deus; amor autem, qui progreditur ad hanc actionem parit hanc voluntatem, quam ipsamet charitas Dei elicit. Quod si dicas, etiam purè contemplatiuum posse habere illam voluntatem per desiderium internum, & complacentiam in illum actum tanquã in obiectum quoddam pertinens ad Dei amorem. Respondeo, longè diuersum esse velle illud obiectũ vt per me exercendum, & efficiendum, quod est longè difficilius, & maius officium amicitiæ. Vnde non est dubium, quin talis voluntas longe sit magis meritoria. Quòd si contemplatiuus extendat suum desiderium ad illud obiectum etiam sub tali ratione; aut desiderium est inefficax, & sic non est comparabile cum alia voluntate efficaci: vel est efficax, & sic definet esse pure contemplatiuus, & tranfiet ad actionem; quantum sibi possibile est: ergo per se vita includens illam actionem melior est, magisque perficit, & exequitur amorem amicitiæ erga Deum. Nec potest poni in æqualitas in intensione, & ardore affectus, nam hæc est per accidens, & de se potest esse maior in amore operatiuo: sicut erat in Paulo, cùm dicebat, *Quis nos separabit à charitate Christi?* Imò quoad hoc, moraliter loquendo, multum solet addere actus exterior interiori, quia & requirit maiorem, & efficaciorem affectum: & solet esse occasio vt magis ac magis accendatur, vtque in eo diutius perseueretur. XXV. Propter eam illat.

Aliunde verò amor etiam in proximum est maior, adiuncta actione huiusmodi, quam in pura cõtemplatione, vt facile potest eodem discursu ostendi: quia talis actio est actus externus amoris proximi, qui adiunctus interno amori auget perfectionem, & meritum, quod in amore proximi vt sic esse potest. Vnde etiam concluditur, hoc genus vitæ absolute & simpliciter magis perficere charitatem secundum integram rationem amicitiæ, quam includit in ordine ad Deum, & proximum, quia vnitè (vt sic dicam) & internum amorem, & externum beneficium seu obsequium amplectitur, simul-

Primum. Secundum. Tertium.

simulque eisdem actionibus vtriusque bonum, vel honorem, aut gloriam, vel commodum ac salutem procurat; & qui eam profitetur, ob hanc causam laboribus, & periculis se exponit; propriaque consolatione, ac suauitate quietioris contemplationis se priuat. Cùm ergo perfectio vitæ Christianæ in perfectione charitatis consistat, erit sine dubio hoc genus vitæ perfectius ex genere suo. Accedit præterea, quod ipsemet amor Dei, ex hac extensione ad proximum perficitur, sicut dixit D. Thomas 2. 2. q. 27. art. 8. dilectionem proximi propter Deum, perfectiorem esse dilectione solius Dei, quia illa includit ipsius Dei dilectionem, & addit dilectionem Dei in obsequium ipsius Dei, & implementum voluntatis eius. Et in 2. 2. quæstione 184. art. 7. ad 2. addit egregiè idem D. Thomas, *hoc esse maioris dilectionis signum, vt homo propter amicum etiam aliis seruiat: quam si soli amico velit seruire.* Eandem sententiam habet opusc. 18. c. 18. per quam ipse declarat statum prælatorum esse perfectiorem: idem autem est, vt sæpè diximus, de religione participante illum statũ, quoad ministeria, & actiones, quæ circa proximi salutem versantur.

XXVI. *Obiicitur contra prædicta, ex Richardo, & Carthusiano.*

Dicet fortasse aliquis, eum, qui contemplatiuam vitam purè profitetur, non carere beneuolentia, & beneficiis proximorum, sed efficaciori, & securiori modo illis prodesse. Hoc intelligere licet ex Richardo de S. Victore super Cant. par. 2. cap. 8. vbi agens de excellentia vitæ contemplatiuæ, ait excellentius extendi ad proximos, quàm per actionem, *Ad hos* (id est, ad beatos sanctos,) inquit, *contemplatione transiliit sponsa, & apud hos proximorum curam secum transtulit, cum hu ante Deum eorum causam intus agit.* & infrà, *Bona quidem solicitudo, & turbatio carnalis.* (scilicet per actionem.) *Sed melior & sublimior circa plures occupatio, & cura spiritualis* (scilicet per orationem.) *vtpote tam Deo, quàm cœlestibus ciuibus, familiaris, & permanens, ac secura magis.* & infrà, *Huius messis partem occupat actiuus exteriori ministerio: sed contemplatiuus totam messem occupat orationis auxilio.* Hinc etiam Dionys. Carthus. de vita solitaria, art. 22. monet, vt vitæ contemplatiuæ dediti quotidie pro proximis orent, *ne à tanta perfectione sint alieni.* Hoc ergo modo excellentiori compensatur ille excessus, & alioqui eminet in multis contemplatiua vita. Accedit præterea, quòd, regulariter loquendo, non solent homines ex plenitudine contemplationis descendere ad actionem: sed potiùs ex tædio internæ quietis, vel saltem ne tædio afficiantur: & ita non assumitur actio ex illa contemplatione perfectissimæ charitatis, sed potiùs in remedium humanæ fragilitatis.

Item ex defectibus humanæ fragilitatis.

XXVII.

Ad priorem partem respondetur inprimis, non parum commendari perfectionem vitæ mistæ, cùm illius participatio aliqua contemplatiuo necessaria sit, ne tanta perfectione omnino careat. Vbi etiam intelligere licet, cùm mens contemplantis descendit ad compassionem proximi, & ad orandum pro illo, non cadere ab optima via exercendi, vel perficiendi charitatem, quia in eo non recedit à perfecta charitate Dei, sed illam quodammodo amplificat, & extendit: ita ergo qui ad actionem ex eodem motiuo descendit, nihil per se impeditur à perfectione charitatis, sed potiùs in ea promouetur. Vnde secundò dicitur, optimum esse auxilium orationis, sed non sufficiens, necessarium est enim orationi opus adiungere: quia Deus decreuit non per se solum tantùm, sed per homines salutem hominum operari, & ideo necesse est non solùm oratores, sed etiam cooperatores Dei fieri in salute animarum, & hoc (cæteris paribus) perfectius est, quia Deo similius, & quia priorem modum auxiliandi per orationem non excludit. Vnde Carthus. suprà, monet solitarios non solùm vt orent pro aliis, sed etiam, vt ad se venientes prudenter & feruide ad Dei obsequium exhortentur. Et Richard. ibidem subdit, modum illum iuuandi proximos per solas orationes, esse imperfectorum, *quos exterior occupatio cito immutat, & deiicit*; significans, à perfectioribus viris maius auxilium postulari.

Ad alteram partem primùm dicitur cum D. Thoma opusc. 19. cap. 27. hic non considerari personarũ imperfectionem, sed naturam, & perfectionem status, cui particularium personarum imperfectio nocere non potest. Deinde dicitur, si hæc non speculatiuè, sed practicè ac moraliter considerentur, necessarium esse homini internum otium externa aliqua actione interrumpere, & ideo optimum esse vitæ genus, in quo vtrique parti optimum otij, & negotij, seu actionis genus consignat: primò quidem ac per se propter maiorem charitatis perfectionem procurans; secundariò verò etiam in illa varietate infirmitati hominum prospiciens. Si ergo particulares personæ cum hac moderatione vtrumque intendant nihil à perfectione deflectent: si autem plus nimio actioni se tribuant, ob tædium contemplationis, imperfectioni eorum, non ipsius status tribuendum id est.

XXVIII. *Ad defectũ humanæ fragilitatis respondetur.*

XXIX.

Hæc sunt quæ in comparatione hac præsentis capitis in fauorem vtriusque partis afferri posse videntur: in quibus sine dubio grauiora, & maioris ponderis sunt quæ hanc posteriorem partem à n. 8. hucusque persuadent. Vt autem quod suum est vnicuique parti tribuam: assertio in primis, ex suo genere securiorem esse contemplatiuam religionẽ, ab externis actionibus erga proximos, & ab eorum consortio, & conuersatione separatam. Hoc probãt rationes in fauorem prioris sententiæ à num. 2. adductæ. Fauet etiam vsus Pontificum promittentiũ transitum ab aliis religionibus etiam mistis, & in eo gradu, quantumcunque perfectis, ad ordinem Carthusiensem, qui purè contemplatiuus est; fundati enim videntur saltem in maiori securitate illius status, quamuis multi existiment etiam esse fundatos in maiori perfectione, vel arctitudine, quos infrà lib. 2. c. 4. referemus, tractando de illo ordine in particulari, nunc enim necessarium non est. Tandem explicatur, quia in eo statu ex vi ipsius, minores sunt occasiones peccandi, quæ magna ex parte oriuntur ex communicatione cum hominibus. Vnde ex hoc capite etiam est aptior ad crescendum in charitate, & perfectione, quia magis separata est ab exterioribus curis, maiusque habet otium ad vacandum Deo, vnde minores habet etiam occasiones distractionis per sermonem, per sensus, & alia plantasmata.

XXX.

Nihilominus assero secundò, religionem mistam quæ cum contemplatione intendit actionem circa spiritualem salutem proximorum, ex suo genere meliorem, & perfectiorem esse. Hoc probant efficaciter fundamenta secundæ sententiæ à num. 8. posita, & declaratur in hunc modum, quia in hoc statu sunt plures occasiones exercendi simul cum charitate plures, & excellentiores virtutes; est etiam commoditas consequendi maiorem Dei cognitionem, & exercendi altiori modo charitatem eius; sunt etiam plures occasiones sustinendi labores, vel patiendi mala propter ipsum. Vnde excessus qui cõsideratur in priori statu, est solùm (vt ita dicam) in causalitate per accidens, remouendo scilicet magis impedimẽta; excessus autem huius status est in causalitate per se, præbendo scilicet materiam, & opera maioris meriti, & media sufficientia ad illa perfectè præstanda. Nec verò deest in hoc statu prouidentia sufficiens ad cauenda pericula; nam inprimis licèt non tollat omnes remotas, & humanas occasiones; fugit tamen morales, & quæ prudenti prouidentia præueniri possunt, & media etiam prouidet quibus

ordinariæ etiam occasiones leuium culparum, vel distractionum, quæ ex conuersatione cum hominibus etiam religiosa frequenter oriuntur, vel superentur, & vincantur, vel certè aliquo maiori fructu compensentur.

XXXI. Vltimò assero hanc comparationem solùm fieri ex genere, quantum est ex parte finis vtriusque status; nam in particulari fieri potest, vt religio purè contemplatiua superet mixtam, si hæc, vel in fine ipso minus participet de contemplatione, quàm ad exactam perfectionem necessarium est, vel media non habeat perfecto fini accommodata. Hoc facilè intelligi potest, primò ex vulgari comparatione virtutum, seu actuum humanorum, in qua constat aliquid ex genere suo perfectius, posse in individuo, vel in specie esse minus perfectum, propter materiæ, vel differentiæ contrahentis conditionem. Secundò ex rationibus factis à numero 2. pro priori sententia: nam contemplatio per se finis est perfectior quàm actio; & hac ratione religio purè contemplatiua præfertur puræ actiuæ; ergo quamuis actioni misceatur contemplatio, potest mixtio tam imperfecta esse, vt etiam ex parte finis status ille mixtus minùs perfectus sit, potest autem id contingere dupliciter, scilicet, vel quia actio ad opera tantùm corporalis misericordiæ pertinet, quæ minùs perfecta sunt, & magis animum ab interna contemplatione auocant, vel, quia de vsu & institutione vitæ contemplatiuæ modicum quid participat; de actione autem multum. vnde facilè fieri potest, vt interior deuotio, & feruor spiritus impediatur. Tertiò licèt finis religionis perfectus sit, potest totus status deficere ab excellentia perfectionis in proportione mediorum; nam vt rectè dixit D. Thom. 2. 2. quæstione 188. artic. 6. & opusc. 19. contra impugnantes religionem cap. 1. excellentia religionis non consistit tantùm in fine, sed etiam in mediis, quod etiam est per se manifestum ex generali ratione moralis prudentiæ, quia inordinatum est finem intendere per media non proportionata. Quòd si media sint proportionata ad assequendum aliquo modo finem, non tamen ad consequendum perfectè, & exactè, tunc licèt finis in se valde perfectus sit, nihilominus in tali statu, & per talia media non intenditur totaliter (vt sic dicam) & ideo non significat illum statum adæquate quantum ipse finis est seu potest, sed quantum attingitur per talia media, & ideo ex improportione mediorum potest esse minus perfecta religio, quæ finem habet in se perfectiorem. Quod tamen est verum comparando potius religionem mixtam ad contemplatiuam, quàm comparando mixtas inter se, vel contemplatiuas etiam inter se, & ideo licèt in genere possint hæ comparationes fieri sine periculo, & offensione; in particulari cauendæ sunt, tum propter vitandam offensionem, tum etiam, quia difficile est singula media vniuscuiusque religionis expendere, & cum aliis conferre.

XXXII. *Obseruatio pro metienda perfectione religionis ex maiori proportione mediorum ad eundem finem.* Vnum tamen possumus hic generatim aduertere, scilicet, in mediis duplicem bonitatem posse spectari; vna, quam habent ex propriis obiectis, & quatenus sunt actus talium virtutum, temperantiæ, pœnitentiæ, &c. aliam, quam habent in ordine ad finem consequendum, quæ solet *vtilis* appellari. Supposita ergo maiori perfectione finis, maior etiam perfectio mediorum, magis spectanda est sub hac posteriori consideratione, quàm sub priori, quia perfectio rei consistit in consequutione finis, si ergo finis est perfectior, illa media, quæ iuuant ad perfectius illum consequendum, magis ad perfectionem simpliciter iuuant, etiamsi ex propriis obiectis tantam perfectionem non habeant, nam per illa perfectius attingitur talis finis. Vnde si fuerint illi adæquata, & quasi totaliter illum attingentia, erunt perfectissima, quidquid sit de alia bonitate, quam ex obiecto habere possunt. Hinc paupertas est aptissimum medium ad perfectionem, etiamsi ex obiecto specialem honestatem fortè non habeat, & intra latitudinem paupertatis maior paupertas potest esse melior ad vnum finem, & minor ad alium; quòd si finis fuerit perfectior, & minor paupertas ad illum fuerit vtilior, illa magis conferet simpliciter ad maiorem perfectionem. Idem prorsus est de austeritate vitæ: est enim optimum medium ad perfectionem, tam propter honestatem intrinsecam, quàm propter vtilitatem ad extrinsecos fines, & interdum potest maior austeritas esse vtilior ad vnum finem, & minor ad alium, si tamen finis sit perfectior, illa austeritas erit simpliciter melior, quæ ad illum finem perfectius consequendum aptior fuerit, etiamsi in se, & circa suã materiam minor sit, propter rationem factam. In vniuersum tamen loquendo, si cætera sint paria in fine, & in proportione, ac vtilitate mediorum ad finem, illa religio perfectior erit, quæ maiorem etiam vitæ austeritatem obseruauerit, vel quæ habuerit media ad finem æque vtilia, & ex obiecto meliora, quia nunc in aliquo superat, & in nullo superatur.

CAPVT VII.

Vtrùm conuenienter diuidatur religio in Monachorum, & Clericorum.

RAtio dubitandi est, quia vel illa duo membra distinguuntur in solo habitu, vel in vitæ instituto. Primum non satis est, quia habitus non facit religiosum; Secundum non videtur habere locum, quia vel nomen *clerici*, generaliter sumitur, prout commune est personis Ecclesiasticis, etiamsi substantialia vota religionis non habeant, & hoc modo licèt status clericorum possit dici religiosus, lata quadam significatione, non tamen propriè, vt nunc loquimur. Vel nomen *clerici* sumitur pro illo, qui simul cum statu religioso clericalem ordinem habet, & sic omnis religio monachorum est religio clericorum, quia in ea sunt plures religiosi Clerici, imò illa est præcipua pars cuiuscunque religionis, & ad illum statum ferè omnes religiosi tendunt, ergo non rectè distinguitur religio monachorum, à religione clericorum. I. *Prima sententia.*

Nihilominus dicendum est primò, rectè distingui religiosum statum in clericalem, & monachalem; nam in primis constat ex iure, & Patribus, plerosque religiosos propriissimè monachos esse & appellari, hoc constat, tum ex etymologia vocis, *Monachus*, quæ solitudinem, atque adeò statum perfectionis indicat, c. *de præsentium* 16. q. 1. vbi per totam illam quæstionem varia iura, & Patrum testimonia afferuntur, ex quibus constat monachorum statu, & verè religiosum esse, & distinctum non solùm à communi cœtu fidelium, sed etiam à statu clericorum, adeò, vt olim monachi ad clericorum munera, & ordinationes regulariter non admitterentur, sed solùm ex speciali causa aut necessitate, c. *si quis*, & cap. *si quem*. cap. *cum pro vtilitate*, & cap. *nu pro* 16. quæst. 1. Et idem constat ex Siricio Papa epistol. 1. c. 9. & 13. & ex Hieronym. epistol. 4. ad Rusticum, & in epistol. ad Ioannem Hierosolymitanum, quæ est Epiphanij, & ex Palladio in historia Lausiaca cap. 20. & 59. imò etiam ex Dionysio cap. vltimo de Ecclesiastica hierarchia. Est etiam de hac re optimus Ambrosij locus, lib. 3. epistola 25. ad Vercellen. Ecclesiam, post med. qui pro comparatione horum membrorum valde notandus est, & infrà verba referam, in fine capitis. Qui status durauit ferè vsque ad tem- II. *Assumptum.*

A quo tempore caperint monachi communiter fieri clerici.

ad tempora Gregorij, qui lib. 4. epistol. 44. monachos promoueri ad ordines post præfixa à sacris Canonibus tempora statuit, & postea in Clementina 1. de statu monach. §. *Ad ampliationem* specialiter statutum est, vt ad ampliationem diuini cultus, monachi ad admonitionem Abbatis se faciant ad omnes ordines sacros promoueri. Hoc verò quasi superadditum, vel immutatum fuit in statu monachali; vnde in vita Pachomij cap. 25. apud Surium 14. die Maij refertur, non fuisse solitum sustinere inter suos aliquem, qui ordinationem fuisset consequutus, ad tollendam ambitionem, & consequenter lites ac dissensiones; *Quomodo enim* (inquit) *minima ignis scintilla, si in arcam inciderit, nisi cito extinguatur, sæpe perdit fructus totius anni; ita etiam principatus ambitio, vel clericatus cogitatio, si inciderit in monachos, nec cito extinguatur, facile corrumpit vniuersum laborem exercitationis.*

III. Constat deinde fuisse semper in Ecclesia statum aliquem religiosum per se ac ex proprio instituto clericorum, id est, sub tribus consiliis ac votis perfectionis, destinatum ad propria clericorum ministeria, vel in diuino cultu, vel etiam in salute animarum procurãda. Hunc enim fuisse Apostolorum statum, ex discursu huius materiæ constat; ostendimus enim tom. superiore illos tria substantialia vota religionis emisisse, non quidem ad monasticam, vel Eremiticam vitam agendam, sed Apostolicam, & clericalem, ad quam profitendam à Christo vocabantur, quod latiùs infrà explicaturi sumus tractando de religione Societatis lib. 1. c. 5. Vnde meritò dicere possumus primam religionem clericorum ab ipso Christo fuisse, & institutam, & congregatam ac probatam. Satisque verisimile est, religionem illam non periisse cum Apostolis, sed continua successione fuisse in eorum successoribus ac discipulis conseruatam. Quod significauit Vrbanus Papa in cap. *scimus* 12. quæstione 1. vbi ait, vitam communem inter Christianos, vsque ad sua tempora viguisse, præsertim inter eos, qui in sortem Domini sunt electi, id est, clericos; & idem colligitur ex cap. *duo sunt.* cap. *quia.* cap. *dilectissimi.* cum aliis, eadem causa, & quæstione; vbi inter alia Clemens I. epistola 5. sic inquit: *Communis vita omnibus necessaria est, & maximè his qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum, eorumque discipulorum imitari volunt.* Vnde in vita Augustini refert Possidonius c. 5. factum presbyterum intra Ecclesiam mox instituisse monasterium, & cum Dei seruis viuere cœpisset secundùm modum, & regulam sub sanctis Apostolis constitutam. Atque ita multi sentiunt clericorũ, seu canonicorum regularium ordinem non fuisse primùm ab Augustino institutum, sed, vel reformatum, vel in Africam deductum, & peculiari regula instructum, vt in sequenti libro cap. 8. iterum attingemus, & latius prosequitur Ioannes Trullus lib. 1. de ordine canonicorum regularium cap. 2. & 3. & attigit Nauar. in Commentario 4. de regular. numero 3. & sequentibus, vbi ex Pio IV. probat religionem clericorum ab Apostolis fuisse institutam quod etiam confirmat Benedictus XIII. in præfatione ad constitutiones canonicorum regulariũ. De hac igitur re dubitari non potest, neque etiam est dubium de conseruatione huius status à temporibus Augustini vsque nunc, quamuis sub magna varietate, vt postea citato cap. 8. & 9. attingemus.

Ab Apostolis capit clericorum religio.

Vide Augustinum Ticinensem propugnatorem Canonici ordinis. p. 4. c. 4.

IV. De tempore verò, & successione continua huius status religionis à temporibus Apostolorum, vsque ad Augustinum, non inuenio seriem historiæ omnino certam, vt id affirmare possim; quamuis ex decretis Pontificiis, quæ retuli, verisimillimum sit, nunquam hoc vitæ genus in Ecclesia, & eius clero defuisse. Vt enim benè notauit Soto lib. 10. de iustitia, quæstione 4. art. 3. quamuis in initio Ecclesiæ omnes clerici profiterentur vitam communem & religiosam; postea crescente clericorum numero, non omnes illum statum amabant, ad quem non ex necessitate tenebantur, sed consilio inuitari debebant, vt tandem sensit Augustin. sermon. 2. de communi vita clericorum & habetur in cap. *certe* 12. q. 1. Semper tamen obseruatum videtur, non solùm vsque ad Augustinum, sed etiam vsque ad Gregoriũ, vt à singulis Episcopis collegia aliqua clericorum instituerentur, qui communem, & religiosam vitã obseruarent, vt patet ex responsionibus ad Augustinum c. 1. & 2.

Vsque ad tempora Augustini continua duravit.

Ex his ergo satis constat esse, ac fuisse semper in Ecclesia dictos duos ordines Religiosorum clericalem scilicet, & monachalem. Necessarium autẽ est, vt propriam inter eos differentiam explicemus, ad quod necesse est ea quibus conueniunt supponere. Sunt enim inprimis ea omnia, quæ ad substantiam religiosi status pertinent, alioqui veri religiosi non essent, quod est manifestè falsum, vt constat, non solùm ex eorum institutis, sed etiam ex communi iure, vt patet ex cap. *quod Dei timorem.* de statu monachorum; vbi Innocent. III. inquit, regulares Canonicos à monachorum sanctorum consortio non reputari seiunctos; quod eandem rationem, & veritatem habet in omnibus Clericis regularib. & idem habet Nicolaus Papa cap. *præsens* 20. q. 3. & res ipsa, seu conuenientia in votis constat ex capit. *cum in Ecclesiis.* de maioritate, & obedientia, & ex cap. *super.* & cap. *cum ad monasterium.* de statu monachorum. Conueniunt deinde in multis accidentalibus conditionibus religionis, vt v. g. in vita communi, & in ordinaria institutione, & obseruantia vitæ religiosæ, iuxta modum vnicuique statui accommodatum, & sic dixit D. Thom. opuscul. 19. cap. 2. canonicos regulares, & monachos ad paria censeri in his, quæ sunt communia omni religioni, vt sunt viuere sine proprio, abstinere à negotiationibus, & officiis secularibus. Præterea si in communi loquamur, possunt tam monachi, quàm clerici religiosi conuenire in aliquo fine, & scopo talis status; nam vtrique possunt intendere vitam purè contemplatiuam, vt notauit D. Thom. 2. 2. quæst. 189. articulo 9. ad secundum, & consequenter possunt etiam in multis mediis conuenire, vt in exercitio orationis, ac psalmodiæ, & hoc modo sunt nunc in Ecclesia religiones contemplatiuæ, non tantùm monachorum, sed etiam clericorum.

V. *Prima conuenientia inter monachalem, & clericalem relig.*

2. Conuenientia.

Prima ergo differentia inter hos duos status esse videtur, quòd religio clericorum per se ordinatur ad ea, quæ aguntur in diuinis ministeriis, non autem religio monachorum; quam insinuauit D. Thom. in dicta solutione ad 2. & rationem reddit, quia prior est per se religio clericorum, ad quos spectant ea, quæ pertinent ad diuina ministeria; ad religionem autem monachorum per se non competit, vt sint clerici, vt habetur in decretis 16. quæst. 1. Quæ differentia assignatur à D. Thom. inter has religiones, etiam vt profitentur vitam purè contemplatiuam: extendi tamen potest ad easdem si participẽt vitam actiuam; nam religio, per se ordinari potest ad ministeria spiritualia, quæ circa proximos exercentur, & sunt etiam clericorum propria; & ideo talis religio dici potest per se, & ex vi sui finis esse clericorum; non autem monachorum, cum per se clerici non sint, quod significauit idem D. Thom. opusc. 19. p. 2. cap. 2. dicens, dato quòd monacho docere non liceat (scilicet per se & doctrina prædicationis) non sequitur quòd canonicis regularibus non licet docere; cum canonici regulares inter clericos computentur, iuxta August. in sermone de communi vita clericorum. Non repugnat autem,

VI. *1. Differentia inter easdẽ religiones ex finibus.*

quòd religiò monachorum ad hos fines extẽdatur, vt eisdem locis docet D. Thom. & ex dicendis sect. seq. constabit, sed differentia quasi formaliter constituitur, tam ex parte finis primariò intenti, quàm ex parte conditionis per se requisitæ in ipsis personis, scilicet, status religiosi.

VII. 2. *Differen. ex medijs.* Et ex hac differentia in fine, sequitur secũda differentia in mediis, quæ semper esse debet fini accõmodata; nam monachorum status, sicut per se non requirit clericatum, & proprias actiones eius, ita neque illa studia, quæ ad tales actiones clericales probè exercendas necessaria sunt, quibus tamẽ maximè indigent clerici regulares, non minus quàm seculares, proportione seruata ad suum finem. Nam religio clericorum, quæ per se solùm vacat contemplationi, & diuino cultui in sacris mysteriis, minus sunt necessaria studia per se loquendo, quam religioni clericorum, quæ ad spiritualem actionẽ circa proximos per se ordinatur.

VIII. 3. *Differen. ex habitu.* Hinc etiam differunt tertiò in habitu; nam religiosi, qui clericale munus per se profitentur, clericalem etiam habitum aliquo modo retinere debent, vt habitus cum statu & vita concordet; monachi verò peculiarem habitum, seu cuculam, (hæc enim omnibus communis est) fortiuntur, & ita in canonicis regularibus seruatum semper fuisse colligitur ex c. mandamus 19. quæstione 3. vbi cucula distinguitur ab habitu canonici regularis, & ita obseruari videmus in Hispania præsertim; nam in Italia, aliqui eorum dicuntur clericalem habitum in monachalem transformasse, vt videri potest in Trullo lib. 1. c. 29. numer. 10. Idem verò obseruant aliæ religiones clericorum, vt Societas IESV, & ordo clericorum, qui Theatini vocantur, & alij, de quibus infrà fiet mentio.

IX. 4. *Differen. ab austeritatibus corporis.* Et hinc oritur quartum discrimen, nimirum, vt vita monachorum regulariter, seu ex suo genere austerior sit, quàm regularium clericorum in his quę pertinent ad corporis tractationem, vt sunt victus, vestitus, lectus, & similia. Hoc etiam constat ex praxi, & comparando Canonicos regulares, cum professis regulã S. Benedicti id affirmat Bernard. epist. 3. Et generalis ratio esse potest, quia hoc genus vitæ debet esse proportionatum, & exteriori habitui, & aliis personis clericalem statum, qui per se etiam sanctus, & religiosus est, professis. Vnde D. Thom. in dicto opusculo 14. tanquam differẽ etiam certã inter canonicos regulares & monachos supponit, quòd canonici non tenentur abstinere à lineis indumentis, à quibus monachi abstinere tenentur. Similiter vsus carnium prohibetur monachis, in capit. *ad monasterium.* qui non prohibetur clericis regularibus aliquo iure, nec per Augustini regulam, nec per eorum constitutiones communiter loquendo de ordinibus clericorum, quantum nobis constare potuit. Et ob hanc rem putãt aliqui dictum esse ab Innocentio III. in dicto c. *quod Dei timorem.* regulares canonicos sub laxiori regula militare, scilicet quantum ad ieiunia, indumenta, & alias corporis austeritates, non verò, quoad spirituales actiones, & opera perfectionis. Addo verò non oportere dictum illud Innocentij extendere ad omnes religiones clericorum: nam Innocentius tantùm loquutus est de regula, & modo viuendi canonicorum regularium, quæ suo tempore vigebat; status autem clericorum regularium, vt sic, nõ postulat necessariò laxam, vel laxiorem regulam etiã in austeritatibus corporis, quantum ad finem suum expediens fuerit.

X. 5. *Differen. ex nominibus.* Tandem ex his differentiis, quæ ad rem aliquo modo spectant, orta est in nominibus diuersitas. Nã nomen *Monachorum* iuxta frequentiorem vsum nõ tribuitur clericis regularibus, & consequenter, nec nomen *Fratrum*, quod vulgò monachis accommodatum est, quia secundùm primæuum ius, & institutionem, monachi à clericis condistinguebantur. 16. quæst. 1. per multa capita. & ideo vbi iura, præsertim odiosa, comprehendere volunt omnes religiosos, vel non loquuntur de monachis, aut clericis, vel canonicis regularibus, sed simpliciter de regularibus, vt Concilium Trid. sess. 25. cap. 1. de regular. & sequẽtibus. quæ vox vniuersalis est; vel vtrosque in specie nominant, vt in Clement. 1. de statu Monachor. ibi, *Monachos vel canonicos regulares.* Et capit. *cum singula.* de præbend. in 6. ibi, *Ne alij qui Monachi, vel religiosi alij,* &c. Dixi autem *præsertim in odiosis*; quia in fauorabilibus, vel in his, quæ per se solùm respiciunt substantiam, vel decentiam status religiosi, ampliari solet nomen *monachorum*, vt cõprehendat etiam clericos regulares, vt constat ex ca. *ex parte.* de postulando, & indicatur in cap. *post translationem.* de renunciatione, & notarunt Glos. Panormit. & alij super hæc iura, & Nauarrus Comment. 3. de regular. numer. 4. & 41. Augustin. Ticinensis in propugnaculo Canonici ordinis 4. p. c. 12. & Ioan. Trullo in ordine Canonicorum regularium lib. 1. cap. 29.

XI. Atque ex his satis constat, quæ sit differentia inter illa duo membra, tam in re, quàm in nomine. Constat etiam diuisionis sufficientia; necesse est enim omnem religionem per se ordinari aut ad ministeria clericorum, aut contentam esse operibus, & modo viuendi laicis accommodato, neque inter hęc duo potest inueniri medium; ergo cum illa mẽbra per hos fines distinguantur, sufficienter exhauriunt diuisum. Posset autem aliquis tertium membrum excogitare religionis mixtæ, & participantis vtrunque finem, seu vtraque opera; sed non oportet nobis vti nominibus præter communem vsum; nã omnes religiones, quæ cogitari possunt mixtæ, illo modo appellatione *monachorum* veniunt, vt ex seq. capite constabit.

XII. Superest, vt de comparatione horum membrorum pauca dicamus, possunt autem in antiquitate, vel in perfectione cõparari. De priori cõparatione iam dictũ est, verisimile videri esse æqualem quoad originem: nã initio Ecclesiæ vtriusque sufficientiæ indicia, & vestigia inueniuntur. Quod si in hoc est aliqua earum præferenda, planè illa est religio clericorum, quia certius est collegium Apostolicum fuisse religiosam quandam communitatem, quàm quod viuentibus Apostolis monachatus inceperit; nam primum ex Euangelio, & ex Patrum traditione constat; secundum autem licèt ex Dionysio, Philone, Eusebio, & aliis antiquis historicis sat sufficienter fide dignum, non tamen æquè certum. Est autem eodem modo certissimum, collegium illud Apostolicum constituisse religionem clericorum, non monachorum, quia fuit ille status per se primò ordinatus, ad clericorum ministeria, vt suprà tactum est, & tractando de Societate magis explicabitur.

XIII. Quod si quis dicat totam Ecclesiam in suo initio fuisse veluti quandam monachalem religionem, quando scilicet omnes fideles habebant omnia cõmunia; ita enim de illo statu Sancti loquuntur, vt patet ex Chrysostom. lib. 3. contra vituperatores vitæ monasticæ, & Isidoro lib. 2. de officiis Ecclesiasticis cap. 15. & aliis suprà citatis, propter quod dixisse videtur Bernard. Apologia ad Guillelmum Abbatem, versus finem, suum ordinem, id est, monasticum, primum in Ecclesia fuisse, *primo, à quo cœpit Ecclesia.* Respondendum est, Ecclesiam primitiuam, vt condistinctam ab Apostolis, seu à clero, & vt constantem ex fidelibus laicis, licèt habuerit quandam formam monachalem, vel secundùm se totam, vel pro magna parte: nihilominus illam ortam fuisse à religione cleri-

clericorum, scilicet Apostolorum. Si verò consideremus illam Ecclesiam, vt vnum corpus constans ex Apostolis, & aliis fidelibus, sic fuit veluti vna perfecta religio, eminenter, ac formaliter complectens clericos, & laicos; semper tamen prima, ac præcipua pars eius fuit religio clericorum. Quod si in ipsismet Apostolis considerare quis velit, prius fuisse religiosos professos quàm clericos, nam verisimilius est tria vota emisisse viuente Christo, & in manibus eius ante passionem, vt ex Augustino, Thoma, & aliis Patribus in principio huius materiæ tomo præced. tractauimus, & moderni authores grauiores frequentius sequuntur: clerici autem facti non sunt, vsque ad noctem Cœnæ; quantum ex Euangelio colligitur, & ex Concilio Tridentino sess. 22. canon. 2. Nihilominus respondemus à principio religiosum illum statum fuisse clericalem; nam fuit institutus, & ordinatus, ad finem prædicandi Euangelium, & exercendi alias actiones hierarchicas, & sacerdotales, sicut modò professio canonicorum regularium, etiamsi à multis fiat ante susceptum aliquem ordinem; semper est clericalis professio potius quàm monachalis. Vnde cùm Bernardus dicit suum ordinem fuisse primum, vel in quo cœpit Ecclesia, intelligi debet de suo ordine, non vt monachali, & condistincto à clericali, sed secundùm communem rationem status perfectionis; nam de monastico ordine in specifica proprietate sumpto, potiùs dicitur in Concilio Meldensi capit. 9. fuisse ab Apostolis fundatum, seu à nominatissimis, ac sanctissimis Patribus excultum, & in Concilio Colonensi sub Hermano. tit. de vita monastica capite primo, dicitur, vitam monasticam, non multo post Apostolica tempore cœpisse, quod piè interpretandum est, id est, non multo post initium prædicationis Apostolorum.

Deinde sumatur pro aggregato ex vtroque.

Denique sumatur pro Apostolis ante, & post sacerdotium

Adeum Bernard.

XIV. An verò vterque status, ex quo incœpit in Apostolis, vel per Apostolos, continua successione, sine interruptione duraverit, non ita certum est, quamuis de vtroque id sit longè probabilius; nam de monachatu clarum est, à temporibus Antonij, vsque ad Basilium, & à Basilio, vsque ad Augustinum, & ab Augustino, vsque ad Benedictum, & à Benedicto, vsque ad nostra tempora in Ecclesia nō defuisse. Paulò autem superiùs ostendi in c. 2. etiam ante Antonium fuisse monachos, & Dionysium Areopagitam monachorum quoque mentionem fecisse, inter Dionysium autem & Antonium vix fluxerunt anni ducenti quinquaginta, & ferè in medio temporum illorum inuenimus Dionysium I. huius nominis Pontificem fuisse monachum; ergo verisimillimum est, in illis paucis annis non fuisse interruptum monachatum.

Probabile est monachatum ex quo incepit, nunquam fuisse interruptū.

XV. De religione autem clericorum in primis est cōstans, ab ætate D. August. nunquam in Ecclesia defuisse, saltem in religione canonicorum regulariū, vt ex perpetua traditione & antiquis historiis constat. Nam quòd Augustinus clericorum religionem, vel instituerit, vel restauauerit, receptissimum est, ex Possidio in vita Augustini, & ex eodem August. in sermon. de communi vita clericorum, & ex aliis, quæ infrà lib. 2. cap. 8. referemus, & ab eo tempore nunquam religionem illam fuisse omnino extinctam, constat, quia sicut nunc durat, ita in toto superiori tempore inuenitur eius memoria, neque alicubi legitur aliud eius initium post Augustinum.

Religio cleric. ab Aug. hucusque interrupta non est.

XVI. De tempore verò intermedio ab Apostolis vsque ad Augustinum, omnes etiam pro comperto habent, clericorum ordinem Apostolorum tēpore fuisse in clero dilatatum, & à Clemente Romæ, à Iacobo Hierosolymis, & à Marco Alexandriæ, & sic ab aliis viris Apostolicis fuisse obseruatum & auctū.

Quid à tempore Apostolorum vsque ad Augus.

Vnde Soto li. 20. de iustitia q. 4. art. 5. *Nascens*, inquit, *clericorum Ecclesia cœpit in communi viuere, in quo vitæ instituto nonnihil temporis adoleuit.* Addit verò statim, *At verò exhausto paulo plus Clericorum numero, vix illa communis vita tolerari potuit*, &c. An verò hæc relaxatio clericalis status cœperit multo, vel breui tempore post vitam Apostolorum, non certò constat; nam etiam D. Augustinus suo tempore decreuit, non admittere ad ordinem, nisi regulares clericos; postea verò mutauit consilium, vt constat ex cap. *certè* 12. quæst. 1. Certum autem videtur non totum clerum cecidisse ab illo statu intra illud tēpus, sed ad summum in illo initio successu temporis factam esse clericorum diuisionem quibusdam retinentibus vitam regularem, & aliis amplectentibus laxiorem, & secularem, vt attigit August. Ficinensis in propugnaculo p. 1. cap. 16. Et sufficientem eius rei fidem facit Vrbanus Papa epistola 1. dicens, *Scimus vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter bonos Christianos viguit, & adhuc gratia Dei viget, & maximè inter eos, qui in sortem Domini sunt electi, id est, Clericos*, &c. Fuit autem Vrbanus ducentesimo vigesimo quarto anno à natiuitate Domini, id est, ferè ducentis annis ante Augustinum: cum ergo ille status regularium clericorum vsque ad Vrbanum integer perseuerauerit, verisimile non est in reliquo breui tempore, vsque ad Augustinum fuisse extinctum, licèt fortasse magna ex parte relaxatus, ac imminutus fuerit; atque ita sentiunt de hoc statu, & eius origine, ac continuatione, qui de religione Canonicorum regularium accuratiùs scripserunt, quos partim retulimus, partim indicabimus inferius c. 9. tractando de his religionibus clericorum magis in particulari.

XVII. De altera comparatione in perfectione, nonnulla diximus tractatu præced. agendo de ttansitu ab vna religione ad aliā. Breuiter ergo dicēdum est, in hac generalitate non posse fieri absolutum iudiciū, quia hi status se habent ad inuicem, tanquam excedens, & excessum; & ideo in particulari comparatio pendet ex multis circunstantiis. Nihilominus tamen dicere possumus religionem clericorum ex genere suo esse perfectiorem; primò, quia ex vi sui ordinis ad altiorem, & diuiniorem finem ordinatur: nempe diuinum cultum in supremis mysteriis, & ad salutem animarum, quantum est ex vi talis generis. Vnde explicatur secundò, quia in moralibus illud dicitur esse perfectius ex genere, quod sumptum in supremo gradu illius generis, excedit supremum alterius. Ita verò est in præsenti, nam suprema religio clericorum perfectior fuit omni religione monachorum; talis enim fuit status religiosus, quem professi sunt Apostoli, vt ostendimus; constat autem Apostolos non solùm in personali gratia, & perfectione, nec solùm in statu Episcopali, sed etiam in religioso statu perfectionis habuisse primitias Spiritus & perfectionis. Denique ostendimus suprà vitam mixtam ex contemplatiua & actiua, esse perfectiorem quacunque simplici ex genere suo, ostendimus etiam mixtionem illam tanto esse perfectiorem, quanto ex vtroque illo genere vitæ id quod perfectius est participat: hoc autem totum inuenitur in hoc statu ex vi sui generis; ergo. Dices etiam posse inueniri in religione monachorum quæ sit mixta; sicut etiam è contrario potest esse religio clericorum, quæ nō sit mixta sed simplex. Respondeo ex superius dictis, monachatui vt sic non conuenire perfectionem illam, in eo gradu; quod si aliquando participat aliquid de illo, est tantùm secundùm quid & secundariò, vt explicabimus capite sequenti, & hoc satis est, vt status clericorum regularium ex suo genere perfectior dicatur. Confirmant egregiè resolutionē hanc verba Ambrosij lib. 3. epist. 25.

Religio cleric. ex genere suo perfectior est monachatu.

ad Vercellenses §. *Hos sequutus Eusebius. Hæc duo*, inquit, *in attentiore Christianorum deuotione præstantiora esse quis ambigat? Clericorum officia, & Monachorum instituta. Ista ad comitatem, & moralitatem disciplina, illa, ad abstinentiam assuefacta, atque patientiam. Hæc velut in quodam theatro, illa in secreto: spectatur ista, illa absconditur; ideo bonus athleta ait, Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, dignus senè qui spectaretur ab Angelis, dum luctaretur, vt ad Christi brauium peruenires cum certares, vt in terris vitam Angelorum institueres, in cœlo nequitiam Angelorum reflecteres. Collactabatur enim nequitiis spiritualibus. Merito mundus eum spectabat, vt mundus imitaretur. Hæc ergo vita in stadio, illa in spelunca; hæc aduersus confessionem sæculi, illa aduersus carnis appetentiam. Hæc subiiciens, illa refugiens corporis voluptates. Hæc gratior, illa iutior. Hæc seipsam regens; illa semetipsam coercens. Vtraque tamen se abnegans, vt fiat Christi, quia perfectus dictum est. Qui vult venire post me abneget semetipsum.* Et infrà. *Hæc ergo dimicat, illa vero se remouet. Hæc ille ebrias vincit, illa refugit. Huic mundus triumphatur, illi exultat. huic mundus crucifigitur, vel ipsa mundo; illi ignoratur. huic plura tentamenta, & ideo maior victoria: illi infrequentes lapsus, facilior custodia.*

CAPVT VIII.

Vtrùm monachorum religio rectè, & sufficienter diuidatur in mendicantem, & puremonachalem.

I. *Exponitur quæstio.*

COnstat ex vsu Ecclesiæ *Monachi* nomen dupliciter accipi; pro genere scilicet, & pro specie, seu membro contento, sub latiori significatu. Priori modo comprehēdit omnes religiosos fratres, quatenus eos à clericis regularibus distinximus c. præced. quos non possumus generatim meliùs describere, quàm per professionem religiosam sub habitu monachali. Strictè verò dicuntur monachi, quos vulgo *Monges* appellamus, & sic distingui solent monachi simpliciter dicti, à monachis mendicantibus. Sic ergo rectè diuiditur monachorum status in purè monachalem, & mendicantem, quorum statuū differentia explicanda à nobis est. Vt autem in hoc certum aliquid dicere possimus, magis est vsus, & status Ecclesiæ considerandus, quàm sola rei natura, vel possibilis institutio. Nam loquendo hoc modo de possibili, nulla ferè proprietas cōsiderari potest in vno istorum statuum, quæ non sit possibilis in alio, quamuis de facto in eis distinguātur, & præsertim in modo paupertatis, à quo *Mēdicantium* nomen sumptum est.

II. *1. Differētia inter mendicantes, & monachos præsse, ex fine.*

Primò ergo, ac præcipuè videntur distingui hi duo status ex fine; nam status monachalis strictè sumptus (sic enim de illo nunc semper loquemur) contemplatiuus est, & simplex de se in illo ordine, quod patet inductione in præcipuis ordinibus monachorum, Carthusiensibus, Benedictinis, Cisterciensibus, Chamaldulensibus, &c. Hoc enim fuit primum monachorum institutum, vt suprà dictum est, & sumitur ex 16. quæst. 1. per totam, & ex cap. nunquam. de consecrat. d. 5. ideoque monachi, qui hoc institutum simplex, & purum conseruarunt, monachorum nomen, quasi per antonomasiam retinuerunt. At verò monachi mendicantes per se profitentur statum vitæ mixtæ ex contemplatione, & spirituali actione, præsertim circa proximum; quod patet etiam inductione; nam ordines Prædicatorum, Minorum, Eremitarum, S. Augustī. & Carmelitarum, quibus hoc nomen primum tributum est, hoc genus vitæ profitentur; nam in choro, & diuinis officiis contemplationi vacant, quatenus verò prædicationi, doctrinæ, aut ministerio sacramētorum insistunt, actionem participāt. Vnde Panormit. in c. *causam.* de iudiciis num. 2. *Monachi* (inquit) *proprie & stricte dicuntur illi, qui virtute regulæ suæ solitarii in monasterio, nec immiscens se prædicationibus.* argumento multorum capitum 16. quæst. 1. Vnde subiungit, *Omnes monachi possunt dici fratres, non verò omnes fratres dicuntur* monachi; *nam mendicantes in rigore non accipiunt illam denominationem stricte sumptam.* Rectè ergo distinguuntur Monachi & mendicantes ex fine, nam priores sistunt in vita contemplatiua; posteriores ad spiritualem actionem circa proximum extenduntur.

III. *1. Differentia.*

Et hinc sequitur secunda differentia magis propria, respectu mendicantium; nam monachi profitentur paupertatem in particulari, in communi tamen habent bona stabilia; mendicantes verò ex vi *sui* instituti paupertatem etiam in communi amplectuntur, & vtrumque est accommodatum finibus proximè declaratis. Nam monachi cum solitariam & separatam vitam, & maiorem clausuram profiteantur, nō possunt commodè iuxta suum institutum è mendicato viuere; imò cum proximis non ministrent, non habent tam manifestam causam, & titulum postulandi ab eis sustentationem, & ideo meritò non profitentur paupertatem in cōmuni, vt suprà cum D. Thom. diximus. Et hac ratione monachi, quando laici erant, & possessiones non habebant vnde sustentarentur, potius labore manuum, quàm eleemosynis alebantur, non quia eis mendicare non liceret, sed quia eorum statui non erat ita consentaneum. Mendicantes verò cū proximis inseruiant, meritò ex eorum eleemosynis viuere possunt, & quia inter ipsos proximos viuūt, & cum eis quantum expedit conuersantur, ideo satis consentaneum eorum fini est, vt mendicare valeāt, & quia hoc de se Euangelicam paupertatem magis commendat, & ad perfectam humilitatem vtile esse potest, ideo meritò huiusmodi religiones talem institutionem habuerunt, à qua *Mendicantium* nomen habuisse videntur.

IV. *Explicatur dictum.*

Dixi autem mendicantes *ex vi sui instituti* amplecti paupertatem in communi; quia de facto non omnes mendicantes hoc obseruant, sed nonnulla habent bona stabilia, vt constat ex vsu, & ex constitutione Pij V. *Dum ad vberes*; quæ est 14. & apertè ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. de regular. Tamen ad propriam rationem religionis *Mendicantis*; videtur necessarium, vt saltem in sua prima institutione hoc paupertatis genus amplexa fuerit; vt colligitur ex cap. 1. §. *Confirmatos.* de religiosis domibus in 6. ibi, *Quibus ad congruam sustentationem redditus, aut possessiones habere prohibetur, siue regulæ quælibet inter dicunt, sed per quæstum publicum tribuere victum solet incerta mendicitas.* Vbi etiam significatur, *Mendicantium* nomen inde acceptum esse. Vnde Pius V. in Bulla, qua declarat Societatem esse religionem mendicantium, rationem reddit, *quippe quæ ex eius instituto, & constitutionibus Apostolica auctoritate confirmatis, bona stabilia possidere nequit, sed in ærtis eleemosynis fidelium quæ largitionibus, & subuentionibus viuit.* Indicat ergo hanc esse propriam, & necessariam conditionem ad religionem mendicantem. & ideo etiam secundum commune ius, religiones mendicantes dicuntur esse incapaces stabilium bonorum, ex testamento, vel alio simili modo, vt in superioribus visum est. Quædam etiam religiones dicuntur esse mendicantes ex vi suæ regulæ, vt religio Minorum; alij non ex vi regulæ, sed ex constitutione, vt de Prædicatoribus loquuntur Panormitan. Decius, & alij in cap. *ad nostram.* de appellationibus, & ad comprehendendum vtrunque membrum, non sumus loquuti de regula, sed de instituto, quod omnia cōprehendit. Quod etiam additū est, vt excluderet damus factū, seu actualem obseruantiam, nam licèt aliqua

aliqua religio, ex priuilegio Apostolico de facto non mendicet, nec seruet hoc paupertatis genus; nihilominus si ex fundatione sua illam profitebatur, sub eodem gradu, & ordine religionum comprehenditur. Vnde in cap.1. de statu regularium in 6.§. *Sanè*. supponitur posse etiam monasteria ordinum mendicantium habere propria bona, & prouentus, quod notauit Lapus allegatione 4. Felinus in cap. *in præsentia*. de probation. numero 53. Calderinus consilio 17. tit. de regularibus. Baldus in dicto cap. *ad nostram*. de appellationibus. Francus, & Geminianus in dicto §. *confirmatos*. Quintilianus Mandosius in regulis Cancellariæ, regul. 23. quæstione 3. & 4. Iulius Clarus lib. 3. §. *Testamentum*. numero 29.

V. *Obseruatio proxima tria duas tradita differentias.*

Ex his verò intelligi potest neutram ex his differentijs esse omnino propriam monachorum, neque inter se esse necessariò coniunctas. Primum patet, quia in religione clericorum potest etiam mendicitas reperiri, vt de Societate Iesu diximus, ex declaratione, & approbatione sedis Apostolicæ, & in eadem inuenitur altera proprietas vitæ mixtæ, quam non omisit Pius V. subiungens, *Tum quia non minus quàm cæteri mendicantes in excolenda vinea domini assiduè laborant, fructusque ingentes, & salutiferos producunt, ac propterea eisdem priuilegijs, indultis, & gratijs, & tribus mendicantibus hactenus concessis, vti, frui, potiri, & gaudere merito possint ac debeant*. Quod autem etiam possit religio clericorum non pronteri mendicitatem, neque actionem ex vi sui instituti, in canonicis regularibus manifestum est. Vt ergo illæ duæ proprietates constituant religionem monachorum, supponendum est genus ipsum cum differentijs, quæ ex vi illius proueniunt. Et ita præsens diuisio etiam de religione clericorum dari posset; non enim inconueniens est, præsertim in his rebus moralibus, vt genera non subalternata inter se per eadem differētias diuidi possint, quanuis semper prout diuerso generi accommodantur, habeant etiam inter se aliquam diuersitatem, vt de hismet differentijs, seu proprietatibus constabit inferiùs lib.2. de singulis religionibus in specie tractando.

VI.

Atque eadem ratione constat, paupertatem in communi, & mendicitatem non esse de se, ac necessariò coniunctam cum actione seu vita ista; nihil enim repugnat religionem purè contemplatiuam profiteri paupertatem in communi, imò & mendicitatem; nam ex sola natura rei non est repugnantia, neque iure aliquo est prohibitum; imo aliqui ex Carmelitarum ordine, vt infrà lib.2. c.10. dicam, contendunt institutum suum esse purè contemplatiuum, licet illa sit vna ex antiquioribus religionib. mendicantibus. Quamquam verius sit religionem illam, quo tempore contemplationem tantum professa est, non fuisse mendicantem, & ex quo mendicantib. annumerata est, mutasse etiam aliquo modo suum institutum, & finem, & cōtemplationis actionem adiunxisse. Vnde licet de possibili verum sit, illa duo non repugnare simul coniūgi, tamen ex consuetudine Ecclesiæ, vt supra dicebam, n.2. religiones mendicantes mixtæ sunt, & in vinea Domini laborant, vt dixit Pius V. in Bulla Societatis supra citata, & congruentia supra nu.3. data est, quia religioni solitariæ, & separatæ, non ita est proportionata mendicitas. Faciliùs autem posset è conuerso dari religio mixta, & inseruiens proximis, & non mendicans, vt inter Fratres videntur esse ordo S. Mariæ à Mercede, & ordo Sanctissimæ Trinitatis, & similes, de quibus infra lib. sequent. nam licèt huiusmodi religiones interdum mendicent ob necessitatem, vel humilitatem, mendicantes non sunt, quia ex vi proprij instituti non coguntur mendicare, aut stabilia bona non habere.

Hinc verò nascitur dubium de sufficientia dictæ diuisionis; nam ex dictis sequitur dari in Ecclesia aliquas religiones *Fratrum* seu *monachorum* generali appellatione, quæ nec mendicantes sunt, nec Monachales speciali appellatione. Respondeo verum esse, diuisionem in rigore non esse adæquatam; non solùm spectando varietatem possibilem religionum, sed etiam praxim, & vsum; data est ergo illa diuisio de præcipuis generibus religionum, & quæ in vniuersali Ecclesia magis vigent. Sunt ergo alij ordines Fratrum, qui ex proprio instituto non profitentur paupertatem in communi, & ex hoc capite mendicantes non sunt, neque etiam ad finem contemplationis sunt instituti, sed ad aliquam actionem, & ex hac parte deficiunt à propria, & specifica ratione Monachorum. Et ordinariè & frequentiùs videntur instituti ad actiones misericordiæ corporales, vt sunt captiuorum redemptio, peregrinorum susceptio, &c. quamuis etiam possint ad actiones spirituales institui, & non esse mendicantes, vt dixi. VII. *Obiectio, non videri adæquatam diuisionem præsentis capitis.*

Alia difficultates ex dicta diuisione oritur, nam sequitur vnam, & eandem religionem non posse successu temporis priùs esse monasticam, & postea mendicantem, vel è conuerso, quod videtur falsum. Sequela patet, quia si de ratione religionis mendicantis est, vt ex vi sui instituti non possit habere redditus, ergo non potest eadem religio nunc esse mendicans, & postea non esse, vel è conuerso, quia si mutat institutum, non est eadem religio. Si autem idem institutum retinet, non potest ex vi illius illas veluti contradictorias proprietates diuersis temporibus admittere. Minor autem patet in religionibus S. Augustini, & Carmeli, de quib. infra lib.2. ostendemus priùs fuisse purè monachales, postea transisse in mendicantes. Imò etiam religio Prædicatorum, vt in eorum gestis refertur, in sui initio bona immobilia possedit, ac proinde mendicans non fuit, non multo verò pòst, viuente S. Dominico, in primo capitulo generali Bononię coacto constitutionem fecerunt, de seruanda in communi paupertate, & immobilibus bonis, quæ tunc habebant, renuntiarunt. VIII.

Vnde alia interrogatio insurgit, cur facta tali constitutione cœpit esse religio mendicans, quæ non erat, & tamen reuocata illa constitutione prout in alio capitulo generali, de facto reuocata fuit, & priuilegio Sixti IV. confirmata, vt prædicti Authores referunt; cur, inquam, per priorem professionem ex non mendicante facta sit mendicans, & per posteriorem non desierit esse mendicans? quod est rationem petere illius communis sententiæ quā suprà n.4. posuimus, ad religionem mendicantem sufficere, habuisse ex constitutione illam paupertatem, quamuis iam non habeat. IX.

Ad priorem partem respondeo, in his rebus moralibus, vt continuè durare censeantur, non esse quærendam tantam vnitatem & immutabilitatē, quanta in naturalibus rebus inuenitur. Vna enim, & eadem Ecclesia (vt Patres loquuntur) censetur fuisse à principio mundi vsque nunc, quamuis in modo vnionis, & gubernationis magnam diuersis temporib. admiserit varietatem: ergo similiter esse poterit vna & eadem religio, quamuis illas mutationes successu temporum accipiat. Ratio verò est, quia in his rebus ad vnitatem potissimè consideratur continua successio personarum aliquo vinculo substantiali, pro ratione talis status inter se vnitarum, in ordine ad hunc finem, vt in Ecclesia est vnio veræ fidei in ordine ad eandem beatitudinem acquirendam, & in vnaquaq; religione est vnio per talia vota, tali modo, seu secundùm talem regulā, vel constitutionis emissa in ordine ad talem finem. Quod ergo in vna vel altera constitutione fiat ali- X.

qua mutatio etiam in materia paupertatis non tollit identitatem religionis, sed mutatio illa accidentalis censetur. Rectè autem inde colligitur, diuisionem illam religionis in mendicantem, & non mendicantem, non esse per differentias quasi substantiales in tali genere; nam possunt eidem religioni pro diuersis temporibus & statibus conuenire; adiunctis autem alijs circumstantijs faciunt diuersitatem in religionibus, maximè secundùm præsentem Ecclesiæ vsum.

XI. Ad alteram partem respondetur religioni Prædicatorum, v.g. priusquam profiteretur paupertatem in communi, nihil aliud defuisse ad rationem religionis mendicantis; & ideo addita per constitutiones illa proprietate, propriè, ac perfectè cœpit esse vna ex mendicantibus. Cur autem postquam illam constitutionem mutauit, non desiit esse mendicàs, ratio reddi solet, quia priuilegium auferens vnum non aufert aliud necessariò, iuxta leg. *si domus* ff. de seruitutibus vrbanorum prædiorum, & cap. *ex tuarum* ff. de authoritate & vsu pallij. & cap. *pastoralis*. de priuilegijs. ita respondet Lapus allegat. 4. Est tamè difficilis responsio, quia religionem aliquam esse vel non esse mendicantem, non consistit in priuilegijs, sed in substantia, vt sic dicam, vel professione, ac legib. talis religionis; priuilegia enim, quæ dantur mendicantibus, non faciunt illas mendicantes, sed supponunt; ergo si aufertur intrinseca cõditio, necessaria ad religionem mẽdicantem, etiamsi alia priuilegia non auferantur, non erit mendicans, vel certè solo nomine, & priuilegiorum consortio talis poterit appellari; vel dicemus fieri quandam ampliationem (vt ita dicam) illius vocis, scilicet, vt religio, quæ semel fuit mendicans, talis semper appelletur in ordine ad vsum priuilegiorum, etiamsi nõ talis sit, ita vt mendicans nominetur, quæ est, vel fuit mendicans; quod tamen non videtur satisfacere; nam hoc nihil aliud videtur esse, quam concedere de facto talem religionem non esse mendicantem secundùm præsentem statum.

XII. Et ideo addendum videtur, semper talem religionem existimari secundùm suam primæuam institutionem, nam aliud solùm est permissum, per modum cuiusdam dispensationis, non propter relaxationem religionis, nec mutationem in statum minùs perfectum; sed quia propter iniquitatem, vel incommoditatem temporum id iudicatum est expedire hoc tempore ad maiorem perfectionem in tali instituto conseruandam. Vnde quamuis ex dispensatione hoc liceat, numquam est alienum, sed potiùs magis consentaneum tali instituto paupertatem in communi seruare, vbi commodè fieri possit, & similiter est consonum tali statui mendicitatem exercere quoties oportuerit, & hoc satis est, vt secundùm præsentem statum talis religio verè, ac propriè mendicans sit.

XIII. *Subdiuisio religionis mendicantis.* Atq; ex his expeditur aliud dubium, quænam sc. religiones sub mendicantibus comprehendantur, & consequenter quot illæ sint, vnde etiam constabit quot sint religiones Monachales. Possumus autem in communi distinguere religionem mendicantem in eam quæ nullum dominium bonorum, tam immobilium quàm mobilium, vel se mouentium, vel in communi, vel in particulari admittit; & eam, quæ licet bona immobilia, vel reditus non admittat, bona tamen mobilia, in communi habere potest. Priorem paupertatis, seu mendicitatis gradum profitetur sacra Minorum religio; quæ quoad conditionem hanc potest dici primatum habere inter mendicantes, quia maximam & arctissimam paupertatem quoad bonorum dominium profitetur, iuxta cap. *Exiit*. de verbor. signific. in 6. & Clement. *Exiuit*. eod. tit. Aliæ verò religiones mendicantes profitentur alium gradum paupertatis, & inde quoad vsum eius aliæ differentiæ oriuntur, quæ in superioribus tom. præced. tractando de paupertate tactæ sunt, & inferiùs tract. 10. dicendo de Societate aliquid addemus. In particulari verò, quatuor numerantur principales, seu antiquiores ordines mendicantes, Prædicatorum, Minorum, Eremitarum D. Augustini. & Carmelitarum, cap. vnico. §. *Sanè*. de religiosis domibus in 6. & in constitutionibus Pij V. statim citandis, de quibus lib. 2. in particulari dicturi sumus. Postea verò alij additi sunt monachorum mendicantium, scil. ordo eorum qui *Seruitæ* dicuntur, seu serui S. Mariæ, & ordo Minimorum S. Francisci à Paula, & ordo S. Hieronymi Iesuatorum. Hos enim omnes mendicantes esse Pius V. declarauit sua constitutione 35. *Romanus Pontifex*, vbi solùm dicit, se velle ordinem seruorum Beatæ Mariæ quatuor mendicantibus annumerari, & in constitutione 48. *Apostolicæ sedis*. & 49. *Romanus Pontifex*. annumerat alios duos ordines. Ex ordinib. autem clericorum postea declarauit Societatem Iesu esse mendicantem, in bulla eiusdem Societatis, *Dum indefessæ*. Potest autem notari differentia in ratione quam reddit; nam de alijs solùm dicit dari honestam rationem, cur mendicantibus annumerentur, quia actu mendicant, & quia fruuntur priuilegijs mendicantium. De Societate autem rationem reddit; *Tum quia bona stabilia possidere nequit sine certo eleemosynæ, fidelium q; largitionibus, & subuentionib. viuit: tum quia non minus quàm cæteri mendicantes in excolenda vineæ Domini assiduè laborant, fructusq; ingentes & salutiferos producunt, ac propterea eisdem priuilegijs, indultis, &c.*

Vnde quod dubitari solet, an minores ordines mendicantes tam verè ac propriè mendicantes sint sicut antiquiores, in Societate nullam quæstionem habet; nam vt infra tract. seq. videbimus, non solùm ex constitutionibus, sed etiam ex primæua regula Pontifici Paulo III. in principio præsentata, & ab eodem approbata, hoc genus paupertatis profitetur, & solenni voto promittit, & quod in ea singulare est, alio speciali voto confirmat, quod sui professores faciunt numquam consentiendo quantum in ipsis est, vt hæc paupertas minuatur. Quocirca Societas non tunc cœpit esse mendicans, quãdo à Pio V. fauorem illum accepit, sed cum primùm in suo instituto approbata fuit. Vt enim religio aliqua sit mendicans, in sua substantia (vt sic dicam) solùm requiritur, vt in eius instituto approbato paupertas, & mendicitas includatur, vt in Societate inuenitur: subsequens verò approbatio, quæ in specie fit, magis est quædam solennis & expressa declaratio illius proprietatis, & quasi specificæ differentiæ talis religionis. Vnde quoad suum esse non ideo Societas est vna ex mendicantibus religionibus, quia Pius V. ita declarauit, sed quia ipsa talis erat, ideo Pius V. talem esse declarauit, simulq; dignam esse, vt omnia mendicantium priuilegia ei concederentur, quod magna ex parte factum iam erat, & ipse compleuit. XIV. *Societas mendicans.*

De alijs verò nouis ordinibus fratrum mendicantium plenum iudicium ferre non possum, quia de earum institutis, de modo profitendi paupertatem mihi non satis constat. Et ad veram religionem mendicantem, non satis est actu mendicare, nisi ex vi instituti à Sede Apostolica approbati, talis paupertas obseruetur, vel saltem obseruanda sit secluso aliquo dispensationis genere, vt diximus à n. 11. De illis autem religionibus, solùm dicitur in prædictis bullis, quod mendicant, an verò hoc sit ex vi instituti, vel saltem ita sit consuetudine approbata, & confirmata præscriptum, quæ pro regula habeatur, ibi non dicitur. Neq; etiam ad veram religionem mendicantem in rigore sufficit gaudere omnibus priuilegijs mendicantium, sicut non sufficit XV. *Quod de aliis nouis ordinibus dubium.*

ficit ad veritatem religionis gaudere priuilegijs religiosorum, nisi res ipsa & substantia supponatur. Quia verò Pius V. in dictis bullis, non tantùm dat priuilegia & nomen, sed etiam addit; *Ipsos* (videlicet ordines) *vere mendicantes esse, & sub mendicantium ordinibus esse, & comprehendi debere.* Ideo credendum est eos, vel ex vi suarum institutionum habuisse hanc paupertatem, vel certè ex tunc approbatos, & confirmatos fuisse ad illam mendicitatem profitendam.

XVI. *Varietas ordinum non mendicantium.*

Reliqui ergo ordines, extra prædictos, mendicantes non sunt, inter eos verò, vt dixi, quidam sunt proprij monachi, secundùm specialem appellationem. Alij verò, nec mendicantes sunt, nec proprij monachi, sed actiui, vel Crucigeri possunt appellari. Monachorum subinde varij sunt ordines, seu religiones, ex quibus antiquior est D. Basilij, sub qua omnes monachos comprehendimus: in occidente verò primum locum tenet religio S. Benedicti. Nam licet fortasse prius D. Augustin. religionem Monachorum instituerit, illa tamen nunc saltem in monachi statu non subsistit, & ideo illam prætermittimus, & sub mendicantium Augustiniana familia eam collocamus. Nonnullæ verò religiones monachales, quæ sub regula Augustini militant, vt Præmonstratensis, & S. Hieronymi in Hispania, recentiores sunt, vt infrà videbimus, quam religio S. Benedicti, imò, & quàm aliæ plures religiones Monachorum, quæ ex eiusdem Benedicti instituto exortæ sunt, præsertim Chamaldulensium, Ciscercienſium, & Cluniacensium, de quibus in sequenti libro dicemus. Præter hos verò exstat in Ecclesia insignis ordo monachorum Carthusiensium, qui antiquorum Anachoretarum vitam & rigorem imitatur, non tamen sub aliqua ex antiquis regulis, sed sub proprio viuendi modo ab eius fundatore inuento, de quo pauca etiam in sequenti lib. cap. 4. attingam. Similiter etiam aliorum ordinum fratrum, qui nec mendicantes, nec tantùm monachi sunt, variæ sunt religiones, quæ minùs vniuersales, minùsque propagatæ in Ecclesia inueniuntur. Inter eos verò duæ sunt in nostra Hispania celebriores, scilicet religio Sanctissimæ Trinitatis, & religio S. Mariæ à Mercede, de quibus etiam in particulari dicemus.

CAPVT IX.

Quot sint ordines clericorum regularium.

I. *Diuisio in regulares simpliciter, & secundum quid.*

PRimùm diuidere possumus statum Clericorum regularium in eum, qui simpliciter religiosus est, vel tantùm secundùm quid. Non desunt enim, qui existimant, clericos illos, qui in principio Ecclesiæ etiam vsque ad tempora Augustini vitam communem agebant cum Episcopis in Ecclesijs cathedralibus, solam paupertatem obseruasse: alia tamen vota non omisisse, & ideo non simpliciter, sed secundùm quid religiosos fuisse; nam D. August. in duobus sermonibus de vita communi Clericorum, & Concil. Aquisgranense sub Ludouico, cap. 112. & 113. vbi ijdem sermones referuntur, tantùm hanc conditionem vitæ communis quoad paupertatem Clericis cum August. in monasterio viuentibus seruandam proponit. Deinde nihil aliud à suis clericis Augustinus exigit, nisi quod imitentur vitam, quam fideles, Apostolorum tempore, obseruabant, vt Act. 4. & 5. refertur. Constat autem non omnes, qui in communi tunc viuebant, fuisse religiosos, nam etiam coniugati, vel omnes, vel plures, vitam illam communem profitebantur, vt ex generali narratione, & ex speciali facto Ananiæ & Saphiræ colligimus.

Clerici eatenus tempore Aug. videri religiosi secundum quid.

II.

Veruntamen licèt non repugnet hoc genus vitæ in congregatione tam laicorum, quàm clericorum seruari, tamen quod aliquando fuerit, & præsertim sub Augustini institutione, nec constat, nec verisimile est. Quod patet ex doctrina D. Tho. & iuribus cap. 7. adductis, & ex cap. *prater.* 32. dist. vbi clerici communiter viuentes religiosi clerici appellantur, & cap. *præsens.* 20. q. 3. in fine ibi. *Non putamus Canonicos religiosos* (id est, regulares vt Gloss. exponit) *à Sanctorum monachorum vita, & consortio seiunctos*: id est, alienos à vero religionis statu. Præterea, quia licet in dictis sermonibus Augustinus solam paupertatem commendet, & proprietatem reprehendat, non tamen alia vota excludit. Quin potius eorum integram obseruantiam supponere videtur, & quia in paupertate grauis lapsus contigerat, pro ea pugnat: ibi enim non tradit regulam aut institutionem integram, sed concionatur, & solam materiam paupertatis commendandam, & proprietatem propulsandam, veluti in argumentum illorum sermonum assumpsit. In eisdem tamen domum suam *Monasterium clericorum* vocat, eosq; suæ regulæ obseruandæ obligatos fuisse supponit. Quare verisimile non est, eos clericos non multo magis continentiam ex voto obseruasse, quam ipse Augustinus tanta circumspectione seruarit, vt nec sororem secum habere permitteret, dicebat enim; *Quæ enim cũ sorore mea sunt, sorores meæ non sunt*, vt Possidonius ca. 26. in eius vita refert, vnde in cap. 11. ait in monasterio Augustini seruos Dei seruasse *propositum continentiæ cum paupertate profunda.* Ex quibus Beatus Augustinus ab alijs Ecclesijs rogatus, decem venerabiles viros continentes, & doctissimos dedit. Vnde etiam constat, illius obedientiæ specialiter subiectos fuisse, quod etiam supposita communi, & continenti vita in eadem congregatione, per se euidens est, quia sine obedientia subsistere non possit. Et ob hanc rationem existimo hoc genus vitæ semiregularis (vt sic dicam) non posse habere locum in congregatione clericorum, si paupertatem obseruet, nam multo magis in eis postulatur castitas, vel eo ipso quod clerici sunt; obedientia verò saltem ex eo quod in congregatione, seu in communitate viuere supponuntur, vnde facilius posset cogitari hic imperfectus status ex defectu paupertatis, si congregatio aliqua clericorum castitatem, & obedientiam seruaret, proprium verò non omnino abiiceret; nullam tamen nobis constat huiusmodi esse, vel aliquando fuisse.

Oppositum ostenditur.

III. *Duplex alter modus clericorum secundùm quid religiosorum.*

Ex alio verò capite contingere potest, vt congregatio aliqua clericorum regulariter viuentium propria religio non sit, scilicet ex defectu votorum, quia nimirum, vel non emittuntur, sed solùm ex quadam societate, vel conuentione humana, aut statutis ab ea prouenientibus seruantur ea, quæ à religiosis ex voto seruari solent; vel si fiunt vota, non includunt obligationem ad permanendum in tali statu, sed supponunt potiùs libertatem relinquendi illum, solumque obligant sub conditione, quandiu ibi perseuerare libuerit. Prioris modi dicuntur esse nonnullæ congregationes in Italia, præsertim Romæ, quæ religiosos habent viuendi modos, & perfectos atque illustres viros ex se producunt, ad præsentem autem tractatum non spectant, quia propriè religiones non sunt.

1. *Modus.*

IV. 1. *Modus.*

Posterioris modi censetur esse congregatio sancti Georgij in Alga, quæ initium Venetiis habuit, & ab Eugenio IV. instituta dicitur, sed ab eo potiùs illustrata fuit, iam enim à Gregorio XII. fuerat confirmatus ille viuendi modus, quem Laurentius Iustinianus eo iam tempore vita, & doctrina multum commendauerat. Pius autem V. suo motu proprio 75. *Lubricum vitæ genus* huiusmodi congregationibus, & nominatim huic Sancti Georgij præcepit, aut solennia vota sub aliqua regula approbata emit-

emittere, aut talem viuendi modum dimittere. Adhuc tamen extat in Lusitania congregatio religiosa sub appellatione S. Ioannis Euangelistæ, quæ eundem vitæ modum absque votis solennibus retinet. Huiusmodi autem clerici in rigore regulares non sunt, & ita in ipsis bullis Pontificalibus, in quibus varia priuilegia eis conceduntur, *Canonici sæculares* appellantur. Magis autem ad religionem accedunt, quam qui nulla vota emittunt; nam quandiu in tali congregatione perseuerant, sunt quæ membra eius, obedientiam, paupertatem, &c. ex voto seruare tenentur. Vnde pro tunc, quoad eorum obligationes de illis iudicandum est, eadem proportione, qua de cæteris religiosis. An verò hic modus libertatis in huiusmodi communitatibus, seu congregationibus expediat, ad nos iudicare non pertinet, certum tamen est, id ex se malum non esse, esto non sit maximè perfectum ex parte personarū, se offerentium Deo, (negare enim non possumus, quin vinculum perpetuum saltem ex parte vouentis perfectius sit; tum ad constituendum statum, tum ad consecrandam personam Deo.) Nihilominus ille etiam modus viuendi & vouendi, non solum honestus est, sed etiam ad perfectionem assequendam potest esse valdè vtilis, & sua peculiaria commoda liberius seruiendi Deo, & maiori voluntate sustinendi, & superandi difficultates, quæ in perseuerantia vitæ religiosæ occurrunt, habere potest. Deniq; ad Ecclesiæ splendorem, & pulchritudinem ac perfectionem pertinet tota hæc varietas, non solùm in religionibus, sed etiam in modis viuendi religiosis, qui ad perfectionem iuuant; non est enim minor, sed multò maior varietas in hominum ingenijs, sed propensionibus, & ad suauitatem diuinæ prouidentiæ pertinet omnes congruenter vocare, quos vult ad perfectionem aliquo modo perducere.

V. 2. *Diuisio in Canonicos regulares, & Presbyteros simpliciter.*

Præterea clericorum religio vera ac propria, tribusq; substantialibus votis de se perpetuis firmata, diuidi potest in religionem Canonicorum, & Presbyterorum simplicium, vt sic dicam. Hæc diuisio constat ex vsu Ecclesiæ. Est enim celebris, & antiquissima religio Canonicorum regularium, de qua an sit vna vel multiplex, postea videbimus: certum est autem esse religionem clericorū & Presbyterorum, tamen dum specialiter Canonici appellantur, aliquo modo dignitatis, vel excellentiæ nomen participare videntur, & in eo distingui à clericis regularibus, qui Canonici regulares nec sunt, nec appellantur. Nam quod sint plures huiusmodi constat sufficienter exemplo Societatis Iesu, quæ est religio clericorum & presbyterorum, vt loquuntur Pontifices, & Concilium Trident. infràq; ostendemus in tract. sequenti, & tamen Canonici regulares dici non possunt; talis enim appellatio neq; in iure, neq; in vsu habet fundamentum, & ideo credendum est, neq; in re ipsa, vel in conditionibus talis religionis illud habere. Idemq; est de alijs (quas infrà commemorabimus) religionibus clericorum, quos nunc simplices appellamus, vt à Canonicis regularibus eos distinguamus.

VI. *Quid nomine Canonici veniat.*

Non est autem facilè diuersitatem hanc declarare; nam si primam originem & vsum huius vocis *Canonicus* spectemus, nihil aliud in principio significasse videtur, quam clericorum sub regula viuentem & communem vitam, Apostolorum more, cum alijs in Ecclesiastico collegio obseruantem, vt notauit Couarr. in Clement. *Si furiosus* p.1. in principio, & Nauar. Comment. 3. de regul. num. 2. & 3. Nam *canon* Græcè *regulam* significat, vnde Canonicus dictus est clericus regularem vitam sequens. Cum enim in principio Ecclesiæ, vel omnes fideles, vel saltem omnes clerici communem vitam profiterentur, successu temporis multi etiam clericorum relicta vita communi cœperunt priuatim viuere, & proprium habere, qui autem priorem statum retinuerunt, vt à communi clericorum turba distinguerentur, Canonici dicti sunt. Ac verisimile est illos fuisse ab Episcopis proximè apud se retentos, & ad principalia ministeria, & consilia Ecclesiastica fuisse assumptos, ac subinde in communib. clericorum consessibus digniora loca habuisse. Postea verò ipsi etiam Canonici vitam illam communem relinquere cœperunt, & proprias canonias, & præbendas inter se diuidere, *Canonicorum* nihilominus retento nomine, & ideo illi Canonici, qui in religiosa, & communi vita permanserunt, canonici regulares dicti sunt, non propter ambitionem, vel ignorantiam, vt calumniatus est Ludouicus Viues, sed propter necessitatem determinandi ambiguitatem vocis *Canonicus*, in qua non vnde imposita sit, sed ad quid tandem significandum sit translata, oportet expendere; iam enim absolutè sumpta non significat regularem, aut religiosum, sed quemcunq; habentem canonicatum seu canoniam. Est autem *canonia* spirituale ius, ratione cuius aliquis habet stallum in choro alicuius Ecclesiæ, & locum in Capitulo, vt colligitur ex cap. *dilecto.* de præbendis, & notant Innocentius & Doctores in cap. *Cùm M.* de constitutionibus. Vt ergo determinetur significatio ad Canonicos vitam religiosam retinentes, meritò cum additione appellantur regulares.

VII. Canonici regulares. Hinc autem intelligitur Canonicum etiamsi regularis sit, officium & spirituale ius Canonici retinere, hoc enim cum substantiali statu religionis non repugnat. Distinguitur ergo à clerico regulari, quia qui simplex clericus regularis est, canoniam non habet, etiamsi religionem habeat. Sicut enim inter sæculares dantur clerici, qui non sunt Canonici, ità inter regulares possunt Canonici distingui à simplicibus clericis religiosis. Dices, esto hoc cum habeat in Canonicis collatis cum clericis secularibus, non tamen cum regularibus, nam hi ex vi professionis suæ habent statum in choro, & votum in Capitulo, si aliæ conditiones ætatis, antiquitatis, & similes concurrant, & eodem titulo habent ius ad congruam portionem, seu sustentationem ex bonis monasterij, seu Ecclesiæ, ergo eo ipso habent canoniam, quatenus in tali statu esse potest, quid enim aliud esse potest canonia in statu regulari. Obiectio. non tam differunt a alijs quam ipsi inter se. Canonia.

VIII. Respondeo in primis obiectionem hanc nullum habere locum respectu clericorum regularium societatis Iesu; nam illi nec statum in choro habent, quia illud munus chori ex vi sui instituti non profitentur, neque etiam habent propriè locum in Capitulo, quia ordinariè non per Capitula, sed per Prælatos suos gubernantur, nec electiones Prælatorum habent præter vnius Generalis, nec conuentualia Capitula celebrant, nec in communibus sessionibus certa habent antiquitatis, vel honoris loca, vnde nec vestigium, neque vmbram canonicatus, seu canoniæ participant. Quod etiam alio modo ex fine vtriusque instituti declarari potest: nam Canonici regulares ad diuinum cultum in dinam Canonici regulares ad diuinum cultum in diuinis mysterijs & officijs præcipuè destinantur, & hæc creditur fuisse prima eorum institutio, vt suprà diximus, ideòque eorum instituto optimè congruit, vt & statum habeant in choro, & vocem in Capitulo, per quod solet eorum Ecclesia, vel monasterium gubernari. Religiosi autem Societatis ad Ecclesiastica ministeria, in ordine ad salutem animarum destinantur, & ideo licet per se & ex vi instituti clerici sint, non tamen ad munus Canonicorum per se ordinantur, ideòq; nec stallum in choro habent, nec Canonici regulares dicuntur, sed tantùm clerici. Obiectio primo sibi proposita. Dilatur. non habent. Alij

IX. *Quid eidem obiectionis possit concedi.*

Alij verò religiosi clerici, qui vitæ tantùm contemplatiuæ vacant, & ad sacra ministeria diuini cultus primariò instituuntur, fortasse possunt nomine Canonicorum regularium comprehendi, propter obiectionem factam, nam regulariter omnes habent, & certas sedes in choro iuxta suum graduum & dignitatem, & vocem in suo Capitulo. Vnde in iure clerici regulares, dici solent Canonici regulares, & è conuerso, vt colligitur ex cap. vnico 15. quæst. 2. addita expositione Gratiani ibidem in §. *hoc autem.* nam vbi in textu dicitur, *ne quis sacerdotum vel clericorum, more secularium iudicum pro impensis patrocinium munera audeat accipere*, ipse exponit intelligendum esse de clericis, qui canonicam vitam professi regulariter se victuros proposuerunt. Idem colligitur ex cap. *decimas* 16. quæst. 1. ibi. *A monachis siue clericis communiter viuentibus nulla ratio sit, vt milites, aut Episcopi, aut personæ quælibet decimas de laboribus, seu nutrimentis suis proprijs extorquere debeant.* Vbi clerici communiter viuentes dicuntur Canonici regulares; non enim constat tempore Paschalis II. cuius fuit illud decretum, id est, anno 1100. alium clericorum ordinem fuisse, vnde in capitulo *in omnibus* de consecrat. distinct. 5. *Canonici clerici* dicuntur, id est, regulares clerici, (ita enim legendum & exponendum existimo) quibus iniungitur, vt *canonicè*, id est, regulariter viuant, in quibus locis sermo est de clericis communiter, & religiosè viuentibus, & ad seruitium alicuius Ecclesiæ deputatis; omnes ergo illi sine inconuenienti possunt nomine Canonicorum regularium comprehendi.

X. *Alij etiam clerici regulares præterquam Societatis, à canonicis regul. distinguuntur.*

Quia verò, vt infrà videbimus, præter Societatem sunt nunc in Ecclesia aliquæ religiones clericorum, quæ hoc nomen *Canonicorum regularium* non vsurpant, possumus differentiam aliquam inter has religiones assignare. Canoni enim regulares dicuntur illi tantùm, qui alicui Ecclesiæ cathedrali, vel collegiatæ deputati sunt. Alij verò, quorum Ecclesia non habet hanc dignitatem, sed est aut Parochialis, aut omnino simplex, non sunt propriè Canonici regulares, sed simpliciter clerici religiosi. Sicut enim in Ecclesijs secularibus est illa distinctio iuxta varios gradus dignitatis, ita in regularibus inuenitur. Ecclesia enim cathedralis dicitur, quæ sedem habet Episcopalem; constat autem plures huiusmodi Ecclesias canonicos regulares habere, etiam nostris temporibus. Collegialis autem Ecclesia dicitur, quæ dignitatem Ecclesiæ cathedralis aliquo modo participat, cuius Superior verè Prælatus est participans iurisdictionem Episcopalem, cuiusmodi sunt etiam multæ Ecclesiæ regulares. Canonicatus autem propriè solùm inueniuntur in Ecclesijs cathedralibus vel collegiatis, vt constat ex vsu, & modo loquendi tam iuris, quam vulgari, ergo conuenienter dicimus omnes illos, & solos regulares clericos, qui huiusmodi Ecclesijs deputantur, dici Canonicos regulares.

XI. *Id impugnatur.*

Obijcies, omnes Ecclesias regulares esse collegiatas, ac proinde potius hinc sequi, omnes clericos regulares ministerio Ecclesiæ deputatos esse etiam Canonicos regulares. Antecedens patet ex Panormitano in cap. *nobis.* de iure patronat. num. 8. & insinuatur in cap. *ne pro.* de electione. & in cap. 1. de statu monach. quæ ipse refert, & idem sumitur ex his quæ tractant Innocent. in cap. *postulasti.* de iure patronat. & Felin. in cap. *acc dentes.* de præscriptionibus. Respondetur, aliter sumi nomen *Ecclesiæ collegiatæ* ab his Authoribus, quam in præsenti sumatur. Ibi etiam *Ecclesiam collegiatam* vocant omnem illam, quæ instituta est, vt in ea sit clericorum, vel etiam monachorum collegium, seu conuentus, à quo gubernetur, vel seruiatur, & vocatur etiam *conuentualis* (quamuis hæc vox ex vsu monachis accommodata sit) atque hoc modo omnis Ecclesia cathedralis est collegialis, licet non conuertatur, & sic etiam dantur Ecclesiæ collegiales secularium clericorum in quibus nec canonicatus, nec dignitates, sed inferiora beneficia esse censentur. Alio verò modo vocatur *collegialis Ecclesia*, quasi per antonomasiam, illa quæ licet cathedralis non sit, habet specialem dignitatem & honorem, in quo superat inferiores Ecclesias etiam conuentuales, & de his videtur loqui Glossa, in cap. *statutum.* de rescriptis, verb. *Cathedralium* vbi has vocat *Ecclesias collegiatas honorabiles.* Videtur autem earum dignitas per hoc rectè explicari, quod aliquam iurisdictionem habent Superioris rationis, & Abbas, vel Prior, aut quocunque alio nomine vocetur earum caput, dignitatem habet, & iurisdictionem, quasi Episcopalem. Hoc igitur modo non omnis Ecclesia regularis est propriè collegialis, & ideo necesse non est, vt omnes regulares clerici sint Canonici regulares. Potuit etiam hoc nomen sumi ex origine, & ideo non accommodari illis clericis regularibus, qui eandem originem non habent, vt in sequenti puncto explicabimus. 2. *Modus.*

XII. *Subdiuisio Canonicorum regularium.*

Possunt ergo vlterius Canonici regulares distingui in Canonicos Ecclesiarum cathedralium, & non cathedralium; hos enim duos ordines illorum reperiri, & vsu ipso, & iure, ac historijs constat; nam in Hispania habemus Ecclesias Cæsaraugustanam, Tarraconensem, & Pampilonensem, & Oesomensem; quarum Canonici sunt regulares; & extra Hispaniam per totum orbem sunt plures huiusmodi Ecclesiæ, vt latè refert Trullus lib. 1. ordinis canonicorum cap. 30. vbi latè ostendit huiusmodi Canonicos cathedralium Ecclesiarum esse verè religiosos, & eiusdem ordinis cum alijs Canonicis regularibus, qui in monasterijs, seu Ecclesijs collegiatis degunt, quia eandem professionem sub eadem Augustini regula faciunt, & eundem substantialem habitum religionis portant, solùmq; in accidentalibus, maioriq; aut minori obseruantia differunt. Imò si originem & antiquitatem spectemus, præcipuè videtur incepisse ille ordo in Ecclesijs cathedralibus, & ibi *Canonicorum* nomen accepisse, quod ad omnes postea deriuatum est, etiamsi extra Ecclesiam cathedralem in priuata Ecclesia, vel monasterio profiteantur.

XIII. *Reliqui clerici regulares à Canonicis condistinguuntur.*

Reliqui ergo clerici regulares, qui illud institutum non profitentur, sed propriam & peculiarem habent institutionem, quæ per se non postulat, vel cathedralem Ecclesiam, vel aliquam aliam specialem dignitatem habentem, in rigore non comprehenduntur sub illo nomine, neque habent, vnde illud participent, vt satis declaratum est. Potestque hoc deseruire ad intelligenda iura, quæ de Canonicis regularibus loquuntur; nam ex vi verborum, & in rigore, non pertinet ad alios clericos regulares, nisi disponant de re, quæ solùm fundatur in religioso statu clericali, quatenus talis est, vel contineant fauorem religionis, vt sic. Si autem contineant licentiam vitæ laxioris, non sunt extendenda nec applicanda ad omnes clericos regulares, nisi quatenus vniuscuiusque instituto accommodata fuerint.

XIV. *Quomodo etiam hi sub diuidantur.*

Tandem potest clericorum religio diuidi in mendicantem, & non mendicantem. Item in purè contemplatiuam, & mixtam ex contemplatiua & actiua. Societas enim, quæ sub hoc genere continetur, mendicans est, & mixta: aliæ verò religiones clericorum non profitentur mendicitatem, aut proximorum ministerijs ex instituto vacant, vt ex his, quæ in particulari tract. seq. lib. 1. cap. 5. dicemus, constabit.

Occurritur distinguendo duos modos Ecclesiæ collegiatæ. 1. Modus.

CAPVT

CAPVT X.

Vtrùm religiones Monialium à religionibus virorum, vel etiam inter se distincta sint?

I. *Propositio tractandorum in reliquo libro.*

VLtima generalis diuisio religionum esse potest, in religionem virorum & fœminarum; vtramque enim possessionem in Ecclesia esse constat, & habere inter se distinctionem aliquam. Quoniam ergo de religionibus virorum in communi satis distinximus, de Monialibus nonnulla dicere necesse est. Et quoniam ferè omnia, quæ ad statum religionis pertinẽt, in eis cum proportione locum habent, & in particulari religiones fœminarum tamquam accessorium quid ad religiones virorum reducuntur, ideo vsq; ad finem libri percurremus breuiter omnia, quæ ad statum religiosum pertinent, illa monialibus accommodando, & proportionem, quam seruent ad virorum religiones explicando, simulque totam illarum varietatem, & distinctionem insinuabimus, ita vt nihil amplius de illis dicere necesse sit.

II. *Fœminas Deo consecratas, & iunctim habitantes olim fuisse ostenditur.*

Primò igitur certum est à principio nascentis Ecclesiæ fuisse consuetudinem consecrandi Deo fœminas, tam virgines, quam viduas per votum continentiæ, vt latè in superiori tomo ostendimus, tractando de voto castitatis. Deinde certum est, antiquissimum esse morem congregandi in separatis domibus, seu monasterijs fœminas Deo consecratas, & viam perfectionis sectantes. De temporibus enim Apostolorum fertur Iphigeniam ab Apostolo Matthæo ad Deum conuersam, & sacro velamine consecratam monasterium Virginum habuisse, sed est res incertæ authoritatis, sicut liber Abdiæ de Apostolicis institutis, vnde sumpta est. Probabilior est historia, quam de B. Virgine Martha refert Ecclesia, quod Massiliæ in loco à viris remotissimo cum aliquot honestissimis fœminis in perpetua virginitate, summa cum laude vsque ad mortem vixerit. Philo etiam in lib. de vita contemplatiua, non solùm viros, sed etiam fœminas indicat fuisse vitam illam contemplatiuam sequutas, quam per totum illum librum describit. Post illa verò tempora legimus Sanctum Pachomium virginum monasterium, iuxta suum habuisse & gubernasse, à sorore eius erectum, vt refert Baronius ex antiquis historijs, & ex regulis eiusdem Pachomij colligitur, & Chrysostom. hom. 8. in Matthæum cùm de Monachis Ægypti sermonem habuisset, subdit, *Atque hæc non in viris solum, verum etiam in fœminis splendere conspicias*, & infrà. *Communis enim illis, ac virus aduersus diabolum pugna est contra huius mundi potestates, nec vspiam tenerior etas sexu hic congressibus impares facit, non enim natura corporis, sed voluntate animi exercentur istæ prælia, propterea sæpe in huiusmodi acie fortiùs viris fœminæ decertarunt, ac trophæis insignibus claruerunt. Non ita variis astrorum choris cælum refulget, vt Ægypti eremus innumeris monachorum, ac virginum distinguitur atque illustratur habitaculis.* Similia commemorat D. Hieronym. epistol. 48. ad Sabinianum, dicens: *Moris est in Ægypto & Syriæ monasteriis, vt tam virgo, quam vidua, quæ se Deo vouerint, & sæculo renuntiantes, omnes diuitias sæculi conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerant deferendum: non in erecto pectore contra Apostoli voluntatem incessura capite, sed ligato pariter, ac velato.* Idemque Hieron. epistola 16. ad Principiam, refert eandem consuetudinem incepisse Romæ tempore Athanasij, vnde Augustinus de moribus Ecclesiæ cap. 31. *Hæc est* (inquit) *etiam vita fœminarum Deo solicitè castéque seruientium, quæ habitaculo segregatæ, ac remotæ à viris quàm longissimè decet, piâ tantùm illis charitate iunguntur, &c.* & in Hispania, & eodem tempore fuisse iam vsum religiosarum virginum, constat ex Concilio Elibertino tempore Syluestri celebrato, canone 13. quamuis non constet eo tempore in proprijs & separatis monasterijs vixisse, nam in parentum domibus, saltem illis viuentibus habitare permittebantur, vt ex eodem Concilio colligitur canon. 27. & ex Conc. Carthaginensi 3. can. 33.

III. *Quis vel qualis status professionis fœminarum.*

Qualis autem vitæ institutio, & professio, à principio fuerit in huiusmodi fœminis Deo dicatis, incertum est, an scilicet fuerit per proprium religionis statum cum omnibus votis, quæ sunt de substantia eius, an verò fuerit per solum votum castitatis, sicut nunc à multis fit. Item, an semper fuerint hunc statum in proprijs monasterijs, & cõuentibus, an in priuatis domibus. Eademq; incertitudo est de habitu, ac viuendi modo; verisimilius tamen est varios fuisse modos illius status; non solùm in diuersis temporibus, aut locis, sed etiam in eisdem, sicut nunc sunt in Ecclesia. Nam quod aliquæ essent simplex tantùm votum castitatis emittentes, ex 1. ad Timoth. 5. intelligimus, & multi putant huiusmodi fuisse quatuor illas virgines filias Philippi, de quibus Actorum 21. mentio fit; nam eas semper virgines perseuerasse indicat Eusebius li. 3. historiæ, c. 25. vbi de vna specialiter refert ex Polycrate, Spiritus sancti afflatu piè sanctèq; vitam instituisse, & Ephesi mortem obijsse, ex quibus verbis colligi potest instituisse vitam integrè ac perfectè religiosam. Quod etiam consecratio illa solennis aliquando fuerit, vt inhabilem redderet personam ad matrimonium in superioribus cap. 2. dictum est, aut ignorari, huius consuetudinis initium, aut certè esse valde antiquum.

IV. *Diuersus habitandi modus.*

Præterea, quoad modum habitationis, ostendimus etiam in eodem cap. 2. num. 7. interdum fuisse in priuata domo, interdum in monasterio, & conuentu communi, & ita vtriusque modi viuendi fecit mentionem Hieronymus; nam epistola 22. de virginibus loqui videtur, quæ in proprijs domibus habitabant; in epist. autem 27. refert monasteria sororum, seu monialium à S. Paula ædificata. Indicat verò non fuisse monasteria omnino clausa, *Nam in die* (inquit) *dominico ad Ecclesiam procedebant, ex cuius habitabant latere, & vnumquodque agmen matrem propriam sequebatur.* Augustinus verò lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 31. etiam exactam clausuram seruatam esse indicat, dicens; *Ad quas inuenem nullus accessus est, neque ipsorum, quamuis grauissimorum & probatissimorum senum nisi vsque ad vestibulum necessaria prabendi quibus indigent gratia.* Et saltem has fœminas, quæ in Monasterio includebantur, integrè ac rigorosè statum religiosum habuisse, non solum castitatem, sed etiam paupertatem, & obedientiam vouendo, ex eisdem Patribus manifestum est, & Innocent. II. in Concilio Romano tandem statuit, vt Sanctimoniales, non nisi in Cœnobijs, seu communibus monasterijs viuant, vt habetur in cap. *pernicioſam* 18. q. 2. Olim enim quando Ecclesiæ non concedebatur tanta pax, & securitas propter persecutiones, aut tyrannidem Principum infidelium, non poterant commodè tot monasteria fœminarum ædificari. Cumprimùm verò facultas, & occasio data est, hic mos tamquam longè arctior ad virginitatem seruandam, ita præualuit, vt solus ille retentus sit, & per Pontifices, & Concilia approbatus, vt patet cap. *definimus*, & cap. *in nullo*. cap. *monasteria*. cap. *in decima* 18. q. 2. & alijs, de religiosis domibus, & de statu monachorum vsque ad Concilium Trident. sess. 25.

V. *Origo, & historia monialium.*

Ex his ergo satis constat in generali, origo, & necessitas huius status quoad fœminas, vt autem de illius varietate, & de peculiaribus conditionibus

bus monialium dicamus, aduertendum est monasteria monialium ordinariè, & ferè ab initio fuisse annexa, & subordinata monasterijs monachorum, vt indicat exemplum suprà allatum de monasterio virginum sancti Pachomij, & significat Augustinus suprà, dicens de monialibus; *Lanificio corpus exercent atque sustentant, vestesque ipsas fratribus tradunt, ab iis in uicem, quod victui opus est, resumentes*, & in Concilio Hispalensi II. cap.11. statutum est, *vt monasteria virginum monachorum administratione ac præsidio gubernentur*. habetur in cap. *in decima* 18. quæst.2. & notauit Panormit.p.1. consiliorum consil.8. Ex illo tamen capite constat illam gubernationem ita fuisse monachis commissam, vt præcipuè, & maximè ab Episcopo penderet; nam is monachus, qui ab Abbate monasterio monialium præponebatur, iudicio sui Episcopi comprobandus erat, vi ibidem dicitur, & ita etiam in monasterijs monialium locum habebat, quod ex Concilio Arelatensi refert Gratianus in cap. *monasteria*, 18. quæst.2. scilicet, vt monasteria & monachorum disciplina ad eum pertineant Episcopum, in cuius territorio sunt constituta. Nam hoc etiam de monasterijs monialium verum erat; regulariter autem videtur fuisse cum subordinatione, quatenus monialium monasteria erant proximè subiecta monasterijs monachorum; omnia verò tandem erant sub cura, & potestate Episcoporum; tum quia ex generali regula, omnes Ecclesiæ, & loca sacra in vnaquaque diœcesi constituta, sunt Episcopo talis diœcesis subiecta, nisi probentur exempta, cap. *contra morem*. d.100.cap. *omnes Basilicæ* 16. q.7. cap. *cum venerabilis*. & cap. *de xenodochijs*. de religiosis domibus: tum etiam; quia per multa decreta, ita in specie cautum est 18.q.2. ferè per totam.

monialium, pro diuisione religionum ipsarum.

VI. Hinc ergo colligimus primò, quòd sicut accessorium sequitur naturam principalis, ita religiones monialium sequuntur religiones virorum, & iuxta illarum distinctionem suo modo differunt, seu variantur, ideòque non oportet de illis specialem tractationem instituere, nisi quoad ea tantùm, quæ, vel ratione sexus eis propria sunt, vel specialiter sunt in iure de illis statuta. Cætera verò, quæ, vel de religiosis in communi, vel de aliqua religione particulari dicuntur, ad religiosas in communi, vel in particulari applicanda sunt. Solùm ergo sunt nonnulla obseruanda. Primum est quoad finem religionis, maiorem diuersitatem inueniri in religionibus virorum, quàm fœminarum.

VII. *Quæ diuersa à 5. vsque ad 9. addicta loca non habeant, vel habeant in fœminis.* Nam in primis in fœminis non habet locum distinctio religionis in religionem laicorum & clericorum, quia hoc posterius membrum non habet locum in fœminis, & ideo omnes religiones fœminarum imitantur potiùs religiones laicorum. Vnde etiam est, vt religio mixta, ex contemplatione, & actione spirituali, quæ versatur in ministerijs erga proximos, non habeat locum in religionibus fœminarum, quia fœminæ non solùm incapaces sunt ordinum, sed etiam docendi munus ad eas per se non pertinet, iuxta doctrinam Apostoli 1.Corint.14. Regulariter ergo monialium religiones vitam profitentur contemplatiuam, & monasticam, & ita in proprio gradu monachorum, ferè omnes monachæ continentur; nam si quid actionis participant, ordinariè solùm est quoad laborem manuum, quæ operatio etiam proprijs monachis viris, & maximè contemplatiuis, communis fuit, estque moraliter necessaria hominibus aliqua exercitatione corporis indigentibus. Aliud verò actionis genus, quod consistit in vsu operum corporalis misericordiæ, non est ita accommodatum religioni fœminarum, vt scilicet tamquam proprius finis, & scopus eius assumatur, quia licet huiusmodi opera commodissimè possint per fœminas exerceri, iuxta illud Pauli 1.ad Corinth.5. *Vidua eligatur in operibus bonis, testimonium habens*. Et infra. *Si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus subministrauit*, &c. licet hoc, inquam, ita sit, tamen quia hæc opera non possunt circa proximos exercere sine exitu extra clausturum, qui regulariter non expedit fœminis religiosis, ideo non est ille finis accommodatus tali religioni, ac propterea licet religiosæ fœminæ inter se debeant hæc opera perfectissimè exercere, non tamen propriè illum habent pro fine religionis suæ, sed est veluti conditio necessariò concomitans omnem religiosam communitatem.

VIII. *Diuisio, seu varietas monialium pro varietate virorum regularium.* Hoc tamen non obstat quominus in monialium institutis sit varietas cum aliqua proportione ad religiones virorum. Nam in primis inter proprias monachales, quædam profitentur regulam S. Benedicti, sub proprio eius nomine & accommodato habitu; aliæ Cistercienſi ordini obedientiam præstant sub nomine & insigniis D. Bernardi. Sunt etiam, præsertim in Hispania, nonnulla monasteria Sanctimonialium monachis D. Hieronymi subiecta, & consequenter eorum institutum imitantia. Ordo autem Carthusiensium non habet sorores sibi subiectas, vel quia modus viuendi, & clausura, ac solitudo illius religionis non patitur curam fœminarum, vel quia modus ille viuendi non potest conuenienter fœminis accommodari. Non solum autem monachorum ordines, sed etiam quatuor antiquiores ordines mendicantes, sua habent propria monasteria monialium, quæ nomine *mendicantium* comprehenduntur, vt in terminis tractat, & definit Lapus allegat. 4. & colligitur ex cap. vnico. §. *fane*. de statu regular. in 6. vbi quædam monasteria monialium dicitur esse ordinum non mendicantium; supponitur ergo alia esse mendicantium ordinum. Et idem sentit Gloss. in Clement. vnica de regular. verb. *quoslibet*. & ibi Bonifacius n.56. Cardinalis q.7. Qui consequenter aiunt, dispositiones iuris circa mendicantes, comprehendere huiusmodi moniales seruata proportione. Nec refert, quòd in professione vitæ mixtæ ex ministeriis spiritualibus non possint fœminæ viris assimilari, quia satis est, quòd in aliis conditionibus vnaquæque religio monialium illam mendicantem imitetur cui adiungitur, & primò quidem ac præcipuè profitendo regulam eius, & obedientiam: deinde habitum eius, & mores, seu constitutiones imitantur, & præcipuè paupertatem, à qua *mendicantium* nomen sumptum est. Præterea dicuntur esse aliqua monasteria monialium subiecta Canonicis regularibus, quas necesse est regulam S. Augustini profiteri, & fortasse peculiari modo imitantur assistentiam in choro, & curam circa obsequium, & ministeria diuina. Sicut etiam nonnulla monasteria monialium inueniuntur sub ordinibus militaribus, & cum insignibus, & habitu earū, quamuis finis ordinis militaris sexui fœmineo omnino repugnare videatur, quia verò omnes religiones militares partim ex clericis vel monachis constant, quoad eam partem possunt moniales illud vitæ genus suo modo participare, idque satis est, vt sub absoluta appellatione talis religionis comprehendatur.

Obiectio contra moniales mendicantes remouetur.

Quædam ad canonic. regul. imo & ad religiones militares.

IX. *Moniales etiam Episcopi subiectos debere aliquam regulam approbatam profiteri.* Denique in hoc puncto aduertendum est, plura monasteria monialium esse nunc immediate subiecta Episcopis; postquam enim monachi exempti fuerunt à iurisdictione Episcoporum monasteria monialium quæ permanserunt subiecta monachis, consequenter etiam fuerunt à iurisdictione Episcoporum exempta; multa verò manserunt immediatè subiecta Episcopis, vel, quia à principio ita fundata fuerunt, vel quia priuilegio, aut alio iusto

iusto titulo id consequutâ sunt. hoc tamen non obstat, quominus talia monasteria regulam aliquâ approbatam profiteri debeant. Quod enim statutum est in c.vltimo.de religiosis domibus, & c.vnico, eodem titulo in 6. vt nulla religio instituatur, nisi sub regula à Sede Apostolica approbata, etiam in monasterijs monialium omnino seruandum est, & priùs statutum fuerat ab Innocentio II. in c. *pernitiosam*.18.q.2.vbi decernit abolendam esse detestabilem consuetudinem quarundam mulierum, quæ licèt approbatam regulam non profiteantur, Sanctimoniales appellari volunt. Vnde in cap. *indemnitatibus* § *supradicta*. de electione in 6. in hoc sensu supponi videtur, moniales, quæ verè tales sunt, id est, veræ religiosæ, debere viuere sub aliqua de religionibus approbatis. Non est enim necesse, vt sub obedientia Prælatorum regularium viuant: nam vt dixi, multæ sunt ordinarijs, & sæcularibus Prælatis immediatè subiectæ. Necessarium verò est, vt aliquam monachorum regulam profiteantur, quia nulla est regula à Sede Apostolica pro solis monialibus, vel pro illis principaliter approbata; & ideo necesse est, vt secundùm aliquam ex approbatis regulis religiosorum profiteantur, siue sint subiectæ ipsis monachis, siue Episcopis. Sicut enim olim monachi erant subiecti Episcopis, non obstante professione suæ regulæ, ita etiam nunc esse possunt monasteria monialium.

X. *Fœmina collegialiter viuentes absq; dicta regula religiosa non sunt.*

Quapropter si quispiam velit erigere monasterium monialium, & non sub aliqua regula approbata, necessarium erit, vt ratio, & modus viuendi in tali congregatione per Summum Pontificē specialiter approbetur, alioqui esse poterit honesta quædam mulierum congregatio, non tamen vera religio, seu religiosa professio, iuxta dictum cap. vnicum, de religiosis domibus in 6. cum notatis ibi per Ioannem Andream, & per Panorm. prima parte Consiliorum. consil. 55. Non ergo sufficiet tunc approbatio Episcopi; hæc enim necessaria quidem est, vt monasterium de nouo in diœcesi erigatur, iuxta capitulum *de monachis*. cum sequentibus 18.q.2. Et olim sufficiebat ad nouum etiam viuendi modum instituendum; nunc autem necesse est, vt modus ipse viuendi, vel sit iuxta aliquam regulam approbatam à sede Apostolica, vel specialiter ab eadem sede approbatus sit.

XI. *Illarum vnà de origine & antiquitate monialium.*

Atq; ex his inferuntur duo. Vnum, idem esse iudicium de origine, & antiquitate religionum monialium, tam in generali, quàm in particulari, quod de religionibus virorum, proportione seruata. Nam vt ex dictis in nu.2. constat, monialium religio simul cum religione virorum exorta est, & cum singulis ferè monachorum authoribus, virginum etiam conuentus inceperunt, sicut de Pachomio, & alijs diximus, & S. Basilius inter suas regulas habet animaduersiones ad Canonicos, & ad Canonicas, id est, regulares, & S. Augustinus fertur fundasse primum fœminarum monasterium in Africa in ciuitate Thegastæ. De S. Dominico adhuc viuente legimus monasterium fœminarum Romæ instituisse. D. etiam Franciscus simul cum regula fratrum suorum, regulam sororum S. Claræ instituit, quam Gregorius IX. approbauit, posteaq; Vrbanus V. moderatus est, & ad meliorem ordinem, & fœminis magis accommodatum reduxit. De alijs vero religionib. tam monachorum, quam mendicantium, non ita certò constat quādo cœperint habere monasteria fœminarum sibi subiecta, vel suam regulam professentia. Verisimile tamen est, idem esse in cæteris obseruatum, simùlq; incepisse, quamuis sub eadem religione virorū, varia etiam instituta monialium esse contingat, vt religio Minorum præter religionem S. Claræ, habet etiam sibi subiectam religionem Conceptionis, quæ diuersam regulam professetur, & sic de alijs, de quibus sigillatim dicere operosum esset, & nobis non necessarium. Alterum illarum illatum longiorem petit explicationem sequenti tract. cap. tradendam.

CAPVT XI.

De receptione, ac nouitiatu monialium, earumq; professione cum ceremonia veli.

PRæter consectarium præcedenti cap. num. 11. positum, sequitur etiam ex dictis in eodem capite, omnia quæ in discursu huius operis de statu religioso dicta sunt, cum proportione esse ad moniales applicanda. Nam in primis consideranda est earum receptio, in qua obseruandum in primis est quod iura statuunt, vt non fiat nisi intra numerum præscriptum monialium qui ex reditibus, vel ex consuetis eleemosynis commodè sustentari possunt, iuxta cap. vnicum §. *sane*. de statu regular. in 6. & decretum Concilij Trident. sess. 25. cap. 3. de regular. ac tandem constitut. Pij V. *circa pastoralis, &c.* quod intelligendum est, nisi monialis secum afferat dotem ex qua possit commodè sustentari; nam illa dos potest inter eleemosynas, vel postmodum etiam intra reditus monasterij computari. Hinc verò nascitur dubium quod hic præcipuè controuerti solet, & spectat ad simoniæ vitium, an scilicet committatur in tali receptione, eo quòd non fiat sine dote in pactum deducta, nec sine alijs certis expensis; sed hoc punctum latè & in particulari tomo præced. tractatum est. Tractari etiam hic potest, de authoritate recipiendi aliquam in monialem, apud quem sit, de quo etiam videnda sunt eodem tomo dicta de receptione nouitiorum, & cum proportione in præsenti applicanda. Communis verò vsus iuri & rationi consentaneus est, vt hæc potestas sit in ipso conuentu monialium, simul tamen requiratur Prælati licentia seu consensus. Nam quatenus illa receptio est ad communem vitam, & societatem cum monialibus, ratio postulat, vt ipsæ voluntariè illam admittant, quatenus verò illa receptio est aliquo modo actus iurisdictionis, oportet vt Prælatus apud quem est propria iurisdictio, concurrat, de quo videri possunt Abbas in cap. *nosciturs*. de his quæ fiunt à maiori parte Capituli. Felinus in cap. *quoniam*. de simonia. Lapus allegat. 31.

I. *De numero & dote requisita.*

Interrogari præterea potest, quæ conditiones ex parte personæ recipiendæ, spectandæ, vel postulandæ sint: in quo primum necessaria sunto- omnia, quæ in communi de statu religioso dixi- mus tomo præcedente. Deinde hic addendum est, non solùm virgines, sed etiam viduas in eundem monialium conuentum recipi posse. Hoc constat ex vsu Ecclesiæ, quem esse antiquissimum constat, nam in monasterio illo virginum, quod in Africa Augustinus instituit, sororem viduam illi præfecit, & Beata Brisida cùm esset vidua, monialium ordinem instituit, quarum fuit Abbatissa, licet ipsæ virgines essent. Præterea in cap. *vidua* 20. q. 1. de vidua dicitur, si velit religionem profiteri, admitti posse, & debere, recepto habitu religioni conueniente. idem constat ex cap. *viduas* 1. & 3. & cap. *viduæ*. cum sequentibus 27.q.1. Sunt verò nonnulla antiqua decreta, quæ huic assertioni repugnare videntur, de quibus statim agemus. Dices ergo, etiam fœmina illicitè corrupta post pœnitentiam admitti poterit, vt inter virgines monialis sit, quia culpa præcedens non videtur obstare, si virginitatis integritas necessaria non sit. Respondent aliqui, huiusmodi fœminas hac macula, vel nota laborantes, non esse admittendas in conuentu virginum, de quo videri potest Francus in cap. vnico de

de religios. domibus in 6. Sed hoc intelligendum est secundum decentiam, & conuenientem honestatem, non secundùm incapacitatem, aut absolutam prohibitionem, nulla enim in iure communi inuenitur, nisi in proprijs monasterij constitutionibus habeatur. Quocirca, si lapsus fuerit publicus & infamis, talis fœmina, quamuis postea connertatur in consortium virginum, admittenda nō est, ideòque pro huiusmodi fœminis inuenta est specialis religio, quæ dicitur *Mulierum pœnitentia*, aut Sanctæ Mariæ Magdalenæ, cuius plura sunt in Hispania monasteria, quæ regulam S. Augustini profiteri dicuntur, & sub cura, & obedentia Prædicatorum viuunt. Si autem lapsus sit occultus, & nō generauerit infamiam, nihil impediet per se moraliter loquendo; imò aliquando licèt esset publicus, si semel tantum ex quadam fragilitate accidisset, posset tot alijs circumstantijs personæ, generis, & emendationis honestari, aut compensari, vt sine inconuenienti talis persona admitti posset. Itaque hoc in huiusmodi casibus maximè pendet ex prudenti arbitrio. Idemque dicendum est, de alijs conditionib. ex parte talis personæ requisitis, vt quod & corpore, & animo sit apta ad religiosam, & communem vitam, iuxta monasterij, & ordinis regulam, vt dicitur in Concilio Trident. sessio. 25. de de regular. c. 17.

III. *De secunda parte tituli, seu Nouitiatu.* Post receptionem, necessaria est integri anni probatio, ita in monialibus sicut in monachis, & cum ijsdem circumstantijs, nec in hoc occurrit aliquid speciale. Pari etiam modo post expletam probationem aut danda est professio, aut dimittenda nouitia, iuxta legem positam à Tridentino suprà ca. 16. quæ vtrique sexui communis est, vt constat ex discursu totius tituli de regularibus, & specialiter ex principio capitis 15. Neque obstat articula *nouitios* masculini generis; nam regulare est, vt sub masculino fœmininum comprehendatur, quando materia communis est.

IV. *De tertia potius ac primum vt professio fiat spontanea.* Circa professionem autem ea omnia seruanda sunt, quæ tractat. 7. sunt explicata, & substantialia, ac generalia sunt. Vbi etiam diximus specialiter attendendum esse in professione monialium, vt plena voluntate, & omnino spontanea fiat, quod antiquis canonibus cautum est, cap. *puellæ* 20. q. 1. Maximè verò hoc innouauit Concilium Trident. supra cap. 16. 17. & 18. nam ob eam causam in 16. statuit, vt ante professionem ex bonis nouitiæ monasterio nihil tribuatur præter victum, & vestitum pro anno probationis, *Ne hac occasione discedere queat.* Vnde à Congregatione Cardinalium declaratum est, etiam dotem non esse monasterio tribuendam ante professionem, sed in depositio reponendam. *Item dos nō. uitiæ tempore professio nec ordinariè tradēda.* Quod per se intelligendum existimo; nam si necessitas, vel aliqua maior commoditas ipsiusmet nouitiæ intercederet, & iudicium, ac licentia Episcopi interueniret, posset, vt opinor, dos recipi à monasterio, data certa cautione, & securitate illam integrè, & sine difficultate restituendi, si nouitia velit abire, ita enim satisfit intentioni Concilij. Quod vlteriùs in cap. illo 17. circa hoc disponit, vt Episcopus ante professionem, virginis voluntatem exploret, vt pia, & omnino spōtanea sit. Ac tandem in 18. cap. censuram addit contra eos, qui fœminas ad statum religiosum assumendum cogunt, vel assumere volentes impediunt, iuxta cap. vlt. 32. q. 2. quæ tom. de censuris, & tractatu septimo. lib. 6. supra est à nobis explicata. Sicut autem ex parte nouitiæ voluntas requiritur, ita etiam ex parte monasterij, simul cum Abbatissa, sicut de receptione dictum est; nam est eadem, vel maior ratio, vt ex dictis satis constat. Ex parte autem Prælati non solùm consensus necessarius est, sed etiam in manibus eius debet professio fieri, & ab eo acceptari, quia solùm apud ipsum est propria iurisdictio, ex cap. *statuimus* 20. quæst. 2. *Item profes. sio in manibus prælati fiat.*

Est autem hoc solenne, & obseruatum in fœminis, vt cùm profitentur, velum recipiant, & olim etiam solebant virgines consecrari. Vnde multiplex distingui solet velum monialium, quoddam dici potest velum receptionis, quod nouitijs à principio datur, & solet esse album. Aliud dicitur velum professionis, quod nigrum est (quamuis olim aliqua varietas in hoc fuisse videatur) & hoc datur solennem professionem emittentibus cuiuscumque ætatis, vel conditionis sint. Meminit illius Hieronymus epist. 8. ad Demetriadem de seruandâ virginitate, dicens. *Scio quod ad imprecationum Pontificū flammeum virginale sanctum operuerit caput.* Vbi Marius Victorinus, dicit *flammeum appellari* velum rubrum, quo nuper nuptæ vti solebant, & in Epitaphio Plaulæ, alias epist. 27. de Paula dicit Hieronymus, *Christi flammeo reseruatur*, scholium verò addit, *flammeum vocari indumentum flammei coloris, quo mulieres præsertim virgines caput tegebant.* Sed quidquid sit de antiqua, aut prima vocis expositione, constat, & ex subiecta materia, & ex adiuncto adiectiuo virginali Hieronymum loqui de velo monialium, propter quod etiam dicit solitum esse imponi ad Episcopi imprecationem. Vnde videtur Hieronymus ad spirituales nuptias, & nouas Christi sponsas vocabulum illud transtulisse: nec propterea dicere oportet monialium velum tempore Hieronymi rubeum fuisse, quia non est attendendum ad originem, vel etymologiam vocis, sed ad rem ad quam significandam translata est. Vnde idem Hieronymus epist. 12. ad Gaudentium. *Solent* (inquit) *cùm futuram virginem spoponderint, pulla tunica eam induere, & furuo operire pallio*, id est, fusco, seu nigro. Epistolà verò 48. ad Sabinianum faciens mētionem idem Hieronymus eiusdem consuetudinis ait: *Morùs est in Aegypti & Syria monasterijs, vt tam virgo, quam vidua, quæ se Deo vouerint, & seculo renuntiantes omnes delicias seculi cōculcarint, crinem monasteriorum matrib. offerant desecandum, non intecto postea contra Apostoli voluntatem incessuræ capite, sed ligato pariter ac velato.* & infrà de moniali loquens ait; *Christi flammeo consecrata est, & se in monasterio victuram spopondera t, &c.* Vnde constat apertè loqui de velo professionis, & docere viduis, & virginibus fuisse commune.

V. *De ceremonia velis. Velum vocationis, seu nouitiatus. Velum professionis.*

Est autem aliud velum quod dicitur consecrationis. Solent enim Sanctimoniales solenniter consecrari nonnullis benedictionibus, & cæremonijs, quæ habentur in Pontificali Romano, & explicantur à D. Tho. in 4. d. 38. q. 1. art. 5. Palud. ibi. q. 5. art. 3. & latè ab Antonino 3. p. tit. 2. c. 2. Velum ergo, quod speciali benedictione tunc imponitur, dicitur velum consecrationis, quod plures habet prærogatiuas, vna est quod solis virginibus dari potest, vt dicti authores docent, & habetur expressè in capitulo *deuotis* 20. quæst. 1. vbi Gelasius Papa inquit, *viduas velare Pontificum nullus attentet*, quod etiam habet Concilium Triburiense cap. 25. & Concilium Rothomagense canone 9. apud Iuonem p. 7. decreti c. 52. Hæc enim decreta non sunt ita intelligenda, vt nullum velum viduis imponi possit, ac si illæ essent incapaces professionis religiosæ; hoc enim alijs decretis repugnat, vt patet ex dictis, & ex ca. vlt. 20. q. 1. & ex multis alijs 27. q. 1. Sunt ergo illa decreta intelligenda de velo consecrationis.

VI. *Prima prærogatiua huius veli consecrationis, quod virginibus solum competit.*

Vnde D. Thom. suprà, *Viduis* (inquit) *datur aliquod velum, non tamen cum illa solennitate, cum qua datur virginibus.* Idem ferè ibi Soto articul. 1. & Sylvest. verb. *Consecratio virginum.* Vnde à fortiori constat fœminas extra matrimonium corruptas, nulla ratione posse hoc velum recipere. Quod adeò verum est, vt etiamsi per violentiam, & sine propria culpa corrupta sit virgo, consecrationis velo ornari

VII. *Corruptis etiam per vim hoc velum non datur.*

nari non possit, iuxta decretum Leonis Papæ epistola 87. ad Episcopos Mauritaniæ cap. 2. statuentis cum his fœminis eam esse seruandam moderationem, *Vt neque in viduarum dinumerentur gradum, neque in sacrarum, & perseuerantium virginum numero censeantur.* Quod non ita est intelligendum, vt pro illis speciale velum instituendum sit, sed, quòd in aliis prærogatiuis & honoribus præferri possent viduis & virginibus æquiparari, non tamen in consecratione. Cuius rationem insinuat infrà cap. 5. & habetur 32. q. 5. cap. *Illa*, dicens, *Illæ autem famulæ Dei, quæ integritatem pudoris oppressione barbarica perdiderunt, laudabiliores erunt humilitate, & verecundia, si se incontaminatis non audeant comparare virginibus, quamuis enim omne peccatum ex voluntate nascatur, & potuerit corruptione carnis mens inusta non pollui, minus tamen hoc illis oberit, si quod potuerit, animo non amittere doluerit se, vel corpora perdidisse.* Quod exponens D. Thom. citato loco ad 4. dicit, quamuis illæ quæ per violentiam corrumpuntur, si nullo modo consentiant, virginitatis gloriam non perdant, quia tamen valde difficile est, quod in tali delectatione aliquis complacentiæ motus non insurgat, ideo Ecclesiæ, quæ de interioribus non iudicat, huiusmodi sic corruptas inter virgines non velat. Est etiam illa quasi quædã irregularitas, quæ licèt sine peccato contrahatur, impedit talem consecrationem. Vnde D. Aug. lib. de bono coniugali c. 18. *Etiamsi violenta corruptio virginũ baptismum antecedat* (ait) *non posse etiam post baptismum inter Dei virgines consecrari.* Verum est Augustinum simpliciter loqui de fœmina quæ catechumena fuit vitiata, & non addere expressè, etiamsi violenter vitiata sit, loquitur tamen generaliter de catechumena vitiata, etiam sine culpa. Ratio verò est, quia in consecratione virginum non spectatur an culpa præcesserit, sed an virginitas etiam corporalis, seu materialis subsistat, quia per consecrationem ipsam significatur, & speciali honore afficitur, & per illam repræsentatur integritas Ecclesiæ triumphantis, vt dixit Glossa in cap. *acutius* 16. dist.

VIII. *An corrupta reputata virgo possit velum hoc accipere.*

Sed quæri hic solet, si fœmina sit in publica fama, & possessione virginitatis; occultè autem sit corrupta, possit consecrationis velum accipere. nã D. Th. suprà ad 5. absolutè negat, *quia propter vitandum* (inquit) *scandalum non debent Ecclesiæ sacramenta, vel sacramentalia variari.* Dicit tamen quærendum esse remedium ad vitandum scãdalum, & infamiam, quale est, vt accidentalibus, & publicis solennitatibus retentis, quæ sunt de substantia consecrationis, mutentur, quam mutationem censet sufficienter fieri mutato nomine *virginitatis* in nomen *castitatis*. Cuius ratio esse videtur, quia aliàs forma talis consecrationis contineret mendacium. Idem sequitur Angelus verb. *consecratio virginum* n. 3. & Syluester ibi. n. 2. Hoc verò non placet Paludano in 4. d. 38. q. 5. art. 3. concluſ. 7. quem sequitur Antonius 3. p. tit. 2. cap. 2. in principio, quia illa fictio continet mendacium in ipso facto, quod non minus clarum est, quã in verbo; sed hoc non admodum vrget, quia illud non est mendacium formale, sed materialis dissimulatio, vel occultatio; nam id quod fit habet suũ proprium vsum licitum, & bonum, & potest habere significationem veram, scilicet sanctificationis, & oblationis illius personæ, quæ ad diuinum cultum, & ad perpetuam cõtinentiam ex tunc Deo dicatur; alia verò falsa significatio quæ ab aliis concipi potest, non est intenta, & ideo non interuenit mendacium.

IX.

Quare non dubito, quin ille modus à D. Thom. relatus sit licitus; & potius dubito an sit sufficiens remedium, vel necessarium: sufficiens, inquam: nam eo ipso, quòd *virginitatis* nomen in nomen *castitatis* mutetur, generabit suspicionem, & scandalum apud audientes, præsertim mediocriter intelligentes, qui licet regulariter paucores sint, infamia tamen apud ipsos est maioris momenti. Necessarium autem non videtur, quia licet nominetur virginitas, non videtur esse mendacium, quia verba possunt legitimũ sensum habere. Vnusquisque enim censetur loqui in eo foro in quo operatur, sic enim reus sine mendacio negat delictum occultum, quod verè commisit, & Iudex per sententiam verè declarat innocentem eum, quem occultè scit nocentem, si in iudicio nõ probatur. Imò Scriptura diuina Luc. 2. & alibi ita loquitur, vt *Patrem* vocet eum, qui communiter talis reputatur, licèt non sit; ergo similiter sine mendacio potest appellari *virgo*, quæ talis est in communi existimatione, non obstante contraria scientia occulta, quia omnes intelligunt humanum sermonem esse ex humana scientia, & existimatione, & non semper ex re ipsa.

X. *Probatur assertio clarius in duas partes.*

Quocirca probabile existimo, in casu omnino occulto posse huiusmodi fœminam accipere velum consecrationis. Quod ita declaro; nam duplex obligatio ex hoc defectu occulto oriri potest, vel in Episcopo ad non consecrandam fœminam, vel in ipsa fœmina, vt non se ingerat consecrationi. Quoad priorem, si Episcopus solùm habeat notitiam lapsus, per confessionem sacramentalem, certum est, nec debere nec posse negare consecrationem fœminæ petenti, quia violaret sigillum. Si autem sciat extra sacramentum per secretam reuelationem ipsius fœminæ, non censeo teneri ad expellendam illam, seu negandam consecrationem, quod tenent Summa Confessorum, & Syluester. Ipsi tamen dicunt posse Episcopum dispensare, vnde rectè sequitur non teneri ad actum oppositum. Verũtamen, si ipsi supponunt iuris prohibitionem, cùm illud ius commune sit, oportet, vt ostendant, vbi data sit Episcopo facultas dispensandi in hac veluti irregularitate, fortasse dicerent potestatem eius ordinariam satis esse ob necessitatem vitandi scandalum. Mihi tamen videtur tunc non esse necessariam dispensationem, sed ius ipsum commune non obligare Episcopum ad iudicandum de re occulta, vel ad operandum ex scientia adeò priuata, & occulta, præsertim cum periculo scandali. Item quia in illo actu nullum est mendacium, vt declaratum est, & alioquin non sit aliqua irreuerentia tali consecrationi, seu benedictioni, quia talis persona non obstante præcedenti lapsu, potest esse capax illius in ordinem ad perpetuam cõtinentiam futuram, nec etiam obest sanctitati illius status, aut conuersationi aliarum virginum, quia bona fama, & communis existimatio impedit omne incommodum; ergo non est cur credamus hãc prohibitionem positam esse cum tanto rigore. Nihilominus tamen, non videtur teneri Episcopus ad consecrandam huiusmodi fœminam, quia potest se excusare ab illo munere, vel alio colore illam nõ admittere ad professionem. Quod quidem est verum per se loquendo, & ex lege iustitiæ, nihilominus in individuo debet cauere, ne infamet proximum sine causa, vel ne auertat huiusmodi fœminam ab statu perfectionis, maximè, quando ipsa confidenter ei aperuit conscientiam suam in remedium, non in obstaculum. Quando autem Episcopus alia via haberet filium. Quando autem Episcopus alia via haberet filiam. milem notitiam moraliter certam, iam non esset tenere talem personam ad velum virginum; semper tamen debet id facere consulendo famæ illius quãtum potuerit.

Primum quando sit probabile admittere ad velum.

Non tenetur semper admittere.

Quando tenetur admittere.

XI. *Secundum quando sit probabile admittere.*

At verò loquendo ex parte ipsius fœminæ, censent multi teneri ad non petendum talem statum, etiamsi ipsa sola norit delictum, sicut tenetur irregularis ipse vitare

Pta occulta possit velum petere.

gularis non petere ordines, etiamsi solus sciat irregularitatem, imò addunt Sylvester, & Raimundus; quòd licet virgo consecrata sit, si postea occultissimè labatur, tenetur abstinere ab his actibus, qui secundùm consuetudinem monasterij solent per solas virgines consecratas exerceri. Sed est onus intolerabile, ac proinde incredibile, præsertim cùm nec posit satis ostendi expressum præceptum, nec sit res tam necessaria, aut tanti momenti, vt propter eam vitandam obliganda fuerit fœmina ad se infamandum. Imò etiam quamuis occultus lapsus hanc professionem præcedat, non censeo obligandam fœminam ad se priuandum illo statu, non solùm quando sine infamia id vitare non potest, quod censeo certum, sed etiamsi absque infamia posit alium statum, aut modum viuendi accipere. Probatur prior pars, quia etiam censuram occultam non tenetur homo seruare, quando non potest id facere sine graui infamia. Secunda autem pars sit inprimis verisimilis, quia non tenetur quis se priuare tanto bono spirituali, quantum est status perfectionis propter crimen occultum. Ratio verò à priori omnium est, quia iura non imponũt hoc impedimentum tanquam pœnam, vel irregularitatẽ ipso iure incurrendam, sed præcipiunt Prælatis, ne consecrent fœminam corruptam; igitur, quando res occulta est, non tenetur ipsa fœmina se abstinere, sed potest in exteriori foro ita se gerere, sicut in communi opinione habetur. Et hoc planè supponunt D. Th. & alij authores, qui dicunt posse consecrari mutato nomine *virginitatis* in *castitatis*.

XII. *Secunda prærogatiua huius veli quod à solis Episcopis cõsecratis, aut à presbyteris ex commissione Papæ dari potest.*

Hæc ergo est prima & præcipua prærogatiua huius veli consecrationis, quod ex vi suæ institutionis est (vt sic dicam) votum virgineum, modo à nobis explicato, cui consequenter est alia adiuncta, quod tale velum à solis Episcopis dari potest, iuxta cap. *Deuotis* 20. quæst. 1. quod communiter ad hoc allegatur, vt patet ex Paludano, Sylvest. & alijs. ibi vero non dicitur expressè, sed indefinitè, seu passiuè dicitur, vt virgines non velentur nisi intra certa quædam tempora, de quibus infrà. Adduntur verò postea hæc verba; *Viduas autem velare Pontificum nullus attẽtet*, quæ intelliguntur de velo consecrationis; ergo supponit illa prohibitio adæquatum ministrum huius velationis esse Episcopum. In alijs etiam decretis vbicunq; fit mentio ministri huius consecrationis, solus nominatur Episcopus. Et in Pontificali Romano in ritu illius consecrationis idem supponitur. Ac deniq; est communis sententia, cuius rationem assignat D. Tho. loco supra citato, quia hæc consecratio est spiritualis quædam desponsatio cum Christo, per quam repræsentatur desponsatio ipsius Christi cum Ecclesia, quoad illius incorruptionem, & ideo *solus Episcopus* (inquit) *cui cura Ecclesiæ committitur, virgines desponsat velando, non sibi, sed Christo, quasi sponsi paranymphus.* Potest autem hæc consecratio committi presbytero per Summum Pontificem, non tamen censetur commissa per solam iurisdictionem Episcopalem, quia est actus ordinis, & non tantùm iurisdictionis, vnde neq; Episcopus electus, & confirmatus, & nondum consecratus potest illum exercere, & à fortiori non possunt Prouinciales religionum, vel alij similes inferiores Prælati, habentes iurisdictionem Episcopalem, nisi speciali priuilegio Pontificio hoc eis concessum sit, sicut nonnullis Abbatibus datum est. Episcopus autem non habet potestatem committendi hoc munus Presbytero, quia non potest ei committere actus ordinis Pontificalis, iuxta cap. *aqua* de consecratione Ecclesiæ.

XIII. *Tertia prærogatiua de tempore quo dandum est velum.*

Præterea non potest hoc velum dari, nisi definitis temporibus & ætate à iure statutis. Prior pars habetur in dicto cap. *deuotis.* & cap. *virginis* 20. q. 1. vbi prohibentur virgines consecrari, nisi in die Epiphaniæ, aut in albis paschalibus, id est, intra hebdomadam Paschæ, vt Gloss. exponit, quamuis alia litera habeat in sabbato Paschæ. Vel etiam in natalitijs Apostolorum, vel etiam, nisi periculum mortis immineat, quia tunc, quocumque die velari possunt, vt ibidem dicitur. In Concilio autem Lateranensi sub Alexandro III. prout habetur in cap. 1. de temporib. ordin. concessum est, vt omnibus Dominicis diebus liceat virgines consecrare, & consuetudo hoc extendit ad alias solennes festiuitates, vt aduertit Turrecremata in dicto cap. *deuotis.* quæstione 4. & ita in hoc consulenda est, & seruanda consuetudo. Altera pars de ætate virginis consecrandæ magnam habuit in Ecclesia varietatem; nam in Concilio Romano sub Sylvest. cap. 10. significatur non esse sacrandam virginem vsque ad ætatem septuaginta duorum annorum, in quibus suam castitatem probauerit. Gregorius autem lib. 3. epist. 11. sexagenariam voluit esse virginem consecrandam; Concilium verò Agathense cap. 19. ante annum quadragesimum prohibet velari. In Concilio Carthaginensi III. cap. 4. solùm postulatur ætas 25. annorum. habetur in cap. *iuuenculas.* cum sequent. 2. q. 1. In Concilio autem Miletuitano cap. 26. & Concilio Africano cap. 93. additum est, propter vrgentem necessitatem licitum esse in minori ætate virginem velare. Circa quæ decreta obseruandum est aliud esse loqui de velo professionis, & aliud de velo consecrationis. Nam priùs semper dari potuit in minori ętate, vt constat ex antiquis exemplis, & historijs, ac Patribus suprà citatis, & ex Conc. Triburiensi apud Burchard. li. 8. c. 10. & 98. & Conc. Carthag. IV. cap. 104. Et quia verisimile non est, ad professionem virginitatis postulasse aliquando Pontifices decrepitam, aut senilem ætatem, qualis est septuagenaria, vel sexagenaria; loquuntur ergo illa antiqua decreta de velo consecrationis, & fortasse aliqua ex illis loquuntur de his fœminis quæ benedicebantur, vt essent Abbatissæ, vel vt haberent in Ecclesia aliquod ministerium, de quo statim num. sequenti dicetur. Ad professionem autem, & velum eius admitti poterant in minori ætate duodecim, vel quatuordecim annorum, & nunc anno 16. ætatis, vt tom. præcedenti dictum est ex decreto Concilij Tridentini, quod circa consecrationem virginum nihil innouauit, & ideo vbi post professionem consecratio fuerit in vsu, circa illam antiqua iura seruanda sunt.

Quarta de ætate cui dantur varia decreta.

De quo velo hæc decreta procedant.

XIV. *An conferat gratiam vel remissionem venialium hæc consecratio.*

Addunt denique nonnulli Doctores, quamuis consecratio virginum sacramentum non sit, conferre tamen gratiam, & remittere venialia peccata ad modum sacramentalium. Sed quod de gratia dicitur, non est intelligendum ex opere operato, vt per se notum est, alioqui esset sacramentum, neque etiam ex speciali priuilegio, quia nullum habet fundamentum; ex merito autem operantis poterit per illud opus augeri gratia, sicut per alia bona opera, nihil tamen in hoc habet speciale, & ita est intelligendus D. Thom. loco citato ad 2. Quod verò spectat ad remissionem venialium peccatorum, videri possunt dicta in 4. tom. 3. partis disputat. 12. sectione 2. vbi etiam negauimus fieri hunc effectum ex opere operato. Quod maiori ratione de hac cõsecratione negari potest, quia communiter non solet hæc consecratio numerari inter ea sacramentalia, quibus effectus ille tribuitur. Est autem aduertẽdum, velum hoc consecrationis dari posse, vel in ipsa professione religionis, vel post illam; nam sine illa clarum est dari non posse, cùm non intercedat nec supponatur spiritualis desponsatio cum Christo. Quando ergo simul concurrit hæc solennitas cum professione ratione professionis, quæ est nobilissimus actus, participabit aliquã

maiorem vim obtinendi gratiam, vel remissionem pœnarum iuxta dicta in superiori tomo. Quando verò sola consecratio separatim datur virgini iam professæ, non est tanta ratio, vel fundamentum alicuius extraordinarij effectus, quia in illo actu non est tanta excellentia perfectionis, & sola significatio non sufficit, cùm non sit sacramentum.

XV. *Velum consecrationis duplex.*

Vltimò est circa hoc obseruandum, hoc velum consecrationis posse distingui in velum commune, de quo hactenus diximus, & velum prælationis, quod Abbatissis cum speciali benedictione dabatur, quamuis iam hoc non sit in vsu; nam licèt Abbatissę benedicantur, non datur eis speciale velum, vt notant Anton. dict. cap. 2. & Turrecremata suprà num. 11. ac denique velum, quod vocant ordinationis. Aliquando enim Concilia ita loquuntur de ordinatione fœminarũ, vt patet ex cap. *Sanctimoniales* 20. q. 1. addita Glossa, quæ textum illum explicat de velo ordinationis iuxta capitulum *Diaconissam* 27. q. 1. quod sic habet; *Diaconissam non debent ante annos quadraginta ordinari*, vbi tamen Glossa exponit Diaconissam, id est, Abbatissam, & ita tacitè exponit de velo prælationis. Probabile autem est nonnullas ex virginibus sacris solitas fuisse deputari ad legendum Euangelium in choro, & alia similia ministeria, & illas fuisse vocatas Diaconissas, & earum benedictionem lato modo fuisse vocatam ordinationem. iam verò hoc non est in vsu, sed in ipsa consecratione virginum datur hęc facultas, nec aliud velum expectatur.

CAPVT XII.

De obseruantia monialium tam quoad substantialia vota, quam quoad subiectionem erga prælatos & regulam.

I. POst professionem, & velationem, sequitur religiosa obseruantia, & obligatio, in qua moniales suo modo æquiparantur monachis, in substantialibus votis religionis, habent tamen hanc obligationem suo statui, & sexui accommodatam. Vnde vel in materia talium votorum, vel in his, quę conducunt ad eorum obseruationem, nonnulla habẽt sibi propria, quæ partim ad aliquam relaxationem, partim ad maiorem rigorem & obseruantiam pertinent. Et primò circa paupertatem duo obseruari possunt, primum est, licet aliquibus religionibus virorum consultior sit paupertas; non tantùm priuans dominio bonorum in particulari, sed etiam in communi, monialibus autem id non expedire, quia non potest earum honestas, & clausura tam integrè & perfectè seruari, nisi ab ipso monasterio habeant vitæ necessaria. Vnde cum religio S. Claræ in principio instituta fuerit sub obseruantia illius paupertatis, paulò pòst Inuocent. III. in ea dispensauit permittendo potius quàm præcipiendo, vt non seruaretur; postea verò Vrbanus V. omnino seruari voluit regulam absque tali paupertate, & Pius V. suo motu proprio 8. *circa pastoralis*. & Gregor. XIII. motu 13. *Deo sacris*. omnibus modis prouidere studuerunt, vt monasteria monialium habeant vnde sustententur, ita vt si eleemosynis indigeant, potiùs Prælatorum prouidentia quam earum solicitudine & postulatione habeantur, & quoniam experientia ostendit hoc esse difficillimum, & quẽcunque alium mendicitatis modum esse periculosum, ideo simpliciter cõsultius est monasterijs monialium habere communes reditus, quam paupertatem in communi profiteri. Aliqui excipiunt moniales Capucinas, quas aiunt non posse habere bona stabilia, vt videri potest in Isidoro Mosconio in lib. 1. de Ecclesia militante p. 4. cap. 4. Veruntamen non habet fundamentum in Concilio Trid. sess. 25. de regular. cap. 2. non solùm excipit domos fratrum Capucinorum & Obseruantiæ, vnde quantum est vi Concilij, fine dubio possunt habere bona stabilia; & si fortasse illi priuilegio renunciare volunt, indigent, vt existimo, Summi Pontificis approbatione, quia post moderationem Vrbani non inuenitur illud genus paupertatis approbatum pro fœminis à Sede Apostolica.

Circa paupertatem monialium vna obseruantia.

Vnde etiam sequitur aliud quod obseruandum II. esse dicimus, pertinetque ad vsum paupertatis in particulari. Obtinuit .n. consuetudo etiã inter moniales satis reformatas, vt liceat singulis recipere singulis annis aliquos moderatos reditus, quib. ad res sibi necessarias vti possint. Hoc .n. inde introductum videtur, quòd monasteria regulariter non habent reditus sufficientes, quib. omnia necessaria ad victum, & vestitum tempore salutis, & ægritudinis omnibus prouideant, neq; etiam monialibus datur tempus, vt suo labore manuum possint huiusmodi defectum supplere, & ideo ad vitanda maiora incommoda, vel pericula, huiusmodi facultas eis permittitur. Tenentur nihilominus ea vti seruando necessarias regulas paupertatis, ita vt ille vsus proprietarius non sit, sed dependens à Superiore, & eius arbitrio obseruando etiam, quę circa hoc disponuntur à Conc. Trident. sess. 25. c. 2. de regularibus, quæ in superioribus fusiùs explicata sunt. *Aliqua ex statuto.*

Secundò circa castitatem solùm occurrit notan- III. dum, ratione illius præceptam esse strictiorẽ clausuram monialibus quam monachis, de qua copiosè suprà tract. præced. lib. 1. ca. 8. disputatum est. Deinde cum decentia ornatus omnibus religiosis commendetur, maximè necessaria est fœminis, & præsertim Deo consecratis, vt latè prosequitur Hieron. ad Demetriadem, & ad Eustochium epistol. 8. & 22. & sæpè aliàs Basilius, & Ambrosius in libris de virginibus. Non inuenio autem specialia præcepta circa hanc materiam eis imposita iure communi, præterea, quæ vel ex natura rei consequuntur ex tali statu; vel ea quæ de religiosis, aut personis Ecclesiasticis loquuntur, quæ maiori ratione eas obligant, quia inter personas Ecclesiasticas computantur, & sub nomine regularium, vel religiosorum comprehenduntur, maximè in his, quæ ad substantiam, vel decentiam religionis pertinent. Priori modo, hoc est, spectata natura rei, dictum est à Concilio Carthaginensi IV. c. 11. & habetur d. 23. c. 24. *Sanctimonialis virgo cùm ad consecrationem suo Episcopo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper vsura est professioni, & sanctimoniæ aptè*: Posteriori autem, hoc est, spectatis iuribus circa personas religiosas, in Clement. *Attendentes*. de statu monachorum prohibentur, vti vestibus sericis, & virgatis, &c. vbi Glos. aduertit, prohiberi monialibus cum sua proportione, quæ clericis prohibita sunt Clement. *quoniam*. de vita & honestate clericorum, & cap. 1. & vltimo 21. quæstione 4. *Circa vestes.*

Dubitat autem specialiter illa Glossa, an liceat IV. monialibus nutrire comam, quia in illo textu solùm dicitur, vt non vtantur comatis, & cornutis, id est, tortis crinibus, vt loquitur Paulus 1. ad Timotheum 2. Vnde videtur solùm eis prohiberi illa copulatiua, seu illa fucata compositio crinium; non verò simpliciter habere comam, si honestè & occultè deferatur, atque ita senserunt aliqui luriseperiti. Dicta tamen Glossa oppositum sentit, & dicit esse consuetudine receptum, vt Moniales tondeantur, & deformato capite Deo viuant potius quàm crines poliendo humani generis hosti deseruiant, quod magis ibi probat Panormitan. num. 11. argumento cap. *duo sunt* 12. quæstione 1. Idem Abbas in cap. *si quis*. de vita & honestate clericorum. *Comam monialibus nutrire non licet.*

Obijci

V. Obiici verò potest cap. *vxoratus.* de conuersione coniugatorum; vbi dicitur, *Nullus vestrum mulierem aliquam tonsurare præsumat,* & cap. *quacunque.* d. 30. anathema dicit in mulierem quæ religionis obtentu comam sibi amputauerit, & in Græco ad literam est, *Ob eam, quæ existimatur pietatis exercitatio,* quæ verba propriè videntur conuenire fœminis religiosis. Sed hæc obiectio si valida esset, probaret illicitum esse monialibus se tondere, quod incredibile est, cùm sit res per se honestissima, suppositā relatione, quæ in monialibus futura est, imò etiam sit optimum signum, vel medium ad ostendendum contemptum seculi, & proprij ornatus, ac pulchritudinis, & ita legimus Beatissimam Claram, cùm initio conuersionis suæ ad sanctam Mariam de Portiuncula festinasset, vt mundo nuntium remitteret, ibi crines capitis deposuisse simul cum ornatu seculari. Idemque tanquam opus maximè laudabile vsu receptum est. Iura ergo citata intelligenda videntur de fœminis coniugatis, quæ religionis obtentu tondentur, præsertim contra virorum voluntatem, quod significatur in illis verbis *tanquam resoluens ius subiectionis*; nam coma dicitur data mulieri in signum subiectionis, & ita exponunt ibi Glossa, & Panormit. Quamuis autem hoc liceat, nō tamen inuenitur esse præceptum in iure, & ideo consuetudo vel regula vbi fuerit, seruanda est, vbi autem non fuerit, non erit contra religionem comam capitis retinere; erit tamen illi contrarium eis abuti, vel capillos contorquendo, vel etiam ad vanam ostentationem absque veli operimento eos deferendo.

VI. *Circa obedientiā Notatio 1. de subiectione ad prælatum virum.* Tertiò circa obedientiam monialium, tres obligationes præcipuè notandæ sunt, prima est ad suos Prælatos, siue sit Episcopus, siue aliquis regularis iuxta vniuscuiusque monasterij professionem; nullum enim esse potest, quod alicui Prælato non subsit, quia fœminę non sunt capaces iurisdictionis Ecclesiasticæ, & hæc obligatio non fundatur tantum in voto obedientiæ, sed etiam in propria iurisdictione spirituali, & ita in ea cum proportione locum habent omnia, quæ de obedientia religiosorū in communi diximus. Non repugnat autem aliquod monasterium monialium esse exemptum, & immediatè subiectum Summo Pontifici, quia hoc ex ipsius voluntate, & priuilegiis pendet. Rarum tamen hoc est, quia raro expedit, & tunc necessarium est, vt Pontifex alicui vices suas committat, qui in rebus necessariis iurisdictionem exerceat circa moniales, præsertim in foro interiori, quia magis necessarius est. Fertur etiam moniales, quæ dicuntur Sanctæ Brigidæ, quamuis habeant religiosos, qui in earum Ecclesiis diuina officia & sacramenta administrant, nihilominus non habere Prælatum sibi superiorem, sed potiùs Abbatissam habere in omnibus prælationem, veruntamen de illo instituto mihi non satis constat, necessarium tamē existimo, vel vt Summus Pontifex illi specialiter prouideat, saltem per priuilegia, vel certè, quod verisimilius est, talia monasteria subiecta Ordinario esse debent, vt ab illo gubernentur in his, quæ à iurisdictione pendent, quamuis in ordinaria administratione externarum rerum Abbatissa habeat superioritatem etiam in religiosos, qui solum esse videntur tanquam Capellani monialium, & incertum mihi est, an religiosi ipsi qui sacerdotes sunt, Abbatissæ obedientiam promittant.

VII. *Notatio 2. de subiectione ad Abbatissam quibus conueniat monialibus.* Altera obligatio monialium est ad obediendum Abbatissæ; hæc enim obligatio necessaria est ad regimē, & bonum ordinem monasterij. Dubitari autem solet, quanta sit hæc obligatio, & è conuerso quanta sit potestas Abbatissæ, ad præcipiendū monialibus, quidam enim existimant non posse eas in conscientia obligare præsertim sub mortali, quòd indicat Soto in 4. d. 20. q. 1. art. 4. quia fœmina non est capax potestatis spiritualis, sine qua non videtur posse tale præceptum imponi. Alij verò tribuunt illi hanc potestatem etiam cum proprietate, & rigore iurisdictionis, quia Abbatissa est capax eius, saltē per delegationem iuxta cap. *dilecta.* de maioritate, & obedientia. Prælati autem religionum, vel Episcopus aut Pontifex, videntur hanc iurisdictionem commisisse Abbatissæ, tanquam necessariam ad regimen monasterij.

VIII. *1. Pronuntiatum, moniales non subdi iurisdictionali tori Abbatissæ.* Vera tamen resolutio est, distinguendam esse potestatem dominatiuam & iurisdictionis, de quibus suprà non semel dictum est. Abbatissa ergo non habet propriam iurisdictionem spiritualem, vt est cōmunis sententia Theologorum D. Th. in 4. d. 19. q. 1. art. 1. quæstiuncula 3. & 4. & dist. 25. q. 2. art. 1. q. 1. ad 2. Palud. d. 19. q. 2. art. 1. Sot. suprà, Sylvest. & aliorum Summistarum verbo *Abbatissa*, à quibus non dissentiunt Canonistæ, in dicto cap. *dilecta.* & consentiunt alij, quos retuli in 5. tom. 3. p. disp. 2. sect. 2. vbi varia etiam iura retuli, & explicui dictum c. *dilecta.* Vnde fit non posse Abbatissam, nec totum monialium conuentum propriam legem cōdere, vel præceptum ferre, per quod constituatur actus in propria specie virtutis specialis, nam hoc est proprium potestatis iurisdictionis. Fit etiā, vt monialis transgrediens præceptum Abbatissæ in materia temperantiæ v. g. non peccet specialiter contra virtutem temperantiæ, si opus de se alioqui non sit illi virtuti contrarium. Et idem est in reliquis actibus, & virtutibus, quia talis est transgressio qualis est obligatio; obligatio autem, quæ non prouenit ex potestate iurisdictionis, nō constituitur in particulari specie virtutis, vt ex materia de legibus suppono, & in superioribus tactum est.

IX. *2. Pronunt. subdi tamen dominatiue.* Secundò verò dicendum est, habere Abbatissam potestatem dominatiuam, hoc est, potestatem administrandi, & regendi monasterium, ac personas & bona eius, vt iidem authores docent. Ratione ergo huius potestatis potest præcipere monialibus, & illæ tenentur in conscientia obedire ex vi voti obedientiæ, quod Sot. non negat, neque alij authores. Moniales enim promittunt obediētiam Abbatissæ, seu Priorissæ, vt constat ex formulis profitendi; ergo si Abbatissa ita præcipiat, vt fidem datam exigat, obligabit in conscientia, vel, si modus loquēdi magis placet, votum ipsum obedientiæ obligabit posita tali iussione, quę est quasi applicatio materię voti, in quo eadem est ratio potestatis, & obligationis in fœmina, quæ in viro, & quoad hoc procedunt omnia suprà dicta de subiectione religiosorum.

X. *Quid requiratur vt potestatem Abbatissa obliget in conscientia.* Ad hanc autem actualem obligationem necessarium inprimis est ex parte rei præceptæ materia honesta, & capax talis obligationis, & quòd sit secundùm regulam iuxta superius dicta. Deinde necessarium est ex parte Abbatissæ, vt sit in suo munere cōuenienter electa, & confirmata, iuxta superius dicta de electione Prælati tract. præced. lib. 2. quæ in Abbatissa cum proportione locum habent: Non est tamen necesse, vt sit benedicta, nisi vbi iuxta regulā, vel consuetudinem necessarium fuerit, iuxta Clem. *attendentes.* de statu monach. de qua re videri possunt ibi Glossa & Doctores, & Summistæ verbo *Abbatissa.* Denique necessarium est, vt hęc facultas iuxta religionis vsum, & moderationem ad operandum, seu obligandum applicetur, quod constat ex principiis suprà positis.

XI. *Notatio vltima circa obseruantiā regularum, seu statutorum.* Vltima obligatio monialium est ad seruandam suam regulam & constitutiones; nam hæc omnia ad obedientiā reuocantur. Qualis autem, & quanta sit hæc obligatio, iuxta vniuscuiusque monasterij, seu religionis morē, & constitutiones, & iuxta principia superiùs posita iudicandum est. Omnes autem obseruare debent, vt saltem mensibus singulis

confiteantur, & sacrosanctam Eucharistiam suscipiant iuxta Concilium Trid. sess. 25. cap. 10. de regular. Non tamen ponit præceptum, nec iubet imponi, sed solùm Episcopos, & Superiores admonet, vt in constitutionibus monialium eas admoneant de hac sacramentorum frequentia. & idem intelligendum est de obseruantia audiendi quotidie Missam, nam per se maximè, decet religiosum statum, vt in particulari notauit Antoninus 3. p. tit. 16. cap. 7. §. 2. Idemque de aliis religiosis obseruantiis iudicium est. Et quamuis fortasse statuta non obligent ad culpam, per Prælatos compelli possunt moniales ad eorum obseruantiam, cuius ipsi peculiarem curam habere debent in visitationibus suis, quæ ab Episcopis faciendæ sunt in monasteriis sibi subiectis; in exemptis verò, à proprijs, seu regularibus Prælatis; exceptis his, quæ ad clausuram pertinent, nam iuxta Concil. Trident. sess. 25. cap. 5. de regular. hoc in vniuersum est Episcopis commissum.

INDEX CAPITVM LIBRI SECVNDI.

De varietate religionum in particulari.

Cap. I. *Quæ fuerit professio monachorum Orientis, eorum præcipuè qui sub regula Basilij militarunt.*

II. *Quæ fuerit religionis S. Benedicti institutio, & progressio.*

III. *Quæ religiones monachorum ex Benedicti na ortæ sint, & an sint ab illa distinctæ.*

IV. *An ordo Carthusiensis sit perfecta monachorum religio.*

V. *An religio S. Hieronymi, aut alia monachalis, sub regula S. Augusti militet.*

VI. *An religio prædicatorum vna sit ex mendicantibus; quamque originem, & institutionem habuerit.*

VII. *An religio Minorum vna sit ex mendicantibus; & quam originem & institutionem habuerit.*

VIII. *De origine ordinis Eremitarum S. Augustini, & an vnus sit ex mendicantibus.*

IX. *An religio Eremitarum S. Augustini quæ hodie extat in Ecclesia, sit eadem reipsa, an solo nomine cum primis illis Augustinianis?*

X. *An sacer ordo Carmelitarum vnus ex mendicantibus sit, quamque originem & institutionem habuerit.*

LIBER

LIBER SECVNDVS.

De varietate religionum in specie.

TRIA principalia genera religiosorum ex præcedenti libro sumimus, monachorum, clericorum, & fratrũ mendicantium: quamuis enim hi vulgari modo loquendi, sub nomine *monachorum* venire soleant, propriè tamen diuersum gradum constituunt, quasi medium inter duos prædictos, vt satis explicatum est, & communi etiã vsu monachales ordines strictè sumpti, solent à mẽdicantibus distingui. Sub vnoquoque ergo horum generum sunt variæ species, de quibus omnibus exactè dicere, infinitum esset opus, & à meo instituto alienum: non possumus autem omnino eas prætermittere, vt distincta huius status cognitio habeatur. Dicam ergo de præcipuis speciebus singulorum generum, & in singulis quatuor puncta præcipua attingam. Primò institutionem & originem seu authorem & approbationem religionis. Secundò finẽ eius proprium, & ab aliis religionibus distinctum. Tertiò media, & obseruantias proprias, quibus & ad suum finem consequendum vtitur, & ab aliis religionibus distinguitur. Quartò de effectibus, & de illustrioribus personis nonnihil attingam, vel potiùs quia hoc magis historicum est, quàm doctrinale, authores apud quos inueniri poterũt, indicabo. Quia verò de religione Societatis IESV, propter quam maximè tractandam totum opus de religione aggressus fui, aliquanto fusius scripsi; ideo in sequentem tractatum eam doctrinam seposui.

CAPVT I.

Quæ fuerit professio monachorum Orientis, eorum præcipuè, qui sub regula Basilii militarunt.

I. *S. Basilii religio hodie parum constat, nec Carmelitana cum ea coincidit.*

INter religiones monachorum prima omnium esse cẽsetur religio S. Basilij, de qua pauca dicemus, quia iam ferè non extant illius religionis professores in occidentali Ecclesia, & licèt in orientali multi esse dicantur, qui regulam illam adhuc obseruãt, nobis non constat an illa religio prout nunc est, sit approbata. Nam, licèt regula S. Basilij approbata in iure sit, iuxta cap. *pernicioſum*. 17. quæst. 2. nobis tamẽ incertum est, quæ mutatio in illo vitæ genere facta sit in oriente: nam in Ecclesia occidentali Carmelitarum religio censetur illam regulam profiteri, licèt non omnes illius religionis professores id fateãtur; esto tamen ita sit, tanta est facta mutatio in religione Carmelitarum prout nunc est, ab illa quam Basilius instituit, vt alia meritò censeri debeat, vt c. 10. dicemus, de illa specialiter disputando, nunc enim nolumus sub religione S. Basilij illam comprehendere. Et ob eandem rationem nihil hoc loco dicemus de monachis antiquioribus Basilio, qui dicuntur fuisse imitatores Eliæ, eiusque in professione religiosa successores, nam de illis & res est valde incerta, & commodius de illa dicemus eodem cap. 10.

II. *Ante Basilium ext stit in Oriente professio monastica.*

Certum nihilominus est, ante Basilium fuisse in Oriente institutam monasticam professionem: nã de monachis Alexandrinis mentionem facit Eusebius lib. 2. cap. 16. & vt suprà retuli, multi censent Essenos, de quibus Philo scripsit in lib. de vita contemplatiua fuisse Christianos monachos. Quod sensit etiam Hieronymus lib. de Scriptorib. Ecclesiast. in Marco, & in Philone, dicens, habitacula eorum appellasse monasteria. quod etiã sensit Epiphanius hæresi 29. & eadem ratione dixit Cassianus lib. 2. de Institutis. cap. 5. Ægyptios monachos à S. Marco esse institutos. Quam sententiam latè & eruditè confirmat Cardinalis Baronius 1. tom. anno 64. fere per totum.

III. *Ea professio partim solitaria fuit, partim cœnobitica.*

Quæ autem fuerit viuendi ratio in illis antiquis monachis ante Basilij tempora, nobis in particulari non constat, sed id solùm quod generale est vitæ monasticæ, tum quoad substantialia vinculà religiosi status, tum etiam quoad finem vitæ contemplatiuæ, & consequenter quoad habitationem illi accommodatam, & à communi hominum consortio seiunctam, sub monachali habitu & professione, quæ omnia in superioribus visa sunt. An verò illi monachi vitam omninò solitariam, vel communem seu cœnobiticam agerent, non potest vniuersaliter definiri. Certum autem est, vtrumque vitæ genus ante Basilium, & fortasse à principio nascentis Ecclesiæ obseruatum fuisse: nam de solitaria vita habemus exemplum Pauli, qui per centum annos ante Basilium illam coluit. De cœnobitica autem constat etiam ex Athanasio, Antonium plura condidisse monasteria, in quibus plures discipulos congregauit, & monasticam vitam exercere docuit. Et ante illa tempora Dionysius ex monacho factus est Pontifex, vt Damasus, & Platina referunt, & Baronius tom. 2. ann. 261. dicit vocari monachũ, quia solitariam vitam aliquando egit. Cassianus etiam collatione 18. cap. 5. & 6. existimat monasticam professionem paulo post tempora Apostolorum inchoatam, vsque ad Paulum & Antonium continuè durasse, & ex cœnobitis anachoretas ortos fuisse: vnde infert, hoc vitæ genus non casu, vel necessitate vitandi persecutionem ortum fuisse, vt iam eo tempore quidam dicebant, & nunc etiã hæretici calumniãtur, sed studio perfectionis. Quamuis enim Paulus (vt ipse ibidem fatetur, & Hieronymus in eius vita) ea occasione in Eremum secesserit; tamen quòd ob eam tot annis in ea permanserit, & tam seuerè obseruauerit, fingi, & cogitari non potest. & de Antonio refert Athanasius, solùm studio perfectionis vitam illam aggressum fuisse. Refert tamen modum conuersionis eius dicens, *Nec dum tam crebræ erant monasteria in Ægypto, neque omnino quispiam auiam solitudinem nouerat* (Pauli enim secessum tunc ignorasse videtur) *sed quicunque in Christi seruitute sibimet ipsi prodesse cupiebat, non longè à sua villula separatus instituebatur. Erat igitur in agello vicino senex quidam, vitam solitariam à prima ætate. Hunc Antonius cum vidisset, æmulatus est ad bonum. Et primo quidem incipiens ipse in locis paululum à villa remo-*

Id ostenditur exẽplo Pauli, & Antonii, & antiquiorum etiam.

Bollar. lib. 2. de monach. c. 5.

remotioribus manebat: exinde autem, si quem in hoc studio vigilantem compererat, procedens quærebat vt apti prudentissima, nec ad habitaculum suum ante remeabat, nisi eius, quem cupiebat, frueretur aspectibus.

IV. *Quo sensu solitaria vita præcesserit, aut non præcesserit Paulum.*

Ex qua narratione intelligimus, vitam solitariã, & cœnobiticam aliquo modo ante Paulum, & Antonium fuisse, & aliquo modo ab eis incepisse. Præcesserit enim solitaria vita in locis parum ab oppidis remotis, vt constat de illo sene, quem imitatus est Antonius; incepit autem in Paulo quoad internam & longè separatam eremi solitudinem: & in hoc sensu dixit Hieronymus epist. 22. ad Eustochium, Paulum fuisse primum eremitam. Sic etiam non est inconueniens admittere, illâm tam singularem separationem incepisse occasione fugiendi persecutionem, quamuis institutum ipsum per se electum & intentum fuerit, & non sine speciali prouidentia Dei euenisse credendum sit, vt illud esset quasi singulare exemplum illius vitæ, quod postea alij sine necessitate persecutionis imitati sunt. Nec tamen affirmare possumus nullos similes eremitas antea fuisse, sed solùm nullam esse de illis antiquiorem historiam, vel narrationem. Quòd autem vita etiam cœnobitica præcesserit Antonium indicatur ab Athanasio dum ait, non tam crebra fuisse monasteria, non enim dicit, omnino fuisse nulla, sicut loquitur de incolentibus auiam solitudinem: sentit ergo fuisse aliqua cœnobia religiosorum. Nisi per monasteria intelligamus singulas religiosorum cellulas, etiamsi vnaquæque esset quasi domus ab aliis separata, vnum tantum habẽs habitatorem; solet enim verbum monasterij in hoc sensu sumi, vt patet ex Philone lib. de vita contemp. & Nicephoro lib. 8. Histor. cap. 39. nam in rigore nihil aliud significat quàm habitationem monachi; vnde, sicut *monachus* ita appellatus est ex solitaria vita, ita *monasterium* solitarij habitaculum seu solitudinem significare potest, vt etiam Ambrosius Calepinus interpretatur. Vnde etiam olim græcè dicebantur *asceteria*, id est, ascetarum habitacula: dicebantur autem *asceta*, qui in solitudinibus, ad perfectionem exercebantur, & eorum mentio fit in actis sanctorum martyrum, vt videre licet in Baronio tom. 2. anno 361. §. *Reddemus*. Veruntamen, etiamsi admittamus, plura monasteria in hoc sensu appellari plura habitacula singulorum monachorum inter se loco seiuncta; nihilominus verisimilius est ordinarium, & magis vsitatum modum viuendi talium monachorum fuisse, vt omnes, qui prope aliquod oppidum habitabant, aliquam inter se vnionem haberent, & vnum Prælatum recognoscerent, & *Archimandrita* olim dicebatur. Vnde in l. *Nos reddentes*. C. de Summ. Trinit. vocantur *Archimandritæ sanctorum monasteriorum*: nam singuli Prælati censebantur sub se habere plura monasteria in declarata significatione: *mandra* enim græcè, *speluncam* significat; & monachi tunc, licèt in desertis separati tanquàm in speluncis habitarẽt, vnum habebant quasi Principem & Prælatum, & ita simul solitariam & cœnobiticam vitam agebãt, cuius vestigium nunc in ordine Carthusiano conspicimus, & expressius in celebri conuentu B. Virginis Montis Serrati, ordinis S. Benedicti, & aliis similibus.

Quomodo cœnobitica præcesserit Antonium.

V. *Post Antonium vita monastica mire cœpit propagari.*

Hunc ergo statum videtur habuisse in Oriente institutio monastica vsque ad tẽpora Antonij. Post Antonium verò mirabile incrementum accepit, vt ex Athanasio intelligimus in vita Antonij, qui etiã monachos secum habuisse commemorat, lib. de Fuga sua, circa finem. Item ex Hieronymo epist. 7. ad Lætam dicente, *De India, Persia, AEthiopia monachorum turbam quotidie suscipimus*, & ex Nicephoro lib. 11. historiæ, cap. 34. vbi incipiens tractare de monachis illius ætatis, & regionis, quos *Ecclesiasticos Philosophos* appellat, inquit, *Magnus enim tunc, & haud scio an alio ætidem tempore vnquam eorum prouentus fuit*. Et significat ab Antonio originem duxisse, vt idem latiùs prosequitur lib. 8. cap. 40. vbi de Antonio inquit, *Habuit discipulos multos probatos admodum, & qui magistrum vitæ institutione, sapientiæ studio, & virtute reliquis satis fœliciter retulerunt, qui partim in Aegypto, & Libya, partim in Palæstina, Syria, & Arabia sunt philosophati*. Et idem latè ostendit, & prosequitur Baronius tom. 3. ann. Domini 328. Vnde concludit, meritò posse Antonium magnum Patriarcham omnium monachorum appellari: post quem sequuti sunt Macharij, Ioannes Climacus, Hilarion, Pachomius, & similes: de quibus multa leguntur in antiquis historiis, & præsertim apud Palladium in historia Lausiaca, vbi de innumerabili multitudine monachorum illius ætatis c. 7. 9. 52 & 96. multa recenset. Videri etiam potest Hieronymus epistol. 16. qui refert Athanasium aduexisse in vrbem nouam Pachomij, monasteriorumque ab illo institutorum disciplinam, quem etiam, Angelo dictante, regulam monachorum excepisse refert Gennadius de Viris illustribus, ca. 7. habetur in fine primi Tomi operum Hieronymi, & ipsa regula nunc habetur in fine operum Cassiani. De regula autem, aut instituto viuendi, quod Antonius suis monachis tradidit, nihil speciale scriptũ reperio; præter generalia documenta, quæ in eius vita leguntur: nec præter regulam Pachomij inue- nio aliam antiquiorem Basilio. Nec etiam mihi cõstat quæ esset distinctio, aut varietas illo tempore inter monachos orientis, vel in vitæ instituto & moribus, vel in habitu, habitatione, regimine, &c. præter ea quæ de triplici monachorum genere attigit Hieronymus epist. 22. ad Eustochium; quorum etiam meminit Cassianus collat. 18. cap. 17. & S. Benedictus in principio suæ Regulæ. Sed (vt in lib. præced. cap. 2. num. 6. attigi) tertius ordo illorũ monachorum potiùs videtur fuisse deficientium à veritate & perfectione religionis, quàm verorum monachorum. Alij verò duo ordines erant cœnobitarum, & Anachoretarum, de quibus iam disseruimus. In vtroque tamen istorum generalium statuum fuit sine dubio multiplex viuendi modus, vt ex Cassiano, Climaco, & historiis Ecclesiasticis in variis exemplis intelligimus, quamuis distinctè nõ habeamus proprias singulorum regulas, vel viuendi rationem.

Nec tam monachi fuerint complices.

VI. *Reliqui Basilio inferiores.*

Igitur non multò post Antonium, id est, ferè quadraginta annis, post illũ successit Basilius priorum monachorum virtutes æmulatus, (vt ipsemet refert epist. 79) quorum tamen viuendi rationem ipse ad meliorem formam redegit, magisque religioni congruentem, vt de ipso Ecclesia legit: quod latius retulit Gregorius Nazianzenus, oratione de laudibus Basilij: & inter eiusdem Basilij opera extãt constitutiones, & regulæ, & præclara instituta vitæ monasticæ, quæ Hieron. de script. Ecclesiast. in Basilio Ascetica vocauit. Non defuere tamen qui ea in dubium reuocarunt, & cuidam Eustacio attribuere voluerunt, quam esse summam stultitiam affirmat Baronius tom. 1. anno 361. & optimè confirmat tum ex testimonio Gregorij Nazianzeni, tum etiã ex epistolis 63. & 79. eiusdem Basilij, in quibus ipse- met profitetur habere apud se viros, qui mundo renunciarunt, & vniuersis seculi curis, & se doctore regulam hoc pietatis studium profitebantur. Atque ita vsque ad nostra etiam tempora sub Basilij nomine monachatum profitentur multi religiosi per orientem, vbi licèt dicantur esse aliqui monachi ab Antonio, vel Paulo nomen accipientes, omnes tamen Basilij regulam profiteri referuntur; & de illis videtur loqui Chrysostomus homil. 8. in Matth. cùm de illis dicit, innumerabiles angelorum cœtus in coporibus fulgere mortalibus, de quorum vita multa prædicat homil. 56. 57. 58. & 59. ad populum, & in

Basilius inuentor. Basilius inuentor. Basilius instituit.

tribus

tribus libris aduersus vituperatores vitæ monasticæ. Omnia etiam, quæ Cassianus de vita monachorum orientis refert in lib. de institutis renuntiantium, & quæ scribit Palladius, quæque posteriores historiæ referunt, ad monachos sub regula Basilij militantes præcipuè referenda videntur. Denique ex regula Basilij omnes alias religionum regulas originem duxisse tanquam riuos ex vberrimo fonte, pie sensit Cardinalis Baronius tomo 4. anno Domini 363. non longe à fine. Specialiter verò solet illi attribui regula, quam ordo Carmelitarum profitetur, quod infra cap. 10. expendemus: nunc potiùs suppono ex regula Basilij nos nihil amplius habere, quã ea quę in eius operibus continentur, sub titulis regularu fusius disputatarum, ac breuiorum, & cõstitutionum monasticarum, præter quosdam sermones & epistolas, in quibus de eadem institutione monachorum disserit. Ex quibus etiam circumfertur quoddam veluti compendium regularum Basilij à Ruffino compositum, seu in Latinum trãslatum.

VII. *De fine huius religionis.*

Igitur quantum ex illis regulis colligi potest, institutum illud Basilij ex parte finis, monachatus propriè fuit: nam finis illius fuit diuinæ contemplationi vacare: & ideo separatam habitationem habere ab omnibus hominibus, qui communem viam mandatorum sequuntur, vt patet ex reg. 6. ex fusius disputatis. Et quamuis in reg. 7. comparet solitariam vitam cum cœnobitica, & hanc posteriorem præferat, vtramque tamen supponit debere ad contemplationem principaliter ordinari. Et quamuis actionem aliquam in monacho requirat, semper tamen orationem, & contemplationem, tãquam finem principalem ponit, vt patet in c. 2. constit. monast. laborem autem manuum ad corporis exercitationem, & congruentem hominis occupationem requirit, vt patet ex c. 5. earundem constitutionum.

VIII. *De mediis ac primum de paupertate, castit. & obed.*

Media autem, quæ ad illum finem proponit, in primis ea sunt, quæ ad subsistentiam status religiosi pertinent, vt sunt paupertas, obedientia, castitas sub vno Prælato, de quibus in prædictis regulis latè disputat, exhortationes potiùs, & generalia documenta, quàm peculiare aliquid & proprium illius instituti tradens. vnde quoad paupertatem nõ inuenio esse illis prohibitum aliquid in communi habere, sed solùm in particulari: hanc verò exactissimam requirit, adeò vt nec minimam eleemosynam religiosis sine licentia facere permittat de cõmunibus bonis, & cum licentia, non sine magna circũspectione, vt patet reg. 87. 91. 100. & 101. & 302. ex breuioribus. In castitate etiã & obedientia maximam obseruantiam postulat: & hæc vota pactum, & promissionem appellat, quæ violari aut rescindi non potest in constitut. monast. cap. 22. & 34.

IX. *De mediis aliis accidentariis.*

Quoad alia verò specialia media requirit imprimis peculiarem, pauperem, & simplicem habitum, vt patet in reg. 22. ex fusioribus; non tamen declarat cuius coloris, aut figuræ ab ipso fuerit institutus. Quoad habitationem, præter separationẽ conuentus, ordinariam clausuram requirit, & ferè nullam cum secularibus hominibus conuersationem permittit, vt patet ex cap. 6. 7. & 8. constitutionum. Non inuenio tamen de modo seruandi silentium aliquid speciale ab eo statutum, præter ea quæ sæpe docet de moderatione circa loquutionem seruanda, vt cap. 12. & 13. constit. Similiter de ratione victus non inuenio in regulis Basilij vsum carnium fuisse prohibitum, sed tantùm commendari vt simplex, commune, & moderatum alimentum sit, & vniuscuiusque necessitati accommodatum, vt patet ex reg. 19. & 20. ex fusioribus: vnde etiam nulla certa ieiunia præcipit; sed ferè hoc totum Antistitis arbitrio relinquit. De choro etiam vel cantu non inuenio ab eo esse factam mentionem, vel horarum distributionem, sed tantùm orationem tum mentalem, tum etiam vocalem sæpiùs ab ipso esse commendatam simul cum diuinis laudibus & præsentia Dei, vt patet ex cap. 2. & 3. constit. & ex regula 5. 37. & aliis tam ex fusioribus, quàm ex breuioribus, præsertim 218. & 306. Denique idem dicendum est de aliis austeritatibus corporis seu actionibus pœnitentiæ: quamuis enim satis eam commendet & exaggeret, non tamen ad particularia præscribenda descendit. Simili etiam modo loquitur de corporali labore seu exercitatione: specialiter verò prohibet monachos, ne clericatum appetant, in c. 10. constit. & supponere videtur monachos à se institutos ordinariè & ex vi professionis suę non fuisse clericos, quamuis ad illum statum ascendere non repugnaret. Atque hæc sunt quæ de origine, & modo, ac perfectione illius status in particulari dicere possumus: quàm verò fuerit vtilis Ecclesiæ Dei, & quot sancti, ac perfecti viri inde manauerint, ex his, quæ ex Chrysostomo, & Cassiano superius attulimus, intelligi potest. Quibus addi possunt quæ de SS. Ephrem, Hesychio, & aliis ferè eiusdem temporis leguntur apud Euagrium, Ruffinum, & alios: nã post illa tempora nullam ferè lucem de orientis monachis habemus.

CAPVT II.

Quæ fuerit religionis S. Benedicti institutio, & progressus.

I. *De initio monachatus in occidente quid indicet Ambrosius.*

DE vita monastica quando primum cœperit in occidente, non omnino certum est: significat autem Ambrosius ab Eusebio Vercellen. Episcopo primùm fuisse monachatum ex oriente in occidentem adductum. Indicat tamen non fuisse ab illo institutam aliquam religionem monasticam, de qua nunc loquimur: sed statum religiosum clericatui adiunxisse. Sic enim ait serm. 15. qui est de laudibus eius, *Vt caetera taceam, illud quam admirabile est, quod in hac sancta Ecclesia eosdem monachos instituit esse, quos clericos, atque iisdem penetralibus sacerdotalia officia contineri, quibus & singularis castimonia conseruatur, vt esset in ipsis viris contemptus rerum, & accuratio Leuitarum, vt si videres monasterii lectulos, instar orientalu propositi indicares: si deuotiones cleri perspiceres, angelici ordinis obseruationegauderes.* Et lib. 5. epistol. 25. *Quid si in aliis Ecclesiis* (inquit) *tanta suppetit ordinandis sacerdotiis consideratio, quanta cura expetitur in Vercellensi Ecclesia, vbi duo pariter videntur exigi ab Episcopo monasterii continentia, & disciplina Ecclesiæ. Hæc enim primus in occidentis partibus diuersa inter se Eusebius sanctæ memoriæ coniunxit, vt & in ciuitate positus instituta monachorum teneret, & Ecclesiam regeret ieiunii sobrietate.*

II. *Hic locus Ambrosii non cõuincit, vt varia exempla ostendunt.*

Quæ verba, vt dixi, intelligi possunt, quia & ipsemet Eusebius in persona sua austeritatẽ monachorum obseruare cœpit, & clericos suos iuxta eam instituerat. Et fortasse nõ denuo adiunxit religiosum statum clericatui: ostendimus enim ab initio Ecclesiæ ab Apostolis, & eius discipulis fuisse obseruatũ: & verisimile est etiam in partibus occidẽtis, & maximè in Ecclesia Romana eum morem fuisse antea introductum, vt ex epist. 5. Clementis, & ex aliis colligitur. Austeritatem ergo monachalem illi statui adiungere potuit: vel certè propria monachorũ monasteria instituit, ex quibus postea clericos crearet: & ideo dicitur monachatum clericatui cõiunxisse. Nam de D. Martino ferè illi æquali refert Sulpitius, dialogo 1. cap. 7. factum Episcopum extra ciuitatem duobus ferè millibus monasterium sibi statuisse. Quod sic describit, *Ipse ex ligni contextam cellulam*

cellulam habebat, multique ex fratribus in eundem modum plusquè saxo superiecti montis cauato, receptacula sibi fecerant. Discipuli verò octoginta erant, quos ad exemplum beati magistri instituebantur: nemo ibi quicquam proprium habebat, omnia in medium conferebantur, non emere, aut vendere (vt plerisq; e monachis mos est) cuiquam licebat. Ars sibi excepta scriptoribus, nulla habebatur: cui tamen operi maiores deputabantur: minores orationi vacabant. & subdit inferius, Pluries ex his postea Ep scopos vidimus: quæ enim esset ciuitas, aut Ecclesia, quæ non sibi de monasterio Martini superstitem successorem? Videtur ergo illud fuisse proprium monachorum institutum in fine quidem contemplationis, & in modo habitationis, & vitæ austeræ orientalibus simile: in genere autem actionum, & labore manuum aliquantulum diuersum. Cuius ratio fortasse fuit, quia ad creandos inde clericos & Episcopos à Martino ordinabantur. Sed & ante Episcopatum legimus Martinum Mediolani monasterium monachorum erexisse, apud Sulpitium suprà cap. 4. & cap. 5. refert condidisse aliud iuxta oppidum: quod non explicat quale fuerit, videtur autem loqui de ciuitate Pictauiensi, vbi Hilarius Episcopus erat, quem ipse prosequutus fuerat Augustinus etiam 8. lib. Confessionum ca. 6. refert suo tempore fuisse *monasterium Mediolani plenum bonis fratribus extra vrbis mœnia sub Ambrosio nutritore*. Et lib. 1. de moribus Ecclesiæ, cap. 31. loquens de multitudine monachorum, tam in vita solitaria, quàm in cœnobitica degentium, dicit, per totum orbem in dies magis magisque diffundi, & in oriente maximè, atque Ægypto: significans iam tum fuisse in occidēte diffusam, quamuis fortasse non æqualiter. Et cap. 33. *Vid:* (inquit) *diuersorium sanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus vnus Presbyter præerat, vir optimus, & doctissimus.* & addit, *Plura etiam Romæ cognoui*, &c. Quòd autem illa Romana monasteria non multo antè incepissent, sed tempore Athanasij, & occasione aduentus eius in Vrbem, ex Hieronymo colligitur epist. 16. ad Principiam, dicente, *Nulla eo tempore nobilium fœminarum nouerat Romæ propositum monachorum, neque audibat propter recentitatem ignominiosum, vt nunc putabatur, & vile in populis nomen assumere. Hæc ab Alexandrinis prius suscepta doctoribus, Papaque Athanasio, & postea Petro, qui persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerant, vitam B. Antonij adhuc tunc viuentis, monasteriorumque in Thebaide, Pachomii, & virginum, ac viduarum didicit disciplinam.*

III. *Quo tempore verisimiliter cœperit monachatus in occidente.* Vnde constat, eodem ferè tempore, quo in oriēte per Antonium monachorum vita in ordinem redigi cœpit, in Occidente per Athanasium inductam esse, & ab vrbe tāquam à capite facilè ad alias occidentis regiones dimanasse: quamuis non defuerint hæretici, qui monachorum nomen statim insectari cœperint, vt Augustinus commemorat in Psalmum 132. Posteà verò ipsemet Augustinus monachatum in Africam inuexit, de quo dicemus cap. 8. commodius, tractando de eremitis mēdicantibus. De illa ergo ætate vsque ad D. Benedictum nihil certius, vel specialius de monachalibus religionibus, seu institutis in occidente dicere possumus.

IV. *Quo tēpore cœperit religio S. Benedicti.* Post hæc verò tempora D. Benedictus anno Domini 500. vel circiter, suam religionem sub propria regula instituit, prius enim ipse sanctæ conuersationis habitum, vt Gregorius ait, id est, monachalem, à Romano monacho accepit, qui Romanus sub Theodati Patris regula degebat, referente eodem Gregorio lib. 2. Dialog. cap. 1. Benedictus autē non videtur in eo monasterio, vel sub ea regula aliquando vixisse: quia neque à Theodato receptus est, neque illi fuit cognitus, sed statim in Sublacum secesserit, vbi in spelunca diu delituit, solo Romano sciente, & cibum occultè ministrante. Post paucos verò annos congregare discipulos cœpit, & in monte Casinate principale sui ordinis cœnobium fundauit, & plura monasteria in Italia constituit, propriamque regulam edidit, quæ inter approbatas ab Ecclesia refertur in c. *pernouimus* 17. quæst. 2. Et eam laudat Gregorius Papa lib. 2. Dialogorum in fine, & à monumentis eiusdem ordinis refertur specialis approbatio eiusdem Gregorij Papæ, & alia Zachariæ I. & quando illæ deessent, generali traditione, & acceptatione tot Pontificum, & totius Ecclesiæ satis approbata esset.

Constat igitur in primis religionem à Benedicto institutam; proprie & perfectè monachalem esse, V. nam finis illius solum est propria perfectio ad diuinam contemplationem, & laudem ordinata, & cōparanda per media vitæ monasticæ propria, vt ex discursu eiusdem regulæ constat. In qua illa, quæ pertinent ad diuinum & canonicum officium, & Psalmodiam, expressius & distinctius tradita inueniuntur, quàm in aliis regulis religionum ab Ecclesia approbatis: simul tamen in eadem regula artificia, seu opera & labores monachorum commendātur, nam in ea supponitur, statum illum non fuisse per se institutum ad clericorum ministeria, sed ad vitam purè monasticam, prout ante Benedictum in vsu erat. Quocirca quantum ad finem & substātiam religionis spectat, non videtur fuisse diuersum Benedicti institutum ab antiquis institutis monachorum; quamuis fortasse in habitu fuerit diuersum, & ad certam regulam redactum. Antea enim non videntur monasteria omnia, præsertim in Occidente, aliquam vnam regulam obseruasse, sed vnumquodque vel iuxta receptas consuetudines, vel iuxta Abbatis, & Episcopi arbitrium gubernabatur. Post Benedictum verò monasteria omnia vel ab ipso viuente ædificata (quæ multa fuerunt, vt ex Gregorio colligitur lib. 2. Dialog. nam prius quàm Sublacum relinqueret, duodecim monasteria instruxit, & postea Casinense monasterium fundauit) vel ab ipsius discipulis Mauro, Placido, & aliis, in Sicilia, Gallia, & aliis prouinciis erecta eandem regulam, & religionis vnitatem seruauit.

VI. Hic verò interrogare potest aliquis, an post Benedicti institutionem non solùm monasteria omnia, quæ ab ipso duxerunt originem, sed etiam reliqua omnia monachorum domicilia, quæ ab aliis monachorum parentibus vel ante Benedictum, vel eodem tempore in occidente, & præsertim in Italia ædificata erāt, Benedicti institutionem susceperint, & ad eius regulam se accommodauerint. Quòd enim & alia monasteria, & alij fundatores eorum tunc fuerint, præter ea quæ in principio capitis diximus, constat ex Gregorio lib. 1. Dialogorum: nam in c. 1. refert, Honoratum virum sanctissimum in Samnij partibus, in loco, qui Fundis dicitur, monasterium constituisse, & ferme ducentorum monachorum patrē extitisse; de quo etiam Honorato refert nullius fuisse discipulum, sed à Spiritu sancto edoctum. Et c. 2. commemorat Libertinum eiusdē Honorati discipulum tempore Totilæ Regis Gothorum, eiusdem Fundensis monasterij præpositū. vnde colligitur Honoratū vel æqualem Benedicto, vel paulò ante tempora Benedicti fuisse. nam ex lib. 2. c. 14. Dialogorum constat, Benedictum tempore Totilæ vixisse, eique mortem prædixisse. Simile est quod de S. Equitio refert idem Gregorius dicto lib. 1. c. 4. multorum monasteriorum patrē in prouincia Valeria extitisse: quem tamen vel æqualem, vel seniorem Benedicto fuisse, ex fine eiusdem capitis constat, vbi de eius vita inquit, *Hanc Albinus Reatinæ ecclesiæ Episcopus, & adhuc superstites multi, qui fuere, nouerunt.* Et inferius ait; quo tempore Longobardi prouinciam Valeriæ vexare cœperunt, Equitium iam defunctum fuisse.

Hoc

VII. Hoc igitur posito, inquirimus, an post Benedicti institutionem manserit inter monachos veluti religionum distinctio, vel omnes cœperunt sub Benedicti regula militare. In quo in antiquis historiis nihil certum inuenio: tamen quid Anton. in 2. p. Historiali tit. 15. c. 14. sic scriptum reperio, *post Benedictū omnes monachi occidētū militant sub regula B. Benedicti, & ipsum habent in patrem, exceptū Carthusiensib.* Similia ferè habet in 3. p. Theologali tit. 16. c. 1. §. 7. Vnde verisimile mihi fit, vel statim, vel paulò post institutam & diuulgatam regulam Benedicti, omnes occidentis monachos ad illam se conformasse, quia nullum aliud initium inuenitur huius conformitatis; ergo sicut de antiquitate traditionum, quarum principium ignoratur, argumentari solemus, reuocandas esse vsque ad initium Ecclesiæ: ita hic cum proportione colligimus, vniuersalem tunc ritum monachorū statim ab initio religionis S. Benedicti incepisse. Quod etiam possumus aliis cōiecturis cōfirmare. Prima, quia monachi antea non videntur habuisse certam aliquam regulam in Europa (vt omittam regulam Basilij in oriente, & Augustini in Africa) nec ferè vnitatem religionis inter diuersa monasteria, sed vnumquodque iuxta suas consuetudines, & propria statuta, vel fortè iuxta prudentiā sui Abbatis gubernabantur. Benedictus autem & propriam regulam instituit, & varia monasteria in Italia, & extra illam per se, & per suos discipulos Placidum, & Maurum sub vnius religionis concordia fundauit: ergo facilè fieri potuit, vt alia monasteria eandem regulam reciperent, cùm nullam haberent. Secundum indicium est, quia omnia iura, quæ post illa, & prope illa tempora, qualia fuerunt circa ętatem D. Gregorij, de solis monachis S. Benedicti, vel qui ab eo duxerunt originem, loquuntur. Tertiò (quod præcipuè me mouet) inuenio antiquā approbationem D. Gregorij dicentis, se confirmasse regulam S. Benedicti in sancto Concilio. & subdit, *Et obseruari præcipi ab omnibus qui seculo renunciare, & ad Deum conuerti voluerint, in omnibus regionibus seu prouinciis Ecclesiæ Latinæ.* Quartò nullum vestigium alterius monachatus in Europa inchoati (vt Augustinianā, & Carmelitanam familiam nunc omittam) ad nos peruenit, præter religionem S. Benedicti, vel alterius quę ab illa originem ducat, aut certè propriam & notam aliam originem multo post tempore habuerit, vt de Carthusianis infra cap. 4. dicemus: ergo verisimile fit, omnia alia cœnobia monachorū, quæ per Italiam, & alias Europæ partes erant ante Benedictum, eius regulam, & professionem assumpsisse, nam si postea durarent, in ea professione inuenirētur. Quod si sub regula Augustini aliqui permanserūt, vel erant Canonici regulares, vel potiùs sub nomine eremitarum, quàm monachorum viuebant, & magis in Africa, quàm in Europa multo tempore durarunt: Sicut Carmelitarum ordo si tūc iam sub monachali professione extabat, in oriente potius, quàm in occidente vigebat, vt postea videbimus in c. 10.

VIII. Atque hinc possumus obiter expedire dubium quod circa receptam opinionem & historiam de monachatu S. Gregorij, eruditè excitauit Cęsar Baronius in tom. 7. anno 581. circa finem. Communis enim opinio fert, Gregorium Magnum ordinis S. Benedicti professorem fuisse. Hoc autē difficile creditu videtur, quia Gregorius post functionem Vrbanæ prefecturæ, & post ędificata sex monasteria in Sicilia, monasterium quoddam S. Andreæ Romæ fundauit, & in eo monasticum habitum assumpsit: non videtur autem constituisse illud monasterium sub instituto S. Benedicti: ergo neque ipse illā professus est. Maior ex historiis, & vita Gregorij, & ex eodem Gregorio lib. 1. epist. 1. & in præfatione Moralium, & ex aliis locis vt certa supponitur. Minor videtur colligi ex eodem Gregorio lib. 1. Dialog. cap. 4. iuncto cap. 20. lib. 4. vbi sic inquit, *Vita venerabilis Valentinus, qui post in hac Romana vrbe mihi, sicut nosti, meoque monasterio prafuit, prius in Valeria prouincia suum monasterium rexit.* Ex quibus verbis intelligimus, Gregorium hunc Valentinum vocasse, eique monasterium suum & seipsum subiecisse: ergo quam regulam & religionem Valentinus profitebatur, eandem Gregorius professus est. At Valentinus non videtur fuisse discipulus S. Benedicti, sed S. Equitij, de quo suprà ex eodem Gregorio commemorauimus fuisse institutorem monasteriorū in prouincia Valeria, vel antiquiorem Benedicto, vel certè non iuniorem, neque ab eius institutione descendentem: ergo nec Gregorius fuit instituti Benedicti professor. Neque enim primum institutum mutauit, imò neque alium Abbatem vnquam habuisse creditur, præter illum primum in cuius manibus professus est: nam vix biennium in monachū expleuerat, cum Diaconus Cardinalis factus est. Porrò Valentinum non Benedicti, sed Equitij professorem fuisse, patet in primis ex illis verbis, *prius in Valeria prouincia suum monasterium rexit.* Dicit autem Gregorius in priori loco de eodem Equitio, *In Valeria prouinciæ partibus magnæ admirationis habeatur.* & infrà, *Qui* nimirum Equitius *pro sua magnitudine sanctitatis multorum in eadem prouincia monasteriorum pater extitit.* Et infrà circa finem cap. *Silere* (inquit) *nō debeo quod de hoc viro* (id est, de Equitio) *Abbate quondam meo reuerendissimo Valentino narrante, agnoui,* &c. Vnde satis constat eundem esse Valentinum vel Valentinum Abbatem suum, de quo vtrobique loquitur, eumque fuisse ex illis monachis, qui in Valeria instituebantur, & fuisse discipulum Equitij; cuius iam defuncti miracula Gregorio narrabat, & successorem eius in aliquo ex illis monasteriis Valeriæ quorum pater Equitius fuerat. Potestque hæc dubitatio coniecturis confirmari, quia D. Gregorius, quamuis toto lib. 2. Dialog. & sæpe alias de Benedicto sermonem habeat, nunquam indicat se fuisse suæ religionis alumnum, neque patrem suum illum vocat, sicut de Valentino loquitur. Similiter agens de doctrina eius lib. 2. Dialog. c. 36. solum dicit, *Doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulsit: nam scripsit monachorum regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam.* quòd verò illam ipse professus fuerit, non indicat. Imò etiam in approbatione superius citata solùm dicit, se legisse regulam illā, laudasse, & confirmasse, non verò seruasse, aut professum esse.

Nihilominus tamen iuxta superiorem resolutionem num. 7. positam facile explicare possumus cōmunem seu receptam opinionem. Fateor enim ex historiis Ecclesiasticis non satis colligi Gregorium fuisse S. Benedicti monachum, nec Ioannem Diaconum in vita eius; nec Gregorium Turonensem lib. 10. de Historia Francorum, c. 1. nec Platinam aliud affirmare; quam Gregorium ædificasse monasterium, & in eo monachum fuisse. Verisimile etiam est Abbatem, quem primum præfecit suo monasterio, fuisse ex prouincia Valeriæ: quia ex discursu facto valde probabiliter colligitur illum primū Abbatem fuisse Valentinum. Vnde etiam verisimile est illum Valentinum ab Equitio, & non à Benedicto institutionem habuisse. Multa verò alia, ex quibus hæc coniectura pendet, incerta remanent. Primùm quam regulam seruaret Valentinus in suo monasterio Valeriæ: Fieri enim potuit, vt licet Equitij discipulus fuisset, & ei in monasterio successisset, crescente fama Benedicti, (qui sine dubio fuit vel æqualis, vel fere eiusdem temporis cum Equitio) illiusque regula diuulgata, eam in suo monasterio receperit, iuxta coniecturam superius factam. Deinde incertum est, an Gregorius aduocauerit

IX.

primos monachos ex prouincia Valeria, vel ex domiciliis S. Benedicti. hoc enim posterius fit verisimile tum ex propinquitate locorum; tum ex maiori notitia, & conuersatione quæ esse poterat cũ monachis illius religionis. Nec huic obstat, quòd Prælatus ex remota prouincia Valerię adductus fuerit, quia fieri potuit vt sanctitate, & munere regendi fuisset cęteris illustrior, & per notitiam & famã cognitus: nam alibi legimus apud eundem Gregoriũ iam Pontificem, aliquando præcepisse homini seculari Probo, vt sui monasterij Abbas fieret li. 9. epist. ep. 22. Tertiò est incertum, sub qua regula voluerit Gregorius à principio fundationis sui monasterij, eius monachos viuere: estq; verisimile ipsum Benedicti regulam elegisse, quia semper maximè approbauit, & laudauit illam, vt cõstat ex citata bulla, & citato loco Dialogorum. Quod si quis dicat, Gregorium non approbasse illam regulam, nec præcepisse vt ab omnibus monachis Ecclesiæ Latinæ reciperetur, nisi postquam fuit Summus Pontifex. Respõdemus hoc esse verum de approbatione authentica, tamen cum Gregorius ante monachatum suum vir esset & doctus, & prudentissimus, ignorare non potuit regulam D. Benedicti, quæ illo iam tempore erat celeberrima, præsertim in Italiæ partib. Itemq; cum magno consilio & desiderio perfectionis tã de suo monasterio erigendo, quàm de sua conuersione deliberaret, vt ex ipsomet Gregorio constat in prefatione Moralium, per se fit statim credibile regulã Benedicti pro se, & pro suo monasterio elegisse. Hoc ergo modo nihil repugnat Valẽtinum Abbatem S. Gregorij fuisse discipulũ & successorem S. Equitij, & nihilominus Gregorium fuisse in professione & regula discipulum S. Benedicti. Cuius etiam magnũ argumentum est, quod multa decreta sunt ab ipso edita in fauorem monachorum, quæ habentur 16. q. 1. & sequentib. præsertim 18. q. 2. quanquam in eis nulla fiat specifica mentio religionis S. Benedicti.

X. *Quomodo verificetur tot viros insignes fuisse monachos Benedictinos*

Secundò iuxta eandem coniecturam n. 7. intelligenda existimo quæ Trithemius lib. 1. c. 2. de n. virorum illustrium ordinis Benedictini narrat, nimirũ fuisse in illo ordine 18. Summos Pontifices, quorum primum ponit Gregorium Magnum: Cardinales plusquã ducentos, &c. quę breuiter etiam repetit li. de Scriptorib. Eccles. in Benedicto. Hęc enim omnia in hoc fundari existimo, quòd omnia, quæ in historiis referuntur de sanctitate, dignitate, aut qualibet alia singulari excellentia alicuius monachi, qui post Benedictum vixit in occidente vsque ad ea tẽpora, in quibus constat religiones monachorum fuisse multiplicatas: omnia (inquam) attribuũtur religioni S. Benedicti, etiamsi historiographi nõ semper in speciali referant illam religionem, sed monachatũ. Quod meritò fit iuxta coniecturam à nobis factam, & fortasse sine illa difficile erit illa omnia fundare, aut vera inuenire. Imò, quia, vt statim dicemus, Cistertiensium religio, & aliæ Benedictum habent parentem, ideo illustres personæ illarum religionum solent etiam Benedictinæ attribui. Et hinc oritur varietas, nam interdum legimus fuisse 18. Pontifices Benedictini ordinis, interdum 24. & aliæ similes: quæ in concordiam rediguntur dicta animaduersione. Nã interdum est sermo de religione S. Benedicti præcisè, vt à suis filiab. distinguitur, interdum vt illas complectitur. In hoc verò fortasse per incõsiderationem excesit Trithemius, quòd suæ religioni attribuit Episcopos, Abbates, vel sanctos aliquos, aut Benedicto antiquiores, aut non ad occidentales, sed ad orientales monachos pertinẽtes, vt notauit Baron. 6. to. anno Domini 494. sub finem.

XI. *Iura quæ contineant aliquam obligationem, & c. ea quæ.* de statu monach. & Clem. *Ne in agro.*

Tertiò ex dicto principio in n. illo 7. ortum est, vt decreta antiqua, quę de monachis aliquas leges statuunt, præcipuè ad Benedictinos monachos dirigantur, vt patet ex c. *cum ad monasterium*, & c. *in singulis*, & c. *ea quæ.* de statu monach. & Clem. *Ne in agro.* eod. tit. quæ de monachis nigris specialem mẽtionem faciunt, quæ appellatio solis Benedictinis conuenit. Circa quæ iura duæ morales quæstiones oriuntur. Prima est, an illa omnia, quæ in illis iuribus specialiter statuuntur, obligent in conscientia, & ad peccatũ mortale pro materiæ qualitate. Quod dubium in particulari in præcepto confitendi, & cõmunicandi singulis mẽsibus tractaui in 4. t. 3. p. disp. 36. sect. 5. & in summa dixi non addere maiorẽ obligationem, quàm regula ipsa religiosa, iuxta suam institutionem afferat: quia verba canonum nõ plus indicant. Quod idem consequenter censeo esse dicendum de præcepto abstinendi à carnibus, seruãdi silentium, & aliis similibus, quę de se erant à monachis obseruanda ratione regulæ, & in quibus nec grauior pœna, nec aliquid specialius in iure additur, quo maior obligatio significetur. Quod in particulari de prohibitione abstinendi à carnibus docuit Sylvest. ver. *Religio.* 7. q. 14. & sumitur ex doctrina D. Thomæ 2. 2 q. 185. a. 8. & 186. art. 9. & quodlib. 1. art. 20. cum tamen transgressori huius præcepti grauis imponatur pœna in c. *carnem.* de consecr. d. 5. *Sex mensium spatio* (dicitur) *retractioni, & pœnitentiæ subiacebit.* Explicat autem D. Thomas, illud intelligendum esse, quando contra expressum præceptũ Superioris cum inobedientia, vel contemptu monachus carnes comedit. Itaque quando statuta regulæ in decreto aliquo iuris quasi renouata inueniũtur, si non addatur noua censura, graue peccatum supponens, vel aliquod aliud signum seu verbum nouã obligationem indicans, non videtur denuo addi, sed solum instaurari, & ad suum pristinum statum restitui, quia fortasse per non vsum, vel per abusum prætermissa erant. Aliquando verò imponuntur monachis in iure specialia præcepta sub graui obligatione, quæ iuxta generales regulas de legibus dignoscenda est: & de illis nonnulla attigimus tracta. prꝫced. agendo de habitu, & de clausura, & de regula religiosorum, præteralia, quæ diximus alibi tractando de censuris.

XII. *Quæ in iure monachis S. Benedicti tribuuntur, ad cæteros monachos extendenda sint.*

Secundum dubium est, an ea, quæ statuuntur in iure de monachis S. Benedicti, ad cæteros monachos extendenda sint. Quod in specie tractari solet de præcepto confitendi singulis mensibus, recipiendi Eucharistiam prima Dominica mensis. Quidam enim existimant huiusmodi leges extendendas esse propter similitudinem rationis. quod sentit Glossa in dict. Clement. quam Abbas ibi, & alij sequuntur. Oppositum verò docuit Stephanus, quem Glossa refert: & in materia de excommunicatione idem ego censui, quoad censuras latas in dict. Clem. *Ne in agro.* Vnde duobus modis potest dici lex aliqua Ecclesiastica lata pro solis monachis S. Benedicti. Primo, quia verba legis expresè & in particulari ad monachos illius religionis limitantur, vt in dicta Clement. Et tunc censeo legem ex vi dispositionis suæ non obligare alios monachos: quia non extenditur vltra verba sua. Dico autem, *ex vi dispositionis suæ*: nam aliunde ex parte materiæ poterit extendi, vt si ex lege ipsa constet non considerasse veluti specificam differentiam illius religionis, sed generalem rationem, & necessitatem monachalis status; tunc enim materiale esse videtur quod tales monachos proprio nomine appellet. Alio verò modo potest dici lex lata pro solis monachis S. Benedicti, quia eo tẽpore lata est, quo non erat alia religio monachorum, vel in quo omnia illorum monasteria sub regula S. Benedicti militabant, quamus verba canonis indifferentia sint, solumque de monachis mentionem faciant. Et tunc ex vi dispositionis legis obligatio extenditur ad omnes monachos, etiamsi postea aliqui exorti sint: quia hæc est natura perpetuæ legis, vt ad omnes extendatur, qui postea

posteà nascuntur, si sub verbis & tenore legis comprehenduntur, vt suprà etiam diximus de legibus, quæ de religiosis sub hac voce, vel sub nomine regularium aliquid statuunt. Nihilominus verò tunc è conuerso considerandum est, an ex materia, vel ex aliis circumstãtiis intelligatur dispositio legis magis esse restricta, vt si fundetur in speciali regula, vel professione S. Benedicti, aut quid simile: tunc enim indifferentia vocis, *monachi*, ex circumstantiis determinanda est. Et hæc sufficit attigisse in particulari de hac religione, pro ratione instituti à nobis propositi.

CAPVT III.

Quæ religiones monachorum ex Benedictina ortæ sint, & an sint ab illa distincta?

POst institutionem religionis S. Benedicti multo tempore sine noua institutione monastici ordinis, & consequenter, vt credimus, totus occidentalis monachismus Benedictini ordinis erat. Postea verò post annum Domini 900. quia fortasse obseruantia illius religionis relaxata fuerat, occasione reformandi illam cœpit illa religio multiplicari, vel alias ex se producere.

I. *Tractatur prior pars tituli quoad ordinem Cluniacensem.*

Quarum prima esse censetur ordo Cluniacensium, quæ circa annum Domini 913. cœpisse dicitur, institutore Odone Cluniacensi Abbate, quamuis alij hoc tribuant Bernoni vt primo Abbati, & fundatori illius monasterij, iuxta Sigisbertum in Chronico. Et alij præterea addunt opera Eutycij, seu Eutychij eiusdẽ monasterij monachi valde religiosi, & in Patrum regulis & institutionibus valde eruditi, ex quibus (vt Antoninus refert) diuersas consuetudines sumpsit, & vno volumine colligauit: & ideo fuisse dicitur institutor consuetudinum, quæ in monasteriis seruabantur; & specialiter de illo monasterio à Bernone constructo ait Antoninus, *In eo seruantur instituta Patrũ Eutychi*, 2. p. Historiali tit. 15. c. 16. vbi propterea Scholiastes aduertit, Odonẽ fuisse potius propagatorem Cluniacensis ordinis, quàm institutorem: sicut de Bernardo dici solet circa ordinem Cistertiensem, vt infra num. 3. notabimus. Idem tamen Bernardus in Apologia ad Hugonem Abbatem, enumerans primos parentes, de quibus Cluniacenses gloriantur, primo loco ponit Odonem, nulla facta mẽtione Bernonis; neque Eutychij. Quocirca existimo, Bernonem quidem fundasse Cluniacæ illud speciale monasterium sub regula & ordinaria institutione S. Benedicti: discursu verò temporis opera & consilio Eutychij addidisse obseruantias aliquas, & reformationem, quæ suo tempore durauit sub eadem religione S. Benedicti. Posteà verò Odo, qui immediatè successit in Abbatia Bernoni, reformationem ampliauit, & tantam mutationem fecit, vt distincta religio inchoata fuerit, vt communiter ab authoribus iudicatur.

II. *Tractatur posterior.*

Quæ autem fuerit hæc distinctio, & in quibus rebus, non satis inuenio ab authoribus, vel historicis explicatum. Nam in primis non fuit in fine proprio talis instituti: nam semper retentus fuit purus monachatus, & vita contemplatiua. Deinde non fuit mutatio in regula, neque in substantiali professione votorum: nam Benedicti regula integra retenta est, idemque modus profitendi conuersionem morum secundùm illam. In habitu dicũt quidam fuisse factam mutationem quoad figuram, & colorem. Sed quoad colorem Antoninus dict. tit. 15. c. 23. n. 2. refert Cluniacenses semper retinuisse nigrum habitum, & de eis intelligit iura, quæ de monachis nigris loquuntur, & eosdem ait fuisse reformatos anno 1400. per Eugenium III. in congregatione, quæ dicitur S. Iustinæ, quia initium habuit in Abbatia S. Iustinæ Paduæ, & postea per plura monasteria propagata est. Illa autem congregatio nunc eadem religio esse videtur cum ordine S. Benedicti, & nõnulla monasteria Hispaniæ, quæ Cluniacensis ordinis fuisse dicuntur, præsertim S. Facundi, & sancti Vincentij Salmanticæ eiusdem ordinis nunc sunt cum aliis S. Benedicti. Non videntur ergo à principio habuisse distinctionem in colore habitus; in figura verò fortasse fuit aliqua, & nonnulla etiam in constitutionibus, & obseruantiis, propter quæ vt religio distincta, vel saltem vt familia diuersa à religione S. Benedicti habita est: ad eum modum quo sunt in religione Minorum variæ familiæ, cum non modica distinctione in figura, & asperitate habitus, & aliarum obseruantiarum, & tamen non censentur plures religiones, sed vna, in diuersis membris suis magis vel minùs reformata.

III. *Tractatur etiam prior pars tituli quoad ordinem Cistertiensem.*

Secunda religio, non quidem tempore, sed amplitudine, & dignitate, quæ ex D. Benedicto ortum habuit, fuit Cistertiensis. Cuius institutor vulgò censetur S. Bernardus, quia inter religiosos omnes illius familiæ fuit illustris, & eam maximè propagauit, & auxit: nam dum viueret, centum sexaginta monasteria suæ reformationis in variis Europæ regionibus fundasse dicitur. Re tamen vera 15. annis antequam Bernardus esset monachus, Cistertiensium reformatio inceperat, vt constat ex historiis apud Vincentium lib. 25. cap. 64. Antonin. 2. p. tit. 15. cap. 8. Sigisbertum in Chronico anno 1098. quo anno religio illa inchoata est sub Roberto primo Abbate Cistertiensi, vt in vita eius refert Surius tom. 2. die 29. Aprilis. Duxit autem originem à cœnobio Molismensi, quod in prouincia Burgundiæ in Episcopatu Lingonensi situm erat. Cœnobium autem illud Molismense Benedictini ordinis erat: an verò in eo seruaretur professio communi, & antiquo more, vel iuxta nouam Cluniacensem institutionẽ, in historiis explicatum non reperio, illud tamen prius videtur probabilius. Nam Bernardus licèt Cluniacensium mentionem faciat, nunquam ab eis originem vel aliquid habere recognoscit, vt patet ex Apologia ad Guillelmum Abbatem, & epist. 1. ad Robertum nepotem, vbi S. Benedictum suum, & Cluniacensium legislatorem appellat, suumque institutum longè arctius esse ostendit. Cœnobium itaque Molismẽse professionis erat S. Benedicti, obseruantia tamẽ religiosa in eo fuerat relaxata. Quatuor autem monachi illius, Stephanus, Albericus, & alij duo maiorem perfectionem, & rigorem desiderãtes, solitudinem petierunt, ac tandem in *sylua Cisterium* dicta quasi eremiticam vitam inchoarunt: postea verò eos sequutus est Robertus Molismensis Abbas cum aliis viginti duobus, qui primum cœnobium Cistertiẽse sub eodem Roberto primo Abbate incoluerunt. Post paulum verò temporis redeunte Roberto iussu Pontificis ad Abbatiam Molismensis cœnobij, ei succesit Albericus, quo intra biennium defuncto, succesit Stephanus, qui constitutiones illius ordinis in formam redegit, & consummauit: ideoque fundator illius ordinis appellari etiam solet. Ille verò recepit Bernardum, qui maximè ordinem nobilitauit, & ideo nomen eius tandem retinuit.

IV. *Tractatur pars posterior.*

Habet ergo hic ordo, quoad institutum, regulam eandem, & eundem finem cum ordine S. Benedicti: maiorem tamen ab illo distinctionem quam ordo Cluniacensis à principio habuisse, & nunc etiam habere videtur. Nam quoad habitum, magnam distinctionem habet in colore albo, vt constat, & in figura nonnihil differt, quamuis modicum. Et præterea differt in multis constitutionibus, & specialiter ab Ecclesia approbatus est, & multis priuilegijs ornatus: & ita vt religio distincta inter monachales

numeratur, & in iure interdum fit specialis mentio illius & satis honorifica, vt patet in cap. *noneſt*. de Regularib. vbi prohibetur tranſitus à Ciſtertienſi ordine ad alios, vbi Gloſſa rationem reddit, quia nullus ordo arctior tunc inueniebatur. De qua re in ſuperioribus dictum eſt tract. præc. lib 3. & in c. *licet*. eod. tit. approbatur tranſitus ad Ciſtertienſem ordinem tanquam ad arctiorem. Et in c. *in ſingulis*. de ſtatu monach. ſupponitur, morem celebrandi Capitula antiquiorem eſſe in ordine Ciſtertienſi, quã in ordine S. Benedicti. Et ideo ſtatuitur, vt ſimilia Capitula in ordine S. Benedicti fiant, & vt pro illis primordiis duo Abbates Ciſtertienſes in Capitulo cum aliis Abbatibus Benedictinis præſiderẽt. Quod ſatis demõſtrat quãtæ authoritatis & æſtimationis hic ordo fuerit tempore Innocentij III. Quanquam ante Innocentium Alexander III. in c. *recolentes*. de ſtatu monach. cõqueratur, quòd à prima perfectione nonnihil defeciſſent; *Dolentes* (inquit) *dicimus quod etſi non ab omnibus, quibus in omnibus, à pleriſque tamen, & in pluribus ab illa, ſancta inſtitutione dicitur declinatum in tantum, vt aliqui ex vobis primæ inſtitutionis obliti, contra ordinis veſtri regulam villas, Eccleſias, & altaria poſſideant, fidelitates & homina benigne ſuſcipiant, iuſtitiarias, & tributarias teneant*, &c.

V. *Quale fuerit, aut nunc ſit Ciſtertienſium profeſſio.*

Ex quibus verbis & ex hiſtoriis ſuprà citatis intelligi poteſt, religionẽ hanc à principio fuiſſe fundatam in ſpeciali profeſsione paupertatis: nam etiam mendicaſſe referuntur tempore Stephani Abbatis. Re tamen vera nunquam ſunt profeſsi mendicitatem, aut paupertatem in communi, ſed ſolũ ex regula ſtatuebant abſtinere ab aliquibus modis ſeu generibus immobilium bonorum, vel Eccleſiaſticorum redituum, quibus poſſent vel temporalibus curis diſtrahi, vel miniſteriis à ſua profeſsione alienis occupari. Vnde Vincentius, & Antoninus referunt feciſſe declarationem ſeu conſtitutionem authoritate Apoſtolica confirmatam, abdicandi *Eccleſias altaria, oblationes, & decimas, & ſepulturas aliorum hominum, & furnos, & molendina, & villas, & ruſticos*. Tantum ergo huiuſmodi bonorum genera abdicarunt, imò inferius reddendo rationem ob quã à decimarum perceptione abſtinebant dicitur, decimas à ſanctis Patribus in quatuor partes eſſe diſtributas, vnam Epiſcopo, aliam clero, tertiam pauperibus, quartam fabricæ, & ideo vſurpare decimas detrectabant, quia in nullo illorum membrorum comprehendi monachum exiſtimabant: quia monachus (dicitur ibi) *terras ſuas poſſidet, vnde & per ſe, & per pecora ſua laborando viuat*. Nomine autem *monachi* ibi monaſterium intelligo: ſinguli enim monachi per ſe nihil poſsidere poterant: monaſterium autẽ habere poterat poſſeſsiones, & pecora, atque adeo bona immobilia, & ſe mouentia, ex quibus monachi alerentur. Igitur maiorem quidem paupertatẽ profeſſus eſt ordo Ciſtertienſis in principio, quàm reliqui ſectatores S. Benedicti, atque etiam Cluniacenſes ſeruarent, non tamen omnino erat incapax poſſeſsionum ſeu immobilium bonorum. Et ideo Alexander III. in dict. capit. *dolentes*. cum limitatione dixit, *Relictis poſſeſsionibus, vel etiam commutatis, quas inſtitutio veſtra non recipit*. In illo verò genere poſſeſsionum eam moderationem obſeruaſſe videtur, vt monachi ipſi ſuis manibus laborarent, & terram colerent: quod dictis verbis ſatis ſignificatur, & expreſsis à Bernardo in dict. epiſt. 1. ibi, *Ieiunia, vigiliæ, ſilentium, manuumque laborem vocat inſaniam*. & infrà, *Qualis vero religio eſt fodere terram ſyluam excidere, ſtercora comportare?* In his ergo laboribus exercebantur tunc monachi Ciſtertienſes, etiamſi contemplatiuam vitam maximè profiterẽtur, & illo modo paupertatem ſimul, humilitatem & auſteritatem coniungebant, etiamſi bona & poſſeſsiones ſuo ſtatui accommodata non recuſarent. Atque in huiuſmodi obſeruantiis & conſtitutionibus ſimul cum exteriori habitu diſtincta fuit hæc religio ab aliis familiis S. Benedicti. Et ita etiam proprium habuit regimen, proprios Prælatos, & cõgregationes ſeu Capitula, & totius religionis ſupremum regularem Prælatum. Pro diſtinctione enim harum religionũ ſeu familiarum maximè oportet aduertere, cùm D. Benedictus quaſi ſedem ſuam in monte Caſſano collocaueſit, quamdiu eius religio omnino vna & vnita permanſit, ſingula monaſteria ita fuiſſe ſuis Abbatibus ſubiecta, vt aliquo modo reliqui Abbates videantur fuiſſe ſubordinati Abbati Caſſinenſi quanquam ſi hoc intelligatur de ſubordinatione quoad aliquam iuriſdictionem, neque in iure, neque in hiſtoriis ſatis expreſſum inueniatur. Interdũ tamen ſcriptum reperio, Odonem fundatorẽ Cluniacenſium ſe ſuamque familiam ab obedientia Caſſinenſis Abbatis exemiſſe, ideoque quaſi nouũ ordinem erexiſſe. Sic ergo Ciſtertienſe monaſteriũ ab aliis ſeparatum fuit, & quaſi noua ſuprema Abbatia in eo inchoata eſt, ſub qua reliqua monaſteria illius ordinis erigebantur, & iuxta ſuas conſtitutiones, & priuilegia gubernabantur, & vſque hodie gubernantur, quamuis in hoc magna mutatio in diuerſis regnis & prouinciis facta fuerit, quam nũc explicare ad nos non pertinet.

VI. *Quo ſit quando & quomodo Clarauallenſe monaſterium ſuprema Abbatia in eo ordine Ciſtercien. fuerit.*

Hinc verò obiter coniector, D. Bernardũ non ſolùm non fuiſſe inſtitutorem illius ordinis, verùm etiam neque vnquam fuiſſe ſupremum Prælatum illius: nunquam enim fuit Ciſtertienſis Abbas, ſed tantùm Clarauallenſis, cuius monaſterij & fundator, & primus ac perpetuus Abbas, quandiu vixit, fuit: monaſterium autem Clarauallenſe à Ciſtertienſi ortum habuit. Nam illius Abbas Stephanus triẽnio poſtquam Bernardum in monaſtũ receperat, illum cum aliis monachis ad fundandum monaſterium miſit, quod poſtea Clara vallis vocatum eſt, eique in Abbatem Bernardum præfecit, qui ſemper ibi perſeuerauit: conſtat autem Abbatem Clarauallenſem ex vi ſuæ dignitatis nunquam fuiſſe aliis ſuperiorem: nunquam ergo Bernardus vniuerſalem prælationem in ſuo ordine habuit. neque enim alicubi legimus, per ſpecialem electionem aut conceſsionem ei fuiſſe aliquando datam. Neque hoc minuit Bernardi authoritatem, ſed auget potiùs, tantæ enim fuit inter ſuos æſtimationis, vt cũ ratione iuriſdictionis vniuerſalis Prælatus non eſſet, nihilominus vt communis parens ab omnibus habitus ſit, propter eximiam eius ſanctitatem, & religioſam, ac ſpiritualem doctrinam: & quia re vera fuit fundator plurium, ac ferè omnium monaſteriorum illius ordinis. De quo hæc dixiſſe ſufficiat: nam reliqua, quæ ſcholaſtica ſunt, & propria noſtri inſtituti, non requirunt ſpecialem doctrinam, ſed applicationem eius, quę generatim data eſt.

VII. *De Cluniacenſibus quoad eius ſuborationem à Benedicto.*

Et ob eandem cauſam nihil ferè dicam de multis aliis religionibus monachalibus regulam S. Benedicti profitentibus, & quæ ab illa per nonnullas accidentales mutationes dimanarũt: in omnibus enim eſt idem vitæ inſtitutum, & earũ diuerſitas in paucis rebus ſeu conſtitutionibus conſiſtit, quæ ab vniuſcuiuſque profeſſoribus ſciri debent, ſi talis profeſsio durat, nonnullæ enim iam extinctæ ſunt, & aliæ rara habent monaſteria. Itaque in hoc ordine ponimus congregationem Chamaldulenſem, quæ in Italia paucos quidem habet conuentus, magnæ tamen religionis, & æſtimationis, cœpitque anno nongenteſimo ſexageſimo ſeptimo, authore S. Romualdo, quamuis ipſo viuente à reliqua familia S. Benedicti quoad obedientiam & vnionem ſeparata non fuerit, ſed ſolùm quoad habitationis modum, & quoad ſilentium, ieiunia, & alias aſperitates, ob quas tandẽ authoritate Alexandri II. familia Chamal-

Chamaldulensis approbata est, & separata à reliquo ordine S. Benedicti: quia tanta diuersitas non poterat commodè in eodem corpore, & sub eodem regimine conseruari. Nam Chamaldulenses non vtuntur communi habitatione ad dormiendum, vel ordinariè comedendum, sed singuli cellas habent quasi domos separatas, & solùm dominicis, ac festis diebus ad diuina officia conueniunt, & duodecies tantùm in anno simul cibum sumunt; reliquo autem tempore solitariam vitam, & silentium seruant, & orationi, ac lectioni, vel labori manuum dant operam. Itaque Carthusianis simillimi sunt, & colore etiam albo vtuntur, & à carnibus abstinent, quamuis non tempore morbi, vt Carthusiani.

VIII. *De alio ordine Vallis vmbrosæ, etiam deriuato ex Benedictino.*

Alius ordo post Chamaldulensem ortus fuit qui Vallis vmbrosæ dicitur. Eiusque author fuit S. Ioannes Gualbertus, qui prius fuit monachus Cluniacensis ordinis in conuentu S. Miniatis; postea verò ad Chamaldulenses peruenit, non tamen eorum institutum professus est, quia cœnobiticam vitam potiùs quàm eremiticam affectabat, vt historiæ referunt, ideoque postquam per aliquot dies Chamaldulensium mores, & vitam est contemplatus, inde discessit, & cum aliquibus sociis in loco commodo, *Vallis vmbrosa* nominato, monasterium S. Benedicti erexit, propriis quibusdam austerioris vitæ obseruantiis & constitutionibus ad perfectiorem regulæ custodiam adiunctis. Præcipuè verò in clausuræ obseruatione religio hæc in principio excelluit; habitus verò illius idem ferè est qui S. Benedicti, in colore tamen aliquantulum diuersus, quamuis non sit albus, sed medij coloris. Atque hunc etiam ordinem approbauit Alexander II. anno 1070. quamuis in hoc annorum numero nonnulla sit in authoribus diuersitas.

Anton. 2. p. tit. 15. c. 17. Surius to. 4.

IX. *De quibusdam aliis similiter deriuatis.*

Atque eodem ferè tempore post quinque aut sex annos instituta est alia familia eiusdem ordinis & regulæ S. Benedicti, opera quorūdam virorum nobilium Mediolanensium, qui dictus est ordo Humiliatorum, & ab Innocentio III. tandem cōfirmatus est, postea verò à Pio V. omnino fuit sublatus, & ideo de illo plura dicere necesse non est. Sunt etiam qui in hoc ordine ponant ordinem Grandimontēsem: sed non inuenio huius rei sufficiens fundamētum, vt sequenti cap. dicam. Præterea ordo Cœlestinorum, Guillielmitarum, qui alio nomine Montis Virginis appellatur, & ordo montis Oliueti, ac denique ordo Sylueſtrinorum, qui omnes in Italia vigent, & sub distinctis Generalibus seu primariis Abbatibus militant, Benedictinæ regulæ sunt, & ferè eiusdem religionis; & sicut de aliis dictum est, solùm in aliquibus obseruantiis, & aliquantulum in habitu differunt. Circa eorum autem originem & progressum nihil peculiare ad nostrum institutum pertinens occurrit; & ideo legi possunt historię, quę de illis fusius tractant.

CAPVT IV.

An ordo Carthusiensis sit perfecta monachorum religio? Deque eius origine & obseruantia.

I. *Origo Carthusiensis ordinis.*

DE tribus, vel quatuor aliis monachorum ordinibus possumus hoc loco breuem mentionem facere. Primus est Carthusiensis ordo, qui inter monachales omnes arctior reputatur, tum ex institutione, tum ex perseuerentia in illa: quia de suo primo rigore minus remisit. Cœpit autē hic ordo anno Domini 1084. iuxta Sigisbertum in Chronico, vbi sic inquit, *Bruno natione Theutonicus ex vrbe Colonia Lutetiæ apprimè eruditus, Rhemēsis Ecclesiæ canonicus, & scholarum magister, relicto seculo, eremū Carthusiæ fundat, propositumque monasticæ conuersationis satis arduum instituit.* Idem referunt Antoninus 2. p. tit. 15. c. 22. & latè Surius to. 5. die 6. Octobris, Dionysius Carthus. opusculo de laudibus ordinis Carthusiani. Apud quos legitur tremendum exemplum, quod Brunum, & sectatores eius excitauit ad illud vitæ genus assumendum, quod omitto, quia satis vulgatum est. Nō fuit autem hic ordo institutus sub aliqua ex antiquioribus regulis: nec referunt dicti authores quænam statuta, vel constitutiones ab ipso B. Bruno à principio habuerit, sed solùm ædificasse in illa solitudine Carthusiæ, Ecclesiam, & non procul ab illa cellulas inter se aliquantulum separatas, ne alter alterius quietem & solitudinem perturbaret.

II. *Quod eius institutum.*

Vnde cōstat institutum illud ab initio fuisse maximè contemplatiuum, & proximè accedens ad solitariam seu eremiticam vitam, quamuis de cœnobitica multum semper participauerit. Subiungit autem Surius hæc verba, *Atque in iis singulis cellulis bini fratres degebant, & quemadmodum prisci illi Aegyptii monachi silentio, orationi, lectioni, cordis puritati, & rerum diuinarum contemplationi vacabant; certis etiam horis operi manuum, præsertim conscribendis libris incumbentes, tum vt suæ inopiæ consulerent, tum etiam vt ne quam darent occasionem illis, qui quærunt occasionem sanctum eorum institutum calumniandi, quod nullam Ecclesia Dei nauarent operam, sed suis duntaxat rebus studerent.* Et inferiùs subdit, quòd licet precibus; & vitæ puritate ac innocentia multum possent Ecclesiam Dei iuuare, *tamen sanctissimi patres nostri* (inquit) *qui Carthusianæ vitæ prima iecerunt fundamenta, nihil tale sibi tribuentes libris scribendis etiam operam dare studuerunt; & vt sui successores id facerent hortati sunt, vt saltem manibus verbum Dei prædicarent, quando ore non possunt; sic enim* (ait) *loquuntur statuta Patrum antiquorum.* Vnde constat illud institutum quoad substantiam & finem eius, idem esse cum instituto antiquorum monachorum, principaliter quidē contemplatiuum cum ea mistione alicuius externi laboris vel operis manuum, quæ ad leuandum fastidium, & vitandum otium sufficiat. Nam quòd hæc opera externa cedant in spiritualem vtilitatē proximorum, accidentarium est ad finem illius instituti: in quo etiam per se non est studium literarū: quando verò contigerit aliquem doctum & eruditum profiteri illam religionem, tunc maximè locū habet quod Surius ait, non repugnare, imò esse cōsentaneum perfectioni illius instituti, actionem aliquam seu scriptionem proximo vtilem efficere eo tempore, quo aliàs operi manuum vacandum esset: nam quò actio illa fuerit perfectior, & ex maiori charitate, eo erit magis consentanea tali instituto, non tam ex speciali ratione sui, quàm ex generali, faciendi quod melius est.

III. *Distinctio eius ab aliis monachalibus, præsertim abstinentia à carnibus.*

Differt autem hęc religio à cæteris institutis monachorum in propriis constitutionibus & obseruātiis, quæ, vt verisimile est, ab ipso S. Bruno inchoatę fuerunt, & postea discursu temporis, per prælatos, & generalia capitula perfectę & consummatæ sunt. Inter quas nonnullæ sunt grauiores, & specialiter adnotandæ, quia vel nonnullam difficultatem habent, vel singularem rigorem & obseruantiam ostendunt. Prima est de abstinentia à carnibus, quæ tanta integritate obseruatur, vt propter nullā causam vel necessitatem etiam extremam mortis vitādæ hanc legem transgrediantur: quod an licitè facere possint, à Theologis dubitatum est. Quia est contra obligationem naturalem, quam homo habet conseruandi vitam, contra quam nulla lex positiua, præsertim humana obligare potest, imò nec votum ieiunandi, vel abstinendi cum tali circumstantia videtur posse obligare, imò nec seruari: quia est indiscretum, & in detrimentum vitæ, quæ non est hominis, sed Dei.

IV. 1. Casus in quo non licet Carthusiano monacho abstinere à carnib.

Circa hoc ergò duo casus distinguẽdi sunt. Vnus est, quando extrema necessitas oritur ex defectu alterius cibi, ita vt sit certum periculum moriendi fame, nisi carnes comedantur: alius est, quando tãtùm est ordinarium periculum ægritudinis, & medicus iudicat esse moraliter necessarium esum carnis ad resistendum ægritudini. In priori casu censeo non esse licitum seruare tale statutum, propter rationes factas; & quia in eo casu talis abstinẽtia nullam habet rationem virtutis: quia neqae ad proprium personale bonum talis abstinẽtia ad aliquid vtilis est: neque ad aliquod bonũ commune. Quod enim emolumentum proueniet religioni ex eo quòd religiosus moriatur ne carnes comedat. Dices, ipsamet inuiolabilis obseruatio legis est magnum bonum commune: sicut Machabæi dederunt vitam, ne comedendo carnem suillam, legem violarent. Respondetur, si lex humana præciperet expressè non comedere carnes etiam in eo casu, iniqua esset, & irrationabilis, quia esset legi naturæ, & charitati contraria, & sine necessitate præciperet prodigere vitam. Vnde quando constitutio simpliciter fertur, non comprehendit casum illum, ideoque tunc abstinere à carnibus non esset seruare legem, sed agere contra animam eius, quæ est charitas. Exemplum autem Machabæorum non est ad rem: quia in illo non erat necessitas naturalis (vt sic dicam) & intrinseca, sed erat violentia in contemptum religionis illius temporis: in quo casu prodigenda est vita, non per se propter abstinentiam, sed propter confessionem fidei, & honorem religionis. Sicut nunc etiam in extrema necessitate ob defectũ aliorum ciborum potest, & debet Christianus comedere carnes feria sexta: si tamen à tyranno cogeresur in cõtemptum religionis, & Ecclesiastici præcepti, nec deberet, nec posset: quia consentiret errori eius.

V. 2. Casus in quo licet utiã cum periculo vitæ.

In posteriori autem casu licitum esse existimo obseruare inuiolabiliter illam abstinentiam, non obstante ægritudinis periculo, aut necessitate. Ratio est, quia talis abstinẽtia potest pertinere ad magnum commune bonum illius religionis, ne illa occasione aperiatur via relaxandi sanctam illam obseruantiam in tali religione. Nam ordinariè ac regulariter loquendo, esus carnium non est adeò necessarius ægrotantibus etiam cum periculo mortis, vt si omittatur, phyficè, aut moraliter fiat ineuitabilis mors: quia ordinariè sunt alij cibi, & alia media, quibus possit vita, etiam in illo statu conseruari sine læsione, quantum est ex parte cibi. Quamuis ergo in aliquo casu possit necessitas esse maior, & vita periclitari abstinendo à carnibus; nihilominus si ea occasione permittatur, necessarium erit arbitrio medicorum talem dispensationem relinquere, atque ita facilè fieret extensio ad plures alios casus non adeo necessarios: hoc ergo ne irrepat, potest esse sufficiens & rationabile motiuum, absolutè, & indifferenter abstinendi à carnibus etiam in simili periculo, non obstante medicorum iudicio; nisi contingat cum hoc secundo casu coniungi priorem. Vt si ægrotus nullo modo valeat aliis cibis vti, siue ob pecuniam, siue ob conditionem ægritudinis: nam tunc fame potius, quàm ægritudine mori fineretur. Atque ita huic quæstioni respondent Gerson proprio tractatu de hac re, alphab. 39. lit. E. Maior in 4. d. 38. q. 24. Martinus de Magistris, q. de Abstinentia, & melius Victoria in Relectione de Temperantia, num. 8. & sequentib. qui licet in principio sit dubius, & in vtramque partem proponat argumenta, tandem in hanc resolutionem inclinat.

VI. De obseruantia clausuræ.

Alia ex præcipuis obseruantiis Carthusianorum est perpetua clausura, de qua inquit Nauarr. Comment. 4. de Regularib. n. 30. in hunc modum, *Hanc legem clausuræ iure communi statutam, aut confirmatam Carthusi. in partim statutis, partim consuetudine inuiolabiliter obseruata adeo auxerunt, vt earum clausura videatur quidam carcer perpetuus.* Et ibidem refert particulares constitutiones eiusdem ordinis circa huiusmodi clausuram, quæ in summa continent primò, quòd Prior Carthusiæ, scilicet Generalis, nunquam terminos sui eremi egreditur: alij verò exire possunt cum licentia Prioris Generalis, & non aliter: quamuis ex quo incipiunt esse Priores, vsque ad Capitulum generale, possint septies exire pro vtilitate domus, & in Curias etiam Prælatorum, aut Principũ ad necessaria negotia tractanda. Alij verò priuati monachi nunquam egrediuntur nisi de licentia Prioris Generalis, & necessitate vrgente, vel nisi mittantur ad suscipiendos ordines, vel ad habitandum in alio monasterio sui ordinis, vel nisi eligantur in Superiores, Visitatores, vel vt eant ad Capitulum generale: vel nisi necessitas belli, aut alia similis eos cogat: ac denique mitti etiam possunt ad grangias seu villas sui conuentus. ex 3. p. statutorum antiquorum §. 11. Potest etiam in hac clausura cõsiderari, quòd ferè maiori parte temporis debent iuxta constitutiones suas intra cellam manere: possunt tamen intra suam clausuram statutis temporibus exire: extra clausuram autem, & intra terminos sui eremi egrediuntur semel, aut bis in hebdomada, non tamen priuatim, sed communiter cum conuentu, animi relaxandi gratia, cum mensura tamen, & religioso modo in suis constitutionibus præfixo. Vnde constat ordinem hunc perfectam satis, & rigorosam clausuram seruare. Existimoque ratione illius obtinuisse religionem hanc inter alias. prærogatiuam, vt ab omnibus aliis trâsitus ad illam liceat iure communi, in Extrauag. *Viam ambitiosa.* de Regularib. & ferè iuxta omnia priuilegia religionum, nam hoc factum videtur propter maiorem securitatem, quæ moraliter loquendo, & quãtum humano modo iudicari potest, maior est, vbi tanta clausura, & separatio à conuersatione secularium seruatur: præsertim cum coniuncta sit cũ tanta vitæ austeritate, & iugi diuinarum rerum contemplatione. Quæ omnia sunt etiam aptissima media ad magnam perfectionem consequendam.

Priuilegium transitus ad Carthusiam non est iuris communis.

VII. Quis sit ius commune circa transitum à religione.

Aliqui verò contendunt licitum esse quantum est ex vi iuris communis transitum à Carthusiensi ad aliquem alium ordinem, vt iam in præced. tract. atu lib. 3. c. 9. à num. 14. attigi. Ita censent religiosi Prædicatores in suis constitutionibus. dist. 1. c. 13. §. 4. cum declaratione; & Sylvest. verb. *religio* 4. q. 6. refert ita fuisse Parisiis declaratum, & Nauar. consil. 68. de Regularib. iuxta primam impressionem, quæstionem mouens de transitu Carthusiani ad Minores, dicit, in foro conscientiæ posse fieri, si bona intentione, sine scandalo, cum debitis circumstantiis fiat. Quia, licet ius concedat transitum à mendicantibus ad Carthusianos, non tamen prohibet è conuerso transitum Carthusiani ad mendicantes; & alioquin dictæ religiones mendicantes reputantur à suis professoribus, & strictiores, & perfectiores aliis, etiam Carthusia, vt de sua expressè dicunt Prædicatores in citato loco fuarum Constitutionum, & de sua sensit S. Bonau. in quæstionibus circa suam regulam, q. 13. & latè Corduba super regulam S. Francisci c. 2. q. 17. & senserunt aliqui Canonistæ, vt intelligi potest ex Ioanne Andrea, & Panormit. in c. *non est.* de regularibus.

Carthusiæ.

ad aliquam religionem.

VIII. An & in quibus religiones inter se non comparare, sed omnes venerari, & singulis tribuere quod iure illis concessum est.

Sed ego in hoc opere decreui religiones inter se non comparare, sed omnes venerari, & singulis tribuere quod iure illis concessum est. Ordini ergo Carthusiæ hoc concessum inuenio, vt ad ipsam liceat transire à mendicantibus. Quod autem ab ipsa ad mendicantes liceat transitus, scriptum nõ inuenio in iure, neque in aliquo priuilegio specialiter concef-

concesso. Dare autem hanc licentiam per illam generalem regulam iuris, *quod transitus ad arctiorem religionem est licitus* non videtur mihi tutum, tum quia ius concedens transitum ad Carthusiam, videtur supponere illam esse arctiorem, vel saltem æqualem in arctitudine, & securiorem: tum etiam quia si transire ad Carthusiam non est retrò respicere, vt etiam supponit illud ius: ergo transire à Carthusia ad alias, vel est retrocedere, vel certè non est vlterius progredi: ergo non licet sine speciali concessione. Tum etiam, quia videtur nimius ausus hanc licentiam dare, propter solum priuatum iudicium de excellentia alterius religionis, præsertim in causa propria. Vnde Nauar. dict. Comment. 3. de Regularib. n. 32. concludit, à Carthusia ad nullam aliam religionem transiri. & Maior in 4. d. 38. q. 13. dixit, nullam inter religiones omnes Carthusiam in bonitate, & securitate excedere; quam assertionē prosequitur, & declarat latè, & cum non positiuè, sed negatiuè comparationem faciat, tolerari potest. Nauar. verò cons. 10. de Regul. in prima impressione, absolutè ait, Carthusianos notabiliter esse austeriores mendicantibus, etiam Minimis, quos cæteris in austeritate præfert. Quæ cōparationes verū habent quoad aliquas austeritates exteriores, simpliciter autem priuatū iudicium dare difficile est.

IX. *De approbatione huius religionis.*

Vltimo ex dictis constat, satis multumque esse religionem hanc ab Ecclesia approbatam. quando verò hæc approbatio cœperit, interrogari potest. Refert enim Gerson p. 2. alphab. 39. lit. D. quosdam obiecisse ordini Carthusiensium, quod confirmatus non esset: ad quam ipse respondet, primum fuisse approbatam more antiquarum religionum: quia per centum triginta annos antecessit religiones mendicantium, & consequenter etiam præcessit illi iuri canonico, quod specialem approbationem scriptam requirit; quare ipso vsu, & sanctitatis exemplo, & generali Ecclesiæ acceptatione approbata est. Aduertit autem Surius in vita S. Brunonis, Apostolicam Sedem statim ab initio eam complexam fuisse, Brunonemque cum primum monasterium Carthusiæ fundasset, vocatum fuisse ab Vrbano II. Pont. Max. & cum illum apud se retinere voluisset Pontifex, scripsisse eundem Pontificem in fauorem monachorum Carthusiæ, vt eis eremus illa concederetur, vt in ea secum vitæ institutum prosequerentur. *Et hæ* (inquit) *fuerunt primæ literæ* Romani Pontificis de Carthusiano instituto, quæ magno sunt documento, ab ipsis Carthusianæ religionis initijs eam à Sede Apostolica approbatam esse. Deinde verò multis alijs priuilegijs, ac deniq; in citato decreto sæpius confirmata est. Referunt denique Gerson, & Maior, non defuisse qui perfectionem huius ordinis diminuere voluerint, eo quòd nec plures habeat sanctos canonizatos, nec multis miraculis fulgeant: quibus ipsi latè respondent, hæc signa non esse necessaria ad perfectionem, & optimum ac sufficiens esse exemplum perfectæ sanctitatis, præsertim cum perseuerantia tot annorum, in quibus rigor primus illius religionis ferè in nullo diminutus est.

Quid de viris in hac religione insignibus.

CAPVT V.

An regula S. Hieronymi, aut alia monachalis, sub regula Augustini militet?

I. *De Eremitis ante ex religionibus mendicantium. hic non agitur.*

PRæter religiones monachales, de quibus hactenus diximus, sunt aliquæ nunc in Ecclesia, quæ licet profiteantur regulā Augustini, quæ antiquior est quàm regula Benedicti, nihilominus recentiores sunt: nunc enim non agimus de religione Eremitarum S. Augustini, quam non inter monachales, sed inter mendicantes ponimus. Antiqui autem monachi seu eremitę S. Augustini non retinent nunc eundem statum, & viuendi modum, quem primitus habuerunt, sed vel ad mendicantium statum, qui longè post Augustinum institutus est in Ecclesia, translati fuere, de quo postea in c. 9. videbimus, vel adiunctis proprijs obseruantijs, & constitutionibus, in nouos monachales ordines transierunt.

II. *Grandimontensis ordinis fundator. Azor. to. 1. lib. 11. ca. 21. Hieronym. Roman. to. 1. lib. 6. de Rep. Christiana. c. 9.*

In his ergo in primis numerari potest ordo appellatus *Grandimontensium*, qui circa annum Domini 1080. à quodam Stephano Albanensi viro religioso inchoatus est. Et quidam referunt, eum inchoasse sub regula S. Benedicti: alij dicunt militare sub regula S. Augustini. Mihi de eorum instituto non satis constat. neutrum enim ex dictis declarant antiquiores historiographi, vt videre licet in Vincentio lib. 25. cap. 46. & Antonino 2. p. tit. 15. cap. 21. qui aiunt, Stephanum peragratis multis eremis, & de Canonicorum, & monachorum, & Eremitarum vita, quæ imitanda sunt, memoriæ commendans, in Aquitania prope Lemouicas ad montem nemorosum qui Muretum dicitur, primum monasterium sui ordinis ædificasse. Vnde potiùs significat nullam specialem regulam assumpsisse, sed ex omnibus, quæ viderat, & expertus fuerat, suum peculiarem viuendi modum instituisse. Vnum verò referunt in illo viro specialiter notandum, scilicet, cùm Muretum solus peruenisset in locum solitarium, & contemplationi aptissimum, ibi se Deo seruiturum omni tempore spopondisse, & cum quodam annulo (ait Antoninus) quem de omni substantia mundi tantùm habebat, semetipsum castissimum virginem desponsauit dicens, *Ego Stephanus diabolo abrenuncio, & omnibus pompis eius, & efficio me, ac reddo Deo Patri, Filio, & Spiritui sancto, Joribe. sque professionem suam, posuit super caput suum, fundens orationem ad Iesum Dominum, & matrem eius Virginem.* Qui professionis modus nouus est, & singulari Spiritus sancti instinctui attribui potest: tamen in rigore illa professio nec fuit, qualis nunc est per vota solennia, neque constituebat verum religiosum, cùm vota paupertatis, & obedientiæ non haberet.

III. *Quando cœperit hic ordo esse propriè religio.*

Postea verò cum diuulgata eius fama multi discipuli ad illum congregati fuissent, religiosum monasterium fundatum est, ac tandem annuente etiam Summo Pontifice tacitè, vel expressè, propria & perfecta religio esse cœpit. Accidit autem vt post mortem Stephani fratres S. Augustini litem mouerent monachis S. Stephani, contendentes locum illum Mureti, ad ius suum pertinere. Illi autem remedium à Deo postulantes, & in Missa humiliter Deo supplicantes, vocem hanc audierunt, I^s *Grandi monte, in Grandi monte*: & ita in locum illum, & monasterium totum, & corpus fundatoris transtulerunt.

IV. *Non videtur institutus sub regula S. Augustini.*

Ex qua historia, quæ communis est, duo colliguntur, vnum est, vnde sit hic ordo Grandimontensis vocatus: aliud est, non esse admodum verisimile, Stephanum fuisse monachum S. Augustini in aliquo conuentu, qui antea fundatus esset in *la S. Au*loco illo Mureti, quia nulla mentio talis conuentus est in historijs, sed solùm de lite mota à fratribus Augustinianis, qui fortasse in aliquo vicino monasterio viuebant, & ius aliquod in solum illud, quamuis syluestre, & desertum prætendebant, præterquam quòd id repugnat modo professionis superius relatæ. Vnde etiam non est verisimile sub regula S. Augustini hunc ordinem fuisse fundatum, alioqui in illo principio potiùs habitus fuisset vt reformatio eiusdem ordinis, quàm vt ordo diuersus, neque esset tanta occasio contentionis, præsertim si reformātio ex eisdem fratribus facta fuisset, vt Fr. Hieronymus Romanus vult.

V. *Nec sub regula S. Benedicti, sed de suo instar Carthusiæ. Vide Vela terr lib 12. & Polydor Virgil lib 7. cap 2. Vide Cassabeum in catalog glor. mund.*

Neque etiam inuenio fundamentum ad asserendum, institutum esse sub regula S. Benedicti, vel sub aliqua alia antiquiori, sed verisimile est, sicut religio Carthusianorum cum proprijs statutis absque alia regula eodem fere tempore fundata est, ita & hunc ordinem inuenisse proprium viuendi modum. Qualis autem hic fuerit, in particulari nobis non constat, sed solùm esse ordinem monasticum, contemplationi, & psalmodiæ deditum, cum magna solitudine & austeritate corporali, cum magnis ieiunijs etiam in pane & aqua. Et de fundatore specialiter refertur, quod incedebat indutus lorica ferrea contra carnis tentamenta; quem morem in totum ordinem introductum fuisse quidam aiunt. Refert item Platina in Ioanne XXIII. alias XXII. Pontificem illum, ordinem hunc aliquantulum iam labefactatum instaurasse, & additis quibusdam institutionib. in meliorem formam redegisse. Huius vero ordinis nulla habemus in Hispania monasteria: an verò in Gallia duret, vel in alias prouincias propagatus fuerit, incertum habeo.

VI. *De ordine Præmonstratensium ex Regula S. Augustini descendente.*

Secundò loco possumus in hoc ordine ponere ordinem Præmonstratensium, nam illum monachalem vitam nunc profiteri, & habitum portare manifestum est, & regulam S. Augustini profiteri. Cœpit autem hic ordo anno 1120. quamuis in hoc nonnulla sit differentia inter authores, ex quibus quidam aiunt fuisse approbatum à Paschali II. alij à Gelasio II. alij verò ab Innocentio II. Primùm autem huius religionis fundatorem omnes referunt fuisse Nortbertum virum nobilem Lotharingia oriundum, qui factus Presbyter, & habitu paupertatis assumpto, ac nudis pedibus incedens, prædicare cœpit verbum Dei, & à Gelasio Papa II. licentiam & authoritatem illud munus præstandi obtinuit. Postea verò Calixtus Papa eum Lugdunensi Archiepiscopo commendauit, cuius authoritate in quodam loco *Præmonstratum* dicto vitam solitariam agere cœpit, & postea tredecim socios cõgregauit, & cum eis secundùm canonicę institutionis normam, & regulam S. Augustini religiosam congregationem inchoauit: postea verò quadraginta clericos cum multis laicis secum iam habens, professionem omnes fecerunt iuxta institutionem Apostolicam, & regulam B. Augustini, & ad voluntariam paupertatem, cæterasq; religionis obseruãtias eos instituit: & adeò sanctè vixit, & intra breue tempus in longinquas regiones Angliæ, Hispaniæ, Burgundiæ propagata fuerit eius religio. Quæ omnia sumpta sunt ex his quæ referunt Surius die 6. Iunij, & Antonin. 3. p. tit. 15. cap. 19. & tit. 17. c. 1. §. 3. Vincentius, & alij. Ex quibus videtur colligi ordinem hunc in principio fuisse Canonicorum regularium reformatorum, quamuis non constet, an in principio vsi fuerint hi religiosi communi habitu Canonicorum regularium, vel aliquo proprio habitu monachali. Nunc verò huiusmodi habitum deferunt, præsertim in Hispania: in alijs verò Prouincijs Canonicorum rochetum, seu lineam vestem albam deferre dicuntur: quia iuxta sua statuta possunt in hoc consuetudini vniuscuiusq; regionis sese accommodare. In reliquis nihil habet speciale hæc religio: nam ex instituto contemplatiua est; nullam verò specialem austeritatem profitetur, sed constitutiones habere dicitur ordini Canonicorum regularium accommodatas, seu similes.

VII. *Ordo nuncupatus S. Hieronymi ab Augustini regula deriuatus.*

Tertiò ac præcipuè possumus hoc loco numerare ordinem Eremitarum S. Hieronymi, sub quo patrono tam in Hispania, quàm in Italia ordo monachalis inuenitur, non tamen cõstituunt vnum corpus religionis, neque secundùm eandem regulam profitentur, qualis ex eadem radice prodijsse videantur. Cœpit ergo hæc religio in Hispania in eo loco, in quo nunc situm est monasterium S. Bartholomæi, quod ab oppido vicino, de Lupiana dicitur. Circa annum enim Domini 1370. nonnulli viri eremiticam & austeram vitam agentes ibi congregari cœperunt, cùmque & numero, & vitæ sanctitate augerentur, tandem religionem fundare decreuerunt, ad quod obtinendum, præcipuum quemdam ex sua societate virum, fratrem Petrum Fernandez appellatum, Romam miserunt, qui à Gregorio XI. confirmationem obtinuit, & simul cum socio in manibus Pontificis professionem emisit, & in Hispaniam rediens aliorum fratrum professionem recepit, & propterea nonnulli hunc Petrum Ferdinandum huius ordinis fundatorẽ vocant: Nam, licèt D. *Hieronymi* appelletur, certum est non fuisse ab illo fundatum, quia ferè per mille annos Hieronymus præcesit, quibus omnibus non legimus fuisse in Ecclesia aliquem ordinem S. Hieronymi nuncupatum.

VIII. *Cur hic ordo Hieronymum patronum habeat.*

Cur autem hic ordo Hieronymum patronum habeat, & non potiùs Augustinum, interrogari potest, quia ab Augustino habeat regulam, quam à Gregorio XI. accepit, vt secundùm eam religiosi profiterentur, ab Hieronymo autem nihil peculiare habere videtur. Dicunt aliqui, Hieronymum huc hunc ordinem, vel omnino similem Bethleem fundasse, & aliquo tempore conseruatum esse, postea verò interijsse, & ab his religiosis excitatum esse, & ideo Hieronymum tamquam fundatorem recognoscere. Veruntamen, quamuis ex ipso Hieronymo nobis constet & monachum fuisse, & monasterium ædificasse prope Bethleem, vt ipse refert in ep. 26. ad Pammachium, circa finem, *Nos* (inquit) *in ista prouincia exedificato monasterio tantis de toto orbi confluentibus obruimur multitudine monachorum, vt nec cæptum opus deserere, nec supra vires ferre valeamus.* Et in ep. 27. quæ est epitaphium Paulæ, mẽtionem facit monasterij virorum, quod ibi eius sumptibus sustentabatur, præter tria monasteria virginum. Decellula etiam, in qua manebat in Bethleem, mentionem facit epist. 61. & in lib. de nominib. Hebraicis, & multis alijs in locis ostendit semper monasticam, & eremiticam vitam affectasse, præsertim ep. 4. Quod verò peculiare institutum religiosum instituerit, aut quod regulam aliquam religiosam, vel peculiarem habitum ordinauerit, vel quod post mortem suam pro aliquo tempore habuerit proprios aliquos sui instituti imitatores sub eius titulo seu ducatu, affirmari non potest, quia nullum habet in antiquitate fundamentum.

IX. *Alius ab eodem refellitur.*

Alij verò dixerunt, D. Hieronymum apparuisse primis eremitis huius ordiuis in eo habitu, quem nunc ipsi gestant, & inde & nomen, & habitum accepisse. Sed in nulla historia fide digna hanc reuelationem inuenio, vt factam esse affirmare possim, quamuis non negem accidere potuisse. Probabilius ergo est, illos primos fundatores ex peculiari affectu & deuotione ad D. Hieronymum, illum in patronũ accepisse, & quia maximè studuerunt imitari monachalem & solitariam vitam, quam ipse exemplo, & scriptis plurimùm commendauit.

X. *De causa cessationis in primo.*

Hinc factum est, vt aliquo tempore post institutionem huius ordinis in Hispania nonnulla mutatio circa eius regulam intentata fuerit. Nam tempore Martini V. religiosus quidam eiusdem ordinis, quem aliqui Petrum de Olmedo vocant, regulam monachorum composuit, vel potius exscriptis Hieronymi concinnauit, vt qui eius ferebant nomen, illam profiterentur. Quæ regula in 9. tomo operum Hieronymi habetur: authorem autem eius Lupum de Oliueto nominat ibi Marianus Victor, & ibidem refertur approbatio Martini V. Congregatio autem huius ordinis in Hispania noluit eam mutationem admittere, seu primam institutionẽ ac regulam retinuit. Ea verò occasione ortus est in

Italia

Italia similis ordo D. Hieronymi industria & authoritate prædicti Petri, seu Lupi, aut fortasse Petri Lupi, qui sub regula à se collecta, & à Martino V. approbata monasteria cœpit ædificare in Italia quę postea multiplicata fuerunt. Et licet aliquando intentatum fuerit congregationem Hispaniæ, & Italiæ in vnam cogere, sub vno Generali, nunquam tamen obtentum est, & ita relictæ sunt tamquam religiones distinctæ: ambæ verò monachales sunt, multumque similes in instituto, & in habitu, nonnihil tamen differunt; sed præsertim in regula. Secus verò accidit in Castella, & Lusitania: hæc enim religio eodem tempore, quo in Castella orta est, cœpit etiam in Lusitania habere monasteria, opera cuiusdam religiosi, quem virum sanctum fuisse, & Fr. Vascum fuisse appellatum, historiæ referunt. An verò ille fuerit socius, aut discipulus Petri Fernandez, & aliorum eremitarum S. Bartholomæi nec ne: item an in principio monasteria Lusitaniæ, & Castellæ habuerint inter se vnionem, & subordinationem, mihi non constat. Solùm est certum eandem regulam Augustini, eundemque finem, ac vitæ modum, & sub eodem inter se habitu professam semper fuisse. Et ita, licèt antea diuersas cõgregationes sub distinctis Generalibus constituerent, facilè potuisse postea in eandem coalescere, & vnum communem Generalem eligere, vt nunc faciunt.

XI. *De iisdem instituto, & obseruantia.*

De toto ergo hoc ordine certum est, vnum esse ex præcipuis monachalibus, qui contemplatiuam vitam principaliter profitetur; maximèque excellit in cura diuini cultus, & cæremoniarum Ecclesiasticarum, & in choro, & Psalmodia, cum magna quiete, ac deuotione, ac temporis diuturnitate. Est etiam valde obseruans in clausura, & silentio, & in victu, & vestitu sufficientem obseruat non solùm religiosam modestiam ac mediocritatem, sed etiam austeritatem. De quibus rebus omnibus præter Augustini regulam, habet proprias constitutiones pro suo instituto optimas, & accommodatissimas, in quarum obseruatione peculiarem curam, & rigorem profitentur. Et hinc fit, vt hæc religio in sua prima institutione, & obseruantia ferè semper duraverit, habueritque multos viros religione insignes. Gaudet etiam multis priuilegijs Pontificijs vel proprijs, vel per aliorum communicationem. Circa quæ omnia nihil occurrit peculiarem habens dubitationem, aut declarationem postulans.

XII. *Qui sint alij ordines ius dem nominis S. Hieronymi, sed tamen diuersi.*

Solùm superest annotandum, præter hunc ordinem S. Hieronymi, quem suo modo per Italiam diffusum esse diximus, esse alios in eadem Italia, qui eiusdem nominis S. Hieronymi nuncupantur. Vnus dicitur *Iesuatorum S. Hieronymi*, à Ioanne Columbino Senense fundatus, & ab Vrbano V. Pontif. Max. anno 1367. approbatus fuit. In multis autem differunt hi religiosi à nostris Hieronymianis. Primò in regula, nam licèt in principio receperint regulam Augustini, postea dicuntur accepisse propriam à quodam suo religioso Episcopo electo, cum approbatione Pontificis. Secundò in habitu, nam vtuntur caputio quadrato à cerùice ad humeros deiecto, & pallio canusino: tertiò maximè distant in vitæ instituto, quia sacris non initiantur: vnde nec chorum, nec alia sacra ministeria profitentur, sed alijs precibus more laicorum, orationem Dominicam, & Angelicam recitando occupantur, & more antiquorum monachorum, manibus laborant, & inde sustentantur. Vnde constat huiusmodi religionem propriè monachalem esse, & in ea vestigia quędam antiquitatis conseruari, quod Ecclesiæ Christi valde vtile est. Pius cutem V. vt suprà lib. 1. cap. 8. dixi, inter mendicantes etiam numerari voluit, quia non repugnat monachalem ordinem esse mendicantem quoad paupertatem, & priuilegia. Aliæ verò duæ congregationes, quæ sub nomine Hieronymi in Italia militant, ad hunc locum non spectant. Nam vna earum, quæ dicitur Petri Pissani, ex institutione sua non est vera religio: quia nec vota substantialia in ea fiebant, nec regula aliqua approbata seruabatur. Aliqui tamen referunt Pium V. fecisse vt sub regula Augustini omnes huius instituti professores tria vota emitterẽt. Alij dicunt Pium V. hoc intentasse, sed morte præuentum non potuisse proficere. Altera verò familia, quæ vocatur S. Hieronymi in Fesulanis, licèt dicatur esse religio approbata à Gregorio XII. magis tamen accedit ad religiones mendicantes, quàm monachales, vt intelligi potest ex Paulo Moriga in sua historia religionum. *Azor. lib. 3. cap. 11. Hier. Rom. lib. 6 de Republ. Christiana, c. 22.*

CAPVT VI.

Virum religio Prædicatorum vna sit ex mendicantibus; quamque originem, & institutionem habuerit?

I. *Ordo seruandus circa religiones mendicantes.*

POst religiones monachales, dicendum sequitur de mendicantibus, quæ post illas inceperunt; & licèt in multis cum illis conueniant ab eis differũt; vt diximus, tam in fine, quam (quod consequens est) in multis obseruantijs, & conuersatione vitæ: multumq; participant de clericorum statu, ac ministerijs: & ideo veluti mistæ, & mediæ inter monachales, & clericales religiones censeri possunt. Incipimus autem à religione Prædicatorum; non quia instituamus dignitate, vel antiquitate eam alijs præferre (has enim comparationes omnino in hoc opere vitamus, quia non sumus inter eas iudices constituti.) sed quia in iure hoc ordine ponuntur: *Prædicatorũ. Minorũ Augustini, & Carmelitarum.* c. vnico. §. *fine.* de relig. domib. in 6. Et in motu proprio Pij V. edito anno 1567. qui incipit. *Romanus Pontifex tam vniuersalis, &c.* Et rursum altero incipiente: *Apostolica Sedis benignitas.* Hunc ergo iuris ordinem sequemur; quia hoc etiam iuri magis consentaneum est; vt notauit Glossa in cap. *cum dilecta.* verb. *Transponentes.* de rescriptis. Felin. in rubric. de maiorit. & obed. n. 5. & 6. Cur autem iura hunc ordinem seruauerint in his religionibus numerandis, statim in n. 3. attingemus.

II. *De fundatore religionis Prædicatorum.*

Hæc igitur sacra religio auctorem habuit magnum Ecclesiæ propugnatorem S. Dominicum; cuius vita, & sanctitas notissima est; & à grauissimis viris latè conscripta. Inter alia verò videri possunt præclaræ huius viri sanctissimi prærogatiuæ in eius ordinis constitutionibus. d. 1. cap. 15. lit. E. in declarationibus. Initium autem eius fuit tempore Innocentij III. & Concilij Lateran. sub illo celebrati, anno Domini 1215. ad quod B. Dominicus cum Episcopo Tolosano accesit; vt cum Summo Pontifice sui instituti rationem communicaret; eiusque approbationem, & confirmationem ab eo obtineret. Pontifex autem, quamuis de Dominico summam opinionem haberet, eiusque cogitationes, ac desideria valde probaret; quia tamen res noua videbatur, & difficilis, maturius de illa deliberandum censuit; remisitque S. Dominicum, vt cum socijs suis aliquam ex regulis approbatis eligerent, ad quam suum institutum, & vitæ rationẽ accommodaret; atque ita benedictionem suam & approbationem postea obtineret. Quod vir sanctus intra breue tempus perfecit; & regulam D. Augustini elegit cum consensu sociorum: quibus etiam (vt historiæ referunt) tunc placuit adiungere constitutiones aliquas ex Præmonstratensi ordine desumptas, quæ maximè ad rigorem vitæ, & obseruãtiam religio- *Castillo lib. 1. c. 17.*

religiosam pertinebant. Qua deliberatione,ac institutione facta, Dominicus Romam redijt de promissione Pontificis certus, vt confirmationem eius obtineret. Inuenit autem Innocentium iam defunctum, & Honorium III. in Sede constitutum, apud quem non minorem gratiam inuenit, statimq; sui desiderij complementum accepit.

III. *Eius approbatio inter primas solennes.*

Atque ita eius ordo approbatus fuit ab Honorio, in initio Pontificatus sui, anno Domini 1216. solenni ritu, & literis expeditis in hæc verba: *Honorius Episcopus, &c. Nos attendentes fratres Ordinis tui futuros pugiles fidei, & veræ mundi lumina, confirmamus ordinem tuum cum omnibus castris, & possessionibus habitis, & habendis, & ipsum ordinem, eius q; possessiones, & iura sub nostra gubernatione, & protectione suscipimus.* Vnde hoc videtur esse vnum ex proprijs priuilegijs huius religionis, quòd prima fuerit inter religiones omnes, quæ simileni approbationem solennem, & authenticè scriptam statim in ortu suo obtinuerit. Vt affirmat Pius V. suo motu proprio 69. *Deus nadisponente.* dicens, sacrũ ordinem Prædicatorum inter mendicantes ordines primò fuisse ab Ecclesia approbatum, & confirmatum. Ante Concilium enim Lateran. non erat adeò vsitatum in Ecclesia similem approbationem expectare, vt in superiorib. vidimus: sed necessitas eius ab eodem tempore Innocentij III. & in eodem Concilio Lateran. indicta est, & præceptum latum, ne quis deinceps nouam religionem inueniret, ca. vlt. de religios. domib. scilicet, absq; speciali, & expressa summi Pontificis approbatione. Et quamuis ante illud Concilium B. Dominicus, & Franciscus de suis religionibus instituendis tractarent; tamen eodem spiritu moti, & quia fortasse iam tunc religiones non ita approbatæ, minus benè audiebant, vterq; ad Innocentium III. pro huiusmodi confirmatione obtinenda accesit: sed anteceserit Franciscus, quia licèt esset religione, & ætate iunior, patria erat propinquior, vt Antoninus notauit 3. p. tit. 23. c. 1. Prius ergo approbationem obtinuit; sed solo viuæ vocis oraculo: nam approbationem solennem habuit multo pòst ab Honorio III. anno 8. sui Pontificatus, & 1223. Incarnationis Dominicæ. Ob hanc ergo causam dicitur ordo Prædicatorum primò approbatus, & confirmatus; tali scil. modo, & ritu solenni. Atq; ratione huius solennis approbationis verificantur, quæ de prioritate temporis ordinis Prædicatorum afferuntur in eius constitutionibus. d. 1. c. 15. lit. I. in declarationibus.

IV. *Dicta Prædicatorum religio est perfecta, etiam quoad formam vitæ, ex actiua, & contemplatiua mixta.*

Vnde constat primò hunc ordinem esse veram, & perfectam religionem, nihil enim ex omnibus, quæ diximus necessaria esse ad hunc statum, in eo desiderari potest. Dico autem esse perfectam, non solum quoad ea, quæ sunt de substantia talis status, quod est per se notum, sed etiam quoad gradum, seu excellentiam instituti; quod, vt sæpè diximus, ex finis nobilitate, & mediorum ad illum assequendum aptitudine dignoscitur. Et quidem finis is est, quo excellentior religioso statui præfigi non potuit (propria scilicet, cuiusq; religiosi spiritualis perfectio, & proximorum æterna salus) vt facilè intelligitur ex ijs, quæ superiori lib. c. 6. à n. 8. cum D. Thoma, & alijs plerisq; ostendimus. Et tractatu sequenti lib. 1. ca. 7. à n. 3. ex eodem fundamento, seu excellentia finis, iterum circa Societatem docebimus.

V. *Salus proximorum videri vnicum ordinis Prædicatorum finem.*

Est autem hoc salutis animarum propositũ adeò ingenitum huic sacro Ordini, vt videri posset in hunc solum finem institutus. Primò, quia B. Dominicus hinc planè sumpsit occasionẽ illius instituendi, quod videret Christi Ecclesiam à desertoribus hæreticis magna in dies pati detrimenta. Secundò, quia Pontifices dictum ordinem vel primum approbantes, vel deinde approbatum confirmantes, nomen *Prædicatorum* (quod munus proximi bonum respicit) appropriatè donarunt: vt in prologo ipsarum constitutionum; & latiùs in earum declarationibus dist. 1. ca. 15. lit. I. refertur. Eundem quoque ordinem varijs priuilegijs munierunt Pontifices, hoc allecti motiuo, quod *ad prædicandi officium fratres destinarentur.* Vnde huius finis, tanquam vnici, mentio fit in bulla confirmat. & in dicto prologo constitutionum, n. 3. his verbis: *Ordo noster specialiter ob prædicationem, & animarum salutem ab initio noscitur institutus, & studium nostrum hoc debet principaliter intendere, vt proximorum animabus possimus vtiles esse.*

VI. *Prædicatorum finis.*

Sed reuera magna esset peruersitas, propria neglecta, alienæ salutis finem intendere, vtpote contra debitum charitatis ordinem, vt ex propria materia constare potest. Item, quia amor proximi ex Dei amore, in quo propria consistit perfectio, quodammodo resultat. Qua ergo ratione salus proximi promoueretur, absque amoris Dei intentione? Ad hæc, omnis vera, approbataq; religio, qualis est hæc, de qua loquimur, primario ordinatur ad perficiendos subditos, siue ad alios etiam perficiendos extendatur, siue non. Præterea multa in hac religione exercitia, media sunt ad perficiendos ipsosmet religiosos ordinata; vt oratio, ieiunia, austeritatesque aliæ, de quibus statim: non ergo aliorum salutem, prætermissa propria perfectione, tanquam finem vnicum sibi proposuit. Deniq; hoc ipsum apertè satis dicitur in ipsarum constitutionum declarationibus. dist. 1. c. 15. lit. C. ad illa verba: *Promitio, &c.* Vbi exprimitur finem religionis (vtiq; quoad suos) esse charitatis perfectionem.

VII. *Dicta probant, principaliter intentum in hac religione, ab eaq; impensè procurari, non tamen qui excludit finem etiam principalem perfectionis propriæ, ita vt ambo vnũ totalem cõstent: quod etiam de nostra Societate in sequenti tractatu lib. 1. c. 2. disseremus, vbi simul declarabimus, quid in hoc fine peculiariter vindicet, ad sui distinctionem ab alijs religionibus, quæ illum quoque totaliter sibi præfixerunt. Similiter, quod ad *Prædicatorum* nomen attinet, nouum non est, appellationem accipi aliquando ab vna tantùm parte, ac magis particulari finis, quàm sit propria perfectio, quæ (vt diximus) communis est omni religioso statui. Et in materia propria exemplum suppetit. Nostra enim religio ideo ab Apostolica Sede *Societatis Iesu nomine* fuit donata, quoniam ipsi Christo in salute animarum multis modis cooperatur. Vnde nuncupatio hæc voce quidem diuersa est, re autem ipsa, prædicandi munus, quod pro hæreticis reducendis à S. Dominico opportunum, ac sufficiens iudicatum est, complectitur, & ad multa alia, sed non minùs fructuosa, rudiorũ instruendi ministeria extenditur. Cùm tamen S. Ignatius partem alteram finis, propriæ, nimirum, perfectionis cuiusque nostrum explicitè proposuerit in constitutionibus. Non ergo nomen *Prædicatorũ*, aut *Societatis Iesu*, aut simile aliud proximorum salutem respiciens, propriæ salutis, ac perfectionis finem excludit.*

VIII. *Dicitur conclusio.*

Iam, quod ad media prædicto fini idonea spectat, si consideretur pars illa finis, quæ est propria perfectio, constat in hac sacra Prædicatorum religione non desiderari. Inprimis enim de tribus substantialibus votis ordinarijs, manifestum est perfectata satis in ea nuncupari. Non enim partialem castitatem, vt militares aliquot religiones, sed omnẽ omnino materiam complectentem prædicatores profitentur. Sed quia id etiam vulgare est alicui religioni militari, nedum reliquis non militaribus, in cura certè prædicti voti obseruandi, non vulgaria media adhibent. Hic enim ordo est inprimis deditus Virgine, quæ planè omnigenæ castitati studiosissime patrocinatur, singulariter bene meritus, quippe cuius

cuius fundator S.Dominicus receptissimam in Ecclesia deuotionem, Rosarium Virginis introduxerit; atque etiam vt nu.12. referam vestis formam ab eadem B. Virgine acceperit, quæ candore suo puritatem; nigrore autem pœnitentiam, quę puritatem fouet, significabat. Abstinentiam quoq; perpetuam à carnibus, atque etiam à cœna non minore parte anni, statuto præscripsit. Cura denique honestatis, & decentię in cubando, ac diligens communis dormitorij clausura de nocte, in eisdem statutis prætermissa non est; vt patet in d.1.c.9. & 10. Satis igitur perfectè pro huius voti obseruatione, media prouidit Dominicanum institutum. Adde religionem hanc sacræ doctrinæ tam Scholasticæ, quam positiuæ studijs esse deditissimam, quæ quantopere à lapsibus contra castitatem auocent, ex D. Hieronymo, & ex ipso experimento didicimus, quemadmodum scitè consideratum est in dictis declarationibus d.2.c.14.n.1.lit.A.

IX. *De paupertatis rigore.* Quod attinet ad paupertatem, si ad eos stimulos attendamus, quos ad illius rigorem sensit eiusdem Ordinis fundator Dominicus, nihilo minores apparebunt, quam rigoris illius, quem S.Franciscus vnicè coluit. Nam licet à principio S.Dominicus, ac tota familia, more Canonicorum regularium, quoad habitum; ac bonorum dominium in communi viuerent, vt lib.1.c.8.n.8. attigimus, non multo post S. Francisci exemplo (vt eius annales tradunt) in primo generali capitulo, cui præfuit, omni prorsus dominio, etiam in communi renuntiatum est, ac bona eò vsque possessa, qua donatoribus, quà sui Ordinis, quà Cistertiensibus quoque monialibus relicta fuere. Quin etiam in eodem generali capitulo institutum est, vt soli calices ad sacrificandum admitterentur, ex argento; vt non nisi ex vili, sed mundo panno, sacræ vestes conficerentur. Lecti præterea, ac vestitus ratio satis parcè describitur in citato ca.9. & 10. Denique circa habitationum paupertatem, in d.2.c.1.n.3. ita decernitur. *Mediocris domos, & humiles fratres nostri habeant, nec permittantur curiositates, superfluitates, &c. quæ paupertatem nostram deformant.*

X. *Integer dispensatur ad communes reditus.* At enim quod ad communes reditus attinet, quoniam experientia monstrauit varia ordinis detrimenta, præsertim in studijs literarum, ad finem illum prædicationis, ac salutaris doctrinæ adeò necessarijs, iudicatum est conducere omnino, vt rigor ille ex ea parte remitteretur. Quare etsi neque ad mitiorem regularium Canonicorum habitum, (in eum, quem B. Virgo designarat, iam antea commutatum) neque ad amplas admodum possessiones sit factus regressus, attamen anno 1475. à Sixto IV. est obtenta dispensatio, quam postea Concilium Tridentinum omnibus, præter Minores, religionibus indulsit, vt reditus in perpetuum habere liceret in communi. Nimirum intellexerunt illius Capituli Patres, vt videre est, in declaratione citati numeri 3. lit H. paupertatem non esse ipsam religiosam perfectionem, sed eius instrumentum, siue medium; ideoque pro exigentia finis à religione intenti, esse attemperandum: quemadmodum etiam S.Thomas 2.2.q.188.art.7. copiosè disseruit; de quo iterum in sequenti tractatu lib.1.cap 9. & lib.4.cap. 4. circa Societatis nostræ paupertatem, rigoresque alios, sermo redibit. Hic verò declarandum esset pro mendicitate huius religionis, cùm ex non mendicante à principio, facta si mendicans ob renuntiationem redituum in communi, post regressum tamen ad reditus, non amiserit rationem religionis mendicantis. Sed hæc dubitatio tractando diuisionem religionis in monachalem & mendicantem expedita manet lib. superiore in cap.8. à num.8.

XI. Denique obedientiæ votum satis arduum est in hoc sacro Prædicatorum ordine; de quo declaratio cap.15.lit.K. in dist.1. ita habet: *Declaramus, quod religiosus non teneatur obedire Prælato in iis, quæ sunt contra tudine. præcepta Dei, & Ecclesiæ, &c. In dubiis autem tenentur omnes obedire.* Vnde à contrario palam intelligitur extendi eius voti materiam (saltem post dictam declarationem) ad id omne, quod culpam non deuoluit. quod tamen iuxta propriam regulam & institutum limitandum est, vt infrà in seq. tractatu agēdo de obedientia Societatis latiùs explicabimus. Vt autem omittam, satis arduum est instituti hunc Ordinem peculiariter ad reducendos hæreticos; quia ea de causa ad conuersandum inter illos, non sine vitæ discrimine, vtpote fidei Catholicæ hostes, est expositus. Sed & subiectionis non minimæ iudicium illud est, non posse quemlibet religiosum à correctione, quantumuis rigida, si regularis sit, appellare ad Superiorem, etiam intra religionem; prout in constitutionibus d.2.c.8.n.5. disponitur: & in declarationibus eius loci latiùs habetur. Atque hæc de medijs, quæ ad substantialem perfectionem ordinantur, sint satis.

De obedientiæ amplitudine.

XII. *De accidentariis mediis ad finem assumptis.* De medijs accidentarijs, regula scilicet, & obseruantijs alijs, sunt qui ex Carthusiensium ordine sumptas fuisse credant, fortasse quod in externo habitu aliquam præferant conuenientiam, & à carnibus tota vita, vt diximus, ex statuto abstineant. Id tamen minus probabile apparet, ex declaratione ad cap.15. num.1.lit.E. in dist.2. constitutionum, & ex historia Fr. Ferdinandi de Castillo lib.1.cap.33. vbi à B. Virgine designatum fuisse Prædicatoribus habitum refert. Itaque delegit sibi B. Dominicus in primis probatissimam sancti Augustini regulam, vt patet in forma ipsa professionis proposita in d 1. c. 15. initio, additis ad finem quasi specificum noui Ordinis, constitutionibus accommodatis, de oratione, de abstinentia, alijsque corporis austeritatibus, quas iam diximus, & amplificat etiam Castillo lib.1. cap.60. De studijs denique sacræ doctrinæ, ac prophanæ quoque ad illam capessendam requisitæ, quorum quidem studiorum curam, & prouidentiam quantam habuerit S.Dominicus, satis describitur in distin.2.cap.14. per totum, iuncta declaratione. Satis etiam probauit euentus, cùm ex eo Ordine, tanquam ex Troiano equo, vel potius arce instructissima, ad destructionem munitionū, vt Paulus loquitur, ab Ecclesiæ hostibus oppositarum, prodierint strenui propugnatores fidei, quā vel editis libris illustrem fecerunt. Inter quos S. Thomas, tanquam inter reliqua minora lumina fulgentissimum astrum, longè, latèq; coruscat. Vel ab ea deerrantes reuocauerint: vel certè in pertinaces, à Sede Apostolica Inquisitores delegati animaduerterunt; quam denique nobili martyrio fuerunt testati. Sed piget omnium catalogum texere, cùm facilè constare possint ex ipsius ordinis monumentis: imò & constare quot, & quales prodiuerint Ecclesiæ Prælati; Sacri, vt vocant, Palatij magistri; Monarcharum Hispaniæ Confessarij. Quot in celeberrimis Academijs professores primarij, vt facilè credas, omnia hæc iure penè hæreditario huic illustri Ordini obuenisse: adeò vt per annos non paucos rari fuerint in Republica literaria alicuius nominis viri in doctrina sacra conspicui, qui Dominicanæ familiæ non essent alumni.

Quot & quales inde prodierint religiosi.

Castillo fol. 205. col. 1.

Castillo, fol. 67. col 2.

Præter hanc regulam, sub qua ipse B. Dominicus sanctissimè vixit, & obijt, instituit duos alios religiosæ vitæ ordines, vnum pro fororibus; quem sanctimonia æquè, ac generis claritate non paucæ fœminæ decorarunt, vt videre licet in eiusdem religionis annalibus. Alterum pro fratribus & fororibus, primò quidem de militia Christi nuncupatis; eo quòd ad bona Ecclesiæ, ab iniustis per id tempus inua-

XIII. *Ex hoc ordine duo alii fluxerunt.*

inuasoribus tuenda instituerentur. Postea verò tanta contra Ecclesiam cessante iniuria, nuncupatis de Pœnitentia, seu de Tertia Regula. Quod vitæ genus, licèt ad essentiam religiosi status non pertingat, vt ex ipsa regula intelligitur, atque etiam ex similibus S. Francisci, & S. Augustini Tertiarijs constat, attamen à Sede Apostolica varijs priuilegijs fuit communitum: & tandem ipsis eius professoribus supplicantibus ab Innocentio VII. & Eugenio IV. tanquam pium, & laudabile confirmatum. Vide, si placet, tractatum de initio, seu fundatione huiusce confraternitatis, qui cum ipsis Prædicatorum constitutionibus circumfertur, & citatum Ferdinand. de Castillo lib. 1. c. 49.

XIV. *Concluditur institutum Prædicatorum perfectio. Castillo fol 198. & 201 p. 2.*

Non potest igitur prædictum ordinis Prædicatorij institutum non esse perfectissimum, ac in supremo gradu statuum religiosorũ numerari, cùm talem finem, taliaque media amplectatur; totque, ac tam ingentes fructus in Ecclesia Dei produxerit. Et (quod in minimis laudibus ponendum non est) cùm acerbis odijs sit impugnatum ab externis, à domesticis, discolisque religiosis turbatum; & nonnunquam ab ipsa Sede Apostolica priuilegijs exauthoratum: inconcussum nihilominus hucusq; perseuerauit.

Spoliatum.

XV. *Obseruatio prima circa idem institutum. Secunda.*

In ipsis porrò constitutionib. obseruandum primò, cas ex vi sua, ad nullam culpam obligare, vt passim in eisdem exprimitur, & declaratur. Exceptio verò de contemptu, quæ in eis fit, latè discutitur superiori tract. lib. 1. c. 4. Secundò, declarationis illius, quæ in dist. 1. c. 15. n. 1. lit. I. §. *Præterea.* habetur. ordinem Prædicatorum præstare inter alios *ratione maioris arctitudinis, & asperitatis, quod sit arctior omnibus religionibus mendicantibus ob parcitatem cibi, & longiora ieiunia.* Huius, inquam, declarationis sensum esse, hanc vnam esse ex arctiorib. religionib. secundùm quid, non vniuersim; cùm probatio illa de parcitate cibi, & longis ieiunijs non amplius conficiat. Aliæ enim sunt austeritates apud mendicantes etiam religiones, quibus (vt purè monachalem Carthusiam, de qua citata declaratio id non inficiatur, & alijs fortasse concedet) astringuntur, & commendantur, pedum scilicet nuditas, vestitus simplicitas, & asperitas, numerus præceptorum grauium non exiguus, & similes, quæ in ordine Minorum vigent. Præterquam quòd religionis arctitudo ex alijs obseruantijs eò difficilioribus, quò interioribus maximè est metienda; vt tractatu sequenti, lib. 1. cap. 9. vberiùs ostendemus.

XVI. *Tertia.*

Tertiò obseruandum declarationem alteram indefinitè prolatam, eod. cap. 15. lit. A. Nimirum *professionem solennem fecere religiosum, est q; obligationem absolutè factam*, vt vera sit, necessario intelligendam esse de obligatione absoluta ex parte vouentis; vt sumi potest ex ijs, quæ sequenti tract. lib. 3. per tria priora capita latè prosequemur. Quòd autem sensus hic sit, sufficienter colligitur ex similitudine Homagij ibidem allata; hoc enim acceptantem nõ obligat, sed dantem. Similiter, quod in lit. K. subiũgitur, professionem religiosam ab omni voto simplici liberare, non procedit de ijs simplicibus, quæ Societatis scholares post bienniũ Nouitiatus emittunt. Constat siquidem, vt sequenti tract. dicemus, donec talia vota ab ipsa Societate, aut à Pontifice relaxentur, validam vbiuis, præter Carthusiam, professionem ab eis emitti non posse. In hoc enim, sicut in plerisque alijs prærogatiuis, ea vota fuerunt à Pontificibus solenni professioni æquiparata. Non procedit rursum ea declaratio de simplici voto, etiam in seculo nuncupato, si tertiæ personæ iuri quæsito præiudicaretur, velut si quis diuini honoris intuitu voueret, largiturum se alicui pio loco bona sua, tunc enim, licèt alibi profiteretur, voti tamen simplicis reus esset. Atq; hæc de hoc toto capite dicta sufficiant. Reliqua ad hunc ordinem spectantia, sc. de creatione Prælatorum, deque eorum officijs, & obligationibus, siue regulis de forma Capitulorum, ac iudiciali correctione minutiùs persequi nostrum non est: ac sæpius citato lib. Constitutionum traduntur accuratè.

CAPVT VII.

Vtrùm religio Minorum vna sit ex mendicantibus: & quam originem, & institutionem habuerit?

SAcra Minorum religio Dominicanę germana soror est, eodemque ferè tempore nata, & vinculo charitatis iam olim tam in suis parentibus, quàm in filijs coniunctissima. Authorem habuit Seraphicum Patrem Franciscum Assisinatem, qui post conuersionem suam singularis sanctitatis prodigium fuit, & nouum humilitatis, ac mundi contemptus exemplar. Hic ergo gloriosissimus Patriarcha (omissis ijs, quæ ad initia conuersionis, & vocationis eius pertinent) de noua religione instituenda deliberauit ac decreuit anno Domini 1209. qui annus (quod mirabile est) vigesimus septimus erat ætatis illius, & quintus à sua conuersione, quia natus dicitur anno 1182. & anno 22. ætatis suæ fuit conuersus ad Dominum, hoc est anno 1204. Post quinque igitur annos socios habuit, & de religione instituenda tractauit, ac regulam scripsit, tandemque ad Innocentium III. cum duodecim socijs decessit sui ordinis confirmationem supplicaturus. Et licèt in principio repulsam passus fuerit, tandem diuina reuelatione Pontifex commotus, illam concessit anno Domini 1212. non quidem solennem, nec litens confignatam, sed viuæ vocis oraculo. Et D. Anton. 3. p. titul. 23. cap. 1. dicit solùm fuisse veluti permissionem illius status pro tunc; tamen reuera ex tunc fuit constitutus verus status religiosus. Et Franciscus cum socijs in manib. Pontificis solennem professionem fecit, fuitque à Pontifice Generalis constitutus.

I. De ortu & progressu.

Hinc verò factum est, vt licèt ordo Prædicatorum approbatus non fuerit vsque ad primum annum Honorij, nihilominus antiquitate præcellere censeatur, semperque in iure priùs nominetur, vbicumque simul nominantur. cap. *in iu.* de priuileg. in 6. cum cap. *nimis.* de excessibus Prælat. cap. *cum ex eo.* eodem in 6. cap *quorundam.* de elect. in 6. cap. *constitutionem.* de regul. in 6. Clement. *dudum.* de sepultur. Nam ordo Minorum absolutam approbationem & literis confignatam non habuit vsque ad octauum annum Pontificis Honorij, hoc est, anno Domini 1223. octo item annis post similem Prædicatorum confirmationem, atque ita hic ordo fuit secundus, qui hoc confirmationis genus in Ecclesia obtinuit. De fine autem huius sacri instituti inuenio in eius regula scriptum. *Regula, & vita Minorum fratrum hæc est, scilicet, Domini nostri Iesu Christi sanctum Euangelium obseruare, viuendo in obedientia, sine proprio.* Quæ verba valde generalia videri possunt, quia omnes religiones perfectæ profitentur viuere secundùm Euangelicam perfectionem cum illis tribus votis. Existimo tamen sanctum Franciscum fuisse loquutum de perfectione illa Euangelica, quæ complectitur etiam eiusdem Euangelij prædicationem iuxta illud Luc. 9. *Sequere me* prout infrà ab ipso Christo Domino exponitur. *Tu autem vade, & annuntia regnum Dei.* Est ergo huius religionis finis præcipuus perfectionem Euangelicam seruare, simulque illam prædicare. Et hoc supponere, Franciscus in regula, dum cap. 9. instruit fratres, non

II. Eius originem & institutionem.

non solum verbo, quomodo prædicare debeant (nã & hoc vnum est ex opusculis quæ scripta reliquit, vt in tomo 13. Bibliothecæ magnæ è pag. 348. videre licet) sed etiam exemplo sæpe ostendit: nam cum primum de religione instituenda cogitauit, prædicare cœpit exhortando homines ad pœnitentiam, verbis quidem simplicibus, tamen ignitis, & efficacissimis, quibus homines plurimum commouebat, statim etiam ac sectatores sui instituti habere cœpit, illos ad prædicandum misit, prius etiam quàm confirmationem primam ab Innocentio obtinuit, vt in Chronicis eius legitur: Visio etiam illa, qua diuinitus fuit admonitus vt labantẽ Ecclesiam sustineret, planè indicahat non solùm vitæ perfectione, sed etiã prædicatione verbi Dei, & doctrina futuram religionem illam vtilissimam Ecclesiæ, ac proinde ob eundem finem fuisse instituendam.

III. *Deperfectissimo eius medio quod est maxima paupertas.*

Præsertim verò ac singulari modo profitetur hæc religio perfectionem Euãgelicam, quoad paupertatem, & nuditatem Euangelicam, quia nihil proprium non solum in particulari, verum etiam neque in communi admittit ex vi regulæ. Sic enim intelligunt cap. 6. suæ regulæ, quod sic habet. *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rẽ.* Constat enim hoc nõ tantùm de singulis dici, quid enim necesse fuisset monere fratres, ne domos, aut loca singuli sibi appropriarent. Intelligitur ergo de vniuersis, & de tota communitate, & ideo subditur. *Sed tanquam peregrini, & aduenæ in hoc seculo in paupertate, & humilitate Domino seruientes, vadant pro eleemosynis confidenter.* Et in cap. 4. hanc paupertatem restringendo, prohibentur fratres eleemosynas petentes ne pecuniam recipiant, sed res alias victui, aut vestitui necessarias. Atque in hac excellentia paupertatis multum eminet hæc sacra religio inter alias. Fuit enim prima omnium, quæ hoc genus paupertatis in communi professa est: nam religiones, quæ præcesserunt ante mendicantes, illam non seruabant, sicut nec nunc seruant. Religio autem S. Dominici ex vi primæ institutionis, & approbationis illam non coluit, vti suprà lib. 1. cap. 8. num. 8. ostendi: neque vlla ex religionibus, quæ sub regula S. Augustini militat, ex vi regulæ illam seruat. Religio autem Carmelitarum licet ex aliquorum sententia id habuerit ex primitiua regula, tamen neque id certum est, neque quoad res omnes, vt infrà cap. 10. ostendemus. Est ergo hæc singularis prærogatiua S. Francisci, & ideo fortasse Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. de regularibus, cum omnibus religiosis faciat facultatem habendi bona in communi, Minores excipit, vt præcipuam illam regulam, & institutionem illibatam seruaret.

IV. *Hic ordo est maximè propriè vnus ex mendicantibus.*

Atque ex his constat religionem hanc esse vnam ex præcipuis mendicantibus, & quadam ratione cum maxime proprietate, & singularitate hoc nomen sibi vsurpare. Probatur, quia ex duabus conditionibus, quas diximus de facto postulari in religionibus mendicantibus, scilicet, vt vitam mistam profiteantur, & paupertatem in communi, vtraque in hac sacra religione satis perfectè reperitur: vt ex dictis patet. Et declarari potest per comparationem ad religionem Prædicatorum: habent enim se sicut excedens, & excessum in aliis duabus conditionibus. Religio enim Prædicatorum ex parte finis excedit, quia principalius, & magis ex se videtur prædicationem intendere. Item in hoc quod præcipuè videtur contra hæreticos, & ad fidei defensionem instituta: Religio verò S. Francisci magis ad commouendum Christianum populum ad pœnitentiam agendam, & ad mundi contemptum: quæ differentia in ipsis etiam fundatoribus cernitur: nã prædicatio S. Dominici maximè fuit contra hæreticos, & inde sumpsit occasionem fundandi religionem suam: prædicatio verò sancti Francisci simpliciter fuit ad curandos, & purgandos Catholicos, & licet ex feruore spiritus voluerit etiam, & procurauerit inter infideles prædicare, tamen ex diuina reuelatione statim ad suos redijt, quia reuera illa erat propria eius vocatio, & à Deo intenta, vnde etiam circa literarum studium diuersos habuerunt spiritus illi sancti Patriarchæ. Nam Dominicus literarum studium præcipuè suis alumnis commendauit. Franciscus verò in capite 10. suæ regulæ præmonuit, vt qui literas nescirent, illas non discant, vterque autem prudenter agebat eligens medium suo fini accommodatum. At verò in mendicitate, & paupertate excedit Minorum religio, tum quia, vt dixi, ex regula profitetur paupertatem in communi, quod alia sic non habet, tum etiam, quia in ipsamet paupertate in communi, singularem, magisque rigorosum modum in multis obseruat; tum etiam, quia in exteriori habitu maiorem quandam paupertatem præ se fert.

Præter hæc, quæ sunt veluti substantiales proprietates huius religionis, habet etiam plures obseruantias, ad vitæ rigorosæ perfectionem pertinentes, quas etiam magna ex parte ex vi regulæ seruare tenetur. Nam quod ad corpus attinet, præter habitus asperitatem, & tenuitatem, calceamentis solùm ob necessitatem vtuntur, iuxta cap. 1. suæ regulæ, & pedestres incedunt iuxta cap. 3. nisi necessitas, vel infirmitas cogat. A festo omnium Sanctorum vsque ad natiuitatem Christi Domini ieiunant, & ad ieiunandam aliam quadragesimam à die Epiphaniæ numerandam cum benedictione inuitantur, licèt non præcipiantur; qua ieiuniorum obseruantia aliam Prædicatorum de abstinentia à carnibus in communi refectorio satis compensant. Et iuxta hæc seruant eandem austeritatem in lecto, & in alijs corporis afflictionibus. Et ad nonnullas alias, per constitutiones, & consuetudines obligantur. Vnde concluditur religionem hanc non solùm ex fine, & medijs esse valdè perfectam, sed etiam esse satis arctam, & austeram. Nec desunt multi ex professoribus eius, qui cæteris omnibus perfectionem, & austeriorem appellent, sed hæ comparationes semper sunt odiosæ, parumque vtiles ipsismet religiosis, ac professoribus cuiuscumq; religionis. Nam vt ipsi non solùm contenti sint vocatione sua, sed etiam ad illam sint impensè affecti, satis est, vt dignè, ac perfectè de sua religione sentiant, etiamsi alijs eam præferãt. Quamuis ergo hæc religio ex fine suo valdè perfecta sit, & media habeat illi consentanea, & austerum satis vitam profiteatur, & in multis rebus alias excedat, non est tamen dubium, quin superetur in alijs, quæ omnia exactè ponderare, & ferre absolutum de comparatione iudicium, difficillimum esse existimo.

V. *De aliis modis, seu obseruantijs, huius ordinis.*

Quoniam verò religio hæc in illa celsitudine paupertatis, quam à suo authore accepit, principaliter fundata est; (nam per illam promissa est professoribus eius virtutum sublimitas, & hæreditas regni cœlorum in capite 6. suæ regulæ) hinc factum est, vt in zelo, vel tædio huius paupertatis religio sit in plures quodammodo diuisa, dum quidam tam arctam paupertatem malè ferunt, alij pro illa æmulantur. Paulò enim post Diui Francisci mortem ab Innocentio IV. circa rigidam illam paupertatem dispensationem obtinuit, & annuos reditus ac immobilia bona in communi habere cœpit, & per plures annos tota ferè religio in eo statu durauit. Nunquam tamen defuerunt primitiuæ regulæ, ac paupertatis zelatores, & obseruatores, qui se à reliquis segregarunt. Nam quidam

VI. *Varia Minoritarum familia vnde orta.*

Dilaratur excellentia cum ordine Prædicatorum.

frater Cæsarius cum paucis sectatoribus loca separata, ac solitaria petiuerunt; ibique successione continua per sexaginta, & eo amplius annos à reliqua Franciscana familia separati vixerunt. Non constat autem mihi omnino certò an sub obedientia eiusdem Generalis, vel Prouincialis viuerent, vel omnino per se congregationem distinctam constituerent, illud autem prius probabilius videtur, quantum ex monumentis eiusdem Ordinis diligentia Reuerendissimi Patris Fr. Francisci Gonzagæ colligere possum. Postea eodem spiritu separati sunt alij, qui Clareni dicti sunt, & de licentia Summi Pontificis Celestini V. omnino ab obedientia religionis exempti eremiticam vitam sub regula sancti Francisci vixerunt, qui tandem postea ad obedientiam, & vnionem totius religionis rediere, licèt in vitæ austeritate, & paupertatis puritate perseuerauerint, & separatam prouinciam per se constituerint, licèt sub eodem Generali. Postea verò tempore Clementis VI. noua reformatio in hoc ordine inchoata est, & per Italiam, Galliam, Hispaniam paulatim creuit, & in duas principales familias totus Ordo diuisus est, quarum altera proprietatem in communi retinuit, & *Conuentualium* dicta est, altera repudiauit, & vocata est *de Obseruantia*, ad quam omnes aliæ varijs nominibus nuncupatæ reductæ sunt. Et in principio quidem vtraque familia vni Prælato generalissimo parebat, qui ex Conuentualibus, vsque ad Leonem X. eligebatur, sub Leone autem X. translatum est sigillum ad Obseruantiam, ex qua Generalis totius ordinis eligi cœpit, qui nomen *Ministri Generalis* retinuit. Ex Conuentualibus autem cœpit eligi proprius Generalis, qui *magister* appellatus est, supremam etiam iurisdictionem habens, similemque confirmationem suæ electionis à Ministro generali recipiens, ex præscripto Leonis X. qui familias has in hanc concordiam redegit, sub certis conditionibus, quas peculiari bulla expedita declarauit; atque in eo statu vsque in hodiernum diem duæ illæ familiæ permanent; quibus postea tertia adiuncta est, quæ *Capucinorum* dicitur, & ex Obseruantia prodiuit, suumque quoad nonnullas prouincias, proprium Generalem habet, & in communi paupertate, ac tota regula sancti Francisci de Obseruantia conuenit, solùmque differt, quia simpliciter, & sine declarationibus eam obseruat, & asperiori aliquo modo, habitu, & forma capucij aliquantulum diuersa vtitur.

Conuentualium familia.

Familia de Obseruan.

Familia Capucinorum.

VII. *Hæc varietas arduitatem instituto Francisci arguit.*

Sed hæc diuersitas non tollit religionis vnitatem saltem specificam, vt sic dicam; nam numericam, & moralem aliquo modo auferre videtur, quia saltem vnitas capitis, seu Generalis non retinetur. Non tamen hoc indicat imperfectionem instituti, sed potiùs arduitatem, & difficultatem, quam mirum non est, in tanta hominum multitudine non ab omnibus æquè seruari, & adamari, sed illud potius magna laude dignum est, quod tot sint, nunquàmque desint illius perfectionis zelatores, quamquam fieri potest, vt qui dispensatione illa circa paupertatem in communi vti voluerunt, non remissione animi, sed bona intentione, & probabili opinione mouerentur, ad maiorem spiritus quietem, ac securitatem id conferre existimantes, sicut aliæ multæ religiones mendicantes sibi expedire iudicarunt, nec ob id creduntur à perfectione defecisse, quia paupertas per se non est regula perfectionis, sed quanta, & qualis ad perfectionem magis deseruire potest. Verum est tamen peculiari ratione in hoc instituto Diui Francisci zelum, & custodiam paupertatis in communi valde esse conformem spiritui, & vocationi talis religionis, ac proinde præferendum esse cæteris paribus, ideoque non sine speciali prouidentia Spiritus sancti Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. de regular. cum omnibus religionibus concedat facultatem habendi bona immobilia in communi, non obstante quacunque regula, excepit Minores, Capucinos, & de Obseruantia, tanquam specialiter ad hanc paupertatem vocatos.

VIII. *Diuersa inter Summos etiam Pontifices disceptatæ, vt patet in varijs decretis de verborum significatione circa ius in 6. in Clementina & extrau. Ioann. XXII. Sunt autem hæ difficultates in triplici differentia; quædam spectant ad paupertatem in communi, prout per se conuenit omnibus religionibus mendicantibus, & hæ tractatæ sunt à nobis sufficienter superiori tom. agendo de voto paupertatis. Aliæ versantur circa paupertatem quæ excludit dominium rerum omnium etiam mobilium, quæ vsu consumuntur; quæque videtur esse propria Franciscanorum; & difficultates huc spectantes magis videntur speculatiuę quàm morales, vt apud quem sit talium rerum dominium; & quomodo in rebus, quæ vsu consumuntur, seperentur vsus, & dominium, ita vt non habeat dominium, qui habet vsum pro sua voluntate. Quibus quæstiones etiam illæ adiunguntur, An Christus, & Apostoli aliquid proprium in hac vita habuerint, & an illa carentia omnis dominij ad maiorem perfectionem perineat. Quas omnes in supradicto loco pro opportunitate sufficienter attigimus, & in tom. 2. 3. p. de Christi Domini paupertate disseruimus. Et nouissime eas quæstiones erudite tractat Ioan Azor. in 1. tom. suarum institutionum lib. 12. cap. vlt. Tertium caput dubitationum esse potest, & adhuc magis proprium huius religionis; quod versatur circa vsum facti, & habet fundamentum in propria regula S. Francisci.*

IX. *Explicatur regula S. Francisci circa pecuniam recipiendam per interpositam personam, & quæ sit materia voti paupertatis specialis huius religionis.*

Vnum autem ex præcipuis dubijs est, circa cap. 4. vbi sanctus Franciscus firmiter præcipit, ne fratres monachi pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam, an hoc sit præceptum, & hæc sit materia voti paupertatis specialis huius religionis, cùm nam verba regulæ hoc videntur sonare, & ita etiam sunt à Pontificibus explicata; vsus autem videtur aliud indicare, & pro humanis necessitatib. videtur moraliter necessarium. Sed hic articulus latissimè declaratus est à Nicolao IV. in cap. *exiit.* §. *cæterum.* & à Clemente V. in Clement. *exiit.* §. *porrò.* Summa est illud quidem esse præceptum, & materiam voti paupertatis, ita tamen esse intelligendum, vt liceat per tertias personas eleemosynam in pecunia recipere, & habere cum nonnullis limitationibus; & præcipua sunt. Prima, vt pecunia intelligatur manere semper sub dominio dantis eleemosynam, quamdiu est in manu tertiæ personæ, ita vt possit ab alio libere repeti quamdiu in alios vsus consumpta non est. Secunda vt non possit à fratribus peti, nec administrari tanquam propria. Item non possint rationem eius exigere, sed fidei, ac conscientiæ depositarij rem totam committere, non peccabunt tamen (vt opinor) si remiserint, vt Dominus pecuniæ rationem à Commissario petat pecuniæ sibi creditæ, quando viderint expedire, quamuis regulariter cauendum hoc etiam sit, præsertim si dans eleemosynam tale ius sibi à principio non reseruauit respectu commissarij. Tertia est, vt solùm pro necessarijs vsibus reponatur, & expendatur, non ipsorum fratrum nomine, quorum pecuniæ non sunt, sed eius, qui eleemosynam contulit, ita vt si necesse sit contractum facere, non fratres dicantur emere, & dare pecuniam, sed alius emat pro fratrum vsibus. Quæ-

Quarta. Quarta prohibetur ibi mutuò accipere pecuniam etiam per procuratorem, quia per mutuum transfertur dominium in accipientem, & manet obligatio soluendi apud eundem: vtrumque autem repugnare constat huic regulæ, si tamen necessitas vrgeat, & desint eleemosynæ, conceditur eis, vt possint pecuniam per procuratorem recipere offerendo curam, & diligentiam procurandi eleemosynas, quibus illi satisfiat, sine obligatione propria; hoc enim in rigore non est mutuum, sed quædam eleemosyna, quamuis cum aliquo onere paupertati minimè contraria.

X. *An possint Minores contractum mutui celebrare.* Quæri verò obiter potest, an res alias, quæ pecunia non sunt, possint mutuò recipere cum obligatione ex iustitia ad soluendum; quamuis enim ex parte materiæ non ita sit eis prohibitum alias res accipere sicut pecuniam, tamen ex parte obligationis videtur æquè repugnare paupertati in vtroque genere rerum. Et simile dubium est, an possint credita pecunia emere huiusmodi res, siue mobiles vsu consumptibiles, aut permanentes vel se mouentes, siue etiam immobiles, vt terram, siue pauimentum ad fundandam domum vel Ecclesiam, aut hortum, &c. Respondeo nunquam posse ita emere aliquid credita pecunia, vt ipsi etiam in cõmuni obligentur ad soluendum illud ex iustitia in pecunia, quia hoc planè repugnat eorum instituto, quia non possunt illam obligationem implere, nisi accipiendo pecuniam, & suo nomine soluendo. Quod si alius pro illis soluturus est, non possunt illi obligari de iustitia ad factum alterius; solùm ergo possunt promittere diligentias procurandi eleemosynas, quib. talis res soluatur. Quando verò res mutuò accipitur soluenda in eadem specie, vel etiam si in alia specie, quæ non sit pecunia, soluenda sit, alia commutatione interueniente, tunc directè non fit contra hanc regulam de non accipienda pecunia, in qua nunc versamur; tamè aliunde videtur repugnare illa obligatio statui paupertatis in communi; sicut enim priuatus religiosus obligari non potest, quia nihil habet proprium priuatim, ita cõmunitas, quæ nihil habet proprium in cõmuni, obligari non potest ad quæcunque bona temporalia reddenda: & reuera ita est, si obligatio sit purè personalis; quia nemo potest obligari ad dandum, quod non habet, nec quod sperat habere solùm ex eleemosynis. Possunt tamen obligari altero è duobus modis. Primò si is qui cui obligatur intelligat inuolui conditionem, *Si per eleemosynas obtinere possint ea bona, quæ reddituri sunt.* Tunc enim non obligatur ad impossibile, & aliter non decipitur. Secundò si obligatio non sit purè personalis, sed realis, saltem implicitè, id est, si iam habeant res alias eiusdem valoris, & pretij, per quas possint in omni euentu satisfacere: nam licèt non sint earum Domini, habent tamen absolutam administrationem earum; vnde possunt illas obligare, sicut possunt etiam in casu necessitatis calicem vel rem aliam preciosam in pignus dare, & similia.

Vnus modus quo possint obligari ad reddendum mutuum, aliter modo.

XI. *Pontificias paupertatis declarationes, quamuis alij, atq; alij Minores acceptãt.* Cætera quæ hic dubitari poterant, in citatis decretis satis attinguntur & declarantur, & in superiori tomo agendo de paupertate à nobis allata sunt. Solùm hic aduerto illas declarationes Pontificum circa hanc Minorum paupertatem, solùm fratribus de Obseruantia esse vsui, nam conuentuales maioribus dispensationibus vtuntur, cùm propria bona in communi habeant: Capucini verò profitentur se nudam obseruare regulam, & illis declarationibus renunciant. Nam in hoc maximè dicuntur ab Obseruantibus distingui. Videant ergo ipsi quid voueant, & quo sensu, illudque obseruent, mihi enim de eorum more, aut vsu non satis constat. Non possunt tamen declarationem aliquã non admittere, quia votum & lex debet esse de re certa & clara. Solùm ergo possunt non admittere declarationes illas, quatenus aliquid de iure humano & arbitrarium inuoluunt, quod minorẽ fortè rigorem in dicare videtur: in quo potuerunt ipsi maiorem rigorem eligere; necessarium verò est, vt in hoc aliquid certum, & stabile declaratum habeant, ne conscientiæ facilè ligentur; quod in tanta communitate, & in rebus quæ quotidie præ manibus habentur, & necessariæ sunt, facilè potest contingere.

Vita.

CAPVT VIII.

De origine ordinis eremitarum S. Augustini.

I. *De quo S. Augustini ordine disputatio instituatur.* HActenus de proprio ordine monachorum à D. Augustino instituto nihil diximus, sed reseruauimus, quia non est adeò manifestum D. Augustinum instituisse huiusmodi ordinem, quin aliqua inquisitione, & disputatione indigeat: Et licet fuerit institutus, nunc tamen vel idem non manet, vel non sub pura, seu speciali ratione monachatus, id est, sub instituto vitæ solùm contemplatiuæ, & Eremitiuæ; sed mixtæ, & sub nomine ac ratione mendicantis religionis, qualis nunc est sacra religio, quæ *Eremitarum sancti Augustini* appellatur. De antiquitate ergo, & origine huius ordinis multa sunt ab scriptoribus præsertim eiusdem ordinis scripta, & disputata in defensionem suæ antiquitatis, quibus nos nihil addere possumus, nec litem cum alijs intendere volumus, sed ea tantum, quæ probabiliora videntur proponere, ac institutionem, authoritatem, & perfectionem huius ordinis, quæ sine dubio magna est, breuiter declarare.

II. *1. Assertio, B. Augustinum post baptismum religiosum viuendi modum iniuisse.* Primò ergo probabilius existimo Beatum Augustinum statim à principio conuersionis suę religiosam vitam professum fuisse. Id enim non obscurè colligitur ex verbis eiusdem in libro 8. & 9. Confessionum; nam in libro 8. ca. 6. & sequentibus commemorat internum bellum, quod adhuc Catechumenus patiebatur, deliberans de statu quem post baptismum accepturus erat, matrimonij scilicet, vel cœlibatus; nam ad rem vxoriam & secularia negotia propensus erat, aliunde autem exemplis, & verbis Sanctorum ad perfectionem sectandam excitabatur. Tandem verò in cap. 12. diuinam inspirationem, & mirabilem vocationem refert, qua tractus, & adiutus iam non solùm Christianam, sed etiam perfectam vitam sequi firmiter elegit. Quam cum matri narrasset, loquens cum Deo, *Exultat* (inquit) *& benedicit tibi, qui potens est vltrà quam petimus, aut intelligimus facere, quia tanto amplius sibi, à te concessum, de me videbat, quàm petere solebat miserabilibus eius flebilibusque gemitibus. Conuertisti enim ita me ad te, vt neque vxorem quæ rerem, nec aliquam spem seculi huius, stans in ea regula fidei, in qua me ante tot annos ei reuelaueras.* Hoc ergo est, quod Deus Monicæ concesserit, vltra id quod petebat; illa enim conuersionem Augustini ad fidem solùm postulabat, Deus autem etiam conuersionem eius ad sequendam perfectionem concesserit. Et hoc est quod subdit; *Conuertisti luctum eius in gaudium multo vberius quam voluerat, & multo clarius, atq; castius, quam de nepotibus carnis meæ requirebat.* Et lib. 9. cap. 1. magis explicans hoc propositum adeò perfectum, & firmum, vt iam veluti opere consummatum (ait) *Iam liber erat animus meus à cura mordacibus ambiendi, & acquirendi, & volutandi, atq; scalpendi scabiem libidinum* quibus verbis perfectissimam renuntiationem seculi expressit, quoad illa tria, quæ per tria religionis vota abnegamus, scil. propriam voluntatem, seu dominandi libidinem, diuitias, & corporis voluptates. In cap. autem

autem 2. huius libri magis declarat contemplatiuam & monasticam, seu solitariam vitam elegisse, & ideo inquit decreuisse munus docendi rhetoricam relinquere. *Sagittauerας* (inquit) *tu cor nostrum charitate tua, & gestabamus verba tua transfixa visceribus, & exempla seruorum tuorum.* Et infrà. *Plena voluntas vacandi, & viuendi, quoniam tues Dominus, obortа mihi est, atq; firmata, nosti Deus meus.*

III. *Nec multũ id distulisse coniecturis etiam sua datur.*

Ex his ergo intelligi potest Diuum Augustinum, vel in ipso baptismo, vel non multo pòst religiosam vitam professum esse. Probatur, quia firmo proposito, & magna Dei vocatione, iam illam conceperat, vt declaratum est: ergo non est verisimile, post baptismum executionem multum distulisse. Probatur consequentia. Primò, quia talis dilatio, vel non fuisset sine aliqua culpa, vel non sine magna remissione animi, & imperfectione, quam certè si Augusti. commisisset, in confessionibus suis recognouisset & indicasset. Nam libro 9. capite 2. cùm haberet à Deo inspirationem omittendi publicum legendi munus, vt Deo vacaret, & per aliquot dies distulisset executionem, ob causam satis apparentem, & rationabilem, illam dilationem tanquam alio modo culpabilem recognoscit, & à Deo veniam petit, quid ergo facturus fuisset, si post baptismum viam perfectionis ingredi distulisset. Secundò ad huiusmodi statum iam ante baptismum se præparauit, tum relinquendo munus officij publici, quod per se cum baptismo non repugnabat: tum colligendo se cum socijs in villam, vbi Deo, & considerationi rerum diuinarum vacaret, vt ipse refert libro 9. Confessionum capite 4. nullumque impedimentum habuit, vel à socijs, vel à matre; nam omnes mirum in modum illo genere vitæ lætabantur, & ipse diuino amore flagrabat, quæ omnia ipsemet refert, quæ igitur causa dilationis excogitari potest. Tertiò expendo, quod eodem lib. cap. 3. de Nebridio refert cum Deo loquens, & dicens, *Quem non multo post conuersionem nostram, & regenerationem per baptismum tuum, ipsum etiam fidelem Catholicum castitate perfecta atque continentia tibi seruientem in Africam apud suos, cum tota domus eius per eum Christiana facta esset, carne soluisti.* vbi expendo verba illa, *castitate, & continentia perfecta tibi seruientem*; nam clarè significant statum firmum vitæ continentis, & consecratæ ad perfectè seruiendum Deo. Pondero etiam illam coniunctionem *ipsum etiam*, supponit enim, se & socios suos, quos Nebridius imitabatur, eadem castitate perfecta, & continentia, seruisse Deo post suam regenerationem.

IV. *An is viuendi modus fuerit propriè religiosa professio.*

Hæ igitur coniecturæ satis, vt opinor, suadent, Augustinum simul cum baptismo viam perfectionis, & statum continentiæ amplexum esse. Nec verò continuò, & sine maiore probatione affirmauerim, illum statum fuisse propriè religiosum per tria vota præsertim solennia, prout nunc fit. Credibile quidem mihi est, statum continentiæ firmo, ac deliberato animo deliberasse, & fortasse etiam Deo promisisse; nam hoc mihi indicant illa verba quæ suprà ponderaui, *castitate, & continentia perfecta*. Imò verisimile censeo votum hoc continentiæ etiam ante susceptum baptismum adhuc Catechumenum emisisse; nam hoc satis ipse indicat in vltimis ferè verbis libri 8. Confessionum. De voto autem paupertatis, vel obedientiæ nihil affirmare possumus, saltem de eo tempore quo Augustinus fuit in Italia, priusquam in Africam rediret, quia nec Possidius in vita Augustini, neque Augustinus ipse in Confessionibus, neque in alijs libris quicquam de hoc significat, imo Antoninus ait, Augustinum reuersum in patriam, ex patrimonio suo domum in eremo ædificasse pro se & socijs suis, & reliqua in pauperes distribuisse: ipse verò Augustinus sermon. 1. de communi vita clericorum scribit, tenuem suam substantiam vendidisse, & pauperibus erogasse: vnde constat superiori tempore nondum se exolasse omnibus bonis, vel dominio illorum, quamuis habere potuerit propositum, & votum dimittendi omnia quamprimùm commodè posset, & in vsus pios & paupertati consentaneos; an verò ita fecerit, scriptum ab aliquo antiquo, vel satis fide digno authore non inuenio. Magis autem incertum mihi est obedientiæ votum, quia neque in magis monasterio aliquo ex his, quę ante ipsum erant, neque in manibus alicuius illud emisisse, vel Mediolani, vel Romæ, vel in alio Italiæ loco legimus, nec in congregatione, seu familia sua videtur eo tempore talem viuendi modum habuisse; oportuit enim approbante aliquo Episcopo talem vitæ modum inchoari, & in manibus eius votum obedientię emittere, quod sine dubio non fecit. Quod etiam ex modo, quo idem Augustinus in citatis libris confessionum de se, & de suis amicis, & de suo reditu in Africam loquitur, non obscurè intelligitur, vnde Possidius in vita Augustini, c. 3. sic inquit. *ac placuit ei percepta baptismi gratia cum alijs ciuibus, & amicis suis Deo pariter seruientibus ad Africam & propriam domum agros; remeare.* Quæ verba indicant totam illam familiam fuisse laicam, & liberam ab obedientiæ iugo, Deo tamen seruientem, & inter se amicitia, & charitate coniunctam.

Adultus

Addidit

V. *Quod castitatem verisimile.*

Neque aliud significasse existimo, quod Monica sanctissima iam morti vicina filio dixit, vtipse refert libro 9. confess. capite 10. *Vnum erat propter quod in hac vita aliquantum immorari cupiebam, vt te antequam Christianum Catholicum viderem priusquam moreer, etiam mulatus hoc mihi Deus meus præstet, vt te etiam contempta fœlicitate terrena seruum eius videam.* Quo vltimo verbo indicare videtur illum iam fuisse religiosum, sed, licet non sit verum latè loquendo, quia iam profitebatur viam perfectionis, & continentiæ, & decreuerat seculares curas relinquere, vt explicuimus; tamen quod monasticam vitam propriè sumptam iam tunc professeretur, non satis inde colligitur. Quamuis credibile sit Augustinum iam concepisse propositum illius vitæ, tamen, cum esset, quasi in via, & in reditu ad patriam, non videbatur tempus aptum, & commodum exequendi omnino, & quasi consummandi illud propositum, præsertim viuente matre; & ideo verisimilius etiam est illam executionem distulisse vsque ad reditum in Africam.

Christianum

VI. *De paupertate incertum.*

Non desunt verò qui putent Diuum Augustinum simul cum baptismo accepisse de manu Ambrosij monachi habitum: nam in quodam sermone 92. inter sermones Ambrosij, sic Ambrosius loquitur de Augustino. *Nouum Christianum nouis vestimentis induimus, cucullis nigris amictum, cingulo ex corio nos ipsi praecinximus, quod Simplicianus nectit ingenti lætitia donauit.* In quam sententiam ob authoritatem Ambrosij descendit Antoninus 3. p. historiali titul. 24. capite 14. §. 2. vnde facilè potest quispiam addere, tunc etiam Augustinum religiosorum vota in manu Ambrosij emisisse. Veruntamen sermo ille expunctus est ab operibus Ambrosij Romæ impressis, & magna diligentia emendatis, omnibus supposititijs detectis peribus reiectis. Et Cæsar Baronius tomo 4. anno 388. grauiter reprehendit imperitum (vt ipse loquitur) illius sermonis fictorem, primùm, quia ineptè finxit, cum eius stylus omnino sit alienus ab eloquentia, grauitate & sententiarum pondere Ambrosij. Secundò, quia facilè potest mendacij redargui; duo enim apertè falsa dixit; vnum est quod Augustinum Carthaginensem vocat, cùm constet fuisse Tagasthensem; aliud est, quod illum dicit fuisse conuersum à Gentilium cultu, cum tamen certum

certum ſit nunquam coluiſſe idola, licèt in alijs erroribus verſatus fuerit. Veruntamen hæc duo aliquo modo colorari poſſunt dicẽdo, Africanos omnes interdum fuiſſe vocatos Carthaginenſes à Metropoli Ciuitate, vel Auguſtinum ita fuiſſe vocatum quia Carthagini multo tempore vixerat & docuerat, & vnde immediatè venerat cum diſceſsit ex Africa. De cultu autem Gentilium conuerſus dici potuit, non propter idololatriam, ſed quia ſine fide, & baptiſmo tanquam gentilis quidam philoſophus, & Academicus de Deo opinabatur. Illud verò difficiliùs poteſt ad verum ſenſum trahi, quod ibi dicitur, ſæpius Ambroſium tentaſſe Auguſtinum, & cum eo diſputaſſe, & è conuerſo Auguſtinum diſputationis ſuæ acrimonia, & vehementia Ambroſium viciſſe, cum tamen Auguſtinus ipſe li. 6. confeſsionum cap. 3. & 11. dicat ſibi non fuiſſe datam copiam ſciſcitandi ab Ambroſio, quæ cupiebat, niſi cum magna breuitate, *quia non vacabat Ambroſio.*

VII. *Auriſſi obiectioni diruitur.*

Ex quibus planè incertum redditur quod de cuculla nigra dicitur, ſaltem quod id fuerit ab Ambroſio ſcriptum; nam vtrum in re ita fuerit, ignoratur. Et coniectura eſt non ita fuiſſe, quia erat vniuerſalis conſuetudo baptizatos indui albis veſtibus, vt idem Auguſtinus ſæpe commemorat lib. de fide, & ſymbolo, & lib. de catechizandis rudibus, nullamque mutationem conſuetudinis in ſuo baptiſmo factam alicubi indicat, quàuis baptiſmi lauacrum miniſterio Ambroſij recepiſſe commemoret lib. 1. contra Iulianum cap. 3. Ad hoc tamen reſponderi poteſt ſuper cucullam nigram impoſitam fuiſſe Auguſtino candidam veſtem baptizatorum. Sed licet hoc contingere potuerit, etiam eſt præter morem, quia ipſamet vſualis veſtis ſolet eſſe candida, vt nunc Romæ in neophytis conſpicitur. Denique aduerto Antoninum ex ſermone Ambroſij longè aliter verba illa referre dicentem, *Hunc in Chriſto genui, & poſtquam baptizaui eum, indui cucullam nigram, & ipſe ad differentiam monachorum ſe cinxit zona pergens ad Simplicianum, &c.* Ex hoc ergo ſermone nihil affirmare poſſumus eorum, quæ in illo referuntur.

VIII. *Num ſermones ad fratres in eremo vnde prædicta obiectio poſſit roborari, ſint Auguſtini.*

Nec maiorem fidem faciunt alia verba, quæ idem Antoninus refert ex eodem Auguſtino in quodam ſermone ad fratres in eremo: *Duodecim fuimus fratres, qui induimus cucullam nigram, & calceamenta, & zonam nigram deſuper cinctam ad differentiam monachorum.* Nam hi etiam ſermones incertam habent authoritatem, & in Authorem eorum grauiter inuehitur Cæſar Baronius in tom. 4. ad annum Domini 382. & 385. & 387. & in Martyrologio 5. Ianuarij, & multi alij authores ſermones illos, vt Auguſtinianos non recipiunt, quamuis interdum ab alijs ſub nomine Auguſtini citentur. Et licet fortaſſe aliqui illorum ſint Auguſtini, ſicut olim inter eos ponebantur duo ſermones de communi vita clericorum, quos conſtat eſſe Auguſtini, & nunc ponuntur inter ſermones de diuerſis, ſuntque quadrageſimus nonus, & quinquageſimus: licet, inquam, ita potuerint aliqui alij veri Auguſtini ſermones ibi interſeri, vt lib. præced. cap. 2. num. 3. attigi, nihilominus certum exiſtimo quamplures eorum non eſſe Auguſtini, quia multa falſa, & Auguſtino indigna in eis continentur; vnde fit vt omnes ſint incerti. Quapropter illud teſtimonium de cuculla nigra, & zona ex corio, nullam inde authoritatem accipit, eſt ergo res incerta, & de ipſo, ſeu pro ipſo tempore baptiſmi parum veriſimilis, quid verò credi poſsit de reliquo tempore ante clericatum Auguſtini paulò poſt ſubijciam.

IX. *Reiicitur alia incerta.*

Vnde etiam incertum eſſe reperio, quod Antoninus ſupra refert, Auguſtinum poſtquam Mediolano deceſsit rediturus in Africam priuſquam Italiam relinqueret, viſitaſſe eremitas, qui erant in monte Piſſano, & per aliquod tempus ibi moratũ eſſe, & poſtea viſitaſſe alios eremitas qui erant in Centuncellis prope Romam. Adduntque alij Auguſtinum eo tempore, quo eremitas Piſſani montis viſitauit, dediſſe illis quandam regulam monachorum ex tribus, quas compoſuit, & ex tunc proprium monachorum ſtatum accepiſſe; poſtea vero viſitando alios eremitas in Centuncellis ſecundam regulam eis tradidiſſe. Sed hæc à Poſsidio in vita Auguſtini non referuntur, neque ab Auguſtino in lib. Confeſsionum, aut alibi inſinuantur; nec videntur poſſe cum Chronographia, de ætate Auguſtini conuenire; nam conſtat Auguſtinum expleto 33. ætatis anno, & 34. inchoato, baptizatum eſſe; ipſe enim lib. 1. Soliloquiorum cap. 10. hanc ætatem ſe habuiſſe dicit cùm illud opus ſcriberet, ſcripſit autem illud ante baptiſmum, vt ipſemet refert 1. retractationum cap. 4. Poſt baptiſmum autem ſtatim Romam ſe contulit, vbi ſaltem per annum commoratus eſt, tempus aptum nauigationi expectans; nam ibi multa conſcripſit, quæ ipſe commemorat lib. 1. retract. cap. 7. 8. & 9. Et inter alia ſcripſit libros de moribus Eccleſiæ Catholicæ, in quorum primo cap. 33. commemorat monaſterium quod priùs Mediolani, & plura alia, quæ Romæ poſtea cognouit; de monte autem Piſſano, aut Centuncellis nihil memorat. Ait præterea idem Auguſtinus 9. Confeſſ. cap. 11. ſanctam Monicam matrem ſuam mortuam eſſe anno 33. ætatis eiuſdem Auguſtini, vbi potius legendum videtur anno 35. vt conſtat ex alio loco Soliloquiorum; ergo non potuit Auguſtinus poſtquam Mediolano diſceſsit, per duos annos commorari cum eremitis Piſſani montis, & Centuncellarum ante mortem ſanctæ Monicæ. Neque etiam veriſimile eſt poſt mortem matris retro redijſſe, & tam longas moras feciſſe; tum quia ipſemet Auguſtin. lib. 9. Confeſſionum cap. 10. de ſe, & matre inquit, *Apud oſtia Tyberina poſt longi itineris laborem inſtaurabamus nos nauigationem*; ergo cum hac intentione illuc peruenisſent, licèt mors matris poſt paucos dies acciderit, non eſt per ſe credibile, neque vlla ratio probabilis apparet, ob quam Auguſtinus mutauerit conſilium, & tam diuturnas moras fecerit: tum etiam, quia in ſermone primo de communi vita clericorum, dicit iuuenem fuiſſe, cùm in Africam redijt; ergo veriſimile eſt non exceſsiſſe 35. annum ætatis cùm illuc peruenit. Igitur hæc omnia tanquam incerta, & ad huius religionis veram originem, ſeu antiquitatem explicandam tanquam inefficacia relinquo, nec definitè aſſero Auguſtinum ante reditum in Africam non fuiſſe monachum, aut regulam monachorum non ſcripſiſſe, ſed aſſero hoc non conſtare ſatis fide digna hiſtoria, vel authoritate.

coniectura de religioſo ſtatu Auguſtini ante eius reditum in Africam. Volaterranus lib. 21. Hier. Rom. lib. 6. Reip. Chriſtianæ cap. 6.

X. *2. aſſertio, Auguſtinus ante presbyteratum monachus fuit, & religionẽ inſtituit.*

Nihilominus dico ſecundò Auguſtinum reuerſum in Africam priùs quàm Presbyter fieret, monachum fuiſſe, & in proprio monaſterio monachos congregaſſe, & inſtituiſſe. Hęc aſſertio non ſatis colligitur ex Poſsidio in vita Auguſtini; nam in cap. 3. ſolùm ait, *Placuit ei percepta baptiſmi gratia cum aliis ciuibus, & amicis ſuis Deo pariter ſeruientibus ad Africam remeare, vbi conſtitutus ferme triennio, & à ſe iam alienatis curis ſecularibus, cum in qui eidem adhærebant, Deo viuebat ieiunijs, orationibus, bonisque operibus in legẽ Domini meditans die ac nocte.* Quæ verba indicant quidem vitam ſatis religioſam, & perfectam, nondum tamen ſatis explicant proprium ſtatum religioſum & monachalem; nam illa omnia dici poſſent de illo genere vitæ quod Auguſtinus Mediolani etiam ante baptiſmum in ſeparata villa inchoauerat. Vnde Baronius in 4. tom. anno 389. de hac re tractans, ſolùm dicit rediens (ſcilicet Auguſt.) *vna cum ſociis*

Alypio, & Euodio in patriam, quem condixerant vitæ statum, cum adhuc in Italia essent, exercere cœperunt. Deinde verò refert verba Possidij, & in prædictis verbis suis alludit ad relationem Augustini 9. confess. cap. 7. & 8. Ex quibus solùm licet colligere cœpisse in Italia amare cum socijs solitariam, & contemplatiuam vitam, in castitate perfecta, & quæsiuisse locum ad hunc finem aptum, & hac intentione in patriam remeasse, & statim ac illuc peruenit, prout potuit, opere compleuisse; an verò id fuerit cum monachali professione, non satis à dictis authorib. explicatur.

XI. Nihilominus ipsemet Augustinus sermon. 1. de
1. *Probatio.* communi vita clericorum qui non dubitatur esse ipsius, nam citatur à Beda 2. ad Corinth. 8. & à Concilio Aquisgranensi sub Ludouico Imperatore anno 1016. cap. 112. ipse, inquam, Augustinus satis ibi declarat statim ac peruenit in Africam, monasterium construxisse, in quo cum suis fratribus vitam communem, & Apostolicam ageret. *Iuuenis* (inquit) *veni ad istam ciuitatem, vt multis vestri nouerunt, quærebam vbi constituerem monasterium, & viuerem cum fratribus meis, spem quippe omnem seculi reliqueram, &c.* Dicet aliquis Augustinum non dicere construxisse se illo tempore monasterium, sed quæsiisse locum vbi illud construeret. Sed licet expresse non asserat, nec etiam negat; & per se verisimile est non caruisse illo tanto tempore. Veruntamen in sequentibus verbis id planè supponit; ait enim; *Veni ad istam ciuitatem propter videndum amicum, quem putabam me lucrari posse Deo, vt nobiscum esset in monasterio.* habebat ergo iam monasterium in quo cum fratribus religiosam vitam agebat, ad quam amicum adducere cupiebat, & hoc vocat lucrari illum Deo. Deinde refert ea occasione assumptum esse ad statum presbyteri, in quo iam constitutus subiungit, *Non attuli aliquid, non veni ad hanc Ecclesiam nisi cum indumentis, quibus illo tempore vestiebar. Et quia hic disponebam esse in monasterio cum fratribus, cognito instituto, & voluntate mea, beatæ memoriæ senex Valerius dedit mihi hortum illum in quo nunc est monasterium.* Ex quibus omnibus satis constat Augustinum adhuc laicum, monasterium vnum construxisse, & alterum postea iam factum presbyterum, sed prius in eremo, seu loco ab oppidis separato; posterius in loco ciuitati vicino; nam illud prius colligitur ex illis verbis; *Veni ad istam ciuitatem propter videndum amicum.* quia scilicet in loco separato habitabat. Posterius autem indicat cùm subdit, *hic* (id est, in hac ciuitate Hipponensi ad quam loquitur) *disponebam esse in monasterio cum fratribus.* Quod postea dicit denuo ædificasse, cùm iam prius esset antiquius. Et (quanuis hoc non explicet) verisimile est, non destruxisse priorem domum, aut vacuam reliquisse transferendo fratres omnes ad nouum monasterium; sed cum paucis fratribus primi monasterij secundum inchoasse, alijs fratribus in alio relictis, prout in aliarũ religionum initijs factum esse conspicimus, quod etiam ipse non obscurè indicat; nam de secundo monasterio subdit, *Cœpi bonis propositis fratres coll gere compares meos nihil habentes. si ut nihil habebam, sed imitant s mei, vt quomodo ego tenuem paupertatulam meam vendidi, & pauperibus erogaui, si facerent, & illi qui mecum esse voluissem, vt de communi viueremus.* Ait autem Possidius in vita Augustini cap. 5. Augustinum factum Presbyterum, monasterium intra Ecclesiam mox instituisse, & cum Dei seruis viuere cœpisse secundùm regulam sub Apostolis constituta. At verò Augustinus ipse in dicto sermone non dicit ædificasse monasterium intra Ecclesiam, sed in horto sibi à Valerio donato, in quo monasterium durabat, etiam postquam ipse erat Episcopus: & infra subiungit, *Peruenit ad Episcopatum, vidit necesse habere Episcopum exhibere humanitatem assiduam quibuscunq; venientibus, siue transeuntibus, quod si non fec sem, Episcopus inhumanus diceret. Si autem consuetudo ista in monasterio permissa esset, indecens esset, & ideo volui habere in ista domo Episcopi monasterium clericorum.* Non ergo ædificauit Augustinus intra Ecclesiam monasterium, nisi iam factus Episcopus, & tunc non sine causa explicat fecisse monasterium clericorum, indicans prius fuisse monasterium monachorum, seu laicorum. Significat etiam diuersa fuisse illorum instituta; nam de primo ait non decuisse admittere in eo consuetudinem habendi frequenter hospites. De secundo verò supponit, non habuisse talem indecentiam, nam ad hunc finem illud construxit; erat ergo primùm rigidioris vitæ solitariæ, & contemplatiuæ, eiusdem nimirum instituti, cum alio prius constructo in loco à ciuitate remoto. Aliud verò licet religiosum esset, erat tamen vitæ (vt sic dicam) humanioris ad hospitalitatem accommodatæ, & ad ministeria Episcoporum & proximorum.

Præterea colligo ex superioribus verbis habuisse Augustinum adhuc laicum in eo statu peculiarem habitum, qui nec presbyterorum proprius erat, nec vulgaris laicorum, sed tam honestus, vt à presbytero etiam retineri posit. nam hæc omnia mihi significant illa verba; *non veni nisi cum illo indumento, quibus eo tempore vestiebar*; quando enim illa verba dixit August. iam erat Episcopus; in quo statu indumenta mutauerat, (vt indicat,) antea vero eadem retinebat etiam in monasterio ciuitatis, quæ si non fuissent specialia, & ab indumentis aliorum secularium distincta, non de illis tanquam de singularibus, & proprijs loqueretur. Qualia autem illa fuerint, aut cuius figuræ, vel coloris, ipse nobis non explicuit; & ideo nihil certum in speciali dicere possumus, quamuis in genere non dubitem quin fuerint monachalia, propter ea quæ iam subijciam. XII. 1. Probatio.

Colligo enim vlteriùs ex eodem loco adiunctis alijs, Augustinum in illo primo monasterio propriam, ac perfectam monasticam vitam instituisse, quod probo primò, ex voce *Monasterium*, quæ propriè dicitur, & tunc maximè dicebatur, de habitatione monachorum. Secundò, quia ibidem ait professum fuisse cum fratribus voluntariam paupertatem, & professum esse vitam communem ad imitationem Apostolorum. Tertiò, quia idem Augustinus libro 3. contra Petilianum cap. 40. de illo hæretico sic inquit. *Perexui enim malitiosa in vituperationem monasteriorum, & morũ horum, arguens etiam me quod hoc genus vitæ à me fuerit institutum. quod genus vitæ omnino quale sit nescit, vel potius toto orbe notissimum nescire se finxit.* Vbi Augustinus tacitè consentit, & fatetur, se illud genus vitæ instituisse, quod intelligi potest, vel quia illud instituerum amplexus, & professus est, vel quia in illo genere vitæ proprium, & peculiarem modum instituit; non enim totius generis, vt sic dicam, seu totius vitæ monasticæ inuentor cogitari potuit, nisi per magnam ignorantiam, vel malitiam, illorum hæreticorum, cùm ante Augustinum esset, & monachorum nomen, & genus vitæ in orbe diffusum, vt ipse commemorat tum hic, tum etiam alijs multis in locis; præsertim in libris de moribus Ecclesiæ, & de opere monachorum, & Psalm. 65. & 99. & optimè in 132. vbi, & nomen monachi declarat, & vitam laudat, & modum etiam salutandi Deo gratias agendo commemorat, & in epistola 89. quæst. 4. disputando contra hæreticos, qui diuites omnes damnari dicebant, ne amore diuitiarum id facere calumniaretur, inquit. *Ego, qui hæc scribo perfectior ẽ, de qua Dominus loquutus est, quando ait diuiti adolescẽti: Vade vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, & sequere me.* XIII. Probatio principalis.

vide-

vehementer adamaui, & non meis viribus, sed gratia ipsius adiuuante sic feci. Subiungitque deinceps, *& ad hoc propositum, quantis possum viribus alios exhortor, & in nomine Domini habeo confortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est.* Scripsit autem Augustinus hæc verba iam Episcopus; possuntque tam ad monachos, quã ad canonicos regulares applicari. Certum tamẽ est ex dictis, ante Episcopatum, & ante presbyterium ipsum adamasse, & amplexum esse illum statum & ad illum alios traxisse, & cum illis monasterium nõ clericorum, sed laicorum monachorum construxisse. Hac ergo ratione dictus est *monachorum institutor*, & quia fortasse illud vitæ institutum primus in Africam inuexit; ac denique, quia in Latina Ecclesia primus etiam monachis viuendi regulam dedit, quam Apostolica Ecclesia postea probauit, vt iam ostendam.

XIV. *3. assertio regulam vnam scripsisse Augustinũ pro suis religiosis.*

Dico ergo tertio Augustinum pro suis monachis regulam illam, quam Ecclesia sub nomine illius recepit, & probauit, edidisse. Solent quidem Diuo Augustino 3. regulæ attribui; duæ breuiores, & tertia integra, & magis completa, prima incipit; *Communi definitione definimus*, &c. Secunda post illa verba præambula; *Ante omnia fratres charissimi diligatur Deus, deinde proximus.* incipit, *Qualiter autem nos oportet operari*, &c. Sed hæ duæ regulæ incerti authoris sunt, & probabilius creduntur non esse Augustini, & ita in 1. tom. operum eius separatim, & quasi in angulum reiecta sunt, simul cum alia regula fœminarum, itaque de his nullam rationem habemus præterquam, quòd nihil speciale continent, quod in certa Augustini regula non contineatur, præter ea quæ in regula secunda habentur de ordine psallendi, & recitãdi diuinum officium, quæ statui fortasse potuerunt ab Augustino, sed propter illa, non oportet regulas multiplicare; satis est enim id quod in sua regula Augustinus posuit, *Orationi instate horis, & temporibus constitutis.* & infrà *psalmis, & hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore, & nolite cantare nisi quod legitis esse cantandum, quod autem non ita scriptum est vt cantetur, non cantetur.* Ex quibus verbis intelligitur habuisse monachos instructionem aliquam scriptam circa tempora, & modum psallendi, & cantandi, illam verò non fuisse positam in regula, quia fortasse iuxta locorum, aut consuetudinum diuersitatem variari poterat. Itaque vna fuit ab Augustino religionis regula cõposita.

XV. *Hanc regulã scripsisse pro fœminis inquit Erasm.*

De hac verò regula dubium est, an Augustinus pro regularibus canonicis, vel pro eremitis illã scripserit? omitto enim censuram Erasmi ab omnibus pijs, & doctis viris meritò damnatam, qui negauit Augustinum scripsisse illam regulam pro viris religiosis, sed tantùm illam, quæ virtute habetur in epistola 109. Augustini, quæ est ad monachas, quæ reuera eadem est, sed sine dubio fuit pro viris scripta, & facilè potuit ab eodem authore ad fœminas accommodari, & in hoc sensu communiter recepta est, & citatur à D. Bernardo in lib. de præcepto, & dispensatione, & exposita ab Hugone de Sancto Victore, vt notarunt Doctores Louanienses in fine primi tomi Augustini tacitè contempta censura Erasmi, quam Parisiensis Academia iam damnauerat.

XVI. *Qui putant scripsisse primo pro canonicis regularibus.*

Suppositio ergo Augustinum pro religiosis viris illam scripsisse, dicunt aliqui primò ac præcipuè regularibus canonicis, & clericis eam tradidisse, quod sensisse videtur Gratianus in titulo capituli *non dicatis.* 12. quæst. 1. quod constat sumptum esse ex hac regula. Gratianus verò citat sermon. 3. de communi vita clericorũ; & in decreto Gregoriano in quodam scholio eodem modo dicitur caput illud sumptum ex sermon. 3. de communi vita clericorum, in quo regula D. Augustin. continetur. Veruntamen inter opera, quæ Augustini esse creduntur, non inuenio tertium sermonem de communi vita clericorum, sed primum tantùm, & secundum; fieri tamen potuit, vt illa regula per modum concionis, aliquando imprimeretur, & ita adnotatur in quodam libro antiquo de quatuor regulis ab Ecclesia approbatis, vbi in principio sic dicitur: *regula tertia Augustini in qua latius tradidit ea, quæ ad cõmunem vitam clericorum pertinent, quæ à nonnullis inter sermones de communi vita cleric. enumeratur.* quæ omnia supponunt hanc regulam pro clericis fuisse scriptã, & idem affirmat Vincentius in speculo historiali li. 29. c 44. vbi ait, Augustinum scripsisse regulam, & institutionem pro clericis regularibus, qui etiam dicuntur canonici regulares. Idem habet Antoninus 2. p. historiæ tit. 9. cap. 8. §. 2. & 3. & Volaterranus lib. 21. Anthropologiæ; hoc autem non aliter probatur, nisi quia ab hac regula maximè videntur vocati canonici regulares, qui veri religiosi sub Augustini disciplina fuerunt, vt supra dictum est, & optimè confirmat Trullus lib. 1. de Antiquitate sui ordinis c. 2. & 3. qui etiam adducit testimonium Possidij, de quo statim.

XVII. *Varius scriptorum opinio de monachis laicis erant instituti Augustini.*

Nihilominus persuasum mihi est Augustinum illam regulam primò scripsisse pro suis eremitis, & monachis, qui eo tempore ex vi professionis suæ laici erant, & ab Augustino adhuc laico instituti sunt, & normam viuendi acceperunt. Hoc pro certo habent omnes defensores antiquitatis eremitarum S. Augustini. Quorum probationibus omissis solùm afferam coniecturas, quæ me maximè mouent. Prima est, quam in secũda assertione insinuaui; ostendimus enim Augustinum, antequam esset presbyter, monachorum monasterium instituisse; ergo per se credibile est virum iam valde doctum, & perfectum, statim eis dedisse regulam, & normã viuendi, non legimus autem aliam ab ipso conscriptam. 1 *Coiectura.*

XVIII. 2. *Coniect.*

Secundò Possidius ca. 5. sic de Augustino inquit; *Factus Presbyter monasterium intra Ecclesiam mox instituit, & cum Dei seruis viuere cœpit secundum modum, & regulam sub sanctis Apostolis constitutam, maxime, vt nemo quidquam proprium in illa Societate haberet.* Ex quibus verbis colligunt aliqui, Augustinum dedisse regulam suis clericis, quos in monasterio congregauit, ad quod tamen verba non cogunt, quia ibi non est sermo de noua regula ab Augustino facta, sed sub Apostolis constituta, quæ solùm illa est, quæ continet substantialia vota religionis. Tamen, vt dicebam, hinc satis verisimiliter colligitur Augustinum prouidentissimum Prælatum adiunxisse suam regulam. Veruntamen consideranda sunt verba, quæ statim adiungit Possidius, scilicet, *quod iam ipse prior fuerat dum de transmarinis ad sua remeasset.* Quæ verba sunt notanda, confirmant enim quod supra numer. 9. diximus, Augustinum non fuisse verè professum regulam religiosam donec ad sua rediit. Deinde probant optimè, ante presbyterium, cum Dei seruis viuere cœpisse secundum regulam ab Apostolis approbatam, & consequenter, quam regulam postea suis clericis dedit, priùs suis monachis tradidisse.

XIX. 3. *Coniect.*

Tertiò idem probo ex ipsamet regula, in qua sic dicit, *Præposito tanquam Patri obediatur, multo magis Presbytero, qui omnium vestrum curam gerit.* & iteram infra, *Si quid seruatum minus fuerit, non negligenter præteratur, sed vt emendandum, corrigendumque curetur, ad Præpositum præcipue pertinebit, vt ad Presbyterum, cuius est apud vos maior authoritas, referat, quod modum vel præscium excedit.* Ex quibus verbis colligo, religiosos illos ad quos primò Augustinus illam regulam direxit, fuisse monachos, similes illis, quoad *his verbis* statum, & professionem, ac modum regiminis, qui *notatur.* tuncerant in oriente, & per Italiam, qui ordinariè *Quid pro cõiectura ex*

& per se ac ratione status non erant clerici, sed laici monachi, & similiter eorum præfectus, seu Abbas non erat presbyter regulariter loquendo, vt in superioribus ostensum est, & sumitur ex c. *A subdiacono* d.23. & ex aliis multis 16. q. 1. & ex Hieronymo in epist. ad Nepotianum. Semper verò talia monasteria fuerunt subiecta Episcopis, & verisimile est ab eis semper habuisse singula monasteria Presbyterum aliquem ad quem præcipua cura monasterij, saltem quoad correctionem morum, & in rebus grauioribus pertineret, pro qua re vide, si placet, Cassianum collat. 18. c. 15. & Epiphanium epist. ad Ioannē Hierosolymitanum. Et quidquid sit de aliis monasteriis, de monasterio Augustini id clarè colligitur ex citatis verbis. Nam singulare nomen Presbyteri apertè indicat, vnum tantùm fuisse in illa congregatione, & consequenter illam non fuisse congregationem clericorum. Item colligitur Præpositum nō fuisse Presbyterum, quamuis haberet ordinarium regimen, & administrationem monasterij, vt ex aliis locis eiusdem regulæ satis constat. Denique colligitur reliquos omnes regulariter, ac per se loquēdo fuisse monachos laicos. Vnde in epistol. 109. eodem modo loquitur Augustinus ad monachas, vt scilicet Præpositæ obediant, multo autem magis Presbytero, &c. Ad canonicos autem regulares difficile possunt illa verba applicari, quia illis præpositus semper, ac per se, Presbyter est, neque est verisimile fuisse vnquam aliam consuetudinem. Nihilominus tamen verum existimo, postquam Augustinus presbyter, vel Episcopus, clericos, seu canonicos religiosos sibi adiunxit, eandem regulam illis seruandam tradidisse, vt notauit Anton. 3. p. tit. 24. c. 14. §. 2. quia, vt rectè ait, regula ipsa de se indifferēs est, & communis ad vtrumque statum religiosorū. Vnde factum est, vt plures rel giones, tū monachorum, tum etiam clericorum sub illa militent; sic ergo potuit August. priùs illam dare fratribus, & postea sub eadem, religiosos clericos congregare, neque necessarium fuit illa pauca verba Præfecti, & Presbyteri mutare, quia facilè poterant cum proportione intelligi, & seruari, licèt præfectus etiam presbyter sit, & siue contingat vnum tantum esse presbyterum, & præfectum, siue duas personas subordinatas, vt sunt nūc inter canonicos regulares, Prior, & Vicarius, qui ambo presbyteri sunt.

XX. *4 Assertio, dictam religionem laicorum viuēte Augustino diffusam per Africam*

Dico quartò religionem illam monachorum ita fundatam, & optima regula instructam, & Episcopali authoritate probatam viuente Augustino, in Africa propagatam fuisse. Hanc assertionem colligo in primis ex Possidio in vita Augustini cap. vltimo, vbi de Augustino iam defuncto sic inquit, *Clerum sufficientissimum, & monasteria virorum ac fœminarum continentium cum suis Præpositis plena Ecclesia reliquit.* Nā sine dubio credibile est illa monasteria virorū fuisse magna ex parte horum eremitarum D. Augustini, quia non erant tunc in Africa alia monasteria religiosorum virorum, de quibus videtur loqui Possidius. Nam prius ponit clerum sufficientissimum, qui vel totus, vel præcipuus erat religiosus, & illa verba *virorum ac fœminarum continentium* valde propriè indicant personas laicas. Quod etiam colligitur ex eodem Augustino epistola 76. ad Aurelium, vbi dicit ad militiam clericatus, nō defertores monasteriorum eligendos esse, sed ex iis qui in monasterio permanent, non nisi probatiores, atque meliores in clerum assumendos esse. *Cum aliquando* (inquit) *bonus etiam monachus vix bonum clericum faciat, si adsit ei sufficiens continentia, & tamen desit instructio necessaria, aut personæ regularis integritas.* Et ex eadem epistola constat quantam curam, & prouidētiam suorum monachorum haberet Augustinus, etiam post adeptum episcopatum. Denique per se est valde credibile Augustinum suæ religionis propagationem, non minus in fratribus quàm in canonicis procurasse; nam vtramque videbat esse necessariam populo suo ad vtriusque status perfectionem. Et generalem charitatem, ac zelum animarum habebat; quod ex omnibus eius operibus satis constat; specialiter verò colligitur ex epist. 64. ad Aurelium Carthaginensem Episcopum in qua eum exhortatur vt diligentiam adhibeat extirpandi quædam vitia per vniuersam Africam, & in fine gratias agit de agro, prouisione, & liberalitate ipsius fratribus donato. In quo indicat iam tunc fuisse monasterium suorū fratrum Carthagine. Clarius verò lib. 2. retractationum c. 21. ait, cum apud Carthaginem monasteria esse cœpissent, ea occasione scripsisse librum de opere monachorum. Quæ duo coniungendo, illa monasteria monachorum fuisse intelligimus: cumque, vt suprà vidimus, ipse Augustinus primus in Africam monachorum institutum inuexerit, planè concluditur monasteria Carthaginensia ab Augustinianis, fluxisse, & licet fortasse aliqua ab Augustini disciplina defciuerint, plura illius institutum retinuisse. Quod satis etiam ipse Augustinus indicat lib. de opere monachorum c. 30. vbi ait scripsisse illum librum, *ad maxime curans* (inquit) *ne bona fratres Apostolicis præceptis obedientes, à pigris, & inobedientibus, prauaricatores dicerentur.* & infrà. *Ne monasteria doctrina saniore fundata corrumpantur.* & infrà. *Sciant eatres fratres & filij nostri, qui hanc per ignorantiam defendere consueuerunt,* &c. Per quæ omnia iudicantur illa monasteria, quæ sana erant, ex filiis Augustini fluxisse, & in doctrina eius fundata.

Hinc verò multi pro certo habēt, omnia monasteria, & omnes monachos, qui post Augustinum fuerunt in Africa, Sancti Augustini eremitas fuisse, vt Beatum Fulgentium, & alios similes, qui post Augustinum floruerunt; quibus ego non contradico, quia conuincere non possum id falsum esse. Dico tamen rem esse incertam, quia licet forte ante Augustinum monachi in Africa introducti non fuerint, vt in superioribus diximus, & attigit etiam Cæsar Baronius 4. tom. ann. 391. Nihilominus post ea facile potuerunt alij Episcopi, ad imitationem quidem eius, monasteria in suis diœcesibus ædificare, non tamen sub regula eius, sed iuxta propriam institutionem, sicut iam nouerant fieri in Italia. Sic legimus in vita Sancti Fulgentij cap. 3. Felicem quēdam Episcopum ædificasse sibi monasterium, in quo Sanctus Fulgentius monachus factus est, vt refertur c. 4. & inde transiit ad aliud monasterium alterius Felicis Abbatis, vt dicitur c. 8. quod Abbatis nomen videtur alienum à regula & professione eremitarum D. Augustini. Vnde quod de Fulgentio dicitur, incertum etiam sit, quia ille etiam dicitur fuisse Abbas, & Pater multorum monasteriorum. Sed de hoc paulò pòst redibit sermo. Atque hæc sunt quę de prima origine illius religionis Augustinianæ coniectare possumus.

CAPVT IX.

An Augustiniani eremitæ, qui nunc existunt, sint iidem, qui olim tempore August. in Africa: an diuersi, & mendicantes.

I. NVnc verò explicandum superest, an religio quæ sub eodem modo nomine *Eremitarum S. Augustini* nunc est in Ecclesia, eadem cum illa superiori capite tractata sit reipsa, vel tantùm nomine. Ad hoc autem definiendum vnum aliud tanquam certum supponendum est, scilicet hanc religionē prout nunc est, tempore Innocentij IV. & Alexandri IV. *Vna Augustiniana religio.* fuisse in eam formam redactam, quam nunc habet & solen-

& solenni ritu approbatam, & confirmatam, quod quomodo factum fuerit, paulò pòst videbimus. Hoc ergo posito tria puncta inquirenda sunt. Primum, an ille ordo qui ab Augustino fuit institutus, vsque ad tempora Innocentij IV. duraverit in Europa. Secundum, an omnes eremitæ qui iussu & opere Innocentij in hac familia congregati sunt, fuerint illius professionis vel religionis Sancti Augustini. Tertiò, esto omnes vel plures illorum Augustiniani fuerint, nihilominus noua fuerit religio ex omnibus facta, vel eadem instaurata, & aliquantulum immutata.

Puncta tria discienda.

II. Circa primum multi ex historiographis, & modernis affirmant in persecutione Vandalorum, quę viuente adhuc Augustino in Africa cœpit, omnia eremitarum monasteria destructa fuisse, & monachos ipsos partim necatos, partim dissipatos fuisse, non tamen omnino extinctos. Vnde D. Antonius dicto cap. 14. §. 3. existimat aliquos illorum in Italiã transiuisse; vel quia inde cum Augustino venerant; vel quia audiuerant ibi esse monachos simile vitæ statutum seruantes, ipsi verò, vt inquit, vel solitariè viuebant eremiticam vitam agentes; vel monasteria ædificarunt, & congregarunt, in quibus religio illa vsque ad Innocentium IV. seruata est; & simili modo potuerunt alij transire in Hispaniam, Galliam, & alias prouincias, & in eisdem se conseruare. Quanquam enim de tota hac re historiam authenticam non habeamus, vt fatetur D. Antonin. suprà, ex quadam verò traditione & ex nonnullis vestigiis, quæ sub nomine Augustiniano semper manserunt, videtur hoc fieri verisimile. Præcipuè verò apud nos faciunt nonnulla Pontificia decreta, quæ hoc confirmant; vnum est capitulum *si vnus*, qui clerici, vel vouentes, vbi Innocentius III. refert, & approbat professionem cuiusdam fœminę, emissam in manibus cuiusdam de patribus Sancti Augustini, cum habitu eiusdem religionis, vbi Glossa aduertit fœminam illam solennizasse votum suum tradendo se ordini Sancti Augustini. Erat ergo ille ordo ante Innocentium III. constat enim non fuisse illo tempore inchoatum. Contingit autem factũ illud in Lusitania; nam Innocentius ad Episcopos Olysipponensem, & Conimbricensem scribit; ergo erat iam hic ordo in Hispania. Quod autem etiam in Anglia esset, colligitur ex c. *de electis filii* de appellat. vbi refertur causa quæ agebatur inter Priorem S. Augustini, & Archiepiscopum Canthuariensem, quam Innocentius definit, in fauorem Prioris, & Monachorum. Refert etiam Antoninus suprà Innocentium III. dedisse fratribus S. Augustini priuilegium scriptum, confirmando in fauorem illorum locum quendam S. Antonij in prouincia Senensi. Vnde constat, iam tunc etiam fuisse in Italia hunc ordinem. Præterea in cap. vnico de religiosis domibus in 6. §. *sane*. dicitur institutio ordinis S. Augustini præcessisse ante Concilium Lateranense sub Innocentio III. Illa autem institutio antiquior, nulla alia esse potest, nisi, quæ ab Augustino facta est, quia nulla alia meruit hoc nomen eremitarum S. Augustini, præsertim ante Innocentiũ III. ergo necesse est, vt ipse ordo duauerit, parum enim ad rem feciſset institutionem fuisse antiquã, si extincta fuisset. Ex his videtur satis colligi, hunc ordinem nullo tempore omnino defecisse post Augustinum, quia nullum aliud initium illius ordinis inuenitur ante Innocentium III. Addunt præterea aliqui Innocentium I. specialiter approbasse regulã S. Augustini, & præcepisse, vt eremitæ, qui in variis locis Italiæ viuebant, sub ea militarent, & Zozimũ Papam plura priuilegia huic ordini concessisse, & Leonem I. nomen eremitarum S. Augustini eis indidisse.

Arguitur affirmatiue ex historiis.

Item ex decretis Pontificum.

III. Veruntamen hæc omnia aliis non satisfaciunt, ideoque nihil certi de duratione monachatus, seu vitæ eremiticæ ab Augustino institutæ pro toto illo tempore affirmari posse. Nam inprimis, quæ de Pontificibus Innocentio I. Zozimo, & Leone I. dicuntur, incerta sunt, quia in communibus historiis non referuntur, neque in actibus illorum Pontificum. Illa verò iura decretorum non satis rem probant, tum quia potuerunt esse multæ Ecclesiæ, vel Cœnobia monachorum *S. Augustini* nũcupata, quia ad illius imitationem informabantur, quamuis ab eo institutionem non haberent, sicut de monachis S. Hieronymi suprà diximus, vel etiam potuerunt sic appellari, quia sub regula S. Augustini militabãt; Imò etiam si admittamus, nunquam defuisse hujus regulæ, ex quo ab Augustino facta est, aliquos professores, & obseruatores non tantum clericos, sed etiam monachos, & eremitas; hoc tamen non satis est, vt dicamus omnes illos esse successores eremitarum S. Augustini, alias etiam eremitæ S. Hieronymi & plures alij possent dici successores illorum; oportet ergo ostendere, & idem genus vitæ, & eundem aut similem habitum, ac denique continuam successionem, & vnionem, sub continua etiam Prælatorum successione tenuisse, quod difficillimè ostendi potest. Et sanè res est satis obscura, & incerta; Nihilominus tamen prior sententia cum moderatione explicata, suam habet probilitatem, quam in sequenti puncto melius declarabimus.

Arguitur negatiue.

Pars affirm. cũ quibusdã moderationibus adhibendis arridet.

IV. Circa secundum ergo punctum propositum numero 1. quidam contendunt omnes eremitas quos Innocent. IV. in hunc ordinem redegit, fuisse ex his, qui à primo Augustini monasterio descenderunt. At profectò hoc nec probari potest, nec facile credi; nam ante Augustinum multi eremitæ fuerũt, priùs quidem in oriente, & postea in Occidente, præsertim in Italia, vt ipsemet Augustinus commemorat. In præsenti enim non sumuntur eremitæ strictè prout distinguuntur à Cœnobitis, quia vitam omnino solitariam agunt, sed pro quibuscunque qui religiosam vitam contemplatiuam in locis ab oppidis, & consortio hominum separatis obseruant, etiamsi in communi monasterio viuant, sicut reuera vixit Augustinus cum suis fratribus, & viuebant monachi quos ipse Mediolani sub disciplina vidit, & alij quos fuisse diximus in Gallia in monasterio S. Martini. Et Antoninus, & alij referunt ante Augustinum fuisse similes eremitas in monte Pissano, & in Centuncellis, & fortasse erant in aliis locis; ergo non est cur credamus omnes eremitas, qui in Italia, Gallia, Hispania, & aliis locis durarunt vsque ad Innocentium IV. natos fuisse ex dispersione eremitarum Africanorum; cur enim illi magis durarunt quàm alij, vel cur post illos non potuerunt alij insurgere sub diuerso habitu, nomine, & regula, seu viuendi modo. Accedit, quod ante Augustinum dicuntur fuisse in Italia similes eremitæ, in monte Pissano, & Centuncellis, & fortasse in aliis locis, ergo vel ea, vel plura alia, potuerunt esse postea monasteria eremitarum, quæ non duxerunt ex Augustino originem, sed aliunde; ergo per successionem potuerunt etiam durare, vel etiã multiplicari vsque ad tempora Innocentij, & Alexandri IV.

V. Dicendum ergo est, vnionem illam factam esse non solùm ex eremitis Augustinianis, sed etiam ex aliis cuiuscunque regulæ, vel nominis essent, hoc constat ex bulla Alexandri IV. de prædicta vnione. Præcipuè verò dicuntur eo tempore fuisse eremitæ, qui appellabantur *Guillelmitæ*, alias *Villelmitæ*, à Guillielmo duce Aquitaniæ, qui eremita factus nõ solùm sanctam vitam egit, sed etiam author multorum eremitarum fuit, præsertim per Galliam, Germaniam & Flandriam, qui ex nomine authoris Guillel-

Authoris resolutio.

Eremitas S. Augustini à Guillelmo fuisse veri matos quidam putant

Guillielmitæ nominati sunt. Ita referunt historiographi nonnulli moderni, qui addunt hunc Guillielmum professum fuisse regulam S. Augustini, atque ita ex eremitis S. Augustini fuisse, & consequenter eius congregationem eiusdē ordinis fuisse, Guillielmumque tantum fuisse reformatorem, & instauratorem eremitarum S. Augustini, quamuis in illis Prouinciis Galliæ, & Germaniæ ab illo Guillielmitæ nominentur.

Vide Onuphrium in chron. o anno 1160.

VI. *Ostenditur tamen non fuisse eorum reformatorē.*

Sed vt verum fatear, in eius vita, quam ex Theobaldo Episcopo refert Surius die decimo Februarij, nihil inuenitur, quod Augustini regulam, vel aliquā peculiarem professionem redoleat, sed solum viuēdi modum eremiticum, solitarium, & nimis austerum. Nec ibi legitur ipsum suscepisse habitū S. Augustini, sed solùm, postquam ad meliorem mentem à S. Bernardo conuersus est, consuluisse virum eremitam, sanctam, & solitariam vitam agentem (de quo etiam non legitur cuius professionis esset vel regulæ) & ab eo fuisse indutum lorica ferrea, quam semper portauit, & missum fuisse vt renuntiaret omnibus suis bonis, & pedes peregrinando conspectui Pontificis se præsentaret, quod ipse perfecit, & postea Hierusalem transiit, & tum ibi, tum postea in locis aliis per multos annos solitariam & rigidissimam vitam dicitur egisse. Nec etiam ibi legitur fecisse Cœnobium aliquod, aut reformationem in eremitis S. Augustini. Solùm in c. 18. refertur, eum post reditum ab Hierusalem in Tusciam in spelunca horribilem se recepisse breui tempore, aliquē numerum sociorum religiosorum ei fuisse copulatum, cum quibus aliquandiu vixit, & hospitale in eo loco construxit. Sed quia socij ab instituto breui defecerunt, ab eis discessit, & hospitale cuidam eorum Petro vocato commendauit, transiuitque ad alium montem, vt eandem vitam rigidam, & solitariam ageret, vbi etiam alij socij ei adiuncti sunt, qui tamen eum non sunt imitati, & ideo cum eis non perseuerauit, vt ex ca. 21. constat. Vnde (vt c. 22. subiungitur) solus recessit in terram desertam vocatam Stabulum Rhodis, quæ est in territorio Senensi, vt rectè probat Cæsar Baronius in annotationibus ad Martyrologium decima die Februarij) ibi ergo vsque ad finem vitæ solitariam vitam egit, vnum tantum socium, & ministrum habens. Neque quidpiam aliud de Cœnobiis ab eo constructis, nec de reformatione ab eo facta, in ordine eremitarum Sancti Augustini, nec de habitu particulari eius aut regula à Theobaldo refertur.

VII. *Imò nec fuisse professum statum religiosum.*

Imò quod magis notandum est, ex tota narratione eius non colligitur hunc sanctum virum aliquando fecisse professionem, seu vota substantialia religionis, & præsertim non constat, alicui obedientiam promisisse; sæpius enim, & mutauit eremum, & aliqua ex parte viuendi modum sine dependentia ab alterius voluntate, quapropter status vitæ eius propriè videtur fuisse eremiticus, qualis olim fuit in Paulo, Hilarione, & aliis Anachoretis, quos suprà diximus non esse integrè religiosos ex defectu subiectionis, & obedientiæ.

Vide Aluarum Pelagiū lib. 2. de planctu Ecclesiæ c. 51 & 23

VIII. *Quomodo potuerit dici reformator, atque inde Guillelmitas vocari ipsos reformates.*

Fieri tamen potuit, vt exemplo huius sancti viri eremitæ, qui tunc erant, fuerint reformati. itaque licèt per se ipsum Cœnobia non ædificauerit, neque habuerit, nisi vnum, vel duos veros discipulos, per illos postea potuit plures procreare. Quod indicatur in vita eius cap. 22. vbi de Alberto eius discipulo dicitur, *nec fraudatus est à suo desiderio vir desideriorum* (id est, Guillelmus) *proficiente in hoc eius discipulo* (id est, Alberto) *vt postmodum multorum Pater fieret filiorū*, vbi significatur Albertum illum eremitas illos propagasse. Ibidem etiam fit mentio alterius discipuli *Venerabilis Petri prioris Montis de Pruno*, qui videtur esse ille cui hospitale commendauit, vt suprà diximus per hunc ergo potuit etiam congregatio seu vita eremitarum reformari, & à primo authore Guillielmitæ vocari. Quomodo autem hi omnes pertineant ad progeniem Augustini, aut ad ordinē eius, non video, nisi aliunde constet, aut discipulos Guillelmi regulam Augustini, & habitum eius recepisse, & rigorem aliquem iuxta exemplar & consilia sui magistri addidisse.

IX. *Negat eremitas Augustini vocatos esse à Bonifacio VIII.*

Idem censeo de alio genere eremitarum, qui ad hanc congregationem reducti sunt ab Alexandro IV. quorum author fuisse dicitur Ioannes Bonus, qui floruit tempore Innocentij III. & fuit vir eremita egregiæ sanctitatis, & magnæ austeritatis, vt refert Antonius 3. p. tit. 24. cap. 13. Ex quo loco constat ad eum, in suo eremitorio permanentem, plures accessisse, qui imitatores vitæ illius facti sunt; illi ergo vsque ad Alexandrum IV. propagati fratres *Ioannis Boni*, vocati sunt, & iidem esse cēsentur; qui eo tempore *Fratres pœnitentiæ Iesu Christi* vocabantur. In gestis autem ab hoc Ioanne Bono, nihil referri reperio de habitu, aut regula, aut ordine S. Augustini, sed tantùm de vita eremitica, & austera in generali. Vnde sectatores eius sicut ab Augustino nomē non acceperunt; ita nec in speciali modo viuendi, seu in specifica ratione status, vt sic dicam, sed solū in genere eremitarum cum successoribus Augustini, si qui fortasse tunc erant, conuenisse videntur. Atque ad eūdem modum stierunt fortè eo tempore per Italiam, & alias prouincias alij eremitæ, vel anachoriticam, vel cœnobiticam vitam agentes, variis, tum habitibus, tum etiam consuetudinibus, vel constitutionibus vtentes, de quibus nobis nihil certò constat in particulari, sed solùm in hac generalitate, & confusione, hanc enim varietatem historiæ indicant, & Bulla Alexandri IV. supponit. In hac autem multitudine eremitarum verisimilius est multos fuisse sub hoc nomine eremitarum S. Augustini; nam coniecturæ suprà factæ id ostendūt, & in multis prouinciis, & regnis reperiuntur antiqua monasteria illius appellationis, & nominis, & Scripturæ etiam antiquæ, quæ talium monasteriorum mentionem faciunt. An verò plura, vel pauciora horum monasteriorum, vel eremitarum fuerint huius, vel alterius religionis, mihi non constat.

X. *Duplex eremitarum genus, alij ad Benedictum, alij ad Augustinum pertinent.*

Non omittam autem hic aduertere, satis esse obscurum, & incertum in historiis, an *monachi*, & *eremitæ*, siue solitarij, siue cœnobitici, qui in occidente fuerunt à morte Augustini, vsque ad D. Benedictū, fuerint eiusdem professionis, ita vt illa nomina tā quam synonyma accipienda sint, vel in re ipsa aliqua sit inter eos constituenda differentia, nam hinc pendet alia quæstio; an scilicet tempore Alexandri IV. soli illi qui eremitæ nuncupabantur, & à monachis in aliquo sibi proprio distinguebantur, ad hāc religionem ordinis eremitarum reducti fuerint, vel vtrùm aliqui etiam ex monachis in hac reductione fuerint comprehensi. Nam in hoc etiam inuenitur diuersitas in chronicis huius religionis, & ex illis terminis pendent multa, quæ de hac antiquitate dicuntur. Interdum enim dicunt eremitarum Augustini institutum fuisse distinctum à monachali, interdum verò huius professionis faciunt ferè omnes antiquos sanctos, qui post Augustinum monachi fuerunt, ante Benedictum, vel extra regulam eius, vt Fulgentium, Columbanum, & similes; sed quod ad primum attinet, difficile est differentiā illam explicare, quia licèt nomen *Eremitæ* proprio, seu *anachoretæ* fumi solet, vt præcedenti libro notauimus cum Isidoro lib. 7. Originum cap. 13. & lib. 2. de officiis Ecclesiasticis cap. 15. tamen hic ad cœnobitas extenditur, qui in eremis degunt, constat enim eremitas S. Augustini cœnobitas fuisse; *Monachi* autem propriè, & specificè sumpti in hoc sensu etiam agunt solitariam vitā ex vi suæ professionis,

vt con-

Vt constat de S. Benedicto, Bernardo, Bruno, & aliis, & ante hos de Antonio, Basilio, & aliis orientalibus; quæ igitur differentia assignari potest inter eremitas, & monachos eorum temporum.

XI. *Vnum signũ distinctionis inter monachum & eremitam Augustinianum reiicitur.*

Dicunt aliqui, non tam in instituto vitæ, quàm in aliquo signo externo distinctos fuisse: Duo autem signa ponuntur, vnum est, quia eremitæ incedebãt præcincti cingulo ex corio; nam Antoninus suprà refert Augustinum præcinxisse se huiusmodi cingulo, ad differentiam monachorum. Sed vt suprà dixi, illud non habet authoritatem, & præterea differentia illa parum momenti esse videtur. Nã Cassianus lib. 1. suarum institutionum cap. 2. cingulum monachi ponit inter vestimenta eius, quod cingulum dicit fuisse pelliceum ad imitationem Eliæ, qui incedebat zona pellicea accinctus renibus 4. Regum 2. quod etiam dicitur de Ioanne Baptista Matthæi 3. idem habet Basil. in reg. fusi. disp. c. 23. & Ioann. Hierosolym. lib. de instit. prim. monach. cap. 37. qui omnes tanquam insigne monachi ponunt zonam pelliceam. Alij pro differentia assignant quòd eremitæ incedebant baculos in manibus portantes, ex quodam breui Alexandri IV. vbi indicat hãc fuisse differentiam inter habitum eremitarum Sancti Augustini, & habitum monachorum; quod eremitæ baculos in manibus ferebant; sed hæc etiam differentia, & parui momenti est, & incerta, quia non constat vel eremitas hoc habuisse ex institutione, aut ex generali consuetudine, neque etiam è conuerso constat monachos nunquam incessisse portantes baculos in manibus. Quin potius Ioan. Hierosolym. de institut. antiq. monach. cap. 41. hoc ponit tanquam ex more antiquorum monachorum, quod ab Eliseo deducit, quem baculum habuisse constat ex 4. Reg. 4. Apud Augustinum quoque inter eremitam cœnobiticam vitam agentem, & monachum nullum discrimen inuenitur, vt constat ex locis adductis, præsertim ex psalmis, & ex sermonibus ad fratres in eremo, cuiuscunque tandem authoris sint, idem constat, vt videre licet sermone 14. 22. & sequentibus. Imò nomen eremitæ rarò, vel nunquam apud Augustinum inuenitur, sed tantum nomen monachi, aut solitarij.

Datur aliud signum.

Neque apud Augustinũ legitur differentia vlla inter suum eremitam, & monachũ

Existimo ergo discrimen hoc inter *monachum* & *eremitam* non esse antiquum, nisi hæ voces in illa significatione sumantur, vt eremita significet anachoretam, & monachus cœnobitam contemplationi deditum, & à communi hominum habitatione separatum, quorum vitam distinctam describit Augustinus, lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 31. licèt propria nomina eis non imposuerit. Vnde sicut omnes monachi, qui fuerunt post Augustinum, professores sui instituti fuerunt, ita neque omnes eremitæ, quod est manifestum, præsertim extra Africam: nam in Africa aliqui volunt religiosos omnes, qui post Augustinum fuerunt, siue clericos, siue laicos, quocunque nomine *monachorum*, vel *eremitarum* appellentur, fuisse progenitos ex aliquo monasteriorum Augustini, quod non repugnat ita contigisse, vt per se patet, tamen non satis ostenditur ita fuisse. Quia in illo tempore non erant monasteria religiosorum exempta, neque ita inter se vnita sub vno Prælato communi, seu generali, sicut nũc sunt, sed in vnaquaque Diœcesi, monachi erant subditi Episcopo illius loci, & ab illo approbabatur ritus viuendi illorum. Vnde sicut Augustinus in sua Diœcesi monasteria condidit, vel antequam esset Episcopus approbante Valerio, vel iam Episcopo, sua authoritate; ita potuerunt postea alij Episcopi in Africa condere propria monasteria vel secundum regulam Augustini, vel secundum aliam propriam, & ita in vita Fulgentij cap. 4. legimus Faustum Episcopum sibi monasterium construxisse, in quo

XII. *Authoris sententia quod nomen eremitæ pro Augustinianis non sit admodum antiquum.*

Neque intra Africam omnes post Augustinũ religiosi, eius eremitæ fuisse constat.

Fulgentius factus fuit monachus, & in cap. 8. fit mẽtio alterius monasterij Felicis Abbatis, vbi postea Fulgentius Abbas fuit, & cap. 12. fit mentio Beati Eulalij, Episcopi Syracusani, & cap. 14. commemoratur aliud monasterium Viuencense; ad quod tentauit Fulgentius diuertere, quia in eo rigidi propositi antiqua disciplina seruabatur. Et ipsemet Fulgentius iam factus Episcopus in suo Episcopatu proprium monasterium ædificauit cap. 19. & postea aliud cum esset à Tyranno relegatus, in quibus omnibus nulla fit mentio regulæ S. Augustini. Imò *Abbatem* nominat, quod nomen in religione S. Augustini videtur inusitatum. Item commemorat *perpetuam abstinentiam à carnibus*, de qua non est vsus inter eremitas S. Augustini. Quæ coniecturæ non conuincunt illos monachos non fuisse eremitas S. Augustini; potuerunt enim in his accidentalibus esse varij mores, licet religio esset eadem, & eandem haberet originem, faciunt tamen rem dubiam. Vnde etiam incertum est, an omnes monachi, qui ex Africa prodierunt, fugientes aut Vandalorum persecutionem; aut postea Maurorum, Augustiniani fuerint, quia si in Africa discursu temporis multiplicata fuerunt instituta, ex omnibus illis exire potuerunt.

XIII. *De religiosis extra Africam res est certa.*

Multo autem certius est non omnes eremitas, qui extra Africam fuerunt, post tempora Augustini, fuisse illius successores, nam vt diximus, etiam ante Augustinum erant eremitæ in Italia. Item quia diximus eremitas, & monachos cum proportione sumptos, eosdem fuisse illo tempore, id est, vel cœnobiticos inter se comparatos, vel anachoretas inter se. At constat non omnes monachos Italiæ Augustinianos fuisse vllo tempore. Denique D. Gregorius in Dialogis plures commemorat monachos ante tempora S. Benedicti, vt in lib. 1. de Equitio, Anastasio, Martino, & lib. 2. de Romano monacho, qui Benedicto habitum religiosum tradidit, ac ministrauit, quem nullus hactenus dixit esse eremitam Augustinianum, nec de reliquis cum fundamento affirmari potest. Illi autem monachi erant reuera eremitæ; vel ex solitariis, vel socialibus.

XIV. *Post Benedictum monachi ab eremo in quibuscunque videntur fuisse distincti.*

Probabile autem est post tempora D. Benedicti aliquam fuisse obseruatam distinctionẽ inter monachos, & eremitas, præsertim in Europa, seu in Italia: nam religiosi S. Benedicti nunquam vocati fuerunt eremitæ, vt constat ex modo loquendi, tam iurium, quàm historiarum; imò videtur nomen *monachorum*, quasi per antonomasiam fuisse accommodatum, ad professores illius instituti, & aliorum, qui ab eo manarunt, vel qui Benedicti regulam susceperunt, vt suprà coniectauimus. *Eremitarũ* autem nomen retentum est ab aliis, qui in eremis religiosam vitam agebant, vel sine speciali regula Augustini; imò multi erant, qui veram religionem non profitebantur, vt notat Archidiaconus in cap. *cum ex eo* §. vltimo de excessibus Prælatorum in 6. & eremitæ illi qui ab Alexandro IV. in hanc religionem redacti sunt, religiosi omnes erant, vt videtur verisimilius, distincti verò à monachis in sensu explicato, id est, ab his, qui monastica instituta, quæ nunc sunt in Ecclesia, profitebantur. Inter se verò non vnius rationis erant, sicut nec vnius nominis, habitus, aut regulæ: verisimilius autem est quamplures eorum, seu aliquam familiam ex eis præcipuam ex successoribus Augustini fuisse, nonnullos etiam quamuis proprios habuerint fundatores, regulam Augustini susceperisse.

Quales eremitæ sint ab Alexandro IV. in Augustinianam familiam redacti.

An

An ex eremitis, quos Alexander IV. in vnam religionem coëgit, noua religio fuerit instituta, an tantum Augustiniana reformata.

XV. Supereſt, vt de tertio puncto n. 1. propoſito breuiter dicamus, nam ex eo maximè pendet reſolutio dubitationis, circa originē, & antiquitatem huius religionis; nam ſi in vnione facta ab Alexandro IV. ex multis familiis vna religio ab illis diſtincta orta eſt, erit hæc noua religio, cuius initium ab eo tēpore computandum erit, ſi verò aliter facta eſt illa vnio, aliter etiam de origine huius religionis cenſendum erit. Videtur autem noua religio tunc inchoata. Primùm, quia ſicut in naturalibus, quando ex ſimplicibus inter ſe miſtis aliquid vnum generatur, illud diſtinctum eſt ab ipſis ſimplicibus, nouamque originem, & diſtinctam ab illis habet, ita in moralibus, atque adeo in præſenti mixtione, & quaſi tranſmutatione cenſendum videtur.

1. Argu. partis affir. æquam religionem fuiſſe inſtitutam.

XVI. Ad hoc tamen optimè reſponderi poteſt, non eſſe comparandam illam vnionem ſubſtantiali mixtioni, quæ fit ex conuerſione plurium in vnum tertium à ſingulis miſcibilibus diſtinctū: ſed mixtioni, vel vnioni, quæ fit ex pluribus, quorum vnum cætera in ſe ſubſtantialiter conuertit, quamuis inde fortaſſe maneat affectum aliquibus qualitatibus aliarum rerum, quas in ſe conuertit, ſicut ex aqua, & vino fit vnum lymphatum, quod totum ſubſtantialiter vinum eſt, quia vinum aquam in ſuam ſubſtantiam conuertit, licet qualitatibus aquæ affectū maneat. Sic enim in præſenti non ita fuerunt ex multis familiis vna effecta, vt omnes reliquerint inſtitutum ſuum, & vnum nouum acceperint, quaſi nouam omnino formam, ſed retento Auguſtini inſtituto in ea familia, quæ ſub illo militabat, reliquę omnes illi ſe ſubdiderunt, & relicta ſua origine, ad Auguſtini familiam tranſierunt; ideoque eadem religio, Auguſtiniana in tota illa congregatione permanſit, & aucta eſt, non ſubſtantialiter mutata, quamuis quoad aliqua accidentalia nouam formā acceperit. Quod autem res ita acciderit, coniectura ſit; Primò, quia in Bulla Alexandri IV. non dicitur, vt omnes eremitæ ad nouam religionem tranſeāt, ſed vt ad eremitas S. Auguſtini reliqui omnes aggregentur, ſub eiſdem conſtitutionibus, & regimine. Et Antonin. loco infrà citando his verbis refert hanc vnionem. *Erant tum temporis in diuerſis mundi regionibus diuerſi eremitæ ſub diuerſis titulis diuerſimode viuentes, quos omnes Innocentius eremitis S. Auguſtini coniunxit, reducens eos ad vnum ouile ſub vno paſtore.* & infrà. *Muniens eos pluribus priuilegiis & gratiis, quorum omnium exēplaria, & nonnulla originalia ſub bulla ego vidi.* Secundò ex nomine, regula, & habitu; quæ maximè indicant originem & inſtitutum: hæc enim vnio facta eſt ſub regula S. Auguſtini, & ſub appellatione eremitarū S. Auguſtini, & ſub habitu quē Auguſtinus induiſſe creditur, vel in baptiſmo, ſi ſermo ille Ambroſij recipitur, vel certè poſt baptiſmum, antequam fieret presbyter. Nam ex vita Fulgentij c. 18. colligitur, ſimilem habitum portaſſe in monachiſmo, & ita illum amaſſe, vt in Epiſcopatu illum non reliquerit, quod eſt magnum ſignum Auguſtinum illum monachalem habitum in Africam inuexiſſe. Tertiò, quia aliàs dicendum eſſet, Innocentium IV. vel Alexandrum IV. fuiſſe huius religionis fundatorem, & ab illo primam duxiſſe originem, quod eſt plane falſum, & contra mentem iſtorum Pontificum, & aliorum quos ſtatim refemus.

Reſponſio ad hoc arg.

Suadetur dicta reſponſio triplicit er

XVII. Sed licèt hæc reſponſio videatur magna ex parte ſatisfacere, adhuc ſupereſt difficultas, quia in ea vnione ipſamet Auguſtiniana profeſsio ita videtur mutata, vt nihil ex ea retentum fuerit, præter regulam & titulum Sancti Auguſtini, quæ duo non ſufficiunt, vt hæc cenſeatur eadem religio, quæ fuit ab Auguſtino inſtituta, & conſequenter, neque vt ab illo ſumat antiquitatem, & originem. Maior declaratur, quia inprimis quod ad habitum ſpectat, iam diximus incertum eſſe an Auguſtinus tempore baptiſmi monachalem habitum receperit. Deinde eſto vel tunc, vel ſaltem in Africa ante presbyterium illum habitum ſuſceperit, vt probabilius credimus, nihil tamen ſingulare, vel ſpeciale de illo habitu affirmari poteſt, præter id quod tunc reliquis monachis commune erat. Duo enim ſigna eiuſdem habitus præcipua eſſe creduntur, ſcilicet corrigia ex corio, & cuculla nigra, hæc enim duo in eo ſermone Ambroſiij commemorantur, & in vita Fulgentij inſinuantur, neutrum autem ex his fuit peculiare ornamentum eremitarum S. Auguſtini. Nam corrigia ex corio, & zona pellicea idem ſunt; oſtendimus autem ſuprà numer. 11. zonam pelliceam communem fuiſſe omnibus monachis, tam orientis ex Baſilio, Ioan. Hieroſolym. & Caſsiano, quàm occidentis & Africæ ex vita Fulgentij, de quo dicitur, *pellicea cingulo tanquam monachus cingebatur.* Ex quo verbo conſtat, quàm ſit difficile intellectu, quod apud Antonium legitur ex ſermo. Ambroſ. Auguſtinū aſſumpſiſſe cingulum ex corio ad differentiam monachorum, cum monachis commune ſit, nec fingi poteſt differētia inter cingulum Auguſtini & zonam monachorum: In quo enim poſita fuit? aut vnde conſtare poteſt? Nam de figura, aut latitudine illius zonæ, vel de colore eius albo, aut nigro, vel fortaſſe naturali, & nulla arte elaborato, nihil certum affirmari poteſt. Quod verò ſpectat ad nigrum colorem habitus, vel cucullæ, refert etiam Ioannes Hieroſolymitanus lib. de inſtitutione monachorum cap. 38. tunicam lanæ quam geſtabant monachi ſubtus ſcapulare *atramentario, ſeu nigro fuſſe infectam.* Et in vita Fulgentij ſolum dicitur *ſubtus caſulam nigellū, vel lactineo pallio circundatus incederet*, vbi obſcurū eſt, quid nomine *caſulæ*, & quid nomine *palli* ſignificetur; manifeſtum autem eſt ex contextu nomine caſulæ externam, ſeu ſuperiorem veſtē, & togam, vel vt clarius dicam, capam ſignificari; Pallium autem, licet alias proprie ſignificet externum veſtimentum, ibi ſignificari internum; nam ſubtus caſulam fuiſſe dicitur, & de hoc ſolùm aſſeritur fuiſſe nigelli, aut lactinei coloris, id eſt, album aut nigrum, probabileq; eſt non fuiſſe artificioſi coloris, ſed illius, qui erat lanæ connaturalis. Ergo ex habitu quem nunc geſtat hæc religio, nihil peculiare colligi poteſt de inſtitutione Auguſtini.

Inſtatur ex parte contra

XVIII. Sed hæc non multum obſtant, nam *habitus non facit monachum*, vt iura dicunt, & ſæpe religio mutationem aliquam in habitu admittit, & nō propterea variatur religio. Vnde multo minus obſtat, quod habitus niger, & zona pellicea fuerint aliis monachis communia, ſicut nunc etiam ſunt: nam veriſimile eſt fuiſſe ab Auguſtino vſurpata cum aliquo peculiari modo, quo ſui monachi diſcernerentur à reliquis, quod etiam nunc eremitæ Auguſtiniani obſeruant, cum proportione quadam, non cum identitate, aut integra ſimilitudine, quis enim hoc poſſet cum fundamento affirmare? aut quæ eſt neceſsitas, cum potuerit optimè eſſe ſucceſsio in religione, cum nulla mutatione in habitu quoad figuram, vel quoad qualitatem materiæ, & ſimiles conditiones, iuxta temporum varietatem & opportunitatem. Videatur Antonius 3. p. tit. vltimo cap. vltimo. §. 5. vbi ait Alexandrum Pontificem determinaſſe hunc habitum exteriorem, quem hi religioſi nunc portant; vel reſpiciendo ad primam inſtitutionem, vel declarando in ſua prima inſtitutione nullum determinatum habitum habuiſſe à D. Auguſtino,

gustino, & ideo hunc ipsum Pontificem definiuisse tanquam præsentibus temporibus & regionibus conuenientem, satisque religiosum; interiorem verò habitum ipsi religiosi determinandum reliquit, prout in secunda parte constitutionum huius ordinis c. 5. factum est.

XIX. *Efficax tamen redditur si accedat etiam diuersitas instituti.*

Sed quamuis sola varietas in habitu non sufficiat, si tamen cum illa iungatur diuersitas in fine, & mediis, seu obseruantiis religiosis, videtur planè concludi nullam relinqui conuenientiam inter hãc religionem, & ab Augustino institutam, præter nomen & communem regulam. Constat autem totã hanc mutationẽ esse in hac religione factam. Quod patet primò ex fine. Nam Augustinus instituit eremitas ad finem vitæ purè contemplatiuæ, qualis erat vita omnium monachorum, & in ea ætate: & ideò elegit habitationem eorum in eremo, & ex laicis adhuc ipse laicus monasterium congregauit; ac denique solùm orationi, & psalmodiæ cum aliquo labore manuum eos vacare voluit, quod est proprium institutum monasticum, & purè cõtemplatiuum. Nunc verò finis huius religionis est mixtus, quia non solum contemplationi, sed etiam actioni circa proximos vacat, ex peculiari, & noua institutione. Vt enim refert Antoninus 3. p. historiali tit. 24. cap. 14. §. 3. & habetur etiam in Annalibus Augustiniani ordinis. *Innocentius IV. anno Domini* 1240. *considerans ordines Prædicatorum, & Minorum, fructus salubres in Ecclesia Dei proferre. Eremitas vero S. Augustini sibi solis per bonam vitam prodesse, cœpit velle agere, quatenus & ipsi si.ut Prædicatores & Minores fructum salutarem in Ecclesia Dei producere possent*; ergo mutauit Pontifex illum ordinem quoad finem suum.

Arguitur diuersitas instituti quoad finẽ, & ex 3. arg. patet affir.

XX. *Item ex diuersis mediis, & est 4. argum.*

Inde verò facilè cõcluditur mutatio etiam quoad media; nam prius per se, & ex vi instituti, in locis à communi hominum habitatione remotis habitabant, postea in ciuitatibus & oppidis viuere necesse fuit. Prius per se, & ex vi instituti, erat religio laicorum, quia non postulabat ministeria clericorum; postea verò præcipuam religionis partem, ad ordines assumi necessarium fuit, quia ad concionãdum, & sacramenta ministrandum destinabantur. Item prioribus eremitis necessarium non erat literis vacare, quod tamen facta prædicta mutatione omnino fuit necessarium. Vnde tandem factum est, vt illa religio ex monachali, in mendicantem transierit; antea enim, quamuis fortasse reditus non haberet, ex manualibus operibus sustentari poterat; postea verò, cùm propter studia, & actiones erga proximum manibus laborare non possent, mendicitatem profiteri necessarium fuit; & ita tam ex fine, quàm ex modo viuendi, cœpit esse religio mendicans, ergo ab eo tempore debet censeri instituta in quo mendicans esse cœpit.

XXI. *Nomen & regula Augustini non obstant, vbi finis & media sunt diuersa.*

Quòd autem non sufficiat regulam, aut nomen Augustini retinuisse, vt ab illo instituta censeatur patet, quia etiam religio Prædicatorum retinuit regulam S. Augustini, quam Beatus Dominicus in religione canonicorum regularium prius professus est, & nihilominus nouam ipsam religionem instituit, quia sub illa regula, nouum finem, & noua media illi attribuit, atque eadem fuisset, licet sub Augustini patrocinio, & nomine religionem suam specialiter dicasset; nam hoc ad substantiam religionis valde extrinsecum, & accidentarium esse videtur. Sicut è conuerso ordo sancti Hieronymi, licèt patrocinium, imitationem, & nomen Hieronymi acceperit, non propterea ab eo instituta censetur, quamuis fortasse in instituto quoad finem, & modum viuendi similior sit illi monasterio, quod Hieronymus cum suis monachis constituit, & coluit, quam hæc religio cum Augustiniano eremitico.

Confirmatur tandem ac declaratur; nam eo tempore quo Alexander IV. eremitas omnes in hanc religionem coniunxit, necessarium fuit omnes illos denuo profiteri in tali religione, quia propter nouum obedientiæ genus, ad multa obligabantur, vel obligari poterant, ex vi nouæ obedientiæ, ad quæ non extendebatur prior obedientia eremitica, vt per se constat, & è conuerso multa cessarunt in hoc viuendi modo, quæ in priori ex obedientia iniungi poterant. Paupertas etiam multum immutata est, vt ex dictis constat, ergo necessaria fuit noua professio; ergo signum est fuisse conditam nouam religionem ad quam professores eius ex priori viuendi modo translati sunt. Et ideo licet multi ex illis fortasse fuerint ex veris successoribus Augustini, non potest dici in illa conseruata prior religio, quia ad aliam religionem translati fuerunt, vt discursus factus conuincere videtur.

XXII. *5. Arguitur ex mutata materia in votis obedientiæ, & paupertatis.*

Nihilominus dicendum est, eandem religionem Augustini quæ antea erat, permansisse post reformationem Alexandri IV. quamuis in multis rebus immutata fuerit. Hanc posteriorem partem satis probant omnia hactenus adducta. Priorem autem probat primò Concilium Lugdunense sub Gregor. X. in cap. vnino §. *Sanct.* de religiosis domibus in 6. vbi de hoc ordine Sancti Augustini dicitur, institutum fuisse ante Concilium Generale, scilicet Lateranense sub Innocentio III. quod habetur in cap. *ne nimia.* extra, de religiosis domibus. quo tempore nondum hic ordo erat redactus in eam religionis formam, quam nunc habet. Nam eam formam recepit ab Innocentio IV. & Alexandro IV. anno Domini 1246. triginta annis post Concilium Lateranense, & totidem fere annis ante Gregorium X. ergo ex sententia Concilij Lugdunensis Alexander, vel Innocentius IV. non fecit institutionem huius ordinis, alias non esset verum, quòd institutio eius præcesserit Innocentium IV. ne dum III. & Concilium sub illo celebratum. Ergo post reformationem Alexandri mansit nihilominus eadem religio, quæ antea erat, nam retinuit eandem institutionem quæ præcesserat ante Concilium generale; sed ante illa religio erat descendens hæreditario iure ex institutione Augustini, vt ostensum est, quia nulla alia institutio potest illi attribui; ergo eadem postea mansit.

XXIII. *Prima assertio huius puncti bipartiti.*

Secundò idem probatur ex bulla, & intentione Alexandri IV. nam vt diximus, non eremitas æquè commutauit, sed reliquos variis nominibus nũcupatos ordini eremitarum S. Augustini, cum personis, & locis (ait Antoninus suprà) *effectualiter incorporauit, ac vnuit*; ergo necessarium fuit ordinem eremitarum eundem conseruatum esse; alioqui non magis alij essent illi vniti, quã ipse cæteris; imò nulla fuisset vnio, sed confusio omnium in vnam.

XXIV.

Tertiò, alij summi Pontifices priuilegia, & gratias huic ordini concedentes declarant professores eius esse veros filios, & Augustini successores. Sic Ioannes XXII. concessit eremitis Sancti Augustini præcipuam curam corporis Sanct. Augustini, ædificato Pauiæ monasterio iuxta Ecclesiam in qua erat sepulchrum eius. Quamuis enim etiam ibi esset monasterium canonicorum regularium voluit ædificari aliud eremitarum, & Ecclesiam esse communem dicens (vt Antoninus suprà §. 4. refert) decens esse, & rationi consonum, vt tanquam membra capiti, discipuli magistro, filij Patri suo vniri debeant. Martinus etiam V. Romæ transferri fecit corpus S. Monicæ in Ecclesiam eremitarum, & in Bulla rationem reddit, quia sunt filij, & successores Beati Augustini. Eisdemque verbis, & ratione vtitur Clemens VIII. in quadam Bulla, in qua indulgentias. quasdam concessit Lusitaniæ Prouinciæ

XXV.

pro capitulis Generalibus: senserunt ergo dicti Pōtifices institutionem Augustini de eremitis, in hoc ordine conseruari, alioqui non magis essent hi religiosi Augustini successores, & hæredes, quàm alij, qui eius regulam profitentur.

XXVI. Denique in hac religione inuenitur quidquid ad moralem vnitatem cum ea, quam Augustinus instituit, sufficit. Nam (quod caput est) conseruata est continuata successio: Etenim vsque ad Alexandrum IV. familia eremitarum S. Augustini, pura vt sic dicam, perseuerabat, sicut ostendimus fuisse, vsque ad Innocentium IV. per mixtionem autem (vt ita loquamur) factam ab Alexandro non est interrupta successio, sed numerus filiorum creuit per translationem aliorum ad ipsos: vnde Antoninus supra §. 3. cùm dixisset Pontificem incorporasse alios eremitas ordini S. Augustini, subdit, *Dispensans cum eis super diuersarum professionum, & obseruantiarum ligamine, quibus antea in prædictis, vel aliis ordinibus astricti quomodolibet tenebantur.*

XXVII. *Ad 5 argu. in num. 22.* Ex quo obiter soluitur facilè obiectio superiùs numer. 22. facta, de iterata, seu renouata professione; nam in aliquibus fuit tunc necessaria noua professio, fortasse solùm fuit in aliis eremitis, qui non erant Augustiniani ordinis, nec eius regulam profitebantur. In Augustinianis verò, vel non fuit necessaria noua professio, sed solùm acceptatio noui regiminis, & alicuius reformationis, quoad aliquas cōstitutiones, vel quamuis fuerit necessaria aliquo modo noua professio, non tamen substantialiter diuersa, sed solùm quoad aliquam additionē, quoad obedientiam præstandam vni Prælato communi, & Generali totius ordinis, quem antea non habebant. Hæc autem mutatio planè accidentaria est. Præterea in regula, & viuendi modo, seruat hæc religio vnitatem cum Augustino, quantum moraliter potest, in cuius rei significatione in suamet professione promittunt obedientiam Deo, *& Beato Patri Augustino*, & suis Superioribus, iuxta regulam eiusdem Patris Augustini. *Nota.* In quo aduerto differentiam inter modum profitendi secundùm regulam Augustini, in hac religione, & in aliis, eandem regulam profitentibus. nam in religione v.g. S. Dominici promittitur obedientia Beato Dominico, secundùm regulam Beati Augustini, & institutiones Fratrum Prædicatorum, & sic de aliis. Hic verò promissio fit Beato Augustino tanquam proprio Patri, & institutori, & simpliciter fit secundùm regulam eius, neque fit mentio aliarum constitutionum, quasi non ita per se pertineant ad hoc institutum, sed solùm ad perfectiorem regulæ obseruantiam.

XXVIII. *Ad 3 arg. in num 19* Nec denique obstat obiectio de mutatione finis, aut mediorum (quæ enim nu. 15. & 17. obiecta sunt, responsione iam non egent) primò; quia, vt suprà dixi in rebus moralibus, quæ solum per successionē habent vnitatem, quando hæc mutatio sensim fit, non censetur tollere vnitatē corporis politici, maximè si quoad substantiale vinculum conseruatur: nam etiam corpus physicum in vita hominis idem censetur, licet paulatim multipliciter mutetur, adeò vt complexionem etiam mutare soleat. Deinde hæc mutatio etiam est solum per quandam additionem, nam retento fine propriæ perfectionis, & contemplatiuæ vitæ, extensa est hæc religio ad procurandum etiam commune bonum, vt ex suprædictis; & constitutionibus huius religionis constat.

XXIX. *Ad 4 in num. 20.* Addo insuper hoc non fuisse omnino nouum in hac religione; nam D. Antoninus dicto cap. vltim. §. 6. sic inquit, *Vt fratres huius religionis sic congregati, & vnitim Ecclesia Dei ad instar patrum Prædicatorum, & Minorum, fructum facere possent, sicut & ipsi olim ante suam dispersionem tempore Beati Augustini fecerunt in Africa, ordinauit Pontifex Alexander IV. quatenus ipsi fratres alicuitates deberent se transferre*, &c. Et Cæsar Baronius tom. 5. anno Domini 398. post medium aduertit in Ecclesia Africana ab Augustini præsertim ætate monachismum & clerum fuisse valde coniunctum, ita vt & clerici religionem profiterentur, & monachi ad clerum & ministeria clericorum assumerentur, & in sermone 14. ad fratres in eremo inquit Augustin. (si fortasse author est eius) se tria monasteria ædificasse; vnum in deserto, aliud in horto propè ciuitatem, & aliud clericorum in Ecclesia, subditis statim; *Ad fratres nostros & clericos, qui in vrbe habitant, quibus expedit etiam, prædicare verbum Dei, pertinet, non solum diligere iustitiam quoad se ipsos, sed etiam iudicare, reprehendere, obsecrare, increpare, in omni patientia, & doctrina populum electum Dei*, &c. Quod sanè per se verisimile est secluſa authoritate illius sermonis, (quæ contemnenda non est) nam suprà ostendimus Augustinum reuera illa tria monasteria ædificasse; cōstat etiam ex aliis locis eiusdem Augustini multos ex fratribus suis eremitis diuinarum Scripturarum lectioni, & studiis vacasse, & in vita Augustini refert Possidius ex illo monasterio multos fuisse ad Episcopatum assumptos, vita, & doctrina illustres; cùm ergo in loco habitarent commodo ad proficiendum aliis, verisimile est huic etiam officio perfectionis operam dedisse: nam cum vita monastica non repugnat, licet vita illa per se ad hoc ordinetur. Ex his ergo satis constat origo & emanatio huius religionis ab Augustini institutione.

XXX. *Obiectio contra primam ipsius conclusionem.* Dicere verò quispiam tandem poterit, ordinem ab Augustino institutum, non fuisse ab Ecclesia Romana approbatum ante Concilium Lateranense sub Innocentio III. & consequenter, tunc non meruisse nomen religionis, quia nunquam potuit esse religio simpliciter sine Ecclesiæ approbatione. Antecedens patet, tum ex motu proprio Pij V. suprà citato sub initium capitis 6. vbi declarat primum ordinem ab Ecclesia approbatum fuisse ordinem Prædicatorum: tum etiam, quia non constat de tali approbatione. Vnde in dicto §. *Sanct.* de religiosis domibus in 6. non dicitur hic ordo approbatus, vel confirmatus, sed solum institutus ante Cōcilium Lateran. Occurret forte aliquis, legitimam institutionem semper includere approbationē sufficientem; nam sermo est de institutione, quæ licitè potest obseruari, & exerceri, hoc autem nunquā fine approbatione licuit, vt suprà ostensum est. Olim autem Episcoporum approbatio sufficiebat, & hanc potuit habere ordo Augustini, vel à Valerio antecessore Augustini, si consideretur hic ordo, prout inchoatus ab Augustino ante presbyterium; vel ab ipso etiam Augustino iam Episcopo. Et quāuis hæc approbatio in principio fuerit tantum pro vna Diœcesi, postea paulatim acceptata est à cæteris Episcopis, vsque ad Romanam sedem; & ita tandem peruenisse ab absolutam, & vniuersalem approbationem totius Ecclesiæ, saltem tacitam, quæ æquiualet expressæ.

XXXI. Sed adhuc cōtra hoc instari potest, nam licet hoc sit verum de approbatione quasi permissiua, quæ sufficit ad honestum & pium viuendi modum, non tamen de approbatione canonizante (vt sic dicam) talem statum, & habentem eam authoritatem infallibilem, quam habet confirmatio religionis authoritate Pontificia solenniter facta. Antecedēs patet, quia omnes alij eremitarum ordines, qui erant ante Alexandrum II. & per eū sunt ad hanc religionem reducti, permittebantur à Pontificibus Romanis, ipsis videntibus, ac tacentibus, vel etiam priuilegia eis concedentibus, & tamen nō propterea erāt religiones approbatæ illo singulari, ac perfecto modo, ergo idem dici potest de eremitis S. Augustini.

Respon-

XXXII. Respondeo in primis, interdum tacitam approbationem posse esse tantam, vt expressæ æquiualeat, & æqualem cum illa habeat authoritatem, sicut de canonizatione sanctorum dici solet, & cõstat de antiquis sanctis, sola vniuersali traditione totius Ecclesiæ canonizatis, par enim est ratio de authentica approbatione religionis, vt videre etiam licet in antiquis religionibus S. Benedicti, & Basilij, & in eodem gradu ponenda est religio eremitarum S. Augustini; nam in cap. *pernicioſam* 18. q. 2. regula Augustini, & consequenter ordo eius, æquè censetur sufficere ad religionem approbatam ac regula Basilij, vel Benedicti; est autem illud decretum Cõcilij Romani sub Innocentio II. quod constat esse multo antiquius; potest igitur duplex approbatio tacita distingui: Vna qua solùm permittitur aliquis modus viuendi, non sub certo, & firmo iudicio de illius perfectione vel congruitate ad perfectionem assequendam, sed quasi negatiuè se habendo, & non improbando talem viuendi modum, quia de illius malitia non constat. Alia verò est approbatio, quæ licet consuetudine introducatur, & ideo tacita vocetur; ad eum tamen gradũ peruenit, vt recepta & firma opinione totius Ecclesiæ, & iudicio summorum Pontificum, factis ipsis priuilegiis sufficienter declarato, sit sufficiens, vt per eam proponatur aliquis status, tanquam vera perfectionis via, & hanc approbationem dicimus æquiualere expressæ. Hoc igitur secundo modo dicimus ordinem D. Augustini fuisse ab Ecclesia approbatum longe ante Concilium Lateranense. nam hoc indicatur in dicto cap. *pernicioſam.* iuncto cap. *nenimiam.* de religiosis domibus. ibi. *Sed quicunque ad religionem conuerti voluerit, vnam de approbatis assumat, & qui voluerit religiosam domum de nouo fundare, regulam, & institutionem accipiat de approbatis.* Nam certum est ibi esse sermonem de approbatione perfecta; certum item est sub illis religionibus approbatis comprehensam tunc fuisse religionem eremitarum Sancti Augustini, quidquid fuerit de aliis eremitis; nam hoc probat dictum cap. *pernicioſam.* & cap. *inſinuante.* Qui clerici, vel vouentes, quod est eiusdem Innocentij III. & de simili institutione existimo loqui §. *Sane.*

XXXIII. Denique explicatur in hunc modum. nam D. Augustin. circa statum monachorum, quem in Ecclesia inuenit, & Mediolani ac Romæ vidit, duo tantum fecisse videtur, vnum est, quod illum inuexit in Africam vbi nondum erat in vsu; aliud est, quòd peculiarem regulam illi addidit, in cæteris nihil immutasse, aut statuisse videtur, nec de habitu, vt ex his, quæ suprà expendimus, satis constare videtur, & planè sensit Antoninus suprà, & Baronius 6. tom. circa annum Domini 54. nec de aliis ritibus, aut cæremoniis præter ea quæ in dicta regula continentur, quia neque ex scriptis eius, neque ex vlla historia, vel traditione aliud quippiam habemus. Status autem monasticus, seu eremiticus, qui, vt à numero 10. diximus, idem erat, satis fuit approbatus, & confirmatus etiam ante Augustinum per traditionem Apostolicam, vt suprà lib. præced. latè probatum est: regula item Augustini multo ante Innocentium III. Ecclesiæ vniuersalis approbationem meruit, & obtinuit, & aliqui affirmant Innocentium I. tam expresse approbasse, & præcepisse eremitis omnibus per Italiam, vt secundùm eam viuerent, de qua approbatione aut præcepto nihil in Conciliis inuenio, neque inter opera Innocentij III. Tamen inter priuilegia & chronica ordinis eremitarum contineri dicitur à Hieronymo Romano li. 6. Reipub. cap. 5. & 6. Quidam etiam referunt approbationem Eugenij II. in concilio Remensi, sed nec Remense Concilium, neque aliquod aliud inuenio sub hoc Pontifice celebratum. In Remensi autem Concilio celebrato sub Leone III. solùm fit mentio regulæ S. Benedicti in canone 9. Eadem verò approbatio satis supponitur ab Innocentio II. in dicto c. *pernicioſam.* Igitur ex eo saltem tempore, ex quo cœpit regula Augustini habere hanc approbationem, cœpit ordo ab ipso institutus esse approbatus, eo modo quo ordo S. Benedicti suo tempore approbatus fuit.

XXXIV. Nihilominus addendum est, hunc ordinem eremitarum habuisse nouam, & solemnem approbationem ab Alexandro IV. quia reuera illa indiguit quamuis enim non fuerit religio de nouo instituta, talem formam, & mutationem accepit, vt sine speciali approbatione Pontificis firmitatem habere non potuerit. Primùm enim omnia monasteria, quæ antea erant diuisa, in vnum corpus redacta sunt, sub vno Generali Prælato, quem antea etiam non habebant. Secundò, quoad multa nouum viuendi modum accepit hæc religio, quæ in superioribus tacta sunt; suntque ex rebus præcipuis ad religiosum statum pertinentibus præter substantialia vota, & regulam. Tertiò hinc factum est, vt hæc religio ab eo tempore inter mendicantes numerari cœperit, nam antea, & imperfectam vnitatem religionis habebat, & monachalis potiùs, seu eremitica reputabatur, quia sibi soli, & nõ proximis incumbebat, & quia ex propriis reditibus, & his deficientibus, ex labore manuum, non emendicato viuebat, & quod caput est, à nullo Pontifice inter mendicantes recepta fuerat. Quartò ex tunc cœpit esse exẽpta, & sub speciali sedis Apostolicæ protectione recepta. *** Hæc sunt quæ de hac sacra eremitarum S. Augustini religione in Authographo manuscripto inuenire potuimus.

2. Assertio quodammodo restringens primã.

CAPVT X.

Vtrùm sacer ordo Carmelitarum vnus ex mendicantibus sit; quamque originem, & institutionem habuerit?

I. CArmelitarum religio, quò antiquiorem creditur habere institutionem, eo minus certam, & exploratam habet originem, ac perpetuam successionem; est autem valde recepta, & satis antiqua traditio, religionem hanc à temporibus prophetarum, & signatim ab Eliæ institutione suam ducere originem, & quasi hæreditariam successionem in monte Carmelo, à quo nomen etiam accepit; quam traditionem, vt veram suscipimus; præcipuè quia septem summi Pontifices Sixtus IV. Ioannes XXII. Iulius III. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. & Clemens VIII. in bullis huic ordini concessis, de professoribus huius sacri instituti ita loquuntur: *tanquã religionis speculum, & exemplar charitate fulgentes, sanctorumque prophetarum Eliæ & Eliſei, & aliorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli, iuxta Eliæ fontem habitarunt, successionem hæreditariam tenentes*, &c. Vnde Sixtus V. huic religioni concessit, vt Eliam & Eliseum, tanquam suæ institutionis patronos coleret, dies festos in eorum honorem celebrando, propriaque officia in eorum memoriam recitando: quod ipsa religio studiosè seruat, & in ipso officio nomen & solennitatem Patroni Eliæ tribuunt. Quale autem sit, & in quo fundetur hoc (vt ita dicam) ius patronatus, quę sit etiam hæc origo & successio, licèt à multis multa dicantur, non facilè explicatur; breuiter autem dicam, quid mihi certum, quid probabilius, quid verosimile, quid obscurum, & ambiguum, vel etiam minus verum videatur.

Vera traditio successionis ex Elia.

II. Primò ergo certum est, Eliam vitam eremiticam coluisse, vbi cum magna corporis austeritate, diuturnam animi contemplationem cõiunxit, quamuis

1. Assertio, Eliam &

contempla tiuam, & actiuam ergà proximos exercuisse.

uis interdum diuino iussu & propter Dei honorem, & proximorum salutem, ad prædicandum, & docendum descenderet. Totum hoc colligitur ex Scriptura à capite 17. libri 3. Regum vsque ad c. 2. libri 4. Cum enim ante hæc loca nulla facta fuisset mentio Eliæ, nec superioris vitæ eius, neque ortus, aut parentum illius, quasi ex abrupto introducitur Elias magna libertate prophetizans coram Achab, & statim subiungitur vocatio Dei illum vocantis ad solitariam, & eremiticam vitam. *Recede hinc, & vade contra orientem, & absconderis in torrente Carith, qui est contra Iordanem, & ibi de torrente bibes, coruisque præcepi vt pascant te.* Quem locum luculenter ad hoc propositum expendit Ioannes Hierosol. lib. de institutione primorum monachorum à c. 3. vsque ad 9. tom. 9. biblioth. Patrum.

III. *Obiectio contra pronuntiatum.*

Dicet verò non immeritò aliquis, ex hoc loco minimè colligi vocationem aliquam Eliæ ad vitã eremiticam, vel religiosam. Omisso enim allegorico sensu, quem ille author late prosequitur, à quo non sumitur efficax argumentum, si literalem spectemus, Deus non præcepit Eliæ vt absconderetur in torrente Carith, vt ibi solitariam vitam, aut eremiticam ageret, sed solùm ne ab Achab inueniretur in principio illius sterilitatis, & siccitatis, quã Deus in pœnam peccatorum eius mittebat. Prædixerat enim Elias Achab, fore vt non plueret, donec ipse Elias id diceret, & ideo absconditus est ne cogeretur aliquid dicere, vel ea occasione aliquid mali pateretur: vnde c. 18. dixit Abdias Eliæ, Achab quæsiuisse illum per omnem locum, nec inuenire potuisse. Item, quòd non alia ratione, nec propter vitam eremiticam iussus fuerit Elias in torrente Carith abscondi, signum est, quia postea siccato torrente iusserit Deus Eliam abire in Sarepta Sidoniæ, & ibi nutriri vel morari, in domo viduæ, vbi per plures dies mansit. Et postea non legitur Elias habuisse vnquam firmam habitationem in deserto, sed interdum in ciuitatibus, interdum in desertis fuisse, prout iniqua temporum conditio permittebat: interdum enim quærebatur ad necem, & in speluncis montium latitabat, interdum verò iussu Dei reuertebatur ad ciuitates, & alia loca. Non ergo constare potest ex sacra Scriptura illum vitam eremiticã instituisse, sicut S. Athanasius fugiendo persecutionem, interdum latitabat in sepulchro, interdum in aliis locis, vel fortè in deserto, &c.

Confirm.

IV. *Sustinetur tamen, & roboratur amplius pronũciatum quo ad vitam contemp. Elia.*

Nihilominus Patres sæpe indicant Eliam vitam eremiticam fuisse professum: ad hoc enim alludens Hieronymus epist. 13. ad Paulinum dixit, *Noster princeps Elias, noster Eliseus*, &c. Significat autem id colligi ex Scripturis cum præmittit, *& vt ad Scripturarum authoritatem redeam*, &c. vbi Marian. Victor. *Eliam* (inquit) *& Eliseum deserta ac montes solitarios incoluisse res est notissima.* In eodem sensu dixit de Basilio Nazianzenus in quadam orat. *Solitudinem cum Elia, & Ioanne, qui admodum philosophi fuerunt, mire amplectebatur.* Et ipse Basilius orat. in Gordium Martyrem, de Elia inquit, *cum Sidoniorum conspiceret impietatem quotidie inualescentem, in montis Oreb speluncam secessit, ac sese ab omni humana conuersatione vt Deum quaeret, ac videret, abdicauit, vidit tandem quantum fas est homini mortali.* Idem habet Isidor. lib. 2. de offic. c. 15. vbi eadem ferè Hieronymi verba vsurpat. Significat etiam Cassianus lib. 1. de institut. renunc. c. 2. vbi apertè ponit Eliam vt exemplar monachorum; nam ad exemplũ eius dicit solitos esse cingi zona pellicea: quod etiã habent Basilius, & Ioannes Hierosolymitanus, vt suprà retuli.

V. *Verisimile est Eliam solitariam vitam egisse.*

An verò cœperit Elias sequi hoc vitæ institutum antequam primò mitteretur ad Achab, vel iuberetur abscondi in torrente Carith, certò affirmare nõ possumus. Non est autem improbabile antea incepisse. Nam Iacobus in sua canonica cap. vltimo indicat ante illud tempus fuisse singulariter iustum dicens, *Elias homo erat similis nobis passibilis, & oratione oravit vt non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex.* Vnde constat (quamuis in libris Regum non refertur) siccitatem illam, quam Elias prædixit, oratione ipsius fuisse antea à Deo impetratam. Erat ergo antea vir iustus & potens apud Deum, & zelo diuino iam vehementer vrgebatur, non enim ex inordinata aliqua affectione afflictiones illas suo populo postulabat, sed vt percussus à Deo, suum errorem agnosceret: ergo verisimile est iam fuisse à Deo vocatum ad altius genus vitæ, in quo tantam sanctitatem consequutus erat, ita vt sicut Ioannes Baptista in eremo fuit à Deo euectus ad eum sanctitatis gradum, in quo posset liberè veritatem prædicare, & regibus resistere, eosque reprehendere, ita etiam Elias, quamuis non tam citò sicut Ioannes, conuenienti tamen tempore, fuerit ad nouum, ac mirabile viuendi genus euectus, vt coram Rege, & populo magna cum authoritate, & libertate posset pro diuino honore pugnare. Simili argumento Hieron. lib. 11. contra Iulianum, illum, quia Eliam in catalogo coniugatorum posuerat, impugnat. *Quia si Ioannes Baptista* (inquit) *venit in spiritu, & virtute Eliæ, & Ioannes virgo est; vtique non solum in spiritu hoc venit, sed etiam in corporis castitate.* Ambrosius etiam in epistola 25. ad Vercellenses in hoc comparat Eliam, & Ioannem, quod vterque in deserto cõstantiam prius exercuit, vt fortior prodiret ad increpandum Regem, & mundum. Et lib. 1. de Virginib. in principio Eliam dicit *nullis corporei coitus permixtum cupiditatibus inueniri.* Et ideo inter virgines communiter numeratur, quia cum iustus semper fuerit, extra matrimonium pollutus non est; & licet Scriptura positiue non declaret eum vxorem non duxisse, tamen quia nec vxoris, nec filiorum eius mentionem facit, colligunt Sancti nunquam matrimonium contraxisse; quod etiam eius muneri & prædicationi magis accommodatum fuit; inde etiam fit coniectura, vitam à consortio hominum separatam à principio elegisse saltem tempore maturæ ætatis, in quo posset statum viuendi eligere, quia illo tempore valde insuetum erat homines, præsertim laicos, vt erat Elias, si communem, & cum cæteris vitam ageret, à matrimonio abstinere.

VI.

Verum quidquid sit de illo anteriori tempore, certè ex quo ad prophetizãdum vocatus est, & missus, planè videtur à Deo separatus ab vrbium habitatione, & ad vitam solitariam agendam traductus; nam ex discursu vitæ eius à prædicta Dei vocatione; vsque ad translationem eius, constat semper in desertis habitasse, solumque transitorie ad negotium aliquod iussu Dei peragendum, ad communes hominum habitationes rediisse; quod ex discursu sequẽti clarius patebit; neque huic obstat quod iussus fuerit ire ad torrẽtem Carith, se occultandi gratia; vtrumque enim simul consistere potest; nouit enim Deus similibus vti occasionibus, vt suos electos vocet ad perfectiorẽ vitam: imò hoc exemplo monstratum, & præfiguratum fortasse est, quod Deus in lege gratiæ fecit cum Paulo eremita, & aliis sanctis, vt occasione persecutionum, eos duceret ad vitam solitariam, & perfectissimam agendam; vnde hæretici calumniantur hoc vitæ genus, casu & necessitate quadam inchoatam esse, non aduertentes diuinæ prouidentię sapientiam, cui nihil casu accidit, eadem in malitia hominum, exordia sumere perficiendi opera sua; hoc indicare voluit Deus etiam Eliæ, & ideo licet proxima intentione, & ad literam, vt sic dicam, missus fuerit ad se occultandum hominibus; ex altiori quoque prouidentia missus est, vt separatus ab hominibus iugiter, & perfectè Deo vacaret, & mirabilem viuendi rationem inter homines inchoaret; quod autem satis fuerit illa vocatio,

catio, dicti Patres sentiunt, & indicat Ambrosius dicta epistola ad Vercellenses prope initium dicens. *Elias quem Dominus ad virtutis eruditionis perfectionem*: atque etiam effectus monstrauit, nec enim postea vnquam legimus Eliam in ciuitatibus commorarum; Quòd namque ad tempus missus fuerit ad Sareptam Sidoniæ, vt ibi in secreto pasceretur à vidua, non impedit quominus ibi vitam solitariam, in suo cœnaculo, & purè contemplatiuam duceret. Cùm autem ibi potius, quàm in alio deserto vbi esset aqua, seruatus à Deo fuerit; vel sicut cibum per coruos accipiebat, non etiam aquam acceperit, in diuinæ sapientiæ thesauro absconditum est. fortè voluit Deus ea occasione, illi viduæ magna beneficia conferre, vt effectus ostendit, & significauit Christus Dominus Lucæ 4. fortè etiam illud factum mysticam habuit significationem, quâ egregie prosequitur Ambros. in comment. ad caput 6. Apocalyp. versus finem; Postea verò quàm se manifestauit Achab, in montem Carmelum ascendit, vbi prophetas Baal interfecit, indeque in desertum abiit, & inde ad montem Dei Oreb, ex quo iussu Dei descendit ad vngendos reges, & Elisæum; Atque ita ferè semper in deserto inuenitur, nisi cum diuino iussu, seu inspiratione aliò mittitur.

Ad Confir. ibid.

VII. *Concluditur prima assertio.*

Ex his ergo, pro materiæ capacitate, satis patet tota assertio; quæ verò addidimus de austeritate vitæ, & iugi contẽplatione, sumuntur ex 3. & 4. Regum libris; & ex comparatione inter Eliam & Ioannem Baptistam apud Sanctos Patres frequentissima, & fundata in illo Marci 4. *Ioannes ipse est Elias*. Et Lucæ 1. *Præcedet in spiritu & virtute Eliæ*.

VIII. *2 Assertio de commoratione Eliæ in monte Carmelo.*

Dico secundò, probabile est Eliam permanẽtem suam habitationem vitæ eremiticæ, præcipuè habuisse in monte Carmelo. Notauit hoc Abulen. 3. Reg. 21. quando Elias iussus est descendere vt occurreret Achab, eumque de grauissimo peccato reprehenderet, eidemque, & vxori, debitam mortis pœnam prædiceret, expendit ergo Abulensis verbum *descendit* dicens, *Ex eo tempore, quo Deus fecit miraculum, mittendi ignem super sacrificium suum in monte illo, habuit deuotionem Elias, manendi in illo, & semper mansit, vsque ad tempus quo raptus est in curru igneo*. Vnde lib. 4. Regum cap. 1. circa illa verba, *Surge, & ascende in occursum nuntiorum Regis Samariæ*. notat idem Abulens. dici, *ascende non quia Elias maneret in aliquo loco infimo, manebat enim in monte Carmelo, sed quia ipse descensus erat de monte, & postea ascensus per viam per quam venichant nuntii Ochoziæ*. In his autem verbis Abulensis vnum videtur tacitè supponi; & aliud apertè asseritur, indicatur enim Eliam ante illud insigne factum non habitasse in monte Carmelo, sed tunc concepisse deuotionem & propositum manendi ibi; quæ pars negatiua ex Scriptura probari non potest, nec mihi de illa constat, nam si verum est Eliam, priusquã prophetare inciperet, vitam egisse solitariam, fortasse in monte Carmelo habitabat, nam ideo fortasse illuc ascendit, ad conuincendos, & puniendos prophetas Baal: quod etiam eius verba indicant ad Achab. *Mitte, & congrega ad me vniuersum Israel in montem Carmeli* 3. Reg. 18. *quasi diceret, ibi enim ero, sicut soleo*, prius enim, quia se occultabat, aliis in locis versabatur, iuxta diuinam reuelationem. Sed, vt dixi, hoc totum incertum est, quantum ad illud tempus spectat.

Abulensis dictum partim negati, partim affir. de habitat. ne Eliam Carmelo. Pars negatiua incerta.

IX. *Pars affirm. magis certa.*

Secunda erga pars, de reliquo tempore vitæ Eliæ, postquã occidit prophetas Baal, maius aliquod fundamentum habet in Scriptura, vt statim n. seq. deducam. Estque multum recepta opinio, & locutionibus Patrum conformis: ad illam enim alludẽs Basilius in epist. ad Chilonem discipulum dixit: *Hic mons celeb r Carmelus, in quo Elias demoratus perplacuit Deo* Sic etiam ait Nazianz. orat. 16. de pauperum amore initio, *pulchra res solitudo, & quies, idquemet docet Eliæ Carmelus*. Vbi Nicetas exponit, id est, *Elias in Carmelo degens quemadmodum 3. Regum liber narrat*. Eandẽ latè prosequuntur Ioan. Hierosolym. dicto libro de institu. monach. à cap. 17. ad 21. vbi ait post sedatam persequutionem contra Eliam mortua Iezabel, fixisse Eliam domicilium suum in monte Carmelo; tum quia erat aptissimus ad vitam monasticam; tũ etiam propter insignia miracula, quæ Deus ibi ostendit. Additque feciſſe ibi oratorium, & per sexdecim annos ibi mansisse vsque ad suam translationem.

Vide Nazian. orat. in Maxim. & Guillelmum Tyriũ in continuatione belli sacrilib 5. c 3.

Et quidem hoc posterius de mansione Eliæ vsque ad suam translationem, insinuatur in martyrologio Romano; dum 20. die Iulij dicitur *in monte Carmelo sancti Eliæ Prophetæ*. Quòd si obiicias, quod Elias non ex monte illo, sed ex ripa Iordanis raptus est, responderi potest, non quidem permansisse in illo monte vsque ad articulum translationis suæ, sed ibi habuisse domicilium vsque ad illum diem, quo Dei monitu inde discesserit leuandus in cœlum. Sed adhuc obstat quod 4. Reg. 2. dicitur, *Cum leuare vellet Dominus Eliam per turbinem in cœlum, ibant Elias & Eliseus de Galgalis*, & non dicitur *de monte Carmelo*. Occurritur verò dicendo, non ita habuisse Eliam fixam habitationem in illo monte, quin interdum ad alia loca diuerteret, cùm diuinum obsequium, vel ratio sui muneris id postularet. Ita ergo tũc per occasionem aliquam descenderat in Galgala, siue iam præmonitus à Deo de suo transitu, siue (quod magis Scriptura significat) quia occasione alia illuc iuerat, de qua nonnihil infrà dicemus, & ibi postea acceperit oraculum de sua translatione: & ideo ab illo termino discessus eius incipit narrari citato loco. Conuincit autem hæc obiectio, non satis probari ex diuina Scriptura domicilium hoc & habitationem Eliæ in monte Carmelo vsque ad transitum suum; quamuis verum sit Scripturam non repugnare huic historiæ, quæ magis videtur in traditione fundata, licet ex vno quodam Scripturæ loco probabiliter colligatur, vt statim dicam numer. sequenti.

X. *An manserit Elias semper in Carmelo vsque ad suam translationẽ*

Alterum verò quod de oratorio ædificato ab Elia dicitur à Ioanne Hierosolymitano, coniectura fortasse, vel traditione assertum est; nam apud alios authores, nihil de ea re inuenio satis expressum. Referunt autem communiter historiographi & cosmographi, fuisse in illo monte speluncam, & forsan Eliæ, vt ex Brochardo, & aliis, refert author theatri terræ sanctæ, in tribu Isachar, vnde etiam est verisimile, fuisse ibi aliquem locum cultui Dei dicatum. Præterea Cedrenus in compendio historiæ in Basilio refert, templum Eliæ per Basilium Imperatorẽ fuisse restitutum, vt meminit Baron. in scholiis ad martyrologium Romanum 20. die Iulij, vbi etiam ait extare epigramma D. Gregorij Nazian. de æde Eliæ *Dominicum* nuncupata; quæ possunt intelligi de templo Eliæ, id est, ædificato ab Elia, & sic confirmant dictam sententiam. Vel de templo Eliæ, id est, dicato Deo in honorem Eliæ: & in hoc sensu nõ ita directè faciunt ad rem præsentem, sed alludunt ad ædem sacram, quam dicitur Helena mater Constantini ædificasse in monte Eliæ Thesbitæ, vt significat Niceph. lib. 8. c. 3. vbi licet non expressè ponat montem Carmelum, videtur tamen de illo loqui cum ait, in accliuitate montis ædificasse Helenam pulcherrimam ædem Eliæ Prophetæ. Non autem etiam est magnum indicium, montem illum fuisse speciale habitaculum Eliæ, & habuisse in eo templum aliquem diuino cultui singulariter dicatum.

XI. *An ibi ædificauerit oratorium.*

Auct theatri terræ S.

Vnum denique inuenio Scripturæ locũ, qui primam hanc sententiam mihi valde probabilem facit. nam lib. 4. Regum capit 4. mulier illa Sunamitis, quę per Elisei intercessionem, filium à Deo prius obtinue-

XII. *Confir pars eadem de habitatione ordinaria Eliæ in Carmelo.*

obtinuerat, & postea ex graui morbo mortuum habebat, dixit ad virum suum. *Mitte quaso mecum vnum de pueris & excurram vsque ad virum Dei in montem Carmeli*, vbi significatur montem illum fuisse locũ proprium vbi Eliseus domicilium habebat; constat autem ex narratione Scripturæ 4. Reg. 2. & 3. & ex omnibus expositoribus ac Patribus, Eliseum successisse Eliæ, sicut in spiritu, ita & in munere, & in habitatione, seu sede propria, quam ad Deum melius colendum sibi elegerat. Hoc autem magis declarant verba interrogationis viri, ad vxorem suam. *Quam ob causam vadis ad eum hodie, non sunt kalendæ, neque sabbata.* Nam in his verbis duo insinuantur; vnum est, habuisse illam fœminam consuetudinem adeundi illis diebus in montem Carmeli, ad conueniendum Prophetam illic habitantem. Aliud est, solitam esse illuc ire causa religionis, ad verbum Dei cum aliis audiendum à Propheta, vel orandum, & canẽdum diuinas laudes, sicut mos erat Iudæis, eundi ad synagogas, & orationis loca, in diebus sabbatorum, & kalendarum, & festiuis aliis, vt indicauit ibi Lyranus, & latiùs Abulensis quæstione 30. Erat igitur mons ille habitatio istorum Prophetarum, & in eo habebant locum aliquem operibus religionis & diuini cultus destinatum.

XIII. *Eliseus successor Eliæ.*

Vnde obiter constat, quod de Elia diximus, cum proportione habere locum de Eliseo, hac tantùm differentia conseruata, quòd Elias fuit præceptor, Eliseus discipulus: ille pater, hic filius, sicut ipse clamabat *Pater mi, Pater mi*; ille quasi author, & institutor illius vitæ generis, hic sectator, & hæres. In reliquis verò fuit conuenientia: nam ex quo Eliseus, iussu Dei vocatus est ab Elia, & illum sequi cœpit, ei perpetuò ministrauit 3. Regum 19. vsque ad 4. Regum 3. Post raptum verò Eliæ, eundem Carmelum incoluit, vt ex citato loco colligitur, & communiter authores docent, atque Eliæ in spiritu & ministerio successit. Vnde 4. Reg. 3. in huius rei signum filij Prophetarum venerunt in occursum eius, eumque adorauerunt, & tanquam caput & principalem Prophetam, Eliæque successorem agnouerunt.

XIV. *Obiicitur quod ad Carmelum in Carmelo habitauit.*

Obiici autem potest, quia Eliseus vix semel aut iterum legitur in monte Carmelo, aut in alio deserto loco resedisse; sępius verò in ciuitatibus, & inter reges versatus fuisse, & præcipuè in Samaria, quæ curia regni erat. Vnde 4. Regum 5. dixit puella Hebræa, quæ erat captiua in Syria, *Vtinam fasset Dominus meus ad Prophetam qui est in Samaria.* & postea Naaman veniens in Samariam, ibi conuenit Eliseũ; & ea contigerunt quæ illo loco Regum narrat Scriptura, & ex c. 6. & 7. constat illic permanenter habitasse Eliseum, ac tandem in capite 13. ibidem occubuisse. Respondeo rationem viuendi Eliæ & Elisei, non ita fuisse solitariam & contemplationibus abstractam, vt non etiam ad conuersandum cum populo, in eius beneficium, per quædam, vt ita dicam, interualla, descenderent; namque & donum prophetiæ, quod habebant, in eum maximè finem illis à Deo communicabatur.****

Respondeo.

Hæc tantum de sacro Carmelitarum ordine in manuscriptis authoris Soarij inuenire potuimus. quem nisi mors bonis omnibus inuidens præoccupasset, tam de hoc ipso ordine, quàm de reliquis plura scripturum fuisse non dubitamus.

INDEX

INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI.

De religione Societatis IESV, quo ad Institutionem, & institutum in generali.

Cap. I. *Sitne Societas IESV vera religio, & cur ita appelletur?*
II. *De fine huius religionis.*
III. *De mediis quibus hæc religio vtitur ad finem sibi præstitutum.*
IV. *An Societatis IESV religio conuenienter instituta sit, & approbata.*
V. *An Societas IESV sit per se religio Clericorum, non solùm habitu, sed etiam re ipsa; & quasnam proprietates inde consequatur?*
VI. *An Societas IESV contemplatiuam, an potius actiuam vitam complectatur.*
VII. *In quo gradu perfectionis Societas IESV instituta sit?*
VIII. *Satisfit primæ obiectioni capitis præcedentis.*
IX. *Satisfit secundæ obiectioni.*

TRACTATVS DECIMVS

DE RELIGIONE SOCIETATIS IESV IN PARTICVLARI.

LIBER PRIMVS.

De religione Societatis IESV, quo ad Institutionem, & institutum eius in generali.

HAec est postrema pars totius operis de statu religionis, quæ sicut pluribus titulis, ac nominib. à me debita est, ita præcipue, ac primariò est intenta. Cùm .n. ante quadraginta annos, ex quo hęc scribo, scribo autem anno 1595. magno diuinæ gratiæ beneficio ad hanc religionem vocatus sim, & toto hoc tempore in ea educatus, nutritus, & conuersatus, eius viuendi ratione, ac institutum admiratus semper fuerim, & in ea singularem morum probitatē, & erga diuinam maiestatem, religionē, ac reuerentiam; erga proximos verò eximiam charitatem, & animarum zelum in varijs, ac distātissimis prouincijs Italiæ, Galliæ, totius ferè Hispaniæ, ac tandem Lusitaniæ fuerim expertus: videamq; nihilominus religionem hanc, non solùm ab hæreticis hominibus, (quæ illius magna laus est) odio haberi, verùm etiam, specie religionis, ab hominibus sanam doctrinam, & religionem Catholicam profitentib. oppugnari, varijsq; modis, tum in priuatis colloquijs, tum etiam in publicis lectionibus, & concionibus, vel iniquis detractionibus, vel sophisticis argumētationib. exagitari: diu, multūmq; desideraui, eius, quæ in nobis est, religionis rationem vtrisq; reddere, & obiectionibus vniuersis, quæ hactenus contra Societatem excogitatæ sunt, satisfacere. Non quia veritas ipsa, quæ luce clarior est, aut religio, quàm Apostolica Sedes toties probauit, & diuina gratia suis operib. illustriorem reddidit, nostra defensione, aut illustratione indigeat, sed vt signū aliquod grati animi, & Deo, qui me vocauit in Societatem filij sui, & ipsi Societati, cui totū quod sum, vel habeo, debitum recognosco, exhiberem. Quamobrē sanctissimorum Patrum Thomæ, & Bonauenturæ exempla sequutus, opus hoc diuina gratia confisus aggressus sum. Quia verò Societas hæc quędam habet cum cæteris religionibus communia, quædam autem propria; propter priora, nonnullis minùs necessaria in Ecclesia, vel potius superuacanea visa est; eo quod nouissimis temporibus, quando Ecclesia multis, & grauissimis religionibus abundabat, inuenta videatur; propter posteriora verò, res noua, ac propterea, vel hoc solo nomine suspecta multis existimata est, ab alijs autem minoris habita, quod parum rigorosum, & austerum viuendi modum amplexam esse calumnientur. Ad satisfaciendum igitur omnibus, necessarium existimauimus ea prius, quæ religioso statui communia sunt, diligenter, & exactè tractare; quod hactenus præstitimus. Deinde verò (quod nunc aggredimur) Societatis institutum distinctè, ac dilucidè explicare. Ita enim speramus fore, vt ad maiorem Dei gloriam, & animarum fructum, religionis huius dignitas, & vtilitas omnib. innotescat, & oblatrantium ora, aut obticescant, aut confundantur. In hoc ergo primo libro generatim Societatis institutum, ordinem, harmoniam, seu hierarchiam proponemus, ac declarabimus: In sequentib. verò de singulis eius partibus, votis, ac præcipuis constitutionib. (hæc enim omnia instituti nomine comprehenduntur) disseremus.

In sequenti tractatu huius.

CAPVT I.

Sitne Societas IESV vera religio, & cur hoc nomine insignita sit?

SVpponimus esse in Ecclesia catholica congregationem quādam clericorum, specialem regulam, sub obedientia propriorum Prælatorum professionis, quam hoc nomine *Societatis IESV* appellamus. Hoc ex facto ipso per se euidens est, & ideò nō indiget alia probatione, præterquam quod huius congregationis, sub eo nomine, honorificam mentionem fecit Conc. Trid. sess. 25. c. 16. de reformat. regul. & ante, ac post illud multi Pontifices in bullis suis, quorum sententias postea referemus. I

Dicimus ergo primò Congregationem hanc esse veram, & propriam religionem: quod de toto hoc corpore Societatis nullus catholicus negauit vnquam, quem ego sciam, nec negare potest; est enim (vt existimo) certum de fide; nam si hæc non est vera religio, nulla profectò est in Ecclesia religio vera, quod dicere hæreticum esset. Sequela autem patet, quia esse religionis non antiquitate, & quasi præscriptione acquiritur, *sed professione status ad perfectionem tendentis, & ab Ecclesia approbati.* Hæc autem omnia in religione hac manifestè inueniuntur. Nam finis eius est non solùm ad perfectionem tendere, sed etiam alios, quoad fieri possit, ad eam ducere. Ad hunc autem finem assequendum, fit in ea tertij abrenunciatio, & ad diuinum cultū specialis cōsecratio per tria vota substantialia religionis, cū vera etiam II

Affirmat. Secundum. Est vera religio. Probatur. Ex fin. Differunt religiosi quo.

etiam professione solenni, quæ in aliquibus membris huius corporis fit; ergo de toto hoc corpore dubitari non potest, quin sit vera, & propria religio. Quomodo autem in singulis eius membris hic status inueniatur, in discursu Operis dicetur.

III. *Secunda assertio, Societatem esse religionem à reliquis specificè distinctam. Ostenditur.*

Secundò dicimus, hanc religionem esse distinctam à reliquis specifica distinctione morali, eo modo, quo in religionibus hæc distinctio inueniri potest, vt vidimus in tract. præcedent. cap. 1. Hoc etiam per se notum est ex modo procedendi eius. Nã post Summum Pontificem sub diuerso capite, seu Generali, constituit suam propriam monarchiam, & sub proprijs, ac distinctis constitutionibus, ac regulis viuit; & quamuis cum alijs religionibus conueniat in generali fine inquirendi perfectionẽ, hoc tamen speciale habet, quod in suo fine non tantùm acquirere perfectionem, sed etiam illam in alijs exercere, seu ad alios deriuare intẽdit, & ideo in modo illam acquirendi sese accommodat aliorum etiam vtilitati, & saluti; atque ita incumbit suorum membrorum perfectioni, vt ad aliorum vtilitatem ea informet. vnde etiam fit, vt ad hunc finem proprijs, vel (vt sic dicam) appropriatis medijs vtatur. Ac denique ex eodem capite etiam nascitur, vt corpus hoc pluribus magisq; varijs membris constet, quam cætera aliarum religionum, sitq; (vt ita dicã) magis heterogenea; quia ille finis, ad quem ordinatur, plura requirit munera, atque etiam plura organa necessaria sunt. Est ergo hæc particularis religio distincta à reliquis, quæ post alias nata est, proprium que fundatorem habuit; propriaque approbatione indiguit: quæ omnia sigillatim probanda, & tractanda sunt. Nunc tanquam certa supponuntur magis, quam probantur: quia sub hac generalitate nullam habent dubitationem.

Societas cur pra alijs religionibus membris varia.

Societatem proprium nomen sibi vendicare oportuisse.

IV. *Tertia assertio, & eius probatio.*

Tertiò pro secunda parte tituli, ex dictis concluditur, moraliter necessarium fuisse religionem hãc proprium aliquod, & speciale nomen habere, eique imponi. Quia omnes res particulares indigent proprijs nominibus impositis, alioqui impossibile esset humano modo, de eis sermonem habere: cum ergo hæc religio particularis sit, & post alias instituta, particulari etiam nomine indiguit, ac nouo, & à nominib. aliarum religionum diuerso. Hoc autem nomen licèt ab alijs, per errorem, aut vulgarem vsum, varium, ac multiplex fuerit, verum certè, ac proprium vnicum tantum est, *Societas IESV*. Religiosi enim Societatis in varijs regionibus à multis sunt vocati *Theatini*, ab alijs *Inniguista*, à nonnullis *Ieiuitæ*, seu, *Iesuati*, alicubi etiam præsertim in Lusitania, & India Orientali, *Apostoli* dicti sunt: omnia autem hæc nomina, aut sine veritatis fundamento, aut sine authoritate, nostris hominibus sunt attributa. Ordo enim Theatinorum, qui in aliquib. Italiæ partibus floret, peculiaris quædam religio est, sed à Societate longè diuersa: distinctum enim fundatorem habuit, (in quo Chemnitius malitiosè errauit, vt Iacobus Payua n. 5. citandus notauit) nempe Cardinalem Petrum Carraphã Episcopum Theatinum, qui postea fuit Paulus IV. Pontifex, & institutum habet, ac rationem viuendi longè diuersam: habet tamen nonnullam similitudinem cum religione Societatis in exteriori specie habitus clericalis: vtraque enim religio clericorum est: & propter hanc similitudinem, & quia prope eadem tempora vtraque religio exorta est, ideò vulgus nesciens discernere inter homines vtriusque religionis, *Theatinorum* nomen, quod paulò erat antiquius, ad religiosos Societatis accommodauit. Nomen autem *Inniguistarum*, quatenus à nomine *Ignatij* (Hispanè *Inmigo*) deriuatum est, non carebat fundamento veritatis, quantum ad etymologiam, rectè enim potest, & solet, religio à nomine sui fundatoris nominari: caret tamen fundamento authoritatis, sine qua nullum est verum nomen alicuius rei: oportet enim, vt sufficienti authoritate sit impositum: hoc autem nomen, non solùm à nemine habente authoritatem Societati impositum est, verùm repugnat potiùs intentioni fundatoris eius, qui humilitatis causa noluit suam religionem à suo nomine appellationem accipere.

Societatis religiosi varijs nominibus appellati per errorem.

Cur Societatis religiosi Theatini vocati.

Quare Inniguista appellati?

Idem seruata proportione dici posset de nomine *Iesuitarum*, quo quidem nomine abutuntur hæretici, vt homines Societatis proscindant. Nam Chemnitius in quodam libello, quem contra Societatem scripsit, sic dicit appellari hos religiosos *Iesuitas*; non quia verè sint Christo coniuncti, sed quia sunt manifesti hostes Iesu: sicut olim (inquit) Imperatores Asiatici, vel Africani appellabantur, quia illas prouincias debellauerant: aliquando verò malitiosè deprauant, ac distorquent per ludibrium, vt refert Payua statim citandus, & Surius in commentario de gestis Orbis anno 1536. Libellum autem illum cum alijs eiusdem hæretici, damnauit Pius IV. per Epistolas missas ad Maximilianum Imperatorem, & ad Albertum Bauariæ Ducem, & ad Episcopos Germaniæ, quas in vnum collegit Otho Cardin. Albanensis, & Augustanus Episcopus. Contra eundem etiam hæreticum pro Societate, eiusque nomine gloriosè pugnauit Iacobus Payua Lusitanus lib. 1. Itaque si nomen illud piè, ac syncerè interpretari velimus, accommodatum satis est ad religiosos Societatis voce simplici nominandos, præsertim supposita ipsius religionis appellatione dicta: si enim tota religio *Societas Iesu* dicitur, quia Iesus est quasi vinculum, & centrum, in quo huius religionis socij copulantur, & ob alias causas, quas statim in num. 13. attingemus: cur non poterunt membra eius *Iesuita* vocari? Sic enim, (vt Epiphanius refert hæresi 29. longè à principio) fideles in principio Ecclesiæ, vt à Christo cœperunt Antiochiæ appellari *Christiani*, Actor. 11. ita alijs locis à Iesu sunt vocati *Iesæi*, quod ferè perinde est, & eandem habuit deriuationem; nam totam etiam Ecclesiam aliquando vocauit Paul. *Societatem filij Dei* 1. ad Corinth. 1. Potest etiam hæc religio *Societas Iesu* appellari: quia nomen IESVS à salute dictum est, & saluatorem, ac medicum animarum ex propria etymologia significat: quia ergo hæc *Societas* in hunc finem peculiariter congregata est, vt saluti animarum Christo cooperetur, ideo sub eadem etymologia eius religiosi, *Iesuitæ* dici possunt, quasi animarum curatores, ac medici, simile enim nomen in principio nascentis Ecclesiæ religiosis esse impositum, author est Eusebius lib. 2. historiæ capite 16. vbi ex Philone lib. de supplicibus, seu de vita contemplatiua ait, illum vocasse monachos curatores, *eo quod tanquam medici, curatione adhibita, eorum mentes, qui ipsos adirent, à vitij, & turpitudinis morbo ereptas ad integram valetudinem restituerent.* Et subiungit Eusebius. *Siue igitur Philo ipse, dum proprium, & appositum hominum moribus appellationem attribuere volebat, suo ipsius arbitratu, & iudicio, illis istud nomen imposuerit, siuere veram ab initio authores eius religionis, cum adhuc Christianorum appellatio nusquam penè locorum diuulgata esset, eos ita nominarint, longa ratione disquirere non est opus.* Veruntamen eadem appellatio esse videtur, quæ apud Dionysium cã. de Eccles. Hierarch. p. 1. vbi religiosos vocat θεραπευτὰς: ipse vero interpretatur *cultores*: quam interpretationem Eusebius non omittit, quia vox illa deriuatur à verbo Græco θεραπεύω, quod & *famulari*, & *curare* significat. vnde Luc. 4. vbi de Iesu dicitur, *curabat eos*, Græcè dici-

V. *Quomodo Iesuita dicti.*

De hac S. Epiphanij deriuatione plures alij apud Enriquez lib. 22. cap. 5. n. 4. lit. A. in Com.

dicitur, ἐθελοθρησκεία. Vide Bellarm. lib. de monachis cap. 1.

VI. *Nomen Iesuita fundamentum nō habet in instituto Societatis.*

In hoc ergo nomine rectè interpretato, nihil est à veritate, aut pietate alienum. Nihilominus tamē ipsa Societas non solet hoc nomine suos appellare, vel quia in bullis Pontificijs, aut constitutionibus eius, non inuenitur, & ideo apud illam non habet sufficientem authoritatem, etiamsi vulgo à multis vsurpatum sit: vel certè ad vitandam ambiguitatē, seu æquiuocationem. Fuit enim multo ante S. Ignatium congregatio piorum hominum, qui *Iesuati* appellati sunt, cuius meminit Sabellicus Ænead. 11. libro 9. & Polydorus de Inuentoribus rerum. cap. 4. Volaterran. lib. 21. cap. de ordine eremitarum. Baron. in Martyrol. 31. Iulij. Eiusque initium fuisse dicitur Senis Italiæ vrbe anno 1360. authoribus Ioanne Columbino, & Francisco Vincentio, quorum institutum longè diuersum est ab instituto Societatis. Nam illi priuatæ tantùm vitæ, seu perfectioni incumbunt, & communiter non ordinantur. Multi etiam graues authores dicunt, illam non esse propriam religionem, licèt sit satis pius viuendi modus, vt Panormitan. in rubr. de regul. num. 2. & latiùs in cap. *nullus*. de foro compet. num. 11. & in consil. 55. quod ibi citat. Et Felin. cap. *Sanctæ Mariæ*. de constit. in principio, & Cardin. consil. 136. Cur autem illo nomine appellati sunt, variæ rationes reddūtur, quæ videri possunt in historijs (nostra enim nō refert) apud Boerium lib. de vita & statu eremitarum num. 13. & Paulum Morigia in historia de ordinibus, cap. 33. & Hieronymum Romanum lib. 6. de Republica Christiana c. 22. Onuphrium in suo chronico anno 1367.

VII. *Cur in Lusitania Societatis religiosi Apostoli vulgò dicantur.*

Quartum *Apostolorum* nomen certum est à Societate non vsurpari, nec valde commune esse; nam extra Lusitaniam, Indiasq; Orientis, non est in vsu. Ibi autem non sine pia, & probabili analogia nostris impositum est. Nam quia in initio, ante approbatam etiam Societatem socij duo B. Ignatij, B. Franciscus Xauier, & Simon Rodericus, Ioanne Rege efflagitante, & Summo Pontifice imperante, in Lusitaniam profecturi, inde in Orientalem Indiam nauigaturi ad prædicandum Euangelium, fœliciter missi sunt, tantoque fructu, ac vitæ exemplo, vterque Olysipone; Franciscus verò in Oriente etiam per se, ac per suos socios, ministerium suum perfecere, vt Apostolos ad viuum imitari viderentur; ideoque tam ex nominis etymologia, quàm ex vitæ perfectione *Apostoli* vocati sunt. Atque ita hoc nomen secundùm quandam analogiam, & participationem intellectum, nec falsitatem, nec magnam inuidiam habere videtur. Tamen etiam caret sufficienti authoritate, & impositione, & nonnihil arrogantiæ habere videretur, si propria voluntate esset acceptum, verùm, vt dixi, nostri religiosi illud non vsurpant, sed potiùs quantum in ipsis est, cohibere, & emendare student.

Vide Lucenā in vita Xauerii li. 1 c. 9.

VIII. *Proprium huius religionis nomen esse Societatem IESV. Vide Ribad. in vita Ignatii, & Orlandin. li. 2 hist. Soc. nu. 30 Lucen. supr.*

Vnicum ergo ac proprium nomen huius religionis est *Societas IESV*. Hoc primùm S. Ignatius inuenit, creditūrque habuisse virginem à reuelatione illa, quam propè Vrbem habuit, in qua Æternus Pater Vnigenitum suum Crucem humeris gestantem ostendit, eique Ignatium, & eius socios benevolentissimè commendauit, quos eodem amore sub protectione sua Iesus suscepit, & apertis verbis Ignatio significauit. Hinc ergo ortum est sancti Ignatij desiderium, quod reliqui socij religiosissimè amplexi sunt, & in prima supplicatione, quam de approbanda sibi Societate Pontifici fecerunt, his verbis significarunt. *Quicunque, qui in Societate nostra, quam IESV nomine insigniri cupimus, &c.* Postea verò subiungit Pontifex generalem approbationem, dicens: *Præmissa omnia & singula, &c. Apostolica authoritate approbamus.* Atque eadem petitio, & approbatio in alijs Pontificijs bullis sæpe reperitur, præsertim in Iulij III. bulla 1. Iulij III. vbi Patres repetunt illa verba. *Quicunque, qui in Societate nostra, quam IESV nomine insigniri cupimus.* Et postea Pontifex subiungit. *Quapropter considerantes, nihil quod sanctum, piumque non sit, in dicta Societate, eiusque Laudabilib. institutis, ac exemplari Ignatij, & aliorum sociorum prædictorum vita, & moribus reperiri, &c.* In quibus bullis considerandum est, quòd licèt directè, & expressè rem, & non nomen approbare videantur, tamen dupliciter illud satis commendant, primò quia omnia ab illis Patribus proposita, & gesta laudant: nihil ergo reprehensione dignum in desiderio appellationis illius inuenerunt. Deinde ac maximè, quia statim illa voce vtūtur, & deinceps perpetuò hoc nomine religionem ipsam, religiosos verò ipsos *socios* appellant; quod omnes sequentes Pontifices obseruarunt, & præsertim Greg. XIII. in sua constitutione, *Ascendente Domino*. ac tandem Conc. Trid. sess. 25. c. 16. de reform. regul. Atq; ita Pontificum mentem S. Ignatius intellexerat, quando initio suarum constitutionum dixit. *Hæc minima congregatio, quæ à Sede apostolica in prima sui institutione Societas IESV nominata est, &c.* Constat igitur nomen hoc magna authoritate impositum, & confirmatum existere.

Aliquorum calumnia circa nomen Societatis IESV refellitur.

IX.

Nihilominus non defuerunt viri catholici & docti, qui cùm in nostris primis patribus, eorumque religione aliquid quærerent, quod reprehenderent, in hoc etiam nomen impegerunt, arrogantiæ illis tribuentes, quod nomen vniuersæ catholicæ religionis proprium sibi vsurparent. Cùm enim Paul. 1. ad Cor. 1. dixit; *Fidelis Deus per quem vocatisti in societatem filij eius Iesu Christi.* per illam *societatem* vniuersam planè Ecclesiam intellexit. Et hic dicitur fuisse primus articulus censuræ, quam contra Societatem Vniuersitas Parisiensis edidit. Hoc etiam videtur significare voluisse Cano lib. 4. de locis. cap. 2. in principio, vbi tractans prædicta verba Pauli, inquit, *Quæ sine dubio Societas, cùm Christi Ecclesiæ sit, qui titulum illum sibi arrogant, his videant, an hactenus eam more patrum se Ecclesiam existere mentiantur.* Quibus nos vno verbo respondere possemus; nos illud nomen non vsurpasse, sed consensu Summorum Pontificum habuisse, magisque timendum esse, ne inuidiæ, vel arrogantiæ genus sit, ibi reprehensione dignum aliquid quærere, vbi tot Pontifices, tantūmq; Concilium nihil inuenit, vel potius, dum nos calūniantur, ipsos quoque tacitè reprehendere. Sed & notissimè Gregor. XIV. in sua confirmatione instituti Societatis, quæ incipit, *Ecclesiæ Catholicæ, &c.* data 4. Kalend. Iul. anni 1591. omnēm hac de re quæstionē extinxit in hunc modum. *Quo vero ad religionem, quæ in controuersiam vocata erat, sic statuimus, nomen Societatis IESV, quo laudabili hic ordo nascens, à Sede Apostolica nominatus est, & hactenus insignitus, perpetuis futuris temporibus in ea re inuendum esse, &c.*

X.

Veruntamen, vt obiectioni eorum plenius satisfaciamus, duas dictiones quibus nomen illud conflatur, distinctè consideremus, *Societas Iesu*. Et quidem in priori nihil est, quod arrogantiam redoleat, sed potiùs humilitatem, & charitatem. Noluerūt enim Domini nostri Patres, Pontificis approbationem antecedere tendo, congregationem suam *religionem* nominare, & ideò vsi sunt voce, quæ communissima est, & vix poterant inuenire aliam, quæ maiorem temperantiam, & modrationem animi indicaret. Deinde summo charitatis vinculo coniuncti erant inter se; hæc enim sola, ex tam diuersis nationibus, summo animorum consensu, & perpetuo nexu eos copulauerat,

verat, & hunc spiritum in sua congregatione relinquere maximè cupiebant, quod nullo alio nomine magis significare potuerunt. Et hoc indicant illa verba in 2. bulla Pauli III. *Ad perficiendam, & conseruandam eorum Societatis in Christo vnionem, quandam viuendi formulam tradiderunt, &c.* Solet enim *Societatis* nomen, & ad militiam, & ad negotiationem, seu mercaturam specialiter applicari. Ex vtroque titulo videtur hæc vox à B. Ignatio vsurpata. Nam ad priorem spectat, quod in 1. bulla Iulij III. dicitur. *Postquam Domino inspirante huic Iesu Christi militiæ nomẽ dederint, die, noctuque succincti lumbos, & ad tam grandẽ debiti solutionem prompti esse debebunt.* Et inferiùs. *Idonei reperti ad eundem finem Societatis admittantur ad hanc Iesu Christi militiam.* Et in 1. bulla Pauli III. *Quicunq; in Societate nostra, quam IESV nomine insigniri cupimus vult sub Crucis vexillo Deo militare.* Est ergo hæc quorundã militum societas. Ad posteriorem autem pertinere videtur, quod priùs in eadem bulla dicitur: *Exemplaris a religiosa vita socios effecti, &c.* Quid enim est religiosa vita, nisi quædam spiritualis negotiatio, & mercatura? Cum ergo Diuo Thoma teste 1. p. q. 13. art. 2. ad 2. vnaquæque res ab operatione sua magis propria, magisq; nota, optimè nominetur, & finis, ac munus Societatis sit, præter vnionem, & charitatem propriam, perpetuò militare pro animarum salute, seu pro illis Christo lucrandis negotiari, maxima cum proprietate religio hæc *Societas* appellata est.

XI. *De nomine IESV.*

Non potuit autem nomen hoc *Societas* absolutè, & sine vlla determinatione huic religioni imponi; tum quia talis impositionis modus etiam in proprijs nominibus absque alia cognominis determinatione vsitatus non est, nedum in communibus, & generalibus. Tum etiam quia vel nomen esset nimis vagum, & incertum; vel si per antonomasiam, pro hac religione accipiendum putaretur, maioris fortasse arrogantiæ argueremur. Quæ igitur determinatio, aut magis pia, & religiosa, aut instituto talis religionis magis accommodata, aut membris eius dulcior, aut fructuosior, vel ad fidelium ædificationem aptior addi poterat, quàm adiuncto nomine IESV? Præter hanc enim, duæ tantùm aliæ accommodatæ determinationes poterant cogitari, Ignatij nimirum, vel primorum sociorum eius, S. Xauerij, nimirum, Salmeronij, &c. Et quidem non immeritò nec sine sufficienti ratione potuisset hæc societas *Societas B. Ignatii* appellari; illum enim vt ducem, & proximum exemplar à Deo datum agnoscit, & secundùm Christum veneratur. Ad hunc ipsum honorem fugere, & nomen suum occultare voluit Beatus Ignatius: tantum ergo ab arrogantia abfuit, quantum humilitas à superbia distat. Quanquam ergo nostri muneris esse debeat, nomen *Ignatij* perpetua memoria, & affectu retinere, eiusque virtutes imitari: ipse tamen IESV nomen voluit esse infixum in cordibus nostris, & ideo non suo, sed illo voluit Societatem insigniri. Altera verò sociorum omnium Ignatij determinatio, seu appellatio, quanuis ab eorum meritis aliena non esset, multis tamen rationibus fuisset incongrua, non solùm quoad moralem rationem, quia non omnes pares fuerunt, sed etiam quoad ipsius nominis vsum: oportuisset enim, aut omnium propria nomina *Societatis* voci distinctè adiungere, quod prolixum esset, & inusitatum: aut sub confusa sociorum voce eos comprehendere, quod ambiguitatem, & communitatem vocis non tolleret, nisi saltem Ignatij nomen præponeretur, dicendo, *Societas B. Ignatii, & sociorum*: & ita neq; Ignatius ipse, quod humiliter exoptabat, obtineret, neq; alij in eodem modestiæ, ac humilitatis officio eum perfectè imitari viderẽtur. Prudenter ergo, & sanctè additum est nomen IESV, in quo principaliter ipsi sociati erant, & cæteros imitatores eorum coniungi cupiebant.

Cur B. Ignatius de suo nomine Societatem non cuparì noluerit.

Sed instant, arrogantiæ esse, vniuersalis Ecclesiæ nomen sibi vsurpare. Respondeo inprimis arrogantiam tunc propriè esse, cùm quis aliquid boni, vel virtutis sibi attribuit, quod verè non habet, aut à se habere, quod à Deo habet, iuxta D. Thom. 2. 2. q. 112. art. 1. ad 2. Neutrum autem horum fecit B. Ignatius, aut facit Societas per huius nominis appropriationem. Nam inprimis hoc nomine profitetur, quòd verè est *Societas IESV*, tum quia in illo vnitur perfecta vnione, qua membra capiti copulantur, & inter se ratione illius: tum etiam, quia sub illo, tanquam sub primario duce militat: tum denique quia pro illo legatione ad homines fungitur, vt Deo reconcilientur: illique ad salutem animarum, quantum potest, cooperatur. Nam & Paulus Apostolus ad Philip. 2. Epaphroditum fratrem *cooperatorem, & commilitonem* suum appellat, eo quod in prædicatione Euangelij illi esset socius. Sic autem huius religionis ministri, si non tempore, & loco, certè spiritu, & munere illi sociantur. Tum denique, quia quidquid lucri in negotiatione sua hæc Societas intendit, totum ad IESVM pertinet, non enim quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi quærere debet, ac conatur. Deinde hoc ipsum quod verè *Societas* est, non à se, sed à Christo habere, illo eodem nomine profitetur. Propterea enim non alterius hominis, sed IESV appellata est, vt ab illo intelligat se habere originem, & profectum.

XII. *Ab arrogãtia nominis Societas liberatur.*

At vrgere tandem possunt, ad arrogãtiam etiam, & superbiam pertinere, ea quæ communia sunt, & excellentiam præ se ferunt, tanquam propria vsurpare. Respondeo primò, vulgatam esse doctrinam etiam inter Dialecticos, genericam vocem aliquando attribui abiectiori speciei, vt denotetur potius nihil habere extendens, præter id quod commune est: nomen autem *Societatis IESV*, licet excellentiam magnam præ se ferat, tamen ex se non aliam significat, præter illam, quæ toti Ecclesiæ, & omnibus membris eius communis est, & ideo attribui potuit alicui parti eius, non tanquam excellentiori, sed tanquam minimæ, & quasi nihil proprium habenti, vnde glorietur. Deinde addo, etiam esse vulgarem Theologorum doctrinam, nomina communia, quantumuis excellentia, rectè appropriari alicui, quando, & penuria nominum cogit, & sufficiens ratio ad talem appropriationem inuenitur. Sic nomen *Spiritus sancti*, quod alias commune est tertiæ personæ, tanquam proprium imponitur, vt omittã multa essentialia, & communia nomina personis appropriari, vt potentiam Patri, sapientiam Filio, & similia: sic etiam hæc vox *religiosus*, communis est omnibus verum Deum sana fide colentibus, & nihilominus speciali ratione ijs qui peculiari modo se diuino cultui dedicant, appropriata est: & ideo quamuis nonnulli hæretici etiam hoc in monachis reprehendere voluerint, quod *religiosorum* nomen sibi vendicauerint: nihilominus tamen esse veram calumniam omnes catholici intellexerunt. Ità igitur commune hoc nomen sine arrogantia potuit huic religioni appropriari: quia multa habet propria, in quibus meritò hæc impositio, seu accommodatio fundari potuit. Primùm, quia vt dictum est, Christo specialiter coniungitur, vt ei circa efficaciam redemptionis, & salutem hominum, quam nomen IESVS præ se fert, specialiter cooperetur. Secundò, quia Christi vitam proprio, & particulari modo imitatur, vt in sequentib. latiùs ostendemus. Et nunc breuiter declaratur, quia in hoc præcipuè suos instituit, vt summa vnione charitatis inter se viuant, more discipulorum Christi, & vt Christo conformentur, præcipuè in obedientia ad Patrem, & in affectu ad animarum salutem:

XIII. *Replica.*

Diluitur primo.

Vide D. Th. in 4. d 27. q. 1 art. 1 quæstiuncula 2 ad 3.

Diluitur secundo.

Vide Bellar. in lib. de monachis.

Rationes cur nomen Ecclesiæ appropriatur huic religioni.

quos

quos omnes effectus nomen illud præ se fert iuxta illud 1.Ioan.1. *Quod vidimus, & audiuimus, annunciamus vobis, vt & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum Filio eius Iesu Christo.* Tertiò est huic religioni proprium; peculiarem obedientiam Vicario Christi promittere, quod inter alias causas, speciali Dei prouidentia credimus factum, in detestationem hæreticorum, qui eodem tempore exorti sunt, & speciali odio Apostolicam sedem, atque adeò catholicam Ecclesiam prosequuntur. Non ergo nomen *Societatis* hæc religio assumpsit vt vniuersalem Ecclesiam sibi arrogaret, sed potiùs, vt se illius filiam, & peculiari modo illi obedientem profiteretur. Quis autem filiam reprehendat, quod ex peculiari affectu ad matrem nomine eius insigniri gaudeat? Denique nullus reprehendit religiones aliquas, congregationes, aut particulares personas, quæ vel à Trinitate, vel ab Spiritu sancto, vel à conceptione, vel ab ipso nomine IESV, cognominem recipiunt, vel ob peculiarem institutionem, vel singularem deuotionem, vel propter aliquē aium respectum ad talia mysteria: cùm ergo hæ omnes causæ, & plures aliæ, quæ insinuatæ sunt, vel cogitari etiam possunt, in Societate inueniantur, meritò à nomine IESV cognomen accepit. Vltimò verò circa nomen hoc præ oculis habenda est multiplex eius significatio, quæ in constitutionib. eiusdem Societatis declaratur. p.5.cap.1.lit.A. Quia enim Societas congregatio quædam est, quæ pluribus membris constat, & nouitijs etiam, qui propria membra non sunt; ideo interdum illo nomine significatur tota Societas, vt nouitios etiam complectitur; nonnunquam excluduntur soli nouitij, & Societas appellatur totum reliquum corpus ex membris suis constans. Inter hæc autem membra quædam sunt, quæ nōdum ad terminum peruenerunt, sed adhuc probantur aliquo modo, & sunt in via, vt scholastici, & ideo vocari solet aliquando illo nomine hæc congregatio, vt constans ex professis, & coadiutoribus formatis, qui iam sunt in termino sui status. Quia verò inter eos professi sunt præcipui, & apud eos est principaliter regimen Societatis, & ministerium eius, ideo specialiter solet eis hoc nomen attribui. Quæ distinctio ad intelligenda ea, quæ dicemus, præ oculis habenda est.

Nomen Societatis varie in constitutionibus vsurpatur.

CAPVT II.

Quis sit finis huius religionis.

I. *A fine non solum qualibet actio, sed totus vita status regulatur.*

SIcut in actionibus humanis earum honitas, & perfectio ex fine pendet, vt est commune Philosophorum dogma; propter quod dixit Seneca epist. 46. Finem summi boni ad quem factum nostrum, dictumque respiciunt, proponendum nobis esse, ne vita in incertū vagetur. Imò etiam Christus Dominus Matth.6. Luc.11. dixit, ex oculo cordis, & simplicitate intentionis totius corporis lucem pendere. Sicut (inquam) hoc in singulis actionibus verum est, ita etiam in quolibet vitæ statu; nam finis eius est quasi basis, & fundamentum illius, vt rectè dixit Greg. li.28.moral.cap.13. explicans verba illa Iob.38. *Super bases illius solidata sunt, vita* (inquit) *nostra in intima finis intentione subsistit.* Est etiam quasi generale principium, ex quo conditiones, seu proprietates, vel obligationes vniuscuiusq; status colligendæ sunt, iuxta illud Arist.2.Phys.c.8. *Sicut principium in speculabilibus, ita finis in moralibus.* Inter moralia autem, status hominum primarium sine dubio locum obtinent. Est deniq; finis vniuscuiusq; status, seu religionis, si proprius sit, veluti propria forma, à qua veluti propria differētia constituens talem religionem, eamque ab alijs distinguens sumitur, vt ex D. Thomæ doctrina 2.2. quæst.1 §4. intelligere licet. Ob has ergo causas ad intelligendum Societatis institutum, eiusq; rationes, ac proprietates explicandas, finis illius primùm omnium contemplandus est. Atque ita primi etiam nostri Patres, quoties à Summis Pontificibus approbationem huius religionis petierunt, à fine illius suę supplicationis initium sumpserunt. Ab illis ergo, atq; adeò à Pontificibus, & responsis eorum finem huius religionis addiscamus.

Est item principium in moralib.

Est denique quasi differentia distinguens statum.

Finem huius religionis esse non solum propriam, sed alienam perfectionem quærere.

In prima ergo Bulla Pauli III. in formula instituti ei proposita Societas ad hoc potissimum instituta dicitur, *vt ad profectum animarum in vita, & doctrina Christiana, ad fidei propagationem, &c. præcipue intendat.* Et inferius ad vnumquodq; Societatis membrum dicitur. *Curet primo Deum, deinde huius sui instituti rationem, quæ via quædam est ad illum, semper ante oculos habere, & finem hunc sibi à Deo propositum totis viribus assequi.* Eadem verba ferè inueniuntur in simili formula oblata Iulio III. vt habetur in prima eius bulla. Idem repetunt alij Pontifices, præsertim Greg. XIII. in constitutione. *Quanto fructuosius.* vbi sic ait. *Sicut finis dictæ Societatis fidei propagatio, & defensio, animarūq; in vita, & doctrina Christiana progressus, ita etiam gratia eius vocationis proprium est, diuersa loca de Romani Pontificis, ac Præpositi Generalis eiusdem Societatis directione pragrare, &c.* Et in altera constitutione. *Ascendente Domino. Cuius* (scilicet Societatis) inquit, *præcipuus finis est, catholicæ religionis defensio, ac propagatio, animarumque in Christiana vita & doctrina profectus.* Deinde in suis constitutionibus sæpe hunc finem nobis proposuit B. Ignatius, magisq; explicauit. Nam in examine (quod omnibus Societatem ingredi volentibus statim in principio proponitur) c.1.n.2. sic inquit. *Finis huius Societatis est, non solum saluti, & perfectioni propriarum animarum cum diuina gratia vacare, sed cum eadem impensè in salutem, & perfectionem proximorum incumbere.* Et in p.1. Constitutionum cap.2. num.8. ait: Institutum Societatis esse recta tendere ad iuuandas, & disponendas animas ad sui vltimi finis consequentiam. Et p.3.cap.1.§.9. sic de Societate loquitur. *Quæ tota ad maiorem Dei gloriam & vniuersale bonum, & vtilitatem animarum instituta est.* & p.4. statim in initio. *Cum scopus ad quem Societas à tendit, sit suas, ac proximorum animas ad finem vltimum consequendum, ad quem creata fuerunt, iuuare, &c.* vbi in declaratione id distinctiùs explicatur. Ac denique ex hoc fine ferè omnia colligit, quæ in omnibus partibus constitutionum disponit, vt in discursu operis videbimus. Hic verò specialiter notanda sunt illa verba, quæ in 7.p.c.1.§.1. scripta reliquit de eodem fine, scilicet, *Qui finis nostri institutum valde proprius est.*

II. *Primum principium.*

Exemplo.

Idem sanctus.

Idem sanctus.

Satis ergo, & ex testimonio authoris instituentis, & ex assensu Pontificum approbantium, constat hunc esse finem Societatis. Neque hic alia ratio postulanda est: quia finis intentio, seu desiderium agnatio libera est operanti, vel artifici: ille ergo est finis rei instituta, quem ipse instituitor sibi proposuerit, quemque intendere tenentur omnes, qui talem viuendi rationem profitentur. Deinde (à posteriori argumentando) ille est finis alicuius status, ad quem præcipuæ operationes eiusdem status, & media, quæ ad illas ordinantur, diriguntur; nam operatio est finis proximus, seu formalis; seu finis quo (vt Theologi loquuntur) id autem, quod per talem operationem comparatur, est finis, qui intenditur, seu cuius gratia res instituta est; sed omne ferè opus, ac negotium Societatis ad hoc tēdit, vt animarum salutem, & perfectionem, quantum

III. *Idem sanctus.*

Idem sanctus.

tum diuinæ gratiæ cooperando poteſt, promoueat: & tota ratio inſtituendi, diſtribuendi, ac perficiendi membra ſua in hunc finem reſpicit, vt ea faciat apta inſtrumenta ad animarum ſalutem procurãdam, vel ad hoc opus aliquo modo iuuandum, vnumquodque pro ratione ſui gradus; ergo ſignum eſt hunc fuiſſe finem Societatis: Maior, vt nota, ſupponitur ex 1.2.q.1. & 3. & ex Metaphyſica. Minor, & ex bullis, ac conſtitutionibus citatis, & ex praxi, & vſu manifeſta etiam eſt, & in ſequentibus erit ſæpius repetenda: nam magis à priori procedendo ex prædicto fine colligemus, quàm rectè ſint hæc omnia in Societate inſtituta.

IV. *Puncta duo diſcutienda, ad vtrumque dicitur.*

Vt autem finem hunc, & eius perfectionem ampliùs declaremus, duo circa illum inquirere poſſumus. Primum quomodo poſsit hic eſſe finis alicuius religioſi ſtatus. Secundum, ſi eſt, quo ſenſu dici poſsit Societatis proprius. Ratio dubitandi in vtroque puncto eſt, quia finis ille duas partes includit; vna eſt propria perfectio ipſorum religioſorum; altera eſt ſanctificatio, aut perfectio aliorum proximorum. Ex quibus prior eſt quidem accommodatus & proprius finis religioſi ſtatus. Poſterior verò non videtur pertinere poſſe ad finem illius; non quidem quia infra illum ſtatum ſit, ſed potiùs, quia multum illum excedere videatur. Ait enim Dionyſius de cœleſti hierarchia cap. 9. Omnium diuiniſſimum eſſe, Dei cooperatorẽ fieri circa animarum ſalutem iuxta illud 1. ad Corinth. 3. *Dei adiutores ſumus.* Eſt ergo ille finis ſupremus omnium, qui eſſe poteſt in aliquo ſtatu Eccleſiæ. Pertinet ergo ad ſupremum ſtatum, qui eſt Epiſcoporum, non ad religioſum; qui inferior eſt. Docuit hoc eleganter Nazianz. oratio. 1. non ſolùm attribuendo Epiſcopis tãquam propriè debitam perfectionem propriam, illis verbis, *Antiſtitis vitium eſt non quàm optimum eſſe, ac nouas ſubinde virtutum acceſſiones facere, ſiquidem virtutis ſuæ præſtantia multitudinem ad mediocritatem tracturus ſit:* ſed etiam de fine perficiendi alios ita diſſeruit. *Huic ſcopus eſt animæ pennas dare, ac mundo eam eripere, Deoque dare, diuinamque imaginem, aut manentem conſeruare, aut periclitantem fulcire, aut dilapſam in priſtinum ſtatum reuocare.* Quem finem dicit deinceps eſſe ſcopum totius diuinæ prouidentiæ Dei erga homines, & incarnationis Chriſti; ac tandem concludit. *Ac nos huius medicæ ſcientiæ miniſtri, & adiutores ſumus, quicumque aliis præſidemus. Quibus cùm magnum, atque amplum ſit propria vitia, morboſque percipere, iiſque mederi: multo tamen maius, ac præclarius eſt, aliorum morbos curare, ac ſcitè repugnare poſſe: atque vt vtriſque vtile ſit: nempe, & his, qui curatione indigent, & his, qui medendi ſcientiam profitentur.* Videtur ergo arrogantiæ cuiuſdam eſſe in inferiori ſtatu, hunc finem ſibi attribuere, ſiue vſurpare. Et confirmatur, ac declaratur ex dictis ſuperiori tomo circa differentiam ſtatus religioſi ab Epiſcopali: nam Epiſcopalis, eſt ſtatus perfectionis exercendæ, ſeu communicandæ: religioſus verò eſt ſtatus perfectionis acquirendæ, vt docuit etiam D. Thom. 2.2.q.186.art.5. Propter quod etiam in cap. *Hoc nequaquam.* 7. q.1. ex Concilio Conſtantinopolitano dicitur. *Monachorum vita ſubiectionis habet verbum, & diſciplinatus.* Et ob eandem cauſam Dionyſius cap. 6 de Eccleſiaſtica hierarchia religioſum ſtatum ponit in ordine initiandorum, ſeu perficiendorum, & non in ordine miniſtrantium, ſeu perficientium. At verò incumbere aliorum ſaluti pertinet ad ſtatum perficientium, ergo non poteſt eſſe finis accommodatus religioſo ſtatui: ergo ſtatus, qui habet hunc finem, hoc ipſo deficit à ratione perfectæ religionis: tum quia non minùs monſtruoſum eſt, & perfectioni contrarium, altiora ſe quærere, quàm à debita perfectione deficere, cum quoddam arrogantiæ genus illud eſſe videatur. Tum etiam, quia eo ipſo quòd in aliquo ſtatu exceduntur limites operandi vltra menſuram accommodatam tali ſtatui, non ſolùm perfectio non acquiritur, verùm potiùs illi, qui talem ſtatum profitentur, exponuntur etiam innumeris periculis amittendi etiam ſpiritualem vitam. Quod præcipuè contingere poteſt in hoc fine quærendi ſalutem animarum, qui multa pericula habet annexa, præſertim ſuperbiæ, ambitionis, & vanæ gloriæ, & inferiorum lapſuum fragilitatis humanæ. Quod ſi fortè dicatur hinc ſolùm probari, hunc non poſſe eſſe finem directum, & primarium alicuius religioſi ſtatus; non tamen inde concludi, per quandam redundantiam, & quaſi extenſionem non poſſe religioſum ſtatum ad hunc finem ordinari. Si hoc (inquam) dicatur, primò repugnatur omnibus teſtimoniis adductis, & deſtruuntur omnia, quæ de fine huius religionis hactenus dicta ſunt. Deinde nulla erit differentia in hoc inter illã, & alias religiones, præſertim mendicantes, quæ hoc ſaltem modo ad ſalutem proximorum ordinantur, veluti religio *Prædicatorum*, vt nomen ipſum præ ſe fert. *Euaſio eluditur.*

V. *Quatenus ſalutem animarum poſſe eſſe finem principalem alicuius religionis.*

Circa quæſtionem hanc primùm omnium ſtatuendum eſt, finem hunc quærendi proximorum ſalutem, & perfectionem, eſſe finem non accidentarium, nec ſecundarium huius religionis, ſed principalem, & maximè proprium, vt verba inſtituti, & Pontificia ſcripta manifeſtè teſtantur; ita verò ſumendus eſt hic finis, vt ab alio, ſcilicet, perfectionis propriæ acquirendæ non ſeparetur, ſed ſit quaſi determinatio eius, vel potiùs mutuò ſeſe determinẽt, & ita ex eis confletur vnus adæquatus, & perfectiſſimus finis talis religionis. Vt autem hoc explicemus, & confirmemus, primùm probandum eſt poſſe hunc finem ſalutis animarum, eſſe primarium ſcopum alicuius religioſi ſtatus, quod ſumi poteſt ex D. Thom. 2.2.q.188. art.4. & Caiet. ibi. Idque ſic oſtendo; nam licèt religiones omnes pro ſcopo habeant perfectionem charitatis, ſingulæ tamen illam inquirunt peculiari modo, ſeu in proprio aliquo opere, ſeu miniſterio quod eſt veluti proprius vniuſcuiuſque ſcopus, vt indicauit Moyſes Abbas apud Caſsianum collat. 1. ferè tota. & D. Bonau. in ſpeculo diſciplinæ cap. 6. tom. 2. opuſcul. & in ſuperiori tom. id declaratum eſt, circa ſtatum religioſum in communi, & iterum hoc ipſo tomo in tract. 9. circa varietatem religionum dicitur. Sic enim quædam religiones ordinantur ad ſolam contemplationem, vel laudem Dei, quædam ad hanc, vel illam actionem in defenſionem Eccleſiæ, redemptionem captiuorum, curationem infirmorum, &c. Hinc igitur ſic colligo; nam religio inſtitui poteſt, quæ pro ſuo peculiari fine principaliter habeat aliquod ex prædictis miſericordiæ operibus, vt ex vſu Eccleſiæ conſtat: ergo multo magis inſtitui poteſt, quę pro fine habeat maximum charitatis opus erga proximos, quale eſt eorum æternam ſalutem procurare, nullumque laborem propter hũc finem aſſequendum recuſare.

VI. *Suadetur Scripturæ teſtimoni 1.*

Quin potiùs, ſi rectè verba Chriſti in Euangelio expendamus, hit videtur eſſe præcipuus finis ſtatus religioſi à Chriſto Domino inſtituti, vel ſignificati. Nam Luc. 9. cùm quendam ad perfectionem vocaſſet, dicens; *Sequere me.* & ille reſpondiſſet: *Domine, permitte mihi primùm ire, & ſepelire patrem meum:* Reſpondit Dominus, *Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos, tu autem vade, & annuncia regnum Dei,* indicans, propter hoc munus principaliter illum vocaſſe ad ſtatum perfectionis, vt ſcilicet annunciaret regnum Dei. Et Marci 10. dixit, *Nemo eſt qui reliquerit domum, aut fratres, &c. propter me, & propter Euangelium, qui non accipiat centies tantum, &c.* quam vltimam particulam ſolus Marcus addidit. Et Euthym. cap. ſuo 41. in Matth. Barrad. tom. 3. concord. lib. 5. cap. 10. & alij poſt Hieronymum Matth. 19. illam ita interpretantur, *propter Euangelium*

Euangelium annunciandum. Sic etiam Apostolos, quos in religioso statu priùs instituit, ad hoc principaliter vocauit, vt essent piscatores hominum. Est ergo hic non solùm aptus, sed etiam maximè perfectus finis status religiosi. Ratione denique declaratur; nam finis, qui magnam perfectionem requirit, & cuius operatio, seu inquisitio, & per se spectata opus perfectionis est, & multum ad perfectionem iuuat, finis est status religiosi, cùm ipse essentialiter sit status comparandæ perfectionis: sed huiusmodi est ille finis, vt per se manifestum est, & in prædictis bullis Societatis sæpiùs declaratur. Nam in prima formula instituti Paulo III. proposita dicitur, rationem huius instituti *viam quandam esse ad Deum.* Et Pontifex testatur, omnia, & singula (scilicet sibi proposita) ad spiritualem profectum eorundem sociorum, & reliqui Christiani gregis esse opportuna. Quæ iterum in bulla 1. Iulij III. repetuntur. Et multa adduntur, quæ perfectionem, & excellentiam huius finis satis declarant. Præcipuè verò notanda videntur verba illa, quæ ex parte Societatis proponuntur. *Qui ad nos accessuri sunt, antequam huic oneri humeros supponant, diu multumq; meditentur, an tantum pecuniæ spiritualis in bonis habeant, vt turrim hanc iuxta consilium Dominicum possint consummare:* hoc est, *an Spiritus sanctus qui illos impellet, tantum illis gratiæ polliceatur: vt huius vocationis pondus se laturos sperent: & postquam Domino inspirante huic Iesu Christi militiæ nomen dederint, die, noctuq; succincti lumbos, & ad tam grandis debiti solutionem prompti esse debebunt.* Et inferiùs sunt alia verba multum notanda, & præ oculis semper habenda. *Reuera hoc institutum omnino humiles, & prudentes in Christo, & in Christianæ vitæ puritate, ac literis conspicuos exigit.* Non est ergo hic finis, tametsi in se perfectissimus, statui religioso improportionatus, si ordinato modo, & per consentanea media intendatur.

Ratione idē ostenditur.

VII. *Non repugnare religioso statui simul acquirere, & communicare perfectionē tanquam duos fines principales, partiales.*

Quocirca quamuis de essentia status religiosi sit viam esse, & scholam propriæ perfectionis acquirendæ, ita vt à tali statu hoc separari non possit; non tamen illi repugnat, quòd sit simul status perfectionis exercendæ, & communicandæ, vt etiam in tom. superiori circa statum religiosum in communi annotatum est. Et patet facilè, tum quia, licèt religiosi dicantur esse in via perfectionis, non tamen propterea excluditur, quin in religione esse possint, ac frequenter sint multi iam perfecti. Nam licèt in præsenti vita, non ita perueniatur ad terminum, quin vlterius semper procedi valeat, vt lib. 9. de gratia, cap. 6. ostendi, peruenire nihilominus potest ad eum gradum, & perfectionem virtutis, in qua possit aliquis dici simpliciter perfectus, pro captu huius vitæ. Ergo hic gradus perfectionis non excluditur, sed potiùs intenditur in statu perfectionis religiosæ. Ergo eadem ratione possunt principaliter, & quasi vltimatè intendi ea opera, quæ virum perfectum requirunt, cùm omnis perfectio huius vitæ, vel in operatione sit, vel propter operationem: huiusmodi autem opera post synceram Dei dilectionem sunt illa, quæ circa salutem animarum exercentur; ergo exercere, & communicare hoc modo perfectionē non est repugnans huic statui. Eo vel maximè quòd ipsamet operatio perficiundi alios, potest ita perfici, vt multùm perficiat ipsum perfectorem, seu cooperatorem alienæ perfectionis; ergo rectè potest comprehendi in primario fine status religiosi, etiamsi sit status perfectionis acquirendæ, quod insinuatum est in illis verbis B. Ignatij: *Curet primò Deum, deinde huius sui instituti rationem, quæ via quædam est ad illum quod vixerit ante oculos habere.*

In prædictis bullis.

VIII. *Primum discrimen, in*

Ex quibus potest multiplex differentia assignari inter statum Episcopi, quatenus est status perficiendi alios, & statum religiosum, quatenus huiusmodi actionem participat. Nam in primis Episcopis conuenit hoc munus per se, & ex officio, ideòque quasi principaliter: religiosis autem solùm conuenire potest quasi ministerialiter, & in subsidium Episcoporum, vt sensit D. Thom. dict. qu. 188. art. 4. & ibidem magis Caiet. explicauit. Vnde omnis potestas ad hos actus necessaria est iure ordinario in ipsis Episcopis, in religiosis verò quatenus tales sunt, solùm esse potest per delegationem, vel ab ipsis Episcopis, vel ab vniuersalis Ecclesiæ Episcopo. Vnde etiàm fit, vt potestas perficiendi alios plenariè (vt sic dicam) sit in Episcopis, quoad potestatem quidem ordinis, absolutè, & simpliciter; quoad potestatem autem iurisdictionis, quantum satis est ad ordinariam gubernationem, licèt cum dependētia à capite, à quo potest illa iurisdictio limitari, quia ad ipsammet gubernationē ita expedit. In religiosis verò solùm est participatio aliqua huius potestatis, quæ regulariter non extenditur ad omnes actus perficiendi alios, neque enim possunt vel per sacramentum cōfirmationis fideles perficere, nec per ordinationem sacerdotes consecrare. Vnde potest alia differentia tandem considerari; nam in eo qui perfecturus est alios, duo requiruntur: potestas, & probitas, seu sanctitas, aut perfectio personæ: status ergo Episcopalis constituit hominem in statu perficiendi alios, dando potestatem, non verò dando probitatem, sed hanc aliunde supponendo. Status verò religiosus, quatenus tendit ad perficiendos alios, eò præcipuè tendit, vt conferat personæ probitatem, & perfectionem necessariam ad tam perfectam operationem expectando potestatem ab eo, qui illam conferre potest, voluntati eius tam concessionem potestatis, quàm vsum eius committendo. Et ad hoc significandum, tam in dictis bullis, quàm in constitutionibus Societatis, vbicumque de eius fine agitur, coniungitur hæc dependentia, & subordinatio ad Summum Pontificem, ac si nos docere voluerit B. Ignatius, finem huius instituti, non tam esse prædicare, vel docere, &c. quàm facere homines idoneos, expeditos, & expositos ex vi sui instituti, ad sanctè prædicandum, docendum, &c. ſà Summo Pontifice, vel à Prælato Societatis eius vicem habente, ad hoc fuerint destinati. Sic in 1. bulla Pauli III. incipit formula instituti. *Quicumque in Societate nostra, quam IESV nomine insigniri cupimus, vult sub Crucis vexillo Deo militare, & soli Domino & Summo Pontifici eius in terra Vicario seruire.* Et tam in illa, quàm in prima bulla Iulij III. monentur omnes socij, vt sciant, & quotidie animo voluant, Societatem hanc vniuersam & singulam sub S. D. N. Papæ, & aliorum Romanorum Summorum Pontificum successorum eius fideli obedientia militare. Et hinc ortum dicitur speciale votum obediendi Summo Pontifici circa missiones, quod professi Societatis faciunt: & circa hoc ipsum monentur socij, nihil debere per se, vel alios circa has missiones procurare, sed totam hanc curam Summo Pontifici, & Præposito generali vices eius tenenti, esse dimittēdam. Ex quibus omnib. rectè intelligitur finem intrinsecum (vt sic dicam) huius Societatis esse creare, & instituere ministros ita perfectos, vt ad ministeriū salutis animarum ad nutum voluntatis prælatorum dignè assumi possint, qui finis non est extra latitudinem illius status religiosi: qui est ad perfectionem acquirendam, licèt illum eleuet, & extēdat etiam ad finem perfectionis cōmunicandæ, & exercendæ, modo proportionato religioso statui. Vnde adiungi etiam potest tertia differentia; nē status Episcopi per se primò ad aliorum vtilitatē ordinatur, & in ea fistit, quantum est ex vi status, nō ad propriam vtilitatem etiam spiritualem: quamuis n. persona Episcopi in exercendo suo munere illam possit, & debeat intendere, tamen munus ipsū per se, & natura sua solum est ad vtilitatem aliorū.

At verò

At verò ſtatus religioſus ita ordinatur ad animarum ſalutem, vt illammet negotiationē reſpiciat, vt magnam perfectionem ipſius operantis, à cuius intentione, nunquam ſeparat vtilitatem aliorum, & ideo hanc ipſam vtilitatem eo pondere, & menſura procurat, quę propriam perfectionem non impediat, ſed potius ad eam iuuet. Hoc ergo modo finem hunc ſibi Societas propoſuit.

Quo pacto perfectio propria & proximorum poſsit eſſe finis Societatis proprius.

IX. Secundò principaliter colligitur ex dictis reſponſio ad ſecundum punctum in num. 4. propoſitum; quomodo ſcil. finis ſupra declaratus ſit proprius Societatis, quantum ad eam partem in qua dicitur ordinari ad propriam perfectionem ſociorum. Quę difficultas ferè omnibus religionibus proponi poteſt, & maximè illis, quæ ad proximos non ordinātur, quia omnes hunc ſolum finem intendere videntur. Eſt igitur aduertendum, (quod etiam tractatu præced. lib. 1. c. 1. n. 4. notauimus) licèt hic finis ſecundùm ſe, & quantum ad rem illam in qua talis finis conſiſtit, idem ſit; nihilominus propter diuerſum modum, quo à diuerſis religionib. intenditur, diuerſas rationes finis formaliter (vt aiunt) induere, licèt materialiter id ſit. Sicut enim Philoſophi dicunt, eundem locum diuerſis vijs circulari, aut recta intentum, induere diuerſas rationes termini, aut finis; ita in præſenti eadem charitatis perfectio intenta per talem regulam, aut viuendi modum, aut per peculiarē vſum talis virtutis, induit diuerſas rationes finis, atque hoc modo intenditur in diuerſis ſtatib. religioſis. Nam à quibuſdam quæritur per peculiarem vſum contemplationis; ab alijs per pium vſum in aliquo opere charitatis, aut miſericordiæ, ab alijs per ſingularem obſeruantiam paupertatis, &c. Et quamuis verum ſit, ferè hæc omnia in omnibus, vel in plurihus religionibus obſeruari; tamen ab eo in quo vnaquæque excedit, & cui cætera omnia quodammodo accommodantur, accipit propriam rationem, & denominationem ſuam. Sic ergo habet Societas proprium quemdam modum in propria ſuorum membrorum perfectione procuranda, ratione cuius finem illum, vt proprium & peculiarem ſibi vſurpat.

Diuerſus modus intendendi in fine perfectionis, diuerſitatem finis formaliter efficit.

X. Videtur autem mihi modus hic in duobus præcipuè conſiſtere. Primò, quia partem hanc ſui finis alteri parti accommodat, quæ ad perficiendos proximos pertinet; ita enim quærit ſuorum ſociorum perfectionem, vt totam illam mediaq; quib. comparatur, &c. velit deſeruire perfectioni proximorum. Vt v.g. cum meditatio, & contemplatio ſit vnum ex potiſsimis medijs ad perfectionem acquirendam, Societas ita in ratione meditandi, & orandi ſuos inſtruit, vt per illam ipſam aptiores reddantur ad actionem circa animarum ſalutem intentā. Similiter moderatio in victu, & veſtitu, vſus pœnitentiæ, rigor, & aſperitas corporis, media ſunt valde vtilia, & neceſſaria ad propriam perfectionem. Ex omnibus autem illis illud accipit Societas, quod ad propriam perfectionē ſufficiat, & labores circa animarum ſalutem procurandam non impediat, ſed potius, quoad fieri poſsit ad illos iuuet. Pro certo enim habet, ac ſupponit, ex huiuſmodi reſpectu, & accommodatione non eſſe propriam perfectionem ſuorum, vel minimum, minuendam; quia vera charitas, non eſt charitati contraria, neq; ex fine ſalutis animarum, qui perfectiſsimus eſt, poteſt fructus aut perfectio aliorum operū religionis minui. Quin potiùs licèt de ſubſtantia, ſeu materiali vſu (vt ſic dicam) aliorum operum aliquid interdum remitti videatur, ex coniunctione tamen ad illum finem, & ex mirabili concentu, & proportione, quæ ex omnibus illis operibus tali fini commenſuratis conſurgit, non ſolùm ſuppletur, verùm etiam mirum in modum augetur.

Primus in quo conſiſtit modus quærendi perfectionem in Societate.

XI. Secundò videtur conſiſtere hic modus Societatis proprius in peculiari cultu, & ſingulari obſeruantia obedientiæ. De quo Beatus Ignatius in ſingulari epiſtola, quam de hac virtute nobis ſcriptam reliquit, ita num. 3. loquitur. *Ab aliis religioſis ordinibus facilius patiamur ſuperari nos ieiuniis, & vigiliis, & cæteris victus, cultusque aſperitate, quam ſuo quisque ritu, ac diſciplina ſanctè ſuſcipiunt: vera quidem ac perfecta obedientia, abdicatio neque voluntatis, atque iudicii maximè velim, fratres charissimi, eſſe conſpicuos, quibus, in hac Societate Domino Deo noſtro deſeruiunt, eiuſdemque Societatis veram germanamque ſobolem, quaſi nota diſtingui, &c.* Et in conſtitutionibus ſæpè id commendat, & exaggerat, præſertim p. 6. cap. 1. *Tum* (inquit) *omnes plurimum obſeruare, & in ea excellere ſtudeant, nec ſolum in rebus obligatoriis, ſed etiam in aliis, licet nihil aliud quàm ſignum voluntatis ſuperioris, ſine vllo expreſſo præcepto videretur.* Et infrà. *Exactiſsimè omnes nernos virtutum noſtrarum ad hanc virtutem obedientiæ, in primis Summo Pontifici, deinde ſuperioribus Societatis exhibendam intendamus, ita vt omnibus in rebus, ad quas poteſt cum charitate obedientia ſe extendere, ad eius vocem perinde ac ſi à Chriſto Domino egrederetur (quandoquidem ipſius loco, ac pro ipſius amore, & reuerentia obedientiam præſtamus) quàm promptiſsimè ſimus.* Et infrà requirit à ſuis obedientiam, tum in executione, tum in voluntate, tum in intellectu; de qua virtute prout in Societate docetur, & exercetur ſpecialiter à nobis, infrà in libro 4. à cap. 12. diſſerendum eſt, nunc obiter ſolùm hoc tactum eſt, vt intelligatur ſicut aliæ religiones eminent vel in paupertate, vel in rigore pœnitentiæ, vel in choro, &c. ita ſpeciale ſtudium Societatis eſſe in excellentia obedientiæ, & per eam ſpecialiter promouere ſuos ſubditos ad perfectionem propriam. Hæc autē excellentia attendi inprimis poteſt ex parte materiæ: aliæ enim religiones profitentur obedientiam ſecundùm certam regulæ menſuram, vt etiam D. Tho. 2. 2. q. 186. notauit. Hic autem nulla adhibetur menſura, præter ſuprà indicatam, ſcilicet, vt opus iniunctum cum charitate coniunctum eſſe poſsit; vt declaratio addidit; *Huiuſmodi ſunt illa omnia in quibus nullum manifeſtum eſt peccatū* Deinde etiam quoad modum, ſumma perfectio poſtulatur, ſcilicet, quod ſit ex tota anima, ex tota mente, & ex totis viribus, his enim ferè æquiualent verba ex B. Ignatio relata. Conſonat autem optimè hic peculiaris modus inquirendi propriam perfectionē cum alio membro contento, ſub fine huius religionis, de quærenda fectione proximorum, & cum priori etiam modo quærendi propriam perfectionem, accommodatè ad procurandam etiam perfectionem proximorū. Quia ad hanc ſpiritualem militiam contra mundū, & contra dæmonem ſtrenuè peragendam, nulla virtus magis neceſſaria eſt, quàm obedientia, tum quia per illam ſpecialiter mouētur homines à Deo, tanquam inſtrumenta eius, quod in hoc negotio maximè neceſſarium eſt, iuxta illud: *Quomodo prædicabunt niſi mittantur.* Et illud: *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Tum etiam, quia in hoc opere neceſſarium eſt multa, & difficilia miniſteria exercere, & varijs gentibus, & regnis, vel prædicare, vel alijs modis ſpiritualiter iuuare: & ideo niſi miniſtri Societatis eſſent in hac virtute promptiſsimi, & valde exercitati, re vera non poſſent tantum opus pro dignitate ſuſtinere.

Secundum in quo modus quærendi perfectionem in Societate conſiſtit.

In quibus excellentia obedientiæ Societatis conſiſtat.

XII. Vltimò ex dictis difficile non eſt alteram eiuſdem ſecundi puncti partem expedire, & explicare: quomodo propoſitus finis, quantum ſpectat ad ſalutem proximorum procurandam, ſit proprius

huius religionis. Potest autem proprius vocari, vel quia ipsi per se, ac principaliter cõuenit: & hoc sensu nullam habet dubitationem; quia & verbis satis expressis id asseruit noster Pater B. Ignatius, & ex omnibus dictis satis euidens est. Vel aliter dici potest proprius, quia ita illi conuenit, vt nulli alteri religioni conueniat: & in hoc etiam sensu: si rectè explicetur, verum quidem est: ostendetur autẽ breuiter collatione facta cum alijs religionib. Ex quibus, vt suprà distinximus, quædam clericorũ sunt, aliæ monachorum. Et quidem religiones clericorum, quantum est ex statu, seu conditione personarum, aptæ sunt ad hunc finem, quia ad clericos per se spectant actiones, quibus animarum salus procuratur: tamen nulla alia religio clericorum est, quæ per se tendat, vel obligetur ad huiusmodi actiones: ergo nulla per se iutendit hunc finem. Consequentia euidens est, quia religio maximè tendit, & obligat ad eas actiones, quibus finis ab ea principaliter intentus comparandus est, alioqui non essent media fini proportionata. Minor autem constabit facilè discurrendo per huiusmodi religiones, ex quib. antiquissima est religio canonicorum regularium: nouissima autem præter Societatem esse videtur religio Theatinorum, aut alia, quæ S. Pauli, vel etiam S. Barnabæ nominatur in Italia. Præter quas sunt aliæ minus notæ, quarum breuis memoria videri potest in Hieronymo Romano lib. 6. Nulla autem ex his ex speciali instituto & obligatione ordinatur ad actiones clericatus, quæ specialiter circa proximos versantur, sed peculiariter ad eas, quæ ad cultum diuinum pertinent, vt ex vsu ipso constat: & legentibus earum institutiones, & regulas seu viuendi modos, certiùs constabit.

Non solum hunc finem esse proprium Societati, quia illi per se conuenit, sed etiam quia nulli alii conuenit.

Nulli religioni clericorum hunc finem conuenire.

XIII. *A monachatu hunc finem per se esse alienũ.*

Monachatus autem iuxta suam primæuam, & puram institutionem ad solam contemplationem institutus fuit, & ad hunc finem cætera omnia etiam exercitationes & labores corporis assumebat, quod manifestum erit legenti antiquos monachorum Patres, præsertim Basilium in varijs libris, seu sermonibus & institutionibus monachorum, & in Constitutionibus monasticis, ac regulis monachorum: & ex Cassian. libris de institutionibus monachorum, & collat. 9 à principio. Vnde initio monachi regulariter clerici non erant, neque hoc per se pertinebat ad eorum institutum, vt sumitur ex ca. *nemo*. & ex cap. *alia causa*. 16. q. 1. & ex Dionys. cap. 6. de Eccles. hierarch. & D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 8. ad 2. Vide etiam quæst. 186. art. 7. ad 2. & q. 188. art. 1. ad 2. Quocirca religiones monachales secundùm suam primæuam institutionem, ad salutem proximorum procurandam per se non ordinantur, sed tantùm ad perfectionem eorum, qui illas profitentur. Quod magna ex parte nunc etiam obseruari videmus in his religionibus, quæ veluti per antonomasiam nomen monachalium retinuerunt, vt sunt religio S. Benedicti, S. Bernardi, S. Hieronymi, Carthusiensium, Præmonstratensium, &c. Præter has verò, instituti postea sunt ordines mendicantium, præsertim D. Dominici, & D. Francisci, ordines siquidem Carmelitarum, & eremitarum S. Augustini, quoad primam institutionem antiquiores sunt, licet postea ad formam, & numerum religionum mendicantium sint accommodati. Hi igitur mendicantium ordines monachorum etiam sunt, & ex hac parte non habent pro fine actiones aliquas circa proximum, tamen ex peculiari institutione addidisse videntur statui monachatus respectum aliquem ad salutem proximorum procurãdam: quod specialiter de religione S. Dominici affirmat tacitè D. Thom. 2. 2. quæst. 184. art. 4. & opusc. 19. cap. 5. vbi occasione defendendi religionem suam ostendit posse religionem aliquam institui ad prædicandum, ad audiendas confessiones, &c. Et Caiet. dict. art. 4. declarat esse proprium actum illius religionis prædicare non ex officio, sed ministerialiter subueniendo Episcopis in eo munere. Et hoc ipsum nomen illius religionis declarat, propterea enim *Prædicatorum* appellata est: Nam nomen illud (vt D. Thom. indicat) vacuum non est: indicat ergo proprium illius religionis munus, ad quod necesse est ordinari tanquam ad finem suum. De religione etiam Minorum dixit Gregor. IX. vt refertur in compendio Minorum, verbo, *Prædicatores*. §. 2. ministerium prædicandi ex professione sua illi conuenire. Idemque de cæteris mendicantibus sentiendum est, quia quoad hoc ferè æquales censentur; licet nonnulla inter eas sit diuersitas. Nam ordo Carmelitarum, & eremitarum ex prima institutione sine dubio non fuerunt propter hunc finem, sed postea ipso vsu, ac tandem approbatione Pontificum ad huiusmodi opus assumptæ, vel extẽtæ sunt: alię verò duę religiones mendicantium monachorum ex prima intentione suorũ fundatorum hunc finem participarunt, præcipuè verò ordo Prædicatorum: qui propterea in sacrarum literarum studijs semper floruit, quia ad prædictum finem hoc medium est inprimis necessarium.

Ordines mẽdicantium non esse per se omnino alienos ab hoc instituto.

Nihilominus tamen in huius finis intentione aliquid proprium habet Societas IESV, ratione cuius meritò potest finem illum sibi accommodare, & ab illo propriam rationem, & modum sui instituti recipere. Quod inprimis in forma seruata in prima institutione huius religionis, & ex verbis Pontificum, quib. illam approbarunt, quæ iam suprà retulimus, satis coniectari potest: in nulla enim aliarum religionum institutione, vel approbatione inuenitur ita propositus, & toties repetitus hic finis, tanquam primarius illius religionis: quod credibile non est sine speciali, ac vera causa factum esse, & à Pontificibus receptum. Deinde res ipsa ita declaratur. Nam inprimis nulla alia religio speciali voto se huic muneri consecrat: Societas autem hoc facit per illud speciale votum, quo eius professi se obligant ad obediendum Pontifici, in missionibus ad salutem proximorum, & fidei defensionem, aut dilatationem ordinatis: quod infra lib. 4. declarabimus. Nec refert, quòd non omnes religiosi Societatis, sed illi tantùm, qui specialem professionem faciunt, hoc votum emittant; tum quia illa est præcipua Societatis pars, per quam hunc finem principaliter intendit; tum etiam quia reliqui omnes ad illam ordinantur, vel vt ad illum gradum perueniant, vel vt illum in suo munere adiuuent, atque ita omnes ad eum finem tendunt. Hinc potest secunda proprietas intelligi; nam aliæ religiones, etiam mendicantes, ita respiciunt hunc finem, vt totum religionis pondus non illum principaliter respiciat; sed valdè secundariò, & quasi ex abundanti, vt sic dicam. Et ideo nec particulares religiosi, nec prælati tenentur ita res suas, aut suæ religionis disponere, aut procurare, vt proximorum vtilitati, & perfectioni deseruiant, sed post interna, & domestica officia sufficienter expleta, si commodè possint aliquid proximis erogare, tunc ex perfectione charitatis, & ex ratione sui instituti debent, vt poterint, proximis in spiritualibus deseruire: at verò in Societate totum religionis pondus ad hunc finem ordinatur; nec satisfacient prælati eius suo muneri, nisi hunc finem præ oculis semper habeant, & ita omnia, quæ ad religionem pertinent, moderentur, vt omnes, quoad fieri possit, huic muneri incumbant: singuli autem religiosi eundem finem respicere debent, & ita se disponere, vt ad illum procurandum apti sint, & parati: neque aliter suæ vocationi satisfacient, etiamsi in his, quæ ad propriam perfectionem pertinent, strenui sint, quod de cæteris religiosis non procedit. Deniq; ob hanc causam Socie-

XIII. *Aliquid proprium habet Societas.*

Societas per se & ex primaria institutione est religio clericorum, seu presbyterorum, vt à Conc. Trid. sess. 25. c. 16. & à Pio V. & Greg. XIII. nominata est, & in c. 5. explicabitur; quia nimirum actiones sacræ, quibus salus proximorum procuranda est, propriè sunt clericorum: religiones autem monachorum, etiam mendicantium, per se non postulant clericatum, vt n. præce. notauimus, licet illum admittant; signum ergo est, non ita per se intendere finem salutis animarum, sicut à Societate intenditur.

CAPVT III.

Quibus mediis vtatur Societas IESV ad finem sibi præstitutum.

I. *Cur hoc c. de mediis ad finem explicatum agatur.*

QVanuis tota ratio huius instituti, in his ferè medijs posita sit, & ideo in discursu totius tractatus sigillatim; & ex professo sint exponenda, nihilominus operæpretium visum est illa hic summatim colligere, quia neque vtilitas, neque perfectio huius religionis, neq; alię proprietates, quas de illa ostendere intendimus, intelligi poterunt, non habita priùs aliqua saltem generali notitia talium mediorum. Vt enim religio aliqua perfecta sit, non satis est quod perfectissimum finem habeat, nisi etiam medijs vtatur ad perfectam illius finis consequutionẽ accommodatis; sicut neq; è conuerso ad perfectionem religionis satis est in optimis se exercere operibus, nisi illa sint proprio fini talis religionis accommodata. Denique finis & media adeò sunt inter se connexa, vt licet in generali constet ex dictis in prȩcedenti capite, quem finem intendat Societas, non tamen satis explicari valeat, quam perfectè, & exactè finem illum intendat, nisi media, quibus ad illum consequendum vtitur, considerentur.

II. *Duplex genus mediorum Societatis.*

Quoniam ergo finis Societatis duas principales partes includit, quæ sunt perfectio propria, & proximorum; duplici etiam genere mediorum vtitur. Vnum est eorum, quæ ad perfectionem propriam suorum subditorum ordinantur; aliud ea continet, quæ proximorum commodis inseruiunt. Quia verò præced. cap. à num. 5. diximus ita Societatem intendere suorum sociorum perfectionem, vt totam illam quoad fieri possit perfectioni proximorum velit inseruire. Nam vt dixit Bonifacius Papa, in ca. *sunt nonnulli.* 16. quæst. 1. *quanto quisque est celsior.* scilicet in virtute, & perfectione, *tanto est in hu potentior*: in his videlicet actionibus, quibus salus proximorum procuratur. ideo possunt non immeritò omnia media quibus Societas vtitur, dici esse ordinata ad proximorum salutem. Tamen in hoc est diuersitas, quæ in idem ferè redit; nam quædam ordinantur immediatè ad propriam sociorum perfectionem, licèt mediatè etiam referantur ad alios; alia verò proximè & immediatè versantur circa proximos ipsos, quanquam illa etiam in bonum ipsorum ministrorum redundent, vt superiori cap. etiam tactum est, num. 7. 8. & 10.

Quibus mediis Societas immediatè propriam sociorum perfectionem procuret?

III. *Media pro conseruanda gratia,*

In priori ordine numerari inprimis possunt ea, quæ sunt simpliciter necessaria ad perfectionem essentialem charitatis, sed hęc communia esse debent Christianis omnibus, continenturq; sub obseruatione præceptorum omnium: & sub illo vsu virtutum tam moralium, quàm theologalium, sine quo charitas obseruari non potest, de quibus medijs nihil hic in speciali dicere necesse est. Deinde numerari etiam hic possunt illa media, quæ ad perfectionẽ charitatis obtinendam omnibus religionib. communia sunt, qualia sunt præcipuè actus pertinentes ad tria vota essentialia: & ad internum Dei cultum, per orationes, meditationes, lectiones, & alia religionis opera. Item actus pertinentes ad corporis castigationem, & ad perfectam sui abnegationem, & mundi renunciationem. Omnis enim religio, vt perfecta sit, aliquid peculiare in his omnibus obseruare debet, ex vi sui instituti, præter id quod ex vi præceptorum necessarium est. Hęc autem omnia Societatem perfecta quadam ratione procurare circa suos subditos manifestum est. nam inprimis tria substantialia vota religionis emittit. Et licet in modo vouendi in aliquibus membris suis aliquid singulare habeat, quatenus illa vota solennia non sunt, tamen infra lib. 3. ostendemus, hoc nihil eorum perfectioni obesse, quin potiùs multum prodesse posse, quia quantum est ex parte ipsorum vouentium, sunt omnino perpetua, & æqualiter eos obligant: illa verò dependentia, quam semper à Societate habent, eos potiùs reddere potest, & debet in ipsorum votorum perfecta obseruatione solicitos.

Item pro augenda, & perficienda.

Aliunde verò ex parte materiæ exactam perfectionem in huiusmodi votis Societatis profitetur. Licèt enim verum sit, votũ castitatis ex parte materiæ non admittere diuersos gradus, vt S. Bonauent. in expositione regulæ cap. 1. circa finem dixit. Propter quod etiam Pater noster B. Ignatius 6. p. constit. cap. 1. §. 1. ait. *Quæ ad votum castitatis pertinent, interpretatione non indigem, cum constet, quàm sit perfecte obseruanda, nempe nitendo Angelicam puritatem imitari, & corporis, & mentis nostræ munditia.* In quib. verbis imitatus est sanctos Patres, qui virginitatem profitentes cum Angelis conferre solent, quos superiori tomo retulimus, tractando de voto simplici castitatis. Licèt (inquam) hoc verum sit, nihilominus in modo, & perfectione obseruandi castitatem, gradus aliqui distingui possunt, vt videri potest apud Cassian. collat. 12. c. 7. Quos omnes, sine dubio, perfectio nostri instituti amplectitur, vt ex verbis Beati Ignatij patet manifestè. Possunt etiam (quod ad perfectionem magis necessarium est) distingui varia media, quibus & castitas custodiatur, & perfectio eius acquiratur. Et in his mirum in modum abundat, & excellit hoc institutum. Nam huc spectat summa superiorum vigilantia, & inferiorum charitas, ita vt ipsas etiam cogitationes statim manifestare, & communicare moneantur, vt libro 10. cap. 6. magis exponetur. Item huc maximè refertur custodia sensuum, vitare otium, cauere colloquia fœminarum; nisi cum magna circunspectione, necessitate, vel vtilitate, sacramentorum pœnitentię, & Eucharistiæ frequens vsus, ac deniq; moderatio victus, ac vestitus, cum alijs qnæ ad asperitatẽ corporis pertinent, iuxta vniuscuiusq; proportionatã mensuram, vt inferius c. 9. fusiùs exponemus: ibiq; satisfaciemus nonnullis obiectionibus, quæ in hac parte nobis fieri solent. Solùm aduerto inter hæc media, quædam esse multùm interna, & spiratualia, alia magis externa, & corporalia. Vnde argui solet à suis detractoribus Societas, quod in prioribus rigorosior, quàm par sit, in posterioribus lenior esse videatur. Debuissent autem aduertere, finem Societatis vtrumque postulare, & non esse nimium, quod & fini perfectè consequendo moraliter necessarium est, & in se aliunde non habet excessum alicui virtuti repugnantem. Hæc autem in præsenti ita esse, & per se credendum est, non solùm propter authoritatem Pontificum, sed etiam propter diuturnam experientiam & vsum plurium virorum, qui & in vita, & in doctrina irreprehensibiles fuerunt, & in particulari meliùs ratione ostendimus.

IV. *De perfectione castitatis in Societate obseruata.*

Notatio contra accusantes Societatem nimii rigoris in quibusdam, & minimi in aliis.

In votis paupertatis, & obedientiæ possunt ex V.

De perfectione paupertatis Societatis.

parte materiæ esse gradus, in quibus non omnes religiones pares sunt, Societati verò nihil perfectionis in hac parte deest. Primùm enim circa materiam paupertatis consideratur abrenunciatio proprietatis, & incapacitatis dominij in particulari, quem gradum paupertatis amplectitur Societas in omnibus membris suis, sibi (vt sic dicam) vltimatè vnitis. Quòd autem hoc ad tempus differat in Scholasticis, non minuit totius religionis perfectionem, vt per se notum est: neq; etiam perfectionem ipsorum Scholarium, vt ex dicendis constabit. Secundò pertinet ad materiam paupertatis carentia proprietatis, & dominij etiam in communi, de qua religio Minorum mirum in modum, ac meritò gloriatur: illam enim *arctissimam paupertatem* vocauit Gregor. IX. in cap. *nimis praua.* de excessibus prælat. vbi non solum Minoribus, sed etiam Prædicatoribus illam attribuit, quia iuxta primariam institutionem, vtrique eam obseruare tenebantur, vt tomo præcedenti, disputando de religionib. mendicantium dictum est; de facto tamen ex religionib. monachorum mendicantium, sola religio S. Francisci in vniuersum hanc paupertatem profitetur, vt colligitur ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. de regular. Hoc autem paupertatis genus etiam Societas amplectitur in sua parte præcipua, ad quam reliquæ ordinantur, scil. in Societate professa, vt cõstat ex bullis cõfirmationis Pauli III. Iulij III. & Greg. XIII. & ex 6. p. Constitutionum c. 2.

VI.

Quædam notanda quæ maximè arctam Societatis paupertatem accõmodant. Primum.

In quo notari possunt aliqua singularia, & propria huius religionis, quæ perfectionem huius paupertatis augent. Primùm quòd ad maiorem eius firmitatem, & stabilitatem, non contentus B. Ignatius directo (vt sic dicam) voto seruandi hanc paupertatem, voluit professis etiam fieri aliud votum non permittendi, quantum in ipsis esset, mutationem fieri in Societate, in his quæ spectant ad paupertatis materiam, nisi per talem mutationem ipsa paupertas magis esset restringenda, cuius voti obligationem postea lib. 6. cap. 6. expendemus. Secundò non satis fuit eidem P. N. prohibere, ne domus professæ redditus habeant, sed etiam vetuit, ne Ecclesijs, Sacristiæ, aut fabricæ applicari possent, aut vlla alia ratione haberi, ita vt penes Societatem sit eorum dispensatio. Vnde nec anniuersaria, nec capellanias habere possunt, quod Minoribus prohibitum non est: quod etiam vberiùs infrà lib. 4. cap. 4. declarabitur. Nec minuit hanc perfectionem, quòd hæc paupertas in communi in collegijs, & domibus probationum non seruatur, tum quia spiritus, & perfectio totius religionis ex primaria eius parte, & ex fine, quò tendit consideranda est; tum etiam, quia domus professæ, nullo modo iuuari possunt prouentibus Collegiorum, aut domorum probationis: & nõ tantùm professi, sed omnes etiam coadiutores eorum tam spirituales, quàm temporales cum ipsis degentes eandem paupertatẽ seruare debent, vt citato ca. 9. dicetur in n. 3. reliqui verò omnes, cum ad hunc perfectionis statum tendant, eodem paupertatis spiritu nutriri debent. Tum denique, quia si in collegijs aliquid de hoc rigore remittitur, est propter altiorem finem, & rationem moraliter necessariam; ideoque simpliciter non diminuit perfectionẽ paupertatis, quę nõ propter se, sed propter aliud appetenda est. Tertiò potest in paupertate cõsiderari actualis vsus eius: & in hoc multa ponderari possunt in hoc instituto, quæ materiam huius voti magnopere amplificant, quale est non posse admittere stipendium, vel eleemosynam vllã, per quam actio aliqua, vel officiũ, quod circa proximum exercetur, compensari videatur: Itẽ non posse aliquid in particulari recipere ad proprium vsum, sed in omnibus, quæ ad victũ, & vestipertinent, ab his quæ in communi distribuuntur pendere; ac propterea, nihil huiusmodi in particulari posse recipere, aut in proprijs cellis seruare, non solùm, quia fine licentia Superioris hoc fieri non potest, quod ferè alijs religionibus commune est, sed etiam, quia talis licentia iuxta communem, & constantem vsum, & obseruantiam huius religionis, vel nunquam, vel rarissimè petenda est, aut offerenda. Quocirca si omnia syncerè considerentur, exactè obseruatur illud Pauli, *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Nam licet in harum rerum vsu non seruetur maxima asperitas (quę pars est non mediocris paupertatis) tamen iuxta finem intentum seruatur maxima moderatio, &, quod caput est, huius vsus mensura, vel communis est, vel tota pendet ex alterius, sc. moderatoris, voluntate: & in his duobus consistit formalis perfectio huius vsus paupertatis, vt ex Basilio sermon. 1. de institut. monach. & ex regul. 41. ex fusiùs disputatis, & ex aljis facilè intelligere licet. Atq; hæc nunc sufficiant de hoc medio paupertatis attigisse.

VII.

De obedientia in Societate obseruata.

De obedientia, aliqua in præcedenti capite tacta sunt, quæ pro summaria enarratione, quam nunc facimus, possent sufficere, cùm libro 4. à cap. 12. ex professo disputanda res sit. Non tamen omittam aduertere S. Bonauenturam in expositione regulæ cap. 2. iudicasse religionem suam cæteras in obedientia superare, eò quòd aliæ limitatè obedientiam promittant secundùm regulam. Minores autem indefinitè in omnibus, quæ mala non sunt. Sic enim B. Franciscus in cap. 10. suæ regulæ inquit: *Firmiter præcipio eis, vt obediant suis ministris in omnibus, quæ promiserunt Domino obseruare, & non sunt contraria animæ, & regulæ nostræ.* Quod etiam sensit D. Bernardus in 3. p. operum sermon. de obedientia artic. 3. ad 12. argumentum, & author conformitatum p. 2. tract. 2. & latiùs Corduba in expositione regulæ circa d. c. 10. q. 2. Idem de religione sua asseruit Dionys. Carthus. opusc. de profes. monast. artic. 21. vbi docet Carthusiensium religionẽ in obedientia cęteras omnes superare, quia absolutè, & non solùm secundùm regulam obedientiam profitetur. Ego verò à comparationibus abstinens, solùm assero totam illam perfectionem, quæ ex amplitudine materiæ in obedientiæ voto reperiri potest, in Societate inueniri, & in ipso instituto à fundatore Ignatio formaliter exprimi. Nam in 3. p. Constit. cap. 1. §. 23. obedientia seruanda dicitur in omnibus rebus, vbi peccatum non cernitur, & 6. p. ca. 1. §. 1. in omnibus rebus dicitur, ad quas potest obedientia cum charitate se extendere: & declaratur huiusmodi esse omnes, in quib. nullum manifestum est peccatum. Et vt perfectiori voluntate tota hæc materia suscipiatur, non in ea tantùm generalitate ponitur, sed explicatur illis verbis, *licet difficilia, & secundùm sensualitatem repugnantia iubeat.* Modus etiam perfectissimus proponitur, dum dicitur. *Non solum in executione extrema integrè prompte, fortiter, & cum humilitate debita, sine excusationibus, & murmurationibus obediant: verum etiam conentur interiùs resignationem, & veram abnegationem propriæ voluntatis, & iudicij habere, &c.* Præterea iuxta varias cõstitutiones eiusdem instituti, & proprium huius religionis spiritum, & obseruantiam, est in hac religione maxima subordinatio inferiorum ad Superiores, & dependentia ab illis etiam in minimis, seruata proportione. Inprimis in toto corpore respectu Generalis Præpositi, in quo maxima est potestas, & eius immediatior influxus, seu gubernatio, quàm in vlla religione inueniatur, vt lib. 10. c. 4. constabit: Deinde in singulis personis cuiuscunque qualitatis, dignitatis, aut antiquitatis sint, respectu propinquorum superiorum. His accedit speciale votum obedientiæ, quod fit Summo Pontifici, de quo, & de eius speciali obligatione, & perfectione infrà lib. 6. c. 4. dicemus.

Præter

VIII. *De mediis ad internam sociorum deuotionem assequendã pertinentib.*

Præter hæc quæ sunt veluti fundamenta religionis, sunt quamplura alia media ad propriam perfectionem sociorum ordinata, quæ nunc summatim ad duo capita reuocamus, quæ postea lib. 8. fusius expendemus. Vnum est eorum, quæ pertinent ad internam animi deuotionẽ, & puritatem assequendam, quæ sunt præcipuè, quæ ordinantur ad familiaritatem, & vnionem cum Deo consequendam, & ita ex eis pendet fons, & origo totius spiritualis incrementi, in quo ipsa perfectio substantialiter consistit. Ad hunc ergo ordinem spectat quotidiana lectio, & meditatio, oratio, & contemplatio. Item quotidiana, vel potius bis in die repetita conscientiæ examinatio, cum frequenti, & valde circunspecto confessionis vsu, iuxta ea, quę traduntur in examine c. 4. §. 25. & 3. p. Constit. c. 1. §. 11. Atque ad hunc finem ordinatur accurata institutio de rebus spiritualibus, & frequens de his rebus consultatio, & propriæ conscientiæ communicatio, tam cum superioribus, quàm cum aliis Præfectis, quibus hæc cura demandata est. Præterea ad eundem finem iuuantur proprio, ac peculiari exercitiorum spiritualium vsu, quo non solùm in ipso ingressu, sed perpetuo per singulos annos, vt lib. illo 8. cap. 1. in fine adducemus, exercentur. Denique frequentes exhortationes spirituales, & familiaria de rebus diuinis colloquia, quæ iuxta sui instituti rationem inter socios esse debent, ad eundem finem ordinantur.

IX. *De mediis ad propriam abnegationem, affectuumque mortificationem obtinendam.*

Aliud caput continet media omnia, quæ ad verã sui abnegationem, & affectus mortificationem adhibentur. Nam statim in principio, in ipso examine admonentur, mundo, ac proprio amori mortuos, soli Christo Domino viuere debere, & hanc abnegationem, & continuam in rebus omnibus mortificationem quoad fieri possit, esse ab eis quærẽdam. Et 3. p. Constit. cap. 1. magnopere conferre dicitur, vt ea munera obeant, *in quibus maxime humilitas, & charitas exercetur.* Item vt diligentissimè curent portas suorum sensuum custodire. Maximè verò curat Societas, & honorum, ac dignitatum ambitioni viã præcludere; & ideo professi Societatis peculiari voto obligantur extra Societatem eas non acceptare, nisi in conscientia ab eo qui potest obligentur; intra Societatem verò nec directè, nec indirectè eas procurare, vt lib. 6. à c. 7. tractabitur. Et ob eandem causam ad tollẽdam omnem occasionem, superiorum electiones, præterquam solius Generalis (hæc enim vitari non potuit) sublatæ sunt, sed eorum distributio ipsi Generali est commissa, de quo in lib. 10. agendum. Denique ex hac renunciatione, & propria abnegatione mira sequitur pax, & animorum vnio, ac fraterna charitas, quam totis viribus inter suos procurat Societas, & in ea magnam partẽ suæ perfectionis ponit; vnde P. N. Ignatius in procemio Constitutionum; in hac constituit totam vim, & efficaciam suarum legum, seu constitutionum. & ideo 3. p. c. 1. §. 21. illa duo simul coniungit dicens. *De iis crebro tractantes, quæ ad sui abnegationem, & in virtutibus ipsi ofectum, & omnimodam perfectionem attinent, ad ea se inuicem exhortando, & præcipuè vnitatem, & charitatem fraternam.* Et statim §. 22. humilitatem, & charitatem iterum coniungit; & ibidem, & aliis locis varia media ad hanc animorum pacem, & vnionem tradit, quæ Societas diligenter obseruat, quæ ex discursu huius operis latius constabunt, nunc enim ad compendiosam instituti propositionem quam hic intendimus, hæc, quo-ad hanc partem sufficiunt.

Quibus mediis Societas salutem proximorum procuret.

X. *De med. in positiua, ac formaliter spiritualib.*

Superest dicendum de alio ordine mediorum, quæ circa proximum directè versantur, vel ad illũ proximè referuntur, quæ varia sunt, & multiplicia. Partim enim in actione consistunt, partim in preparatione, partim verò in ipsomet modo, seu dispositione totius Societatis, & rationis viuendi illius. Nam inprimis ex illo fine iuuandi proximos ortum est, vt hæc religio, & habitu, & munere clericorum instituta sit, vt in ca. 5. declarabimus. Vnde hoc potest constitui tanquam primum medium, scilicet, assumptio status clericalis, quo possint proximis inseruire, & consequenter omnis dispositio, quæ ad talem statum digne assumẽdum necessaria est, maximè in his hominibus qui perfectionis viam profitentur. Secundo inter hæc media numerãda sunt omnia ministeria sacra, quæ ad purgandos, illuminandos, & perficiendos alios vtilia sunt, inter quæ primarium locum tenet sacramentorum administratio, præsertim confessionis, & Eucharistiæ, quę huius instituti maximè propria est, vt ex bullis Pauli III. & Iulij III. & Greg. XIII. & ex forma instituti, quæ in eis refertur, & ex omnibus constitutionibus satis notum est. Et huc etiam spectat sacrificiis suis Ecclesiam iuuare pro conuersione infidelium, correctione hæreticorum, & fructu, ac profectu ipsorum fidelium ea frequenter offerendo. Tertiò principaliter etiam ad hoc genus mediorum spectat quodcunque ministerium verbi Dei, quod variis modis, & magna ex parte, propriis, in hac religione exercetur. Primò per publicas conciones, vel lectiones sacras ad populum: secundò rudimenta fidei pueris, & rudioribus hominibus tradendo, qua occasione ad communis vulgi vtilitatem diuinum verbum non tantùm in Ecclesiis, sed etiam in vicis; & plateis publicè disseminant. Tertiò priuatis colloquiis & sanctis conuersationibus proximos iuuando, nunc eorum vitia fraterne corrigendo, nunc ad virtutum opera, & sacramentorum frequentiam eos exhortando, nunc verò etiam in operibus perfectionis eos instruendo, vel excitando. Quartò his adiungitur spiritualium exercitiorum communicatio, & vsus, quo homines, & vitam in melius mutare, & se ipsos cognoscere incipiunt, & de rebus æternis seriò cogitare, ac negotium propriæ salutis cum Deo tractare, & ab ipso postulare, addiscunt. Quintò annumerari possunt congregationes cuiuscunque status virorum sub regimine Societatis creatæ, ac Pontificum indultis munitæ; vbi plerisque modis familiarius ad æternam salutem promouentur. Sextò, huc etiam spectat tempore mortis iuuare proximos ad pie, sanctèque moriendum. Atque hæc ferè media sunt, quæ circa fideles ipsos exercentur, quæque lib. 9. figillatim tradentur. Septimò hic adiungi possunt omnia illa, quæ ad conuersionem infidelium quorumcunque in Societate assumuntur, siue inter Gentiles, siue inter hæreticos. Quò præcipuè spectat quartum solenne votum obediendi Summo Pontifici in missionibus, etiam difficillimis, & ad quascunque orbis partes, etiam remotissimas, & inter barbaras nationes, etiam sine viatico peregrinando ex eleemosynis si necesse sit, nullum aliud emolumentum, nisi salutem animarum inde expectando.

XI. *De mediis per relationẽ extrinsecam spiritualib. quorum vnũ est literarũ studium.*

Post hæc media, quæ propinquissima sunt, & maximè spiritualia, adiunguntur illa, quæ præparant socios ad huiusmodi actiones erga proximos. Et quoniam hæc præparatio in duobus consistit, in vita scilicet, & doctrina, iuxta illud Pauli 1. ad Timot. 4. *Attende tibi, & doctrinæ*, & illa quæ ad vitam pertinent, eadem sunt cũ his, quæ ad propriã perfectio-

nem ordinantur, solum hic supersunt ea, quæ ad studia literarum, & doctrinam comparandam, vel tradendam assumuntur. Nam cum studia literarũ per se, non videantur quicquam referre ad spiritualem animæ, & charitatis perfectionem; nam potius *scientia inflat, charitas autem ædificat*, vt ait Paul. 1. ad Corinth. 8. ideo aliquibus visum est statui religioso non conuenire, cum hic status ad perfectionẽ charitatis ordinetur. Contra quos scripsit D. Tho. art. 5. q. 188. 2. 2. Vbi inquirit an sit instituenda aliqua religio ad studendum? Et respondet studium literarum omnibus religionibus etiam puram cõtemplationem profitentibus esse vtile; religioni verò, quæ ad salutem proximorum procurandam ordinatur, esse necessarium, iuxta illud ad Titum 1. *Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Cum ergo ostensum sit, Societatem principaliter ordinari ad proximos iuuandos, rectè concluditur studia literarum esse illi maximè necessaria. Quod etiam docuit P. N. B. Ignatius in 4. p. Constit. à principio, & per totam illam mirabili prouidentia, & prudentia omnia disponit, quę ad hæc media literarum pertinent. Ex quibus quædam pertinent ad disciplinam literariam, vt sic dicam; alia verò ad doctrinam. Nam prius necessarium est, eos qui futuri sunt Societatis operarij, literis addiscendis vacare; quia rari vel nulli sunt, qui sufficiẽter instructi, & docti à principio recipiantur; necesse est ergo vt in ipsa religione, per quod non impeditur perfectionis propriæ progressus, cum actio illa ex se valdè honesta sit, & ex obedientia sumpta, & desiderio iuuandi proximos, opus sit insignis charitatis: scientia autem, quæ hoc modo acquiritur, non inflat, sed cum charitate ædificat, & concordiam parit, vt rectè D. Thom. dixit dicto art. 5. ad 2. & latiùs declarauit opusc. 19. cap. 11. Quæ verò studia religiosos deceant, non est hoc loco ex professo declarandum, sed sufficit dicere, per se quidem ac directè studia sacrarum literarum ad eos pertinere, vt docuit D. Hieronym. epist. 4. ad Rusticum, sub illis tamen comprehendit vniuersam theologicam doctrinam, & Sanctorum Patrum, Pontificum, ac Conciliorum decreta, ac sententias; nam in his tota sacra doctrina, vel explicatur, vel continetur. Secundariò verò, seu ministerialiter etiam philosophica doctrina, & humaniores literæ religiosis necessariæ sunt, his præsertim qui cum hæreticis sunt dimicaturi, parati, ac dispositi esse debent ad doctrinam hanc disseminandam per vniuersum orbem. Quam verò exactè, sapienter, & moderatè hæc omnia in Societate ordinata sint, postea toto lib. 5. in particulari videbimus. Post disciplinam rectè subsequitur doctrina, cum hic sit finis eius; vnde in hoc etiam genere actionis nihil Societas omittit, quod quoquo modo iuuare proximum possit. Nam (vt omittamus prædicationem verbi Dei, quæ magis ad affectum, quàm ad intellectum ordinatur, & ideo superius. num. præced. de illa dictum est) occupatur Societas in docendis proximis, primò in Scholis legendo publicè, Scripturam sacram, & theologiam Scholasticam; quod munus meritò à religiosis vsurpari, latè defendit D. Thom. opusc. 29. cap. 2. Deinde casus etiam conscientiæ docendo, & vbi necesse est, controuersias etiam fidei agitando. Hinc vlterius ad liberales quoque artes docendas descendit, neque in his tantùm sistit, sed linguarum etiam peritiam, imò & ipsius Latinæ linguæ prima rudimenta tradit; nam per hæc initia, ad maiora perueniendum existimat, nec parua reputat, sine quibus magna non constant. Denique, tam per priuata consilia, quàm per generalem doctrinam, quà verbo, quà libris editis traditam, omnes omnibus modis iuuare studet; nihil aliud (in hoc enim harum actionum perfectio posita est) quàm eorum qui docentur bonum intendendo, & maiorem Dei gloriam inde sperando, vt in suis Constitutionibus B. P. N. Ignatius frequenter repetiuit.

Vide in to. de Censur. disp. 23 sect. 3. à n. 19.

XII. Ex his verò sequitur diuersitas graduum, & personarum, quæ in toto corpore Societatis cernitur, & inter media ordinata ad salutem meritò numerari potest. nam ex hoc fine, & ex actionibus, ac ministeriis proximè numeratis orta est. Vt enim nouitios omittamus, qui omnibus religionibus communes sunt, quamuis in Societate aliquid speciale habeant infrà lib. 2. cap. 5. explicandum; post sufficientem probationem, & moralem, ac spiritualem instructionem admittũtur nouitij ad primum Societatis gradum qui *scholarium approbatorum* appellatur, in quo membra Societatis verè efficiuntur, eique per tria substantialia vota religionis incorporantur. Quia verò tunc regulariter, ac per se loquẽdo, nec ad statum clericalem, nec ad sacra ministeria erga proximos exercenda sufficientiam habent, aut præparati sunt, proximè in hunc finem admittuntur, vt ad eum statum, & ad alias actiones per studia literarum, & virtutum progressum disponãtur, & ideo nec per vota propria clericorum, neque etiam per solennia, & omnino absoluta ex parte Societatis, admittuntur. Nam quo finis, & actiones propriæ Societatis perfectiores sunt, eo magis probati, & perfecti esse debent, qui ad eas simpliciter, ac solenniter admittuntur. Ita ergo primus gradus membrorum Societatis, in quo Scholastici approbati existunt, constituitur. Postquam verò huiusmodi Scholastici, & sufficienter probati, & in literis instructi sunt, & per sufficientem experientiam apti, & idonei inueniuntur ad exercenda ministeria circa proximos suprà declarata, & præsertim ad eas missiones, ad quas pro salute animarum à Pontifice mitti possunt: iam tunc presbyteri ordinati in vltimum gradum per veram professionem ad quatuor vota solennia, quibus alia simplicia adiuncta sunt, vt lib. 6. à cap. 6. videbimus, à Societate admittuntur. Quoniam verò prædicta Societatis ministeria multa dona, & naturæ, & gratiæ requirunt, quæ nõ in omnibus, sed fortasse in paucis inueniuntur; ideo necesse fuit aliquos etiam sacerdotes post studia literarum, & sufficiens de illis experimentum in Societate intimius, quàm scholares ipsos admitti, vt iuxta suum captũ in spiritualibus ministeriis professos iuuare possint, qui propterea *Coadiutores spirituales* appellantur, qui quartum votum obediendi Pontifici in missionibus non emittunt, quia nõ supponuntur habere sufficientiam ad omnia ministeria, quæ ex vi illius voti comprehenduntur. Neque etiam regulariter faciunt solennem professionem, vt debitus ordo, & subordinatio melius conseruetur, & propter alias graues causas in lib. 7. c. 1. tractandas. Dixi autem *regulariter*, quia interdum admittuntur aliqui ad professionem cum tribus tantùm votis solennibus, & substantialibus religioso statui; quod tamen non fit, vt dicemus ibidem, nisi per modum dispensationis, propter speciales rationes, & graues causas occurrentes. Tandem, quia vt in simili dicitur Actor. 6. *æquum non est derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* ita etiam spirituales operarij Societatis, vel qui studiis vacaturi erant, non poterant simul sine magno impedimento, corporalia ministeria sustinere, ideo necessarium fuit gradum alium in ea instituere, ad quem illi, qui *coadiutores temporales* vocantur, admitterentur, quos oportuit esse veros religiosos, & per substantialia vota Societati coniunctos, vt cum maiori decentia, religione, & charitate talia ministeria fiant. Horum autem religiosorum statui, ac muneri, nõ erat proportionatum quartum illud votum obediendi Pontifici;

Primus gradus membrorum Societatis.

Professi.

Coadiutores spirituales.

Coadiutores temporales.

tifici; quia ministeria, ad quæ ordinantur illæ missiones, ad tales personas non pertinent: admittuntur ergo ad tria vota non solennia, sed simplicia, sicut de coadiutoribus spiritualibus, & scholasticis approbatis dictum est. De quibus omnibus gradibus inferius sigillatim est dicendum, à lib. 3. vsque ad 6. Nunc enim solum propositi sunt, vt generalis quædam notitia totius Societatis habeatur; & quia tota hæc structura, & fabrica ad prædictum finem ordinata est, illique valde proportionata existit, ac propterea à Summis Pontificibus, præsertim à Gregor. XIII. in constitutione, *Ascendente Domino* probata, & laudata est.

XIII. *De mediis priuatiuis ad eundem finem proximorum.*

Vltimò quoniam in numer. 10. diximus, hæc media non tantùm positiua, sed etiam priuatiua esse, & priora insinuata sunt, oportet posteriora breuiter recensere. In hoc igitur ordine in primis pono, non habere vsum chori, quanquam enim hæc actio valde religiosa sit, & ideo ab aliis religionibus obseruata, tamen quia nimium religiosos Societatis impediret, vel ab studiis dum eis vacant, vel ab actionibus, & ministeriis circa proximum, ad quæ post studia destinandi sunt, & præsertim, quia parati esse debent ad varias missiones, & ad discurrendum per vniuersum orbem; ideo Pater noster Ignatius Societatem voluit esse hac occupatione liberam. Et quamuis id multi in Societate notauerint, ac reprehenderint, in cap. 8. ostendemus illos nulla ratione sufficienti motos esse, sed hoc potius fuisse, & Patrum sententiis, & rationi etiam valde consentaneum. Et ad hoc medium reuocantur omnes similes actiones, à quibus Societas, etiam ex Pontificum authoritate eximitur, vt sunt processiones publicæ, & similes, quæ cum cantu, & choro coniunctæ sunt. Aliud medium priuatiuum numerari potest. abstinere à suscipienda cura monialium, vt lib. 9. cap. 8. numer. 15. iterum dicemus, quamuis enim huius rei plures aliæ rationes reddi possint; hanc tamen existimo esse præcipuam, quia iudicatum est à B. Ignatio in p. 6. Constit. cap. 3. §. 5. ita expedire, vt socij expeditiores essent ad finem illum, quem præcipuè intendunt. Potest etiam inter hæc media poni, non accepisse singularem habitum, sed communem clericorum honestè viuentium, iuxta morem regionis, in qua socij versantur; nam hoc etiam ad hunc finem ordinatum est, vt facilior pateret aditus ad omnes proximos, siue hæreticos, siue fideles, &c. Et eadem ratione posset hic numerari communis, & vulgaris victus, & moderatio à nimia vitæ austeritate in his, quæ ad corpus pertinent, quorum ratio in progressu huius libri copiosius expendenda est, & ideo de his mediis hæc delibasse sufficiat.

CAPVT IV.

Vtrum Societatis religio conuenienter instituta, & approbata fuerit.

I. *Post causam finalem Societatis agendum de causis efficientes.*

HActenus ferè nomen solum Societatis, & quid eo nomine significetur, à nobis explicatum est, ostendimusque *Societatis IESV* nomine significari quandam religiosorum hominum congregationem, ad finem salutis animarum, cum talibus mediis, talique viuendi ratione instituta: nunc ex eodem fine, & mediis distinctius declarandum est, quid, & qualis sit hæc religio. Quoniam verò quæstio quid est, supponit quæstionem an est, prius de hac quæstione aliquid dicere oporteret, nisi religionem hanc dari in Ecclesia satis iam per se esset notum: solum ergo superest, vt de origine & institutione eius, atque adeo de illius approbatione dicamus, atque ita fiet, vt post causam finalem efficientes causas huius religionis declaremus. Tres autem causæ in ea fundanda considerari possunt, scilicet, prima, & principalis, quę est Deus, proxima, & ministerialis, quæ fuit priuatus homo, quem Deus ad hoc mirabile opus excogitandum illuminauit, & exequendum impulit, & animauit. Tertia est Apostolica sedes, quæ Dei nomine, vt vicem Christi gerens in terris, religionem hanc sua authoritate suscepit, & confirmauit, & de singulis pauca dicenda sunt.

De institutore Societatis, eiusque institutionis conuenientia.

II.

Vt ergo à notioribus nobis incipiamus, perspectum est omnibus, religionem hanc institutam esse ab Ignatio Loyola, de cuius sanctitate, doctrina, & nobilitate hic non dicam, quia ea magis ad historiã, quàm ad disputationem Scholasticam pertinent, satisq; eruditè, ac copiosè descripta sunt à familiari eius filio, grauique Patre nostro Petro de Ribadeneira, & postea à Petro Maphæo, ac nouissime à Patre Nicolao Orlandino 1. p. historiæ Societatis, vt *in ore duorum vel trium sit omne verbum*. Nobis ergo sufficiant nunc testimonia, quæ Pontifices Summi, non solùm de Ignatij, sed etiam de sociorum eius pietate, & doctrina, & de irreprehensibili vita, nobis reliquerunt. Nam Paulus III. in prima bulla cõfirmationis instituti de Ignatio, & sociis ita loquitur: *In theologiæ studiis per plures annos exercitati Spiritu sancto (vt creditur) pie afflati iamdudum, è diuersis mundi regionibus discedentes in vnum conuenerunt, & socij ff. cti abdicatis huius seculi illecebris, eorum vitam perpetuo D. N. Iesu Christi, atque nostro, & aliorum successorum nostrorum Romanorum Pontificum seruitio dedicarunt, & iam quàm pluribus annis laudabiliter in via Domini se exercuerũt*, &c. Quę iterum repetit in initio bullæ secundæ ampliationis prædictæ confirmationis; & inferius subdit. *Nos igitur ad eorundem Ignatij Præpositi, & sociorum piam vitam, & bonorum operum exemplum attendentes, eorum pijs desideriis annuentes*, &c. Et in bulla 3. in qua varias facultates concedit, *Attendentes* (inquit) *ad fructus vberes, quos in domo Domini hactenus produxistis, & produceret non desinitis, vestra religione, integritate, scientia, doctrina, moribus, & experientia plurimum in Domino confidentes, vobis* &c. Similia leguntur in bulla Iulij III. de confirmatione eiusdem instituti, & in fine eius specialiter addit Pontifex. *Considerantes, nihil, quod pium, sanctumque non sit, in sancta Societate, eiusque laudabilibus institutis, ac exemplari Ignatij, & aliorum sociorum vita, & moribus reperiri*, &c. Vbi expendo idem testimonium ferre Pontificem de sanctitate vitæ Ignatij, & sociorum, ac de ipso instituto, quod sua authoritate approbauit. Quæ testimonia sequentes Pontifices etiam post fœlicem B. Ignatij mortem sæpius comprobarunt, vt ex cæteris bullis constat, & specialiter Greg. XIII. in bulla, *Quanto fructuosius bonæ memoriæ Ignatium Loyolam Societatis institutorem* appellauit. Ac nouissime Paulus V. vniuersæ Societati publico Confessoris non Pontificis cultu, rituque venerandum proposuit. Itaque de sanctitate fundatoris huius religionis impiè nunc dubitaretur, & speramus fore vt per expressam Pontificis canonizationem vniuersæ Ecclesiæ propo-natur.

Pontificum testimonia de Ignatij & sociorum eius sanctitate, & doctrina.

Spem hanc explent Greg. XV. 12. Maij anno 1622. & sui pont. sic. cat. 1.

Vt verò rationem huius institutionis diuinam potius, quàm humanam aperiamus, operæpretium erit annotare tẽpus, in quo hæc religio orta est. Natus est enim Ignatius anno Domini 1491. & post aliquot annos ætatis, à corporalis militiæ exercitatione, ad spiritualem mirabiliter vocatus est, in qua diu, ac diligenter se exercuit, & alios exemplo suo, & familiari sermone ad idem vitæ genus sibi adiunxit, & post multos labores pro animarum salute susceptos tandem anno 1528. Romæ cum sociis suis de fundanda Societate deliberauit, & se-

III. *Religionem hanc conuenientissimo tempore fuisse institutam.*

& sequenti anno 1539. confirmationem religionis suæ à Paulo III. Pontifice Summo postulauit, & post vnius anni accuratam examinationem, nimirum 1540. approbationem obtinuit; ac proinde dicere possumus religionem hanc illo anno incepisse; quâquam tunc non simpliciter, & tanquam perpetuò duratura approbata videatur, quia solum est data Societati facultas recipiendi vsque ad sexaginta socios; post tres verò annos idem Pontifex Paulus III. absolutè, & sine vlla restrictione illam confirmauit. Est autem meritò à multis sapientibus, ac prudentibus viris obseruatum, hoc eodem tempore natum fuisse in Germania Martinum Lutherum anno scilicet 1483. octo nimirum annis ante Ignatium; & anno 1521. publicum bellum contra Romanam Ecclesiam excitasse, innumeras hæreses disseminando, & præsertim eas, quæ libertatem carnis concedere, & subiectionem, ac obedientiam Summi Pontificis destruere posse viderentur, quibus mediis innumeros habuit suæ blasphemiæ, & iniquitatis sectatores, & ministros. Hoc autem ipso tempore, quo videbatur fides in tot prouinciis catholicis, & Ecclesiæ subiectis labefactari, ac deficere, non sine magna Dei prouidentia cœpit aperiri ostium, ac via, qua posset eadem vera fides, & Christi nomen ad innumeras gentium nationes deferri, in quibus antea auditum non fuerat. In India, scilicet, Orientali, & Occidentali, & in multis regnis, & insulis, quæ paulò ante prædicta tempora pietate, diligentia, & industria Catholicorum Regũ Hispaniæ, ac Lusitaniæ explorata sunt. Hoc ergo eodẽ tempore excitauit Deus Ignatium, qui Societatem *ad profectum animarum in vita, & doctrina Christiana & ad fidei propagationem, ac defensionem* (vt dicitur in bullis Pontificiis, præsertim Gregor. XIII. *Quanto fructuosius*) erigeret. *Defensio* enim *fidei* contra hæreticos fit, *propagatio* inter Gentiles, & Paganos: *profectus autem vitæ* inter ipsos fideles, & catholicos. Conuenientissimè ergo instituta est ad hunc finem hæc religio eo tempore, quo & defensio fidei erat Ecclesiæ maximè necessaria, & propagatio valde opportuna, & instauratio, ac perfectio morum vtilissima.

Spiritum sanctum fuisse principalem authorem huius religionis.

IV. *Sumitur testimonio Ignatii.*

Atquẽ hinc (vt ad primam, & principalem causam huius religionis ascendamus) colligere licet, non fuisse hoc humanum inuentum, nec B. Ignatium solo suo humano ingenio, aut virtute, tantum negotium inchoasse, sed Spiritum sanctũ fuisse principalem huius religionis auctorem. Ita profitetur idem Ignatius in principio suarum constitutionum dicens, *Summam sapientiam, ac bonitatem Dei Creatoris nostri esse, quæ conseruatura est, gubernatura, atque promotura in suo sancto seruitio hanc minimam Societatem Iesu, vt eam dignata est inchoare.* Quod sanè non aliter fecit diuina sapientia, quàm Ignatium speciali instinctu suo illuminando, & ad tantum opus excitando, & mouendo. Quod plane senserunt Pontifices Summi: Paulus namque III. in bullis suis de Ignatio, & sociis semper dicit, *Spiritu sancto* (*vt creditur*) *afflati.* Iulius autem III. simpliciter dixit, *Spiritu sancto afflati*, omissa particula *vt creditur*, quam non existimo casu excidisse, sed quòd dubitationem, vel formidinem indicaret, consulto ablatam fuisse; nam diuturna experientia, & vberes fructus simul cum approbatione prædecessoris sui, omnem formidandi rationem, si qua erat, auferre poterat. Atque eadem fortasse ratione Gregor. XIII. in bulla, *Quanto fructuosius*, absolute dixit, *Ad quem finem Spiritus sanctus, qui bona memoria Ignatium Loyolam ipsius Societatis institutorem, eiusque socios excitauit, media etiam præclara, maximeque opportuna huius sedis ministerio tribuit, atque confirmauit.* Et paulò inferius. *Quapropter Societatis corpus idem Ignatius diuino instituto ita duxit disponendum,* &c.

Probatur authoritate Pontificum.

V. *Rationibus & coniecturis probatur idem.*

Sunt præterea coniecturæ & rationes multæ, quæ veritatem hanc moraliter certam possunt efficere. Prima est illa, quæ proximè insinuata est ex fine Societatis, & mediis, quæ ad illum consequendum profitetur, adiuncta opportunitate temporis in qua orta est. Pertinet enim ad specialem Dei prouidentiam, qua suam Ecclesiam regit, & protegit, & insurgentibus contra illam nouis hostibus, nouos etiam milites præparare, qui eam defendant, & ministros etiam Euangelij prouidere, quorum opera illud tandem vaticinium impleatur; *Fiet vnum ouile, & vnus pastor*, Ioan. 10. Sicque experientia compertum est; insurgente enim contra Ecclesiam Ario, Deus contra illum Athanasium excitauit; contra Nestorium Cyrillum; contra Pelagium Augustinum. Et qui historiam Ordinis Prædicatorum scribunt, aduertunt eo tempore Deum sacram illam religionem per S. Dominicum instituisse, quando Albigenses, & alij hæretici Ecclesiæ pacem perturbare incipiebant. Videmus autem religionem hanc eo tempore fuisse exortam, quo Lutherus bellum contra Ecclesiam excitauit, & directe, ac singulari quodam modo esse illi contrariam: Lutherus enim non solùm apostata fuit, sed etiam religiosos omnes, vt apostatarent, & fideles omnes viam perfectionis, vt contemnerent, persuadere conatus est; Ignatius autem non solùm ipse religiosissimus fuit, sed socios etiam ad proprium, & valde religiosum institutum sibi adiunxit, & per eos, ac successores eorum, non fidem catholicam modo, sed sacras etiam religiones pro viribus defendere, easque quantum in se esset propagare, & augere omnes fideles ad viam perfectionis excitando, conatus est. Lutheri Iapsus inde primũ incepit, quod contra Romanam Sedem immortale odium concepit; vnde & ab illius obedientia discessit, & quos potuit auertit. Ignatij vero cogitationes omnes in hoc præcipuè positæ fuerunt, vt se totum omnesque suos Sedis Apostolicæ seruitio consecraret, & nouo vinculo voti solennis obediẽtiæ coniungeret, ac submitteret. Denique effectus ipse comprobauit, nullos Ecclesiæ ministros hactenus restitisse magis Lutheranorum, & omnium nouatorum conatibus, quàm Ignatij filios, quos propterea ipsi hæretici summo odio prosequuntur. Idemque discursus potest facile ad temporis opportunitatem circa promulgationem Euangelij inter Gentiles cum proportione accommodari. Cum ergo hæc ita sint, quis dubitare audeat, ipsum Spiritum sanctum religionem hanc contra tot Ecclesiæ hostes, ad tot præclaros fines, & effectus excitasse?

VI. *Sumitur ex fructibus.*

Secunda ratio, illaque efficacissima ex effectibus, & fructibus huius religionis formari potest, iuxta Christi testimonium. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Vnde etiam D. Thom. dicto opusc. 19. contra impugnantes religionem, ex fructibus religionis dicit, colligi posse, & debere, an conuenienter instituta, & approbata fuerit. Atque eadem ratione vsus est Gregor. X. cum Concilio Lugdunens. in cap. vnico. §. *sane.* de religiosis domibus in 6. cum loquens de Prædicatorum, & Minorum ordinibus dixit. *Quos euidens ex eis vtilitas Ecclesiæ vniuersali prouenit, peribet approbatos.* Quanti autem, & quales vniuersali Ecclesiæ prouenerint fructus, ex huius religionis institutione, & operibus, à nobis nec narrari necesse est, cum res per se sit euidentissima: nec decens apparet, quatenus ad laudem nostram pertinere videantur, quanquam re vera nostra non est, sed

sed ipsius Spiritus sancti, quem volumus ex his effectibus huius operis agnosci auctorem. Quia verò Spiritus sanctus per Christi Vicarios Ecclesiam suam docet, quid ipsi de his fructibus senserint tacere non possumus: nullos enim in hanc rem testes maiori fide dignos afferre possumus. Paulus ergo III. etiam ante natam Societatem postquam de vita Ignatij, & Sociorum testimonium suprà relatum dedit, subdit. *Et tam quampluribus annis laudabiliter in vinea Domini se exercuerunt.* Quæ postquam in speciali numerauit, concludit. *Et demum omnia charitatis officia, & quæ ad animarum consolationem faciunt, vbique terrarum vbi peregrinati sunt, multa cum laude obeundo.* In bulla autem III. in qua varias facultates Societati iam institutæ, & confirmatæ concedit, inquit, *Attendentes igitur ad fructus vberes, quos in domo Domini hactenus produxisti, & producere non desinis.* Et in bulla 4. *Licèt debitum* (inquit) *pastoralis officij omnibus regularem vitam ducentibus, vt in suis disciplinis, & laudabilibus institutis conseruentur, & augeantur, nos reddat fauorabiles, & benignos; ad Societatem verò Iesu per nos institutam, & approbatam, cuius specimen veluti ager fertilis in Domino, multiplices, atque vberes fructus animarum ad summi regis laudem, & fidei incrementum attulit, & affert quotidie verbo, & exemplo in populo Christiano, dirigentes præcipuè velut pius pater oculos mentis nostræ, dignum censemus, vt ipsam Societatem, cuiusque in odorem suauitatis Altissimo deseruientes personas, specialibus fauoribus prosequamur.* Hæc ferè testimonia Pauli III. refert Iulius III. in sua bulla confirmationis his brevibus, sed notandis verbis. *Cumque postmodum progressu temporis Spiritu sancto cooperante, ex Societate prædicta spiritualem animarum fructum crescere intellexisset idem prædecessor,* &c. Si enim Spiritu sancto cooperante fructus proueniunt, multo magis Societatem ipsam, tanquam proprium instrumentum suum, idem Spiritus sanctus præparauit. Quod verbis grauissimis repetit idem Pontifex in secunda bulla in qua Societati priuilegia concessit. Quibus similia, & valdè notanda sunt, quæ habet Pius IV. in principio suæ primæ bullæ. *Et si ex debito pastoralis officij singulos religiosos,* &c. *paterna dilectione prosequamur, ad illos tamen, qui sicut nomen Sociorum Iesu assumpserunt, ita opere, doctrina, & exemplis Dominum nostrum Iesum Christum imitari, & eius vestigia sequi nituntur, maioribus fauoribus, & gratiis prosequendum inuitamur.* Vberius autem quàm priores Pontifices hoc testatus est Pius V. in secunda bulla, qua confirmat quasdam Societatis constitutiones, quæ sic incipit, *Innumerabiles fructus, quos, benedicente Domino, Christiano orbi Societas Iesu viros literarum, præcipuè sacrarum scientia, religione, vita exemplari, morumque sanctimonia perspicuos, multorum religiosissimos præceptores, ac verbi diuini etiam apud longinquas, ac barbaras illas nationes, quæ Deum penitus non nouerant, optimos prædicatores, & interpretes producendo, felicissime hactenus attulit, & adhuc sobolis studiis afferre non desistit, animo sæpius reuoluentes nostro, libenter, non solum ea quæ aliàs in ipsius Societatis fauorem à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, nobisque, & aliis emanata sunt, vt firmiùs subsistant, cùm à nobis petitur; verùm etiam Societatem ipsam quantum à nobis ex alto conceditur, specialibus fauoribus, & gratiis nutrimus.* Simile, vel certè copiosius encomium habet idem Pontifex in altera bulla, in qua Societatem inter religiones mendicantes numerari voluit. Gregor. etiam XIII. sæpe in suis bullis simile testimonium præbet, specialiter verò in priori de confirmatione instituti sic incipit. *Quanto fructuosius in colenda Domini vinea se exercet veneranda Iesu Societas, digniusque æterna mercede operarius abundare conatur, tanto propensius contendimus eam, religiosamque subinde quam instituit prolem, vnde tota respublica Christiana vbique subleuatur, prosequi, & confouere.* Et in altera constitutione, *Ascendente Domino.* cùm proposuisset operam, & laborem, quem in gubernanda Petri naui sustinebat, de operariis Euangelicis subiungit. *Cumque tanti laboris socios, & validos remiges diuina nobis prouidentia præparauerit, eorum opera in superandis sæuientis pelagi tempestatibus, nos maximè subleuat, qui pro communi fluctuantium animarum salute, propria commoda nihil pendunt, seque ad omnia discrimina exponunt. In quo cùm aliarum religionum studia, tum Societatis I E S V assiduus pro Christo labor, nec non vsque ad finem perseuerantia, promptam se ostendit, cumque prolem catholicæ religioni valdè proficuam, & ad omnia periculà pro vniuersali Ecclesia subeunda paratam procreauit, aliam, atque aliam à prima non degenerem præstante gratia Dei quotidie substituit, vt nobis eorum alumni per multiplices probationis gradus altiùs prouecti semper præsto sint, quos in rebus arduis suscipiendis fructuosos operarios asciscamus.* Ex his ergo testimoniis satis constat efficacia rationis factæ: nam adducti Pontifices non solùm agnoscunt, & confitentur prædictos effectus, sed etiam illos pronuntiant esse Spiritus sancti opera, & à fortiori colligunt tale institutum ab Spiritu sancto specialiter manasse.

Concluditur ratio ex effectibus.

VII. *Huiusmodi effectus in particulari indicantur.*

Vt verò hoc euidentius cõstet, indicemus in particulari huiusmodi effectus. Primus est sanctitas, & vitæ innocentia, quam Deus contulit primis huius vitæ inuentoribus, medio vsu, & obseruatione ipsius instituti. Quamuis enim videri possit hoc magis ad causam, quàm ad effectum huius religionis pertinere (quod nõ minuit rationis efficaciam; nam idcirco Deus talem sanctitatis gradum, & modum B. Ignatio contulit, quia ad tantum opus illo vt ministro vti volebat) re tamen vera inter effectus meritò numeratur; nam per opera, & exercitia, quæ in Societate retenta, & approbata sunt, voluit prius Deus Ignatium ac socios eius sanctificare, ac perficere, & ita vsu ipso, & effectu approbauit institutum postea ab Ecclesia suscipiendum, & approbandum. Qualis autem, & quantus fuerit hic effectus, satis suprà num. 2. verbis ipsorum Pontificum indicauimus, & de illa re pleni sunt libri, qui in manibus omnium versantur. Secundus effectus est hæc eadem virtus, & vitæ puritas, quæ in successoribus eorum, mediante eodem instituto, conseruatur; hoc enim sine arrogantia dicere possumus, cùm non de aliqua particulari persona, sed de tota religione tractemus. Præcipuè verò hæc religio semper enituit, omnibusque in admiratione fuit, in vnione, & charitate fraternâ; vt meritò dicere possimus, satis in ea ostendi signum illud à Christo datum, Ioan. 13. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.*

VIII.

Tertius effectus numerari potest firmitas, & stabilitas huius religionis, non obstantibus innumeris persecutionibus, quas & ante suam institutionem in personis Ignatij, & sociorum, & post suam institutionem, & approbationem sustinuit. Cùm enim illa sit omnium minima, & nouissima; & tam grande opus, ac bellum contra hæreticos, & alios Christi hostes assumpserit, variis modis, ac rationibus, non ab eis solùm sed etiam à Catholicis nonnullis impugnata, nullum inde detrimentum passa est, sed semper fortior, ac purior per tribulationes reddita, vt experimento omnibus est compertum. Vnde meritò illi accommodari potest dictum Gamalielis Actor. 5. *Si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissoluetur; si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere illud.* Quartò adiungi potest propagatio, & incredibilis extensio huius religionis, quæ per totum orbem breui tempore facta est: nam statim ferè sine morâ per totam Europam dilatata est; & vt

Pius

Pius V. de illius alumnis dixit. *Non contenti terrarum finibus, vsque ad Orientales, & Occidentales Indias penetrarunt.* De quare in vita B. P. N. Ignatij, & in epistolis Indicis; & in vita S. P. Francisci Xauier multa habentur. Specialiter autem animaduerti potest ex 4. lib. vitæ B. Ignatij. cap. 16. apud Ribaden. tempore mortis suæ reliquisse fundata centum Societatis domicilia, per duodecim prouincias distributa, vt in hoc etiam videatur in ipso impleta illa promissio. *Qui reliquerit domum aut fratres, &c. centuplum accipiet.* Quintò addere possumus, religionem hanc non solùm successione, & approbatione temporum, sed etiam sanguine multorum martyrum fuisse stabilitam, & firmatam. Nam hoc etiam Pius V. loco proximè citato in approbatione huius religionis numerandum putauit, dicens, *Ac eorum aliquos ita Domini amor perstrinxerit, vt etiam proprij sanguinis prodigi, vt verbum Dei inibi efficacius plantarent, martyrio voluntario sese supposuerint.* Et tamen, post tantum Pontificis testimonium, illustres alij in Anglia in medio ipso Oceano, aliisque pro Romana, id est, catholica Ecclesia expeditionibus martyres occubuerunt. Sextò, hinc sequuti sunt exteriores fructus circa proximos & vniuersam Ecclesiam, de quibus Pontifices supra citati potissimum loquuti sunt; maximè verò Pius V. dum in hoc postremo loco adiungit. *Per quæ eorum spiritualia exercitia, etiam regna ipsa fidem Christi agnouerint, ac tam inibi, quàm vbique terrarum charitatis, & misericordiæ opera exercere studeant.* Vide de hoc plura in Payua de origine Societatis.

IX. *Quam efficaciam habeat ratio ab his effectibus desumpta.*

Tandem ad huius discursus cõfirmationem addere possumus, his ferè motiuis, & rationibus solere Patres, & Theologos vti ad persuadendum, esse euidenter credibile, vt aiunt, autorem fidei, & religionis Christianæ esse ipsum Deum, quemadmodum nos etiam prosequuti sumus disput. 4. de fide sect. 3. Nam argumento sumpto ab insigni sanctitate eorum, qui hanc fidem profitentur, vtitur Euseb. lib. 2. de præparatione Euangelica cap. 5. & August. lib. 2. contra Iulian. Argumento verò sumpto ex sanguine martyrum vtitur Iustinus in Apologia pro Christianis. Ratione autem sumpta ex constantia, & incremento in persecutionibus, vtitur Leo Papa in serm. 1. de Sanctis Petro, & Paulo his verbis: *Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager fegete ditiore vestitur, dum grana quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.* Et idem sumi potest ex eodem Augustino in id Psalmi 57. *Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens.* Denique illud argumentum visum est efficacissimum omnibus Patribus præsertim Augustino, quod ex amplitudine Ecclesiæ sumitur, & quòd duodecim homines potuerunt vniuersum mundum subiugare, non vi armorum, sed vitæ, & doctrinæ: ergo proportione seruata, eadem signa manifestè ostendũt religionem hanc peculiari prouidentia à Deo ipso fuisse institutam: quibus addere possumus, vnam ex præcipuis notis ad cognoscendam veram Ecclesiam, quam Patres tradunt, esse vnionẽ membrorum inter se, & cum capite, Romano scilicet Pontifice, vt ex Leone Papa, Irenæo, Cypriano, & aliis latè tradit Bellarm. lib. 1. de Eccles. cap. 10. Sic ergo ex perfecta vnione charitatis membrorum huius religionis inter se, & vnionis perfectæ, & singularis obedientiæ totius religionis ad Summum Pontificem, euidens coniectura fit, eundem spiritum fuisse huius religionis principalem authorem, qui fuit ipsius Ecclesiæ.

X. Sed quæret aliquis, quomodo intelligendum sit hanc institutionem esse specialiter Spiritui sancto tribuendam. Aut enim est sensus, nõ potuisse Ignatium, & socios sine speciali Spiritus sancti gratia, & inspiratione, tantum opus inchoare, & perficere; aut sensus est ex singulari aliqua reuelatione, aut extraordinaria motione, aut directione infallibili, qualis dari solet Prophetis, aut sacris Scriptoribus, hanc institutionem originem duxisse. Si prior tantùm sensus intentus est, res est certissima, & ferè euidens ex principiis fidei, quibus docemur, nullum pietatis opus inchoari, aut fieri posse à nobis, sine Spiritus sancti præcisa inspiratione, & subsequente adiutorio. Quis autem dubitare audeat conatus Ignatij, & sociorum in hac religione fundanda fuisse pietate plenos, cùm sine magna fide, ac religione, & feruenti charitate, ac obedientia tantum opus aggredi non potuerint. Itaque in hoc sensu dubitari non potest, quin ab Spiritu sancto fuerint moti, & adiuti. Hæc autem parua, & communis valdè laus est, cùm ille modus originis ab Spiritu sancto omnibus pietatis operibus communis sit. Ex quo solùm concluditur, bonum, & meritorium fuisse huic operi incumbere: inde tamen inferri non potest, aut opus ipsum habere aliquam singularem excellentiam, aut fuisse vtiliter, aut conuenienter inuentum: potuit enim esse ex zelo, & non secundùm scientiam, potuit etiam voluntas eius esse ab Spiritu sancto: in ipsa verò fabrica: vel institutione nihil esse nisi merè humanum, atque adeò expositum mille erroribus, ac defectibus. Si verò alter sensus est intentus, ille quidem magnam laudem continet, verendum tamen ne sit nimia, & non sufficienter probata: nam inde sequeretur omnia quæ in hoc instituto cõtinentur omnino esse certa & infallibilia, quod dicendum non est.

Religionem hanc conuenientissime ab Apostolica Sede approbatam, & confirmatam,

XI

Antequam ad hanc interrogationem respondeam de tertia causa huius instituti proposita in numer. 1. dicendum breuiter est, quanquam in hactenus dictis iam ferè contineatur. Dico ergo religionem Societatis conuenientissimè fuisse ab Apostolica Sede approbatam, & confirmatam. De approbatione ex Apostolicis bullis sæpe citatis satis constat. Nam Paul. III. in prima bulla sic inquit. *Præmissa omnia, & singula, tanquam ad spectabilem profectum doctorum sociorum, & reliqui Christiani gregis opportuna, Apostolica auctoritate tenore præsentium ex certa scientia probamus, confirmamus, & benedicimus, ac perpetuæ firmitatis munimine roboramus, ipsosque socios sub nostra, huiusque sanctæ Sedis Apostolicæ protectione suscipimus.* Et deinde facultatem concedit concedendi constitutiones, quæ ad finem Societatis, Christi gloriam, & proximi vtilitatem conformes sint, quas eo ipso, quòd legitimè sint conditæ, eadem Apostolica authoritate vult esse confirmatas, vt latiùs in bulla secunda declarat. In bulla autem 5. Societatem cõmemorans idem Pontifex. *Per nos* (ait) *institutam, & approbatam.* Non enim *confirmatoris* tantùm, sed etiam *instituentis* nomen vsurpare voluit Põtifex, vel, vt maiorem beneuolentiam in Societatem ostenderet, eamque maiori honore afficeret; vel, vt indicaret se fuisse primum Societatis confirmatorem; vel denique, quia propter specialem subordinationem, quam hæc religio habet ad Apostolicam Sedem, & quia eius institutum in hoc peculiariter cõfistit, quòd tota Societas proximè sit dicata seruitio Summi Põtificis, & ab eius nutu, & seruitio pẽdeat, ideo eius institutio non solùm pendebat à Põtifice, quoad generalem approbationem religionis, sed etiam quoad acceptationem talis voti, ac traditionis. Hinc fortasse ortũ habuit quod de Societate dixit Kemnitius hæreticus, vt refert Payua lib. de origine Societatis, à Romano, scilicet, Pontifice fuisse excogitatam, vt labentem Ecclesiam fulcire aliquo modo

modo posset, quod ab hæretico in opprobrium Societatis dictum est; ignorans autem quid diceret summam de illa laudem protulit. Deinde Iulius III. in bulla confirmationis, eandem approbationem confirmat illis verbis. *Auctoritate Apostolica tenore præsentium erectionem, & institutionem Societatis*, &c. *perpetuo approbamus, & confirmamus.* Pius autem IV. in prima sua bulla, eandem confirmationem commemorat, & multis verbis, ac beneuolentiæ signis confirmat. Idem Pius V. in omnibus ferè bullis, & præsertim in vltima, in qua non solum Societatem confirmat, sed etiam in mendicantium numerum illã recipit. Idem latissimè Gregor. XIII. præsertim in illis duabus constitutionibus. *Quanto fructuosius.* &, *Ascendente Domino.* Ac tandem Concil. Trident. sess. 25. cap. 16. de regularibus, eandem approbationem ita commemorat, vt ipsum denuo institutum laudet, ac approbet, & in omnibus minimè mutatum velit, dicens. *Per hæc tamen Sancta Synodus non intendit aliquid innouare, aut prohibere quin religio clericorum Societatis Iesu iuxta pium eorum institutum à sancta Sede Apostolica approbatum, Domino, & eius Ecclesiæ inseruire possit.*

XII. *Quædam præcognita ad approbationem notanda.*

In hac autem approbatione nonnulla considerandæ sunt. Primum est in eiusmodi instituto prius approbari pietatem, & sanctitatem, vel (vt clarius Iulius III. dixit) *nihil, quod pium, sanctumque non sit, in dicta Societate eiusque laudabilibus institutis reperiri.* Et quod hæc approbatio habet vim cuiusdam authẽticæ definitionis, vel declarationis, cui falsum subesse non potest, vt suprà tractando de religione in genere ostensum est, & ideo non est necesse, vt denuo probemus approbationem quoad hãc partem fuisse conuenientem: nam eo ipso quòd facta est, certissimum est conuenientem esse, & veritati approbanti conformem. Deinde considerandum est, approbationem, quoad hanc rationem, cecidisse propriè in ea, quæ distinctè fuere Pontifici propositæ, quia non poterat prudenti modo aliter fieri approbatio, quæ dictam infallibilitatem contineret; & ideo non sine causa specialiter dictum est à Paulo III. *præmissa omnia, & singula approbata fuerunt.* Reliqua verò, quæ virtute ibi continentur, vel per generalia verba proponuntur, solum intelliguntur approbata, vel si omnino necessaria fuerint ad veritatem eorum, quæ distinctè approbantur, vel solùm secundùm quandam moralem fidem, ac credulitatem, si solùm morali etiam probabilitate cum eis fuerint coniuncta. Hinc tertiò expendo, cum Paulus III. in bulla secunda explicat, se ita concedere Societati facultatem condendi constitutiones, vt eo ipso quòd fiant, velit esse sua authoritate munitas, non vti verbo *approbandi*, sed tantùm *confirmandi*; inter quæ duo verba hanc differentiam considero, quòd *approbare* refertur magis ad intellectum, pertinetque ad clauem scientiæ: *confirmare* autem magis spectat ad clauem iurisdictionis, referturque ad vim obligandi. Voluit ergo Pontifex dare robur & valorem constitutionibus, eo ipso quòd fiant, non tamen propterea eas ita approbet, vt declaret esse conuenientes, aut opportunas, supponit autem eas esse debere honestas, & vtiles ad Societatis finem, Christi gloriam, & proximorum vtilitatem, vt ibidem præmittit. Quartò aduerto, Pontifices non fuisse contentos, approbando hoc institutum, vt sanctum, & pium, sed etiam vt Ecclesiæ valde opportunum, & moraliter necessarium ad finem intentum, quod non sine prouidentia diuina factum est, propter eos, qui calumniari possent hoc institutum licet bonum sit; non tamen fuisse Ecclesiæ necessarium, vel eo tempore conueniens. Neque enim defuerunt, qui cum in aliis censerent, quoad hoc Pontificem posse errare, senserint etiam in hoc facto errasse, quod profectò impuden-

Quæranda imprudentia notatur, & Pontificum

tissimum est, maximè cùm expresse tot Pontifices, etiam quoad hanc circumstantiam distinctè institutum probauerint. Quod patet expresse ex illis verbis Pauli III. *Præmissa omnia, & singula, tanquam ad spiritualem profectum, eorundem sociorum, & reliqui Christiani gregis opportuna, Apostolica auctoritate*, &c. Et in altera bulla inquit, *Ipsorum, & cunctorum Christi fidelium animarum salutem zelantes*, &c. Et Iulius III. *Considerantes*, &c. *Eaque omnia, ad suorum, & omnium Christi fidelium, & fidei exaltationem tendere.* Et clarius Gregor. XIII. in constitutione. *Quanto fructuosius. Ad quem finem* (inquit) *Spiritus sanctus, qui bonæ memoriæ Ignatium Loyolam ipsius Societatis institutorem, eiusque socios excitauit, media etiam præclara, maximeque opportuna huius sedis ministerio eis tribuit, atque confirmauit.* Et in altera bulla, *Ascendente Domino. Ipsius* (inquit) *instituta, tanquam fundamenta eius præsidij, quod catholicæ religioni impendunt, immota, atque inconcussa aliorum etiam Romanorum Pontificum exemplo debemus Apostolica auctoritate tueri.* Et infra. *Cum diuina prouidentia pro temporum necessitate varia, & salutaria ordinum instituta in Ecclesia sua produxerit, nouisque subinde in ea nascentibus morbis, noua remedia, nouisque emergentibus hostium impugnationibus, noua regularium ordinum auxilia excitarit, iuxta cuiuslibet peculiaris gratiæ vocationem, peculiares quasdam notas, propria insignia, ac opportuna ad finem, quem intendunt, media suggesserit, & nunc maximè*, &c. Et infrà. *Nos vniuersalu Ecclesiæ vtilitati, quam ex inuiolato, & inconcusso Societatis instituto, & religiosa sobolis educatione sentimus, & maiorem in dies speramus, prospicientes de Apostolicæ potestatis plenitudine* &c. Dupliciter ergo quoad hanc partem approbatur Societatis institutum: Primò, vt vtile, ac necessarium (ad melius esse loquimur) ad finem quem intendit. Secundò, quia religio intendens talem finem, per talia media, valde opportuna fuit Ecclesiæ, & in eodem sensu necessaria. Quomodo idem Gregor. XIII. in bulla concessa anno 1576. quæ incipit, *Salvatoris. Propter ipsius Societatis* (inquit) *tam vtiles, tamque necessarias functiones.* Et infra. *Tam salubribus dictæ Societatis ministeriis, quæ pro eorum dignitate, & maiori fidelium fructu in locis aptis, vbi maiores leges, & frequentior populi consuetudo viget, exerceri, & ministrari debent.* Quàm verò tota hæc approbatio veritati ipsius rei conformis sit, satis ex dictis de fine, & mediis Societatis, & de affectibus, ac fructibus eius constare existimo.

authoritatè explodituꝛ.

XIII. Ex his ergo ad interrogationem num. 10. factam respondeo, institutum hoc specialiter tribui Spiritui sancto, non solùm eo modo quo vniuersa pietatis opera ab ipso manant, sed etiam, quia ab illa speciali prouidentia, qua Spiritus sanctus vniuersalem Ecclesiam regit, & protegit, duxit originem. Vnde fit, vt quantum attinet ad substantiam instituti, quæ consistit in intentione talis finis per talia media primaria, ac principalia, non solum credendum sit habuisse B. Ignatium quomodocunque Spiritus sancti excitationem, & inspirationem, sed etiam specialissimam directionem, vt ab eo quod Ecclesiæ opportunum erat non aberraret, imo etiam, vt tam prudens, & immensum opus posset concipere, & architectare. Quod si quis pie credat directionem hanc per expressam reuelationem sæpe factam esse, nihil fortasse à veritate deuiaret, vt ex historia vitæ eius intelligi potest. Quidquid verò sit de expressa reuelatione, saltem specialis instinctus Spiritus sancti per specialia dona superiora ordinariis virtutibus, & auxiliis earum negari non potest. Atque hoc modo verum cẽseo, in his quæ pertinent ad substantiam instituti (sub quibus ea omnia comprehendo, quæ à Sede Apostolica expresse in specie recognita, & approbata sunt) ita fuisse Ignatium motum, & directum ab Spiritu sancto, vt neque erraret, neque ab eo quod Ecclesiæ vtile,

& opportunum futurum est, deuiaret, non quod putemus singula verba eius ab Spiritu sancto fuisse dictata, sicut in tom. de fide disput. 5. sect. 3. à num. 4. diximus de scriptore Canonico; sed quod res ipsæ, in quibus substantia instituti consistit, fuerint prædicto modo suggestæ ex speciali prouidentia Spiritus sancti; & hoc videtur mihi sufficienter probatum, tum ex dicta approbatione, tum ex fructibus, & effectibus huius operis; tum etiam ex re ipsa, considerato fine, & mediis huius instituti, & circumstantiis omnibus erectionis eius.

CAPVT V.

Vtrùm Societas sit per se religio clericorum, nõ solùm habitu, sed etiam re ipsa: & quas proprietates inde consequatur.

I. *Ratio vtrinque dubitandi.*

HActenus explicui causas veluti extrinsecas huius instituti; nunc intrinsecas declarare intendo, vt ita specifica eius ratio; & perfectio magis cõstet. Causæ autem alicuius rei intrinsecæ sunt, materialis, & formalis. In statu verò religioso nihil aliud potest habere rationem materialis causæ, nisi personæ ipsæ, ex quibus talis congregatio coalescit, & hoc est quod in præsenti exponere intendimus. Videmus enim à Concilio Tridentino sess. 25. c. 16. de regularibus, Societatem esse vocatam *religionem clericorum Societatis Iesu*: illa enim particula *clericorum*, non sine causa addita est. Significatum est ergo, religionem hanc ex clericis constare debere; hæc ergo est quasi materia, ex qua hæc religio conficitur. In contrarium autem est, quia vel denominatio hæc sumpta est ex solo habitu, & hoc parui momẽti est; nam habitus non facit religiosum. c. *perfectum*. de regular. sed est signum eius. Vel ex re ipsa; & in hac vel æquatur, vel certè superatur à religionibus, quæ monachorum esse dicuntur; nam plures in qualibet illarum (seruata proportione in numero personarum) sunt sacerdotes & clerici, quàm in Societate inueniantur. Quid est ergo cur Societas dicatur clericorum religio.

II. *Prima assert. Probatur authoritate Concil. Trid.*

Nihilominus dicendum est. Primò Societatem verè ac propriè dici, & esse clericorum, ac presbyterorum religionem. Hoc sufficienter probat prædictum testimonium Concilij Tridentini, colligiturque ex variis loquendi formulis, quæ in bullis Pontificiis habentur. Nam in prima & secunda bulla Pauli III. in quibus forma instituti proponitur, eiusque confirmatio, & extensio conceditur, solùm exprimitur Ignatium, & socios esse presbyteros, qui ad munera presbyterorum se consecrauerant, & vt habere possent socios, qui hunc finem, & munus perpetuò intenderent, talem religionem instituisse, quæ sub ea ratione approbata est. Et ideo in bulla 4. specialiter concessit idem Paul. III. facultatem, & licentiam recipiendi in societatem seculares, seu laicos in temporale adiutorium, quod est indicium, primam approbationem, & facultatem Societatis per se ad hoc fuisse, vt ex clericis seu presbyteris constaret. Vnde in altera bulla confirmationis Iulij III. expressius in ipsamet forma instituti dicitur, *Socij autem omnes cum presbyteri esse debeant*, &c. Et ita postea confirmatur. Hinc etiam Pius V. in bulla anni 1571. quæ incipit, *Dum indefessæ*, Socios vocat *presbyteros Societatis Iesu*. Et Gregor. XIII. in bulla anni 1576. *Quæcunque sacrarum*, *licet* (inquit) *sicut accepimus dilecti filij præpositi generalis, & alij presbyteri Societatis Iesu*. Et eodem modo loquitur in bulla alia eiusdem anni, quæ incipit, *Salvatoris Dominus*. *Licet dilecti filij presbyteri venerabilis Societatis Iesu*. Idem in bulla anni 1578. *Quanta in vinea*, &c. clarius in bulla anni 1573. *Ex Sedis Apostolicæ*, &c. *Cum instituto clericorum regularium Societatis Iesu*, &c. Sufficienter ergo ex tam multiplici appellatione constat, non casu, & sine causa ita appellari; sed quia in superioribus diximus tract. præced. lib. 1. cap. 7. religionem rectè distingui in religionem monachorum, & clericorum, significatum est, Societatem sub hoc posteriori genere contineri. Ratio autem huius explicanda superest.

III. *Societas est religio clericorum ac presbyterorum.* *Declaratur hæc religio ab aliquibus, quæ clericorum fuerunt dicuntur, solùm quia habitum clericorum retinuerunt, quamuis ex speciali intentione sua non intendant aliquem finem, vel functionem, propter quam sit per se necessarius clericalis ordo; vnde totum earum institutum æquè bene seruari posset, etiamsi personæ earum clerici non essent, ac propterea tales religiones, si quæ sunt, valde materialiter, & accidentaliter dicuntur esse clericorum, solùm quia in habitu cum clericis conueniunt. Propriè autem (vt suprà diximus ex D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 8. ad 2.) illa est religio clericorum, quæ per se instituitur ad eas functiones, ad quas clericalis ordo per se necessarius est: aliæ verò, quæ ex vi sui finis non requirunt tales functiones, cum per se non requirant clericalem ordinem, non sunt propriè religiones clericorum, etiamsi per accidens ob alias occasiones plures sacerdotes habeãt. Constat autem ex superius dictis, religionem hanc ex primario fine suo postulare actiones maximè proprias clericorum, quales sunt illæ quæ ad perficiendos, & illuminandos specialiter homines, ordinantur; ergo non solùm ratione habitus, sed multo magis ob rem ipsam, & ob finem, & munera talis religionis *clericorum*, seu *presbyterorum* appellatur.

Deducuntur aliquot Corollaria præcedentis doctrinæ.

IV. Imò hinc sequitur primò, non ideo Societatẽ esse religionem clericorum, quia habitum clericorum portat, sed potiùs è contrario, ideo religionem hãc retinuisse clericorũ insignia, quia ipsa per se maximè est clericorum religio, ac per se primo tendit ad perficiendos homines suos in statu clericali, & vt proprias clericorum functiones honestius, sanctius, ac fructuosius perficiant. Ex quo obiter responsum est ad multorum interrogationem, cur Societas si vera religio est, proprium aliquem religionis habitum non assumpserit? quæ solet etiam esse vna ex obiectionibus, quæ contra Societatem fiunt, quoniam videtur, aut nouitatem affectare, aut tacitè vsum peculiaris habitus reprehendere, aut illius dedignari. Item quia secundum personarum varietatem & gradum habitus distinguendi sunt, teste Augustino epist. 199. & refertur 33. q. 5. cap. *Quod Deus*. Et ideo Concil. Trid. sess. 14. c. 6. de refor. dicit, licèt habitus non faciat monachum, oportere clericos suo statui decentem habitum deferre, vt etiam habitu professionem suã probent, vt dixit Conc. Carthag. IV. c. 45. c. *clericos*. d. 41. Et in Concil. Aquisgran. citatur habitus singulorum ordinum ad hoc esse institutos, vt liquidò constet in qua professione vnusquisque Domino militet. Ex dictis, inquam, optima ratio, & responsio datur ad prædictam interrogationem; ideo enim sacerdotũ habitum hæc religio retinuit, quia ipsa religio sacerdotum est, & habitus debet esse accommodatus muneri, & officio, quod persona exercet. Itẽ sicut hoc institutum per se ordinatum est ad perficiẽdos homines in statu clericali, ita

ita decuit eorum habitum nihil aliud significare, quàm clericos religiosè & sanctè viuentes, ex vi suę professionis. Vbi meritò accómodari potest, quòd in Concil. Aquisgr. sub Ludouico cap. 129. reprehenduntur canonici regulares habitu monachorum vtentes, cum eorum habitum vsurpare non debeãt, à quorum proposito quodammodo distant. Maximè verò contra quoscunque detractores accommodari potest, seruata proportione, can. 12. Conc. Gangren. qui refertur 30. d. *Si quis putauerit sancto proposito* (id est, continentiæ) *conuenire vt pallio vtatur, tãquam ex eo iustitiam habiturus, & reprehendat, vel iudicet alios, qui cum reuerentia birris vtuntur, & alia veste communi, quæ in vsu est, anathema sit.* Erat autem *birrus* vestimenti genus, quo clerici, & canonici regulares vtebantur, vt colligitur ex serm. 2. ad clericos communem vitam agentes; alias 53. ad fratres in Eremo inter opera Augustini, quoque monachi vti nõ poterant, sed pallio, quo colla, & humeri tegebantur, vt est apud Cassian. lib. 1. de instit. renunc. ca. 7. Sicut ergo monachi vtentes pallio, aut habitu suo, clericorum habitum etiam in religiosis reprehendere non debent: ita etiam Societas retinens sacerdotum vsum, nõ propterea contemnit, aut improbat vsum religionum monachalium, seu monachorum, nam sicut nulla earum censetur reprehendere, aut contemnere alias, eo quòd distinctum habitum à cæteris assumat, quia vnaquæque habet sanctas, & pias rationes, & Spiritus sanctus est multiplex, & vnus; ita nec Societas alia sancta instituta reprehendit, ex eo quòd communi habitu clericorum contenta fuerit. Quid autem referret hoc esse nouum etiamsi id concederemus? non enim omne nouum reprehensibile est, si noua occasione & cõuenienti ratione fiat, sine vllo antiquitatis præiudicio. Sic enim etiam fuit nouus vnusquisque religionis habitus, quando primum illa instituta est. Nego tamen id fuisse nouum; statim enim ostendã religiones clericorum fuisse antiquissimas, & in principio non est verisimile, vel saltem non constat vsas fuisse habitu distincto à communi clericorum habitu, sed solum in illo magnam decentiam, & honestatem seruasse.

V. *Societatis habitũ qualem delegerit S. Ignatius.*

Addo denique, quamuis inter religiones clericorum aliquæ sint, quæ aliquo proprio, & peculiari insigni in exteriori habitu vtantur, vt patet in canonicis regularibus, hoc ipsum (non sine magna, & prudenti ratione, considerata temporum opportunitate, & principali Societatis intentione) prætermissum esse, & pro signo quoad habitum accepisse Societatem solam decentiam, & honestatem eius cum omni modestia, ac verborum, actionum, sensuumque omnium moderatione coniuncta; Cùm enim talia essent tempora, vt hæretici monachos maximo odio prosequerentur, & ideo illorum habitum, & quemcumque habentem cum illo similitudinem, vel affinitatem, inuisum, & odiosum haberent, & Societas cuperet etiam ipsos hæreticos lucrari Christo, noluit noua alicuius habitus specie eos offendere, sed hoc, quod de se indifferens erat, vitare, vt ita faciliorem haberet ad eos aditum: nam hac ipsa de causa monachi etiam, non nisi mutato externo habitu ad hæreticos penetrant. Quæ ratio non solum ad hæreticos, sed etiam ad omnes alios seruata proportione applicari potest: nam etiam hæc religio fideles, & catholicos, imò illos maximè (iuxta Apostoli consilium 1. Corinth. 9. ad Galat. 6.) lucrari cupit, & ideo etiam in exteriori habitu voluit quantum honeste potuit communem modum seruare, vt apud omnes minus alieni, & extranei esse viderentur. Ad prædicandum etiam inter Gentiles, hic habitus visus est magis accommodatus, quia filij magis accõmodantur ad eos, quos etiam in exteriori habitu similiores parentibus re-

cognoscunt: Vt ergo hi, qui denuo conuertuntur ad fidem, pastoribus, & presbyteris, per quos communiter gubernari debent, magis afficiantur, conueniens fuit, vt ministri per quos erant conuertendi, & regenerandi, communi clericorum habitu vterentur. Atque hæc est potissima ratio, ob quam hæc religio in his, quæ ad exteriorem speciem pertinent, communem quandam viuendi rationem tenuit, vt sub illa, (quæ alias per se perfectioni propriæ non derogat) facilius posset omnes lucrifacere; imitata in hoc Christum Dominum, qui vt peccatores lucrifaceret, cum peccatoribus manducauit, & bibit; de qua re in sequentibus redibit sermo. Vt autem in hoc communi habitu debita perfectio seruaretur, tria monuit B. Ignatius 6. p. Constitut. cap. 2. §. 15. *Primum, vt honestus ille sit. Alterum, vt ad vsum loci, in quo viuitur, sit accommodatus. Tertium, vt reuera societ professioni paupertatis non repugnet.* Ex quibus primum, tertium, & tertium, omnibus religionibus communia sunt, vt suprà dixi, quia id in generali ratione perfectæ virtutis fundatur. Secundum magis est Societati proprium, sequiturque iuxta rectam prudentiam ex ipsa ratione communis habitus, & fine eius. Cui consonat illud Augustini lib. 3. doctrinæ Christianę, cap. 12. *Quisquis rebus præteruntibus restrictius vtitur, quã sese habent mores eorum, cum quibus viuitur, aut temporalia aut superstitiosius est: quisquis verò sic eis vtitur, vt metas consuetudinis bonorum inter quos versatur excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non vsus rerum, sed libido vtentis in culpa est.* Eandemque sententiam habet Gratian. §. vltim. d. 41. & affert verba Augustini paululum immutata, melius illa rettulit c. 1. eiusdem distinct. Atque in eandem sententiã videri possunt quæ notant Gloss. in c. *si quis virorum* 30. d. & in principio 21. q. 4. & in cap. *Clerici.* 2. verbo *deauratus.* de vita & honest. cleric. vbi bene Panorm. numer. 17. & optimè omnium D. Thom. 2. 2. quæst. 169. art. 1. & alia congerit Tiraq. de legib. connub. l. 3. n. 17.

Tria obseruanda in habitu clericali societati non repugnet.

Secundò sequitur ex dictis. Quamuis religio hæc quoad suam peculiarem regulam, & institutionem noua esse videatur; quoad substantiam verò etiam specificam, esse antiquissimam, & esse veluti quandam instaurationem eius, quæ omnium prima fuit. Hoc possumus breuiter declarare ex aliquib. principiis in tract. præcedente lib. 1. cap. 7. demonstratis; ostendimus enim clericorum religionem in genere loquendo, antiquiorem esse religione monachorũ; nam illa prior, & in Apostolis incepit, & per eos deriuata, & quasi continua traditione conseruata est. Religiones autem monachorum postea inceperũt. Nam licèt vulgare sit monachos ab Heliæ tempore incepisse, & Ioannem Baptistam monachatum professum fuisse; tamen, vt suprà dixi, id magis intelligendum est de vsu operum pertinentium ad illum statum, vt sunt solitudo, vitæ asperitas, contemplatio, quàm de proprio statu quoad integram formam substantialem eius, secundùm quam proprius est euangelicæ legis, & Christum habuit institutorem. Quæ omnia citato loco ostensa sunt, simulque probatum Christum, non solum fuisse institutorem status religiosi, vt sic, sed etiam factorẽ cuiusdam particularis religionis, quæ in Apostolorum collegio primùm creata fuit, & postea in aliis discipulis fuit propagata. Illam ergo dicimus fuisse primam religionem clericorum; quia non solùm ex sacerdotibus à sui initio, congregata est, sed etiam per se primò fuit à Christo instituta, ad actiones hierarchicas purgandi, illuminandi, & perficiendi homines, quæ sunt propriè actiones clericalis status. Quod intelligi potest ex vocatione Christi Matth. 4. *Venite post me & faciam vos fieri piscatores hominum.* Quod & ipsi Apostoli cognoscebant, cum dicebant Act. 6. *Non est æquum nos relinquere verbum.*

VI. *2. Corol.*

Declaratur hoc corollarium.

bum Dei, & ministrare mensis. Huc etiam spectat ille modus vocationis Christi Matth.8. & Luc.9. *Sequere me,* & statim, *Sine, vt mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade, & annuntia regnum Dei.* Fuit ergo illa religio ex proprio, ac peculiari fine religio clericorum.

VII. *De antiquitate canonicorum regularium varietas.*

Verumtamen, quamuis status religiosus continuè postea in clericis conseruatus sit etiam per se, quoad religionem clericorum; non tamen mihi constat fuisse conseruatum in ordine ad illum particularem finem, seu quoad actiones, quæ versantur circa corpus Christi mysticum; seu quoad illas, quæ versantur circa corpus Christi verum, quomodo dixit D.Thom.2.2.quæst.189.art.8. ad 2. religionem clericorum regularium per se esse religionem clericorum; quia directè ordinatur ad eas actiones, quæ in diuinis mysteriis perficiuntur: de qua religione licèt communiter censeatur à D. Augustino incepisse: multi tamen existimant Augustinum potius fuisse restauratorem, & reformatorem illius, quæ iam antea erat ab Apostolis deriuata. Quod sensit Vincentius in speculo historiali lib. 26.cap.51. Nauclerus in chronographia volumin. 2. generatione 42.qui dicunt canonicos regulares ex Apostolorum institutis originem trahere, & sumitur ex Benedicto XI.in proœmio ad constitutiones canonicorum regularium. Quinimò illum ordinem iam inde ab Apostolis incepisse dixit Nauar. tractatu 4.de regularibus,cap.*statuimus* 29.quæst.3. numer. 8. qui id colligit ex sententia Pij IV. quam ibi refert, lata in fauorem canonicorum regularium contra monachos S. Benedicti,in lite de iure prædicandi,& quâuis in priori sententia solùm dicatur, *Decernimus, & declaramus canonicos regulares vti clericos*, &c. vbi non titulo antiquitatis, sed titulo clericatus eos præfert; tamen habet illa sententia fundamentum in eo,quod suprà diximus, religionem clericorum in Apostolis fuisse institutam. Vide Rosetum de religione Ecclesiastica,tract.34. cap.3. Ioannem de Nigra Valle in Epilogo chronicorum lib.13.cap.8. Robertum,tract.de tuendo cœlibatu,tom.2.tit. de ordinum primordiis.Volater.in tropologia lib. 21. in principio.Antonin.2.p. histor.tit.15.cap.16.§.7.Non tamen satis certò constat religionem clericorum perpetua traditione, & absque interruptione vlla fuisse continuatam vsque ad Augustini tempora. Et aliqui reuocant in dubium,an à tempore Augustini vsque nunc hic ordo regularium canonicorũ continuè durauerit. Alij distinguendum putant inter canonicos cathedrales,& regulares, vt de varietate religionum dictum est tractatu præcedenti. Quidquid verò circa hoc sentiatur, hic ordo dicitur cœpisse in Apostolis, quatenus ordo clericorum per se in illis incepit, & ex parte retinuit finem illius Apostolicæ religionis, scilicet, quoad actiones,quæ pertinent ad diuina mysteria,diuinamque contemplationem. Ad eundem ergo modum non ineptè dicere possumus S. Ignatium non tam nouam religionem instituisse, quàm eam, quæ in Apostolis fuit, etiam quoad proprium finem eius, scilicet, Euangelij prædicationem, ac fidei propagationem,& defensionem, instaurasse. Nãlicet verum sit,illum religionis modum, cum illo particulari fine,& mediis illi proportionatis,non fuisse cõtinua successione conseruatum in Ecclesia (quia certum est tempore, quo vixit B. Ignatius, nullam talem religionem clericorũ fuisse in Ecclesia:quanto autem tempore post Apostolorum tempora durauerit, incertum etiam est) nihilominus videtur planè B. Ignatius excitasse religionem illi simillimam in his, quæ substantialia sunt; scilicet in fine, & mediis, atque adeò in modo viuendi, & imitandi Christum in ordine ad salutem animarum. Nam sicut Apostoli professi sunt, se relinquere omnia propter Euangelium prædicandum, ita etiam huius religionis alumni: Et sicut illi ad hunc finem peculiariter se Christo consecrarunt,vt quocunque vellet,eos mitteret ad salutem animarum procurãdam, & post Christi mortem in eadem obedientia sub Petro permanserunt:ita etiam hi ad eundem finem se Vicario Christi deuouent. Ac denique sicut illi ob hanc causam Christum in exteriori vitæ genere communi, & in peregrinationibus continuis pro salute animarum imitati sunt; ita de his dixit Pius IV. in 1.bulla sua. *Si tus nomen Iesu ... sumpserunt, ita opere, doctrina, & exemplo Dominum nostrum Iesum Christum imitari, & eius vestigia sequi nituntur.* Ex quo principio ratio multarum rerum reddi potest, quæ in Societate aliquibus noua videntur,re tamen vera,noua non sunt, sed renouata, aut ex illa prima antiquitate repetita, vt tali fini, & tali modo religionis accommodata.

Redditur ad institutum corol.

Tertiò, ex his facilè soluitur ratio dubitandi in principio tacta; & quomodo non obstet dictæ resolutioni, plures esse in Societate non clericos. Nam in huiusmodi statu considerandum est id, quod est per se,non verò quod per accidens,vt D.Thom. dixit. Addo etiam considerandum esse id, quod est ratione sui,& quod est ratione alterius; nam ab eo quod est per se,seu gratia sui,sumitur denominatio, & quasi species religionis,quæ clericorum esse dicitur. In Societate ergo status clericorum per se est, & gratia sui,vt explicatum est, & ideo ad solennem professionem,non nisi sacerdotes in ea admittuntur,vt dicitur etiam in examine cap.1.§.8. vt lib.6. cap.1.nu.4.afferemus.Illi verò, qui clerici non sunt, duobus modis in Societate recipiuntur, primo vt in ea disponantur ad sacerdotium, & ad illum gradum Societatis, qui sacerdotium requirit, iuxta illud Hieronymi epist. 4. ad Rusticum: *Itaque in monasterio, vt clericus esse mereatur, vt adolescentiam tuam nulla sordecommacules*, &c. Et ideo manifestum est non esse præter institutum religionis clericorum, hac intentione recipere plures,qui clerici non sint,alias conseruari non posset, nec sacerdotes habere, qui pro dignitate sacerdotale munus exercerent prout religiosos decet. Secundo modo recipiuntur laici in corporale, seu temporale sacerdotum adiutorium, quia vel non expedit, aut decet omnia hæc munera per sacerdotes exerceri, vel non expedit sacerdotes impediri à verbo Dei, & ministrare mensis; vt dicitur Actor 6. tractabiturque inferius in lib. 7. cap.3.à num.2. Vnde opposita ratione contingit in religionibus clericorum, & monachorum: nam in illis iuxta antiquam, & primæuam institutionem, per se erant laici, clerici vero vel assumebantur, vel fiebant quantum necesse erat, ad spirituale regimen, vel adiutorium aliorum,vt in tractat.superiori visum est. In hac autem religione clerici sunt per se, ac ex primæua institutione; laici verò assumuntur quantum necesse est ad temporale adiutorium, vel sacerdotum, vel reliquorum etiam, qui ad sacerdotium tendunt;nam hi etiam propter studiorum laborem temporalibus ministeriis ex professo vacare non possunt. Quartò, & vltimò possumus ex dictis coniecturam facere perfectionis huius instituti;sed de hoc paulo inferius in cap. 7. dicetur commodius.

VIII. Circa obiectionem.

CAPVT VI.

Vtrùm Societas contemplatiuam, vel actiuam vitam amplectatur.

I. Quid sit vita contemplatiua, & actiua.

DIstinximus in superiori tractatu cum D. Thom. 2.2. quæst.188. tres ordines, seu species religionis; cùm enim omnes tendant ad perfectionem charitatis, quædam illam quærunt per viam tantum

tantum contemplationis, quæ per se perficit amorem erga Deum. Aliæ illam inquirunt per actiones amoris, & misericordiæ erga proximos; nam cum illæ etiam sint propter Deum, etiam charitas erga Deum illo modo perficitur. Aliæ denique vtramque viam complectuntur, quorum vita mista dicitur ex contemplatione, & actione. Est autem aduertendum, vt suprà tetigi, nullã esse posse in mortalibus hominibus congregationem adeò contemplatiuam, quin actioni etiam aliqua ex parte vacet, & corporalibus exercitationibus, vt constat ex Basilio in regulis fusius disputatis regul. 35. cum tamen eius religio maximè contemplatiua fuerit: Et è conuerso nulla etiam esse potest religio adeò actiua, quin aliquid de contemplatione participet, quia sine oratione, & laude Dei nulla potest esse perfecta religio. Quapropter videri potest omnis religio esse mista: non tamen ita est. Nam aliquando religio per se solùm intendit contemplationem: de actione verò solùm id accipit, quod necessarium est, vel ad disponendum hominem ad contemplationem, vel ad leuandum tædium, vel ad sustentandum, vel subleuandum ipsum mortale corpus, & hæc dicitur tantùm contemplatiua. Alia verò religio è contrario per se solum intendit actionem; de contemplatione verò tantum suscipit, quòd vel ad actionem ipsam perfectè agendam necessarium est, vel certè ad reddendum Deo debitum, ac religiosum cultum, & hæc dicitur purè actiua, quia vnaquæque denominatur ab eo, quod est sibi proprium, & peculiare per se intentum. Mista ergo dicetur, quando vtrumque per se intendit proprio, & speciali modo. Cum enim vtraque vita per se honesta sit, & amabilis, & alioqui inter se non pugnēt, possunt simul propter se intendi; imò intendi debent, quantum & charitas veritatis, & necessitas charitatis postulauerint, vt verbis vtar Augustini lib. 19. de ciuitate cap. 19. Et hoc genus vitæ dixit pertinere ad Prælatos Gregor. in pastor. p. 2. cap. 1. dicens; *Sit rector in actione præcipuus præcunctis in contemplatione suspensus.* Quæ verba referens D. Thom. 2. 2. quæst. 182. art. 1. ad 1. ait; *Ad prælatos non solum pertinet vita actiua, sed etiam debent esse excellentes in vita contemplatiua.*

Societatem ex vi sui instituti mistam religionem esse.

II. Dico ergo, Societatem ex vi sui instituti vtrumque vitæ genus per se, ac principaliter intendere, cum omni perfectione, quãtum moraliter fieri potest. Quæ quidem assertio quoad eam partem, quæ pertinet ad vitam actiuam multa probatione non indiget. Nam cum ad vitam actiuam pertineant omnes actiones, quæ versantur circa proximum, & ex supradictis satis in cap. 2. constet, principale munus huius religionis esse spiritualem salutem, & perfectionem proximorum procurare, & ad illum omnibus congruentibus mediis vti, manifestum est, per se amplecti actiuam vitam, & cum magna perfectione illam profiteri. Et quoniam de spiritualibus actionibus, seu mediis satis suprà in c. 3. dictum est, hic solùm addimus, religionem hanc non solum opera misericordiæ spiritualia, sed etiam corporalia ex vi sui instituti exercere, qualia sunt infirmos in xenodochiis visitare, consolari, & eis inseruire si necesse sit, adiuuare eos, qui in carceribus detinentur, & similia, quæ distinctè enumerantur in 7. p. Constitut cap. 4. §. 9. vbi dicitur, *His corporalibus pietatis operibus, quantum spiritualia, quæ maiora sunt meriti, permittent, quantumque virespatientur, incumbent.* In quibus verbis magna perfectio huius instituti quoad hanc partem considerari potest. Cùm enim ea pars vitæ actiuæ, quæ ad spiritualem profectum ordinatur, multò excellentior sit, illa est primariò, ac per se in hac religione intenta. Quia verò alia pars quæ pertinet ad subueniendum corpori, & per se honesta est, ac necessaria, & multum etiam iuuat ad spirituale lucrum animarum, ideo secundariò, & quasi propter aliud hanc etiam partem amplectitur Societas, cùm hac tamen moderatione, vt talia opera spiritualibus inseruiant, vel saltem illa non impediant, & præter hanc nulla adhibetur limitatio, sed potius adiungitur illa extensio, *quantum virespatietur.*

Probatur assertio quoad eam partem, quæ ad actionem pertinet.

Ex his autem non solum videtur probari hæc pars, sed etiam difficilis redditur altera. Quî enim fieri potest vt cum tali genere vitæ actiuæ simul esse possit perfectio vitæ contemplatiuæ per se intenta? Quamuis enim hæ duæ vitæ ex ea parte, qua honestæ sunt, & sanctæ, non sint contrariæ, sed sorores; ex ea tamen parte, qua vna requirit otium, alia negotium, non videntur simul esse posse in gradu intenso, vt sic dicam, id est, in magna, ac per se intenta perfectione. Quia vt argumentatur D. Thom. 2. 2. quæstione 182. art. 3. cũ humana capacitas sit valde limitata, non potest simul intendere contemplationi summæ veritatis, & amori, ac dulcedini eius, quod est otium vitæ contemplatiuæ, & operib. misericordiæ erga proximos, quod est negotium vitæ actiuæ. Quî ergo fieri potest, vt Societas cum tanto negotio, & occupatione circa proximos, vitã contemplatiuam, non vtcunque, sed per se, ac perfectè coniungere valeat? III. *Alterius partis difficultas proponitur.*

Nihilominus partem illam verisimam esse ex verbis ipsius instituti, & ex vsu, ac rebus ipsis, & ratione etiam conuincere possumus. Primum enim hoc mihi videntur significare verba illa B. Ignatij in Examine cap. 1. §. 2. *Finis huius Societatis est non solum saluti, ac perfectioni propriarum animarum cum diuina gratia vacare, sed cum eadem, &c.* Nam huic perfectioni potissimum vacatur per otium vitæ contemplatiuæ, quod verbum ipsum *vocandi* indicat. Hoc etiam supponit in 3. p. Constitutionum cap. 1. §. 10. cum inquit: *Doceantur quomodo ab illusionibus dæmonis in suis spiritualibus exercitationibus caueant.* Et infra. *Ad veras, solidasque virtutes insistant, siue plures adsint visitationes spirituales, siue pauciores.* Vbi præsertim agit de modo spiritualiter educandi eos, qui in probatione manent, quem constat maiori ex parte per exercitia vitæ contemplatiuæ fieri in Societate. Nam statim in principio, in rebus spiritualibus instituuntur, & diu exercentur, in his præsertim, quæ ad viam purgatiuam pertinent, & ideo primum experimentum nouitiorum est, *In spiritualibus exercitiis mensem vnum, plus minusve, versari, id est, tum in examinanda conscientia, & anteacta vita recogitanda, & confessione generali faciendа, ac peccatorum suorum meditatione, tum in contemplatione rerum, ac mysteriorum vitæ, mortis, resurrectionis, & ascensionis Christi redemptoris nostri, tum etiam in oratione mentali, & vocali iuxta cuiusque captum prout in Domino edocti fuerint, se exercere,* vt dicitur in Examine cap. 4. §. 10. Postea verò in discursu probationis, in his maximè spiritualibus exercitiis instruuntur, ad quæ pertinent frequens & debitus vsus sacramentorum confessionis, & communionis, deuote etiam quotidie audire Missam, vel in ea ministrare; modus etiam legendi, meditandi, & orandi cum fructu; & ideo in 3. p. Constit. cap. 1. §. 20. prouidetur, vt de his omnibus frequens sit sermo, & eruditio, ac cura, vt non solùm addiscantur, & memoria teneantur, sed vt etiam exerceantur, & adiunguntur illa notanda verba. *Omnes suum tempus rebus spiritualibus impendant, & deuotioni quærendæ pro mensura diuinæ gratiæ sibi communicandæ insistant.* Deinde hæc spiritualia exercitia, etiam studiorum tempore continuanda sunt iuxta easdem constitutiones. Quamuis enim propter studiorum laborem, & occupa- IV. *Ostenditur tamen pradicta pars Societatem per se etiam vitam contemplatiuã amplecti, primo ex ipsius instituti verbis.*

cupationem aliquid de temporis diuturnitate, & de actionum spiritualium frequentia detrahatur, tamen illud onus, quod sufficiens ad maiorem Dei gloriam videtur, imponitur: quod si perfectè seruetur, vt in eisdem constitutionibus ordinatur, re vera continet magnam perfectionem vitæ contemplatiuæ, vt sunt quotidiana lectio spiritualis, quæ meritò à D. Thom inter opera vitæ contemplatiuæ numeratur 2. 2. quæst. 188. art. 6. quotidiana etiam oratio, & meditatio mentalis, saltem per integram horam; bis in die per quadrantem conscientiâ examinare; sacrificio Missæ interesse, Rosarium Virginis, & alias proprias, & peculiares deuotiones iuxta confessoris, vel superioris iudicium, explere; quæ omnia in prædictis locis constitutionum continentur, & in congregationibus generalibus postea aucta, & confirmata sunt, & si necesse fuerit, augeri posse dicuntur à Præposito Generali, & in aliis etiam regulis sæpe commendantur. Post studia verò hæc omnia à professis, & formatis coadiutoribus seruanda sint, nulla tamen limitatio eis adhibetur; quia vt de illis in 3. p. Constitut. cap. 3. *Tanquã certum dicitur eos viros spirituales fore tutos, & quasi in via Christi Domini nostri profecerint, vt per eam currere possint, quantum corporis valetudo, & externæ occupationes charitatis, & obedientiæ permittent.* Et ideo subditur ibidem. *Non videtur in his, quæ ad orationem, meditationem, & studium pertinent, &c. vlla regula eis præscribenda.* Additur verò ibidem in declaratione, nihilominus superioris curæ semper esse cauere, ne huiusmodi etiam personæ in spiritualibus exercitiis deficiant, vel excedant. Itaque ex modo, & prouidentia instituti satis constat ea, quæ pertinent ad vitam contemplatiuam, primum, ac præcipuum locum in eo tenere.

3. p. Constit. c. 1. & 4. p. c. 4. & in 4. congregatione generali can. 6 & in 7. decreto 25 n. 3.

V. *Secundo ex vsu, & effectibus suadetur.*

Secundò possumus hoc ex ipso vsu, & effectibus ostendere. Constat enim experientia generali, eos (generaliter loquimur) qui hoc institutum profitentur, & obseruant, esse spirituales viros, multum in spiritualibus rebus instructos, & orationi, atque contemplationi deditos; multosque cognouimus in hoc genere eximios, quia perfectè illud obseruare studuerunt; ergo signum est ipsum institutum ex primaria intentione sua in hunc finem tendere; nam in his rebus, quæ solùm per occasionem, vel ratione alterius assumuntur, non solet vel tanta diligentia adhiberi, vel tam copiosus fructus vniuersaliter, vel vt plurimum colligi. Nec solum hinc elicitur intendere Societatem principaliter hunc finem, sed etiam habere media efficacissima & accommodatissima ad illum assequendum: nam (vt Christus Dominus dixit Matth. 7.) *ex fructibus arbor cognoscitur.* Possumus etiam addere aliam coniecturam, ex effectibus quoque sumptam, quia experiẽtia etiam compertum est, fideles Societatis operarios, ac prædicatores, alios etiam seculares inducere ad exercitium orandi, & contemplandi; eosque egregiè ad illud rectè agendum instruere, & per Dei gratiam habere hoc peculiare donum illuminandi, & dirigendi homines in hac vita spirituali; quæ principaliter contemplatiua est. Ergo signũ manifestum est, alumnos huius religionis ex vi sui instituti contemplatiuos esse debere, & non quomodocunque, sed ita vt viros contemplatiuos possint efficere. Etenim si in aliqua disciplina illud 1. Metaph. cap. 1. verum est; *Signum sapientem esse posse docere.* Et si de aliqua etiam causa rectè dicitur, perfectiorem esse cæteris paribus, quæ potest aliis se cõmunicare, vtrumque maximè verum habet in hoc genere causæ, & doctrinæ. Nam hæc via contemplatiua adeò est spiritualis, & interna, vt nemo possit de ea sapienter loqui, vel vtiliter, ac sine magno periculo alios in ea instruere, nisi prius ipse illam didicerit, multumque expertus sit. Nam licet theologica scientia necessaria sit, multumque iuuare possit ad hoc spirituale, & mysticum magisterium, tamen sine proprio vsu, & experientia non sufficit; quia actiones, & motiones vitę contemplatiuæ specialiter pendent ex inspiratione, & instinctu Spiritus sancti, cuius peculiares modos, & effectus, *nemo scit nisi qui accipit.* Apocal. 2. Neque etiam refert, quod in hoc genere doctrinæ homo non est principaliter doctor, sed minister Spiritus sancti, qui principaliter docere debet; non est enim instrumentum mortuum, sed viuum, quod plantare & rigare debet consulendo, iudicando, & monendo; & ideo vt sit aptum instrumentum, oportet, vt ad huiusmodi actiones, & scientiam, & experientiam habeat accommodatam. Spiritus sanctus autem licet pro sua potestate quocunque valeat instrumẽto vti, regulariter tamen, & secundùm legem ordinariam, vtitur ministris accommodatis, & optimè dispositis ad tale ministerium. Et ita experientia compertum est, tum prædicatorem habere vim ad sanctificandas animas suo ministerio, quando ipse sanctus est, & sic de aliis, cum ergo eadem experientia nos doceat per hanc religionem Deum promouere in Ecclesia spiritum orandi & contemplandi, signum profectò est in ea parare sibi ministros aptos, & accommodatos, rectèque dispositos ad hoc ministerium.

VI. *Tertium ex fine.*

Tertiò ex hoc ipso effectu, illum vt finem considerando, colligere possumus rationem à priori huius veritatis. Nam Socieras, vt sæpe diximus, principaliter ordinatur ad propriam, & proximorum perfectionem, in quo fine, tria considerat. Primum est perfectio propria, quæ principaliter consistit in *coniunctione* vnione ad Deum, & ex hac parte maximè requirit *ad* contemplationem. Secundum est perfectio proximorum. Est enim attentè considerandum in bullis, & constitutionibus Societatis, non sine mysterio sæpius dici, ac repeti, finem eius non solùm esse incumbere correctioni aut saluti, sed etiam perfectioni proximorum; vnde ad finem huius instituti pertinet proximum iuuare & instruere in his omnibus, quæ ad hunc finem necessaria sunt; inter quæ potissimum locum tenet contemplatio; vnde etiam ex hoc capite necesse est, vt hoc institutum eo prius tendat, vt suos professores faciat contemplatiuos. Tertium, quod hoc maximè declarat, est debitus ordo inter illa duo, sine quo ordine neutra perfectio, propria, vel aliena comparari poterit. Est autem hic ordo, vt prius perficiatur minister, per quem alij perficiendi sunt, propter ea, quæ in proxima ratione dicta sunt. Vnde Dionys. cap. 3. Eccles. hierarch. *De ent. ss. ius* (inquit) *diuinarum rerum ordo est, vt prius communicet, atque impleatur sanctum prasul his, quæ per illum distribuenda sunt cæteris, diuinis ministris, & sic aliis tradat.* Verum est ibi loqui Dionysium de participatione Eucharistiæ, quam prius debet sacerdos sumere, quam aliis tribuat: tamen in illo ordine hunc, de quo agimus, esse significatum Dionysius intellexit. Vnde subdit. *Quos nec & hi, qui diuinis magistris* (priusquam digna illius communicatione capaces effecti sunt) *alumnantur audacter, impuri, atque sacra lege exsanes omnino censentur. Vt enim in solis radijs tenuiores, limpidioresque substantiæ, primo influenti luce replentur, sicque exuberantem lucem in subsequentes solis vice transfundunt: ita non sine periculo diuinis in rebus quibusque alijs se ducem præstare præsumet, qui non per omnia euaserit similis Deo.* Iam verò fervidus multus est in suadendo iis qui alios lucrari conantur, se prius exhibeant *coniuges*, quam canalis, &c. Videri potest serm. 1. in Cant. & lib. 2. de conf. cap. 3. Atque hic ordo videtur à Christo etiam significari Luc. vltim. cum suis discipulis dixit.

Matth.

Manete in ciuitate donec induamini virtute ex alto. Ergo ratione talis ordinis necesse est, vt primarius finis huius religionis sit contemplatio; tunc enim vterque ille finis comparari poterit, *quando* (vt Gregor. dixit homil. 5. super Ezechiel.) *prædicatores fuerint viri perfecti, qui bona cœlestia, quæ contemplari potuerunt fratribus denuntiant, eorúmq; animas in amorem intimæ charitatis accendunt: loquentes autem verbis suis corda audientium feriunt, & inundant.* Cùm ergo finis huius instituti sit, & perfectos viros, & perfectos ministros, aliosq; perficientes generare, fieri non potest, quin finis eius etiam sit eos contemplatiuos efficere; ergo necesse est vt ad hunc finem media etiam habeat accommodata; aliàs non esset rectè præstitum, nec tanta approbatione institutum ipsum fuisset dignum.

VII. *Inductione eadem ratio confirmatur.*

Hæc autem ratio optimè confirmatur ex illis actionibus, per quas Societas principaliter exercet vitam actiuam, quatenus ad suum institutum pertinet, quę sunt spirituales actiones & ad animarum profectum proximè, ac per se ordinantur; alia enim opera misericordiæ corporalis, sicut secundaria sunt, ita etiam rariora, & ideo, & parum extrahere possunt ab operationibus vitæ contemplatiuæ, & aliunde potiùs iuuant humanam infirmitatem, quæ non valet semper surgere ad contemplãda cœlestia; & ideo necesse est, vt aliquando ad actiuam redeat, & quæ potest bona agere non recusset. vt dixit Gregor. dict. homil. 5. in Ezechiel. Aliæ ergo spirituales actiones tales sunt, vt licet, quatenus ad proximos referuntur, formaliter pertineant ad vitam actiuam, nihilominus ratione materiæ in qua versantur, intimè, ac eminenter includant, ac supponant vitam contemplatiuam, præsertim si modo perfecto exercendę sint. Ergo institutum Societatis, quod ad has actiones perfectè exercendas ordinatur, necessariò priùs, & principaliùs ordinari debet ad vitam contemplatiuam, tanquam ad primum fontem, & principium talium actionum. Assumptum declaro in doctrinæ actione, quæ ferè in omnibus his actionibus spiritualibus intimè includitur. De doctrina igitur agens D. Tho. secunda secundæ quæstione 181. art. 3. quærit, vtrum docere sit actus vitæ contemplatiuæ, vel actiuæ; & respondet, licèt respectu discipulorum sit actus virtutis actiuę, ex parte obiecti, & materię, si doctrina sit perfecta, & de rebus diuinis, potiùs esse actum vitæ contemplatiuę, quia est conceptus alicuius virtutis intelligibilis, in cuius consideratione, & amore homo delectatur. Affertque Augustinum sermon. 27. de verbis Domini, dicentem, *Elegant sibi partem meliorem, quæ non auferetur abeis, vacent verbo, inhient virtutis dulcedini, occupentur circa scientiam salutarẽ.* in quib. verbis, & doctrinam, & verbum Dei inter actus vitæ contemplatiuæ numerat. Dicet fortasse aliquis, Augustinum non loqui de doctrina ex parte docentis, sed ex parte discentis, & cùm dicit *vacare verbo*, nõ intelligere proferendo, sed audiendo, sicut vacabat Maria, quando *sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius.* Et sicut inferiùs dicit idem August. *Nam & modò inde aliquid agimus remoti à negotiis, si positis familiaribus curis, conuentus, statis, auditis.* At enim si audire verbum Dei, est actus vitæ contemplatiuæ, cur non magis docere? Etenim, si disciplinam consideremus per ordinem tantùm ad discentem, non est propriè actus vitæ contemplatiuæ, imò neque est tam actio quàm receptio. Pertinet ergo ad vitam contemplatiuam ratione termini, seu effectus, & in ordine ad obiectum ipsius disciplinæ, quatenus est aliqua veritas, ad quam cum delectatione considerandam, auditores per disciplinam eleuantur, multo ergo magis doctrina ratione suæ causæ, & principij, est actus vitæ contemplatiuæ. Cùm ergo spirituales actiones intimè habeant adiunctam doctrinam de rebus diuinis (hæc enim non solùm per publicas lectiones, & conciones, sed etiam in secreta confessione, & in secreto colloquio, ac institutione traditur, non potest talis actiua vita à contemplatiua separari, imò esse debet legitimus partus eius: nam tunc doctrina rectè, & efficaciter traditur, quando ex diuina, & interna contemplatione procedit, iuxta illud Psal. 144. *Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt, & iustitia tua exultabunt.* Atque hoc præcipuè explicare possumus in quodam speciali medio, quo Societas vtitur ad spirituale bonum proximorum, quod est tradere illis spiritualia exercitia (de quibus infrà à capite 1 libro 9. ex professo erit sermo.) Nam hæc actio, si in ordine ad proximum consideretur, sine dubio est opus vitæ actiuæ, & nihilominus secundum se intimè spectatum, opus est vitæ contemplatiuæ respectu materiæ seu obiecti in quo versatur, ergo vsus talis medij, seu actionis intrinsecè includit contemplationem. Quocirca, sicut D. Thom. aliàs obiicere solet, diuinam, seu theologicam scientiam esse eminenter practicam, & speculatiuam, principaliùs verò speculatiuam esse; ita nos dicere possumus, actiones has esse eminenter actiuæ, & contemplatiuæ vitæ, principaliùs autem contemplatiuæ, illa enim est quasi vita, & anima talium actionum. Nec refert quod actiones illæ aliquando fieri possint à viris, nihil, aut parum in contemplatione exercitatis: quia hic non consideramus has actiones prout ab illis, vel illis fiunt, sed prout fieri debent ex vi instituti: sic enim fieri debent, vt fructus contemplationis, & vt formatæ interiori spiritu, quia tunc erunt perfectæ, & efficaces ad finem instituti; aliter verò factæ erunt inefficaces, & quasi mortuæ, magisque in sola specie exteriori materialiter apparentes, quàm veræ, quantum est ex parte ministrorum, vt excludamus, & efficaciam sacramentorum ex opere operato, & quam Spiritus S. ex suamet liberalitate adiungere potest.

VIII. *Confirmatur vltimò eadem difficultas.*

Vltimò confirmari potest hic discursus ex resolutione superioris capitis, in quo diximus Societatem per se esse religionem sacerdotum: religio enim sacerdotum ad opera vitæ contemplatiuæ ordinatur, vt ex D. Thom. colligo 2. 2. quæst. 189. artic. 8. ad 2. vbi affirmat de religione canonicorum regularium: Est autem eadem ratio in quacunque religione, quæ per se sit presbyterorum religio. Duplicia enim sunt opera per se pertinentia ad sacerdotalem ordinem. Priora, & præcipua sunt illa, quæ aguntur in diuinis mysterijs, & versantur circa corpus Christi. Verum alia sunt ea, quæ versantur circa corpus mysticum, vt sunt actiones illæ spirituales, quæ ad salutem proximorum ordinantur, de quibus proximè antea loquebamur. Sicut ergo hæ posteriores actiones supponunt priores, ita religio, quæ per se ordinatur ad perficiendos sacerdotes, vt sacerdotes sunt (hoc est enim esse per se religionem sacerdotum) primariò tendere debet ad perficiendos illos in ordine ad priores actiones, quæ spectãt ad diuina mysteria, alioqui ineptissimè esset instituta religio. Vnde, quia prius (vt aiunt) separatur à posteriori, bene potest aliqua religio clericorum esse instituta ad perficiendos sacerdotes in his actionibus, quæ in diuinis mysterijs peragendis consistunt, quanuis vlteriùs non extendatur ad actiones erga proximos; eritque talis religio contemplatiua, talisque est religio canonicorum regularium, ex D. Thomæ sententia loco proximè citato. At verò è conuerso, posterius non separatur à priori; neque accessorium à principali, & ideo nõ potest esse benè instituta religio, quæ sacerdotes perficiat in actionib. erga proximũ, & nõ multo magis eos perficere intendat in actionib. circa Deum, & quæ in diuinis

mysterijs aguntur. Societas ergo, quæ optimè & Spiritus sancti instinctu instituta, & probata est, ad perficiendũ sacerdotes, quatenus sacerdotes sunt, & se extendit ad perficiendos illos in actionibus sacerdotalibus erga proximos, multo magis intendit eos perficere in his omnibus, quæ in diuinis mysterijs aguntur. Quod etiam quantum ex signis exterioribus ostendi potest, effectus ipse manifestat. Quanuis enim hæc religio (propter alias rationes diuini obsequij quas infra c.8. videbimus) cantu, & alijs solennitatibus externis in his mysterijs non vtatur; quod ad decentiam, & reuerentiam eorum spectat, nullibi cum maiori decore tractantur. Nullaque maior cura huic religioni esse solet, quam vt ea quæ pertinent ad diuinum cultum, & ad venerationem Sacrosancti sacrificij, & ad dignum vsum sacramentorum exactissimè peragantur. Cùm ergo ostensum sit religionem hanc, etiam ex ea parte qua perficit sacerdotes in ordine ad actiones spirituales circa proximos, intimè includere vitam contemplatiuam, multò magis illam includet quatenus eosdem perficit in sacerdotalibus actionibus diuinorum mysteriorum; nam in his potissima pars vitæ contemplatiuæ consistit.

Quomodo Societas tam multæ actioni simul cum contemplatione posit satisfacere?

IX. *Ad alteram partem difficultatis in n.3.*

Atque ex his difficile non est tollere admirationem, quæ in num.3. objiciebatur: Scilicet, quî fieri posit, vt tam multa actio, quam Societas profitetur, cum perfecta contemplatione coniungatur? Respondemus enim inprimis hoc non esse impossibile cum diuina gratia; & quanuis id difficile videatur, perfectam tamen virtutem circa difficile versari: atque ita difficultatem illam, per religionis prouidentiam, & perfectam institutionem, cum vocationis gratia posse superari. Dico autem *cum vocationis gratia*, tum quia nemo pro ratione sui status potest piè viuere, nedum perfectè, sine speciali gratia Dei; tum etiam, quia piè credendum est, vel potius est moraliter certum, Deum vnicuique religioni dare specialem gratiam quam communicat omnibus, qui ab Spiritu sancto ad illam vocantur, si per illos non steterit, vt finem illius instituti consequi valeant. Sic enim dixit D.Thom. in 4.d.2.q.1. artic.2. ad 9. ad quamlibet eminentiam status dari aliquam sanctitatem, cum sit ibi necessarium speciale auxilium gratiæ. Et d.38.q.1. art.5.ad 2. dixit. In consecratione virginum, & alijs huiusmodi benedictionibus dari gratiam, nisi sit impedimentum ex parte suscipientis. Cuius locutionis sensus non est, per hos actus dari aliquam gratiam ex opere operato, cum non sint sacramenta, nec de hoc posit assignari certa aliqua lex; imò neque speciale priuilegium eis esse concessum, cum sufficienti fundamento dici potest. Sensus ergo est de speciali gratia auxiliante, excitante, & adiuuante, quam Deus, quantum in ipso est, maiorem, & specialiorem tribuit his, quos in speciali statu, ac munere cõstituit, ad cuius conuenientem vsum illa indigent. Quo principio vsus est etiam idem D.Tho.3.p.quæst.27. art.5. ad 1. & à nobis confirmatum est in 2.tom.3.p. disp.1.sect.2.ad finem, & disput.3.sect.5.ration.3.vbi ex Scriptura, & Patribns illud confirmauimus. Quibus addi potest illud Pauli ad Ephes.3. *Eius factus sum ego minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum virtutem operationis eius: mihi enim sanctorum minimo data est gratia euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, &c.* Atque hoc voluit Deus significare Moysi, quando se excusanti à diuino ministerio, eo quòd ad illud imparem se agnosceret; respondit, *Ego ero tecum*: hoc enim verbo non tantum speciale priuilegium, sed suauis etiam dispositio prouidentiæ diuinæ significata est, dantis vnicuiq; gratiam muneri vel statui ab ipso Deo instituto accommodatam. Cùm ergo omnes religiones approbatæ meritò censeantur speciali Dei prouidentia institutæ, dubitandum non est, quin singulæ habeant paratum speciale Dei auxilium suæ vocationi proportionatũ, ac proinde eò maius, quò institutum fuerit altius, ac difficilius, & ad maius Dei obsequium, maioremque Ecclesiæ vtilitatem ordinatum. Ostendimus autem in Societatis instituto hæc omnia excellenti quodam modo inueniri: scilicet, approbationem, institutionem, ex Spiritus sancti instinctu, intentionem diuini cultus & gloriæ, cum grauissimo munere, & onere procurandi salutem animarum; ergo dubitari non potest, quin habeat à Deo paratam specialem vocationis gratiam, qua prædictum finem comparare valeat. Atque huius gratiæ *vocationis* videtur nobis præbuisse testimonium Gregor.XIII. constitutione, *Quanto fructuosius.* & in alia bulla, *Ascendente Domino.* cum dixit: *Sicut Societatis finis est propagatio, & dilatatio fidei, animarum quem vita, & doctrina Christiana progressus: ita etiam gratiarum vocationis proprium esse, diuersa loca ex Romani Pontificis vel Præpositi generalis directione peragrare.* Nã quia ille actus, & difficilior, & periculosior alijs esse potest, ideo *gratia vocationis* specialiter illum attribuit. Sic ergo nos dicimus, si quæ est difficultas in coniungenda perfectione vitæ actiuę, cum perfectione vitę contemplatiuæ, per gratiam *vocationis* non difficile superari posse.

Deum vnicuique religioni gratiã suo instituto accommodatam cõmunicare.

Addo verò vlteriùs, si attentè consideremus ea qua diximus, non esse in eo negotio nimis magnam difficultatem: quia principales actiones, in quibus vita actiua Societatis versatur, ita sunt coniunctæ cum vita contemplatiua, vt veluti ex corpore, & animo vnum quid ex illis efficiatur: quanuis autem plura, vt plura, intendere difficile sit; quæ de causa Ecclesiastici 11. dicitur, *fili, ne in multis sis actuosus tui.* Et Luc.10. Marthæ declaratur vnum esse necessarium, quod Augustinus & alij Patres vnico vitæ contemplatiuæ negotio, seu otio exponunt. Plura tamen per modum vnius intendere non est difficile. Exemplo ab speculatione, & doctrina aliarum scientiarum sumpto, rem declaro. Longè enim diuersum videtur docere, & speculari, scribere, aut meditari; tamen hęc duo munia non se impedium: neque vnum ratione alterius difficilius redditur, quia vnum ex alio oritur: & tunc rectè doctrina traditur, quando interior veritatis speculatio perfecta est. Ita verò se habet contemplatio ad prædictas Societatis actiones, & ideo illam per se non impediunt. Eò vel maximè, quòd tales actiones, vt perfectè fiant, duas circumstantias ad contemplationem partem maximè pertinentes, per se requirunt. Vna est, vt fiant intuitu maioris glorię, & obsequij diuini, & quòd semper, aut frequenter, quoad fieri potest, illuc referantur, de quo frequenter filij Societatis in suis constitutionibus admonentur, vt videre licet in 3.p. Constit. ca.1.§.26. & p.7.c.1.§.1. & c.2. per totum, & p.8.cap.1.§.1. & ideo in p.10.§.2. dicitur. *Ad conseruationem, & incrementum spiritus Societatis, atq; ad assequutionem finis, quem sibi præfigit, auxilium animarum ad vltimum & supernaturalem suum finem consequendum, ad illa, quæ cum Deo instrumentum coniungunt actiones, vt à diuina manu rectè gubernentur, efficaciam sunt, quàm quæ illud disponunt erga homines. Huius odij præ bitas, & virtus, ac præcipuè charitas & puritas cordis diuini seruitij, & familiaritas cum Deo in spiritualibus deuotionis exercitijs.* Qui modus operandi perfectissimus est, & qui assiduam Dei memoriam maximè conseruat, vt latè explicat Basilius regul.5. ex fusiùs disputatis, & attingit in breuioribus regul.195. & 196. Alia circumstãtia, quæ ex dictis facilè colligitur, est vt talis opera

opera fiant cum actuali oratione, ac petitione diuini auxilij. Quia cùm in illis omnibus homo ſemper operari debeat vt Dei inſtrumentum, à quo debet efficaciam illorum expectare, tunc perfectè fiunt, quando prædicta oratio cum eis adiungitur. Igitur ſi debito modo tales actiones fiant, ex ſe non impediunt perfectionem vitæ contemplatiuæ, ſed potiùs ex ſe iuuant. Et quanuis contingat aliquando impedire actualem quandam interiorem ſuauitatem & dulcedinem, illud non eſt ſubſtantiale detrimentum, multòque magis perfectionem auget opus charitatis erga proximos propter Deum factum. Propter quod dixit Greg. 1. p. Paſtoralis cap. 5. ad finem. *Sunt nonnulli, qui magnis muneribus dicati, dum ſolius contemplationis ſtudijs inardeſcunt, parere vtilitati proximorum prædicatione refugiunt, ſecretum quietis diligunt, ſe. iſſum ſpeculationis petunt: de quo ſi diſtricte iuduntur, ex tantis procul dubio rei ſunt, quantis valentes ad publicum prodeſſe potuerunt: quæ enim mentes, qui proximis profuturus ente ſceret, vtilitati cæterorum ſecretum præponit ſuum, quando ipſe ſummi Patris vnigenitus, vt multis prodeſſet, de ſinu Patris egreſſus eſt ad publicum noſtrum?*

CAPVT VII.

In quo gradu perfectionis Societatis religio conſtituta ſit.

I. QVamuis omnis religio ſit actus perfectionis, tamen non omnes in perfectione quærenda æquales ſunt, quia non omnes omnia conſiliorum opera exercent, & ideo quædam in altioribus verſantur, quàm aliæ, iuxta varios fines proximos in quos tendunt, vt in ſuperioribus viſum eſt. Et ideo ad perfectam notitiam Societatis tradendam neceſſe eſt, quantum ſine inuidia, & arrogantia fieri poſſit, quem gradum in hoc ordine perfectionis attingat, explicare. Quod quidem in his, quæ hactenus diximus tam clare continetur, vt noua expoſitione non indigeat. Tamen vt aliquorum obiectionibus ſatisfieret, hoc omittere non potuimus. *Prima obiectio quorundam in Societatem, quod chorũ non habeat.* Aliqui enim Societatem magnæ imperfectionis arguunt, tam in munere vitæ actiuæ, quàm contemplatiuæ; vnde concludere conantur, illius inſtitutum valdè imperfectum eſſe. Priorem partem ad vitam contemplatiuam pertinentem, ex eo colligunt, quòd Societas præcipuum huius vitę munus, quod in pſalmodia & diuinis laudib. decantandis conſiſtit, non fungatur. Et ideò omnes antiquiores religionum inſtitutores hanc præcipuè in ſuis regulis commendarunt, vt conſtat ex Baſilio frequẽter in ſuis regulis, tam fuſiùs, quàm breuiùs diſputatis, & Benedicto in ſua regula à cap. 9. per plura ſequentia, & ex Auguſtino etiam in ſua regula, quos omnes poſteriores religiones imitatæ ſunt, præſertim mendicantes, quæ ex vi ſui inſtituti eleemoſynis fidelium aluntur, & hac ratione videntur ſpeciali titulo obligari ad diuina officia publicè decãtanda. Propter quod Sot. de Iuſt. li. 10. q. 5. art. 3. circa finem cùm dixiſſet religiones approbatas teneri officium diuinum in communi celebrare, quia illud eſt præcipuum contemplationis munus, ſubdit: *Loquor de regularib. an quis: nam ſi alius religionis modus circa huiuſmodi obligationẽ admittatur, certè vix nomẽ religionis meretur, quippe quæ maximo ſplendore religionis caret:* Quem imitatus eſt Trullo li. 2. Ordin. Canonic. c. 12.

II. *Secunda obiectio in eandem Societatem, quod auſteram vitam non agat.* Altera pars pertinens ad vitam actiuam ex alio capite ſumitur, ſcilicet, quia magna portio huius vitæ conſiſtit in actibus pertinentibus ad pœnitentiam, afflictionem, & auſteritatem corporis; & in vniuerſum loquendo, huiuſmodi pœnitentiæ, & auſteritatis exercitia maximè neceſſaria ſunt ad perfectionem aſſequendam. Propter quod omnes etiam antiquæ religiones in hac vitæ auſteritate magna ex parte fundatæ ſunt, ſicut de antiquis monachis per Ægyptum latè refert Euſeb. lib. 2. hiſtoriæ, ca. 17. & ex Athanaſio in vita Antonij, & ex alijs hiſtorijs antiquorum Patrum conſtat. Et D. Baſilius eſum carnium ſuis monachis prohibuit. Et author *Author ſermonum ad fratr.* fermon. 1. de communi vita clericorum, aliàs ſerm. 5. ad fratres in eremo, de illis eremitis ait. *Poſtquam eremum intrauerunt, nunquam carnes ſumpſerunt, ouino colore, nigerrimo, aſperrimoque induti ſunt.* Et libro 1. de moribus Eccleſiæ cap. 31. mirum in modum Auguſtinus exaggerat, & laudat ſeueriſsimam antiquorum cœnobitarum, & eremitarum vitam. De qua multa etiam apud Hieronymum. in epiſtol. 22. ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis, præter alia quæ epiſtol. 4. 13. & alijs de hoc genere vitæ commendat. Sanctus etiam Martinus (vt in eius vita refert Sulpitius) vſum vini in ſuo monaſterio ſuis monachis interdicebat. Benedictus etiam in ſua regula cap. 39. à carnibus voluit abſtinere monachos præter debiles, & infirmos. Quod ſeruari præcipitur in cap. *Cùm ad monaſterium.* de ſtatu monachor. vbi etiam lineæ camiſiæ prohibentur monachis. Vnde in cap. *carnem* (inquit Fructuoſus Epiſcopus) *cuiquam monacho, nec ſumendi, nec guſtandi eſt conceſſa licentia, non quod creaturam Dei indicemus indignam, ſed quod carnis abſtinentia vtilis & apta monachis eſtimetur.* D. Diuus Gregor. in epiſtola ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, vt refertur in cap. *denique.* d. 4. *Sacerdotes* (inquit) *& Diaconi, & reliqui omnes, quos dignitas Eccleſiaſtici gradus exornat, à quinquageſima propoſitum ieiunandi ſuſcipiant.* Et ſubdit rationem ad rem præſentem multum pertinentem; *Quo & aliquid ad penſum ſanctæ inſtitutionis adiiciunt, & eorum qui in cæli ordine conſiſtunt obſeruantiam. ſicut loco, ita re, gione præcellant.* At verò Societas non ſolùm antiquam religionum auſteritatem non imitatur, verum etiam in hoc genere ferè nihil peculiare profitetur, præter ea, quæ ex communi vſu, vel præcepto Eccleſiæ omnes obſeruare tenentur. Eſt ergo in hac parte valde imperfecta, Chriſtique, & Apoſtolorum veſtigia non ſequitur; vt modernus quidam in illam tacitè obiecit, præter alia quæ in lib. 9. ca. 7. agendo de vſu exercitiorum aſſeremus. *Auendanh. tract. 11. in Pſal. Beati immaculati. v. 3.*

Societatem ex vi ſui inſtituti perfectiſſimam religionem eſſe.

III. Nihilominus dicendum eſt, religionem hanc ex vi ſui inſtituti perfectiſsimam eſſe, ita vt ſupremo ordine ſtatuum religioſorum conſtituta ſit, & in eo non infimum gradum teneat. Vt ſenſum concluſionis explicem, ſuppono quod in tractatu 3. lib. 1. c. 6. cum D. Thom. oſtenſum eſt, religiones, quæ puram vitam contemplatiuam profitentur, ex ſuo genere perfectiores eſſe illis, quæ ex vi ſui inſtituti vtramque vitam apprehendunt, vtrisq; perfectiores eſſe. Ex quo D. Thom. q. 188. art. 6. concludit. *Summum gradum in religionibus tenunt qui ordinantur ad docendum, & prædicandum.* In hoc ergo ſenſu dicimus religionem Societatis in ſupremo ordine perfectionis religioſæ cõſtitutam eſſe. Quod ſuppoſito dicto principio euidenter concluditur ex his, quæ de fine huius religionis diximus in cap. 1. oſtenſum eſt enim religionem hanc eſſe inſtitutam per ſe, & directè, tam ad opera vitæ contemplatiuæ, quàm actiuæ, & ad docendum, & prædicandum; & ad alia ſpiritualia opera circa proximos exercenda cum maxima perfectione, & propenſione. *Notatio ad probationẽ.* *Suadetur prima pars primo.*

Secundò, poteſt hoc explicari ex alio principio poſito, quod Societas per ſe eſt religio presbyterorum. Nam loquendo ex genere, religio clericorum perfectior eſt, quàm religio monachorum, IV. *Suadetur ſecundo.*

quod

quod sumi potest ex cap.1. & 2.19.q.3. vbi prohibentur canonici regulares ad monachatum transire, quanuis illud possit exponi factum esse propter dignitatem sacerdotalem, vt indicat D.Thom. 2.2. q. 189.art.8.ad 2. & suprà in tract.8.lib.3.cap.10. expensum est. Inde tamen possumus vlteriùs argumentari: nam ordo sacerdotalis per se est dignissimus, & statum perfectionis aliquo modo attingens, vt in superioribus significatum est, & sumitur ex Dionysio, toto lib. de Eccles.hierar. & Chrysost.hom.38. in Matth. vbi ait sacerdotes esse quasi cor, & stomachum Ecclesiæ, quoniam ab eis recipit Christianus populus vitæ influxum, & spirituale alimentum. Ergo religio, quæ per se primò ordinatur ad perficiendos sacerdotes, vt sic, id est, in ipsis muneribus sacerdotalib⁹, perfectior sine dubio est ex suo genere, quàm professio, quæ per se est laicorũ, qualis est monachalis, & ideo hæc religio initiandorum vocatur à Dionysio c.6.de Eccleiast. hierarch. & propterea ex monachis ad sacerdotium assumebantur de licentia Abbatum quando digni inueniebantur, vt sumitur ex Gregor.lib.5.epist.cap.127. aliàs epist. 27. vnde est etiam illud Hieronymi epist.4. ad Rusticũ: *Sic viue in monasterio, vt clericus esse mereare.* Quia verò hæ comparationes semper intelliguntur cæteris paribus, vel quãtum est ex tali capite, ideo fieri potest, vt duæ religiones mutuò se excedant, quatenus vna magis attendit ad munus proprium sacerdotum, quam ad concionatorum. Altera verò econtra magis ad hoc quam ad illud munus incumbit. Posteà verò ad faciendam illam comparationem simpliciter, oporteret illa capita, seu munera inter se comparare, quod ad nos non spectat. Societas enim in vtroq; illo genere existit, & simul vtrumq; caput amplectitur, vt cap. præcedenti ostensum est: vnde ex hoc capite perfectior etiam est ex genere suo, quàm quælibet alia, quæ vnum tantùm genus illorum participat: maximè cùm in singulis generib. illorum magnam quandam perfectionem intensiuam (vt sic dicam) & extẽsiuam habeat: nam est religio sacerdotum, tam quoad munera diuinorum mysteriorum, quàm quoad cætera ministeria, quæ ad perficiendum corpus Christi mysticum diriguntur: & ordinatur ad prædicandum, & docendum, quocunque per Christi vicarium mittantur, & cum omni perfectione, in superioribus satis explicata.

V. *Suadetur tertio.*

Hinc denique addi potest tertia ratio, sumpta ex D.Thoma dict. art.6. nam *supremum in vnoquoque genere est mensura cæterorum*: in statu autem perfectionis supremum locum tenent Episcopi: ergo religio quę ad illum statum propinquiùs accesserit, erit ex suo genere in altiori statu perfectionis, quàm reliquæ: sed Societas propinquissimè videtur accedere ad statum Episcopalem, quantum ad id vnde habet, quòd sit status perfectionis: ergo. Probatur minor, quia Episcopi dicuntur præcipuè esse in statu perfectionis, quia sunt in statũ perfectionis communicandæ, & quia ad hoc obligantur ex officio, etiamsi oporteat pro ouibus dare animam suam, & quia in illo munere firmitatem habent ex obligatione sui status, sed hæc omnia participat excellenti modo Societas; nam ex vi sui finis ordinatur non modò ad perfectionem acquirendam, sed etiam exercendam, & communicandam, & ex vi suorum votorum (quod illi proprium est) ad hoc obligatur, non obstante quacunque difficultate, peregrinando per vniuersum orbem, etiam mendicando, si opus sit, & pericula quæque subeundo, vsque ad sanguinis effusionem: in quo munere habet etiam firmitatem ratione obligationis voti; ergo etiam ex hoc capite proximè accedit ad statum perfectionis Episcopalis. Differt autem (vt cap.2.n.8.dixi) quia non principaliter, sed ministerialiter hoc munus sustinet.

Item quia non se extendit ad conferenda illa sacramenta, per quæ aut fideles in perfecto quodam statu Christianitatis constituuntur, vt est Sacramentum confirmationis, aut creantur ministri perfectionis aliorum, vt est Sacramentum ordinis. Sed in his omnes religiones inferiores sunt Episcopis, quorum sunt adiutrices. In hoc verò potest speciale aliquid in Societate notari; nam videtur specialiter instituta in ministerium Apostolicæ Sedis, vt ex bullis Pontificijs sæpè adductis manifestè constat. Vnde etiam Clemens VIII. benignè alloquens Patres, qui ex vniuersa Societate Romæ congregati fuerant anno 1600. Societatem *brachium dextrum sedis Apostolicæ* appellare dignatus est. Ex quo etiam factum est, vt ab eadem Sede Apostolica plurimæ gratiæ, & facultates in Societatem manauerint, in ordine ad ministeria exercenda circa salutem animarum, & communicando potestatem suam ad perficiendos alios, vt ex eisdem Pontificijs bullis manifestum est, & in lib.9.exponemus.

Ex his non erit difficile alteram partem conclu- VI. *Quid sionis probare; scilicet, non habere Societatem in illo ordine infimum gradum, quam per hanc negationem, potiùs quàm per positiuam comparationẽ proposui, vt omnem inuidiam vitarem. Duo enim solùm ostendere intendo; vnum est habere in illo ordine satis magnam perfectionem: Aliud est, ex illis duobus capitibus, quæ nobis objciuntur, non posse colligi huic religioni deesse aliquid perfectionis debitę, & conuenientis sibi iuxta finem suum, & consequenter, nec sibi simpliciter melioris: neque etiam ob has causas posse iustè postponi alijs, qui piè, ac religiosè sanctas illas actiones exercent. Quæ verò in particulari pensatis omnibus perfectior sit, non est meum diiudicare, vt sæpe in hac materia dixi.*

Illud ergo prius (posterius enim c.8.& 9.præstabi- VII. *Probatur 1* mus) multis profectò, & manifestis modis ostendi potest ex his, quæ hactenus de hoc instituto diximꝰ. Primò ex fine, qui sine dubio est altissimus omnium confessione: Nam est idem cum fine Apostolici instituti; maximèq; accedit ad finem aduentus Christi in mundum: & quanuis multæ religiones eundem finem possint intendere aliquo modo, tamen Societas perfecto quodam modo se ostendit in illum propensa: nam per actiones in suo ordine perfectissimas, & per omnes, quæ moraliter deliberari possunt, illum inquirit. Docet autem D.Tho.2.2.q. 188.art.6. inter religiones respicientes eundem finẽ illam esse perfectiorem, quæ per actionem perfectiorem illum attingit, & cæteris paribus, illam quę per plures actiones. Quod etiam ex communi sententia doctorum, c.3. ostendimus.

Secundò idem suaderi potest ex perfectione tri- VIII. *Secundo* votorum, in quibus substantia religionis consistit: iam enim in citato loco à n.4. indicauimus, quanta sit, tam intensiua, quàm extensiua perfectio Societatis in materia, & obseruantia horum votorum, & præsertim quantum emineat in obedientia quæ a- lijs est excellentior. Tertiò probari potest ex alijs medijs, quibus ad finem suum hæc religio vtitur; nam & in se sunt plura, & valdè perfecta, & ad finẽ intentum maximè proportionata, vt eo illo eodẽ capite satis constat: suppositis autem perfectione finis, nulla maior perfectio in aliqua religione desiderari potest. Nam vt rectè dixit S. Antonius Abbas, & refert Moyses Abbas apud Cassianum col.2. ca.2. *Optima ratio inquirẽdæ perfectionis non in his, vel illis actionibus, aut multitudine earum, sed in dispositione posita sit:* nulla autem est maior discretio maiorve prudentiæ perfectio, quàm vt propositio optimo fine, conuenientissima etiam media, & ad illum maximè proportionata eligantur.

Quartò id ostendi potest ex perfectione charitatis IX. erga

Quarto ex perfectione charitatis erga proximum.

erga proximum, quam hęc religio profitetur, vt toto lib. 9. constabit latiùs. Illa ergo cerni potest primò in vnione religionis, & membrorum eius inter se, de qua suprà dictum est, & dicetur latiùs l. 8. c. 8. Deinde in beneuolentia erga proximos, quæ vt D. Thom. docuit opusc. 18. c. 4. tunc perfecta ostenditur, quando ad omnes amicos, & inimicos, fideles, & infideles extenditur, & quando pro eorum commodis præsertim spiritualibus, propria incommoda temporalia & corporalia etiam vsq; ad mortē, si opus sit, contemnuntur. Quę omnia manifestè cernuntur in modo diligendi proximos quem hæc religio profitetur. Testimonium enim huius beneuolentiæ est beneficentia; nam *testis amoris exhibitio est operis*, vt dixit Gregor. hom. 17. in Ezechiel. & in illud 1. Reg. 3. *Non erat visio manifesta* & iterum hom. 30. in Euang. At Societas hoc beneficentiæ genus planè profitetur, vt euidentissimum est ex eius instituto, & peculiari, ac propria obligatione, qua tenetur, non pro communibus Ecclesiæ hostib. (ne dum catholicis vniuersis) sed pro suis etiam priuatim inimicis, æmulisq; gratiosè orare, quod ad beneficentiam spectare docuit D. Tho. 2. 2. q. 31. a. 2. ad 1. Offerre item (quod specialius est) sacrificia pro ijsdem; ac denique ex paupertatis voto nullum ab eis acceptare stipendium, aut compensationem, quos tam sedulò, tamque laboriosè literis imbuit, aut consilio in rebus dubijs instituit, salutarique doctrina pro concionibus impertit. Atque hinc constat quinta ratio, quæ sumi potest ex perfectione charitatis ad Deum. Vnum enim ex maximis signis dilectionis ad Deum, est dilectio proximi, propter quod scriptum est Rom. 13. *Qui diligit proximum, legem impleuit*: ergo etiam profectio charitatis erga proximum, magnum indicium esse debet perfectionis charitatis erga Deum: præsertim cùm ex vi sui instituti, vt dixi, teneatur Societas in animarum salute procuranda, nullum temporale commodum quærere, neque honores, aut humanas dignitates: quid ergo ei superest, nisi diuinam gloriam, propter se ipsam quærere, prout in suis constitutionibus sæpe admonetur. Hoc autem proprium est amoris Dei propter se ipsum; ergo.

P. 10. Const. 1. B & in Glossa. P. 2. c. 3. n. 7. & 9. P. 4. c. 15. §. 4. P. 6. c. 2. §. 7 & alibi sæpe.

Quinto ex perfectione charitatis erga Deum.

X.

Sexto ex sua vocationis gratia.

Hinc sextò ad hanc perfectionem, spectare potest singularis illa gratia *vocationis*, quam cap. præced. nu. 9. ostendi ab Spiritu S. dari. Quanuis enim hæc distributione accommoda, vnicuiq; religioni tributur: verisimile tamen est, ei dari copiosiorem, & maiorem, quæ ad altiores effectus diuinæ gratię assumitur; nam vt ibidem quoque ostendi confert Deus gratiam iuxta mensurā obligationis, & muneris, quæ gratia etiam crescere solet ex dispositione hominis, ad quam pertinet affectus ille, quo persona, vel maiorem difficultatem propter Deum amplectitur; vel magis se ipsam abnegat. In vtroq; autem videtur hæc religio habere singularem excellentiam: nam ex parte Spiritus S. instituta est ad excellentiores effectus diuinæ gratiæ, quales sunt Ecclesiæ propagatio, fidei defensio, animarum conuersio, & perfectio. Ex parte verò eorum, qui ad hanc religionem vocantur; quia eximia quædam abnegatio ab eis postulatur, ita vt nec locum, nec officium, nec quidquam aliud cerum, aut securum habere possint, sed ad omnem mutationem, omnemq; difficultatem superandam expositi semper esse debeant, & fine dubio credendum est propriā gratiam huius *vocationis* singulari modo esse perfectam, & paratam, quantam est ex parte Dei. Deniq; posset hic etiam considerari singularis prouidentia huius religionis ex vi sui instituti, tam in promouendo ad bonum subditos suos, medio vsu sacramentorum & aliarum spiritualium rerum; quàm in præcauendis malis, seu obstaculis, & impedimentis spiritualis profectus. Sed hæc & in superioribus tacta sunt & toto li. 8. recurrent, & expendentur etiam statim punctum alterum n. 6. propositum prosequendo.

Deniq; ex peculiari ratione in subditis vigilādi.

CAPVT VIII.

Conuenienter in Societate cantus, & chori ordinarium vsum non esse.

I.

SVpereſt vt obiectionibus factis respondeamus: inde etiam facilè colligetur, quod in cap. præced. n 6. secundo loco propositum est, scilicet, non posse religionem hanc aut imperfectionis argui, aut alijs religionibus postponi, eo quod vel cantu, & choro non vtatur ordinariè (in casu enim aliquo vsum admitti patet ex congregatione generali 1. can. 25. & congreg. 2. can. 24. & congreg. 3. can. 9. & ex iis, quę l. 8. c. 2. n. 4. in fine attingemus) vel quia in exteriori victu, & vestitu specialem austeritatem non profiteatur. Ad quod inprimis suppono, non pertinere ad perfectionem alicuius religionis, vt omnia consilia collectiuè (vt sic dicam) & in particulari amplectatur, & profiteatur. Quod significauit D. Th. 2. 2. q. 186. à 2. & latè à nobis explicatum est tractando in genere de statu religionis tract. 8. Et ratio euidens est, quia impossibile est multitudinem omniū consiliorum simul exequi, & obseruare, imò quædam eorum possunt esse incompossibilia, vt simul fiant, vt inseruire infirmis, & cōcionari, aut eodem tempore, aut continuo officio: sæpe enim ipsa rerum multitudine obruitur humana natura, & aut vires corporis deficiunt, aut feruor spiritus extinguitur, & ita propter indiscretum onus, sæpe in virtute non perseueratur, vt dixit S. Antonius apud Cassian. dicta collat. 2. cap. 2. Et colligitur optimè ex verbis illis Apostolorum Actor. 6. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis* Opus enim illud ministrandi optimum erat, & sub consilio, non tamen statui Apostolorum accommodatum, quia non poterat simul cum munere prædicationis coniungi.

Non pertinet ad perfectionem religionis omnia consilia collectiue profiteri.

II.

Quapropter quando fit comparatio inter religiosos status, & vni videtur deesse aliqua obseruantia religiosa, & exercitium alicuius operis sub consilium cadentis, quod in alijs religionibus inuenitur, non statim potest talis religio aut imperfecta, aut inferior alijs simpliciter iudicari. Sed vt de vtraq; illa re iudicium feratur, duo cum partitione accōmoda pensanda sunt. Vnum est, an tale opus sit accommodatum fini talis religionis, vel potius an considerato illo fine expediens fuerit tale exercitium in tali religione non admittere: nam si prudenter hoc ita iudicatum fuerit, carentia illius obseruantiæ non poterit iustè existimari imperfectio priuatiua (vt philosophico more loquar) talis religionis, cùm non sit carentia perfectionis illi debitæ vel conuenientis iuxta finem suum: imo nec imperfectio negatiua simpliciter reputanda est, si finis ille propter quem talis obseruantia omittitur, perfectior est illa, sicut ex Diuo Anselmo Theologi, & Philosophi dicunt; non pertinere ad perfectionem simpliciter habere formaliter perfectionem illam, quæ maiorem excluderet. Vnde statim sequitur aliud considerandum; an scilicet carentia illius boni exercitij alio meliori compensetur, quod simul cum alio moraliter esse non potest, atque ita rectè fiet iudicium illud comparatiuum. Si enim aliqua religio tali bono careat, idque non propter aliud maius, vel æquale, quo carentia illius boni compensetur, sine dubio ea religio, quæ cæteris paribus, in tali bono excesserit, perfectior erit. Si autem ille defectus aliunde compensatur, non potest altera religio simpliciter iudicari excellentior, sed

Duo consideranda vt comparatio inter duas religiones fiat Vnum.

Alterum.

sed ad summum secundùm quid. Quam totam doctrinam tradit D. Thom. & benè explicuit Caiet. 2. 2. q. 188. à 7. ad 1.

III. *Prudenter statuti esse in Societate ne in ea sit vsus chori.*

Deueniendo ergo in particulari ad religiosum vsum chori; & cantus Ecclesiastici, ac psalmodiæ, vt in cap. præcedent. num. 1. opponebatur, ostendo primò, prudenter in Societate institutum esse, vt in ea non sit huiusmodi vsus, quia licèt secundùm se optimus sit, at finem Societatis non iuuaret, neque esset medium proportionatum. Quod his verbis tradidit Beatus Ignatius. 6. p. Constit. c. 3. §. 4. *Quoniam occupationes, quæ ad animarum auxilium assumuntur, magni momenti sunt, ac nostri instituti propriæ, & valdè frequentes, cumque alioqui nostra habitatio tam sit in hoc vel in illo loco incerta, non vtentur nostri horo ad horas canonicas, & Missas, & alia officia decentanda, quandoquidem illis, quo ad ea audienda deuotio mouerit, abundè suppetet vbi sibipsis satisfaciant. Per nostros autem ea tractari conuenit, quæ nostræ vocationi ad Dei gloriam magis sunt propria.* Quam constitutionem in particulari, motu proprio, & ex certa scientia, confirmauit Greg. XIII. in bulla edita anno 1573. quæ incipit, *Exsedis Apostolicæ*, atque duas, vel tres rationes reddit: vnam à priori (vt sic dicam) illis verbis. *Quo actius studiis, lectionibus, & prædicationibus intendere possint.* Aliam à posteriori, ibi. *Nos considerantes religionem prædictam vberrimos fructus ad Dei laudem, & sanctæ Catholicæ fidei propagationem per vniuersum orbem dedisse, meritoque in suis pijs studijs confouendam esse, &c.* Addit etiam argumentum ab auctoritate: *quia hoc modo fuit hoc institutum à Paulo III. & Iulio III. approbatum, eique per sanctum Concilium Tridentin. derogatum minimè extitit.*

IV. *Quæ rationes B. Ignatium mouerint ad hanc constitutionem condendam. Prima ratio.*

In verbis autem Beati Ignatij considerare oportet omnes rationes, quibus motus fuit ad non imponendum Societati chori onus (quamuis in hoc primus non fuerit, vt nu. 6. ostendemus) sumptas esse ex illo fine quærendi maiorem gloriam Dei in hoc effectu salutis animarum, per ea media, quæ ad illum magis conferre possent. Duo autem ad hoc considerauit. Vnum est, chorum, vel cantum Societatis, non fuisse nunc Ecclesiæ necessarium ad hunc finem. Optimè enim intellexit, hoc sanctum opus laudandi Deum publicè in diuinis officijs per cantum, non solùm per se esse honestum propter laudem Dei, & sanctam contemplationem eorum, qui illum exercent, sed etiam esse vtile proximis, ad excitandam eorum deuotionem, & præbendâ eis occasionem, vt in audiendis diuinis laudibus eo tempore occupentur. Considerauit autem subinde esse in Ecclesia sufficientem copiam & abundantiam huius medij ad excitãdos fideles, & ideo propter hunc finem non fuisse in Societate necessariũ. Et hinc additum est in declaratione illius constitutionis (quæ eandem habet cum illa auctoritatem) prudentiæ Societatis relictum esse, quoties ad maiorem animarum fructum expedire censuerit, partem aliquam huius sancti exercitij assumere, vt ea occasione v. g. fideles ad conciones audiendas, & confessiones faciendas frequentius conueniant, meritò id facere posse ea prudentia, & moderatione, quæ prædicto fini inseruiat, & maiora bona non impediat.

V. *Secunda ratio. Domos probationis non esse chori ministerio accommodatas.*

Alterum à nostro Patre consideratum est, actiones quibus Societas incumbit in salutem proximorum tot esse, & tam graues, vt sine magna earum iactura non possit hæc religio in officio diuino decantando occupari. Quod quidem tam est per se notum, vt nulla ferè explicatione indigeat. Faciliùs autem id intelligit, qui per singula membra Societatis, aut omnes status, seu congregationes eorum cogitatione discurrerit. Domus enim probationum ad huiusmodi vsum per se accommodatę non sunt, tum quia si officia hæc per antiquiores, & grauiores non exerceantur, non possunt pro dignitate, & cum debito splendore fieri, tum etiam, quia in vnaquaque religione in illis actibus, & ministerijs oportet nouitios instrui, & exerceri, quæ postea perpetuò debent in eadem religione retineri ac propterea tota probatio nouitiorum Societatis, vt postea lib. 2. cap. 5. videbimus, adeò est intenta eorum instructioni spirituali, & vsui quotidianæ meditationis ac contemplationis, nec non etiam alijs actionibus & operibus exercendis, in quibus humilitas, & abiectio propria, & charitas erga proximum, exercetur, vt ad hæc publica officia conuenienter distrahi non possint. Addebo nam nouitiatus partem in peregrinando, in ministrando, in xenodochijs, ac similibus experientijs extra domos, longèque proinde à choro expleri. Iam verò de collegijs studiorum res est per se euidentior; Nam etiam religiones quæ hoc maximè ministerium chori profitentur, in collegijs specialiter ad studia deputatis ab ea occupatione suos tam magistros, quàm Scholasticos simpliciter abstinere iubent: Nam re vera studia præsertim tam grauia, & multiplicia, qualia sunt illa, quæ Societas profitetur, si seriò, & cum insigni fructu, prout in Societate etiam postulatur, tractanda sunt, totum tempus, totúmque hominem requirunt: & alioqui chori etiam occupatio, si conuenienti modo fieri debet, non parum laboriosa est, magnamque temporis partem requirit. Denique discursus hic ad domos etiam professorum facilè potest applicari. Sunt enim actiones circa proximos, quæ ab illis exercendæ sunt grauissimæ; & alioqui considerare oportet, eas huiusmodi esse, vt *Et possit dicendum* ab studijs & lectione Patrum, vel aliorum doctorum, qui de rebus diuinis, & ad conscientiam pertinentibus differunt, nunquam omnino cessare permittant. Addo insuper quod lib. 8. cap. 1. nu. 4. afferemus, huiusmodi operarijs necessarium esse aliquibus temporibus, & diuturnis, & frequentibus, quantum occupationes permiserint, priuatæ considerationi, meditationi, & contemplationi vacare, quæ ad propria munera cum fructu animarum, peragenda, & augmentum propriæ perfectionis, & ad pericula & incommoda vitanda, quæ in his muneribus intermiscri possunt, multo vtilior est, quam chori, & cantus Ecclesiastici occupatio. Cùm ergo non possent hæc omnia simul coniungi, quia hominem frangerent, & obruerent, & singula imperfectè fierent, iuxta commune prouerbium. *Pluribus intentus minor est ad singula sensus*: meritò Ignatius Societatem hoc onere liberandam putauit.

VI. *Sin sufficiens copia & abundantia ministrorum in Ecclesia, non est necessarium chorum ad finem.*

Nec verò primus fuit Beatus Ignatius, cui Spiritus sanctus eam mentem induxit; multo enim antea eandem doctrinam per antiquos Patres Ecclesiam docuerat. Gregor. enim Papa coram sanctissimo B. Petri corpore cum Episcopis omnibus, ac Romanæ Ecclesiæ presbyteris residens, astantibus Diaconis, & cuncto clero sic dixit. *In sancta Romana Ecclesia, cui diuina dispensatio præesse me voluit, dudum consuetudo est, valde reprehensibilis exorta, vt quidam ad sacri altaris ministerium cantores el gantur, & in diaconatus ordine constituti, modulationi vocis inseruiant, quos ad prædicationis officium, eleemosynarumque studium vacare congruebat.* Et postea statuit, vt talia officia per subdiaconos, vel minores clericos persoluantur, aut cantentur. Ita habetur lib. 4. regiſtri cap. 88. aliàs epist. 44. & in quodam Concilio, quod post 12. lib. regiſtri refertur, & in cap. *in sancta.* d. 92. Quod decretum tractans D. Thom. 2. 2. q. 91. art. 2. ad 3. verba habet ad nostrum institutum valde notanda. *Ad 3.* (inquit) *dicendum, quod nobilior modus est prouocandi homines ad deuotionem per doctrinam, & prædicationem, quam per cantum, & ideo Diaconi, & Prælati, quibus compe-*

competit per prædication. m & doctrinam animos hominum prouocare in Deum, non debent cantibus insistere, ne per hoc à maioribus retrahantur. In quibus verbis ratio potiùs attendenda est, quàm particulares personæ, quæ in eis nominantur. Quod enim sint Prælati, aut Diaconi, materiale quid est (vt sic dicam) formale autem, quod eis ex proprio munere competat officium prædicationis exercendæ, sub quo omnia ministeria comprehenduntur, quibus proximorum salus directè procuratur. Illud etiam ex his testimonijs constat, præferendum esse munus doctrinæ, & prædicationis, psalmodiæ, seu cantui Ecclesiastico, quando vtrumque non potest simul perfectè, & stabiliter exerceri. Denique hinc etiam obseruari potest differentia inter cantum, & prædicationem, quod prædicatio est propria actio Sacerdotum, vel diaconorum: cantus verò per quoslibet inferiores clericos exerceri potest, adde etiam per laicos, si necesse sit, & maximè si sint diuino seruitio mancipati. Et hinc factum est, vt religiones monachorum, quia per se non sunt religiones Sacerdotum, sed laicorum, chori ministerium profiteantur, quia optimè per illos exerceri potest, & est fini eorum accommodatum, scilicet, ad contemplationem; non tamen idem est de omnibus religionibus Sacerdotum; quia Sacerdotis officium non est solùm diuinis officijs, sed maximè saluti hominum procurandæ insistere, vt Gregor. dixit in 3. p. Pastoralis, cap. 4. & Concil. Aquisgran. ca. 8. & sumitur ex multis decretis apud Gratianum 16. quæst. 1. cap. *placuit.* cum similibus. Et ideò licèt religio clericorum, quæ solùm quoad priorem partem eorum ministerium vsurpat, meritò etiam in diuinis officijs publicè & cum cantu versetur; religio tamen Sacerdotum quę totum eorum ministerium, & præcipuè illud, quod ad salutem, & profectum animarum pertinet, profitetur: non poterat conuenienter in choro & cantibus occupari.

Prima obiectio in exactis testimonijs.

Secunda.

Tertia.

VII. *Corollarium primum in quo Soti dictum reprehenditur.*

Ex his ergo satis constat, pessimè dixisse Sotum præcedenti capite num. 1. citatum, religionem sine obligatione dicendi officium diuinum in communi institutam, vix nomen religionis mereri. Nam præterquam quod illud est præter Pontificum approbationem, nullo fundamento nititur; quia vel recitatio officij canonici in communi non est de substantia religionis, vt est per se notum: neque etiam est medium necessarium ad illam sustinendam, vel ad perfectionem assequendam, quia charitas multis alijs modis perfici potest. Et potest aliqua religio habere finem accommodatum, perfectioni charitatis, ad quem medium illud non sit proportionatum. Quomodo D. Thom. dicta q. 188. dixit, posse institui religionem, ad opera vitæ actiuę in operibus misericordię corporalis; vel ad temporalem militiam, ad quos fines medium illud accommodatum non est. Nec Soto affert aliam rationem, nisi quia talis religio maximo splendore religionis careret: quasi verò substantia, & perfectio religionis ex hoc splendore metienda sit: vel non posit etiam saluis operibus virtutum, & præcipuè ex spiritualibus effectibus & beneficijs circa proximos sufficientem, ne dicam maiorem splendorem habere.

VIII. *Corol. 2. non posse imperfectionis argui eo quod chorus careat.*

Secundò sequitur ex dictis, non posse Societatem argui, quòd imperfecto, aut indebito modo instituta sit, eo quòd hoc splendore, seu munere careat, quia (vt rectè dixit D. Th. dict. q. 188. à 7. ad 1.) quando aliquod opus est instrumentum ad perfectionem, non consistit perfectio religionis in tali instrumento, aut in quantitate, vel modo eius absolutè spectatis, sed cum debita proportione ad finem talis religionis. Chorus autem nō est ipsa perfectio, sed instrumentum ad perfectionem, & ideo absolutè non fuit Societati necessarius, & alioqui non erat proportionatum instrumentum ad finem Societatis, & ideo ad perfectam institutionem eius non fuit necessarium, neque conueniens tale medium. Dices. Esto non sit medium proportionatum speciali fini Societatis, esse ferè necessarium ad generalem finem religionis contemplatiuæ, quam non debet excludere finis particularis Societatis, si ipsa perfecta religio est. Vnde eo ipso quòd Societas talem habeat finem proprium, qui medium illud conuenienter non admittat, conuincitur esse imperfecta religio, etiam si intra suos limites cum perfectione instituta sit. Respondeo ad priorem partem negando assumptum; quia sunt multa alia media quibus finis vitæ contemplatiuæ comparari, & exerceri potest, alioqui antiqui monachi, & eremitæ, qui solitariam vitam profitebantur; non fuissent professi perfectam vitam contemplatiuam, quòd planè falsum est: quamuis enim desit publicus, & corporalis cantus, potest laudari Deus vt instruimur Ephes. 5. *in Hymnis & cantibus spiritualibus*, & priuatis. Accedit, quod cantus publicus magis vsurpatur, quia est vtilis Ecclesiæ, ad excitandos homines ad deuotionem, & laudem Dei, quàm quia sit necessarius vel simpliciter, vel moraliter ad propriam & internam perfectionem vitæ contemplatiuæ earum personarum, quæ in huiusmodi exercitio occupantur. Vnde ad alteram partem, negatur etiam assumptum, quia licet finis proprius Societatis hoc medium non requirat, neque cum illo habeat conuenientem proportionem, nihilominus in se perfectissimus est, & secum admittit, imò requirit magnam perfectionem vitæ contemplatiuæ, vt in cap. super. demonstratum est. Denique ostensum est, finem hunc esse omnium perfectissimum, & ideo quicquid cum illo non habuerit conuenientem proportionem, profectò necessarium non est ad religionem simpliciter perfectam, vt ex sequenti illatione magis patebit.

Instantia bipartita.

Soluitur prior pars.

Soluitur posterior.

Tertiò ex dictis infero, ex hoc capite: quod Societas chorum non habeat, inferri non posse esse minùs perfectam alijs illum habentibus. Sicut D. Thom. paulò antè citatus dixit, religionem, quæ maiorem paupertatem profitetur, non esse statim gloriari, quòd alijs simpliciter perfectior sit, sed ad summum secundum quid, quia potest ab alia excedi in his quæ pertinent ad obedientiam, vel continentiam, quæ maiora sunt, & quod in melioribus excedit, est simpliciter melius. Sed quid habet Societas proprium, quo possit bonum illud æquari, ne dum superari? Respondeo ex doctrina eiusdem D. Thomæ, & Gregor. num. 6. citati, functiones illas, quibus directè salus animarum procuratur, non solùm æquare, sed longè excedere bonum illud: ostendimus autem in his functionibus, & in perfectione, & obligatione earum non pauca habere Societatem sibi propria, & nulli alteri religioni ex vi sui instituti conuenientia: ergo ex hoc capite potiùs excedit in eo quod simpliciter melius est. In quo etiam considero hunc excessum non solum esse in his, quæ ad vitam actiuam pertinent, etiamsi functiones illæ huius vitæ actus esse videantur. Nam zelus animarum à quo illæ functiones debent procedere, ad actus vitæ contemplatiuæ pertinet, & est maxima pars perfectionis eius, cùm ad perfectionem charitatis proximi formaliter pertineat, & in perfecta charitate Dei radicatus esse debeat. Est autem hic zelus suo modo proprius, & peculiaris huius instituti, quatenus cum speciali perfectione illum postulat, & intendit. Nam in 1. p. Constit. cap. 3. dicitur: *Hanc Societatem exercendam esse in charitate, & zelo animarum, quo omnia hominum genera complectatur,*

IX. *Corol. 2. Sanctitatem etiam si chorus careat, non esse imperfectionem religionibus illum habentibus.*

Interrogationi quorundā satisfit, ex D. Th. & Greg.

vt eorum seruiat spirituali vtilitati. Et 10.p.§.2.potissima media Societatis ad suum finem esse dicuntur, *probitas & virtus, ac præcipuè charitas, & pura intentio diuini seruitii, & familiaritas cum Deo in spiritualibus deuotionis exercitijs, & zelus syncerus animarum ad gloriam eius, quas creauit, & redemit, quouis alio emolumento posthabito.* Hæc ergo sunt, quæ Societatis vitam etiam quoad partem contemplatiuam maximè perficere possunt, & chori iacturam non solùm supplere, sed etiam superare.

CAPVT IX.

Vtrùm Societas arctam simpliciter, an laxam regulam profiteatur.

I. *Ratio dubitandi.*

VT secundæ obiectioni relictæ in c.7. n.2. radicitus & plenè respondeam, præsentem quæstionem tractare visum est. Quia enim Societas vitam minùs austerā in his quæ ad externā corporis tractationem pertinent, scilicet, in victu, & vestitu assumptisse videtur, ideo calumniatores aliqui in eam obijciunt quòd laxiorem regulam obseruet; quibus ex hactenus dictis non satis respōsum videtur; quia fieri optimè potest vt religio aliqua ex fine suo, & aliquibus ministerijs maiorem quandam dignitatem habeat, & nihilominus sub laxiori regula viuat. Sic ergo religio canonicorum regularium, eo quòd fit religio Sacerdotum, & ad officia, quæ in diuinis mysterijs peraguntur, ordinetur, specialem, ac propriam habet dignitatem. Et nihilominus in cap. *quod Dei timore*, de statu monachor. de illis dicit Innocent. III. quòd *regulæ inseruiunt laxiori.* Hoc autem non videtur alia ratione dictum, nisi quia licèt in cæteris religiosè viuāt, in his, quæ ad corpus pertinent, nullam specialem obseruant asperitatem, sed commodum, licèt temperatum, viuendi modum habent. Ergo eadem ratione dicenda est laxiori regulæ Societas inseruire. Atque hoc aliqui ita exaggerant, vt inde velint persuadere hominibus religionem hanc imperfectissimam esse, eo quòd eius professores delicatè (vt ipsi aiunt) viuant, nihilq; à secularibus discerni videantur.

Dominicus Bannes relectione de charitate.

II. *Discrimen inter austeritatem, pœnitentiam, & arctam regulam.*

Vt ergo calumniam hanc excludamus, & quid rei veritas habeat aperiamus, tria hic distinguenda sunt, scilicet; pœnitentia, austeritas, & arcta regula; sunt enim hæc valdè distincta. Quia austeritas vitæ, prout in præsenti, & iuxta communem modum loquendi sumitur, significat specialem asperitatem in externa ac ordinaria, & communi corporis tractatione, ad quam præcipuè pertinent, quoad victum, abstinentia à carnibus, & erit maior, si sit etiam à lacticinijs, & grauior, quo etiam in quantitate ciborum, & in ieiuniorum frequentia fuerit durior. In vestitu ordinaria austeritas est, non vti lineis internis; erit autem maior quo indumentum fuerit asperius, vel etiam simplicius; atque huc etiam spectat non vti calceis, sed nudis pedibus ambulare. Denique etiam in lecto cernitur hæc asperitas in non vtendo panno lineo sed laneo, vel in alio duriori vsu lecti, vsque ad humicubationem. Pœnitentia verò latiùs patet, nam præter hæc, quæ numerauimus, quæ certè ad pœnitentiam pertinent, potest alijs modis fieri non tantùm animo, sed etiam corpore (ita enim nunc loquimur) per actiones aut res, quæ secretè, & occultè fiunt, licèt in exteriori habitu non appareant. Huiusmodi sunt secretæ, & priuatæ flagellationes, cilicia, extraordinariæ vigiliæ, grauiores labores ex pia causa assumpti, & similia. Rigor autem, seu arctitudo regulæ, non solùm in his rebus, imò nec principaliter in eis consistit, sed subtilius, ac spiritualiùs (vt existimo) pensanda est. Nam, licet arcta regula sufficientem austeritatem, vel pœnitentiam non omittat, principaliter autem consistit in rigorosa trium votorum obseruatione, & in omnibus obseruantijs, quę ad illa per se reducuntur, tanquam media ex se necessaria ad perfectam illorum custodiam, vel tanquam digni fructus illius. Vt v.g. in obseruatione castitatis regula arcta est, quæ non solùm omnem actum, aut motum turpem comprimit, sed etiam omnium sensuum mortificationi inuigilat, & omnia verba, non solùm lasciua, verum etiam quomodocunque vana, & quæ vel remotè possunt puritatem offendere, omnino vetat, prohibet, ac coercet; & sic de alijs. In paupertate multa numerari possent, quæ cap.3.num.5. & 6. tacta sunt, quorum summa est, vt vnica ratio vtendi temporalibus bonis, sit necessitas, & hæc sit omnib. communis; vsus verò sit in omnibus dependens à superioris arbitrio. Maximus verò rigor, & regulę arctitudo esse potest in obedientię obseruantia; nam sicut illa est cæteris excellentior, ita etiam est difficilior, & maiorem abnegationem propriam maioremque omnium affectuum abiurationem postulat. Et hic merito dici potest maximus rigor religiosæ regulæ; nam, vt Gregorius dixit. *Minus vnusquisque est abnegare quod non habet, valdè autem multum est abnegare quod est.*

Quid pœnitentia.

Arctitudo regulæ quid sit.

Pro quæstionis resolutione Prima Conclusio.

Societatem non profiteri definitam austeritatem, aut pœnitentiæ modum pro omnibus sociis communem.

III. Fatemur igitur ingenuè non profiteri, quoad regularem & omnibus propositam obseruantiam, definitum aliquem austeritatis; aut pœnitentiæ modum. ita enim in eius constitutionibus expressè cautum est. Nam in Examine capite 1.§.6. sic dicitur. *Ratio viuendi in exterioribus, iustas ob causas, maius Dei obsequium semper intuendo, communis sit, nequa vllas ordinarias pœnitentias, vel corporis afflictionis exobligatione subeundas habet.* Idemque in alijs constitutionibus declaratur, quas postea referemus, & in bulla, in qua Iulius III. cum maiori declaratione institutum confirmauit, hæc sunt vltima verba in narratione, seu declaratione instituti Pontifici proposita. *In his, quæ ad victum, & vestitum, & cætera exteriora pertinent, honestorum sacerdotum communem, & approbatum vsum sequuntur: vt quod inde profectus que necessitate, vel spiritualis proficius desiderio subtractum fuerit, ex deuotione, & non ex obligatione, rationabile obsequium corporis Deo, prout expediat, offeratur.* Et nihilominus statim subdit Pontifex. *Nihil quod pium, sanctumque non sit, in dicta Societate, eiusque laudabilibus institutis reperiri, eaque omnia ad suorum, & aliorum, Christi fidelium animarum salutem, & fidei exaltationem tendere:* ergo ex sententia Pontificis etiam quoad hanc partem, hoc institutum pium est, & sanctum, & ad prędictum finem egregiè accommodatum, quod nobis superest explicandum.

Secunda Conclusio.

Societatem vti debere pœnitentijs, & afflictionibus corporis, modo in constitutionibus præscripto.

IV. Dico ergo secundò, Societatem ex vi suæ regulæ

Probatur Conclusio ex variis locis constit.

gulæ vti debere pœnitentijs, & afflictionibus corporis, modum tamen vtendi illis prudenti & sapientissima ratione in eius regula esse præscriptum. Vtraque pars ex eisdem constitutionibus probatur. Nam in dict. cap. 1. Exami. §. 6. post verba superiùs citata subditur. *Sed illas* (scilicet pœnitentias, & corporis afflictiones) *assumere quinis poterit quæ sibi videbuntur (cum approbatione superioris) ad maiorem sui spiritus profectum conuenire, & quæ propter eundem finem, superiores eis poterunt imponere.* Circa quæ verba solùm expendo verbum illud, *poterit*, aut *poterunt*. Potuisset enim Beatus Ignatius vti verbo *debebit*, ne tamen videretur obligationem aliquam in conscientia inducere, ab illo verbo abstinuit, in vniuersum enim noluit regulam hanc specialem obligationem in conscientia importare. Si tamen verbum *debendi* non dicat obligationem sub culpa aliqua, sed solùm directionem regulæ ad id, quod perfectius est, & per ipsam regulam consulitur; sic verè possumus dicere, debere Societatis alumnos, ex vi huius regulæ, vti afflictionibus corporis, duobus illis modis in ipsa præscriptis. Debent enim quantum est ex se has pœnitentias desiderare, & petere, & iuxta arbitrium sui superioris illas fideliter exequi. Quod si quispiam in hoc negligens fuerit, debet superior pro ratione sui muneris, quo tenetur subditos ad maiorem profectum spiritualem iuuare, & non defectus punire solummodo, tales pœnitentias iniungere, tunc verò manifestius est debere subditos illas assumere, cùm ad perfectionem tendere ex vi sui status teneantur; atque in hoc sensu, intellecta est hæc regula ab vniuersa Societate, prout ratio ipsa maioris perfectionis postulabat, & perpetua etiam consuetudine, quæ est optima legum interpres, eandem intelligentiam consummauit. Vnde in 6. p. Constitut. cap. 3. §. 1. de professis Societatis agens Beatus Ignatius, cùm dixisset in corporali exercitatione ieiuniorum, vigiliarum, aut aliarum rerum ad austeritatem, vel corporis castigationem spectantium, nullam regulam eis præscribendam esse, nisi quam discreta charitas vnicuique dictauerit, dummodo consulatur confessor, vel superior: subdit, *Hoc tamen dicitur in vniuersum esse quidem animaduertendum, ne nimius huiusmodi rerum vsus tantopere vires corporis debilitet, vt deinde spirituali proximorum auxilio, iuxta nostri instituti rationem non sufficiant: nec contrà, tanta in illis sit relaxatio, vt feruore spiritus refrigescente humani, ac inferiores affectus incalescant.* Et 3. p. cap. 1. §. 12. admonentur omnes, *vt pœnitentias omnes, vel mortificationes, & deuotiones confessori, vel superiori aperiant, nolentes suo proprio sensu duci, voluntate pura optantes ab illis dirigi, sic vbi à rectitudine declinarent*: à rectitudine (inquam) religiosa, id est, (ita enim interpretor) ab eo quod meliùs, & gratius Deo est. Hæc enim debet esse regula etiam in pœnitentijs agendis. Vnde in capite 2. eiusdem 3. part. Constitut. §. 5. dicitur. *Corporis castigatio immoderata esse non debet, nec indiscreta in vigiliis, & abstinentiis, & aliis pœnitentiis internis ac laboribus, quæ ei nocumentum afferre, & maiora bona impedire solent. Ideo suo confessario detegi ab vnoquoque conuenit quidquid in hac parte faciat, qui si indicat excedi mensuram, aut certè dubitat de excessu, illum ad superiorem remittat.* In quibus, & similibus regulis considero maiorem curam Beato Ignatio adhibendi remedia, ne in hac parte excedatur, quàm ne deficiatur: Supponit enim hanc posteriorem curam, & in subditis, vtpote viris spiritualibus, & orationi deditis, non defuturam, & in superioribus debere esse maximam, & ideo cùm excessum vetat, semper significat religiosam curam, se exercendi in operibus pœnitentiæ, & afflictionibus corporis, quantum cum alijs laboribus Societatis coniungi possint, ex vi huius instituti *debitam* esse, in sensu paulò superiùs declarato. Et præterea in 6. p. cap. 2. §. 15. de vestitu in particulari admonet, *vt honestus sit, & ad vsum loci accommodatus, & professioni paupertatis non repugnans, & humilitatis, ac summissionis indicia præbens.* In §. autem 16. *In iis* (ait) *quæ ad rationem victus, somni, ac vsus reliquarum rerum vitæ necessariarum, vel conuenientium spectant, quantus communis illa sit, minimeque diuersa ab eo, quod medicus illius loci in quo viuitur iudicabit, ita vt quod quisque sibi inde subtraxerit, ex deuotione, non ex obligatione subtrahat: habenda tamen semper erit ratio humilitatis, paupertatis, ac spiritualis ædificationis, quæ semper nobis in Domino ob oculos versari debet.*

V.

Quo consilio B. Ignatius certas pœnitentias non præscripserit toti Societati.

Ex his ergo omnibus satis constat, Societatem ex vi suæ regulæ debere operibus pœnitentiæ, & austeritati corporis insistere, magnamque illarum rationem habere, alioqui magnum profectò religionis, ac perfectionis instrumentum Societati deesset; quanuis enim in his afflictionibus corporis sanctitas non consistat, tamen negligendæ nullo modo sunt, quia & ad cordis puritatem purgando priora delicta, præcauendoque sequentia; & ad humilitatem, ad Christi imitationem, ac plures alios spirituales fructus necessariæ sunt. Consilium autem Beati Ignatij fuit, non eandem regulam, aut modum pro omnibus præscribere: quia in tanta varietate personarum, ac habitudinum (vt ipse aliàs dixit) certa regula præscribi nequibat, ideoque prudenti iudicio superioris mensuram vnicuique proportionatam remittit. Quàm verò fuerit hoc consilium prudentiæ, ac sanctitatis plenum, facilè ex antiquis Patribus, & ratione intelligi potest. Basilius enim interrogatione 19. ex fusioribus, quæ erat, *qui modus seruari in continentia debeat*: respondet. *In vitijs quidem animi, vnus continentiæ modus est: summa earum rerum, quæ ad pestiferam voluptatem ferunt, à nobis alienatio, in cibis autem quemadmodum aliis alii necessarii sunt, pro ætate scilicet cuiusque, ac studiis, hique appositè ad corporis cuiusque habitudinem distincti: ita quoque diuersa sunt vsus illorum, modus, ratioque: quo fit, vt nequaquam omnes vni, & eidem regulæ subijci possint.* Et ideo hanc iustam distributionem, seu conuenientem accommodationem Prælato committit, qui prouidere debet, vt nulli desit, quod necessitas petit, neque aliquid immoderatum alicui tribuatur, afferens illud Actor. 4. *Diuidebantur omnia singulis, prout vnicuique opus erat.* Eandem regulam ferè præscribit August. Nam capite 2. regulæ sic inquit; *Distribuatur vnicuique vestrum à Præposito vestro victus, & tegumentum: non tamen omnibus æqualiter, quia non æqualiter præualetis omnes, sed potius vnicuique sicut cuique opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apostolorum, &c.* Et capite 11. *Carnem vestram domate* (inquit) *ieiuniis, & abstinentia escæ, & potus, quantum valetudo permittit.* Hic author sermone 25. ad fratres in eremo, fratres introducit interrogantes. *Nunquid in via nostra semper ieiunare debemus?* Respondet: *O fratres mei, legem recepistis, & auditis frequenter inter cætera, quod carnem vestram dometis abstinentia escæ, & potus, quantum valetudo permittit, nolo enim me ipsum ligare: nolui onera vestra portare, sed hoc solum super vos ponere, vt ieiunetis, & abstineatis quantum Deo fauente potestis.* Denique eiusdem regulæ interpretes, & eiusdem familiæ alumni intellexerunt Augustinum summa discretione pollentem, non præcepisse in regula determinata ieiunia, sed prudenti arbitrio, iuxta vniuscuiusque vires, definienda reliquisse. Vnde idem Augustinus multa, quæ ad similem prudentiam pertinent circa ciborum vsum, in eadem regula prosequitur vsque ad regulam 18. In qua de vestitu sic inquit. *Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere,*

3. p. Const. c. 2. lit. E & sæpè alibi. Prædictum consilium testimonio Patrum suadetur.

Author ser. ad fratr. in eremo. D. August.

Ex eremitis Ambros. Corsolan. in Comm. 11. Ex Canon. reg. Trullo li. 4. in eandē regul. cap. 7.

vere, sed moribus. Benedictus etiam in capite 40. suæ regulæ. *Vnusquisque* (inquit) *proprium donum habet ex Deo, vnus sic, alius verò sic: & ideo cum aliqua scrupulositate à nobis mensura victus, & vestitus aliorum statuitur.* Quæ verba accommodatè ad nostrum propositum exposuit Turrecremat. tractat. 105. in expositione regulæ. Eodem modo Cassianus libro 5. de institutis renuntiantium capite 5. *Super ieunniorum* (inquit) *modo haud potest facile vniformis regula custodiri, quia nec robur vnum sanctis corporibus inest, nec sicut cæteræ virtutis solius rigore parantur*: quod latè prosequitur. Pallad. etiam capite 38. suæ historiæ refert regulam ab Angelo Beato Pachomio reuelatam, cuius vnum caput erat. *Concede vnicuique, vt comedat, & bibat pro ratione virium, & pro viribus comedentium, eis quoque manda opera, quæ proportione conueniant, & respondeant, & nec iunare prohibe, neque comedere, siquidem fortibus fortia opera, imbecillia autem & leuiah si qui imbecilliores sunt, conueniunt.* Denique Eusebius libro 9. de præparat. Euangel. capite 1. de Essenis loquens (quos tractatu 8. diximus, cum Hieronymo, Epiphanio, & alijs in Ecclesia fuisse ex primis religiosis, qui sub Marco Alexandriæ floruerunt) inter alias regulas instituti eorum in præsenti materia, hanc ait seruasse: *Cibus, & potus vitæ necessarius mensuratur.* Non omittam etiam hoc loco verba, quibus sancti cuiusdam iuuenis viuendi rationem Sanctus Chrysostomus refert libro 3. contra vituperatores monast. vitæ post medium: nam Beati Ignatij consilium ad vnguem exprimere videntur. *Et quod est* (ait) *mirabilius, exteriori quid. multum, nihil à cæteris differre videbatur, non enim agrestibus, vel incompti erat moribus, non comæ negligentia, non amictus vilitate nobilis, sed erat communis habitus, voce, aspectu, & cæteris omnibus. Quibus ex rebus factum est, vt facilius plurimos contubernalium intra recta sua concluderet, cùm haberet intrinsecus incredibilem latentem sapientiam. Denique, si quis illum domi videret, vnum ex eis esse putaret, qui montes, & deserta incolunt: domus enim ita illi disposita, & parata erat, vt in nullo monasterii diligentiam desideraret, nihilque necessarij amplius haberet.* Talem Beatus Ignatius totam Societatem formari optabat.

VI. *Ratione idè ostenditur.* Ratio autem generalis est, quæ ex medio temperantiæ, & similium virtutum moralium sumitur. Non est enim, (vt aiunt) medium rei, sed rationis, & ideo non est vnum respectu omnium, sed in vnoquoque consideratur per proportionem ad intentum finem, considerata personæ, seu subiecti qualitate, & alijs circumstantijs. Vnde rectè dixit Gregorius libro 2. registri capite 31. *Cum non plus quam necesse est seruitur corpori, sed sola eius infirmitas reficitur, vt ad vsum exercendæ virtutis habeatur: tunc veraciter ex charitate conuiuia prodiunt. Hæc si vos in vestris conuiuijs agitis, abstinentium facetis magistri estis.* Multa similia latè prosequitur Basilius sermon. de vera virginitate, vbi pro regula circa abstinentiam seruandam ponit, vt tanta sit, quanta ad virtutis acquisitionem confert, & subdit. *Integram se in hac parte atque inuiolabilem, sancta Virgo cauere seruabit, corpusque vt seruire queat animæ, in his quæ sunt necessaria victus moderabitur prudenter, ac reget, neque enim expedit dum nimis obseruat, ne gustus voluptate rapiatur, manantesque ex ventre voluptates, per ciborum abstinentiam frenare pergit, contrà ita corpus atterere, vt inualidum tam, inutilique reddatur.* Quod latè prosequitur, & post multa subiungit. *Sicut in gula intemperantiam declinare graue, apericulosum est ita per nimiam abstinentiam corpus atterere omni profectò ratione caret: neque enim abstinere à voluptatibus gulæ per se expetendum est, sed quia ad virtutis acquisitionem confert. Quod si illud, cuius gratia ciborum abstinentiam elegimus, per immoderatam negligamus mediam contrahi statuimus, agimus: nam fracto, contristoque instrumento, nec Deo inhærere per lectionis, & orationis studium possumus, neque ad fratrum beneficentiam humanitatis officium obire. Ignauo corporis cura necessario habenda est, non ipsius gratia, sed vt seruitio illius ad Philosophiæ studia vti possimus.* Quibus verbis nulla possunt esse aptiora ad mentem, & spiritum Beati Ignatij explicandum. Multaque similia habet idem Basilius in Constitut. monast. capite 5. vbi inter alia hanc regulam constituit. *Continentiæ ventris moderatio ea præstantissima iudicanda est, quam vires corporis cuiusque definiant.* quod latè prosequitur. Alia ad idem confirmandum sumi possunt ex Cassiano collat. 2. capite 2. & ex alijs locis quæ infrà referemus. Non omittam etiam aduertere, quod Caiet. 2.2. quæstione 147. artic. 1. ex mente D. Thomæ obseruauit; regulam temperantiæ esse necessitatem vitæ præsentis, quoad duo, scilicet conuenientem sustentationem naturæ quantum ad esse, & quantum ad potestatem exercendi debita virtutis opera. Vnde *si quis* (inquit) *teneatur ad aliquod opus, vel liberale, puta ad legendum, prædicandum, tantandum: vel mechanicum, puta ædificandum, fodiendum, &c. abstinentia impediens potentiam ad hæc non est actus virtutis.* Quæ sententia ad omnes afflictiones corporis applicari potest. Cùm ergo medium non sit vnum, & idem, in hac materia pro omnibus personis meritò Societatis noluit vnam, & eandem regulam pro omnibus suis subditis æqualiter statuere, sed viuæ regulæ quæ est superior, id commisit. Nec verò propterea improbauit Sanctus Ignatius consuetudinem aliarum religionum, in quibus huiusmodi austeritates per generales regulas statutæ sunt; nam in eis sanctè, & prudenter id fieri potuit: quia licet non ab omnibus æqualiter possint obseruari, possunt tamen à pluribus: ac regulariter possunt hæ pispensationes esse in paucioribus. In Societate autem non ita esse poterat, sed potius oportuisset, generalem regulam, si statuenda esset, minimùm esse moderatam, propter specialem rationem in ea inuentam, quæ à nobis supra in num. 4. est explicata.

VII. *Ratio quid.* Ratio ergo specialis, quæ Beatum Ignatium mouit, vt hunc vitæ modum communem, cum prædicta regula in pœnitentijs, & afflictionibus corporis assumendis in Societate reliquerit, ex fine vnà in eiusdem instituti, qui est animarum salus, desumitur; iam enim in superioribus capite 2. diximus, *eamque sumpsit.* hunc finem ita esse ab hac religione intentum, vt totum religionis pondus, quoad fieri possit, in illum feratur, ac proinde tota ratio viuendi, & ipse etiam modus inquirendi perfectionem propriam huic fini accommodetur. Propter hunc ergo finem primò factum est, vt ratio viuendi Societatis in exterioribus communis sit. In quo voluit Ignatius socios imitari ducem suum Christum, de quo rectè docuit Diuus Thomas 3. p. quæst. 40. art. 1. cum hominibus familiariter conuersatum esse, & in his exterioribus, præsertim quæ ad cibum, & potum pertinent, vitam cum alijs egisse communem, vt finem propter quem principaliter mortalem carnem assumpserat, consequeretur: id est, vt omnes ad se attraheret, ac lucrifaceret, & in hoc sensu concludit idem D. Thom. ibi à 2. non fuisse conueniens, vt Christus in hoc mundo vitam duceret austeram, scilicet, quoad modum cibi, & potus; *Nam conuenientissimum est* (inquit) *vt qui communiter cum aliquibus conuersatur, se eis in conuersatione conformet secundum illud 1. Corint. 9. Omnibus omnia factus sum vt omnes lucrifaciam.* Quam doctrinam ibi nos disputat. 28. sect. 1. & 3. testimonijs diuinæ Scripturæ, & sanctorum Patrum, ac ratione confirmauimus. Quam postea non defuerint, qui eam impugnare studuerint, quia videbant fortasse magnū esse fundamentum eius rei de qua nunc agimus, sed profectò minimè præualere potuerunt contra veritatē, quæ

quæ in Euangelio manifesta est, & quidquid dicant, proferre non possunt Patres, qui aliter de Christi vita sentiant.

VIII. *Quatenus intelligenda sit Christum Dominum communem vitæ egisse.*

Sed in hac re cauenda est magna quædam æquiuocatio, in qua fortè aliqui versantur. Nam dum agimus de communitate vitæ, quantum ad conuersandum cum hominibus, & ad vtendum communi cibo, & potu, transitum faciunt ad vitam laboriosam, ærumnosam, pauperrimam, iniurijs, doloribus, maximisque passionibus, vsque ad mortem, subiectam; & ita concludunt Christum austeram vitam professum esse, & putant se nobis contradicere. Quis autem catholicus, etiam rudis, ignorat Christum Dominum à principio natiuitatis, vsque ad mortem, vitam pauperrimam amplexum esse, adeò, vt ne cùm primùm nasceretur, locum haberet vbi in diuersorio poneretur, præter vile præsepium; & postea dum regnum cœlorum prædicaret, non haberet vbi inclinaret caput suum, ac tandem nudus in cruce finiret vitam? Quis etiam nesciat Christum recenter natum coactum fuisse peregrinari, quod sine magnis laboribus, & incommodis fieri non potuit; & postea, præsertim ex quo tempore prædicare cœpit, multum pro salute hominum laborasse, peditem quoque per varias partes discurrendo, famem, sitim, & æstum sæpiùs sustinuisse, cuius indicium nobis præbuit, quando Ioan. 4. *fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem*, ieiunus vnius animæ, & per illam aliarum multarum conuersionem expectando. Denique omnes norunt Christum Dominum magnos dolores, & afflictiones corporis propter hunc finem exanthlasse; aliquando ab inclementia aeris, & cœli, sæpius autem per hominum iniuriam, quæ omnia tam in citata disput. 28. quàm in multis sequentibus abundè locupletaui. Non ergo de hoc agimus, cùm de vita communi, vel austera disserimus, sed solùm vt vita communis opponitur solitariæ, & non austera dicitur, quoad exteriorem vsum cibi, ac potus, ac vestitus. Potest enim vita esse pauperrima inter homines degendo, & communibus eorum cibis eleemosyna acceptis vtendo. Et similiter potest esse talis vita laboriosa nimis, & iniurijs, & laboribus expositа, vt per se notum est. Dico autem passionibus expositam, quia aliud est agere, aliud pati; illud prius est in potestate hominis, hoc autem posterius minimè, sed ad Dei prouidentiam, vel permissionem spectat; præsertim quando tales passiones, vel iniuriæ ab alijs hominibus sustinendæ sunt. Vnde non est in potestate hominis imitari Christum, in actuali (vt sic dicam) exercitio talium passionum, vel iniuriarum, sed in hoc solùm, vt cùm oportuerit, se illis Deo auxiliante exponat, & propter illa non formidet in alijs operibus ministrare Christo, & consequenter quando Deus illa permiserit, patienter sustinere. Sic ergo manifestum est, ablata verborum ambiguitate, qualem vitæ rationem Christus seruauerit.

IX. *In quibus à Societate communis vita modum, à Christo seruatum imitetur.*

Cùm ergo Societatis finis proximus sit, & similis limus fini Incarnationis Christi, scilicet, animarũ salus, & (vt ita dicam) efficacia redemptionis circa illas; meritò etiam Christum imitata est in hoc modo exteriori vitæ communis. Primò quidem quoad hoc, vt inter homines viuat, & conuersetur, quia non posset alio modo eos lucrari. Vnde etiam religiones monachorum, quæ præsertim à temporibus Sanctorum Dominici, & Francisci, aliqua ex parte officium assumpserunt adiuuandi Episcopos in ministerio animarum (vt Caiet. aliàs dixit) rigorem etiam antiquorum monachorum, qui omnimodam separationem, quoad habitationem obseruabant, vt est apud Basilium regul. 6. fusioribus, temperarunt, in ciuitatibus monasteria construentes, & cum hominibus conuersantes. Quò ergo Societas propensiùs huic muneri incumbit, eò ampliùs cum hominibus conuersatur, quia non solùm in ciuitatibus habitat, & ad se venientes benuolè excipit, sed etiam per vicos, & plateas, eos quærit, & per vniuersum mundum peregrinatur, vt omnes Christo lucretur, in quo & Christum, & Apostolos imitatur. Studet etiam eorum spiritu rectam intentionem, & prudentiam imitari, vt cum aliorum fructu, & fine proprio detrimento tantum opus perficiat. Secundò, ad hoc consequens est, vt etiam Christum imitetur in exteriori ratione vitæ communis, quoad ea, quæ ad cibum, potum, & vestitum pertinent, ex eodem fundamento à D. Thom. constituto, quoniam conuenientissimum est, vt is, qui cum alijs conuersatur, vt eos lucrifaciat, se cum eis in conuersatione conformet; quia sine dubio hoc multum confert ad conciliandos sibi eorum animos, quæ magna est dispositio, vt conuersatio cum illis fructuosa sit, & effectum habeat, si in illomet genere vitæ omnis decentia, vt supponitur, temperantia, & honestas obseruetur. Accedit etiam, quod ad prædictum finem necessarium erat per varias mundi partes discurrere, sæpiùsque peregrinari, imò hæc est gratia huius *vocationis*, vt Gregor. XIII. sæpè citatus dixit, & ideò oportuit homines Societatis, ex vi suæ regulæ, non esse huic, vel illi ciborum generi addictos, sed illam Euangelij regulam Luc. 10. seruare, *Manducate quæ apponuntur vobis*. Neque enim expediebat, aut frequenti dispensatione vti, aut alium domi, alium foris viuendi ritum tenere, aut onerosos esse alijs, inter quos frequenter versari, & ab eis ali deberent.

X. *Non solum in communi vitæ modo, sed etiam in vitæ austeritate Societas Christum imitatur.*

Atque hinc etiam fit, vt sicut Societas in hoc genere vitæ communis Christum imitatur, ita etiam in ea vitæ austeritate, quam ipse amplexus est (vt aduersariorum verbis vtar) ab eiusdem vestigio non recedat. Atque inprimis cum hoc genere vitæ, perfectam paupertatem coniungit; nam vt suprà capite 3. num. 5. tetigi, & infrà libro 4. cap. 7. latiùs dicam, in domibus professorum, paupertatem in particulari, & in communi obseruat: in Collegijs autem studiorum eam retinet, quæ illi tempori, & occupationi maximè est accommodata: & quod caput est, in vsu paupertatis quoad singulas personas maximum rigorem obseruat. In missionibus autem, & peregrinationibus pro animarum salute, quoad fieri possit, emedicatò viuere debet. Deinde in laboribus pro animarum salute suscipiendis plurimum Christum imitatur; nulli enim labori parcere debet, vt illum finem assequatur. Vnde in 4. p. Constit. in declaratione præmij ea ratio redditur, propter quam expedit iuuenes in Societate admittere, qui & vita & moribus ab ea benè instituantur, & conuenienter educentur. Tum (dicitur ibi) *propter magnos labores, quos eius institutum exigit, tum propter magnam sui ipsorum abnegationem*. Atque hinc tandem fit, vt etiam in sustinendis iniurijs, doloribus, aut passionibus Christum etiam imitari debeat, vt luculenter in Examine ca. 4. §. 44. & in 11. regula Summarij proponitur. Nam (vt in fine num. 8. dixi) actualis occasio hęc patiendi non est posita in patientis voluntate; tamen præparatio, & animus ea sustinendi necessarius omnino est eis, qui vitam suam huic ministerio, & labori consecrarunt, quia moraliter fieri non potest, quin quamplures occasiones sese offerant talia patiendi, eis qui pro dignitate Euangelium prædicant, non solùm inter fideles, sed etiam inter paganos, Gentiles, & hæreticos, vt non solùm in Christo, & Apostolis, & in alijs prædicatoribus Euangelicis, sed etiam in ipsa Societate experientia tum præterita, tum præsenti cõpertum est.

Ac propterea in eius constitutionibus sæpè commendatur sui ipsorum abnegatio, & omnium rerum temporalium contemptus, & desiderium patiendi cum Christo, quoniam nihil magis necessarium est ad liberam, & efficacem Euangelij prædicationem: qua de causa dictum existimo in bulla 1. Iulij III. *Non esse aliquos in hac Societate admittendos, nisi post diuturnas, & diligentissimas probationes, quia reverà hoc institutum omnino humiles, & prudentes in Christo, & in Christianæ vitæ puritate, ac literis conspicuos exigit.*

XI. *Obiectio.* At verò, dicet aliquis, esto expediens fuerit, Societatem in externo habitu, & in frequenti vsu ciborum mediocritatem, & communitatem quandam tenere: hoc tamen non impedire quin in interiori habitu, aut lectis, maiorem aliquam asperitatem, & in ieiunijs aliquam peculiarem obseruantiam ex vi regulæ habuerit præscriptam. Nam & Christus Dominus licèt ordinariè dictum vitæ modum obseruauerit, aliquando quadraginta diebus ieiunauit, vt eius rei nobis exemplum præberet; & similiter in suo habitu asperitatem aliquam seruasse credendus est, cùm de Ioanne loquens dixerit Matth. 11. *Quem existis videre, hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* vnde multi credunt tunicam inconsutilem, super quam milites sortiti sunt, non lineam, sed laneam fuisse; & alij opinantur Christum Dominum nudis pedibus ambulasse.

XII. *Pro obiectionis solutione additur secunda ratio prædictæ cõstitutionis.* Possemus ex ratione facta eam cum proportione applicando huic obiectioni satisfacere. Vt tamen res euidentior fiat addamus secundam, quam existimamus multum mouisse Beatum Ignatium, vt prædictam viuendi regulam suis reliquerit: & Summi Pontifices illam approbarint. Illa autem est, quia considerato fine huius religionis, necessarium erat socios omnes in maximis laboribus tam mentis, quàm corporis perpetuò versari, ideoq; ad eundem finem consequendum, necessarium futurum esse afflictiones corporis ita moderari, vt laboribus illis sustinendis possint sufficere, ne Societas suo fine fruſtraretur, & curandis ægris, potiùs quàm proximis iuuandis instituta videretur. Quod præsentiens, ac timens Beatus Ignatius, non solùm in afflictionibus corporis, sed etiam in ipsismet laboribus moderationem sæpiùs commendat: intellexit ergo, si ieiuniorum, aut aliarum austeritatum generalem aliquam regulam statuere vellet, necessariò futuram fuisse moderatissimam, quia generalis rigor in rebus corporalibus, cum tanta varietate actionum, & laborum, primùm in studijs, & postea in ministerijs etiam erga proximos, non poterat ab omnibus sustineri, sine magno periculo, ac dispendio salutis, & consequenter cum impedimento maiorum bonorum, quæ ad Dei gloriam, & animarum profectum magis conferunt. Melius autem iudicauit pro regula relinquere, & vniuscuiusque affectum, & facultatem, & Superioris prouidẽtiam, ac prudentiam, quam generalem regulam multùm moderatam proponere. Nam hac semel constituta omnes contenti essent illam implendo, etiamsi fortasse, & viribus corporis potentiores essent, & maiori pœnitentiæ exercitio ad suum profectum indigerent. E conuerso verò alij, qui fortè etiam ad illam moderationem sufficientes vires non haberent, vel eandem seruare regulam, vel ex dispensatione viuere cogerentur. Quorum prius detrimentum, posterius verò tristitiam, & anxietatem animi afferre solet.

XIII. *Vtilitates, quæ ex huiusmodi constitutione sequuntur.* Plures ergo vtilitates sperauit Beatus Ignatius futuras in Societate ex huiusmodi regula, quas successores eius per Dei gratiam experti sunt. Prima est, quod pœnitentia Societatis non tantùm pœnitentia est, sed etiam obedientia & humilitas: nam hæ duæ virtutes maximè exercentur, dum aliquis Superiori suo aperit, quicquid in hoc genere, & facit, & desiderat, & eius arbitrio se conformat, vel moderando, vel augendo pœnitentiæ opera, iuxta superioris voluntatem. Quod fuit consilium omnium antiquorum Patrum spiritualium, vt videre licet in Basilio in Constit. monast. capite 20. & regul. 45. ex fusiùs disputatis. Cassian. collat. 4. cap. 20. Benedict. in capite 49. suæ regulæ, vbi habet illa verba notanda. *Quod vnusquisque offerre voluerit* (scilicet voluntariæ abstinentiæ, &c.) *Abbati manifestet, & cum eius benedictione, & voluntate faciat: nam quod sine licentia Patris spiritualis fit, præsumptioni, & vanæ gloriæ tribuitur, non mercedi.* Et de eadem re videri potest Bernard. sermon. 7. in Cant. Secunda vtilitas est, quia hoc modo vniuscuiusque vtilitati corporali, & spirituali melius prouideri potest. Nam constitutio scripta complecti non potest, quæ vnumquẽque sigillatim attingunt, vt dixit Basilius suprà, & in constitut. monast. cap. 5. vbi materiam hanc latè, & eleganter prosequitur; & ideo licet ex alijs circumstantijs præstet legibus scriptis, quàm iudicijs hominum gubernari homines, vt communiter traditur cum D. Thom. 1.2. quæst. 95. art. 1. attamen ex suo genere melior est animata regula, quam inanimata, vt dicitur in Authent. de Consulibus §. *Omnibus.* ad finem. & indicat Aristot. 3. polit. cap. 11. & melius 5. Ethic. capite 4. præsertim vbi animata regula facilè conueniri potest, & vbi magnum periculum imminet, si pro omnibus vna regula ſignetur; & maius, si vnuiuscuiusque arbitrio negotium relinquatur. Vnde Abbas Plato (vt apud Palladium in historia Sanctorum refert S. Theodorus in eius vita) sic aiebat. *Corporis afflictiones, humi cubationes, vigiliæ, & huiusmodi, per se laudabilia esse concedat aliquis, sed nihil tamen expedit, imò verò & ruina causam illam esse affirmamus, qui suo arbitrio in his faciendis vtitur, nisi is qui præest, ductu, & regula dirigatur.*

XIV. Tertio hinc factum credimus, vt cum effectu maius fit in Societate pœnitentiæ exercitiũ, quàm si certa aliqua regula fuisset præscripta, quæ finis eius, & tantæ personarum varietati esset proportionata: Nam tunc, vt num. 12. dicebam, omnes essent illa regula contenti, quæ necessariò deberet esse moderata, vt ostendi: nunc autem, omnes appetunt (regulariter loquor) facere quantum possunt, & plures etiam plusquàm possunt, superior autem, vel confessor singulorum desideria moderatur. Vnde etiam fit, vt apud Deum longè maior sit pœnitentia, quàm exterius appareat, quod non parum etiam ad nostram humilitatem iuuat, vt infrà iterum attingam. Possem autem vtilitatem hanc ex affectu ipso ostendere, recensendo variæ pœnitentiæ opera, quæ prædicto modo generali quidem consuetudine, iusto verbo, accommodatæ distributione in Societate fit, qualia sunt cilicia, non crebræ solùm flagellationes secretæ, sed publicæ etiam multorum simul, in refectorio, præcipuis quibusque festis Christi Domini, B. Virginis, Apostolorum, ac eorum quos alij, atque alij præcipua veneratione colunt, patronosque deligunt; item vigiliæ, ieiunia & similia. Veruntamen hæc omitto, quia hominibus bene affectis vel nota sunt, vel per se credibilia: malè autem affectis difficilè creduntur, maximè cùm sint secreta. Duo solùm adnerto: vnum est, quia inter prædicta opera, ieiunia sunt magis publica, & quæ non possunt nisi in conspectu communitatis fieri: ideo specialiter cautum esse in prima congregatione generali, vt Præpositi, & Rectores curam habeant admonendi alios, ad singularitatem non pertinere, si quis ieiunet alijs non ieiunantibus. In quo supponitur ieiunia particularia & priuata debere esse in vsu pro vniuscuiusq; deuotione, habita ratione viriũ, & laboris iudicio Superioris,

rioris, vt reipsa sunt, iis maximè diebus, quibus per hebdomadam ex præcepto Ecclesiæ à carnibus abstinetur citra ieiunium. Aliud est in partem nō modicam pœnitentiæ computari, inprimis quoad cibum, & potum, non solùm contentos esse communi quantitate, & qualitate ciborum pro omnibus designata, quæ iuxta consuetudinem religionis vix credi ab aliis potest, quàm sit moderata; verum etiam illa vti cum magna temperantia, & sobrietate, & præsertim, nihil priuatim possidere, aut in propriis cellis habere, quo possint aliquando, vel necessitati occurrenti subuenire, vel insurgenti desiderio consentire, quam tanquam regulam perfectæ abstinentiæ posuerunt antiqui Patres; & specialiter videri potest Cassian. lib. 5. de institutis ieiunātium cap. 8. & 9. & Basil. in Constit. monast. cap. 5. & optimè in 26. Et eadem proportione de vestitu, & vsu aliarum rerum iudicium ferendum est. Tandem pro maxima vtilitate reputatur, quod religiosi ordinariè viuere possint, & suis laboriosis muneribus inseruire, sine frequenti dispensatione, quæ sine dubio occasio esse solet, & obmurmurationis, & relaxationis. Propter quod etiam in Concilio Tridentino cautum est, vt frequentes legum dispensationes vitentur, quoad fieri possit, maximè verò id vitandum venit, si pro tota vita, à totius communitatis rigore sint aliqui eximendi ob rationem (vt aiunt) statūs magisterij, iubilationis, cōcionatoris ordinis, &c. Propter has ergo, & alias causas non vna pœnitentiæ regula pro omnibus posita est, sed illa solùm, quæ ad temperantiam, honestatem, decentiam, & paupertatem, sufficiant, has enim conditiones sæpe in constitutionibus suis obseruat D. Ignatius, vt patet 3. p. cap. 2. & 6. p. cap. 2. §. 15. *Pœnitentia.*

Quarta vtilitas.

XV. *Exemplo in obiectione adducto de Christi ieiunio satisfit.*

Ad exemplum autem illud, quod in eadem obiectione n. 11 de ieiunio Christi Domini afferebatur, respondet Basil. dict. cap. 5. Constit. monast. in fine, vbi cum ferè totam doctrinam à nobis positam latè tradidisset, eodem modo sibi obiicit, dicens. *At, & diuturnam Dominus inediam pertulit, dixerit; idem fecit Moyses, idem Elias propheta.* Respondet. *At enim illud tu quoque animaduerto, Dominum, itemque Moysem, & Eliam, hoc semel tantùm fecisse; reliquo autem toto vitæ tempore, quod in regendo corpore eam, quam par erat, perpetuo disciplinæ moderationem adhibuerint, idque otio languere nunquam siuerint, sed vsque in laboribus, assiduisque exercitationibus continuerint sicque auxiliari operæ corporis, animi virtutes illustriores reddiderunt, dum omnibus suis partibus absoluendæ spiritu eli suæ conuersationi operatoriam eiusmodi, & actiuam vitam, ceu sigillum ac clausulam adiecerunt.* Vbi Scholiastes in margine adnotauit, Basilium loqui de actiua vita, quæ ex plenitudine contemplationis deriuatur, vt est spiritualis doctrina; quam dicit esse consummationem perfectionis; & ad hanc pertinere ita moderari corpus, vt illi possit inseruire. Atque huius rei exemplum dedisse Christum in ordinario cursu vitæ suæ, licèt semel extraordinarium etiam ieiunium seruauerit. Vnde D. Thom. 3. p. q. 40. art. 2. ad 1. *Vtraque* (inquit) *vita est licita, & laudabilis, vt scilicet aliquis à communi hominum consortio segregatus abstinentiam seruet, & vt in Societate aliorum positus communi vita vtatur; & ideo Dominus voluit vtriusque vitæ exemplum dare hominibus.* Fortasse etiam voluit illo exēplo docere, prædicatores, & ministros Euangelij oportere aliquoties à communi vita segregari, & per aliqua temporis spatia seriùs & frequentius contemplationi vacare; & corpus maioribus ieiuniis, vigiliis, & aliis modis affligere. In quo etiam Societas ipsum maximè imitatur per vsum spiritualium exercitiorum, quæ vel semel, vel sæpius in anno ferè ab omnibus per hebdomadam, vel plures dies fieri solent, cum frequentiori vsu ieiuniorum, & aliarum corporalium afflictionū, quę ad maiorem deuotionem, ac longiorem solito diuinarum rerum meditationem, & contemplationē possint deseruire. Quam tandem consuetudinem 6. generalis congregatio suo decreto stabiliuit, vt lib. 8. c. 1. in fine afferemus.

Ad aliam verò partem in eodem n. 11. respondetur verba illa Christi Domini, *Qui mollibus vestiuntur, &c.* in eos dicta esse, qui delicias in vestibus quærūt, non verò ad eos transferri possunt, qui (iuxta consilium Apostoli 1. Tim. 6.) habentes alimenta, & quibus tegantur, his contenti sint. Neque enim amplius habere censendi sunt, qui licet habitu nimirum austero non vtantur, nihil tamen aliud in eo, quàm decentiam, honestatem, & commoditatem suo statui, hoc est, religioso clericatui necessariam quærunt. Hanc autem regulam seruari voluit B. Ignatius in vestitu Societatis, vt suprà in cap. 5. notatum est. Vnde licet ex priori ratione, quę sumpta est ex communi vita, & conuersatione cum proximis, prout suprà disseruimus, solùm videatur concludi vtilem fuisse cōmunem habitum clericorum, quātum ad ea, quæ exterius apparent; tamen ex ratione 2. n. 12. addita, quæ respicit necessitatem virium, & salutis corporis ad sustinendos labores Societatis; idem à fortiori concluditur de vsu internarum vestium. Eo vel maximè, quòd nullæ ferè adeo interiores lateant, quin exterius appareant; & inter eas etiam est seruanda proportio, & decentia, ad quam multum pertinet munditia, maximè in his personis, quæ cum aliis familiariter conuersaturæ sunt. Vnde de omnibus clericis dixit Hieron. epistol. 2. ad Nepotianum, *Ornatus, & sordes pari modo fugiendæ sunt: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Quibus etiam ait, non ornentur veste, sed moribus.* & similia habet epist. 22. ad Eustochium. Cuius authoritate hoc ipsum confirmat Concil. Senonens. 2. p. de moribus. c. 24. & Concil. Colonien. p. 5. cap. 26. Et idem habet Concil. Mediolan. sub Cardinali Borromeo p. 2. cap. de clericorum vestitu. Et de B. Augustin. refert Possidon. in vita eius. ca. 22. vestimenta illius, nec nitida nimium, neque abiecta plurimum, sed ex moderato, & competenti habitu fuisse. De qua etiam re nōnulla in superioribus diximus in cap. 5. Propter hāc ergo exteriorem decentiam, & munditiam (quam certè solitariis superuacaneam censuit Hilarion, nisi fortè de curiosa, ac mundum redolente locutus est) necessarium etiam fuit Societatem hoc genere vestimenti vti, cùm illud propriam perfectionem non impediat, & vtile sit vt faciliorem, magisq; gratum possit habere aditum ad omnes homines cuiuscunque ordinis sint, lucrandos, & familiariter tractandos, quantum eorum saluti expediat. Porro autem dictis in tota hac 2. assertione minimè aduersatur obseruari in Societate iuxta regulam 5. ex communibus, abstinentiam sextę feriæ per annum, statutumque fuisse in 7. congregatione can. 2. vt in peruigilio S. Patris nostri Ignatij ieiunium seruetur. Hæc enim magis ad cultum ac memoriam passionis Christi Domini, & fundatoris nostri referuntur, quàm ad statam, communemque toti religioni pœnitentiam indicendam. Quod etiam de illa abstinentia ab omni recreatione, quam eadem Congregatio in can. 8. pro triduo passionis Christi piè introduxit, accipiendum est.

XVI. *Respondetur ad verba Christi, qui mollibus, &c.*

Tertia Conclusio.

Societatis regulam valde strictam esse.

Tertiò dicendum est, religionem Societatis sub regula valdè stricta, & rigorosa Deo inseruire. Hoc facilè demonstrabitur ex dictis, si declaratio terminorum suprà num. 2. posita præ oculis habeatur: Nam regula non dicitur aręta, vel laxa, propter

XVII. *Suadetur ex dictis.*

corporales afflictiones maiores, aut minores (quãuis hoc etiam adiuuet) sed præcipuè propter maiorem rigorem, & obseruantiam in omnibus operibus virtutum, & consiliorum, & tanto erit maior arctitudo, quanto fuerit maior obseruantia in his, quæ maioris momenti, & perfectionis sunt. Constat autem euidenter, regulam Societatis circa consilium obedientiæ, quod est omnium maximum, esse arctissimum, quia descendit vsque ad minima, cum maxima dependentia, & subordinatione ad Superiorem; & se extendit vsque ad maxima cum summa promptitudine, & totius hominis abnegatione; qua de re late in lib. 4. c. 12. & 13. & qui huiusmodi obedientiam non obseruat, reuerà huic regulæ plene nõ satisfacit; ergo. In vsu etiam paupertatis maximam quandam perfectionem requirit, vt in superioribus satis tactum est, & citato lib. 4. c. 8. & 9. tractabitur. In castitate verò rigor consistit in summa vigilantia vitandi omnia, quæ vel minimum possunt ea lædere. Quàm verò sit exacta hæc cura, tam in regulis, quàm in vsu Societatis, notissimum est; nam aliquibus potius videtur nimia, cõsiderato autem fine, & ministeriis Societatis, nimia quidem non est, non tamen potest non esse maxima, & valde rigorosa, si Societas debet in sua puritate conseruari, vt per diuinam gratiam hactenus conseruatur; qui effectus satis probat regulam eius in hac parte esse arctissimam. His accedit, quòd ex vi regulæ Societatis, tam in Constitutionibus, quàm in regulis communibus, & particularibus contentæ, necesse est, vt qui perfectè ad illam se conformare voluerit, strenue vigilet in custodia omnium sensuum, & circunspectione verborum, & in abnegatione propriæ voluntatis, & mortificatione omnium affectuum, præsertim ambitionis, & elationis; quæ omnia non solum corpus, sed etiam spiritum valde constringunt, & non parum interdum affligunt: præsertim, quia hæc cura licet singulis voluntaria esse debeat, eisque præcipuè demandata sit, non tamen illis solis, sed etiam superioribus ex vi suarum regularum, vt si qui in toto hoc negotio propriæ mortificationis negligentes, ac remissi sint, eos excitent, & exerceant. Si igitur hæc omnia attentè considerentur, & multa alia, quę ex ordinariis laboribus, & exercitiis Societatis tam internis, quàm externis adiunguntur; nemo qui ea satis percipiat dubitabit, quin huius religionis institutum satis arctum, & rigorosum sit.

3. p. Const. c. 1. § 4. & aliis locis supra indicatis

XVIII. Atque hinc seruata proportione inferre possumus illa duo, quæ in cap. superiori num. 8. & 9. intulimus. Vnum est, institutum hoc non posse in se iudicari imperfectum, aut minus prudenter ordinatum, eo quòd ex regula certam corporis austeritatem, aut afflictionem non profiteatur, sed vitam quandam in exterioribus communem, seueram tamen, moderatam, ac honestam. Probatur eodem discursu, quem suprà fecimus; nam hæ corporis afflictiones non sunt ita per se bonę, vt in eis consistat perfectio, sed vt sint instrumenta perfectionis acquirendæ, vt D. Th. docuit q. 188. art. 6. ad 3. & est doctrina omnium Patrum Augustini, quem D. Thom. citat 2. q. Euang. q. 11. & Gratian. in cap. *quod dicit.* 41. d. Basilij citatis locis, præsertim in constit. monast. cap. 5. & serm. de seruanda virginitate. Cassian. & Patrum quos refert collat. 1. c. 7. collat. 2. c. 2. & collat. 21. c. 13. 14. & 15. Et idem sumitur ex lib. 1. de institutis c. 11. & toto lib. 5. Igitur si considerato fine (eoque perfectissimo) religionis, maior asperitas ex vi regulæ non est non solùm necessaria, verum nec cõueniens, non potest religio in se imperfecta, aut minus bene instituta iudicari, eo quòd illo medio nõ vtatur nisi cum moderatione, & discretione suo illi fini accommodato. Demonstratum autem est cõsiderato fine Societatis & laboribus eius, illud medium non fuisse illi conueniens, in alio gradu, aut modo; ergo ex eo capite nõ habet imperfectionem priuatiuam, vt superiori c. n. 2. loquebamur. Quod si vlterius addamus finem, & labores huius religionis adeo perfectos esse ex suo genere, vt austeritati corporis præferendi sint, quatenus hi cum illa coniungi non possunt, iuxta illud Pauli 1. ad Timoth. 4. *Exercitatio corporalis ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia.* Quem locum ad hoc propositum adiunctis multis Patrum testimoniis tractaui in tom. 2. 3. p. disput. 28. sect. 3. Si hoc (inquam) addamus, vlterius etiam concludemus, nec negatiuam imperfectionẽ illam dici posse in tali religione, quia illa nõ est perfectio simpliciter simplex in hoc genere, ita vt formaliter sit necessaria ad perfectionem religionis vt sic; potest siquidem eminenter contineri in aliis laboribus, & afflictionibus maioris momenti, & suppleri per desiderium exterioris pœnitentiæ grauioris, ex magno affectu interioris pœnitentiæ, præsertimque per voluntatis abnegationem, in qua religiosi perfectio consistit, vt dixit Ioannes Climacus in gradu primo perfectionis. & Bonau. in speculo disciplinæ p. 1. cap. 4. Aduertant autem religiosi Societatis, nos hic loqui de instituto ipso, non de singulis personis; nam singuli imperfecti erunt, si quãtum in ipsis est, afflictionibus corporis sibi proportionatis non vtantur; neque erit eis sufficiens excusatio, quòd in aliis laboribus studiorum, aut aliorum operum pietatis versentur, vel quod aliæ abnegationes, & internæ mortificationes ab ipsis exerceantur; & custodiæ sensuum cura, vigiliaque occupentur; nam hæc omnia, non excusant ab vsu pœnitentiæ exterioris, cum omni austeritate, quæ arbitrio Superioris possit prudenter cum illo alio grauiori onere coniungi; hoc enim non solùm ipsa ratio per se maioris perfectionis, maiorisque cum Christo, & Sanctis conformitatis, verùm etiã propria regula Societatis illa à nobis figillatim requirit, vt explicatum est, declaratque amplius potest exemplo paupertatis, quam collegia Societatis in communi nõ habent, cum tamen singuli scholares habeant: sic ergo in communitate Societatis regula definitæ pœnitentiæ non datur; quisque autem ex regula tenetur sibi conuenientem cum superioris nutu, aut iussu assumere, contra quam etiam regulam faciet Superior, qui subdito ea in re non prospexerit. XIX.

Aliud corollariũ huic simile est, propter hoc genus vitę, non posse religionem hanc iudicari minus perfectam quacunque alia, à qua in exteriori vitæ austeritate, ex vi regulæ excedatur: sicut D. Thom. dixit de excessu in paupertate, & nos ostendimus de excessu in vsu chori, in citato num. 5. superioris cap. Eadẽ enim ratio hic omnino applicari potest, quia ille excessus non est in re simpliciter necessaria ad perfectionem, neque in re omnium optima. Oportet ergo pensare an religio illa, quæ in austeritate excedit, in aliquo alio bono excedatur, vt in perfectione obedientiæ, contemptu honorum, & dignitatum, laboribus circa salutem proximi, & exercitatione, ac professione perfectarum, solidarumque virtutum, vel alia simili; & deinde oportebit expendere, quod illorum bonorum magis ponderet, & tunc legitimè fiet comparatio, quam tamen facere, vt sæpe dixi, meum non est. XX.

Vltimò ex dictis facilis est responsio ad secundã obiectionem cap. 7. num. 2. relictam, & ad rationem dubitandi in principio huius c. propositam. Nam inprimis distinguimus austeritatem corporalem à rigore, vel arctitudine religionis, quæ non immeritò dici potest spiritualis austeritas, & quãtò prior in Societate non emineat, posteriorem ostendimus esse magnam, eamque per se ad perfectionem religionis pertinere. Deinde fatemur antiquas religiones

nes in maiori austeritate corporali fuisse fundatas, quantum ad ea, quæ pro toto corpore religionis per generales regulas designabantur, id verò ortum est ex diuersitate finis, studiorum, actionum ac laborum; & ideo hæc diuersitas non est contrarietas, sed potius conformitas proportionata. Quoad vsum autem, & exercitium earundem, vel æquiualentium austeritatum, & afflictionum corporis ortum etiam ex vi regulæ, licèt diuerso modo propositæ, fortasse non est magna diuersitas; & si qua est, aliis muneribus compensatur, vt satis explicatum est. Denique addere possumus primam, & antiquissimam religionum fuisse religionem Apostolorum, quæ quia non fuit instituta ad vitam quietam, vel solitariam, aut otiosam, vt Augustinus loquitur, nec vt membra eius in vno loco consisterent; sed per vniuersum mundum discurrerent, ideo non legitur fuisse fundata in certa, aut vniformi austeritatis regula, præter tria substantialia religionis vota, cum maxima eorum perfectione in ordine ad illum finem, qui Actor. 6. illis verbis exprimitur: *Nos vero orationi, & ministerio verbi instantes erimus.* Vnde licèt certum sit Apostolos castigasse corpora sua, & in seruitutem redegisse, modus tamen non est certus, nec vnus & idem pro omnibus fuit definitus, sed vnusquisque, quod prudenti arbitrio suo muneri iuxta proportionem virium, & actionum expedire iudicabat, egisse creditur. Nam de Iacobo fratre Domini refert Eusebius lib. 2. histor. c. 24. ex Hegesippo, nunquam induisse laneam vestem, sed sola syndone linea vsum: alij verò hoc non obseruarunt, & ita est de aliis rebus ad vsum corporis accommodatis. Illud ergo institutum suo modo imitatur Societas, eiusque alumni conari debent, vt, quoad possint, Apostolos imitentur. Hoc, inter alia, obseruato discrimine, quòd Apostoli in huiusmodi rebus, ab Spiritu sancto proximè, & specialissimè regebantur: nobis autem Superioris iudicium, & voluntas pro regula proposita est.

INDEX CAPITVM LIBRI SECVNDI.

De ingressu in Societatem, & probatione, tum quæ illum antecedit, tum etiam quæ sequitur.

Cap. I. *Rectene instituta sint aliqua impedimenta substantialiter impedientia ingressum in religionem Societatis, & quænam illa sint?*

II. *De quodam alio impedimento ex defectu originis.*

III. *De impedimentis accidentalibus, seu quæ conditiones seruandæ sint, quæve probatio antecedere debeat, vt aliquis conuenienter in Societatem IESV recipiatur.*

IV. *An biennium ingressis iam Societatem pro secunda probatione, seu Nouitiatu conuenienter sit assignatum?*

V. *De experientijs huius secundæ probationis in Societate IESV.*

LIBER

LIBER SECVNDVS.

De ingressu in Societatem, & probatione, & quæ illum antecedit, & quæ subsequitur.

EXplicato Societatis instituto, vt rationem omniũ, quæ in ipso sunt, distinctius tradamus, necesse est ex illa generalitate ad particularia descendere, quod faciemus seruato illo ordine, quem in superioribus disputãdo de statu religioso in genere tenuimus, quamuis quia in Societate plures sunt personarum differentiæ, & gradus, quàm in aliis religionibus, vt notatum est lib.1.cap.1.num.3.& latiùs cap.3.nu.12. ideo per illos omnes discurrere necessariũ erit. Incipimus ergo à primo ingressu, de quo ante omnia supponenda sunt, quæ in communi de ingressu religionis in tom. superiori sunt dicta: nam in illis ferè conuenit Societas cum aliis religionibus, præter quædam specialia, quæ ex proprio instituto illi conueniunt: ex quibus quædam dici possunt substantialia, id est, necessaria ad valorem ingressus, quædam verò accidentaria, quia nimirum seruari debent, vt receptio rectè fiat, quamuis si emittantur, valida sit, & vtraque sunt à nobis explicanda.

CAPVT I.

Vtrum recte instituta sint aliqua impedimenta, quæ substantialiter impediant Societatis ingressum, & quæ illa sint.

I. *In instituto Societatis haberi impedimenta ad ingressum.*

INter Societatis ordinationes, seu regulas, primũ locum tenent illæ, quæ ad dirigendum modum recipiendi eos, qui ad Societatem aggregandi sunt, traduntur; & continentur præcipuè in opusculo, seu tractatu, quod *Generale examen* vocatur, quia iuxta illud examinantur, qui in Societatem sunt recipiendi, & illis etiam est ante omnia proponendum, vt ipsi quoque de suo ingressu maiori cum luce deliberent. Aliqua etiam adduntur in 1.p. Constit. c.2. & 3.& p.10. §. 7. in quibus locis quædam traduntur documenta generalia, quæ quia non ita videtur de substantia actus, nisi fortè, prout in aliquibus conditionibus particularibus includuntur, ideo in c.3. melius attingentur; nunc enim solùm de impedimentis necessariis dicẽdum est. Hæc igitur quinque proponuntur in cap.2. Examinis. Primum est, *recessisse à gremio Ecclesiæ fidem abnegando, vel sic in errores contra ipsam incurrendo, vt damnatus ob aliquam propositionem hæreticam quispiam fuerit, vel vt suspectus de hæresi, per sententiam publicam declaratus, vel si infamis, ob excommunicationem tanquam schismaticus, spreta authoritate sanctæ Matris Ecclesiæ exiterit.* Secundum impedimentum est, *homicidium perpetrasse, vel publicè infamem propter enormia peccata fuisse.* Tertium est, *habitum suscepisse alicuius religionis fratrum, vel sororum, vitam aliquandiu in obedientia cum eis agendo, siue emissa, siue non emissa professione; vel eremitam cũ vestibus monachalibus fuisse.* Quartum est, *vinculo matrimonij consummati, vel seruitutis legitimæ ligatum esse.* Quintum est; *infirmitatem pati, vnde obscurari, vel parum sanum iudicium eius reddi soleat, vel dispositionem notabilem ad huiusmodi infirmitatem habere.* Circa quæ non desunt obiectiones, & difficultates, quas melius expediemus discurrendo per singula, eorum sensum, & rationem reddendo; postea verò quantum & quomodo impediant explicabimus, ac tandem quid in hac parte à Societate adiectum sit, indicabimus sequenti capite.

De primo impedimento.

Circa primum ergo, quantum ad sensum eius attinet, vnum est certum, scilicet, quando delicta ibi numerata publica sunt, modo in eadem constitutione declarato, tunc omnino impedire, ac meritò; propter grauissimam infamiam, quæ & in Societatem redundaret, & talem personam ineptam, & inefficacem redderet ad Societatis ministeria. Cùm verò dupliciter contingat esse publicum delictum, scilicet, vel notitia facti, vel iuris, in prædicta constitutione requiri videtur notitia publica iuridica, qualis per sententiam condemnatoriam, seu declaratoriam criminis confertur. Et ideo dubitari potest, an huiusmodi delictum, si ad eum statum non peruenit, non impediat, etiamsi alias factum ipsum publicum sit, & multò minùs si sit occultum. II. *Delicta publica impedimento, si occulta non.*

Ad hoc autem explicandum quatuor delicta, seu gradus delictorum in ea clausula attinguntur, scilicet, apostasia à fide; error circa aliquam propositionem hæreticam; suspicio hæresis, & schisma, spreta authoritate, ac prouidentia Ecclesiæ. In secundo gradu manifestè postulatur, vt sententia intercedat, qua damnetur persona propter talem errorem. Vnde quantumuis aliquis in similem casum incidisset, & idem multis notus sit, videri posset, ex vilius, nõ reddi inhabilem personam ad Societatem, quia in hac lege hoc non exprimitur, & non est amplianda, cùm in hac parte odiosa sit. Sed hoc dubiũ sublatum est in 1.p. Constit. cap.3. lit. A. vbi dicitur sufficere errorem esse publicum, & quod timeretur in iudicio posse conueniri; cuius rei iudicium Præposito Generali relinquitur. Ibi verò non dicitur in eo casu recipi non posse, sed non debere, & ideo sola notitia publica sine sententia, non videtur facere impedimentum irritans, sed tantũ impediens. Aduertendum est enim vlterius in hoc secundo genere delicti, non requiri vt quis sit hæreticus & verè contumax, sed satis est quòd errores contra catholicam doctrinam protulerit, & ideo meritò postulari, vt per sententiam quispiam damnatus sit de errore ob aliquam propositionem hæreticam, quia donec ita damnetur, cùm de hæresi illius non constet, nec infamiam adeò grauem regulariter contraxisse videtur, vt propterea omnino excludendus videatur. Prudenter ergo iudicio supremi Prælati id commissum est. Idemque iudicium est de tertio casu III. *Quantum impedit error, & suspicio hæresis.*

casu, in quo nec certa hæresis, nec prolatio erroris clara supponitur, sed sola suspicio hæresis; & ideo expresse requiritur, vt sit per sententiam publicam suspectus de hæresi declaratus. Quod eodem modo intelligendum dicitur in declaratione citata ex 1. part. Constit. additur verò in declaratione Examinis, eum, qui suspectus est de opinione aliqua erronea in re ad fidem pertinente, quamdiu suspicio manet non esse admittendum; vbi hæc differentia insinuatur inter eum, qui per sententiam suspectus declaratus est, & eum qui alio modo est suspectus; quod in priori, impedimentum illud est perpetuum, & incurabile (vt sic dicam) quantumuis talis persona emendata sit, & suspicio in præsenti ablata; at verò in posteriori casu licet suspicio impediat quamdiu opinio illius durat, vt ibi dicitur; tamen si auferatur, impedimentum etiam auferetur; non enim sine causa illa limitatio addita fuit.

Quā hæresis suspicio ad hunc ingressum inhabilitet.

IV. *Primus modus abolendi praedictam suspicionem.*

Duobus autem modis potest intelligi, suspicionē auferri: primò, quia iam constitit publicè, ac sufficienter talem suspicionem falsam fuisse, quia re vera talis persona nunquam habuit opinionem erroneam in doctrina fidei; & hic est optimus modus auferēdi suspicionem, & sine dubio in illo casu sufficiens. Alius verò esse potest, si in præsenti iam nulla sit suspicio, quòd talis persona habeat nunc talē opinionem erroneam: semper tamen suspicio maneat, an præterito tempore habuerit. Et hic modus videtur minus sufficiens, quia non omnino purgat personam ab infamia, quæ manet ex præcedente defectu, etiamsi emendatus sit. Nihilominus tamen etiam in eo casu censeo auferri impedimentum, quamuis multa prudentia expendere oporteat, an in eo casu expediat recipere personā, vt per se cōstat. Ratio verò prioris partis est, quia declaratio dicit, *Quamdiu suspicio manet.* Quæ verba non significant in rigore, quòd solum duret suspicio de præterito actu, sed etiam quòd duret secundum præsentē statum. Imò ex vi illorum verborum, sola hæc suspicio, quando sententia non interuenit, non videtur esse impedimentum inhabilitans personam, & annullans receptionem si fiat; sed solùm impediens, ne rectè, & conuenienter fiat. Verba enim declarationis sunt, *Qui suspectus est, &c. constat, quamdiu suspicio manet non esse admittendum.* Quæ verba videntur magis directiua, & declaratiua circunspectionis, & obligationis superioris, ad quem spectat receptio, quā constituentia nouum impedimētum irritans, quāuis definitiua esse, non appareat improbabile. Vnde in rigore loquendo de tali impedimento, necessaria est sententia declaratiua, vt per solam suspicionem hæresis inducatur.

Secundus.

V. *Qua infamia excommunicati tanquam schismatici requiratur.*

In quarto gradu, seu modo huius impedimenti, infamia necessaria est, vt in eo expresse dicitur. Nō declaratur autem ibi, oportere hanc infamiam esse iuris, id est, in publica, & iuridica sententia fundatam, sed solùm postulatur, vt quis extiterit infamis ob excommunicationē tanquā schismaticus, spreta authoritate, & prouidentia sanctæ Matris Ecclesiæ. Potest autem aliquis incurrere hanc excommunicationem ipso facto, & esse infamis ob talem excommunicationem, etiamsi per sententiam declaratus non sit: nam potest delictum esse publicum, & consequenter etiam censura, quod sufficit ad prædictam infamiam. Atque ex his facile redditur ratio huius impedimenti, quoad hæc tria membra; propria enim, ac precisa ratio fundatur in infamia. Quamuis enim illa delicta, vel suspiciones eorum, meritò possent reddere cautiorem Societatem in receptione talium personarum, nihilominus non sunt posita, vt absoluta impedimenta, nisi quando prædicta infamia intercedit, quia alia incommoda possent esse ablata & per prudentiam id posset iudicari. Infamia verò talium delictorum est magnum impedimentum in hoc instituto, & vitæ genere; tū propter ea, quæ generalia sunt, & statim attingētur in secundo impedimento; tum etiam quia cum hæc religio (inter alia) per se instituta sit ad defensionem fidei, & specialem obedientiam ad Sedem Apostolicam profiteatur, meritò censetur ineptus ad illam profitendam, qui de erroribus contra fidē, vel de suspicione hæresis damnatus est, vel qui de publico schismate est infamis. Sicut Inquisitores, quia de erroribus contra fidem iudicant, ab omni errorum suspicione immunes esse debent, iuxta illud Ambros. serm. 20. in Psalm. 118. *Iudicet ille de alterius errore, qui non habet quod in seipso condemnet.* & habetur in c. *Iudicet.* 3. q. 7. Atque hinc etiam constat idem dicendum esse in primo gradu huius impedimenti, scilicet apostasiæ à fide, si in eo similis infamia interueniat; an verò necessaria sit, dicam melius in puncto sequenti n. 11. & 14.

Vide Bonauent. in c. 2. expositionis suæ regulæ. De apostasia à fide.

De secundo impedimento.

VI. *De primo membro, id est, homicidio dub. 1. An quodlibet impediat.*

Secundum impedimentum duas habet partes. Prima est de homicidio, circa quod, priusquam eius rationem reddamus, quærendum est de quo homicidio intelligendum sit. Et inprimis an vniuersaliter intelligatur de omni homicidio, siue illicito, siue licito, quale est, quod fit à milite in iusto bello; à iudice per iustam sententiam, & ab eius executore. Quod enim sub hac generalitate verbum illud accipiendum sit, suadet primùm absoluta vocis significatio. Secundò, quia illud homicidium videtur hic intelligendum, quod sufficit ad irregularitatem contrahendam; sed ad hoc etiam sufficit homicidiū etiam licitum, vt supponimus; ergo. Maior patet, quia cum religio Societatis sit religio clericorum, meritò delictum, quod facit hominem irregularem, & ineptum ad clericales functiones, reddit etiam illum inhabilem ad ingressum talis religionis, argumento cap. vlt. de cleric. excommun. ministr. vbi irritanda dicitur electio excommunicati minori excommunicatione, quia *ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à sanctis Patribus est priuatus.* Quem textum in disput. 24. de Censuris sect. 2. versauimus. Sic ergo dicere in præsenti possumus: receptionem talis personæ in Societate inualidam esse, ne quis recipiatur ad ea ministeria, à quibus est per Ecclesiam remotus. Iuxta quem discursum solum erit excipienda occisio hominis in propriam defensionem: per illam enim irregularitas non incurritur. De qua exceptione res videtur indubitata: cur enim naturalis defensio existimanda est religiosum statum impedire, cum sit per se honesta, & nullam speciem mali habeat, aut defectum lenitatis, propter quam causam nullum sacrum ministerium impedit. Accedit, quod ad illud non meretur nomen *homicidij* moraliter loquendo, sed *defensionis propriæ*, tunc enim ille qui alterum aggreditur, magis seipsum interficit, quàm ab altero occiditur.

Homicidium in propriam defensionem non impedire.

VII. *Solum peccaminosum homicidium hunc ingressum impedire.*

Addo verò vlterius probabilius mihi videri, impedimentum hoc esse restringendum ad homicidium peccaminosum. Primò quidem, quia vox *homicidij* moraliter significat actum intrinsecè malū, qualis prohibitus est per quintum præceptū Decalogi, vt tradit D. Thom. 1. 2. q. 100. art. 8. ad 3. & sumitur ex August. 1. de liber. arbit. cap. 4. Et hic est communis vsus huius vocis in legibus, & præceptis, & maximè in materia odiosa ita intelligenda est iuxta vulgatam regulam. Secundò, quia statim in 2. ca. eiusdem examinis §. 6. pro ratione huius impedimenti redditur, quia, qui hanc *notā* habuerit, minus aptum instrumentū erit ad Societatis munera, *propter consuetam multis, & communem infirmitatem.* Quæ verba

verba planè supponunt, in hoc impedimento aliquam culpam, vel notam, seu infamiam ex illa fuisse contractam. Tertiò, quia discursus in contrariũ factus efficax non est, alioqui probaret omnem irregularitatem debere esse in Societate impedimẽtum inhabilitans ad ingressum in illam, quod est planè falsum; quia defectus natalium facit hominẽ irregularem, & in præsenti non est homini impedimentum. Sic ergo defectus lenitatis licèt inducat irregularitatem, non propterea comprehendendus est sub *homicidio*, quod multo magis odiosum est, & eius irregularitas longe diuersa. Vnde potest optima differentia assignari: nam in irregularitate contracta ex defectu lenitatis, potest ipsa Societas dispensare, vt nunc supponio ex priuilegiis eius, verbo *Dispensatio*, & infrà lib. 9 cap. 2. à nu. 41. dicetur. In irregularitate autem ex homicidio, præsertim volũtario, & commisso ante ingressum Societatis, non potest ipsa dispensare, & ideo mirum non est, quòd prior defectus non impediat ingressum, licèt posterior impediat.

VIII. *Dubium secundum, An solùm voluntariũ homicidium hunc ingressum impediat.*

Hinc verò nascitur secundum dubium, an scilicet, hoc impedimentum intelligendum sit de omni homicidio peccaminoso, vel solùm de illo, quod in iure dicitur *voluntarium*, & à casuali distinguitur. Suppono autem non esse sermonem de casuali omnino, quod omne *voluntarium*, etiam *indirectum* excludit, quia illud nõ est peccaminosum, vt per multa capita traditur 23. q. 5. Et ideo certum est hic non comprehendi; tum ex dictis, tum etiam quia non est actus humanus, qualem significat *homicidium* absolutè dictũ. Neque oportet hic distinguere, vel quæstionem mouere, de dante operam rei licitæ, vel illicitæ: nam totum hoc materiale est, solumque est inspiciendum quod ad præsens attinet, an in ratione homicidij actus sufficienter voluntarius sit, & culpabilis. Sumitur ergo hic *casuale homicidium*, vt distinguitur à *voluntario directe*, etiamsi *indirecte voluntarium sit*. Videtur ergo impedimentum hoc restringendum ad homicidium *voluntarium*: primùm ex responsione proximè data; nam sola irregularitas homicidij voluntarij ita reseruata est, vt potestas in ea dispensandi non sit Societati concessa; in alia verò, quæ est ex homicidio casuali, dispensare potest; ergo sicut defectus lenitatis non impedit ob hanc causam, ita nec homicidium casuale. Secundò ex generali regula, quod *odia restringenda sunt*, & ex quodam principio recepto, quod in huiusmodi legibus ponentibus censuras, aut inhabilitates propter delicta, verba, quibus talia delicta significantur, restringenda sunt ad delicta omnino perfecta, & consummata in sua specie; huiusmodi autem in præsenti est homicidium voluntarium; nam casuale imperfectum est, & ideo eius irregularitas multò facilius tollitur.

IX. *Non solum voluntariũ, sed etiam casuale homicidium peccaminosum impedit.*

Nihilominus verum censeo sub hoc homicidio comprehendi etiam casuale peccaminosum; probatur primò ex vsu, qui est optimus legum interpres. In hoc autem sensu videtur vsu receptum, & obseruatum hoc impedimentum in Societate. Secundò ex absoluta appellatione *homicidij*, quandocunque enim iura specialiter volunt reseruare, aut aliquid statuere de homicidio directo, ita vt casuale non comprehendatur, addere solent illam particulam *voluntarium*, vt specialiter videre licet in Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. de reformat. Et meritò, quia *homicidium* absolute prolatum significat omnem occisionem hominis intrinsecè malam, sub qua comprehenditur etiam illa, quæ ex negligentia fit; qualis est in homicidio casuali. Et in vniuersum leges prohibentes delicta, absolute, vel propter illa ferẽtes censuram, non solum illa comprehendunt directa voluntate facta, sed etiam indirecta; & ideo quando lex ferens censuram, solum vult comprehendere culpam directè voluntariam, semper addit particulam *scienter*, vel verbum *qui præsumpserit*, aut aliud simile, vt proprio loco diximus, disput. 4. de censur. sect. 9. & alios latè citat Sanches lib. 2. de matr. disputat. 40. num. 4. Hæc autem constitutio nullum addit verbum limitans homicidium ad solum voluntarium; ergo non potest à nobis cum aliquo fundamento limitari. Et quamuis verum sit requiri actum consummatum vsque ad effectum mortis, non tamen est de ratione peccati consummati in sua specie, quod sit directè volũtarium, sed solùm quòd sit actus simpliciter humanus, ac moralis ita, vt ex parte voluntarij, ad peccatum mortale sufficiat. Denique nõ refert, quòd Societas possit dispensare in irregularitate contracta ex homicidio casuali, quia in superiori puncto solum diximus, hanc potestatem iuuare, vt aliquis defectus minus impediat. Inde tamen non fit consequens, vt omnis defectus, in quo alias potest Societas dispẽsare, eo ipso non impediat ingressum, quia fieri potest, vt ad hunc effectum non expediat vti tali dispensatione, licet propter alios potestas *habeatur*. Neque etiam valet argumentum ab homicidio licito ad casuale, tum quia in his rebus politiuis argumenta à simili debilia sunt, & standum est rigori verborum legis; tum etiam quia homicidium licitum non inducit notam in personam; vnde quoad ordines non impedit, nisi propter significationem; homicidium autem peccaminosum, licet casuale sit, sæpe inducit notam, & grauiter turbat pacem, & scandalum generat.

X. *Dubium tertium, An homicidium occultum impedimentum hoc ingressum impediat.*

Hinc verò succedit tertia dubitatio, an hoc impedimentum intelligendum sit de quocunque homicidio externo, etiamsi occultum sit, an solùm de publico. Nam quòd de publico tantùm intelligendum sit, videtur suadere ratio, quæ in eodem cap. 2. §. 6. datur de hoc impedimento, scilicet, *quia multi sunt apti instrumenta erunt, qui hanc notam haberent*; nam publicum per hanc *notam* infamia significari videtur, vt verba sequentia declarant, *propter consuetam multu, & communem infirmitatem*; hæc enim infirmitas communis non videtur esse alia, nisi illa de qua dixit Bernard. serm. 2. de resurrect. *Legimus, & quotidiana experimenta didicimus, vt cuius vita desperatur, etiam præsentia contemnatur*. Propter quod Homisda Papa epistol. 3. ad Episcopos Hispaniæ cap. 1. cum statuisset irregularitatem in eos, qui publicam pœnitentiam egissent, rationem subdit. *Nam qua conscientia absolutum, qui se peccata sua populo scit teste confessum? Quis, quem paulo antea vidit iacentem, veneretur antistitem?* habetur in cap. *non negamus*. 61. dist. Hæc autem ratio sic intellecta supponit delictum esse publicum, alias nec notam, nec infamiam inducet. Accedit, quòd ex aliquorum Doctorum sententia homicidium omnino occultum non inducit irregularitatem; ergo multò minùs inducet in Societate hoc impedimentum.

XI. *Non in omni publico homicidio ponitur impedimentum.*

Atque hæ rationes dubitandi locum habent etiam in primo impedimento, quoad peccatum apostasiæ à fide; & ideo suprà in fine num. 5. simul hunc *tractandam* remisimus. Illa enim ratio *de nota, & de communi infirmitate*, simul traditur in dicto loco de primo, & de secundo impedimento; ergo sicut ex illa colligimus, hic non comprehendi homicidium occultum; ita idem colligendum est de apostasia à fide. Loquor autem non solùm de apostasia, quæ dicitur per se occulta, qualis est merè interna, de qua nullum videtur esse dubium, quia illa non subiicitur humano iudicio, neque humanæ legi; sed etiam de externa apostasia, quæ *per accidens occulta* dicitur, quando contingit ab aliis non sciri, cum de se sciri possit. Nam si hæc requirit statum infamiæ, vt ratio facta probare videtur, non tantùm requirit, quòd cognosci possit, sed etiam quòd nota sit. Et confir-

matur

matur etiam, quia ſola hæreſis publica videtur inducere in iure irregularitatem, in c. *ad abolendam.* de hæreticis, & in c. *ſaluberrimum.* 1. q. 7. Confirmatur tãdem; quia videtur res valde ardua, vt omnes iuuenes, qui nunc in prouinciis hæreticorum educãtur, & conſequenter ab Eccleſia recedunt, ſint inhabiles ad ingreſſum in Societatem poſt perfectam conuerſionem, & reditum ad Eccleſiam.

XII. *Etiam homicidium occultum hunc ingreſſum impedit.*

Nihilominus quod ad homicidium attinet, verius cenſeo hoc impedimentum etiam contrahi per homicidium occultum. Ratio prima eſt illa generalis, quòd vbi lex non limitat, neque euidens ratio cogit, nos non poſſumus prudenter limitationem adhibere. Vnde etiam in iure canonico mihi certum eſt, propter homicidium quantumuis occultum irregularitatem incurri, & ſatis ſignificatur in Trid. ſeſſ. 24. cap. *licet.* de reform. Cùm ergo hæc lex abſolutè, & indiſtinctè loquatur, non poteſt à nobis ad homicidium publicum reſtringi; eò vel maximè, quod ex contextu verborum poteſt hoc etiam conuinci. Sic enim habent. *Secundus eſt, homicidium aliquo tempore perpetraſſe, vel publicè infamem propter enormia peccata fuiſſe.* In quo contextu duo conſidero: vnum eſt, eo ipſo quòd aduerbium *publicè* additur in poſteriori membro, & non in priori, tacitè à priori excludi. Aliud eſt, in aliis criminibus impedimentum poni ratione infamiæ; in homicidio verò non, ſed ratione ſolius delicti; ergo abſque infamia impedit; ergo etiamſi occultum ſit: nam ſi oporteret eſſe publicum, maximè propter infamiam. Atque ita opinor in praxi, & conſuetudine obtineri; nam ſi is qui examinatur, fatetur ſe homicidium perpetraſſe, nihil amplius de fama, vel infamia; publico, vel occulto interrogatur, ſed inhabilis iudicatur.

XIII.

Quocirca, ſi ratio huius impedimenti in ſenſu ſuprà num. 7. & 10. explicato, accipienda ſit, dicendũ eſt, in ea conſideratum eſſe id, quod frequentius, & vt plurimum accidit, ſcilicet, quòd tale delictum magnam notam inurat: quòd verò in particulari caſu, quando delictum eſt occultum, hæc ratio ceſſet, accidentarium eſt, & non ſufficit, vt deciſio legis ceſſet: maximè quia licèt delictum nunc ſit occultum ſemper ſubeſt illi periculo grauem notam inferendi. Poteſt autem illa ratio habere alium ſenſum, ſcilicet, vt illa infirmitas conſueta, & multis communis, non referatur ad opinionem aliorum, ſed ad ipſummet homicidam, vel apoſtatam. Eſt enim communis infirmitas, vt qui ſemel cecidit, iterum facile cadere poſsit, vel ſaltem quando lapſus eſt adeò grauis, & enormis, oſtendit naturam, aut nimis iracundam, ſeu ferocem, vt in homicidio, aut nimis inconſtantem, vt in apoſtaſia; rectè ergo intelligi poteſt, hanc eſſe communem infirmitatem, ob cuius notam talia impedimenta ponuntur, iuxta quem ſenſum ad illam rationem, non eſt neceſſaria infamia per publicam notitiam; nam ipſum delictum ſatis notat perſonam. Tamen iuxta hunc etiam ſenſum data proximè doctrina neceſſaria eſt, ſcilicet, quòd licet in aliquo particulari homicidio ceſſet hæc nota, eo quòd caſu, vel ex paſſione acciderit, & alias conſtet hominem eſſe moderatæ naturæ, nihilominus impedimentum habeat ſuam vim, quia lex non conſiderat particulares caſus, ſed generaliter fertur, ſuamque efficaciam habet. Omne ergo homicidium peccaminoſum hic comprehenditur, etiam ſi non propria manu, ſed per alium iubendo perpetratum ſit, vt declaratur 1. p. Conſtitut. c. 3. liter. C. vbi in caſibus dubiis iudicium Generali remittitur, qui admonetur, ne ſe facilem in huiuſmodi dubiis exhibeat; quo verbo ſignificatur, in tali dubio inclinandum eſſe in fauorem religionis, etiamſi reſpectu particularis perſonæ rigoroſum videatur.

Etiam homicidium alterius manu factum impedit.

XIV. *Apoſtaſiam à fide occultam ſufficere ad hoc impedimentũ.*

Vnde conſequenter idem cenſeo dicendum in primo impedimento, de eo, qui receſsit à gremio ſanctæ Eccleſiæ, fidem abnegando; nam omnes rationes factæ hic applicari poſſunt, & argumentum ſumptum ex ratione impedimenti, hic eodem modo ceſſat. ibi ergo verba etiam præciſa, & abſoluta ſunt. Et præterea ex quatuor membris, quæ in primo impedimento ponuntur, in ſecundo requiritur damnatio; in tertio, ſententia publica; in quarto infamia; In primo verò nihil horum ponitur, ſed tantum *delictum*; ergo ſignum eſt, nullam ex illis conditionibus requiri; alias, qua ratione quis diceret eſſe neceſſariam infamiam, vel notitiam publicam, poſſet etiam dicere eſſe neceſſariam condemnationem per ſententiam publicam. Hoc autem manifeſte falſum eſt, & improbabile; ergo, & prius; nam ſequela tenet à paritate rationis, quantum ſpectat ad verba legis. Quia verò in Conſtit. 1. p. cap. 3. aliquid additur, quo poteſt hoc impedimentum reſtringi, id præmittendum non eſt, & aliqua differentia conſtituenda inter hoc delictum, & homicidium, quia homicidium, nec publicum eſſe oportet, nec probabile; hoc verò licet non oporteat eſſe publicum, videtur ſaltem eſſe neceſſarium, vt ſit probabile, propter id, quod ſtatim adiiciam. Nam in primis neceſſarium eſt abnegationem eſſe exteriorem, ſola enim mentalis hæreſis non ſufficit, vt ſuprà n. 11. dicebam. Quod etiam ipſum verbum *abnegandi* ſatis indicat, & explicatur clarius in 1. p. Conſtit. ca. 3. dum additur, *abnegando inter infideles.* Quo verbo nõ ſolum ſignificatur crimen debere eſſe externum, ſed etiam aliquo modo publicum, & inter infideles commiſſum. Poteſt tamen eſſe hoc modo publicũ, id eſt probabile, quamuis non ſit publicum, id eſt, notorium, qualis nunc eſſe ſolet in Luſitania v. g. apoſtaſia à fide Neophytorum, quos *nouos Chriſtianos* vocant, etiamſi occultè, & inter ſe ipſos, illam exerceant: talis enim apoſtaſia eſt ſufficiens impedimentum, etiamſi contingeret cadere in eam perſonam, quæ aliàs inhabilis non eſſet ratione originis. Vlterius verò neceſſarium eſt, vt interior ſimul cum exteriori concurrat: nam licèt quis exterius abnegauerit propter timorem, vel amorem humanum, ſola exteriori fictione, interius autem retinẽdo fidem non incurret hoc impedimentum, ſicut nec pœnas iuris contra hæreticos latas, vt diſp. 14. de fide ſect. 6. dixi, & diſput. 43. ſect. 1. de cenſur. quia ille ſimpliciter non abnegauit fidem, ſed finxit abnegare: verba autem harum legum ſtrictè, & in rigore accipienda ſunt. Deinde exiſtimo oportere, vt talis perſona poſt adultam ætatem fuerit aliquando fidelis, & in catholica Eccleſia ſufficienter inſtructa: nam ſi quis ab infantia fuit educatus inter hæreticos, etiamſi baptizatus fuerit, & peruenierit ad adultam ætatem eorum errores imbiberit, non videtur propriè, & in rigore dici poſſe à gremio Sãctæ Eccleſiæ receſsiſſe abnegando fidem. Quod erit certius, quando probabiliter creditur ipſum habuiſſe ignorantiam inuincibilem. Idem tamen mihi eſt probabile, etiamſi poſtquam cœpit dubitare, negligenter, aut pertinaciter in prioribus erroribus permanſerit, quia ille nondum incidit in formalem, ac perfectam apoſtaſiam, qualem prædicta verba in proprietate ſignificant: Et iuxta hanc expoſitionem facilè expeditur difficultas ſuprà tacta in fine numer. 11. (cætera enim ibidem oppoſita ex dictis ſunt expedita) de iuuenibus hæreticorum filiis, & inter hæreticos educatis: nam ſi illi poſtquam ad Eccleſiæ gremium conuerſi ſunt, nũquam iterum ab illa receſſerunt, nec fidem abnegarunt, non videntur eſſe inhabiles ad Societatem, ex vi huius impedimenti, quia (vt dixi) non poſſunt iudicari perfectè Apoſtatæ. Imò in his etiam, ſi prior ille ſtatus fuerit publicus, nõ videtur obſtare, niſi

Præcedenſque ab interiori.

Requiritur vt perſona in adulta ætate aliquãdo fuerit fidelis.

Expeditur difficultas de iuuenib. inter hæreticos educatis.

nisi perueniatur ad sententiam, in talem personam publicè latam; nam tunc ex alio capite, seu gradu secundo loco posito in illo primo casu, impediret; si verò notitia, vel sententia publica solum est generaliter de tali prouincia, vel natione, sicut nũc Græci habentur schismatici, tunc infamia magis est nationis, quàm personæ, ideoque illa non impediret. Et hæc declaratio habetur expressè 1. p. Constitut. cap. 3. liter. B.

XV. *De secundo membro eiusdem secundi impedimenti, id est, infamia ob enormia peccata.*

Ex quo facilè declaratur secundum membrum casus, seu impedimenti seruandi, scilicet, *infamia publica propter enormia peccata*, circa quod statim occurrebat explicandum, quæ nam sint huiusmodi enormia peccata. Sed hoc labore nos liberauit declaratio in d. c. 3. Constit. vbi Generali committit an peccata sint iudicanda enormia nec ne, ad quod iudicium ferendum primum expendendum est ius cõmune, in quo illa peccata meritò censentur enormia, quæ per se inducunt iuris infamiam. cap. *in aliquo*. 51. d. cum aliis, quæ de infamia inducẽte irregularitatem disput. 48. de censur. adduximus. Deinde dubitari poterat si hæc infamia non sit in eodem loco, in quo homo est recipiendus, sed in alio multum distãte, & sine morali periculo, quòd illud diffundi possit, an tunc impediat? Verùm hoc etiam dubium sublatum est in declarationibus, tam examinis, quàm constitutionum, vbi dicitur infamiam solùm impedire vbi est, non verò in remotissimis regionibus, si persona est sufficienter emendata. Atque ita facilè constat hoc impedimentum esse valde consentãneum rationi, & necessarium ad finem Societatis, & valde conforme iuri, quo cauetur infamibus non debere concedi aditus ad dignitates. cap. *inter dilectos*. de excessib. Prælat. & regul. 86. de regulis iuris in 6. Quamuis enim recipi in Societate, non sit admitti ad dignitatem, tamen ex ea parte, qua hic status ordinatur ad sacerdotalia munia, & conuersionem animarum, potest quoad hoc dignitatibus comparari.

De tertio impedimento.

XVI. *De primo membro assumpti habitus religionis.*

Tertium impedimentum duas etiam habet partes. Prima est, *assumpsisse religionis habitum*, vt dicitur in citato ca. 3. Constitut. Declaratur autem ibidem, intelligendum hoc esse, non solùm de assumptione habitus per professionem, sed de gestatione habitus religionis, etiam per vnum diem, dummodo id factum sit animo assumendi religionem, saltem quoad probationem, seu nouitiatum. In examine autem magis limitatur, ac declaratur particula illa *religiosus*, his verbis, *assumpsisse habitum alicuius religionis fratrum, vel clericorum*: quæ videntur addita, vt non comprehendantur assumentes habitum religionum militarium, quoad milites; nam quoad clericos expressè excluduntur per illam particulam *clericorum*: per *fratres* autem monachi omnes intelliguntur: propriè ergo isti milites dici non possunt habere habitum fratrum, vel clericorum, non ergo hic comprehenduntur. Et ita declaratum est in Cõgregatione 1. generali Societatis can. 5. & in praxi etiam receptum est; præterquam quod multi existimant hos non esse propriè, & simpliciter religiosos. Qua de re latè, in præced. tract. lib. 1. cap. 3. & 4. agendo de varietate religionum in genere. Iuxta quam sententiam possent etiam excludi ex absoluta appellatione *religiosorum*, sub qua illi non videntur cõprehendi, saltem secundùm ordinarium, & communem modum loquendi, & denique, quidquid sit de statu, tamen quoad vsum, & viuendi modũ, constat de facto hos milites parum differre à secularibus.

XVII. Sic igitur explicata hac parte, quod attinet ad religiosos professos, non est difficile rationem illius reddere. Primò, quia vt D. Thom. docuit 2. 2. quæst. 189. art. 9. transitus ab vna religione ad aliam non est per se laudabilis, nisi ob magnam necessitatem, vel specialem vtilitatem, vt suprà in tract. 8. lib. 3. cap. 8. disputatum fuit. quod quia rarum est, & extraordinarium, non oportuit in hac lege considerari, & ideò absolutè lex posita est; quia si in aliquo particulari casu, & Societati, & desideranti eius ingressum, iudicaretur expediens eum admittere, nõ obstante tali impedimento, per dispensationem à Summo Pontifice impetratam poterat tali casui subueniri, & aliquando subuentum accepi Et confirmari hoc potest ex Cassiano collat. 24. cap. 5. vbi Abbas Nestor. sic inquit. *Vnicuique vtile, & conueniens est, vt secundum propositum quod elegit, siue grauius, quam accepit, summo studio, ac diligentia ad operis arripti perfectionem peruenire festinet, & aliorum quidem laudans, admiransque virtutes, nequaquam à sua, quam elegit semel, professione discedat.* Vnde idem Cassian. lib. 4. de institut. renunc. cap. 6. significat olim obseruatum esse ab antiquis monachis, vt neminem reciperent, qui à prima sua vocatione defecisset. *Nec quemquam* (inquit) *patiuntur illũ adhuc indui* (id est, vestibus religionis) *quem semel ab institutionis suæ regula cepisse perspexerint.* Sic etiam Athanas. Constantinopolitanus epistola 5. ad finem decernit, qui monasterium semel deseruit, non esse in alio recipiendum. Ac denique Imperator Iustinianus in Authent. de Monachis collat. 5. inquit. *Si quis relinquens monasterium in quo conuersationem habuerit ad aliud transeat monasterium, competens est reuerendissimos Abbates, cum non susceperint rationem namque est tali vitæ monasticæ, nullatenus tolerantia proxima, neque constantiæ, & persistentiæ animi.* Hocergo impedimentum quantum ad professos in aliis religionibus (de quibus videntur dicta testimonia loqui) satis consentaneum est antiquitati, & rationes eius, quæ in constitutione ipsa assignantur, quasque statim explicabimus, facile illi accommodantur.

XVIII. At verò quòd solus habitus nouitiorũ per quodlibet breue tempus assumptus impediat, nouum videri potest, & difficile: tum quia in nulla religione obseruatur, quod ego sciam; tum etiam quia tempus nouitiatus ad probationem concessum est, & ideo non perseueraſſe vsque ad professionem non indicat inconstantiam, aut animi leuitatem. Cur ergo ob eam causam debet aliquis inhabilis censeri ad Societatem? Fieri enim potest, vt per probationem alterius religionis aliquis prudenter iudicet, se non esse aptum ad illam, & quod à Deo vocetur ad Societatem, cur ergo debet excludi? Et augetur difficultas quoad alteram partem illius impedimẽti, quæ est de eremitis sub certo habitu monachali: nam ille non est status, seu priuatus quidam eruendi modus, cur ergo impedire debet magis quàm alij viuendi modi?

XIX. Nihilominus duplex ratio illius impedimenti redditur in eodem cap. 2. Examinis, & vtraque sufficiens fine dubio est, vt hæc constitutio honesta, & rationabilis censeatur, maximè cum liberum sit Societati eos tantùm admittere, qui absque vlla suspicione contraria ad finem sui instituti apti iudicantur. Prior ergo ratio est. *Quod nobis in Domino videatur* (ait B. Ignatius) *eum qui bonus Christianus sit, debere esse firmum in sua prima vocatione, præsertim cum illa tam sit sancta, in qua scilicet, qui vniuerso seculo renititur, se totum dedicat maiori seruitio, & gloriæ sui Creatoris, & Domini.* Itaque licet mutare religionem ante professionem, minor inconstantia videatur; tamen, quia vt plurimum signum est animi inconstantis, & mutabilis, in Societate non recipitur. Cui consonat consilium Basilij in regula 10. ex fusioribus, vbi ait, ab his qui volunt religionem ingredi, diligenter exquirendum esse, *qui ipsorum mores sint, vt in-*

vt intelligatur an sint consilio instabili, & ad constituendum quidnã in vtramuis partem præcipiti. Cuius rei signum esse solet huiusmodi facilis mutatio religionum, etiam quoad probationem: Et subdit Basilius. *Si quidem in iis, qui istiusmodi sunt, magnopere suspecta inconstantia esse debet, qui, præter id, quod nullam ipsi vtilitatem inueniunt, cæterũ etiam sunt detrimento, quod institutum viuendi nostrum, falsis probris, & nequissimis maledictis magnopere infamant.* Verum quidem est statim adiungere Basilium hos non esse statim à principio desperandos, sed prius extra religionem ipsam exercitãdos, & probandos, vt si sufficiens indicium emendationis, & constantiæ dederint, admittantur. At illud fortasse tunc conueniens fuit, quia exiguus erat religionum numerus; nũc autem plures sunt religiones, in quibus hi recipi possunt, & ideo non est iudicatum necessarium in his probãdis immorari: maximè cum Societas ratione sui instituti multa alia habeat, in quibus suos religiosos probare, & experiri ex instituto teneatur.

XX. *Secunda constitutionis ratio.* Secunda ergo ratio est, *Postremo sic nobis persuademus (præterquam quod maior sit futura ædificatio proximorum) eo melius in Domino, ipsius gratia aspirante, conseruari posse omnes professos, coadiutores, atque scholasticos, quo magis liberi fuerint ab huiusmodi impedimentis, ac veluti vnius coloris, & similitudinis omnes.* In quibus verbis vna ratio principaliter dari videtur, & altera obiter attingi. Ratio ergo principalis est, vt cùm omnes, qui in Societate fuerint, experti non sint, imò nec deliberauerint aliud institutum, omnino contenti sint eo, quod profitentur, & in illo summam vniformitatem, & similitudinem habeant, quod ad vnionem eorum, & amorem inter se, & ad maiorem quietem, & pacem multum confert; est enim similitudo causa amoris, vt dixit D. Thom. 1. 2. quæst. 27. art. 3. & Aristot. 8. Ethic cap. 6. dixit æqualitatem esse amicitiæ fundamentum. & in cap. *in noua.* 16. quæst. 7. dicitur. *In vno eodemque officio non debet dispar esse professio; nam cohærere, & coniungi non possunt, quibus & studia, & vota diuersa sunt.* Et quamuis is, qui alteram religionem probauit, & deseruit, iam illam non profiteatur, tamen quia possunt in eo manere aliqua vestigia illius professionis, vel aliqui conceptus, seu apprehensiones diuersæ, & discrepantes ab instituto Societatis, & ideo semper timetur aliqua difformitas, quæ posit pacem turbare; maximè cum Societas propriam viuendi rationem, ab aliis in multis diuersam profiteri videatur. Et hanc existimo esse potissimam rationem huius impedimenti: & ob eam rem si quis semel in Societate ingressus ab ea deficiat, iterumque ingredi velit, non est inhabilis quominus recipi possit; quia licet prior ratio inconstantiæ in eo locum habeat, hæc posterior cessat. Quòd autem hoc ita sit, patet ex verbis ipsius Constitutionis: nam cum dicit *habitum alicuius religionis*, planè loquitur de aliis religionibus à Societate distinctis.

XXI. *Tertia ratio.* Altera verò ratio ibi obiter, vt dixi, tacta est, quia scilicet creditur hoc futurum in maiorem animarum ædificationem, quod duplici ex causa, seu respectu dici potest. Primò respectu aliarum religionum, quibus gratum esse debet, quod ab eis deficientes in Societate non recipiantur. Deinde respectu aliorum fidelium, apud quos nonnulla nota semper est, defeciisse à religione semel accepta, etiam quoad nouitiatum tantum: & quia Societas tota est ad lucrandos fideles, & salutem animarum procurandam, ideo omni ratione euitare studet, quidquid potest operariorum existimationem aut beneuolentiam apud alios minuere. Vnde fortasse etiam in hoc consideratum est, quòd is qui non se ostendit constantem, & idoneum ad perseuerandum in religione ad solam perfectionem propriam principaliter instituta, non videtur aptus illi religioni, quæ nõ solùm propriæ, sed etiam alienæ perfectioni incumbit. Dices. Interdum Monachus, qui ex vi sui instituti, tantùm suæ saluti attendit, assumitur ad Episcopatum, qui ad perficiendos alios præcipue ordinatur. Respondeo, aliud est assumi, aliud relinquere proprium statum per inconstantiam: illud enim prius nullam notam inducit, neque est indicium alicuius defectus, sicut hoc posterius. Præsertim quia monachus, si iam erat professus, licet ad Episcopatum assumatur, monachus manet, atque non ita mutat statum, vt spolietur priori (vt ita dicam) specie monachatus, imò nec in individuo, sicut facit, qui ex vna religione transit in aliam, maximè Societatem, quam veluti specie diuersam intelligimus, vt ex dictis libro 1. cap. 2. & ex graduum varietate constare potest. Si autem contingat (vt fieri potest) ex nouitiatu assumi ad Episcopatum, tunc non manet quidem in priori statu inchoato, sed immediatè transit ad perfectiorẽ, non tamen ex animi inconstantia, sed ex obedientia Superioris; & ideo in iure id prohibitum nõ est: in Societate verò speciali iure id est prohibitum, ratione iam dicta. *Euasio præcluditur.*

De quarto impedimento.

XXII. *De prima parte, id est, coniugio.* Quartum impedimentum duas partes habet. Vna est de coniugatis; alia de seruis. Et prior quidem fundata est in ipsa ratione naturali, quia maritus post consummatum matrimonium, non est dominus sui corporis, & ideo non potest illud alteri, etiam religioni liberè donare. Et ideo impedimentum hoc, quoad hanc partem in iure communi fundatum est, vt statim dicam, & in aliis religionibus seruatur, vt patet ex regula Minorum cap. 2. & ex Constitutionibus Prædicatorum 1. p. d. 1. cap. 13. Imò D. Basil. in regulis fusius disputatis cap. 12. eiusdem impedimenti meminit. Intelligitur autem hoc impedimentum, quoad hanc partem, eo modo quo in iure communi explicatur, scilicet, sine facultate coniugis: *Nam si facultas à coniuge concederetur* (dicitur in declaratione 1. p. cap. 3. lit. F.) *seruatis aliis circumstantiis, qua iuxta sanam doctrinam, & vsum sancta Ecclesia solent obseruari, impedimentum esse desinat.* Illæ autem sunt, vt coniux, vel monasterium ingrediatur, si iuuenis sit, vel votum continentiæ emittat, iuxta cap. *cum sit.* & cap. *ad Apostolicam.* de conuers. coniugat. quod in tom. superiori declaratum est. Addenda verò sunt duo. Vnum est, ex iure communi, si maritus ingrediatur de consensu vxoris, non seruatis autem aliis circumstantiis, ingressum, seu professionem esse validam, quoad substantiam, & proprietatem, vt sic dicam, quamuis quoad vsum impediri possit, si vxor repetat maritum, iuxta capit. *ex parte.* de conuers. coniug. At verò in Societate ex vi huius impedimenti, receptio erit nulla, etiam si fiat de consensu vxoris, si aliæ iuris circumstantiæ non seruentur: quia in constitut. absolutè ponitur *matrimonium consummatum* tanquam essentiale impedimentum. Et in declaratione, (quæ eandem vim legis habet) non ponitur alia exceptio, nec dicitur cessare hoc impedimẽtum, nisi vel per mortem naturalem, vel coniuge facultatem concedente, *obseruatis iuris circumstantiis*: ergo illis non seruatis, integrum manet impedimentum, etiamsi nudus consensus præstetur. Aliud notandum est, quamuis consensu præstito cum debitis circumstantiis, cessset impedimentum essentiale, nihilominus semper esse impedimentum, vt talis persona recipi non debeat, sine Generalis facultate; ita vt nec Prouincialis possit in hoc dispẽsare, vt in illius regula 36. cautum est.

XXIII. Vltimò circa hanc partem dubitari potest de matri-

Num matrimonium ratum non cõsummatum hoc impedimentum inducat?

matrimonio rato, & non consummato, an impediat Societatis ingressum, siue consentiente, siue repugnante coniuge. Sed in hoc certum est, ex vi huius legis id non esse impedimentum, quia licet in d. cap. 3. Constit. simpliciter nominetur *matrimonium*, tamen in cap. 2. Examinis expressè additur *consummatum*, & in declaratione id etiam supponitur, & iuxta commune ius ita esset intelligendum, quamdiu aliud non exprimeretur. Quapropter absolutè censeo nõ esse inhabilem ad Societatem talem personam, & receptionem eius non esse ex se irritam, quia neque ex vi iuris communis irrita est, neque inuenio ius speciale, quod illam irritet. Quod ergo quæri potest, solum est, si huiusmodi nouitius expleto anno, vel saltem biennio probationis, non admittatur ad professionem solennem an possit ab vxore repeti, & ipse, ac Societas teneatur illum ei restituere? Item an possit iustè tria vota simplicia, & substantialia in Societate emittere sine expresso consensu vxoris, cum aliis circumstantiis de iure requisitis in matrimonio consummato? Quæ dubitationes supponunt aliam, scilicet, an per vota simplicia approbata, & recepta in Societate dissoluatur matrimonium ratum, non consummatum, quoad ipsum vinculum matrimonij præcedentis talia vota: nam si dissolueretur, omnis quæstio cessaret, nullum enim esset impedimentum vel irritans, vel prohibens, nullusque consensus coniugis esset requisitus, cùm ipsa omni vinculo, & obligatione liberanda esset. Solum videtur grauari in dilatione biennij: at illud parui momenti est, & interdum accidere potest in aliis religionibus: nam si quis post matrimonium ratum, probauit in aliqua religione per decem menses, potest illam relinquere, & ingredi aliam, & integrum nouitiatum in ea facere, vt per congregationem etiam Cardinalium declaratum est, circa cap. 15. de regular. sess. 25. Concil. Trident. Illa ergo dilatio temporis probationis, non infert difficultatem, quam nõ posset coniux facilè tolerare. Ego verò suppono nulla vota simplicia facta in Societate dissoluere matrimonium ratum præcedens: quod infra lib. 4. c. 2. ostendam; vbi in n. 13. de prædicta dilatione redibit sermo.

An per vota simplicia emissa, in Societate matrimonium ratum dissoluatur.

XXIV. Hoc autem supposito, videtur mihi consequenter dicẽdum primò, neminem debere recipi in Societate post matrimonium ratum sine consensu & debita conuersione vxoris, nisi fortè ex dispensatione Præpositi Generalis, cum intentione admittendi illum post biennium ad professionem solennem, si rectè probauerit, vel statim dimittendi illum si non fuerit probatus. Deinde consequenter assero, si aliter recipiatur ad nouitiatum non posse vlterius admitti ad simplicia vota, quæ post biennium ab scholaribus, vel postea à coadiutoribus formatis fiunt, sine eodem consensu, & conuersione vxoris. Ratio vtriusque est, quia nullus ligatus vinculo matrimonij potest licitè assumere statum repugnantem vsui matrimonij, & non dissoluentẽ vinculum eius; status autem Societatis per sola vota simplicia non dissoluit vinculum matrimonij, vt dixi, & repugnat vsui eius, cum sit status religiosus: ergo non potest licitè talis status assumi, inuita vxore: ergo nec potest quis licitè recipi in Societate in ordine ad illum statum; vel licet sit admissus ad nouitiatum, non potest postea admitti ad talia vota, sine prædicta conditione ex parte vxoris. Maior patet primò ex ratione naturali, quia talis receptio est in magnam iniuriam vxoris: nam cogeretur, vel innupta perpetuò manere, si socius nunquam esset professionem solennem in Societate emissurus, sed in statu coadiutorum perseueraret, vel saltem per plures annos etiam vltra decennium: quæ duratio perpetua, seu vitalis in iure reputatur. Secundò probatur ex iure; nam ob similem causam statuunt est, ne post matrimonium ratum ordinetur quis in sacris, inuita vxore; nam per sacram ordinationem interdicitur vsus, & non dissoluitur matrimonium ratum, vt definit, ac statuit Ioannes XXII. in Extrauag. vnica de voto; ergo cum eadem ratio vrgeat in nostro casu, idem dicendum est. Addo verò vltimò nihilominus, si talia vota de facto admittantur in Societate, valida esse: quia nullum est ius per quod irritentur, & tamen hoc non obstante, si sponsa suum ius petat, negari non debere, nec posse, ne fiat illi iniustitia: debet ergo illi maritus reddi ad cohabitationem, & vsum matrimonij. & Societas etiam suo iure ordinario vtens, posset (& cerrè in eo casu deberet) illa vota remittere, & personam omnino liberam relinquere: si tamen id nõ faceret, posset illa persona reddere debitum, nõ tamen exigere, propter votum castitatis, & mortua vxore nõ posset valide aliam ducere, quia votum illud in Societate factum hanc vim habet. Et ob eandem causam compellendus esset ad Societatem redire, quia se semel tradidit, & traditio rescissa non est, vt supponitur.

Altera pars huius impedimenti est seruitus, quæ est sumpta ex iure communi, & illius etiam meminit Basil. regul. 10. ex fusioribus. Vnde præter suprà tractata præced. tom. in genere de professione religionis, nihil hîc addendum occurrit, nisi, quòd licèt iure communi seruitus non irritet professionẽ, secluſa vi, & ignorantia, sed inducat obligationem satisfaciendi domino modo iure præscripto, vel restituendi seruum, qui nihilominus religiosus manet: Attamen in Societate ex vi huius impedimenti, censeo receptionem, & cõsequenter omnem admissionem in illa fundatam, esse nullam, iuxta generalem doctrinam, quam statim tradam. Ratio autem est, quia seruitus absolutè, & sine vlla restrictione hîc ponitur, vt impedimentum substantiale. Vlterius autem intelligendum hoc existimo durante seruitute; quia non fuisse seruum, sed esse; sicut non fuisse vxoratum, sed esse, ponitur impedimentum, quod apertè verba ipsa significant, *vel seruitute legitimæ vinculo ligatum esse*. Vnde si quis seruus manumittatur à Domino, vel ipse quacunque alia ratione se verè redimat à seruitute, eo ipso tale impedimentum aufertur: pertinebit autem ad prudentiam Prælatorum perspicere, an expediat talem personam recipere, propter infamiam aliquam, vel vilem reputationem, quæ de tali persona semper manet, & considerato fine Societatis, posset illam minus idoneam reddere ad eius munera: quanquã si solùm admitteretur ad ministeria temporalia, minus haberet incommodi. Præterquam quod licet hoc sit verum ex hoc capite, ex alio, scilicet, *ex origine*, talis persona semper erit inhabilis, iuxta ea quæ inferius addemus.

XXV. De vltimo impedimento in fine numeri primi nihil specialiter occurrit notandum; nam & sensus eius clarus est, & ratio manifesta, quæ in ipsamet constitutione attingitur: Nam recipere talem personam esset non mediocre damnum ipsius Societatis, cùm ad illius ministeria inepta sit. Quod etiam est valde consentaneum iuri communi; nam obeadem causam simile impedimentum irregularitatem inducit.

Num supraposita impedimenta talia sint, vt ingressus, & quæcunque incorporatio cum aliquo illorum in Societate facta, nulla sit?

XXVII. Non additur autem in prædictis locis verbum, quo expressè declaretur, hæc impedimenta talia esse,

esse, vt personam reddant omnino inhabilem ad hunc ingressum, ita vt tam professio, quàm omnis incorporatio in Societate inde subsequuta nulla sit: & ideo dubitari potest, an hæc impedimenta talia iudicanda sint. Posset enim quispiam aliquod ex eis tacere, & ita recipi in Societate. Et quamuis cõcedamus in eo grauiter peccare, vt insinuatur in declaratione cap. 2. Examin. lit. A. cum dicitur, *Confessarium debere moneri, vt si quid verè non respondisset, ea de re eius conscientiam extimulet.* Et meritò, quia tale mẽdacium pernicioſum est Societati, & in re valde graui, de qua ipsa ius habet interrogandi, & obligandi ad dicendam veritatem, quia potest in graue suum detrimentum redundare: Nihilominus, si hęc impedimenta non inhabilitant personam, receptio facta, & quidquid ex vi illius subsequutum fuerit, tenebit. Nec obligabitur talis persona ad manifestandum postea suum defectum, & delictum; tum quia nemo tenetur se prodere, neque hoc est delictum, quod videatur ad restitutionem obligare: suppono enim in particulari cessare nocumentum Societatis; quia impedimentum est occultum, & in reliquis persona est idonea, & sufficienter inseruit Societati: tum etiam quia non videtur obligandus quis cum tanto damno suo ad reſarciendum illud qualecunque damnum Societatis, quod in sola transgressione illius cõstitutionis positum est. Quapropter in tali casu non erit sufficiens remedium, quòd *confessor extimulet conscientiam pœnitentis*: Nam licet ille confiteatur suum delictum, vt tenetur, erit absoluendus, si de peccato doleat, etiamsi nolit factum emendare, aut religionem deserere, quia si factum tenuit, ad hoc non tenetur, vel saltem potest probabiliter huic sententiæ conformari: non ergo poterit cõfessor iustè negare illi absolutionem, neque aliquid ei nocere ex vi illius scientiæ per confessionem comparatæ. Multum ergo refert scire in quo gradu hi defectus impediant hunc ingressum. Et videri quidem potest non esse asserendum, hæc impedimenta reddere personam omnino incapacem, cum in ipsa lege id non sit expressum, nam in his rebus odiosis mitior pars sequenda est, vbi rigor non est expressus; imò vbi fauor non repugnat, formalibus verbis legis: hic autem non solum non repugnat, verum etiam est consentaneus generali principio, quòd lex prohibens actum non irritat illum, nisi hoc sufficienter exprimat, vt lib. 5. de leg. cap. 25. ostendi.

Discutitur propositum dub.

XXVIII. Nihilominus dicendum censeo primum, quodlibet ex his impedimentis reddere personam inhabilem: deinde tam primam receptionem, quàm omnem aliam intimiorem admissionem nullam esse; nullamque obligationem inducere. Probo singula, atque prima pars ex verbis institutionum sufficiẽter colligi potest. Nam in cap. 2. Examin. §. 6. post numeratos illos casus subiungitur: *Prædicti casus impedimenta sunt, eum quorum aliquo nemo in Societatem admitti potest*: non enim dixit, *debet*, sed, *potest*, vt intelligatur tam recipienti adimi potestatem, quam recipiendo capacitatem: & ideo ibidem in declaratione litera A. dicuntur hæc impedimenta talia esse, quæ à Societate excludant. Et in 1. p. Constit. cap. 3. additur, *omnino excludunt*; quæ verba planè significant *excludere* quantum Societas potuit; potuit autem personas inhabilitare, vt per se constat, & ibidem in declaratione adiungitur: nec Præpositum Generalem, nec totam Societatem, sed solum Summum Pontificem posse in aliquo ex his impedimentis dispensare. Ac denique in 4. p. cap. 3. §. 2. dicitur, cum aliquo ex his quinque impedimentis nullum in Collegiis Societatis inter Scholasticos collocari posse. Fuit ergo sine dubio mens B. Ignatij omnem in hoc negotio auferre potestatem Societati, & consequẽter alterum inhabilem reddere; nam hæc duo correlatiua sunt. Quocirca, quando in declaratione capituli 2. 2. p. Constit. liter. B. dicitur, *Quoties aliquis deprehensus fuerit aliquod ex quinque impedimentis in Examine dissimulasse, non esse æquum, vt in Societate maneat*, ideo cum hac moderatione dictum videtur, quia regulariter loquendo, etiam non est æquum procurare Pontificis dispensationem, vt maneat; nam sine illa non solùm æquum non est, verùm nec possibile, si ita manere debet, vt membrum Societatis.

Dubii resolutio tripartita.

Atque ex his clarè sequitur secunda pars, scilicet, XXIX. actum esse nullum ex impotentia agentis, & incapacitate passi. Eadem verò pars certior fieri potest ex alio principio, quòd sine acceptatione voluntaria religionis, omnis receptio redditur nulla, vt in superiori tomo generatim tractatum est; quia contractus est mutuus, & ideo debet esse ex vtraque parte voluntarius. Sed in eo casu, quo aliquis occultat huiusmodi impedimẽtum, acceptatio, seu receptio ex parte Societatis, non est voluntaria, vtpote, dolo, & fraude, per ignorantiam facta in re magni momenti iuxta suam regulam; ergo contractus ille validus non est. Declaratur, quia receptio ex parte Societatis in eo casu habet implicitam conditionem, *Si tale est, quod nullum subest substantiale impedimentum*: ergo non subsistente conditione, consensus perinde se habet, ac si non esset positus. Differt autem inter hanc rationem, & præcedentem, quia si hæc nullitas receptionis solùm prouenerit ex occultatione impedimenti, eo quod ignorantia causaret inuolũtarium in recipiente; secluſa illa ignorantia, si Generalis v. g. aliquem reciperet cum illo impedimento, esto ille male faceret, receptio valida esset, quia iam consensus nõ esset inuoluntarius; at verò iuxta priorem rationem, etiamsi ipse Prælatus velit, receptio nunquam erit valida; quia ablata est illi potestas dispensandi, & alioqui impedimentum ipsum irritans est. Et ideo prior ratio est magis per se, & propria; posterior verò moraliter est sufficiens, & efficax, quia receptio cum tali impedimento, moraliter nunquam continget, nisi per putationem, & ignorãtiam. Quæ doctrina in simili sumitur ex Nauar. consil. 26. de regularibus.

Tandem vltima pars manifesta est ex dictis, tum XXX. quia si fundamentum, id est, prima receptio, est nullum, quidquid in eo fundatur, nullum est; imò receptio ad nouitiatum, non potest alia ratione esse nulla, nisi per ordinem ad professionem, quia reliqua omnia, quæ in ea receptione considerari possunt, sunt facti potius, quàm iuris, vt in tom. super. dixi. Tum etiam, quia hoc impedimentum maximè ponitur propter professionem, vel quamcunque incorporationem per vota: ergo ad illam maximè fit inhabilis persona, & in illa maximè est inuoluntaria Societas, quando per ignorantiam illam concedit cum huiusmodi impedimento. Dicere verò potest aliquis, esto professio, vel incorporatio in Societate nulla sit ex parte Societatis, nihilominus ex parte vouentis vota esse valida, ideoque obligare illum ad ea seruanda, vel ad permanendum in Societate: si Societas illum retinere velit, quamuis Societas illum retinere non cogatur. Respondeo (etiamsi fortasse alij aliter sentiant) ex tali professione, vel votorum emissione non oriri obligationem etiam ex parte vouentis, vel ad seruanda vota, si à Societate expellatur, vel ad permanendum in Societate, & admittendam dispensationem in impedimento, etiamsi Societas velit eum retinere, & dispensationem impetrare. Hæc latius probanda sunt ex supradictis in præcedenti tom. de professione inualida. Nunc breuiter ratio prioris partis est, quia ille non emisit illa tria vota simpliciter, & absolutè, sed vt annexa statui religioso Societatis, & traditioni, quã de seipso fecit: ergo si status ipse fuit

nullus, vota nõ possunt obligare, quia accessorium sequitur principale; & quia voti obligatio non excedit intentionem volentis; ille autem non intendit se obligare ad seruandam castitatem, vel pauperatem, nisi in tali statu, in quo ab ipsa religione custodiretur & aleretur, neque intendit se obligare ad obediendum, nisi prælatis Societatis, qui etiam essent prælati sui; si autem ipse à Societate eiicitur, iam non habet prælatum aliquem Societatis, qui suus prælatus sit; ergo obligatio talium votorum nulla fuit; quia conditio tacitè inclusa ex parte materiæ non subsistit. Ratio verò alterius partis est, quia in contractu mutuo æqua debet esse vtriusque partis conditio; ergo si vna non manet obligata ad perseuerandum in contractu, neque alia.

XXXI. Dices, non esse in præsenti parem conditionem vtriusque partis, quia religio bona fide, & per ignorantiam acceptat; alter verò defraudat religionem. At hoc per accidens est, quid enim si receptus bona fide etiam processit? nam tunc etiam actus est inualidus; ergo tunc saltem erit æqua conditio, & libertas ex vtraque parte. Quid etiam si deceptio fuit ex parte Prælati religionis, qui nouit impedimentum, & dissimulauit, cum alius, vel iuris, vel facti inuincibilem ignorantiam haberet; nunquid tenebitur religio eum postea retinere, si ipse velit, & dispensationem impetret? minime, quia vnius Prælati delictum non potest religionem obligare, & præsertim, quia nulla ibi interuenit actio, quæ talem potuerit obligationem inducere. Ergo idem dicendum est ex parte religiosi, quia ipse nullam aliam fecit obligatoriam actionem præter traditionem: illa autem non fuit acceptata: ergo non est vnde maneat obligatio ad perseuerandum in ea voluntate, ex parte sua; quæ reuera potius esset ad iterum se donandum, facta sua ipsius persona habili per dispensationem, nunquam autem ex donatione non acceptata, similis permanet obligatio, per se loquendo: neque ex matrimonio nullo manet per se obligatio ad iterum faciendum illud, ablato impedimento: Idem ergo est in præsenti. Ex fraude autem vel dolo, si intercesit, poterit oriri obligatio ad restituendum religioni sumptus, vel nocumenta, si fortasse ob eam rem aliquid simile passa est, nõ tamen ad religionem profitendam. Et hæc sufficiũt de prædictis quinque impedimẽtis, de quibus, postquam hæc omnia scripseramus, ita Cõgreg. VII. generalis can. 26. sanxit; *Impedimenta quinque, quæ essentialia quinta Congregatio vocat, irritantia sunt vota simplicia & quæcunque sequentem aliam professionem; quo fit vt qui illa tenent, inhabiles, & incapaces ipso facto ad Societatis ingressum, & admissionem sint*, &c. Videri etiam hac de re potest decretum 41. & 43. eiusdem VII. Congreg.

CAPVT II.

De impedimento ex defectu originis, quousque vigeat in Societate.

I. SVperest verò adnotandum, quod in quinta Congregatione generali Can. 3. additum est, nimirum defectum originis, qui est descensus per lineam aliquam ex genere Iudæorum, aut Saracenorũ, quod impedimentum tametsi primarium, seu (vt vocãt) essentiale non sit instar præcedentium, vnde ad caput sequens absolutè reiici posset, quia tamen dicta congregatio eius rationem summopere habendam voluit in admittendo, præsertim ad professionem, operæpretium existimaui tria circa ipsum explicare. Primum est, an licitum fuerit tale impedimentum poni; sed hæc quæstio generalior est; nam plura sunt huiusmodi statuta, tum in Ecclesiis cathedralibus, tum in collegiis, tum etiam in aliis religionibus, de quibus omnibus idem quæri potest, quod propriè spectat ad materiam, de acceptione personarum, & de beneficiis Ecclesiasticis; nam pro certo supponimus, tale statutum ex genere suo licitum esse, quia non in odium nationis, neque in solo respectu nobilitatis, aut ignobilitatis humanæ, sed in ratione aliqua ad commune bonum Ecclesiæ, & fidei conseruationem pertinente fundatur. Sufficiensque fundamentum est talia statuta per tot viros doctrina, & sanctitate illustres esse facta. Et, quod caput est, esse per plures Summos Pontifices approbata. In speciali verò hoc confirmat Caietan. tom. 1. opusc. in vlt. respons. 6. quia receptio ad religionem prout terminatur ad has, vel illas personas non est debita, sed voluntaria religioni, & ideo libere potest statuere, vt cum tali conditione non admittantur.

Num licuerit tale impedimentum poni.

Secundum dubium esse potest, an fuerit expediẽs in tali religione, & tali tempore addere hoc impedimentum, quod ab ipsis fundatoribus positum nõ fuerat. Sed hæc quæstio prudentialis est; vnde, nec ad nos pertinet eam tractare, nec commodè fieri posset, nisi in medium afferendo omnes particulares circumstantias, quæ ad hoc impedimentum addendum Societatem mouere potuerunt, quod nimis esset prolixum, & à nostro instituto multis rationibus alienum. Certum ergo est, decursu temporum potuisse experimento cognosci, aliqua pericula vel incommoda religioni imminere ex consortio, & conuictu talium personarum; vel etiam ad bonũ nomen totius religionis, vt posset apud seculares omnes habere existimationem conuenientem, ac necessariam ad sua ministeria, vt dicta Congregatio attigit, cum fructu exercenda, necessarium esse non admittere eos, qui hanc notam habent, ac proinde potuisse esse expediens hoc impedimentum addere, licèt in principio positum non fuerit, quia res humanæ non statim perfectæ oriuntur, neque omnia incommoda statim cognoscuntur.

II.

Num Congregatio generalis Societatis potuerit tale statutum condere?

TErtium dubium est, an potuerit Congregatio generalis Societatis tale impedimentum ponere? Quod in quæstionem non vertissem, nisi quæstionem similem à Doctore Nauarro tractatam inuenissem in consil. 26. de regular. quod incipit, *Ora sunt grauia dubia*. vbi refert capitulum generale Minorum simile institutum fecisse, & inquirit, an potuerit id facere; ac respondet, non potuisse: nec dubitat dicere errasse circa illud statutum, quamuis sine peccato, vel omnes, vel maiorem partem eorum Patrum, qui illi capitulo affuerunt, etiam si fuerint sanctissimi, & eruditissimi, vt ipse dicit. Nauarrum sequitur Sanchez referens alios lib. 7. de matr. disput. 37. num. 30. Fundamentum est, quia tale statutum est contra ius canonicum; & nullus inferior Papa, potest condere statutum contra canonicum ius, iuxta ea, quæ notantur in cap. *Quod super his*. de maiori. & obedient. Maior probatur, quia iure communi omnes Christiani, non habentes impedimentum canonicum, sunt apti, vt recipi possint in religione approbata; sed hic defectus originis non est impedimentum canonicum, quia nec iure diuino, nec Ecclesiastico positum est, vt latè ibi prosequitur; ergo, &c. Secundò argumentatur idem Nauarr. quia circa ea, quæ pertinent ad tria vota solemnia religionis, dispositio pertinet ad solum Papam. Argumento cap. *cum ad monasterium*. de statu monachorũ; ergo nullus inferior Papa potest disponere, vt professio hoc vel illo modo facta valeat, vel etiam non liceat. Hanc verò opinionem Emmanuel Rodericus to. 1. regul. quæst. q. 10. art. 3. ita

ita temperat, & sequitur, vt religio non possit quidem facere hoc statutum irritans professionem, vel receptionem talem: possit tamen prohibere illam bona intentione, & iustis de causis, quia impedimentum inhabilitans aliquos ad id, ad quod secundùm ius canonicum habiles erant, summa authoritate Pontificis effici debet.

IV. *Sententia affirmans.* Nihilominus contrariam sententiam certam existimo: & in nostro particulari casu indubitanter affirmo, potuisse Societatem talem constitutionem efficere, & impedimentum illud, vt substantiale, & irritans apponere. Et primò sumo argumentum ab authoritate eorum Patrum, qui in illa congregatione interfuerunt, qui sine dubio erant, & multi, & doctissimi, & religiosissimi, quos neque contra propriam conscientiam egisse verisimile est, neque etiam contra debitam scientiam errasse: nam licèt vt homines ignorantiam, & errorem habere potuerint, vt Nauarrus dicit, per se tamen credibile est, tot, ac tales homines illam non habuisse, præsertim in re pertinente ad proprium ius, propriamque actionem, & potestatem, de quo saltem dubitare, & interrogare debuissent. Accedit quod in conspectu Vrbis, & Orbis, vidente, & tacente ipso Pontifice Summo, tale statutum conditum est, & executioni mandatum, & deinde inuiolabiliter obseruatum. Secundò, id probo ex generali potestate concessa à Summis Pontificibus Societati, ad condendas particulares cõstitutiones *libere & licite*, quas ad eiusdem Societatis finem, & Christi Domini gloriam, & proximi vtilitatem, conformes esse iudicauerit, *Et tam hactenus factas, quam in posterum faciendas, iuxta locorum & temporum, ac rerum qualitatem mutare, alterare, seu in totum, cassare possit, & valeat, quæ postquam mutata, alterata, aut de nouo condita fuerint, eo ipso Apostolica authoritate confirmata censeantur.* Hæc enim sunt verba Pauli III. in 1. bulla Confirmationis: & latius in 2. quæ successores eius, præsertim Iulius III. & Greg. XIII. amplissimè confirmarunt. Fortasse verò aliquis ex Nauarro suprà, in quadam solutione ad quartum respondeat, Constitutiones intelligi confirmatas à Papa quatenus sunt licitæ, & honestæ, & non sunt contra ius commune, nec contra sacros Canones: hoc autem statutum non esse huiusmodi; quia licèt per se, & ex obiecto non sit illicitum, illud condere sine debita potestate est illicitum. Sed hoc est petere principium, nam hoc est quod inquirimus, an scilicet hoc factum sit sine sufficienti potestate: ex dictis autem bullis colligimus non defuisse potestatem. Quia verò Nauar. in hoc vim facit, quòd illa potestas non se extendit ad faciendam regulam sacris canonib. contrariam, qualem putat esse hanc constitutionem, ideò accuratè hoc distinguendum est.

V. Vnde argumentor tertiò, quia hoc statutum non ita est iuri communi aduersum, vt propterea censendum sit reseruatum Pontificiæ potestati; ergo nulla ratio est, cur non potuerit à Generali Congregatione fieri. Consequentia euidens est, ex argumento proximè facto, & ex fundamento Nauarri, & quia non potest alius coloratus titulus huius impotentiæ excogitari. Antecedens verò declaratur ex quadam doctrina communi in materia de iure naturali, quam attigimus in libro 2. de legib. c. 14. Dicunt enim doctores dupliciter posse legem inferioris esse contra ius superioris: vno modo ponendo; alio modo negatiuè tantùm; seu vno modo contra ius prohibens, alio modo contra ius concedens, seu non auferens aliquid, vt v. g. stando in iure naturæ, dicuntur omnia bona externa esse communia, quia author naturæ ita illa concessit, nec diuisiones fecit; non tamen fieri prohibuit per hominum voluntates, & ideo proprietas rerum, seu dominiorum, licèt dici possit negatiuè contra ius naturæ, quia per illud introducta non est, non tamen dici positiuè contrariam, quia per illud non est prohibita. At verò propria authoritate hominem in captiuitatem redigere, est contra ius positiuum, quia libertas vnicuiq; data est, vt proprium bonum, quod violenter auferre ipsum ius naturæ prohibet. In præsenti ergo statutum hoc dici potest contra ius commune *negatiuè*, non tamen *contrariè*: quia ius commune, & canonicum, non facit inhabiles ad religionem huiusmodi habentes defectum originis: Nullum est tamen ius canonicum quod præcipiat eos esse habiles ad omnem religionem, seu quod prohibeat eos excludi ab aliqua religione: nullum enim tale ius Nauar. affert, neq; opinor afferri posse. Statutum ergo positiuè contrarium iuri communi non potest fieri per inferiorem Summo Pontifici, vt benè probat Nauar. Probabile etiam est generalem clausulam per quam datur potestas à Summo Pontifice ad condenda statuta, non extendi ad statuta positiuè contraria iuri communi, quia iuri communi non derogatur per generalia verba, nisi id simpliciter necessarium sit, vt habeant conuenientem effectum: est enim illa potestas quoad hoc odiosa, & ideo restringenda. At verò statutum, quod solùm negatiuè est contrarium iuri communi, fieri potest per potestatem inferiorem Summo Pontifici; magis enim repugnat statutum valere contra ius naturale, quàm contra humanum superioris prælati; ergo si statutum solùm negatiuè contrarium, iuri naturali potest esse contrarium, multo magis negatiuè contrarium iuri canonico. Ratio verò à priori est, quia tale statutum non est contrarium voluntati Pontificis, nec legi eius: ergo ex illa contrarietate non est inualidum. Vnde in rigore illa non est contradictio, seu oppositio, sed addictio, vel effectio alicuius moralis effectus, quem Pontifex lege sua facere noluit, non prohibuit autem fieri ab habentibus potestatem. Ex quo à fortiori sequitur, sub generali potestate data à Papa ad condenda statuta, includi illa, quæ cùm aliàs honesta sint, non sunt positiuè contraria iuri communi; etiãsi negatiuè dicantur cõtraria, quatenus aliquid auferũt, vel irritant, quod ius cõmune nõ aufert, vel irritat, quia per hoc nihil derogatur iuri communi; nec talis potestas odiosa est, & ideo nõ est restringẽda, sed potiùs amplianda, tãquã Principis beneficiũ.

Lex inferioris dupliciter potest esse contraria iuri superioris.

VI. Primum ergo fundamentum Nauarri in numero 3. ex dictis manifestè solutum est. Secundum autem parui est momenti; nam licèt solemnitas voti quoad illius effectus legales, in quibus ipsa consistit, sit de iure Pontificis, & non de particulari alicuius religionis, nihilominus particulares conditiones necessariæ ad tale votum emittendum, possunt ab vnaquaque religione, iuxta modum sibi conuenientem, sanciri, & in his aliquid addere, quod iure communi requisitum non sit; & nihilominus in tali religione sit necessarium ad professionis, vel receptionis valorem. Quod probo ad hominem, euidenti exemplo; nam iure communi solùm est necessaria ætas 16. annorum ad faciendam validam professionem, & nihilominus potest aliqua religio statuere, vt in ea non fiat, vsque ad 18. vel 22. annum, & antea facta valida non sit, vt est communis sententia, quam præcedenti tom. tractando de professione in genere probaui, quàmque ipse Nauar. manifestè vt veram suppohit, consil. 24. de regul. quod incipit, *Quinque quæstiones*, in q. 2. ratio verò reddi potest, quia licet status religiosus in genere, non postulet hanc, vel illam conditionem in his, qui ad illum recipiendi sunt, vt conuenientem ad communem finem illius status: fieri tamen potest, vt ad finem illius status determinati ad tale institutum conditi illa moraliter expediat: ergo oportet, vt talis conditio, per aliquod ius statui

posit; non potest autem hoc pertinere ad ius commune, quia illud (vt ipsum nomen præ se fert) commune est omnibus religionibus: ergo necesse est, vt in religione sit potestas ad tale ius proprium, & speciale condendum. Nec oportuit semper hanc potestatem in particulari à Pontifice postulari: nam si alia, quæ ad religionis regimen spectant, per generalem concessionem commissa sunt, cur non etiam hæc potestas? Accedit etiam alia ratio, quòd nimirum potestas recipiendi in tali religione, & acceptandi professiones, & vota, per se primò est in tota hac religione; & ipsa potest ampliare, vel limitare potestatem suorum prælatorũ, circa huiusmodi actum: ergo potest limitare hanc facultatem ad personas habentes, tales, vel tales conditiones, quas rationabiliter iudicat sibi conuenientes, ita vt illa potestas ad alias personas non extendatur, sicut declarauimus posita esse in Societate quinque prima impedimenta iam explicata. Vnde etiam intelligi potest, quædam notanda differentia inter admissionem ad religionem, & ad beneficium Ecclesiasticum, vt canonicatum, &c. à quibus etiam videtur Nauar. sumere argumentum, quia Episcopi, vel Ecclesiæ particulares non possunt circa hoc simile impedimentum sine approbatione vel confirmatione Pontificis ponere. Est autem ratio diuersa, tum quia religio habet quasi antecedentem concessionem & confirmationem Apostolicam per generalem clausulam suprà num. 4. allatam, quàm alij, fortasse non habet, & qua citatus Sancius contentus esse videtur: tum maximè quia beneficia Ecclesiastica sunt veluti communia bona Ecclesiæ, quę ex vi suæ institutionis communi quodam iure distribuenda sunt, & ita nemo potest excludi ab eorum participatione, nisi authoritate vniuersalis dispensatoris talium bonorum; in admissione autem ad religionem ipsa distribuit, seu communicat (vt sic dicam) quoddam bonum, sibi quodammodo proprium, scilicet, Societatem suam, seu vnionẽ secum, & ideo talis boni communicatio ad ipsam specialiter pertinet; potest ergo illud communicare quibus sibi expediens iudicauerit, & non alijs. Denique si hæc receptio consideretur, vt contractus quidam inter religionem, & conuersum, etiam ex hoc capite liberum est religioni contrahere cum his conditionibus, & sine illis nolle, vt contractus validus sit. Vnde nihil etiam obstat, quod de impedimento canonico inhabilitante dicebatur, tum quia hæ personæ non sunt positiuè habiles iure canonico, sed tantùm negatiuè, id est, per illud non factæ inhabiles, & hoc modo ad addendum impedimentum præter ius canonicum, non semper est specialis potestas Pontificia necessaria, sed generalis concessio sufficit: tum maximè quia hoc impedimentum, non necesse est intelligi ex parte personæ recipiendæ, irritando illius consensum, ad quod fortè necessaria est maior potestas: sed hic sufficienter intelligitur ex parte religionis, quia ipsa non vult præbere consensum suum, sine quo talis contractus validus esse non potest.

Discrimen inter admissionem ad religionem, & ad Ecclesiasticum beneficium.

CAPVT III.

Quæ probatio antecedere debeat, quæve conditiones seruandæ sint, vt aliquis conuenienter in Societatem recipiatur?

I. POtest hoc inquiri tam ex parte ingressuri, quàm ex parte habentis potestatem admittendi illum; & quoad vtramque partem sufficienter prouisum est, in constitutionibus Societatis, in prędicto Examine c. 3. & 4. & in 1. p. Const. cap. 3. & 4. vnde vnico verbo respondere possemus, si ea omnia seruentur, quæ ibi præscribuntur, satisfactum iri interrogationi propositæ, quoad vtramque personam. Vt tamen breuiter ostendamus, quàm sint illa, & antiquitati Ecclesiæ, & rationi consentanea, ea breuiter perstringemus, & primò declarabimus obligationem ex parte Societatis, & inde facilè constabit quid de ipso petente admitti dicendum sit.

Generalis resolutio huius capitis ex instituto Societatis.

Prima Conclusio.

II. Primùm ergo, vt hæc receptio debitè fiat, diligenter curandum est, vt intelligatur, an persona habeat dotes naturæ, & gratiæ conuenientes huic instituto, iuxta aliquem gradum eius tali personæ accommodatum, & consequenter an habeat plures, aut aliquos defectus, ex his, quæ in prædictis constitutionibus numerantur, & prædictas dotes excludunt, vel notabiliter minuunt. Tota hæc assertio per se consentanea rationi, quia nihil magis est debitum religioni, nec magis necessarium ad conseruationem eius, quàm vt hi, qui recipiuntur, apti, & idonei sint ad finem talis religionis, vt omnes antiqui Patres religionum docent; & præsertim Basil. regul. 10. ex fusiùs disputatis, & regul. 94. & sequentibus, & regul. 107. & 112. ex breuioribus, & optimè Bonauent. in 4. p. opusculorum in expositione suæ regulæ. q. 10. per totam, vbi ostendit, neque ipsi religioni, neque Ecclesiæ Dei expedire, vt omnes admittantur, *Omnes* (inquit) *passim recipere non expedit nobis, nec Ecclesiæ Christi: nobis non, quia variæ sunt conditiones hominum, qualitates, & mores.* Hinc etiam Nicolaus III. in cap. *Exiit qui seminat.* §. *Verum quia.* vers. *sed quoniam.* de verb. signif. in 6. grauiter commendat prælatis Minorum, ne indifferenter omnes admittant ad ordinem, sed eos tantùm, *qui suffragantibus assumptura, idoneitate, vel aliis circumstantiis, possint vtiles esse ordini, sibique per vitæ meritum, aliisque profectum per exemplum.* Similia habet Martinus V. in suis constitutionibus. cap. 2. Sic igitur B. Ignatius. 1. p. Const. c. 1. §. 3. *Plurimum referre* (ait) *ad diuinum seruitium conuenienter haberi delectum eorum qui admittuntur, & diligentiam adhiberi, vt intelligatur, quæ eorum sint dotes, & vocatio.* Vbi in declaratione lit. C. optimè dicit, *vt par est soluatè cooperari vocationi, & motioni diuinæ, curando vt augeatur in Societate numerus operariorum vineæ Christi Domini nostri; ita diligenter considerare oportet, ne quis admittatur, nisi qui domi illis Dei præditus sit, quæ hoc instituto ad ipsius gloriam exigit.* Et in ca. 2. & 3. magis in particulari dotes, conditiones necessarias, & vtiles describit, de quibus statim pauca dicemus. Et ca. 4. iterum subiungit. *Nobis in Domino valde persuademus ad hoc, vt diuina, & summa maiestas ministerio huius minimæ Societatis vti dignetur, multum referre, vt qui ad eam admittuntur non solum diu probentur, antequam in eius corpus coaptentur, verum etiam vt valde noti sint, antequam ad eam probationem admittantur.* Ac eandem p. 10. §. 7. *Vt perpetua* (inquit) *totius huius corporis bonus status conseruetur, confert plurimum quod in 1. 2. & 5. p. dictum est de turbis, & hominibus ad nostrum institutum ineptis, vt ne ad probationẽ quidem admittantur.* In quibus verbis docere voluit B. Ignatius, non esse homines in Societate recipiendos, solùm propter illam augendam, seu propagandam, quia bonum eius, non in personarum multitudine, sed probitate, & aptitudine ad ministeria consistit. Quod de religionibus omnibus mendicantibus prudenter admonuit Caiet. 2. 2. q. 188. à. 7. ad 1. Imò in simili id docuit Innocent. III. in c. *cum sit.* de ætat. & qualit. dicens. *Sanctius est paucos bonos, quàm multos malos habere ministres, quia sicuis sancta ducatum præstet, ambo in foueam dilabuntur.* Loquitur ac. de sacerdotibus, ad quos pertinet regimen animarũ, *quæ est* (inquit) *ars artium.* Vnde cum omnibus religionibus hæc animaduersio conueniat, maximè est in Societate necessaria, eo quòd religio clericorũ sit, & ad

& ad animarum ministerium instituta. Quare optime etiam illi accommodatur, quod dixit Clemens Papa in epist. 2. *Melius est enim Domini sacerdotium paucos habere ministros, quam multos inutiles, qui onus graue ordinatori adducant*: Habetur in ca. *Tales* d. 23 vt omittam eò huiusmodi ministros in maiori æstimatione ab hominib. haberi, quò rariores sunt, iuxta illud Hieronymi; *Quod rarum est plus appetitur, diaconos paucitas honorabiles, presbyteros turba contemptibiles facit.* cap. *Legimus* d. 93. ex epist. 85. ad Euagrium. Sic etiam referunt solitum esse B. Franciscum dicere; *Vtinam fratris mei essent adeò pauci, vt quando homines viderent illos, mirarentur.* Denique hoc etiam illud confirmat, quod multitudo sine delectu congregata, quod B. Ignatius turbã vocauit, non potest conuenienter, & cum fructu totius corporis gubernari. Nam etiam Aristoteles dixit 3. Polit. c. 11. plurimorum politiam difficilè bonam esse, quia plures ad virtutem ducere arduum est; quantò ergo erit difficilius, ad perfectionem virtutis eam perducere, maximè si absque delectu personarum congregata est. Propter quod tandem dixit Bonauent. q. 19. inter causas propter quas aliqua religio, à suo primo feruore discedit, præcipuam esse multitudinem intrantium, si non cum magna prudentia recipiantur.

Cerduba circa regulã in intpdu ctione q. 3. refert.

III. Atq; hinc tandem nota est assertionis ratio, quãdo enim persona, quæ Societatem ingredi cupit (in quo eadem proportio est, de qualibet alia religione) sufficienter cognoscitur quoad omnes cõditiones, & qualitates suas; tunc cessat necessitas alterius diligentiæ, solúmq; oportet rectitudinem obseruare, vt non priuato affectu, sed intuitu maioris boni, primùm religionis, deinde religiosi, receptio, vel fiat, vel denegetur; in quo grauis culpa committi poterit, vel contra iustitiam fortasse respectu religionis, vel contra charitatem respectu conuersi, si ex prauo affectu; vel notabili negligentia, aut idoneus repellatur, aut admittatur indignus. Si autem conditio, & capacitas personæ cognita non est, imprudentissimum profectò erit, talem personam statim admittere, sine sufficienti inquisitione, & examinatione. Nam vel admittitur, vt, qualiscunq; sit, retineatur; & hoc est in magnum religionis præiudicium, vt ex omnib. dictis constat: quod maximè verum est in Societate, propter finẽ, & grauissimas actiones quibus incumbit, quia sic facilè fieret, vt ad suum finem consequendum inutilis redderetur, quod etiam in maximum Ecclesiæ detrimentũ redundaret. Vel recipitur, vt si postea minus idoneus reperiatur, statim repellatur; & hoc etiam, & ipsi personæ iniuriosum est, quia turpius postea eijcietur, quàm antea non admitteretur. Religioni etiam hoc esset onerosum, tum propter inutiles labores, & sumptus in huiusmodi personis positos; tum etiam, quia non sine nota, & scandalo aliorum fieret tam temeraria receptio, & frequens dimissio.

Secunda Conclusio.

IV. Secundò ergo principaliter colligo, & affero conuenientissimè in Societate præscriptas esse duas diligentias ante hanc receptionem præmittendas. Vna est examinatio ingredi volentis. Altera est probatio eius, quæ vocatur prima in hac religione, quia cæteras antecedere debet, & post illam, aliæ sequuntur ante professionem: vel etiam dicitur prima, quia est ad primum ingressum. Circa examinationem recolendum est, quod suprà initio huius 2. libri dixi, hic non esse sermonem de his, quæ necessaria sunt iuri communi, sed speciali Societatis. Hic ergo non agimus de examinatione, aut inquisitione ex vi Constitutionis Sixti V. agenda, quæ nouior est, quàm Societatis Constitutiones, & seruanda in Societate, sicut in alijs religionibus, nisi specialem aliquam declarationem, seu concessionem circa illam habeat à Sede Apostolica, cuiusmodi est illa Greg. XIV. quæ incipit, *Exponi nobis*. Vel nisi vti velit quacunque moderatione in hac parte alteri religioni concessa; Nam id etiam facere poterit per viam communicationis, ratione suorum priuilegiorum, nisi in ipsa concessione talis communicatio specialiter prohibita sit. Denique inquisitio illa Sixti V. ab alijs personis de ipso conuerso præcipuè petenda est. Hæc autem examinatio, quæ in Societate præscribitur, cum ipso immediatè peragitur; ipse enim est, qui interrogari debet, & qui se ipsum manifestare, per varias interrogationes cogitur, quæ in dicto cap. 3. Examinis fusè proponuntur, & omnes eò tendunt, vt personæ capacitas naturalis, & habitualis dispositio, & actualis vocatio, seu conuersio probè cognoscatur: ex his enim tribus capitibus maximè pendet dignitas, seu idoneitas personæ, ad tale institutum. Neq; oportet de his interrogationibus plura in particulari dicere, quia res est clara, & tantùm prudentialis; aliquid verò statim attingemus, declarando impedimenta, quę huic ingressui aliquo modo obstare possunt, quanuis non irritent.

De prima diligentia ex parte Societatis faciendo, qua est recipiendi examinatio.

Dicet verò aliquis huiusmodi examinationem parui esse fructus, si nulla exigitur probatio, præter proprium testimonium conuersi de se ipso, qui facilè poterit (quod humanum est) exaggerare bona; & defectus vel occultare, vel minuere. Respondeo, imò rem esse magni momenti. Primò, quia ipse conuersus in conscientia tenetur syncerè, ac purè veritatem aperire: Nam eo ipso quod vult, quasi pactum cum Societate inire, & ideò examini volũtariè se subijcit, iustè interrogatur, & consequenter veritatem aperire tenetur: neq; etiam quasi bellum iustum ex vtraq; parte esse potest. Declaratur: nam si quis cum alio conuenire velit in emptione equi, vel alterius rei similis, & eius conditiones inquirat, quæ ad rem faciunt, & ad suam vtilitatem, vel cõmoditatem spectant: tenetur sine dubio veritatem respondere: multò ergo magis in præsenti, quia negotium grauius est, & receptio magis liberalis, & voluntaria. Quin potiùs tantã esse censeo hanc obligationem, vt si quis nimiùm in hac falsitate excederet, & deciperet religionem in rebus grauioris momenti, & quæ redderent personam prorsus inutilem ad talem religionem, fieret receptio nulla: non quia in tali persona sint impedimenta inhabilitantia personam: sed quia religio decepta in re substantiali, non videtur consentire receptioni, quia talis ignorantia inuoluntarium causat: iuxta superiori tomo dicta de professione ex ignorantia facta: quando autem deest consensus legitimus recipientis, receptio inualida est, argumento cap. vltim. cum Glossa. de regular. in 6. Hoc tamen certum non est. Nauar. enim in consil. 48. de regular. quod incipit, *Primò quæritur*. tractans an professio facta tacito morbo Gallico, vel contagioso nulla sit? Respondet, si religio habet statutum confirmatum à Papa annullans talem professionem, illam esse nullam; si autem non habet tale statutum, attento iure communi, non esse nullam. Non reddit autem aliam rationem nisi, quia ægritudo etiam mortifera non annullat professionem. Supposito autem quòd impedimentum non inhabilitet personam, nullum videtur posse esse maius, nec reddere religionem magis inuoluntariam, quàm similis ægritudo, vel deceptio circa illam; sed hoc in particulari pendet ex iudicio prudentiali, nam in generali dubium non est, quin dolus possit esse tantus, vt omninò tollat consensum ad inducendam obligationem, vt in simili dixit idem Nauar. consil. 46. de regular. quod incipit, *Herus*. n. 4. cum Panormitano in cap. *cum dilectus*. de his, quę vi.

V. *Obiectio.*

Soluitur primo.

Grauis deceptio inualidat receptionem ad non uitium.

Et id-

Et ideo dixi debere esse deceptionem in *substantialibus*, quia illa planè tollit consensum, vt in quolibet alio contractu constat. Benè autem addit Nauar. in priori loco, si talis deceptio sit in re graui, etiamsi non annullet actum, peccatum esse mortale, propter quod potest prælatus excellere talem personam à religione, & priuare habitu.

VI. *Secunda solutio.* Deinde respondetur ad interrogationem factam, examinationem hanc, alijs etiam rationibus esse valdè vtilem, tum quia in illa multum cognoscitur persona, & iudicium eius in modo respondendi, & in multis alijs, quæ occasione talium interrogationum occurrere solent: tum etiam quia examinator, non semper est simplici interrogatione contentus, sed quantum potest, instare debet, & aliquando etiam experiri, an ita sit, quod ab alio respondetur. Deniq; quia licèt interrogationes primò fiant ipsi conuerso, non prohibetur quin vbi oportuerit, maior inquisitio, & veritatis examinatio fiat, cuius rei occasio ex responsionibus ipsius petentis sæpius sumi potest.

VII. *De secunda diligentia quæ est ipsius recipiendi probatio prima.* Secunda diligentia, est prima probatio eius, qui recipiendus est, quæ in Societate fieri debet antequam ad communem conuictum quis admittatur. Nam licèt ex prædicto examine nihil resultet, quod receptionem quoquo modo impedire valeat, sed persona appareat idonea iuxta ea, quæ institutum exigit; non est contenta Societas, sed probare etiam vult, quoad commodè potest, an hoc ita sit, & præsertim quoad vocationem, & constantiam eius: & quoad capacitatem ad spiritualia exercitia, & ad literarum profectum, vel ad corporales labores si in eis exercèdus sit. Propter hanc ergo causam in Examine cap. 1. §. 13. statuitur, vt recipiendi, hospitum more, ad duodecim, vel quindecim dies in loco aliquo separato commorentur, vt ibi probentur priusquam recipiantur. Quod genus probationis satis consentaneum est tam iuri, quàm antiquæ consuetudini religionum. Primum patet ex cap. *Si quis incognitus.* 17. quæstione 2. vbi probandi dicuntur, qui religionem ingredi volunt antequam ad habitum recipiantur. Idem sumitur ex cap. *Monasterij.* 19. quæst. 3. Secundum patet ex Cassiano lib. 4. de institutis renuntiantium. cap. 3. vbi refert mirabilem probationem, quæ inter antiquos illos Patres in vsu erat; Nam conuersus diebus decem, vel eò amplius detinebatur pro foribus excubans, indicium perseuerantiæ, ac desiderij sui, pariterque humilitatis, ac pœnitentiæ demonstrans, & genib. omnium fratrum prouolutus, opprobrijs, & iniurijs ab omnibus tolerantia eius probabatur. Et ad idem alludit cap. 32. vbi Pynuphius Abbas sic ad quendam, quem recipiebat, alloquitur: *N sti quot diebus pro foribus excubans, hodie sit receptus.* Benedictus etiam in regula, ca. 58. ait, non esse facilè concedendum ingressum petenti, sed consilium Euangelistæ Ioannis epist. 1. cap. 4. seruandum esse: *Probate spiritus an ex Deo sint*; ad quem finem, ait, priùs extra monasterium detinendum esse per aliquot dies, & patientiam eius, tum dilatione, tum etiam aliquibus iniurijs probandam: postmodum verò intra monasterium in hospitio esse detinendum per aliquot dies, priusquam ad nouitiatum admittatur. Quæ non sunt à mente Basilij aliena, vt ex regula 10. ex fusioribus, & ex alijs suprà citatis, intelligi potest, & idem colligitur ex regula Pachomij c. 26. & ex Ioanne Climaco, gradu 4.

Genus hoc probationis iuri, & consuetudini antiquarum religionum esse conforme.

VIII. *Primum huius probationis genus, & à B. Ignatio commendatum.* Primum autem probationis genus in hoc tempore, quo prima probatio durat, est videre, & cõsiderare diplomata Apostolica instituti Societatis, & constitutiones, ac regulas, quas vnusquisque in ea est obseruaturus, vt in prædicto loco Examinis dicitur. In quo duo aguntur. Vnum est, vt qui ingreditur maiorem cognitionem, & lucem habeat status, quem assumit; aliud est, vt Societas magis, ac magis probet constantiam eius, dum considerata perfectione, & difficultate instituti in eius amore, ac desiderio perseuerat. Illud enim B. Ignatius maximè commendatum reliquit, nimirum, vt dispositio, & constãtia, ac stabilitas eius, qui ingredi vult diligentissimè inspiciatur, & examinetur, vt patet ex cap. 2. Examinis. §. 13. & 14. Et 1. p. Constit. cap 3. §. 10. & 11. Fuitque consilium B. Basilij loco proximè citato, & in Const. Monast. cap. 20. & S. Bonauenturæ in expositione suæ regulæ cap 2. Quoniam autem Societas religio (vt diximus) clericorum est, in hoc modo probandi constantiam imitari voluit S. Ignatius, & antiquos Canones, & priscarum religionum mores. Sic enim in 6. Synodo cap. 2. à promouendo in Episcopum canones, & regulę, quas in eo munere obseruaturus erat, legendæ, & considerandæ dicuntur, & non priùs consecrandum esse Episcopum, quàm ea se posse, & velle seruare, profiteatur: quod latiùs etiam habetur in authentica, *Quomodo oportet Episcopos.* §. *Si detur.* De Episcopis autem, ac cæteris clericis, sic dicitur in Concil. Carthagin. III. cap. 3. & habetur in cap. 7. d. 38. *Placuit, vt ordinandis Episcopis, vel clericis priùs ab ordinatoribus suis decreta Conciliorum auribus eorum inculcentur, ne si aliquid contra statuta Concilii fecerint pœniteat.* Et in Concil. Tolet. IV. cap. 25. & habetur in ca. 2. ead. d. 38. *Quando presbyteri* (ait) *in parochijs ordinantur, libellum fidelem à suo sacerdote accipiant, vt ad Ecclesias sibi deputatas instructi accedant.* Vbi liber officialis dici videtur, qui obligationes proprij muneris, & officij, seu status assumendi, continet, vt Archidiaconus notauit. Quod verò ad religiosos spectat, D. Benedictus dicit. cap. 58. suæ regulæ, generatim dicit, vt cupientiingredi res asperæ, & difficiles, quas obseruaturus est, proponantur. Vbi Smaragdus in expositione illius regulæ idem ex Augustino, & Isidoro refert; Et sine dubio est per se valdè conueniens, vt maiori cum luce procedatur, ne genus aliquod ignorantiæ, aut deceptionis possit postea nouitius allegare. Propter quod dixit Præpositus in dicto capite *placuit* non posse nouitium allegare ignorantiam, quando constitutiones, & regulæ illi fuerunt specificè declaratæ.

Confirmatur ex eius Constitutionibus.

Probatur ex lege vt facta decreta &c.

IX. *Secundum probationis genus, & eius fructus.* Secundum genus probationis, ac simul præparationis, est, vt ingrediens, his diebus in actionibus spiritualibus meditationis, ac pœnitentiæ exerceatur, & confessionem generalem faciat, ac tandem sacramentum Eucharistiæ accipiat. ita habetur in cap. 4. Examinis §. 41. & 1. p. cap. 4. §. 6. Quæ omnia sanctè instituta esse, per se manifestum est: & duos etiam habet fines. Vnus est, quia hoc modo probatur capacitas, & propensio ad exercitia spiritualia, & corporis asperitatem. Alius est, quia hoc modo simul disponitur ad maiorem Dei gratiam, & auxilium recipiendum, vt maiori feruore, & animi puritate perfectionis statum aggrediatur. Vnde similis regula de confessione generali præmittenda Cistertiensis cap. 35. num. 155. Idem etiam consulit Bonauentura in speculo disciplinæ c. 1. Turrecrem. tract. 128. in regulam S. Benedicti. Et videri potest Alens. 4. p. q. 77. memb. 5. art. 3. Hoc etiam confirmat fauor Summorum Pontificum varias indulgentias, & gratias concedentium his qui religionem ingrediuntur, vt sic meliùs sint dispositi ad auxilium diuinum obtinendum, atque ita in Societate conceditur per communicationem ex priuilegijs Minimorum, indulgentia plenaria, & omnium peccatorum remissio, vt ex compendio priuilegiorum constat, verbo, *Indulgentia.* §. 4.

Secundum huius probationis fructus.

X. *Tertium huius probationis fructus.* Tertiò solet etiam, qui recipitur, si ad gradum scholarium est dirigendus, probari in his, quæ ad doctrinæ, & ingenij specimen pertinent, vt constat ex 1. p. Constit. c. 4. §. 5. Si verò ad ministeria tempo-

ralia

ralia recipiatur, in his actionibus, quæ ad vires corporis pertinent, diutius probari solet iudicio superioris iuxta varietatem personarum, decenti modo, & vnicuiq; accommodato. Quæ omnia per se sunt adeò rationi consentanea, vt nulla alia ratione, vel declaratione indigeant.

Tertia Conclusio.

XI. Dicendum tertiò est, conuenienter postulari, & designari in Constitutionibus Societatis dotes, seu conditiones requisitas in his, qui ad illam admittendi sunt, & impedimenta, quæ aut prohibere, aut difficilem reddere possunt ingressum. Ratio generalis sumenda est ex fine Societatis: nam cum sit status religionis valde perfectus, requirit in primis ea omnia; quæ ad hunc statum ex sua generali ratione necessaria sunt. Quia verò amplectitur magna ex parte, & cum magna perfectione vitam cõtemplatiuam, postulat, quoad fieri possit, naturam, & mentem huic exercitio accommodatam, non enim omnes apti sunt ad otium, & quietem contemplationis, vt suprà tract. superiori cap. 1. nu. 12. ex Gregorio referebamus. Quia verò principaliter hæc religio ordinatur ad perfectissimas actiones, quæ vltra diuinam gratiam multa naturæ dona, magnamq; prudentiam, & eruditionem requirunt: ideo in his omnibus quoad fieri potest, magnã perfectio, vel dispositio ad illam in ijs qui admittuntur desideratur. Denique quia difficile est hæc omnia in vnum coniungere, & nonnihil potest esse periculi in externis actionibus, & præsertim in peregrinationibus, & missionibus, ad quas maximè Societas, ex vi sui instituti, dicata est, ideo quædam naturæ, & passionum moderatio in admisso postulatur, quæ sine nimia difficultate per virtutis exercitium perfici possit. Si ergo, iuxta huius rationis vim expendantur omnia, quę circa hoc ordinantur in c. 2. 1. p. Constitutionum manifestè constabit veritas assertionis propositæ. Nam in coadiutoribus temporalibus, inter alia, quæ omnibus communia esse debent, specialiter postulatur, vt sint sorte Marthę in Societate contenti ætate, & viribus, ad labores corporis, qui in Societate se offerunt, sufferendos prediti, & vt homines, difficili admodum ingenio non sint. In cæteris verò, qui ad spiritualia ministeria admittuntur, capacitas ingenij, indoles boni iudicij, & sufficiens memoriæ tenacitas postulatur; quoad voluntatem verò, vt vniuersæ virtutis, & perfectionis spiritualis studiosi sint, quieti, constantes, & strenui in his, quæ ad diuinum seruitium aggrediuntur. Et (quod Societatis proprium est) vt zelum habeant salutis animarum, & de ea causa ad hoc institutum sint affecti. Deinde in his, quæ ad corpus spectant, inprimis conueniens ætas, quæ ad hunc primum ingressum, de quo agimus designatur, saltem 14. annum excedat. Deinde petitur bona valetudo, vires sufficientes ad sustinendos instituti labores, & species exterior honesta, & apta ad ædificationem proximorum, & exoptanda dicitur sermonis gratia, ad agendum cum proximis, perneces saria. De alijs verò externis fortunæ bonis, vt sunt nobilitas, & similia, optimè adiungitur, nec per se sufficere, nec necessaria esse, non tamen esse paruipendenda si alijs adiungantur.

Ratio generalis pro conclusione.

Conditiones in coadiutoribus temporalibus requisitæ.

Conditiones ad spiritualia ministeria recipiendorum.

De impedimentis personam minus idoneam ad Societatem reddentibus.

XII. Et iuxta hæc (quo secundæ parti tituli huius capitis satisfacimus) statim in cap. 3. eiusdem primæ partis Constitutionum, impedimenta ponuntur, quæ secundaria appellantur, quia non omnino excludunt, sed personam minùs idoneam reddunt, & tot possunt multiplicari, vt nullo modo expediat talem personam admittere. Quædam ergo ex illis ad intellectum pertinent, vt *tarditas ingenij*, aut *defectus memoriæ*, aut *iudicij*, quæ intelligenda existimo, *quando notabilia sunt*, ita vt mediocritatem etiam non attingant. Circa iudicium autem prudenter, & meritò adnotatur, multum posse impedire *obduration em in proprio sensu*, quia in omni congregatione magnum solet facessere negotium. Quoad voluntatem verò inprimis ponitur *natura difficilis ad virtutem* propter vehementes affectus, qui *mentis vedomari vix posse videantur*: Deinde *peccatorum habitus* tanta consuetudine obfirmati, vt de illis non magna emendatio speretur. Et huc etiam pertinere existimo, quod ibi subiungitur, de *indiscretis deuotionibus*, quæ solent esse causa illusionum, & errorum: tunc enim hoc habet locum, quando hęc abierunt in consuetudinem inueteratam, à qua difficile quis dimouetur. Tandem additur, *defectus actualis dispositionis debitæ*, qualis est intentio non satis recta, vel non satis firma, & constans circa status mutationem, & circa affectum ad talem religionem; non enim satis est habere firmum propositum, vel feruentem affectum circa religionem in genere, si circa Societatem in particulari animus sit remissus, vel parum firmus, quia illa non est dispositio satis accommodata ad talem formam: neque ex illa magna vtilitas talis personę in Societate sperari potest. Quoad corpus verò ponuntur defectus contrarij perfectionibus suprà numeratis, vt sunt, *debilitas, morbus, notabilis deformitas, & defectus integritatis corporis, vel legitimæ ætatis*, siue per defectum si fit valde tenera, siue per excessum, si sit nimium prouecta, qualis censetur in regulis prouincialis cap. 4. numero 36. quoad defectum, annus infra 15. & quoad excessum supra 50. In quo, cùm sit certum, excessum ætatis nunquam esse impedimentum irritans, si iudicium integrum sit, de alio extremo per defectum dubitari potest. In qua re certum est ex hac constitutione, non habere Societatem in hoc speciale impedimentum, ex suo proprio iure. An verò ius commune Concilij Tridentini in ea locum habeat, dicemus meliùs infrà lib. 3. c. 6. à numero 2. Nam quod attinet ad primum ingressum, certum est nullam definitam ætatem esse substantialem (vt sic dicam) nisi quatenus ad secundum ingressum, id est, ad incorporationem per tria vota substantialia proportionata ætas potest esse necessaria. Tandem quoad externa bona pro impedimento ponitur *alienum, & ciuiles obligationes*, in quo nihil speciale adiungitur, & ideo, quæ tom. superiori in communi circa hoc diximus de ingressu religionis ad Societatem prudenter applicanda sunt. De *defectu autem originis* nihil illo loco dicitur. In cap. verò 3. Examinis inter alia interroganda, vnum est; *an aliquis ex eius progenitoribus notatus fuerit, vel declaratus ob aliquem eiusdem ortum contra nostram Christianam religionem, & quomodo id sit.* Quanuis ergo ex hoc capite non esset tunc positum absolutum impedimentum, semper tamen in consideratione habendum fuit, vt iuxta temporum, & locorum opportunitatem id fieret, quod cum religionis securitate, ad maiorem ædificationem iudicaretur expedire: quid autem in hoc additum sit iam explicuimus in c. 2.

De impedimentis ad Societatem reddentibus.

De impedimentis difficilis ad virtutem.

De impedimentis perfectionibus.

De impedimentis exteriorum bonorum.

De impedimento ortus.

Ex his ergo concluditur, vt receptio in Societate, ex parte recipientis, legitimè fiat, suppositâ potestate, quæ primariò in Generali, & per illum in Prouincialibus existit, non posse aliam regulam assignari nisi prudentiam. Quia non omnia, quæ explicata sunt in singulis admittendis, simul sunt semper postulanda: neque singuli etiam ex dictis defectibus, impediunt semper quominus receptio licitè

XIII. *Quid ex parte recipientis regulariter requiratur?*

licitè fiat ; alioquin difficillimum esset aliquem legitimè admittere, quia rarum est inuenire homines, qui simul omnibus prædictis donis naturæ, & gratiæ prediti sint, & nullum ex dictis defectibus habeant. Et hoc significauit Beatus Ignatius in fine cap. 2. Constitut. dicens : *Quæ tamen mensura omnibus in rebus tenenda debeat, vnctio sancta diuinæ sapientiæ docebit, qui id curæ ad eius obsequium, ac laudem vberius eum susciperunt.* Et in fine capite 3. solùm dicitur, quo plures ex dictis defectibus, sed impedimentis secundarijs, quis habuerit, eò minùs idoneum esse, vt in Societatem recipiatur. In quo clarè significatur, non obstante vno, vel alio impedimento, ex supradictis, posse esse aliquem idoneum, vt non solùm validè, sed etiam meritò recipiatur. Ac propterea admonetur ibi, qui admittendi facultatem habet *ne priuato affectu duci se sinat*, quia nimirum perturbare solet prudentiæ iudicium : ergo supponit dari locum in hoc negotio prudenti arbitrio. In vtroque autem loco, optima quidem regula in declaratione significatur, scilicet, quando aliquod ex prædictis impedimentis interuenit, vel defectus aliquis in aliquo ex prædictis donis animæ, & corporis, attendendum esse, an in alijs donis tantus sit excessus, vt secundùm rectam rationem talis defectus compensari videatur : sic enim pensatis omnibus, poterit esse persona idonea & digna, non obstante aliquo simili defectu. Quæ compensatio maximè locum habebit, quando defectus non est in vocatione, quoad intentionem, & firmitatem eius, neque in aptitudine, & docilitate ad virtutem: nam hi defectus de se impensabiles planè videntur, nisi prius per diuinam gratiam, & liberi arbitrij cooperationem, per nonnullam consuetudinem, seu perseuerantiam, corrigantur. Occurrebat autem hic quæstio, an hæc potestas admittendi ad Societatem, meritò committatur solis Prælatis, cum solo consilio suorum consultorum, vel assistentium, vel potiùs committi debuerit communitati ad plura suffragia, vel alicui congregationi, seu electioni plurium personarum ? Ab aliquibus enim in dubium hoc reuocatum est propter consuetudinem aliarum religionum, & propter quendam motum Sixti V. de illegitimis. Sed hæc quæstio attingit aliam vniuersaliorem de regimine monarchico Societatis, quod in hoc actu, eandem rationem habet, quam in alijs non minùs grauibus, & ideò infrà in sua generalitate tractabitur. Nunc solùm dicimus, ipsummet Sixtum V. suammet constitutionem, quoad Societatem moderatum fuisse, & post illum Gregor. XIV. in propria Bulla de Confirmatione instituti Societatis, hoc punctum inter alia expresè probasse, & confirmasse, dicens. *Nouitios etiam tam in prima eorum admissione ad Societatem, quàm ad sub. list. eorum vota post biennium nouitiatus, iuxta Societatis morem, per superiores admittendos esse.*

XIV. *Quid ex parte recipiendi ?*

Vltimò colligitur ex dictis quid ex parte admittendi necessarium sit, vt debito modo ingrediatur. Nam præter ea, quæ ex communi ratione assumendi statum religiosum necessaria sunt, & in superiori tomo sunt notata, nihil ferè hic addendum est, nisi vt illa omnia cum proportione ad talem religionem applicentur; maximè verò, vt syncerè in examine procedatur veritatem in omnibus aperiendo ; solùm enim in fictione aliqua huic veritati contraria, potest grauis culpa in hoc negotio committi ex parte ingressuri ; nam cætera omnia magis spectant ad consilium, vt res adeò grauis meliori modo fiat.

CAPVT IV.

An rectè, & sub qua necessitate integrum biennium assignatum sit pro nouitiatu in Societate.

PRo hac secunda probatione supponenda sunt ea, quæ superiori tomo de nouitiatu religionis generatim diximus : solùmque explicanda sunt hic ea, quæ in hac parte Societati sunt propria : nam cætera illa, quibus per speciale institutum Societatis non derogatur, seruanda in ea sunt, cùm ad statum religiosum vt sic, pertinere videantur. Supponenda verò est in hac secunda probatione seu nouitiatu, Societatis Constitutio, quæ sic habet in Examin. cap. 1. §. 12. *Antequam quis admittatur ad professionem, vel simplicia vota, biennium integrum ad probationem habebit.* Quod in cap. 4. §. 16. repetitur. Quod tempus in eisdem capitulis in 1. §. 12. in 4. §. 43. prorogari posse dicitur, si nondum plenè Societati satisfecerit, ita vt integrum iudicium de illius dimissione, vel admissione facere possit. Hoc ergo est vnum ex capitibus, quod Societati obijci solet, eo quòd, & nouum hoc sit, cùm antiquissimæ religiones vno animo nouitiatus contentæ fuerint, vt ex regula Benedicti, & alijs constat. Et sic etiam singulare : nam vnus annus nouitiatus communi omnium religionum consensu receptus est, & iure antiquo cap. 1. 17. q. 2. & nouissimo Concilij Trident. approbatus. Non ergo debuit Societas in hoc esse singularis. Quæ obiectio multo magis augeri solet, eo quòd hæc tam diuturna probatio non censetur in Societate sufficiens ad professiones, sed noua alia postulatur. Verùm de hac posteriori parte melius infrà in lib. 6. ca. 1. & 2. dicemus, disputando de professione ; nunc verò de priori solùm dicendum est. Duo autem in hoc capite explicabimus : primum, quæ fuerit ratio huius peculiaris institutionis : secundum, quàm sit necessarium totum hoc tempus, vt secundus ingressus, seu incorporatio in Societate, valida sit, & simul, quomodo hoc tempus sit computandum.

I. Prima pars. Secunda pars.

Prima pars capitis expeditur.

II. Primò ergo dicendum est, hoc temporis augmentum non esse nouum, sed renouatum, & ex antiquitate sumptum ; Nam inprimis olim à Diuo Basilio nullum certum probationis tempus præscriptum fuit, sed indefinitè, tanto tempore dixit probandum nouitium, quanto ad illius experimentum, & dispositionem sufficere videretur, vt videre licet in regulis fusius disputatis regula 10. & 15. Et similia sumuntur ex Cassian. lib. 4. de institutis cap. 6. 7. & sequentibus ; de quo plura infrà in citato lib. 6. tractantes de dilatione professionis ; nam ad illud punctum magis hæc antiqua consuetudo spectat. Deinde Euseb. Cæsar. inter alia ; quæ in Porphyrio refert, de Essæis lib. 9. de præparat. Euang. cap. 1. sic ait : *Quin eam sectam venientes non statim, sed postea quam foris, anno integro, eisdem moribus vixerint, tunc sui spuntur, non tamen omnino, sed propinquus quidem accedunt. Vnà verò cum illis viuere non licet, nisi duobus aliis annipatientia signa dederint.* Et similia refert Iosephus lib. 8. antiquitatum ca. 2. & li. 2. de bello Iudaico c. 7. Hinc ab antiquis etiam monachis Ægypti seruatum legimus, vt per tres annos nouitij probarentur, in durioribus operibus exercendi, ex regul. Pachomij refert Nicephorus lib. 19. historiæ cap. 14. Et sumitur ex Palladio cap. 38. historiæ ; vnde etiam Iustinianus Imperator in authentica de Monachis in Nouellis tit. 10. biennij tempus ad professionem postulauit.

Quod

Quod docuit etiam Iuo Carnotens. 1.p. sui decreti cap. 153. Et quoad moniales idem sumitur ex Conc. Aurelian. V. c. 13.

III. *Obiectio.* Dicet fortasse aliquis. Quædam ex his, quæ antiquiora videntur, fuisse fortè tunc necessaria propter nimium rigorem religionum, vel monachorũ illius temporis; Postquam verò rigor ille temperatus est, etiam probationis tempus fuisse ad breuiorem mensuram redactum, vel certè illam temporis mensuram fuisse generalem, sed pro aliquibus casibus, vel personis in quibus specialis ratio occurrebat, vt de personis incognitis legitur speciale decretum in cap. *si quis incognitus.* 17. q. 2. postulans triennalem probationem, etiam ad receptionem ad habitum, quod tribuit Bonifacio Papæ Gratianus. Idem tamen tribuunt Concilio Toletan. Iuo p. 7. sui decreti cap. 41. Et Burcard. lib. 4. cap. 20. Et reuera est idem cum authentica Iustiniani paulo antea citata, sed vbi in nouellis legitur; *Siue seruus, siue liber*, legendum est *siue seruus, siue libertus.* Et emendatum est in decreto Gregoriano, & ita constat constitutionem illam non esse vniuersalem, sicut etiam Gregorius, vt superiori tomo vidimus, pro militib. triennalem probationem requisiuit, etiam ante receptionem ad habitum monasticum, vt habetur in cap. vlt. d. 53. ex lib. 7. Regist. ca. 11. quod amplius restrinxit lib. 8. epist. 23. vbi prohibet sine suo consensu milites recipi, ibi autem biennium probationis præscribit pro omnibus monasterijs, vt habetur in cap. *monasteriis.* 19. q. 3.

IV. *Solutio.* Respondetur inprimis ex hoc vltimo decreto Gregorij multum confirmari Societatis institutionem: nam illud generale fuisse videtur, quanuis Alexand. Papa II. in cap. 1. 17. quæst. 2. referat Gregorium approbasse regulam Benedicti quoad annum probationis, & ideo videatur, aut pro diuersis locis, aut in diuersis temporibus, hæc statuisse, vel fortasse (quod mihi magis placet, vt citato tomo tetigi) in vno loco requirit biennij probationem ante habitum; in alio verò integrum annum nouitiatus, post susceptum habitum. Vtrumuis autem sit, si in his omnibus non materialis (vt sic dicam) institutio, aut varietas, sed ratio eius, & finis inspiciatur; ex his omnibus manifestè colligitur, institutionem Societatis, nec nouitatis, nec singularitatis notari posse, quia ex illis rectè colligitur, vbi specialis causa interuenit, probationem vltra annum in aliquo instituto exigi posse. In Societate verò considerato fine eius, & ministerijs, ratio occurrit specialis, & multo maior necessitas longioris probationis, quàm in alijs religionibus: ergo. Maior satis constat ex dictis num. 2. Minor multipliciter declarari potest. Primò quia Societas vt libro 1. cap. 7. dictum est, & vitam contemplatiuam, & actiuam in perfecto gradu profitetur, & amplectitur, & ideo necesse habet in vtraque parte nouitios suos sufficienter instruere, fundare, ac experiri, & ideo longius tempus requirit quàm vnius anni, & ad minimum ad singulas illarum partium singulos annos requirit: meritò ergo ad duplicatum officium vitæ, duplicatum etiam tempus probationis postulat. Quæ ratio amplificari posset, in particulari considerando actiones omnes, & ministeria, quibus Societas probat nouitios suos; nam inde facilè posset intelligi, minus quàm biennij tempus, ad hanc probationem non sufficere; sed de hac re dicturi sumus cap. sequen. Secundò probatur, quia Societas ratione sui finis necesse habet statim post probationem, studijs intentè vacare, vel iuxta personæ conditionem, & capacitatem externis actionibus occupari, & ideo necesse est, vt nouitij eius maiores radices in exercitio virtutum mittant, & in exercitio etiam orationis, plenius extructi, & quoad fieri possit, assueti, & experti sint, alioqui, quæ in eo tempore leuiter inchoantur, facilè postea remittentur, vel amittentur; illud autem sine dubio fieri non potest vnius anni tempore, in quo vix incipiunt spiritualia exercitia degustari; meritò ergo alter annus additus est, in quo iacta principia, robustiora fiant. Quod adeò necessarium esse experientia compertum est, vt ob hanc causam postea in congregatione 6. can. 5. fuerit prudenter ordinatum, vt post exactum biennium probationis, & post vota scholarium emissa, per alios duos saltem annos sub maiori custodia, & disciplina iuniores contineantur, prout planiùs fuit subinde præscriptum in ordinationibus contractis cap. 13. Tertiam rationem sumere possumus ex alia obiectione, quæ contra Societatem fiebat lib. 1. cap. 7. & 9. nimirum, quod non austeram, sed moderatam vitam in exterioribus profiteatur: quamquam enim hoc non minuat perfectionem eius, supposito ipsius fine. vt ibi ostensum est: tanto verò erit maior eius perfectio, cæteris paribus, quanto carentia huius exterioris austeritatis, alio austeritatis genere magis compensata fuerit. Hoc autem fit per multiplicem probationem Societatis, quæ inter alias est (vt sic dicam) propria austeritas eius, & magna ex parte exercetur in hac diuturnitate temporis nouitiatui destinati. Fuitque maximè proportionata tam respectu propriæ religionis, quàm respectu ædificationis proximorum: quia cùm austeritas corporis ordinetur inter alia ad cõtinendum hominem in officio virtutis, & ad frænandos sensibiles affectus, ad propriam perfectionem, & conseruationẽ in virtute, necessarium fuit diutiùs probari, & fundari in solidis virtutibus (vt B. Ignatius frequenter loquitur) & in interna, & externa mortificatione affectuum, & sensuum omniũ, vt postea sine tanto periculo possent in Societate viuere, non obstante illa mediocritate in exterioribus. Et similiter respectu proximorum, quibus in admiratione esse solet exterior austeritas habitus, &c. oportebat, vt quod in hac parte deerat Societati, suppleretur ex alio habitu, qui quatenus ad corpus spectat, & visibilis est, exterior d.ci potest, est autem magis interior, tum quia magis ex interna virtute pendet, tum quia intimiùs (vt sic dicam) ipsum corpus afficit, sc. debita modestia, & compositio in omnibus sensibus, verbis, ac motibus, hic autem habitus non poterat breui tempore comparari.

In Societate esse spirituales causas ad postulandum tempus probationis quam in alijs religionibus. Prima.

Secunda.

Tertia.

Tandem addere possumus in huius rei confirmationem, Ecclesiæ authoritatem, quæ specialiter hũc ritum quoad tempus huius probationis in Societate stabiliuit, tum per bullas Pauli IV. & Iulij III. tum maximè per Concil. Trid. Nam specialiter tractans de anno probationis, & generaliter ordinans, vt illo anno expleto, nouitij vel admittantur ad professionem, vel expellantur, specialiter excipit Societatem sess. 25. c. 16. de regular. Quam exceptionem nõ reprehensibilem singularitatem, sed piam, & sanctam specialitatem esse iudicauit. Hoc enim significauit cùm dixit: *Per hæc autem non intendit sancta Synodus aliquid innouare, aut prohibere, quin religio clericorum Societatis Iesu, iuxta pium eorum institutum à sancta Sede Apostolica approbatum Domino, & eius Ecclesiæ inseruire possit*: iusinuans sicut ipsum institutum pium est, licèt sit proprium, & speciale, ac distinctum ab alijs, ita etiam piè posse habere hanc proprietatem specialem. Quam etiam significat ex eo necessariam fuisse, quòd hoc institutum, non tãtùm ad seruiendum Deo, sed etiam ad seruiendum Ecclesiæ speciali modo ordinatum est. Hinc deniq; Greg. XIII. in constitutione, *Quanto fructuosius.* de B. Ignatio ait: *Diuino instinctu ita duxit disponendum, vt biennio nouitiatus absoluto, omnes qui in Societate perseuerare voluerint, tria vota substantialia emittant, ac nouitij esse desinãt.* Et in

V. *Authoritate Ecclesiæ confirmatur hac biennis nouitiatus constitutio.*

constitutione, *Ascendente Domino*, rationes ferè omnes à nobis positas insinuat. Nam proposito fine, & medijs Societatis subdit: *Ad quæ sufficienter, & pro dignitate præstanda, difficultates superandas, periculaque adeunda, quibus dicta Societatis religiosi in eiusmodi discursionibus, & ministeriis exponuntur, necesse est, vt ipsi talia obituri, magno deuotionis, ac virtutis præsidio muniantur, quod illis grauia inprimis omnipotentis Dei, simulq; educatio ipsa, longa item in Societate probatio, nec non regularum obseruantia præstare noscuntur. Quibus constitutionibus, vt tanta ponant rudimenta virtutis, ad quam aluntur statuitum est, vt nouitij in Societate biennio probentur.* Quod institutum inuiolatum, & inconcussum esse vult; vt inferiùs latè dicit, & confirmat.

Expeditur secunda pars.

VI. Per hoc ergo, & ratio huius institutionis sufficienter reddita est, & obiectionibus (vt opinor) in contrarium satisfactum. Circa hoc verò biennij tempus interrogari possunt ferè omnia illa, quæ de anno probationis generatim, tomo superiori tractata sunt, scilicet, quando incipiat, quomodo continuandum sit, quàm sit essentiale, seu necessarium ad valorem professionis, vel incorporationis subsequutæ, & tandem an hæc incorporatio debeat post prædictam probationem immediatè subsequi. Hæc tamen omnia breuiter hic possunt expediri proportione seruata. Nam quod ad initium attinet, cessat hic quæstio illo loco tractata, de susceptione habitus; nam cùm Societas nullum particularem habitum profiteatur, nulla susceptio, vel mutatio habitus necessaria est, sed solùm vt is, qui habet potestatem admittendi, voluntatem habeat hic & nunc recipiendi hanc personam ad Societatis probationem, & vt quocunque verbo, vel signo externo illam voluntatem sufficienter declaret, consentiente, & exterius etiam acceptante eo, qui recipitur, ita vt ex tunc viuere incipiat sub obedientia, & regimine Societatis, & ita tandem statutum fuit in decreto 90. aliàs 93. Congregat. 7. Vnde hic etiam cessat illa quæstio, an de necessitate probationis sit habitus religionis; nam in Examine cap. 1. §. 13. expressè dicitur: *In hoc medio tempore duorum annorum habitus vllus certus Societatis non sumitur.* Et ibi in declaratione: Indicio Superioris relinquitur, an cum eisdem vestibus, quas ex seculo tulerunt, vel cum alijs probandi sint. Et 3. p. Constitut. capite 2. in declaratione lit. C. additur. *Conuenit, vt qui probantur, vestitus ratione ad mortificationem & abnegationem sui, & ad mundum, eiusque vanitatem sub pedibus conculcandam iuuentur, & id quidem quantum considerata natura, consuetudo, officium, & aliæ personarum circunstantiæ patientur.* Quod si hoc etiam alicui videatur vel nouum, vel singulare quãuis id concederemus, non propterea reprehensibile esset. Nam sicut in toto corpore Societatis reprehensibile non est, quòd communi habitu vtatur, vt lib. 1. cap. 9. ostendimus, neque ad id refert, quod hoc videri possit nouum, aut singulare, si ad finem talis religionis sit expediens; ita prorsus de habitu nouitiorum dicendum est. Eo vel maximè, quòd cum Societas non habeat peculiarem in habitu austeritatem, in nullo diminuitur probatio eius, ex eo quòd sub habitu speciali non fiat. Quæ ratio eos maximè Doctores mouit, qui dixerunt, regularem habitum esse de essentia probationis. Et aliunde ad maiorem humilitatem, & propriam mortificationem interdum conferre potest, in proprio habitu vilia ministeria religionis facere, vt ab aliis possit potiùs famulus, quàm religiosus putari, & vt ornatus seculi in religione conculcari videatur. Et fortè propter has rationes hoc fuit olim ab antiquis monachis obseruatum, vt in superiori tomo tactum est, atque etiam vt nouitij libertate possent, si vellent, religionem dimittere, cuius habitum nondum induissent.

Quando incipiat huius nouitiatus tempus.

Num de necessitate huius probationis sit habitus religiosus?

Circa alias interrogationes, inprimis censeo, tam necessarium esse in Societate annum integrum probationis ad professionem validam faciendam, sicut in alijs religionibus. Loquor autem de professione in omni proprietate, & rigore, per vota solennia. Probo autem ex Concil. Trid. sess. 25. cap. 15. vbi ille annus assignatur tanquam omnino necessarius ad valorem professionis. Incipit autem illud caput, *In quacunque religione.* Et postea nullam facit exceptionem: ergo comprehendit etiam Societatem. Nec satis est, quod c. 16. illam excipiat illis verbis: *Per hæc autem sancta Synodus.* nam illa verba non sunt referenda ad omnia capita præcedentia, sed solùm ad id, quod proximè in eodem capite præcessit: quod est manifestum, & ex communi interpretatione iurium, imò ex ipso rigore Latini sermonis, & ex proprietate illius pronominis *hæc*; designat enim ea, quæ proximè, & quasi præsentia sunt. Vnde potiùs inde sumo argumentum in contrariũ. Nam cum in c. 16. statim ac Cõcilium dixit, vt professio vltra annum non differatur, Societatem excepterit. In c. autem 15. statuens, vt intra annum non fiat, illam non exceperit, satis indicauit in hoc secundo illam comprehendere voluisse. Et sanè meritò, quia nulla est ratio cur illam excipere, cùm maiorem probationem requirat, vt nu. 4. & 5. ostensum est. Ex quo infero, quoad annum saltem necessarium esse, vt talis probatio continuata sit: nam supra in præcedenti tom. ostendimus hunc annum debere esse continuum, quoad alias religiones; ergo quoad Societatem, cùm in eadem regula comprehendatur. Infero etiam hunc annum non solùm debere esse continuum, sed etiam cum professione fine morali interruptione; nam hoc etiam diximus supra esse necessarium ingenere, sub quo iam dixi Societatem quoad hoc comprehendi.

VII. Solùm est aduertendum, quod licet in Societate inter primum annum probationis, & professionem multi anni interponantur, non interrumpitur probatio, quia totum illud tempus ad maiorem confirmationem, & certitudinem ipsius probationis ordinatum est: imò neq; in alijs religionibus interrumperetur probatio per dilationẽ professionis post annum, si nouitius in eadem religione permaneret: quanuis in alijs (per se loquendo) hoc non liceat, in Societate autem liceat, & in alijs non interponantur alia vota inter nouitiatum, & professionem, sicut in Societate: quod non impedit illam continuitatem: maximè cùm totum hoc fit exceptum, & approbatum à Concilio in prædictis verbis. Interruptio autem esset, si quis per vnum, vel plures annos in Societate priùs extitisset, & postea extra illam eiiceretur, ac deinceps iterum ad illam admitteretur: tunc enim non existimo totam priorem probationem esse sufficientẽ ad professionem statim emittendam, sed necessariumesse, vt saltem per annum in Societate existat, & sit nouitius: suppono enim omnino fuisse dimissum votis solutis, si illa habebat, tunc enim tota probatio præcedens, quasi extincta fuit per dimissionem, & ideo noua necessaria est, sicut de probatione in genere citato tom. probauimus: nam quoad hæc omnia est hic eadem ratio, eademq; generalis regula, vt dixi. An vero tota hæc doctrina locum habeat in alijs incorporationib. Societatis, quæ sunt per simplicia vota, pendet ex alia quæstione, an nomine *professionis* in similib. iuribus, & decretis veniat hæc traditio, vel receptio in Societate, per vota simplicia: quam quæstionem commodiùs tractabimus libro seq. vbi tam hoc punctum, quàm alia, quæ exillo pendent, resoluemus.

Vide Tolet. tom. 1. de sacram. lib. 2. cap. 20. num. 3. & 4.

Vide Suar. tom. 4. de religion. lib. 1. cap. 3. num. 3. & 4.

Vide Suar. tom. 4. de religion. lib. 1. cap. 3. num. 5. & 6.

Vide Suar. tom. 4. de religion. lib. 1. cap. 3. num. 7.

De

IX. *Biennium probationis absolutè necessarium, ad valorem professionis non videri.*

De integro autem biennio probationis non inuenio in iure sufficiens fundamentum, vt asseram illud totum esse absolutè necessarium ad valorem professionis, vel cuiuscunq; incorporationis postea subsequutæ. Constat enim ex vi iuris communis, hoc non esse necessarium, cùm ex vi illius, nec biennium requiratur. Neque etiam in speciali Societatis iure inuenio verba aliqua, quæ tantam necessitatem indicent. Nam in cap. 1. Examinis §. 2. simpliciter dicitur *biennium integrum ad probationem habebit.* Quæ lex solùm disponit, vt ita fiat, quem loquendi tenorem seruauit etiam postea Greg. XIII. in bulla, *Ascendente Domino* pag. 228. editionis anni 606. cap. verò 4. num. 16. habentur verba, quæ maiorem indicant necessitatem, scilicet; *Illud tamen omnino obseruabitur, vt antequam, &c. duo anni experimentorum, & probationum expleantur.* Sed neque hæc verba aliud indicant, quam quòd hæc regula omnino seruetur, nec dispensationes in ea admittantur. Et eodem modo loquuntur multæ aliæ constitutiones, quib. concinit can. 10. Congregationis. 5. generalis, dum enim prohibet omnino exercitium facultatis contrahendi biennium pro votis scholasticorum approbatorum emittendis, pro emittenda verò professione, in raro aliquo casu permittit, non obscurè agnoscit ipsam facultatem, atque adeò valorem si fortè (quanuis illicitè) exerceatur, de quo canone iterum lib. 6. cap. 1. num. 11. Nec verò eo quod Societas alterum annum probationis addiderit anno iure communi requisito, statim censenda est, sub eadem lege, & necessitate illud addidisse, sub qua vnus annus iure communi statutus erat: quia nulla est ratio huius consequutionis, quando in nouo iure id non explicatur. Præsertim quia hoc ius Societatis antiquius est iure Concilij Tridentini, ante quod neque vnus annus probationis erat adeò necessarius, quin ex consensu partium posset renunciari exceptis ordinibus mendicantium, inter quas Societas tunc non numerabatur. Igitur non dubito quin si Prælatus habens potestatem in Societate, admitteret nouitium post integrum probationis annum, & ante expletum biennium ad aliquem gradū eius, admissio, & vota essent valida, etiamsi fortasse Prælatus in eo malè ageret, quia nulla est lex irritans factum, vt dixi. Certum est etiam Præpositum Generalem ex iusta causa posse in hoc dispensare, quia nullibi hoc ei est prohibitum, & res non est adeò essentialis, vel de se immutabilis quin occurrere possit iusta causa, & occasio dispensandi.

X. Imò ita videtur hoc expressè declaratum part. 5. const. cap. 1. lit. C. vbi cùm in constitutione indefinitè dicatur, tempus ad admittendum vltra biennium esse oportere, in declaratione additur hoc tēporis spatium, sicut prorogari, ita & contrahi posse quibusdam in casibus, ex causis non leuis momenti, iudicio Præpositi Generalis, cuius erit dispensandi ius, licèt rarò id fieri debeat, an prout in citato canon. 10. fuit postea declaratum. Inferiores autem Prælati, etiam Prouinciales, non possunt, quia nullibi legitur illis concessa talis potestas. Hæc enim est differentia inter Generalem, & alios, quod in Generali, tanquam in supremo capite interno (vt sic dicam) est tota potestas, quæ in Societate esse potest, exceptis solùm his, quæ expressè prohibentur; alij verò habent potestatem participatam à Generali, & ideo non possunt quidquid non prohibetur, sed solùm quod positiuè conceditur, vel in generali, vel in speciali, iuxta rerum qualitatem: hæc autē de qua agimus eiusmodi est, vt specialem concessionem postulare videatur. Rara enim est in Societate talis dispensatio, nec memini vidisse me, aut audiuisse alicui esse concessam etiam ab ipso Generali. Dispensatur quidem aliquando, vt ante expletum biennium, nouiti⁹ literis vacare incipiat, ma-

Differentia inter Generalem, & alios inferiores Prælatos.

Prouincialis potest dispe-

ximè post expletum primum annum; id enim fieri posse ex 4. p. constit. colligitur c. 3. §. 4. & habetur in can. 1. 2. Congreg. generalis, vbi hæc potestas dicitur committi Prouincialibus ex concessione Generalis. Et habetur etiam in regu. 38. eiusdem Prouincialis. Nihilomin⁹ tamen non dispensatur cum his nouitijs, in tempore probationis, quia eorum vota non admittuntur. Imò nec omninò ab exercitijs nouitiorum eximūtur, nam separatam habent habitationem, & sub proprio magistro peculiariter instruuntur, & exercentur: &, quod caput est, semper intelligunt se esse liberos, vt possint discedere, si velint. Dices, nonne interdum ipsi tria vota sua deuotione emittunt ante biennium expletum? Respondetur, quidquid ipsi priuatim faciant, illa non esse vota Societatis, quæ verum religiosum constituunt, quia nec per se publicè fiunt, neq; ab ipsa Societate admittuntur, & ideò nihil illam obligant, sed tam liberè potest dimittere nouitium, ac si nihil vouisset, quo casu talia vota cessabunt, nisi alia fuisset expressa intentio vouentis, vt esse posset; præsertim, quoad castitatem. Imò quia iuuenes facilè possunt ex feruore indiscreto talia vota emittere, non solùm à Societate non admittuntur, aut consuluntur, verùm etiam nec fieri permittuntur, nisi cum magna consideratione, & consultatione, ac seruata debita forma & subordinatione ad superiorem, vt constat ex declaratione ca. 1. Examin. lit. C. & 3. p. constit. c. 1. lit. T. & 5. p. constit. §. 6. & in dicto canone 1. 2. Congregat.

saue cum maioris Societatis, vt literis vacent.

Quid de tribus votis religionis, quæ interdum ex deuotione à nouitijs emittuntur?

XI. Atque ex his facilè colligi potest, quid dicendum sit de alia interrogatione, necessaria scilicet continuatione huius temporis biennij: cōstat enim simpliciter non esse necessariam ad valorem subsequētis incorporationis, dummodo in vno saltem anno, debita continuitas obseruetur. Nam si alter annus simpliciter non est necessarius, vt dixi, multò minùs necessariū erit, vt in se sit continu⁹, vel cum altero anno. Quocirca si contingat aliquem priùs esse per aliquot menses, vel annos in Societate, & postea ab ea deficere, & omnino exire: & iterum ad illam redire, poterit, si superiori habenti potestatem visum fuerit, aliquid ex priori tempore in partem huius biennij computare, ita vt hoc saltem nō sit contra substantiam, seu valorem admissionis, seu professionis, dummodo annus integer nouitiatus intra Societatem, proximè ante professionem præcedat, iuxta superiùs dicta n. 7. & 8. An verò hoc facere liceat, iudicandum est ex potestate admittentis, & ex causa propter quam fit; si enim attendamus iuridicas rationes, ob quas in tom. superiori diximus, annum probationis religiosæ debere esse continuum, probant in præsenti biennium iure proprio Societatis ad probationem postulato, eo modo, & in eo gradu in quo postulatur, debere esse continuum: ideoq; quoties ex interruptis temporibus computatum fuerit, non sine dispensatione aliqua fieri posse: erit ergo, & potestas, & causa necessaria, vt licitè fiat. Per quæ etiam penultimæ interrogationi quæ restabat, responsum est.

Quam sit necessaria biennii continuatio in nouitiatu ad valorem Professionis.

CAPVT V.

De obseruatione, experimentis, ac loco quibus nouitij Societatis tempore nouitiatus exerceri debent.

I. *Exponitur sensus quæstionis.*

IN præcedente capite de tempore & habitu sufficienter dictum est, nunc de cæteris circumstātijs, & actionibus, seu experimentis breuiter explicandum, an sint aliquæ de substantia huius probationis, vel solùm de perfectione, ac debito, saltem ex regula. Vocamus autem de substantia id quod est

simpliciter necessarium ad valorem professionis, seu incorporationis subsequutæ, & vt impleantur illa verba Concilij Trident. sess. 25. cap. 15. *per annum in probatione steterit*: reliqua verò omnia, quæ huiusmodi nō sunt, dicimus pertinere ad perfectionem, vel obseruantiam regulæ; melius autem respondebimus ad hanc quæstionem, discurrendo per singula, quæ in hac parte instituta sunt, & seruantur, eorumque rationem, vel necessitatem explicando. Est autem generatim aduertendum hoc tempus probationis ad duos fines ordinari: vnus est ad experimentum, vel cognitionem sumendam; alter est ad tradenda rudimenta, seu iacienda fundamēta virtutis, in hoc instituto necessaria. Et prior finis duas habet partes; scilicet, vt Societas naturam, & ingenium personæ sufficienter cognoscat, & nouitius maiorem notitiam habeat instituti, vt maiori cum deliberatione perseuerantiam eligat.

De obseruantiis quibus nouitii iuuantur, vt cum maiori notitia & libertate de perseuerantia in Societate deliberent.

II. Primùm ergo, vt ab hoc vltimo probationis scopo incipiamus; vna ex præcipuis obseruantiis huius nouitiatus est, vt nouitius, sexto quoque mense biennij, legat eam partem instituti, quæ necessaria, & sufficientem notitiam ei præbere possit, nempe diplomata Pontificia, regulas scilicet generales, & communes, & constitutiones, vel saltem compendium eorum. Ita statuitur in c. 1. Exam. §. 13. & subditur ratio dicendo: *Quod ideo fit, vt vtrinque maiori cū claritate & cognitione in Domino nostro procedatur; & vt quanto fuerit magis probata singulorum constantia, tanto stabiliores, ac firmiores sint in diuino seruitio, & vocatione prima, & gloriam, & honorem diuinæ maiestatis.* In quibus verbis significatur, licèt hæc recognitio instituti per se primò fiat ob maiorem cognitionem & lucem ipsius nouitij etiam redundare in cognitionem, & experientiam ipsius Societatis: nam quo nouitius maiori cum cognitione perseuerat, eo magis specimen suæ constantiæ Societati præbet. Non est autē tota hæc diligentia, & cum omnibus his circumstātiis de substantia nouitiatus, quia nullum est in cōstitutionibus verbū, quod hoc indicet: neque erat expediens, vt valor futuræ probationis, vel admissionis, ex tot circumstantiis penderet. Nihilominus tamen diligentia hæc omnino obseruanda est, tanquam valdè conueniens, & consuetudini antiquorum Patrum consentanea. Similia enim tradidit Benedictus in sua regula, c. 58. nam prius dixit proponenda esse nouitio, priusquam admittatur; ea, quæ in religione aspera, & difficilia sunt: deinde addit, vt post duos menses religionis regula illi legatur, & iterum post sex menses, iterumque post quatuor, id est, in fine anni nouitiatus, illum admonendo, vt consideret illam esse legem, quam tunc potest liberè dimittere, postea verò quàm per professionē illi se subiecerit, tali se potestate priuare. Et antea Basilius in regulis fusioribus in 15. similem morem instituerat, quamuis verbis generalibus, scilicet, vt nouitiis tempus sufficiens concedatur, in quo maiori animaduersione, & consideratione intelligant quid sibi expediat; *neque aliquid* (ait) *astute, aut per raptum à nobis fieri videatur.*

Diligentia hæc licèt non sit de essentia, ob eruditionem tamen virtutum, & Patribus cōsentanea.

Regul. Benedict.

III. *Obiect.* Fortasse verò quis obiiciat, nimiam esse deliberationē hanc, nimisq; iteratam instituti relectionē, seu recognitionem, cùm D. Thom. 2. 2. q. vlt. art. 10. de religionis ingressu censeat, non multum esse deliberandum, quia de re certa nō est necessaria deliberatio: religionis autem professio ex se habet sufficientē certitudinē, quòd homini expediat, quando non interuenit speciale impedimentum, de quo facilè constare potest sine tanta mora. Respondetur *Solutio.* inprimis hanc considerationem, & recognitionem instituti non ordinari tantùm ad deliberandum de perseuerantia, sed etiam ad se disponendum, & præparandum ad illam, & ad præuidendas prius distinctè, & clarè, quoad fieri possit, difficultates & onera, quæ postea offerri continget, sic enim postea leuiora fient, & homo efficaciùs postulabit à Deo gratiam, ad ea in præsenti maiori affectu amplectenda, & postea maiori etiam virtute superanda. Deinde idem D. Th. qui dixit de ingressu religionis, secundùm se, seu ratione generis (vt sic dicam) non esse multum deliberandum, nec cum alijs consultandum; non negat quin de ingressu religionis, ratione speciei, & circumstantiarum prudenter deliberandum sit; imò id expressè docet; estque consilium antiquorum Patrum, qui ad hoc accommodant exemplum Christi, Lucæ 14. de eo, qui vult turrim ædificare, qui priùs secum cogitat, an habeat sumptus, quibus possit eam perficere. De quo videri potest August. epist. 38. & lib. 2. quæst. Euangel. cap. 31. & S. Bernard. serm. 24. artic. 1. in principio, & facit illud Ecclesiast. 8. *Ne spondeas super vitutem tuam.* Vnde B. Ignatius non semel requirit, vt qui in Societatem admitti optant, priùs sentiant huiusmodi institutum sibi conuenire, ad illudq; vires supperetre, vt videre est in Examin. c. 3. §. 15. & c. 4. §. 41. & ca. 5. §. 4. Neq; obstat, quòd hæc virtus à Deo danda est (vt D. Tho. ait) qui paratus est omnibus dare, quia hoc non tollit, (vt Caiet. aduertit) quin homo considerare debeat, an ex parte sua sit dispositus ad obtinendum, vel non impediendum hoc diuinum auxilium. Et ideo necesse est in particulari considerare, an in tali religione, vel tali viuendi modo, possint occurrere impedimenta, quæ possint esse occasio, vt homo deserat vocationem Dei, vel eius peculiarem fauorem ex parte sua impediat. Et ad hūc finem ordinatur annus probationis in alijs religionibus. In Societate verò propter speciales eius difficultates, tota illa diligentia non nimia, sed prudens iudicata est etiam à Summis Pontificibus, vt patet ex bullis Pauli III. & Iulij III. & Greg. XIII.

Vide Tol. lib. 1. c. 6. n. 2. S. Bonauent. tractat. 15. Conrad. in expositio regulæ S. Francisci. Diana tom. 1. tract. 1. resol. 9. & 10. Laym. quæstio. 10. punct. 1. num. 2.

IV. Secundò eodem biennio, & singulis etiam semestribus, iterum, atq; iterum examinandus est à Magistro nouitius, vt in regulis eius præscribitur 63. & sequentibus. Quod examen eò tendit, vt Societas pleniorem, & certiorem notitiam nouitij habeat, & præsertim, vt cognoscat, an aliqua mutatio consideratione digna, in eo acciderit: & quo fructu vsq; ad illud tempus nouitiorum exercitia, & experimenta sustinuerit, & quo proposito paratus sit ad progrediendum, & perpetuò in Societate perseuerandum. Finito autem hoc examine, singulis etiam semestribus confessionem generalem ab vltima præcedente, cum Sacerdote à Superiore designato, facere debet, integramque rationem suæ conscientiæ reddere, vt ita in omnibus melius instrui, ac dirigi possit. Quæ omnia ex ca. 1. Examin. §. 13. c. 3. §. 15. c. 4. §. 38. & 41. & 1. p. const. ca. 1. lit. D. colliguntur. Et ita accipienda sunt, sicut in præced. puncto, num. 2. de alijs diximus. Non enim omnia, & singula sunt de substantia probationis; fuisset enim id nimis molestum, & graue. Quod si non omnia simul sunt de substantia, neq; aliud eorum in particulari quia non est maior ratio de vno, quàm de alio, neq; alijs verbis, aut sub maiori necessitate vnum, quàm alius ad disponitur; sunt ergo omnia illa requisita, vt debitus ordo, & modus in hac probatione seruetur. Sicque manifestum est totam illam diligentiam esse conuenientissimam ad finem intentum, nihilque in eis esse, quod non sit rationi, & doctrinæ Patrum consentaneum.

* * *

Di

De experimentis pro nouitiorum probatione deputatis.

V. Tertiò præter hæc, alia exercitia pro nouitijs deputata sunt, quibus & paulatim ad virtutem & ad ministeria spiritualia Societati necessaria, pro captu suo, instruuntur, ac disponuntur, & simul ducuntur autem hæc experimenta ad sex capita, quæ numerantur in Examine cap. 4. §. 9. & sequentibus, & breuiter percurruntur in regula Magistri nouit. cap. 3. Primum est in spiritualibus exercitijs mensem vnum, plus, minusve, versari, id est, in propriorum peccatorum recognitione, ac dolore, & in meditatione, & contemplatione mysteriorum vitæ Christi D. N. & in vniuersum in oratione mentali, vel vocali, de quo experimento aliquid in libro superiori capite 6. dictum est, cùm de vita contemplatiua Societatis tractaremus; estque per se maximè necessarium, tum ad expurgandam præteriti temporis vitam: tum etiam ad benè inchoandam alteram spiritualem, quod est primũ, ac præcipuum in religione, vt dixit Basil. in constit. monast. cap. 2. vbi ait spiritualem doctrinam, & orationis exercitium debere præcipuum locum in religione tenere. Vnde etiam Cassian. lib. 2. & 3. de institut. renuntiant. postquam in primo libro tractauit de habitu monachorum, statim in duob. illis libris de modo orandi antiquorum monachorum tractat, quem ipsi habebant suo fini, & institutioni accommodatum. Et Abbas Isaac apud eundem Cassianum collat. 9. c. 2. *Omnis monachi finis* (inquit) *cordisq; perfectio ad hanc tendit atq; indisruptam orationis perseuerantiam tendit.* Meritò ergo in oratione incipit exerceri nouitius: nam vt ibidem subiungitur. *Sicut ad orationis perfectionem omnium tendit structura virtutum, ita nisi huius culmine hæc omnia fuerint colligata, nullo modo poterunt firma perdurare.* Quamuis autem orationis exercitium quotidianum sit, multum tamen iuuat integros aliquot dies ab omni alia actione vacuos, & à consortio hominum separatos, huic exercitio deputari, vt & mens tota meliùs colligi possit, & vt maior facilitas, & aliqualis habitus in hoc difficili exercitio possit comparari. Quod etiam multum iuuat ad nouitij constantiam, & patientiam probandam, & ad naturam eius, & aptitudinem ad spiritualia munia cognoscendam.

primum in spiritualibus exercitijs versari.

VI. Alterum experimentum est, seruire in vno, vel pluribus xenodochijs, per mensem alium, prout vnicuiq; fuerit iniunctum. Et ratio additur, *vt magis se demittant, & humilient, ac eo, veluti argumento, demonstrent, se prorsus ab hoc seculo, eiusque pompis, ac vanitate recedere.* Vbi considerari potest, quantùs opus hoc per se ad misericordiam, seu charitatem erga proximum pertineat, hic tamen præcipuè accipi, quatenus est humilitatis, ac propriæ abiectionis indicium. Sic enim refert Cassian. lib. 4. c. 7. obseruatum esse ab illis antiquis monachis, vt nouitius haberet curam peregrinorum, & hospitum, eisque omnem diligentiam susceptionis, ac humanitatis impenderet. *Cumque ibidem* (inquit) *integro anno diuersum absq; vlla querela suum exhibuerit famulatum erga peregrinos, imbutus per hæc prima institutione humilitatis, & patientiæ, atque in ea longa exercitatione præcognitis traditur seniori, &c.*

alterum seruire per mensem.

VII. Atq; ad eundem finem tendit tertiũ experimentum, quod est peregrinari mẽsem alium sine pecunia, ostiatim mendicando pro Christi amore, *vt possint* (ait B. Ignatius) *ad incommoditatem comedẽdi, & dormiendi assuefieri, atq; adeo, vt omni spe illa abiecta, quæ in pecuniis, & reb. aliis creatis possent constituere, integrè veracũ fide, & ardenti amore eam in suo creatore constituant.* Hoc verò tertium experimentum videri potest alicui minùs accommodatum pro nouitijs religionum, qui quo minus habent radicatam virtutem, eò maiorem custodiam, & clausuram videntur requirere: cuius etiam signũ esse potest, quia in nulla alia religione videtur vsitatus hic probandi modus, quia in his peregrinationibus multa occurrunt spiritualia pericula. Vnde Hieron. in epist. 13. ad Paulinum, de institutione monachi, hac ratione, & exemplis antiquorum monachorum vtebat, non esse necessariũ monacho loca sancta inuisere peregrinãdo. Respõdetur tamen ex eodem Hieron. ibidem, aliud esse institutũ clerici, aliud monachi, *quod loquor* (inquit) *non de Episcopis, non de presbyteris, nõ de clericis loquor, quorum aliud est institutum sed de monacho.* Quia ergo religio Societatis est religio clericorum, qui ad hunc finem destinantur, vt pro salute animarum, quamque peregrinationem ex obedientia suscipiant, ideo nouitiorum experimenta huic fini prudenter accommodata sunt. Nec Hieron. suprà dicit peregrinationem esse indecẽtem viro religioso, sed non esse necessariam ad sanctitatem, nec multum esse expetendam ab his, qui vitam monasticam, vt solitariam profitentur. Certum est autem per se esse opus valde religiosum, vt Conc. Trid. definit sess. 25. ideoque à sanctis Patribus fuisse vsitatum, vt latè Bellarm. ostendit lib. 4. de cultu Sanctor. c. 8. Nec censeri debet improportionatum statui nouitiorum, quia ad prudentiam superioris spectat vniuscuiusque conditionem, virtutem & ætatem considerare, talisque socios ad peregrinandum coniungere, vt sine periculo, & cum fructu spirituali à Societate intento talis peregrinatio fiat.

Obiectio ad. unsus hoc experimenti genus.

Soluitur.

VIII. Quartum experimentum est in varijs officijs abiectis, & humilibus exerceri, vt culinæ, & refectorij ægrotorũ cura, ac domesticis alijs eius generis, cui certè nullum definitum tempus præfigitur, quia per totum biennium hoc humilitatis, & charitatis exemplum præstandum est, cum omni diligentia, & solicitudine. Illud tamen peculiariter obseruatur vt vacando ab alijs exercitijs (quod in reg. 33. magistri nouitiorum dicitur) integrum mensem nouitij in aliquo humili officio impendãt. Quod genus experimenti, sicut maximè necessarium est, ita antiquissimum in religionib. fuit, & ferè in omnib. obseruatur. Vnde Basil. in regul. 10. ex fusiorib. *Communis* (inquit) *illa est ratio vnumquemq; pertentandi, vt illud animaduertatur, nunquid is, de cuius sententiæ periculum fiat paratus sit libenter ad omne genus humilitatis descendere, missa omni verecundia ita vid. licet, vt sordidissima quæq; artificia suscipere non recusset, quandoq; illorum exercitationẽ vtilem esse ratio suadeat.* Et infrà subdit, *Maximè autem ei, qui ab splendido aliquo vitæ genere ad imitandum modestissimæ humilitatis D. N. Iesu Christi exemplum festinat, munera quædam præscribi debent, de numero eorum, quæ illi sordida existimat, qui in ciuili vita versantur: obseruandumq; e, num in iis cum omni animi alacritate non erubescentem, & inconfusibilem se Deo operarium exhibeat.* Et multa similia legi possunt in Cassiano supra, & in Ioanne Climaco gradu 4. de obedientia, & in Bonauentura tract. de informatione nouitiorum c. 10. & in Smaragdo in expositione regulæ S. Benedicti ca. 58. vbi ex B. Fructuoso Abbate, post aliqua humilitatis opera, in quibus nouitium probandum censebat, refert hæc verba. *Ita in omni penuria subactus, expleto anno, probatus moribus & laboribus elimatus fratrum Societati donetur* Addere etiam possumus, hoc probationis genus speciali ratione esse in Societate necessariũ, propter finem eius, vel quia ad ministeria, spiritualia, & ad studia literarũ, quæ post nouitiatum magna diligentia suscipienda sunt, necessariũ est magnum humilitatis fundamentum; propter q̃ in bulla Iulij III. dicitur institutum hoc *vires omnino humiles* exigere; vel certè, quia non solùm spiritualia ministeria, sed etiam corporalia misericordiæ opera, cum proximis exercenda sunt. Imò, vt illis spiri-

Quarum in officijs humilibus, & abiectis exerceri.

spiritualiter prodesse possimus, necessarium sæpe est, etiã corporaliter illis inservire, & in hoc exemplum charitatis, & humilitatis præbere: oportet ergo vt statim à principio in his humilioribus ministerijs nouitij Societatis multum exerceantur.

IX. *Quartũ exerceri in doctrina Christiana rudioribus docenda. Sextum in ministerio prædicandi, & confessionis audiendi. quod tamen nõ tam pro nouitiu, quam pro iam probatis agentibus intelligitur.*

Quintũ experimentum est, vt in doctrina Christiana pueris, & rudioribus hominib. docenda, pro singulorum captu, & temporũ, ac locorum opportunitate exerceantur. Quod in sexto experimento ostenditur ad ministeria prædicandi, vel confessiones audiendi. *Post quam in probationis bonæ ædificationis specimen probauerit.* Vnde constat hoc vltimum magis pertinere ad tertiam probationem, quæ finitis studijs, ante professionem fit, de qua infrà lib. 6. c. 2. dicturi sumus, quàm ad hanc secundam; quia hoc tẽpore non solent esse nouitij (regulariter loquendo) in eo statu, in quo possint in his ministerijs prædicandi, & confessiones audiendi exerceri: ne pro eo tempore intra Societatem, ad eos ordines promouẽdi sunt, qui ad illa ministeria sunt necessarii: cùm nec tempore studiorum, vsque ad finem eorum, regulariter promoueri debeant, vt constat ex 4. p. cõstit. cap. 6. lit. C. Nihilominus si contingat nouitios iam ordinatos recipi, & cum sufficientibus dotibus ad ea munera exercenda, illo etiam sexto experimento probandi sunt, cum speciali approbatione Superioris, vt dicitur in Examine ca. 5. §. vlt. Quintum autem ab omnibus ferè, potest aliqua ex parte exerceri, siue ipsi per se doctrinam Christianam doceant, siue aliorum socij sint, eosque, vt possunt, iuuent. In quo etiam sæpe occurrit occasio aliquod opus propriè humilitatis, & abiectionis exercendi.

Sextum in nouitio aliquando habere locum potest.

X. *Quintum, & sextum experimentũ Societati propria.*

Videntur autem hæc duo experimenta, sicut de tertia diximus, valde propria Societatis: nam in alijs religionibus non permittuntur nouitij soli inter se egredi septa monasterij, nedum in actionibus circa proximum occupari; quod non solùm monachales ordines, sed etiam mendicantes, quæ magis de actione circa proximum participant, obseruant, vt videre licet in constitutionib. Prædicatorum. d. 1. c 13. lect. 6. & in constitutionibus Minorum c. 3. Nihilominus experimenta hæc in Societate approbata sunt, sicut aliæ constitutiones, & cum fructu seruantur, suntq; consentanea fini eius, tam vt talentum nouitij ad iuuandos, & ædificandos proximos innotescere incipiat, quantum illa ætas & status patitur: tum etiam, vt vsu & experientia discere incipiat nouitius: in quibus operibus per totã vitam occupandus est, & eo magis ad illa afficiatur; quo à tenera religionis ætate in eis fuerit educatus, sic enim consueuerunt parentes quando filios ad vsum militiæ destinant, eos à pueritia in actionibus bellicis exercere: & duces non statim tyrones milites pugnæ committunt, sed prius illos paulatim exercent, ac pertentant. Vtrumque ergo obseruat Societas cum his, quos ad spiritualem militiam enutrit. Cuius rei etiam exemplum à Christo Domino habemus: quandiu enim in hac vita vixit cum discipulis suis, eos tanquam nouitios sub sua cura, & magisterio habuit, vt ex Ioanne Dominico Cardinali dixit Antoninus 3. p. tit. 16. ca. 7. §. 4. & tamen quia illos educebat, vt per totum orbem Euãgelium suum prædicarent, non semper in illo quasi nouitiatu, eos apud se veluti intra claustra retinuit, sed interdum ad prædicandum misit, intra Iudæam solum, vt inde paulatim ad maiora proficerent. Quod significauit Chrys. homil. 33. in Matth. dicens. *Ideo primò ad Iudæos mittit, vt quasi in quadam palæstra in Iudæa exercitati, ad agonis orbis terrarum intrarent, & veluti quosdam pullos debiles ad volandum eos induceret.*

Vide Vegtium de re milit. arb. li. 1. per totum.

XI. *Supradicta experimenta nouitiorum*

Hæc sunt præcipua Societatis de nouitijs experimenta, quorum vtilitatem, quia B. Ignatius, ac primi eius socij, initio ferè suæ cõuersionis, maximam perceperant, nobis posteris obeunda reliquerunt. Quæ tamen nec sola sunt, nec omnino necessaria: vtrumque enim ex eodem ca. 4. Examin. colligitur. Nam in §. 9. expressè dicitur, *hæc sex experimenta esse præcipua* præter alia multa, quæ per totum illud caput narrantur. Et 9. p. Constit. c. 3. lit. E. dicitur, *Generalem esse, vt omnia experimenta, & plura etiam, quàm illa lex de quibus in Examine ducitur, sint.* Quod alteram verò partem dicitur in eodem cap. 4. Examin. posse illa experimenta anteponi, & postponi, & moderari, & aliquo in casu auctoritate Superioris, habita ratione personarum, temporum, & locorum, tum cæterorum, quæ occurrerint, in alia permutari. Non sunt ergo simpliciter necessaria, sed iuxta obseruantiam regularem, cum subordinatione ad debitam superioris prouidentiam, ac directionem.

non sint simpliciter necessaria.

non omnia sint necessaria.

Examen ducitur.

De loco probationis nouitiorum.

XII. Quarta, & vltima circunstantia huius probationis esse potest locus, vbi facienda est. In quo aliquid etiam proprium, ac peculiare obseruat Societas, videlicet, vt proprias, & separatas habeat domos, ad hoc solùm officium probandi, & instruendi nouitios destinatas, vt constat ex cap. 1. Examin. & ex 1. p. Constit. c. 4. Quod etiam à Summis Pontificibus approbatum est, vt videre licet in bullis sæpe citatis de confirmatione Societatis, & ex bulla Pij IV. anni 1561. quæ incipit, *Exponi nob s.* vbi has domos probationis eximit ab obligatione soluendi decimas. Ratio autem huius institutionis, primò reddi potest ex generali principio à Patribus obser-

Cur nouitiatus, domus probationis exemptæ sint.

uato, multum expedire ad bonam nouitiorũ educationem, vt separatam ab alijs religiosis habitationem habeant, vt optimè probat Basil. regul. 15. ex fusioribus, & statuit D. Benedict. c. 58. suæ regulæ, & fuisse obseruatum ab antiquis Patribus, sumitur ex Cassian. lib. 4. c. 7. & sequentibus. & nunc etiam in omnibus religionib. obseruatur, in vnaquaque, iuxta modum aliquem sibi accommodatum. Ergo quòd hæc separatio sit non solùm in aliqua parte eiusdem domus, sed etiam in domo distincta, ex te valde consentaneum est rationi: nam si considerentur omnes rationes, quæ fundatores religionũ mouerunt ad aliquam separationem faciendam, omnes ostendunt, quo maior fuerit hæc separatio intra latitudinem religiosę vnitatis, tanto fore meliorem, si cætera paria sint.

in domo distincta.

XIII. Rationes quas Basilius insinuat hę sunt. Prima, vt raritate congressus, nouitij maiorem reuerentiam erga antiquos retineant. Secunda, ne occasionem alicuius elationis accipiant, si statim cum alijs ad communem vitam admittantur. Tertia, ne forte si aliqui ex antiquiorib⁹, in officijs suis, aut religionis obseruantia minùs diligentes, vel re vera sint, vel apparere possint, procliuitas ad eos imitandum in animis illorum nascatur: hoc enim scandali genus faciliùs in his, tanquam in infirmiorib⁹, & puerilioribus nascitur: & sæpe propter nouitatem, & inexperientiam ibi defectum aut negligentiam iudicat, vbi reuera non est. Vnde addit quarto Basilius cauẽdum etiam esse, ne de se elatiùs sentire incipiant, cùm in quibus ipsi rectè se gerunt, in his grandiores labi animaduertant. Quintò per hoc etiam prouidetur, ne nouitij ante tempus indecore appetãt ea, quæ cum alijs propter ætatem, vel alias rationes, religiosè, & cum decore seruantur. Sextò addit Basilius aliud commodum, scilicet, vt in præceptorum commentatione adolescentulis necessaria, strepitu illo, qui illam solet comitari, reliqui religiosi non offendantur. Denique concludit ad seruandum rectum ordinẽ in disciplina religiosa hanc separationem esse necessariam, quæ omnia commodiùs præstò seruabũtur, si separatio, in distinct. s domicilijs

Rationes quas Basilius insinuat.

Decorum.

Quibus in locis.

Quibus in locis.

*Quibus in locis

fiat, si commodè id fieri possit: quamuis etiã in cohabitatione eiusdem domus, possint aliæ vtilitates inueniri: *Nam & parui* (ait Basilius) *ex grandiorum æmulatione ad compunctionem assurgunt, & qui pietate antecedunt, in oratione à pueris non mediocriter adiuuantur.* Hæ verò vtilitates, & similes non amittuntur propter domorum separationem, quia hæc nunquam potest esse tãta, quin cum nouitiis aliqui antiquiores habitent, à quibus vitæ exemplum accipere possint, quod eò melius fiet, quo ipsi magis fuerint selecti & probati: & è cõuerso, inter antiquiores semper iuniores aliqui habitant, qui licet nouitij non sint, nouitiorum seruorem, & institutionem retinent, quorum vel officio, vel exemplo alij sufficienter iuuari possunt.

XIV. *Obiectio contra Societatis institutum.*

Præter has verò generales rationes, considerata est in Societate specialis vtilitas, vel etiam necessitas ex peculiari fine, & actionibus Societatis prouenientes. Nam omissis nouitiis, duo sunt in Societate conuentuum, seu domiciliorum genera, pro aliis, qui iam sunt Societatis membra: quædam pro studiis & scholaribus principaliter deputata, quę Collegia appellantur, alia ad actiones, & ministeria erga proximos omnino dicata, quæ sunt domus professorum: in neutro autem loco istorum, poterant satis conuenienter domus nouitiorum Societatis fundari: meritò ergo tertius, ac separatus locus ad hunc finem inuentus est. Minor quoad domos professas facilè ostendi potest. Primò quia illæ domus reditus habere non possunt, sed ex eleemosynis viuere debent; domos autem in quibus nouitij probantur habere conuenientes reditus oportet, vt in eisdem constitutionibus Societatis institutum est, tum propter maiorem tranquillitatem, & quietem nouitiorum, & superiorum, à quibus gubernantur, vt depositã solicitudine rerum temporalium, solis spiritualibus intendant, tum etiam vt omnis occasio distractionis auferatur. Secundò, quia longissimè inter se distant ministeria domus professæ, & occupationes, ac instituta nouitiorũ, propter quod necesse est in professis domibus esse multam frequentiam secularium personarum, multamque cũ illis communicationem, à qua nouitij separati esse debent. Denique domus probationum non sunt (vt ita dicã) proxima, & immediata seminaria domorum professarum, sed hæc sunt Collegia, quæ à domibus nouitiorum continuò reſici, & conseruari debent, & ideo cum Collegia debeant esse separata à domibus professis, vt infrà dicemus, multo magis nouitiorum domus, quod si hæ cum aliquo illorum membrorum coniungi deberent, potius id futurum esset cum Collegiis, quàm cum professorum domibus. Vnde in declaratione c. 1. Examin. lit. B. domus probationis velut membra Collegiorũ esse dicuntur, vbi & admitti, & probari ad tempus solent, qui postmodum in Collegiis sunt constituẽdi. Atque ita vbi commodè probationis domus omnino separari non potest, cum aliquo collegio interdum coniuncta est, ita vt in illo habeat omnem separationem quam habere possit. Nihilominus tamen regulariter, vbi id fieri potest, multò commodius existimatur, vt domus probationis à collegiis etiam distincta sit, quia etiam studentium exercitia valde diuersa sunt ab exercitiis nouitiorum, nec possunt intra eandem domum adeò separari, quin aliqua inquietudo & perturbatio in aliquibus saltem inde oriatur. Item quia cùm domus probationis ad educationem spiritualem nouitiorum solũmodo, atque omnino instituta sit, res omnes illius, totumque regimẽ, ordo, actiones, atque ipsa etiam habitatio ad illum finem diriguntur, & accommodantur, & superioris cura magis vnita est, totaque circa educationem nouitiorum versatur, & ad hũc finem omnia alia disponit, vnde non est dubium, quin ad meliorem nouitiorum educationem hæc ratio viuendi vtilior sit.

Probatur in primis nouitios in domibus professis educari non posse.

Item in Collegijs minus conuenienter educari.

Quamuis autem hoc ita sit, nihilominus hæc etiam circumstantia, non est de absoluta necessitate probationis, vt in eisdem constitutionibus satis declaratum est. Nam p. 3. cap. 1. §. 27. & p. 4. cap. 2. lit. D. significatur, etiam in domibus professis posse aliquando nouitios probari, quod etiam consuetudine receptum est, maximè quando ad seruitium, vel auxilium domus eorum opera necessaria est, & eadem ratione possunt aliquando ad collegia admitti, vt in 4. p. cap. 6. liter. C. dicitur, & tunc non interrumpitur eorum probatio, quia illa loci circumstantia essentialis non est. Vnde tandem concluditur, de substantia huius probationis tantum esse id, quod est de substantia nouitiatus, in quacunque alia religione, illud cum proportione ad hanc accõmodando. Hîc etiam non est necessarius specialis habitus regularis, sed totũ ad hoc reducitur, quod est viuere sub obedientia Societatis, tanquam mẽbrum nondum illi vnitum per aliqua vota cum proposito illam intrandi, & in illa viuendi, ac moriendi, vt dicitur in 5. p. Constit. cap. 1. liter. A. subintelligendum autem censeo, si post probationem, ita sibi expedire iudicauerit: non enim tenetur nouitius habere absolutum propositum profitendi, seu moriendi in religione (quamuis optimum consilium sit) quia cum eo tẽpore reuera ibi sit ad probandum, satis est in rigore quòd habeat illud propositum cum ordine ad probationem, seu (quod idem est) sub illa conditione: quamuis (vt dicebam) melius sit illam supponere, & propositum firmum habere: sic enim magis excitatur homo ad constantiam, & ad perferendos labores, quos in religione experitur. Videtur autem necessarium habere dictum propositum. Vnde si quis ficto animo, cum deliberatione non viuendi perpetuò in Societate, sed solùm proficiendi, vel studendi per aliquot annos in ea existat, & exterius probare se finat, præterquam quod grauissimè peccaret decipiendo religionem in re graui, & postea egrediens teneretur ad restituẽdas omnes expensas, vel si quæ alia damna, ob eam causam religio passa esset: ille non posset vere dici nouitius Societatis; nam vt in prædicta declaratione dicitur, vt aliquis vere dicatur de Societate, etiam nouitius, necesse est, vt cum prædicto proposito viuendi, & moriendi in Societate, sub obedientia eius in probatione versetur, vt in aliquem eius gradum admittatur. Vnde satis probabile est, etiamsi postea fictum propositum mutet, & velit in Societate permanere, non posse in conscientia in tempus probationis computare tempus illud, in quo animum fictum habuit, quia reuera tũc non erat in probatione, licet exterius appareret. Quod cum proportione ad alias religiones applicari potest.

XV. *Hanc separationem non esse de substantia nouitiatus.*

Quid sit de huius nouitiatus substantia.

Qui cum ficto animo Societatem ingreditur vere nouitius dici nequit.

Quia verò hoc videri potest duriusculum, & in praxi potest habere aliqua incommoda, & graues difficultates, præsertim, quoad tẽpus probationis, simpliciter necessarium ad valorem professionis, & quia etiam nullo iure cõmuni satis fundari potest, ideo probabiliter dici potest, quòd licet illa probatio eo tempore, quo sic fit, ficta sit potius, quam vera, quia deficit intentio, à qua omnis humana actio pendet; nihilominus mutata postea intentione retrotrahi (vt sic dicam) & ratificari præcedentem probationem: quia experimentum esse assumptum, non omnino tranſit, sed permanet, & illud est principaliter intentum per talem probationem. Aliud etiam incommodum cauendum est ex illo animo ficto, quia veri nouitij Societatis fruuntur spiritualibus gratiis Societati concessis, vt dicitur in eodem cap. 1. 5. p. Constit. liter. A. illis autem non fruetur, qui talem fictum animum habuerit, quia

XVI. *Probabile tamen oppositum.*

Fictus animus non fruitur gratiis spiritualibus Societatis.

quia pro tunc verus nouitius non est; & in prædicto loco ad fruendum his gratiis hoc propositum requiri videtur: & quoniam inter has gratias continentur absolutiones à censuris reseruatis, commutationes, aut suspensiones votorum, & similes, cauendus est talis status, ne hæc omnia inualide fiãt. Atque hæc videntur sufficere de hac prima parte Societatis. Nam de potestate admittendi ad hanc probationem, iam suprà in c. 1. sufficienter tactum est, & in eodem c. 1. 5. partis Constitutionum dicitur, totam illam esse apud Præpositum Generalem, & meritò, quia, præter alias rationes, in Societate non recipitur aliquis, pro vno, aut alio loco, sed pro tota Societate. Quia verò non potest per se semper illam exercere, quasi ordinario iure Prouincialibus illam communicat. Idemque dicendum est de potestate dimittendi nouitium, quando religioni non satisfacit, vt constat ex 2. p. Constit. c. 1. vbi in declaratione fusius explicatur modus legitimè vtendi hac facultate: neque hic aliquid addendum occurrit, præter ea quæ de religione in genere dicta sunt tom. superiori.

Totam potestatem admittendi, &

INDEX CAPITVM LIBRI TERTII.

De admissione nouitiorum in Societatem IESV per tria vota simplicia in communi, & eorum dissolutione, &c.

Cap. I. *Proponuntur argumenta, quibus in Societatem admissio per vota simplicia perperam impugnata fuit: supponunturque nonnulla pro veritate stabilienda.*

II. *Vera resolutio superioris capitis, atque impugnationum ibidem adductarum.*

III. *An hæc scholasticorum approbatio, siue admissio in Societatem IESV, verum religiosum constituat?*

IV. *Corollaria tria, siue conclusiones ex principali superioris capitis conclusione deducuntur.*

V. *An prædicta scholasticorum approbatorum admissio in Societatem, dicenda sit professio?*

VI. *Quæ conditiones requirantur ex parte vouentis, vt prædicta scholasticorum vota fiant valida?*

VII. *Quæ conditiones requirantur ex parte religionis, vt eadem vota scholarium valide fiant?*

VIII. *An tacita votorum immissio, seu incorporatio in scholaribus Societatis locum habeat?*

IX. *An scholarium vota tolli possint per commutationem, aut dispensationem, aut irritationem?*

LIBER

LIBER TERTIVS.

De admissione scholarium in Societatem per vota simplicia, eorumque dimissione.

PRoprium, ac peculiare est Societatis inter omnes religiones, vt inter receptionem adhabitū, & ad professionē solennem, habeat medium quendam admittendi modum, per quē is, qui admittitur extra gradū nouitiorum constituitur, & religioni vnitur, tanquam verum membrum eius, veruſque religioſus; & nihilominus non constituitur in vltimo termino perfectæ vnionis, quam cū corpore Societatis habere potest, sed adhuc in ordine ad illum aliquo modo in probatione manet. Qui modus admissionis propter scholasticos præcipuè inuentus est; extenditur tamen etiam ad coadiutores temporales, qui ad scholares ipsos iuuandos recipiūtur; & quamuis in ministeriis differant, in substantia, & modo huius receptionis, & votorum, quæ in illa fiunt, eiusdem omnino rationis sunt, & ita sub illis comprehenduntur, tanquam accessorium sub principali. Hic igitur receptionis modus multis modis impugnatus est, & tanquam nouus, & tanquam iniustus, & insufficiens ad religiosum constituendū. Vt ergo plēne omnibus satisfaciamus, conuenientiam huius institutionis, & essentiam, & quasi quidditatem huius receptionis, & vim votorum eius, causas denique, effectus, & proprietates eius explicabimus.

CAPVT I.

Proponuntur rationes dubitandi circa admissionem scholarium in Societatem.

I. *Prima dubitandi ratio.*

IN hac admissione nouitiorum ad gradū scholarium per vota simplicia, Prima ratio dubitādi est, quia vel in hac admissione persona se tradit Societati eiq; se deuouet, & ab ea admittitur, vel nō; sed solùm simpliciter talia vota emittit. Si primum dicatur, nihil deest ad perfectam professionem religiosam, quia de substantia huius professionis, duo tantùm sunt, scil. traditio acceptata cum tribus votis substantialibus, vt suprà ostensum est. Si verò dicatur secundum, illa non est vnio cū religione, quia vbi non est contractus mutuus dandi, & acceptandi, non potest esse vera vnio moralis, quę constituat vnum corpus politicum, & efficiat verum, & stabile membrum: non videtur ergo possibilis talis modus vnionis, medius inter nouitiatum, & professionem. Dicetur fortasse, dari quidem traditionem, & acceptionem, sed nō reciprocam, quia obligat simpliciter eum, qui se tradit, non tamen religionem, sed solùm quandiu illum retinere voluerit. Contra hoc verò subiungitur secunda ratio dubitandi; quia hinc sequitur talem modū receptionis esse illicitū, atque iniustum. Probatur sequela, quia iustitia contractus postulat æqualitatem ex vtraque parte: hîc autē inuenitur maxima inæqualitas, quia receptus in Societate, manet obligatus ex se ad perpetuò viuendum, & moriendum in illa, eique seruiendum: ipsa verò Societas non se obligat ad perpetuò retinendum illum; est ergo iniustitia in tali cōtractu, & ideo Doctores communiter in *c. porrectum.* de regul. Nauar. & alij, quos superiori tom. retuli agentes de professione religiosa, in hoc conueniunt, quòd professio religiosa, vt debito modo fiat, debet continere contractum, & obligationē reciprocam inter religiosum, & religionē. Tertiò etiamsi talis receptio esset licita, non videtur expediens, nec religioni accommodata. Primò quidem, quia talis viuēdi modus, non potest esse stabilis, ac perpetuus, quod maximè necessarium est ad vitam religiosam. Deinde quia ex illo sequi possunt multa inconuenientia, & quæ scandalū generare possunt, quale est, quod personæ, semel Deo dicatæ ad seculum facile reuertantur, & negotiis secularib. etiam in statu coniugij omnino tradahtur contra regulā 51. *Semel Deo dicatū, non est ad vsus humanos vlterius transferendum.* de regul. iur. in 6. Item ex parte personarum ingredientium possunt esse multæ fraudes, vt si post vota liberius viuant, vt liberi dimittantur; vel quod grauius est, si à principio eo animo ingrediātur, & fictè voueāt, solum vt bonis, & commodis religionis quoad studia, vel alia huiusmodi aliquibus annis frui possint, & postea sic viuere, vel occasionem quærere, vt liberi dimittantur. Ex parte etiam religionis possunt iniustitiæ interuenire, ex odio, vel alio humano respectu, aliquos dimittendo, vel certè ex nimio affectu ad commodum religionis, innocentem dimittendo, quia fortè in ægritudinem incidit. Quæ omnia pericula attentè considerata auertere possunt homines ab affectu ingrediendi hanc religionem; ergo omnibus consideratis, nec simpliciter, nec religioni talis modus admissionis expediens est.

Secunda.

Tertiā ex multiplici incommodo.

Necessarium esse admitti in Societate iuuenes, qui bonis literis imbuantur antequam ad Societatis ministeria applicentur.

II. *Prima suppositio pro resolutione difficultatū adductarū.*

VT veritatem exponamus, suppono imprimis id, quod per se notum est, & infrà lib. 5. tractabitur, necessarium fuisse in hac religione ad vtilitatē, & conseruationem eius recipi iuuenes, qui ad ministeria Societatis optimis literis in ea prius imbuantur, quàm ad eius ministeria applicētur. Cuius rei ratio optimè traditur in initio 4. p. constit. liter. A. Et ideo solùm oportebit verba illa referre; Atque inprimis ex fine Societatis colligitur, & necessarium, & rationi consentaneum esse, *vt qui in eam sunt ingressuri* (scilicet in Societatē professam, seu ad eius ministeria, quasi ex officio, & propria obligatione peragenda) *viri sint vitæ probitate, & literarum eruditione ad id officiū idonei.* Deinde verò optimè subiūgitur; *Et quia bonissimi, & eruditi pauci inueniuntur sicut alia comparentur, & ex paucis maior pars iam à susceptis laboribus vel is*

Ratione suadetur ex 4. p. constit. in principio.

velit conquiescere, perdifficile fore comprehendimus, huiusmodi hominibus, qui boni simul, ac literati essent, hanc Societatem augeri posse, tum propter magnos labores, quos eius institutum exigit; tum propter magnam sui ipsorum abnegationem, id o nobis omnibus, qui conseruationem, & incrementum eius ad maiorem laudem, & obsequium Dei, ac D. Nostri cupiebamus, alia via tenenda esse visa est: admittendi nimirum iuuenes, qui bonorum morum, & ingeniorum indole spem facerent, quod in probos simul, ac doctos viros, ad colendam Christi Domini N. vineam essent euasuri admittendi etiam in collegia, cum iis conditionibus, quas in literis Apostolicis continentur, siue in vniuersitatibus, siue extra illas faerint; & quidem si in vniuersitatibus, siue illæ Societatis cura commissæ sint, siue non. Hac enim ratione nobis in Domino persuademus ad maius diuinæ maiestatis obsequium fore, si & numero augeantur, & in literis, ac virtutibus progressum faciant ij, qui eidem obsequio se totos impendunt.

Rationes Probatæ annum experientia.

III. *Hanc consuetudinem iuuenes educandi antiquissimam esse monstratur.*

Nec solum ratio, & euidens necessitas, sed etiam antiqua Ecclesiæ consuetudo Ignatium, & Societatem docuit hoc modo educare, & instituere iuuentutem, quæ ad spiritualia ministeria proximorum saluti necessaria, idonea postea existeret. Diximus enim sæpe Societatem esse religionem Clericorum, aut presbyterorum, fuit autem olim, iuxta primitiuam Ecclesiam obseruatum, vt in Diœcesibus, seu locis Episcoporum, domus aliquæ essent specialiter deputatæ ad iuuenes in virtute, & literis educandos, ex quibus postea possent boni Clerici, & Ecclesiæ vtiles ordinari, vt intelligi potest ex Concilio Tolet. II. cap. 1. & habetur d. 28. cap. 5. vbi sic dicitur. *De his quos voluntas parentum à primis infantiæ annis clericatus officio mancipauit, statuimus obseruandum, vt mox detonsi, vel ministerio doctorum traditi, in domo Ecclesiæ sub Episcopali præsentia, à præposito sibi debeant erudiri.* Idem habetur ex Conc. Tolet. IV. cap. 23. quod est apud Gratianum cap. 1. 12. q. 1. *Omnis* (inquit) *ætas ab adolescentia ad malum prona est, nihil enim incertius quàm vita adolescentium: ob hoc constituere oportuit, vt si qui in Clero impuberes, aut adolescentes existunt, omnes in vno conclaui atrij maneant, vt lubricæ ætatis annos non in luxuria, sed in disciplinis Ecclesiasticis agant, deputati deuotissimo seniori,* &c. Idem ferè habetur in Concil. Aquisgran. cap. 135. Quem morem iuuare studuit Concil. Later. sub Alexand. III. p. 1. cap. 18. Et aliud Lateran. sub Innocent. III. cap. 11. Et aliud sub Leone X. cap. 9. de reformatione Curiæ. Et tandem Concil. Trid. sess. 23. cap. 18. Ad huius ergo sanctæ consuetudinis imitationem, Societas scholarium gradum introduxit, tãquam necessarium seminarium ad eos ministros instituendos, qui pro dignitate Societati ad finem suum inseruire possint. Quo enim presbyteri Societatis, ex vi sui instituti, & vi professionis ad perfectionem sacerdotalem (vt sic dicam) magis obligantur, eo perfectiori etiam indigent educatione, & institutione à iuuentute sua.

Conueniens, ac necessarium fuisse huiusmodi scholares Societati per tria vota esse substantialiter coniunctos.

IV. *Secunda suppositio.*

Secundò supponendum est, cõuenientissimum, ac moraliter necessarium fuisse, vt hi scholares substantialiter essent Societati coniuncti, per veram vnionem moralem cum illa; & per tria substantialia vota religionis, vt cum pollicitatione sese amplius coniungendi cum illa, vel eam profitendi, quando, & quomodo iuberentur. Hoc constat ex Constitutionibus, & bullis Pontificiis, hunc gradum tanquã Societati intrinsecum, eique maximè necessarium approbantibus, vt cap. 3. videbimus; quod etiam ratione, & exemplo facile ostendi potest. Ratio quidem, quia & ad spirituale bonum ipsorum religiosorum, & ad finem, & conseruationem Societatis, hoc erat necessarium. Primum patet, quia ad perfectionem talium personarum necessarium erat, vt à principio Deo dicarentur, & ad perfectionem sequendam obligarentur; alioqui si vsque ad finem studiorum hoc differretur, & ipsi magnis commodis spiritualibus, & gratiis priuarentur, & periculo facilimæ mutabilitatis exponerentur. Ex parte itẽ Societatis, erat euidens necessitas, quia nisi ex parte studentium esset obligatio manendi in illa, suo fine, & laboribus ferè frustraretur: nam complures post studia discederent, si hoc esset positum in libera eorum voluntate, *Inique autem* (ait Greg. XIII. in Constitutione, *Ascendente Domino*) *cum Societate ageretur, si viris multo labore ad ardua ministeria eruditis, cum religionis catholicæ, & huius sedis detrimento priuaretur.* Et è conuerso pauci essent, verum desiderium religiosi status habentes, qui tanto tempore, sine illo statu permanere vellent. Deinde vix possent conuenienter gubernari, nisi votum obedientiæ, & paupertatis haberent, & innumera incommoda, & magna confusio sequi posset; quantum autem votum castitatis expediat, per se notum est. Denique cum huiusmodi scholares approbati, intimam debeant habere communicationem cum reliquis membris Societatis in victu, familiaritate, totiusque vitæ communitate, monstrosum esset, & indecens, si omnia hæc membra non haberent inter se substantialem vnionem religiosi status. Quapropter, cum in Constitutionibus Societatis. p. 3. cap. 3. liter. B. declaratum sit, non repugnare instituto nostro, ex licentia Præpositi Generalis, & ad tempus aliquos pauperes scholasticos in Collegiis Societatis admittere, quamuis intra Societatem verè non recipiantur, neque ipsi promittãt ipsam ingredi, statim adiungitur, & vestitus rationem in eis futuram esse diuersam, & habitationem separatam, ita vt qui institutum Societatis sequuntur, seorsim, & non cõmisti aliis externis maneant. Dices, cur non poterãt hoc modo educari omnes scholares Societatis? Respondeo propter rationes factas, non potuit hæc esse generalis regula, neque educatio illa esset cum tãto affectu, & vnione charitatis, tam ipsorum ad religionem, quàm religionis ad ipsos: ex quadam verò, veluti dispensatione, id in casu aliquo permittitur, quando ex parte ipsorum non esset voluntas ingrediendi Societatem, & ob alias causas iudicaretur ad maius Dei obsequium expedire aliquos ingenuos adolescentes ita educare. Sicut autem illa permissio specialis est & per se non expediens; ita eius vsus rarissimus est, aut certè nullus & experientia ipsa docuit, quando similis necessitas occurrit, melius in separata domo, & peculiari collegio id fieri, quamuis sub cura Societatis existat, vt videmus Romæ authoritate Summorum Pontificum, & aliis locis fieri.

V. *Exemplum.*

Tandem, non deest huius institutionis proportionale exemplum ex antiquitate desumptum. Nã in dicto Concil. Tolet. II. & cap. *De hu* 28. d. de iis minoribus clericis, qui in seminario Episcopali educabantur, dicitur, cùm ad 18. ætatis annum peruenirent interrogandos fuisse, an vellent cœlibatũ seruare, quod si permanere volebant, promittebãt castitatem, vt illo vinculo quasi obligati ad clericatum manerent. Sic etiam in Concil. Carthag. III. ca. 19. dicitur, *Lectores cum ad annos pubertatis peruenerint, cogantur aut vxores ducere, aut continentiam profiteri.* Hac etiam ratione in Concilio illo Tolet. II. cap. 2. statutum est, ne clerici ab vno Episcopo in suo collegio, seu seminario enutriti, ab alio Episcopo in sua Ecclesia recipiantur: *Quia durum est* (inquit Concil.) *vt eum quem alius sensu, & squalore infantiæ exuit, alius sibi suscipere, ac vendicare præsumat.* Volebant ergo antiqua decreta,

treta, ac meritò, huiusmodi clericos esse addictos illi Ecclesiæ, in qua, & pro qua educabantur. Ad hùc ergo modum se habet Societas circà scholares suos; & eodem consilio ordinarunt Pontifices, vt scholares approbati in Societate ad nullam aliam religionem transire possint, excepto Carthusiensium ordine, quod commune est etiam professis; de quo infrà lib. 11. c. 2. dicendum est. Potest etiam in huius rei exemplum adduci id, quod nunc videmus à Pontificibus obseruari in his seminariis, quæ ad educandos presbyteros doctos, & catholicos diuersarum nationum, ad expugnandas hæreses in eis exortas, erexerunt: non enim aliter (quod sciam) eos admittunt, nisi prius voto, vel iuramento præstito suscipiendi sacros ordines, & in suis regnis, vel Prouinciis pro fide catholica, & animarum conuersione laborandi, & ministeria sacerdotalia exercēdi, quia aliàs ferè nullus fructus ex eo labore, & expensis probabili certitudine sperari posset. Ita ergo seruata proportione necessaria fuit in Societate obligatio ex parte scholasticorum, eam verò oportuit fieri modo religioni accommodato, atque adeò per substantialia vota, & intimam religiosam vnionem cum Societate ipsa.

Aliud exemplum.

Obligationem per prædicta vota non esse mutuam.

VI. *Tertia sup positis bipartita.*

Tertiò supponendum est, hæc vota ita fieri in Societate, vt ex parte vouentis sint ex intentione se obligandi in perpetuum, ad viuendum, & moriendum in hac religione sub obedientia eius; ex parte verò religionis solùm admittantur acceptādo traditionem, & obligationem ipsius vouentis, non tamen se obligando ad semper retinēdum ipsum vouentem, aut vota eius; sed solùm *quantùm Præpositus Generalis eos in Societate retinendos censuerit.* Vtrumque est manifestum, ac sæpius repetitum in Constitutionibus, ac bullis Societatis. Nam quod ad primū attinet, nihil magis ab scholasticis approbatis, vel à nouitiis expleto biennio, vt in illum gradum admittantur, postulatur, quàm vt firmum propositū habeant viuendi, & moriendi in Societate. Vnde in cap. 3. Exam. §. 13. primùm interrogatur nouitius, *an omnino de reuerti seculum relinquere, & consilia Domini nostri Iesu Christi sequi.* Et statim §. 14. *Num deliberatum habeat animi propositum viuendi, & moriendi in Domino, cum hac, & in hac Societate IESV Christi Creatoris, ac Domini nostri.* Et rursus c. 7. §. 5. *An statuerit omnino apud se studiū absolutū, ac probationibus peractū Societatem ad viuendum in ea, & moriendum ingredi.* Et infrà numer. 7. & 8. hæc stabilitas sæpiùs examinanda dicitur. Deinde idem constat ex ipsa forma vouendi tria vota substantialia; atque ingressum in Societatem, *vt vitam in ea perpetuo degant*, iàm formati, aut professi, vt constat ex p. 5. Const. cap. 4. §. 4. quæ vota ad maius meritum, & stabilitatem emitti dicuntur in Exam. cap. 7. in principio. Denique nihil frequentius in Constitutionibus repetitur, & rationes, quibus paulò ante in 2. suppositione probatum est, necessarium fuisse scholares approbari, & admitti in Societate sub obligatione, probant etiam talem obligationem debuisse esse perpetuam, alioqui non vitarentur incommoda, quæ ibi dicta sunt.

Ostenditur prior pars.

VII. *Ostenditur posterior.*

Altera item pars, quod Societas ex parte sua, non absolutè obligetur, expressè habetur in Examine cap. 7. & 5 p. c. 4. lit. D. & his verbis ponitur in Constitutione, *Ascendente Domino.* Greg. XIII. vbi cum sermo sit de scholaribus, dicitur, *Quantum est ex parte ipsorum, perpetuo: ex parte verò Societatis iuxta Apostolica indulta, & constitutiones prædictas tamdiu obligati sunt, quandiu Præpositus Generalis eos in Societate retinendos esse iudicauerit.* Et ideo 5 p. Const. cap. 4. de his scholaribus dicitur; *Qui peracta sua priori probatione, & experimento, per biennium in scholasticis approbatos admittuntur, coram aliquibus domesticis, quamuis non in manibus cuiusquam, vota sua emittant,* &c. Vbi in declaratione ita explicantur illa verba; *Non in manibus cuiusquam: vt hoc votum soli Deo offertur & non homini, ita nemo id admittit, propterea in nullius manibus fieri dicitur.* Quæ verbà obscuriora sunt, & egent expositione, quæ iterum in cap. 5. ad finem recolenda erit. Nam certum est hæc vota fieri aliquo modo in manibus Prælati Societatis, multumque in hoc differre à votis, quæ nouitius suo arbitrio facere potest, & sæpe facit, & repetit etiam publicè, & in præsentia multorum, iuxtà easdem Constitutiones Societatis in Examine c. 1. & 3. p. Constit. cap. 1. lit. F. vbi etiam declaratur, talia vota non fieri in manibus cuiusquam, neque admitti, quod longe aliter, quàm de votis scholasticorum approbatorum necesse est intelligi. Quia negari etiam non potest, quin hæc vota scholasticorum, aliquo modo, à Societate admittantur, alioqui non verè cum illa vnirentur. Et ideo in 5. p. Constit. cap. 1. dicitur; *Quia scholastici approbati etiam modo quodam interiori, quam admissi ad probationem, in corpus Societatis coaptantur, de eorum quoque admissione in hac 5. p. dicetur.* Inscribitur autem illa pars *De iis, quæ ad admittendum in corpus Societatis pertinent. Vbi corpus Societatis* sumitur, vt constat ex suis veris membris, excludendo nouitios, de quorum admissione in 1. p. dictum fuerat. Ergo necesse est, vt scholastici ab ipsa Societate admittantur in vera membra eius, quod non fit, nisi per hæc vota. Vnde si talia vota, etiam post biennium fiant coram aliquo, qui potestatem non habeat admittendi illa, non habent vim incorporandi in Societate, neque efficiunt scholarem approbatum, nec denique efficiunt vota Societatis. Necessaria ergo est aliqua admissio, alioqui ad quid esset necessaria potestas in admittente? In hoc ergo sensu non tantùm fiunt coram ipso, sed etiam in manibus eius, vt ipse possit ea acceptare. Sic enim dixit Gregor. XIII. in prædicta Constitutione, *Ascendente Domino*, scholares per hæc vota *se Societati dedicare atque actu tradere*; quod impossibile est fieri, nisi in manibus alicuius illa emittant. In prædicta igitur constitutione dicuntur hæc vota non fieri in manibus alicuius, qui ita illa acceptet, vel recipiat, vt Societatem obliget ad ea semper in suo valore retinenda, & conseruanda. Et eodem sensu dicitur in declaratione neminem talia vota admittere; scilicet, vt absolutè perpetua sint, sed solū sub conditione subintellecta, *si Societas huiusmodi personas retinere velit*, vt ibidem dicitur. Quam conditionem latius cap. sequent. à numer. 3. explicaturi sumus.

Exponitur constitutio.

CAPVT II.

Concluditur licitum ac sanctum esse receptionis modum, quo scholastici in Societatem admittuntur: ac rationibus dubitandi in contrarium satisfit.

I. *Prima conclusio.*

EX his ergo colligimus inprimis possibilem fuisse in Societate modum aliquem admittendi huiusmodi scholares in corpus suum, quo verè illi vniantur, tanquam vera membra eius, medium statum habentia inter nouitiatum, & gradum professorum. Quia hæc vota, quæ explicuimus, seu receptio, quæ per illam fit, extrahit personas à gradu nouitiorum; nam hi nondum sunt membra corpori religionis verè vnita: scholares autem per hanc admissionem verè efficiuntur membra, cum tamen constet ex eodem modo, quo admittuntur illos

illos non esse professos, neque vltimatè (vt sic dicã) coniunctos, & vnitos Societati, pro vt illi coniungi possunt. Atque in hoc fatemur esse differentiam inter Societatem, & alias religiones. Id enim expresse dixit Gregor. XIII. in dicta Constitutione, *Ascendente Domino. Quoniam Societas* (ait) *non solùm nouitios, & professos, vt reliquæ regulares, constat.* Atque ita responsum est ad primam rationem dubitandi. Concedimus enim in hoc genere vnionis personam, quantum est ex se, perfectè se tradere, admitti verò, non simpliciter, sed cum illo addito, & conditione subintellecta *si Societas eiusmodi personam retinendam iudicauerit.*

II. *Secunda Cõclusio bimẽbris probatur ex Pontificibus.*

Secundò verò addimus, hoc genus receptionis licitum, & sanctum esse, tam ex parte religiosi, quã ex parte religionis. Ad huius veritatis probationẽ, sufficiebat hoc genus receptionis esse approbatum à multis Summis Pontificibus, non solum generatim, & quasi confuse, quatenus approbantur constitutiones, sed distinctè, & in particulari declaratũ inter ea, quæ ad substantiam instituti multum pertinent, vt videre licet in bulla Confirmationis Iulij III. vbi de votis scholarium dicitur, *Quibus teneantur, quandiu Præpositus Generalis eos in Societate retinendos esse censuerit.* Latius verò id habetur in dicta Constitutione Gregorij, *Ascendente Domino*, cuius verba ex parte retulimus cap. præced. numer. 7. & plura statim referemus. Nihilominus tamen necessarium est, ratione hoc ostendere, & obiectioni secundæ in cap. præced. satisfacere. Primum ergo quod ex parte ipsius religiosi talis contractus, seu oblatio licita sit, manifestum est, neque ex hac parte aliquid contra illam obiicitur; quia religiosus nulli facit iniuriam, neque in aliquem alium contra charitatem, aut aliam virtutem operatur, neque etiam in se ipsum, tum quia est sui iuris, & potest de sua libertate disponere, vt voluerit, cum alioqui propter bonum finem, & in officium de se sanctum, & in cultum Dei se offerat. Tum etiam, quia licèt quandam sui traditionem, & obligationem nimis liberalem facere videatur, totam illam facit in obsequium Dei, respectu cuius nulla liberalitas potest esse nimia. Vnde tantum abest, vt ex hac parte hæc obligatio sit illicita ei, qui se offert, vt potius ex eodem capite videatur excedere aliam professionem, quæ reciproca est: nam in illa quodammodo minus est liberalis oblatio, cùm ex alia parte quædam recompensatio respondere videatur, non tamen propterea hanc vnionem solenni professioni præferimus, quia cætera non sunt paria, sed solùm aduertimus, ex hac parte habere excellentiam quandam singularem.

III. *Ostenditur deinde posterius membrum ex Pontific.*

Ex parte verò religionis etiam hoc esse licitum, his verbis breuiter probatur in dicta constitutione, *Ascendente Domino. Quòd ad Societatis conseruationem maximè est necessarium, idque ab illius exordio prouisum, & post experimento comprobatum est, idque nitio ingressus, illis explicitè manifestatur, atque ipsi conditionem hanc amplectuntur, quæ eis* (*si quos dimittere oporteat*) *multo est commodior, vt liberi potius, quàm votis obligati dimittantur, aliisque iustis, & rationabilibus de causis.* In quibus verbis plures rationes insinuantur, quas omnes ad vnam sub hac forma reducere possumus: si hoc esset illicitum Societati, aut esset contra iustitiam commutatiuam respectu religiosi, aut contra charitatem, aut contra commune bonum, quod respicit etiam charitas, vel iustitia legalis; nihil horum dici potest, vel cum minima probabilitate; ergo. Maior continet sufficientem partitionem, nec video aliud membrum, quod excogitari possit.

Item ex ratione tripartita.

IV. *Prima pars huius rationis.*

Minor quoad primam partem de iustitia, probatur in prædictis verbis; quia scienti, & volenti non fit iniuria: in præsenti autem religiosus sciens, & videns vult item contrahere, & se donare, & ad hunc finem tanto tẽpore examinatur, & ei distinctè proponitur ad quid, & quomodo obligandus sit, & tã multiplex consideratio, & repetita lectio instituti, & diplomatum illi imperatur; quæ igitur iniuria ex parte Societatis interuenire potest? Et cõfirmatur; nam in rebus humanis, ac temporalibus possunt fieri similes contractus cum magna æquitate iustitiæ, cur ergo non in spiritualibus? Antecedens patet, nam secluso iure prohibente potest se aliquis donare alicui in seruum, qua donatione facta, non potest ipse retrocedere, aut se eximere à seruitute: alius verò potest illum manumittere: vnde quamdiu illum apud se retinet, & in suum commodum illo vtitur, illum alere tenetur, vel ex pacto implicito, vel ex ipso iure naturali: si autem illum semel manumittat, sicut vnus liberatur obligatione seruiendi, ita & alter alendi, in quo contractu euidens est, non esse iniustitiam. Quia in ea parte, in qua videtur esse inæqualitas, scilicet, quod vnus obligatur ad non subterfugiendum, & alter non obligatur ad retinendum; in hac (inquam) parte contractus non est per modum commutationis, sed per modum simplicis donationis ex altera parte: quia (vt supponitur) ille voluntariè se donat in seruum. Addo insuper; etiamsi seruitus contrahatur, per modum commutationis posse esse, & concurrere tales circumstantias, vt etiam in ea, quæ videtur inæqualitas, summa æqualitas rei ad rem seruetur. Nam si seruitus ipsa in maius commodum serui cedat, quã Domini, maioremque vtilitatem illi afferat, cur non poterit ille excessus compensari maiori quadam obligatione ex parte serui? Sic enim in contractu emptionis, & venditionis, aliquando obligatur emptor ad iterum vendendum, si alius velit. Sic verò non obligatur ad emendum, etiamsi alius velit vendere; & tamen non est inæqualitas, si tantumdem de pretio rei minuatur, quanti obligatio illa maior æstimabilis est. Ita ergo facilè intelligi nostrum intentum potest in illo exemplo seruitutis. Hæc enim omnia simul in hoc quasi contractu Societatis concurrunt. Nam inprimis contractus est vtrimque voluntarius, & cum perfecta scientia; deinde ex parte religiosi, est magis liberalis quædã traditio sui, quàm commutatio, & ipsa Societas satis expresse declarat se nolle acceptare personam talem, sibi donatam, nisi sub ea conditione, vt possit eam dimittere, cum expedierit. Denique hæc ipsa acceptatio hoc modo facta est non solùm æquale, sed etiam maius bonum respectu religiosi, quàm sit commoda eius traditio ipsi religioni. Nulla ergo ratio iniustitiæ hîc excogitari potest; præsertim, quia licet Societas non obligetur speciali, & absoluta obligatione ad scholarem approbatum perpetuo retinendum, obligatur nihilominus ad non dimittendum illum sine legitima causa, siue hæc obligatio oriatur ex natura rei, ex ipso contractu, siue ex ipso instituto, de quo infrà cap. vlt. dicam, & causa illa moraliter loquendo semper pendet ex voluntate ipsiusmet religiosi. Adde insuper, plures contractus humanos authoritate legum ita claudicare, vt vnum contrahentium simpliciter obligent, & non alium, vt latè tractant Gloss. vltima, & Doctores ex textu ibi in cap. *De illis* 1. de despo. impuber. & in cap. 1. de eo qui duxit in matrimon. quam pollu. per adult. & in leg. *Iulianus*. §. *Si quis à pupillo*, ff. de action. empti. & in §. 1. Instit. de auctorit. tutor. videri etiam possunt tom. super. dicta de professione tacita, vbi aliquod exemplum simile attigimus. Propter quæ omnia, meritò in compendio priuilegiorum Societatis verbo, *Votum* §. 2. in dictis votis, nec cõtractum claudicantem, nec vllam iniustitiam repetriri dicitur.

Altera pars de obligatione ex charitate, probatur dupli-

dupliciter, ex verbis citatis. Primò ex parte ipsius religionis, quia ad conseruationem eius necessariũ est, vt hoc modo, & non aliter, scholasticos approbatos recipiat: charitatis autem ordo est, vt seruata æqualitate iustitiæ, vnusquisque consulat bono proprio magis, quàm alieno, & præsertim in spiritualibus, multoque magis si tale bonum commune sit. Hæc autem omnia in præsenti concurrunt: nam in primis probatur æquitas iustitiæ, vt ostẽsum est: Deinde bonum, quod in Societate conseruari intenditur, per hoc medium spirituale est, scilicet, religiosa perfectio, & puritas: item maior aptitudo, & efficacitas, ad spiritualia ministeria in vtilitatem animarum peragenda. Vnde etiam constat hoc bonum non esse priuatum, sed commune, nõ solùm, quia Societas ipsa communitas quædam est, cuius bonum, vel hoc solo titulo præferendum est cuicumque priuato, sed etiam quia hoc redundat in bonum vniuersale animarum, ad quod non parum spectat, quòd operarij Societatis idonei, & fideles ministri sint Euangelij. Solùm restabat probandum hoc medium esse moraliter necessarium, aut valdè vtile ad hoc bonum Societatis; sed hoc luce clarius est, quàm vt probatione indigeat, & in citatis verbis diuturna experientia in probationem adducitur, quæ in re morali sufficiens argumentum est. Item adducitur in argumentum, quod à principio fuit hoc à B. Ignatio & sociis eius præuisum, & prouisum: quod etiam argumentum in re morali, non parum efficax est propter tantorum virorum sanctitatem, & prudentiam. Deinde hæc libertas Societatis eo tantùm tendit, vt solùm eis membris constet, quoad fieri possit, quæ ad finẽ Societatis apta, & idonea sint, & expurgata sit omni membro inutili, vel ad tale corpus parum apto: nihil autem est magis necessarium ad cuiuscunque corporis conseruationem & augmentum, & ad omnes suas actiones cum fructu perficiendas; ergo. Denique omnes rationes quibus infrà l. 6. c. 1. ostendemus propriam Societatis professionem meritò per plures annos differri, & non habere certum terminũ præter sufficientem probationem personæ per diuturna experimenta, probant consequenter pertinere maximè ad bonum Societatis conseruare in se hãc libertatem, & non constringi ad retinendos eos, quos nondum habet satis probatos, non solum per biennium, sed etiam per illa diuturna experimenta, quæ ad professionem necessaria sunt. Suprà etiã ostendimus in tom. præced. alias etiam religiones habere potestatem eiiciendi interdum suos professos quia ad suam conseruationem, & perfectionem erat moraliter necessarium, quia *parum fermenti totã massam corrumpit*. Quid ergo mirum quod ad conseruationem Societatis dicamus hoc medium esse moraliter conuenientissimum.

Secũda pars eiusdem rationis mul. tip. liter o. stenditur.

VI. Instantia satisfit. Vadique.

Dices, etiam si absolutè acceptarẽtur, possent dimitti quando expediret, non tamen liberi, sed suis votis ligati, sicut dimittuntur in aliis religionibus professi. Quod quidem esset onus ipsorum, qui dimittuntur, non Societatis. Ad hoc tacitè respondetur in eisdem bullis citatis, adiungendo secundam rationem: Nimirum in hac restitutione prospectũ etiam esse commodo ipsorum vouentium: nam si quos dimittere oporteat præterquam quod, & literis ferè imbuti sunt, & pietatem gustarunt, multo eis commodius est, vt liberi potius, quàm obligati dimittantur; esset enim graue onus, retinere principale onus obligationis, & carere commodis Societatis. Accedit etiam, quòd quando obligatio votorum, seu obligationis manet, multo est minor facultas dimittendi, & grauissimam causam requirit in Societate autem oportebat hanc facultatem esse maiorem ad assequendum finem per hanc institutionem intentum: Sæpe enim expedit aliquẽ dimittere, nõ solùm propter vitia incorrigibilia, quæ ferè sola potest esse ratio dimittendi professum, sed etiam propter difficilem naturam, vel non satis aptam aut fidam, vt ei ministeria Societatis committantur, & alias similes causas. Vnde etiam hæc impedimenta interdum sunt perpetua, quæ aut nullo modo, aut vix possunt auferri per voluntatem eius, qui dimittitur, & ideo inutile esset eum dimittere ligatum, cum non sit iterum recipiendus, etiamsi probus existat: obligare autem illum ad aliam religionem petendam per se loquendo, non erat expediens, quia nemo debet obligari ad id quod non promisit: ergo in hoc etiam iuxta charitatis legem prospectum est ipsorum vouentium commodo.

VII. *Tertia pars.*

Vltima denique pars satis probata est cum præcedenti, ostensum est enim ad bonum cõmune Societatis, & consequenter etiam Ecclesiæ, seu animarum spectare, vt Societas hanc liberam retineat facultatem; ergo non potest esse contra iustitiam legalem, vel commune bonum. Quapropter licet ex vno, vel alio capite aliquod incommodum sequi videatur, vt quod aliqui titulo paupertatis ordinati, postea non sint pauperes obligatione, & statu, & tamen reipsa indigeant, contra decentiam ordinis, vel etiam, quod multi, qui diuitias & contempserunt spe religionis, postea sine diuitiis & sine religione inueniantur. Ex his (inquam,) vel similibus incommodis non est ferendum absolutum iudicium de inconuenientia rei in ordine ad commune bonum; quia nulla est ferè humana institutio, ex qua non possint aliqua incommoda sequi; vnde illud de ordinatione in Congregatione S. Ioannis Euangelistæ leuius reputatur, cùm tamen ibi vtrinque detur facultas ab eo quasi pacto recedendi. Pensanda ergo sunt homini, & ab eo quod maius, & excellẽtius est, prudenter est iudicandum. In præsenti autem vniuersale bonum spirituale vnius religionis, quod redundat in spirituale, & generale etiam commodum totius Ecclesiæ, maioris momenti est, quam particularia incommoda, quę in contrarium possunt allegari, vel excogitari. Item bonum illud moraliter est certum, & per se intentum: alia verò incommoda, si qua dantur, rara sunt, & incerta, & per accidẽs euenientia; atque adeo solùm permissa, quando euitari non possunt. Denique bonum religionis tale est, vt moraliter alio modo subsistere non possit in Societate, propter pericula, & difficultates graues, quib. exponũtur operarij ei⁹, vt sępe dicitur in bullis Pontificiis, & præsertim in dicta Constitutione, *Ascendente Domino*: at verò si qua incommoda sequi possunt, aut præueniri, & impediri, ferè semper valent, aut certè maioribus commodis etiã particularium personarum compẽsantur, vt iam explicabo.

VIII. *Vnde soluatur secunda ratio dubitandi capitis præcedentis.*

Per hæc igitur secundæ obiectioni satisfactũ est; & tertia etiam ferè iam est expedita: nã quæ in confirmationem secundæ assertionis dicta sunt, probant non solùm hoc esse licitum, sed etiam melius, magisque expediens in hac religione. Nam quod est moraliter necessarium ad commune bonum spirituale alicuius religionis, & Ecclesiæ, simpliciter est melius, & magis expediens tali religioni, & ipsi etiã Ecclesiæ, quatenus ex tali parte constat, & quatenus eius laboribus, & operibus ad suum commodũ vtitur: sed talis est institutio de qua agimus, vt declaratum est, ergo. Deinde id ostenditur discurrendo per singula incommoda, quæ proponuntur. Quod ergo in primis dicitur, talem modum viuendi non posse esse stabilem, & perpetuum, nullius momenti est: Etenim si sensus sit, non habere moralem firmitatem sufficientem ad statum humanum, falsum est: nam vt in tom. super. dixi, ad religiosum statum non est necessarium, vt causæ eius omnino sint inuariabiles, sed satis est, vt talem habeat stabilitatem, vt sine graui causa, & per potestatem

Ad primum incommodũ allatum in tertia ratione dubitandi eiusdem capitis.

publicam, seu in virtute eius mutari non possit: ita verò est in præsenti, vt per se constat, & in seq. cap. magis explicabitur. Si verò sensus illius incommodi est, quod hic status non sit absolutè perpetuus, & independens (vt ita dicam) ab humana voluntate, sic petitur principium: nam pro inconuenienti infertur illud ipsum de quo disputatur. Negamus igitur illud esse inconueniens; iam enim ostensum est, quibus rationibus expediat.

IX. *Ad secundũ incommodũ.* Ad aliud concedimus ex hac institutione sequi, vt aliquæ personæ aliquando Deo dicatæ, & ad eius obsequium admissæ ad seculum reuertantur, & negotiis secularibus implicentur, nõ tamen in eodem statu manẽtes, sed mutato statu, & quasi ablata forma, per quam erant res Deo consecratæ: sic autem non est inconueniens rem semel Deo dicatam ad profanos [illegible]us, media tali mutatione conuerti, vt præced.to [illegible]eclarauimus, tractando de immutabilitate pro[illegible]fessionis, & quomodo religiosus per professionem solennem, possit aliquando fieri non religiosus, & deinceps seculariter viuere. Neque verò hæc mutatio facile fit, cum grauem causam requirat, & non fiat sine Apostolica authoritate, & cũ matura deliberatione, certè R.P. Claudius Aquauiua, qui vltra 30. annos Præpositum Generalem egit, vniuscuiusque dimissionem semel, & iterum in cõsultationem adducebat. Et quamuis hoc non rarò accidere videatur, considerata tamen hominũ fragilitate, & respectu tantæ multitudinis rarò accidere dici potest. Nec denique est, quòd timeatur scandalum; tum quia intellecta causa, & ratione, nullũ est, præsertim apud eos, qui non sunt malè affecti, vt experientia nos docuit; de quorundam enim eiectione Societati gratulantur, prouidentiamque de sui ipsius hac ex parte conseruatione commendant: tum etiam, quia & maius, & verius scandalũ fuisset, si Societas, aut viris se indignis abundaret, aut operarios Euangelij haberet parum exemplares, ac religiosos: & tunc etiam multò grauius eidem Societati malum fuisset, si religiosi, manentes religiosi non satis religiosè viuerent, quàm si aliqui religiosi esse desinant, & seculariter viuant; nam illud priùs præter incommoda numerata, vix esse potest sine magnis sacrilegiis, & Dei offensionibus: hoc autem posterius licet minus bonũ sit, euitat maiora mala.

X. *Ad tertium incommodũ.* Aliud verò inconueniens, de fictionibus, quæ esse possunt ex parte eorum, qui parum constantes sunt in sua vocatione, vel qui à principio non rectam intentionem habent. Hoc (inquam) licet admittatur, nullius momenti est, ad improbandam institutionem, quia hi sunt quidam hominum abusus, qui in rebus etiam sanctissimis admiscentur. Aliàs improbentur religiones militares, quia multi sunt, qui nõ propter Dei obsequium, vel propriam perfectionẽ, sed propter humanum honorem, & diuitias, eas affectant. Improbentur etiam ordines Monachales, quia multi non studio perfectionis, sed ob humanã commoditatem illum statum eligere solent. Idem de Episcopis, & multis aliis dicere possemus. Addo etiam vlterius, experientia notũ esse illud inconueniens rarò accidere, vel fortasse nunquam, ita vt de eo satis constare possit, de interioribus autem intentionibus homines non iudicant. Et timor Dei potest hunc fictum animum impedire, quia, vt infrà dicemus, & circa finem libri præcedẽtis attigimus, qui ita se gerit, & tunc grauiter peccat, & postea nõ est in conscientia tutus; neque desunt etiam moralia remedia, quibus malum hoc per disciplinam, & correctionem religiosam possit præueniri.

XI. *Ad quartũ.* Aliud præterea incommodum, quod ex parte religionis, seu Prælatorum eius ponebatur, humanũ etiam est, quia homines facilè abutuntur potestate acceptata: sed nunquid ob eam causam non est hominibus committenda potestas ad regendam rempublicã necessaria? Aliàs nec debuisset Christus Vicarium in terris relinquere cũ tanta potestate. Addo verò hactenus per diuinam gratiam hoc incommodum non esse sequutum, saltem regulariter, nec fortasse in aliquo casu, de quo certò constare possit, iniuriam aliquam esse factam cum malo animo, vel sinistra intentione aliquem fuisse electum; quod si fortasse aliquando ex nimio zelo aliquis excessus commissus est, neque id est mirandũ; neque est magna reprehensione dignum, cum recta intentio non desit, & prouidentia humana non possit aliquando non falli, qui error rarò erit practicus, sed speculatiuus tantùm, cùm in casu dubio in fauorem religionis inclinandum sit. Et sperandum profectò est, hanc rectitudinem semper esse seruandam, tũ quia non nisi cum magna consideratione, & multorum consilio, hoc fit: tum etiam quia ipsemet affectus ad propriam religionem, præter affectum charitatis ad proximum, inclinat ad conseruanda eius membra, nec permittit aliquod ex illis abscindere, nisi vbi ad salutem totius corporis necessarium est, sicut in naturali corpore accidere videmus.

Nec denique timẽdum est (quod vltimo loco inferebatur) ne ob hanc causam pauci sint, qui hoc institutum profiteri velint, eo quòd se exponant periculo, vel infamiæ, vel paupertatis, si postea dimittantur. Nam inprimis diuturna etiam experientia docuit, nihil hoc impediuisse, quominus hæc religio mirum in modum aucta fuerit, & præter diuinam gratiam, præcipuam rationem existimo fuisse, quia plus attrahit, & inuitat vitæ exemplum, & præsertim mutuæ charitatis vnio, & totum religiosæ vitæ specimen, quam terreat timor eiectionis. Deinde, quia cum vnusquisque sibi persuadeat non fore eiiciendum, nisi ipse sua voluntate causam dederit, vel aliquo modo eiectioni consenserit, sicut tunc per diuinam gratiam concipiunt desiderium, & propositum viuendi, & moriendi in Societate, quantum in se est, ita ex eadem gratia concipiunt spem nõ deficiendi, nec dandi causam eiectioni; & ita non difficilè deponunt timorem, qui eos ab ingressu deterreat, conseruant autem eum, qui illos in officio cõtineat, & vigilare faciat, ne vnquam desint gratiæ Dei. Addo præterea, si quid periculi alicuius infamiæ, vel temporalis incommodi illos retardet, efficacem Dei vocationem præbere animũ aggrediendi illud propter obtinendum bonum, quod in tali religione esse iudicant, cum spe (vt dixi) superandi tale periculum; sicut enim multi ob Dei honorem maioribus periculis se exponunt, non solum infamiæ sed etiam mortis, ita minimè timendum, ne desint, qui hanc etiam viam aggredi velint. Certè si consideratio illa efficax esset, nouitiatus etiam cuiuscumque religionis, esset sufficiens occasio deterrendi homines ab ingressu; nam post illud inchoatũ, nemo eiicitur, aut retrocedit sine vlla infamia, aut nota, & quilibet timere potest, ne hoc illi contingat. Quod verò ad paupertatem attinet, mihil ferè est, quòd ex hac parte timeatur, tum quia si aliqua bona Societati donata sunt, ea quidem iuxta c. 4. Examinis lit. B. & c. 3. 2. partis lit. B. ac præxim à S. congreg. decreto 8. Præposito Gener. commissam, restitui solent ei, qui eiicitur, tum quia non nisi qui in vocatione stabiles iudicantur, bonorum suorum, si qua habent, renunciationem facere permittuntur; si verò aliter de eis dispositum est, ita vt recuperari non possint, sibi imputet, qui post huiusmodi renuntiationem indignum se fecit, vt in Societate retineretur; & præterea ipsa educatio in Societate, quamuis temporalis; & semina virtutum, ac doctrinæ, quæ in eo tempore comparari solent, maiora bona sunt, maiorisque æstimationis, quàm temporalia illa incommoda, quæ timeri posse dicuntur.

CAP.

CAPVT III.

Vtrùm hæc scholasticorum admissio in Societatem verum religiosum constituat?

I. *Ratio dubitandi.*

RAtio dubitandi est, quia ex hactenus dictis, videtur manifestè colligi, hanc non esse verâ professionem religionis: quia de ratione professionis est, vt fit votis solennibus omnino absolutis, & immutabilibus firmata, vt planè sentit D.Th.2.2.q.88. art.7.& 11. qui hac ratione concludit votum solenne esse indispensabile, & fieri non posse, vt semel religiosus desinat esse religiosus. Similiter q.184. a. 4. addit, de ratione status perfectionis esse, vt solenni voto firmatus sit: Diximus autem hanc receptionē non firmari votis absolutis, & immutabilibus; non est ergo vera professio. Verus autem status religiosus solum per veram professionem constituitur, vt tom. præced. latè ostendimus; & constat ex multis locutionibus iuris, quæ in summa continent, *habitum non facere monachum sed professionem. c. porrectum.* de regularib. vnde in *c. religioso.* de sententia excom. in 6. dicitur; *Is qui religionem ingreditur religiosus censeri cum effectu non potest, donec sit tacitè, vel expressè prof. ssus.* Et Sixtus V. in declaratione sui motus proprij, de illegitimis; *Quia tunc* (ait) *verè, & propriè religiosi essi dicuntur cum professionem emittunt.* Si ergo scholastici Societatis eam non emittunt, veri religiosi non sunt. Et

Confirm. 1.

Confirm. 2.

confirmatur ex forma, quam in vouendo seruant, quæ habetur 5. p. Const. c. 4. in qua inprimis nulla fit mentio professionis, traditionis, aut promissionis, quæ homini fiat, & simpliciter dicitur; *Voueo coram sacratissima Virgine Maria, & curia tua cœlesti vniuersa diuinæ maiestati tuæ paupertatem, castitatem, & obedientiam perpetuam in Societate Iesu.* Deinde verò additur; *Et promitto eandem Societatem me ingressurum.* Ergo illa votorum emissio, non est ingressus in Societatem; nam quod postea faciendum promittitur, tunc nō fit; non est ergo illa vera professio religiosa. Præsertim, quia statim additur; *Omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis constitutiones.* At verò in eisdem Constitutionibus declaratum est, illa vota non emitti in manibus alicuius, sed soli Deo fieri, vt patet in eodem cap. 4. §. 3. cum declaratione in lit. D. in qua additur, neminem illa vota admittere; ergo non

Fr. Didacus Paredo Theologia professor in suo conuētu Abulensi anno 1584. & alii eiusdē familiæ, quos etiam impugnat Sanchez li. 7. de matrim. disp. n 15.

potest illa esse vera professio religiosa; nam hæc cōsistere non potest, nisi in manibus alicuius hominis fiat. Circa hoc punctum nonnulli moderni Theologi, totis viribus conati sunt suadere, per hæc vota non constitui religiosum statum. Quorum fundamentum sufficiēter tactum est in ratione dubitandi. Maximè enim nititur in communi vsu aliarum religionum, quem putant fuisse vnicum, ac perpetuum in Ecclesia: Ex quo volunt deducere nō posse fieri, etiam per potestatem Summi Pontificis, vt aliquis sit verus religiosus cum huiusmodi tantum votis.

II. *Conclusio certissima. Probatur primo ex verbis Pont.*

Nihilominus dicendum est per hanc receptionem, & votorum emissionem, personam constitui in vero, ac proprio religioso statu. Quam assertionē ita certā existimo, vt sine magna temeritate, & errore negari non possit. Nam ex professo definita, declarata, & probata est à Greg XIII. priùs in bulla anni 1582. quæ incipit, *Quanto fructuosius.* Et postea vberius contra aliquos falsos interpretes, vel potiùs impugnatores Pontificiæ doctrinæ, in Constitutione, *Ascendente Domino.* ann. 1584. In quibus sæpius docet, eos, qui in Societate IESV, tria substantialia vota emiserunt, verè, ac propriè religiosos esse, etiamsi illa vota simplicia sint, & non solennia. Vbi ante omnia expendenda est illa particula, *verè, ac propriè.* nam ex illa inprimis colligitur esse in huiusmodi personis, quidquid ad substantiam, & essentiā religiosi status pertinet: nulla enim res dici potest, verè, & propriè talis; v.g. homo, aut equus, nisi habeat veram substantiam & essentiam hominis, vel equi, & è conuerso eo ipso, quòd de fide credimus Christum fuisse verè, ac propriè hominem, eadem certitudine credimus habere totum id quod est de essentia hominis.

III. *Prima aduersariorum interpretatio ad dicta verba excluditur primo.*

Deinde ex vi eorundem verborum, excluduntur plures falsæ interpretationes, quæ Pōtificis sensum potius euertunt, quàm exponūt. Prima est, hoc fuisse speciale priuilegium Pontificis, atque ita huiusmodi personas posse vocari religiosas ex priuilegio, vel dispensatione, non quia in se habeant essentiale vinculum in quo substantia status religiosi consistat. Hæc autem fuga inprimis repugnat proprietati, & veritati illarum particularum, *verè ac propriè*, præsertim cùm ad maiorem declarationem, & ad tollendam omnem tergiuersationem, in vtraque constitutione addat Pontifex, hos scholares sic approbatos in Societate, *esse verè ac propriè religiosos, non secus atque ipsos, tum Societatis, tum quorumuis aliorum regularium ordinum prof. ssos*, quod verum esse non posset, nisi essentia status religiosi æque in illis esset, licet fortasse in aliqua accidentali perfectione inferiores sint. Deinde repugnantiam inuoluit illa expositio contra synceram veritatem; quia vel per illud priuilegium verè conceditur tali personæ, vt ad proprium, & substantialem statum religiosum admittatur, vel non? si hoc non tribuitur, quomodo potest verè, ac propriè religiosi nomen illi concedi? aut quod priuilegium potest efficere, vt salua veritate, & proprietate, persona habeat titulum sine re, & maximè cum illa comparatione, *non secus atque ipsos*, &c. Si autem illud prius concedatur, parum nostra refert; quòd aliquis vtatur illo nomine priuilegij, si ita appelletur, solùm quia beneficio, & institutione Romani Pontificis talis modus religiosi status firmatus, & approbatus est. Quia verò calūniatores illa voce priuilegij vtuntur, ad diminuendam rei veritatem, & proprietatem, & significandum hos nō esse religiosos simpliciter, sed secundū quid, ideo talem loquendi modum reiiciendum, & omnino vitandum censemus. Si enim priori sensu loquerentur, dicere possent omnes professos esse religiosos ex priuilegio, quia sine beneficio Pontificis, id est, sine eius institutione, & approbatione, in nulla religione esset verus, ac proprius religiosus status. At verò hæc approbatio omnino impropriè priuilegium appellabitur, cum per se non sit aliquid contra legem, aut commune ius.

Excluditur secundo.

IV. *Secunda interpretatio.*

Dicere verò potest aliquis, religiosum statū, qui per veram, & solennem professionem assumitur, esse proprium & verum ex diuino iure: hunc autem, qui per hæc vota Societatis assumitur, esse quidem verum, & proprium, tamen solùm ex iure positiuo; & hoc sensu esse ex priuilegio Pontificis, quia ab ipso non tantùm approbatus, sed etiam inuentus, & institutus est. In quo differt à priori, qui solam declarationem approbatiuam requirit. Et hoc modo non repugnat esse statum aliquem vere religiosum, & positiuo iure introductum, quamuis sit alius status religiosus iure diuino institutus, sicut in materia de simonia dicitur esse quædam simonia iure diuino prohibita, alia iure humano, vel sicut aliqui putarunt, quædam sacramenta esse ab Ecclesia instituta, alia à Christo, quod licet de facto sit prorsus falsum, de possibili non repugnat.

V. *Reiicitur primo.*

Ad hanc autem euasionem respondemus inprimis, si hic status religiosus tam verus & proprius esse conceditur, sicut quilibet alius, quantum attinet ad substantiam, & essentiam talis status, sic parum referre ad rem de qua agimus, illi tribuere institutionem diuinam, aut humanam, quia hic non agimus de origine huius status, sed de veritate eius.

Si autem propter illam humanam institutionem, censetur in aliquo deficere à veritate, & proprietate religiosi status, sic distinctio illa repugnat verbis Pontificis, & impugnanda est quoad hanc partem, eodem modo quo præcedens. Deinde verò addo, distinctionem illam falso niti fundamento, & gratis esse confictam, atque ex alia parte repugnantem doctrinæ eiusdem Pontificis, vt patet ex illis verbis prædictæ constitutionis, *Ascendente Domino. Non considerantes vota solennitatem sola Ecclesiæ institutione inuenta esse, triaque huiusmodi Societatu vota tametsi simplicia, vt substantialia religionis vota, ab hac sede fuisse admissa.* Vbi in virtute sic Pontifex argumentatur: Ecclesia induxit solennitatem in votis religiosorum; ergo etiã potest sine tali solennitate statum religiosum approbare, seu instituere; ergo ex sententia Pontificis hic status vtroque modo factus est ex Ecclesiæ constitutione; nulla ergo est illa differentia. Et declaratur amplius in hunc modum. Quia vel est sermo de statu religioso præcisè, ac secũdùm se, prout à Christo Domino fuit traditus: & sic tam verè, ac propriè saluatur hic status in hoc gradu Societatis, sicut in quibuslibet aliis personis religiosis; hoc est enim quod apertè supponit Pontifex in citatis verbis; ergo quoad hoc nulla est differentia, sed quilibet ex his statibus est ex diuino iure. Vel loquimur de statu religioso determinato ad hunc, vel illum modũ votorum; & sic vterque status est ex Ecclesiæ determinatione, & institutione, vt idem Pontifex docet in verbis proximè citatis, & in tom. superiori latè à nobis ostensum est ex antiqua Ecclesiæ historia, adiuncta etiam ratione, & authoritate Bonifacij in c. vnico, de voto in 6.

Reiicitur secundo.

Reiicitur tertio.

VI. *Tertia interpretatio.*

His verò non obstantibus, aliqui, quos etiam refert Enriq. vt in l. 6. initio c. 3. citabimus, tergiuersantur dicentes, religionem Societatis non esse veram religionem, ac propriam, nisi quatenus in ea fit vera professio per vota solennia, & cõsequenter admissionem hanc scholarium approbatorum per se non sufficere ad constituendum statum religiosum verum, ac proprium; quamuis prout in Societate fit sufficiat ad denominandũ hominẽ verè, ac propriè religiosum, quia fit in ordine ad consummandum talem statum in tali religione; & quia aliquo modo vnit personam Societati, quæ absolutè, & simpliciter vera religio est, ratione gradus professorum, qui si in ea deesset, nulla alia eius vota, vel receptio (iuxta horum sententiam) sufficeret ad verum statum religiosum constituendum: veruntamen non minùs facilè ostendi potest hanc etiam fugam esse cõtrariam intentioni, & verbis Pontificis. Primò ex vi earundem particularum, *vere ac proprie*, quæ stare non possunt, si veritas, ac proprietas status religiosi in toto corpore Societatis, solùm esset ratione gradus professorum: sic enim reliqui non haberent in se, & intrinsecè substantialem formam (vt sic dicã) constituentem verum, ac proprium religiosum; ergo solùm dicerentur religiosi per denominationem extrinsecam, & analogiam, quatenus coniuncti sunt cum veris religiosis, & eos imitantur, vel ad eorum statum tendunt; quod satis esse non potest, vt dicantur verè, ac propriè religiosi. Quod secundo maximè confirmat comparatio illa; *non secus atque ipsos professos*, &c. Nam per illam vterque gradus per se spectatus cum alio confertur, & æquè verè ac propriè dicitur esse talis; ergo gradus scholarium non dicitur religiosus verè, ac propriè, propter coniunctionem, & tendentiam ad gradum professorum; sed per se propter vnionem, quam habet per vota sic in religione admissa. Eo vel maximè, quòd coadiutores formati Societatis non vltrà tendunt ad gradum professorum, sed ibi sistunt, tãquam in vltimo termino suo; ergo non possunt dici religiosi, cum non tendant ad gradum professorum. Neque etiam solùm quia in eadem congregatione cum illis versantur; hoc enim satis esse non potest ad verũ religiosum constituendum, nisi illa vnio, qua cum illis coniuncti sunt, eos in vero statu perfectionis constituat; nam si non sunt in vero statu quærendæ perfectionis, quomodo erunt in statu religionis? quod si non sunt in statu religionis, quomodo sunt verè, ac propriè religiosi? Oportet ergo vt talis receptio, & vnio per se sufficiat ad talem statum. Ergo eadem ratione dicendum idem est de vnione scholarium; nam quoad substantiam, & modum votorum eiusdem rationis est.

Expugnatur primo.

Secundo.

Vnde etiam addo, licet in Societate nulla fieret professio solennis, sed instituta solùm esset cum cæteris gradibus, quod authoritate Pontificis fieri potuisset; & illam futurã fuisse veram religionem, & eius vota emittentes, æquè futuros fuisse verè, ac propriè religiosos, ac nunc sunt approbati scholares, vel formati coadiutores. Quia vota, & receptio essent eiusdem rationis; & quoad hoc alter gradus professorum solùm se habet cõcomitanter. Atque hoc totum apertè confirmant verba, quibus Pontifex, & rationem suæ definitionis, & occasionem contrarij erroris declarat. Nam quoad primum, inquit, emittentes hæc vota in statu religionis verè constitui, *quippe qui per ea ipsa se Societati dedicant, atque actu tradunt, seque diuino seruitio in ea mancipant.* Vbi non sumit rationem ex concomitantia alterius gradus, vel tendentiæ ad illum: sed ex intrinseco vinculo, & quasi forma personarũ, sic voluentium. Quam rationem paulò inferius à num. 9. latius explicabimus. Quoad secundum verò, *cum temerariam audaciam* contradicentium reprehendisset, subdit, *Omnia ex aliorum regularium ordinum communibus rationibus, formis, & statutis mutuentes, Societatis institutum, peculiares constitutiones, ac vim votorum simplicium illius, in eadem Societatis religione probatam admissorum penitus ignorantes, ac nonnulla sane antiqua, quæ post illud, successu temporis, huius sedis auctoritate, approbatione, & confirmatione, ac peculiaribus priuilegiis sancita, & roborata esse dignoscuntur, perperam interpretantes, conuellere nitantur.* Non est ergo dubium quin Pontifex docere, ac declarare voluerit, per hanc receptionem & approbationem talium votorum intrinsecè, ac propriè constitui personam in statu religioso, & ideo sæpe vocat illa vota *vere substantialia religionis*; dicitque per Sedem Apostolicam admitti in Societate, tanquam in religione per eam approbata. Ac tandem concludit. *Decernimus non solum eos, qui in coadiutorum formatorum gradus admittuntur, sed etiam omnes qui in ipsa Societate admissi, tria vota prædicta, tametsi simplicia emisse ibi vere ac proprie religiosi fuisse, & esse.* Et infra addit præceptum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne quis prædictam definitionẽ fallis, aut violentis interpretationib⁹, aut quouis quæsito colore impugnare audeat.

VII. *Secundo à Pontificis mente.*

VIII. *Nauarr. supposito.*

Atque ita intellexit hanc Pontificis mentem Doctor Nauar. cons. 49. de regular. quod incipit, *An sit vere.* vbi cùm definiuisset quendam, qui se monasterio S. Benedicti obtulerat, sine animo profitendi non esse verum religiosum, subdit. *Longe tamen alia ratio est eorum, qui in Societate IESV, post biennalem probationem tria simplicia vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ emittunt. Hi namque cum ita votent, vero, certoque proposito, vt religiosi fiant, cumque eadem mente, & ratione ab eiusdem Societatis superioribus admittantur, & cum vere se obligent ad obseruantiam regularem constitutionum ipsius Societatis, eiusque instituti ab Apostolica Sede sæpius approbati, vere, proprieque religiosi sunt, vt sapientissime declarauit Gregorius XIII.* Idem habet in commentario de regular. numero 19. vbi in hoc distinguit vota priuatim emissa à nouitio ante expletam biennij probationem ab eis votis, quæ iuxta proprium Societatis ius, post expletam probatio-

probationem in ea emittuntur; nam priora non faciunt religiosum; posteriora verò ita proprium, & verum religiosum constituunt, vt sine vitio apostasiæ, & pœnis eius, nullus possit ex parte sua exire, aut relinquere Societatis ordinem, quamuis ex rationabili causa possit dimitti, quod dicit esse *quiddam nouissimum, & admirabile concessum præfatæ Societati, & clare declaratum, & confirmatum à S. D. N.*

IX. *Probatur eadem conclusio ex ratione.* Ratione ita potest hęc veritas demonstrari: Nam in hac probatione, seu receptione scholarium est vera traditio ex parte ipsorum scholarium in magnum, & totale, ac perpetuum Dei obsequium tribus substantialibus votis stabilita, & facta in religione approbata, & iuxtę formam ab Ecclesia confirmatam: ergo est in tali actu quidquid necessariũ est ad constituendum statum verè religiosum, & quoad hoc substantialiter, & essentialiter conuenit cum vera professione religiosa. Antecedens ex facto ipso supponendum esset potius quàm probandum; quia dum hi religiosi perpetuam obedientiã cum aliis votis in Societate promittunt satis ostendunt, seipsos Societati tradere: neque enim oportet, vt verbo *tradendi*, aut alio simili formaliter vtãtur; nã etiam in aliis religionibus antiquis professio solùm fit per verbum promittendi, vt constat ex variis formis quas tom. superiori retulimus disputantes de professione religiosa. Sensus ergo verborum ex intentione operantium, & ex vsu sumendus est; ac propterea Gregor. XIII. declarauit expresse: hos religiosos, per hæc vota se Societati *dedicare, atque actu tradere, seque diuino seruitio mancipare.* Deinde ab effectu, & ex constitutionibus eiusdem Societatis idem ostenditur; nam in 5. p. Constitut. cap. 1. de scholasticis approbatis dicitur, modo quodam interiori in corpus Societatis coaptari, & vt membrum vnius, ac eiusdem corporis Societatis admitti. Et idem repetitur in cap. 4. §. 5. Non possunt autem fieri actu membra huius corporis, & vt talia admitti, nisi ipse scholaris se tradat, quia hæc coniunctio debet esse vtrinque voluntaria. Item per hanc vnionem adquirit Societas peculiare ius in talem personam, quale habet corpus in membrum suum; non potest autem illud acquirere, nisi alio etiam tradente, & consentiente. Atque hoc idem argumentum sumitur ex omnibus locis constitutionum, in quibus significatur hos scholares esse vera membra Societatis, vt in 2. p. Constitut. cap. 3. vbi dicuntur in corpus Societatis coaptati. Et in 4. p. cap. 3. §. 3. dicuntur admitti ad viam in Societate perpetuò ducendam, ad gloriam Dei. Et 5. p. cap. 1. liter. A. dicitur Societatem in sua proprietate includere professos, coadiutores, & scholasticos approbatos. Ex his enim tribus partibus, aut membris Societatis corpus constare. Patet ergo ex parte horum religiosorum esse sufficiẽtem traditionem, ab ipsa religione satis etiam acceptatam, vt ex hac parte nihil re vera desit ad verum religiosum statum.

Huius rationis antecedens adiuuatur multiplicitèr.

X. *Effugium præcluditur.* Dicet verò aliquis, acceptationem ex parte Societatis, non esse omnino absolutam, nec cum obligatione reciproca retinendi perpetuò in Societate personas sic approbatas, & ideo talem traditionem & acceptationem non sufficere ad religiosum statum constituendum. Sed hoc præterquam quod est contra mentem Gregorij XIII. facilè potest ratione impugnari demonstrando illum modum acceptationis sufficere ad religiosum statum. Quod primò ostendi potest ex generali ratione status seruitutis; nam ad illum constituendum sufficit similis traditio ex parte serui, & acceptatio ex parte Domini, quamuis Dominus nõ se obliget ad perpetuò retinendum seruum sub dominio suo: cur ergo similis traditio & acceptatio non sufficiet, seruata proportione ad statum religiosum constituendum, qui est status seruitutis? Præterea in superiori tomo ostensum est, non esse de ratione status, vel in genere, vel perfectionis, vt sit omnino immutabilis, sed sufficere quod habeat moralem firmitatem, & perpetuam, quantum est ex parte assumentis statum, ita vt non sua priuata, sed ad summum publica potestate, & ex rationabili causa statum mutet; sed ille modus traditionis sic admissæ à religione, est sufficiens ad huiusmodi firmitatem: ergo ex hac parte est etiam sufficiens ad statum religionis. Et simili discursu ibidem ostendimus non esse necessarium ad statum religiosum, votum solemne, sed sufficere simplicia in eo gradu acceptata ab Ecclesia, tanquam substantialia religionis vota.

XI. *Suadetur ista consequẽtia principalis rationis in n. 9.* Atque hinc probata manet consequentia principalis rationis superius factæ. Quid enim afferri potest necessarium ad religiosum statum, quod his religiosis desit, cum essentialis professio illa duo tantùm requirat, traditionem scilicet, & tria vota, & alioqui ostensum sit, non esse de essentia quòd talia vota sint solennia, solennitate legali; nec quòd acceptatio traditionis sit prorsus irreuocabilis, aut ita absoluta, vt nullam conditionem includat? Sed adhuc potest respõderi, ex parte votorum aliquid deesse necessarium ad statum religionis simpliciter, quale est in voto castitatis, virtus ad irritandum matrimonium prius contractum, & non consummatum: Et in voto paupertatis, vis ad reddendam personam inhabilem aut incapacem dominij, seu proprietatis, vel (quod grauius ac difficilius est) tale esse votum, vt non obliget ad relinquẽdum statim omne dominium, quod videtur pugnare cum illis verbis Christi Matth. 19. *Si vis esse perfectus, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.* Videtur etiam esse contra Innocentium III. in cap. *cum ad monasterium.* de statu Monach. vbi sic inquit. *Nec æstimet Abbas quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis sicut & custodia castitatis adeo est annexa regulæ Monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Nam ex his verbis constat proprietatem, & dominium omnino pugnare cum religioso statu.

Aduersarioꝝ vium replica

XII. *Remouetur.* Sed de his votis particularibus, & perfectione eorum ex parte materiæ, dicturi sumus lib. sequenti. Nunc ergo ad priorem partem de voto castitatis respondetur, aut illam vim dirimendi matrimonium ratum præcedens, non esse de intrinseca ratione status religiosi, aut huic voto inesse: quid autem horum verius sit, eodem lib. cap. 2. dicemus. Quod verò attinet ad votum paupertatis, multò certius est, non esse necessarium, quòd reddat personam incapacem dominij, vt possit esse votum substantiale religionis, quia hoc non ad substantiam, vel ad materiam, sed ad solennitatem illius voti pertinet. Quod verò ad alteram partem spectat, respondetur, paupertatem non consistere in indiuisibili, vt sic dicam; sicut nec obedientiam; ideoque non esse æqualem in omnibus religionibus, sed in vnaquaque promitti, & seruari iuxta propriam regulam ab Ecclesia approbatam. Vnde certum esse debet illam paupertatem, quam Ecclesia approbauit, vt sufficientem ad religiosum statum, sufficere secundùm generalem rationem eius, atque adeo secundùm aliquam speciem illius status: talis autem est paupertas, quæ per hoc votum promittitur; nam est vera abdicatio rerum omnium temporalium, quoad liberum vsum earum, solumque illum concedit, dependenter ab alterius arbitrio. Et eodem modo, licet non statim necessariò auferat dominium, tollit nihilominus liberam facultatem retinendi illud, eoque vtendi absq;

superioris arbitrio, & ideo dominium illud, quasi materialiter ibi manet, seu de facto, & non de iure, ac vi ipsius voti, nihilque proinde statui perfectionis obstat. Sicut vinculum matrimonij, quod manet in coniugato, qui ex legitimo consensu coniugis post consummatum matrimonium professus est, nihil obstat statui perfectionis; quia veluti materialiter tantùm, & non ex vi assumpti ibi manet, neque aliquem vsum postulat, qui perfectionis statum impediat. Neque verba Innocentij obstant, quia non loquitur de statu religionis in communi; sed in particulari, de monachatu, de cuius speciali ratione est ille modus paupertatis, imo etiam est de ratione voti solennis paupertatis; non tamen propterea necessarium est, vt sit de ratione status religiosi in genere, vel cuiuscunque speciei eius; possunt enim varij status religiosi, quasi specifice differre in propriis conditionibus aliquo modo essentialibus, vt apertè supponit Concil. Trident. sess. 25. cap. 1. de regul. cum omnibus regularibus præcipit, vt fideliter obseruent, quæ ad suæ professionis perfectionem, vt obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt alicuius regulæ, & ordinis peculiaria vota, & præcepta, *ad eorum respectiue essentiam*, necnon ad communem victum, & vestitum pertinentia. Sed de hac paupertate, & difficultate iterum lib. sequenti à cap. 4. quæstionem propriam instituemus.

CAPVT IV.

Deducuntur aliquot corollaria ex præcedente doctrina.

Primum corollarium.

I. EX dictis in superiori capite, antequam eius rationi dubitandi satisfaciamus, (quod capite sequenti præstabimus) infertur, assertiones ibi positas quibus statuimus scholasticos Societatis per vota tantùm simplicia in ea incorporatos, esse vere ac propriè religiosos, non solùm cœpisse habere veritatem à tempore dictarum constitutionum Greg. XIII. sed antea, scilicet ab initio approbationis Societatis, ex quo talia vota cœperunt in ea fieri, tanquam in religione approbata, & admitti Apostolica authoritate. Probatur, quia decreta illa Gregorij quoad hanc partem, non sunt factiua (vt sic dicam) seu constitutiua, sed declaratiua; quæ autem huiusmodi sunt, non tantùm in præsens, vel futurũ tempus, sed etiam in præteritum extenduntur, iuxta communem sententiam quam referunt & sequuntur Felin. in cap. vlt. de constit. Sylu. verb. *Lex* q. 23. & Nauar. comment. 4. de regular. num. 43. Antecedens probatur primò, quia Gregorius in suis constitutionibus nihil adiunxit huic statui, quod ad statum religionis simpliciter necessarium esset. Nam licet in posteriori constitutione, *Ascendente Domino*, specialiter addiderit, vt emittentes hæc vota, illis durantibus inhabiles sint ad matrimonium contrahendum, & quoad hanc partem constitutio fuerit dispositiua, & non declaratiua, quæ præteritum tempus non comprehendit iuxta c. 2. de Const. Nihilominus iam antea idem Pontifex in bulla, *Quanto fructuosius*, declarauerat per illa tria vota cõstitui statum verè religiosum, & consequenter supposuerat illam inhabilitatem, quæ tunc non erat, non esse de substantia status religiosi, licet postea ob quandam maiorem decentiam, & ad occurrendum incommodis, quæ experientia docere potuit, adiuncta fuit.

Probatur primo ex Greg. XIII

II. Secundò idem probatur ex verbis eiusdem Pontificis. Nam in priori bulla, *Quanto fructuosius*, post approbationem instituti motu proprio, & ex certa scientia, & à plenitudine potestatis factam, subdit. *Ad hæc dictam Societatem firmo nostræ declarationis subsidio communire volentes, statuimus, atque etiam decernimus, non modo eos, qui in coadiutorum formatorum, siue spiritualium, siue temporalium gradu, & ministeria admittuntur, sed etiam alios omnes, quoscunque, qui in ipsa Societate admissi biennio probationis peracto tria predicta vota, tametsi simplicia emiserint, emittentque in futurum verè, & propriè religiosos fuisse, & esse, &c.* Vbi ponderanda sunt illa verba, *Firmo nostræ declarationis subsidio*. quæ satis ostendunt illam constitutionem, magis esse declaratiuam, quam constitutiuam. Vnde quod postea dicitur, *statuimus, & decernimus*. magis de statuto confirmante, quam de nouo aliquo constituente, intelligendum est, seu de statuto præcipiente, vt talis declaratio tanquam vera, & certa teneatur, vt ibi statim præcipitur. Denique illa verba *esse & fuisse*. satis conuincunt illam legem esse declaratoriam, alioqui non potuisset in præteritum ferri. Vnde alia constitutione, *Ascendente Domino*. referens Gregorius illam priorem, vocat illam declarationem, decretum, præceptum, & interdictum suum. Et inferiùs similiter subdit. *Statuimus, atque decernimus tria vota huiusmodi esse simplicia ex huius sedis institutione, ac nostra etiam declaratione, & confirmatione, esse ve è substantialia religionis vota, & in dicta Societate tanquam in religione approbata per sedem eandem fuisse admissa, & esse.* Vbi attente considerandum est, institutionem sedi, declarationem autem sibi Gregorium tribuere, quia ipse re vera non instituit, neque primum probauit hunc modum religiosũ status, sed prædecessores eius rem ipsam instituerunt. Ipse autem expresse declarauit, quod in re illa iam constituta continebatur.

III. Quod tertiò ostendi potest ex bullis & confirmationibus priorum Pontificum. Nam Paul. III. in secunda bulla confirmationis authoritate Apostolica concedit, vt per huiusmodi vota *pessimi scholares in Societatem admitti, & Societati aggregari*. Et in bulla 4. prohibet huiusmodi scholares transire ad aliam religionem excepto Carthusiensium ordine; imò eos inhabiles ad quamcunque aliam professionem faciunt Pius IV. & Pius V. in bulla anni 1565. quæ incipit, *AEquum reputamus*. quæ à priori edita, & à posteriori publicata, & confirmata fuit. Nunquam autem Pontifices prohiberent his personis transitum ad religiosum statum, nisi eos veros, ac perfectos religiosos esse supponerent: & ita in prædicta bulla sæpe eos religiosos appellant. Et è contrario apostatas vocant, & tanquam desertores status religiosi puniunt eos, qui post hæc vota sine licentia superiorum hunc statum relinquunt: ergo supponunt eos esse in vero statu religioso. Et confirmatur, quia Pius V. in bulla 3. anni 1571. quæ incipit, *Dum indefessa*. declarauit *Societatem*, (etiam si Collegia habeat, quæ ex propriis reditibus sustentantur) *Professum, ac singulas personas eius vere, & non ficte mendicantes fuisse, esse, & fore: & inter aliorum fratrum, & religiosorum mendicantium ordines, aliosque fratres, & religiosos mendicantes, prout illos nos connumeramus, & connumerari debere, ac omnes, & singulas iuris, quam hominum dispositiones in fauorem illorum, seu fratrum mendicantium, nunc & pro tempore emanatas, etiam in Societate, illiusque domibus, Collegiis, Præposito, & aliis religiosis locum habere.* Quibus verbis non minus expresse quam Gregorius declarat has personas, & religiosas esse, & sub mendicantibus comprehendi, idque sub his iuribus, & dispositionibus, quæ in fauorem religiosorum, seu

seu mendicantium facta fuerint. Et si attentè inspiciatur contextus Pontificis, facilè intelligetur illam constitutionem, quoad hanc partem potiùs esse declarationem ad tollendam omnem ambiguitatem, vt ibidem dicitur, quam nouam dispositionem. Potest etiam hoc confirmari ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 16. de regul. in illis verbis. *Per hæc autem sancta Synodus non intendit aliquid innouare aut prohibere, quin religio clericorum Societatis* IESV, *&c.* Vbi nomine *religionis* sine dubio totam Societatem comprehendit, quatenus suis omnibus membris constat, & ibi tacitè approbat hoc institutum, quatenus in eo præter nouitios varij sunt religiosorum gradus, quia omnes verè religiosi sunt, etiamsi non omnes solenniter professi sint, vt clarius Greg. XIII. postea declarauit.

IV. *Probatur quarto ex ratione.*

Vltimò probatur ratione, quia ipsemet Gregor. XIII. suam declarationem confirmat, nimirum quia huiusmodi persona, per hæc tria vota, vt substantialia religionis se tradunt Societati, & in ea, tanquam in religione ab Ecclesia approbata, se totos diuino seruitio in perpetuum consecrant; ex quo infert illos esse verè, & propriè religiosos. Illud autem assumptum verum fuit à principio, ex quo post approbatam Societatem talia vota in ea fieri cœperunt, vt per se notum est: ergo & consequens illud semper verum fuit, nam in illo antecedenti continetur sufficiens, & adæquata causa consequētis seu status verè religiosi. Confirmatur, ac declaratur, nam cùm Gregorius illam declarationem fecit, non minus certum fuit eos, qui iam erant in Societate, esse verè ac propriè religiosos, quàm eos qui fuerint deinceps in ea admissi; vt constat ex verbis eiusdem constitutionis, & ex communi omnium sensu; & quia non aliter vota emittunt, vel in Societatem admittuntur posteriores, quàm priores. Non poterant autem illi qui iam erant in Societate, si iam non fuissent veri religiosi incipere esse tales propter solam extrinsecam constitutionem Pontificis: quia non potest Pontifex facere de non religioso, religiosum sine voluntate eius, maximè cùm non addiderit religioni nouam approbationem, neque nouam potestatem admittendi concesserit, nec nouum modum traditionis, aut acceptationis eius instituerit: ergo necessariò dicendum est, omnes huiusmodi personas, semper, & à principio extitisse verè ac propriè religiosas. Tandem confirmatur à posteriori. nam votum religionis impletur in Societate, etiam in hoc gradu, etiam sine spe transeundi ad professorum gradum, sed tantùm coadiutorum formatorum. Imò etiamsi votum religionis factum sit de quacunque alia religione determinata, potest in hæc vota commutari, vt constat ex summa priuilegiorum Societatis §. 2. & 3. quod multò ante constitutionem Gregor. XIII. verum habuit. Ergo signum est per hæc vota semper fuisse constitutos verè religiosos, alioqui per illa non impleretur religionis votum.

Corollarium secundum.

V. *Probatur ex fide.*

Secundò infertur ex dictis, quàm sit certa hæc veritas à Pontifice declarata. Existimo enim esse omnino infallibilem, ita vt sine errore in fide negari non possit. Ratio est, quia sententia Pontificis in his, quæ ad doctrinam pertinent, infallibilem continet certitudinem, ex Christi institutione, & promissione. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Luc. 22. & Matth. 16. *Tues Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Et concessio facta est Ioan. 21. *Pasce oues meas.* Quæ testimonia ita sunt ab Ecclesia intellecta, & perpetua traditione, ac Patrum, Conciliorum, & ipsorum Pontificum definitione firmata, ac declarata, vt suppono ex propria materia: & videri possunt, quæ Gratianus congerit d. 12. sui decreti, & 24. q. 1. per plura capita & latè Bellarmin. lib. 4. de Summo Pontifice, à principio per aliquot capita, & Turrecr. in Summa lib. 2. cap. 10. & ob hanc rem obseruatum semper in Ecclesia fuit, vt grauiores fidei quæstiones, & causæ ad Romanam sedem, tanquam ad fidei cathedram, & magistram referrentur, vt dicitur in cap. *Maiores.* de baptismo, & sumitur ex cap. *Damnamus.* de Summa Trinitate, & fide catho. & cap. *Fideli.* eodem tit. in 6. cap. *Ad abolendam.* de Hæreticis. cap. *Præceptis.* & cap. *Non decet*, d. 12. & cap. *Nullis fas.* d. 19. Ac tandem ex Concil. Florentin. in decreto vnionis, & ex Tridentin. sess. 7. can. 3. de Baptismo. & sess. 25. circa finem decreto de delectu ciborum, & plura referunt citati authores. Simanc. de catholic. institutionib. ca. 45. Valde autem diminuta fuisset Christi D. prouidentia circa suam Ecclesiam, si in decidendis talibus quæstionibus ex cathedra, Vicarium suum labi permitteret. Neque ipse iustè posset sub anathematis vinculo subditos compellere ad standum his declarationibus, seu definitionibus, si in doctrina tradenda errare posset. Cùm ergo ostensum sit, prædictam constitutionem continere declarationem cuiusdam veritatis valdè necessariæ ad mores Ecclesiæ, & ad quietem, & pacem animarum, planè talis declaratio infallibilem continet certitudinem.

Vide in to. de Fide disp. 5. sect. 8.

VI. *Confirmatur ex omnium catholicorum sensu. Vide etiam in tom. de fide disp. 5. sect. 8. n. 7.*

Et hoc confirmari potest ex doctrina Theologorum, & catholicorum omnium, qui pro certo habent, Summum Pontificem non posse errare in doctrina morum Ecclesiæ tradenda: de qua re videri possunt authores paulò anteà citati: nam hæc doctrina multum pertinet ad bonos mores, & ex opposito multa inferri possunt absurda, & scandalosa in Ecclesia, quæ paulò inferiùs, in 3. corollario numerabimus, vt hæc veritas notior fiat. Et è conuerso si hæc declaratio Pontificis falsa esse posset, ex illa multa absurda, & contra bonos mores sequerētur, vt quòd status religiosus commutaretur in non religiosum, & quod votum religionis impleretur sine statu religioso, & similia.

VII. *Vnum esse diuersum religionem aduersarium.*

Nec sufficit dicere doctrinam hanc non pertinere ad vniuersalem Ecclesiam, sed ad quandam particularem religionem, vel potiùs ad quandam partem eius, & ideò non necessariò habere illam infallibilitatē, quam in proponenda vniuersali Ecclesiæ doctrina morali Pontifex habet. Hoc (inquam) dici non potest: primò quia non solum pertinent ad vniuersalem Ecclesiam ea, quæ ad omnes Ecclesiæ status, vel ordines pertinent, sed etiam ea, quæ licèt in vno statu particulari versari videantur, ad vniuersalem Ecclesiam quouis modo pertinent. Huiusmodi autem est bonum vnius religionis, quod in præsenti declaratur primò, quia hæc religio per totam Ecclesiam diffusa est, & ex tota Ecclesia possunt ad illam homines recipi, & vocari. Secundò, quia hæc veritas omnibus fidelibus proponitur, & secundùm illam iubentur omnes & sentire, & iudicare, & operari vt in eadem constitutione exprimitur. Tertiò, quia sicut Societas in totius Ecclesiæ vtilitatem instituta est, ita certitudo, & firmitas circa statum eius, & veram doctrinam ad eam pertinentem, ad eiusdem Ecclesiæ vtilitatem spectat. Quod videtur idem Pontifex Gregorius insinuasse cum dixit: *Nos vniuersalis Ecclesiæ vtilitati, quam ex inuiolato, & inconcusso dictæ Societatis instituto, & religiosa sobolis educatione sentimus, & maiorem in dies speramus, proficientes, & præterea eiusdem Societatis indemnitati, pacì, quieti, & incremento consulere volentes, motu simili,*

& excert. scientia &c. Et confirmatur. Nam ob hanc causam certum est, & supra ostensum, Summum Pontificem nō posse errare in approbatione alicuius religionis in particulari; tum quia, licèt vna religio particularis videatur, tamen vniuersali Ecclesiæ proponitur, & in omnes redundare potest; tum etiam, quia si in vna errare posset, in qualibet posset, & ita omnia essent incerta, & periculis expositа: ergo idem in præsenti dicendum est, quia non minùs graue est in Ecclesia approbare, seu declarare aliquem statum, vt verè, ac propriè religiosum, ac perfectionis: quàm approbare religionem, imò vnum in altero includi videtur. Et confirmatur, quia Pontifex in declarando aliquo iure, an diuinum sit, vel humanum, infallibilem habet authoritatem: quis enim dubitet Concilium Tridentinum, cùm definit sacramenta omnia, esse de iure diuino institutа, aut confessionem ex præcepto diuino præmittendam esse ante communionem, quando intercedit conscientia peccati mortalis, infallibilem doctrinam tradere? Aut quis neget Summum Pontificem habere in huiusmodi doctrina tractanda æqualem, vel maiorem potestatem? Hæc autem declaratio, nihil aliud est, quàm explicatio iuris diuini, vel humani, quod circa statum religiosum, & institutionem eius per vota simplicia, vel solennia interuenit: ergo cùm facta sit Pontificia authoritate, infallibilem habet certitudinem. Denique alia decreta, quæ Pontifices ediderunt, declarando particularia institutа aliarum religionū; tanquam certa, & firma à catholicis omnibus recipiuntur, vt constat ex cap. *cum ad monasterium.* & cap. vltim. de statu Monachor. quæ tractant de religione Sancti Benedicti, & ex cap. *exiit.* de verbor. significat. in 6. & in Clement. *Exiuit.* eodem titulo, quæ pertinent ad religionem Minorum. Non est autem minoris authoritatis hæc declaratio Pontificia; quia nec materia minùs grauis est, nec potestas minor, nec verba minùs clara, & euidentia, vt iam dicam.

VIII. *Alterum istfugium turpiter eronеum.*

Recognouit enim hanc Pontificiam authoritatem, & potestatem quidam prædictæ veritatis, & declarationis impugnator, cuius mentionem fecit idem Pontifex Gregorius in constitutione, *Ascendente Domino.* Et propterea, vt ibidem dicitur, ausu temerario peruersè interpretari mentem Pontificis aggressus est, imò sententiam eius reiicere, dicens, priuato sensu loquutum fuisse, & vt priuatum Doctorem errare potuisse, & ex falsa informatione errasse. Quanuis autem in hac censura turpiter, & manifestè ipse errauerit, vt statim ostendam à num. 12. illud tamen, quod tacitè supponit, libenter accipimus, nimirum non potuisse Pontificem in ea doctrina errare, si non vt priuatus Doctor, sed vt Pontifex locutus fuit; nō enim sine causa impugnator ille ad priuatum sensum Gregorij diuertere conatus est, ne Pontificiam authoritatem, & cum illa catholicæ doctrinæ certitudinem impugnare, & quantum in ipso esset, labefactare videretur.

IX. *Dicti erroris fontes, & impugnatio ex verbis Pontificis.* *Quid operetur dictio, Motu proprio.*

Illud autem subterfugium, vel ex nimio affectu impugnandi Societatem, vel ex ignoratione verborum Pontificis videtur profectum. Tria enim sunt verba in illis decretis, quæ his falsis interpretationibus omnem viam præcludunt, scilicet, *motu proprio, ex certa scientia, ex plenitudine potestatis.* Primum scilicet, *motu proprio* (vt Doctores dicunt) excludit subreptionem à literis Apostolicis, id est, facit, vt contra Breue Pontificium allegari non possit surreptio. Argumento cap. *Si motu proprio.* de præbend. in 6. vbi dicitur concessionem beneficij, quam Pontifex alicui facit habenti aliud, quod Pontifex ignorabat, nec illi propositum fuit, esse validam, si gratia motu proprio facta est: subreptitiam verò, si ad petitionem partis: & ratio optima ibi adiungitur, quia prior gratia ex mera liberalitate facta est. Declaratur autem nunquam ita fieri, nisi quando expressè explicatur per illa verba, *Motu proprio.* Super quem textum plures effectus huius clausulæ referuntur, quos latè sequitur, & refert Rebuffus in concordatis tit. de forma mandati Apostolici. verbo, *Motu proprio.* Ex quibus ad rem præsentem maximè facit, quod quando est clausula, *Motu proprio*, non admittitur pars ad probandum contrarium; quia esset arguere Summum Pontificem de mendacio: de quo videri potest Bertrandus consil. 35. & 202. in fine tom. 1. Staphilæus de literis gratiæ, & iustitiæ, & Couar. in cap. *Alma Mater* 1. p. §. 7. num. 2.

X. *Quid dicit. Ex certa scientia.*

Quia verò licèt hæc particula excludat subreptionem ex taciturnitate, non tamen excludit omnem deceptionem, nec purgat omnem falsitatem, vt ijdem authores aduertunt, ac latè Sanches lib. 8. *summa.* de matrim. disput. 4. & 21. à num. 47. ideo præter illam particulam additur; *Ex certa scientia.* Per quæ verba Pontifex indicat, se non deceptione aliqua, sed ex vera, & perfecta informatione concedere, vt Staphilæus supra dicit, num. 10. Et ideo sicut non admittitur aliquis ad probandum contra particulam, *Motu proprio*, Pontificem solùm ad instantiam partis processisse, quia esset illum mendacij arguere, ita quando Pontifex profitetur se procedere ex certa scientia, nemo prudens potest respondere, ex ignoratione, aut falsa informatione id egisse, quia hoc est mendacij arguere ipsum Pontificem: Quod maximè in præsenti verum habet. Nam cùm in priori bulla Papa in declaratione dixisset, se id facere ex certa scientia, in posteriori non obstante alterius interpretatione, & obiectione, hoc ipsum confirmat.

XI. *Quid dicit. Deplenitudine potestatis.*

Additur verò particula, *De plenitudine potestatis.* Quanquam enim, quoties Papa motu proprio operatur, præsumatur vti plenitudine potestatis, vt multipl. tractant Glossa, & Doctores in cap. *ad hæc.* de reliquiis. ptis. & Felin. in cap. *causam* 2. de testibus colum. 4. Quod etiam affirmat de altera clausula, *Ex certa scientia* in cap. *cum inter*, de except. num. 5. & sequentib. Panormit. in cap. *ea quæ.* de sententia & re iudic. num. 8. Tamen ad tollendam omnem ambiguitatem expressè additur illa particula: quia non poterat clarius exprimi Pontificem operari, vt Pontificem, & non vt priuatam personam, quam dicendo, se hoc declarare *ex plenitudine potestatis*: hanc enim non habet nisi quatenus Pontifex est. Et quia potestas debet esse accommodata actui, certum est hic non esse tantùm sermonem de potestate iurisdictionis, sed maximè de potestate quæ *clausi scientia* appellatur: nam hæc erat per se necessaria ad hanc declarationem faciendam. *Potestatis* autem *plenitudo* in hoc genere nihil aliud est, quàm quòd potestas sit, ad docendum cum assistentia Spiritus sancti, ac certitudine infallibili; ergo repugnat expressis verbis Pontificis dicere, illum esse locutum priuato sensu, & vt particularem Doctorem. Et hoc significauit idem Pontifex, quando veluti perstringens dictos impugnatores dixit; *Quin etiam nos supradicta motu simili, & ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine decernentes, ac præcipientes, priuato sensu loquutos fuisse: ac tanquam priuatos Doctores nec posse* loquutos fuisse: *ac tanquam priuatos Doctores nec posse* loquutos fuisse. Ac si diceret, quo nil poterat absurdiùs cogitari, magisq; nostris verbis & intentioni repugnās.

Corollarium tertium.

Damnans erroris aduersariorum sententiam.

XII. Tertiò igitur ex dictis infertur, sententiam illam,

tam, quam ille impugnator defendit, & omnia, quæ ex illa intulit, & eo tempore valde temeraria fuisse, quod notauit Henriquez lib. 12. Summæ cap. 5. num. 6. & nunc iam non posse ab errore excusari. Nunc de doctrina agimus, non de persona, ob aliquam enim ignorantiam, vel inaduertentiam, possumus aliquando excusare personas, quarum iudicium ad nos non spectat, sed solum gradum certitudinis doctrinæ explicare. Quia ergo Summus Pontifex in Constitutione, *Ascendente Domino*, illos errores insinuauit, & damnauit, totam sententiam commemorare, & refellere necesse est. Asseruit ergo ille, scholares approbatos, & incorporatos Societati per tria vota simplicia, non esse verè, ac propriè religiosos. Deceptus autem fuit ex opinione satis communi inter antiquos Doctores dicentes, verum religiosum non constitui, nisi per professionem, & tria vota solennia, qui tamen iuxta antiquum ius, suique temporis vsum loquuntur, de facto potiùs (vt sic dicam) quàm de possibili; id est, declarant sic fieri, non negant autem, aliter fieri posse. Et quamuis aliqui, vel multi ex authoribus priuatis in eo sensu id docuissent (de quo in tom. super. disputatum est circa statum religiosum in communi) interposita iam authoritate sedis Apostolicæ, nullius ponderis est cuiuscunque authoris opinio. Quia ergo Gregorius iam in priori motu hoc declarauerat, ideo non possumus opinionem illam à temeritate excusare. Eo vel maximè, quod si impugnator ille antiquitatem, veramque rationem consuluisset, inuenisset planè, nullo probabili fundamento negari vota simplicia cum traditione in religione ab Ecclesia approbata sufficere, ad verum, & proprium statum religiosum constituendum. Quia verò eo tempore declaratio Pontificis fortasse non erat satis promulgata, & propositata toti Ecclesiæ, poterat tunc assertio illa ab errore excusari: nunc autem profectò non potest. Nam sufficientissimè promulgata est declaratio Pontificis, & illa sententia publicè damnata eiusdem authoritate in multis Academiis: & Constitutiones illæ iam in omnium manib. versantur. Neque etiam excusare poterunt quemquam tergiuersationes, aut euasiones, quas cap. præced. à nu. 3. refutauimus, vel aliæ similes, quas desiderium impugnandi hanc religionem fortè poterit comminisci; quia de intentione Pontificis satis euidenter constat, neque illæ sunt probabiles aut verisimiles interpretationes, sed elusiones quædam, vel potiùs contradictiones. Præsertim cum idem Pontifex in priori rescripto hæc verba grauissima adiiciat: *Præcipimusque, & interdicimus, ne quisquam scrupulum de hoc cuiquam iniicere, neve illud in controuersiam, dubium, vel suspicionem ponere audeat quoquo modo.* In alio verò rescripto addit pœnam excommunicationis latæ sententiæ, Summo Pontifici reseruatæ, cum alijs pœnis in eos, qui quouis colore, directè, vel indirectè impugnare, vel ei contradicere ausi fuerint.

Principale assertum cõtrarium in hac erronea sententia perperam fundabatur in antiquis Doctoribus.

Nunc ab errore excusari non potest.

Prohibetur sub excommunicatione reseruata.

XIII. Atque idem sentiendum est de omnibus propositionibus, quas aduersarij ex dicto principio infebrant, & in prædicta constitutione, *Ascendente Domino* indicantur. Prima erat *Societatis scholares approbatos mere seculares esse, ac iurisdictioni Ordinariorum subditos existere. Quia non sunt de corpore Societatis; nec Societas aut illius superiores ius aliquod in illos habent, aut ex vi votorum, aut à Summo Pontifice, quia ipse etiam tale ius non habet.* Sed hæc omnia satis ostendunt, quam falsum sit principium ex quo inferuntur, cùm in tot absurditates inducat; quamquam etiam illationes solidæ non sint, & inprimis aduersarij nomine *Ordinariorum* videntur intellexisse, non tantùm Episcopos, sed etiam seculares iudices, respectu eorum, qui nondum ordinati sunt: nam si non sunt veri religiosi, neque etiam sunt clerici, erunt laici seculares, & consequenter ordinariis iudictibus temporalibus subiecti: quo nihil poterat cogitari absurdius, magisque repugnans communi sensui, & consuetudini totius Ecclesiæ ab initio huius religionis. Errauit autem huiusmodi oppugnator, non solùm in principio falso, scilicet, *quod hi non sint veri religiosi*, sed etiam in illatione. Notitij enim religionum non sunt veri religiosi, & tamen gaudent priuilegio fori, & exemptione totius religionis, quandiu sub illius obedientia viuunt, & in probatione versantur: ergo multo magis scholares Societatis in ea approbati, cùm sub eius obedientia viuant, & in ordine ad solennem professionem adhuc in probatione existant, gaudent priuilegio fori, & exemptione totius religionis.

Primum illatum ex principali asserto eueneto multa falsa continet.

Falsum est scholares Societatis temporali iudici subdi.

XIV. Deinde falsum omnino est, Societatem non acquirere ius in huiusmodi scholares, & erroris fundamentum fuisse videtur, quia hoc ius solùm potest dari, vel acquiri, per votum solenne, eo quòd non soli Deo, sed homini etiam fit; non autem per vota simplicia, qualia hæc sunt, quæ soli Deo fiunt. Ac propterea Pontifex respiciens ad radicem huius deceptionis; duo respondet. Primum est, solennitatem voti sola Ecclesiæ constitutione esse inuentam, quasi tacitè diceret, non esse de substantia status religiosi, tum quia hæc substantia de iure diuino est: tum etiam, quia sicut Ecclesia adiunxit illam solennitatem, ita etiam potest sine illa, statum religiosum approbare, in quo fiant, & seruentur omnia, quæ Christus instituit cum alia determinatione, seu circunstantijs. De qua re copiosè in tom. superiori dictum est, cùm de voto simplici, & solenni, & de essentia status religiosi, in communi ageremus. Secundum est, qui hæc vota in Societate emittunt, se tradere, & diuino seruitio mancipare in religione à sede Apostolica approbata: ac si diceret, falsum esse per vota simplicia, non posse simul fieri traditionem, quæ per illa confirmetur: & consequenter, quamuis votum simplex non necessariò fiat homini, non tamen hoc illi repugnare, eo scilicet modo, quo votum fieri potest homini, scilicet, materialiter tantùm: nam promissio ipsa Deo fit, materia autem esse potest obedientia homini præstanda propter Deum. Quo etiam modo, & non aliter potest solenne votum fieri homini, siue præsupponat promissionem factam homini, siue non: vtroque enim modo fieri potest, tam solenne votum, quàm simplex, vt citato loco dictum est.

Falsum itèm Societatem non habere ius in illos, ostenditur ex duplici illo Pontificis.

Addo vlteriùs doctrinam illam omnino falsam esse, non solùm in tam manifesto, & euidenti religionis statu, vbi traditio interuenit, & perpetua vota, quamuis simplicia: verùm etiam in alijs viuendi modis, qui sunt in Ecclesia, & in votis simplicibus, quæ vel fiunt, vel fieri possunt purè, & sine traditione. Nam in primis votum simplex vt Deo, & consequenter consecrat Deo aliquo modo materiam de qua fit, & ideo eo ipso subiicit illam aliquo modo potestati Summi Pontificis, qui est Dei Vicarius, & ideo ad eum spectat procurare, & efficere, vt quidquid Deo debetur, ei soluatur. Vt v. g. in Hispania fuerunt multa vota simplicia de certa aliqua portione, vel eleemosynæ Ecclesiæ Compostellanæ tribuenda, per quæ acquisitum est aliquod ius Prælatis Ecclesiæ, & maximè Summo Pontifici ad cogendum, vt illa vota compleantur. Hinc etiam multa statuta sunt à Romanis Pontificibus de voto Hierosolymitano, seu Crucesignatorum in ordine ad obseruationem eius, vt constat toto titulo de voto, cùm tamen votum illud simplex tantùm sit. Et eadem ratione, si quis publicè vouerer hospitali perpetuò seruire, posset Ponti-

XV. *Eadem falsitas variis exemplis generaliter ostenditur.*

Pontifex, suo iure vtens, illum compellere ad tale votum seruandum; ergo per vota simplicia potest persona specialiter constitui sub iure Pontificis, qui etiam poterit ius illud in aliam personam, vel congregationem transferre. Præterea nonnullæ sunt congregationes in Ecclesia, quæ non attingunt statum verè ac propriè religiosum, vel quia non faciunt, vel quia in illis non fiunt vota perpetua, etiam ex parte vouentium, vel propter alias causas: & nihilominus approbatę sunt à Pontificibus, vt vtiles, & honesti viuendi modi, & eximuntur per eosdem Pontifices à potestate iudicum ordinariorum, vt sunt in Lusitania Clerici congregationis Sancti Ioannis Euangelistæ, vulgo à Sancto Loyo nuncupati, & alij sunt multi similes. In eos ergo habet Pontifex peculiare ius, ratione cuius eos sibi reseruat, & congregatio vnaquæque habet ius in personas quandiu in illa sunt, tanquam in membra sua, quæ gubernare potest, & corripere, & ad vota seruanda cogere: ergo etiam extra statum religiosum est falsa illa doctrina, & contra Ecclesiæ consuetudinem.

XVI. *Eiusdem ratio à priori.*

Ratio autem à priori est, quia etiam per hos viuendi modos, & per talia vota dicantur personæ cultui diuino, pro illo tempore, seu quandiu in eo viuendi modo perseuerant, & ad illum cultum specialiter obligantur. Atque hoc satis est, vt sub Pontificio iure specialiter constituantur, & consequenter vt sub eius peculiari protectione, ac regimine recipi possint, ac subinde eximi à iurisdictione ordinariorum, non tantum spiritualium, sed etiam temporalium, etiam quoad personas non habentes ordinem clericalem. Quia quicunque titulus diuinus (vt sic dicam) seu spiritualis, sufficit vt Pontifex possit eximere à potestate temporali personas laicas: nam sub ea ratione Ecclesiasticæ reputantur. Sic enim exemptio clericorum iure pontificio facta est iuxta probabiliorem sententiam, quam libro 4. defensionis fidei ostendimus, & videri potest Couar. in practic. quæst. cap. 31. Et eodem iure facta est exemptio religionum, etiam quoad nouitios, siue à iurisdictione seculari, siue (quod facilius est) à iurisdictione Episcoporum: cur ergo non potuit hoc facere Pontifex etiam in his membris Societatis. Potuit ergo, & multò antè fecit Paulus III. dicens, *Societatem, & vniuersos illius socios, & personas illorum ab omni superioritate, iurisdictione, & correctione quorumcunque Ordinariorum eximimus, & liberamus.* Et tamen hic aduertendum, duplicem potestatem habere Prælatum religionis in subditos, scilicet, iurisdictionis, & dominatiuam. Priorem habet hodie à Pontifice, vel olim ab Episcopis. Posteriorem habet ex vi ipsiusmet professionis ab ipso professente. De hac ergo posteriori procedunt, quæ diximus: nam quoad illam tam efficax est traditio, quæ per dicta vota in Societate fit, quam quælibet professio. De priori verò res est manifesta ex bullis Pontificis; sed de illa iurisdictione, & actibus eius infrà ex professo disputandum est in lib. 10. à c. 4.

XVII. *Secundum illatum. Tertium illatum.*

Alia illatio illius auctoris erat: non obstantibus his votis Societatis, posse scholares approbatos ad quemcunque regularem ordinem, liberè transire, inuitis suis prælatis. Et altera huic annexa erat. Etiamsi omnino à religione deficiant, & ad seculum transeant, posse à quocunque confessario per bullam Cruciatæ absolui, & ab Episcopis iure ordinario dispensari, vt in seculo maneant, vel vxorem ducant: nec per hæc omnia fieri aliquam iniuriam Societati, etiam per apostasiam ab illa. Sed hęc omnia, quatenus ex prædicto fundamento procedunt, eandem ferè censuram merentur, & ita ab eodem Pontifice, eodem modo reprobantur, & ab aliis antiquioribus Pontificibus sunt vel expressè, vel virtute damnata. Nam inprimis Paulus III. in 5. sua bulla anni 1549. specialiter prohibet: *ne quis post emissa vota secundum constitutiones prædictas, siue professus, siue scholaris, siue coadiutor Societatis sit, ad quemuis ordinum etiam per sedem prædictam approbatum, Carthusiensium dumtaxat excepto, nisi de expressa ipsius Præpositi, aut dicta sedis licentia transire valeat.* Aut ergo hoc potuit Pontifex statuere, aut non potuit. Hoc posterius dicere sine dubio esset erroneum contra Pontificis potestatem, & sententiam, sine vllo fundamento: si autem potuit: ergo post illud decretum omnino falsa erit illa doctrina, imò & erronea, si sensus erat, non obstãte illo decreto, licitum esse transitum illum. Quod si oppugnator ille responderet, se ignorasse decretum illud, excusari quidem posset ab errore, non tamen à temeritate, quod de re adeò graui, & animarum saluti adeò nociua, dependenteque à speciali iure particularis religionis, iudicium protulerit sine sufficienti notitia instituti approbationis, & priuilegiorum talis religionis: quod quilibet prudens Theologus maximè cauere debet. Confirmari hoc potest ex bulla Pij V. *Dum indefessæ*, in qua declarat Societatem, & singulas eius personas verè & non fictè mendicantes esse, & frui omnibus & singulis dispositionibus, fauoribus, & gratijs, tam à iure, quàm ab homine religiosis mẽdicantibus concessis. Vnum autem ex his fauoribus & gratijs est, vt mendicantibus non liceat trãsitus ad alias religiones non mendicantes, sub pœna excommunicationis latæ sententię iuxta constitutionem Martini V. in Concil. Constantiensi, quam refert Antonin. 3. p. tit. 24. cap. 7. 1. Et similem Benedicti XII. refert Tabien. verb. *religiosus.* §. 23. Ergo etiam ante Gregorij constitutionem ex vi illius bullæ Pij V. erat falsum prædictum illatum.

Diceret fortasse: illationem illam intelligendam esse *ex vi votorum*, & iure ordinario, non tamen propterea excludi, quin ex peculiari priuilegio Pontificis prohiberi possit. Sed hoc inprimis declarandũ fuisset: quantum enim ex declaratione Gregorij colligitur (proprium enim opus harum impugnationum ad manus non venit) simpliciter videtur ille Theologus asseruisse, eo tempore id fuisse licitum. Deinde interrogo, quo sensu dicatur *ex vi talium votorum*, licitum esse transitum, secluso speciali prohibitione. Nam etiam in quacunque alia religione licet transitus, non tamen indistinctè, sed ad strictiorem, non verò ad laxiorem, quia votum maioris boni non potest commutari in minus, propria authoritate: neque etiam ad æqualem, vel quia commutatio in æquale fortasse requirit etiam authoritatem superioris: vel certè propter ius acquisitum priori religioni, quo priuari non debet, nisi vbi maius bonum ipsius religiosi intercedit. Videtur ergo sensus illius assertionis fuisse in hoc gradu Societatis licitum esse transitum indifferenter ad quamcunque aliam religionem in qua vota solennia emittuntur, quantumuis laxa, & remissa sit. Et hoc etiam omnino falsum est *ex vi ipsorum votorum*, & secluso speciali prohibitione Pontificis. Primò, quia vt ostensum est, etiam per hæc vota est ius acquisitum religioni. Secundò, quia probatum est, etiam per hæc vota constitui verum, ac proprium religiosum, qui comparatus ad alium statum constitutum per vota solennia, potest esse multò strictior & perfectior illo: nam licet excedatur in solennitate voti, & in modo obligationis ex parte religionis, excedere tamen potest in perfectione finis, & mediorum, & in materia votorum substantialium, & in rigore obseruantiæ ac disciplinæ religiosæ, qui excessus maior sine dubio est, magisque pertinens ad perfectionem animæ, & ad cultum Dei: nam solennitas voti extrinsecum quid est, pendens magis ex constitutione extrinseca, quàm ex voluntate propria. Obligatio autem ex parte religionis, vel

Vel carentia eius, non minuit voluntatem, & oblationem ex parte religiosi se tradentis, imò reddit illam quodammodo magis liberalem, vt c. 2. nu. 2. dicebam. Ergo hic status religiosus Societatis cum quacumque religione alia in hoc conuenit, quòd secluſa speciali concessione, aut prohibitione Pontificis, quòd ab illo ad strictiorem statum licitus esset transitus, non verò ad laxiorem, vel æqualem, etiam si vota eius sint solennia: nam hæc sola circunstantia non reddit statum strictiorem. Quod quidem satis confirmant Pontificia indulta: nam si generatim, & ex vi talium votorum status in quo sunt vota solennia, esset strictior, & gratior Deo, iniustum planè fuisset hunc transitum vniuersaliter prohibere: ergo signum est illam circumstantiã ex mente Pontificis non multum referre, nisi vbi cætera paria essent. Tandem iuuare potest, quod hi scholares approbati, non solum tria vota substantialia in suo gradu emittunt, sed etiam promittunt professionem facere in Societate, quando iussi fuerint: non ergo possunt promissionem illam implere in quacunq; alia religione laxiore.

XIX. *Quæstiuncula incidẽs resolutio de facto.*

Solùm posset hic aliquam dubitationem habere, An professio facta in alia religione, non obstantibus prioribus votis Societatis, sit valida, esto sit illicita? quod etiam non habet dubitationem de facto. Quia si rectè ponderentur omnia verba Pauli III. irritam significant esse illam professionem, idque expressè declarunt Pius IV. & Pius V. in bulla anni 1565. quæ incipit, *Aequum reputamus*, & videri potest compendium priuilegiorum Societatis verb. *Apostata* §. 5. & 9. Sed dubitari potest ex natura rei, & ex vi talium votorum. Est enim communis doctrina D. Thom. & à nobis tom. præced. tractata, eum qui habet simplex votum religionis strictioris, profitendo in laxiori, malè facere, factum tamen nihilominus tenere, ita vt obligatio prioris voti omnino extincta maneat. Posset ergo quis cogitare, ita fore in Societate, secluso speciali iure pontificio: & potest ita suaderi. Nam qui vni rem aliquam promisit, & eam postea alteri tradit, licèt malè faciat, donatio tamen tenet, sicut tenet matrimonium cum vna, post sponsalia de futura cum alia, vel post votum simplex castitatis. Ita verò comparatur professio ad vota simplicia: ergo ex natura rei valida esset professio post vota simplicia castitatis, si per Ecclesiam irrita facta non esset. Nihilominus probabilius censeo, sicut secunda professio facta in religione, non magis stricta vel perfecta, inuita alia religione, in qua prior professio præesserat, irrita est ex natura rei, vt ex citato tomo suppono. ita professionem factam ab scholari approbato Societatis in quacunque religione laxiori, seu minùs perfecta esse ex natura sua irritam. Ratio est, quia professio secunda in priori casu non est inualida propter propriam solemnitatem votorum in priori professione, sed propter traditionem ratione cuius fit, vt secunda professio sit donatio rei alienæ, & in perpetuum iam traditæ ad vsum eiusdem generis, nulla subintellecta conditione, vel exceptione, nisi de religione seu statu perfectiori. Sed quoad hanc traditionem ex parte religiosi se donantis, & quoad ius acquisitum ipsi religioni: æqualis est hæc admissio scholarium cuilibet professioni: Nam verè se tradunt Societati in perpetuum, & ipsa eos acceptat, vt ex forma vouendi patet, & ex declaratione Pontificum Pauli III. Iul. III. Gregor. XIII. Ergo, &c.

De iure etiã resolutio eadem probabiliter.

XX. *Contra secundum illatum illo n. 17. positũ ostenditur, scholares*

Atq; hinc tandem constat, quàm falsa sint omnia, quæ in altera illatione subiiciuntur. Nam vt ab vltimo puncto incipiamus, cum ostensum sit Societatem acquirere speciale ius dominatiuum in scholares Societatis, medijs eorum votis, euidens est, non posse huiusmodi scholares inuita Societate illam deserere, sine magna eius iniuria, quia priuant illam suo iure, sicut qui se alteri donauit in seruum, non potest fugere sine iniuria Domini, & qui rem suam alteri donauit, non potest eo inuito illam surripere sine iniuria eius ac vero furto.

desertorem iniuriam facere Societati.

Deinde euidenter falsum est ab hoc peccato apostasiæ, posse huiusmodi transfugas liberè absolui à quocunque confessario, tum quia illi manent veri religiosi, & ideo subiecti in foro etiam pœnitentiæ Prælatis suæ religionis, sine quorum facultate non possunt alijs confiteri, nisi à Pontifice illam habeant. Per bullam autem Cruciatæ illa non habetur, vt ex tract. 8. lib. 2. nunc suppono, idque maximè respectu apostatarum, & in tantum detrimentum religionis: videri etiam potest compendium priuilegiorum Societatis verb. *Absolutio* §. 11. Tum etiam, quia in bullis Pontificijs declaratum est, illud esse verum peccatum apostasiæ à religione, quæ iure communi habet excommunicationem annexam, à qua non potest vllus confessor absoluere: quam contra hos apostatas specialiter tulerunt, & sibi reseruarunt Pius IV. & Pius V. in bulla, *Aequum reputamus*. & habetur in citato compendio verb. *Apostata* §. 1. & 2. cum alijs. Tum denique, quia illi quandiu in eo statu permanent, in statu damnationis sunt, vt rectè dixit Caietan. in communi de apostatis loquens verb. *Apostasia*. & ideo in eo statu permanentes, à nemine possunt absolui, ne dum à quolibet confessore. Si autem ad mentem redeant, ad suos superiores recurrere debent, vt ab eis absoluantur. Nisi fortasse ob necessitatem aliquam vrgentem iuxta communem ius absoluendi essent: Nam tunc non virtute bullæ Cruciatæ simpliciter absoluendi sunt, sed sub obligatione comparendi.

XIX. *Item à nemine possit absolui, quam ab ipsa Societate vel Papa.*

Denique falsum conuincitur, posse Episcopos cum his apostatis, vel religiosis dispensare. Quis enim vnquam dixit, posse Episcopum iure ordinario facere ex religioso, non religiosum per dispensationem, aut ex mendicante, non mendicantem? Si autem sunt verè ac propriè religiosi, vt ostensum est toto capite præced. ergo. Deinde, licèt Episcopus possit dispensare in voto simplici, non tamen in traditione, & donatione Deo facta, & religioni propter ipsum: & ideo in alijs religionibus non potest dispensare cum oblatis, seu conuersis, qui se verè ac propriè religioni donarunt, etiamsi propriè religiosi non sint, ex defectu votorum: sed hi religiosi Societatis verè se tradunt & perfectiori modo & cum votis sufficientibus ad statum religiosum constituendum; ergo. Præterea, Episcopus non potest iure ordinario dispensare in votis religionis, & totalis castitatis perpetuæ: sed hi religiosi emittunt inprimis votum totalis castitatis, & præterea promittunt ingredi Societatem professam, quæ promissio re vera est votum religionis, vt etiam declaratum fuit in 3. Congregatione Can. 2. diceturque latiùs lib. 4. cap. 16. & 17. ergo non potest Episcopus in eis dispensare. Neque obstat, si quis respondeat hæc vota includere conditionem, ac proinde non esse seruata, quia tom. superiori diximus, votum castitatis, non esse seruatum nisi fit absolutũ: respondetur enim in primis promissionem illam ingrediendi Societatem professam, solùm includere conditionem hanc, *si ipsa Societas voluerit illum admittere*: hanc autem conditionem planè includit omne votum religionis: est ergo illud tam absolutum votum religionis quàm esse potest. De voto autem castitatis fatemur, non absolutè fieri, sed vt annexum tali statui, & ideo includere tacitam determinationem, *dum ille status duraverit*. Hic autem status est omnino extra potestatẽ Episcopi: ergo & votum quo cõstituitur, seu quod illi annexum est. Tandem hæ personæ

XXII. *Item non posse Episcopos cum eorum votis dispensare, ostenditur quadruplicitur.*

sunt

sunt omnino extra iurisdictionem Episcoporum, vt est notissimum, quomodo ergo possunt Episcopi eorum statum mutare, aut in eorum votis dispensare.

XXIII. *Tertium illatum negans: commutari posse vota in seculo facta in vita scholarium Societatis, duplicem sensum habet. Primo. Secundo. Prior sensus negans propriam commutationē impugnatur.*

Vltima illatio dicti oppugnatoris erat: Non posse vota in seculo facta in hæc tria vota scholarium Societatis, seu statum illorum commutari. Hæc verò propositio duplicem potest habere sensum. Vnus est, etiam per modum commutationis, non posse ex intentione ipsiusmet vouentis, vel ex ordinaria potestate confessorum, aut Prælatorum Societatis præcedentia vota in hæc commutari. Alius est, hunc ingressum, seu incorporationem in Societate non habere vim extinguendi omnia præcedentia vota, quam habet professio cum votis solennibus. Prior sensus, simpliciter loquendo, falsus est, & ita reprobatur à Gregorio XIII. dicente; *Insuper asserunt non posse vota aliqua in seculo emissa in tria hæc substantialia Societatis commutari, cùm tamen hæc vota sint status, vt profitetur, religioso adeo vilis, & perfecti, vt illa in hæc possint: hæc verò in aliorum ordinum etiam solennia vota commutari sit ab hac sede iustis de causis interdictum.* In quibus verbis duæ rationes indicantur. Prima est, verus status religionis, & præsertim tam perfectus, melior est, & gratior Deo, quàm obseruantia cuiuslibet voti in seculo emissi: sed hęc vota constituunt talem statum; ergo in illa possunt quælibet vota seculi commutari. Alia ratio est à posteriori, seu fundata in iudicio sedis Apostolicæ; nam vota seculi possunt commutari in vota solennia religionis: sed hæc vota Societatis iudicata sunt à sede Apostolica adeò perfecta, vt vetuerit illa in solennia alterius religionis, præter Carthusiam, commutari: & consequenter illa vt paria ad minimum æstimauerit: ergo etiam illa iudicauit talia, vt in illa possint vota seculi commutari.

XXIV. *Notationes pro enucleanda dicta commutatione.*

Hæc autem ipsa commutatio duobus modis intelligi potest. Primò, vt ipso iure fiat; ex intrinseca scilicet vi talium votorum, vel certè ex aliquo priuilegio iuris. Secundò, vt fiat ex intentione ipsius vouentis, qui præcedentia vota vult in hæc tria commutare. Deinde potest intelligi hæc commutatio vel simpliciter, vel secundùm quid. Simpliciter appello quòd priora vota omnino extinguuntur: secundum quid, quando tantùm suspenduntur. Deinde suppono, quædam esse vota præcedentia hunc statum, quorum obseruantia repugnat tali statui, & obseruationi eius, atque de his nulla est difficultas, quin saltem suspendantur ex vi talis status, & horum votorum quamuis simplicium: & quòd hæc vota licitè & sanctè fiant, & consulenda sint fieri non obstantibus aliis votis præcedentib⁹: nam quoad hoc hæc vota æquiparantur professioni: Quia & constituunt statum de se perpetuum, & valdè perfectum, cuius obseruantia longè maius bonum est, quàm sit executio aliorum votorum. Item quia talia vota suspenduntur ipso iure per primum ingressum religionis, etiam per nouitiatum, vt in tom. super. ostendimus; ergo multo magis suspendentur per statum religiosum illis tribus votis firmatum. An verò omninò etiam auferantur, statim dicetur in num. 26. Alia autem sunt vota, quæ possunt optimè in religione impleri & nihil impediunt religiosam obseruationem, seu disciplinam, sed illi aliquid addunt. Et de his etiam est certum posse, ex voluntate alicuius, qui potestatem habeat commutandi pro eo tempore, quo talia vota durauerint suspendi per quandam commutationem secundùm quid, seu pro eo tempore. Probatur, quia talis commutatio euidenter est in melius; ille enim status quandiu durat, multò melior est, quàm particularia vota, quæ in seculo fieri possunt. Dices, melius est vtrumque simul seruare, cùm fieri possit. Respondetur, non teneri quempiam ad omne id quod melius est, & sæpe non expedire obligationes accumulare. Atque hinc fit, vt talis commutatio fieri possit propria authoritate ipsius vouentis, quia commutatio in melius ita fieri potest, vt suprà dixi, & ex professo in lib. 6. de voto cap. 18. Oportet tamen vt ipse vouens intendat talem commutationem facere, quando hæc tria vota emittit: Nam postquam aliquis plura vota fecit sine commutatione, non potest postea sua voluntate vnum in aliud commutare, quia iam vtroque oneratus est. Deinde potest hæc commutatio fieri per prælatos Societatis, quia cùm possint dispensare, vt suppono, multo facilius poterunt commutare: sed oportet etiam aduertere, si talis commutatio fiat in aliqua opera religionis, illa manere sub obligatione voti, cùm tamen aliàs solùm fortasse essent sub directione regulæ, & ideo melius est, vt simpliciter dispensentur pro eo tempore: vel à principio commutentur in ipsamet tria substantialia vota, & religiosum statum, nullam illis addendo obligationem voti, ad specialia opera, quod sine dubio neri potest. Imò etiam ipso iure Societatis factum videtur. Nam in prima congregatione generali Can. 22. de omnibus votis in seculo factis præterquam religionis determinatæ dicitur, *in Societate suspensa esse, etiam si per professionem non tollantur, & ita obligationem eorum cessare, dum persona in Societate manet.* Quod meritò ita factum est: nam omnes rationes, quibus D. Thom. probat præcedentia vota, per professionem tolli, probant expedire, vt saltem per hæc vota suspendantur, vt facilè constabit legenti ea, quæ in tom. sup. de illo puncto tractauimus.

Vota in seculo incompossibilia votis scholarum Societatis per hæc ipso iure suspenduntur.

Quid de votis compossibilibus.

Difficultas verò est, an etiam commutatio simpliciter hic locum habeat, ita vt licèt contingat scholarem approbatum eiici à Societate, non reuiuiscat obligatio priorum votorum. Ad quam breuiter respondeo, ex intentione vouentis posse fieri talem commutationem, non tamen fieri ipso facto, aut iure, nisi intendatur. Ratio prioris partis est, quia hic status cum his tribus votis, eo modo quo sunt perpetua ex parte vouentis, licèt ex parte religionis aliquando auferri possint, sunt bonum melius, & perfectius, quàm omnia vota in seculo facta, etiamsi haberent materiam duraturam per totam vitam: quia per illam oblationem persona multo magis consecratur Deo, & ferè moraliter contingit, vt opera facta in tali statu, intra vnum annum, sint meliora, & gratiora Deo, quàm essent futura omnia opera aliorum votorum, etiamsi obligatio eorum per totam vitam esset duratura: ergo licita, & valida est talis commutatio, non solum si authoritate superiorum fiat, quod est manifestum, sed etiam propria voluntate. Ratio verò alterius partis est, quia licèt is qui habet votum inferioris boni, faciat votum de alio bono meliori, non incompossibili priori, si non intēdit specialiter commutari vnum in aliud, non commutat ex vi talis facti, sed multiplicat vota: sed ita est in præsentia: ergo ex vi talium votorum non fit commutatio, & consequenter nec iure naturali fit: quia hoc nullum est aliud, nisi quod natura talium votorum postulat: Neque etiam iure positiuo diuino, vel humano, quia nullum tale est. Quin potiùs in dicto Can. 22. significatur talia vota in seculo facta non omninò auferri nisi per professionem, quod intelligo ipso iure, seu ex sola intrinseca vi talium votorum: non verò quòd non possint auferri ex absoluta commutatione intenta à vouente.

XXV. *Professio suspensiua vota.*

XXVI. *Suum statum habet professio simpliciter dicta.*

Et quantum ad hoc posset aliqua differentia constitui inter hæc vota scholarium, & professionem simpliciter dictam. Nam per professionem probabile est extingui omnia priora vota ipso facto & iure, absque alia commutatione à prohtente intenta, Si au-

differentia aliqua inter vota scholarium Societatis, ac professionem.

Si autem hoc conuenit professioni (res enim non certa) id non prouenit ex solo iure naturæ, neque ex aliquo iure scripto, quod sufficienter id declaret, sed adiuncta communi consuetudine, & traditione Ecclesiæ, quæ omnia in tom. super. latè probaui, & declaraui. Quia ergo hæc admissio scholarium in Societate non est absoluta professio, & secundùm præsentem statum Ecclesiæ est nouo iure introducta, ideo non videtur ad illam extendendus hic effectus, qui maximè in consuetudine fundatur, cum illa consuetudo solùm in proprijs professionibus locum habeat. Maximè cum inter statuta Societatis in prædicto Canon. 22. fiat in hoc differentia inter hæc vota simplicia & professionē, quæ non potest in alia re constitui, quod ad præsens attinet, nisi quòd professio extinguit ipso facto priora vota seculi: status autem scholarium solùm ea suspendit, nisi alia via per dispensationem, vel commutationem ab homine, vt ita dicam, auferantur. Si igitur oppugnator ille solùm hanc differentiam constituere voluisset, non cum illo contenderemus. Quia verò absolutè dixit, non posse vota in seculo emissa, in tria hæc substantialia Societatis commutari: ideo hæc assertio non minùs quàm alia reprobatur. Maximè cùm eò semper tendat, vt hunc statum eleuet, & adeò diminuat, vt sentiat sufficientem non esse, vt in illum vota seculi commutari valeant.

Concluditur contra authores tertii corollarii.

CAPVT V.

An prædicta scholasticorum approbatorum admissio in Societatem, dicenda sit professio?

I. SVpereſt explicemus, an hæc admissio, & incorporatio scholarium approbatorum in Societate, non solùm constituat illos in vero statu religioso, vt hactenus probatum est, sed etiam (vt rationi dubitandi initio capitis tertij positæ omni ex parte satisfaciamus) dicenda sit vera *professio*, & ita possit simpliciter appellari. Quæ licèt videatur quæstio de vsu vocis, tamen ad intelligentiam iurium, potest esse necessaria: nam quod ad rem spectat, facilè poterat distinctione expediri. Primò enim si nomine *professionis religiosæ* intelligatur traditio omnino absoluta, & votis solennibus firmata, atque adeò indissolubilis per potestatem intrinsecam religionis, sic dicendum est hanc admissionem non esse professionem, quia re vera illi non conuenit prædicta descriptio, vt hactenus probatum est. Atque in hoc sensu, in eodem Societatis instituto, ac bullis, & constitutionibus eius distinguitur gradus scholarium à gradu professorum, & admissio illorum, ab horum admissione: & vna vocatur professio, non tamen alia, vt constat ex 5. part. Constitut. cap. 1. per totum, & sæpe in sequentibus: vnde in forma ipsa vouendi qui profitetur, expressè dicit, *Ego professionem facio*: alij verò minimè. Et iuxta hanc significationem vocis, ad difficultatem tactam respondendum est, negando statum religionis solùm constitui per professionem in hoc rigore sumptam: potest enim per aliud genus admissionis, à nobis explicatum verè, ac propriè constitui. Quia verò iura canonica, & interpretes eorum; ac cæteri Doctores loquuti sunt de statu religioso ante Societatis approbationem, quo tempore per solam professionem in eo rigore sumptam religiosi constituebantur, ideo absolutè dicunt per professionem constitui verum religiosum. Dicunt etiam professionem esse necessariam secundum illum statum Ecclesiæ, in quo alius modus non erat in vsu, neque approbatus: & eodem sensu cùm aiūt

Vnum professionis significatum.

Iuxta hoc significatum procedit ratio dubitandi initio c. 3. posita.

ante professionem non esse verum religiosum, solùm intendunt dicere susceptionem habitus, seu primum ingressum, vel nouitiatum non sufficere ad constituendum verum religiosum, donec fiat professio, per quam incorporetur quis religioni: tunc enim non erat alius incorporandi modus. Secundò, quia nouissimè in Can. 26. Congreg. 7. *Professionis* vox latiùs aliquantò sumitur, dum sub eo nomine distinguuntur vota formatorum coadiutorū à prædicta approbatorum scholasticorum admissione. Sic planè etiam admisio hęc non dicetur *professio*. Vnde similiter ad præsentem difficultatem negabitur consequentia, religiosum scil. statum constitui per professionem solùm eo etiam latiori modo sumpta professione.

II. *Alterum significatum iuxta quod etiam satisfit prædictæ rationi dubitandi.*

Potest verò tertiò accipi vox illa *professio vel gioſa* generaliùs pro quacunque firma, ac stabili vnione cum religione approbata, per traditionem, & vota substantialia religionis per legitimam potestatem Ecclesiasticam publicè admissam. Et hoc modo dicendum est, hanc scholarium admissionem in Societatem esse veram professionem, vt ex dictis constat. Sic etiam generaliter pro quocunq; tempore, & tam de facto, quàm de possibili verum est, per omnem professionem huiusmodi, & per solam illam, verum, ac proprium statum religiosum constitui. Quod etiam ex hactenus dictis notum est. Nec verò hæc significatio illius vocis aliena est ab eius proprietate, & communi vsu, & ab vsu multorum Doctorum: Nam iuxta Latinam proprietatem *profiteri* generaliter significat, vel palàm ac publicè promittere, vel munus aliquod publicum cum aliqua solennitate suscipere, quomodo dicitur quis profiteri militiam, aut magisterium Theologiæ scholasticæ, vel sacrarum literarum, aut Iuris prudentiæ, &c. Sic etiam D. Thomas 2. 2. quæst. 184. articul. 5. ait, Episcopum cùm assumit Episcopatum, solennem professionem facere, vbi constat non loqui de solenni professione prout à religiosis fit, sic etiam Concil. Toletan. II. cap. 1. de subdiacono dixit, admitti posse vigesimo anno ætatis, habita probatione suę professionis. Præterea Innocen. in cap. *por rectum*, de regular. professionem validam vocauit illam, quæ fit extra claustrum, & in manibus alicuius, qui non habet potestatem incorporandi religioni, quanuis solùm habeat vim voti simplicis. & ibi Antoninus, à quo non multum dissentit Abbas n. 12. Ita etiam loquitur de professione facta in manu Episcopi, cùm tamen fateantur illam non constituere verum religiosum, sed solùm esse votum quoddam simplex, & cum solennitate quadam accidentali emissum. Et Palud. in 4. d. 38. q. 3. in fine, non dubitat professionem tacitam vocare *professionem*, quamuis dubitet, an talis professio reddat inhabilem ad matrimonium. Cùm ergo hæc incorporatio scholarium in Societate, publica fit non solùm promissio, sed etiam traditio, atque assumptio religiosi status, & iam nunc reddat personam inhabilem ad matrimonium, meritò posset appellari *professio*. Vbi de sensu constaret, quòd sc. in hac generali significatione, & non in alia rigorosa, & quasi specifica sumitur.

III. *An in iure nomine professorum debeant scholares Societatis, atque adeo nomine regularium, & religiosorum.*

An verò iura quæ loquuntur de professione religionis, comprehendant hanc admissionem scholarium Societatis: nec parum refert, nec facilè definiri potest. Primum constat; quia ex illo pendent quæstiones plures, vt an omnia, quæ iura requirunt ad professionem, requirantur ad hanc admissionem, vt talis ætas, tantum probationis tempus, &c. Item an metus reddat nullum hunc ingressum, sicut reddit nullum illum ingressum, & sic de alijs. Denique inde etiam pendere videtur, an hi scholares in iure comprehendendi sint sub nomine regularium, seu religiosorum: nam hæc duo,

professus, & regularis, seu religiosus videntur esse in iure æqualia, seu ad conuertentiam dici. Secundum declaratur, quia omne ius antiquius approbatione Societatis, per professionem sine dubio solùm intelligit illam, quæ tunc erat in vsu: iura autem posteriora non mutarunt significationem vocis: sed in eodem sensu loquuta sunt: ergo nulla comprehendunt sub illa voce, nisi professionem illam, quæ per solennia vota fit. In contrarium autem est, quia multa sunt in iure attributa religiosæ professioni, quæ in hanc etiam scholarium admissionem conueniunt, & alia communi voce non significantur. Item quia nomen *religiosi* commune est his personis: ergo & nomen professionis, iuxta vsum iuris, debet esse commune.

IV. *Affirmandū in fauorabilibus.*

Distinctione vtendum censeo: aut enim iura loquuntur de gratijs, & fauoribus concessis religiosis professis: aut de rebus odiosis, seu quæ rigorem continent. Si sermo sit de prioribus, extendenda censeo ad vota scholarium Societatis, atque adeò sub nomine *professionis* comprehendi etiam hanc scholarium incorporationem. Hoc inprimis colligo ex generali regula Innocentij, Panormitani, & aliorum in Rubric. de regular. qui dicunt sub nomine *religiosi*, quoad fauorabilia plures comprehendi, qui varijs modis diuino cultui omnino dicati sunt, quamuis non sint solenniter professi: ergo multo magis sunt extendenda similia iura ad hos religiosos Societatis, qui non vtcunque sunt diuino seruitio mancipati, sed tanquam veri, & proprij religiosi: ergo eadem ratione fauores, & gratiæ, quæ conceduntur iure communi, vel *regularibus* sub hoc nomine, vel *religiosis*, vel etiam *professis* sub his hominib. extendi debent ad prædictos scholares: erga eadem proportione loquendum est de professione, & de incorporatione horum scholarium, quoad fauores, & gratias. Secundò & principaliter id colligo ex motu proprio Pij V. qui incipit, *Dum ad fissa.* vbi cùm dixisset, omnes, & singulas personas Societatis intra religiosos mendicantes, verè, & non fictè numerari debere, subdit: *A quo omnes, & singulas iam iuris quam hominum dispositionis in fauorem religiosorum, seu fratrum mendicantium, nunc & pro tempore, emanatas, eas tam in Societate, illiusque domibus, Collegiis, Præposito, & aliis religiosis locum habere.* Quam concessionem statim extēdit ad omnia priuilegia, etiam specialissima, immunitates, exemptiones, &c. Et semper loquitur de omnibus, & singulis personis Societatis, sub quibus sine dubio scholares approbatos comprehendit; nā ideo domibus Collegia semper adiungit, vt de omnibus personis, quæ sunt illorum membra, se loqui significet. Et hanc declarationem ampliùs explicuit, & confirmauit Gregor. XIII. in bullis sæpè citatis.

V. *In non fauorabilibus distinguendum.*

Si autem loquamur de his, quæ professioni, vel religioso professo, de rigore iuris tribuuntur, vel ad ea quæ odiosa sunt, spectant, vt v. g. cùm excommunicantur religiosi, qui hoc, vel illud fecerint, vel qui professionem hoc, vel illo modo faciunt, & similia: tunc vlteriùs considerandum est, an res illa, de qua ius loquitur, peculiari modo respiciat, vel fundetur in solennitate professionis, vel solùm respiciat statum religiosum, vt sic, & professionem quatenus illum constituit. Nam in iuribus, quorum materia est prioris generis, *sub professione* non potest comprehendi hæc incorporatio scholarium approbatorum Societatis: quia in tali incorporatione deest fundamentū talium iurium, quod est solennitas professionis. In iuribus autem, quorum materia est posterioris generis, tunc sub nomine *professionis*, hæc enim incorporatio comprehendenda videtur. Exemplum prioris partis est in cap. vnico de voto in 6. vbi dicitur votum solennizari, quantum ad impediendum matrimonium, per professionem expressam, vel tacitam factam in aliqua religione approbata: ibi enim sub *professionis* nomine in rigore non comprehendebatur hæc incorporatio scholarium Societatis: Nam ante specialem constitutionem Gregorij per votum castitatis in ea factum, non reddebatur persona inhabilis ad matrimonium, quidquid aliqui senserint: & licèt nunc votum illud habeat hunc effectum, non est ex vi illius iuris communis, sed ex speciali iure Gregorij XIII. quo non obstante illud votum solenne non est, ex declaratione eiusdem Gregorij iuxta intentionem vouentium, & admittentium illud: ergo non comprehendi tur sub dicto cap. vnico. ergo nec incorporatio hæc comprehenditur sub *professione*, de qua ibi sermo est. Sumitur ergo ibi *professio* strictè pro illo vinculo omnino absoluto, & indissolubili, quo secundùm commune ius religiosi ligantur, & traduntur. Aliud exemplum de eadem re, existimo sumi posse ex Extrauag. vnica Ioan. XXII. de voto, vbi qui post matrimonium ratum non consummatum sacrum ordinem suscipit, suspenditur, nisi professionem in aliqua religione approbata faciat: nam tunc per Diœcesanum conceditur ei dispensatio, à quo ad talem professionem admonendus dicitur. Ibi enim sub *professione* non intelligo comprehendi hanc incorporationem nostrorum scholarium, nec per illam illi iuri satisfieri. Ratio est, quia intentum Pontificis ibi est, vt matrimonium ratum, quod per votum sacri ordinis solutum non fuerat, per aliud vinculum professionis soluatur, vt sic solutus ab obligatione vxoris decenter possit in suscepto ordine ministrare. At verò per vota hæc scholarium Societatis non fit ille effectus, vt infrà lib. 4. c. 2. dicam, sed est proprius votorum solennium; ergo per illa non satisfit intentioni Pontificis in dict. text. sumitur ergo ibi *professio* strictè, vt solennitatem includit.

Alterius autem membri exemplum sumere VI. possumus ex motu proprio Sixti V. in prædicta ratione dubitandi, initio capitis tertij citato, vbi dum ait: *Tunc verè, & propriè religiosi essi dicuntur, cum professionem emittunt*: ibi enim solùm sumit *professionem*, vt à susceptione habitus, id est, à primo ingressu seu nouitiatu distinguitur: solùmque illam confiderat, quatenus est vinculum inter religiosum, & religionem, sufficiens ad verum statum religiosum constituendum: & ideò non dubito, quæ sub ea voce scholares Societatis comprehenderit, & ita, quæ ibi circa professionem disponit, licet odiosa, & rigorosa videantur, ad hanc etiam incorporationem pertinent, vt consuetudo etiam declarauit, & mox dicemus. Atque ita etiam intelligendum puto cap. *religioso* de sentent. excom. in 6. §. *Quamus*. vbi significatur priuilegium Canonis *Si quis suadente*. in rigore iuris, solùm conuenire religiosis professis: ibi autem speciali concessione extendi ad nouitios: nam sine dubio extensio illa necessaria non erit pro scholaribus Societatis, sed in rigore comprehendebantur sub Canone, quia veri religiosi sunt, vnde in verbis illius §. *Quamus autem is, qui religionem ingreditur, religiosus censeri tum esse non possit, donec sit tacitè, vel expressè professus.* sub *professione* comprehendenda est hæc incorporatio, qui ibi non consideratur professio, ratione specialis solennitatis, sed solùm quatenus constituit verum religiosum, illumque à nouitio distinguit. Nec refert quod illud ius, & similia fuerint condita ante institutum Societatis, quia licèt verum sit, tunc non cecidisse Societatem sub expressam intentionē sic loquentium, tamen confusè comprehensa fuit, quatenus generatim intendebat loqui de vinculo constituente verum religiosum, quod

quod nomine *professionis* significabant, vt dixi, quia tunc non erat alius modus incorporandi in religione: illud autem materiale est, & ideo non obstat, quominus sub formali decisione talis iuris, hic status comprehendatur, siue illa pertineat ad fauorem, siue ad rigorem.

VII. *Obiectiones ex doctrina Nauarri cõtra hanc posteriorẽ partem tuentur, & excludunt.*

Contra hanc verò partem posset quis obijcere multa, quæ Nauar. affert. cons. 6. de statu monach. vbi contendit sub nomine *professionis monialium*, non debere comprehendi quasdam oblatas sub quadã dispositione rigorosa: & illa occasione significat in simili dispositione *professionis* nomen nunquam debere extendi ad ea quæ propriè, & in rigore professio non est. Veruntamen si attentè legatur, loquitur de professione vt distinguitur ab omni oblatione, seu donatione personæ, quæ non constituit illam verè, & propriè religiosam, qualis erat in illis oblatis, & tunc rectè procedunt omnia quę adducit. Nihil autem nobis obstant, qui loquimur de vinculo constituente verum, ac proprium religiosum, & ideo non putamus comprehendi sub talibus decisionibus iurium per argumentum à simili, vel à paritate rationis, sed per proprietatem religiosi status, & vinculi quo constituitur, de quo talia iura loqui intendunt, & sub illa ratione illum significant per talia verba. Quæ resolutio multis alijs particularibus exemplis declarabitur capite sequenti, & in discursu materiæ.

VIII. *Ad secundam confirmationem aduersariorum in c. 3. nu. 1.*

Vltima confirmatio, & obiectio, contra prædictam veritatem, facta in eodem cap. 3. initio, sumebatur ex forma ipsa vouendi, & ex ipsiusmet verbis constitutionum Societatis, ad quam iam ex parte responsum est, omitti in illa forma verbum *profitendi*, quia iuxta communem vsum significare solet traditionem cum voti solennitate, & solùm vsurpari verba *vouendi, & promittendi*, vt indicetur talia vota esse simplicia, non tamen propterea excludi veram traditionem personæ, quæ per eadem vota fit Societati, vt Gregor. XIII. declarauit. Et in ipsis constitutionibus erat alias sufficienter expressum, cùm dicant, per hæc vota scholares admitti, & incorporari in Societate, & membra eius fieri, vt etiam in 1. cap. huius libri num. 4. inculcauimus. Quòd autem in ea forma vouendi non exprimatur distinctè promissio, Prælatis Societatis facta, sicut exprimitur in forma admittendi coadiutores formatos: nõ ideo est, quia in re ipsa scholares etiam non se obligent Societati, eiq; tradant ius in se ipsos, vt iam in c. 1. huius lib. nu. 7. attigimus, sed solùm factum videtur, ad distinguendũ gradum scholarium, à gradu coadiutorum formatorum: nam hi licèt solennia vota non emittant, constituuntur iam in termino: neque vltra progredi debent in statu, seu gradu Societatis, ac propterea maiori quodam vinculo morali, cum ipsa Societate coniunguntur, & extra omne genus probationis constituuntur, & ipsa Societas arctiùs obligatur ad eos retinendos perpetuo, nisi denuo per crimina, & contumaciam in illis reddantur indigni. Ad hoc ergo significandum illi expressè vota emittunt in manibus Prælati, cui se expressè obligant, & ipse eos admittit. Scholares verò licèt incorporentur Societati, non tamen vt in eo gradu semper maneant, sed vt sic incorporati adhuc ampliùs probentur. Et ideo licèt Societas debeat eos retinere, quandiu rationabilis causa dimittendi non subest, tamen ad hoc iudicandum liberior est, & minor causa sufficit, & ad eam explorandam probatio ordinatur; ad hanc ergo libertatem Societatis significandam, dicuntur vota illa non fieri in manibus Prælati, sed soli Deo, scilicet, quantum ad expressam formam promittendi, quanuis implicitè, & in actu exercito (vt sic dicam) talis obligatio ex ipsa traditione, & incorporatione contrahatur. Et ob eandem causam fit ibi promissio ingrediendi Societatem, scilicet, quoad aliquem vltimum gradum & terminum eius, sic enim *Societatis* nomen eo loco sumitur; quod non obstat, quin alio modo eædem personæ, verè, ac propriè ex tunc incorporentur Societati, prout comprehendit omnia membra sua, iuxta ea, quæ de significatione huius vocis in lib. 1. cap. 1. num. 13. adnotauimus.

CAPVT VI.

Quæ conditiones necessariæ sint ex parte ventis, vt hæc vota scholarium validè fiant.

AD quæstionem hanc applicari possunt ferè omnia, quæ in toto libro de professione religiosa in genere latè diximus superiori tomo. Quanuis enim hæc incorporatio scholarium non sit vera professio in rigore præcedenti cap. declarato: tamen quia cùm illa conuenit in traditione, & in substantia votorum, atque adeò in contractu ex quo oritur vinculum inter religiosum, & religionem: solùmque differt in modo obligationis ex parte religionis, & consequenter in absoluta perpetuitate, & indissolubilitate talis vinculi ex vtraque parte: ideò multæ, & ferè omnes conditiones requisitæ ad valorem professionis, requiruntur etiam ad præsentem incorporationem: propter differentiam verò dictam: explicandum à nobis est an exceptio aliqua, vel limitatio, aut declaratio hic adhibenda sit, quod faciemus breuiter per singulas discurrendo. Prius tamen in genere duo animaduerto. Vnum est, quasdam ex dictis conditionibus esse ex natura rei necessarias, propter morale vinculum, quod per professionem contrahitur, vt sunt vsus rationis, liber consensus, &c. Et de his indubitatum est, etiam in hac incorporatione esse necessaria, quia etiam hic contrahitur morale vinculum. Aliæ verò sunt conditiones requisitæ de iure positiuo, & de his potest esse res magis incerta. Ad iudicium autem ferendum applicanda erunt principia in superioribus tóm. videlicet præceden. & in libro 2. cap. 3. posita. Alterum est: Conditiones quasdam requiri ex parte religiosi, alias ex parte religionis. De prioribus ergo in præsenti cap. dicemus, de posterioribus in sequenti. I. *Notationes duæ pro tradendis.*

Prima conditio est, vt ante secundum ingressum præcedat integer annus nouitiatus. Et secunda huic similis est, vt professio non fiat ante expletum 16. annum ætatis. Quæ duæ conditiones, licèt in antiquo iure fundamentum habeant, nunc maximè vigent, & necessariæ sunt ad valorem professionis ex decreto Concilij Tridentin. session. 25. cap. 15. de regular. Dubitari autem potest, an decretum illud hæc etiam vota, & incorporationem scholarium in Societate comprehendat. Ratio autem dubitandi est, quia ibi solùm loquitur de professione, & ad illam postulat illas duas conditiones, vnde subdit: *Professio autem antea facta, sit nulla*: hæc autem non est professio in toto rigore iuris: ergo cum illa lex rigorosa sit, restringenda est, vt hoc vinculum non comprehendat. Confirmatur, quia illud decretum irritans, ideo præcipuè factum videtur, quia professio semel valida, est absolutè indissolubilis, & ideo difficile habet remedium, si semel validè fiat, quantumuis temerè, & inconsiderate fiat. At verò hoc vinculum scholarium Societatis non est ita indissolubile simpliciter: neque habet remedium adeo difficile: ergo non est cur sub illa lege comprehendatur. Nam hæc ratio declarat, decretum illud cadere in professionem II. *An duæ primæ conditiones ad professionem requirantur etiam ad vota scholarium Societatis.*

nem solennem, quatenus talis est, & ideo non comprehendere incorporationem hanc iuxta regulam cap. præced. nu. 5. positam. Vel saltem quanuis hoc non sit certum, sufficit rem esse dubiam, vel lex illa quoad hanc partem coarctanda sit potiùs, quàm extendenda. Propter quæ hæc pars, aliquando probabilis mihi visa est, quia vota simplicia, non solent ab Ecclesia irritari hoc genere irritationis antecedentis, vt superiori tomo in proprio loco explicaui: tota autem obligatio, quæ in hoc vinculo cum Societate nascitur, aut est votorum simplicium, aut non transcendit ordinem, & modum eius.

III. Re tamen attentiùs considerata, verum existimo illas duas conditiones requiri ad valorem huius incorporationis, eamque sub nomine professionis fuisse ibi à Concilio comprehensam. Primò, quia decretum illud pertinet ad voti solennitatem, sed ad modum assumendi, & constituendi statum verè religiosum, vt satis significant illa verba: *In quacunque religione tam virorum, quam mulierum professio non fiat.* Quod perinde fuit, ac si diceretur; Nemo ad religionem assumatur, vel religioni incorporetur: verba enim illa in omni proprietate hunc sensum admittunt. Intentio autem Concilij fuit in hoc modum ponere, & generalem regulam statuere pro omnibus religionibus, nec verisimile est, cùm iam essent instituta, & approbata Societas, omnino illam prætermisisse, & liberam reliquisse, vt in quacunque ætate pubertatis, & sine probatione posset ad hunc gradum religiosus admittere: maximè cùm hic status religiosos etiam quoad hunc gradum valdè difficilis sit: & ex parte obiecti, seu materiæ, ac modi viuendi cum quocunque alio cumparabilis, vt lib. 1. cap. 3. à. num. 4. & cap. 7. num. 6. ostendi: ex parte autem vinculi, licèt videatur aliquantulum minùs indissolubile, tamen illud totum est ex parte religionis, & in eius commoditatem: Concilium autem in hoc decreto consulere magis voluit commodis, & imperfectæ deliberationi ipsius religiosi, quæ non minus vnicuique necessaria est in assumptione huius status, cùm ex parte sua omnino se tradat & obliget, ac perpetuò ligatus maneat; nam si quod remedium adhiberi posset a potest: illud solùm est ex parte religionis, quando ipsa iudicauerit sibi conuenire; nam ex parte religiosi, solùm illi superest remedium dispensationis, quod longè difficilius est in toto hoc statu, quàm in quibuslibet votis simplicibus extra statum religiosum factis, vt in cap. 8. ostendam.

IV. Accedit quòd si Concilium voluisset Societatem ab hac regula excipere: id profectò aliquo modo insinuasset, sicut in cap. sequenti fecit excipiens Societatem à generali regula, quam tradiderat, vt expleto anno probationis, nouitij, vel eijciantur, vel ad professionem admittantur. Existimo enim illam exceptionem non solùm, vel potiùs non tam fuisse positam à Concilio propter professionem solennem, quæ post multos annos in Societate fit, quàm propter hanc incorporationem scholarium, quæ non post annum, sed post biennium fit. Nam solennis professio, ex ipsis verbis legis intelligi poterat excepta: quia lex illa solùm loquitur de professione, quæ immediatè post probationem à nouitijs fit, & per illam præcipuè voluit Concilium commendare, vt nouitij aliarum religionum non diutiùs, quàm per annum in nouitiatu detineantur: in Societate autem nec solet fieri professio solennis immediatè post nouitiatum, nec propter delationem eius detinentur nouitij diutiùs in probatione, sed iam religiosi in quodam inferiori gradu, & ideo ex ipsa forma talis legis videri poterat non comprehensa Societas quoad professionem solennem. Præcipuè ergo videtur Concilium per illam exceptionem concedere, vt nouitij Societatis vltra annum possint in probatione detineri, priusquam in quemcunque gradum huius religionis incorporentur: ergo nomine *professionis* intellexerat, non tantùm professionem solennem, sed quamcunque receptionem ad verum statum religiosum: ergo etiam in superiori capite eodem modo de professione loquutum fuerat.

Deniq; quanuis hæc lex videatur rigorem continere, tamen re vera potiùs cõtinet fauoris gratiam: V. amplianda ergo est ad totum statum religiosum. Antecedens declaratur, quia quòd professio fieri non possit intra annum nouitiatus, fauor est religiosi, quòd autem non fiat ante certam ætatem, publicã vtilitatem religionis respicit, vt dixit Nauar. cons. 25. de regular. quod incipit, *In ordine Minorum.* Vel certè (vt ego existimo) vtrumq; redundat in vtriusq; vtilitatem. Nam etiam est magnum cõmodum religiosi, vt non ligetur ante certam ætatem, in qua perfectiùs deliberare possit, sicut est commodum eius non posse ligari ante sufficiens vnius anni experimentum. Et è conuerso etiam hæc pars de integro anno nouitiatus publica vtilitas est religionis, quia non minus in eius fauorem, quàm religiosi introductus est nouitiatus annus, iuxta cap. *ad Apostolicam*, de regular.

Tertia conditio ad professionem necessaria est VI. vt non fiat ex metu cadente in constantem virum, de qua conditione eadem dubitatio, quæ de præcedentibus tractari potest, quia, vt diximus tom. super. hæc conditio non est necessaria iure naturæ ad valorem professionis, sed tantùm iure canonico. Et ideo dubitari potest an hic modus professionis, seu incorporationis nostrorum scholarium sub illo iure antiquiori comprehendatur. Eodem tamen modo affirmandum censeo. Primò, quia ius irritans religionis professionem ex metu factam, fundatur in difficultate & proprietate status religiosi, quæ in hoc statu inuenitur, quantum est ex parte obligationis, & mutationis vitæ ipsius religiosi. Secundò, quia caput vnicum *de his quæ vi*, in quo maximè illa conditio fundatur, licèt in particulari loquatur de muliere, quæ monachalem habitum in vita susceperat, metu mortis monasterij ingrediens, nihilominus definitionem continet generalem, & in ea non considerabatur, nisi *an timore mortis religionem intrauerit*, vt in fine textus dicitur. Quæ verba generalia sunt, & cum omni proprietate in hunc ingressum scholarium conueniunt. Vnde obiter infero hos scholares approbatos etiam comprehendi sub illo decreto Concil. Trident. sess. 25. cap. 19. de regular. *Quicunque regularis professus, siquis vim & metum ingressum esse religionem, aut etiam dicat aut etatem debitam professionem fecisse, &c. non audiatur nisi intra quinquennium, &c.* Nam idem quinquennij tempus existimo seruandum esse ad similem, seu proportionatum effectum, respectu votorum, seu incorporationis horum scholarium: atque adeo nomine *professionis* ibi comprehendi, quia illa etiam constitutio non respicit principaliter solennitatem voti, sed stabilitatem religiosi status, & quietè personarum regularium. Vnde (quod notandum est) idem significare videntur in illo cap. *ingressus religionis*, & *professionis*, quia clarum est non esse sibi sermonem de ingressu ad nouitiatum, sed ad ipsum religiosum statum; hunc enim oportet liberè fieri, & sine metu: constat autem sub nomine *ingressus religionis* comprehendi hunc ingressum scholarium: ergo etiam sub nomine *professionis*. VII.

Atque hinc etiam infero, eodem modo in hoc ingressu, sicut in quacunque alia professione, requiri conditionem quartam, nimirum, vt consensus præsti-

præstitus ad talem actum non sit per dolum, vel ignorantiam, vel deceptionem in re graui extortus. Imo in hoc res certior est, quia hæc conditio non iure positiuo, sed naturali necessaria est, eo quòd talis ignorantia non solùm faciat inuoluntarium secundùm quid, sicut metus, sed simpliciter causat non voluntarium, vt in superioribus declaratum est: consensus autem voluntatis tam necessarius est in hac incorporatione, sicut in quacunque alia.

VIII. *Professio & quanta multo magis quam in professione solenni*

De quinta verò conditione, quæ est libertas à legitima seruitute, nihil hic addere necesse est, quia iam suprà lib. 2. cap. 5. nu. 25. vidimus, licèt seruitus iure communi impediat, & non dirimat professionem subsequutam, ex speciali tamen iure Societatis esse impedimentum inhabilitans personam quandiu seruitus durat.

IX. *Similiter & sexta.*

De matrimonij etiam vinculo, cuius carentia posset, vt sexta conditio postulari, etiam ibidem à numero 22. diximus, quomodo in Societate necessaria sit, etiam ex proprio, & speciali iure illius, & ideo licèt hic etiam habere possit locum quæstio, an iura quæ irritant professionem factam ab vno coniuge sine licentia alterius post consummatum matrimonium locum habeant in scholaribus Societatis, tamen hic minus est necessaria, quia ex speciali iure Societatis constat hoc esse impedimentum irritans ingressum, atq; adeò inhabilitas personam ad quemcunq; gradum Societatis.

X. *In Societate professi, vxor vxoris scholarium valent à cõiugate emissa suscepti nolubere ab vxore.*

Imò licèt iure communi interdum valeat professio vnius coniugis, sine legitima conuersione alterius, qui licentiam dedit, cum moderationibus in iure expressis, & superiori tomo declaratis: nihilominus in Societate mihi probabilissimum est, nec professionem, neq; hanc scholarium admissionem validam esse, nisi plenè, ac perfectè tollatur illud impedimentum, quoad omnem obligationem reddendi vnquam ad consortium vxoris, vel reddendi debitum, etiamsi ipsa petat, quomodo non tollitur plenè hoc impedimentum, nisi cum facultate vxoris, simul concurrat legitima cõuersio eius. Hoc autem colligo ex ipso iure Societatis à Pontificibus confirmato. Nam in cap. 2. Examinis absolutè ponitur vt impedimentum irritans matrimonium consummatum. In cap. verò 3. lit. C. additur declaratio. *Nisi adsint conditiones illæ, quæ exigi solent, vt coniugatus religionem ingredi possit.* Et in 1. p. Constit. cap. 3. lit. F. apertiùs declaratur, tunc hoc definere esse impedimentum, quando à coniuge facultas concederetur, *seruatis aliis circunstantiis quæ tuxta sanam doctrinam, & vsum sanctæ Ecclesiæ solent obseruari.* Non ergo tollitur impedimentum per solam facultatem coniugis, nisi concurrant aliæ circumstantiæ, quæ omnino liberam, & expeditam relinquant personam, ad sumendum statum religiosum, & permanendum in illo sine vlla iniuria coniugis, etiamsi ipsa postea velit maritum reuocare.

XI. *Item & septima.*

Septimò loco diximus eodem tomo, ad has conditiones pertinere, vt persona professionem emittens in dignitate Episcopali constituta non sit. Circa quam nihil speciale est in Societate institutum, aut declaratum. Certum tamen existimo illud cõmune ius à fortiori habere locum in hoc ingressu Societatis, quia etiam in professione eius citra omne dubium locum habet: non enim potest Episcopus sine licentia Pontificis professus in Societate fieri: multò ergo minùs poterit in quolibet inferiori eius gradu constitui, nec de hoc oportet plura dicere: quia non solùm res clara est, verùm etiam casus in quo aliud contingat, vel intentetur, videtur moraliter impossibilis: quacunque autem ratione cogitetur, applicari ad illum potest tota doctrina circa professionem illo loco data.

XII. *Atque etiam octaua.*

Octaua conditio assignari potest, vt persona nõ sit ligata professione alterius religionis. Quæ quidem conditio ex iure communi solùm procedit de religione, quę strictior sit in Societate autem ex iure speciali extenditur ad quamcunque religionem, etiam laxiorem; imò non solùm ad professionem in illa, sed etiam ad primum ingressum, seu habitus receptionem: nam hoc est vnum ex impedimentis irritantibus ingressum Societatis, & quamcunq; incorporationem cum illa, vt in superioribus visum est, lib. 2. c. 1. à n. 16.

XIII. *Quid de naua conditione, ne grauiter egeant professuro parentes sui;*

Nonò impedire multum solet ingressum religiosis, saltem ne liceat, obligatio ad parentes grauiter indigentes, & ideò immunitas ab hac obligatione solet etiam inter conditiones ad professionẽ necessarias numerari. De qua nihil speciale in præsenti dicendum occurrit: nam commune ius, & generalis doctrina tom. super. data ad hanc etiam scholarium nostrorum admissionem applicãda est. Vnde quoad hanc partem non est dubium, quin sub *professionis* nomine comprehendatur. Ratio est, quia quantum est ex parte sua, ita se tradit, & obligat religioni, & muneribus eius ad diuina obsequia sic religiosus Societatis, sicut quilibet alius professus, quæ traditio, & obligatio ita est iniuriosa parẽti, sicut quælibet professio, quia ex se ita impedit obsequium eius. Tamen sicut professio facta contra huiusmodi debitum, & obligationem, non est ipso iure nulla, licet illicitè fiat: ita etiam in præsenti admissio, & vota scholaris indebitè facta contra eandem obligationem, non sunt irrita ipso facto, quia nullum est positiuum ius commune, aut proprium Societatis, quo irritentur. Neque etiam ex sola natura rei sequitur talis irritatio, quia vinculum ipsum religiosum non repugnat formaliter, cum illo debito ad parentes, sicut de professione dictum est: est enim in præsenti eadem, vel maior ratio, cùm hoc vinculum scholarium Societatis aliqua ex parte minus rigorosum sit. Quapropter ex peculiari instituto Societatis poterit ipsa in simili casu iure, ac meritò irritare tale vinculum quod aliæ religiones non possunt facta professione: quia neque ex intentione sua, neque ex approbatione Pontificum sibi reseruant talem facultatem in ipso cõtractu professionis, sicut reseruat Societas in hac scholarium admissione. Cùm autem facultatem habeat, & illa causa sit valdè iusta, præsertim quãdo debitum ad parentes antecessit ipsam incorporationem, non est dubium, quin licitè possit illam irritare, & scholarem liberum dimittere, vt parentibus inseruiat.

Societas licitè potest dimittere scholarem pro subueniendo parentis grauiter egenti;

XIV. *Non tamen tenetur dimittere vi talis indigentia.*

Quin potiùs quæri potest, an ad hoc etiam teneatur Societatis Prælatus? Sed in hoc eandem censeo rationem esse de Societate, & de quacunque alia religione, quantum ad obligationem dandi facultatem suis religiosis, iam incorporatis in quocumque gradu, vt parentibus indigentibus subueniant. Nam ius illud, quod sibi Societas reseruat ad dimittendum scholarem approbatum ex iusta causa, non inducit specialem obligationem dimittendi illum propter commodum parentum, quia ius illud non ad bonum aliorum, sed ad bonum ipsius-met religionis ordinatur. Deinde quia vel talis est casus, in quo teneatur Societas facultatem concedere religioso, vt subueniat parentibus necne? Si ad hoc non tenetur, multò minùs tenebitur dimittere illum, vt per se constat: si autem ad illud tenetur, considerandum vlterius erit, an retinendo statum religiosum, possit quis illi obligationi satisfacere, alia media, & industriam adhibendo religione retenta. Et tunc clarum est non teneri Societatem ad dimittendam omnino personam (quicquid sit an possit) quia obligatio illa solũ cogit ad necessaria. Loquor autẽ de obligatione illa ex vi sua, seu ex vi iuris talis parentis: Nam ex parte ipsius Societatis

Tenetur tamẽ aliquando

poterit ex vi sui debiti regiminis.

tatis poterit sæpe ad bonam eius conseruationem expedire, potius liberũ dimittere scholarem, quàm permittere, vt retento habitu, & nomine Societatis, ministerijs, & actionibus vacet, quæ subuentioni parentum poterunt esse necessaria, & tunc obligari poterit prælatus Societatis ad dimittendum subditum, non tam ex iure ipsius subditi, seu parẽtum eius, quàm ex vi sui muneris in ordine ad debitum regimen Societatis, vel certè ex coniunctione vtriusque: quia non potest alio modo vtriq; satisfacere, scil. parenti, & Societati. Discernere autem an hoc vel illud expediat, aut moraliter necessarium sit, negotium est prudentiale, & ideo iudicio viri prudentis relinquendum est, qui si recta intentione, & facta mediocri diligentia morali procedat, practicè coram Deo non errabit.

XV.

In obligatione certa ex dicta indigentia aequiparantur professis quibuscunque scholares Societatis.

Quando verò in huiusmodi euentu teneatur Societas facultatem concedere subdito, vt parenti subueniat, & ipse etiam teneatur illam procurare; eo quod parenti subuenire obligatus sit, censeo etiam ex generali doctrina superiori tomo data de religiosis professis, esse definiendam. Iudico enim quoad hanc partem & scholares in Societate approbatos esse æquales quibuscunque religiosis professis, & obligationem Societatis in eadem parte non esse maiorem, quàm sit in quacunque religione, propter fundamentum num. 13. & 14. insinuatum, scilicet, quia & hi religiosi Societatis æquè se tradunt, & moriuntur mundo ex parte sua, ac quilibet alij professi, & ius illud dimittendi, quod sibi Societas reseruat, non est propter alios, sed propter seipsam, suumque commune bonum. Quapropter multum hic referre existimo distinctionem citato tomo datam: considerandum nimirum esse, an necessitas parentis, & actualis obligatio filij antecesserit religiosum statum susceptum, vel postea necessitas exorta sit. Nam in hoc posteriori casu multo minor est obligatio tam religiosi, quàm religionis, & ideo in illo religiosus Societatis satis erit securꝰ in conscientia explicãdo religioni necessitatem parentis, & postea obediendo religioni, & sequendo iudicium eius, quia in eo casu maius fine dubio est ius religionis, & religiosus non potest ipsa inuita, & cum aliquo eius præiudicio, parenti subuenire: neque ipsa etiam ad hoc tenetur concedere facultatem cum aliquo præiudicio suo, sed solum poterit obligari ex charitate, quando magnum religionis incommodum non intercedit. At verò in priori casu, quando necessitas præcessit, & durat, multò maior est obligatio tam religiosi, quàm religionis. Ad vtrumq; potest applicari doctrina sæpius relata: nihil enim hic speciale occurrit, præter id quod annotauimus de facultate peculiari, quam habet Societas ad liberum dimittendum religiosum in eo euentu.

Distinctio de indigentia parentum ante vel solùm post professionem filii.

XVI.

Decima conditio ad professionem quousq; locũ habeat in dictis scholaribus.

Decimò inter has cõditiones ponitur, vt religionem professurus, non sit alijs debitis, aut reddendis rationibus obligatus. Hanc ergo obseruari etiam necesse est in admittendis scholarib. Societatis: nã quoad hoc etiam eorum vinculum cuicunque professioni æquiparatur, vt in proximo puncto explicatum est: procedit enim hic eadem ratio. Quia verò per hæc vota scholarium Societatis, non statim amittitur omnium bonorum proprietas, licèt ita ligetur, vt iam non liceat vti illis, vt propriis: ideo ex hac parte sæpius fieri potest, vt debita minùs impediant hoc vinculum cum Societate quàm professionem. Similiter, quia hæc vota non faciunt incapacem hæreditatis propter certam spem illius, posset aliquando esse licitum hoc vinculum, non obstantibus debitis, quando non est licita professio: præsertim si manẽdo in seculo, nõ aliunde sperare-tur facultas soluendi debitũ, quã ex tali hæreditate, quia tunc non fieret impotentior ad soluendũ per huiusmodi vota. Atque eadem ratione, si quis habens debita propter impotentiam soluendi admittatur ad hæc vota, & postea casu eueniat, vt in aliqua hæreditate succedat, tenebitur priora debita soluere: nec Societas poterit illum impedire, quia obligatio non fuit extincta, sed impotentia solum excusabat: quòd in Societate multo facilius est, cum ipsa nullum acquirat ius, nec succedat in bonis religiosorum, nisi ei voluntariè donentur. Solutio autem debitorum præferri debet donationi voluntariæ, etiam piæ. Atque hæc de conditionibus ex parte vouentis.

CAPVT VII.

Quæ conditiones requirantur ex parte religionis, vt vota scholarium valide fiant.

QVod attinet ad conditiones requisitas ex parte religionis, quas iam tomo superiori assignauimus, eę omnes in hac etiam receptione necessarię sunt, retenta solùm differentia in modo acceptandi traditionem religiosi, & obligandi religionem ipsam. Iam enim suprà cap. 1. à numero 6. explicauimus Societatem in hac receptione scholarium non simpliciter obligari, sed retinere, ac reseruare sibi potestatem eos dimittendi liberos simpliciter, etiam quoad vinculum, si id expedire censuerit. Nihilominus commune est his votis, & incorporationi scholarium cum quacunque alia professione, vt non possit fieri ab ipso vouente solitariè, aut omnino secretè: talia enim vota non sunt vota Societatis, neque habebunt vim incorporandi in illam, & consequenter nec religiosum statum constituent. Oportet ergo vt fiant coram aliquo, qui potestatem habeat incorporandi in Societate in tali gradu, & consequenter ad hunc effectum illa accepter, & ipsam religionem obliget modo debito, & proportionato, quem magis in 9.c. declarabimus. Sicut ergo acceptatio religionis necessaria in præsenti est, ita ex parte religionis necessariæ sunt conditiones, quæ in alijs religionibus ad professionem necessariæ esse solent. I. *Scholarium receptio non est simplex acceptatio.* *Pars ius retinendi.* *Retinere obligandi.* *Retinere dicitur.*

Prima conditio religionis est, vt sit approbata per Apostolicam Sedem iuxta cap. vltim. de relig. domib. & vnicum eodem tit. in 6. Hanc verò conditionem in Societate inueniri satis in superioribus probatum est. Fuisse autem necessariã, vt talia vota licitè, & validè fieri possint, in ipsismet bullis Pontificiis pro certo supponitur, estque manifestum ex dictis iuribus, vbi omnis noua religio prohibetur, nisi specialiter fuerit à Sede Apostolica approbata: & præcipitur, vt omnis qui in religione conuerti voluerit, vnam ex approbatis assumat. Certum est autem, per hęc vota, & receptionem in Societatem, ita aliquem conuerti ad verum statum religiosum: ergo non potuissent habere hanc vim, nisi talis religio fuisset ab Ecclesia approbata. Et ob hanc rem quanuis à principio ita fuerit approbata, vt potestas recipiendi esset ad certum numerum limitata, id satis iudicatum non fuit, vt plures recipi possent non solùm licitè, verùm etiam nec validè quoad religiosum statum, & ideo ab eadem Sede Apostolica approbatio facta est, & potestas collata absque vlla numeri determinatione. II. *Prima conditio religionis est approbata.* *Approbata.* *Approbatum.* *Approbatio.* *Confirmata religio.*

Secunda conditio necessaria est, vt hæc vota fiant coram illo, qui potestatem habeat admittendi in corpus Societatis, iuxta eiusdem Societatis constitutiones. Patet primò ex generali ratione, quia admittere aliquem in membrum alicuius communitatis, est actus potestatis superioris, siue illa potestas in tota cõmunitate, siue in capite residеat. Secundo id patet ex constitutionibus Societatis: nam III. *Secunda conditio est vt hæc vota fiant coram illo.* *Admittendi.* *Admissio.* *Admissus.* *Ad professionem.*

propter-

Propterea ſtatim in 1.p.cap.1.agitur de poteſtate admittendi ad probationem apud quem reſideat ; & in 5.p.in qua agitur de incorporandis in Societate, ſtatim in c.1.agitur de eo qui talem poteſtatem habet, & poteſtas illa dicitur eſſe penes Præpoſitum generalem, qui aliis eam communicare poteſt, prout oportuerit. Et in declaratione liter. B. aduertitur ordinariè communicari Prouincialibus, aliquando verò cõmunicari poſſe Rectoribus, vel Præpoſitis, vel aliis perſonis Societatis, vel alicui etiam extra Societatem, vt Epiſcopo, vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſi alicubi perſona Societatis deeſſet. In hoc tamen aduertendum eſt, aliud eſſe loqui de poteſtate ferendi vltimum iudicium, quaſi definitiuum, an aliquis ſit recipiendus in hũc gradum Societatis necne ? aliud verò de poteſtate exequendi ipſam receptionem actualiter, aſsiſtẽdo emiſsioni votorum cum poteſtate admittendi illa. Quamuis ergo vtraq; poteſtas ordinariè ſit in Prouincialibus, tamen regulariter exercent illam quoad primum actum per ſeipſos ; poſteriorem autem ſuperioribus localibus committunt.

Notatio.

IV. *Quorundã obiectio.*

Non deſunt tamen, qui in hac parte etiam, contra Societatem obmurmurent dicentes, poteſtatem incorporandi religioni, quæ grauiſsima eſt, non debere eſſe in vna ſola perſona, ſed in toto conuentu Prouinciali, vel ſaltem locali prout in aliis religionibus obſeruatur, in quibus licet profeſsio fiat in manibus alicuius Prælati, tamen admiſsio ad profeſsionem fit à Capitulo, vel ſaltem de cõſenſu aut conſilio ipſius Capituli. In aliquibus enim religionibus admiſsio ſit ad plura ſuffragia deciſiua ; in aliis verò, vel etiam iure communi (vt Iuriſtæ volunt) fit ab Abbate præmiſſo conſilio Capituli, ita vt ſine illo profeſsio non valeat. In Societate verò neutro modo neceſſarium eſt communitatis conſilium, vel iudicium, ſed totum negotium in vnius hominis poteſtate conſtituitur : quod incongruum iudicatur : tum quia cùm religioſus ad vitam communem cum omnibus agendam recipiatur, ab omnibus recipi deberet ; tum etiam quia faciliùs contingere poteſt, vt vnus odio, vel amore moueatur, quàm plures, aut vt erret recipiendo indignum, vel dignum repellendo. Et ideo Baſilius regula 112. ex breuioribus hanc quæſtionem proponens, conuenientius iudicat, receptionem cum fratribus communicari.

Confirm. ex Baſilio.

V. *Diluitur.*

Hæc verò obiectio generalis eſt de toto regimine Societatis, quod monarchicum eſt, de quo inferiùs lib. 10. diſputabitur. Nunc breuiter reſpondetur, conſtans eſſe apud Philoſophos, & Theologos hũc modum regiminis ex ſuo genere meliorem eſſe, paucioribuſque incommodis expoſitum, vt Chriſtus Dominus exemplo ſuo, in ſuæ Eccleſiæ inſtitutione confirmauit. Cùm ergo totiùs religionis regimen monarchicum ſit, neceſſarium fuit in poteſtate admittendi eandem formam ſeruari, quæ re vera, moraliter loquendo, nullis ferè eſt periculis expoſita, & ſi quæ ſunt, & rara, & particularia ſunt, quæ in legibus ferendis nõ conſiderantur ; cui enim totius Societatis, vel alicuius prouinciæ eius cura committitur, de eius prudentia, ac religione præſumi debet, vt etiam facultas admittendi, ſeu approbandi ſcholares, ei poſsit demandari, præſertim cũ præmiſſo grauium, & prudentum virorum conſilio id ſemper faciat, ac facere debeat ; atque hoc modo vitantur magna incommoda, & diſſenſiones, quæ ex varietate iudiciorum, & affectuum in huiuſmodi capitulis oriri ſolet. Baſilius autem in dicta regula ſolùm indicat conueniens eſſe communicari cũ fratribus huiuſmodi receptionem, vt & oratio aliorum pro aliis viciſsim communis ſit, & cõmune inter ipſos ſit gaudium, ſicut Dominus dixit, in eo qui pœnitentiam agit conuocandos eſſe vicinos, & amicos : itaque non dicit conuocandos eſſe ad ſuffragium, ſed ad congaudendũ de nouo fratre, quod maximè in Societate obſeruatur. Et quamuis Baſilius de ſuffragiis loqueretur nihil nobis obſtaret, quia modum alium recipiendi ad profeſsionem, nõ improbamus, qui fortaſſe in aliqua religione poterit eſſe commodior iuxta modum ſui inſtituti, ſed ſolùm aſſerimus Societatem meritò prædictũ modum elegiſſe ſuppoſito modo obedientiæ, & regiminis, quem profitetur ; & ideò inter alia inſtituta Societatis, hoc etiam Sedes Apoſtolica approbauit. Et quamuis Sixtus V. ſpecialem formam recipiendi omnibus religionibus generalem poſtea inſtituerit, ſtatim etiam ante declarationem ſuam, Societatem ab illo onere recipiendi per ſuffragia Capituli liberauit, quoad hoc etiam tacitè hoc inſtitutum approbans ; ſi quid verò aliud ex forma ab ipſo alias præſcripta in Societate retineri voluit à Gregorio XIV. reuocatum eſt, qui antiquum morem Societatis circa hoc approbauit, & retineri voluit, cuius verba ſupra retuli lib. 2. cap. 3. num. 13. in fine.

VI. *Tertia conditio debet etiam admittentem præbere conſenſum.*

Tertia, & vltima conditio ex parte admittentis ad profeſsionem erat, vt Prælatus nomine religionis liberum conſenſum adhibeat. Hanc ergo etiam in hac receptione neceſſariam exiſtimo, quia nulla traditio conſummata eſt, niſi ab altero acceptetur ; acceptatio autem non conſiſtit in ſolis verbis, ſed requirit interiorem cõſenſum. Dicunt verò aliqui, eo ipſo, quòd talia vota à Sede Apoſtolica approbata ſunt, per approbationem talis religionis, ſi publicè fiant coram ſuperiore religionis eiuſdem, ab ipſa Eccleſia acceptari, vel ab ipſo Deo, cui talia vota fiunt. Reſpondetur falſum hoc eſſe, quia alias, etiãſi Superior per vim cogeretur talia vota audire, ipſe verò non præberet conſenſum, neque haberet intentionem admittendi talem perſonam, nihilominus receptio eſſet valida, quod apertè falſum eſt, & incredibile, quia illa præſentia valde materialis eſt, &, ſecluſa intentione, non habet concurſum moralem, neque vtitur poteſtate admittendi ſibi cõceſſa, quia illa poteſtas etiam eſt moralis, & ideo non applicatur ad opus, niſi ex intentione operantis. Quare falſum eſt Eccleſiam in eo caſu admittere illam perſonam, vel eius vota : quia Eccleſia, vel Pontifex non admittit immediatè per ſe ipſum ſed per Societatem : neque hęc admiſsio fit ipſo iure, ſed poſtulat actionem hominis, quæ actio non eſt ſine voluntate, & conſenſu, ſicut ſeruatur in omnibus cõtractibus, & actionibus moralibus. Neque enim ſolus Deus immediatè acceptat talia vota, ſed per Societatem, cui proximè fit traditio talis perſonæ ; & ideo etiam Deus illam non acceptat niſi per Societatem ; vota autem ſunt veluti annexa huic traditioni, & ideo cum illa acceptantur, & nõ aliàs. Quoad hanc ergo partem æquiparatur hæc incorporatio profeſsioni, & quę de hac diximus hic applicanda ſunt.

VII.

Præter hæc quæ ex parte religioſi, & religionis ſunt neceſſaria, in forma ipſa profitendi, oportet etiam debitum modũ obſeruare, quod etiam in præſenti ſeruata proportione neceſſarium eſt, & quę de profeſsione diximus, etiam in hoc puncto locũ habent. Omnia verò ſufficienter explebuntur, ſi forma ad admittendos ſcholares approbatos præſcripta in conſtitutionibus Societatis p. 5. cap. 4. obſeruetur ; nam in illa tria vota, & promiſsio Societatis expreſſe proferuntur ; traditio verò, & acceptatio ipſo actu vouendi tali modo, & cum talibus circũſtantiis ſufficienter ſignificatur, maximè cum in forma vouendi addatur, *Omnia intelligendo iuxta eiuſdem Societatis conſtitutiones.* in quibus ſatis declaratum eſt, per hanc actionẽ incorporari talẽ perſonam, huic religioni in tali gradu, quod non ſit ſine

Explicatur Baſil.

traditione ex parte vnius, & admissione ex parte alterius. Quod si quis interroget, an omnia, quæ in illa forma continentur, sint de substantia, & valore huius incorporationis. Respondendum est ad tollēdum omne dubium optimum consilium esse formam illam integrè seruare; in rigore tamen loquēdo, non tota forma verbalis, quæ ibi proponitur, neque omnes circumstantiæ ibidem adhibitæ, videntur esse de substantia, sed solùm ea verba, quæ ad exprimenda vota, & promissionem pertinent, sufficienter explicando illa fieri in Societate; nam ad explicandam traditionem, & omnem obligationem hæc sufficiunt Oportet etiam, vt hoc publicè fiat, ita vt præter eum, qui potestatem admittendi habet, aliqui adsint, quorum testimonio de huiusmodi receptione, & incorporatione constare possit; quod quidem in citato capite 4. liter. D. expresse postulatur. Et est re vera valde necessarium, & omnino seruandum. Non dico autem esse simpliciter de substantia, & de valore actus in foro conscientiæ, quia id neque ex natura rei necessarium est, neque ex communi iure sufficienter colligitur, neque in illo iure speciali Societatis declaratur.

CAPVT VIII.

Vtrùm in scholaribus Societatis tacita professio seu incorporatio locum habeat?

I. *Partis affirmatiuæ assertio.*

HIc verò quæstio suboritur, an in hac incorporatione scholarium Societatis, quam tractamus, locum habeat professio, seu incorporatio tacita? Nam illa quæ iuxta prædictam formam fit, expressa est: in aliis autem religionibus, quamuis forma expresse profitendi præscripta sit, nihilominus locum habet tacita professio; ergo idem erit in hac incorporatione scholarium, cum ratione substantialis vinculi cum religione, conueniat cum professione; & differentia in solennitate non videtur ad præsens referre; imò quò vinculum hoc minus solenne est, eò videtur melius posse tacitè fieri. Nihilominus Nauar. Comment. 4. de regularib. num. 76. circa finem, generaliter dicit, in Societate non fieri professionem tacitam; & licet in his verbis, de professione solēni loquatur, in ratione tamen, quam subdit, supponit scholares non posse admitti, & approbari, nisi per formam expressam, sic enim inquit. *In illustrissimo Societatis IESV ordine non videtur fieri professio tacita, per solam gestationem habitus, per vnum vel plures annos, quia oportet biennio gestare illum in eo, & biennio expleto, emittere saltem simpliciter tria vota religionis substantialia.* Quæ verba intelligenda videntur de emissione votorum expressa, alias ratio nullius momenti esset, quia si priora vota possent tacitè emitti, cur non sequens professio? Non probat Nauarrus assertionem suam aliqua ratione. Potest autem ex peculiari instituto Societatis ita suaderi, quia professio tacita non fit, nisi gestando habitum professorum, vel etiam eorum proprios actus exercendo. c. *vidua. c. ex parte. c. statuimus.* de regular. & cap. 1. eodem in 6. quod superiori tomo explicatum est. In Societate autem, neque est peculiaris habitus, nec ferè sunt peculiares actus scholarium approbatorum, & ideo non videtur habere locum in hac religione tacita approbatio, seu incorporatio. Aliquando enim nouitij eundem habitum communem cum scholaribus gestantes, studiis vacare permittuntur, & cum iisdem communem vitam agere, & ideo nullum intercedit signum tacitæ incorporationis.

Negantem partem tradit Nauar.

Argumentum pro Nauarro.

II. *Impugnatur hoc argumentum.*

Sed hæc ratio non videtur concludere; nam secundùm iura citata, etiam vbi habitus professorum non est distinctus ab habitu nouitiorum, gestatio habitus religionis, post integrum annum nouitiatus, inducit tacitam professionem; ergo etiam in Societate perseuerantia in eodem habitu post biēnium nouitiatus, inducit tacitam emissionem votorum, etiamsi habitus scholarium, per se non sit distinctus ab habitu nouitiorum. Neque enim refert, quod habitus totius religionis est communis cum habitu honestorum clericorum; tum quia hoc nihil facit, ad distinguendum scholarem a nouitio in tali religione, & ideo satis est gestare illum habitum tanto tempore in tali religione, quatenus illius est; tum etiam, quia licet ille habitus sit communis, semper est aliquo modo appropriatus ad specialem honestatem, & normam religionis, & hoc modo, supponitur gestari vltra biennium. Accedit, quod licet in Societate non sint peculiares actiones propriæ eorum, qui vota emiserunt, vt sunt adesse Capitulo, ferre suffragiū, & huiusmodi, semper est aliquo modo diuersus modus viuendi nouitiorum, & aliorum, qui iam sunt membra Societatis; aliterque dispertitæ sunt nouitiorum, atque scholarium occupationes: ergo si contingat, aliquē post biennium perseuerare in eodem habitu, & admitti ad vitam communem omnino cum scholaribus, cēsendus erit tacitè admitti ad membrum Societatis, & vota eius emisisse. *Confirmatur ratio.*

III. *Auctoris resolutio propria.*

Quocirca, si solum ius commune consulamus, nō video cur hoc genus professionis, vel incorporationis tacitæ, iuxta iuris præsumptionem locum habere in Societate non possit, vt ratio proximè facta suadet. Tamen si considerentur, tum ius proprium Societatis, & institutum diuersum, ab aliis religionibus, tum vsus etiam, ac modus procedendi eius, rectè existimo dictum esse à Nauarro, in hac religione non esse tacitam professionem: id verò in vniuersum accipiendum esse de tacita incorporatione, & *regulariter, ac per se* intelligendum puto; nam ex accidenti non repugnat aliquando inueniri. Declaro, & probo singula; nam in primis in Societate, tēpus nouitiatus, non ita est ad biennium limitatum, vt illo finito statim ex lege præscripta incorporandus sit nouitius, sed superioris iudicio committitur, an illud tempus prorogandum sit, vt habetur in Examine c. 1. numero 12. & cap. 4. numero 43. & part. 5. cap. 1. in fine, & ideo perseuerantia, vltra biēnium, in quocunque genere actionis, non est per se sufficiens signum incorporationis. Secundo, potestas admittendi, non est in particulari conuentu, seu Collegio, sed regulariter est commissa Prouinciali, & ideo donec ipse expresè consentiat, saltem si abfit ab eo loco Prouincialis, cum dici tunc non possit, eo sciente, & consentiente, fieri tacitam admissionem, non censetur quis incorporatus, etiamsi diutius permaneat. Tertiò in Societate sunt varij gradus post nouitiatum, & ideo oportet determinari, ad quem illorum admittatur nouitius, quod per solam tacitam admissionem non rectè fit. Nam licet ordinarie admittatur prius nouitius ad gradum scholarium, tamen ille ordo non est per se necessarius, sed aliquando potest statim ad alium gradum admitti, vt ex citatis Constitutionibus constat, & ideo per se necessaria est expressa admittentis determinatio. *Declaratur primo.*

IV. *Declaratur secundo.*

Iam verò in Societate consuetudo est, vt scholares approbati, sexto quoque mense, vota sua expresse renouent eadem forma, qua in principio illa emiserunt, ad quem actum cum eis efficiendum, nullus admittitur, qui prius expresse incorporatus non fuerit, iuxta cap. 4. p. 4. Const. §. 5. licèt alias possint nouitij priuatim vota emittere, & renouare si velint, iuxta cap. 4. p. 5. Constit. Ergo quamdiu nouitius non admittitur ad vota, cum scholaribus renouanda publicè, & coram superiore, vel alio, qui vicem eius teneat, non censetur, nec tacitè, nec expresse *Declaratur tertio.*

expresse admissus in corpus Societatis. Si autem ad illum actum admittatur, cùm prius vota expresse non emisisset, ex tunc censebitur incorporatus, non tacitè, sed expresse, & respectu illius illa non erit renouatio, sed noua emissio, & admissio; si tamen ad illius valorem conditiones necessariæ lib. 2. c. 1. positæ concurrant, alioqui nihil fiat. Tandem ob has fortè causas, hæc est Societatis cõsuetudo, quæ plurimum valet, maximè in his, quæ consistunt in præsumptione, & interioris animi significatione per facta: nam si iuxta consuetudinem tale factum non habet talem significationem, cessat præsumptio, ita verò est in Societate: nam licet quis, vltra biennium, per plures dies, vel menses, in Societate viuat, nunquam censetur in corpus admissus, donec expresse iuxta formam consuetam voueat; ergo signum est non esse in Societate tacitam incorporationem.

Collisem.

V. *Declaratur tertia pars, quod ex accidente possit tacita approbatio fieri in Societate.*

Dixi autem *per se, ac regulariter*, quia interdum ex accidente, videtur hoc posse contingere; præsertim quando præcessit expressa admissio, quæ ex defectu alicuius conditionis fuit nulla, vt si quis v. g. ante expletum 16. annum ætatis vota scholarium emittat; tunc enim nulla est incorporatio iuxta decretum Concil. Trident. prout suprà in cap. 6. à num. 3. à nobis explicatum est. In huiusmodi ergo euentu censeo defectum illum posse suppleri per tacitam incorporationem eo modo, quo in tom. super. diximus, suppleri in aliis religionibus similem defectũ per tacitam professionem, dummodo ex parte professis sufficiens scientia, & voluntas concurrat, quod etiam in præsenti necessarium est ob eandem causam. Ratio autem est, quia in eo casu iam præcessit sufficiens admissio, seu professio exterior, & ex parte religionis, intercessit consensus de se sufficiens, & satis explicatus, qui licèt tunc non habuerit effectum propter impedimentum subiecti, de se semper permanet, quamdiu nõ retractatur, & ideo statim ac impedimentum tollitur, per complementum ætatis, incipit habere effectum, si religiosus ipse semel consentiat. Huius autem consensus sufficiens signum præbet, in eodem statu vitæ perseuerando, post completam ætatem; & tunc dico fieri tacitam incorporationem, quamuis non sit omnino pura, aliquid enim participat ab expressa, quæ præcessit. Atque hoc quidem maximè locum habet in foro conscientiæ, quando reuera talis persona rata habuit superiora vota; nam si re vera non consensit, exterior præsumptio nihil refert ad conscientiæ forum.

Ratio quantum ad forum conscientiæ.

VI. *Quid quoad forum externum, seu de quinquennio præscripto à Tridentino, ad reclamandum?*

Quoad externum autem forum censeo habere in eo casu locum legem statutam à Concilio Tridẽtino, vt intra quinquennium, & non vltrà, audiatur religiosus, qui prætendere voluerit professionem suam fuisse nullam; nam sub professione ibi hanc incorporationem comprehendi citato tom. ostendimus; & ideo dubium non est, quin ante quinquẽnium transactum, audiendus sit quilibet de Societate, qui hanc nullitatem velit prætendere, quia nulla est ratio cur repellatur, maximè, quia quoad hanc partem, Concilium non dat nouum ius, sed solùm nõ aufert antiquum. At verò in altera parte, quòd post quinquennium non audiatur, dubitari posset, si in Societate nunquam haberet socium incorporatio tacita. Ego tamen sine dubio existimo hanc partem seruandam esse in Societate; quia nec Concil. Trid. neque aliud ius commune, excluditur à Societate hanc reualidationem; neque etiã excluditur per aliquod ius expressum ipsius Societatis; & coniecturæ in priori pũcto adductæ, licèt vim habeant quoad primam emissionem, cessant tamẽ in ratificatione eius emissionis, quæ præcessit, vt facile considerati constabit, & ideo nõ dubito, quin in foro exteriori supponendus sit potius, quàm iudicandus verus religiosus, qui tanto tempore in Societate, & in tali eius gradu, perseuerauerit, nisi aliunde vel ignorantia prioris defectus, vel impotentia petendi antea ius suum, sufficienter probetur, sicut de aliis religionibus diximus eodem tomo. In hoc enim nullam constituo differẽtiam, neque arbitror Nauar. contrarium sensisse, quia non de ratificatione, sed absolutè de professione, & emissione votorum locutus est.

Atque hinc tandem obiter intelligi potest, an hęc vota scholarium, aliquando possint esse nulla, & quomodo reualidari possint; nam in hoc, idẽ sentiendum est de hoc vinculo, quod de professione, vt in allegato tomo declarauimus. Considerandæ enim sunt conditiones necessariæ ad valorem huius actus, quæ iam explicatæ sunt; nam ex defectu cuiuscunque illarum erit nullus talis actus; quia sicut ad valorem requiruntur omnes simul conditiones, ita ad nullitatem sufficit cuiuscunque defectus. Deinde addendum est, quoties actus ipse incorporandi nullus est, etiam omnia vota esse nulla, *per se* loquendo, quia solùm fiunt annexa tali actui, & vt in tali religione seruanda. Dico autem *per se*, quia interdum ex iure positiuo, relinqui potest obligatio seruandi aliquod votum. v. g. castitatis, vt de coniuge sine licentia alterius coniugis professo, iura statuunt, quæ in his etiam religiosis Societatis locum habere opinor; quia iura generatim, de assumptione status religiosi loquuntur, vt patet ex c. *placet*, cum similibus de conuers. coniugat. Hæc ergo omnia, & similia, seruata proportione, in hoc statu Societatis, locum habent. Et eadem ratione in reualidando actu, si nullus fuerit, eadem seruanda sunt, quæ in professione nulla reualidanda iuxta dicta in præcedenti tomo, ac etiam proximo superiori puncto.

VII. *Quando nã scholarium Societatis admissio inualida sit, & quomodo reualidetur?*

CAPVT IX.

Quibus modis possint dissolui vota scholarium Societatis.

DE causis concurrentibus, ac necessariis ad hoc vinculum perficiendum sufficienter in superioribus capitibus dictum est, de effectibus etiam eius, non est visa necessaria specialis quæstio, quia à capite tertio per necessariam occasionem omnes explicati sunt, & sub hac generali regula comprehendi possunt, habere scilicet hoc vinculum omnes effectus, quos habet religiosa professio, his exceptis, quæ specialiter ex solennitate ipsa votorum oriuntur, de quibus etiam quatenus ad singula vota pertinere possunt, in libro sequenti dicemus. Solùm igitur superest, vt de indissolubilitate huius vinculi, & modis, quibus auferri potest, dicamus. Duobus autem vel tribus modis, potest tale vinculum, sicut & obligatio voti auferri, commutatione, dispensatione, & irritatione.

De Commutatione.

I. *De statu scholarium Societatis fit commutatio valida ad quamcunque aliam religionem absque Pa. licentia.*

De hoc primo modo nulla est difficultas, quia si commutatio fiat in melius, vel æquale, non tollitur vinculum status religiosi, sed vnum mutatur in aliud, quod certum est etiam in professione solenni nõ repugnare; solùm oportet illud obseruare, quod iure Pontificio circa hoc statutum, & declaratum est, scilicet, nec licitè, nec valide posse fieri talem cõmutationem ab hoc statu, & gradu Societatis propria authoritate, sed necessariam esse Pontificis dispensationem, vt cap. 4. satis dictum est. Vnde à fortiori constat, magis esse necessariam, vt commutatio fiat in laxiorem statum, etiamsi ille religiosus sit. Si autem fiat in quemcunque statum non

non religiosum, vt v.g. in statum clerici, vel continentis secularis, illa potius reputabitur dispensatio simpliciter, vel eadem erit de illa ratio; & ideo de commutatione nihil amplius dicere necesse est.

De Dispensatione.

II. *Resolutio certa, dispensari posse scholarium Societatis vota.*

Venio ad dispensationem, de qua omnes moderni, qui post bullas præsertim Gregorij XIII. de his votis verbo, aut manu scriptis, potiùs quàm libris disputarũt, pro certo supponere videntur, hoc vinculum, & vota posse auferri per dispensationem, quod sentiunt etiam illi, qui putant votum professionis esse indispensabile: quia cũ videant hoc vinculum sæpe auferri, inde inferunt posse etiam dispensari. Quin potiùs modernus ille, cuius meminimus in cap. 3. & contra quem Gregor. XIII. definiuit, dixit hæc vota, atque adeò totum hoc vinculũ per Episcopum dispensari posse. Veruntamen illatio illa formalis, & efficax non est; nam sæpe votum potest ab aliquo irritari, à quo non potest dispensari, vt per se constat in parente, marito, &c. ergo eadem ratione non repugnat aliquod votum esse irritabile, & non esse dispẽsabile. Ratio autem à priori est, quia votum est irritabile ex aliqua intrinseca conditione, quam includit, ratione cuius pendet à voluntate alterius; & ideo non est necessaria specialis potestas iurisdictionis ad irritandum illud, sed solùm quòd conditio inclusa pendeat ex alterius voluntate: dispensabile autem est votum, per potestatem extrinsecam dispensantis, quam oportet esse diuinam, seu à diuina participatam. Potest ergo votum esse irritabile propter conditionem inclusam; & nihilominus stante conditione non esse dispensabile per hominem, si non constet, habere à Deo talem potestatem participatam. Posset ergo aliquis ita sentire de his votis, quamdiu scilicet non irritantur, indispensabilia esse: sicut multi asseruerunt, votum simplex castitatis non esse dispensabile, posse tamen irritari à Papa, quia includit hanc conditionem; nisi Pontifex aliud iusserit, vel iudicauerit. Quæ sententia licet quoad factum falsa sit, non tamen impossibilis. Cùm ergo in his votis Societatis constet de conditione inclusa, erunt irritabilia: vnde verò constet per potestatem superioris Societatis esse dispensabilia hoc inquirimus: nam quòd dispensabilia sint à Sede Apostolica, negare non possumus; id enim expresse asserit Gregor. XIII. in Constitut. *Ascendente Domino*, vbi non sine mysterio distinguit inter verbum *dispensari*, & verbum *cassari*. Et dicit talia vota per solam Apostolicam Sedem dispensari posse; cassari autem posse per solam dimissionem à Societate. Ratio ergo cur dispensari possint, quærenda est.

III. *Aliorum ratio sumpta, ex differentia solenniũ votorum à non solennibus impugnatur.*

Profectò, qui sentiũt professionem esse indispẽsabilem, nullam efficacem rationem ad hoc afferre possunt; nam si quod est probabile fundamentum illius sententiæ, maximè illud est, quod licet Deus dederit Pontifici potestatem ad dispensandum in promissionibus sibi factis, non tamen in traditione. At hæc ratio etiam in hoc vinculo locum habet, quia per veram etiam traditionem contrahitur, vt Gregor. Pontifex declarauit. Dices esse differentiam inter has traditiones: nam in professione est omnino absoluta, cum reciproca obligatione simpliciter ex parte religionis: in hoc autem vinculo traditio includit conditionem, & libertatem ex parte religionis. Sed contrà, nam esto hoc ita sit, nihilominus vtraque traditio extra ordinem promissionum cõstituitur, & sub genere traditionis collocatur: ergo si Christus solùm dedit potestatem ad dispensandum in promissionibus Deo factis, nulla ex illis traditionibus dispensari potest. Quod si non dedit tantùm ad promissionem, sed etiam ad aliquam traditionem, quo fundamento dici potest iure diuino factam esse, quoad hoc distinctionem inter illa duo genera traditionum; aut vbi tale ius diuinum ostendi potest; ergo si vna traditio indispensabilis dicitur, satis probabili, & consequenti ratione, idem dicitur de altera. Eo vel maximè, quia donatio alicui facta sub hac tantùm conditione, *vt duret quandiu ipse voluerit*, profectò satis firma est & absoluta, vt stante voluntate retinendi talem rem, non possit illa priuari sine iniustitia; ergo si ob hanc causam traditio absolutè facta in religione dicitur indispensabilis, eadem ratione traditio hæc, *quamdiu religio voluerit retinere religiosum*, erit indispensabilis. Quod etiam illud confirmat, quòd conditionalis posita conditione transit in absolutum; ergo similiter traditio includens conditionem non minus firma est, & indispensabilis, quàm traditio absoluta. Tandem quia sicut vna traditio quantum ad cõmunem rationem religiosi status, est de iure diuino, ita & alia: & sicut vna quoad modum determinata est, & approbata per Ecclesiam, ita & altera: & vtraque etiam constituit hominem verè, ac propriè religiosum, & dicatum Deo. Est ergo vtriusque vel eadem ratio, vel adeò similis seu propinqua, vt cum fundamento non possit de vna affirmari, quod de altera negatur.

IV. Vt ergo cum solido fundamento asseramus, (vt reuera asserendum est,) hoc vinculum posse per dispensationem auferri, ab ipsa professione solenni sumendum est argumentum; nam Pontifex potest in illo dispensare, vt tom. super. ostendi; ergo & in hoc vinculo. Item fundandà est assertio in illo principio, quòd vniuersalis potestas Pontificis data ad soluendum non solùm includit potestatem dispensandi in promissionibus Deo factis, sed etiam in traditionibus, seu in personis Deo traditis, eo modo quo in homine locum Dei tenente, vel religione, potest fieri traditio. Quod etiam principium satis eo loco ostensum est: nec video, ex quo alio principio magis proprio, & speciali, hoc probari possit, si cum fundamento loquendum sit. Quæ omnia adnotauerim, vt intelligatur quoad potestatem dispensandi, eandem omnino esse rationem de hoc vinculo, & de quacunque professione religiosa.

V. Ex quo infero primò, rationem à priori, cur Episcopus, vel quicunque Prælatus inferior Pontifice, non possit in hoc vinculo dispensare. Hoc enim verum est non solùm, quia includit vota reseruata castitatis, & religionis, sed etiamsi illa per se aliàs reseruata non essent, quia includit veram traditionẽ religiosam, in qua nullus alius præter Pontificem dispensare potest. Infero secundò, etiam Societatẽ, vel Prælatos eius non posse hoc vinculum auferre per modum dispensationis, licèt possint per viam irritationis: nam hæ duæ potestates, vt num. 2. dixi, non conuertuntur, & potestas irritandi, in prælenti intrinsecè oritur ex tali modo vouendi: potestas autem dispensandi deberet extrinsecus concedi: nullibi autem concessa legitur hæc potestas Societati: quia nec per clausulam specialem, nulla enim talis in bullis Pontificiis inuenitur: nec per generalem, quæ Prælato religionis datur, vt possit in votis religiosorum dispensare; quia hæc nunquam extenditur ad dispensandum in ipso statu religioso: nam potiùs, ideo datur ad cætera vota, quia supponitur subiectio per religiosum statum. Vnde nec ad transeundum ad religionem laxiorem possunt Prælati religionis iure ordinario dispensare: Generali autẽ Societatis peculiari indulto Gregor. XIII. anno 1582. in bulla, quæ incipit, *Cùm alias fœlicis recordationis*, absque vlla restrictione concessit, vt cuicumq; subdito suo etiam professo possit licentiam dare transeundi ad quamcunque aliam religionem, etiam laxio-

laxiorem, de quo iterum lib. 12. c. 2. quod intelligendum est, *ex legitima causa ad bonum Societatis, vel ipsius subditi pertinente*, vt in eadem bulla significatur, & materia ipsa exigit. Nam cùm hæc licentia contineat quandam dispositionem in materia voti, rationabilem causam requirit, aliàs valida non erit, quamuis minor causa sufficiat, quàm ad dispensationem simpliciter. Tertiò infero ex dictis, etiam respectu Summi Pontificis, grauiorē causam esse necessariam ad dispensandum in his votis Societatis, quàm in voto simplici castitatis: quia hìc dispensatur in vero ac proprio statu religioso, quod non vnum, sed plura perpetua vota includit: nec sola vota, seu promissiones, sed etiam traditionem, in qua difficiliùs dispensatur, vt ex superiùs dictis constat. Non est autem regulariter loquendo necessaria tā grauis causa, vt Pontifex dispenset in hoc vinculo, sicut ad dispensandum in professione solenni; quia cùm Pontifex habeat circa hoc vinculum, non solū potestatem dispensandi, sed etiam irritandi, tanquā supremus Prælatus religionis, quamuis causa nō sit adæquata respectu dispensationis, regulariter aliquid confert ad irritationem, & ideo coniungendo, & quasi miscendo actum vtriusque potestatis, faciliùs potest hoc vinculū dissolui. Imò eo ipso, quòd hoc vinculum non est tam absolutum, sicut professio, videtur esse dispensabile ex minori causa.

3. Corollar. Imo & ipsā Papa dispensationē grauiorem causam postulare, quàm pro simplici castitatis voto in seculo.

Minus tamē grauem quā pro dispensando in professione solenni.

De Irritatione.

VI. Tertio loco dicendum supereſt de irritatione, de qua duo sunt certa. Primum est, potestatem irritādi hoc vinculum apud neminem esse extra Societatem, quod per se notum est, supponendo dictionem exclusiuam in hac materia non excludere Summū Pontificem, cùm sit supremus Prælatus, vt sæpe dictum est. Secundum est, Societatem habere hanc potestatem. Hoc constat ex bullis Pontificiis, in quibus declaratur, hæc vota scholarium, (& idem est de Coadiutoribus etiam formatis) fieri sub ea conditione, vt eis non obstantibus, personæ possint liberè dimitti, quam dimissionem, irritationem nūc appellamus: quia per eam tollitur vinculum, & votum, quasi per subtractionem materiæ, quia desinit esse conditio, sub qua tantùm obligabat. Et de hac potestate dimittendi sermo est in 2. p. Constit. Societatis, c. 1. & dicitur primariò esse in tota Societate, quando in congregatione generali coacta fuerit, alioqui iure ordinario esse in Præposito Generali; in aliis verò inferioribus Præpositis prout ab ipso communicata fuerit. Est tamen aduertendum, in Societate non solùm esse potestatem dimittendi inferiora membra, sed etiam solenniter professos, & in aliquo raro casu, etiam ipsum Præpositum Generalem, vt in 9. p. Constit. dicitur c. 4. §. 7. Et declaratur in 2. c. 1. litera A. & C. & in c. 13. liter. A. Est tamē differentia, quod professi non possunt liberi dimitti, & ideo ea dimissio non continet irritationē vinculi, sed solam reparationem à cœtu, & coniuctu Societatis, sicut etiam possunt dimitti professi aliarum religionum, vt suprà tract. 8. dictum est. Alij verò in inferioribus gradibus constituti, præsertimque scholares approbati, liberi, & absque vinculo religioso dimitti possunt, & hanc vocamus potestatem irritandi talia vota.

Vna suppositio: extra Societatem nemo potest irritare vota scholariū. Altera suppositio; Societas potest.

VII. His ergo positis, difficultas præcipua huius puncti est, An talis irritatio requirat causam iustam, & proportionatam, vt validè fiat. Quidam enim sentiunt, quamuis Societas non debeat, nec licitè possit, ratione suarum constitutionum, quemquam sic dimittere liberum sine causa iusta in eisdem constitutionibus assignata p. 2. c. 2. Nihilomin⁹ si id faciat factum tenere, ac personam illam omnino liberam, & voto solutam dimitti. Fundamentum est primò, quia omne votum factum cum dependentia à voluntate alterius, vel sub conditione si alius voluerit, fit irritum, seu tollitur eo ipso, quòd alter non vult, etiamsi ille pro solo arbitrio fine alia causa nolit. Exempla sunt, si quis vouit ingredi religionem; si pater voluerit, nam patre nolente ex quacunque ratione cessat votum, quia conditio non existit. Vel si absolutè vouit ingredi religionem, & Prælatus eum non velit recipere, siue licitè, siue illicitè, alter manet liber. Sed omnia vota non solennia Societatis, fiunt sub simili conditione, scilicet, *si Societas eos tenere volet*, vt explicatur in Examine c. 7. §. 1. & 2. & clarius 5. p. Const. c. 4. liter. B. & D. vbi etiam additur, licèt vouentes quod in ipsis est, se obligent in perpetuum, *liberum tamen esse Societati eos dimittere*; ergo eo ipso quòd Societas, seu Prælatus habens in ea potestatem, aliquem retinere non vult, desinunt obligare vota eius, etiamsi absque iusta Prælatus nolit. Quod enim alterius voluntati relinquitur, nullam causam requirit.

Vna suppositio: extra Societatem nemo potest irritare vota scholariū. Altera suppositio; Societas potest.

Dubium, an ita irritatio valeat sine causa.

VIII. Et confirmatur, quia ob hanc rationem, vt irritatio voti valeat, nulla causa necessaria est, vt suprà vidimus, quia nimirum in voto subditi inuoluitur conditio, *si Prælatus consenserit*. Diximus autem hanc esse quandam irritationem votorum, ergo nullam requirit causam, vt valida sit. Confirmatur secundò, quia ex his votis, seu traditione scholaris approbati in Societate, nulla obligatio redundat in Societatem ipsam, sed tota se tenet ex parte religiosi, ipsa verò religio tam libera manet sicut antea, quantum est ex vi contractus; ergo si sua libera potestate vtatur, ex quacunque causa validus erit actus, etiamsi aliàs illicitus sit; sicut si absque causa Prælatus recipiat indignum, & in eo peccet malè vtendo suo munere, nihilominus tamen receptio valida est; vel sicut dominus manumittens seruum, qui se voluntariè ei se tradiderat, & obligauerat, valide manumittit, etiamsi absque causa faciat, & in ea re peccet, vel ex odio, aut ingratitudine, &c. quia contra iustitiam non agit; hoc autem exemplo hunc contractum Societatis suprà declarauimus c. 3. num. 10. Tandem confirmatur, quia si ad valorem huius dimissionis esset necessaria causa, res esset multis scrupulis, & dubitationibus expositа, imò ex illa nasci possent lites, & contentiones externæ inter religiosum dimissum, & Societatem. Ob hanc ergo causam quamuis in vsu huius facultatis ex rectitudine, & honestate religionis causa, & hæc quidem magna, semper expectanda sit, nihilominus ad tollenda dubia, oportuit Societatem plenam libertatem retinere, vt de valore facti nulla posset esse controuersia.

IX. Alij verò hanc sententiam distinctione quadam moderandam existimant, vt scilicet procedat, quādo dimissus voluntariè acceptat dimissionem, & libertatem, non verò si inuitus & sine causa expellatur. Ratio prioris partis præter fundamēta superioris sententiæ est, quia tunc cessat omnis iniuria personæ dimissæ, quia volenti & consentienti non fit iniuria, & ideo cessat omnis causa nullitatis, quæ in eo actu esse posset. Vnde facilè intelligitur ratio posterioris partis; nam qui inuitus sine causa repellitur, magnam patitur iniuriam, vt statim ostendemus.

X. Mihi verò simpliciter, & absque distinctione dicendum videtur, admissionem huiusmodi sine causa factam esse nullam, censeoque conditionem illā, *si Societas eum tenere volet*, non esse intelligendam de mera, ac pura voluntate, suo absoluto dominio, & arbitratu volente, sed de voluntate, quæ prudenti arbitrio, & ex iusta causa vult, aut nō vult. Hoc primum probo ex verbis constitutionum; nam in Examine cap. 7. §. 1. sic dicitur. *Libera tamen manebit Societas, nec tenebitur ad eos admittendos ad professionem,*

nec

nec in Coadiutores formatos, si studiorum tempore male se gererent, adeo vt superior Societatis existimaret, Deo gratum non fore, si in eam admitterentur: & tunc ipsi etiam sua vota soluta erunt. In quibus verbis expendo in primis illam conditionalem, *si studiorum tempore*, &c. Et inde colligo illam esse necessariam, vt Societas non teneatur hos religiosos retinere; ergo nō subsistente tali causa, tenetur. Dicetur fortasse teneri ex vi suarum constitutionum, non ex vi contractus. Sed hoc non placet, vt infrà numer. 18. latiùs dicam: tum quia obligatio constitutionis cùm non sit ad culpam, minima est pro re tam graui: tum etiam quia verbum *tenebitur*, indicat præcisam obligationem fundatam in natura ipsius rei, & non in sola constitutione: maximè cum nulla ibi mentio fiat constitutionum, & examen illud eas antecedat. Deinde expendo verba illa. *Et tunc ipsi etiam sua vota solutierunt.* habent enim vim exclusiuæ, ac si dicerent, tunc, & non aliàs soluti erunt. Nam si verè soluui possunt, quomodocunque dimittantur, non oportuisset addere illam particulam restrictiuā *tunc*, quia vel sic, vel aliter dimissi & tunc, & semper soluti essent.

XI. *Instatur contra probationem ex loco examinis factam.*

Dices, hoc argumento probaretur illam causam ibi assignatam esse vnicam, & necessariam, sine qua dimissio non teneret, nec solueret ligatum; quia ponderationes factæ si solidæ sunt, hanc vim habēt. Consequens autem repugnat eidem capiti statim in §. 2. & cap. 2. 2. partis Constit. vbi aliæ causæ assignātur. Respondeo primùm concedendo sequelam, & considerando causam illam formaliter (vt sic dicā) potiùs quàm materialiter & præcisè sistēdo in modo dimittendi, de quo ibi sermo est. Ad quod explicandum aduerto, aliquem dimitti posse ex Societate, vel propter causas antecedentes receptionem eius, vel propter subsequentes, seu intra Societatem datas, aut contractas. In eo igitur capite non agitur de prioribus, sed de his tantùm posterioribus, vt patet ex illis verbis, *Si studiorum tempore male se gesserint.* & in §. 2. *Si quando studiorum tempore*, &c. Supponitur enim ibi, alias causas, vel defectus, qui ante receptionem existere possunt, per alias interrogationes in prioribus capitulis eiusdem examinis positas, fuisse detegendas. Et ideo illi defectus nunquā possunt reddere causam iustam expellēdi aliquem, nisi in ipso examine fuerint occultati, vel quacunque ratione non satis cogniti, & postea per experiētiam probationum deprehendantur. Et de his causis sermo est in 2. p. Const. cap. 2. §. 3. ibi. *Tale quid esset si in probationum decursu, aliqua impedimenta, vel insignes defectus quos ante in examine latuisset, deteregerentur.* Et in §. 5. in illis verbis. *Si detegeretur vinculum matrimonij, vel seruitus legitimæ, aut es alienum magni momenti, quibus in rebus dum initio examinaretur veritatem subticuerit.* Additur verò ibi in declaratione liter. B. aliquando non obstante defectu declarato in examine recipi aliquem sub conditione, vt periculum fiat, an decursu temporis ille defectus tollatur, vel illum non impedire, vel reddere personam inutilem ad ministeria Societatis: & tunc clarum est, si defectus duret, & experimento constet reddere personam inutilem, illam esse iustam causam dimissionis, quia in prædicta conditione, tale pactum virtute includitur, & tunc causa non sumitur ex defectu vt præcessit, vel vt antea cognitus fuit, sed vt durat, & eius grauitas magis innotescit. Vlterius verò in eadem declaratione apponitur, licèt aliquis absolutè & sine vlla conditione recipiatur cum infirma valetudine ab ipso declarata, simpliciter quidem dimitti posse, quamuis magis considerandum sit, an dimitti debeat, necne. Sed hoc ideo dicitur & verum est, quia vt ibidem subiungitur, semper talis receptio fit, sub spe quòd talis persona aliunde compensabit corporis debilitatem, eo quòd ad res maioris momenti vtilis sit futura: & ideo si per probationes, experimento cognoscatur illam spem fuisse vanam, consurgit iusta causa dimissionis, quæ semper requirit nouam cognitionem alicuius defectus præexistentis, qui si in principio bene cognosceretur, receptionem impediret. Et nihilominus ex suaui quadam prouidentia additur, in eo casu magis cōsiderandum esse, an talis persona dimittēda sit; quia cùm illa in principio rectè, & fideliter se gesserit, si postea defectus inuoluntariè duret, seu per eam nō stet quominus tollatur, quacunque ratione vtilis esse possit, sine aliquo communi detrimento, retinenda potiùs est, quam dimittenda; absolute autem dimitti potest si iudicetur expediens. Quod vt maiori cum iustificatione fiat, interrogatur vnusquisque ante ingressum an in tali euentu hoc patiēter laturus sit, vt intelligat, qua lege recipiatur, & si oportuerit, iuri suo renuntiet, & hoc agitur in ca. 7. Exam. §. 2.

Diluitur explicando causas dimissionis antecedentes admissionem.

XII. *Tempus subijcitur.* *admissi*

Ratio autem seu causa orta post ingressum in Societatem esse potest, vel pertinens ad defectum animæ, vel ad defectum corporis, atque adeò *volun-* tariè, vel inuoluntariè. De priori agitur in cap. 7. Exam. §. 1. hoc enim significant illa verba, *Si studiorū tempore male se gererent*, &c. Quæ causa est iustissima, & comprehendit plures particulares, quæ in cap. 2. 2. partis Constit. ponuntur, vt si iudicaretur quis damnum allaturus malo vitæ exemplo, si inquietū se ostendat, si verbis, aut actibus offendiculum aliis præbeat, si non possit se componere ad vitam ducendam sub obedientia, iuxta modum procedendi Societatis, eo quòd nequeat iudicium suum refringere, si denique in affectibus, & vitiis, quæ diuinam offendunt maiestatem, corrigi non possit, etiamsi publica non sint. In quibus omnibus & quibuscunque similibus, regula in priori loco designata in numer. 10. seruanda est; scilicet defectum hunc talem esse debere, vt eo spectato, Superior prudenter iudicet Deo gratum non esse talem personam in Societate admittere aut retinere; atque ita hæc causa quoad hanc partem tanquam simpliciter necessaria proponitur. Quia verò præter defectum animi potest quis corporis infirmitatem in ipsa Societate cōtrahere, propter quam nec in literis proficere, neque in Societatis ministeriis vtiliter queat inseruire, ideo dubitari non immeritò potest, an hinc sumi possit iusta causa eiectionis? Tamen in 2. p. Constit. c. 2. lit. B. declaratur, in eo casu si ipsemet religiosus contentus non esset, iustum non fore hac sola causa à Societate dimitti. Ex quo significatur, ex cōsensu partis posse etiam inde causam iustam insurgere quod pertinet etiam ad declarationem dicti c. 7. Examin. §. 2.

XIII.

Ex quibus omnibus constat in Constitutionibus Societatis semper requiri causam iustam ad hanc dimissionem, & non alio modo, nec maiori libertate reseruare sibi Societatem hanc facultatem, & ita explicatur hæc potestas in declaratione 6. cap. Examinis, vbi sic dicitur. *Nec est inusitum, vt apud inquisitores Apostolicos, (si Societas libertatem ad eos dimittendos, quando non faciunt quod debent, retineat)* vbi notetur illa restrictio *quando*, quia solùm pro simili occasione licet Societatis, & Præpositi Generalis) *tantum erit posse dimittere, neque id sine causis iustissimis fieri debebit.* Meritò etiam hoc declaratum esse dicitur in indultis Apostolicis. Nam Gregor. XIII. in bulla, *Quanto fructuosius.* de his scholaribus ait, non posse ipsos sine vitio apostasiæ Societatem dimittere, *quamuis rationabiles ex causa iuxta Constitutiones eadem ab ipso Præposito Generali dimitti, & votis huiusmodi liberari possint.* Atque hoc etiam modo declarat idem Pontifex cōditionem illam in Constitutionibus positam, *quandiu Societas illos retinere velit*: quam sub his verbis propo-

proponit idem Gregor. in Constitutione, *Ascendente Domino. Quamdiu Præpositus Generalis eos in Societate retinendos esse censuerit.* Quæ conditio eodem modo habetur in bulla Iulij III. de confirmatione instituti, ibi. *Pro eo tempore, quo Præpositus Generalis Societatis prædictæ eis in ministerio spirituali, vel temporali vtendum iudicaret, astringerentur.* Et in bulla 4. Pauli III. quæ incipit, *Exponi nobis*, eadem conditio per verbum *iudicandi* explicatur. Est autem regula ad explicandum ius communiter recepta conditionem aliquam relictam ad arbitrium, vel iudicium alicuius præsertim gubernatoris, seu Prælati, intelligendam esse de arbitro ex prudenti iudicio, & consequenter ex causa rationabili. Quam regulam tradit, variisque iuribus confirmat Bartol. in gloss. in Extrauag. *Ad reprimendum*, quæ habetur circa finem voluminis verbo *videbitur*. & ex eo Panormit. cap. 1. de Constitutionib. n. 13. & latiùs in c. 1. de sequestr. possess. n. 18. & attingit etiam c. 1. de iudiciis. n. 12. Estque talis interpretatio per se valde consentanea rationi. Quia quando aliquid committitur iudicio Prælati, vel iudicis, non tantùm voluntati, sed etiam potestati eius committitur; potestas autem eius non est ad agendum pro sola voluntate, sed secundùm ius, & rationem; tamen quia res in particulari solet esse dubia, ideo eius prudẽs iudicium postulatur, eique committitur. Denique fauent verba Gregorij XIII. in dicta Constitutione, *Ascendente Domino.* vbi de his votis scholarium sic inquit. *Nec ea vllo alio modo, quam per legitimam dimissionem à Societate cessare possint.* Vbi expendo particulam illam *legitimam*. Non enim potest legitima dimissio appellari, quæ pro mera voluntate fit, sed solùm illa, quæ fit ex causa legitima, seu secundùm ius; id enim legitimum dicitur, quod secundùm legem fit: ait autem Gregor. non alio modo quàm per legitimam dimissionem posse hæc vota cessare: ergo si dimissio non sit talis, facta non tenet.

Confirmatur ex alio loco Gregor. XIII.

XIV. *Probatur tertia ratio.*

Tandem hæc sententia est valde consentanea rationi naturali, & principiis superiùs positis de hoc statu. Quod patet, quia hic status, & traditio ex parte religiosi, & ex intentione religionis, & Sedis Apostolicæ approbantis eius institutum ad hoc ordinatur, vt habeat omnem stabilitatem, & perpetuitatem quam fine incommodo religionis potest habere; ergo nulla debet relinqui potestas in religione, vel in aliqua persona ad dirimendum tale vinculum pro sola voluntate. Patet consequentia, tum quia talis potestas repugnat illi firmitati status; parua enim stabilitas est, quæ pro solo arbitrio alterius auerti potest: tum etiam quia potestas repugnat prædictæ intentioni, quia illa non confert ad bonũ religionis, vel religiosi. Confirmatur, ac declaratur: nam, licèt in rigore iustitiæ stando possit aliquis se ipsum obligare, vel donare sine vlla omnino obligatione ex altera parte, sed relinquendo alium omnino liberum, vt pro sola voluntate sua possit obligationem remittere; tamen in præsenti materia, & considerato fine, ac circumstantiis talis status, non videtur hæc esse intentio personarum se tradentiũ Societati. Quamuis enim sciant posse dimitti, si malè se gerant, & quoad hoc consentiant in libertatẽ, seu potestatem Societatis, tamen persuasum simul habent, quando se tradunt, se non posse dimitti, si rectè se gerant, & per eos non stet, & quasi sub hac conditione, quam & ex communi ratione status religiosi, & ex propriis Constitutionibus, & bullis Societatis colligere possumus, se tradũt; neque in maiorem potestatem Societatis consentiunt; ergo talis dimissio sine causa facta est contra vim, & firmitatem talis vinculi, & vltra potestatem Societati reseruatam; non est ergo valida. Tandem confirmatur, quia hęc potestas non est in Prælato Societatis, vt in absoluto Domino, sed vt in dispensatore, & gubernatore; ergo non est commissa puræ voluntati illius, sed dispensanti, & gubernanti ex iusta causa. Dices, licèt hoc sit verum de particulari Prælato, tamen in Societate est, tanquam in absoluto Domino. Respondeo inprimis hoc parum referre, quia non tota Societas per se ipsam immediatè exercet hunc actum, sed per Prælatum, cui non dominium, sed gubernationem commisit; etiamsi supremus in Societate ille sit. Deinde falsum est totam etiam Societatem habere absolutum dominium, sed potestatem accommodatam tali statui, & approbationi Pontificum. Eo vel maximè, quòd hæc traditio non illi principaliter, sed Deo in ipsa facta est, & ab ipsa nomine eius acceptata, & ideo etiam ipsa se gerit, non vt domina, sed vt dispensatrix respectu Dei. Quapropter nulla ratio patitur, vt pro sola sua voluntate possit rescindere traditionem Deo factam; nec conditio in ea inclusa taliter intellecta rationabilis fuisset.

Concluditur intentum.

XV. *Causa ad validam dimissionem adeo requiritur, vt sine illa, nec consensus dimittendi per se sufficiat. Per accidens tamen sufficiet.*

Atque ex his constat, prædictam resolutionem non solùm procedere quando quis ita dimittitur inuitus, verùm etiam si ipse consentiat, *per se loquẽdo.* Ratio est, quia solus consensus religiosi non præbet iustam causam eiectioni. Nam in hoc negotio non attenditur solum ius ipsius religiosi cui ipse potest cedere, sed etiam bonum ipsius religionis, & præcipuè obligatio facta Deo; & ideo nisi in ordine ad hæc omnia intercedat causa sufficiens, non erit legitima eiectio. Contingere autem potest, vt ex parte religionis intercedat sufficiens causa, & vtilitas ad abscindendum tale membrum, quæ tamen causa nõ sit sufficiens ex parte religiosi, vt inuitus reiiciatur; & tunc consensus religiosi conducere potest ad hoc, vt eiectio valeat, & sit iusta, quæ absque tali consensu non esset, non quia præbeat simpliciter iustam causam, sed quia complet illam, vel potiùs quasi remouet impedimentum, vt causa quæ inerat, possit esse sufficiens. Exemplo declaratur; nam si scholaris laboribus studiorum, vel seruiendo Societati in aliis ministeriis, salutem corporis ita perdat, vt postea oneri potiùs, quàm vtilitati futurus sit religioni, non est hæc causa sufficiens, vt ille inuitus eiiciatur; erit autem sufficiens si ille consentiat; vtrumque enim in Constitutionibus ac tãdem in Decreto 50. Congregat. 5. n. 3. editionis annĩ 1616. declaratum vidimus, & meritò: nam causa illa respectu habito ad religionem sufficiens est: respectu verò religiosi inuoluntarij non sufficit: nam cũ ille habeat ius acquisitum in religionem, & per illũ non steterit, & seruiendo religioni vires amiserit, non potest ob eam causam inuitus suo iure priuari. Si autem ipse consentiendo cesserit iuri suo, iam cessat eius iniuria, & ita poterit intuitu religionis iusta dimissio fieri ex tali causa. Dices, quomodo potest religiosus licitè consentire suæ eiectioni, cum se tradiderit, & ex parte sua perpetuò se obligauerit Deo, nec tunc cogatur exire? Respondeo fortasse talem consensum regulariter non esse laudabilem, nisi aliqua magna causa intercedat. Absolutè tamen consensus ille non est per se malus, nec contrarius prioribus votis, quia facta fuere iuxta Constitutiones Societatis, & in eis declaratum est, quòd in tali euentu possit consensus præstari: vnde fit cõditionem in his votis inclusam ita esse intelligendã vt Societas valeat ex iusta causa dimittere scholarem, *vel inuitum, vel saltem consentientem iuxta exigentiam, & proportionem causæ*; quæ proportio, & causæ partim ex recta ratione, & prudenti arbitrio, partim ex constitutionibus eiusdem religionis sumenda est.

XVI. *Ad fundamentum in num. 7.*

Atque hinc patet responsio ad fundamentum primæ sententiæ in n. 7. Nam conditio illa quæ aliquando poni solet per verbum *volendi*, intelligenda est iuxta subiectam materiam. Et iuxta alia loca in

quibus per verbum *iudicandi*, seu *censendi* eadem conditio explicatur. Et ideo non sunt similia exempla, quæ ibi afferuntur: nam in voto simplici religionis, quod secundo loco habetur, nulla acceptatio, aut obligatio ex parte religionis interuenit, & ideo æquè libera manet ad recipiendum, vel non recipiendum hominem, ac si Deo nihil vouisset. Est etiam aliud discrimen, quia aliud est non admittere, aliud eicere iam admissum; nam illud prius consistit in sola negatione, & ideo eo ipso quòd actus non fiat necessariò, ipsa priuatio facta tenet, vt sic dicam: quod non ita est in effectu positiuo eiiciendi, & dissoluendi, quod ligatum est. Vnde fit, vt licèt demus religionem se obligasse ad recipiendum eum, qui simpliciter vouerat eius ingressum, & posteà iniustè nolle illum admittere, nihilominus non admissio tenet, & consequenter alius excusatur à transgressione voti, & si iam fecit quod erat ex parte sua, fieri etiam poterit, vt votum omnino cessauerit: eiectio autem si sit iniusta, & vltra limites potestatis, non erit valida, & ideo nec vinculum, nec vota dissoluit. Aliud verò exemplum priori loco positum de voto facto, *si parens voluerit*, iudicandum est secundùm intentionem vouentis: tamen regulariter loquendo illa conditio referri solet ad nudam voluntatem, & ideo exemplum non est simile.

XVII. *Ad primam confirm. in num 8.* Ad primam confirmationē ex eo principio sumptam, quòd irritatio non requirat causam: Respondetur duplicem esse irrationem, vnā omnino propriam, quæ nascitur ex inefficacia inferioris voluntatis ad se obligandum, nisi cum dependentia à superioris voluntate; & talis irritatio in vniuersum non requirit causam, vt valeat. Alia verò est irritatio minùs propria ex parte materiæ habentis conditionem imbibitam dependentem ex alterius voluntate, & de hac irritatione non potest in vniuersum negari quod requirat causam, neque etiam affirmari, sed pro ratione conditionis. Præsens autem irritatio ad hunc posteriorem modum spectat: & ostensum est in n. 13. conditionem implicitam non dicere habitudinem ad nudam voluntatem, sed iusta ac recta ratione regulatam, & ideò talis irritatio causam requirit.

XVIII. *Ad secundā confir. ibidē quæ sunda responsio.* Ad secundam confirmationem multi contendūt in hac incorporatione scholarium Societatis nullū esse contractum, sed solam promissionem, & obligationem Deo factam, ex qua nulla oritur obligatio ex parte religionis, quia ipsa licèt acceptet obligationem, non tamen recipit personam, vt eam perpetuò retineat, sed vt probet, sicut aliæ religiones recipiunt nouitios, vt eos probent; & ideo licèt ipsi durante nouitiatu votis se obligent ad permanendum, non tamen propterea obligatur religio ad eos retinendos. *Non satisfit.* Sed hæc sententia mihi nunquam satis probari potuit, tum quia multum derogat veritati, & proprietati status religiosi horum scholarium, dum omnino quoad hoc comparantur nouitiis, qui intra annum probationis tria vota priuata emiserunt. Licèt enim aliquo modo conueniant, quòd scholares semper sunt in probatione respectu vlterioris gradus, multum tamen differunt in statu, & in votis. Nam nouitius licet voueat, non se tradit, nec confert ius religioni; scholaris autem se tradit, & confert ius religioni, quæ speciali potestate à Sede Apostolica data, seu approbata, traditionem, & vota acceptat. Tum etiam quia nimis liberā facultatem attribuit Societati ad dimittēdos scholares approbatos: nouitius enim quicquid ipse vouerit, si expellatur, etiam sine causa verè expulsus manet, & ipse etiam relinquitur liber, seu excusatus; quod de scholaribus dici non potest, vt ostēdimus, & ideo non rectè æquiparantur. Dico ergo in hac incorporatione interuenire aliquem quasi contractum, ex quo nonnulla obligatio in Societatem redundat, quam non habebat ad eandem personam toto tempore nouitiatus, etiamsi fortasse particularia vota in illo emisisset. Hæc autem obligatio nō est ad retinendum perpetuò, absolutè, & simpliciter, sed ad non dimittendum sine iusta causa. Quæ obligatio est valde rationabilis suppositā traditione, quàm ipsa Societas acceptat, quæ natura sua postulat hanc saltem immutabilitatem, vt ex neutra parte possit pro sola voluntate dissolui. Et aliunde nihil derogat libertati necessariæ Societati ad suam conseruationem, quia non obstante illa obligatione, retinet potestatem dimittendi liberos, & sine vinculo scholares semel approbatos, quando sibi expedire censuerit; non est ergo cur timeamus hanc obligationem recognoscere, cùm perfectionem instituti non impediat, sed augeat, & in bullis Pontificiis, ac Constitutionibus magnum reuera habeat fundamentum, vt n. 11. & 13. ostendimus.

Ad vltimam confirmationem respondetur, simili argumento probari posse, in dispensatione votorum non esse causam requirendam ad valorē eius, vt tollantur scrupuli, & dubia. Non est ergo hic cōueniens modus tollendi scrupulos, sed optimus modus est auferre ignorantiam, & malitiam; nam scrupuli sæpe ex ignorantia oriuntur: dubitationes autem post factum aliquod oriri solent, quia non satis bona fide factum est. Igitur quamuis causa iusta sit necessaria ad valorem huius actus, si tamen prælatus Societatis bona fide procedat, & facta morali diligentia, ac debita consultatione iudicet expedire talem personam liberam dimittere, & in tali casu rectè vti posse potestate sibi à Pontificibus cōcessa, non est dubitandum de valore actus, & ita cessant facilè omnes scrupuli, & dubitationes. Imò addo (posset enim in hoc esse nonnulla dubitandi ratio) quòd licet post dimissionē intelligatur causam non fuisse tam grauem quanta existimata fuerat, & aliquam deceptionem interuenisse: Si tamē bona fide res acta est, & non temerè, sed prudenti modo, &, vt ita dicam, secundùm allegata, & probata, id satis esse, vt dimissio teneat, nec postea esse scrupulum ex alterutra parte admittendum, quicquid denuo innotescat. Quia & id sufficit, vt illa dimissio dicatur legitima, & secūdùm iudicium prudentis viri, quod solum in bullis Pontificiis ponderatur. Et quia esset magnum morale incommodū, valorem talis actus esse dependentem à noua cognitione, seu notitia quæ postea quocunque tempore haberi potest. At verò si à principio mala fide, vel temerè, ac sine sufficienti probatione seu examine procedatur, nullum inconueniens est, quòd ex tali facto possint scrupuli, & dubitationes oriri. Vna verò grauis statim offertur: nam sequitur dimissionem hanc non debuisse committi solis Prælatis, nec sine iudiciali forma, & examine faciendam esse. Sed hæc obiectio attingit aliam generalem circa regimen Societatis, de quo in fine lib. 10. ex professo disputabimus. Nunc satis sit modum illum præter generales confirmationes institutum in particulari denuo confirmatum esse à Gregor. XIII. in bulla confirmationis instituti.

(:)

INDEX CAPITVM LIBRI QVARTI.

De votis Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, prout in Societate immittuntur.

Cap. I. *An simplex Castitatis votum quod in Societate fit, dirimat matrimoniũ postea contractum?*

II. *An prædictum votum dirimat etiam præcedens matrimonium?*

III. *Quibus mediis Societas iuuet suos subditos ad votum Castitatis seruandum.*

IV. *Votum Paupertatis scholarium Societatis IESV, neque illos reddere dominij incapaces, neque id pugnare vero religionis statui.*

V. *Quomodo paupertas à scholaribus Societatis ex vi regulæ seruanda sit in distributione suorum bonorum?*

VI. *Quomodo à scholaribus Societatis seruanda sit ex vi voti paupertas in distribuendis suis bonis?*

VII. *Ad quem vsum, seu exercitium paupertatis ex vi regulæ obligentur singuli religiosi Societatis IESV?*

VIII. *Ad quem vsum, seu exercitium ijdem religiosi obligentur ex vi voti?*

IX. *De paupertate in communi domorum professarum Societatis IESV.*

X. *An explicata superiori capite paupertas conueniens sit Societati professæ.*

XI. *De paupertate in communi Collegiorum Societatis, ac domus probationis.*

XII. *An ex voto obedientiæ obligari possint religiosi Societatis in quacumque materia?*

XIII. *De consilio obedientiæ in Societate quoad perfectionem executionis.*

XIV. *De consilio obedientiæ quoad perfectiones ex parte voluntatis.*

XV. *De perfectionibus ex parte intellectus.*

XVI. *An promissio scholarium in Societate approbatorum ingrediendi Societatem, sit verum votum ad hunc statum religiosum conueniens, vel necessarium?*

XVII. *Ad quid obliget dicta promissio?*

LIBER QVARTVS.

De votis simplicibus castitatis, paupertatis, &c. quæ in Societate IESV emittuntur.

EXplicata qualitate vinculi scholarium in Societate approbatorum ad exactam huius status declarationem necesse est, de singulis votis, prout in eadem Societate nuncupantur, aliquid sigillatim dicere; postea verò in sequentibus libris de studiis, aliisque actionibus tractabimus.

CAPVT I.

Votum castitatis scholarium Societatis IESV quale sit, & an dirimat subsequens matrimonium.

I. *Prima suppositio pro 1 parte tituli.*

QVamuis inter vota minùs perfectum sit votum paupertatis; tamen, quia votum castitatis breuiùs expediri potest, ab illo incipimus. Quod ergo attinet ad primam tituli partem, suppono primò hoc votum esse omnino integrum & perfectũ, tam in extensione materiæ, quàm in obligatione quam inducit: comprehendit enim totam materiam castitatis sine vlla restrictione, & ad totam illam seruandam obligat cum omni rigore, cum quo potest obligare castitatis votum. Et ideo nihil circa hæc addendum nunc occurrit, iis quæ generatim de voto castitatis disputauim⁹ superiori tom. Suppono secundò hoc votum esse per se annexum statui religioso, & traditioni seu dedicationi ad cultum Dei, quam de se facit talis persona in tali religione approbata. In quo, suo modo conuenit hoc votum cum solenni voto castitatis religionis, quoad perpetuitatem, & separabilitatem à tali statu. Et ideo quæ hîc possent tractari de dispensatione huius voti per se, ac separatim à vinculo traditionis, seu incorporationis cum Societate, eandem rationem habent cum illis quæ de voto solenni castitatis ibidem in simili puncto dicta sunt. Simpliciter enim inseparabile est à tali statu illo durante, neque in hoc cadit vnquam dispensatio, nec fortasse cadere potest, & certum est præter summum Pontificem neminem habere hanc potestatem. Vnde licèt Societas possit hoc votum tollere irritando hoc vinculum modo in cap. vlt. superioris libri declarato; non tamen potest retento vinculo alicui facultatem dare ducendi vxorem, veluti sub ea conditione, & lege, vt si moriatur vxor, idem vinculum cum Societate maneat idem, & quasi reuiuiscat, quoad vsum, quia nullibi data est illi hæc potestas; & quia ibidem generaliter dictum est non habere potestatẽ dispensandi in his votis, hæc autem quædam dispensatio esset, & adeò specialis, vt nec à Pontifice vnquam concedatur, & dubium sit an concedi possit: in quo (vt dixi) idem sentiendum est quod de voto solenni, quia æquè per se annexum est statui religioso. Ab illo ergo solùm differt conditione quam includit traditio, cui annexum est. Et ideo omnia quæ diximus de illo voto solenni, huic communia sunt, his exceptis, quæ ex illa conditione, vel carentia eius, pendent, vt est irritabilitas, de qua iam dictum est, & vis dirimendi matrimonium vel subsequens, vel antecedens, de quibus hic solùm in præsenti c. & sequenti dicendũ superest. In tertio verò ad maiorem explicationem, & commendationem nostri instituti aliqua de huius voti obseruantia adducemus.

Secunda suppositio.

II. *Expositio sup. 2. parte tituli.*

Quod attinet ad 2. partem tituli, quæstio solùm intelligi potest, quamdiu hic status durat; nam si quis eiiciatur à Societate votis solutus, & ex religioso factus non religiosus clarum est non impediri hoc voto, quominus matrimonium licitè, & validè contrahere possit, quia illud iam non est, & quod non est, nullum effectum habet. Potest autem quæstio tractari aut de hoc voto secundùm se solùm, quatenus per se est annexum tali statui, vel ratione iuris positiui specialiter lati à Gregor. XIII. in Constitutione, *Ascendente Domino.*

III. *Assertio certa. Probatur primo ex mente Pontificis.*

Primò ergo certum est hoc votum ante illud decretum Gregorij impediuisse quidem, non tamen irritasse matrimonium postea subsequutum. Hæc assertio certa est, primò ex Greg. XIII. in dicta Constitutione, vbi illud ius condit tanquam nouum, & ideo in priori bulla vbi idem institutum confirmauerat; & hos scholares veros religiosos esse declarauerat, nullam huius rei mentionem fecit; & nobis, qui eo tempore Theologiam Romæ profitebamur, constat, magna diligentia, & studio, & ab ipso Pontifice, qui doctissimus erat, & ab aliis doctoribus Theologis & Iurisperitis laboratum esse inquirendo, an posset Pontifex, & an expediret tale impedimentum addere, omnesque pro certo supponebant vsque ad illud tempus hoc votum non habuisse illum effectum. Quod etiam in tota Societate, & in omnibus, qui illud emittebãt pro indubitato semper habitum est, quod est signum neque à vouentibus fieri, neque à Societate solitum fuisse acceptari sub illa intentione irritandi. Denique si aliquando contigit tale matrimonium sacrilege contrahi, dissolutum postea non est, sed ratum permansit, extra omnem controuersiam, de quo etiam nobis euidẽter constat; quod est signum hoc sensu fuisse receptũ tale votum in vniuersa Ecclesia. Ratio verò à priori est, quia hoc impedimentum non est annexũ voto castitatis, nisi ex constitutione Ecclesiæ, vt in eadem constitutione idem Pontifex sensit, & significauerat priùs Bonifacius VIII. in cap. vnico de voto in 6.

Accedit etiã signum à posteriori.

Alterum signum.

Ratio à priori.

IV. *Obiectio prima contra assertionem.*

Duæ verò contra hoc occurrunt obiectiones. Prior est, quia ex multorum sententia, votum castitatis eo ipso quòd est per se annexum traditioni religiosæ, irritat matrimonium contrahendum, ex vi traditionis, absque alio statuto Ecclesiæ: ergo iuxta illam sententiam, idem dicendum erit de hoc

de hoc voto ; nam in Societate semper fuit per se annexum traditioni, & vero statui religioso, neque quoad hoc, vt suprà lib. præced. à cap. 2. visum est, Gregorius XIII. edidit ius nouum, sed magis declarauit antiquum, cum quo, vel ex quo ipsa Societas nata est. Nec quoad hoc videtur referre, quòd hæc traditio, non sit ita absoluta & perpetua ex parte Societatis, sicut est in aliis religionibus; nam hinc solùm colligi potest proportionalis differentia; scilicet, hoc impedimentum in hoc gradu Societatis, non esse ita perpetuum intrinsecè, & ex omni parte immutabile, sicut est in religiosis professis. Illud autem nihil obstare videtur, quominus cum proportione dictum impedimentum ita nascatur ex hoc voto quandiu durat, sicut ex alio ; Nam ratio ob quam dicitur sequi ex voto solenni, ratione traditionis, est quia talis persona iam non habet dominium sui corporis, vt illud tradat alteri. At hæc ratio etiam in hoc voto, quamdiu durat, locum habet : quia etiam est annexum traditioni; per quam omnino idem ius translatum est in religionem : & persona, durante illo vinculo, æque non est sui iuris, neque habet potestatem in corpus suum; ergo durante illo statu, traditio erit nulla, facta alteri per matrimonium.

V. *Robur ratio exemplo*

Profectò illatio obiectionis apud me est valdè probabilis, & efficaciter probata ex proportionalitate rationis, quæ potest hoc exemplo declarari. Nam si Ioannes v.g. se traderet in seruitutem Petro sub reciproca obligatione, vt nec Ioannes se à seruitute eximere, nec Petrus illum manumittere posset. Franciscus autem se traderet in perpetuam seruitutem sine obligatione ex parte Domini, sed cum potestate manumittendi illum, si vellet; nihilominus Franciscus, & Ioannes æquè impotenter manent durante illo statu, vt se alteri tradant in seruos: quia vtraque donatio fuit æquè valida, & vtrumque æquè priuauit iure in se ipsum : solumque relinquitur illa differentia, quòd Ioannes nunquam potest iterum fieri liber, & ideo impotentia eius est omnino perpetua: Franciscus autem potest manumitti, & tunc si fiat liber, poterit alteri se tradere in seruum si voluerit. Ita ergo est in Societate; nam ex parte se tradentium, est æqualis donatio, & consequenter æqualis priuatio iuris in se ipsos. Differentia autem solùm est in obligatione ex parte religionis, quæ ad prædictum effectum nihil refert, vt ex dicto exemplo constat. Et ratio etiam est euidens, quia illa impotentia, si vera est, non fundatur in obligatione alterius, sed in priuatione iuris in se ipsum, quia translatum est in alium. Respondeo ergo ad obiectionem, hoc discursu potiùs mihi probari, & confirmari, illam multorum sententiam esse falsam, de qua re in tom. præced. lib. 2. à c. 7. dictum est. Sed confirmationem hanc, huc, inde remisi, quia prius non poterat sufficienter intelligi. Itaque in forma negandum est obiectionis antecedens.

VI. *Secunda obiectio.*

Alia obiectio est, quia à principio institutionis Societatis optimè potuit hoc votum comprehendi sub declaratione Bonifacij in cap. vnico de voto in 6. Ergo virtute illius decreti habuit semper hoc votum vim irritandi matrimonium subsequens. Cõsequentia est clara, & antecedens probatur. Nam ibi in vniuersum dicitur votum solennizari quoad hunc effectum per professionem factam in religione approbata à sede Apostolica. Dictum est autem suprà lib. præcedent. cap. 5. hanc incorporationem scholarium in Societate, rectè posse professionem appellari, & sub ea voce sæpe in iure comprehendi, præsertim in fauorabilibus, inter quæ meritò computari potest hoc decretum : nam fauor religionis, & ipsius voti est, quòd tantam habeat effi-

Euasio.

caciam. Dicetur fortasse, in ipsis constitutionibus Societatis declaratum esse, tam ex intentione vouentis, quàm Societatis, hoc votum non fieri, vt solenne, sed vt simplex, & ideò non potuisse sub illo decreto comprehendi. Sed hoc non videtur satisfacere; nam intentio vouentis nihil refert ad illam solennitatem, quæ in hoc impedimento consistit: nam hoc impedimentum non prouenit à voluntate vouentis, vel acceptantis, sed ab statuto Ecclesiæ; vnde si de facto fiat illud votum cui Ecclesia adiunxit hoc impedimentum, quidquid vouens intendat, contrahet illud; vt si quis recipiens ordinem sacrum intendat simplex votum emittere, & non solenne; nihilominus votum eius solenne erit; quia facto ipso ordinationis sacræ solennizatur, virtute Ecclesiastici decreti, & independenter, ab eius intentione. Sic ergo cum illa intentio non impediat proprium vinculum religiosum in religione approbata, quod generatim per veram professionem contrahitur, non poterit impedire quominus votum inde solennizetur quoad hunc effectum impediendi matrimonium, quamuis maneat simplex quoad carentiam absolutæ perpetuitatis, & quoad irritabilitatem ex parte religionis; nam cùm hoc pendeat ex mutua obligatione, pendet etiam ex intentione operantis. Maximè, quia à principio in ipsis bullis approbantibus Societatem, declaratum est, hoc votum ita acceptari, & ideo esse simplex, & non solenne, quoad carentiam perpetuitatis absolutæ, nunquam tamen declaratum est, non comprehendi sub solenni, quantum ad illum effectum.

Non videtur satisfacere.

VII. *Probabilis ad obiectionem responsio triplicem suadetur.*

Respondeo nihilominus, verius esse hoc votum non fuisse comprehensum sub illa declaratione Bonifacij VIII. non quia Societas tunc instituta non esset; nam hoc non obstante, vota professorum Societatis, & cuiuscunque religionis post illud decretum approbatæ, sub eo planè comprehenduntur; sed quia nomine *professionis* ibi non includitur hæc traditio, & acceptatio, seu incorporatio scholarium in Societate. Hoc autem ostendit inprimis vsus ipse, & communis sensus omnium sapientum, qui sunt præcipui legum interpretes. Secundò, quia Bonifacius re vera intendit loqui de professione simpliciter, quæ omnem perfectionem vinculi religiosi, etiam cum absoluta perpetuitate includit : nam ponit hoc impedimentum tanquam perpetuò immutabile : tunc enim nondum erat in Ecclesia visum, aut interdictum impedimentum irritans matrimonium ex vi voti, quod auferri postea posset, & mutationem, seu electionem personæ à statu religioso. Tertiò, quia ex primæua institutione Societatis hoc votum, vt simplex omnino institutum est, & eodem modo fuit à Pontificibus approbatum, & receptum, non solùm propter conditionem, quam includit ex parte traditionis, sed etiam, quia non est illi addita vis inhabilitandi personam ad matrimonium; imò ex priori conditione sequebatur hæc posterior, iure ordinario, quia Ecclesia nunquam addiderat tale impedimentum nisi voto omnino absoluto. Quod ordinarium ius in principio Societatis conditæ auctum non fuit; & ideo tam ex intentione emittentis, quàm Societatis acceptantis, & sedis Apostolicæ approbantis fiebat hoc votum, tanquam omnino simplex, nullumque habens annexum impedimentum irritans subsequens matrimonium.

VIII. *Asserto omnino certum ex decreto Pont. Greg. XIII.*

Secundò certum est post constitutionem Gregorij, *Ascendente Domino*, hoc votum, quamdiu durat, reddere personam inhabilem ad matrimoniũ contrahendum. Patet, quia ita expresse in illo definitum est. cùm enim dixisset, neminem posse tollere hoc votum, nisi vel summum Pontificem, vel

Societatem dimittendo personam, subdit. *Neque ante huiusmodi dimission. matrimonii contrahere, quinimo eos omnes ad contrahendum inhabiles, ac contractus huiusmodi nullos & irritos esse, prout irritos facimus, & annullamus.* Duo autem à nobis probanda sunt, scilicet, & Pontificem potuisse hoc facere, & expediens fuisse. Primum satis ex facto ipso probatur: valde enim erraret in sana doctrina, qui supposito facto, auderet potestatem negare, nam esset intolerabilis error in Ecclesia. Deinde probatur, quia Ecclesia potest matrimonij impedimenta irritantia augere, vel minuere, vt definit Concil. Trident. sess. 24. sess. 3. loquens in particulari de gradibus consanguinitatis: eadem autem ratio est de reliquis. Vnde cap. 2. & 3. coarctat impedimenta irritantia, quæ ex affinitate carnali, publica honestate, & cognatione spirituali oriuntur: & à contrario in cap. 1. inducit nouum impedimentum matrimonij clandestini. Præterea certum est, hoc impedimentum adiunctum esse voto Clericorum ex constitutione Ecclesiæ; ergo addi etiam potuit huic voto Societatis. Quin etiam Sot. in 4. d. 27. quæst. 1. art. 4. de militibus S. Ioannis affirmat illorum votum non irritare matrimonium natura sua (cùm de aliis religiosis oppositum censeat) sed ex Pontificum constitutione; supponit ergo posse hoc impedimentum addi per Ecclesiam alicui statui religioso; ergo eadem ratione potuit Gregor. huic statui & voto hoc impedimentum adiungere. Dices, esse diuersitatem, quia hoc votum non est ita absolutum. At hoc quid interest? Nam quamdiu durat tam verum votum est, tamque verum statum religiosum constituit, sicut quodlibet aliud. Quòd autem in casu aliquo auferri possit, non obstat quominus ei possit adiungi impedimentum, quod, illo ablato, auferatur. Sicut carentia Parochi & testium supposita personæ sunt inhabiles ad contrahendum; illa autem conditione ablata, aufertur inhabilitas. Item minor ætas quamdiu durat, facit inhabilem, ea verò transacta tollitur inhabilitas. Itaque nulla ratio afferri potest, cur hoc fieri non potuerit, & alioqui potestas Pontificis est suprema, & vniuersalis ad constituenda impedimenta, quæ matrimonium dirimant, si expedire censuerit.

Id decretum potuisse condi probatur tripl. ratio.

Effugium occluditur.

IX.

Cur autem hoc expedierit dubitari potest. Nam si hoc erat expediens, cur à principio factum non est. Cur ita in re adeò graui, & quodammodo substantiali, tam citò mutatio facta est? Neque enim tam breui tempore res adeò mutari potuerunt, vt dicamus cœpisse esse expediens quod antea non fuerat. Verùm absque vlla dubitatione fuit expediens, & opportunum remedium ad subueniendum Societati aduersus fraudes, & iniurias, quæ in illo negotio vel illi fiebant, vel facilè fieri poterant, contra diuinum honorem, commune bonum, reuerentiam religiosi status, ac denique in perniciem ipsorummet vouentium, seu religiosorum. Priùs enim ad succurrendum his damnis obligationi votorum additæ sunt Ecclesiasticæ pœnæ excommunicationis, & aliæ, quæ apostatis imponuntur. Postea verò experientia compertum est, in tanta malitia hominum, hæc remedia non esse satis efficacia, quia semel contracto matrimonio vellet, nollet, cogebatur Societas personam dimittere, & priuari operariis, quos multis laboribus & expensis habiles ministros crearat ad seruiendum Ecclesiæ. Cùm autem personæ essent habiles ad matrimonium validè contrahendum, & à cognatis vel amicis poterant interdum ad hoc vehementiùs induci; & ipsi etiam possent procliuiores, & faciliores inueniri circa huiusmodi lapsum, imò aliquando possent Societatem decipere mala fide in ea, fictoque animo multo tempore perseuerando, solùm ad literarum profectum, vt inde commodius possent alium statum assumere, cùm id facere possent, etiam inuita Societate: Ad subueniendum hisce incommodis, conueniens fuit personas inhabiles reddere, ne facilè possent à suscepto statu cum detrimento religionis, ipsa inuita, recedere.

Dubium an condi expedierit tale decretum.

Affirmandi esse ostenditur ex contrariis incommodis.

Est commodum huius rei exemplum in cap. *cum ex eo*, de Electionib. in 6. vbi Bonifacius VIII. cum generaliter dispensset cum personis habentibus beneficium Parochiale, vt studiorum gratia, non teneantur intra annum Sacerdotes ordinari, licèt id statutum esset in Concil. Lugdunens. vt habetur in cap. *Inter.* eod. tit. adiungit nihilominus, vt infrà annum teneantur saltem ordinem subdiaconatus suscipere: & causam, seu rationem reddit. *Ne sicut à multis de Christi patrimonio sublimatis olim factum esse dignoscitur, à statu retrocedere valeant clericali.* Vbi glossa aduertit prudenter ex præteritis circa futura caueri, ad vitanda ergo impedimenta, quæ per experientiam cognita fuerant, voluit Bonifacius huiusmodi Parochos statim fieri inhabiles ad matrimonium, subdiaconatu suscepto. Eandem ergò prouidentiam habuit Gregor. XIII. in Societatem, & ideo illa non fuit reprehensibilis mutatio, sed vtilis additio, quia hæc est humana conditio, vt non statim valeat comprehendere, quid in omnibus, & singulis rebus magis expediat: vnde est illud Prouerb. 4. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Similiter in Societate à principio, qui in ea vota emittebant, non fiebant inhabiles, falcem ex statuto Ecclesiæ, ad professionem emittendam in quacunque religione; postea verò experimento compertum est, expedire hanc inhabilitatem addere, aut declarare, præterquam respectu Carthusiæ, vt sic indemnitati, tranquillitati, & conseruationi Societatis consuleretur, vt Pius IV. & Pius V. in sua bulla statuerunt. Ita ergò, vel certè maiori ratione expediens fuit hanc inhabilitatem ad matrimonium addere, quia magis indecens est, à statu religioso ad matrimonium transire, & maius scandalum generat, & facilius potest religiosorum animos perturbare. Denique cùm vinculum hoc status religiosi sit quoddam matrimonium spirituale cum Christo, meritò, dum in eo statu perseuerat quis ad matrimonium inferius inhabilis redditur.

X.

Hic verò inquiret aliquis, an per illud Gregorij decretum, facti sint ipso iure inhabiles ad matrimonium scholares, qui iam vota in Societate emiserant. Nam cùm ipsi hoc non vouerint, neque intenderint, quando approbati fuerunt, nisi de nouo consentirent, & vota sua in eo gradu rata haberent, non viderentur potuisse virtute solius extrinsecæ legis inhabiles reddi; præsertim, quia leges non respiciunt præterita, sed futura. Cap. 2. de constit. vnde (quidquid sit de potestate) de facto non videtur hoc decretum illas personas reddidisse inhabiles. Quod etiam confirmatur, quia lex irritans habet vim legis pœnalis, iuxta glossam in cap. *decet.* de immunit. Eccles. in 6. verbo *Posse*, de quo multa congerit Panormit. in cap. 2. de constit. numer. 5. & ibi additio eius, verb. *retractato actu.* Vide rique possunt alij apud Sancium lib. 3. de matrim disput. 42. à numer. 8. & in opere nostro de letigib. lib. 5. cap. 19. Dicendum nihilominus est, illud decretum statim habuisse effectum in omnibus personis Societatis, quod est certum, & ita ab omnibus intellectum. Et inprimis, quòd ita fieri potuerit à Pontifice, patet, quia per illam legem non inhabilitatur persona ad aliquid præteritum (hoc enim sensu verum est statutum non respicere præte-

Dubium de præteritis.

Fuerit Pontifex ea comprehendere.

Præterea) sed ad matrimonium in futurum contrahendum: ergo ex hac parte optimè potuit hoc decretum comprehendere, non solùm personas futuras in Societate, sed etiam existentes iam: nam constitutio in aliqua, vel pro aliqua communitate facta, non solùm obligat, vel comprehendit personas futuras in tali communitate, sed etiam iam existẽtes in illa. Imò per se primò obligat præsentes, quatenus constituunt actu hoc corpus: atq; hoc modo lex respectu personarum non solùm respicit futuras, sed etiam præteritas, vel potiùs præsentes, licèt per actum præteritum tali communitati vnitæ fuerint. Deinde nec ratione materiæ repugnat hoc decretum habuisse suam efficaciã circa personas, quæ iam vouerant in Societate castitatem: quia Pontifex non solùm potest adiungere hoc impedimentũ voto in futurum emittendo: sed etiam iam emisso quatenus in præsens moraliter durat, & fit. Quia non est maior ratio vnius, quàm alterius. Neq; ad hunc effectum necessarius fuit consensus talium personarum: sed Pontifex ipse per efficaciam suę legis potuit talem inhabilitatem inducere, & subsequentes cõtractus irritare, quia per hoc decretum, nullam obligationem nouam ad aliquod opus cõsilij, talibus personis imposuit, neq; ad aliquem statum eos obligauit: iam enim ratione voti tenebantur non contrahere matrimonium, & in statu perfectionis perseuerare: sed solùm per eam legem cautum est, ne illi statui talis iniuria fieret, & medium prudens adhibitum, quo illa obligatio meliùs impleretur: nihil ergo est in ea lege, quod excedat Pontificis potestatem, aut propter quod inferiorum consensum requirat.

XII. *Instantia contra proximam resolutionem diluitur.*

Dices, qui, priusquam Ecclesia inhabilitaret Sacerdotes ad matrimonium, erant in sacris ordinati, non potuerunt per legem posterius latam inhabilitari, vt in superiori tomo tetigimus: ergo neque in præsenti. Respondeo ad antecedens dupliciter id potuisse contingere: primo quòd illi sacerdotes nullum haberent votum simplex integræ castitatis; & sic dato antecedente, negatur consequentia: est enim ratio valde diuersa: nam illi non poterant cogi ad vouendam castitatem *absolutè & simpliciter*: ergo nec poterat eis matrimonium prohiberi ipsis nolentibus, quia hoc est opus consilij, secluso voto: ergo multo minus poterant ad matrimonium inhabilitari, quia hoc plus est, quàm prohiberi: in nostro autem casu supponitur iam votum & obligatio in personis. Dixi autem *absolutè, & simpliciter*, quia si ad Ecclesię bonum expediret, potuisset in eo casu Ecclesia illis clericis præcipere, vt vel ab vsu Ordinum abstinerent, vel castitatem promitterẽt, & ita eo ipso quod ordine sacro vterentur, eos inhabiles ad matrimonium reddere: de quo citato tom. dictum est. Alio modo poterat id contingere, scilicet, vt sacerdotes illi haberent votum simplex castitatis, quia Ecclesia nondum impedimentum hoc adiunxisset, & tunc negatur antecedens: sic enim in eo etiam casu procedunt omnes rationes factæ.

XIII. *Resolutur vlterius quod de facto comprehenderit ex ipsius Pontificis verbis*

De potestate igitur nulla potest esse dubitandi ratio. Quod autem etiam de facto hoc sensu lata fuerit illa lex, patet primò ex serie, & contextu illius constitutionis. Nam prius expresè loquitur tam de his, qui hæc vota in Societate emiserunt, quàm qui in futurũ emittent, & de vtrisq; expresè declarat *verè & propriè religiosos fuisse, esse, & fore*: & de illis consequenter ait esse exemptos, ac sedi Apostolicæ immediatè subiectos, gaudereque priuilegiis Societatis, & fore apostatas, & excommunicatos à Societate fugiendo: ac tandem de illis ait, *eos omnes ad contrahendum inhabiles facimus*. Ergo euidenter loquitur etiam de his, qui iam erant in hoc gradu religiosorum Societatis constituti. Potestque hoc confirmari à simili: quia quoties Ecclesia similia impedimenta de nouo imponit, omnes personas iam existentes, & capaces talis impedimenti comprehendit: vt lex Concil. Tridentin. de inhabilitate ad contrahendum clandestinè, omnes homines iam existentes, & antea habiles comprehendit. Et si Ecclesia nunc adderet quintum gradum consanguinitatis inter impedimenta irritantia, non solùm futuros homines, sed etiam iam existentes, & in eo gradu constitutos inhabiles redderet: Sicut etiam è contrario, quando restrinxit gradus affinitatis, etiam iam natos, & in aliquo gradu existentes eo impedimento liberauit. Et per hæc satisfactum est ad rationes dubitandi in contrarium.

Confirmatur à simili.

CAPVT II.

Virum vota simplicia in Societate emissa dirimant præcedens matrimonium ratum.

I. *Sententia quorundam affirmans.*

DE hoc articulo nihil expresè declaratum inuenitur in toto speciali iure Societatis, neque in constitutionibus, neque in bullis Apostolicis huius religionis, & ideo res hæc aliquibus dubia visa est. Neque defuerunt graues Doctores, tam eiusdem Societatis, quàm externi, quibus visum fuerit hæc vota dirimere matrimonium ratam, eo ipso quòd constituunt hominem verè religiosum; nam habent traditionem adiunctam per se, & natura sua repugnantem traditioni, quæ in matrimonio fit: verè enim ac propriè constituunt hominem in statu perfectionis non minùs quàm vota: & professio facta in quacunque alia religione approbata: ergo habent eandem vim ad dissoluendum matrimonium ratum, priùs contractum. Patet consequentia, quia vel matrimonium illud includit conditionem libertatis transeundi ad statum perfectionis religiosæ, & sic illa conditio impletur per hæc vota: vel supponit declarationem Ecclesiæ per traditionem, vel legem vniuersalem dantem hanc facultatem his coniugatis, & sic etiam sub hac generali regula comprehendetur hic status cùm sit verè religiosus, & perfectionis, & decreta quæ de hoc loquuntur, non aliud requirunt, nec *professionem* nominant, sed ingressum religionis, vt patet cap. *ex publico*. cap. *ex parte* 2. de conuersion. coniugat.

Eorum primum fundamentum.

II. *Secundum fundam.*

Secundò videtur saltem hęc sententia nunc probanda, quando hæc vota reddunt personam inhabilem ad subsequens matrimonium ex constitutione Gregor. XIII. *Ascendente Domino*: Nam hinc fieri videtur, vt habeant etiam ad dissoluendum præcedens matrimonium ratum, tum quia non est maior ratio de vno quàm de alio, cùm hæc inhabilitas requirat traditionem, & statum repugnantem matrimonio: tum etiam, quia iam in tali voto reperitur omnis solennitas, quæ in voto religionis desiderari potest, vt dissoluat matrimonium ratum iuxta doctrinam Concil. Tiden. sess. 24. can. 6. & antiquorum decretorum. Patet antecędens, quia in his votis, & est solennitas accidẽtalis per publicam emissionem, acceptationem, & traditionem, & est solennitas substantialis, quæ (vt tom. super. diximus) consistit in virtute morali, seu legali ad reddendam personam inhabilem ad matrimoniũ. Confirmatur primò, quia vota religionum militarium, cum quibus dispensatum non est, quoad matrimonium contrahendum, vt vota militum S. Ioannis, eo ipso dirimunt matrimonium præcedẽs ratum iuxta veriorem, & magis receptam sententiam, vt eodem tomo visum est: ergo similiter, &c.

Confirm. primò.

Secundò. Confirmatur secundò, quia nihil est in instituto Societatis, quod huic effectui repugnet. Quia constitutiones non prohibent, quominus recipi possit, qui matrimonium contraxit, dummodo illud non consummauerit, vt per argumentum à contrario colligitur ex cap. 2. Examin. §. 4. iuxta quod intelligendum est quod 1. part. constit. cap. 3. §. 6. absolutè dicitur, matrimonij vinculum esse impedimentum, &c. Nam ibi etiam declaratio aduertit, si accedat consensus coniugis, & alia quæ Ecclesia requirit definere esse impedimentum: at in matrimonio non consummato, Ecclesia non requirit consensum coniugis: ergo ligatus vinculo matrimonij rati, potest in Societatem recipi: ergo vinculum illud potest dissolui per vota acceptata in hac religione. Alioqui maneret aliquis verè religiosus, & adhuc ligatus vinculo matrimonij rati, inuita coniuge: quod & repugnat statui religionis, & alteri coniugi esset onerosum, vel posset suum ius exigere, essetque illi reddendum. *Tertiò* Tertiò confirmatur ex Bulla 3. Pij V. anno 1571. vbi concedit omnibus religiosis Societatis, etiam scholaribus, vt omnes dispositiones in fauorem aliorum regularium factæ in eis locum habeant. Sed quòd votum castitatis dirimat matrimonium prius contractum, & tantùm ratum, est quædam dispositio iuris maximè fauorabilis religioni, vt ab illa non arceantur, qui solo matrimonio rato ligati sunt: & ipsis religiosis vt ad altiorem statum ascendere possint: ergo.

III. *Sententia auctoris negans & verior, quã tradunt etiam Vazquez 1. 2. d. 165. cap. 10. Sanches l. 2. de matrimonio disp. 18 num. 6 Notatio ad probationem de duplici tempore Societatis ante, & post Greg. XIII.*

Contraria sententia frequentiùs à viris doctis recipitur, mihique semper verior, ac securior visa est. Vt autem eam cõfirmemus, distinguamus duos status, seu duo tempora, quæ huiusmodi vota habuerunt. Vnum est, quando non reddebant vouentem inhabilem ad subsequens matrimonium quod durauit vsque ad annum 1584. in quo Gregor. XIII. prædictam constitutionem edidit. Aliud est tempus in quo iam hęc vota habent hanc vim à tempore prædictæ constitutionis. In vtroque autem statu, ac tempore constituebant hominem verè ac propriè religiosum, seu in statu religionis: quia non solum de hoc præsenti statu id declarauit prædictus Pontifex in illa constitutione: sed de priori id etiam declarauerat anno 82. in Bulla, quæ incipit, *Quanto fructuosius*. In qua non concessit hoc priuilegium his votis, vt quidã falsò calumniantur, quos iam lib. præcedent. cap. 3. num. 3. refellimus, sed declarauit Pontificia authoritate illa vota sic emissa, recepta, & approbata, vt antea erant à summis Põtificibus, ex se habere vim ad constituendum verum religionis statum, ac personam verè, ac propriè religiosam, vt latiùs eo loco declaratum est: in altera ergò constitutione posteriori, solùm addit Gregorius prædictum effectum, quem non esse de substantia status religiosi, ibidem etiam est ostensum.

IV. *Probatur iam primò sententia de tempore priore.*

Quod ergo ad primum tempus attinet facilè ex superiùs dictis ostendi potest, tunc hæc vota non habuisse vim ad præstandum hunc effectum. Primò, quia tom. superiore ostensum est nunquam in Ecclesia visum esse, vt votum castitatis adiunctum alicui viuendi modo, aut statui, dirimat matrimonium factum, & nõ impediat, ac irritet contrahendum: & ibi etiam probatum est; licèt de absoluta potestate Pontificia fortasse hoc fieri possit, non expedire vllo modo id fieri, sed illo tempore hęc vota non irritabant matrimonium contrahendum: ergo multo minus poterant soluere iam contractum. *Secundò.* Secundò quia hic effectus non sequitur ex sola rei natura ex voto aliquo, vel ex subsequente promissione, aut quouis humano contractu priuata authoritate facto. Nec etiam iure diuino positiuo adiunctus est hic effectus alicui voto, aut statui religioso, sed necessaria est Ecclesiæ authoritas, per quam virtus ad hunc effectum tribuatur, vt ibidem etiam probaui, sed illo tempore non fuerunt hæc vota ab Ecclesia recepta, & approbata ad hunc effectum; ergo. Probatur minor. quia vel approbatio fuisset specialis per aliquod ius proprium ipsius Societatis à Pontifice probatum, & hoc non, quia nec in prioribus Bullis Pontificijs, nec in constitutionibus Societatis vlla est mentio talis effectus. Vel esset generalis approbatio per decreta iuris communis: & hoc etiam dici non potest, quia ius commune solùm votis solennibus emissis in professione religionis, concedit hunc effectum, vt patet ex Conc. Trident. sess. 24. can. 6. vbi de solenni professione hoc definiens tacitè ita explicat iura antiqua, & significat non aliter solui. Item ex c. *verum. c. ex publico.* & cap. *ex parte.* de conuers. coniugat. & Extrauag. vnica de voto. Ioan. XXII. In ipsis autem Bullis, & constitutionib. declaratum est, hæc vota non esse solennia, neque actum illum, in quo emittuntur, & recipiuntur, esse professionem religionis, de qua iura communia loquuntur. Nam Greg. etiam XIII. supra declarat sine tali professione fieri aliquem verum religiosum, per talia vota: ergo eo ipso declaratum erat, ex vi iuris communis non habere prædicta vota illum effectum.

V. *Confirmatur hoc fundamento argumenti.*

Et confirmatur, quia hanc solam ob causam satis tunc declaratum censebatur illa vota non irritare matrimonium subsequens, quia declarabantur illa vota esse simplicia, & in iure votum, quod dirimit subsequens matrimonium, solenne dicitur, cap. vnico de voto, in 6. Et quod attinet ad votum religionis, solum illud tale censetur, quod in professione fit; ergo eadem ratione declaratum fuisse censendum est, illa vota Societatis non diremisse matrimonium priùs factum. Quòd enim quidam dicunt, hunc effectum non esse concessum professioni propriè sumptæ, aut voto solenni, sed statui religionis, & voto cuicunque sufficienti ad constituendum talem statum: nullo sufficienti fundamento magis ostendi potest de præterito, quàm de futuro matrimonio. Tertiò tandem probatur, *Tertiò.* quia consuetudo est optima legum interpres in illo verò tempore nunquam illa vota recepta sunt, vt sufficientia ad dirimendum matrimonium: neque communi consuetudine, aut æstimatione aliud factum est vnquam, aut declaratum, vt constat ex communi praxi huius religionis; ergo signum est talia vota non habuisse hunc effectum.

VI. *Dimidia tempora probantur.*

Ex his facilè est gradum, facere ad posterius, seu præsens tempus, & de illo idem ostendere hoc enthymemate, quia per constitutionem prædictam Gregor. XIII. nihil circa hoc punctum innouatum est: ergo in eodem statu permanet, in quo antea erat. Antecedens patet ex verbis eiusdem constitutionis: *Nec ante huiusmodi dissolutionem, & à Societate dimissionem, matrimonium contrahere, quinimo eosdem ad contrahendum inhabiles, ac contractus huiusmodi nullos, & irritos esse, prout irritos facimus, & annullamus.* Ex quibus verbis constat, Pontificem solùm addidisse his votis nouum impedimentum irritans matrimonium postea subsequutum; de præcedenti verò nullam fecisse mentionem. Quòd verò vnum sub alterò non comprehendatur, nec ex illo consequatur, ostendetur probando simul consequentiam facti enthymematis. Illa verò probatur primò ex dicta Extrauag. de voto Ioan. XXII. vbi simili argumento probat, votum sacri Ordinis non dirimere matrimonium ratum priùs contractum, quia Ecclesia illicum ius solùm disponit, vt dirimat contrahendum, & de contracto nihil loquitur. Rectè ergo nos in præsenti colligimus, est enim eadem forma argumentandi, & omnino eadem ratio; videlicet, plus esse dirimere factum, quàm impedire faciendum; nulloque modo in hoc posteriori illud priùs continent.

Instantia remouetur.

neri. Neque obstat, si quis objiciat, quia optimè infertur: dirimit contractum: ergo impedit contrahendum: ita etiam è contrario sequetur, dirimit contrahendum; ergo & contractum. Negatur enim consequutio, quia prior illatio est à maiori ad minus; quia difficilius est soluere ligatum, quàm impedire ne ligetur, turpiùsque ejicitur, quàm non admittitur hospes. Alia verò illatio non est formalis, solúmque in terminis conuertibilib. locum habet. Addo etiam, priorem illationem non esse per locum intrinsecum, licèt de facto credamus esse bonam secundùm Ecclesiæ morem rationi consentaneum; at posterior neutro modo valida est.

VII. *Probatur secundò.*

Vnde argumentor secundò, quia multa alia sunt impedimenta irritantia matrimonium contrahendum quæ non dirimunt contractum: ergo licèt hoc nouum impedimentum in Societate positum fuerit, respectu futuri temporis, seu matrimonij, non sequitur dirimere præteritum. Antecedens patet, quia aliquando hoc impedimentum ponitur in fauorem prioris matrimonij, vel in pœnam delicti vxoricidij, vel machinationis alteri⁹ coniugij: interdum ponitur ob decentiam, vt impedimentum cõsanguinitatis, vel affinitatis; interdum ob alias causas, quæ non possunt accommodari, vel non ita accommodantur præterito actui sicut futuro. Consequentia verò probatur, quia ab his quæ non solùm dissimilia sunt, sed etiam separabilia, non rectè fit illatio. Maximè cùm posset intercedere ratio longè diuersa, sicut in voto continentiæ sacri ordinis videre licet. In eo enim positum est impedimentum dirimens subsequens matrimonium, vt muniat, & conseruet votum illud, & decentiam illius status; quod propterea non oportuit extendi ad præcedens matrimonium; quia cùm non supponatur, aut ordo collatus, aut votum factum, satis vitatur indecentia prohibendo, ne post matrimonium ratum, etiam non consummatum aliquis ordinari possit, sine consensu vxoris, & illa simul vouente, iuxta Ecclesiasticas leges; nam quòd aliquando possit quis contrahanc legem Ecclesiasticam, indebitè ordinari, & in matrimonio manere ordinatus, & obnoxius debito coniugali reddendo, est rarum & accidentarium incommodum, propter quod vitandũ non fuit necessarium: vel vniuersalem facultatem dare sic recipiendi ordines, vel permittere vt per illam susceptionem, etsi indebitam, matrimonium factum solueretur; Nam aliis modis potuit Ecclesia illi malo prouidere, sicut & prouidit. Sic ergo in præsenti loco impedimentum positum est, quasi in monimentum, & custodiam votorum Societatis, & vt ille status semel assumptus non posset facilè labefactari, aut violari: at citra matrimonium priùs factum hæc ratio non habet locum, nec noua aliqua quę mouerit Pontificem ad priùs ius immutandum, sicut multæ graues mouerunt ad immutandum pro matrimonio futuro, vt capite præcedenti n. 9. vidimus.

VIII. *Probatur tertiò.*

Vnde argumentor tertiò, quia per nouum ius ab antiquo non discedimus, nisi quatenus in nouo expressum est, vt sumitur ex leg. *præcipimus*. Cod de appellat. præsertim in materia odiosa, qualis de se est omnis lex irritans, vel annullans contractum, alioqui natura sua validum: & tunc maximè quando in ampliatione, seu extensione similitudo rationis non est omnino eadem, sed hæc omnia in præsenti concurrunt. Nam quòd vota simplicia dissoluant matrimonium, vel dirimant contrahendum, nouum ius est, corrigens quoad hanc partem iura antiqua, vt ex superiori tom. de voto simplici castitatis satis constat, estque hæc materia de se odiosa; nam licèt videatur fauorabilis alicui statui religioso, tamen est de se in præiudicium tertij, scilicet vxoris quæ per matrimonium ius acquisiuit, & aliquo modo derogat ipsi matrimonio. Et propterea fauor religionis per tale ius intẽtus sufficienter obtinetur per impedimentũ futuri matrimonij, vt in argumentorum solutione explicabimus; ergo cùm nouum ius aliud non exprimat, extendendum non est.

IX. *Ad primum fundamentum n. 1.*

Ad primum ergo fundamentum contrariæ opinionis, negatur consequentia, quia status perfectionis, vt sic, non dissoluit matrimonium ratum: Episcopi enim status perfectior est, & non dissoluit, quia nullo iure id cautum est, vt in prædicta Extrauag. dicitur, & in tomo super. est disputatum. Vnde ad probationem negatur vtraque pars assumpta: quia reuera in contractu matrimonij nulla talis includitur conditio; nec etiam est vlla lex Ecclesiastica, quæ virtutem hanc tribuat quibuscunque votis, quæ sint substantia religiosi status, sed votis tantùm solennib. ex vera, & propria professione religionis, vt declaratum est. Neque obstat, quòd in citatis iuribus non fit expressa mẽtio *professionis*, aut *voti solennis*, sub his vocibus, sed sub nomine *ingressus religionis*: nam iure communi hæc æquipollebant, & ita pro eodem sumuntur in iure, vt omnes interpretes docent, & sumitur ex alijs iuribus dicentibus, religiosum fieri professione, quæ suprà retulimus, & Concil. Trident. satis significauit; & colligi etiam potest ex Extrauag. Ioan. XXII. de voto. ibi, *Et eius regulam expressè, vel cautè profiteri.* Et infrà, *Adingressum huiusmodi, &c.* Deniq; si argumentum illud esset alicuius momenti, probaret etiam, hæc vota ex vi iuris communis, sine constitutione Gregorij impedire futurum matrimonium, irritando illud, quod asserendum non est, vt ex cap. præcedent. patet. Et sequela valet: nam idem omnino argumentum de illo fieri potest, quod ibidem præced. cap. fecimus, & similiter soluimus.

X. *Ad secundũ fundamentum in n. 2.*

Ad secundum fundamentum negatur, aliquid esse circa hoc innouatum per constitutionem Gregor. XIII. negatur etiam esse eandem rationem de impedimento futuri, & dissolutione facti matrimonij. Denique negatur hæc vota nunc habere solennitatem in iure requisitam, quia in illamet constitutione semper cauetur hæc vota manere simplicia, & in eorum emissione, & receptione non fieri veram professionem. Quid autem his votis desit ad absolutam solennitatem, iam suprà declaratum est; neque enim deest extrinseca, seu accidentalis solennitas, nec vis impediendi subsequens matrimonium, sed deest absoluta perpetuitas, quæ ex vtraque parte religionis, scilicet, & religiosi nascitur. Et hoc confert multum ad præsentem effectum: quia, vt supra dicebam, absurdum esset, vt liberaretur quis à vinculo matrimonij per transitum ad religionem, à qua posset superioris auctoritate propter frequentes, & ordinarias causas, liber dimitti. Et propter hanc rationem non esse simile, quod in prima confirmatione affertur de religiosis militibus S. Ioannis; illi enim verè profitentur, votumque solenne emittunt, à quo liberari non possunt, nisi in casu raro, authoritate, aut dispensatione Summi Pontificis.

Ad primum confir. ibid.

XI. *Ad secundã confirm.*

Ad secundam etiam confirmationem ex eodem principio respondendum est, multa esse in Societatis instituto, quæ huic effectui repugnant. Primum quòd in illo sæpiùs declaratur, hæc vota esse simplicia. Deinde quod nulla fit eius mentio in Bullis Pontificiis, aut constitutionibus. Denique quòd vota non habent eam absolutam perpetuitatem in vtroque capite, quæ ad hunc effectum secundum morem Ecclesiæ, necessaria est. An verò vinculum matrimonij rati, sit impedimentum essentialiter impediens receptionem alicuius in hac religione inuita coniuge, in dubium verti potest,

Dubii incidentis resolutio hîc posita.

pro-

propter ea quæ in illa confirmatione tanguntur. Mihi tamen probabilius videtur absolutè non esse impedimentum: oportere autem vt Societas in aliquo iure suo dispensare velit. Declaratur vtraque pars ex ratione facta: non enim potest ille, qui matrimonij rati vinculo ligatus est, assumere statum postulantem cœlibatum, nisi talis sit ille status, qui dirimat matrimonium ratum, vt ostensum est; ergo nemo potest in Societate recipi ad illum statum profitendum, dicto vinculo matrimonij ligatus, non obtento priùs consensu vxoris, & seruatis alijs circumstantijs circa illam, quas iura requirunt. Vnde cùm ordinario iure Societatis nemo recipiatur ad probationem eius, nisi in ordine ad hunc statum priùs profitendum, multoque rempore permanendum, prius quàm ad solennem professionē perueniat, fit, vt seruato eodem iure, nemo possit recipi cum prædicto impedimento. Maior (reliqua enim sunt clara) patet, tum exemplo: ob hanc enim causam non potest quis, cùm eo impedimento sacrum ordinem recipere: &, si de facto ordinetur, licèt ordo teneat propter efficaciam sacramenti, suspensus tamen, & irregularis manet, & ad consummandum matrimonium compellitur, si vxor nolit cedere iuri suo, neq; ipse religionem ingredi. Tum etiam ratione, quia grauis iniuria fieret mulieri: compelleretur enim multo tempore cœlibem manere, non sine periculo: aut ingredi religionem: vel alio modo castitatem profiteri.

Declaratur prior pars.

XII. *Declaratur posterior.*

Altera verò pars, seu limitatio declaratur; quia liberum est Societati immediatè post probationē nouitiatus aliquem ad solennem professionem admittere; ergo, si velit aliquem recipere, quasi sub pacto, & obligatione vel recipiendi illum ad professionem solennem statim post probationem, si in ea rectè se gesserit, vel dimittendi statim liberum, nihil impediet, quominus possit illum recipere, licet matrimonij rati vinculo ligatus sit. Quia tunc cessat ratio facta, & nulla ex parte fit iniuria vxori, nec religioni, cùm ad hunc modum recipiendi sit in ea potestas, & propter alias graues causas fieri soleat. Et fortasse hoc significatum est in illis duobus locis in ipsa 2. confirmatione citatis, quæ hoc modo videntur concilianda; nam absolutè loquendo solum matrimonium consummatum est impedimentum cum quo nemo recipi possit inuita coniuge vllo modo, nec interueniente dispensatione ipsius Societatis. Et ideo priori loco examinis, consummati matrimonij mentio facta est. Quia verò matrimonium ratum aliquo modo impedit seruato iure ordinario, ideo fortè ad hoc insinuandum in 2.p. constitut. absolutè matrimonium positum est.

Duo loca ex iure Societatis in eadem 2. confirmat. allata conciliantur.

XIII. *Vxoratus ingrediens Societatem vno tantum anno probari debet.*

Addo verò insuper, vt hoc posterius magis constet, quia singulare est in Societate, vt tempus nouitiatus per biennium duret, ideo non solùm videri in hoc negotio necessariam dispensationem recipiendi aliquem ad professionem solennem, immediatè post biennium (licèt non tam dispensatio, quàm rarus vsus ordinarij iuris appellari possit) sed etiam immediatè post primum probationis annū completum. Nam vt ampliùs expectetur, ne vxori petenti ius suum statim reddatur, necessarius est consensus eius, nec potest inuita cogi per integrum annum expectare. Ratio est, quia communi Ecclesiastico iure, ac cōsuetudine, vxor non potest compelli ad expectandum nisi per annum post receptionem habitus, quæ etiam non potest vltra duos mēses differri: ergo propter specialem Societatis mōdum circa probationem nouitiorum, non potest vxor in vita cogi ad expectandum: necesse est ergo, vt vel ipsa consentiat, vel Societas in eo tempore dispensēt, quod ex iusta etiam causa facere potest.

Huius assertionis ratio.

Cōfirmatur. Quæ omnia vsu etiam ipso confirmantur, quo iura rectè interpretamur; nam propter hæc incommoda vitanda, & quia dispensatio in tempore biennij ante professionem solennem rarissimè in hac religione est, & vix semel, aut iterum concessa, ideo vsu semper seruatum est, vt nemo ligatus vinculo matrimonij rati in Societatem recipiatur, intellectum enim, vt credo, est, vinculum illud non posse dissolui absq; professione, & alioqui cautum est, ne professio ante tempus præscriptum detur, nisi ex grauissimis causis, quæ ad huiusmodi receptionem rarò aut nunquam occurrunt.

Ad tertiam confirmationem, si illatio bona esset, etiam probaret à tempore Pij V. hęc vota reddidisse inhabiles personas ad matrimonium, atq; irritasse subsequutum; quia hæc etiam est dispositio iuris communis fauorabilis religioni, & ipsis religiosis, vt in suo statu magis quieti sint. Constat autem hoc non esse verum, nec sequi: ergo nec primum. Negatur ergo consequentia, tum quia Pius V. non loquitur de conditionibus annexis ipsis votis, sed de priuilegijs, & gratijs concessis ipsis personis; tum etiam, quia non agit de dispositionib. iuris communis quæ alienæ sunt vel repugnantes specialiuri, & institutioni approbatæ in Societate. sed de illis, quę religioso statui communes sunt. XIV. *Ad 3. prm. in oppos. num. 2.*

CAPVT III.

Quibus mediis iuuet Societas subditos ad votum castitatis seruandum.

NEc de obligatione agimus, nec de vsu. Nam de priori iam in lib. 1. cap. 3. dictum est, esse maximam quàm esse potest, tam intensiuè, quàm extensiuè: & ideo quoad hanc partem nullam declarationem requirit, vt dixit B.P. Ignat. 6.p. Constitut. cap. 1. §. 1. statim citando. Posterior autem non ad ius, sed ad factum pertinet, quod hic referre nec nostri instituti est, neque ad doctrinam tradendam est necessarium, sed inuigilandum semper, ne religionis splendor hac in parte obnubiletur. Solùm ergo explicanda est prouidentia, & perfectio Societatis quoad hanc partem. Duo autem in hoc spectari possunt, scilicet finis, & media. De fine sufficiunt verba eiusdem B.P. Ignatij loco citato. *Quæ ad votum castitatis pertinent, interpretatione non indigent, cùm constet, quàm sit perfectè obseruanda, nempe emitendo angelicam puritatem imitari, & corporis, & mentis nostræ munditia.* Quæ verba iam dicto in lib. cap. 3. nu. 4. attigimus, & ostendimus quàm sint conformia doctrinę & exemplis antiquorum Patrum. Intenditur ergo, (quod ad finem attinet) maxima perfectio, quātum in hac parte desiderari, & ordinaria lege comparari potest. De mediis etiam aliquid, citato cap. 3. attigimus: tamen ad maius doctrinæ complementum, & vt obseruationes nonnullas Societatis obiter explicemus, aliqua in particulari addemus. I. *Quam sit finis obseruandi castitatis. Quam sit media obseruanda.*

Primum ergo, ac præcipuum medium est frequens oratio, & spiritualium rerum meditatio: nam illa maximè necessaria est ad diuinam gratiam obtinendam, sine qua votum hoc seruari non potest, iuxta illud Sapien. 8. *Sciui quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientis scire cuius esset hoc donum.* Hæc verò valde vtilis est ad Dei timorem, & amorem in animo generandum, quorum præsidio maximè seruatur castitas, & vitia illi contraria vincuntur. Quantum autem & quale sit spirituale hoc exercitium in Societate, in superioribus visum est, lib. 1. cap. 3. à num. 8. cùm de perfectione instituti ageremus, & lib. 9. cap. 7. aliquid attingemus, ac videri potest Basilius, de Constitut. monast. cap. 2. de efficacia orationis ad hunc effectum. II. *Primum medium orationis. Quantum & quale sit hoc exercitium. Quæ de hoc dicta.*

Secun-

III. *Secundum manifestatio conscientiæ, &c.*

Secundum medium est, vt inferiores à suis superioribus iuuentur, ad superandas difficultates omnes, & pericula, quæ circa huius voti obseruationē occurrere solent. Nam post diuinum adiutorium, nullum vtilius, & efficaciùs inueniri potest. Imò, quia Deus vult homines hominibus subiici propter eum, ideo sæpe per hoc medium suum præbet peculiare auxilium, quod fortasse non concederet, si hoc contemneretur. Duobus autem modis potest Prælatus in hoc opere subditum iuuare. Primo sua vigilantia, ac prouidentia, quam ratione sui officij *Vnus modus vtendi hoc medio.* adhibere tenetur. Vix autem potest efficaciter, & suauiter hoc præstare, nisi vniuscuiusq; indigentiā & difficultates, seu tentationes perspectas habeat. Quam cognitionem vix, aut nullo modo assequi poterit, nisi ab ipsomet subdito sincerè, ac purè aperiantur; & ideo monentur religiosi Societatis, vt superioribus suis nihil in hoc genere occultent, sed tentationes omnes, ac pericula manifestent, vt ab eis possint iuuari, vt patet in Exam. c. 4. §. 34. & 3. p. c. 1. §. 12. vbi declaratur satis esse si hęc notitia detur, vel superiori, vel confessario, vel alteri cui specialis cura circa spiritualem profectum religiosorum demandata sit.

IV. *Modus hic consonus S. Patribus.*

Hoc autem remedium ab antiquis Patribus nimis commendatum, & laudatum est, vt videre licet apud Cassianum collat. 2. cap. 10. & sequentib. & in S. Dorotheo de renunciatione doctrina 5. quę est, *Non debere quemquam suæ prudentiæ confidere.* Vbi inter alia ait, nihil ita dæmonem abominari ac fugere, sicut pandi, & aperiri malitiam suam, vbi hoc latè ostendit, & exemplis confirmat. Quod etiam optimè declarauit Beatus Ignatius in suis exercitijs spiritualibus, in regulis ad motus animæ discernendos. Vbi in 13. sic inquit: *Inimicus noster morem insequitur iniquissimi iuuenis amatoris, qui puellam honestorum parentum filiam, volens seducere, summopere procurat, vt verba, & consilia sua occulta sint, nilque reformidat magis, ac agrè fert, quàm si puella patri suo illa patefaciat, cum sciat, hoc pacto de votis ac conatibus suis actum esse. Ad eum modum obnoxiè satagit diabolus, vt anima quam circumuenire cupit, ac perdere, fraudulentas suas cogitationes teneat secretas: indignatur vel ò maximè, & grauissimè cruciatur, si cui vel confessionem audienti, vel spirituali homini molimina sua detegantur, à quibus se ita excidere funditus intelligit.* Cuius rei ratio multiplex reddi potest. Prima, & maximè propria, quia hoc modo superior congruentia adhibere potest remedia. Secunda, quia suis orationibus potest etiam & debet magis subditum iuuare. Tertia, quia Deus maius etiam confert auxilium propter humilitatis opus, & obedientiæ subiectionem. Iam modus alter subditum iuuandi est, vt vnusquisque, etiam de his rebus, quæ ad alios pertinent, possit huiusmodi notitiam superioribus præstare, propter illorum, & totius religionis maius bonum. Sed de hoc puncto infrà dicendum est latiùs lib. 10. cap. 6. cùm eam regulam explicabimus, quæ ad correctionem fraternam pertinet.

Habitur tom. 2. Bibl. sanctor.

Alter modus.

V. *Tertium medium ex D. Thoma, corporis macerato per abstinentiam.*

Tertium medium, & inter externa maximè accommodatum, est corporis maceratio, vt notauit D. Thom. 2. 2. quæst. 188. artic. 6. ad 3. vbi inquit. *Ad continentiam efficaciùs ordinatur macerato carnis tam per abstinentiam cibi & potus, quæ pertinent ad famem & sitim, quàm per subtractionem vestium, quæ pertinent ad frigus, & ad nuditatem, & quàm per corporalem laborem.* Ex quibus verbis colligo in primis, abstinentiam ciborum, quatenus est medium seruandę castitatis, magis in moderatione, seu diminutione quantitatis, quàm in ciborum qualitate consistere: non enim sine causa addit D. Thom. per abstinentiam cibi, & potus, quæ pertinent ad famem, & sitim; hi enim effectus, ex defectu quātitatis maximè prouenium, & radicem corporalem seu materialem prauorum motuum maximè moderantur, & ideo diminutio quantitatis cibi, & potus maximè iuuat ad castitatis obseruantiam, quanuis etiam ciborum delectus, seu qualitas iuuare multum possit. Propter quod dixit Basil. serm. 1. de institutione Monach. Castitatem perfectam includere omnem temperantiam, & modestiam. Quanta verò moderatio in hoc genere in Societate seruetur, confiderata ratione instituti, & laboribus eius, satis in superioribus lib. 1. indicatum est.

VI. *Tum etiam per laborem, seu conuenientem occupationem.*

Quanuis autem inter tria media corporalia, quæ D. Thom. attigit, corporis laborem vltimo loco posuerit; tamen & ad præscribendum debitum modum, ac conuenientem gradum in primo medio de abstinentia cibi & potus, eius consideratio multum necessaria est; & per se etiam multum confert ad castitatis hostes superandos, non solùm, quia corpus extenuat, & affligit: sed etiam, quia otium excludit, quod maximè solet perfectioni castitatis aduersari. Propter quod dixisse videtur Innocent. III. *Otiositas, & voluptas anima sunt hostis antiqui ad miseras animas capiuandas.* Vbi glossa adducit illud Ouidij,

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.

Quod varijs exemplis confirmat author serm. 17. ad fratres in eremo, vbi inter alia inquit. *Quid ergo dicis ô frater, quid otiosi facere potes, nisi opera carnis.* Hinc etiam est illud Hieronymi celebre consilium in epistol. 4. ad Rusticum, quod etiam refertur in cap. *nunquam.* de consecrat. d. 5. *Facito aliquid operis, vt semper te diabolus inueniat occupatum.* Hoc ergo consilium summa cum diligentia seruari voluit Beatus P. noster Ignatius, dicens in 3. p. Constitut. cap. 1. §. 6. *Omnes quandiu corpore bene valent, in spiritualibus, vel exterioribus rebus, habeant in quo occupentur: & qui officium, vel ministerium certum habent, vt de auxilio prouidendum est eis, si est necessarium, ita cum vacant an aliis rebus occupari debent, ne otium malorum omnium origo, quo ad eius fieri possit dominos tra locum habeat.* Quod etiam repetit p. 4. cap. 10. §. 6. Et videntur illa verba ferè desumpta ex regula S. Benedicti cap. 48. Et similia leguntur in regula S. Francisci cap. 5. Quanuis autem consilium hoc ad vincenda omnia vitia necessarium sit, vt per se constat, & dicti Patres significant, & prosequitur Cassia. li. 10. de institutis renuntiantium, per totum. Et Basilius homil. 7. hexaemer. Specialiter tamen ad castitatem seruandam confert, vt latè prosequitur Bonauentura li. de reformatione mentis c. 13. & lib. de septem itineribus æternitatis, itinere 7. d. 2.

Ser. ad frat. in Eremo.

Vide Isidorū lib 3. de summo bono c 20

Ad hoc etiam remedium spectat, quod Basilius suprà attigit de modestia, quæ in sensuum obseruantia, & custodia maximè cernitur, qua nihil magis necessarium esse potest ad castitatis puritatem seruandam, iuxta illud Iob. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* seruandi ergo sunt sensus ne cogitatio, quæ radix malorum omnium est, insurgat, vt latè ibi prosequitur Gregor. lib. 21. moral. cap 1. vide Esaiam Abbatem Orat. 27. ad fratres cap. 15. *Attende* (inquit) *tibi diligenter, vt quemadmodum à libidine temperas, sic etiam oculorum, & aurium cohibeas cupiditatem.* Et similia videri possunt in Isidoro lib. 2. de summo bono ca. 39. *Sicut quidam* (inquit) *sapiens ait, prima fornicationis tela sunt oculorum, secunda verborum: sed qui non capitur oculis, potest verbis resistere.* Vide pluries August. & alios apud Gratianum 32. quæst. 5. & rursus August. in sua regula cap. 21. & in Psalm. 143. *Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium, &c.* Ob hanc ergo causam hoc etiam medium maximè in Societate commendatur & obseruatur. Vnde in 3. p. Const. cap. 1. §. 4. *Omnes diligentiss mè curent* (dicitur) *portas sensuum suorum oculorum præsertim auriū, & linguæ ab omni inordinato custodire, &c.* Et in particulari ad mode-

VII. *Huc accedit modestia in sensibus exi; Basil.*

modestiam seruandam speciales regulas de modestia B.P. Ignatius reliquit. Quo etiam spectat regula 12. ex communibus quæ decentem in cubando modum præscribit.

VIII. *Quartum medium vitare collo quia etiam scripto cum fœminis.*

Quartum medium est vitare consortia, siue colloquia fœminarum, tam in præsentia per colloquia, quàm in absentia per literas. De quo medio sic scripsit Basilius in Const. monast. cap. 4. *Fugiendæ inprimis sunt nobis cum mulieribus congressiones, & colloquutiones, &c.* Quem imitatus B. Ignatius in regulis superiorum admonet, vt mulieres inuisere, aut ad eas scribere, nisi in necessitate, aut cum spe magni fructus, & nisi viris valdè probatis, aut prudentibus, non permittant. Et in regulis sacerdotum grauissimè admonentur, cùm necesse fuerit fœminarum confessiones audire, aut ob aliud necessarium pietatis opus fœminas inuisere quoad fieri possit in loco omnibus patente vbi ab alijs videri possint, & saltem proprium socium præsentem habeant, quâuis ea quæ secreta esse oportet audire non debeat, & negotium breuiter expediant. Quæ regula vt exactè custodiatur prouisum est in ordinationibus contractis cap. 1. num. 9. & in instructione pro confessarijs cap. 2. & per se prudentissima statim apparet, & antiquis Patribus, & Concilijs est consentanea, vt videre licet apud Gratian. 81. d. cap. *volumus*. cum sequentibus. Et ex Concil. III. Carthag. cap. 25. Concil. Africano cap. 5. & Concil. Matiscon. I. cap. 3. & ex Clemente I. Epist. 1. vbi præcipit, vt nullus clericus, vel monachus solus ad fœminas accedat, vel cum eis loquatur. Cuius egregium Augustini exemplum sumitur ex Possidonio in vita eius cap. 6. Eiusque ex parte meminit Gregor. lib. 7. epist. 39. & refertur in cap. *Igitur*. 81. d. Denique D. Hieron. in regula Monachorum ad Eustochium (quam aliqui illius esse non negant, & omnes ex illius sententijs collectam esse fatentur) c. 4. *Matrem* (inquit) *ita vide ne per illam alias videre cogaris.* Et infrà: *Volo ego te propter has causas non habitare cum matre*: & alia quæ optimè prosequitur, specialiter verò addit inferius, *Crebra munuscula, & dulces literulas sanctus amor non habet.* Quod sumptum videtur ex epistola 2. ad Nepotianum. Quod etiam prospiciens B.P.N. Ignatius, statuit vt literæ fœminarum, quoad fieri possit, caueantur, & in vniuersum ne literæ sine facultate superioris mittantur, aut recipiantur. de qua regula inferius circa votum paupertatis dicemus. Denique huc etiam spectat, quòd fœminæ Collegia, aut domus Societatis ingredi permitti non debent, vt statuitur 3. p. Constitut. cap. 14. & in proprijs superiorum regulis. quod quàm sit consentaneum antiquis & nouis Ecclesiæ decretis, ex tractatis in tom. superiori de religione in communi satis constat.

Vide Corisla num in regu la 5. August. Commè 29. & Ioannum Trullo lib. 4 cap. 11.

Ad hoc me dium spectat ne fœmina domum societatis intrent.

IX. *Quintum medium cautela familiaritatis, humanaque amicitia inter religiosos Societatis maximè iuuenes.*

Quintò, ad hæc media pertinet, vt omnis nimia familiaritas, & singularis, ac humana amicitia, inter iuuenes præsertim, caueatur. Quod in Societate summa diligentia obseruatur, sicut in omni communitate religiosa obseruandum esse docuit Basilius in Asceticis serm. 1. de abdicatione rerum, post medium. *Iuuenis* (inquit) *siue ætate, siue animo fueris æqualium tuorum consuetudinem defugito, ab illisque te non secus, atque ab ardentissima flamma contine.* quod optimè, & descendens ad omnia particularia prosequitur, ac tandem concludit. *Crede mihi, quoniam fraternè tibi, & ex animo recessu loquor.* Et sermon. 1. de Institut. Monachorum circa finem. *Porrò* (inquit) *in huiusmodi contubernio, neutiquam patitur charitatis lex aliquas coiri seorsum aut amicitias, aut sodalitates.* Quod serm. 2. iterum repetit, & in regul. 34. ex fusioribus, amorem hunc vitiosum vocat, & vitium maximè infame. Ac denique in Const. Monach. cap. 30. *Charitatem* (inquit) *habere inter se mutuam fratres debent, nõ ita tamen, vt duo, treue, à cæteris inter se, sodalitatem coeant: quandoquidem hoc non charitas est, sed seditio, & diuisio: & eorum, qui sic coeunt, improbitatis indicium.* Ad huiusce ergo humanas familiaritates vitandas, præter actualem superiorum vigilantiam sunt in Societate regulæ, quæ continuè, ac veluti habitualiter illas impediunt; cuiusmodi est regula 33. inter communes de aperta cubiculi ianua, dum vnus in alterius cubiculum ad colloquendum etiam de licentia superioris intrat, & 34. de non se tangendo, etiam per iocum.

X. *Vltimum medium est vsus sacramentorum confessionis, & Eucharistiæ.*

Vltimò inter omnia media, quæ spectant ad opus, vt sic dicam, operatis, efficacissima etiam sunt, quæ virtutem habent ex opere operato; qualia maximè sunt Sacramentum confessionis, & Eucharistiæ, quę licèt ad omnem gratiam, & virtutem conferant, specialiter tamen ad castitatis obseruantiam conferre censentur: confessio quidem, præter Sacramentalem, & internam gratiam, propter cõsilium, & auxilium Confessoris, qui si suo munere benè vtatur, & pœnitens non obsistat, credendum est, Deum speciali auxilio dirigere, & illuminare, vt pœnitentem in difficultatib. circa obseruationem castitatis occurrentibus superandis adiuuet. Eucharistia verò, quia proprium eius est propter mũdissimam Christi carnem, & sanguinem virgines germinare, vt dicitur Zachar. 9. & exponit ibi Hieronymus, & Paschasius lib. de corpore & sanguine Domini cap. 21. Et Laurent. Iustinian. lib. de disciplina Monast. cap. 19. huic Sacramentum specialiter tribuit fomitis mitigationem. Et plures alios retuli in 3. tom. 3. p. disput. 63. sect. 10. disp. 64. sect. 1. Propter quod dixit Bernard. serm. de cœna Domini. *Quis poterit tam feros motus frangere? quis pruritus vlceris huius sedare queat? Confidite, qui in hoc gratia subuenit, & vt securi sitis, sacri Dominici Corporis, & sanguinis pretiosi in ueste istum habetis. Duo enim illud Sacramentum operatur in nobis, vt videlicet minuat sensum in minimis, & ingruentibus tollat omnino consensum.* His igitur remedijs etiam vtitur Societas, per frequentem vsum horũ Sacramentorum, vt constat ex 3. p. Const. ca. 1. §. 3. & in superiorib. lib. 1. cap. 3. num. 4. tactum est, & explicatum quanta diligentia adhibeatur, vt hæc frequentia non minuat, sed augeat potiùs reuerentiã, & fructum horum Sacramentorum. Atque ita quidem existimo tantam animorum puritatem, & castimoniam, quantam per Dei gratiam in scholaribus, & operarijs Societatis manifestissimis indicijs cognosci potest, huic potissimum Sacramento ascribendam esse, quamuis alia etiam remedia, & multum iuuent, & necessaria sint.

CAPVT VI.

Vtrùm votum paupertatis religiosæ scholarium Soc. etatis eos reddat incapaces dominij.

I. *Quid sit votum paupertatis.*

QVanuis hoc loco tractemus de gradu scholarium, dicemus nihilominus consequenter, omnia quæ circa hoc votum toti Societati communia sunt: nam secluso vno effectu peculiari, quem votum hoc in scholaribus approbatis non habet in materia paupertatis, & in obligatione, idem paupertatis votum commune est omnibus. Et quamuis in quibusdam sit solenne, & in alijs simplex, hoc solum prouenit ex differentia in conditione inclusa, vel absoluta traditione, quæ in superioribus toto ferè lib. 3. satis explicata est, neque hic habet specialem difficultatem. Non agimus autem nunc de speciali voto, quasi reflexo, quod profesi faciunt de conseruando, & tuendo instituto, quoad rigorem paupertatis; nam de hoc infrà lib. 6. cap. 6. dicemus, simul cum alijs votis professorum: agimus ergo hic solum de directo paupertatis voto, de quo primò videbimus, quos effectus habeat in personis societatis

tatis; deinde de materia eius, & quantum in singulis seu præcipuis partibus eius obliget. Porrò autem materia tota, & obligatio voti paupertatis reducitur ad duo capita, scilicet, dominium sub quo comprehenditur omne ius proprium, & vsum; & ideo dicemus priùs de priori capite, quod nomine etiam proprietatis significari solet; postea de vsu. Circa domin um autem nihil est quod dicamus de gradu professorum, quia illi omnino sunt incapaces dominij, idèmque est de coadiutoribus formatis, qui quoad hoc æquiparantur professis, & vtrique eisdem obligationibus tenentur in hac parte, & per eadem iura regulandi sunt, quibus alij religiosi professi aliarum religionum, exceptis his quæ infrà dicemus capite 6. & 7. de vsu, & de domibus professis. Solùm ergo de scholaribus, sub quibus comprehendimus omnes, qui post biennium solùm vota simplicia emiserunt, supereſt propositæ quæstio. Cuius difficultas tota est in posteriore parte tituli: nam quæ in priore inuoluitur, cùm pendeat ex iure positiuo, & ex intentione vouentium difficultatem non habet, vt iam videbimus.

II. *Prima assertio.* Primò ergo certum est huiusmodi personas non fieri inhabiles ad dominium, & proprietatem bonorum temporalium vel retinendam, vel de nouo acquirendam. Probatur, quia nullo iure positiuo redduntur inhabiles: ostensum autem in tom. super. est, huiusmodi impedimenta irritantia, seu inhabilitates sine adminiculo iuris non contrahi; quin potiùs hoc ipsum declarauit Gregor. XIII. expressè in Constitutione, *Ascendente Domino*, dicens, *Licèt qui quoad gradus professorum, & coadiutorum formatorum nondum peruenerunt, bonorum suorum ius, atque dominium, tum alias ob iustas causas, tum etiam, vt matorem Societas habeat libertatem, illos, si opus fuerit cum minori offensione dimittendi ad tempus Generalis Præpositi aut eo præscribendum valeant retinere*, &c. Per quæ verba non condidit Gregorius nouum ius, sed declarauit antiquum. Nam licèt in prioribus Bullis hoc non fuisset tam expressè declaratum, tamen eo ipso, quòd hæc vota scholarium solùm admittebantur, vt simplicia, eisque in nulla Pontificum Bulla talis effectus adiungitur, illis non conuenit; quia iure communi, solum votum solenne paupertatis habet adiunctum hunc effectum. Vnde in eadem constitutione, cùm de Coadiutoribus formatis, quorum vota etiam simplicia sunt, dicitur, esse omnis hæreditariæ successionis incapaces, nihilque omnino proprij habere posse, additur; *Iuxta easdem constitutiones*, scilicet, Societatis; quia scilicet ex iure communi, votum eorum non poterat hunc effectum habere, cùm solenne non sit. Igitur iuxta peculiare ius Societatis in constitutionibus à sede Apostolica approbatis contentum, de huiusmodi effectu iudicandum est. In 4. autem p. Constit. c. 4. litera E, sic declaratur. *Hæc consuetudo facit, vt quamuis paupertatis votum emissum, bona tamen temporalia haberi possint ad certum vsque tempus, quod superiori intra probationis spatium videbitur.* Vbi *probationis* nomine intelligitur totum tempus, donec scholares approbati ad vltimum gradum professorum, vel Coadiutorum formatorum dimittantur; proximè enim dictum fuerat scholares cùm approbantur, simul admitti, & ad suum gradum, & ad probationem ad vlteriorem gradum. Et ita tacitè exponitur tempus probationis, de quo sermo est in Examin. cap. 4. §. 2. & 5. vbi dicitur, omnes professos, & Coadiutores formatos Societatis debere actu relinquere omnia priusquam ad illos gradus admittantur, reliquos verò omnes qui in probatione versantur cùm primùm superiori visum fuerit. quod etiam in 3. p. c. 1. §. 7. & p. 6. cap. 2. §. 11. iter. H.

Probatur primò per medium negatiuum.

Secundò authoritate positiua.

Probatio in Societate nõ semper valet nonitiatum.

III. Hinc secundò certum est, hoc votum paupertatis nihil obstare, quominus proprietas, & dominium talium bonorum, licitè aliquo tempore retineatur, scilicet, quamdiu per superiorem renunciari non iubetur. Hoc manifestè probatur ex dictis constitutionibus & approbationibus Pontificum. Ratio etiam est clara; quia votum non obligat vltra intentionem vouentis; sed qui paupertatem vouent in hoc gradu Societatis, non intendunt se obligare ad carentiam paupertatis alio modo, quia vouent paupertatem *iuxta constitutiones*, & in constitutionibus ita est declarata eorum paupertas; ergo. Item hoc votum, quamuis non sit solenne, in hoc tamen cum solenni conuenit, quòd pendet in suo valore, & obligatione ab acceptatione Summi Pontificis, per religionem approbatam; ergo non amplius obligat, quàm sit intentio religionis acceptantis, & Pontificis approbantis illam. Neque propterea dicendum est hoc votum non esse de abdicanda proprietate, & dominio rerum omnium: nam re vera illud etiam complectitur illud votum. Solùm in hac parte differt ab aliis, quod non obligat ad statim, neque independenter ab omni alio; sed cum subordinatione ad voluntatem superioris; tamen cum ordine ad illam re vera est votum relinquendi cum effectu omnem proprietatem, & dominium. Vnde fit, quotiescumque superior præscripserit, ac designauerit tempus ad relinquēdum dominium, & possessionem omnium bonorum, statim obligari scholarem Societatis ad abdicanda omnia, non solùm ex vi constitutionis, (quæ per se non obligat ad culpam) sed ex vi voti quod per se obligat sub culpa mortali. Vnde ad hanc obligationem necessarium non est, vt superior proprium præceptum sub virtute obedientiæ imponat, quia hæc obligatio per se non est ex voto obedientiæ, (licèt illa possit per accidens adiungi;) sed est ex vi voti paupertatis, quia tunc impletur conditio, seu tempus pro quo talis actus, seu abdicatio Deo promissa fuerat. Sicut si quis promittat religionem ingredi infra tempus ab alio præscribendum, statim ac alius designat tempus, obligatur voto non ex præcepto, vel obedientia alterius, sed solùm quia conditio seu tempus ad obligationem voti expletum est.

Secunda assertio.

Probatur authoritate & ratione prima.

Secunda.

Tacita obiectioni occurritur.

Obligatio scholarium ad dispomendum, est ex voto paupertatis.

Ex quo obiter inferri, ac notari oportebit, quãuis hoc votum paupertatis non faciat incapacem dominij, tam acquirendi, quàm retinendi; neque omnino prohibere, vt vtrumque licitè fieri possit, intercedere nihilominus differentiam inter retentionem, & acquisitionem dominij, quòd retentio dominij illarum rerum, quæ ante emissum tale votum possidebantur, est licita, eo ipso quòd non prohibetur, seu eo ipso quòd non præcipitur abdicatio, vt ex supradictis patet; quia votum sub eo modo fit, & non aliter. Vt autem acquisitio noui dominij licita sit, non semper sufficit conditio huiusmodi, seu non prohibitio, sed oportebit, vt authoritate, & voluntate superioris acquiratur. Ratio est, quia licèt votum non obliget absolutè ad habendum proprium, obligat nihilominus ad non vtendùm aliqua re, vt propria, vt constat ex Exam. c. 4. & 3. p. c. 1. §. 7. *Doceantur omnes, quod nulla re tanquam propria vti debeant*, &c. At verò propria authoritate, & voluntate, & insçio superiore nouum dominium alicuius rei acceptare est magna proprietas, & vsus rei, vt propriæ; ergo est tali voto contraria. Et ita clarè cernitur differentia inter retentionem, & acquisitionem dominij; nam ad retinendū dominium, acquisitum ante votum, non est necessarius positiuus actus, vel vsus rei, sed sufficit carentia actus alienandi, seu donandi, & ideo sufficit etiam, quòd talis actus non iubeatur. Ad acquirendum autem nouum dominium requiritur nouus actus per se contrarius paupertati, nisi fiat cum dependentia à superiore, quæ non seruatur per

IV. *In hoc voto interest inter retinendum antiquum dominium, & nouum acquirendum.*

sulam negationem specialis prohibitionis, & ideo requiritur vt positiuè ab ipso concedatur. Atque ita intelligendum etiam est, quod in 6. p. Const. c. 2. § 11. dicitur, *Vt nihil proprium domi teneri, ita nec foris apud alios posse.* Quod in declaratione absolutè intelligendum dicitur de professis, & Coadiutoribus formatis: nam de aliis solùm intelligitur quoad illas res, quæ in præsenti subsunt eorum dispositioni: *nihil enim horum habere debent, nisi consulto & approbante superiore.* Et hinc etiam fit, vt si aliquas res apud se retineant ex his quarum ante ingressum dominium habebant, illarum etiam vsum, vel possessionem occulte, aut propria authoritate retinere non possint, quia iam vterentur illis rebus vt propriis; & hoc etiam in prædicta declaratione significatur; quæ Societatis iura, quia circa materiam voti sunt, grauiter obligant, quamuis de se alias grauiter non obligarent.

V. *Obiectio bipartita contra doctrinã præcedentẽ*

Sed obiici potest, quia dupliciter potest acquiri de nouo alicuius rei dominium. Primò quasi ab intrinseco, ex vi prioris dominij, seu iuris, quod ante votum possidebatur, & retentum postea fuit, sic acquiruntur fructus prouenientes ex propria re fructifera, vel beneficio, &c. Item sic acquiruntur bona paterna ratione iuris hęreditarij, quod ex vi huius voti non statim amittitur donec renuntietur iubente superiore: & idem est de aliis iuribus. Et declaratur 3. p. Const. c. 1. lit. F. Alio modo acquiri potest proprium, per extrinsecam aduentitiam donationem pecuniæ, vel alterius rei similis. Ad priorem autem modum acquirendi dominium, non videtur requiri positiua facultas superioris; nam veluti naturali consequutione acquiritur. Ad posteriorem tamen sufficiens non videtur, imò nec dari posse ab ipso superiore, quia harum rerum, quæ subsunt actuali dispositioni, & vsui religiosorum, nullus debet habere proprium, vt dicitur in præd. c. 2. 6. p. Const.

VI. *Diluitur pars prior.*

Respondeo ad priorem partem, aliquando quidem acquiri nouum dominium rerum, seu fructuũ sine noua acceptatione ipsius domini, per solam nouam rei existentiam, & tunc clarum est non esse necessariam positiuam facultatem à Superiore cõcessam, quia iure ipso data est. Cùm enim ius Societatis concedat, seu permittat scholaribus dominium antiquorum bonorum, consequenter conceditur, vt si illa immobilia sint, & fructifera, successu temporis dominium illud crescat, & extendatur ad fructus, & alias res similes; quamuis illas, vt proprias habere nunquam liceat. Aliquando verò tale est dominium, vt licèt ex vi alicuius antiqui iuris acquiratur, nihilominus necessaria sit noua voluntas, & acceptatio, sicut est paternæ hæreditatis aditio, seu successio, & tunc censeo, necessariam esse superioris scientiam, & facultatem, vt actus rectè, & secundum votum paupertatis fiat propter rationem in num. 4. factam. Imò licèt talis actus aliter factus validus sit, quia nullo iure irritatur, non tantùm erit ita firmus, quin à superiore irritari possit, propter generalem dependentiam voluntatis religiosi à suo superiore. Ad alteram partem negatur facultatem illam, aut sufficientem non esse, aut à superiore dari non posse: nihil enim obstat, cùm hoc non repugnet capacitati, aut voto talis personæ; neque etiam obstat illa constitutio, cùm intelligi debeat cum distributione accommoda, de quibusdam scilicet absolutè: de aliis cum illo addito, *sine voluntate superioris.* Itaque licèt hæc facultas ordinariè dari non debeat, tamen intercedente rationabili causa, licitè, & validè concedi potest, præsertim quando ordinatur ad aliquam peculiarem, & personalem commoditatem, extra communem vsum earum rerum, quæ in religione conceduntur, cuiusmodi esset sacra aliqua imago, vel reliquiarium, vt vocant, aut interior vestis corpori necessaria, &c. quarum proprietas nulla ratione permittenda est, nec etiam curiositas, vt in instructione ad renouationem spiritus late inculcatur, & in ordinationibus contractis cap. 4. num. 14. Neque prædicta facultas repugnat prædicto voto paupertatis, tum quia licèt sit ad acquirẽdam proprietatem illius rei, non tamen ad vtendum illa vt propria; tum etiam, quia illud dominium semper est pendens à volũtate superioris, à quo potest semper reuocari: argumẽto eorum, quæ tradit Nauar. consil. 14. de statu monachorum, quod incipit, Generalis Ordinis eremitarum n. 7. & sequentibus. Videri etiam potest Basilius de Ponce p. 1. variarum in quæst. 9.

Diluitur posterior.

VII. *Difficultas huius voti.*

Ex his igitur oritur difficultas vltimo loco posita in titulo quæstionis, quomodo scilicet hæc limitatio voti paupertatis, non repugnet statui religionis. Potest autem hæc difficultas oriri vel ex sola capacitate dominij, vel ex non absoluta prohibitione. Et quoad priorem partem ratio dubitandi esse potest, quia incapacitas dominij est de intrinseca ratione illius status; quia religiosus est ciuiliter mortuus: ergo repugnat illi posse habere actionem aliquam ciuilem; ergo & esse capacẽ dominij, vnde de Abbate Arsenio refertur in vita eius cap. 9. apud Surium tom. 4. ex Simeone Metaphraste Arcadium Imperatorem dono ad eum misisse omnia vectigalia Ægypti, vt per eum pauperibus & sacris monasteriis distribuerentur, ipsum autem respondisse, *Pecuniæ distributio nequaquam ad me pertinet, qui iam sum mundo mortuus: mortui vero nulla est actio.* Et c. 25. refertur, Senatorem quendam illum instituisse hæredẽ copiosæ hæreditatis, ipsum autem respondisse; *Ego prius mortuus sum quàm ille, cur ergo me hæredem instituit?* & ita remisisse eum, qui testamentum adduxerat, nihil accipiens. Accedit, quòd religiosus in eo comparatur seruo, quòd non est capax dominij, vt ex Innocentio & communi sententia annotauit Nauar. Commentar. 2. de regul. n. 4. & consil. 14. de statu Monach n. 8.

Confir.

VIII. *Vot. nihil.*

Hoc verò membrum facilè expeditur, iam enim in tom. super. ostensum est, huiusmodi incapacitatem non esse de substantia religiosi status. Primò quidem, quia votum solenne non est de essentia status religiosi: votum autem simplex non affert secum necessariò illam incapacitatem. Secundò, quia tota paupertas necessaria ad perfectionem est in potestate voluntatis eius, qui eam paupertatem amplecti vult. Reddere autem se incapacem dominij, non semper est in hominis potestate quantumcunque velit, quia hoc pendet ex lege, vt suprà eodem tom. visum est; ergo non est per se necessaria illa incapacitas ad statum perfectionis. Tertiò est ratio à priori, quia illa capacitas nihil obstat perfectioni, si nusquam reducatur in actum cum libera facultate, vt à fortiori patebit ex puncto sequenti.

IX. *Obstat.*

Neque obstat, quòd religiosus dicatur mortuus mundo; nam id si loquamur in iure interno, vt ita dicam, & in ordine ad perfectionem magis consilii in affectu, & in renuntiatione eius cum effectu, quod principaliter fit per votum obedientiæ concurrentibus aliis, quàm in carentia facultatis, seu capacitatis legalis, ad bona externa, vel alios actus similes, quamuis in ordine ad forum externũ frequenter dicatur religiosus ciuiliter mortuus, propter dictos effectus legales. Arsenius autem in historia citata, in priori sensu videtur loquutus, quia eo tempore, hoc est, ante quadringentesimum Christi annum, fortasse nondum erant institutæ leges Ecclesiasticæ, circa statum religiosorum, vel saltem id nullo sufficienti signo constat, vt in tom. super. tractatum est. Quod etiam ex facto ipso consiliarq

ciliare possumus; nam acceptare vectigalia, vt inter pauperes, & monasteria distribuerentur, non erat actus dominij, & quantumcunque esset incapax illius, potuisset illud munus accipere, sicut nunc multi religiosi interdum illud exercent sanctè & piè acceptando dispensationem alienorum bonorum. Arsenius autem noluit illud munus accipere, quia non erat consentaneum suo statui, & quo ad omnia, quæ ad illud spectabant, se mortuum reputabat, vel etiam quia non erat sui iuris, sed alterius: sic enim dixit, mortui non esse actionem: non enim loquebatur de actione ciuili, quæ ibi necessaria non erat, sed, vel de quacunque actione exteriore dissona suo statui, vel fortasse melius de actione, qua quis dicitur se agere, seu mouere: quia religiosus semper ab alio moueri debet. Idem manifestius est in alio exemplo: tum quia verisimile est senatorem virum non ignorasse, an monachus esset inhabilis, vt hæres instituetur, & ita factum illud indicat eo tempore ius illud nondum fuisse institutum. Tum etiam, quia potius si Arsenius fuisset incapax, non debuisset repudiare hæreditatem, quia non ad ipsum, sed ad monasterium pertinuisset, sicut nunc contingeret, iuxta Authent. *ingressi.* C. de sacrosanct. Eccles. ergo illo facto magis ostenditur voluntas repudiandi omnia, vel ad summum obligatio, quàm incapacitas, atque ita propter affectum, vel obligationem vocasse se mortuum, non propter incapacitatem. Sic autem omnes de Societate, etiam scholares, verè debent esse mundo mortui. Vnde in Examine ca. 4. §. 7. de vnoquoque religioso Societatis dicitur, debere omnia relinquere, vt qui mundo & proprio amori mortuus, soli Christo Domino nostro viuit. Et in 6. p. Constit. c. 1. dicitur, *Sibi quisq; persuadeat, quod qui sub obedientia viuunt, se ferri ac regi a diuina prouidentia, per superiores suos sinere debent perinde ac si cadauer essent, quod quoquouersus ferri, & quacunq; ratione tractari se sinit.* Et eadem ratione non obstat, quòd religiosus seruo compararetur: tum quia illa comparatio maximè fit ratione voti obedientiæ, & non fit propter similitudinem eiusdem rationis, sed propter quandam proportionem, vt suprà citato tom. dixi, & ideo non oportet similitudinem tenere in omnib. Tum propterea, quia seruus etiam, de licentia domini potest habere aliquid proprium, quod multo minus repugnabit si illud permittatur habere dependens semper quasi in conseruari, seu in vsu à voluntate Domini.

Ad confirm. in eodem num. 7.

X. *Contra positiuos mentis rationis dubitandi.*

Maior ergo difficultas est in alio membro; nam licèt retinere, quasi in actu primo capacitatem dominij, non fit contra substantiam religiosi status, tamen maximè videtur huic repugnare, quòd liceat hanc potestatem in actum secundum reducere, retinendo, vel acquirendo dominium. Primò, quia licèt capacitas non pendeat ex voluntate, tamen actus nihil habendi in voluntate positus est, non enim sumus actu Domini, nisi volendo: ad perfectionem autem necessaria est talis voluntas, quæ habeat effectum, iuxta illud, Luc. 14. *Nisi quis renuntiet omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Et ratio est, quia paupertas in tantum confert ad perfectionem, in quantum tollit externam curam, & solicitudinem temporalium rerum, & occasiones distractionum, & negotiorum secularium, quas solent habere coniunctas. Hæc autem omnia sequuntur ex proprietate & dominio, quidquid sit de capacitate; ergo saltem necessarium est ad hunc statum ita omnia relinquere, vt non liceat aliquid proprium retinere, aut acquirere. Denique hoc maximè confirmare videntur illa verba Innocentij III. in cap. *cùm ad monasterium.* de statu monach. *Abdicatio proprietatis sicut & custodia castitatis adeò est annexa regulæ monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Vnde nihil frequentius est in iure, & interpretibus eius, quàm proprietatem repugnare statui religioso, vt patet ex cap. *monachi.* & cap. *super quodam.* de statu monach. & multa de eadem re diximus in to. super.

Confirmatur ex cap. cùm ad monasterium.

Nihilominus certissimum est, hoc votum paupertatis scholarium Societatis, quale à nobis declaratum est, esse sufficientissimum ad verum statum religiosum constituendum, imò & acquirendæ perfectioni nihil obstare in tali statu. Quod quidem authoritate sufficienter confirmatur, definitione Gregorij XIII. qui vtrumque de illo voto declarauit: scilicet & non obligare ad relinquendum statim omne dominium, & nihilominus esse sufficiens, vt cum alijs votis verum, ac proprium religiosum constituat. Imò quod maius est Pius V. antea declarauerat esse sufficiens ad constituendum, non solùm verum pauperem Euangelicum, sed etiam mendicantem. Nam in Bulla, *Dum indefessæ*, de tota Societate; & de singulis eius personis declarauit, *Verè, & non fictè* religiosos mendicantes fuisse, esse, & fore. Explicauerat autem paulo antea se loqui de Societate, vt domos & Collegia complectitur: vnde non est dubium, quin sub illis verbis scholares approbatos comprehendat: Oportet autem, vt ratione, similitudine, & exemplis veritatem hanc comprobemus. Et ratio quidem applicari hic potest illa, qua sæpe in superioribus vsi sumus; quia scilicet, paupertas non habet certam, & definitam mensuram pro omnibus religionibus, seu religiosis statibus, sed vnicuique applicatur iuxta proportionem finis sibi propositi, vt annotauit Diuus Thom. opusc. 17. cap. 15. & 16. & sumi potest ex eodem, obseruatque ibi Conrad. 1. 2. quæstione 108. articul. 4. & ex 2. 2. quæstione 186. articul. 6. & 7. & Couarr. in 4. Decre. part. 2. cap. 3. §. 1. num. 18. vbi inter alia ait, non esse contra substantiam religionis vouere paupertatem limitatam, licèt posit esse contra substantiam voti, attenta qualitate religionis, quam quis profitetur. Cùm enim paupertas solùm sit instrumentum perfectionis, illa in vnaquaque religione sufficit ad substantiam religiosi status, quæ fuerit necessaria, & sufficiens ad perfectum finem in tali religione intentum. Quanuis enim in omnibus religionibus detur essentia religionis; nihilominus aliquid potest pertinere ad essentiam vnius, quod non pertineat ad essentiam alterius. Quod significauit Concil. Trident. sessione. 25. cap. 1. de regular. in illis verbis, *Quæ ad suæ professionis perfectionem, vt obedientiæ, paupertatis, & castitatis, &c. ad eorum respectiuè essentiam, &c. pertinentia fideliter obseruent.* Ergo quanuis abdicatio omnis proprietatis statim, & sine vlla conditione pertineat ad substantiam alicuius status religiosi, non propterea necesse est, vt sit de substantia omnis huiusmodi status. In Societate autem nostra authoritate Summorum Pontificum declaratum est ad finem eius sufficere pro gradu scholarium illud genus paupertatis, & illa constituta est, vt substantialis, in tali gradu religiosi status, & re vera est sufficiens ad perfectionem acquirendam: ergo votum eius erit etiam sufficiens ad constituendum religiosum statum.

XI. *Certa resolutio.*

Probatur authoritate Pontif. Gregor. XIII.

Probatur item ratione.

Dicere verò potest aliquis. Hoc discursu probari hunc statum esse quidem religiosum, sed tamen valde imperfectum, saltem ex hoc capite, sicut in superiori tomo dicebamus militares religiosos, qui solùm vouent castitatem coniugalem, esse veros religiosos: nemo tamen negabit statum illum quoad eam partem esse valde imperfectum. Ad hanc ergo obiectionem refellendam, prohandum vlterius est illud votum esse sufficientissimum ad omnem perfectionem, quæ in religioso statu, quatenus

XII. *Obiectio contra proximam rationem.*

Dissoluitur suadendo posteriorem partem positæ resolutionis.

tenus est schola perfectionis acquirendę desiderari potest. Diximus enim in lib. 1. cap. 2. quod semper præ oculis habendum est integrum Societatis institutum eminenti quadam ratione continere, & statum perfectionis acquisitæ & communicandæ. Fatentur ergo adhunc posteriorem gradum, seu statum necessarium, vel valde conueniens esse intra latitudinem status religiosi carere omni dominio, & proprietate. Vnde consequenter admittimus scholares Societatis nondum peruenisse ad illum gradum: nihilominus tamen dicimus dominium, vel proprietatem bonorum, si vsus rei non sit tanquam propriæ, sed, (quod perinde est) si illud dominium non sit liberum quoad vsum, vel administrationem, imo nec quoad durationem, sed quoad hæc omnia pendeat ex volũtate Prælati, nihil omnino obstare acquirendæ perfectioni, & ideo nihil etiam minuere statũ perfectionis requirendæ; sed hoc non obstante posse esse perfectissimam, si ex fine, & aliis mediis nihil illi desit.

Suadetur. Probatur, quia paupertas in tantum confert acquirendæ perfectioni, in quantum tollit curam, & solicitudinem rerum humanarum, & vitat occasiones & pericula quæ ex hac cura oriri solent: ac denique quia confert, vt minuatur affectus rerũ temporalium, & transferatur ad spirituales: sed hæc omnia efficit perfecte dictum votum paupertatis, & è contrario nihil eis obstat illa retentio dominij, q̃ tale votũ permittit: ergo talis paupertas non solum sufficit ad statũ religiosũ, quatenus est status perfectionis acquirendæ, sed etiã ad omnem excellentiã, & perfectionẽ eius. Maior certissima est ex doctrina D. Tho. citata qu. 186 art 3. quæ in to. super. declarata est. Minor patet, quia administratio talium bonorum, & vsus eorum vt proprium non manet in voluntate talis religiosi, sed sui superioris? ergo per se nullam solicitudinem, neque occasionem, aut periculum afferre possunt subdito, si votum suum, sicut tenetur, obseruet: ergo illud dominium nihil

Confirm. 1. potest perfectioni acquirendæ obstare. Confirmatur primo, quia hac ratione dominium, quod est in communitate aliqua religiosa, non minuit perfectionem singulorum, quia non generat in eis solicitudinem, aut curam particularem, eo quod neq; administratio ad eos pertinet, neque etiam vsus, nisi quatenus à superiore conceditur, vt docuit D. Thom. 2. 2. quæst. 188. art. 7. Sed prædictum dominium particulare omnino dependens à voluntate Superioris, similiter non impedit, vt declaratum est: neque ex se inducit inordinatum amorem temporalem, cum ratione voti supponat hominem paratum ad relinquendum illud quoties superior

Confirm. 2. præscripserit: ergo eadem ratione nõ impedit, neq; minuit perfectionẽ. Confirmatur secundo; quia illud dominium est veluti materialiter, vt sic dicam in tali persona, seu ita ligatum per votum, vt non habeat vim aliquid agendi. quod adeo verum est, vt in regulis Prouincialis Societatis cap. 10. in fine dicatur. *Etiam si quibusdam ad tempus proprietas bonorum temporalium permittatur, vsum tamen eorum ad propriam vtilitatem nulli esse cõcedendum.* Cur ergo talis proprietas perfectionem impediet? Omne enim impedimentum ex actione aliqua, vt est vsus, administratio, &c. prouenit. Quocirca optimè hic approbari potest illud Apostoli 1. ad Corinth. 7. *Reliquum est, vt qui habent, tanquam non habentes sint, & qui emunt, tanquã non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquã non vtantur.* Hoc enim consilium non solùm in affectu, sed etiam in effectu implent, qui ita aliquid habent, vt ratione voti illo vti non valeant, nec frui, nec retinere, nisi quatenus ab alio conceditur.

XIII. *Illustratur vlterius dictum.* Quod vlteriùs declaratur exẽplo vxoris, de qua in particulari loquebatur Paulus in citatis verbis, dicens, *Qui habent vxores tanquam non habentes sint.* Quod dictum licet ad omnes coniugatos respiciat magis affectum, quàm effectum, propriè omnino, & in effectu verificatur in coniugato, qui post consummatum matrimonium in viuente vxore de legitima licentia eius religionem profitetur, in illo enim vinculum matrimonij integrum manet, & ita quoad proprietatem, & radicale dominium vxorem habet. (vnde & si contra votum ad illam accederet, non tamen accederet ad nõ suam, nec proinde sextum præceptum violaret) tamen ita habet, ac si non habeat, quia illa licitè vti nõ potest, ideoque nihil perfectioni obstat talis modus proprietatis, quia est ibi quasi materialiter tantum, seu ligata per professionem, cur ergo in dominio tẽporalium bonorum illo modo ligato, non poterit idẽ cum proportione intelligi. Vnde rectè dixit Theodoricus quidam Colonienſis Cancellarius, tractatu de peculio religiosorum c. 7. quem refert Carthusianus tom. 2. oper. minorum opuscul. de reformat. clausſtralium art. 16. *Magis nocere religioso vsum peculii sine proprietate, quam proprietatem sine vsu.*

XII. *Illustratur exemplis.* Vltimò afferre possumus ex antiquitate exempla, quibus ostendamus veros, & perfectos religiosos habuisse aliquid proprium. Nam Hieron. in vita Malchi, de illo refert redijsse in patriam, vt bona sua à matre defuncta relicta distribueret, & addit partem monasterio, partẽ pauperibus dedisse, partem verò sibi reseruasse. Et in epist. 26. ad Pammachium in fine, vbi refert, cùm in Bethleem monasterium ædificasset, & tot ad eum confluerent monachi, vt vires sufficerent ad opus sustinendum, *Compulsum fuisse Paulinianum ad patriam mittere, vt semistrutas villulas, quæ barbarorum sfugerant manus, & parentum communium census venderet*, &c. Ex quibus verbis intelligimus Hieronymum illo tempore nõdum reliquisse suorum bonorum proprietatem & vsum, cùm tamen ipse iam esset perfectissimè pauper, vt ex toto discursu illius epistolæ intelligi potest. Et similia exempla sumi possunt ex his, quæ de antiquis monachis referuntur in vitis Patrum, & aliqua indicauimus tom. præcedent. tractando de paupertate religiosa in genere, & infra in cap. sequent. numero 4. locum Basilij ad hoc confirmandum expendemus. Quod si quis fortè dicat Sanctos illos pro illo tempore, vel statu habuisse paupertatem in affectu, non verò in actu, quod sufficit quidem ad perfectionem acquirendam; imò hoc tantum pertinere directè ad perfectionem, docuisse D. Thom. 2. 2. quæst. 184. art. 3. ad 1. non tamen sufficere ad statum perfectionis, præsertim acquirendæ. Contra hoc est, quia hinc sequitur Hieronymum, (& idem, est de similibus) eo tempore non fuisse in statu perfectionis; quod non video qua probabilitate, aut verisimili coniectura dici possit. Deinde D. Thom. in eodem loco docet, in Episcopis satis esse ad statum perfectionis paupertatem in præparatione animi, qua diuitias ita contemnant, vt parati sint illas expendere vel amittere propter gloriam Dei, & vtilitatem proximorum; ergo etiam illi Sancti potuerunt esse in statu perfectionis acquirendæ, & postea etiã acquisitæ, etiamsi actu nondum proprietatem suorum bonorum omnium reliquissent, quia iam, & affectu, & (vt credendum est) voto, & obligatione cũ effectu illa reliquerant; quanuis fortasse expectarent commodum tempus illam obligationem exequendi. Ita ergo in his religiosis Societatis contingit, in quibus opportunitas exequendi votum, & obligationem actu relinquendi omnia, non est alia, nisi voluntas Prælati locum Dei tenentis, qua nulla potest esse magis consentanea perfectioni.

XV. *Dilucidatur dictum.* Ex his ergo satis responsum est rationi dubitandi in principio positæ. Non enim deest huiusmodi religiosis affectus relinquendi omnia, imo neque obli-

obligatio exequendi talem effectum: sed modus, & tempus habeat certam determinationem omnino non pendentem ab eorum voluntate, sed suorum superiorum, quod nihil perfectionem impedit, aut minuit, quia, vt ostensum est, proprietas, vel dominium sic retentum ad tempus propter finem pertinentem ad bonum commune talis religionis, vt indicauit Greg. XIII. in prædicta constitutione, & cum prædicta dependentia nihil impedit perfectionem conquirendam. Ad caput autem *cum ad monasterium*, variæ dantur expositiones. Communius autem recepta est, Pontificem loqui in sensu composito, id est, non posse Pontificem dispensare cum monacho manente monacho, vt proprium habeat, vel vt violet castitatem, quia non potest facere, vt aliquis habeat votum, & agat contra illud, vt tom. super. visum est. Sed quia in hoc sensu videtur maximè procedere obiectio; ideo aduerto primò Pontificem non loqui de religioso statu absolutè, sed de monacho, ac monachatu; verba enim sunt, *Adeò est annexa regulæ monachali*: & prius. *Nec ipsimet Abbas, quòd super habenda proprietate possit cum aliquo monachorum dispensare.* Facilè autem dabimus abdicationem omnis proprietatis, esse essentialiter annexam statui monachali: nam ex vi suæ regulæ tale votum postulat. Et in hoc sensu admitti etiam potest, quod dixit Richard. in 4. d. 38. art. 9. quæst. 1. ad 4. & ex illo Angles in 2. p. quæst. de dominio, art. 1. difficult. 3. Si Papa alicui monacho concedat, vt habeat dominium, illum iam non futurum monachum; quia licèt Papa possit facere de monacho, non monachum, non tamen potest facere, vt habeat proprium, quia proprietatis abdicatio est de essentia monachi. Quod magis declarauit Nauar. Commen. 2. de regul. num. 15. ad 3. non posse Papam facere, vt regularis siat verus dominus alicuius rei pecuniarię stante voto paupertatis solenni. Vbi expendenda est illa adiectio vltima (*solenni*) quia de ratione talis voti est, quòd omnino obliget ad non habendum proprium, imò vt reddat incapacem ad illud, ideòq; repugnantiam inuoluit, vt durãte hoc votum liceat agere contra illud: & ideo fortasse visus est Pontifex in illo textu illis verbis, *Vt contra eam nec Summus Pont. fex possit licentiam indulgere.*

Ad confir. ibid. ex cap. cum ad mon. nost. prima responsio.

XVI. *Secunda responsio.*

Secundò addo Pontificẽ formaliter potius quàm materialiter (vt sic dicam) loqui ibi de proprietate, quæ præter dominium includit etiam vsum rei, vt propriè, imò reuera magis loquitur de hoc vsu, quã de radicali dominio; loquitur enim contra Prælatum, qui putat se posse concedere subdito bonorũ proprietatem, & fortasse illam concedebat, clarum est enim non potuisse verum dominium concedere cuius monachus non est capax. Neq; ad religiosos quidquam interest hoc habere dominiũ, dummodo re possent vti propria. De hoc ergo negat Põtifex posse à Prelato cõcedi, vel etiam à seipso, quod facile admittere possumus, non solùm respectu monachi, sed etiam respectu cuiuscunque veri religiosi, quandiu in eo statu durat, quia non potest cum eo dispensari, vt habeat vsum alicuius rei, omnino independentem à superioris voluntate, saltem ipsius Summi Pontificis, ita vt possit illam alienare, consumere, expendere, &c. omninò liberè, nec possit arbitratu superioris tali vsu, vel administratione priuari. Quomodo dixit Diuus Thomas 2. 2. quæstione 185. articul. 8. religiosum factum Episcopum, teneri voto paupertatis. Et ad 3. ait, non posse habere proprium, nec condere testamentum: quòd si ex concessione Papæ id faciat (inquit) non ex proprio intelligendus est facere, sed authoritate Papæ, administrando bona, etiam quoad dispensationem illorum post mortem suam. Et quæst. 186. articul. 8. ad 3. simili proportione ait non posse Papam dispensare cum religioso in voto obedientiæ,

quia non potest illum à sua obedientia eximere. Ratio autem ex dictis, est facilis, quia non solum votum solenne, sed etiam votum simplex paupertatis, si sit integrum & perfectum ex parte materiæ priuat vsu rei, vt propriæ. Hoc autem votum est de necessitate status religiosi, vt probant obiectiones prius factæ, & à contrario sensu patet etiam ex his, quibus ostendimus solum votum non vtendi aliqua re vt propria non sufficere ad verum statum religiosum; nam illa probant saltem hoc esse necessarium, & Pontificem non posse hanc obligationem separare à perfecto statu religioso: quod si obligationem non separat, profectò nec licentiam potest dare agendi contra illam, cùm sit obligatio naturalis, & diuini iuris. Præterquam quòd nulla causa rationabilis esse potest, ad talem dispẽsationem concedendam, quia quæcunque fingatur, illi satisfieri poterit per vsum vel administrationem dependentem à voluntate Superioris, saltem Pontificis; ergo vsus rei, vt propriæ, nunquam potest honestari respectu religiosi habentis contrariũ votum. Quòd si talis dispensatio honesta esse non potest, neque etiam valida esse poterit: quia illa est dispensatio in voto, quæ si sit iniusta, est etiam inualida, vt suprà de voto in genere dictum est. Et ita etiam intellexerunt textum illum Innocentij Panormit. & alij Canonistæ, vt tom. superior. visum est tractando de dispensatione in voto solenni castitatis.

XVII. *Tertia responsio.*

Vltimò ex abundanti concedo non posse esse statum religiosum satis perfectum, sine voto abdicandi omnia, etiam sine proprietate, & dominio, nec posse dispensari cum religioso, quòd agat contra hoc votum; quæ duo ad summum colligi possunt ex dicto textu: neutrum autem eorum repugnat huic Societati scholarium Societatis. Primum horum constat: quia etiamsi scholares vouent omnem rerum proprietatem, ac dominium à se abdicare. In quo est animaduertendum, eos qui in Societate recipiuntur etiam ad nouitiatum (nedum ad vota post biennium) non solùm debere se exuere omnino bonorum, si quæ habent, ad nini-strationē, vt nouissimè statutum fuit in 7. Congreg. Canon. 17. num. 1. sed etiam promittere relicturos se omnia bona, post vnum ab ingressu absolutum annum, quandocunq; eis iniunctum fuerit in reliquo temporis probationis, vt statuitur in Examine cap. 4. §. 2. 3. & 5. & 3. p. Constit. cap. 1. & fæpe aliàs, quæ promissio licèt non sit proprium votum, non est etiam solum propositum, sed simplex promissio subintellecta conditione, *Si perseuerauerint, & superior iniunxerit*, vt dicitur in 3. Congregat. generali Societ. can. 1. Et ita esse declarandum nouitio, ordinatur in regulis Magistri nouitiorum ca. 2. num. 19.

Expeditur primum mẽbrum de abdicatione etiam proprietatis tũ in primo ingressu.

Quòd si quis dicat, inutilem & inefficacem esse talem promissionem, cùm semper sit liberum non perseuerare. Respondeo, imò habere gratias effectus, qui requirunt animum satis paratum ad perfectionem, satisq; liberalem erga Deum. Declaratur, quia fine tali promissione, etiamsi quis perseuerare vellet, non posset obligari ad reliquenda omnia, donec biennio impleto admitteretur ad vota Societatis: nunc autem si perseuerare vult, obligari potest ex vi illius promissionis: satis autem grauis effectus est posse constitui in hoc discrimine, vel relinquendi religionem, vel abdicãdi omnia sub culpa mortali. Deinde non est improbabile, licèt possit quis aliàs ante vota emissa liberè relinquere Societatem, non tamen posse licitè, ac fideliter id agere, solo hoc titulo; ne cogatur illam promissionem implere: nam hoc planè est contra finem, & intentionem talis promissionis. Nec conditio illa in sensu includitur in tali promissione, ne illi repugnare vi-

XVIII. *Instantia contra proximè dicta refellitur.*

deatur, sed solùm quatenus illa promissio non obligat absolutè ad perseuerandum, neq; ad relinquēda omnia si perseuerauerit. Cùm autem ex vi illius promissionis, possit quis obligari ad relinquenda omnia per annum integrum, priusquam in Societatem recipiatur, non paruam fiduciam in Deum, nec exiguum amorem ad mundi abnegationem requirit.

XIX. *Refellitur amplius ex doctrina quadam Molinæ.*

Maximè si verum est, quod noster Molina tom. 1. de Iustitia tract. 2. disp. 139. adnotauit, hanc dispositionem, & renuntiationem bonorum debere esse omnino absolutam absque vlla tacita, vel expressa conditione, *quod si à Societate discesserint, illa reciperent*, aut quauis alia. Quod quidem verum esse colligi potest, tum ex eo quòd prædictæ constitutiones dictis locis statuunt, distribuenda esse talia bona in pauperes, & pia, & sancta opera, quę alienatio prorsus irreuocabilis est. Tum etiam, quia in dicto c. 4. Exam. §. 1. dicitur faciendam esse submouendo à se omnem fiduciam, eadem vllo tempore recuperandi, vt firmiùs, & stabiliùs in sua vocatione perseuerent, vt in fine 2. §. additur. Neq; hoc nimium videri debet: nam Christus Dominus Matth. 19. hoc modo consilium paupertatis dedit. *Vade, & vende omnia quæ habes & da pauperibus*: & deinde adiunxit, *Et veni, & sequere me*. Significauit ergo renuntiationem debere præcedere vt dispositionem ad sequendum illum: quod per statum religiosum fit. Item illa renuntiatio per se bona est, & valde meritoria: ideo enim Christus interposuit illa verba, *Et habebis thesaurum in cœlo*. Vtilis enim est ad perseuerantiam obtinendam, tum remouendo occasiones, tum impetrādo illam à Deo, & ideo prudenter fieri potest propter bonum religionis. Vnde etiam fit (vt hoc obiter notetur ex Molina ibid. in §. *Nouitii*, ad finem) huiusmodi renuntiationem quoad ętatem, & alia requisita ex parte renuntiantis non esse regulandum per leges merè ciuiles, sed per Ecclesiasticas, quia fit à persona exempta, vt est nouitius Societatis, & intuitu religionis, ac perfectionis: Et ideo satis est q; fiat iuxta Pontificia diplomata, & constitutiones Societatis in eis approbatas. Denique propter incommoda, quæ inde sequi possunt admonetur Prouincialis in suis regulis cap. 10. *Vt non permittat nostros abdicare sep. §. one bonorum suorum, nisi quos constantes, & stabiles in sua vocatione cognouerit, & vt in ea re maturo semper consilio procedat*. Imò in 7. Congreg. general. canon. 17. mitigata quodammodo est hæc nostrorum obligatio, ibi enim scholaribus dominium bonorū suorum, & quodlibet ius ad illa, per quadriennium ab ingressu in Societatem permittitur, ita tamen, vt id spatium non nisi à P. Generali, & grauissimis de causis, prorogari queat, si fortè eo finito, iam per ætatem religiosi, ac patrias leges disponere licebit. Tunc enim vult Societas, vt cum quadriennio, permissio illa finiatur.

XX. *Tum etiam à fortiori in secundo ingressu.*

At verò in secundo ingressu, qui fit per vota scholarium approbatorum non tantùm ex vi illius prioris promissionis, quæ semper durat, quanditu impleta non est, sed etiam ex vi voti tenentur scholares omnia simpliciter, & absolutè relinquere, cùm primùm iussi fuerint, tum quia promittunt ingredi Societatem quoad gradum professorum, vel coadiutorum formatorum, tum maximè ratione voti paupertatis, in cuius materia, prout in constitutionibus Societatis designata est, hoc etiam continetur, & ideo ex vi voti tenentur esse in præparatione animi, ad relinquendum omne dominium, quando ipsis iniunctum fuerit; ergo in tali statu religioso non deest abdicatio proprietatis, neque obligatio eius ex voto, sed solùm potest aliquando esse suspensa executio iuxta exigentiam, seu permissionē voti; quod non repugnat religioso statui, neque id colligi potest ex prædictis verbis Innocentij. Vnde etiam fit, vt in tali statu nulla fiat dispensatio, nec *Expeditur secundum* detur licentia retinendi aliquod dominium contra regulam, aut contra votum; nam ipsummet votum sub ea conditione, & forma factum est secundum regulam talis status ab Ecclesia approbati. Ille ergo textus nihil obstat, quominus tale votum paupertatis ad verum & perfectum statum religiosum ex parte sua constituendum sufficiat.

CAPVT V.

An, & qui ex vi regulæ bona sua distribuere possint aut debeant scholastici Societatis.

DVo breuiter declaranda sequuntur. Primum, quid in hoc agendum sit iuxta regulam, quod præsenti capite præstabimus. Secundum, quid cadat proprie sub obligationem voti, quod præstabimus in sequenti. Circa primum peculiare est Societati, vt religiosus iam verè illi vnitus possit bona sua distribuere iure ordinario. In alijs enim religionibus hoc non licet, nisi in casu raro, vt in tom. super. visum est. Ratio autem reddi potest, tam ex parte religiosi, quàm ex parte religionis: nam in alijs religionib. nō sunt verè religiosi, nisi professi in Societate verò sunt multi verè religiosi non professi, & ideo capaces dominij, vt cap. præced. vidimus, cuius actus est distributio bonorum. Item in alijs religionibus, eo ipso quòd religiosus ante professionem non distribuit bona sua, ius totum circa illa transit in religionem si capax sit bonorum saltem in communi. In Societate verò etiamsi scholares, ante vota emissa non distribuant bona sua, nullum ius illorum in Societatem transfertur, neq; in aliquod collegium, vel domum probationis eius, etiamsi alias capaces sint bonorum in communi, vt postea in c. 11. n. 9. videbimus. Manet ergo ius distribuendi hæc bona apud eundem, in quo antea erat. Dices, esto bona ipsa non transeant in Societatem, nec ius ad vsurpandum dominium illorum; nihilominus ius distribuendi illa videtur transferri in religionem: quia iure communi omnia iura religiosi transeunt in religionem: ergo in Societate solum excipitur ab hoc iure id quod in iure speciali constitutionum eiusdem Societatis excepta est: ibi autem non excipitur ius hoc distribuendi, sed solùm alia, & è conuerso scholari vouēti in Societate solum dominium permittitur: ergo omne aliud ius renuntiatur, & transit in Societatem. Respondeo imò ex ipsis constitutionibus satis constare ius hoc distribuendi, subsantialiter (vt sic dicam) manere apud ipsum religiosum, & non transire in Societatem: quia & vix poterat illud ius à dominio separari, & ita expediebat ad maiorem puritatem, & paupertatem ipsius religionis. Manet autem illud ius aliquo modo pendēs à religione, vt iā declarabitur.

II. *Primo probatur.*

Quanuis enim hæc potestas in religioso existat, voto tamen paupertatis manet aliquo modo ligata: & per statum etiam religiosum quodammodo determinata ad religiosum vsum eius, ideoque in constitutionibus Societatis meritò circa hanc distributionem bonorum, modus & ordo præscriptus est. Et in primis in eis statuitur non esse talia bona donanda consanguineis, vel affinibus quatenus tales sunt. ita habetur in cap. 4. Exam. & 3. part. Const. c. 1. & alijs locis citatis. Et prima ratio redditur in dicto §. 4. ca. 2. quia consilium Euangelicum non dicit, *Da consanguineis*, sed, *Da pauperibus*, Luc. 18. vbi Theophyl. legit, *Distribue pauperibus. & habebis* (inquit) *distribuendi verbum emphasim quandam vt cum diiudicatione, & nō fortuito dispergantur bona*. Et addit, *Distribue non diuitibus cognatis, sed pauperibus*. Vbi non sine causa addidit illam particulā, *Non diuitibus*, per quā expli-

explicatur idem, quod nos diximus, *non cognatis quatenus tales sunt*. Nam quatenus pauperes interdum sunt, rectè possunt eis talia bona dari; non enim excluduntur à numero pauperum, imò præferuntur aliis iuxta ordinem charitatis, si cætera sint paria. Quando autē sunt diuites, solū supereſt ratio sanguinis, vt inter eos distributio fiat, quod licèt malū non sit, alienum tamen est à Christi consilio. Vnde Hieron. epist. 8. ad Demetriadem. *Pauperibus* (inquit) *non diuitibus, non propinquis, non ad luxum, sed ad necessitatem. Siue ipse sacerdos sit siue cognatus, nihil in illo aliud consideris, quàm paupertatem.* Quod latiùs prosequitur epistol 50. ad Hedibiam. q. 1. modum etiam, & ordinem huius distributionis declarans. Porrò omnis ratio, in qua (præter Christi Domini authoritatem) fundari potest hoc consilium, fundat etiam prædictam constitutionem. Ratio autem per se illius cōsilij est, quia illud ex suo genere melius est, magisque meritorium, & gratius Deo: consilia autem dantur de meliori bono. Assumptum patet; quia ex suo genere est actus altioris virtutis, nempe misericordiæ & charitatis. Et signum à posteriori esse potest, quia illa est materia voti: donare autem cognatis, vt sic non est materia voti.

III. *Altera ratio vitandi triplex incommodum.*

Alia verò ratio est propter maiorem vtilitatem ad perfectionem acquirēdam, saltem magis removendo impedimenta. Hoc insinuatur in verbis dicti cap. 4. Examin. §. 2. *Vt melius exemplum omnibus adhibeat, inordinatum affectum erga parentes exuendi, & incommoda inordinatæ distributionis, quæ à dicto amore procedit declinandi, & vt ad parentes, & consanguineos recurrendi, & ad inutilem ipsorum memoriem aditu præcluso firmius, & stabilius in sua vocatione perseuerent.* Vbi tria incommoda insinuantur, propter quæ vitanda, expedit non distribuere bona consanguineis. Primum est, ne inordinatus amor ad parentes crescat, sed potiùs minuatur, quamuis enim dicatur fieri hoc propter exemplum aliorum, supponitur sine dubio priùs esse talem fructum in ipsomet religioso spectandum. Multum autem confert ad minuendum hunc affectum ab huiusmodi donationibus abstinere. Nam eo ipso amor cognatorum erga nos remittitur. Vnde etiam è contra donando connaturaliter fit, vt nostra etiam naturalis affectio crescat. Morale etiam est, vt amor non tantùm recipiendo, sed etiam donando augeatur, adeò, vt dubitet D. Thom. 2. 2. quæst. 26. art. 12. cum Aristot. lib. 9. Ethic. cap. 7. quis magis diligendus sit, benefactor, an cui beneficium confertur: & ex resolutione eius intelligitur, licèt superiori, & rationali amore magis diligatur benefactor, inferiorem tamen, & naturalem amorem magis ferri ad beneficiatum. Denique illemet actus, quo quis se vincit, & abnegat donando bona sua alienis, potius quàm propinquis, remittit multum, seu in officio continet amorem naturalem. Quantum autem interfit ad perfectionem hunc amorem inordinatum cohibere, seu minuere, satis significauit Christus, tum Matth. 29. vbi ita consulit relinquere fratres, sorores, patrem, matrem, & filios, aut domos, aut agros; tum Luc. 14. vbi hanc diminutionem naturalis affectus odium appellauit, dicens, *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et ideo patres omnes valde cōmendant ad perfectionem assequendam, vt hic affectus minuatur. Quod mirum in modum exaggerat Basil. in Constit. monast. cap. 21. & in regulis fusius disputatis regul. 32. Bernard. serm. Dominicæ 2. post Octauam Epiph. Et Ansel. lib. de similitudinibus cap. 76. Secundum incommodum quod per hoc euitatur est, ne inordinata fiat distributio. Vocatur autem *inordinata*, non solùm illa, quæ est contra iustitiam, vel charitatem, sed etiam illa, in qua charitatis ordo non solùm simpliciter necessarius ex præcepto, sed etiā melior, & gratior Deo non seruatur. Quem ordinem sine dubio seruare nō potest, qui ex affectu carnis, & non ex puro amore Dei bona distribuit. Vltimum verò incommodum, quod vitatur, magni momenti est, scilicet, vt omnis inducia, quæ in parentum opibus, vel temporalibus auxiliis collocari posset, auferatur, & consequenter in Deum transferatur. Vnde etiam fit, vt ipsa paupertas sit maior, & purior. Nam qui parentibus, vel fratribus confert bona, sibi ipsi quodammodo cōferre videtur, quia veluti vnum sunt propter coniunctionem carnis, & aliqualiter ea retinet, quasi in spe. Ex quo tādem intelligitur, quod de cognatis dicitur etiam in amicitia humana coniunctis locū habere; ac denique in omnibus, in quibus non necessitas, & indigentia, sed quælibet alia humana ratio, vt Hieronym. dixit, spectatur; veluti si religiosus sororis dotem augeret, vt ditiori, aut nobiliori nuberet, quia & Christi Domini verba, & aliæ rationes adductæ æquè in his omnibus locum habent.

IV. *Temperatur dictum pronunciatum duplici fundamento.*

Quamuis autem hoc consilium non relinquendi bona consanguineis regulariter seruandum sit, nō est tamen dubium, quin interdum aliud expediat, quasi per se, quia indigent ipsi, vt dictum est, & optimè declarat Ambros. 1 offic. c. 30. Secundò magis per accidens ad vitandum scandalum, vt rixas, vel inimicitias, quæ inde oriri solent, vt egregiè Basil. regul. 9. ex fusioribus post medium. Propter quos casus, & similes additur in dict. cap. 4. Exam. §. 3. in eis non proprio, sed vnius aut plurium arbitrio, qui vita, & doctrina commendentur, & ab ipso religioso cum approbatione superioris eligantur, negotiū hoc esse transigendum, *ad declinandum* (vt ibi dicitur) *errandi in huiusmodi iudicio periculum, quod ab effectu sanguinis sæpe sit.* Idem repetitur ibi. §. 5. & in 3. p. cap. 1. in declaratione lit. G. rectè dicitur. *Ante ingressum quum de bonis suis temporalibus pro suo arbitratu statuere potest: at postquam ingressus est, tam de Eccl siastico, quàm de secularibus disponat oportet, sic vt decet vitæ spiritualis sectatorem.* Et propter hanc causam statutum esse dicitur, vt in eo casu res alieno arbitrio committatur. Potestque his regulis optimè accommodari sententia Basilij in regula 9. ex fusioribus, vbi tractans verba Christi, *Vende quæ habes, & da pauperibus*, &c. sic inquit: *Equidem ex hoc colligo qui hac mente à suis discedat, hunc huiusmodi curam de parte patrimonij sui, nullo modo oportere negligere, contraque illud accurare, & cum eam omnem diligentissime secum abstulerit, eam veluti iam rem Domino consecratam summa cum religione distribuat, vel ipse per se si huiusmodi munere scienter administrando esse ipse par possit, vel per alios, quos ante maxima adhibita diligentia delegerit, quique certissima dederint documenta, posse se illa fideliter, ac prudenter distribuere, cùm illud persuasum sit, non vacare periculo, siue propinquos suos illa relinquat, siue in ea distribuenda, cuiusuis, nulla adhibita delectione, opera vsus sit.*

V. *Basilij verba in tribus concinunt cum instituto Societatis in præsenti materia.*

In quibus verbis inprimis aduerto, videri loqui Basilium de distributione bonorum, quæ post votum paupertatis tunc etiam fiebat, quando fortasse pars patrimonij prius obtineri non poterat, vel aliæ iustæ causæ intercedebant. Hoc mihi indicant illa verba, *veluti rem iam Domino consecratam*; non enim propriè consecratur priusquam donetur, nisi per votum: quod multum confirmant sequentia verba non vacare periculo, quod enim esset periculum nisi votum præcessisset? Quod magis declarat inferius, dicens: *Quam graue tandem censere debemus iudicium illis imminere, qui in rebus Dei nomini iam consecratu vindicandu lentè, ac negligenter se gesserint.* Ex quo sensu colligimus, religiosum per votum paupertatis tunc non fuisse solitum statim fieri inhabilem

ad patrimonium suum distribuendum, sed ex voto fuisse obligatum ad id rectè faciendum, quod est multum consentaneum Societatis instituto. Deinde etiam in modo, seu consilio rectè distribuendi est conformitas: nam quod Basilius ait aliquando posse religiosum per se distribuere, maximè locum habet, quando bona alienis, & indigentibus erogâda sunt, quamuis tunc etiam optimum sit aliorum iudicium: quod verò ait vt interdum fiat *per alios*, maximè necessarium est, vbi de consanguineorum causa, & indigentia est agendum, vt in nostra constitutione declaratur. Denique, quod Basilius admonet, *vt eligantur viri prudentes*, &c. nostra constitutio Superioris iudicio id remittit: nam vir religiosus illud magis suspicere debet. Cui ex parte cõsonat, quod de Essenis refert Iosephus lib. 2. de bello Iudaico cap. 7. dicens de illis, *Subuenire digno cum optus est, suo arbitrio cuique licet; & indigentibus alimenta porrigere, sanè cognatis dare aliquid sine curatoribus interdictum.* Curatores autem vocat superiores, qui eos gubernant.

VI. *a. Proximi tãquam. Quando locus non est distribuẽdi consanguineis, in opera pia distributo faciendæ est. Præferuntur tamen ex debito iustitiæ creditores, si qui sunt.*

Vltimò quoad hanc partem addendum est, quãdo hæc bona non sunt distribuenda consanguineis, nullam aliam regulam præscribi, nisi vt iuxta propriam deuotionem in pia, & sancta opera dispensentur. Hæc enim omnia sine dubio comprehenduntur in consilio Christi, *Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Supponitur autem (quamuis per se satis notum erat) si quæ fuerint debita, vel obligationes iustitiæ prius esse soluenda. Imò additur hoc quàm citissimè fieri possit esse prouidendum; quoniam in obseruatione præceptorum maior cura, & diligentia adhibenda est, quàm consiliorum. Imò illa bona, quæ hoc modo debita sunt, moraliter non debent inter bona propria computari, vt habetur in leg. 31. *subsignatum.* de verbor. significat. & ideo non comprehenduntur sub illo consilio, *Vende omnia quæ habes.* Non cadit autem sub hac obligatione dare aliquid Societati, quoniam, vt dixi in numer. 1. ipsa nullum ius in bona, vel ad bona religiosi acquirit. Non tamen excluditur Societas quin possit religiosus aliquid ei donare, si velit. Vtrumque supponitur in illis verbis, *Qui in ingressu ipso, vel post ingressum ad obedientiam, motus sua deuotione vellet bona sua, vel eorum partem in Societatis subsidium disponere* &c. 3. p. Constit. cap. 1. §. 9. Vtrumque enim legitur in regula D. Bened. cap. 58. vbi de religioso emittente professionem, statim post illam emissam inquit; *Si quid in bonis habeat pauperibus distribuat, vel facta solenni donatione, monasterio donet, nihil sibi reseruando.* vbi significat, & monasterio nullum ius acquiri in illo tempore professionis, & donationem non ex obligatione, sed ex propria voluntate religioni fieri potuisse. Et similiter S. Franciscus, cùm eius religio incapax sit hæreditatis, liberum reliquit volentibus eam profiteri, vt ad vsum fratrũ aliquod ex bonis suis relinquere possent, ita tamen, vt ab ipsis fratribus ad hoc non inducantur, vt explicauit Clemens V. in Clementina, *Exiuit de paradiso.* de verborum significat. §. *cæterũ.* Quod videtur etiam nobis significasse B. Ignatius in verbo illo, *motus sua deuotione*, quasi non debeat à nobis moueri, sed à Deo, & deuotione sua.

Societas in bonis hu distributis sibi nullum ius habet.

VII. *Potest tamẽ Societas indigentiam propriam subdito distribuenti proponere.*

Nihilominus tamen si Societas verè indigeat, nõ erit huic constitutioni contrarium, eam necessitatem proponere volenti sua bona distribuere; nam si hoc licet, & expedit facere cum externis hominibus, cur non cum propriis? Præsertim cùm, cæteris paribus, hoc etiam sit magis consentaneum ordini charitatis. Nam vnusquisque debet magis diligere sibi coniunctos spiritualiter, quam extraneos, vt cum D. Thom. 2. 2. quæst. 26. art. 7. tradi solet. Inter religiosum autem, & religionem est magna & peculiaris coniunctio spiritualis: ergo si religio æquè indigeat per se loquendo, ordo charitatis postulat, vt religiosus in distribuendis bonis suis eam præferat; ergo vt ipse valeat hunc ordinem seruare, meritò potest religio necessitatem suam declarare, imò & rationem peculiarem, quæ in eo militat, aperire; hoc per se bonum est, & non excludit, quin post intellectam optimè distributionis rationem, executio ex propria deuotione fiat. Quanta autem moderatio in hac ipsa distributione, quando in beneficium Societatis sit, ab ipsa seruetur, intelligitur optimè ex quadam eius regula, quæ in officio Prouincialis habetur cap. 10. quæ sic habet. *Si aliqua bona applicabuntur Societati cum facultate Generalis, magnopere curet Prouincialis, vt cum ædificatione, & charitate, & non cum rigore exigantur, potiusque per procuratores externos, quàm per nostros; expedit quoque, vt his eleemosynæ aliquæ in pauperes eius oppidi, vbi sunt bona, distribuantur.* Et alius in locis sæpe commendatur, & inferioribus, vt cum magna subordinatione ad superiores, & superioribus, vt cum magna prudentia, & proximorum ædificatione circa hanc distributionem se gerant, vt videre licet in citatis, & in Can. 3. 2. Congregationis generalis, & Canon. 3. & 4. Congreg. 3. Vnde, & à paucissimis atque parcissimè dicta distributio fieri solet, quicquid mundus dicat.

CAPVT VI.

Qua ratione distributio bonorum iuxta votum paupertatis à scholaribus Societatis facienda sit.

SVpereſt vt quod secundo loco initio præcedentis capitis proposuimus breuiter expediamus, scilicet, an omnia, aut aliquid saltem ex illis, quæ ibi circa distributionem bonorum ex regula assignauimus, quatenus voluntatem, vel consensum ipsius religiosi postulant, cadant sub votum paupertatis. Quod dubium non habet locum in nouitio, qui ante biennium expletum hanc facit distributionem; quia ille per se loquendo, non facit illam ex voto paupertatis, sed ex libera voluntate. Et quamuis præcesserit promissio simplex, (vt suprà cap. 4. numer. 17. dictum est) relinquendi omnia, cum primũ superior post elapsum primum annum probationis iniunxerit, tamen illa non obligat ad modum, sed solùm ad substantiam actus (vt sic dicam.) Quòd si fortasse nouitius priuatum votum emisisset, iuxta illius intentionem iudicanda erit obligatio; regulariter tamen fieri solet tale votum ad imitationem illius, quod completo biennio in Societate emittitur, ac recipitur, & ideo quoad materiam idem erit de vtroque iudicium. Ratio ergo dubitandi in his, qui hoc votum habent, esse potest, quia vouent simpliciter paupertatem iuxta constitutiones, sed in ipsis constitutionibus designatur hoc genus paupertatis, quoad distributionem bonorum; ergo eo ipso insurgit obligatio voti, ita vt licet constitutiones per se non obligent ad culpam, ratione tamen materiæ, quam designant, oriatur obligatio ex voto. Et declaratur. Nam hoc votum obligat ad non vtendum aliqua re vt propria, sed distributio talium bonorum est quidam, & maximus vsus eorum; ergo debet vsurpari vt proprius; ergo debet ex vi voti solus ille vsurpari, qui per dictas constitutiones, vel iuxta formam earum conceditur, quia omnis alius erit omnino proprius, siue rei vt propriæ. In contrarium autem est, quia in prædictis constitutionibus non ponuntur verba quæ indicent obligationem, seu necessitatem. Nam licet in 4. c. Examinis. §. 2. dicatur, *Pauperibus dispensare debent.* illarum additur, *Vt consilium Euangelicum sequantur.* Et ita verbum *debent*, non præcepti, sed consilij debitum, seu necessi-

necessitatem ad melius esse, vt ibidem indicatur, significat. Et in eodem sensu dicitur in §. 3. *Contenti esse debent*, &c. Et §. 5 in simili, ratio redditur, *quod id magis expedat, & ad maius Dei obsequium sit futurum.* Et 3. p. c. 1. §. 7. solùm dicitur, *Qui se exuit bonis suis, sequatur Christi consilia, pro sua tamen deuotione, ad hoc potiusquam ad illud opus dispensare bona sua, vel partem illorum poterit.* Et expressius §. 9. dicitur. *Haud dubiè opus facies maioris perfectionis*, &c. & sic in aliis.

II. *1. Assertio probatur authoris.*

Dicendum ergo censeo primò in genere, cadere sub obligationem præcepti, & voti non vsurpare in his rebus proprietarium vsum, id est, omnino propria authoritate, & voluntate, & non secundùm regulam, vel voluntatem superioris. Probatur primo ex Gregor. XIII. in Constit. *Ascendente Domino.* Vbi postquam dixit scholares retinere dominium bonorum suorum, subdit, *Interim tamen quantum ad illorum vsum religiosam paupertatem seruant, neque vllo modo tanquam propria sine superioris facultate vti possunt.* In quibus verbis planè significat hoc pertinere ad materiam, atque ita cadere sub obligationem voti. Nam religiosa paupertas illa propriè dicitur, quæ est materia voti, & ideo dicuntur *non posse*, quia agerent contra religiosam paupertatem. Vnde de iisdem scholaribus dixit ibidem paulo superius idem Pontifex, emissis votis debere in communi viuere, quia solùm ex communibus bonis, vel tanquam communibus vti debent; ergo quamuis retineant proprietatem aliquarum rerum, necesse est, vt non habeant proprium vsum ex vi voti paupertatis, aliàs possent ex illis bonis in particulari viuere, sicut possunt nouitij; neque esset cur Pontifex post emissa vota, specialem obligationē in hac parte eis tribueret. Ratio etiam hoc postulat necessariò, quia votum paupertatis religiosæ saltem, & maximè requirit paupertatem in vsu, vt ex dictis in c. 4. patet; non ergo haberent hi scholares votum paupertatis sufficiens ad statum religiosum, nisi bonorum omnium proprietarium vsum à se abdicarent ex voto, & ideo in constitutionibus Societatis sicut declaratur eos retinere dominium, ita etiam declaratur nulla re, tanquam propria, vti posse p. 3. c. 1. §. 7. Est ergo hæc materia talis voti, ideóque ex genere suo sub graui obligatione.

Item ratio.

III. *2. Assertio probatur ex 5 Congregatione.*

Secundò dicendum est. Qui post emissa tria vota substantialia res suas distribuit, vel illis se abdicat sine superioris facultate, facit contra votum paupertatis. Sic ad verbum fuit decretum in 5. Cōgreg. generali canon. 7. Intellexit nimirum Congregatio eum esse modum, seu formam distribuendi prædicta bona, quem constitutiones c. præcedent. num. 2. allatæ præscripserant, atque ea ratione, id est, supposita approbatione & facultate superioris, ad materiam voti paupertatis pertinere; aut certè (quod planè pro sua authoritate poterat, vt etiam in simili notabimus infrà lib. 6. cap. 10. num. 2.) denuò grauissimas ob causas, intra talem materiam id collocauit. Itaque forma illa disponendi addita superioris voluntate, tanquam necessaria cōditione, materia euadit huius voti, sic decernente, vt dixi, aut forte suo decreto declarante Congregatione iā inde à principio ita se habuisse hac in parte paupertatis votum in Societate; violarique grauiter, aut venialiter, pro materiæ quantitate, si superioris voluntas dispositioni non assistat.

De potestate declarandi videinfra lib. 6. c. 4.

IV. *Probatur deinde quo ad distributionem in prophana.*

Specialiter verò de dispositione in opera non pia probatur assertio. Nam talis modus alienationis, non est commissus arbitrio ipsius religiosi; ergo vsurpando propria authoritate illum vsum, vtitur illa re, vt propria, quod est contra votum. Itē quoad hanc partem nō solùm fit votum cum adiectione quasi affirmatiua, scilicet dandi consanguineis, v.g. si superiori visum fuerit, sed etiam sub limitatione negatiua, scilicet, distribuendi pauperibus, nisi ex facultate superioris, vel ex iudicio eorū, quos ipse probauerit aliud facere expediat; ergo qui temerè sine tali facultate, vel examine suo arbitrio bona expendit in vsus non pios, delinquit in materia voti paupertatis; est ergo ex genere suo graue peccatum, licèt ex leuitate materiæ possit esse veniale. Quę autem in hoc negotio sit materia grauis, vel leuis, ex dictis in tom. præced. disputando de voto paupertatis purè simplici, petendum est. Solùm hic considerare oportebit, quia res, quæ expēditur non est religionis, sed propria, & quia non derelinquitur vsurpando, & retinendo, quod magis repugnat paupertati, quàm abdicatio; ideo maiorē quantitatem requiri, vt appropriatio talis vsus (vt ita dicam) graue peccatum censeatur. In particulari verò prudens viri arbitrium necessarium erit.

V. *Non iudicium sed voluntas superioris ponit distributionē in materia voti.*

Notanter autem dixi in num. 3. *Addita superioris voluntate*, quia non satis est, quòd superior suum iudicium interponat iudicando talem, vel talem distributionem esse meliorem, vt eo ipso materia describatur tanquam necessaria, neque vt alius vsus censeatur vt rei propriæ; quia non obstante illo iudicio, potest concedi facultas eligendi, quod minus bonum est, quæ facultas respectu religiosi, est veluti quædam permissio; & ideo tunc aliter distribuēdo, quàm superior iudicet, licèt imperfectè fiat, non tamen necessariò cum culpa, vel si aliqua admisceatur ratione status perfectionis procurandæ, vel voti, ad summum est venialis. At verò quando superior non tantùm iudicat, sed etiam vult id fieri, quod melius est in tali materia, iam vrget necessitas voti, cum vsus bonorum prohibitus vsurpetur. Idem censeo, si interueniente dubio an bona sint consanguineis distribuenda, superior omnino statueret, vt id fieret iuxta formam constitutionum, designando duos, aut tres viros prudentes, quorum iudicium religiosi sequantur; pari enim modo religiosus tenebitur ex vi voti paupertatis, illum modum distributionis obseruare, ob easdem rationes.

VI. *Distributionem in pia opera non requisita directione superioris videri licitam non obstante voto paupertatis.*

Inferes; ergo quando religiosus distribuerit in pauperes, vel alia pia opera, non requisita peculiari superioris directione, minime peccabit contra votum paupertatis, quicquid sit, an imperfectè, vel peccaminosè etiam faciat, contra debitam subordinationem. Probatur illatio, quia iam pro tali bonorum dispositione certam habet Societatis voluntatem; si quidem & ea distributio de se studiosa est, & in constitutionibus non inuenitur præscriptum esse aliquid circa modum obseruandum inter ipsos pauperes, aut eligendi hos potius quàm illos, neque in hoc negotium aliquid esse commissum superiori, sed potiùs inuenitur totum esse relictum *deuotioni* donantis; & ideo licèt superior iudicet aliquid esse melius, velitque ita fieri, non pertinebit id facere ad materiam paupertatis, quia illud nullo modo fuit contentum in voto; neque subditus aliter distribuendo quàm velit superior, censebitur vti suis bonis, vt propriis, quia de illis disponit iuxta voluntatem, vt sic dicam, ipsius religionis, hoc est, iuxta modum in constitutionibus præscriptum. Vnde nunquam poterit particularis superior designare subdito certum pietatis opus (vt, v.g. dare talia bona Societati) tanquam materiam necessariam ad obseruationem voti paupertatis; quia nullibi ei cōcessum est; & alioquin ex natura voti paupertatis hoc etiam sequi non videtur. An verò ex vi voti obedientiæ possit id præcipere, alia quæstio est, in qua etiam probabile videtur regulariter loquendo non posse: quia non est iuxta constitutiones, neque est materia per se conferens ad finem instituti. Imò ad maiorem eius puritatem, & paupertatem videtur pertinere, vt non possit superior hanc necessitatem imponere subdito, præser-

Imo nec ex voto obedientia videri eā distributionem imperari posse.

Vide instructionem P. Claudii pro distributione facienda.

præsertim in ordine ad donandum aliquid Societati: & ideo in Constit. nu. 1. citata expresse dictum legimus, *Qui motus sua deuotione.* Et in eodem sensu dictum esse apparet, quod in Canon. 3. 2. Congregat. general. dicitur, ea, quæ continentur in 4. c. Exam. de dispositione bonorum (saltem quantum ad pauperes) sumenda esse tanquam generalem quandam instructionem, & legem, qua nostri debent bona sua illis distribuere, *pro deuotione tamen sua.* Concluditur ergo distributionem inter pauperes semper relinqui liberam, etiamsi Societas inter pauperes ipsos comprehendatur.

VII. *Quid seruãdum vt Societati aliquid distribuatur licitè*

Suppositа autem voluntate dandi aliquid Societati, dicitur nihilominus in 3. p. Constit. cap. 1. §. 9. vt applicatio potius ad hanc partem, quàm ad illam Societatis, vel ad hunc, aut illum vsum Generali committatur. Ex vi tamen illius constitutionis non videtur etiam pertinere hoc ad materiam paupertatis, neque posse tanquam quid necessarium præscribi, quia solùm declaratur illud esse opus maioris perfectionis: & quoad hoc non additur, vt in tali applicatione voluntati superioris stetur. Additur verò in prædicto canone 3. 2. Congregat. generalis limitatio quædam quoad hanc partem, & in canon. 3. Congreg. 3. scilicet talia bona distribuenda esse intra eam Societatis prouinciam in qua bona continentur. Quòd si religiosus ipse, ad quem talia bona pertinent, consentire nolit, sed alteri prouinciæ illa dare velit, additur ibi, talia bona non esse acceptanda à Societate, *sed ea* (inquit) *teneatur ipse in veros Christi pauperes extra Societatem dispensare.* Vbi põderandum est verbum *teneatur*, quod sine dubio obligationem significat, quia iam tunc illa distributio relinquitur, vt necessaria ex vi voti paupertatis, ita vt non possit in commodum consanguineorum commutari. Ea autem limitatio regulam (vt aiunt) firmare videtur pro dispositionibus piis extra casum donandi alteri prouinciæ. Denique additur ibidem, si religiosus velit applicare sua bona intra eandem prouinciam alicui tamen certo loco, esse in potestate Generalis illam improbare, quod satis clarum est, quia potest illam non acceptare. Quid autem tunc agere teneatur religiosus distribuens, ibi non declaratur. Et ideo dicendum consequenter videtur, eodem modo teneri ad distributionem faciendam, quo antea, & eandem libertatem retinere ad distribuendum inter alia loca Societatis intra eandem prouinciam, donec aliqua tandem eius applicatio approbetur; alioquin potest etiamsi velit inter alios pauperes distribuere; meliùs autem semper faciet, si superioris iudicio prædictam applicationem committat.

VIII. *Extensio illationis factæ n. 6.*

Ex his verò in tota hac illatione, seu obiectione contra secundam assertionem dictis, colligi vlteriùs poterit, distributionem factam à religioso, si in veros pauperes, aliaue pia opera fiat, inscio etiam, aut inuito superiore, licet minus ordinatè fiat, & ideo magna sit imperfectio, & regulariter aliqua sit venialis culpa; nihilominus tamen non videri directè contra paupertatem. Probatur ex dictis, quia talis distributio commissa est deuotioni ipsius religiosi: non pendet ergo à scientia, vel voluntate particularis superioris etiam Generalis; ergo non cernitur ibi vsurpatio alicuius vsus rei, vt propriæ, sed est iuxta intentionem voti cùm emittatur iuxta Societatis constitutiones, & iuxta modum à regula concessum.

IX. *Euasioni occurritur.*

Dices, licèt distributio in pauperes, quantum ad formam seu specificationem, vt sic dicam, non pendeat à voluntate superioris, quantum ad exercitiũ pendere; nam ad superiorem pertinet designare, tẽpus, in quo abdicatio horum bonorum facienda est, sub hac enim lege fit promissio, seu paupertatis votum. Respondeti in primis potest conditionem illam positam esse ad terminandam dilationem, nõ verò ad eam exigendam, ita vt ante illud tempus nõ possit fieri bonorum abdicatio. Vnde qui in Societatem ingreditur, licèt non teneatur ex regula ante expletum annum renuntiare omnibus bonis, non tamen prohibetur id facere, imò consulitur per se loquendo. Item post annum expletum licet promittat renuntiare cùm primùm iussus fuerit, non tamen promittit non renuntiare nisi iubeatur: & ideo licèt proprio nutu id faciat ante expletũ biennium, non aget contra promissionem, nec contra paupertatem, vt per se constat. Sic ergo licet expleto biennio teneatur ex voto paupertatis relinquere omnia cùm primùm iussus fuerit, non tamen ex vi illius voti prohibetur anticipare tempus, & statim relinquere bona non expectata iussione; ergo licet id faciat, ea ex parte non peccabit contra votũ paupertatis. Vnde si alioquin det pauperibus (quod sibi concessum est) ex nullo capite violabit paupertatem; quamquam quia votum etiam habet obedientiæ, inordinatè, & imperfectè faciet de suis bonis disponendo etiam in pauperes sine licentia superioris, ac si illud esset prohibitum in virtute obedientiæ, esset ex hoc capite peccatum graue iuxta materiæ qualitatem. Nam aliquando potest multũ expedire ad ædificationem proximorum, & ad bonum religionis, & ipsius religiosi, vt id non fiat, donec superiori videatur, & ideo sine dubio habet superior aliquando ius id præcipiendi cum omni rigore; tamen quia ordinariè hoc non est ita prohibitum, vel à lege, vel à Prælato; ideo per se loquendo, id est, secluso scandalo, contemptu, & conscientia erronea, hoc non est peccatum graue.

Hanc totam illationem, siue obiectionem contra secundam assertionem à numero 6. prosecutus sum consultò, quia fortasse ante citatum pro ipsa assertione canonem videri poterat probabilis. Nũc autem, vt illo num. 3. dicebamus, siue citatus canon Congregat. 5. nouum in Societatem ius hac in parte introducat, siue authoritatiuè declaret antiquum (ad eum ferè modum quo Ecclesia veritates aliquas denuo proponit credendas de fide) simpliciter, atque sine vlla distinctione operum *priorum, aut proborum* accipiendum est, atque dicendum, illicitam contra paupertatis votum esse distributionem in quælibet opera, si absque directione superioris, *sed tempræsumpta*, fiat; eo quòd talis directio, siue consensus prælati, conditio sit, vt dixi, necessaria, neque talis distributio sacrilega sit contra dictum votum. Neque verba illa constitutionis, *deuotione sua* (quod ferè totum robur est obiectionis) dicto decreto Congregationis repugnant. Nam deuotio subditi non excludit præuiam licentiam superioris ad disponendum generaliter, sed excludit necessitatem licentiæ peculiaris ad piè disponendum, vel ad disponendum in hæc vel illa pia opera. vnde citatum decretum explicuit quod constitutio supponebat. Et declaratur aliter; nam deuotio quãtumlibet voluntaria, & meritoria, non necessariò excludit licentiam superioris; sic enim dicemus inferius cap. 9. numero 9. in simili, ex charitate etiam moueri posse, qui suam obligationem implet. Et inprimis si deuotio distribuendi absolutè, & indistinctè in pia opera, ante ipsam licentiam à superiore petitã concipiatur, per petitionem subsecutam, non modò non minuitur, aut euanescit, sed potius crescere poterit, petitionem videlicet imperando. Si verò licentia petita deuotionem antecedat (quod facilè contingere potest, si indistinctè, seu in vniuersum de facultate exuendi se bonis suis, vt constitutio loquitur, cum superiore agatur) sicut post obtentam licentiam concipi potest voluntas donandi consanguineis, ita & voluntas, siue deuotio donandi piis operibus; nulla ergo est repugnantia aut ex illis

illis iuribus, aut si quid aliud in obiiciẽdo perstrinximus; quia in quacunque forma, vel instructione Societatis ad disponendum de bonis absque vllo incommodo, vel repugnantia imbibitur superioris directio, seu volũtas saltem præsumpta; atque adeò siue à principio Societatis, siue post quintam Congregat. posita assertio habere potuit veritatem. Cur autem dixerim *saltem præsumpta*, in fine capitis intelligetur. Vnde expedita similiter manent, quæ in 2. p. dubitandi in numero 1. ex cap. 4. Examin. & ex 3. p. Constit. cap. 1. afferebantur; neque enim repugnantiam vllam continent, sed potius maximè cohærent, debere religiosum sua ex voto disponere, etiã in pia opera, & votum ipsum emisisse, vt consilium Euangelij, seu Christi sequeretur, vt maius Deo obsequium præstaret, vt opus maioris perfectionis ederet.

XI. *Quæstio vtrum an valeat distributio, quæ extra directionem superioris erat illicita.*

Hic verò interrogabit aliquis vlteriùs, an licèt alienatio facta absque directione superioris, illicita sit, & sacrilega, valida nihilominus euadat. Cùm enim eiusmodi religiosi, de quibus loquimur, domini sint, & propria voluntate sua bona tribuant, vt supponimus, spectato iure naturæ valida est talis donatio. Nullum autem est ius positiuum, quod illam irritet: nam iura, quæ dicunt donationes, vel alienationes à religioso factas, non esse validas, loquuntur iuxta antiquum, & commune ius de religiosis, qui capaces non sunt dominij. Sic autem loquimur de religiosis habentibus aliqua bona, de quibus possint disponere, & ideo non iuxta commune ius, sed iuxta aliquod speciale de illis iudicandum est: nullum autem inuenitur ius speciale Societatis, quo talis alienatio irritetur; ergo retinet valorem quem habet iure naturæ. In contrarium autem est, quia religiosus non est sui iuris, neque habet velle, neque nolle: hi autem sunt verè religiosi, & quoad hanc partem tam perfectè subiecti, & alieni iuris, per votum obedientiæ, ac quilibet alij religiosi: ergo licèt dominium habeant, non habent voluntatem sufficientem ad transferendum illud. Propter quam rationem partem hanc amplexus est Ludouicus Molina tom. 1. de Iustitia tract. 2. disput. 139. vers. *Ill. qui tempore.* Vbi etiam nullam distinctionem facit inter alienationem ad pia opera, & ad alios vsus, quia re vera quantum ad hoc caput, quòd religiosus non est sui iuris, vtraque est æque prohibita, vel æquè infirma. Inde verò consequenter significat, etiamsi alienatio fiat in pauperes, vel opera pia, esse graue peccatum cõtra paupertatem, quia est vsurpatio iuris, quod quis non habet, scilicet transferendi dominium in alterum. Adde etiam, quia donare sine potestate transferendi dominium; vel decipiendo alium, vel inuitando illum, vt accipiat, quod accipere, vel retinere non potest, omnibus modis continet grauem inordinationem. Hinc etiam colligit testamentum factum ab huiusmodi religioso sine licentia sui superioris nullum esse: nam cum illa, sicut possunt hi religiosi de suis bonis disponere inter viuos, ita etiam est certum posse per viam testamenti confirmandi per mortem naturalem, aut per professionem, vel etiam per vota coadiutorum formatorũ Societatis, quæque ad hoc æquiualent, vt ex cap. 4. constat. Atque eadem proportione, si alia dispositio sine licentia inter viuos facta, illicita, & nulla est, erit etiam nulla per viam testamenti; est enim eadem vel maior ratio. Imò addit idem author, nõ solùm in his religiosis, sed etiam in nouitiis Societatis, post primum annum expletum peccatum esse condere testamentum de suis bonis, inscio superiore, quamuis de illo testamento doceat esse validũ; &, si morte naturali confirmetur, habere effectum, quia factum fuit ab homine sui iuris: illicitè autem factum esse censetur, quia est cõtra promissionem, quam talis nouitius fecit disponendo de bonis suis cùm primùm superior iniunxerit post expletum primum probationis annum, vt in illo cap. 4. numero 17. tactum est. Hanc Molinæ sententiam post-ea sequitur Lessius lib. 2. de Iust. cap. 4. dubit. 5. numer. 28.

XII. *Authoris placitum bipartitum.*

Nihilominus ego existimo huiusmodi alienationes, vel dispositiones ab his religiosis factas de propriis bonis sine licentia superioris non esse nullas ipso facto, sed validas, infirmas tamen, & irritabiles per voluntatem superioris. Priorem partem mihi probat discursus superius factus priori loco pro parte affirmatiua. Posteriorem autem probat, & non amplius ratio in contrarium obiecta, quæ est fundamentum Molinæ. Vtramque autem declaro exẽplo voti facti à religioso sine licentia Prælati, quod non est ipso iure nullum, sed validum, licèt infirmum, & irritabile à superiore, vt tom. super. cum D. Thom. & communi doctrina tradidimus. Quod eadem ratione verum est de quacumque promissione humana, quando non est de re illicita, aut de materia ita aliena, vt non possit impleri promissio sine iniuria alterius. Ex quo colligimus idem dicendum esse de donatione, quæ aliàs ex parte materiæ donatæ iniusta non est, sed solùm ex defectu consensus superioris: nam eadem est ratio de tali donatione, quæ de voto. Quia sicut valor donationis pendet ex voluntate, ita etiam voti, ac promissionis. Atque eadem exempla ostendunt religiosum non ita esse alieni iuris, nec in eo sensu dici non habere velle, aut nolle, vt nihil validum possit sua voluntate exercere, sed quia nihil firmum potest efficere sine consensu superioris, vel quia nihil potest licitè velle contra sui superioris voluntatem, vt in tom. super. ostensum est; ergo ex hoc capite non est hæc donatio irrita, sed irritabilis. Inter hæc autem duo multum interest: nam si sit irrita, non potest, qui talia bona accepit, illa retinere tuta cõscientia, quia retineret rem alienam. Dices, non retinet inuito Domino, & ideo non iniustè retinet. Sed contrà, quia iuxta illam sententiam voluntas Domini non est efficax ad concedendum dominium; ergo nec possessionem, vel vsum: nam religiosus æquè non est sui iuris quoad hæc omnia; ergo qua ratione non fit dominus, eadem non potest retinere rem acceptam; quia quoad hæc omnia magis est consideranda voluntas superioris, qui est veluti principalis administrator, quam subditi, qui est proprius dominus. At verò si donatio tenet, licèt irritari valeat, potest, qui aliquid accepit, tuta conscientia illud retinere, donec à superiore reuocetur donatio. Dices interdum poterit esse talis distributio, vt reuocari non possit, vt si facta est in pauperes. Item aliquando occultè fiet donatio, & superior propter ignorantiam irritare non poterit. Respondeo hæc esse per accidens; nam in eis interuenit impotentia facti, quæ non mutat ius: & quamuis fortasse ex parte recipientium interueniat aliqua malitia cooperando, vel inducendo ad actum inordinatũ intra obligationem obedientiæ, aut religionis: tamẽ quia non interuenit iniustitia, nec substantialis defectus impediens translationem dominij, nõ video vnde sit in recipiente obligatio nõ retinendi, quod accepit, etiamsi de facto nunquam possit reuocari donatio à superiore propter ignorantiam.

Declaratur vtraque simul pars exemplo voti, promissionis, ac donationis.

Discrimen inter irritã, & irrationabilem donationem.

Instantia contra primam partẽ discriminis dilatur.

Contra alteram partem discriminis instantia altera remouetur.

XIII. *Primum corollarium quo satisfit confirmationi ab exẽplo testamẽti quantũ ad scholares.*

Ex quo infero primò etiam testamentum conditum ab huiusmodi religioso sine facultate superioris non esse ipso iure nullum, licèt sit irritabile à superiore. Probatur consequenter ex fundamento posito: quia dispositio religiosi in his, quæ ex parte materiæ non continent iniustitiam, vel nullitatem, non est irrita ipso facto ex eo solùm quòd fit propria voluntate etiam alias peccaminosa sine inter-

interuentu voluntatis superioris, sed est tantùm infirma, & irritabilis; ergo idem dicendum est de dispositione per testamentum. Probatur consequentia, quia ex natura rei non requiritur efficacior voluntas ad testamentum, quàm ad alias donationes, & ex iure positiuo nullum est speciale irritans magis hanc dispositionem, quàm alias in tali persona. Sed quæres an condere hoc modo testamentum occultè, & sine facultate superioris, sit graue peccatum contra paupertatem, vel obedientiam. Respondeo, quod ad paupertatem attinet nullum videri peccatum, aut saltem nō videri graue, si eo animo fiat, vt tempore mortis subiiciatur superiori, quia tunc tale testamentum est veluti quædam manifestatio voluntatis propriæ, non autem iuris proprij indebita vsurpatio. Secus verò dicendum esset, si is testator intendat, vt suum testamentum ad executionem perueniat ex propria tūm voluntate, iuxta superius dicta in secunda assertione. Dices, cùm ex voto teneatur huiusmodi religiosus abdicare omnia bona cùm primùm iussus fuerit à superiore, huic obligationi repugnat etiam cum animo manifestandi id facere per viam testamenti, quod non habet effectum, nec est efficax donec per mortem naturalem, vel ciuilem confirmetur. Respondetur tale testamentum non impedire alteram obligationem, & obseruationem eius, quia non obstante illo testamento potest superior iniungere, vt statim sine mora renuntiatio omnium bonorum fiat: & tunc subditus tenetur id exequi, & prius testamentum fiet irritum, ac nullius momenti; ex nullo ergo capite videtur hæc actio contraria voto paupertatis in dicto casu. Et aliquando posset bona fide fieri, vt si subditus iter agendo, aut nauigando incidat in periculum mortis, & non habeat superiorem à quo possit petere facultatem, certè non peccabit condendo testamentum, præsertim in opera pia, ne ab intestato succedant, qui fortasse non indigent. Vt autem religioso modo id faciat, debet expresse in ipso testamento voluntati superioris illud subordinare, & optimè etiam faciet, si ei committat, vt ea mutet, quæ magis expedire viderit.

Testamentū occultè factum etiam ad pia opera quomodo sit aut non sit peccatum contra paupertatem.

XIV. *Item ad non pia.*

Vnde etiam vlteriùs addo, in tali casu necessitatis non esse graue peccatum condere testamentum, consanguineos, vel alios similes constituendo hæredes, solùm ad hunc finem, vt non necessariò sibi succedatur ab intestato, & vt superiori innotescat voluntas defuncti, dummodo ei semper committatur, vt commutare possit etiam in opera pia, si seruata forma constitutionum id expedire iudicatum fuerit: ad hoc enim semper obligat paupertatis votum in Societate factum, vt numero secundo, & tertio diximus. Quapropter qui absolutè conderet testamentum, relinquendo consanguineos hæredes, vel alia legata absque titulo pietatis, grauiter profectò peccaret, multoque grauius, si id faceret extra prædictum articulum necessitatis, quia tunc vsurpat vsum bonorum sibi non concessum, & ita vtitur illis bonis vt propriis, quod grauiter repugnat paupertati. Accedit etiam talem actionem fere esse inutilem; quia etiamsi quis moriatur tali testamento condito (quod Deus auertat) potest superior illud irritare eadem ratione, qua alias donationes, vt diximus. Tunc autem (quod notandum est) non esset liberum superiori, nisi in ipso testamento hoc ei expresse concederetur commutare institutionem in alium hæredem, vel alia opera etiam pia, sed solùm posse rumpere testamentum, quo sublato de remedio necessariò succederet is, cui ab intestato deberetur hæreditas. Ratio est, quia superior non habet ius proprium distribuendi illa bona, sed solùm habebat ius designandi materiam, modum, & tempus, & dandi facultatem; vt subditus posset talia bona distribuere firmiter, & iuxta suam obligationem alienare. Vnde si hoc iure vsus non est viuente subdito, post mortem eius nullum habet ius immediatum (vt sic dicam) in ipsis bonis, aut ad illa, aut ad distributionem eorū, sed solùm ex alio capite subiectionis, & obedientiæ habet potestatem irritandi, vel ratum habendi actum, quem subditus etiam in morte ratum efficere non potuit sola sua voluntate; & ideo potest irritare testamentum, postea verò nihil amplius efficere poterit, sed necessariò succedetur ab intestato.

Quid possit superior in tali testamento post mortem subditi.

Iam quod attinet ad inobedientiam, quæ in hoc facto interuenit, non est dubium, quin materia sit grauis confectio testamenti sine licentia, & ex hac parte sufficiens ad peccatum mortale; non inuenio tamen expressam prohibitionem, quæ in vi præcepti circa hoc imposita sit: & ideo non videtur esse ex hoc capite per se peccatum mortale, quia votum obedientiæ non ita obligat etiam in materia graui, nisi proprium præceptum interueniat. Regulariter tamen loquendo per accidens, & ratione scandali, vix poterit talis actus excusari à culpa mortali; tum propter exemplum & commune nocumentum religionis, tum etiam, quia habet quandam speciem, seu apparentiam proprietatis, seu vsus appropriati in materia graui. Hoc autem maximè intelligo, quando dispositio testamenti esset in vtilitatem consanguineorum, vel in alia opera profana, seu non pia; nam si esset in pia opera, facilè præsumi posset ratihabitio superioris, quamuis semper timendum sit.

XV.

Vltimò ex dictis colligo quid dicendum sit de nouitiis si ante emissa vota, in secundo nouitiatus anno, inscio superiore testamentum condant. Negari enim non potest quin inordinatè factum sit, quia etiam nouitius debet, quādiu in eo statu permanet, seruare debitam subordinationem ad superiorem, præsertim in re tam graui. Hæc autem obligatio incipit in ipso nouitiatu, vt cap. 4 numero 17. visum est. Et ideo ex hoc capite non minus verum est de nouitio Societatis agente primum, quàm de agente secundum probationis annum. Non est autem illa obligatio voti, tum quia, neque ex parte nouitij supponitur votum, per se loquendo, & licèt illud supponatur, non interuenit ex parte superioris proprium præceptum in hac parte impositum. Solùm ergo est illa obligatio veluti ex quadam obedientia paterna, & tacita conuentione inter nouitium, & religionem, quæ fieri intelligitur, quando nouitius ad communem vitam religiosorum admittitur; & ideo hæc inordinatio ex hoc capite non est peccatum mortale: à venali autem vix poterit excusari. Non videtur autem ex vi huius actus, agere nouitius contra promissionem, quam facit disponendo de suis bonis, cùm primum superior iniunxerit; quia testamentum non impedit implere promissionem factam, cum semper infirmum sit viuente testatore, nec necesse est, vt nouitius intentione non implendi eam promissionē illud faciat sed solùm, vt si interim dum superior nō præcipit alienationem bonorū, aliquid aliquid huiusmodi accidat, de sua possit constare voluntate, manum ei quod per se nec reprehensibile esset, si debito modo fieret.

XVI.

CAPVT

CAPVT VII.

Ad quem vsum siue exercitium paupertatis singuli religiosi Societatis IESV ex virtute teneantur.

I. *Vsus paupertatis duplex.*

DVplex distingui potest paupertatis vsus in singulis religiosis (de paupertate enim in cõmuni postea dicetur) vnus dici potest positiuus, alius negatiuus, qui potiùs est non vsus; & vterque esse potest suo modo materia voti. Nam carentia alicuius vsus, directè, & substantialiter (vt ita dicam) potest cadere sub obligationẽ, voti paupertatis, quia cùm paupertas consistat in carentia, maior erit si se extendat ad carentiam aliquorum vsuum, ideoq; directè potest cadere sub votum. Vsus autem positiuus vt sic, seu quoad substantiam suam, non videtur pertinere ad paupertatem, sed ad alias virtutes, quibus homo obligatur vti rebus temporalibus ad vitam conseruandam, vel ad alios fines; paupertatis autem est ponere modum in hoc vsu, & quoad hoc potest directè cadere sub tale votum. Aliqui etiam sunt actus, qui moraliter sunt necessariò coniuncti cum aliqua paupertate, vt mendicare, si nihil habeatur in particulari, neque in communi. De his ergo omnibus vsibus, siue actibus (sicut in præcedentibus de dominio seu proprietate fecimus) tractandum erit, explicando in præsenti capite de singulis, quid ad perfectionem regulæ spectet, & in sequenti, quid ad obligationem sub culpa pertineat.

II. *Primæ obseruantia vsus negatiui paupertatis in Societate non habere in cella, siue priuatum esculẽta, vel poculẽta.*

Vt ergo incipiamus ab vsu negatiuo, qui perfectior est, & magis explicat perfectionem voti. Primò spectat ad paupertatem Societatis, vt religiosi nihil priuatim possidere possint ex his rebus, quæ ad sustentationem corporis pertinent, quæ sub cibo, & potu includuntur. Etenim non habere proprium, & priuatum dominium harum rerum commune est omnibus religiosis: non posse autem habere priuatam possessionem harum rerum, vel in magna, vel in parua quãtitate, cum generali facultate vtendi illis, non est commune omnibus: multis enim licet vel per regulam, vel per consuetudinem non prohibente regula, priuatim hæc possidere; id est, in proprijs cellis, sub propria custodia illas tenere, & suo arbitrio illis vti, non ex dominio, sed ex generali licentia. Alij verò ex sua regula, & consuetudine carentiam huius vsus, & possessionis profitentur: & non est dubium, quin intra latitudinem paupertatis, hoc sit ex suo genere melius, cęteris paribus: tum quia magis distat à sufficiẽtia diuitiarũ, & in rebus maximè necessarijs: cuiusmodi sunt eæ de quibus loquimur, tum etiam propter difficultates multas, quæ superandæ sunt, si vel necessitati, vel appetitui corporis ex solis rebus communibus, quæ sub possessione, & custodia religionis sunt subueniendum sit, idque semper iudicio, & arbitrio superioris, & non propria voluntate, & petita semper facultate, quod eo est magis onerosum, quo materia est contemptibilior, magisq; humana, atq; adeò religiosæ personæ pudibunda. Tum denique, quia hæc paupertas plures aufert occasiones vel intemperantiæ, vel superfluæ delectationis, vel inutilis, aut otiosæ conuersationis. Et ob has causas, hoc genus paupertatis consuluit Basil. in regul. 304. vbi inter alia ait. Et eo quòd in communi loco, id est, in monasterio, priuatas escas, vel potiones aliqui habeant, illud consequi, quod est ab Apostolo reprehensum, *Confunditis eos, qui non habent.* Idem tradidit Pachom. in sua regul. 43. *Nullus in cella sua reponat aliquid vescendum.* Hoc ergo genus paupertatis Societas amplexa est, & obseruat, vt ex consuetudine constat, & ex regulis infrà citandis, nec sine vrgente necessitate, & magna moderatione in hoc dispensari debet, si materia alicuius ponderis, seu considerationis sit.

III. *Secunda obseruantia si quid tale ad quempiam mittatur conuertendũ in vsum cõmunem.*

Secundò ex hac sequitur alia obseruantia paupertatis, vt si quidpiam huiusmodi alicui religioso in particulari mittatur, admittendum non sit in eius peculiarem possessionem, vel vsum. Est quidẽ commune ferè omnibus religiosis regulis, vt nihil, etiamsi ad cibum, & potum pertineat, possit ab aliquo religioso recipi absque licentia, seu benedictione, (vt aiunt) prælati; hoc enim plurimũ spectat ad vsum paupertatis. Imò Basilius suprà consulit, quæ huiusmodi sunt non recipi; tamẽ si occupanda sint, inquit: *Antistiti facultas detur, vt statuat ipse à quibus sumi, & quæ sumpta sunt quomodo distribui conueniat.* Pachomius etiam regul. 30. idẽ ait, & August. in regula *Prius*, ait: *Priori insinuetur, & sic suscipiatur, si ipse mandauerit, de quo tamẽ nihil fiat aliud, nisi quod Prioris placuerit.* Et S. Benedict. in sua regul. cap. 54. prohibet, ne religiosus habeat facultatem recipiendi hæc munera, etiam à proprio parente, sine licentia, & consensu Abbatis, qui si eam dederit, *poterit*, (inquit) *postea pro suo arbitrio de tali re disponere*, significans non oportere licentiam dare, vt religiosus huiusmodi donum sibi in particulari vsurpet. Quod confirmauit Innocent. III. in cap. *cùm ad monasterium.* de statu Monach. dicens, *Si quidquam alicui fuerit specialiter destinatũ, non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori, vel Cellerario assignetur.* Et S. Pachom. in sua regula 30. *Si quis* (inquit) *ante ostium steterit monasterii, dicens se velle videre fratrem, & forte aliquid attulerit ciborum, quibus in monasterio vesci licitum est, suscipere ipse non poterit, sed cuncta ad locum ægrotantiũ deferentur.* Hanc ergo cõditionem, & perfectionem paupertatis Societas amplexa est, & ideo in regula 60. Rectoris sic habetur: *Si cui particulari quidpiam ab externo aliquo mittatur, id in communem vsum accipiatur, ac dispensetur.* Et in hoc sensu dicitur 6. p. Constit. cap. 2. §. 11. *Quisque in, quæ de communi data fuerint ad vsum suum necessarium, aut conuenientem, resecatu superfluis sit contentus.*

IV. *Tertia obseruantia non habere in cella aliquid ad vestitum pertinens.*

Tertiò, quia post victũ, vestitus videtur esse proximè necessarius ad vitę sustentationem, ideo circà hoc etiã similis obseruantia paupertatis seruanda est, vt præter ea, quæ ad actualem corporis vsum necessaria sunt, nihil aliud quisque apud se habeat, sed omnia in communi reposita sint, sicut habetur in regula 5. custodis vestium, & in instruct. 1. ex impressis anno 606. nu. 5. & in ordinat. contractis cap. 1. n. 15. & cap. 4. vt inde singulorum necessitatibus subueniatur. Quod fuit consilium B. Basilij serm. 1. de institutis Monach. circa finem. *Apotheca* (inquit) *communis omnium sit, neque proprium alicuius quidquam nominetur, non vestimentum, nõ calceamentum, non denique aliud quidpiam eorum, quæ ad necessarium corporis vsum spectant.* Hinc etiam in c. 4. Examinis §. 26. admonentur statim, qui Societatem ingressuri sunt, *in his quæ ad victum, & vestitum, & lectisternium pertinent, magnam paupertatem esse seruaturos, ita vt vnusquisq; sibi persuadeat, vilissima eorum, quæ domi sunt, ei esse tribuenda, & eis debere esse contentum, propter maiorem sui abnegationem, & spiritualem profectum.*

V. *Quarta obseruantia. Non habere librorum peculiũ alibi exportandũ.*

Quartò, quanuis propter necessitatem studiorum concedatur religioso Societatis permanens vsus, (vt sic dicam) eorum librorum quibus indiget, ita vt eos priuatim apud se habere possit, quãdiu alicubi commoratur, non tamen conceditur, vt habere possit librorum peculium, quod secum deferat, eoque perpetuò vtatur, dum viuit, quæ est altera obseruantia paupertatis non parum difficilis, quia est circa rem maximè necessariã ijs qui studijs, ac literis tanta diligentia incumbunt, & ad quam solent homines studijs dediti maximè affici. Imò alicui videri potest hoc paupertatis genus, multum posse literarum profectum impedire; pro-

pter quã fortasse causam multæ religiones alioqui tam in paupertate, quàm in cæteris rebus valdè perfectæ hoc non obseruant. Societas verò vtilitatem, quæ ex eorundẽ librorum perpetuo vsu prouenire potest, vel alijs diligentijs compensandam, vel certè huic perfectioni paupertatis postponendã putauit. Et ideo cùm in 4. p. Const. c. 6. §. 7. dicatur præter bibliothecam communem, quæ in singulis Collegijs futura est, posse vnumquemque habere libros ad suum vsum necessarios, statim additur in declaratione, neminem posse, aut debere aliquid in eis scribere; quod in regulis communibus reg. 8. sic dicitur. *Libros nemo habeat sine facultate: in his verò, quibus vti licet, nec scribat aliquid, nec notam vllam imprimat:* quia nimirum eos secum deferre non debet, & facilè auferri possunt, & alteri in vsum dari. Denique regul. 25. ex communibus in vniuersum dicitur. *Nemo cùm ex vno loco in alium proficiscitur, quidquam secum asportet sine facultate superioris*; quæ facultas iuxtà receptam consuetudinem, quæ est optima legum interpres, non nisi in rebus minimis, & magna ex causa conceditur. Eiusmodi sunt libri, qui in 1. institutione ad renouationem spiritus in fine assignantur, *Constitutiones scilicet Societatis, vel earum summarium, Ioannes Gerson, vel simile aliquis pius libellus: aliquibus etiam Biblia, & summula aliqua casuum.* Et ferè eandem regulam habet Pachomius, quæ est apud illas 46. *Si quis* (ait) *transfertur ab vna domo in aliam domum, excepta ea, quæ vsui quotidiano ad habitum necessaria sunt, secum transferre nihil poterit.* De hac regulâ Pach. ab Angelis data vide Metaphr. apud Surium 3. tom. 14. die Maij c. 12. 22. & 28. Palladium in Historia Sanctor. c. 38. Gennadium de viris illustribus in Pachomio, & Sozomenũ lib. 3. Historiæ c. 13.

VI. *Vtilitas huius obseruantiæ.*

Vtilitates autem hæc obseruantia partim communes habet omnibus religiosis, partim in Societate peculiares, vel potiùs necessitatem. Priores sunt, quia hoc modo tollitur solicitudo congregandi libros, qui interdum ob curiositatem potius vel aliquando ad splendorem, & ostentationem, quàm ob necessitatem congeruntur. Item excusantur infiniti sumptus, qui in transportanda librorum supellectile fieri solent. De qua re multa scribit Aluarus Pelagius lib. 2. de planctu Ecclesiæ, c. 64. Item per hoc tollitur materia inordinati amoris, & affectus, qui ad huiusmodi res, quando ita possidentur, generari solet. Propter quas causas eadem ferè regula habetur in Constitutionibus Dominicanorum dist. 2. c. 14. lect. 4. *Nullus certus vsus librorum concedatur, neque dedignetur, à quocunque auferantur, vel in cuiuscunque custodiam dimittantur.* Itidem obseruasse S. Franciscum refertur in speculo Minorum 3. p. & refert author Cõformitatum lib. 2. Item consulit B. Vincentius Ferrar. tractatu de vita spirituali c. 1. vbi ait satis esse libros communes, qui in singulis monasterijs accommodati inueniuntur.

Eius item necessitas in Societate.

Peculiaris verò necessitas huius obseruationis in Societate ex fine, & peculiari professione eius orta est. Omnes enim eius religiosi parati esse debent ad quascunque missiones, & peregrinationes obeundas, sine excusatione, etiam non petito viatico, quotiescunque iussi fuerint, vt dicitur in Examine cap. 1. §. 5. & 6. p. Constitut. cap. 2. §. 3. & sæpè aliàs. Hæc autem obligatio cùm ad omnes pertineat, maximè ad literatos, & Doctores, & ideo oportet esse expeditos, & liberos ab omnibus vinculis, & impedimentis, quoad fieri possit. At verò librorum sarcina, non posset non multum impedire si asportanda esset; & si ad perpetuum vsum haberentur cum magna difficultate relinquerentur, & ideo ad hoc institutum ferè necessariò consequens fuit, vt in eo talis vsus non admitteretur.

VII. *Quinto obstat.*

Quintò, huic pauperi supellectili religiosi cubiculi, consentaneum est, vt nihil in ea sit clausi obseratum: quod sine dubio est magnum signum nihil possideri, vt proprium, totúmque esse liberè dispositioni Prælati relictum. Propter hanc ergo & alias causas in regulis communibus Societatis in 11. ita cautum est: *Nullus ita cubiculum suum claudat, quin aperiri extrinsecus possit, aut arcam, aut qui quam aliud habeat obseratum absque superioris facultate.* Quam perfectionem paupertatis antiquos etiam Monachos obseruasse intelligi potest ex Cassiano lib. 4. de Institutis renuntiantium cap. 14. & 15. Nam in priori laudat Monachos, qui proprio sudore & opere exuberantes redditus conferebant monasterio, nihil sibi proprium præsumentes. *Cùmque* (inquit) *totam enthecam cœnobi, suam credat esse substantiam, admonendam nihilominus arreptæ nuditatis virtutem, quam studeat ad finem vsque perficere, atque inuiolabilitèr custodire, ita semetipsum à cunctis extraneum, & ex omnibus iudicat alienum, vt tanquam peregrinum fugiat, & incolam istius mundi; alumnumque potiùs monasterij reputet ac ministrum, quàm Dominum rei cuiusque præsumat.* Statim verò reprehendens alios subdit in sequente capite, *Ad hæc nos miserabiles quid dicemus, qui in cœnobijs commorantes, ac sub Abbatis cura, & solicitudine constituti, peculiares circumferimus claues, omnique professionis nostræ verecundia, & confusione calcata enthecas annulos, quibus recondita præfigimus, in digitis palàm gestare præsumimus*, &c. De eadem re multa leguntur nomine Hieronymi, in regula Monachorum c. 2. & 3. & specialiter in 4. ait. *Sic sit apostolica femina proiecisse peras, & sacculos, vt neque marsupium ex latere pendeant, neque opus sit clauibus, vt iam ex ipsis ventre exteriorum indiciis, quòd nihil habetur intrinsecum, præter Iesum: quòd nihil est clausum, quod est dedicatum vsibus omnium.* Idem constitutum esse in ordine Minorum refert Corduba in expositione regulæ cap. 6. q. 2. E: idem habet OrdoCist. in Hispania in suis definitionibus c. 36. n. 141.

VIII.

Sextò, cùm per votum paupertatis prohibeatur religioso, quidquam sine superioris facultate accipere, quod generale omnibus est, specialiter prohibitum est in Societate aliquid accipere in stipendium alicuius ministerij spiritualis, ita vt hoc nullo modo liceat, neque ad id dari facultas possit. Quod quidem ad votum paupertatis in Societate pertinere, constat ex Examine cap. 1. vbi votum paupertatis ita exponitur. *Sic paupertatem accipiendo, vt nec velis, nec possis reditus vllos ad tuã sustentationem, neque ad quiduis aliud habere.* Et infrà. *Neque etiam* (quamuis aliis sit licitum) *pro Missarum sacrificiis, vel prædicationibus, vel lectionibus, vel vllius sacramenti administratione, vel quouis alio pio officio ex his, quæ iuxta suum instituum Societas potest exercere, stipendium vllum, vel eleemosynam, quæ ad compensationem huiusmodi ministeriorum dari solent, ab alio quàm à Deo, obsequium omnia purè facere debent, possint admittere.* Ex quo contextu constat primò, id quod in hoc genere alijs licitum est, eo quòd nec iniustitiam, nec simoniam continet, religiosis Societatis non licere ratione paupertatis. Id quod denuo specialiter cauetur in canon. 7. Congreg. 6. omnibus confessarijs etiam principum, concionatoribus, &c. *Nullum in Societatis ministeriis paupertatis nostræ puritas detrimentum patiatur.* Et idem inculcatur in Ordinarijs contractis c. 4. num. 8. & 9. Constat secundò hanc obligationem non esse ex simplici directione regulæ, sed ex vi voti paupertatis oriri: nam eodem contextu hoc ponitur sub materia paupertatis, ac non habere redditus vllos. Atque hoc ipsum sæpius & cum magna exaggeratione, & declaratione in constitutionibus inculcatur, præsertim in 4. p. cap. 7. §. 3. cap. 15. in fine. 6. p. cap 2. §. 7. cum declaratione in liter. G. & 10. p. §. 5.

IX.

Quibus etiam locis variæ rationes huius institutionis insinuantur. Illa verò sufficiens esse pos-

sec,

tiones huius conditionis.

set; quòd licèt aliud non sit malum, hoc sine dubio est melius; quia, & tollit omnem auaritiæ speciem, & temporalis lucri cupiditatem diminuit, ac denique, quia ex hoc capite augetur aliquo modo paupertas. Maximè verò fuit hoc ferè necessarium in Societate, considerato eius fine, & muneribus, tum ex parte proximorum, ad quorum profectum, & lucrum spirituale tota Societas ordinatur: quo enim gratiùs, & liberaliùs ministeria omnia in proximorum commodum facta fuerint, eo sine dubio libentiùs ab eis suscipientur, & cum maiori ædificatione, & cæteris paribus cum maiori fructu fiet: tum etiam ex parte religiosorum; cùm enim maiori ex parte in his ministerijs occupari debeant, si ex eis possent temporale commodum reportare, periculum profectò esset, vt eorum viuendi ratio quæstus potiùs esset, quàm pietas. Vt ergo iuxta cõsiliũ Apostoli 1. ad Timoth. 6. solam pietatem magnum quæstum existimarent, præcisa ab illis est omnis spes temporalis commodi, estq; hoc institutum satis consentaneum antiquis canonibus, qui referuntur 1. q. 2. cap. *Pastor.* & cap. *si quis.* & cap. *sacerdos.* quæ sunt assumpta ex Prospero. & ex cap. *Clericos.* ead. caus. & q. ex Hieronymo ad Damasum, & refertur etiam 16. quæst. 1. in vltimis verbis. Quibus locis solùm ad propriam sustentationem dicitur posse ministros altaris aliquid à fidelibus accipere: reprehenduntur autem illi sacerdotes, qui cùm habeant aliàs vnde sustententur, à fidelib⁹ etiam necessaria ad sustentationem accipiunt. Vnde orta est inter scholasticos controuersia, de qua in tom. 3. de sacramentis, disput. 86. sect. 3. an id liceat, nècne? qua nunc prætermissa certum apud omnes est, perfectiùs acturum, qui nec sustentationem acceperit, si illa indiget. Quapropter dubium etiam non est, quin maior adhuc perfectio sit, hoc ipsum ex voto facere: nam si illud perfectius est; ergo est materia voti; ergo illi perfectioni votum adiungere melius est. Atque antiquos Ecclesię clericos & ministros hanc consuetudinem sępiùs obseruasse verisimile fit ex citatis iuribus, & ex verbis Hieronymi in regula Monachorum cap. de paupertate. *Clerici* (inquit) *qui de bonis parentum sustentari possunt, si quid pauperum accipiunt, sacrilegium profectò committunt.* Non enim alia ratione sacrilegium ibi interuenire poterat, nisi quia erat contra votum: nec Hieronymus de omnibus loqui videtur, sed de illis qui paupertatem profitebantur: ergo verisimile est, specialiter professos fuisse hoc paupertatis genus: quanuis non negem verba illa posse habere alias interpretationes, de quibus alibi. Nunc ergo satis nobis sit esse opus perfectionis, & voto dignum nolle recipere stipendium, vel eleemosynam, etiam in sustentationem pro spiritualibus ministerijs.

Citato loco de sacram.

X. *Obiectio cõtra proximè dicta.*

Dices hoc habere locum in his ministris Euangelij, quia aliàs habent vnde sustententur, vt ex verbis citatis ex Hieronymo constat: at verò in his qui aliàs perfectam paupertatem profitentur, non videtur esse illud perfectionis opus, imò nec rationi consentaneum: nam qui altari seruit, ex altari viuere debet; alioqui necessarium illi erit interdum altare relinquere, id est, spirituale ministeriũ omittere, vt quærat vnde sustentetur. Nec satis est si quis respondeat religiosum satis habere vnde sustentetur, ex ipsa, scilicet, religione: nam tunc ad corpus ipsum religionis reuocabitur difficultas, quia non solùm singuli religiosi Societatis non possunt sibi accipere stipendia, vel eleemosynas, verùm etiam nec alicui domui, aut Collegio, neque etiam domus ipsæ, vel Collegia possunt hoc titulo aliquid à fidelibus accipere. Cùm ergo ipsa Collegia, vel domus non habeant aliunde, vnde sustententur, nisi ex bonis fidelium, non videtur ad perfectionem pertinere non recipere ab eis huiusmodi stipendia, vel eleemosynas propter Missas, aut alia ministeria: alioquin necesse est, vt prælati nimiam solicitudinem, ad domos sustentandas sustinere debeant, vel certè, vt alios difficiliores, minùsque decentes modos in quærendis necessarijs tenere cogantur.

Respondetur, si perfectionis est in eo, qui habet sustentationem ex proprijs, vel paternis bonis, non postulare illam à fidelibus, etiamsi illis inseruiat; multo maioris perfectionis esse, non exigere hanc sustentationem, quasi in compositionem talium operum, etiamsi aliunde non habeatur, sed mendicando quærenda sit, quod per se videtur adeò euidens, vt probatione non indigeat: nam sine dubio illud est maioris paupertatis, & nuditatis genus. Deinde auget fiduciam in Deum, qui non deficit in necessarijs suis ministris, si fideliter & merè liberaliter Deo, & proximis inseruiant, præter alias vtilitates, & honestates, quas suprà n. 9. numerauimus. Quocirca licèt verum sit, totum corpus Societatis ex donationibus vel eleemosynis fidelium sustentandum esse, siue in domibus, siue in Collegijs, siue in peregrinationibus, & missionibus seruata in singulis instituti ratione infrà à c. 9. explicanda, nihilominus consilium sibi obseruandum existimauit, non recipere has eleemosynas propter Missas, vel in compensationem aliorum ministeriorum, sed eas vel sponte oblatas accipere, si solùm in eleemosynam, & non in compensationem detur: vel, si indiguerit, eas à fidelibus postulare, qui eodem liberali modo eas tribuant. Et quamuis fortasse hoc onerosius, & laboriosius sit, hunc tamen laborem non recusat, vt finem à se intentum, id est, animarum profectum melius assequi possit, omni vidélicet proximorum ipsorum onere semoto.

XI. *Soluitur.*

Concinit Henriquez, cum citatis ab eo, lib. 9. c. 22. n. 3.

Habemus de hac re illustre D. Pauli exemplum, qui 1. ad Corinth. 9. in primis probat petijsse se ex substantijs fidelium ali, & sustentari. Et ad hoc confirmandum affert aliorum Apostolorum exemplum, & legem Deut. 25. *Non alligabis os boui trituranti.* Et illud, *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Deinde verò subiungit, *Sed non vsi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi.* Et infrà, *Ego autem nullo horum vsus sum.* Concinitque in 1. ad Thess. 2. vbi & auara lucra, & pauperes alios suæ prædicationis fines excludit. Obseruauit ergo Paulus hoc consilium, non vt aliorum Apostolorum consuetudinem reprehenderet, neque vt se meliorem aut perfectiorem ostentaret: sed quia prudenter existimauit illud sibi magis expediuisse ad munus suum meliùs exquendum, quod erat prædicare Euangelium gentibus: hoc est enim quod ait, *Ne quod offendiculum demus Euangelio Christi.* Alij enim Apostoli præcipuè prædicabant Iudæis, & ideo sine vlla offensione ab ijsdem necessaria ad sustentationem accipiebant; nam, vt commemorat Hieron. lib. 1. contra Iouinianum, circa medium. *Sanctæ mulieres iuxta morem Iudaicum magistris de sua substantia ministrabant*; inter gentes verò non erat talis consuetudo, & quia rudiores erant in diuinis rebus, facilius poterant perturbari si aliquid ab eis exigeretur; & ideo (vt notauit D. Thom. 3. p. q. 40. art. 3. ad 2.) quia hoc scandalum facere poterat in nationibus, *Paulus se abiecisse commemorat.* Aliter, quanuis æquè ad rem, de qua agimus, exposuit hanc occasionem Augustinus lib. 2. de sermone Domini in monte, cap. 16. dicens, *Perhibet Apostolus licere sibi, & permissum esse à Domino, vt qui Euangelium annuntiant de Euangelio viuant, id est, de Euangelio habeant ea, quæ huic vitæ sunt necessaria, sed tamen se non esse vsum de hac potestate; erant enim multi qui occasionem habere cupiebant, acquirendi & vendendi Euange-*

XII. *Exemplo Pauli illustratur.*

lium quibus eam voluit Apostolus amputare, iuxta id quod alibi scripsit, vt amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem, 2. ad Corinth. 11. & lib. de mendacio. cap. 15. tractans illud, *Dignus est operarius mercede sua.* Permissum dicit hoc esse, non iussum, *ne fortè qui hoc faceret, vt in opere prædicationis verbis aliquid ab eis, quibus prædicaret, in vsus vitæ huius sumeret, illicitum aliquid se facere arbitraretur: posse tamen laudabilius non fieri, in Apostolo Paulo satis demonstratum est.* Quæ res tantæ æstimationis fuit apud Paulum, vt gloriam suam illam appellet, & vitæ suæ illam præferat: ait enim citato loco, *Non autem scripsi hæc, vt ita fiant in me, bonum est enim mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. Gloriam meam* (inquit Anselm.) *quam pro hac abstinentia habere volo in Christo apud Deum, compatiens infirmis, dum nihil ab eis sumo.* Aliter Chrys. hom. 22. *Ne quis dicat, eum quidem hoc facere, sed non latum, verùm gementem & mœrentem, volens summam ostendere lætitiam, & animi alacritatem vem appellat gloriationem; tantum abest, vt sit mœstus, vt etiam gloietur, & malit mori, quàm amittere hanc gloriationem: ita quod fiebat erat ei vita dulcius.*

XIII. *Ad exemplū sibi propensa Societas.* Sicut ergo Societas Paulum in ministerium conatur imitari, ita etiam in hoc genere perfectionis illum imitari elegit, ne quod offendiculum Christi Euangelio ponatur, id est, (vt Chrysost. loquitur homil. 21. in 1. ad Corinth.) ne quamlibet protelationem, & dilationem afferamus cursui Euangelij. Hoc enim offendiculum etiam hodie timeri posset, vel prædicando gentibus, vel hæreticis repugnando, vel certè fideles Catholicos instruendo, & excitando, si ob temporale aliquod commodum hæc fieri viderent, ac de stipēdio tractari. Fortasse etiam ipsimet ministri Euangelij minorem haberent libertatem ad reprehendenda vitia, minoremq; ad persuadendum efficaciam, si aliquam recompensationem ab his quibus inseruiunt acciperent: vt ergo cursus Euangelij in nullo impediri posset, peculiarem hanc obseruantiam inter alias religiones Societas tenet: neque omnino singularis in hoc est: nam fratres minores Recollecti etiam hoc obseruant, vt pro Missis eleemosynas, seu pitantias (vt vocant) non accipiant, vt refert Corduba quæst. 15. ad cap. 4. suæ regulæ: quamquam ipsi, solùm intuitu maioris puritatis in paupertate seruanda, id faciant: nam vt ibidem refert ex lib. plagarum, titul. 10. plaga 1. maxima Ordinis, & puritatis regulæ iactura, sub prætextu Missarum, & eleemosynarum diabolo procurantè, & hominum fragilitate, cupiditate, & ignorantia introducta est.

XIV. *Septima obseruantia. Nihil quāuis minimū dare etiam mutuato inter domesticos, aut externos.* Septimò ad hanc paupertatem spectat, nihil posse dare sine facultate superioris, quod omni perfecto voto paupertatis commune est; in Societate verò cum hac exaggeratione ponitur, vt etiam ad res minimas expressè extendatur: nec solum ad donationem, sed etiam ad mutuationem tam dando, quàm accipiendo extenditur. 3. p. Constitut. cap. 1. §. 8. *Intelligant etiam* (dicitur) *quòd mutuo dare, vel accipere, vel dispensare quidquam de his, quæ domi sunt, minimè possint, nisi superior consilius consensum præstiterit.* Quæ verba cùm generalia sint, non solùm respectu externorum, sed etiam ipsorum religiosorum inter se intelliguntur; non enim dicitur, *Non licet mutuò dare externis, vel ab eis accipere*, sed simpliciter *dare, vel accipere*; ergo neque inter se possunt ex vi illius regulæ, quidquam dare, vel accipere, etiam mutuò. Quod & seruatur, & est valdè consentaneum voto paupertatis, nam religioso merus vsus facti conceditur; vsuarius autem licèt vti possit ipse, non tamen vsum rei propria authoritate alteri concedere. Per mutuum autem saltem vsus rei alteri conceditur, & ideo meritò non licet sine facultate superioris.

Atque hoc ipsum refertur statuisse Pachomius suæ regula 95.

Iam quod ad vsum positiuum spectat, variæ sunt constitutiones Societatis, in quibus speciales circunstantiæ, & aliqui actus pertinentes ad huiusmodi vsus perfectionem, commendantur. Nam in Examin. cap. 4. §. 26. victus, potus, vestitus, & lecti ratio futura dicitur, vt pauperibus accommodata, & vnumquemque sibi persuasum habiturum, quæ vilissima erunt ex ijs, quæ domi sunt, ei esse tribuenda, vt ita parati sint ad huiusmodi pauperem vsum talium rerum propter suā maiorem abnegationem, & spiritualem profectum; deinde p. 3. cap. 1. §. 25. *Diligant* (dicitur) *omnes paupertatem, vt matrem, & iuxta mensuram sanctæ discretionis, suis temporalibus suos affectus aliquos exprimantur.* Et 6. p. cap. 2. §. 11. solùm permittitur necessari⁹, aut conueniens vsus rerum communium, ita vt regula fit, superflua semper esse resecanda, necessaria admittenda; conuenientia verò seu commoda, licèt ordinariè abijcienda non sint, quia tunc etiam necessitati ipsius subueniatur, aliquando tamen ita esse moderanda, & minuenda, vt paupertatis effectus aliqui sentiantur. Et hoc sensu dicitur 3. p. Const. cap. 2. §. 3. *Quæ ad corporis necessaria pertinent, curetur cum diuino auxilio, vt quantùm sit in quo probetur virtus, & suispsius abnegatio, non tamen desit quo sustineatur natura, & ad diuinum obsequium, laudémque conseruetur.* Sic enim dixit Concil. Trid. sess. 25. cap. 2. de regularib. supellectilem religiosam talem esse debere, vt nihil superflui in ea sit, nihilque, quod sit necessariū, desit. Nam per hoc non tollitur quin exercendæ virtutis causa aliquid incommodi interdum sustinere expediat. Cui consonat illud Augustini, dicentis Dominum in Euangelio offendere, nec in abstinendo, neque in manducando esse iniustitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam: Et infrà. *Non quid vel quantum pro congruentia hominum, atque personæ suæ, & pro sua valetudinis necessitate quis capiat, sed quam facilitate & serenitate animi tantæ cum his, vel oporteat, vel necesse est carere, implens illud Apostoli, scio & abundare, & penuriam pati, ad Philip. 4.* Præter hæc ad hunc vsum paupertatis pertinet act⁹ mendicandi, qui varijs modis, & occasionibus in Societate exercendus est. Nam in primis professi ex vi suæ professionis parati esse debent ad mendicandum in missionibus, cùm ex vi votorum suorum teneantur illas admittere, non expectato viatico, & in proprijs regulis eorum, qui in missionibus versantur plenè, & perfectè de hac re instruuntur in 5. & 6. vt infrà lib. 6. c. 4. n. 9. videbimus. In domibus etiam professis, cùm nec in particulari, nec in communi habeant propria bona vnde sustententur, necessarius sæpe est hic actus mendicandi; imò & aliquando in Collegijs, si necessitas id exigat, exercendus est, vt dicitur p. 4. Const. c. 2. in fine. Cumque id sit vltimus seu supremus gradus Societatis, vt à principio ad illum disponantur, exercentur nouitij in peregrinationibus, in quibus mēdicare debeant, vt in superioribus lib. 2. cap. 5. num. 7. visum est; vnde in 4. cap. Examin. §. 12. dicitur, debere peregrinari per mensem, sine pecunia, imò suis temporibus oftiatim pro Christi amore mendicare, vt possint ad incommoditatem comedendi, & dormiendi assuefieri. Deinde antequam ad professionem, vel ad alia vota admittantur triduo mendicare debent, vt dicitur in eodem c. §. 17. ad sui abiectionem; & vt hoc præludio intelligant, quæ sit ratio suæ professionis, & ad illam præparari ipso vsu, & exercitio incipiant. Ac demique 6. p. Const. cap. 2. §. 10. *Parati sint* (dicitur) *ad mendicandum ostiatim, quando vel obedientia, vel necessitas id exigēt.* In qua promptitudine animi magna ex parte cōsistit paupertatis perfectio, vt sumitur ex D. Th. 2. 2. q. 1.

2. q. 184. art. 7. ad 1. Denique ob hanc causam declarauit Pius V. in suo motu proprio, *Dum indefessæ*, omnes religiosos Societatis, in quocunque eius gradu existant, verè, ac propriè mendicantes esse.

CAPVT VIII.

Ad quem vsum paupertatis ijdem religiosi obligentur ex vi voti.

I. *Omnis rei vel vsus eius proprietas voto paupertatis generaliter vetatur.*

HÆc sunt, quæ circa vsum paupertatis ex vi regulæ seruanda sunt. Quid autem in eis attingat rationem præcepti, & quando in illius transgressione culpa, vel grauis, vel leuis committatur, ex illo generali principio præcipuè accipiendum est, quòd *per hoc votum omnis vsus rei, vt propriè prohibetur, & omnis etiam proprietas, vel dominium, illo excepto, quod scholaribus specialiter permittitur.* Quanuis ergo aliqua ex dictis cap. præc. non sine imperfectione prætermittantur, si illa non attingant hunc gradum, vt contineant vsum, cum aliqua proprietate, seu appropriatione, regulariter, ac per se loquendo non continent culpam contra paupertatem, quanuis moraliter nunquam fiant sine aliqua culpa, vel contra obedientiam, vel contra temperantiam, aut aliam virtutem; quia regulariter procedunt ex aliquo inordinato affectu, nisi intercedat aliqua ignorantia, vel inconsideratio; nam tunc accedente bona intentione, facilè potest dari excusatio ab omni culpa. Quando verò possessio vel vsus rei sit proprietatius seu per modum proprij, regula generalis est, *quando id fit sine scientia, & consensu prælati tacito, vel expresso.* hanc tom. sup. tradidimus cum communi Doctorum tractando de voto paupertatis omnino simplici, & de voto solenni paupertatis religiosæ; neque hìc habet aliquid speciale, nam quoad hanc obligationem, eiusdem rationis est hoc votum Societatis. Rursus quando hæc proprietas ex parte materiæ sit peccatum mortale, vel veniale, eisdem locis explicatum est; neque hìc etiam occurrit speciale quid.

Quando talis proprietas detur.

II. *Nonnulla de materia leui, vel graui huius voti.*

Solùm occurrit aduertendum, quando res ipsa non accipitur, vt per modum propriæ semper retineatur, sed solùm ad breuem aliquem vsum, quo talis res non consumitur, tunc licèt res ipsa pretiosa sit; nihilominus culpam regulariter esse leuem: quia materia culpæ ibi nó est res ipsa, sed vsus eius, & is quid leue est regulariter loquendo, parumque videtur lædere paupertatem, & hac ratione mutuò dare, vel accipere librum, vel manu scripta, & similia, regulariter non videtur materia peccati mortalis, ex vi paupertatis, nisi ex tali vsu aliquod notabile detrimentum bona religionis acceptura sint. In quo etiam aduerto regulariter maioris culpæ esse talia bona mutuo dare extra religionem, quàm accipere etiam ab externis, quia ex priori actione sequi potest detrimentũ in bonis religionis, ipsa inuita; ex acceptione verò licèt sequatur simile detrimentum in re mutuo accepta, non est inuito domino, nam qui mutuat, voluntariè se exponit huic periculo, & alter excusatur, si absque eius culpa eueniat; sed in hoc exemplo, & multis similibus prudentis viri arbitriũ necessarium est, multumque considerare oportet quid iuxta communẽ æstimationem religionis, graue, aut leue existimetur, vt latiùs citato tomo dixi. Religiosi autem Societatis cauere omnino debent ne huiusmodi arbitrijs sese exponant, quod optimè facient omnem proprietarium vsum vitando, etiam in reb⁹ minimis, vel si aliquid ex humana consuetudine excedatur, nõ fit vltra materiam minimã & vulgarem.

III. *Resolutio huius capit.*

Ex prædictis ergo obseruantijs, quæ superiori cap. numerauimus, quatuor primæ respectu subditorum, hoc est, omnium qui superiorem habent in Societate, solùm quoad hoc pertinent ad rigorosam obligationem voti paupertatis, vt sine superiorum facultate tacita, vel expressa nihil eorum accipiatur, vel occultè possideatur, aut de vno loco in alium deferatur: si autem de licentia superioris aliquid huiusmodi fiat, non erit propriè contra obligationẽ paupertatis, etiamsi fortasse aliquando minor perfectio sit talem postulare facultatem, aut illa vti. Dico autem *aliquando*, quia interdum potest nihil de perfectione minuere iuxta muneris, vel valetudinis necessitatem, vel alias rationabiles causas. Oportet verò in huiusmodi licentia obtinenda, omnem subreptionem vitare, alioqui non manebit quis tutus in conscientia, quia talis facultas inualida est, cùm re vera nõ sit ex voluntate superioris; hanc enim impediunt fraus, & dolus, quæ sunt causæ surreptionis. Et idem censeo, quando intercedit moralis quædam violentia, quæ inuoluntarium etiam causat: vt si subditus expressè, vel tacitè comminetur se excitaturum turbas, aut aliquod scandalum daturum, aut grauem inimicitiam, vel odium concepturum, nisi hoc ei permittatur; tunc enim illa potius est pura superioris permissio ad excusandum maius malũ, quàm facultas, & ideo non reddit tutum in conscientia etiam in ordine ad violationem paupertatis. At verò si superiori nihil occultetur, nec falsum dicatur, nec vis inferatur; quanuis fortasse sine sufficienti ratione importunis precibus, vel ob priuatam beneuolentiam licentia obtineatur, sufficiens erit, vt contra paupertatem culpa, aut proprietas nõ committatur. Etiamsi aliud genus imperfectionis, vel culpæ ibi interueniat, vel ex parte subditi, vel magis ex parte superioris, qui facilè potest in hoc grauiter delinquere, seu ratione sui muneris, cui non satisfacit, seu ratione scandali. Quia verò hæc culpa non sufficit, vt licentia illa inualida fit, ideo ea interueniente, non peccatur contra paupertatem.

tit quoad priores 4. obseruantias paupertatis in præcedẽti adductas.

Licentia per fraudem aut violentiam extorta est nulla.

Vid. Ant. 3. p. tit. 16. c. 1. § 21.

Non sic per importunitatem obtẽta, vel per numium fauorem.

Oppositum S. Anch. li 4. de matr. disput 10. n 9.

Circa quintam obseruantiam de vsu clauis eadem regula seruanda est, quod sine facultate non licet, cùm illa verò licet. Dubitari autem potest, an huiusmodi vsus sine licentia ex se sufficiat ad peccatum mortale, si aliàs de facto sub clausi nihil retinetur sine licentia superioris; neque etiam in affectu id fit, vt aliquid superiori occultetur; neque vt illi liberum non fit quidquam ex his, quæ religiosus habet, auferre, sed solùm ob timorem humanum, ne aliquid vel surripiatur, vel ab alijs videatur. Et ratio dubitandi esse potest, quia authores rigorosè de hac materia loquuntur, dicentes clauem esse signum proprietatis, vt sumitur ex Corduba in cap. 6. regulæ q. q. Et Aluaro Pelagio lib. 2. c. 67. versus finem. Vnde & in iure clauis traditio est signum possessionis. leg. *clauibus.* ff. de contrahenda emptione. Item quia authores asserunt proprietatem esse celare aliquid Prælato, vt patet ex Panormit. in cap. *cum ad monasterium*, de statu Monach. n. 8. & alijs ibi communiter. & Antonino suprà citato; sed quòd ipso inuito sub clausi tenetur, satis ei occultatur, cùm non possit suo arbitrio scire, quid ibi claudatur. Et quanuis possit clauem petere, hoc ipsum onerosum est, & ita difficilior ei fit vsus, & dispositio illarum rerum, quæ sub clausi tenentur. Habet enim ius illas auferendi inscio subdito, quod non potest facere, si sub clausi claudantur. Denique clauis ipsa, & vsus eius sine superioris facultate habentur in eo casu: & quanuis materialiter videatur res leuis, tamen quatenus est instrumentum talis actionis, quæ multum potest nocere paupertati, videtur esse materia grauis; sicut in materia iustitiæ, furari acum, vel calamum, potest esse materia grauis.

IV. *An quintæ obseruantiæ violatio per clausi vsum voti paupertatis ladat.*

Partis affirmatiuæ argumenta.

Secundò.

Tertiò.

Fateor tamen esse rem scrupulosam, & omnino

V.

Authoris iu dicium sua detur dilem mate impugnando 1. & 2. argumentum partis affirmatiuæ.

vitandam; nihilominus, secluso scandalo, non audeo dicere esse peccatum mortale ex se, nisi aliquibus circunstantijs specialiter aggrauetur. Moueor in primis, quia vel hoc esset peccatum mortale ob signum proprietatis, vel ob realem proprietatem. Primum dici non potest, tum quia authores ponentes signa proprietatis hoc non posuerunt, vt patet ex Abbate, & Antonino suprà, & Nau. Commento 2. de regularibus, & Gregor. Lopez in leg. 14. tit. 7. part. 1. Solus Pelagius suprà loquens de Minoribus, inter alia peccata contra paupertatem posuit claues cellarum, tardando per dies extra locũ, Prælato non assignare; *claues*, inquit, *cap|arum, vel quorumcumque repositoriorum, vbi fratres habent libros, vtensilia, & sup|lectiles, qui spatium durum, eundo extra locum, ne fratres vtantur illis: ebus, Prælato non resignare*, &c. Hoc autem vt verum sit oportet, vt & sine voluntate Prælati, & mala fide fiat, scilicet, vt neque ipse Prælatus possit in absentia subditi, de his rebus disponere, vel interim eas ad alium vsum applicare: hæc enim est circunstantia valdè aggrauans, & indicans proprietarium affectum: & tunc clauis non solùm est signum, sed etiã causa suo modo efficax ad impediendum talem vsum proprium Prælati, & consequenter est instrumentum vsurpandi illum. Secluso autem huiusmodi affectu sola ratio signi non sufficit. Tum maximè, quia signum si sit falsum, & non verum, potest quidem efficere præsumptionem culpæ, non tamen veram culpam, nisi fortasse ratione scandali; ergo secluso scandalo (vt loquimur) non potest ex solo hoc capite insurgere grauis ratio culpæ. Altera verò pars probatur, quia circa res sub claue contentas, si seruentur circunstantiæ initio præcedentis numeri positæ, non apparet realis proprietas, propter solum illum modũ occultandi: quia supponimus haberi cum facultate, & cum præparatione animi ad dimittendas illas ad arbitrium superioris ergo non retinentur vt propriæ, quia non proprio nomine tenentur, sed alterius, & cum dependentia ab illo. Confirmatur, quia aliàs occultare rem, vbi nec à superiore inueniri posset, vel aliquo artificio occulto vti, vt arca extrinsecus aperiri non possit, quanuis clauem non habeat, esset proprietas, & consequenter in rebus alicuius valoris esset peccatum mortale: hoc autem perquàm durum est, & præter multorum vsum alioqui timoratorum; ergo. Nec verò ipsius clauis possessio potest esse materia grauis culpæ, quia ipsa in re minimi valoris est, & vsus eius per se non continet grauem inordinationem, vt declaratum est. Eo vel maximè, quia sæpè potest clauis cum licentia haberi, quanuis ad claudendum sub illa aliquid non sit ordinaria licentia: & tunc quamuis vti illa quoad actum claudendi sine licentia, alioqui sit contra regulam, vel obedientiam, tamen per se nõ videtur materia paupertatis, seruatis alijs circunstantijs, quæ dictæ sunt. Nec verò satis est quòd ea de causa aliquantulum reddatur superiori difficilior dispositio de talibus rebus: quia illa difficultas parui momenti est, cùm facilè possit per subditum auferri. Augetur autem multũ hæc circumstantia, quando in absentia plurium dierum, vel per distantiam notabilem aliquis secum defert clauem inscio superiore, nulla alia domi relicta: nam tunc difficultas illa impossibilitas quodammodo efficitur, & ideo iam videtur redundare in magnam appropriationem: quapropter nisi per inaduertentiam excusetur, vel fiat præsumpta voluntate Prælati, valdè reprehensibilis est.

Ad 3. arg. eiusdem affirm. partis

VI.

An sexta obseruantiæ violatio, ac cipienda: sit

Circa sextam obseruantiam occurrit similis difficultas: an recipere aliquid pro ministerijs, præcisè ex hoc capite sit contra votum paupertatis, & consequenter in materia graui sit peccatum mortale. Vt autem dubium intelligatur, supponamus in omnib⁹ alijs obseruari circunstantias necessarias ad debitum vsum paupertatis: vt v. g. dum quis iter agit potest licitè eleemosynam, vel aliud donum sibi oblatum, & iuxta communem vsum accommodatum accipere, vel ad statim consumendum illud, vel si habeat permanentem vsum animo posfidendi illud obtenta licentia à superiore, cùm primùm conueniri ille possit. Fingamus ergo aliquem accipere breuiarium cum onere dicendi aliquas Missas, & postea retinere illum de consensu superioris, tacendo tamen titulum quo fuit comparatum: difficultas est, an ibi interueniat culpa mortalis contra paupertatem. Idem casus cogitari potest in subdito existente in Collegio, si petita licentia, & non explicando causam propter quam res datur, quippiam simile ob proprium vsum accipiatur. In ipsis etiam prælatis multo magis habet hoc dubium, si aliquid accipiant etiam in vsum Collegij, vel domus datum illo titulo: nam ipsi absolutè non peccant accipiendo, cùm sint constituti dispensatores, & debeant alere subditos: quidquid ergo ibi est culpę, est ratione modi, seu tituli. Idemque erit si superior det licentiam subdito, vt illo modo aliquid accipiat.

VII.

Ratio pars.

Ratio enim dubitandi in his omnibus est, quia vbi non est proprietas, non est violatio paupertatis, sed in illis casibus non interuenit proprietas, quia nunquam res, vel vsus eius retinetur nomine proprio, in quo sola proprietas consistit. Antecedens patet, quia res semper supponitur accipi ab eo qui licentiam habet, idq; vel ad communem vsum, vel ad proprium dependentem etiam à superiore, & à facultate eius; ergo ille alius defectus, seu respectus erit contra regulam, vel contra obedientiam, non tamen contra paupertatem. Vnde fit vt licèt committatur in materia graui, non sit peccatum mortale, quia ex vi solius regulę non est culpa. Neque ex voto obedientiæ est peccatum saltè mortale, quia supponimus nullum esse speciale præceptum in virtute obedientiæ de hac relatum: ergo si paupertas non vrget, & scandalum, quod est per accidens, non interuenit, nulla apparet ratio sufficiens peccati mortalis. Confirmatur exemplis, primum est de lucro per negotiationem comparato, quod religioso prohibitum est. Ponamus ergo religiosum aliquem de licentia saltem generali superioris posse recipere vsque ad tantam quantitatem: postea verò, quia non inuenit gratis datam per negotiationem aliquam sibi prohibitam, & indecentem illam comparare, ille profectò non videtur peccare contra paupertatem, etiamsi fortè in negotiatione mortaliter peccet iuxta modum prohibitionis. Aliud exemplum est si religioso detur licentia ad recipiendum aliquid sponte oblatum, nõ tamen ad petendum illud, imò hoc ei expresè prohibeatur: nam licèt tunc aliquid petat, & accipiat, non peccabit cõtra paupertatem, sed contra aliam legem: quia petere non est actus dominij, aut paupertatis, imò est actus mendicitatis: accipere autẽ iam non fit nomine proprio, sed ex facultate superioris: ita ergo videtur probabilis fieri hæc pars.

VIII.

Pars affirm. Confirmatio.

Ad contrariam autem partem persuadendam, magnam vim habere videtur constitutio Societatis, vt c. præced. à num. 8. ponderabam. Nam licèt constitutio per se nõ inducat obligationem ad culpam: designat tamen materiam voti, quæ materia, tota Deo promittitur, cùm paupertas secundùm constitutiones vouetur. Constitutio autem cum de hac materia loquitur, planè vt obiectum huius voti illam assignare videtur. Nam in c. 1. Exam. §. 3. sic dicitur. *Tria vota in ea*, (id est, in Societate) *obseruanda, paupertatis, & castitatis emittuntur*: ex quibus sola paupertatis materia ibi declaratur, dum additur, *Si paupertatem accipiendo, vt ne, velit, nec possit reddiui*

dituri illos ad suam sustentationem, nec ad quiduis aliud habere. Et infrà eodem contextu: *Neque etiam pro Missarum sacrificiis, vel prædicationibus, &c. stipendium vllum, vel eleemosynam, quæ ad compensationem huiusmodi ministeriorum dari solent, &c. possunt accipere.* Videtur ergo ita explicari votum paupertatis per hanc constitutionem, vt totum hoc sit materia eius: atque adeò rigorosam huius voti obligationem ad hunc actũ extendi. Simile argumentum sumi potest ex 10. p. Const. §. vbi ad obseruantiam paupertatis hęc duo æquè pertinere dicuntur, scilicet, non admittere stipendia pro spiritualibus ministerijs, & redditus Collegiorũ ad suam vtilitatem non explicare: constat autem hoc secundum esse de rigorosa obligatione paupertatis: ergo & primum. Potest etiam ratione ita declarari, quia ad paupertatem religionis non solùm spectat præscribere, quid accipere liceat, vel non liceat, sed etiam modum acquirendi: ergo quando aliquod genus acquisitionis prohibetur, vt pertinens ad specialem paupertatem talis religionis, ille per se cadit sub tale votum paupertatis: ita verò se habet votum paupertatis in Societate quoadmodum acquirendi, vt ex dictis cõstat.

Iti ratione.

IX. Punctum hoc diligenter discussum fuit ferè ante quadraginta annos in secunda Congregatione generali Societatis, vbi Patres magna ex parte in hanc posteriorem partem inclinarunt, tractatumq; est, vt totius Congregationis decreto authenticè statueretur, ac declararetur. Postea verò iustis de causis id prætermissum est: quod est signum non satis constitisse apud ipsos, sensum prædictarum constitutionum fuisse constituere actionem illam speciali ratione sub materia voti paupertatis. Ed ideo ne nouam obligationem ad peccatum mortale addere viderentur (quod in Societate propter periculum vitandum, maximè cauetur) ab illa declaratione abstinuerunt. Et tandem can. 15. Congregationis solum fuit stabilitum ad puritatem nostræ paupertatis necessarium esse obseruare grauissimã constitutionem de non accipiendo stipendio, &c. Hanc ergo partem, vt mitiorem sequendo, dicere possumus, in illis constitutionibus specialiter fuisse expressum hunc actum ad exaggerandum quanta perfectione & diligentia hoc in Societate obseruãdum sit, & quia est proximè, & maximè coniunctũ cum eius paupertate, non quia per se, & directè hęc obseruantia per votum paupertatis promittatur. Vnde in 6. p. Const. cap. 2. §. 7. vt simplex quædam constitutio hæc proponitur, nulla facta mentione paupertatis: sed solùm sub illis verbis, *Meminerunt se gratis dare debere, quæ gratis acceperunt, vt sic maiori cum libertate possint, & proximorum ædificatione in diuino seruitio procedere.* Multum etiam iuuat, quod in prima formula instituti oblata Paul. III. in prima eius Bulla exactè explicatur votum paupertatis, & materia eius: & tamen nulla huius actionis mentio fit. Verba sunt, *Voueant singuli, & vniuersi perpetuam paupertatem, declarantes, quòd non solùm priuatim, sed neque etiam communiter* (loquitur de professis) *possint pro Societatis sustentatione, aut vsu, ad bona aliqua stabilia, aut ad prouentus, seu introitus aliquos, ius aliquod ciuile acquirere*, &c. Latè enim illã declarationem prosequitur, nulla huius rei mentione facta, cum tamen ibi esset optima occasio, & ferè necessaria. Deniq; videtur hæc sententia satis cõsentanea intentioni Societatis, & fundatoris eius, cuius mens fuit ita dirigere ad perfectionem, vt vitaret pericula peccandi mortaliter quoad fieri posset. Ex obligatione autem in præsenti materia non parua oriri posset, cùm tamẽ non appareat sufficiens necessitas illam imponendi in tali materia, potiusquam in alijs: vnde etiam fit, vt hoc titulo pars hæc securior dici possit.

Neutrã partem voluit definire secunda Congregatio generalis. Vide hoc in decreto 29 5. Congregat.

X. Nihilominus negare non possumus, quin contraria tutior sit si obseruetur; imò etiam in rigore iuris loquendo, censeo illam esse magis consentaneam verbis constitutionum, & consequentes formulæ vouendi in Societate, in qua post emissa tria vota additur, *omnia intelligendo iuxta Societatis constitutiones.* Accedit quòd in alia formula instituti proposita Iulio III. inter substantialia instituti hoc additum est, quod in priori fuerat prætermissum, his verbis: *Gratis omnino, & nullo pro suo in prædictis omnibus labore stipendio accepto.* Nec videtur referre, vt postea in explicando voto paupertatis hoc non addatur, sicut neque in priori illa Bulla Pauli III. additum fuerat; quia ibi non omnia exponuntur, quæ ad substantiam huius voti pertinent, sed solùm ea, quæ explicandos varios gradus personarum, & domorum, aut Collegiorum Societatis necessaria erant. Neque etiam hæc circunstantia, seu actio per se potest existimari extra latitudinem paupertatis; quia (vt dicebam) modus acquirendi multum refert ad paupertatem, vel diuitias: & ideo ex vi voti paupertatis, optimè potest limitari, abdicando, & renunciando huic, vel illi titulo, ex quo possit temporale emolumentum prouenire.

XI. Hæc igitur controuersia mihi dubia est, & disputationis gratia, facilè potest pro vtraque parte defendi. Ego verò non auderem peccati mortalis damnare eum, qui præcisè in hoc delinqueret absque conscientia erronea, nisi aliunde ageret contra votum. Aduerto autem circa casus in num. 6. propositos, etiamsi hic titulus non sufficiat ad culpam mortalem, magnum esse periculum ferè semper, committendi illam alio titulo. Nam si religiosus Societatis accipiat hæc stipendia sine vlla licentia, clarum est incurrere in vitium proprietatis; si autem accipiat illa licentia dolosè (vt ita dicam) obtenta, quia nimirum petita est ad rem accipiendã, non verò ad stipendium accipiendum; tunc etiam probabilissimum iudico non effugi vitium proprietatis, quia illa licentia surreptitia, & inuoluntaria est superiori, quia ille modus dandi, vel accipiendi, qui tacetur, est valde substantialis, & moraliter loquendo infallibiliter mutaret voluntatẽ eius, si ei proponeretur: ergo quod ex tali licentia accipitur, sine licentia accipitur; committitur ergo proprietatis vitium. Atque hoc non solum habet locum in eo, qui expresè cùm dicta fraude licentiam petit, sed etiam in illo, qui in itinere aliquod stipendium accipit, qui non habet à quo licentiam petat; nam ille etiam in tantum potest aliquid accipere, in quantum vel generalem, vel tacitam licentiam à superiore habere censetur, quia semper accipit nomine alterius, seu ipsius religionis, nunquam autem generalis, aut tacita licentia extenditur ad talem acceptionem, vt constat ex intentione prælatorum omnium, & ex consensu, & vsu totius religionis.

Problematicè defendit, propendere tamen videtur in partẽ negant. Iuxta partẽ negantem quomodo accipiendi casus in n. 6. allati quoad subditos.

XII. Quæ ratio procedit etiam in omnibus Prælatis inferioribus & sub Generali constitutis; nam ipsi etiam indigent generali, vel tacita licentia sui superioris vt in proprium vsum aliquid accipiant. Vnde cum ipsi pro alijs subditis nullam talem licentiam habeant, nec pro seipsis planè habent. Accederet etiam in eis peculiaris obligatio ratione muneris quo specialiter obligantur procurare regulæ obseruationem, præsertim in grauioribus rebus, qualis in Societate est hæc de qua agimus. Vnde etiam existimo iuxta communem sensum & consuetudinem Societatis, nullum ex his prælatis inferioribus posse in hac constitutione validè dispensare, quia talis potestas neque ad communem & ordinariam gubernationem necessaria est, neque inuenitur eis specialiter commissa, neque etiam de actibus eius est vlla consuetudo, nec vestigium eius.

Quomodo item quoad ordinarios superiores.

XIII. In Præposito autem Generali (si supponamus hanc non esse materiam voti, sed solam constitu-

Quomodo

Denique quoad Generalem.

tionis obligationem) non videtur deesse potestas, cùm in eo sit suprema. Quod sine dubio procederet, si non esset in hac parte ab eadem Societate restricta. Videtur autem restricta in Congregatione 5. decreto 1. vbi renouat, & commendat hanc constitutionem, *Ne pro ministeriis Societatis stipendium, vel eleemosyna vlla in compensationem admitti possit, ac omnino probibet ne vllus superior, ac ne ipse quidem Præpositus Generalis in ea dispenset.* Circa quæ vltima verba dubitari posset, an tollat omnino potestatem, vel prohibeat solum vsum eius. Sed hanc disputationem omitto: nam illa duo moraliter æquiualent in præsenti. Si enim dispensatio daretur sine causa legitima, non solùm peccaretur grauiter, sed etiam dispensatio esset nulla, quia esset dispensare sine causa in iure superioris, qui defectus semper inducit nullitatem. Antecedens autem patet, quia Congregatio generalis est superior ipso Generali; & ideo secus erit, si aliqua Congregatio dispenset: erit enim valida dispensatio, etiamsi contingat non rectè fieri. Si autem fingamus casum in quo interuenit legitima causa dispensandi, tunc probabile est fore validam dispensationem. Et ideo fortasse in decreto illo non est positum verbum, quod in rigore significet ablationē potestatis. Quia tamen casus ille moraliter accidere non potest, ideo absolutè posita est illa prohibitio. Et quando contingeret illa necessitas, recurrendum esset ad summum Pontificē potius, quàm propria authoritate dispēsare. Vnde etiam fit, vt nec secum ipse possit Præpositus dispensare, præsertim, quia ratione exēpli & scandali magis vitanda erit talis dispensatio. Denique etiā ante hoc decretum existimo non potuisse sine graui culpa in hac materia dispensare, moraliter, seu regulariter loquendo, quia oporteret causam esse valde grauem, quæ vix potest in tali materia occurrere. Nec nouum videri debet, quòd superior possit peccare mortaliter iniquè dispensando in constitutione, quæ per se non obligat ad peccatum mortale, quia dispensatio illa est maximè contra bonum cōmune religionis, præsertim in re tam graui. Est etiā contra obligationem fidelitatis, & iustitiæ, ad quā superior tenetur ex officio suo.

XIV. Circa septimam obseruātiam nihil occurrit addendum circa obligationem in conscientia præter generales regulas suprà datas de voto paupertatis religiosæ. Quæ verò tandem circa vsum positiuum adduntur, ordinariè ad perfectionem magis pertinent, quam ad rigorosam obligationem. Solū circa religiosam supellectilem aduerto, licèt interdum contingat in aliquo esse superfluam, consideratā ratione instituti, atque etiam consuetudine, tamen per se loquendo non inducere culpam grauem cōtra paupertatem, dummodo tota ex legitima facultate superioris, & cum debita relignatione animi habeatur, quia nulla certa mediocritas, seu quātitas supellectilis cadit sub votum paupertatis, vt materia eius; ergo si alioqui euitetur proprietas, & proprietarius vsus non erit in ea materia per se loquendo grauis culpa contra paupertatem. Per accidens verò poterit interdum hæc esse culpa, & non parua, ratione scandali, maximè si detur occasio alijs relaxandi perfectionem paupertatis. Circa aliam verò partem de vsu, vel exercitio mendicandi, clarum est paupertatem Societatis ex vi proprij voti, nunquam obligari personam aliquam in particulari, ad exercendum illum actum, sed obligabit, aut obedientia, aut charitas propria, vel proximi, si tanta sit, vt ad subueniendum illi necessarium sit mendicare.

* *

CAPVT IX.

De paupertate domorum professarum propria.

DIximus hactenus de his, quæ ad paupertatem singularum personarum pertinent, dicendum superest de paupertate, quę in communitatibus Societatis seruanda est. Sunt autem in Societate tria genera domorum, scilicet professarum, Collegiorum, & Nouitiatuum, vt in superioribus lib. 2. cap. 5. num. 14. visum est; & in eis pro ratione finis & muneris vniuscuiusque diuersus modus paupertatis seruatur, qui sigillatim explicandus est; in hoc quidem & sequenti capit. quoad domos professas, in 11. quoad Collegia, & Nouitiatus.

Primò ergo Societas professa, in communi etiam, capax non est dominij aliquorum bonorum immobilium. ita habetur in 1. Bulla Pauli III. *Declarantes, quòd non solum priuatim, sed neque etiam communiter possint pro Societatis sustentatione, aut vsu ad bona aliqua stabilia, aut ad prouentus seu introitus aliquos annuales quod simile acquirere.* Idem in Bulla 1. Iulij III. vbi declaratio additur partim ampliationem, partim limitationē continens; cum enim dicitur, neq; professos, neq; eorū domos, aut Ecclesiam posse habere prouentus, reddit⁹, possessiones, aut bona stabilia, ampliatio quędam est, vel saltem maior explicatio. Cùm verò additur, *Præter ea quæ opportuna erunt ad vsum proprium, & habitationem*, limitatio quædam est. Alia etiā est diuersitas notanda: nam in priori Bulla subijciebantur hæc verba, *Sed sint contenti vsum tantùm rerum sibi donatarum ad necessaria, sibi comparanda recipere.* Quæ verba statim excitabunt illā quæstionē, an dominiū talium rerum apud Societatem sit. Ad hanc ergo quæstionem tollendā aliter in posteriori Bulla illa propositā sunt, scilicet, *rebus sibi ex charitate donatis ad necessarium vitæ vsum contenti.* Itaque in Societate nō habet locum illa quæstio, quæ de religione Minorum controuerti solet. Nam re vera domus professa est capax alicuius dominij in communi, nimirum earum rerum mobilium, quæ ad actualem vsum habet. Et ita expresse declaratū est in d. cap. 2. 6. p. Constit. §. 5. liter. E. Idemque censendum est de dominio illius rei immobilis, quę solùm ad habitationem, vel alium huiusmodi vsum, scilicet, ad aliquam recreationē religiosis necessariam, inseruit, non verò ad redditus, & prouentus, ex quibus religiosi sustententur: Quanuis autem horum bonorū dominiū habeant professæ domus, plenam autem administrationē non habent, sed in Præposito Generali pręcipuè residet propter perfectam subordinationem, & monarchicum regimen, quod Societas profitetur, & ideo contractus, quæ de his rebus in domibus professis, non à Conuentu, nec nomine eius, sed à superiore nomine Generalis fiunt. 3. p. Constit. cap. 3. §. 5. Aliorum autem reddituum, vel bonorum immobilium præter ea, quæ dicta sunt, incapax est professa Societas: quod etiam Pius V. & Gregor. XIII. in suis Bullis confirmarunt. Idem habetur 6. p. Constit. cap. 2. §. 2. vbi amplius his verbis declaratur, *in domibus, vel Ecclesijs, qui a Societate ad auxilium animarum administentur, redditus nullos nec facultas quidē, aut fabricæ applicati, haberi possint, sed p. g. vlla alia ratione sua vt penes Societatem sit vllarum dispensatio.* Et §. 5. additur, *Non solùm redditus, sed nec possessiones vllas habeant in particulari, neque in communi, domus, vel Ecclesiæ Societatis, præterquam quod ad habitationem vel vsum necessarium eis conueniens fuerit*, &c. In Examin. etiam cap. 1. §. 3. declaratur, pauperatem Societatis talem esse, *vt nec velit, nec possit redditus vllos ad sustentationem, neque ad quidvis aliud habere.*

Generalis prouisio in communi professis non licet.

Quæstio expenditur.

Vbi particula illa, *nec quidvis aliud*, posita est ad explica-

II. *Quàm latè pateat illa incapacitas seu paupertas bonorum in communi, &c.*

plicandum, etiam ad seruitium, vel expensas sacristiæ, vel sacrificij diuini, vt pro ornamẽtis ad sumptus olei, ceræ, tritici, aut vini consumendi in altari, non posse Societatem professam habere redditus ad quos habeat proprium ius. Et hoc ipsum significatum est in 6. p. Constit. in verbis illis, *Nec sacristiæ quidem, aut fab ricæ applicati.* Additur præterea in 4. p. Constit. cap. 2. §. 4. in domibus, & Ecclesijs Societatis professæ non posse admitti obligationes ad curã animarum, vel ad aliquas Missas dicendas: per quod excluduntur etiã omnes redditus, qui ex anniuersarijs, seu capellanijs prouenire solent. Verùm hoc commune est toti Societati, etiam in Collegijs. Prouenit enim ex illa generali conditione paupertatis Societatis, quod pro Missis, vel alijs ministerijs spiritualibus nõ potest stipendium, vel eleemosynam accipere. Quanquam non hæc sola ratio ibi interueniat, sed etiam, vt operarij Societatis professæ magis expediti sint ad sua ministeria, & ad missiones obeundas, quando iniuncta fuerint. Et ideo additur ibi in declaratione, quòd licèt Collegia possint interdum aliquas obligationes accipere, quæ neque animarum curam contineant, nec distractionem afferant, nec multam occupationem r epugnantem Societati, *in domibus autem professorum* (dicitur ibi) *quando nec illæ redditus vllos habent, nec ipsi stabilẽ habitationem, huiusmodi obligationes r. tolerantur.*

III. *Ad quos etiam personas domorum ipsarum se extendat.*

Ex quibus omnibus constat occlusam omninò esse viã Societati professę habendi redditus certos, & stabiles ad quascunque expensas sibi necessarias, siue ad fabricam Ecclesiæ, aut domus, siue ad expẽsas Ecclesiæ, seu sacristiæ, siue ad sustentationem tam professorum, quàm omnium eorum, qui eos adiuuant, vel in temporalibus, vel in spiritualibus, in quocunque gradu Societatis illi sint, vel etiam nouitij, imò etiamsi sint famuli; nam omnes hi cõprehenduntur in sustentatione domus. Neq; etiam pro hospitibus, nec pro itineribus agendis multoq; minus, vt ipsi professi in missionibus ex eis sustentari possint, quia verba sunt generalia, & omnem titulum, vel occasionem excludunt.

IV. *Dicta paupertas excluditur, & excedit paupertatem Minorum.*

Deinde cõstat in hoc genere paupertatis, quoad multa conuenire paupertatem Societatis cum paupertate Minorũ, quatenus nihil proprium in communi habere possunt: in aliquibus verò differre ex parte minuendo, & ex parte augendo illam paupertatem. Nam quoad dominium propriũ rerum mobilium, quę actu possidentur, & tenentur ad vsum, & quoad Ecclesiam, & domum habitationis, nõ refugit Societas illud admittere, quia non existimat impedire aliquo modo finem suum. Minores verò profitentur hoc etiam dominium non admittere, sed purum vsum: quod sanctum etiam est, & ex eo capite paupertatem auget, & commendat eius affectum. Aliunde verò excedit hęc paupertas Societatis: quatenus excludet omnes redditus pro sacristia, & sumptibus eius, & omnes prouentus ex capellanijs, anniuersarijs, &c. quæ cum paupertate Minorum non repugnant, vt in tomo superiori tractando de religionibus mendicantibus visum est. Atque hinc tandem fit, vt ad declarandam hanc paupertatem Societatis professæ nihil hìc adducere necessarium sit: nam quæ illi communia sunt cum religionibus mendicantib⁹, illo in loco declarata sunt. Quæ verò sunt propria Societatis, apertè ferè in ipsis constitutionibus continentur. Vt tamẽ distinctiùs ea, quæ sunt propria, intelligantur, operæ pretiũ erit nonnulla ex verbis Pontificũ Paulo antè allatis magis exponere, & dubia incidentia expedire.

Dubium primum.

Quid verba illa Bullæ Pauli III, (ius aliquod ciuile) *importent.*

V. Primùm ergo inquiri potest, quid significet in Bulla Pauli III. verbum illud, *ius aliquod ciuile.* Videtur enim in rigore significare actionem ad petẽdum coram iudice redditus, vel prouẽtus aliquos, atque ita non repugnare, quin domus professa habeat ius, quod vocant naturale ad huiusmodi redditus, vel bona stabilia: rectè enim vnũ ius ab alio separatur; vt in sententia multorũ per testamentũ minus solenne, quandò certò cõstat continere voluntatẽ testatoris, ius naturale acquiritur, id est, in conscientia & vera iustitia, quanuis nõ acquiratur ius ciuile, id est, actio ad petendam iuridicè hęreditatem. Simliter qui deceptus est in venditione citra dimidium, ius naturale habet ad id in quo deceptus est, non tamen ius ciuile, quia ei non datur actio. Cùm ergo in dicta Bulla solũ declaretur, Societatem professam non posse acquirere aliquod ius ciuile, non videtur excludi, quin habere possit verũ ius iustitiæ ad aliquos redditus, quanuis illos iuridicè petere non possit. Vt, v.g. si aliquis testamento relinqueret suam hæreditatẽ alicui cũ onere dandi singulis annis pensionem centum aureorum domui professæ Societatis, conferendo etiam ipsi Societati ius naturale iustitiæ, absque actione ciuili.

Ratiõ dubij.

Cõfirmatur exemplo.

VI. *Bipartitò ea soluitur dubium.*

Respondeo certum esse Societatem esse incapacẽ omnis dominij harum rerum, tam corporalium, quàm incorporalium, atque adeò nec census vllos habere posse, nec verum aut proprium ius ad vllos redditus. Prima pars constat ex multis alijs verbis suprà citatis, præsertim, quia proximè post illa verba in Bulla Pauli III., additur, *Sed sint contenti vsum tantùm rerum sibi donatarum, ad necessaria sibi comparãda, recipere.* Vbi etiam rerum mobiliũ solus vsus videbatur permitti. Apertissimè verò id declaratum est in Constit. vbi nulla facta mentione iuris ciuilis, absolutè dicitur Societatem professam, neq; in communi, neq; in particulari posse habere hæc bona: & ad maiorem explicationem additur, *sed neq; vllo alio titulo, ita vt penes Societatem sit vlla eorum dispositio.* Quòd verò sub hac generali prohibitione comprehendantur non tantùm res corporales, sed etiã illę, quæ incorporales vocantur, ex ipsis verbis manifestum est; quia census annui sunt ex his bonis incorporalibus: at illi etiam excluſi sunt per illa verba, *nulli redditus*, nam ex censu aliqui redditus debẽtur. Imò iuxta veram sententiam, hoc commune est omni religioni, quę paupertatẽ in communi profitetur, nã eo ipso repugnat illi habere ius aliquod proprium ad certos redditus: & ideo Bonifacius VIII. in c. 1. §. 1. de religios. dom. in 6. dixit, huiusmodi religionem incerta mendicitate sustentandam esse, quia nihil debet habere certum vnde alatur: sed ex eleemosynis viuere debere; vt ibi glossa, & omnes notant: Ergo omnes certi redditus, siue proueniant ex re corporali, siue ex incorporali iure, repugnat huic paupertati. Non ergo excluditur solum ius seu actio ciuilis, sed etiam ius ipsum substantiale, vt sic dicam; quod inter bona temporalia, & immobilia per se computatur & est æstimabile pretio, etiã secluſa actione ciuili, & de se sufficere potest ad certam vitæ sustentationem, etiamsi ex alterius iniustitia negari possint redditus debiti ex tali iure: quę sententia manifestè sumitur ex declaratione Pontificis in Clem. *Exiui. ver: Sciendum quoque an vitæ redditus.* de verb. signific. Cùm ergo in Bullis ponitur particula illa, *ius ciuile*, non intelligitur sola actio ciuilis, sed omne ius, seu dominium humanum, quod ius ciuile appellari potuit, vel quia inter ciues versari solet, vel quia fundamentum est iuris ciuilis, & per se confert illud, quanuis aliquando ex accidenti negetur.

Ostenditur prior pars.

Ostenditur posterior.

VII. *Ad confirmat. ab exẽplo legatis illo n. 5.*

Ad exemplum autẽ ibi positum, manifestum est in eo casu legatum illud repugnare paupertati Societatis, atque adeò esse nullum, ita vt non solùm non accquiratSocietas ius ad tales redditus, verùm etiã non possit illos recipere: quia esset virtute consentire,

sentire, & acceptare ius, aut saltē velle habere certos redditus ad suam sustentationem (nisi forte hęredes expressè declararēt, se vltrò dare velle.) Imò, etiamsi testator hoc onus imponeret hæredi nullo iure dato Societati, sed solùm grauando conscientiam hæredis, iuxta communem sententiam tomo præcedenti tractatam de mendicantibus, non esset validum tale legatum: quia repugnat strictæ paupertati, quæ omnes redditus certos excludit, vt notat Panormit. in c. *nimis praua*, 2. de excess. Prælat. n. 2. & in cap. *in præsentia*. de probationibus & ideo in 7. tandem Congregat. generali. decreto 50. editionis ann. 1616. stabilitum est, repugnare Societatis instituto, & puritati paupertatis ei⁹, si Collegia acceptent redditus cum onere dandi aliquam partem domui professæ. Et quamuis Sylvest. *L gatum.* 2. q. 2. particula 2. & 3. cum Paludano, & alijs Doctoribus, hoc limitet, quoad alias religiones mendicantes, videlicet, *nisi per modum eleemosynæ id recipirent* & non exigendo iudicialiter, de quo citato tomo visum est, nihilominus in Societate ipsa, non existimo habere locum generaliter de quibuscunque legatis illam limitationem; sed solùm in casu in eius constitutionibus expresso. Nam in 6. p. Constit. cap. 2. §. 2. cùm dictum esset, domus, & Ecclesias Societatis non posse habere redditus, additur in Declaratione lit. B. *Si aliquis ex fundatoribus domorum, vel Ecclesiarum vellet reddit⁹ aliquos ad fabricæ vsum relinquere; d⁹mmodo, nec dispositio eorum ad Societatem pertineat, nec sit vnde ei competat actio in illos, (quamuis id illi curæ esset, vt is cui tale munus commissum est, suum officium faceret) & sic in rebus similibus, non esset id à Societatis paupertate alienum.* Ex qua declaratione constat in casu ibi expresso tale legatum, seu onus validum esse, quia Societati licet gaudere illo, modo sibi permisso, scilicet accipiendo redditus illos si dentur, & admonendo etiam sui officij hæredem, qui supponatur in conscientia obligatus, aliàs nulla esset admonitio. Qualis verò esse possit illa obligatio hæredis, in tomo superiori explicatum est.

Societas professa legata quadam in eleemosynā acceptare potest.

VIII. Cùm autem exceptio firmet regulam in contrarium, & hæc videatur in præsenti esse exceptio singularis, consequenter videtur extra hunc casum non licere Societati acceptare huiusmodi redditus iam certos, saltem ex obligatione alterius. vt, v. g. si illi redditus non ad fabricam Ecclesiæ, aut domus, sed ad sustentationem religiosorum relinquerentur; quia hoc magis repugnat paupertati personali, vt sic dicam. Quòd si hæc expositio vera est, etiam non licebit (attento iure communi) similes redditus acceptare ad ornamenta Ecclesiæ, & alia onera sacristiæ; quia nomine *fabricæ*, hæc non comprehenduntur, argum. cap. *de his*, de testamentis. vbi hæc ponuntur tanquam diuersa, quod ibi notat Panormit. n. 2. & infert redditus deputatos ad fabricam non posse conuerti in ornamenta Ecclesiæ. Hic ergo in præsenti dicendum videtur permissionem expressam tantùm circa fabricam, non extendi ad ornamenta, & alios sumptus pro luminaribus, sacrificijs, &c. Deinde etiam ponderari potest, hoc solùm permitti fundatoribus. Quod etiam videtur speciale propter gratitudinem eis debitam, & quia sunt veluti domini, id est, patroni, ad quos maximè pertinet, & veluti in eorum commodum redundat, quòd talia ædificia conseruentur perpetuò, & ita ab alio extraneo non esset hoc admittendum; non enim sine causa nomen *fundatoris* positum est. Quæ expositio tota eò potest religiosis Societatis magis placere, quòd paupertatem domorum magis restringit, & quia singula verba B. P. Ignatius magis expendit, qui non sine speciali motiuo, & ratione casum illum in particulari expressit.

Non tamen quæcunque legata.

Nomine fabricæ nō ueniunt ornamenta.

Neque sumptus pro sacrificijs, & luminaribus.

IX. Nihilominus talem expositionem non propono vt certam; primùm, quia argumentum à contrario, vel ab speciali, vbi prohibitio generalis lata non erat, non est firmum ad concludendam generalem prohibitionem in alijs casibus; in præsenti autem non est prohibitum, ex vi voti paupertatis, neque ex alijs regulis Societatis recipere huiusmodi redditus, si ab alio conferantur ex obligatione sibi relicta, sine iure vel cura Societatis, nam secluſa hac speciali declaratione nihil peculiare habet Societas pluſquam aliæ religiones, quibus prohibitum est habere redditus in communi, quibus non propterea censetur prohibitum acceptare hanc eleemosynam, quantumuis obligatoriam ex parte dantis: ergo quamuis in prædicta declaratione num. 7. allata ille casus specialis expressus sit; non licet inde inferre generalem prohibitionem in omnibus alijs: nam ad recedendum à iure communi, & ad inducendam specialem voti obligationem, seu materiam, maior declaratio necessaria erit: potuit enim ille casus exprimi non vt explicaretur tantùm in eo specialiter licere, sed vt insinuaretur in hoc casu esse specialem rationem, non vt liceat, sed vt etiam congruum sit, talem piā operam acceptare, modo nostrę paupertati accommodato, etiamsi fortasse in aliis casibus, vel melius sit illa non acceptare, vel regulariter possit esse aliquod inconueniens, vel periculum alicuius fraudis, vel diminutionis paupertatis per huiusmodi legata. Deinde moueor propter illa verba, *& sic in rebus similibus*: per quæ significari videtur non esse speciale in illo casu, sed extendi etiam ad alios similes, nullum enim alium congruum sensum illorum verborum inuenio. Nam illæ res similes non possunt referri ad res in testamento relictas; quia omnes, quæ relinqui possunt, comprehensæ iam erant nomine *reddituum*, nam si non sint redditus, sed res semel donandæ, & consumendæ, illæ etiam cum perfecto iure, & actione ciuili acceptari possunt. Igitur referri necessariò debent ad alios casus, in quibus aliqui redditus sub eodem onere, & modo relinquantur ad alios vsus Ecclesiarum, vel domorum Societatis. Accedit etiam, quòd in originali Hispano verba, quibus illa declaratio concluditur, sunt *No seria inconueniente*, quæ non tam significant hoc esse licitum, quàm non esse contra perfectionem, vel conuenientem gubernationem, quando ratio aliqua gratitudinis, vel pietatis id postulauerit, ita enim interpretor illa verba, *& sic in rebus similibus*. Denique hoc videtur sufficienter colligi ex dict. c. 2. 6. p. Constit 5. 6. in quo tria ordinantur. Primum est, vt nullus Societatis *excitet aliquē ad relinquendas perpetuas eleemosynas alicui domui, vel Ecclesiæ Societatis*, quod per se non pertinet ad votum paupertatis, neque ad materiam eius, sed ad quandam perfectionem, & ad regulæ obseruationem, magnamque ædificationem. Secundum est, *vt si quis sponte sua eas relinquat, nullum ius ei ille ad eas in iudicio petendas acquiratur Societati*; & hoc pertinet ad materiam voti paupertatis. Tertium est, tales eleemosynas recipi posse, *si alis cùm ad id charitas propter Deum eos mouerit, eas elargiantur*, hæc enim verba manifestè supponunt tunc etiam posse à Societate recipi. Quæri autem circa illa potest, an oporteat aliū ex sola charitate, id est, ex spontanea voluntate absque obligatione illas donare, hoc enim videtur significare in rigore illa verba. Non tamen ita censeo, nam etiam ex charitate moueri potest, qui suam obligationem quæcunque illa sit, implet. Solùm ergo ibi significatur respectu Societatis non posse esse obligationem iustitiæ, quidquid sit de quacunque alia obligatione, quam hæres potest habere respectu testatoris.

Probabilis sententia de pactis quibus quibusdam conuentis modus tollitur.

Dubium

Dubium secundum.

Quid importent verba illa Bullæ, (reditus, & possessiones.)

X. Dubitari verò vlteriùs potest an nomine redditu*u*m comprehendantur temporales pensiones, si ad quinque vel sex annos tantùm relinquantur; sed de hoc idem censendum est, quod de mendicantib⁹ religionibus tomo superiore dixi contra Cordubã, & alios, si talis sit pensio, vt ad eam religio ipsa ius acquirat, etiamsi temporalis sit repugnare paupertati Societatis professæ: quia etiã huiusmodi pensio impediet saltem pro illo tempore, incertam mẽdicitatem; ergo repugnat dictæ paupertati. Et ideo Clemens in dict. Clem. *Exiui*, absolutè & sine distinctione dixit, huiusmodi redditus rẽtinere, paupertati, & mendicitati repugnare. Et ibidẽ etiã asserit hos annuos reddit⁹ inter immobilia bona cõputari, quia i⁹ ad illos est quasi res fructifera, de se pmanens, & vendibilis, quod non solùm verum est de perpetuo, sed etiam de temporali censu, vt communiter Doctores docẽt, & videri potest Couarr. 3. Variarũ c. 7. Præterea ob hanc rationẽ docent omnes Doctores, vt tom. superiori vidimus, vsumfructum eius, qui professionem facit in religione, quæ non potest proprium in communi habere, non cedere in commodum religionis, sed per professionem extingui; cùm tamen redditus vsufructuarij tẽporales sint, maximè respectu religionis, quia ad summum durare possent pro tẽpore vitę ipsius vsufructuarij: signũ ergo est etiam temporales redditus cum iurẽ ad illos, huic paupertati repugnare. Deniq; in constitutionib⁹ Societatis illa distributio additur, *nulli redditus*, & illa, *sed neque vlla alia ratione*, & illa, *si ve redditibus vllis*. An verò tale legatum relictum Societati professæ, vt possit conuerti in vtilitatẽ eius, aliquo modo non repugnante paupertati ipsius, & sub ea ratione validum esse possit, dicam statim.

Reditus etiam certi tẽporis prohibentur professa domui.

XI. Circa aliam particulam, quo prohibetur Societas habere possessiones præter necessarias ad vsum, inquiri potest quid nomine possessionũ intelligatur, & quæ sint permissæ, quæ verò prohibitæ, & an prohibeatur illarum tantùm proprietas, vel etiam vsus. Primum horum per se facile est, possessiones enim appellantur omnia bona immobilia corporalia, vt sunt domus, & quæcunque ædificia, vineæ, horti, & in vniuersum agri, siue fructiferi sint, siue infructiferi; hæc enim omnia tam in iure, quàm in communi modo loquendi nomine possessionum significatur. Oportet autem hîc notare Concilium Trident. sess. 25. c. 3. de Regularib. concessisse omnibus regularibus, Minoribus de Obseruantia & Capucinis exceptis, vt monasteria, & domus eorũ habere possent bona immobilia, etiamsi in constitutionibus suis eis id fit prohibitum: sub quo decreto videbatur Societas etiã cõprehensa. Quia verò Cõcilium non præcipit, sed cõcedit, ideo postea Societas in secunda Cõgregatione generali Can. 21. cessit cuicumque iuri, quod ei posset ex hac concessione Concilij prouenire, & ideo eadem obligatio nunc integra perseuerat, & post illud decretum Concilij confirmata est hæc paupertas Societatis à Pio V. & Gregorio XIII. ille enim in Bulla, *Dum i-def-ssa*, declarat, Societatem mendicantem exĩstere, *quippe quæ* (ait) *ex eius instituto, & constitutionibus Apostolica authoritate confirmatis bona stabilia possidere nequit, si incertis eleemosynis fidelium que elargitionibus, & subuentionibus iuuit*. Gregorius verò in constitutione, *Ascendente Domino*. & hanc prædecessoris sui declarationem citat, & probat, & deinceps totum institutum, ac expressè etiam quoad hanc partem confirmat.

Circa verbum (possessiones) puncta tria declarantur.

Vnum punctum quid sint possessiones.

Societas cõcessioni Trident. renuntiet.

XII. De secundo autẽ puncto dicendum est, duas tantùm, vel tres possessiones posse habere conuentum vnum Societatis professæ, scilicet domũ ordinariã, in qua habitent religiosi; Ecclesiã, in qua sacra ministeria exerceant, quæ regulariter non reputatur possessio distincta, sed vnum corpus efficit cũ ipsa domo, & cum eadẽ domo computatur hortus aliquis ad quotidianum vsum necessarium religiosorum: nam hoc totũ nomine monasterij, aut domus comprehendi solet. Præter hæc verò habere potest separatã aliquã possessionem; vbi etiam domũ cum agro, vel cum horto habeat ad extraordinariũ, necessarium tamen vsum religiosorum, ad corporis, vel spiritus leuamen aliquod aut refrigerium: hæc enim omnia sunt in prædictis constitutionibus cõtenta. Quia verò quod ad Ecclesiã, vel domum pertinet, declaratione non eget, ideo solùm de possessione alia explicatur in 6. p. Constit. c. 2. §. 5. talẽ esse debere, *vt nec alijs locetur, nec fructus, qui ædituũ loco esse sibi nullam possint, habeat*; scilicet (additur ibi in Declaratione lit. F.) *si vim, vel olei, vel frumenti prouentũ dicta possessiones ferrẽt, vel si fructus, & olera ex hortis venderentur, quorum nihil licebit*; quæ verba desumpta videntur ex dict. Clement. *Exiui* §. *Licet*. Non repugnabit autem paupertati conuertere in vsum domus fructus aliquos, vel oleta, ex huiusmodi locis prouenientia. Omnis autem alia vtilitas ex illis prohibita est, vt eodẽ loco satis declaratur. Præter has autẽ possessiones, nullas alias habere licet: quia in hoc genere quidquid concessum non est, censetur prohibitum, vt argumentatur Pontifex in dict. Clement. *Exiui*. vers. *Cumq; annui*. & optimè, nam hîc prohibitio generalis est ratione talis voti, & ideo solùm id est licitũ, quod est concessum, seu exceptum. Non ergo licebit Societati professæ habere domum aliquam, vel vineam, vel quippiam simile, quod ad prædictos vsus moraliter necessarium non sit, etiamsi ex illis possessionibus non sustentetur, sed fructus earum in eleemosynam aliquam conuertat, & sic de alijs. Vide Cordubam in c. 6. suæ regulæ q. 10. punct. 2. & Serenam Conscientiam q. 10.

punctũ quo possessiones professis permittantur.

Quam possessionem nõ debeat professa domus habere.

Possit habere domus professa.

XIII. Quoad 3. verò punctũ manifestum est inprimis maximè prohibitũ esse dominiũ harum possessionum, deinde certum est prohiberi vsumfructũ, etiã absq; dominio: quia non minùs hoc repugnat paupertati, imò quodammodo magis, quia indigentiæ magis subuenitur vsufructu, quàm proprietate. Itẽ quia expressè in dictis constitutionibus prohibentur prouent⁹; quę vox propriè significat fructus, seu cõmoditatem vsusfructus. Item prohibentur quicunque redditus, vel emolumenta quarumcunque possessionũ; ergo multo magis vsusfructus. Deniq; dicendum est, etiam vsum talium possessionũ (præter suprà dictas) esse prohibitũ, quod sumo ex dict. Clem. *Exiui*. vbi de Minoribus sic dicitur. *Possessiones, vel earum etiam vsum (cùm eis non reperiatur concessus) recipere, vel habere (conditionẽ considerata ipsorũ) non licet*. Quę verba & ratio eorum in Societate professa locum habẽt. Intelligo autẽ per vsum, ius vtendi: nã solus vsus facti per se non repugnat voto paupertatis: & ideo, si dominus cõcederet Societati vsum alicuius possessionis ex mera liberalitate, nullum ius illi tribuendo, sed cum potestate libera respectu Societatis, negandi illũ vsum, cùm velit habere talẽ vsum nõ esse cõtra paupertatẽ, quia ibi nulla est proprietas, nec ius propriũ, & per. de est accipere vsum domus ac recipere vsũ equi, aut alterius rei cuiuscũq;. Poterit ergo esse in hoc aliquis excessus, si talis vsus non esset adeò decens religiosos, præsertim profitentibus solennem paupertatem, tamen in rigore non esset contra tale votum. Atq; eodem modo accipiendũ est, quod de vsufructu diximus; nam vsusfructus propriè significat ius ad percipiẽdos fruct⁹. Si autẽ dominus possessionis liberaliter tribueret fruct⁹ vnius anni, acceptari possent, sicut aliæ eleemosynæ; imò & plures annos posset id facere, nullũ

Tertiũ punctũ, An prohibeatur sola proprietas an etiam vsus fructus.

Vsus nudus non prohibetur.

ius

ius conferendo Societati. Addo etiam, quòd licèt ille voto ad id se obligaret, votum esset validum, & Societas posset fructus recipere, dummodo votum intelligatur soli Deo factum, & ipsi nullum esse acquisitum ius, sicut suprà n. 9. dicebamus de obligatione hæredis ex testamento. Denique aduerto, cauendum esse, ne in Societate admittatur administratio, seu dispositio talium fructuum, vel redditum; nam hoc repugnaret eius paupertati: vt constat ex cap. 26. p. Const. §. 3. & 6. & lit. B.

Administrare fructus, vel reditus alicuius, paupertati repugnat.

XIV. *Dubium si domui professæ possessio non necessaria legatur.*

Sed quid si domui professæ possessio aliqua ad vsum suum, non necessaria donetur, aut testamento relinquatur. Respondeo, dupliciter posse id cõtingere. Primò vt legatum habeat adiunctam aliquã conditionem repugnantem paupertati, prout declarata est: vt, v.g. quòd talis possessio sub dominio vel vsufructu Societatis semper cõseruetur, vel alia similis, & tunc clarum est, non posse legatum cum tali conditione acceptari. Dubitant autem Doctores, an in illo casu legatum illud valeat, necne? Quidam enim censent esse validum, & conditionem, vtpote iniquam debere haberi pro non adiecta. ita tenet Antonin. 3. p. tit. 16. c. 1. §. 12. notab. 7. argumento c. *tua nobis*, de testamentis, & regulæ 37. iuris in 6. quòd *vt le per inutile non vitiatur*. Nihilominus huiusmodi legatum nullum simpliciter esse tenet glossa in dict. Clem. *Exiui*, verb. *Proinde*, circa finem, & ibi Cardinal. n. 11. Bartolus l. 2. Minoricarum dict. 2. c. 1. & 2. quia ita expressè est declaratum à Nicolao III. in c. *Exiit*, de verborum signif. in 6. Notat autẽ Bartolus hoc esse speciale, ex declaratione summi Pontificis, in odiũ talis legati, seu legãtis, & in fauorẽ paupertatis Minorũ. Vnde infert, si cõditio adiecta legato, ex alia ratione esset turpis, vel impossibilis, nõ quia specialiter repugnet paupertati Minorũ, sed religioni in genere, &c. tunc reiecta conditione, retineri posse legatũ; quia tunc nõ procedit illud ius speciale, & ita regulandũ esse legatum per generale ius, quod habet, vt à legato subducatur omnis impossibilitas. l. *obtinuit*. ff. de conditionib. & demonstrationibus, & l. *legatum*. ff. de vsufructu legato. &. l. *reprehensa*. de institutionibus & substitutionibus.

Quando paupertati semper repugnat legatum opinio Antonini.

Opinio aliorum.

XV. *Authoris iudicium iuxta opinionem Antonini.*

Ego verò hinc vlteriùs colligo, casum hunc, de quo agimus, non videri decidendum respectu Societatis ex illo iure speciali pro fratribus minoribꝰ declarato: quia licèt Societas professa in aliquo cum eis conueniat in communi paupertate, non tamen in omnibus; non est ergo necesse ad illam extendere illud ius speciale, seu declarationẽ illam, quæ per se nõ spectat ad substantiam paupertatis. Vnde quantum ad Societatem probabilem censeo opinionem Antonini. Quia verò Societas non acquirit ius ciuile, non poterit petere tale legatũ: si autem hæres voluerit dare æstimationem eius, vel ipsummet liberũ & reiecta conditione tradere, licitè acceptari potest: quia nec voto, nec alicui iuri Societatis repugnat. An verò hæres teneatur in conscientia hoc modo dare legatum Societati, existimo in rigore non teneri, quia illi constat non fuisse talem voluntatem defuncti, & alioqui iura ciuilia, quæ de huiusmodi legatis disponunt, ibi non obligant, quia non acquiritur ius ciuile.

XVI. *Quando legatum paupertati non repugnet certa resolutio.*

Secundò potest hoc legatum relinqui, vel sub expressa conditione, vt conuertatur in vtilitatem Societatis, eomodo quo licitè potuerit, vel simpliciter legando talem rem, & nihil declarando, & hi duo modi æquiparantur in iure; quia quoties contrariũ nõ explicatur, intelligitur testator legare eo modo, quo melius potest, vt in specie declaratur in dict. c. *exiit*. §. *adhæc*. In vtroq; ergo casu validum est legatũ, & à Societate acceptari potest, ad vsum suę paupertati conuenientem, vt declaratur in 6. p. Const. c. 2. lit. E. vbi in genere dicitur, *Quidquid stabile illi datũ fuerit, teneatur, eo quamprimum poterit se exuere ac vellere, vt pauperibus Societatis, vel externis, suam pecuniã subueniatur*, quod ex natura rei est necessarium, supposito tali voto, & tali genere paupertatis. Et ita commune hoc esse omnibus mendicantibus, qui paupertatem in communi obseruant, dixit Antoninus dict. not. 7. & Nau. in Comment. 2. de Regul. n. ... Ad tollendos verò scrupulos additur in prædicta declaratione lit. E. posse expectari temporis opportunitatem, ne fortè necessarium sit, vilius rem diuendere, quàm oporteat, facit etiam ad hoc, quod in decreto 51. Congreg. 7. fuit declaratum.

CAPVT X.

An explicata superiori capite paupertas conueniens sit Societati professæ.

I. IAm quæri hic potest, cur Societas professa hunc modum paupertatis, quam hactenus in proximo c. exposuimus, amplectatur: vt enim nunc omittamus generales difficultates, quæ de hac paupertate in communi motę sunt in Ecclesia, & in tomo superiori sũt tractatæ; specialiter videri potest hæc paupertas minus accommodata huic instituto. Primò, quia cùm modus viuendi in his, quę ad vestitum, & cibum pertinent, nec sit nimis asperus, nec nimis abiectus, ac vilis; talis paupertatis modus non rectè cum illo consonat: tum quia in externa specie non videntur hi religiosi tantam paupertatem præ se ferre, oportet autem, vt exteriores actiones cum exteriori habitu concordent. Tum etiã, quia erunt nimis onerosi ab ijs fidelibus, quia pluribus indigent ad suam sustentationem, quàm alij pauperes religiosi. Secundò, quia confiderato fine harũ domorum, non videtur illi proportionata hæc paupertas; cùm tamen tota perfectio paupertatis religiosæ consistat in proportione ad finem religionis iuxta doctrinã D. Thomæ in citato tomo adductã.

II. *Probatur quod prium argumen.*

Antecedens siue assumptum huius 2. argumenti patet, quia finis Societatis professæ est Euangelicæ prædicatio, & fructus eius cum ministeriis illi annexis; ad hunc autem finem commodiùs videretur habere moderatã sustentationem, ex propriis bonis in communi, tum quia minorem afferret solicitudinem, omnino enim omittere curam temporalium posibile non est, perfectionis verò est eligere minimam, quæ sufficiat: minus autem videntur solicitare temporalia, quando cum moderatione, & in cõmuni habentur, quàm si omnino non habeantur, & oporteat assiduè illa quærere & procurare. Maximè, quia hoc etiam cum maiori periculo fit, quàm si moderata bona administrentur. Item, quia hoc per paucos fieri potest, & ita alij expediti erunt ad contemplationem, studium, & spiritualem actionem, quæ sunt propria opera huius religionis, & requirunt hominem valde liberum à temporalibus, & corporalibus curis.

III. *Probatur alium.*

Deniq; etiam ex parte eorum, quibus prædicandum est, videtur commodiùs non pendere ab illis in sustentatione corporali: quia maiori cum libertate, atq; adeò cum maiori fructu eis prædicabitur. Nam propter hanc rationẽ inter alias suprà in cap. 7. n. 14. dicebamus, Societatem non accipere stipendia, seu eleemosynas pro ministerijs spiritualibus. Atque hinc oritur specialis difficultas in Societate, nam aliæ religiones, etiam quæ seruant paupertatẽ in communi, possunt stipendia Missarum, & anniuersaria perpetua, & similes subuentiones recipere, quæ non parum leuare possunt solicitudinem temporalium rerum: Societas autem, cùm illo subsidio spirituali careat, si etiam omnibus redditibus priuetur, cum magna difficultate, & consequenter non sine magna solicitudine sustentari poterit.

IV. *Confirmatur hoc probatum à capite antecedenti.*

Et cõfirmatur ab incõuenienti duplici, quod experientia ipsa docuisse videtur. Vnum est paucas esse in tota Societate domos professas, quod ex hoc

capite ortum videtur: nam vix in vnaquaque prouincia, vna domus sustentari potest: maius autem Dei obsequium, & Ecclesiæ seruitium esse videtur si essent plures, etiamsi haberent moderatos redditus vnde alerentur. Aliud incommodum est vt Collegia multiplicētur, quæ reipsa, seu quoad ministeria, & quoad præcipuas personas, domus potius professæ sint: & solum Collegiorum retineant nomen, vt proprios redditus habere possint. Atque ita fit, vt domus professæ quæ iuxta suam paupertatem, & constitutiones nō possunt in suos vsus conuertere bona Collegiorum, reuera id faciant cum ipsi professi ex illis bonis maxima ex parte sustententur.

V. Nihilominus huic paupertatis professioni in Societate omnino cohæret ea doctrina D. Thomæ 2. 2. p. 188. art. 7. vbi quærit, quid sit perfectius, religionem habere bona in communi, scilicet stabilia, & immobilia (de his enim præcipue est quæstio) vel illis carere, ex paupertatis professione. Et in summo respōdet, triplicem esse religionem: vna est instituta ad actiones militiæ, vel corporalis misericordię, & huic, ait melius esse habere bona in communi, etiam abundanter: quia indiget illis ad suum finem. Alia religio est instituta ad contemplandum tantum, & huic etiam dicit bonū esse habere bona in communi cum moderatione, quæ sufficiat ad tollendam solicitudinem cōtemplationi contrariā. Tertia religio est, quæ & ad contemplandum, & ad contemplata aliis tradendum instituta est: & de hac inquit D. Thom. perfectius esse, vt paupertatem etiam in communi profiteatur: quia profitetur maximam solicitudinem in spiritualibus, & consequēter assumere debet eum vitæ modum, in quo sit minima solicitudo in temporalibus. *Manifestum est autem* (inquit D. Thom.) *quod minimam solicitudinem ingerit seruare res vsui hominum necessarias, tempore congruo procuratas.* In quibus verbis duo tacitè cōcludit; vnum est in administratione rerum immobilium, quæ necessaria est ad earum conseruationem, & defensionem, & ad fructificationem eorum, ac fructuum perceptionem commutationem aut venditionem, si necessaria fuerit & similia, maiorem esse solicitudinem, quàm sit in procuratione, seu collectione eleemosynarum sufficientium, & ideo hunc modum viuendi esse conuenientiorem tali religioni. Aliud est non pertinere ad perfectionem talis status in diem viuere, vt sic dicam, & nihil reseruare, aut conseruare pro futuro, iuxta prudentem prouidentiam, quia hoc nō minueret solicitudinē, sed augeret, regulariter loquendo. Et ideo inquit ex genere suo perfectius esse congruo tempore cōmunitati necessaria procurare, quoad res vsu ipso consumendas, & pro suis temporibus in moderata quantitate, & pauperibus accommodata conseruare: & hoc confirmat exemplo Christi, qui loculos habebat. Quo exemplo etiam vtitur ad hoc idem confirmandum Augustinus lib. de operibus monach. cap. 23. & sequentibus: & ita etiam exponit verba Christi Mat. 6 in li. 2. de sermone Domini in monte c. 16. Atque hæc doctrina D. Thomæ cōmuniter recepta est ab auctoribus, præsertim religiosis Dominicanis & Franciscanis, vt videre licet in eodem S. Thoma latius opusc. 17. c. 15. & sequentibus, & D. Bonauentura in regulam D. Francisci c. 6. Antonino 3. p. tit. 16. c. 1. §. 3. Paludano in 3. d. 36. q. 3. Syluestro *Religio* 1. q. 5. & latè Corduba c. 7. q. 12.

VI. *Resolutio & insuper probatio.* Ex qua doctrina constat ad institutum Societatis professæ, maximè pertinere dictum modū paupertatis, nam est idem cum illo, quem D. Thomas explicat, & Societas (vt suprà l. 1. ostensum est) maximè intendit, tum contemplando, tum etiam contemplata aliis tradendo. Vnde quo per se & ex vi sui instituti, magis his spiritualibus muneribus incumbit, eò ad maiorem eius perfectionem pertinuit hanc paupertatem eligere. Præterea Christus D. hunc modum paupertatis assumpsit, vt tom. de vita Christi disp. 28. sect. 2. probatum est, & Apostoli etiam, quos ad prædicandum elegit, hoc etiam vitę genus professi sunt; nihil enim stabile in particulari habuerunt, vt tomo superiore est ostensum, neq; in communi habere poterant, scilicet in speciali communitate Collegij Apostolici; imò etiam eo tempore, omnia erant in Ecclesia communia, non conseruabantur bona stabilia, & immobilia, sed qui habebant agros, aut domos, vendētes afferebant pretia eorum, & ponebant ad pedes Apostolorum, vt dicitur Actor. 4. Quòd si aliqua bona stabilia fuerūt tunc in congregatione fidelium, nunquam tamen legitur aliquid peculiare pertinuisse ad Collegium Apostolicum, neque id verisimile est, non enim erat accommodatum eorum ministerio, cùm nec simul viuere, nec locum certum aut firmum habere deberent; sed dispersos per vniuersum mundum peregrinari, ac prædicare. quod latius prosequitur Aluar. Pelagius l. 2. de planctu Ecclesiæ c. 55. Hoc autem vitæ genus, quantum potest imitatur Societas professa, vt satis in superioribus explicatū est. fuit ergo expediens, vt quātum posset, illam paupertatem imitaretur. Quæ omnia satis ostendunt per se loquendo, hoc ita esse: quod autem etiam id sit expediens, non obstantibus extrinsecis impedimētis, constabit respondendo ad rationes dubitandi.

VII. *Ad 1. arg. in num. 1.* Ad primum respondetur clericalem habitum nihil impedire, quominus religiosi Societatis, & reipsa, & in exteriori specie pauperes clerici sint, & appareant: vnde nec paupertas, nec mendicitas dissonat ab huiusmodi habitu quando voluntaria est, & religioso modo exercetur. Neque etiam communis vita, quoad hæc exteriora cibi, & potus obstat huic paupertati, aut onerosam illam reddit aliis fidelibus, cùm esse debeat multum moderata, ita vt & pauperibus, & religiosis sit accommodata. Sic enim Christus D. & Apostoli licèt ex eleemosynis viuerent, ordinariè vtebantur communibus cibis, prout illis apponebantur, vt ex variis locis Euangelij intelligi potest, quæ alibi tom. 2. in 3. p. disp. 20. tractata sunt: & generaliter ad prædicatores Euangelicos dixit Christus Luc. 10. *Manducate quæ apponuntur vobis. &, in eadem domo manete, edentes & bibentes, quæ apud illos sunt.*

VIII. *Ad 2. ibid.* Ad secundum negatur assumptum, nam potiùs paupertas omni ex parte perfecta est dispositio valde consentanea in Euangelico prædicatore. hoc enim primò Christus D. exemplo suo confirmauit: deinde hoc ipsum Apostolus docuit, & suprà li. 1. c. 2. n. 6. ostendimus, quando Christus D. consulebat relinquere omnia propter Euāgelium Marc. 10. specialiter intellexisse propter Euangelium prædicandum, iuxta illud Lucæ 9. *Sine vt mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuncia regnum Dei.* Cui doctrinæ consonat quod Eusebius refert lib. 3. Historiæ cap. 31. dicens, *etenim plerique omnes discipuli, qui eo tempore vixerunt ardentiore cœlestis sapientiæ studio incensi, & præ quodam diuini verbi desiderio animis perculsi præceptum seruatoris ante traditum exquisitè exequuti sunt, & hīs, qui opis indigebant, facultates suas libenter impertiuerūt, deinde à domibus suis peregrè profecti, munus obierunt Euangelistarum: atque ita, qui ne adhuc quidem omnino verbum fidei audiuissent Christum prædicare, & Scripturas sanctorū Euangeliorum tradere omni cura & cogitatione studuerunt.* Cùm ergo Societas professa hoc idem vitæ institutum primariò amplectatur, meritò paupertatem *exquisite*, id est, exactè & cum omni perfectione colit, nam per se illi etiam conuenit relictis propriis domiciliis per totum mundum peregrinari ad disseminandum Euāgelium: habere autem domos, in quibus socij etiam habeant permanentē

habitationem pro aliquo tempore, est quasi accidentarium, quia non poterat aliter conuenienter gubernari: & ideo conuenientissimum fuit, vt quam paupertatem in missionibus, & peregrinationibus obseruare debent professi, cùm eas etiam sint viatico adire promittant 6.p. Const.cap.2. §. 13. eandem domus professæ obseruent, vt eorum vita vniformis sit, & quia semper, & in omni loco eidem muneri euangelizandi incumbere deberent.

IX. *Ad priorem probationem in num. 2.*

Ad priorem probationem huius secundi argumenti, de maiori solicitudine, negatur assumptum, siue rem consideremus ex genere suo, siue in particulari, prout in Societate obseruatur. Primum satis declaratum est in discursu D. Thomæ, qui in 3. p. q.40.a.3. eadem ratione probat oportere prædicatores verbi Dei pauperes esse, quia vt vacet verbo, necesse est liberos esse à rerum sæculariũ cura, quod facere non possunt, qui diuitias possident. Quod etiam habet Bonau. in Apologia pauperum ar. 2. si autem in particulari prout in Societate hoc exercetur, fiat comparatio, res est manifesta: quia in primis obseruatur, quod D. Thomas monuit, vt res, quæ præcipuè necessariæ sunt ad victum, & sustentationem, non quærantur quotidiana mendicatione, sed congruis temporibus simul petantur, quoad fieri possit, & conseruentur. Deinde quoad ea, quæ frequentiùs petenda sunt, pauci destinantur, iique sunt ex illis, qui spiritualibus ministeriis inseruire non possunt, quique probatæ virtutis sint, & simul ac sociatim incedunt; atque ita omnibus incõmodis fine magna difficultate occurritur: quæ omnia in regulis Societatis commendata sunt, vt constat ex dicta c.2.6.partis Const.§.10.& ex regulis Præpositi toto c.6.& 8.n.84.

X. *Ad posterioremin n.3.*

Ad alteram verò obiectionẽ, quæ ex parte ipsius muneris prædicandi sumebatur, quia scilicet non cum tanta efficacia & libertate fiet. Respondeo eãdem obiectionem fieri posse contra Christi consilium, qui suos prædicatores pauperes esse voluit, imò eis permisit ex Euangelio viuere Luc. 10. & 1. Corinth.9. Dominus enim (ait Paulus) *ordinauit his, qui Euangelium annunciant, vt de Euangelio viuant*, id est, eis licẽtiam concesit, vt Augustinus exposuit: quia futuri erant pauperes, vt ad illud munus essent expeditiores, vt ibi ait glossa: ergo paupertas non impedit libertatem, aut efficaciam prædicatoris; quia si verè sit pauper, solis necessariis erit contentus, nihilque aliud ab hominibus sperabit. Qui autem ita est dispositus, non multum mouebitur humano amore, vel timore, vt propterea eius prædicatio minus efficax, minusve libera sit, quàm oporteat. Dices, his, & similibus rationibus dicebamus suprà, Societatem motam esse, vt stipendia pro Missis, & spiritualibus ministeriis non admittat. Respondeo longè aliud esse, quasi per modũ commutationis vnũ pro alio recipere; aliud verò ex incertis eleemosynis & omnino spontaneis viuere: nam illud prius quandam habet speciem lucri, & reputari potest tanquam fructus certus, vel species quædam redditum, determinatur etiam ad certas personas cum quibus modus quidam, seu species pacti interuenit, quæ omnia cessant in incertis, & omnino spontaneis eleemosynis, & ideo non est de vtrisque similis ratio. Neque est quòd timeatur arduum nimis, aut difficile futurum sustentari ex his solis eleemosynis, seclusis huiusmodi stipendiis, quia, vt diximus, ad pauperem vitam sustentandam pauca sufficiunt, *& sperandum est à diuina bonitate* (vt dicitur in dict.c.5.regularum Præpositi) *subsidia temporalia non defutura, si & nostri ad quærendum Dei regnum sibi & proximis serio incumbant, & ratione indigentia instituti nostri integritatem violari nunquam sinant.*

XI.

Ad incommoda, quæ inferebantur, in primo eorum petitur, cur in Societate paucæ domus professæ sint, & quomodo hoc non repugnet perfectioni paupertatis respectu totius Societatis simplicitèr, cùm res iudicanda videatur ex his, quæ in pluribus inueniuntur. Respondemus primò mirandum non esse hactenus domos professas in paruo numero multiplicatas fuisse, quia necessariũ fuit incrementũ Societatis paulatim progredi à nouitiis ad scholares, & à scholaribus ad professos. Necessarium item fuit, vt scholares sint in multo maiore numero, quàm nouitij, & professi, quia tempus nouitiatus breue est, comparatione temporis studiorũ: & ideo multi in Collegiis simul congregantur, qui in probatione successiuè existunt. Ex multis etiam scholaribus, pauci respectiuè ad hos fiunt professi: fuit ergo moraliter necessariũ priùs Collegia multiplicari. Non potuerunt autem simul omnia fieri: mirandum ergo nõ est quòd eodem tempore, quo tot Collegia multiplicata sunt, & domus etiam probationis ad illa fouenda, & conseruanda erectæ etiam sunt professæ domus in magna multitudine multiplicatæ non fuerint. Imò potiùs admiratione dignum est, quod tam breui tempore in tãta personarum, ac domiciliorum varietate tot progressus, & in vnoquoque gradu cum proportionato incremẽto facti fuerint. Accedit etiam quòd populi & ciuitates potiùs volunt habere scholas & Magistros ad filiorum in literis & moribus institutionem, quod fit in Collegiis, non verò in domibus professis.

XII. *Aduers. quæst.*

Deinde dicitur per se loquendo, & spectato instituto huius religionis, necessarium esse, vt domus professæ non solùm sint in minori numero, quàm Collegia, sed etiam absolutè loquẽdo in paruo sint numero. Primò quidem, quia numerus professorũ non potest esse magnus, consideratæ perfectionẽ, quæ in literis & in spiritu in eis desideratur. Deinde, quia ex ipsis professis vt respondeant vocationi suæ multi necessariò debent in missionibus versari, & inter infideles præcipuè peregrinari, & domus solùm esse debent veluti castra quædam, in quibus professi quidem se recipiant, quandiu in his missionibus non versantur, frequenter verò ad fructificandum ex illis mittantur. Præterea etiam necessarium est, vt magna professorum pars Collegiis inseruiat, ac proinde in eis commorentur. Nam *Vide suar.* regulariter illi sunt doctrina & eruditione illustrio- *6.supp.q.* res, vnde etiam consequenter necessarium est, esse *10.art.2.* satis antiquos, & probatos, & ideo neque ipsi primo uari debent professione, quia sunt apti ad docendum, nec Collegia debent eorum vtilitate priuari, quod professi sint: quòd si in Collegiis viuunt, & seruiunt dignum planè, & iustum, imò & necessarium est, vt eorum bonis sustententur, quo ex fundamento omnis scrupulus iis professis, ac formatis coadiutoribus, qui in Collegiis vtiliter viuunt eximitur in Congreg. 6.can. 6. Ita ergo minuitur numerus personarum, quæ in domibus professis cõgregandæ sunt. Rursus non negamus ex prædicto genere paupertatis difficiliorem reddi multiplicationem domorum, præsertim cùm sit expediens ad bonum earum regimen, & necessarium ordinem conseruandum, vt copiosę aliquantulum sint, & nõ in paruo numero personarum, & ita non possunt moraliter loquendo nisi in grauioribus, & ditioribus populis sustentari. Neque verò esset minùs difficilè eas cum propriis redditibus, ac bonis stabilibus erigere: multo enim facilius est fundare templum, & domum, quæ postea eleemosynis fidelium sustententur, quã si ei prædia & sufficientes redditus donandi essent, vt verò concedamus dictã paupertatem fuisse hactenus, vel timendum semper futurã esse occasionẽ minoris multiplicationis professarum domorũ, non propterea prætermitti debuit

in toto

in toto hoc statu Societatis perfectus hic gradus paupertatis, quia illud incommodum accidentarium est, & perfectio, quæ inde resultat in toto corpore, & in primariis personis eius per se est, & principalius intenta.

XIII. *Satisfit 2. incommodo in eodem n. 4.*

Nec verò inde resultare potest detrimentum alicuius momenti circa ministeria, quę Societas exercere potest & debet circa profectum animarum, quia in grauioribus populis decursu temporum professæ domus ædificari & sustentari poterunt, mediocres verò ordinariè indigent auxilio Collegiorum: aliis autem minutioribus oppidis per missiones inseruiendum est. Atque ita obiter etiam responsum est ad aliud incommodum, quod inferebatur de multiplicatione Collegiorum, in quibus multi professi sustentantur. Fatemur enim Societatem professam non posse vti bonis Collegiorum, aut domorum probationis, nisi in casibus in Bullis Pontificiis & constitutionibus expressis vt constat ex c. 1. Examinis §. 4. & 4. p. Const. c. 2. §. 5. & 6. p. Const. c. 2 §. 3. Casus autem excepti tres sunt: primò nisi in rebus minimis, nam hæ pro nihilo ducuntur, & ideo ad eximendos scrupulos eximuntur, vt dicitur in Declaratione dict. §. 3. lit. D. vbi exempla etiam ponuntur, quæ pro regula deseruire possunt ad similes casus iudicandos. Secundò excipiuntur professi, qui senio confecti, aut infirmitate grauati in vinea Domini laborare non possunt. hi enim ex concessione Iulij III. sua Bulla 2. possunt cum facultate Præpositi Generalis, vel alterius, cui ipse suas vices communicauerit in Collegiis habitare, & redditibus eorum ali. Tertia exceptio est si ipsis Collegiis necessarij sunt ad officia literarum, vel eorum gubernationem, & quia hæc vltima necessitas cuius varia exempla ponuntur in citato §. 5. in declarat. lit. E. moraliter deesse non potest, vt explicuimus n. præcedenti. ideo mirandum non est, quod nunc de facto plures in Collegiis viuant, non enim propter se, nec propter penuriam domorum professarum, sed propter ipsa Collegia, & eorum ministeria. De quibus considerandum est, quanuis per se instituta sint (vt c. sequẽti n. 3. videbimus) ad conseruationem, & augmentum ipsius Societatis: tamen etiam ex speciali intentione esse ordinata ad beneficium reipublicæ, præsertim circa studia & exercitia literarum, quæ in domibus professis fieri nullo modo poterant. Cum hoc autem munere necessariò debent esse coniuncta alia spiritualia ministeria: vt iuuentus non solum in literis, sed principalius in virtute educetur, hac enim de causa in forma acceptandi Collegia dicitur, partem vnam Collegij debere esse ministeria templi, qualia sunt sacramenta ministrare, concionari, &c. Vnde vlteriùs veluti consequutione quadam fit, vt hæc eadem spiritualia ministeria ad omnes proximos eiusdem oppidi, seu ciuitatis, in qua Collegium existit, imò etiam ad vicinos populos extendantur, quia charitas & institutum nostrum hoc exigit, & ita fit communiter vt in collegiis exerceantur ministeria, quæ professarum domorum videntur propria, quia non sunt ita propria quin possint & debeant esse communia ipsis Collegiis, quando charitas & necessitas id postulet, atque etiam plerumque ea est ipsorum fundatorum intentio manifesta.

Primus casus quo professus unare potest de redditibus Collegii.

Secundus.

Tertius.

Collegia ordinantur etiam proximorum bonũ proxmi.

Hanc formã tacite approbat 5. congr. can. 8.

CAPVT XII.

Ad quam paupertatem in communi Collegia Societatis, & domus probationis obligentur.

QVamuis ex Collegiis, & vtrisque domibus probationis, & professis vnum corpus Societatis coalescat: nihilominus non eodem modo pauper-

I. *Assertio.*

tatem in communi obseruan t: sunt enim quasi membra heterogenea vnius corporis organici. hæc ergo diuersitas, quoad hanc partem, & ratio eius explicanda supereſt. Et quia Collegia, & domus probationis, quoad hoc, eundem modum seruant ideo in Collegiis illum declarabimus: & si quid fuerit speciale in domibus probationis, id etiam obiter annotabimus.

Principio igitur supponendũ est Collegia Societatis non posse habere paupertatem in communi, nec quoad bona mobilia, nec quoad redditus, & bona stabilia, sed esse illorum capacia, imò sine illis admitti, aut fundari non debere, quantum sufficiant ad moderatam sustentationem religiosorum in eo numero, qui pro qualitate, & ministeriis, ac religiosa disciplina vniuscuiusque Collegij sint, iuxta intentionem Concilij Tridentini sess. 25. de Regularib. c. 3. constat autem hæc institutio Societatis quoad hanc partem ex constitutionibus eius, & Bullis Põtificiis: in Examine enim sic habetur c. 1. §. 4. *Habebat Societas Collegia, & domus probationis redditibus dotatas.* Et 4. p. c. 2. §. 5, & 6. p. c. 2. lit. A. & in Bullis Pauli III. & Iulij III. de cõfirmatione instituti, *Possint* (dicitur) *habere in vniuersitatibus Collegium, seu Collegia habentia census, redditus, seu possessiones vsibus, & necessitatibus studentium applicandas.* Idem confirmat Gregorius XIII. in constitutione, *Ascendente Domino.*

II.

Ratio autem huius diuersitatis facilè reddi potest, applicando discursum ex D. Thoma additum in præcedenti cap. n. 5. Nam cùm tria sint genera religionum, actiuum scilicet, quoad externa, & corporalia opera misericordiæ sumptus aliquos requirentia, vt sunt hospitalitas, vel militia: & contemplatiuum tantum, & contemplatiuum fœcundum, vt sic dicam, id est, communicatiuum perfectionis erga proximos, Societas omisso primo genere, duo alia complectitur, in domibus quidem professis tertium, & ideo in eis habet paupertatem illi generi vitæ accommodatam: in Collegiis autem, & domibus probationis aliquanto magis secundum religionis genus participat. Docuit autem D. Thomas, in religionibus, quæ contemplationi tantum vacant, accommodatam paupertatem esse quæ in communi bona stabilia, & redditus admittat: ergo hanc debuit Societas in his domibus & Collegiis obseruare Quod autem in domibus probationis vitæ contemplatiuæ præcipuè vocetur, per se manifestum est, quia omnino sunt ad spiritualem nostrorum institutionem, & exercitationem ordinatæ, & ideo in eis præcipuum studium est orationis, & contemplationis, & lectionis spiritualis & cõmunicationis verbi Dei, q̃ ad ipsos religiosos excitandos, & instruendos conferat, non prætermissa exteriori actione, quæ ad eorundem profectum conferat. Circa proximos verò per se non occupantur, nam si aliquid concomitanter fit & quasi per redundantiam, id moraliter non consideratur.

Applicatur hæc D. Th. doctrina nouitiatib.

III. *Applicatur & Collegiis.*

De Collegiis verò posset aliquis dubitare, quia multum actionis circa proximos habere videntur, vt ad calcem præcedentis capitis attigimus. Re tamen vera, principale eorum institutum in contemplatione versatur, quia omnis veritatis cognitio, aut inquisitio, quæ ad illuminationem circa veritatem ipsam ordinatur, sub contemplatione comprehenditur. hæc autẽ Collegia ad hoc præcipuè ordinãtur, vt scholares circa veritatis cognitionẽ proficiant. Deinde esto genus hoc contẽplationis diuersum sit ab alia contemplatione merè spirituali, quæ non solum cognitione, sed etiam affectu erga Deum exercetur, tamen quantum ad præsens attinet, eiusdem rationis est, & eadem de causa illud genus paupertatis postulat. Nam in vtroque maxime necessaria est animi quies, & carentia solicitudinis,

Vide Vgon. l. 3. didasc. li. c. 15. & sequentib.

dinis, & curæ temporalium rerum: ergo etiam in Collegiis paupertas seruanda est vitæ contemplatiuæ accõmodata. Et confirmatur, nam, vt experientia docet, nimia inopia solet impedire literarũ studium, quemadmodum eleganter proposuit Alciatus Emblemate 120. & expositum ibidem Claudius. Vnde in c. *exiit panda*, de præbend. dicitur, vbi sacerdotes nimiam temporalium rerum inopiam patiuntur, paucos esse literis eruditos, quemadmodũ etiam indicauit Arist. 1. Metaph. c. 1. dum è contra scientiæ inuentionem attribuit Ægypti sacerdotibus, quia tempus non ponebant in quærendis alimoniis. Et ob eam rationẽ in iure dispensatur cum clericis habẽtibus beneficium, vt pro tempore sufficiente, eorum redditus in studiis perciperẽt c. vlt. de Magistris. vbi etiam statuitur, *vt Prælati, & capitula Ecclesiarum aliquos ad studia dest inent, quibus si proprij prouentus Ecclesiastici non sufficiant, ipsi necessaria subministrent.* & in c. 1. & c. *quia nonnullis*, eodem tit. remedia adhibentur quomodo subueniatur pauperibus, ne ob indigentiam ab studiis distrahantur, seu impediantur, & ob eandem causam in Conciliis magna prouidentia procuratum est, vt in Ecclesiis cathedralibus sint seminaria sufficientibus dotata redditibus, in quibus iuuenes, qui postea Ecclesiæ possint inseruire, in pietate, & literis educentur. quod maximè commendauit Concilium Tridentinũ. Sic ergo Collegia in Societate instituta sunt, vt essent quædã seminaria Societatis professæ quoad studia literarum simul cum pietate: & ideo meritò prouisum est, vt sufficientes redditus ad vitæ necessaria habere possent, ne earum rerum solicitudo quietẽ ad studiũ necessariam impediret. Nam, vt rectè dixit Hugo de S. Victore lib. 5. Eruditionis didascalicæ c. 5. *Tria sunt, quæ studio obesse solent, negligentia, imprudentia, fortuna, & de prima* (inquit) *admonendus vnusquisque est, de secunda instruendus, de tertia autem* (ad quã paupertatem pertinere dicit) *adiuuandus.* Demum ipse B. P. Ignatius experimento didicit, dum Lutetiæ Parisiorum, aliisque per Hispaniam locis vacaret literis, non minimum sibi detrimentum in studiis creari ex mendicitate.

V. de Conc. Tolet. 4. c. 23 & Aquisgran tempore Ludouici Pii c. 135.

Vide Boetiũ de discip. schol c. 4. Carthus. de doctrina schol. art. 5. Maffeius l. 1. de vita S. Ignat. c. 19.

IV. *Obiectio contra proximè dicta.*

Dicet fortasse aliquis, huic studentium necessitati etiam potuisse sufficienter prouideri eleemosynis fidelium, & non maiori, sed minori solicitudine: ergo in Collegiis etiam fuisset hic modus, tanquam melior, & magis proportionatus præferendus. Consequentia clara est ex dictis, quia præcipua ratio eligendi hanc vel illam paupertatem, est maior animi quies, minorque temporalium solicitudo. Minor autem probatur eadem ratione suprà adducta ex D. Thoma in c. præcedenti n. 5. nam omnis solicitudo vitari non potest; quia vel debet adhiberi in congregandis eleemosynis, vel in administrandis propriis bonis: comparando autẽ has duas solicitudines, dicebamus in domibus professis maiorem futuram esse illam, quæ in administrandis propriis bonis poneretur: ergo idem dicendum est etiam in Collegiis: nam ratio solicitudinis eadem est in vtroque loco. Accedit quòd cura diuitiarum impedit potius studia, quàm iuuat, vt exẽplo Cratis Thebani docuit Hieron. ep. 13. ad Paulinum. Idemque tradit Seneca ep. 17. & 73. quem cum aliis ad hoc propositum adducit Rebuffus in tract. de Priuilegiis p. 2. requisito 9.

Confirm.

V. *Obiectio posita in primis retorquetur.*

Respondetur eandem obiectionem fieri posse de quocumque monasterio vitam purè contemplatiuam profitente, atque adeò contra doctrinam D. Thomæ. Quapropter in genere respondetur in his rebus moralibus, non vnam vel aliam tantùm congruentiam, seu rationem spectandam esse, sed omnia simul, quæ cõcurrunt. Vnde ad maiorem in obiectione sumptam respondetur, quamuis absolutè possent Collegia ex eleemosynis viuere, non tamen fuisse conueniens tantum onus fidelibus imponere, alendi scilicet omnes scholares prius quàm illis inseruiendis occupentur. Et fortasse hac ratione monachales ordines, qui per se ad ministeria erga proximos non ordinantur, paupertatem in cõmuni non profitentur, ne videlicet proximis, quibus externis saltem actionibus non inseruiunt, oneroſi esse videantur. Accedit etiam (vt ad maiorem respondeamus) ob hanc eandem causam, maiorẽ curam, & solicitudinem necessariam futurã fuisse ad sustentãdos scholares, vel nouitios ex eleemosynis, quàm professas domos: quia, cũ professi circa proximos omnino occupentur, faciles, & benenolos eos inueniũt ad suas necessitates subleuãdas; quod regulariter difficile fortasse esset Collegiis, & domibus probationis per se spectatis, quatenus ad propriam educationem, perfectionem, & eruditionem ipsorum religiosorum ordinantur. Denique quamuis comparando solicitudinem in cõgerendis eleemosynis, vel administrandis propriis bonis, possit esse prudentiale arbitrium, quæ illarum maior sit; tamen cõsideranda etiam est proportio ad status, & munera personarũ, nam actiones, seu distractiones, quæ oriri solent ex possessione bonorũ stabilium, magis improportionatæ sunt domibus professorũ, quia ex se tales actiones, quales solent esse lites, locationes, &c. minùs possunt proximos ædificare, magisque vitari debent ab Euãgelicis prædicatoribus. E contrario verò, scholares non possunt, neque etiam debent ex vi sui status, aut muneris ita esse parati ad mendicandum, sicut professi: & ideo pensatis omnibus rationibus, magna prudẽtia, & proportione facta est partitio horum statuum quoad hoc genus paupertatis.

Deinde respondetur ad mai. prop.

VI. *Ad confirmationem maioris excutitur.*

Ad confirmationem autem duo breuiter dicemus. Primum est, in Collegiis Societatis nõ postulari superfluas diuitias, sed moderatas, quæ ad scholarium sustentationem sufficiant; nec enim superfluæ diuitiæ censendæ sunt, etiãsi redditus magnos esse contingat: quia in hac re quantitas, non absolutè, sed respectiuè pensanda est, & vbi plures sunt redditus, non ideo habentur, vt religiosi commodius viuant, quàm religiosa moderatio postulat, sed vt plures ad diuinum obsequium alãtur. Aliud est, diuitias, quæ studia literarum impedire solent; esse priuatas, ac personales, nam tunc cura earum, in eandem personam cadere solet, eiq; adiungitur amor priuatus, & sæpe etiam desiderium augendi illas: quæ omnia fine dubio impediunt otium, & quietem ad literarum profectum necessariam. Hoc autem impedimentum omnino sublatum est ab scholaribus Societatis, per paupertatis votum superius explicatum. Habere autem necessarios redditus in communi nullum impedimentum afferre potest, sed leuamen, cùm eorum administratio, & cura apud alios resideat.

VII. *1. assertio.*

Secũdò principaliter dicendum est, Collegia Societatis teneri ad seruandum specialem modũ paupertatis in administratione bonorum suorum. Hoc *confirmatur* est certum ex Bullis Pontificiis, & constitutionibus *primum* Societatis. Et declaratur proponendo ea, in quibus *quæ Collegia* hic peculiaris modus paupertatis cõsistit. Primum *primum spectat* est, quia administratio horum bonorum, non est *ad.* primò ac principaliter in ipsis Collegiis, sed in Societate professa per se, vel per Generalem suum. Ita decernitur in Bullis Pontificiis Pauli III. & Iulij III. ibi, *Retenta penes Propositum & Societatem, omnimoda gubernatione, seu superintendentia super dicta Collegia.* & infrà, *vt neque studentes dicti in bonis eorum, neque Societas in proprios vsus conuertere possit; sed studentium necessitati subuenire.* Idem habetur in Constitutionibus 4. p. cap. 2. §. 5. cum declaratione lit. C. & cap. 10. & p. 10. §. 3. Ratio autem huius institutionis, præter eam, quæ tangitur in Bullis Pontificiis, est, vt perfecta subor-

subordinatio in tota Societate obseruetur; cùm enim tota Societas verè sit vnum corpus, cuius non tantùm domus professæ, sed etiam Collegia, & domus probationis membra sunt, necessarium est vt omnia sint plenè subiecta capiti, tam in spiritualibus, quàm in tẽporalibus, cùm hæc solùm propter spiritualia teneãtur & gubernentur: Generalis autem est caput totius Societatis: ergo apud illum esse debet integra administratio Collegiorum, & bonorum omnium, quæ ad illa pertinent. Deinde hoc meritò factum est, quia illa pars Societatis, quæ est in Collegiis, adhuc censetur esse, quasi in via, & in fieri; ideoque sub cura Societatis professæ exiſtit tãquam filius sub patre, vel potiùs tanquam pupillus sub tutore, qui licèt dominium rerum suarũ habeat, administratio est penes tutorem. Hinc enim factum etiam est, vt tota potestas gubernandi Societatem, quatenus in ipso corpore existit, tantùm sit in Societate professa, ita vt quoad eam partem quam habet de gubernatione, quæ fit per congregationem multorum, aristocratiam, & non democratiam participet. Denique cõsultum etiam in hoc est studentium quieti & otio, vt occasione temporaliũ nullo modo ab studiis distrahantur. Propter quod etiam contractus scripturæ publicæ, & similia, quæ circa hæc temporalia fieri solent in Societate, non fiunt ab ipsis Collegialibus solenni ritu in vnum congregatis, quia non fiunt nomine Collegij, sed nomine Præpositi Generalis, apud quem est hęc potestas, prout declaratur in 9. p. Const. c. 3. §. 5. & 6. & specialiter confirmatum est à Gregorio XIII. in Bulla 13. quæ incipit, *Ex debito.*

VIII. *Oppositio.* Dicet verò aliquis hoc non rectè consentire cum his, quæ de ratione paupertatis in communi, quam Societas profitetur, suprà diximus. Ideo enim professa Societas non admittit bona immobilia etiam in communi, quia eorum administratio solicitudinem, & distractionem affert. Sed non minorẽ solicitudinem affert administrare aliena bona, quàm propria, imò quodammodo maiorem: tutor enim si conuenienter administret bona pupilli, non minus sollicitus circa illa esse debet, quã si essent propria; quamuis ergo hæc administratio non sit contra dictam paupertatem, videtur tamen esse contra finem paupertatis, & ideo perfectioni paupertatis professæ repugnare. Respondetur inprimis, si dom⁹ professæ haberent bona immobilia, fore vt in eis administrandis necessariò occuparentur ex iisdem professis ibidem commorantibus, ac propria ministeria exercentibus, sicque fieret, vt simul vacarẽt spiritualibus, ac temporalibus, quod non posset nõ eorum existimationem, & authoritatem minuere: at in Collegiis procuratores solùm vacant temporalibus. Secundò respondetur dictum iam esse, non esse posibile omnem curam, & solicitudinem temporalium bonorum vitare, & ideo in hoc genere illam religionem esse optimè institutam, quæ, considerato suo fine & modo viuendi ad illũ necessario, vtitur bonis temporalibus, quatenus minimam solicitudinem afferant, posibilẽm scilicet moraliter in illo statu, non impediendo alia, quæ maioris momenti sunt. Societas autem ad finem suum indiget hac varietate membrorum, cum debita constitutione eorum in seipsis, & subordinatione eorũ inter se. Ad hoc autem consequens necessariò fuit, vt aliqua cura, & solicitudo Collegiorum in Societatem professam redundaret, & ideo vitari non debuit; alia verò solicitudo, quæ in domibus professis fuisset, si haberent propria bona, sine vllo incõmodo, imò seruata meliori proportione, vitari potuit, & ideo non fit rectè argumentum ab vna ad aliam; maximè quòd magis impediret duplex administratio, quàm altera tantùm. Deinde dicitur, administrationem hanc non esse tantæ solicitudinis, vt Societatem professam impedire, aut à suis ministeriis retrahere posit: nã per Rectores idoneos Collegia debent administrari, quibus tota cura proximè administrandi res temporales Collegiorum demandanda est, cuius ipsi debeant Generali, vel cui ipse iniunxerit, rationem reddere, vt in eodem loco constitutionum dicitur; hoc autem sine magna solicitudine, vel distractione fieri potest. Denique cùm hæc administratio nullo modo conuertatur in proprium, ac priuatum commodum, sed ex charitate fiat propter bonum commune, & propter finem perfectionis; si religiosę, vt debet, suscipiatur, non multum impediet etiam illos, per quos proximè exercetur.

IX. *§ Asser. explicans, eo dum in quo eadem paupertas consistit. Primum in quo assertio verificatur.* Tertiò dicendum est Collegia Societatis priuari aliquibus modis acquirendi temporales redditus, vel lucra, quod etiam ad quendam modum paupertatis spectat. Possunt autem hæc ad duo capita reuocari, in quibus cum domibus professis conueniunt. Primum est quòd incapacia sunt hæreditatis saltem quoad hoc, vt ipso iure succedant religiosis in eis profitentibus, seu vota Societatis emittentibus, prout aliæ religiones, quæ bona habent in cõmuni, succedere solent, vt dictum est. Hoc cõstat ex superius dictis in c. 5. de modo quo nouitij, vel scholares possunt bona, quæ prius habebant, distribuere, & ex Bulla Gregorij XIII. *Ascendente Domino.* vbi etiam ratio huius institutionis declarata est, præcipuè enim fuisse videtur, vt in recipiendis religiosis ad Societatem, nulla diuitiarum ratio, sed aptitudinis, & capacitatis personæ ad finem, & ministeria Societatis haberetur. Item, vt proximorũ perturbatio, quoad fieri posset, tolleretur; ac denique ne religio minus libera redderetur respectu religiosi, si opus esset punendi, aut dimittendi.

X. *Secundum in quo verificatur multifariam. In hoc secundo nonnihil discrepant Collegia à domibus professis.* Secundum caput est, quòd intuitu, vel occasione, seu speciali obligatione ad spiritualia opera redditus aut eleemosynas, nõ admittant. Huc spectat, quòd nec curam animarum, nec obligationes ad Missas celebrãdas, neque alia huiusmodi admittere possunt, vt dicitur 4. p. Constit. cap. 2. §. 4. & ratio additur. Quia hæc à studiis distrahere admodum, & ea quæ in illis ad diuinum obsequium quæruntur, impedire solent. Additur tamen in declaratione lit. B. limitatio de exiguis obligationibus, quæ nec curam animarum petũt & perexiguam distractionem, vel occupationem afferunt: nam hæc in Collegiis suscipi possunt, quamuis in domibus professis non possint; quia illæ non sunt capaces redditum sicut sunt Collegia, quæ proinde alia onera lectionum suscipere possunt; & ideo si hæc exigua onera alioqui ex parte distractionis, vel occupationis non impediant, nec fini, nec paupertati eorum repugnabunt. Propter eadem autem impedimenta vitanda in Ecclesiis Societatis, nec funera, seu funeralia stipendia, nec capellaniæ, anniuersaria, & similia possunt. Vnde Gregorius XIII. in sua Bulla 10. quæ incipit, *Salvatoris*, hinc rationem sumpsit concedendi priuilegium ædificandi intra Cannas, quia ex hoc multum ferè præiudicium in alios religiosos redundat: *eo quod propter diuersam functionum & institutionem Societas nec chori vsum habet, nec ad funerales exsequias accedit, nec defunctorum funera suscipit: nullas item Missarum vel sepulturas alias stipendia, nullas sepulturarum, vel capellaniarum fundationes, nullam denique prorsus eleemosynam, quæ ad quodvis ipsius Societatis ministerium, vel opus dirigi intelligatur, admittit.* In his ergo omnibus conueniunt Collegia cum Societate professa. Et eorum ratio ex dictis in cap. 7. petenda est: & vltra ibi dicta, omnia eo tendunt, vt scholares quietius posint suis literis, & profectui vacare. Ex eo item principio, quòd *Societas pro ministerijs spiritualibus stipendia non recipit*, fit vt non solùm in Ecclesiis domorum, verùm etiam Collegiorum, esse

Vide Congreg. 1 can. 8. & 10.

non possint arcæ publicè expositæ ad colligendas eleemosynas, vt statuitur in 6.p.Constit.c.2.§.8. vbi licèt videatur esse sermo de domibus professis, nam de illis in eo capite præcipuè agitur: tamen & praxis & totius Societatis sensus est, vt de omnibus intelligatur. Et ideo in canon.2.3.2. Congregationis absolutè dicitur: *Non sit arcula in nostris Ecclesiis pro eleemosynis accipiendis.* Et additur, *non solùm pro nobis.* quod omnino necessarium est: sed neque etiam pro aliis esse permittendam, propter omnem speciem auaritiæ vitandam, sicut etiam in Congregatione prima canon. 10. dictum fuerat non expedire in nostris Ecclesiis admitti capellanias, etiam pro clericis sæcularibus, quos nostri eligant, scilicet propter tollendam omnem occasionem, & speciem ambitionis, aut lucri. Et eadem ratione amputantur etiam à Collegiis omnes modi acquirendi aliquid intuitu spiritualium rerum, vel oblationum, quæ in Ecclesiis fieri solent, osculando reliquias, vel crucem, &c.de quibus videri potest in simili Corduba in expositione suæ regulæ cap.4.quæst.12.

XI. *4. Assr. explicans tertium.*

Tandem prohibentur Collegia etiam eleemosynas quascunque accipere, quando sufficientes habent redditus ad duodecim scholasticos alendos, præter præceptores, sub quibus illi etiam intelligi debent, qui ad regimen Collegij, & scholarum, & ad temporalia ministeria necessarij sunt: vt habetur 4.p.Const.c.2.§. vlt. Quia verò interdū potest expedire ad maius Dei obsequium, vel plures studentes alere, vel numerum præceptorum augere, vel aliquos etiam operarios pro spiritualibus ministeriis adiungere, ad excipiendas præsertim scholasticorum externorum confessiones, &c. ideo sæpe circa hoc esse potest extensio aliqua, vel declaratio necessaria, quæ Generali commissa est in 3. Congregatione can.7. Et præterea existimo obligationem illius constitutionis non excedere debitum perfectionis, nec per se esse ad culpam, quia non continet propriam materiam paupertatis, si receptio, vel petitio eleemosynæ ab ipso superiore, vel ex facultate eius fiat. Ipse autem si debitum ordinem in hoc excedat, aget quidem imperfectè contra regulam, non tamen contra votum. Et idem censeo de aliis consiliis, seu regulis, quæ in hac materia in Societate dantur, vt de modo petendi eleemosynas, vel illas impetrandi habetur p. 6. Const. c.2.§.10. & 2. Congregatione generali can. 22. illa enim omnia ad maiorem ædificationem spectant, non propriè ad paupertatis materiam, quanuis ad illam perfectius conseruandam conferre possint.

CAPVT XII.

Vtrùm ex voto obedientiæ obligari possint religiosi Societatis, in quacunque honesta materia.

I. *Quousque hic agendū de obedientia.*

DE voto obedientiæ, quantum spectat ad modum ipsius voti simplicis, vel solennis, nihil speciale hic dicendum occurrit, nam quæ dicta sunt in aliis votis, hic applicanda sunt. Solùm ergo superest, vt si ex parte materiæ huius voti, aliquid habeat Societas speciale præter illud, quod de statu religioso superiori tomo in genere dictum est, à nobis explicetur. Aduerto autem, hic non esse sermonem de speciali voto obedientiæ ad missiones, quod professi emittunt: de hoc enim infra lib. 6.cap.4. dicemus: sed solum de generali voto obedientiæ, in quo æquales sunt omnes religiosi Societatis, in quocunque gradu eius existant: & ideo licet de votis scholasticorum hic specialiter disseramus, de omnibus consequenter dicendum est, sicut de paupertate fecimus. Duo autem hic considerāda occurrunt, scilicet, quid in rigore possit cadere sub præceptum in hac materia, & quid sub consilio. Quæ duo licet omnibus religionibus generalia videantur, solum à nobis explicanda sunt, quatenus in Societate habent specialem determinationem aut vsum. Primum quidem in præsenti cap. Secundum verò in sequentibus vsque ad 15.

II. *Supposit. quid in hac materia.* *Societatis esse veram ac legitimam potestatem* *ostenditur.* *eam esse* *diuinam.*

Quoniam verò obligatio non potest ex præcepto oriri, nisi sit potestas in præcipiente: ideo in hac materia supponendum est primò, in prælatis Societatis esse veram ac legitimam potestatem præcipiendi subditis. Hoc satis constat ex tractatis in superioribus lib.1. cap.1. vbi ostensum est, hanc esse veram religionem à Summis Pontificibus approbatam; vera enim religio sine hac potestate consistere non potest, vt etiam tomo præcedenti tractatum est. Diximus etiam in prælato religionis duplicem esse potestatem, iuxta præsentem Ecclesiæ institutionem; Vna est dominatiua, quam acquirit prælatus ex vi professionis religiosæ, quatenus traditionem voto obedientiæ confirmatam includit. Nam licèt dominium illud immediatè pertineat ad totum corpus religionis, administratio autem, & vsus eius Superiori commissa sunt per electionem ipsius religionis, per quemcunque aliū legitimum modum constituendi aliquem in Superiorem in tali religione ordinatum, & per Sedem Apostolicam confirmatum. Alia potestas est iurisdictionis, quam habent Prælati religionis à Sede Apostolica, & per se est spiritualis virtute continēs etiam temporalem, quatenus includit potestatem iudiciariam & coërciuam.

III. *Vide Azor. lib 3.c.4.n.14. de pot. Prælat.* *Vide de voto paupert. n.11.*

Has ergo duas potestates habet etiam Societatis prælatus. De prima aliquid in superioribus diximus lib 3.c.4.n.14. cùm ostendimus Societatem acquirere verum, ac proprium ius in scholares, qui ei se tradunt per tria vota substantialia religionis. vnde à fortiori sequitur idem esse de professis, & de coadiutoribus. Deinde hæc potestas nascitur radicaliter ex ipsis subditis: requirit autem acceptationē authoritate Apostolica factam. Vtrumque autem in Societate interuenit: est ergo in ipsa Societate hoc dominium, quod ipsa per electionem trāsfert, quoad administrationem, in Præpositum Generalem, à quo ad alios superiores postea emanat. Nam cùm hic modus communicationis in constitutionibus Societatis à Sede Apostolica approbatis contineatur; etiam modus ille cōmunicandi hanc potestatem, confirmatus est, & consequenter est efficax, vt habeat effectum. De altera potestate iurisdictionis constat ex Bullis Pōtificiis, per quas hæc religio à iurisdictione omnium ordinariorum exempta est, & consequenter potestatem accepit ab ipso Summo Pontifice ad se gubernandum; ergo & competentem iurisdictionē immediatam, sine qua non posset conuenienter gubernari. Est autem hæc potestas primò & per se in ipso Generali, eo ipso quod ritè electus est, propter eandem rationem, quæ supra facta est. nam eo ipso quòd eligitur modo ab ipso Pontifice approbato, datur ei plena iurisdictio, ex voluntate eiusdem Pontificis, quamuis mediatè ipsa religione conferatur. Quæ omnia eadem proportione in Societate locum habent, qua in aliis religionibus, quatenus in communi ratione religionis conueniunt, & circa illā explicata suo loco sunt. Solùm in gradu, seu quantitate iurisdictionis, vel in modo obtinendi, seu applicandi illam, potest esse diuersitas, quæ ex propriis constitutionibus, & priuilegiis attendenda est, & infrà in lib. 10. tractādo de Superioribus Societatis, quid illi in hoc genere proprium sit, explicabimus.

IV.

Ex his ergo principiis colligitur, duplici titulo posse Prælatos Societatis sicut & aliarum religionum

Corollar. 1. Hanc potestatem vltra id obligandum sub culpa etiam duplici.

situm præcipere subditis sub culpa etiam graui pro materiæ qualitate; scilicet ex vi voti per potestatem dominatiuam, & ratione iurisdictionis quasi Episcopalis, quam in subditos habet: ex qua duplici ratione oritur obligatio duplicis etiam rationis. Ex priori enim oritur obligatio religionis; ex posteriori autem oritur obligatio obedientiæ, vel alicuius virtutis specialis, in qua actus præceptus ponitur ratione materiæ. An verò distinguēda sit tertia ratio obligationis pertinens ad iustitiam ratione traditionis, & dominij acquisiti ipsi religioni: item, an ex illa duplici ratione oriatur duplex culpa, seu malitia in transgressione religiosi nolentis obedire Prælato, præcedenti tomo de religione in communi tractatum est, & resolutio est, si Prælatus tota sua potestate vtatur, & materia sit capax vtriusque obligationis, transgressionem eius reuera duas malitias habere coniunctas, diuersis virtutibus contrarias, non oportere autem tres distinguere, quia illa obligatio, quæ oritur ex professione, ac voto obedientiæ, per modum vnius reputatur, eò quòd tam votum, quàm traditio principaliter Deo fiat.

V. Corolla 2. Potestatem dominatiuā hic solum spectare.

Secundò intelligitur ex dictis, ad præsentem disputationem non pertinere potestatem iurisdictionis, neque actum, aut obligationem ab illa procedentem, quia hic solum agimus de voto obediētiæ, & cōsequenter de potestate ad illius obligationem requisita: iurisdictio autem tota esse posset sine voto; & votum cum sua obligatione esse posset sine iurisdictione, sicut in Abbate sæculari exempto est iurisdictio quasi Episcopalis, ratione cuius subditi tenentur obedire præceptis eius, quamuis votum non habeant, & è conuerso congregatio verè religiosa posset esse sine iurisdictione, cum sola potestate dominatiua orta ex voto, & traditione, vt in superiori tomo dictū est; solùm possunt illa duo, quando sunt coniuncta, sese mutuò iuuare, vel augendo vinculum, vel quia vna interdū addit quod altera nō potest. Possunt etiam sibi adinuicem materiam tribuere, vt si votum obēdientiæ obliget ad seruandum præceptum ex iurisdictione positum, vel iurisdictio puniat transgressionem voti obedientiæ, vel per excommunicationem compellat ad illius executionem. Et hac ratione poterit hoc iurisdictio in Prælato Societatis ad plura extendi adiuncta tali statui, & tali voto obedientiæ, quàm in alio Prælato vel seculari, vel alterius religionis, quamuis formaliter, & secundùm se eiusdem rationis sit in vtroque superiore, id est, sufficiens ad omnia, quæ ad bonum spirituale subditi necessaria sunt, vel moraliter conuenientia, quæ materialiter in diuersis subditis variantur, iuxta exigentiam status, vel regulæ, aut aliarum obligationum. Igitur obedientia debita ratione huius iurisdictionis formaliter loquendo eiusdem rationis est ad Ecclesiasticos Prælatos, & ideo de illa nihil amplius dicendum hic est.

VI. Non quæritur an possit malum præcipi.

De propria ergo obedientia, quæ ad votum pertinet, dubium præcipuum est, quantum extendi in Societate posit, quoad rigorosam præcepti obligationem? id est, an in omni materia, & in quibuscunque actionibus, locū habeat? In quo non inquiritur de actionibus habentibus malitiam, vel rationem peccati adiunctam, nam per se constat, & suprà in 2. tomo ostensum est, has non posse cadere sub promissionem voti, cùm Deo displiceant, ac proinde nec sub votum obedientiæ. Item quia mādatum inferioris, id est, hominis, non potest obligare contra mandatum Superioris, nempe Dei. Nō inquirimus etiam quando hæc obligatio posit esse sub culpa mortali, aut veniali; hoc enim generale est, & ex eisdem principiis in hac religione, ex quibus in aliis definiendum, vt tomo superiori tractatum est: sed inquirimus an ex parte materiæ sit hæc obedientia generalis omnino, vel aliquam recipiat limitationem.

Nec item an possit bonum præcipi sub culpa, sed an possit præcipi grauiter.

In aliis enim religionibus recepta, & constans est doctrina D. Bernardi lib. de præcepto, & dispensatione, versus finem; & D. Thomæ 2. 2. q. 104. art. 5. ad 3. & quodlib. 10. art. 10. & in 2. d. 44. art. vlt. & ibi aliorum Theologorum, votum obedientiæ esse limitatum secundum regulam, secundùm quam religiosus obedire promittit, & si aliquid supra illam, vel omnino extra illam, id est, ad illam non conducens, ei præcipiatur, non tenetur obedire. In Societate autem non videtur habere locum hæc limitatio, vel si cum proportione in Societate sumatur, eo ipso excluditur omnis limitatio: quia in ipsamet regula Societatis, talis proponitur materia voti obedientiæ, quod in eo sit, vt non solùm ad generalem vitæ dispositionem (vt verbis D. Thomæ vtar) sed etiam ad quoscunque actus particulares ipsius religiosi, se extendat, qua nulla esse potest vniuersaliter materiæ amplitudo. Assumptum autem patet ex Constitutionibus, nam 3. p. cap. 1. §. 3. dicitur obediendum esse superiori, *licet dissimilia & secundùm sensualitatem repugnantia iubeat.* Et infrà dicitur, *in omnibus rebus vbi peccatum non cerneretur.* Quæ exceptio declarat, omnem actionem honestam sub materia huius voti comprehendi: & ita ibi concluditur, voluntatem Superioris pro regula propriæ voluntatis habendam esse: ergo hæc obedientia non limitatur per aliquam regulam scriptam, sed per regulam viuam, quæ est voluntas Superioris intra latitudinem materiæ honestæ. Idem sumitur ex 6. p. Constitutionum c. 1. §. 1. ibi. *Ita vt omnibus in rebus, ad quas potest cum charitate se obedientia extendere,* id est, *in quibus nullum est manifestum peccatum.* (vt ibi in declaratione explicatur) *ad eius* (id est, Superioris) *vocem, perinde ac si à Christo domino egrederetur, quandoquidem ipsius loco, ac pro ipsius amore, & reuerentia obedientiam præstamus, quàm promptissimi simus.* Tandem ex vno actu particulari declaratur, qui videtur ex difficillimis, qualis est missio ad Indos, vel ad quascunque mundi partes: ad hunc enim obligantur omnes, q sunt de Societate ex vi generalis voti obedientiæ: ergo à fortiori obligari poterunt ad quemcunque alium. Consequentia patet, quia qui potest præcipere quod maius est, poterit etiam minora. Antecedens verò sumitur ex 9. p. Constitutionum cap. 3. §. 9. vbi de Generali dicitur, *Mittere poterit omnes sibi subditos, siue professionem emiserint, siue non emiserint, quos mittendos iudicauerit, ad quaslibet mundi partes,* id est, (vt in declaratione exponitur) *inter fideles in Indicis, & inter infideles, vbi sunt aliqui incolæ Christiani, & etiam si nulli sint.* Additur præterea in Constit. *Ad quodvis tempus, vel definitum, vel ind finitum ad quamvis actionem,* &c. & alia multa in illo capite subiiciūtur, quæ indicant materiam huius voti esse amplissimam.

VII. Ratio dubitandi pro parte affirmatiua ex variis constitutionibus

In cōtrarium autem esse videtur; quia ex hac declaratione materiæ huius voti sequitur, posse religiosum Societatis sub rigore præcepti obligari ad quoscunque actus virtutis, etiam heroicos & extraordinarios, vt ad exponendam vitam manifesto periculo propter salutem alicuius proximi, vel ad ieiunandum aliquoties in pane, & aqua; vel sæpius in hebdomada per totam vitam, vel ad nunquam vtendum lineis vestibus, & similia, quæ in instituto nullo modo continentur. His enim, & similibus exemplis vtuntur auctores, vt in aliis religiosis declarent, qualiter nō posint extra regulam obligari, vt videre licet in Aluaro Pelagio lib. 2. de planctu Ecclesiæ, cap. 68. & Corduba lib. 3. de conscientia. q. 6. Si ergo votum obedientiæ in Societate in hoc differt ab aliis, quod ex parte materiæ nō habet limitationem, comprehendit ex se prædicta

VIII. Pro parte negatiua ratio prima.

omnia, & quæcunque alia maiora. Consequens autem videtur esse incredibile, tum quia est valde alienum hoc ab intētione vouentium, solum enim promittunt obedientiam iuxta hunc certum viuendi modum: tum etiam quia votum ipsum expresse fit secundum regulam vt de voto paupertatis diximus: tum præterea, quia iudicio omnium prudentum iniquè ageret Superior, qui hæc extraordinaria præciperet, quantumuis honesta, solum ad arbitrium suum, sine speciali causa legitima, ratione cuius illa pertineant ad finem, seu institutum Societatis.

IX. *Ratio secunda.* Secundò est apud nos peculiaris difficultas, in exemplo adducto de missionibus, nam si hoc votum obligat omnes ad obediendum in quibuscunque missionibus, nullius momenti esse videtur speciale votum obedientiæ ad Pontificem, quod professi Societatis emittunt: nam ex vi generalis voti obedientiæ iam ad id tenebantur. Secundum ergo votum nullam obligationem addit, neque extensiuam ex parte materiæ, quia materia prioris voti dicitur esse amplissima, neque extensiuam ex parte personarum, quibus obediendum est, quia si ex vi voti obedientiæ in genere, parendum est Præposito Generali hoc præcipienti: ergo & omnibus inferioribus prælatis, quibus ipse vices suas communicauerit; nam vtuntur eadem potestate, quia in hoc sensu fit obedientiæ votum: ergo à fortiori obligabit ad obediendum Pontifici idem præcipienti quia est supremus prælatus omnium, non solum quoad potestatem iurisdictionis, sed etiam quoad potestatem dominatiuam, & peculiarem circa religiosos: nulla ergo extensio maior intelligi potest in voto professorum. Neque etiam illud votum intensiuè magis obligat, quia vtraque est obligatio voti, in qua si cætera sint paria ex parte materiæ, non potest intelligi magis & minus per se loquendo: nec repetitio eiusdem voti auget obligationem, vt in superioribus visum est.

Vera resolutio propositæ quæstionis.

X. In hac re dicendum censeo, materiam quidem huius voti in Societate esse amplissimam: nihilominus tamen *in rigore præcepti* aliquam admittere regulam & limitationem, quamuis ex consilio sola illa spectanda sit, vt quod præcipitur non sit malum. Primam partem assertionis declarant priores rationes dubitandi, & magis explicabitur simul cum secunda. Illam verò declarandam censeo ex verbis B. P. N. Ignatij 9. p. Constit. c. 3. §. 20. vbi sic ait, *Generatim loquendo in rebus omnibus, quæ ad propositum Societatis finem: perfectionis, & auxilium proximorum ad gloriam Dei faciunt omnibus præcipere in obedientiæ virtute posse*, scilicet Præpositus Generalis. Potestas ergo præcipiendi limitatur ex fine, quem Societas sibi proposuit, & ad quem tendere profitentur omnes eius alumni. Meritoque hic finis pro regula assignatur: nam in omnibus moralibus rebus seu institutis finis est veluti primum principium ex quo reliqua deducenda sunt: ergo, quæ ad hunc finem necessaria vel conuenientia fuerint, rectè infra materiam huius voti comprehenduntur, vt præcipi possint quando expediens fuerit. Quæ verò sunt vel contraria huic fini, vel certè impertinentia ad illum, nō est cur sub materia illius voti comprehendantur, licèt aliàs bona sint: quia religiosi Societatis non profitentur facere quodlibet bonum, nec seruare quodlibet consilium, sed iuxta finem sibi præstitutum. Alia ergo præcipi non possunt, vt in prædicta constitutione significatur: ergo licèt præcipiantur, non tenentur religiosi ex voto obedientiæ in eis obedire.

Vnde sumendatur pars prior.

Posterior fundetur.

XI. Dices, nullus est actus honestus, qui ad prædictum finem perfectionis, & ad bonum proximorum conferre nō possit: ergo hæc limitatio nulla est sed potius ex illa sequitur, quod supra inferebamus: quoscunque actus excellentis virtutis pœnitentiæ, austeritatis, &c. posse ex vi huius voti præcipi, quia omnes possunt ad finem perfectionis conducere. Respondeo negando assumptum. Et primis quod attinet ad auxilium proximorum. clarum est, non omnes actiones virtutum esse ad hunc finem accommodatas, quia hic non agitur de auxilio interiori, vt sic dicam, quod per orationem, vel suffragium dari potest, nec de auxilio veluti indirecto, quale dici potest, quod datur per vitæ exemplum, sed de auxilio exteriori per se ac directè intento, quod non datur nisi per actiones exteriores quę circa ipsum proximum directè versantur. Non ergo omnes actus perfectionis sunt apti ad hunc finem, vt hoc titulo præcipi possint. Imò neque omnes actiones, quæ circa proximum versantur, sunt per se ordinatę ad illud auxilium præstandum. Nā redemptio captiuorum, v. g. optimus actus est circa proximum: per se autem nō ordinatur ad spirituale auxilium eius, sed ad libertatem personæ recuperandam, & alia similia exempla facile excogitari possunt de operibus quæ ordinantur, vel ad externam pacem, vel ad commodum Reipublicæ, nō verò per se ad spirituale bonum: vnde in prædicto c. 3. 9. partis Constit. §. 9. vbi declaratur potestas generalis ad mittendas quascunque personas ad quælibet loca, solum circa actiones ponitur limitatio, scilicet, *ad quānis actionem exis, quibus vti ad proximorum auxilium Societas solet, exercendam*: ergo ex vi illius constitutionis, non poterit quis mitti sub obligatione præcepti intra Turcas, v. g. ad peregrinandum solum, vt visitet loca Terræ sanctæ, vel ad tractandum negotia, seu ferendam legationem pertinentem ad alia commoda Reipublicæ, & non ad spiritualem profectum vel conuertionem animarum: quia illæ actiones non sunt ex illis, quibus Societas vti solet, & debet ad auxilium animarum. Loquor autem *de rigore præcepti*, quia de consilio nō est dubium, quin melius sit in his omnibus sine discrimine obedire. Obseruandum etiam est, quānis aliquæ ex his actionibus, proximè non videantur pertinere ad auxilium animarum, remotè tamen & per occasionem sæpe posse conferre, & fortasse hanc esse intentionem præcipientis, pro qua in dubio præsumendum est, quando oppositum non constiterit, & ideo non facile admittendam esse excusationem in Societate quoad huiusmodi missiones, maximè si sub rigorosa obligatione præcipiantur, quod rarò vel nunquam fit.

Obiectio de premium & remissio ad finem perfectionis.

Nota.

XII. *Solutio obiectionis.* Quod verò spectat ad actiones pertinentes ad propriam perfectionem, dicendum est etiam hunc finem propriæ perfectionis intendi à Societate per media suo adæquato fini proportionata, atque adeo aliquo modo cōtenta sub suo instituto, & regula: ideoque non omnes actiones quæ absolutè possunt charitatem, seu perfectionem augere, esse materiam proportionatam illius voti obedientiæ quod in Societate fit, ita vt virtute eius absolute præcipi possint. Hoc probant exempla superius adducta in n 8. & colligi potest ex 6. p. Const. c. 1. §. 1. vbi primò sic dicitur, *omnes constanti animo inuimus vt nihil perfectionis, quod diuina gratia conjequi possimus in absoluta omnium constitutionum observatione, nostrique instituti peculiari ratione adimplenda præmittamus.* Quibus verbis significatur rationem inquirendi propriam perfectionem esse debere huic instituto accommodatam: iuxta hanc ergo mensuram (quod ad præceptum attinet) sumendum est, quod ibi proximè subiungitur *Et exactissime omnes nostras virium nostrarū ad hanc virtutem obedientiæ imprimis Summo Pōtifici, deinde Superiorib. Societatis præstandā intendamus.* Et con-

XIII. *Confirmatur proximè dictorum,*

Et confirmatur hoc, quia maior potestas præcipiendi sub obligatione huius voti, nec Societati est necessaria ad finem suũ, neque vtilis; imò posset esse nociua propter periculum, & perturbationem, quę ex vsu eius oriri possunt: non est ergo verisimile dari Superioribus talem potestatem, vel ex intentione vouentium, vel ex intentione instituentium & approbantium institutum. Quod rectè potest declarari ex c.5.p.6. earũdem constitutionum, in quo B.P. Ignatius sapienter prouidit, & periculis & perfectioni suorum filiorum; & ideo duo dicit, vnum est, exoptare se, *vniuersas suas constitutiones, declarationes, & viuendi ordinem omnino iuxta nostrum institutum, nihil vlla in re declinando obseruari.* Aliud est, visum sibi nihilominus esse expedire, vt secluſis votorum obligationibus, nulla sit in Societatis constitutionib. aut quibuscũque ordinationibus obligatio ad culpam mortalem, vel venialem, vt laquei, & pericula euitentur: addit verò exceptionem, *Nisi superior in nomine Domini nostri Iesu Christi, vel in virtute obedientiæ iuberet*; & declarat hoc ipsum non sine magna causa faciendum esse, dicens, *quod in rebus vel personis illis, in quibus iudicabitur, quod ad particulare vniuscuiusque, vel ad vniuersale bonum multum conueniet fieri poterit.* Vbi si contextus rectè attendatur, potestas hæc cadit suprà *obseruantiam, constitutionem, declarationem, ac viuendi ordinem omnino iuxta nostrum institutũ.* Et circa hæc ipsa adiungitur illa circumspectio, & restrictio in vsu debito talis potestatis: ergo si quid est, quod sub illis capitibus nullo modo comprehendatur, reuera nõ est materia huius potestatis, vel rigorosi præcepti: quod ab illa manare possit.

B. Ignatius exactam in suo ordine obseruantiã & obligationem ad culpam extra nota nullam inducit.

XIV. *Ad rationẽ partis affirm. n.7.*

Neque cõtra hanc resolutionem obstant, quæ in principio dubitationis adducta sunt. Nã inprimis, locutiones illæ vniuersales intelligi possunt iuxta subiectam materiam, & iuxta illam limitari; scilicet hanc obedientiam extendi ad omnia, quæ ad finem huius instituti & obseruationem eius conducere possunt. Iuxta quam interpretationem, etiã habet locum illa amplatio, scilicet volũtatem superioris pro regula esse habendam, scilicet illius Superioris, qui verè, vt Superior Societatis, id est, in ordine ad finem, & institutum eius, regere vult, cuius volũtas non limitatur quidem per regulam scriptam; quia multa potest extra illam præscribere, prout ad finẽ suæ potestatis iudicauerit expedire, nunquam tamen omnino præcipit extra regulã; quia hoc ipsum in ipsis constitutionibus, de illius potestate declaratur: & suppolito fine, ac modo instituti erat moraliter necessarium. Atque hoc etiã satis est, vt subditus Societatis dicatur habere pro regula, voluntatem sui Superioris, quia finis, & institutum Societatis adeò vniuersalia sunt, vt omnes actiones hominis, quæ moraliter loquendo in vsum venire possunt, comprehẽdant. Denique hoc modo etiam habet locum illa exceptio actionis peccaminosæ: nã etiam in ordine ad finem, vel commodum Societatis posset intelligi excessus in præcipiendo actionẽ alias iustam. Aliter etiam dici potest, illas vniuersales locutiones, si absque vlla restrictione sumantur, comprehendere non tantùm ea, quæ possunt rigorosè præcipi, sed etiam ea, quæ ad probationem obedientiæ & maius quoddam exercitium possunt iniungi, quæ ordinariè pertinent ad consilium, non ad præceptum.

Voluntas superioris pro regula habenda, quis sensus.

Aliter responsio.

XV. *Ad primam rationem partis negantis in num. 8.*

Et ita etiam responsum est ad generalẽ obiectionem in contrarium factam; nam illa solùm probat posse hic adhiberi limitationem aliquam ex fine, & instituto Societatis? tamen quia hi termini totam ordinariam vitã hominis circunscribunt, non possunt ob eã causam excipi, nisi quædã præcepta valde extraordinaria, & aliena ab instituto Societatis, quæ magis possunt cogitatione fingi, quàm in vsum venire, & huiusmodi sunt aliqua ex his exẽplis, quę ibi afferuntur. Nõ verò sunt omnia sine distinctione admittenda. Cùm enim infertur, posse superiorem præcipere actionem, in qua vita manifesto periculo exponatur, propter salutem alicuius proximi, profectò id nullum incõueniens est, sed in multis occasionibus potest esse verum, præsertim in obedientia Societatis; nam materia illius obediẽtiæ non est aliena sed valde consentanea fini Societatis: & ideo etiam vbi charitas aliàs per se nõ obligaret, potest præceptum obedientiæ obligare, quando est vera necessitas in proximo, & aliunde non est clara inordinatio contra charitatem. Alia verò exempla faciliùs possunt admitti, quamuis in eis obseruandũ sit an ratio iustæ pœnæ, propter culpas cõmissas, vel ratio medicinæ moraliter conuenientis ad eas cauẽdas, interueniat. nam tunc Superior ius habet præcipiẽdi, & nõ excedit fines regulæ, aut instituti.

XVI. *Pro ratione in n.9. addita, dubium de obligatione ad Indos eundi, &c.*

Petitur autem in secunda obiectione pro eadem negante parte posita in n.9. An religiosi Societatis, qui quartum votum professorum non emiserunt, possint ex rigore præcepti obedientiæ obligari ad missiones difficiles, quales sunt inter Iudæos, vel alios infideles. Quidam enim auctores, qui de aliis religiosis hoc negant, idem, vt videtur, in religiosis Societatis sentirent. Præsertim verò hoc indicant Ludouicus Lopez in Instructorio conscientiæ p.1.c. 56. & Emanuel Rodrig. to.1. quæst. regul. q.19. art.7. vbi cùm de suis quisque religiosis hoc docuisset, cõfirmationem sumit; ex modo viuendi religiosorum nostræ Societatis. *Quibus* (inquit) *longinquas peregrinationes, valdeque difficiles sibi iniungendas à Prælatis, subiurospr fitentur, nec eas repudiaturos*; quo satis insinuatur, si eas non specialiter vouissent, tanquam nimis difficiles, refutare potuisse. Quod argumentum etiam procedit de omnibus religiosis Societatis, qui illud peculiare votum non emittunt.

Quid de aliis religiosis.

XVII. *Quid de reliquis Societatis pronuntiandũ.*

Quidquid verò sit de aliis religiosis (de quibus suprà in tom. præcedenti in genere satis dictum est, & vnusquisque poterit iuxta rationem sui instituti principia ibi posita ad se applicare) de nostris certũ reputamus, omnes veros religiosos Societatis posse in virtute sanctæ obedientiæ ad has missiones obligari, per se loquendo, & secluſis accidentalibus circumstantiis, quæ in particularibus casibus possunt excusare, quæ in præsentem considerationem non veniunt. Ratio præcipua est, quia hoc est satis expressum in constitutionibus Societatis, vt patet ex 9.p.c.3. §.9. Dices, ibi solùm dici, *mittere poterit*, &c. non verò dici, *præcipere poterit*. Sed hoc nihil obstat, tum quia non potest efficaciter mittere, nisi possit etiam præcipere: tum etiam, quia eodem modo dicitur posse mittere, sicut posse missos reuocare, vel officia distribuere. Cõstat autẽ posse ita distribuere officia, vt ex præcepto cogat vnumquemque, si necessarium fuerit, ad acceptandum officium sibi cõmissum. Item manifestum est posse præcipiendo reuocare quoscunque, & vbicunque existant: ita ergo potest mittere. Deinde est manifesta ratio, quia hæ missiones sunt valde necessariæ, & consentaneæ ad finem Societatis, non solùm quatenus à professis, sed etiam quatenus ab aliis sociis fieri possunt, imò interdum sunt adeò necessariæ, vt fine illis non possit Societas, aut suum finem assequi, aut conuenienter gubernari. ergo sunt materia præcepti respectu omnium, qui obedientiam religiosam in Societate vouerunt. Antecedens per se notum est ex dictis suprà in l.1. de instituto, & fine Societatis, & ex vsu ipso, & praxi. Consequentia etiam est manifesta ex proximè dictis circa expositionem huius voti, & ex dict. c.3.9.p. Constit. §.20. vbi generatim dicitur, *in rebus omnibus, quæ ad propositum Societatis finem perfectionis, & auxilij proximorum ad gloriam Dei faciunt, omnibus præcipere in obedientia virtute possit.* vbi duplex distributio notãda est, vna rerum; altera

altera personarum, nam sub priori hęc materia; sub posteriori verò hæ personæ manifestè comprehenduntur.

XVIII. *Completur reliqua dictarationis nn. 9.*

Neque hinc licet sumere argumentum ad omnes alias actiones, & peregrinationes, & licèt fortasse minus difficiles sint, quia regula huius materiæ nō est facilitas, vel difficultas; sed proportio (vt sic dicam) ad finem, & institutum Societatis, ratione cuius multa sub illo comprehenduntur, quæ difficillima sunt, non verò alia, licèt sint faciliora. Quid verò vltra hanc generalem obligationem addat proprium votum professorum Societatis, infrà suo loco videbimus lib. 6. c. 4. n. 16.

CAPVT XIII.

De consilio obedientiæ in Societate quantum ad perfectiones executionis.

I. *Non omnis exequutio obedientiæ est de præcepto.*

PRæter ea, quæ in obseruatione obedientiæ sunt de necessitate præcepti, possunt in illius vsu aliqua obseruari, quæ solùm pertinent ad consilium, etiam suppositio obedientiæ voto. Quæ quidē spectari possunt vel ex parte materiæ, vel ex parte modi. Prius membrum explicatum ferè est c. præced. nam declarando materiam necessariam, attingere oportuit etiam illam, quæ tantùm est sub consilio, seu pertinet ad melius esse. Regulæ etiam omnes, quæ sub reatu alicuius culpæ non obligant, ad hoc membrum reduci possunt, de quarum obseruantia & aliquali obligatione nihil speciale addendum occurrit his, quæ in genere de regularum obseruatione dicta sunt tract. 3. lib. 1. & explicando etiā consilium hoc circa modum obediendi, amplius declarabuntur omnia, quæ ad eam materiam spectant.

II. *Notantur tria pro titulo capitis tractanda.*

Ad explicandum autem optimū obediendi modum notandum est, in obseruatione cuiuscunque legis, seu præcepti, tria concurrere posse, ac debere, scilicet, executio eius, quod iussum est, volūtas exequendi, seu obseruandi rem præceptam, & iudiciū intellectus imperantis talem executionem & volūtatem. Quæ sumuntur ex D. Thoma 1. 2. q. 100. art. 9. quatenus ait, ad obseruationem legis necessariam esse, & operationem virtutis ex suo genere, & modum illum virtutis, qui in hoc consistit, quòd aliquis volens, & sciens operetur, iuxta Aristotelem 2. Ethic. c. 4. Hæc ergo tria in quacunque obedientia, & in modo obediēdi concurrunt, & aliquid potest in eis considerari pertinens ad substantiam, vel vt ita dicam, ad necessarium modum obediendi, alia verò solùm ad modum meliorem: & hæc propriè dicuntur in præsenti cadere sub consilium obedientiæ.

III. *Executio quoad substantiam obligatoria est.*

Et in primis de executione eius, quod præcipitur, manifestum est in ea consistere substantiam, vt sic dicam, actualis obedientiæ: per illud enim substantialiter obseruatur præceptum, quod est propria eius materia, ad quam directè obligat: huiusmodi autē est ipsa executio operis, seu actionis iunctæ, sub qua cōprehendimus omissionem, quādo de illa est prohibitio. Præter ipsam verò executionem quoad substantiam eius, possunt in ea considerari aliqua pertinentia ad modum illius, quæ ex variis locis nostrarum constitutionum desumuntur. Primū est, vt hæc executio non solùm exhibeatur in rebus obligatoriis, sed etiam in aliis. Et ad idem spectat, vt nullo expectato præcepto, sed quocunque signo voluntatis Superioris percepto, statim executio subsequatur 6. p. Constit. c. 1. §. 1. & cōsonat D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. ad 3. vbi de religiosis inquit, teneri ex voto ad obedientiam regularē, id est, in his, quæ ad regularem conuersationē pertinent: pertinere autem ad cumulum perfectionis, etiam in aliis honestis obedire; & ita distinguit duplicem obediētiam, aliam sufficientem, & aliā perfectam scilicet ex parte rerum, in quibus obediendum censetur: illa enim perfecta est, quæ vniuersalis est, nihilque excepit, nisi quod displicet Deo; & hanc obedientiam sæpius commēdat Basilius, præsertim regula 114. ex breuioribus, & 137. 138. & in 120. sic ait de persona religiosa. *In vniuersum quod quis sui iuris esse velit, culpabile est.* multa etiam similia habet in Constitutionibus monast. c. 20. & 23. & sæpè alias: in art. autem 2. ita dixerat idem D. Thom. *Tanto videtur obedientia promptior, quanto expressum præceptū obediendo præuenit, voluntate tamen superioris intellecta;* sentit ergo hunc modum pertinere ad consiliū perfectionis obedientiæ. Idem docuit Bonau. de Processu religionis, c. 28. vbi inter alia inquit, *Bonus obediens aliud non spectat, vbi de Superioris sibi constituti voluntate.*

Prima perfectio executionis de consilio.

Alia conditio huius executionis, vt optimè fiat, est celeritas & promptitudo: & hæc eodem §. 1. postulatur, cum illa exaggeratione, vt litera inchoata relinquatur: quam ad literam obseruatam esse ab antiquis religiosis, refert Cassianus lib. 4. de Institutis renuntiantium, cap. 12. dicens, *Itaque considentes intra cubilia sua, & operam mediationi pariter intendentes, cum sonitu pulsantis ostium, aut diuersorum cellulas percutientis audierint, ad orationem eos scilicet, seu ad opus aliquod inuitantis, certatim è cubilibus suis vnusquisque prorumpit, ira vt quisque scriptoris exercet, quam repertus fuerit inchoasse literam figere non audeat, sed in eodem puncto quo ad aures eius sonitus pulsantis aduenerit, summa velocitate prosiliens ne tantum quidem mora interponat, quantum cepti apicis consummet effigiem, sed imperfectam lineam literæ relinquens, non tam operis compendia, lucue sectetur, quam obedientiæ virtutem exiguo toto studio, atque emulatione festimet.* Huic consonat quod Basilius respondit in regula 166. ex breuioribus, vbi cum quæritum esset, qua promptitudine obediendum sit, quoad mandati executionem, respondet, *nihilo minore quā quanta paruulus vehementer esuriens vocantis se ad nutrimentum nutricis auscultat; & quilibet, cui chara vita sit et qui sibi, quæ ad viuendum necessaria sunt, largiatur,* &c. & in constit. monast. c. 18. *Potestatem* (ait) *suiipsius, vt ad pectum quidem temporis habere monachus debet.* Et deinde comparat illum instrumento artificis, quod, deficiente impetu artificis, amplius non mouetur. Et regula 28. ex fusioribus, multa dicit idem Basilius in eum, qui ad exequendam obedientiam *cunctatur dum accedit, & lentescens.* de hac etiam perfectione obediētiæ videri potest Bonauentura in speculo disciplinæ 1. p. c. 4. vbi inter alia ait, *Perfecta obedientia sua imperfecta relinquit.*

V. *Tertia perfectio.*

Alia conditio ad hanc perfectionem necessaria est, vt nulla ante executionem adhibeatur excusatio, quæ expresse habetur 3. p. Constit. cap. 1. vbi inter alia dicitur, *sine excusationibus & obmurmurationibus obediant, li et difficilia, & secundum sensualitatem repugnantia iubeat.* Et in 7. p. c. 1. specialiter de voto ad Pontificem dicitur, *Sine vlla excusatione se Societati astrinxit.* Circa hanc autem conditionem distinguendum de excusatione est. nam interdum potest esse contra substantiam ipsius voti, quando adhibetur præceptum & excusatio, vel est contra id quod promissum est, vel non est vera, sed ficta, aut colorata: vt si quis cum iubetur misionem obire, excusetur solùm quia non datur viaticum, quod repugnat promissioni factæ: & ideo si id faciat animo non eundi, nisi detur, grauiter contra obedientiam delinquet: si autem solùm ad extorquendum aliquid id faciat, circa modum imperfectus erit. Qui autem falsam causam excusationis allegat, licèt defacto à Superiore excusatur ab excusatione obedientiæ: coram Deo non excusatur à transgressione culpabili: quia ex quo illi præceptum fuit impositum, contra illud delinquit, si sine vera & iusta causa excusa-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

excusatur. At verò vbi nondum præceptum interpositum fuit, sed simplex obedientia, seu significatio voluntatis Superioris, in tali excusatione poterit esse culpa mendacij; contra obedientiam verò solum est magna imperfectio, & retardatio reprehensione digna circa votum obedientiæ. Atque idem est quoties excusatio non ex ratione, sed ex affectione aliqua inordinata procedit: nam si vera ratio impediens interueniat, vel saltem talis existimetur, aut probabiliter de ea dubitetur, nulla erit imperfectio, quòd ea Superiori proponatur, vt in speciali epistola de hac materia, in n. 19. B.P.N. Ignatius latiùs explicauit, & vtrunque docuit D. Basilius in regula 119. ex breuioribus, vbi primò exaggerat, quantum ab obedientia deficiat, *qui quod sibi assignatum est, recusat, & aliud ab eo diuersum exquirit.* In fine verò subiungit, *Verum enim si causam te habere aliquam putas, quamobrem opus recusses, hanc Magistris indicato, eamque illis disceptandam relinquito.* Quam causam veram esse oportet, ne ei dicatur, *Qui fingit laborem in præcepto*, vt idem Basilius dixit reg. 152. ex eisdem breuioribus. Denique ad hunc etiam perfectũ modum spectat, quòd obedientia sit integra, fortis, id est, constans, & cum debita perseuerantia, vt in eisdem locis constitutionum dicitur, imò hæc quodammodo seu ex parte pertinent ad substantiam executionis, ne pars aliqua illi desit, & mutila sit. Et ita sub hac conditione plures aliæ continentur, quas luculenter describit Bonauent. loco statim citando.

Posse Deum alia huic tentia annexa.

CAPVT XIV.

De perfectionibus consilii obedientiæ ex parte voluntatis.

I. *Mens nit huius conditionis S. Ignatius, & Bonau.*

CIrca secundum propositum in 2. de voluntate B.P. Ignatius in sua epistola de obedientia, ita exaggerat huius conditionis necessitatem, vt dicat in num. 5. *infirmam & valde imperfectam esse primam illam obedientiæ formam, quæ mandata duntaxat opere exequitur, nec virtutis nomine dignam, nisi ad alterum gradum ascendat, qui voluntatem Superioris suam faciat, & cum ea ita concordet, vt non solùm in effectu executio appareat, verumetiam in affectu consensio, sicque idem velit vterque, idem nolit.* D. etiam Bonauentura in Opusc. octo collationum collat. 3. quædam refert Augustini verba, quibus hæc conditio, simul cum præcedenti, optimè declaratur, *Vt obedientia*, inquit, *religiosi Deo sit acceptabilis debet esse prompta, sine dilatione; deuota sine dedignatione, voluntaria sine contradictione; simplex sine discussione, perseuerans sine cessatione; ordinata sine deuiatione; iucunda sine turbatione; strenua sine pusillanimitate; vniuersalis sine exceptione.* In quibus verbis tres dictæ conditiones cap. præcedenti num. 2. positæ continentur: nam quòd obedientia sit sine discussione ad iudicium spectat; quod autem sit deuota, voluntaria, iucunda ad voluntatem pertinet; reliqua, perfectã executionem continent, quamuis non possint à voluntate separari.

II. *Pronunt. Aliqua voluntas est de substantia obedientia.*

Est igitur aduertendum primò voluntatem aliquam necessariam esse ad substantiam obedientiæ, aliquam verò ad perfectionem. Cùm enim obediẽtia dicat moralem actum, & humanum, ac de se studiosum, repugnat esse sine voluntate, à qua omnis actus hominis proximè habet, quòd moralis, & humanus sit. Imò cùm duo possint in actu obediẽtiæ distingui, scilicet, & substantia ipsius actus, vt, v.g. quòd sit oratio, vel ieiunium, & ordo ad voluntatem superioris, scilicet, quòd præceptus sit ad substantiam obedientiæ, non satis est quòd talis actus à voluntate procedat quoad substantiam suã: sed etiam quatenus subsit Superioris voluntati. Si quis enim voluntariè oret, aut ieiunet ignorans, vel omnino non attendens illud esse à Superiore iniunctum, non potest dici propriè obedire; licet materialiter faciat, quod iniunctum est. Sicut qui voluntariè audit Missam ex sua deuotione, ignorãs esse diem festum, propriè non implet præceptum Ecclesiæ, licèt illud nõ violet. Ratio autem est, quia non ex propria intentione, & voluntate paret præcepto, sed casu contingit, vt voluntas eius cũ præcepto concurrat, & ita faciat quod aliàs præceptũ erat: nam quantum erat ex dispositione operantis, non magis ferebatur ad obseruationem præcepti, quàm ad non obseruationem, necesse est ergo vt voluntas aliquo modo feratur in actum, quatenus cadit sub voluntatem Superioris, aliàs dici non poterit obedientia presse ac propriè etiam quoad executionem.

III. *Notatio duplicis actus voluntatis pro 2 pronunt.*

Est autem vlterius obseruandum, duobus modis posse voluntatem ferri in actum, *quatenus* à Superiore iniũctum. Primò, vt in obiectum materiale tantùm, ita vt illud *quatenus* solùm designet rem, in quam fertur voluntas secundùm propriam rationem eius, quæ solet appellari à Philosophis *ratio formalis quæ*. Secundò vt in proprium motiuum, seu obiectum formale, propter quod voluntas fertur in talem actum, ita vt illud *quatenus* reduplicet rationem formalem, sub qua obiecti talis actus. Alter ergo ex his modis necessarius est ad moralem obedientiam, vt probat ratio paulo antè facta, & ex illis prior sufficit ad satisfaciendum præcepto obedientiæ; ita vt contra illud non peccetur. Posterior autem necessarius erit ad exercendum proprium, & specificum actum virtutis obedientiæ. Ita pronuntiat D. Thom. 2. 2. quæst. 104. art. 2. ad 1. ibi, *Si obedientia propriè accipiatur, secundum quod importat per intentionem formalem rationem præcepti, erit specialis virtus, & inobedientia peccatum speciale: secundum hoc enim ad obedientiam requiritur, quod impleat aliquem actum iustitiæ, vel alterius virtutis, intendens implere præceptum, & ad inobedientiam requiritur, quod actualiter contemnat speciale præceptum. Si verò obedientia large accipiatur pro executione cuiuscunque, quod potest cadere sub præceptum, & inobedientia pro omissione eiusdem ex quacunque intentione, sic obedientia erit generalis virtus, & inobedientia generale peccatum.* Ratio autem prioris partis est, quia cùm lex, vel Superior aliquid præcipit, non iungit, vt id fiat formaliter, quia præceptum est, ita vt totum hoc sit materia præcepti, sed solùm iniungit talem actum: ergo ad præceptum implendum sufficit voluntariè illud facere, quamuis non fiat ex illo motiuo. Ratio verò posterioris partis est, quia in omni virtute, ad eliciendum proprium, & internum actum specificum eius, necessarium est operari ex proprio motiuo eius, & ob eius honestatem, iuxta doctrinam Aristotelis 2. Ethic. cap. 4. vbi ait tunc aliquem operari iustè, quando operatur *sciens, & eligens propter ipsa*; ergo vt quis operetur actum proprium & specificum obedientiæ, necesse est vt velit ob ipsam, id est, propter formale motiuum obedientiæ; sed hoc motiuũ est facere aliquid quia præceptum est: ergo, &c.

2. *Pronunt. Prior actus sufficit ne violetur obedientia; posterior requiritur ad eius speciem.*

IV. *Obiectio contra primam partem huius secundi pronuntiati.*

Sed obiicitur contra priorem partem pronunciati, quia vt religiosus committat specialem malitiam contra obedientiam, non est necesse, vt ex speciali contemptu præcepti actum omittat, sed satis est, quòd voluntariè omittat ex quocunque motiuo: ergo è contrario, vt impleat obedientiæ præceptum, necesse est vt formaliter velit Superiori obedire ex motiuo obedientiæ. Antecedens declaratur ex differentia inter obligationem legis, & imperij Prælati religionis: nam lex obligat, constituendo actum in aliqua specie virtutis, iuxta exigentiam materiæ, v.g. ieiunij, aut misericordiæ; & ideo transgressor talis legis non committit formalem inobedientiam, secluso formali contẽptu, sed intem-

intemperantiam, vel quid simile. Præceptum autē prælati religionis non ponit actum in peculiari specie virtutis (loquor enim de præcepto, quod non ex propria iurisdictione, sed ex potestate dominatiua prouenit, & ideo violatio eius per se non continet malitiam contra aliam virtutem, sed solùm contra obedientiam ex quocunque motiuo fiant. Et de his posset verificari, quod in dicta solutione ad 1. D. Thom. ait, *Quædam sub obedientia, seu sub præcepto cadere, quæ ad nullam aliam virtutem pertinent*: circa quæ verba laborat ibi Caietanus. Et hinc probari potest prima consequentia; quia quoties præceptum ita ponit actum in specie alicuius virtutis; vt contra illam peccetur, quacunque ratione omittatur, non impletur illud præceptum, nisi per proprium, & formalem actum illius virtutis, vt præceptum ieiunij per actum temperantiæ, &c. quia sicut *malum ex quocunque defectu*, ita *bonum ex integra causa*: ergo licet aliæ leges impleantur per actus virtutum in quibus actus præceptos reponunt; præceptum obedientiæ religiosæ non impletur, nisi per formalem obedientiam, quia solùm intra hāc virtutem constituit actum præceptum. E contrario verò obiici potest contra posteriorem eiusdē pronunciati partem, nam si illa vera esset, sequeretur religiosum nunquam posse exercere proprium, & formalem actum obedientiæ, nisi vbi interuenit proprium præceptum superioris: consequens est falsum: & contra communem vsum religionum, in quibus ordinariè inferiores ex obedientia mouentur ad operandum, quamuis superiores propria præcepta non imponant, sed simplicem voluntatem indicent.

Principalis consequentia obiectioni suadetur.

Obiectio cōtra secundā partem.

V. *Quid dicendum ad antecedens prioris obiectionis.*

Ad priorem obiectionem, dato antecedente, negatur consequentia: oportet tamen antecedens cōuenienter explicari: nam cùm religiosus transgreditur præceptum obedientiæ (considerando illud, vt dixi, quatenus est præcisè à potestate dominatiua secluſa iurisdictione) non peccat quidem per se loquendo contra specialem virtutem, ad quam ex parte materiæ pertinet talis actus; vt v. g. contra temperantiam, si frangat ieiunium, & quoad hoc est simpliciter verum illud antecedens, & differentia assignata ob rationem ibidem indicatam: quia constituere actum in speciali materia virtutis est proprium potestatis iurisdictionis. Nihilominus tamen illa transgressio non est propriè contra specialem virtutem obedientiæ, sed est contra votum obedientiæ, in quo sensu concedimus illud antecedens, propriè autem, & specificè est contra virtutē religionis, ita vt, secluso actuali contemptu præcepti, non fit formalis inobedientia, sed sacrilegium quoddam. Sic enim habere proprium, dicitur esse contra paupertatem, non quia sit contra aliquam specialem virtutem paupertatis, quia nulla est: sed quia est contra votum paupertatis, & ita peccatum illud proximè est contra religionem. Similis ergo est in præsenti ratio, quia superior, cùm præcipit, nihil aliud facit, quàm exigere à subdito debitum suæ promissionis, quam Deò fecit per obedientiæ votum, & ideo tunc non obedire, proximè est peccatum non implendi votum; est ergo sacrilegium secundùm propriam speciem, materialiter autem est inobedientia, tum ratione generali, quia omne peccatum est quædam inobedientia, vt D. Thomas dixit, tum ratione speciali, quia eius materia est quædam inobedientia.

VI. *Quid ad cōsequentiam respondendum.*

Ex quo facile constat, quomodo consequentia valida non fit, si cōsequens intelligatur de proprio motiuo obedientiæ, nam satis est velle obedire ad implendum promissum. Imò addo præterea ad satisfaciendum obligationi voti obedientiæ, non esse necessarium formaliter obedire ex motiuo religionis, seu voti implendi. Nam licèt quis faciat quod promisit ex motiuo extrinseco timoris, vel amoris, aut spe præmij, vel ex affectu ad propriam virtutem, ad quam secundùm se pertinet actus præceptus, scilicet temperantiæ, &c. id satis est ad implendum votum obedientiæ; quia per illud non promittimus obedire sub hoc vel illo motiuo, sed simpliciter obedire: quod, seruata proportione, idē est in quocunque voto. Addo denique, propositionem ibi assumptam, *quando transgressio præcepti est contra aliquam virtutem, obseruationem talis præcepti non fieri per actum illius virtutis*, non esse veram de actu formali, & proprio, elicito à tali virtute, sed solùm de actu materiali, & externo, qui ex genere suo pertineat ad talem virtutem. Ita enim præceptum ieiunij impletur per abstinentiam, quæ ex genere suo pertinet ad temperantiam, etiamsi ab operante nō fiat ex affectu ad temperantiam: imò neque cum honestate temperantiæ, potest enim lex humana impleri per actum ex se bonum, non benè factum: & idem in præsenti dicendum censeo de obseruatione voti obedientiæ, quantum spectat ad rigorem præcepti, & vt non committatur culpa contra hoc votum; sufficit enim voluntas implendi quod iubetur, etiamsi alioqui voluntas illa sit ex quocunque imperfecto motiuo, vel etiam peccaminoso, quia res promissa soluitur, & id satis est ad votum, vt ex proprio tractatu de voto in communi constat.

VII. *Ad secundum principium principalis.*

Ad posteriorem obiectionem distingui potest consequens ibi allatum scilicet, *non fit actus religiosus formalem actum obedientiæ: nisi vbi interuenit proprium præceptum superioris*: nam potest hoc intelligi de actu obedientiæ, id est, voti obedientiæ, vel de actu obedientiæ, id est, specialis virtutis obedientiæ. In priori sensu facile concedi potest sequela, qua vbi non interuenit obligatio voti, non potest actus habere illam peculiarem honestatem, quæ est in obseruatione voti. Quia hæc duo correlatiua sunt, & non potest vnum sine alio poni. Dices, qui vouet ingredi religionem intra annum si statim ingrediatur, facit actum voti, & implet illud, quamuis nondum obligaretur. Respondeo implere quidem votum quoad substantiam actus: quia quoad illam immediatè obligabatur per tale votum: licet nondū obligaretur, quoad circunstantiam temporis, quod homo in eo casu voluntariè anticipat. At verò in præsenti votum obedientiæ per se, & immediatè ad nullum actum obligat, etiam quoad substantiā eius, sed solùm mediante præcepto superioris, quia solùm obligat ad obediendum illi; & ideo donec ponatur tale præceptum, non habet locum vsus talis voti. Neque hic habet locum anticipatio, per quam dici potest religiosus præuenire præceptum, contentus sola voluntate superioris, quia hæc anticipatio nō solùm excludit temporis circunstantiā, vt in exemplo adducto, sed etiam excludit substantialem materiam voti, & ideo nō admittit propriū actum voti in exercitio, seu effectu, vt sic dicam; quamuis in affectu, & præparatione animi in eo actu ostendatur voluntas promptissima ad obseruationem voti, si eius materia poneretur.

VIII.

Dices. Cur non potest intelligi sub materia huius voti non solùm præceptum, sed quamcunque voluntatem superioris cōprehendi, ita vt promissio non tantùm fit de obseruando præcepto, sed etiam de exequenda voluntate superioris, quocunque modo innotescat? Respondeo primò, id constare ex communi vsu, & institutione religionum, cui accommodatur intentio vouentium. Secundò, quia illud inuoluit repugnantiam: nam cōtra præceptum distinguimus illam voluntatem superioris, quæ nō inducit rigorosam obligationem: si autem executio huius voluntatis etiam esset sub voto comprehensa, necessariò induceret obligationem, quia

quia applicaret sufficientem materiam voti, inuoluitur ergo repugnantia. Ratio autem à priori est, quia licèt obligatio ad obediendũ fieret in voluntate vouentis: illi tamen secundùm se est solùm cõditionata, scilicet si superior voluerit: & ideo quòd talis obligatio transeat in absolutam, seu actu exerceatur, pendet ex voluntate superioris: quandiu ergo ipse non vult obligare, votum non potest obligare: quandiu autem non præcipit, non vult obligare, ergo repugnat, vt ex illa voluntate superioris, quæ præceptum excludit, oriatur obligatio voti, quia non impletur eius conditio: nec potuit subditus velle se obligare etiam cum sola illa voluntate; alioqui vellet obligari etiam quando superior non vult eum obligare, quod repugnat ipsi voto obedientiæ. Quocirca si ponamus (hoc enim non repugnat) aliquem promittere Deo facere hoc, vel illud, si alius voluerit, quamuis voluntas eius non sit præcipiens, sed tantùm consentiens, aut desiderans, illud, non esse votum obedientiæ, sed esset votum talis materiæ, sub tali conditione; votum ergo obedientiæ habet pro materia præceptum alterius: & ideo quandiu illud non imponitur, propriè exerceri non potest, nisi tantùm in affectu, & præparatione animi, vt explicaui.

IX. Quòd si quis tandem obijciat, si hoc ita est, vtiliùs esse religiosis, cùm per proprium præceptũ imperantur, quia tunc operabuntur ex voto, quod est magis meritorium. Respondetur primùm id non expedire propter periculũ lapsus. Deinde illud meritum suppleri posse per voluntatẽ obedientis, tum propter magis liberam, & spontaneam voluntatem, quæ ostenditur præueniendo præceptum, tum propter intentionem, & præparationem animi ad idem libentiùs exequendum, si adiungeretur præceptũ, tum deniq; quia etiam hoc genus obedientiæ potest fieri ex religione in cultum Dei: imò etiam ex intẽtione operantis referri potest ad obseruationem voti, atque ita eius honestatem participare, quatenus in his etiam non præceptis obedire vult, vt longissimè distet à transgressione voti; & ad eius perfectissimam obseruantiam assuescat.

X. *Circa alterũ sensum indicatum in n. 7. an requiratur præceptũ vel sufficiat simplex voluntas ad obedientiã.*

At verò si sermo sit de actu formali, & proprio virtutis specialis obedientiæ, difficultas non parua est, an ad illum requiratur ex parte obiecti proprium præceptum superioris; vel sufficiat simplex voluntas significans subdito quocunque modo. In qua Caietanus 2.2. quæst. 104. art. 2. pro certo supponit, obiectum obedientiæ includere præceptum aliquod, & inquirit an sit necessarium præceptum obligans ad mortale, vel sufficiat generatim: & resoluit sufficere quodcunq; præceptum inducens obligationem sub quacunque culpa, etiam veniali. Quod rectè probat, quia etiam materia minima est capax obedientiæ, & inobedientiæ; quia est capax præcepti generatim sumpti; etiamsi præceptum illius per se non obliget ad mortale. Quod autem aliquod præceptũ necessarium sit solùm probat Caietanus, *quia obedientiæ actus proprius est facere vel omittere aliquid, vt superioris voluntatem sibi notam impleat*; quasi supponens notificationem voluntatis superioris semper habere vim præcepti obligantis saltem sub veniali. Quod videtur etiam indicare D. Thom. ibi in corpor. dum ait, *obedientia est specialis virtus, & eius obiectum est præceptum tacitum, vel expressum: voluntas enim superioris quocunque modo innotescat, est quoddam tacitum præceptum.* Et in solut. ad 2. idem repetit, scilicet obiectum obedientiæ esse præceptum superioris expressum, vel interpretatiuum: quid autem per interpretatiuum intelligat, declarat, dicens, *scilicet simplex verbum prælati eius indicans voluntatem, cui obedit promptus obediens, secundùm illud ad Titum 3. Dicto obedire.* Et potest confirmari hæc sententia primò ex eodẽ Caietano; quia vbicunque potest versari obedientia formalis ex intentione operantis, potest intercedere inobedientia, vel formalis, ex contemptu: vel materialis, ex quacunque voluntaria commissione, vel omissione; quia opposita versantur circa idem: sed inobedientia non habet locum nisi vbi interuenit præceptũ; tum quia inobedientia dicit vitium, seu peccatum, quod sine præcepto intelligi non potest: tum etiam quia si superior nullum graue, aut leue imponat, licèt subditus nõ faciat eius voluntatẽ, nõ peccabit venialiter per se loquendo, & licèt illã contemnat, nõ peccabit mortaliter: non est ergo inobediens. Confirmatur secundò ex dictis, nam secluso præcepto, non datur actus voti obedientiæ, id est, contentus sub illa promissione: ergo nec dari potest actus formalis virtutis obedientiæ. Patet consequentia, quia votum obedientiæ, vt nomen eius præ se fert, habet pro materia virtutem obedientiæ: ergo seruant eandem proportionem respectu præcepti superioris.

Cõtra hanc verò sententiam obstat primò, quia XI. voluntas superioris indicata inferiori, est sufficiens obiectum formalis actus obedientiæ, & illa non semper habet vim præcepti, siue taciti, siue expressi, nec per se obligantis ad mortale, aut ad veniale: ergo. Explicatur minor, quia in ea videtur cõsistere difficultas. Nam ad præceptũ nec necessarium est, nec sufficit, vt superior velit aliquid fieri à subdito: non est quidem necessarium, quia Deus præcipit sine hac voluntate, neque etiam sufficit, quia multa vult Deus fieri ab homine, quæ non præcipit; & inter homines id videtur manifestum: nam interdũ superior desiderat, & petit à subdito vt aliquid faciat, non solùm sine vllo præcepto, sed etiam directè explicando se nolle obligationem imponere: voluntas ergo necessaria ad præceptũ, siue expressum, siue tacitum, est voluntas obligandi subditũ, præter quam intelligi potest in superiore voluntas ordinans, seu mouens subditum ad hoc, vel illud faciendum, nulla imposita obligatione: significatio ergo huius voluntatis non est præceptũ expressum, vel tacitum, neque inducit obligationem sub mortali, aut veniali peccato, quod erat in minori subsumptum. Quòd autem hæc voluntas superioris sit sufficiens obiectum formalis actus obedientiæ, patet, quia voluntas faciendi, quod superior ita vult fieri, præcisè ex hoc motiuo, subjiciendi propriam voluntatem voluntati illius, etiamsi non intercedat obligatio præcepti, est honesta, habetque aliquam specialem rationem virtutis ex illo speciali motiuo, & non aliam nisi obedientiæ: ergo.

Et confirmatur ex communi praxi religionum, in XII. quibus regulæ, & statuta sæpe non obligant ad vllam culpam mortalem, aut venialem, vt in Societate declaratum est p. 6. Constitutionum cap. 5. Et similiter simplex iussio superioris nõ censetur obligationem ad culpam includere, nisi addat, *in virtute obedientiæ*, vel quid simile: & nihilominus in obseruatione talium regularum, constitutionum, aut iussionũ, censetur exerceri obedientia, vel materialiter, si res ipsæ simpliciter fiant, vel etiam formaliter, si ex prædicta intentione fiant, & transgressores illarum censentur inobedientes, saltẽ quoad carentiam perfectionis obedientiæ, quam secundùm suum statũ profiteri debent: ergo signum est, obiectum illud esse sufficiens, non tantùm ad formalem actum, sed etiam ad perfectum actum obedientiæ. Denique declaratur, quia si mihi reuelaretur Deũ efficaciter velle me aliquid facere, etiamsi nolit obligationem imponere, optimus actus obediẽtiæ in me esset, velle id quod Deus vult à me fieri, solùm quia ipse vult, quia respicit eius voluntatem mihi superiorem, & tanquam regulam meæ voluntatis, quod formalissimè spectat ad obedientiam. ergo idem cum proportione erit respectu vo-

luntatis prælati; quia etiam illam respicio vt mihi superiorem, & vt regulam meæ voluntatis tenentē locum diuinæ voluntatis. Atque hic posterior dicendi modus confirmari potest ex Chrysost. hom. 59. & 74. in Ioann. quatenus dicit, obedientiam Christi non fuisse ad proprium præceptum, sed ad simplicem voluntatem Patris, quam nomine mandati latè sumpti intelligit significari, vt latius tractaui in 1. tom. 3. p. disp. 43. sect. 1. & 3.

XIII. *Conciliatio dictarum opinionum, quæ non satisfacit.*

Possumus ergo hos duos dicendi modos ita conciliare, vt dicamus obedientiam in omni rigore, & propriè tate sumptâ habere etiam pro obiecto præceptū rigorosè etiam acceptum: obedientiā autem latiùs sumptam non tantùm præceptum, sed etiam simplicem voluntatem superioris respicere; sed hæc vocis distinctio rem non declarat, quid enim comprehendit obedientia in illa latitudine sumpta, act? ne diuersarum virtutum, an vnius, quæ specialis obedientia appellatur? Si primum dicatur, oportet explicare cuiusnam virtutis actus sit voluntas exequendi simplicem voluntatem superioris propter conformitatem ad illam: & in explicando hoc actu est tota huius rei difficultas: nam si est actus elicitus à propria virtute obedientiæ, propria obedientia erit; si ab alia, solo nimine dicetur obedientia, cùm nec formaliter sit obedientia, vt supponitur; nec materialiter, cùm non sit executio alicuius præcepti, & præterea explicandum superest, quæ nam illa virtus sit.

XIV. *Iudicium Authoris.*

Dico ergo D. Thomę sententiam absolutè veram esse: nimirum veram, ac formalem obedientiam habere pro obiecto proprium præceptum, sub proprio præcepto includendo illud etiam, quod ad veniale tantùm obligat. Ratio est quia obedientia respicit superiorem, vt superior est, non vt est amicus, vel vt prudens ad consulendū, vel sub alia ratione simili: constituitur autem superior in ratione superioris, per potestatem dominatiuam, aut iurisdictionis; nam illa secluſa homines æquales sunt: ergo obedientia respicit superiorem, vt vtentem sua potestate, vel iurisdictione, si enim illa non vtatur, non se gerit vt superior, & ita non habet locum erga illum actualis obedientia. Dico *actualis*, quia respectu superioris considerati quasi in actu primo poterit dari actus obedientiæ aptitudinalis, id est, propositum obediendi; qui actus etiam suo modo respicit præceptum, quia respicit superiorem, vt potentem præcipere. Quandiu autem superior non vtitur propria potestate, per quam in esse superioris constituitur, non se gerit, vt superior, & ideo nondum se habet respectu obedientiæ, in actu secundo: ergo è contrario neque obedientia potest erga illum exercere proprium obedientiæ actum, sed solam prædictam animi præparationem, per propositum obediendi quando materia occurrerit. Si autem superior mouet inferiorem vtendo propria potestate superioris, hoc ipsō necessariò illi imponit aliquam obligationem, & consequenter præceptum.

XV. *Impiens voluntatem simplicem superioris nō exercet obedientiam specialem.*

Quapropter cùm Prælatus vult aliquid à subdito fieri nolens illum obligare vllo modo ad culpam (ita vt ex consuetudine, vel ex statuto, hoc satis declaratum sit) tunc reuera non vult, neque mouet vt Prælatus, neque vt dominium, vel iurisdictionem habens, sed solùm vt causa moralis, simul consulens, & impellens moraliter ad aliquid agendum, non per præceptum, sed per iudiciū, & simplicem voluntatem; ergo tunc subditus volens exequi opus, ex illo præciso motiuo, quod superior vult illud, non facit proprium actū specialis virtutis obedientiæ, sed potius charitatis, vel humilitatis: charitatis quidem, si id faciat solùm propter vnionem cū suo capite: & ita dicetur illa obedientia latè, quia est motio ad alterius voluntatē; non erit tamē obedientia, quæ est specialis virtus, sed dici poterit obedientia charitatis: de qua posset intelligi illud 1. Petri 1. *Animas vestras castificantes in obedientia charitatis.* Vnde in exemplo suprà adducto in 11. 12. confirmatione secunda, si quis agnosceret voluntatem Dei esse vt aliquid faciat, quanuis nolit illud præcipere, velle tunc conformari diuinæ voluntati, non esset actus obedientiæ specialis virtutis, sed actus charitatis erga Deum, sicut nunc velle opera consiliorū, ex hoc præcisè titulo quòd Deo magis placent, charitatis opus est, non obedientiæ. Atque hoc modo explicat obedientiam Christi Chrysostomus hom. 1. in epist. ad Philipp. dum ait, *Quæ do quidem nos Philippenses etiam amicis obedimus, neque id tamen nos minores facit.* Humilitatis etiā potest esse ille actus, si fiat intuitu subiectionis: nam, vt D. Thom. dixit 2. 2. q. 161. art. 5. humilitas facit hominem benè subiectum ordinationi: quantum ad omnia. Et hunc etiam modum tribuit obedientiæ Christi Chrysostomus suprà, dicens; *Nemo Deum ita honorauit: quantum habuit celsi animi, tantundem humiliat.* subiit.

XII. *Addatur aduertens ad idem finale.*

Quanuis autem hoc ita sit, nihilominus duplici modo potest adiungi illi actui specifica, & formalis ratio obedientiæ. Primò si fiat intuitu cuiusdam perfectæ dispositionis, & præparationis ad obediendum præceptis, quando necesse fuerit, & tollendi omne periculum resistendi, vel contradicendi formali obedientiæ, si occurreret. Neque hæc intentio est solùm excogitata, aut extraordinaria, sed potius videtur cōmunis in statu religioso. Ideo enim subditi parent ad nutum superioris, non expectando proprium præceptum, quia ibi respiciunt quandā inchoationem, vt sic dicam, vel vmbram præcepti, & ideo ob maiorem sui voti obseruationem, etiam per præuentionem ita obediunt. Quòd autem hoc sufficiat, vt illa voluntas procedat aliquo modo ex speciali virtute obedientiæ, probatur, quia omnis actus, qui fit intuitu honestatis alicuius virtutis, pertinet ad illam, vel elicitiuè si illud sit motiuum proximum, vel imperatiuè si fit finis remotus. hic autem actus, eo ipso quòd fit in ordine ad maiorem perfectionem obedientiæ in obseruatione præceptorum, saltem in proxima præparatione, aut dispositione, fit intuitu honestatis propriæ specialis obedientiæ: ergo sicut qui vellet laborare, & laborando aliquid lucrari, vt esset aptus ad faciendam eleemosynam, interius exerceret verum & formalem actum misericordiæ, & ille labor si à tali voluntate immediatè imperaretur, verè dici posset misericordiæ actus: ita ergo dici potest in præsenti proportione seruata.

XVII. *Modus de re.*

Deinde etiam considerari potest, quanuis superior dum aliquid simpliciter mandat, vt nolit sua propria potestate iurisdictionis, vel etiam dominatiua, quatenus voto confirmata est, vt; (sic enim hactenus locuti sumus) nihilominus non posse se exuere auctoritate superioris, & capitis, sicut Deus quando vult aliquid à me fieri, non vtendo potestate præcipiendi, non potest suam dignitatem, & maiestatē ab illa voluntate separare, quæ veluti ex natura rei obligat hominem alio titulo, vt velit suā voluntatem diuinæ sibi efficaciter propositæ conformare. Ita ergo voluntas superioris, qui vicem Dei gerit, & caput est huius corporis, scilicet religionis, necessariò habet adiunctam peculiarem quandam dignitatem, & excellentiam ex circumstantia talis personæ, ratione cuius habet etiam specialem vim mouendi moraliter, maiorem, & alterius rationis, quàm habeat voluntas alterius amici: quod cerni etiam potest in voluntate parentis erga filium, & in voluntate Domini erga seruum, etiam sine intentione rigorosè præcipiendi, & obligandi in conscientia. Ex hoc autem videtur vlterius sequi in religioso obligatio quædam natu-

naturalis, conformandi voluntatem suam cum voluntate sui capitis & superioris, quia naturalis ratio postulat, vt inter has voluntates sit conformitas, & subordinatio. Exemplum accommodatum videri potest in regulis religionis; quæ licèt ex intentione legislatoris non ponantur, vt præcepta obligantia etiam ad veniale, nihilominus eo ipso quod in hoc corpore politico ponuntur, vt regulæ operationum, ex natura rei obligant aliquo modo saltem sub veniali, ad sui obseruationem, quia *turpis est pars, quæ sine causa discedat à toto.* Similis ergo obligatio nascitur ex quacunque simplici ordinatione superioris. Atque hæc obligatio sufficit, vt ibi inueniatur obiectum proprium obedientiæ, vt est specialis virtus: quia iam ibi vel tacitè, vel expressè, vel directè, vel indirectè interuenit aliqua ratio præcepti. Quia verò illud præceptum magis est naturale, quàm hominis, etiamsi supponat aliquam voluntatem hominis, ideò, licèt ille actus, seu voluntas parendi possit esse ex propria virtute obedientiæ, non tamen ex voto obedientiæ, latius enim patet materia virtutis, quàm voti: non enim vouet homo seruare omnia præcepta naturalia, vel positiua; diuina, vel humana, sed solùm obedire præceptis talium prælatorum, & ideo plures actus, præsertim internos, potest elicere propria virtus obediētiæ, quàm sint per votū promissi. Et per hæc vt existimo rationibus vtrinq; factis satisfactū est.

Hic tamen modus non ad votum, sed ad naturale præceptū spectat.

XVIII. *Prima perfectio de consilio obediendo.*

Ex his autē intelligi potest vlteriùs, quæ & qualis voluntas ad perfectionem obedientiæ pertinere dicatur. Cùm enim ad obedientiæ substantiam sufficiat voluntas exequendi id quod præcipitur; omnis affectus, qui vltra hanc voluntatem adhibetur, & confert vt opus ipsum, vel studiosiùs vel promptiùs, ac libentiùs fiat, ad hanc perfectionem obedientiæ pertinet. Primò ergo, & præcipuè huc spectat illa pura & formalis intētio obediētiæ propter præcepti obseruationem, & propter voluntatem superioris implendā, vel altiùs propter voluntatem Dei, quæ in illa, & per illam applicatur. Hoc satis patet ex dictis, quia hoc modo exercetur obedientia ex influxu altiorum virtutum, tum etiam, quia sic est obediētia vniuersalior ex vi sui motiui, & ita meliùs disponit hominem ad obediendum in omnibus, vbi similis ratio obediendi interuenerit. Et hanc perfectionem docuit Christus cùm orans ad Patrem dixit. *Non mea voluntas, sed tua fiat,* & Ioann. 4. dicens, *meus cibus est vt faciam voluntatem eius, qui misit me.* Eandem perfectionem insinuare voluit Augustinus suprà num. 1. cùm dixit obedientiam debere esse *deuotam sine dedignatione.* & B. Ignatius cùm in sua epistola dixit, *imperfectam esse obedientiam, quæ ad eum gradum non ascendit, qui voluntatem superioris suam efficit, & cum ea ita concordat, vt non solùm in effectu executio appareat, verùm etiam in affectu consensio.* Denique D. Thom. 2. 2. quæst. 104. art. 3. propter hoc maximè præfert obedientiam alijs virtutibus moralibus, quòd voluntatem propriam diuina subijcit, & immolat, iuxta sententiam Gregorij 35. Moral. c. 10. aliàs 12.

XIX. *Secunda perfectio.*

Secundò ad hanc perfectionem spectat, vt voluntas sit, non solùm *absoluta*, sed etiam *integra. Absolutam* voco, quæ est efficax ad operandum, & hæc non solùm de perfectione est, sed etiam de necessitate obedientiæ, quia sine illa non est executio. *Integram* autem appello, quæ nullam habeat voluntatem repugnantem seu contradicentem, ad quam perfectionem spectat, quod Augustinus citato loco dixit, *voluntaria sine contradictione*; & quod dixit Basilius in constit. monastic. cap. 20. *Libentissimè & diligentissimè obtemperet*; non enim libentissimè fit, quod non plena voluntate fit. Sic etiam B. Ignatius 3. part. Constitut. cap. 1. §. 23. integram obedientiam requirit non solùm quo ad executionem, sed etiam quoad voluntatem, & omnimodam confirmitatē, quæ reuera non est vbi adhuc perseuerat contrarius affectus, seu desiderium. Dices, Christus ipse obediēdo habebat aliquam repugnantiam voluntatum, & Gregorius 35. Moralium cap. 10. aliàs 13. dicit eo perfectiorem esse obedientiam, quo minus habet de suo, id est, de proprio desiderio, & affectu, sed potiùs contrarium affectum, & repugnantiam vincit. Respondetur varium esse posse affectum contrarium, vel repugnantem aliquo modo ordinationi obedientiæ. Vnus esse potest metus naturalis, id est, naturæ etiam benè institutæ, & moderatæ consentaneus, & hic effectus per se non affert imperfectionem, vnde si non retardet, nec minuat efficacem affectum obediendi, nihil etiam minuit de perfectione obedientiæ: & ita se gessit Christus D. in obedientia mortis suæ, nam affectus naturalis fugiendi mortem, quem in se admisit, honestissimus erat, nihilque illum à prompta obediendi voluntate retardabat. Et eodem modo potest intelligi Gregorius, quanuis etiam in alio modo repugnantiæ sententia eius locum habeat; alio enim modo potest quis habere affectum contrarium rei præceptæ ex aliqua inordinatione vel naturæ, vel consuetudinis, vt quando quis ex impulsu vehementi appetitus sensitiui aliud concupiscit, vel ex nimio amore, quo affectus est ad rem aliquā, & tunc si non obstante illo contrario impulsu, & affectu, homo promptè & efficaciter obedit, quāuis illa obedientia imperfectionem aliquam supponat, vel concomitantem habeat in alio genere virtutis, vel affectū, in se nihilominus perfecta erit, imò interdum quasi per antiparastasim, erit perfectior; tamen quia regulariter, ac moraliter loquendo, fieri non potest, quin hæc repugnantia aliquo modo retardet voluntatem obediendi, ideo simpliciter dici potest obedientia imperfecta, quæ hos habet affectus immoderatos repugnantes, tantoque erit maior imperfectio, quanto illi affectus magis voluntarij fuerint.

XX. *Tertia perfectio.*

Hinc etiam ad perfectionem obedientię spectare potest vt homo ad rem ipsam, quæ præcipitur, afficiatur, quoad fieri possit. Nam, vt dixit Leo Papa sermone 4. de Ieiunio, *non ibi dura necessitate seruetur, vbi diligitur quod iubetur.* Et ratio est clara, quia tunc operatio est magis voluntaria, quòd spectat ad perfectionem virtutis. In hoc autem notanda est doctrina Gregorij loco proximè citato, quam explicauit D. Thom. 1. 2. 2. q. 104. art. 2. ad 3. distinguit enim ille duplicem materiam obedientiæ, quandā consentaneam inclinationi hominis, vt cùm præcipitur actio honorifica, vel delectabilis, &c. aliam eidem inclinationi contrariam: vt cùm præcipitur vile ministerium, vel laboriosum, aut doloriferum. Ait ergo Gregorius, in priori materia si obedientiæ opus fiat, ex priori affectu ad rem ipsam obedientiam esse imperfectam, & ideo de obedientia in huiusmodi rebus ait non debere aliquid de suo habere, quod secus esse dicit in posteriori materia, nam ad illam debet homo affici, vt perfectè obediat, & ita adiungere aliquid de suo.

XXI. *Conciliatur Greg. doctrina.*

Sed vt rectè intelligatur, considerare vlteriùs oportet, aliud esse operari cū affectu ad rem, quę præcipitur, aliud ex affectu. Primum enim dicit tantùm concomitantiam, & ideo per se, neque auget neque minuit perfectionem obedientię, nam affectus, qui non est causa actus, per se non dat, vel tollit ab illo bonitatē. Ex accidēti verò talis affectus potest moraliter conferre ad perfectionē obedientiæ in omni materia: quia quantum est ex se tollit omnia impedimenta, & auget voluntarium in obediendo, saltem remouendo prohibens: quia verò quando hic affectū est merè humanus, & inferioris ordinis, potest facile inclinare voluntatem, vt propter humanum

manum motiuum, potius quàm propter perfectionem obedientiæ operetur, ideo dixit Gregorius in huiusmodi rebus optimam esse obedientiam, quæ nihil aut parum habet de suo. Sic enim dixit D. Thomas in epistola ad Philipp. c. 2. lect. 2. in fine, tunc esse obedientiam magnam; quando sequitur imperium alterius contra motum proprium, præsertim circa vitam, vel honorem. Nihilominus idem D. Thomas priori loco addit, posse contingere, vt in Dei iudicio, etiamsi talis obedientia habeat aliquid de suo, id est, sit de rebꝰ ad quas homo aliàs est ex se propensus, nihilominus sit omnino perfecta, quia voluntas cum diuina gratia potest pro sua libertate, ex puro motiuo obedientiæ operari, non obstante illo concomitante affectu. Minus autem est periculi, quando materia ipsa obedientiæ est de se repugnans sensui, & inferiori portioni hominis, nam tunc, etiamsi contingat hominem aliàs esse propensum ad rem, quæ præcipitur, nihilominus regulariter non minuetur perfectio obedientiæ, nam ille alius affectus etiam erit ex aliqua virtute, quæ per se disponat ad virtutem obedientiæ, magisque est connexa cum illa. Et quanuis contingat actum ex obedientia iniunctum fieri tantùm ex motiuo alterius virtutis, & non ex formali motiuo obedientiæ, ac proinde in eo casu, non sit formalis actus obedientiæ, vt est specialis virtus; nihilominus actus ille non carebit apud Deum aliquo merito obedientiæ, quia saltem generali ratione illam circunstantiam includit. Quod secus est quando actus ab obedientia iniunctus solùm sit ob motiuum merè humanum, ac temporale. Quòd ergo actus ab obedientia iniunctus, aliàs, seu per se spectatus voluntarius sit, per se non impedit, sed iuuat ad perfectionem obedientiæ.

XXII. *Quarta perfectio veluti extrinseca.*

Vnde etiam fit, vt amor erga ipsum prælatũ præcipientem multum etiam iuuet, ideo enim alebat Christus D. *Si quis dilexit me, mandata mea seruabit*, Ioann. 14. vnde in epistola 4. ad Rusticum consulit Hieronymus, *Præpositum monasterii timeas vt Dominũ, diligas vt patrem.* Idémque est, quod B. Ignatius in 3. p. Constit. c. 1. *Interna reuerentia & amore* (eum, id est, superiorem) *prosequentes.* Et in 6. p. cap. 1. magis hoc explicuit, dicens, *vt in spiritu amoris, & non cum perturbatione timoris procedatur curandũ est.* Quanquam enim vera obedientia non oriatur ex amicitia ad hominem, etiamsi talis amicitia sancta, & supernaturalis sit; multum verò ab illa, tanquam ab optima dispositione iuuatur. Et in vniuersũ, quælibet ratio, vel dispositio voluntatis, quæ illam inclinat ad amorem, vel gratitudinem erga superiorem, si sit honesta, prætermittenda non est: quia per se iuuat; & aliàs non excludit verũ obedientiæ motiuum. Et ideò D. Paulus ad Hebræos 13. cùm dixisset, *obedite Præpositis vestris*: rationem gratitudinis erga eos allegat; *ipsi enim pernoctant tanquam rationem de animabus vestris reddituri*: & statim addit aliam spectantem ad charitatem erga illos, *vt cum gaudio faciant, & non gementes*, vel etiam pertinentem ad proprium commodum; nam subdit, *hoc enim non expedit vobis.* Quod potest intelligi, non expedit vobis esse molestos eis, quibus deberetis esse grati, vel potiùs non expedit, id est, non est vtile vobis, quia quando subditus est inobediens, vel Prælatus non audet præcipere, quæ illi forent vtilia, vel si præcipiat, cedit in maius damnum, & periculum inobediendi. Itaque non solùm amor Prælati, sed etiam debitus, & ordinatus amor propriæ salutis ad perfectionem obedientiæ iuuare potest; non quidẽ intrinsecè, & formaliter, sed dispositiuè saltem. Atque ex his omnibus consurgunt aliæ perfectiones voluntatis, quæ maximè in obedientia postulantur, vt quòd fit cũ hilaritate, & spirituali gaudio, & quòd hat constanti, ac perseueranti animo, & cum humilitate: de quibus videri possunt quæ scribit Laurentius Iustinianus in opusculo *Lignum vitæ*, part. 8. de obedientia cap. 6. & quæ in citatis locis Constitutionum, & in epistola de obedientia proponuntur.

CAPVT XV.

De perfectionibus consilij obedientiæ ex parte intellectus.

I

IN hac perfectione explicanda maior est difficultas, quàm in cæteris: quia in modo obediendi duo in Societate postulantur, quæ & inter se contraria, & alterum supra virtutis debitum; alterum verò contra rationem virtutis, & periculis expositum esse videtur. Primò ergo postulatur vt subditus non respiciat superiorem, vt hominem, sed vt Deum, vt ita præceptum eius, non vt humanum, sed vt diuinum recipiat: sic 3. part. Constitut. cap. 1. §. 23. *Valde necessarium est, vt omnes perfectæ obedientiæ se dedant, superiorem, quicunque ille sit, loco Christi D. N. agnoscentes.* Et 6. part. capit. 1. *Adeius vocem, perinde ac si à Christo D. egrederetur, quàm promptissimi simus.* Et in examine cap. 4. §. 30. *Quis obedit, considerare, ac perpendere debet vocem superioris egressam, vt si à Christo D. N. egrederetur, vt omnino placeat diuinæ Maiestati possit.* Et in epistola de obedientia §. 16. *Non intueamini in persona superioris hominem obnoxium erroribus atque miseriis, sed Christum ipsum, qui est sapientia summa, bonitas immensa, & charitas infinita, qui nec decipi potest, nec vos vult ipse decipere.* Vnde postea concludit; *Itaque superioris vocem ac ipsa non secus, ac Christi vocem excipite.* Nec solùm in constitutionibus, sed etiam in Bullis Pauli III. & Iulij III. sic dicitur. *Subditi tum propter ingentis ordinis vtilitates, tum propter nunquam satis laudatum humilitatis assiduum exercitium Præposito in omnibus ad institutum pertinentibus parere semper teneantur, & in illo Christum veluti præsentem agnoscant, & quantum decet venerentur.* Altera verò conditio, quæ in hac obedientia postulatur, est, vt sit cœca, vt ex eisdem locis colligat. Nam in dict. 6. p. c. 1. dicitur obediendum esse, *omnia ipsa esse nobis persuadendo, omnem sententiam ac iudicium nostrum contrarium cœca quadam obedientia abnegando.* Et infrà explicatur hic obediendi modus exemplo cadaueris, vel baculi; quæ sine iudicij diiectione moueri se sinunt, & quod difficilius est, in epistola obedientiæ additur comparatio cum subiectione intellectus in credendo, *vt ad credenda quæ catholica fides proponit, toto conatu, assensuque vestro statim incumbitis, si ad faciendum ea, quæcunque superior dixerit, cæco quodam impetu voluntatis parendi cupida, sine vlla prorsus disquisitione feramini.*

Primum. *Secundum perfectio.*

II

Hæc ergo duo videntur quodammodo inter se repugnantia: nam ad intuendum in homine Dei, magna perspicacia, & ratiocinatio necessaria est: quomodo ergo potest esse obedientia cœca, si tam eleuatos, & acutos requirit oculos mentis. Deinde nimium videtur, & supra rationem virtutis talem apprehensionem, vel iudicij in obediente postulare, quia perfectio virtutis nõ requirit apprehensionem, vel iudicium falsum: est autẽ falsum apprehendere, aciudicare præceptum hominis tanquam Dei, quia neque re ipsa, & secundum veritatem est præceptum diuinum, sed humanum; neque etiam æquiualenter, seu appretiatione tanti æstimari debet, cùm non sit æquè coniunctum Deo. Præterea si verba citata, & cõparatio adducta attentè inspiciantur, significatur in eis, ita esse apprehendendũ præceptum superioris, vt nobis persuadeamus, illam nec decipi, nec velle nos decipere: hoc autem aut est valde falsum, aut humano modo impossibile. Nam si illa persuasio supponat aliq; scilicet, superio-

Obiectio prima. *Prima obiectio contra primum fundamentum.*

periorem non posse decipi, nec voluntariè decipere, valde erronea est, vt per se constat: si autem hæc non supponatur, impossibile est semper indifferenter, & sine vlla discretione, & ponderatione circunstantiarum, tam personæ, quàm rerum, iudicare superiorem nec decipi, nec velle decipere. Atq; hinc etiam constat, quàm sit difficilis creditu altera conditio: nam si illa cœcitas obedientiæ in hoc ponitur, vt obediens hoc iudicet sine examine, & sine sufficienti motiuo, perinde esse videtur, ac postulare ab aliquo vt videat sine lumine: quia sicut hoc fieri non potest, ita etiam in his, quæ fide humana iudicanda sunt, impossibile est iudiciũ ferre sine sufficienti discursu, & coniecturis. Eadémque vel maior difficultas est; si hæc cœcitas ponatur in iudicando esse rectum, & conueniens; imò & melius id quod præcipitur, sine vllo discursu, vel examinatione: est etiam hoc impossibile, nisi supponendo superiorem non posse errare, quod est erroneum. Et augetur difficultas, nam hinc nascitur periculum obediendi homini in eo quod Deo fortasse contrarium existit.

Tertia contra 2. perfectionem.

Augetur difficultas.

III. Priusquam rem explicemus, & difficultatibus satisfaciamus, operæ pretium erit ostẽdere vtramque partem propositam quoad loquendi modum, & quoad rem per illas intentam, esse vsurpatam à sanctis Patribus, & in Scriptura sacra habere fundamentum. Nam quoad priorem partem, Christus ipse dixit, *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit*: loquitur enim ad Apostolos, qui loco ipsius pastoralem curam habituri erant, & ita in eis ad omnes pastores animarum loquitur: & specialiter ad superiores religionum illa applicant Basilius in Cõstit. monast. cap. 23. & Bernard. de Præcepto, & dispensat. cap. 12. Antiochus Abb. hom. 28. de obedientia tom. 2. Bibl. sanct. & Sanctus Vincentius in tractat. de vita spirit. c. de obedientia; & alij infrà referendi. Præterea Paulus ad Coloss. 3. ad seruos sic loquitur; *Quodcunque facitis ex animo operamini, sicut Domino: & non hominibus, scientes, quòd à Domino accipietis retributionem hereditatis, Domino Christo seruite.* Et ad Ephes. 6. bis repetit, *sicut Christo, sicut Domino.* Præterea Basilius dict. c. 23. *Antistes* (ait) *personam Christi sustinet, & sequester est inter Deum, & hominem.* Et in regulis breuioribus, reg. 38. *Quidquid contumaciæ*, inquit, *siue obedientiæ subditus adhibet, non aduersùs hominem, sed aduersùs Dominum adhibet, qui dixit: Qui vos audit*, &c. Fusiùs Bernardus dict. c. 12. *Ipsum quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quæ apertè non sunt contra Deum, audire debemus.* Et iterum; *siue Deus, siue homo vicarius Dei, mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obsequendum est cura, pari reuerentia deferendum.* Et in serm. de virtute obedientiæ, & eius gradibus, *Quidquid obedientia Prælatis exhibetur, ei exhibetur, qui dicit: Qui vos audit.* Apud Ioannem Climacum in lib. de scala paradisi gradu 4. de obedientia, multa habentur, quæ hoc confirmant; notatione verò dignum est responsum cuiusdam sancti monachi, cuius obedientia ab Abbate tentata fuerat quodam speciali modo, quem ibi refert: & ait Climacus, *Non omisi ego quin senem illum tentarem. Itaque cùm eum postea interrogarem, quid astans cogitasset, Christi*, inquit, *imaginem Pastori imposui, neque ab illo hoc penitus præceptum exisse, sed à Deo existimaui: quare ô Pater Ioannes non coram mensa hominum, sed coram altari diuino me putans astare orabam, nullámque penitus malignam cogitationem aduersùs pastorem admittebam pro syncera in illum fide mea & charitate.* Alia sumi possunt ex gradu 31. qui est de discretione, ex quibus aliqua infrà referemus. Hinc etiam Cassianus de antiquis monachis refert, solitos fuisse *sic vniuersa complere, quæcunque fuerint à Præposito præcepta, tanquam à Deo sint cœlitus edita.* Et eandem tanquam obedientiæ regulam suis religiosis proposuit S. Benedictus in cap. 5. suæ regulæ, & Bonauentur. 2. tom. Opusc. in speculo disciplinæ p. 1. cap. 4. *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, sic accipiendum est, quasi præcipiat Deus.* Et in collationib. collat. 2. cap. 3. *Vt melius* (inquit) *valeas esse obediens, cogita semper quando vox præcipientis sonat in auribus tuis, quòd vocem istam, non tanquam ab homine audias, sed tanquam ab ipso Deo.* S. etiam Laurentius Iustinianus in Opuscul. 1. *Lignum vitæ*: 8. p. de virtute obedientiæ, cap. 6. *Quodcunque* (inquit) *fecerit obediens, operetur simpliciter, & ex animo, sicut Deo, & non hominibus.* Denique eodem modo loquuntur reliqui Doctores mystici, qui de rebus spiritualibus scripserunt, & de S. Niceta apud Metaphrastem, & Surium 3. Aprilis, ita loquitur Theosterictus in oratione funebri, *Omnia* (inquit) *morum simplicitate, & sine hesitatione aliqua, corde syncero faciebat: quæ verò à Præside ipso dicebantur, tanquam à Deo ipso dicta excipiens, omnem quidem curiositatem, & hesitationem abijciens, fidem autem, ac certam persuasionem habens omnia exequebatur.*

Probatur tamen 1. perfectio authoritate.

IV. De altero etiam loquendi modo, innumeræ sunt Patrum sententiæ adeò conformes cum verbis B. P. Ignatij, vt manifestum sit, vel ab eis illa sumpsisse, vel certè eodem spiritu, quo illi, fuisse loquutum. Et in primis afferre possumus Chrysostomum hom. 8. in Matt. qui mirum in modum laudat obedientiam S. Ioseph, qui Angelo præcipienti fugam in Ægyptum, nihil opposuit, nec curiosè aliquid interrogauit, *Sed libenter obediuit, & credidit, omnes tribulationes cum gaudio sustinendo.* Et eodem modo exaggeratur in Scriptura obedientia Abrahami Genes. 12. & 22. vt idem Chrysostomus prosequitur hom. 31. & 47. in Genesim. Sed ne quis dicat Abraham, & Ioseph. obediuisse Deo immediatè per Angelum præcipienti, consideret, quæ in præcedenti puncto adducta sunt, & audiat Basilium in Constit. monast. c. 23. dicentem. *Imitanda est maximè Sanctorum obedientia, quam erga Deum illi adhibuerunt, si tamen proposito nobis eorum exemplo, eam fortasse rectè potuerimus explere.* Respondens verò illi tacitæ obiectioni subiungit. *Neque verò existimet quisquam, me causa formandæ erga antistites obedientiæ, elatiora quædam exempla proferre, eique quod Deo debetur officio, arroganter obedientiam aduersùs homines, audere conferre; neque enim ad hanc similitudinem inducendam meâ sponte, sed diuinis literis inductus accessi: animaduerto enim, quid in Euangeliis Dominus dicat, cùm de obedientia aduersùs seruos suos adhibenda legimus sancire: Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit. Quod Apostolis dixit, intelligendus est in commune legem sanxisse in posteros, qui aliorum futuri erant moderatores: id ex multis eisdémque certissimis diuinarum literarum testimoniis, manifestissimisque argumentis probari potest.* Et statim adiungit exemplum de Abrahamo, & postea similitudinem ouium, dicens. *Quemadmodum pastori suo oues obtemperant, & viam, quamcunque ille vult, ingrediuntur: sic qui ex Deo cultores pietatis sunt, moderatores suos sequi debent, nihil omnino ipsorum iussa curiosius perscrutantes, quando libera sunt à peccato.* Et tandem adiungit exemplum de instrumento artificis, quod sine vlla discussione, simpliciter se moueri finit. Et sermone 2. de Instit. monach. circa finem, comparationem adhibet de obedientia fidei, & præceptorum Dei. Et in regulis fusiùs disputatis cap. 28. *De iudicij* (inquit) *periculo prorsus illum esse solicitum sinito, qui imperat.* Et in eodem sensu dicit in Constit. monast. c. 20. *Neque ab eo* (scilicet Prælato) *eorum, quæ sibi imperantur, rationem deposcat, nisi quid erit huiusmodi, quod ad salutem pertinens ignoretur: tunc enim id ea, qua par est modestia, ac reuerentia adhibitis, interrogare, & doceri licebit.*

Secunda quoque perfectio authoritate sustinetur.

Præterea Cassianus dict. lib. 4. cap. 10. *Sine vlla* V.

Cassian. suffragatur. (inquit) discussione festinant, vt nonnunquam etiam impossibilia sibimet imperata, ea fide ac deuotione suscipiant, vt tota virtute, ac sine vlla cordis hæsitatione ea perficere, & consummare nitantur, & nec impossibilitatem quidem præcepti, pro senioris reuerentia metiantur. Et cap. 24. inducit exemplum Ioannis qui iussu superioris, lignum aridum multo tempore irrigauit. Et subdit infrà, Cùmque eius sedulitatem tacitus senex singulis diebus exploraret, & videret cum simplici cordis affectu, mandatum suum, velut emissum diuinitus, sine vlla permutatione vultus, vel rationis discussione seruare, synceram humilitatis eius obedientiam comprobauit: imò etiam refert Deum miraculo illam confirmasse. Et deinde alia exempla prosequitur vsque ad cap. 29. Ac denique multa in eandem sententiam habet infra cap. 41. & de Institutis renunc. lib. 12. cap. 32. vbi post commendatam perfectionem obedientiæ, inquit; *Quod non aliter obseruari poterit, nisi quis non solùm se mortuum huic mundo, verum etiam insipientem iudicarit & stultum, vniuersa, quæ sibi fuerint à senioribus imperata, sine vlla discussione perficiens, sacrosancta ea credens, ac diuinitus promulgata.* Item collat. 2. cap. 11. non tantum de superiorum obedientia, sed etiam de sequendis vestigijs seniorum hoc dicit esse obseruandum; *vt neque agere quidquam noui, neque discernere nostro iudicio præsumamus, sed quemadmodum nos. vel traditio illorum, vel vitæ probitas informarit, in omnibus gradiamur.* Et infrà subiungit sententiam illam, quam B. Ignatius in sua epistola profert, *nullo alio vitio tam præcipitem diabolus monachum pertrahit, ac perducit ad mortem, quàm cùm eum neglectis consiliis seniorum suo iudicio persuaserit, definitionique confidere.* quam pluribus verbis repetit collat. 18. cap. 3.

VI. Item Aug. Hieron. &c. Præterea D. Augustinus satis hunc modum obedientiæ insinuat in loco sub initium superioris capitis num 1. citato, apud Bonauent. in collationib. collat. 3. cap. 2. dum postulat, vt obedientia sit simplex, sine discussione. Et S. Hieronymus dict. epist. 4. ad Rusticum, dicens, *Credas salutare quidquid ille* (id est, Præpositus) *præceperit, nec de maiorum sententia iudices, cuius officium est obedire, & implere, quæ iussa sunt, dicente Moyse: Audi Israël, & tace.* Et ex S. Benedicto dict. cap. 5. suæ regulæ vbi ait, religiosos non suo arbitrio ambulare, *sed alieno iudicio & imperio.* Quibus duobus verbis, obedientiam voluntatis, & iudicij indicare videtur, vt Smaragdus ibi notauit; quia etiam verbum illud S. Benedicti, *sine mora, sine murmuratione*, exponit, id est, sine discussione. Quod apertiùs exposuit idem S. Benedictus in cap. 68. Regulæ, vbi non solùm in rebus grauibus, sed etiam in impossibilibus, cum humilitate, & mansuetudine dicit suscipiendum esse præceptum: permittit autem causas, cur impossibile appareat, superiori aperire. Si autem superior sua sententia perstiterit *subditus* (inquit) *pro certo habeat illud sibi conueniens & cum charitate & spe diuini auxilij obediat.* Atque ita veram obedientiam, quam à Benedicto didicerat S. Gregorius lib. 14. in 1. Regum cap. 40. ante medium, *Vera* (inquit) *obedientia nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit, quia qui omne vitæ suæ iudicium maiori subdidit, in hoc solo gaudet si quod sibi præcipitur operatur: nescit enim iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire: quia hoc tantum bonum putat, si præceptis obediat.*

VII. Item Bern. Eodem modo de hac obedientia sensit Bernardus lib. de Præcepto, & dispensat. cap. 13. *Perfecta* (inquit) *obedientia legem nescit*; vsque ad illud, *Ad omne quod inungitur spontaneo vigore liberalis, alacrisque animi modum non considerans, in infimtam libertatem extenditur.* Et infrà, *Imperfecti cordis, & infirmæ prorsus voluntatis indicium est statuta seniorum studiosiùs discutere, hæsitare ad singula, quæ inunguntur, exigere de quibusque rationem, & malè suspicari de omni præcepto, cuius causa latuerit, neque vnquam libenter obedire, nisi cùm audire contigerit, quod fortè libuerit: aut cùm non aliter licere aut expedire monstrauerit, vel apertatio, vel indubitata authoritas.* Et serm. 1. de conuersione S. Pauli de imperfectis obedientibus ait, *Discernunt, & iudicant eligentes in quibus obediant imperanti, imò in quibus præceptorem suum ipsorum necesse est obedire voluntati.* Et infrà circa illa verba, *Apertis oculis nihil videbat. Voluntaria* (inquit) *simplicitas*, & Christiana *commendatur mansuetudo, fœlix cœcitas, qua male quidam illuminati in præuaricatione, tandem in conuersione salubriter illuminantur.* Et in epist. seu lib. de vita solitaria ad fratres de Monte Dei. *Perfecta* (inquit) *obedientia maximè in incipiente indiscreta: hoc est, non discernere, quid, vel quale præcipiatur, sed ad hoc tantum niti, vt fideliter, & humiliter fiat, quod à maiori præcipitur.* Et infrà, *Stultus fiat, vt sit sapiens, & hæc sit omnis eius discretio, vt in hoc nulla sit ei discretio: hæc omnis sapientia eius sit, vt in hac parte nulla eius sit.* Et ibidem comparat nouitium cœco, qui ducem sequitur, à quo manu trahitur. Et in tractat. de Ordine vitæ grauiter reprehendit religiosos, qui *seniorum missa dijudicant, & non potiùs venerando exaltant.* Et serm. 2. in festo S. Andreæ, *si discutimus, si dijudicamus, & in hoc quidem præcepto non obedimus.* Et infrà, *vis audire perfectæ obedientiæ formam? venite post me. At illi nihil omnino dijudicantes, aut hæsitantes, non soliciti, vnde viuerent, non considerantes, quomodo rudes homines: & sine literis, prædicatores fieri possent, nihil denique interrogantes, sine morarelictis retibus, & naui sequuti sunt eum.*

VIII. Item Gr. Præterea S. Ioannes Climacus loco suprà citato in n. 3. sic obedientiam definit. *Obedientia est inexaminatus, atque indiscussus motus, spontanea mors, vita curiositate carens, tuta nauigatio, securum periculum, conflictum dormiendo iter. Obedientia est sepulchrum voluntatis, nihil discernit, nihil respicit.* Item ibidem, *Obedientia est discretionis depositio inter diuinas discretiones.* Et infrà, *Cùm pietatis, & obedientiæ studium fuerimus ingressi, minimè iam instituto rem nostrum in aliquo penitus iudicare licet.* Et inferiùs, *Dominus*, inquit, *illuminat oculos* (Psalm. 145.) *obedientium oculos ad contuendas Magistri virtutes, idémque eos excæcat, ne defectus videant.* Et in epistola, quam illi operi præmittit, sic inquit idem Climacus, *Patres nostri, veracissque scientia magistri obedientiam definiunt in his rebus, quæ supra vires sunt, nihil discernendo, obtemperare præcipientibus.* Et gradu 31. de Discretione in 2. p. illius. *Quicunque*, inquit, *voluntatem Christi addiscere volunt, suam prius voluntatem studiosè mortificare debent, deinde verò fide atque innocua simplicitate orantes, Patrumque, siue fratrum animas summa cordis humilitate, ac sine cogitationum hæsitatione interrogantes, quæ illi consulunt tanquam ex Dei ore suscipiant.* Et infrà, *Neque enim est iniustus Deus, vt animas decipiat, quæ super fidem, & innocentiam proximi consilio, atque iudicio humiliter submiserint. Et si enim irrationabiles, ac muti illi fuerint, à quibus petimus, is tamen qui loquitur, immaterialis est, atque inuisibilis; ingenti humilitate pleni sunt, qui dictam regulam nihil hæsitantes sequuntur.*

IX. Item Nilus Damascen. &c. Eandem doctrinam habet S. Nilus in lib. Asceticò col. 20. in tom. 5. Bibliothecæ, vbi veros, ac perfectos obedientes comparat inanimatis corporibus, & materiæ, quæ artifici ad operandum proponitur: quia in corpore inanimi facit homo quidquid vult, illo nihil repugnante, & nihil ab ea imperiam propriam artem ostendit, & nihil ab ea impeditur. Ita (inquit) *magister spiritualis in discipulo suo virtutis scientiam exprimit, obedientibus illis & nihil prorsus aduersantibus: qui enim curiosus est in explorandis consiliis præceptoris, quique sedulus examinat, & expendit ea, quæ ab ipso præcipiuntur, is sibi ipse, quominus progrediatur, atque proficiat est impedimentum: quod enim conueniens & consentaneum ab imperito iudicatur, non verè conueniens & consentaneum est apud artificem; horum enim iudicia sunt contraria,*

træria, artifex vtitur scientia: artis ignarus coniectura: porrò coniectura rarò assequitur veritatem. Quod declarat exemplo nauigantium, qui gubernatori nauis obtemperant quamuis coniecturæ aliud suadere videantur; & concludit; *Sic igitur quæ salutem animæ suæ aliis crediderunt, omissis propriis opinionibus, & coniecturis, periti rectoris arti cedant, & scientiam illius cogitationibus suis anteponant.* Similiter S. Dorotheus tractat. de vita rectè, & piè instruenda doctrina; seu serm. 1. in fine tom. 2. Bibliothecæ, huius obedientiæ meminit, quam indiscretam appellat, dicens. *Vos autem omnino fratres adhuc expertes video huiuscemodi obedientiæ indiscretæ ne nosse quanta eius sit requies.* Et infrà: *Assuescat seipsum post Deum Patri dedere, atque ab eo nullà in re postmodum dissentire, sed omnia ipsius arbitrio faciat ea fide ac certitudine, ac si Deo in cunctis, non homini pareret.* & alia habet in serm. 5. Item Cæsareus Arelaten. tom. 2. Bibliothecæ in hom. 8. ad monachos. *Quidquid tibi,* inquit, *à senioribus fuerit imperatum accipe tanquam de cœlo, sicut de ore Dei prolatum: nihil reprehendas, nihil discutias, in nullo penitus murmurare præsumas, totum iustum, totum sanctum, & vtile iudica, quidquid tibi à Prælato videris imperari.* Sic etiam in eodem 2. tom. dixit Antiochus Abbas hom. 39. *Sana obedientia est, qua quis persuadetur, & obedit citra vllam dubitationem. Obedientia renuntiatio & propriæ voluntatis, nulla non sui parte perfecta, quæ solo moderatoris sui nutu, ad quiduis operandum nihil turbulentè mouetur.* Laurentius etiam Iustinianus in citato lib. de obedientia, cap. 6. post primum gradum obedientiæ, qui est libenter obedire, addit secundum, qui est obedire simpliciter, id est, (vt declarat) *nullas mouendo quæstiones vnde hoc veniret, quis hoc dederit consilium,* &c. Et huc spectat, quod Sancti annotarunt interrogationem illam, *Cur præcepit vobis Deus?* à dæmone primùm factam esse; & Euam reprehendunt, quòd non statim illam auersata fuerit. Chrysost. homil. 16. in Genesim, Bern. serm. de S. Andrea.

X. *Item Bon.* Præterea S. Bonauent. in suis Opusculis sæpe hoc genus obedientiæ docuit: nam tom. 2. p. 1. 4. *Illum* inquit, *optimum dixerim obedientiæ gradum; cum eo animo opus iniunctum recipitur quo, & præcipitur, cum ex iubentis pendet intentio exequentis, nunquam de maiorum sententia iudicent, quorum officij est obedire.* Et in 2. p. principali cap. 3. *Obedientiæ se toti subijciant.* Et infrà: *Credant salutare quidquid ille præceperit. Perfecta obedientia est (in incipiente maximè) indiscreta, id est, non discernere, quid vel quale præcipiatur, sed tantùm ad hoc niti, vt fideliter, & humiliter fiat quod à maiori præcipitur: securè per omnia obeditur vbi contra Deum nihil præcipitur.* Et in Regula Nouitiorum cap. 13. hæc verba refert ex Gregorio, *Non licet subditis discernere, sed statim simpliciter obedire.* & in Stimulo diuini amoris, p. 2. cap. 11. agens de perfecta obedientia priorum religiosorum, subdit, *Non enim sicut moderni nunc, ipsi tunc librabant hoc melius esse illo, hoc securius, hoc laudabilius, hoc facilius, sed cuncta, quæ cernebant esse prælatorum suorum beneplacita voluntati, dummodo non essent contra Deum, quantumcunque ardua, ac vilia forent, auiditate maxima adimplebant.* Et statim adducit exempla Mauri, qui iussu sancti Benedicti super aquas discurrit, ex Gregorio 2. Dialogo cap. 7. & alterius, qui iussus à superiore, leonem coepit, & traxit. Item adducit exemplum Ioannis, quod suprà ex Cassiano retulimus. & in vita S. Francisci cap. 6. refert S. Franciscum verum obedientem, similitudine corporis mortui explicasse. *Nam tolle,* inquit, *corpus examine, & vt placuerit pone, videbis non repugnare motum, non murmurare scitum, non reclamare dimissum. Quod si statuatur in cathedra, non alta, sed ima respiciet, si collocetur in purpura pellescit. Sic autem verus obediens est, qui cur dimoueatur, non diiudicat vbi locetur, non curat vt transmutetur, non instat euectus ad officium: solitam tenet humilitatem plus honoratus, plus reputat se indignum.* Multa etiam habet idem Bonau. 1. tom. Opusc. in Phareträ lib. 2. c. 43. & 44.

Refertur in vitis Patrũ 2. p. lib. de obedientia.

XI. *Denique D. Thom. Ant. &c.* Denique veritatem hanc non prætermisit S. Thomas, sed breuiter ac dilucidè explicauit in 1. 2. q. 13. art. 5. vbi tractat, an electio possit esse de re impossibili, & in 3. argum. obijcit; quia S. Benedictus in regula statuit, vt licèt superior aliquid impossibile præcipiat, subditus tentet illud implere. Et respondet, hoc ideo dicit, *quia an aliquid sit possibile, subditus non debet suo iudicio discernere, sed in vnoquoque iudicio superioris stare.* Quibus verbis tacitè exponit, quomodo accipienda sint cõsilia Sanctorum, quando dicunt, etiam in rebus impossibilibus obediendum esse, scilicet, vel vbi impossibilitas non est euidens, vel certè vt homo incipiat, & faciat quod in ipso est, donec vlteriùs progredi non possit: nam interdum Deus aperit viam, vt perficiatur, quod in principio impossibile videbatur, vt in sequentibus latiùs explicabimus. Huc accedit quòd sanctus Antoninus 4. p. tit. 5. cap. 11. §. 2. secundum gradum obedientiæ ponit, *sine discussione obedire.* Et id prosequitur eodem ferè modo, quo Bonau. & Laurentius Iustinianus supra. Multa etiam de hac perfectione scripsit Humbertus S. Generalis ordinis Prædicatorum in epist. ad Fratres suos cap. 5. 6. & 9. vbi ab eis requirit obedientiam simplicem, sine discussione, & alia multa habet, quæ hoc ipsum declarant. Sic denique dixit Abulensis in cap. 17. Genesis in fine, *Verus obediens moras nescit, nec de agendo deliberat cùm mandatum fuerit, sicut verus moralis nihil in agendo moratur postquam consiliatus fuerit, vt ait Arist. 6. Ethic. c. de Eubulia. Eundem locum habent obedientia, & Eubulia, quia sicut post consilium perfectum, nihil manet, nisi operare, ita proposito præcepto obediendi, solùm operatio sequitur.* Vbi particula *solùm* non excludit voluntatem, vt per se notum est; excludit ergo nouum consilium; nouumque examen de rei conuenientia, vt ex ipsa proportione, quam adducit, manifestè constat, estque optima ad explicandum quomodo consilium, & iudicium superioris debet reputari à subdito, vt sibi sufficiens, in quo consistit punctum illius obedientiæ, quæ cæca appellatur.

Qua ratione voluntas pendeat ab intellectu ad actus studiosos exercendos.

XII. Ex his ergo satis constat, doctrinam quã de perfectione obedientiæ ex parte intellectus Societas profitetur, non esse nouam, sed antiquissimam, nec singularem, sed communissimam, maximáque authoritate fundatam. Superest vt verum sensum, & vsum eius declaremus. Supponimus autem obedientiam formaliter perficere voluntatem, est enim virtus moralis, & pars iustitiæ, vt ait D. Tho. 2. 2. quæst. 104. art. 2. virtus autem moralis, & præsertim iustitiæ, perfectio voluntatis est. Vnde est illud Gregorij 35. moral. cap. 12. quòd *per obedientiam propria voluntas mactatur.* Est enim voluntas potentia mouens reliquas omnes facultates ad exercitium liberum suarum actionum, & ideo libertas proximè, ac formaliter est in actibus elicitis ab ipsa voluntate; in actionibus verò aliarum facultatum, solùm per denominationem ab illis. Propria autem obedientia solùm inuenitur in actibus liberis, & ideo formaliter ac proximè est perfectio voluntatis, vt mouentis alias potentias, ad exequenda opera præcepta. Hinc verò fit, eo modo quo pendet voluntas ab intellectu in suis actionibus, ita etiam pendere perfectionem obedientiæ à perfectione intellectus. Pendet autem voluntas ab intellectu, tanquam à dirigente, & illuminante, seu proponente obiectum. Vnde quo intellectus hoc munus exercue-

Prima suppositio seu notatio.

rit circa bonum aliquod honestum, eo per se loquendo voluntatis actio erit etiam perfectior, saltem quantum est ex parte intellectus. Ita ergo cum proportione in obedientia contingit.

XIII. *Secunda.* Est autem vlteriùs obseruandum, perfectã motionem, & directionem intellectus, duo requirere, scilicet perfectam attentionem, seu considerationẽ boni prosequendi, & remotionem omnis cogitationis, quæ possit voluntatem remouere, aut impedire ab affectu, seu prosequutione illi⁹ boni. Quæ duo adeò necessaria sunt ad liberam, ac perfectam motionem voluntatis, vt efficaciam diuinæ gratiæ excitantis soleant maximè Theologi explicare per hæc duo, scilicet immittere sanctam, & supernaturalem cogitationem accommodatam, & impedire ne cogitationes insurgant, quæ cogitationem priorem, aut efficaciam eius, possint minuere, aut omnino euertere. Et ratio sumi potest partim ex imperfecta capacitate intellectus nostri ob quam pluribus distractus cogitationibus, minus intentus, vel constans est in singulis, partim ex imperfectione voluntatis, quæ etiam retardatur, vel ex imperfecta consideratione intellectus, vel ex diuersis affectibus simplicibus, qui in ea insurgunt, quando intellectus varijs discursibus agitatur. Vnde sicut actio peccaminosa voluntatis, partim consurgit ex consideratione praui obiecti, partim ex boni inconsideratione, ita seruata proportione, recta motio voluntatis per se requirit conueniens iudicium boni prosequendi, per accidens verò remotionem omnium cogitationum, quæ possunt affectum illum impedire. Et ex vtroque capite potest esse maior, & minor perfectio. Ex parte quidem iudicij, tum in maiori attentione, seu intensione actus: tum maximè in altiori consideratione obiecti proponendo illud sub excellentiori motiuo, & honestate: ex parte autem priuationis, seu carentiæ iudicij, vel cogitationis impedientis, tanto erit maior perfectio, quanto priuatio illa maior fuerit. Hæc ergo quæ in generali declarata sunt, ad obedientiam cum proportione sunt applicanda, & in illis duabus locutionibus, quas proposuimus, sunt intenta.

Qua ratione ad perfectionem obedientiæ pertineat in superiore præcipiente Deum considerare, eique vt Deo obedire.

XIV. *Ad authoritates significantes superiorem vt Deum suspiciendum.* Primò ergo meritò postulatur ad perfectam obedientiam consideratio Dei in superiore, & apprehensio præcepti eius, ac si à Deo egrederetur, per hæc enim non postulatur à religioso falsa apprehensio, vel existimatio erga superiorem, vel mandatum eius, sed solum eleuatio mentis ad considerandam supremam rationem, ac motiuum, propter quod obediendum est; quod est diuina voluntas, & authoritas. Quod satis declarauit B. P. Ignatius in citata epistola, cùm dixit obedientiam esse holocaustum, quo totus homo sine vlla prorsus imminutione, conditori suo, ac Domino per manus ministrorum, in charitatis igne immolatur. Item cùm ibidem dixit, *Christum Dominum in superiore quolibet agnoscere studeatis, in eóque diuinæ Maiestati obedientiam, ac reuerentiam summam cum religione præstare.* Item quod ait, *Nunquam intueantur personam ipsam cui obediunt, sed in ea Christum Dominum cuius causa obediunt.* & similia habet in cæteris locis citatis. Nihil ergo præter vel contra rationem virtutis per hanc admonitionem consulitur: nam qui sic obedit, non iudicat superiorem esse Deum, sed repræsentare Deum, quatenus vicem eius gerit; quod verissimum est; nam de omnibus magistratibus dixit Paulus esse Dei ministros, & ab illo habere potestatem, ad Roman. 10. ergo à fortiori id vērum habet in prælato religionis. Neque etiam iudicat præceptum superioris esse diuinum, id est, à Deo ipso immediatè latum, cùm euidens illi sit hominem esse qui præest: sed iudicat rationem obediendi esse diuinam, scilicet voluntatem ipsam Dei, quæ impletur, cùm impletur superioris voluntas, & esse debet prima ratio obediendi. Item in religioso est alia peculiaris ratio diuini cultus, quam in sua obedientia intueri debet: quia per speciale votum illam Deo consecratuit. ob hanc ergo causam æquiparatur quodammodo præceptum Prælati, ac si esset latum immediatè ab ipso Deo: nam licèt hoc propter propinquiorem habitudinem ad Deum, maiori quadam sit reuerentia dignum, & respectu hominum sit etiam immutabilius: nihilominus, quantum ad formalem rationem obediendi, si perfecto modo fiat, quandam habet æqualitatem. Quo sensu dixit Bernar. in citato Opusc. de Præcepto, & dispensatione, quem imitatur Bonauentura in speculo discipl. p. 1. cap. 4. *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus accipiendum est, quam si præcipiat Deus.* Et ibidem exaggerans Bernardus obedientiam, & reuerentiam Prælatis debitam, *Quos sibi Deus* (inquit) *æquare quodammodo, in vtraque parte dignatus, sibimet imputat illorum, & reuerentiam, & contemptum.* Exemplo. Potest hoc declarari exemplo latriæ, quæ eadem in Christum, & imaginem eius fertur: quia Christus in imagine adoratur, & ob eandem Christi excellentiam, imago Christi coadoratur.

XV. *Dicitur ipsorum ad prædictam considerationem intellectus non esse necessarium.* Neque etiam qui sic obedit, iudicat, aut existimat, non posse decipi, aut errare superiorem, vel ex ignorantia, vel ex malitia, nihil enim horum ad prædictam considerationem intellectus necessarium est, neque à citatis autoribus, neque à B. Ignatio aliquo in loco insinuatum est. Non enim sine causa, sæpius expresse addidit illam conditionem; *vbi peccatum non cerneretur*, vt dicit 3. p. cap. 1. §. 23. vel *vbi definiri non possit, aliquod peccati genus intercedere*; vt dicit 6. p. cap. 1. §. 1. & in epist. inquit, hanc rationem obedientiæ tenendam esse *omnibus in rebus, quæ cum peccato manifestè connexa non sunt.* Hæc enim adiectio *manifestè* supponit superiorem posse errare, aliquid illicitum præcipiendo. Si enim hoc non esset possibile, impertinens esset illa exceptio cùm in legibus diuinis addi non possit, quia fieri nequit, vt Deus mali aliquid præcipiat. Quòd si supponitur superiorem posse præcipere aliquod malum, eadem ratione supponitur posse id facere non tantum ex ignorantia, inuincibili, sed etiam exculpabili negligentia vel etiam ex praua affectu. Quia sicut non habet priuilegium speciale, vt errare non possit; ita neque vt non possit esse negligens, aut habere praua affectum: neque aliud potuit venire in mentem alicuius cordati hominis. Vnde B. Ignatius in dictâ epistola fatetur, *Superiorem esse obnoxium erroribus, atque miseriis, non tamen ita esse inspiciendum, sed vt Christi ministrum à quo sperandum est ipsum illuminatorum, & adiuturum, vt rectè nos ducat, & gubernet.* Qui ergo in suo superiore Christum considerat, non statim absolute supponit ipsum non posse errare, sed solùm facta illa hypothesi, quod malum non præcipiat, nec tale aliquid in ipso præcepto appareat, pro certo habet, & iudicat, sibi non errare: quod in citatis verbis expresse dixit Bernardus, *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus accipiendum est, quam si præcipiat Deus.* Hoc autem obedientis iudicium temerarium non est, sed sufficienti authoritate, & ratione fundatum.

XVI. Quod vt amplius explicetur, vulgaris distinctio

ctio *certitudinis*, præ oculis habenda est. Alia est enim certitudo speculatiua, alia practica. Prima sumitur ex conformitate ad rem; alia ex conformitate ad affectum operantis: & ad principia, per quæ moueri debet. Prior ergo certitudo non est necessaria ad obedientiam, quantumuis perfectam, non solùm circa vtilitatem rei præceptæ ad finem à superiore intentum, verùm etiam neque ad honestatẽ.

Quo pacto se gerat subditus in dubio de vtilitate præcepti.

Duo enim possunt venire in dubium, quando superior aliquid præcipit. Primùm an sit vtile, vel cõueniens, quod præcipitur secundùm artem vel humanam prudentiam iuxta materiam præcepti: vt, v. g. an esset vtile vel inutile rigare lignum aridum: an expediat studere, aut aliud agere, & similia. Atque in his dubijs clarum inprimis est, non oportere ad honestatem obedientiæ, illa discernere, vel dijudicare; nisi quando contigerit, ex resolutione talis dubij pendere honestatem actionis. Deinde etiam ad perfectionem obedientiæ necesse non est, pro certo iudicare, quod non est certum; id est, medium, quod præcipitur esse vtile ad finem, qui intenditur: nam cùm prudentia superioris in hoc falli possit, & res aliàs non sit subdito euidens, ferre tale iudicium firmum, vel est impossibile, vel certè imprudens. Perfectio ergo, quæ in hoc postulatur, solùm est, vt quando nõ est euidens, rem esse inutilem, vel incommodam fini intento, subditus se sinat authoritate superioris duci, etiam quoad iudicium se superiori conformando ex fide quadam humana, quæ tamen aliquo modo fundetur in spe diuinæ prouidentiæ erga superiorem. Quia verò hoc non obstante occurrere possunt rationes, quæ in contrarium vrgeant, ideo non excludit perfectio obedientiæ, quin hæ proponantur superiori, pura intentione procedendo, non ex affectu se excusandi ab onere præcepti, sed ex desiderio, vt quod magis expedit ad finem intentum à superiore fiat. Quòd si tandem, non obstantibus rationibus, etiamsi subdito euidentes appareant, superior in suo præcepto persistat, cùm non sit contra honestatem, faciendum est. Quod vt perfectè fiat, non oportet tunc iudicare rem esse vtilem, sed solùm, subdito esse vtile illam aggredi, & facere quantum possit. Et hæc est certitudo practica, quæ non repugnat cum priori dubio speculatiuo, vt per se notum est. Vt autem hæc certitudo practica constantior sit, & consequenter obedientia promptior, est optimum consilium non discutere conuenientiam rei in se, sed suspendere iudicium, quoad fieri possit, circa talem discussionem, & iudicare quod præcipitur melius esse.

XVII. *Quo item pacto in dubio de honestate.*

Secundò potest venire in dubium, an sit licitum nẽne, id quod præcipitur. De quo multa dicunt Doctores in materia de cõscientia, præsertim Corduba lib. 3. Quæstionarij quæst. 7. & sequentibus, & attingunt Adrianus quodlib. 2. Soto Opusc. de legendo secreto memb. 3. q. 2. Sylu. & Summistæ verb. *Obedientia*, & verb. *bellum*, & nonnulli ex scholasticis in 2. d. 39. & nos in tom. de Legib. & tract. de Charitate disp. 13. de bello sect. 6. à num. 8. & in materia de conscientia, & latè Sanches lib. 1. Decal. cap. 10. Breuiter tamen aduerto, duobus modis posse dubitare de honestate rei præceptæ. Priori modo antecedenter (vt sic dicam) dubitando de re ipsa, quæ præcipitur secundùm se, & separata à præcepto superioris. Posteriori modo etiam consequenter, seu facta compositione præcepti, dubitando an non obstante præcepto liceat id facere, seu (quod perinde est) an liceat obedire in tali materia. Hoc posterius dubium est practicum, & ideo illo durante certum est non licere tale opus facere: quia operari cum conscientia practicè dubia, nunquam licet, propter periculum cui homo se exponit ita operando. Vt ergo obedire liceat, necesse est tale dubium practicum deponere, & firmiter iudicare, non obstante priori dubio antecedẽte, seu de opere ipso secundùm se, licitum esse obedire, illud exequendo; sic enim prius dubium manet purè speculatiuum, quia non est proxima regula operationis, sed deponitur ex alijs principijs, & formatur certa conscientia.

Impracticum sit dubium prius deponendũ quàm obediatur.

Quod autem in præsenti explicare oportet, est, an supposito priori dubio antecedente authoritas prælati præcipientis sit sufficiens; posito que pro regula generali assignari ad deponendum illud dubium, & formandam conscientiam, *quòd obediendum sit*; partem enim affirmatiuam videtur docere Patres. Nam Bernardus in lib. de Præcepto, & dispensatione, sic inquit, *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit certum displicere Deo, haud secius accipiendum est, ac si præcipiat Deus.* Vbi exponendo negationem illam, *non sit certum*: non requirit vt positiuè sit certum: vnde licèt sit dubium, iuxta dictam regulam, obediendum erit; quia tunc non est certũ displicere Deo. Et eandem regulam eisdem verbis vsurpauit Bonauentura in speculo disciplinæ p. 1. cap. 4. Et Humbertus S. Generalis familiæ Dominicanæ lib. 5. de Eruditione religiosorum p. 1. cap. 1. *Obedientia* (inquit) *hominũ de Dei placito certificat: nisi enim apertè sit malum, quid à superiore præcipitur, sic accipiendum est, ac si à Deo præciperetur.* Vbi illud verbum, *apertè*, ponderandum est. Sumitur etiam ex Augustino lib. 22. contra Faustũ cap. 74. & 75. & refertur in cap. *quid culpatur* 23 q. 1. vbi ait milites rectè obedire Principi bellum præcipienti, quando de iniustitia belli eis non constat. Deniq; hac etiam regula videtur vsus B. P. N. Ignatius 3. p. Constitut. c. 1. §. 23. dicens, *In omnibus rebus vbi peccatum non cerneretur.* quod explicans 6. p. cap. 1. dicit, *In omnibus rebus ad quas potest obedientia cum charitate se extendere.* Vbi in declaratione lit. B. dicitur, *Huiusmodi sunt illæ omnes, in quibus nullum manifestum est peccatum.* Et simili modo loquitur in epistola de obedientia.

XVIII. *Sufficiat ne iussio superioris ad deponendum quodlibet dubium speculatiuum de honest. rei præcepta.*

Contra hanc verò doctrinam facere videtur, quia nulla sufficienti ratione fundata est; & alioqui nullum est præceptum diuinum, quod obliget ad præferendam authoritatem superioris omnibus rationibus, quæ dubium mouere, seu fundare possunt; neque id videtur consentaneum rationi. Nam cùm superior ipse quantum ad iudicium circa materiam sui præcepti, an aliàs sit licita, nẽne, non diuinam, sed humanam tantùm authoritatem habeat, vinci potest; vel màiori authoritate doctiorum, & fortasse sanctiorum, vel per efficaciam rationis, vel textus aut legis superioris prælati: ergo non potest indistinctè illa regula prudenter acceptari.

XIX. *Arguitur pro parte negat.*

Dicendum verò est, prædictos Sanctos moraliter esse loquutos, & ideo tradidisse illam regulam, quæ rectè explicata, vel generalis est; vel tam raram, & extraordinariam patitur exceptionem, vt moraliter absolutè statui possit. Explicatur, quia vel dubium est negatiuum; scilicet, quia subditus nec positiuam habet rationem vt iudicet malum esse, quod præcipitur, neque etiam vt credat esse bonum, & honestum, secluso præcepto: vel potest esse dubium positiuum, id est, ortum ex positiua authoritate, vel ratione in contrarium. In priori dubio generatim, & sine vlla exceptione, verum est præceptum superioris sufficere, vt subditus illi innixus, certò iudicet, sibi licere, quod præcipitur, quia in illo casu etiam præceptum obligat, cum superior exigat ius suum, & in dubio, *melior sit conditio possidentis*. Item quia aliàs esset moraliter impossibilis obedientia, si vnicuique subdito in particulari prius persuadendum esset, iustum esse, quod præ-

XX. *Authoris resolutio.*

Explicatur quando dubium est negatiuum.

Iuxta hanc partē dubij nega satisfit Patribus in n 18. citatis.

præcipitur. Et hoc maximè videtur intendere Augustinus in dict. cap. *quid culpatur.* ibi, *si quod iubetur vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel verum sit, certum non est.* Atque hic modus obedientiæ maximè locum habet in religiosis, quoad actiones, vel omissiones, quæ per se malæ non sunt; dubitari autem potest, an religiosis sint honestæ, & læpiùs, an conferant ad illorum perfectionem: nam in his standum semper est iudicio & præcepto superioris; quando euidenter non constat ipsum errare, vel ex falsa præsumptione procedere, & hoc sensu dicunt Patres citati, præsertim Basilius in epistola ad Canonicam, & Cassianus collat. 4. cap. 20. non minus esse obediendum prælato præcipienti refectionem, quàm præcipienti ieiunium, & præcipienti otium, aut somnum, quàm præcipienti laborem, aut vigiliam; quia licèt priora iussa ex se non ita honesta, vel vtilia appareant, sicut posteriora, obedientiæ subiectio confert illis sufficientem honestatem. In hoc etiam sensu dicunt interdum Patres: Quidquid voluntate sua religiosus agit, etiamsi bonum esse illud iudicet, illi bonum non esse, neque vtile; *imò esse furtum, & sacrilegium*, ait Basilius in sermone de Abdicatione rerum, & serm. 2 de Institutione monachorum, circa finem, & regul. 60. ex breuioribus. *Nec ea* (inquit) *quæ ex suo genere bona sunt ex proprio arbitrio geri conuenit.* Vbi etiam in religioso hoc sine culpa non fieri significat, dicens, *culpam suam agnoscere debet, qui huiusmodi est, quòd sua sponte constituere aliquid ausus fuerit, cuiuscunque omnino generis illud sit.* Hæc enim, & similia intelligenda sunt, quando illud, quòd aliàs bonum apparet, contra voluntatem superioris fit, vel quia ab ipso specialiter prohibetur, vel quia ex regula non permittitur fieri, sine consensu eius; nam præferre iudicium suum vel regulæ, vel voluntati superioris, propter bonitatem, quæ in obiecto, vel actione apparet, in religioso reprehensibile est. Quòd autem in hoc sensu loquatur Basilius, patet, nam statim subdit, rescindendum esse quidquid præter præceptum superioris statutum sit: affertque exemplum de Petro, qui resistebat Christo volenti lauare pedes eius. Ratio etiam id ostendit, quia vbi opus aliàs bonum, regulæ, aut obedientiæ non opponitur contrariè, quanuis careat motione eius, non ideo malum est; quia non est illa circunstantia necessaria ad omnem actum virtutis, etiam in viro religioso, quanuis, cæteris paribus, talis actio minùs perfecta sit. Quoties ergo in materia obedientiæ positiuè non apparet malitia, nec certò, nec probabiliter, quanuis nec de honestate constet, obediendum est etiam omittendo, quod aliàs constat bonum esse, quando non constat omissionem ipsam malam esse.

XXI. *Explicatur eadem resolutio quando dubium est positiuum.*

Quando verò dubiũ est positiuum, necessarium est expedire rationes, vel auctoritates, quæ dubitare cogunt, an id quod superior præcipit, honestum sit, siue tale dubium oriatur circa factum, vt, v. g. an reuelatio talis peccati sit formalis detractio, & infamatio proximi, nécne; vel an tale factum fuerit homicidium, nécne; & consequenter, an ex illo contracta fuerit excommunicatio; siue oriatur dubium ex iure, vt an liceat nunc comedere, quando præceptum ieiunij obligare videtur; vel hoc facere, quando aliàs obligat præceptum audiendi sacrum, &c. Hoc enim conuincit obiectio facta. Quando autem rationes, aut motiua talia sunt, vt rem faciant dubiam, & non certam, necesse est, vt sint tantùm probabilia, & non euidentia. Considerare ergo oportebit, an secluso præcepto, res sit vtraque ex parte probabilis; & tunc generaliter verum erit adiuncto præcepto obediendum esse, quia cum vtraque pars supponatur esse probabilis, adiuncta ratione obedientiæ, pars illa eligibilior fiet. Nec distinguendum existimo de maiori, vel minori probilitate: quia iuxta communem doctrinam, per se licet practicè sequi opinionem probabilem circa honestatem actus, relicta probabiliori. Ergo multo magis hoc licebit, adiuncta obedientiæ ratione: nam moraliter loquendo non potest ille excessus probabilitatis tantus esse, quin meritò prætermittatur, propter virtutem obedientiæ, præsertim quia ipsa auctoritas superioris probabilitatem alterius partis multum auget. Si autem contingat, secluso præcepto, ita esse probabile actum, de quo agitur, esse malum, vt oppositum, nec probabile sit; tunc non potest res vocari dubia, esto non sit omnino euidens, sed humano modo certa; quia vix possunt homines consequi certiorem rerum cognitionem, præsertim in rebus practicis, & moralibus. Et ita existimo Patres superius citatos huiusmodi cognitionem comprehendere, quoties dicunt obediendum esse in omnibus quæ non constat, aut certum non est displicere Deo; nam in eo casu satis constat, satisque certum est, & ideo licèt verum sit, stante illo iudicio non debere subditum obedire; nihilominus regula illa rectè intellecta generaliter, & sine exceptione vera est.

Addo verò etiam in eo casu considerandum esse, XII. an materia illius obedientiæ iudicetur illo modo intrinsecè mala, vel solùm ex iure aliquo positiuo. Nam in priori casu generaliter verum est obediendum non esse, in posteriori autem vlteriùs considerandum est, an superior præcipiens posit in tali iure dispensare; nam si hanc potestatem habeat, & non ex ignorantia præcepti ecclesiastici, v. g. contrarium præcipiat, præsumendus est dispensare: nec facile iudicandum est, sine causa, & inualidè id facere, nisi enidenter id constet; quod frequenter, ac moraliter loquendo, vix potest accidere. Aduerto etiam, aliquando talem posse esse actum, vt secluso obedientia inuingente alium actum, fit necessarius ad honestatem morum, non solùm ex positiuo iure, sed etiam ex naturali, & nihilominus quòd eius necessitas cesset interueniente obedientia, & præcepto hominis, vt ex charitate, vel ex voto posset religiosus non impeditus obligari ministrare infirmo indigenti, & nihilominus superiore aliud præcipiente, licitè illud omittere. & ita videtur non obstare iudicium de malitia illius omissionis, quominus obedientia seruetur, sed hoc ideo est, quia mutantur circunstantiæ ex quibus illa obligatio, seu necessitas oriebatur: nam qui non est dominus suarum actionum, potest ad aliquam obligari quando non exigitur à superiore, seu domino, non verò si ab illo præoccuperur. Et ideo cum dicimus iudicium moraliter certum de intrinseca malitia actus, vel omissionis secundùm se impedire, ne quis obedire teneatur, intelligendum est de iudicio omnino absoluto, quod non pendet ex his circunstantijs, quodque moraliter non mutetur ex parte obiecti, seu materiæ propter superueniens præceptum superioris exigentis ius suum.

Præterea considerandum est, aliquando talem XIII. posse esse personam superioris, vt eius authoritas posit probabilem efficere partem illam, quæ antea talis non apparebat, nec iudicabatur, vt si non solùm religiosus, & pius, sed etiam doctus satis, & prudens habeatur: tunc enim ponderari potest authoritas eius, & ratione illius obedire, non obstante priori iudicio. Si quis autem rectè considera ret, in eo casu non obeditur contra iudicium moraliter certum, neque consideratur prælatus formaliter

siter tantùm, vt prælatus est, quod ad obedientiam spectat, sed consideratur, vt homo doctus, & prudens est: & vt sic, priùs præbet authoritatē rei præceptæ; tollitq; consequenter moralē certitudinem prioris iudicij, & tunc locum habet obedientiæ efficacitas. Quocirca, cùm Patres docent perfectum obedientem non debere considerare personam superioris vt doctam, vel sanctam, sed vt ministrum Dei, intelligendum id esse per se, & quoad rationem obediendi: ex accidenti verò aliquando potest id esse necessarium ex parte materiæ obedientiæ, ad iustificandam illam, & regulariter etiam est vtile ad faciliùs conformandum proprium iudicium cum iudicio Superioris.

XXIV. *Etiam cessante obligatione ob dubium positivum, perfectius obeditur, si non cesset contrario.*

Vltimò animaduerto, aliud esse tractare, an subditus possit licitè obedire in omnibus, vbi peccatū non cernitur manifestè modo explicato, aliud verò an teneatur: hactenus enim solùm diximus illud prius, quia non agimus hìc de obedientia simpliciter necessaria, sed de meliori, & perfecta; reliquum verò, quod ad necessitatem spectat, generale est de obseruantia omnium præceptorum, & tomo præcedenti tractando de obediētia religiosa in genere, sufficienter tactum est. Solùm ergo (quod ad præsens statutū spectat) generaliter assero quotiescunque in prædictis casibus licitum est obedire, meliùs ac perfectius esse odedire etiamsi præcepti obligatio aliquo titulo excusari possit. Quod maximè verum habet, quando obligatio non deest ex defectu potestatis, sed ex defectu volūtatis, scilicet, quia Superior non intendit obligare, licèt possit. Tunc enim locum habet, quod ait Bonauentura tom. 1. Opusc. tractat. de Gradibus virtutū, *altus gradus obedientiæ est implere verbum Prælati propter Deum, altior implere nutum, altissimus implere voluntatem.* Quod etiam significat D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 2. ad 2. Ratio autem est, quia vbi materia præcepti talis est, vt omnibus eius circunstantijs, & speculatiuis dubijs consideratis, posset Superior eam præcipere, si vellet, quacunque ratione eam iniungat, vel suam voluntatem circa illum ostendat, erit non solùm licitum, sed etiam perfectius illi obedire, est enim eadem proportio. Et confirmatur, nam illa materia, simpliciter loquendo, est licita in ordine ad obedientiam; ergo pertinet ad obedientiam perfectam. Distinguit enim D. Thomas dict. q. 104. art. 5. ad 3. triplicem obedientiam. *Vna* (inquit) *est sufficiens ad salutem, quæ scilicet obedit in his ad quæ obligatur; alia perfecta, quæ obedit in omnibus licitis: alia indiscreta, quæ etiam in illicitis obedit.*

XXV. *Quomodā limitatio circa idem dictum.*

Posset autem hæc regula limitari ex Soto dict. memb. 3. q. 2. & Corduba dict. lib. 3. q. 6. nisi id quod præcipitur vergere posset in notabile præiudicium proprium, vel tertiæ personæ. Sed moraliter loquendo hæc limitatio locum non habet in casu de quo agimus, quia si materia talis esse supponitur, vt certū sit posse à Superiore præcipi hìc, & nunc pensatis omnibus circunstantijs, iam non poterit esse talis, vt ex illa possit moraliter timeri tale nocumentum, alioqui ratione huius periculi, dubitari posset an Superior in rigore valeat circa illam obligationem præcepti imponere. In hoc autē casu loquuntur dicti auctores. Dicunt enim quando subditus dubitat, an Superior possit præcipere, necne, tunc si timeat graue nocumentū propriū, aut præiudicium tertij, nō obligari ad obediendū, etiamsi aliàs sit certus id quod præcipitur licitum esse. Sed hoc, vt ipsimet indicant, solùm habet locū, quando dubitatur de iurisdictione, aut de potestate Superioris circa talem materiam, propter difficultatē eius: vt si religiosus dubitet, an ire ad Indos sit materia sui voti obedientiæ, tunc enim volunt isti authores nō teneri ad obediendū stante æquali dubio: quia non tenetur cum tam graui incommodo tueri ius dubium prælati. Esto autem hoc verum sit de rigorosa obligatione, *regulariter* existimo esse perfectius obedire, *Si alioqui certum semper est, rem esse licitam*: quia virtus obedientiæ excellentissima est, & in eo casu non tam ius hominis, quàm ius Dei, licèt dubium proprio commodo præfertur. Dico autem *regulariter*, quia in his rebus moralibus, quæ ex circunstantijs plurimum variantur, non potest tam infallibilis regula assignari, quin possit excogitari casus, in quo periculum nocumenti, aut propriæ vitæ tanti momenti sit, vt maius Dei obsequium iudicetur illud vitare, quàm in eo dubio obedire. Dixi etiam; *Si semper sit certum rem esse licitam.* nam sæpe contingit, vt ex periculo nocumenti, præsertim alieni, oriatur dubium, non solùm de obligatione præcepti, sed etiam de honestate rei præceptæ, & consequenter an liceat obedire; tunc autem seruandæ erunt regulæ superiùs traditæ.

Dicta limitatio regulariter non procedit.

In quo consistat perfectio obedientiæ cœcæ.

Ex his omnib⁹ facilè potest vlteriùs intelligi, quō sensū à sanctis Patribus dictum fuerit, à religiosis perfectis, exhibendam esse suis prælatis cœcā obedientiam. Cùm enim cœcitas in priuatione visus consistat, & per metaphorā ad spiritualia translata sit, certum est nō in eo sensu transferri, vt significet priuationem omnis cognitionis, & iudicij: quod est adeò per se notum, vt non indiguerit explicatione. Quis enim dubitare potest, quin homo nō est brutum, vel stolidus obedire debeat, sed vt homo, qui recta ratione vtatur? Quod etiam conuincit prima obiectio generalis in num. 2. facta. Nam ijdem Patres à perfecto obediente requirunt lynceos oculos, quibus Deum in Superiore cernat: non ergo absolutam priuationem cognitionis, & iudicij perfecti, in cœca obedientia requirunt. Neque hoc magis potest imponi B. P. N. Ignatio, quàm cæteris Sanctis cùm ab eisdem, & sententiam, & verba vsurpauerit, & iuxta subiectam materiam, in sensu omnibus noto, metaphora illa vsus sit. Imò si rectè expendantur verba eius, particulam aliquam semper addidit, qua omnem inuidiam tolleret, & proprium sensum metaphoræ explicaret. Nam in Examine cap. 4. §. 29. addit illam particulam, *Sanè intelligendo.* In 3. p. cap. 1. §. 3. dixit, *Vbi peccatum non cernetur.* Supponit ergo obedientem oculos habere debere, quibus hoc discernat. Et 6. p. cap. 1. §. 1. *Omnem* (inquit) *sententiam, ac iudicium nostrum contrarium, cœcam quandam obedientiam abnegando.* Vbi illa particula *quædam* restrictiua est: quia nimirum non simpliciter, sed secundùm quandam rationem obedientia debet esse cœca. Hoc autem ibidem explicatur per oppositionem ad sententiam, & proprium iudicium contrarium; & in alijs locis additur, cœcitatem hanc debere excludere humanas rationes, quibus moueamur potiùs ad parendum Superiori quia doctus est, aut prudens, vel quia placentia iubet, quàm propter solam Dei voluntatem. Item additur excludere humanos discursus, quibus subditus examinare velit, cur prælatus hoc præcipiat, vel cur potius sibi, quàm alteri, & similia.

XXVI. *Cœca obedientia non priuat subditum omni iudicio.*

Neque id S. Ignatio imponi potest.

Itaq; vt vno verbo dicamus, cœcitas hæc excludit prudentiam carnis, non verò prudentiam spiritualem & supernaturalem. Cùm enim obedientia sit perfectissima virtus, non minus requirit ad suū perfectum actum ducem prudentiam, quàm aliæ virtutes morales; sed hoc est ei proprium, quòd iudiciū prudentiale dirigens illā fundatur magis in extrinseco principio, & iudicio Superioris, quàm in proprio, & ideo quatenus excludit propriū, dicitur obe-

XXVII. *Excludit rationem prudētiam carnis. Vide D. Th. 2. 2. q. 50. ac 2. & ad Titum 1. lect. 4. & Bern. epist. 7.*

obedientia cœca: excludit autem proprium, quatenus vitiosum aut imperfectum est, non quatenus dicit omnem vsum proprij intellectus. Sicut dixit etiam Bernardus; *Tolle propriam voluntatem, & infernus non erit*, non vt excluderet omnem vsum propriæ voluntatis, & libertatis: nam si hoc tollatur, etiam præmium cœleste non erit, sed vt excluderet vitiosam voluntatem, quæ per accommodationem, & communem vsum virorum spiritualium propria solet appellari Ita ergo in præsenti materia ex simili vsu, & accommodatione illa obedientia, quæ non nititur propriæ prudentiæ, nec curiosè inquirit rationes, & causas præcepti cœca appellata est à sanctis viris, quibus tanquam in propria arte loquentibus, licuit proprijs nominibus vti ad hanc perfectionem obedientiæ significandam, & ad exaggerandum quantum oporteat iudicio Superioris magis, quàm proprio gubernari. Sicut enim cœcus ab alio ducitur, & quasi alienis oculis videt; ita suo modo subditus ad Superiorem comparari debet.

XXVIII. *Cur dicatur etiam obedientia indiscreta & insipiens.*

Eodem sensu vocatur hæc obedientia aliquando à Patribus *indiscreta*, aut *insipiens*. Ità loquitur Bernardus, scribens ad fratres de Monte Dei, & ex illo Bonauentura in speculo disciplinæ p. 2. cap. 3. & Humbertus de eruditione religiosorum lib. 2. p. 2. cap. 16. cùm tamen D. Thomas 2. 2. q. 104. artic. 5. ad tertium, indiscretam obedientiam damnet. Est tamen diuersitas in vsu vocis, non in re. Nam D. Thomas *indiscretam* appellat, quæ non discernit, an sit licitum, vel illicitum, quod imperatur. Bernardus autem *indiscretam* vocat, quę non fundatur in propria discretione, & iudicio. Quomodo etiam dixit Gregorius verum obedientem non discutere, nec discernere obedientiam; & iterum; *Nescit iudicare qui perfectè didicerit obedire*. Et alia multa similia suprà à num. 4. relata sunt. Eodémque sensu vocatur hæc obedientia simplex sine discussione, vt ex Augustino refert Bonauentura in libro octauo collationum capite tertio.

XXIX. *Assertio bipartita pro obedientia cœca.*

Sic ergo explicata vocis significatione per se satis euidens est huiusmodi obedientiã sanctam & perfectam esse. Primum patet, quia in modo illo obediendi nihil est mali, aut periculi, vt satis declaratum est, quia semper supponitur materia honesta cum sufficienti certitudine, quæ omne periculum mali moralis excludit, siue illa certitudo ex re ipsa oriatur, siue ex adiuncto præcepto practicè resultet: ergo cùm aliunde ibi interueniat motiuum, & ratio obedientiæ, illa sufficit, vt huiusmodi obedientia sancta sit. Secundũ autem, scilicet esse perfectam, optimis rationibus à B. Ignatio in dicta epistola demonstratur. Summa est, quia in primis est necessaria ad conuenientẽ gubernationẽ, vt videre licet in obedientia politica, œconomica, militari, & quacunq; alia. Nam si seruꝰ, aut miles semper deberet intelligere, & percipere rationes, & causas quæ mouent ducem, aut dominum ad imperandũ, difficile, ac moraliter impossibile redderetur omne regimen. Accedit quòd Præfectus sæpe mouetur ad præcipiendum rationibus altioribus & vniuersalioribus, quas subditus, vel percipere non posset, vel non expedit ipsum eas scire. Sicut etiam in ædificijs, vel artefactis cõstruendis, inferiores ministri ab architecto mouentur & diriguntur, eisque obedire necesse est, quamuis causam, & rationem, qua mouetur, nõ intelligant: alioqui vix posset humano modo procedere opus. Deinde, quia per se notum est concordiam quoad fieri possit, inter inferiorem & prælatum in iudicijs, & voluntatibus meliorem esse; quia & per se amabilis est, & ad omne opus vtilis: ergo procuranda est per conformitatem subditi ad superiorem, potius quàm è conuerso: hæc enim subordinatio est per se magis consentanea rationi, tum ratione potestatis, & iuris, quod habet Prælatus in subditum, ratione cuius ei debetur obedientia vbi suam potestatem excedere non constituit, præcipiendo, quod malum est. Tum etiam ratione maioris authoritatis, quã habet, eo quòd ita comparetur superior ad subditum, sicut Magister ad discipulum, & sicut caput ad membrum. Denique est etiam hæc obedientiæ ratio melior, & perfectior, quia & necessaria est ad omnes alias perfectiones obedientiæ, quales sunt promptitudo, alacritas, perseuerantia, & similis, quæ cum dissensione iudicij vix haberi possunt, & exercitium plurium aliarum virtutum in se complectitur, scilicet humilitatis, se totum etiam quoad mentem altiori submittendo, reuerentiæ, & fiduciæ in Deum, propter quem eius ministro, de sua prouidentia confidendi, ita obeditur. Vnde etiam fit, vt per hunc modum cœcitatis tollantur cogitationes, vel discursus, qui possent perfectionem obedientiæ impedire. Meritò ergo hic modus obedientię consulitur tanquam perfectus.

Atque ex his tandem satisfactum est obiectionibus, quæ vltimo loco contra hanc partem fiebant. Iam enim dictum est, non tolli per hanc obedientiæ simplicitatem, sufficientem discursum, ac discretionem ad non parendum in rebus illicitis: tamen quia illa solicitudo, moraliter vix est necessaria; nam regulariter non imponuntur illa præcepta, & si id contingat, facile, & per se statim patere solet, ideo absolutè solent dicere sancti, simpliciter, & sine discussione obediendum esse. De qua re est optima doctrina Bernardi in epistol. 7. vbi grauiter reprehendit quendam monachum, qui (vt ex superioribus epistolis constat) rem per se illicitam, & contrariam voto cum scandalo fratrum commiserat, se autem excusabat, eo quòd in ea cuidam Abbati obedierat, & ea occasione distinguit Bernardus, quædam esse purè bona, quæ constat esse facienda, maximè si præcipiantur, quædam purè mala, quæ facienda nõn sunt, à quocunque præcipiantur, quædam media, quę pro modo, loco, tempore, & persona, & mala possunt esse, & bona; & in his (inquit) *lex posita est obedientiæ*, de quibus postea concludit, nihil esse inter ea dijudicandum, sed etiam tantùm prudentiam adhibendam, quæ ad purè mala secernenda sufficiat, ad quam exhibendam, vt diximus, parua discussio necessaria est; nam quæ sunt purè mala, per se statim patent.

XXX. *Adamus Sculteti obiectio.*

Vnde etiam constat, quo sensu accipiendum sit exemplum fidei, quo circa hanc obedientiam ijdem Patres vtuntur, scilicet, sicut captiuatur intellectus in obsequium fidei, ita esse quasi excœcandum in gratiam obedientiæ. Est enim hoc per quàndam imitationem, & similitudinem intelligendum, non secundùm æqualitatem; quia hæc subiectio mentis, quæ fit per obedientiam, nõ fundatur in infallibili auctoritate vel veritate rei, sicut captiuitas fidei; sed solùm in potestate præcipiendi, & certitudine practica, quæ ex illa oriri potest, suppositis non repugnantia ex parte materiæ. Et iuxta hanc etiam doctrinã exponendus est Bernardus in lib. de Præcepto, & dispensat. cùm ait in rebus dubijs debere subditum superiorem consulere, & rationes dubitandi illi aperire, & iudiciũ eius sequi, *quia ex ipsius* (inquit) *habemus quod labia Sacerdotis custodiant scientiam, & legem ex ore eius requirunt, quia Angelus Domini exercituum est*. Quæ doctrina ad omnes pastores Ecclesiæ accõmodari potest, non tamen de omnibus eodem modo intelligenda est. Nam respectu Summi Pontificis, decisio dubij, si authenticè fiat, in re ipsa infallibilis erit, respectu verò aliorum inferiorum non ita, sed poterit efficere practicam certitudinẽ, iuxta regulas superiùs dictas, & tunc licèt cõtingat

contingat iudicium Superioris re ipsa falsum esse, subditus per ignorantiam inuincibilem excusabitur, & per virtutem obedientiæ merebitur.

XXXII. *Obiectio contra exempla S. Ignatii pro obedientia cæca.*

Vna verò obiectio adhuc supereſt dissoluenda; quia B. Ignatius in dict. epist. imitatus Bonauenturam in stimulo diuini amoris p. 2. cap. 11. in tom. 2. opusc. & alios Sanctos, exempla quædam nobis proponit huius obedientiæ, quæ nos imitari vult, cum tamen res seu opera in eis præcepta, si per se & ex obiecto spectentur, mala sint, & contra rationem. Huiusmodi est super aquas ingredi, vt de Mauro refert Gregorius lib. 2. Dialogo. cap. 7. lexnam capere, & ad superiorem deferre, ex vitis patrum. Hæc enim & similia, si ex obiecto spectentur, mala sunt, & contra quintum præceptum Decalogi, quia in eis vita manifesto periculo exponitur; quòd si spe miraculi fiant, præsumptio quædam erit, siue Dei tentatio, cuiusmodi etiam fuisse videtur factum illud, quod de S. Theodora refert Simeon Metaphrastes apud Surium 11. die Septembris tomo 5. Illa enim cum sub viri specie inter monachos vitam ageret, à prælato missa est ad deferendam aquam ex lacu; cum euidenti vitæ periculo propter crocodilum in eo lacu degentem, & omnes eò accedentes dilaniantem. Nec est admodum dissimile, quod de monacho Elstano idem Surius narrat 1. die Augusti tom. 4. Ille enim iussus ab Abbate manum mittit in bullientem aquam, vt eximo cacabi aliquid extraheret. In quibus omnibus exemplis constat, actiones illas per se spectatas temerarias esse, atque adeò per se illicitas, ac purè malas, vt Bernardus loquitur. Si ergo hæc nobis proponuntur tanquam exempla imitanda, obediendum nobis erit, etiam in rebus apertè illicitis. Nec minus difficile est, quod S. Benedictus suprà citatus ait obediendum esse, etiam quando constat rem præceptam esse impossibilem: quia tentare rem impossibilem, vel temerarium est, vel certè vanum & inutile, ac proinde illicitum. Qua ratione etiam inutilis apparet obedientia illa irrigandi per multum tempus lignum aridum, quam de Ioanne monacho suprà retulimus ex Cassiano lib. 4. cap. 24. Cuius etiam Sancti meminit Augustinus lib. de cura pro mortuis agenda cap. 17. Et aliud simile exemplum refert Seuerus Sulpitius in Dialogo de Orientalibus monachis. Denique eiusdem difficultatis est, quod in vita S. Ioannis Damasceni refert Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus apud Surium 6. die Maij tom. 3. illum videlicet missum fuisse à suo magistro, ad vendendas sportas duplo maiori pretio, quam par erat. *Cui imperio* (dicitur ibi) *minimè aduersatus est: nec imperantis sermonem sibi discutiendum, & explorandum putauit ille ad mortem vsque obediens.* At constat præceptum illud fuisse de re clarè iniusta.

Exempla alia ex Surio.

Item alia ex Bonad. Cassiano, &c.

XXXIII. *Basis solutionis propositæ exemplis.*

Respondeamus, in his & similibus exemplis duo esse distinguenda, vnum est finis ab Spiritu sancto intentus; aliud est actio ipsa, seu materia, quæ præcipitur. Quando ergo hæc exempla nobis proponuntur, solum est vt per ea intelligamus quantum Deo placeat obedientiæ virtus, & simplicitas. Hic enim fuit finis ab Spiritu Sancto intentus, & ob eam causam ferè in omnibus adductis exemplis, non miraculo confirmauit. Nihilominus tamen non hæc nobis proponuntur vt imitanda quo ad omnes particulares circumstantias eorum, sed solum quoad perfectionem, & simplicitatem, iuxta communes, & ordinarias leges obedientiæ debitas. Constat enim aliquando Spiritum sanctum mouere homines iustos, vt supra communem, & ordinarium cursum virtutum, mirabiliùs operentur. Qui modus operandi in exemplum etiam nobis proponitur, non vt illum eundem modum operandi imitemur, sed vt illius admiratione motí, saltem perfectionem virtutis assequi contendamus. Sic Samson, v. g. aut Apollonia proponitur, vt exemplum fortitudinis, qui ex peculiari instinctu Spiritus sancti, sibi mortem intulerunt, non vt hoc totum imitemur, sed vt his exemplis mortem contemnere discamus. Ita ergo in prædictis obediētię exemplis, quædam sunt, quæ ex peculiari instinctu Spiritus sancti facta esse credendum est, tam ex parte prælatorum iubentium, quam subditorum obedientium, quæ sub ea ratione, non imitanda proponuntur, sed admiranda: imitanda verò quoad perfectionem virtutis, quam talia facta indicant aut supponunt. Huiusmodi autem sunt omnia illa, in quibus euidens vitæ periculum, aut aliud graue nocumentum imminere videbatur. Vnde quod Benedictus ait obediendum esse etiam in re impossibili, intelligendum est (loquendo de ordinario modo studiosè obediendi) quantum ad aggrediēdam, & inchoandam actionem, in quo fuerit ipsa possibilis, neque antea desistendum, quàm reipsa probetur, non esse possibile vltra progredi, sine graui nocumento, aut sine temeritate. Maximè autem hoc habet locum, quando ipsa actio, quæ præcipitur, possibilis est, & non mala; finis autem, vel vtilitas eius, est impossibilis: tunc enim sine culpa, imò cum magna perfectione obediri potest, quia tunc illa actio non est otiosa, quia deseruit ad exercitium humilitatis, & obedientiæ, etiamsi ad proprium finem veluti materialem, vt sic dicam, inutilis sit, & huiusmodi esse posset irrigatio ligni aridi, etiam sine miraculi interuentu. Denique ferè eodem modo intelligi potest factum illud Ioannis Damasceni, & magistri eius; clarum est enim non fuisse ibi intentam iniquam venditionem, sed insignem Damasceni abiectionem, & mortificationem, quæ moraliter constabat fore sine alia iniuria, quia res erat adeò manifesta, vt nullus ex deceptione, aut ignorantia rem esset tanto pretio emturus: vel si quispiam illud offerret, spontanea voluntate, & in gratiam tanti viri illud fuisse oblatum, prout reuera accidit. Et hactenus de voto obedientiæ.

CAPVT XVI.

An promissio ingrediendi Societatem, quam scholastici approbati simul cum tribus votis substantialibus faciunt, sit verum votum eorum statui conueniens.

I. *Membra duo præsentis capitis.*

SVpponenda est forma, quæ in hac Scholarium approbatorum incorporatione seruatur. Nam postquam religiosus tria vota in Societate emittit, subdit; *Et promitto eandem Societatem me ingressurum, vt vitam in ea perpetuo degam, omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis constitutiones.* Vt ergo totam substantiam, & obligationem illius actionis explicemus, necessarium est in præsenti cap. declarare quænam sit, quamque necessaria hæc promissio & in sequēti, quem effectum, seu obligationem inducat. Ratio ergo dubitandi quoad priorem partem, sumi potest ex ipsa serie, ac forma vouendi, ac promittendi. Prius enim religiosus dicit; *Voueo paupertatem, &c.* & deinde subiungit; *Et promitto eandem Societatem me ingressurum.* Ergo ipsa varietas verborum ostendit hanc vltimam promissionem non esse verum votum, sed ad summum, simplicem promissionē, quæ religioni fit. Quæ differentia in aliis locis constitutionum obseruari potest. Nam in examine cap. 1. §. 10. dicitur; *Post experimenta & probationes eadē tria vota simplicia, paupertatis, castitatis, obedientiæ, cum promissione ingrediendi Societatem, emittant.* Idem ferè tenor verborum seruatur in cap. 7. eiusdem examinis §. 1. & 4. p. c. 3. §. 3. *At votis cum promissione de Societatis*

tatis ingressu emissis. Ac denique nullum in constitutionibus locum inuenies, in quo hæc promissio votum appelletur. Et confirmatur, nam alioqui status hic religiosus, quatuor votis simplicibus constitueretur, sicut status professorum constituitur quatuor votis solennibus quod nouum est, & præter doctrinam Gregorij XIII. in suis constitutionibus, *Quanto fructuosius*, & *Ascendente Domino*, in quibus sæpe repetit, hos scholares tria substantialia religionis vota emittere, & per hæc veros religiosos fieri; nullamque vnquam alterius quarti voti mentionem facit. Ex quo inferri videtur circa secundã partem quæstionis, tale votum necessarium non esse: imò nec simplicem promissionem, & consequẽter neque esse conueniens, quia superfluum est addere vincula, vbi necessaria non sunt. Antecedens patet ex verbis Gregorij in dicta constitutione, *Ascendente Domino. Quicunque absoluto probationis biennio predicta tria substantialia vota, etiam simplicia emiserint, si absque expressa licentia Societatis discedant, &c. ap. sit. sua & excommunicationis, ex Apostolicæ Sedis decreto, pœnas incurrunt*, &c. Ergo ex vi illorum trium votorum, est talis religiosus sufficienter obligatus, & traditus Societati: ergo impertinens est alia promissio.

II. *Prima assertio bipartita pro priori membro.* Nihilominus dicendum est breuiter, promissionem illam esse verum ac proprium votum à tribus primis distinctum. Hoc declaratum fuit in Congregatione 5. generali canone 2. his verbis. *Promissio illa ingrediendi Societatem, quæ in formula votorum simplicium scholasticorum habetur, votum est peculiare à tribus aliis distinctum.* Quàm declarationem veram esse ex ipsa formula vouendi, si contextus ipse attentè consideretur facile colligi potest. Sic enim habet: *Ego N. voueo coram sacratissima Virgine Maria, & Curia cœlesti vniuersa, diuinæ Maiestati paupertatem, castitatem, & obedientiam in Societate Iesu: & promitto me in eam ingressurum, vt vitam in ea perpetuo degam.* In quibus aduerto tam verbum *voueo*, quàm verbum *promitto*, cum illo termino *diuinæ Maiestati* copulari: in omni enim promissione, quæ prudenter, & conuenienter fit, indicatur persona cui fit, alioqui incerta, & vaga, & consequenter ex ea parte nulla esset promissio, ibi autem nulla alia persona explicatur, cui hæc promissio fiat, nisi diuina Maiestas: ergo sine dubio verbum *promitto* ad eandem refertur. Quod etiam in omni rigore copulatiua illa, *voueo diuinæ Maiestati, & promitto*, requirit. Hoc ergo supposito, euidenter concluditur, illam promissionem esse verũ votum, quia votum nihil aliud est, quàm promissio Deo facta; sed illa promissio fit diuinæ Maiestati: ergo est verum votum.

III. Quòd autem fit distinctum à tribus primis, ex materia ipsa constat, res enim diuersa est, quæ per ipsum promittitur, vt per se satis constat. Intelligiturque melius aduertendo ex superius dictis nomẽ *Societatis* in eadem forma vouendi bis repetitum, non omnino idem significare: nam licèt eadem Societas sit (vt ibidem etiam dicitur) in qua paupertas, castitas, & obedientia, vouentur, & cuius ingressus promittitur, non tamen *secundum idem*, quia illa vota fiunt in toto corpore Societatis absolutè sumpto: promittitur autem ingressus in eandem, secundùm vlteriorem partem seu gradum eius, vt si quis existens intra domum, in primis receptaculis eius promitteret, & ibi manere & interius ingredi: essent enim illæ promissiones diuersæ. Ita ergo suo modo in præsenti per tria vota quis obligatur ad ea seruanda intra Societatem, possetque in ea obligatione persistere, ac perseuerare sine obligatione vlterius progrediendi: est ergo votũ plane distinctum, quoad ingrediendum Societatẽ obligatur: ergo est hoc votum distinctum, & separabile ab aliis.

IV. Hinc secundò dicitur votum hoc, & per se conueniens esse, & vtile, atque in hoc sensu necessarium, quod vocatur ad melius esse. Probatur, nam in primis illud votum probatum est ab Ecclesia cum cæteris per Bullas Pontificias, & specialiter in Bulla 2. Pauli III. Est igitur tale votum per se honestum, ac conueniens, & ratione patet, quia est de meliori bono, quod ostenditur, quia alias verum votum non esset, tum etiam, quia, vt dicitur in declaratione 5. p. cap. 4. §. 4. lit. F. promissio ingrediendi Societatem, est de votis professorum solennibus: aut coadiutorum formatorum. Votum autem simplex, de voto solenni faciendo, aut de alio voto quacunque ratione perfectiori, aut strictiori per se conueniens est & de meliori bono: ergo.

V. Vnde obiter colligo primò, quãuis gradus scholarium in Societate verum religiosum constituant: nihilominus quemcunque vlteriorem gradum esse simpliciter meliorem & perfectiorem, alioqui non rectè fieret votum transeundi ab vno ad cæteros. Et de gradu quidem professorum id per se clarum est: quia & includit plura vota, & grauiora, inducitque multo plures, & graues obligationes. De gradu autem coadiutorum formatorum id etiam patet, quia excepto voto speciali obedientiæ ad Pontificem, circa missiones reliqua omnia vota in illo fiunt, & effectus paupertatis sunt in eo gradu maiores, quàm in gradu scholarium, licèt in aliis duobus votis sit æqualitas. Est etiam in eo statu maior quædam vnio cum religione, ratione cuius, & status, absolutè loquendo, est firmior, & stabilior, & religiosus ipse, quasi ex officio magis obligatur ad onera religionis sustinenda. Rectè ergo fit illa promissio de illo ingressu, tanquam de meliori bono: & ex hac parte etiam habet veram rationem voti. Vnde etiam patet, quòd licet illud non fit propriè votum religionis, quia iam supponit religiosum statum, est tamen quasi votum maioris perfectionis in eodem statu religionis, sicut auctores communiter dicunt votum à religioso factum transeundi ad arctiorem religionem non esse propriè votum religionis in genere, sed tantum quoad speciem, & modum religionis. Sic ergo proportione seruata hoc votum in præsenti intelligendum est.

VI. Atq; ex his facile patet necessitas, seu vtilitas huius voti. Est enim considerandum scholares Societatis ita constitui in statu religionis, per tria vota substantialia, vt tamen non omnino constituantur extra viam, seu in termino religiosi status, vt dicam: & ideo quamuis vltra ordinem nouitiorum sint, non tamen sunt omnino extra probationem, & experimentum. Hæc enim duo respectu diuersorum non sunt repugnantia. Ob hanc ergo causam, quamuis per tria vota substantialia fiant hi scholares verè ac propriè religiosi, & constituantur in statu: nihilominus necessarium est, vt voueant transitum ad vlteriorem gradum, quia ad illum tenduntur, & in illo sunt maximè necessarij religioni, cui non satis esset consultum, si illi permanere volentes in assumpto statu, nollent vlterius progredi prout in rigore, sine peccato facere possent, nisi hoc specialiter promitterent. Et quamuis præceptum obedientiæ potuisset sufficere si aliàs declaratum esset, hanc esse materiam obedientiæ, tamen si maiori, & meliori modo hæc obligatio inducitur per propriam promissionem Deo factam voluntariè in ipsamet assumptione talis status, prout in Societate nunc fit.

VII. Tandem hinc facile satisfit primæ rationi dubitandi in principio: & redditur optima ratio, ob quam Gregorius XIII. in confirmatione allegatus cùm tractat de vero, ac proprio statu religioso horum scholarium, solum commemorat tria vota sub-

substantialia: quia reuera illa tantum sunt, quæ talem statum constituunt, & de facto constituerunt, etiamsi aliud votum, seu promissio eis non adiungeretur, quia hæc duo, scilicet esse in tali gradu, & ad vlteriorem tendere, distincta sunt, & separabilia, & illud prius est, quod constituit proprium statum religiosum: nam hoc posterius potius respicit futurum, quam statum præsentem. Est ergo hoc quartum votum annexum & adiunctum illi statui ex peculiari Societatis cõstitutione, non verò formaliter constitutiuum illius status: & ideo non oportuit de illo fieri mentionem vbi de sola substantia illius status, & de votis, ac traditione actuali, quibus illa constat, sermo est. Sicut etiam cum de gradu professorum in eisdem constitutionibus Gregorij agitur, solum fit mentio quatuor votorum solennium: quia per illa in tali statu formaliter cõstituuntur, quanuis præter illa, emittant vota suæ professioni quasi annexa. Fortasse etiam ob hanc causam (vt aliis locis ex constitut. & examine in eodem 1. argumento adductis respondeamus) in formula vouendi, & in constitutionibus distincto verbo *premittendi* hoc votum proponitur, & declaratur; vt indicetur, non pertinere intrinsecè ad præsentem traditionem, & statum, qui per illam constituitur, sed esse meram promissionem de futuro, Deo tamen factam, ac proinde non excusam à ratione *voti*, quanuis ea voce non nominetur. Denique ad alteram partem, iam declarata est huius voti vtilitas, cui nihil obstat, quod ex vi trium votorum apostata fit, qui talem religionem deserit; quia aliud est perseuerare in statu assumpto, aliud ad vlteriorem gradũ transire; ad illud prius sufficienter obligant tria vota, & illi obligationi contrarium est apostasiæ vitium: ad hoc autem posterius, non obligant illa vota per se spectata, neque esset apostata, qui perseuerans in statu & gradu assumpto nollet vlteriorem assumere; meritò ergo additur nouum vinculum, quo hæc inducatur obligatio.

Ad argum. contra postremum membrum in eodem n. 1.

CAPVT XVII.

Quos effectus habeat dicta promissio ingrediendi Societatem.

I. *Tractata superiori capite promissione veram obligationẽ constat.*

REsponsio ad præsentem quæstionem ex præcedentis decisione videtur manifesta: explicatum enim à nobis est, quid sit ingredi Societatem, respectu illius, qui intra illam, & in aliquo gradu eius, tanquam verus & proprius religiosus iam existit: omne autem votum ad id obligat, de quo fit: ergo hoc etiam obligabit ad prædictum ingressum, & talis obligatio prædicti voti effectus est. Declarare verò necesse est eius materiam, seu quid facere teneatur, qui tale votum emisit, vt illud exequatur, & suæ obligationi satisfaciat. Nam qui emisit votum religionis potissimum solet obligari ad petendum & procurandum illum statum; & si aliquis religiosus vouit transire ad arctiorem religionem, similiter subit obligationem procurandi habitum eius. At in præsenti scholares Societatis tantum abest vt obligentur ad procurandum vlteriorem gradum in Societate, vt potiùs illis vitio detur, vel imperfectioni si de re quicquam loquantur, vel desiderium ad aliquem vlteriorem gradum ostendant. Nam in constitutionibus ipsis Societatis hoc ipsum prohiberi videtur: in Examine cap. 6. §. 5. & 6. & cap. 8. in principio, & 5. p. c. 4. §. 5. vbi sic dicitur, *Pestquam aliquis in corpus Societatis cooptatus fuerit in aliquo gradu, ad alium progredi curare non debet, sed in suo perfici, & obsequio Dei, & gloria, sese impendere ac Superiori, qui scilicet Christi Domini nostri vices gerit, curam aliorum omnium relinquere.* Deinde oportet

Dubium de materia talis obligationis.

exponere, quando hoc votum obliget, & cur in eo aliqua determinatio temporis addita non sit; ne incerta, & lubrica sit eius obligatio.

Dubium de tempore ipsius.

II. Prior pars declarata est in prædicta Congregatione 5. decreto 5. & canone 2. editionis anni 1616. vbi post verba superius citata subiungitur, *quo* (scilicet voto) *quis se obligat ad acceptandum gradum professorum, vel coadiutorum formatorum, prout Præposito ad maius Dei obsequium fore videbitur.* Quæ declaratio sumpta est ex cap. 7. Examinis §. 1. vbi sic dicitur. *Sic autem intelligendus est huiusmodi ingressus, vt professionem, vel vota coadiutorum formatorum, si Societas eos admittere volet, emittant.* & idem ferè habetur p. 5. Constitutionum cap. 4. lit. E. Atque ex hac declaratione constat hoc votum non obligare, ad procurandum vllo modo huiusmodi ingressum, nec ad diligentiam aliquam in hunc finem adhibendã: Quia in ipsamet forma emittendi tale votum statim additur; *Omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis constitutiones.* Sed in constitutionibus Societatis nulla alia obligatio declaratur, nisi acceptandi hunc ingressum, quando iniunctus fuerit: ergo non amplius votum obligat: quia actus agentium non operatur vltra intentionem eorum, & intentio vouẽtis in præsenti non extenditur vltra constitutiones. Ratio etiam facilè reddi potest, quia supposito statu & instituto talis religionis ipsamet viuendi ratio, & quasi ius ipsum postulat, vt debito tempore inuitentur hi religiosi ad vlteriorem gradum sibi proportionatum: & hoc ipsum ex officio pertinet ad Prælatos, qui curam gerunt communis boni totius religionis, & ideo neque oportuit, nec fuit cõueniens per votum obligari ad procurandum, sed solùm ad acceptandum.

Dicta promissio non obligat ad procurandã implationẽ.

Id constat ex forma vouendi.

Item ex ratione.

III. Et in hoc cernitur clara differentia inter hoc votum, & alia ad religionem pertinẽtia. Nam qui absolutè vouet religionem, virtute vouet petere, & procurare illum statum, quia moraliter nullus est alius modus obtinẽdi illum, esset enim vanum expectare, vt à religione ipsa inuitetur. Idemque omnino est in religioso laxioris ordinis, qui vouet trãsire ad arctiorem: quia sunt corpora omnino distincta & sub diuersis regulis, & capitibus, seu Prælatis, quorum curæ, & prouidentiæ ille transitus nõ subest, nec secundùm aliquam regulam postulatur, sed solùm ex voto priuato, quod non est secundùm regulam, licèt non sit contra illam, sed vltra illam. In præsenti autem vna est religio, vnum caput, vna regula, secundùm quam votum fit, & ideo ad illius obseruationem, nihil aliud à vouente postulatur, nisi vt acceptet, quod iniunctum fuerit: nec maior obligatio fuisset conueniens, aut voto accommodata. Quia votum esse debet de meliori bono; in tali autem religione supposita institutione, ac prouidentia eius, melius est hanc curam & solicitudinẽ Superioribus relinquere, & paratum esse ad exequendum, quod iniunxerit, quàm de suo gradu, & statu solicitum esse, & illum petere, vel procurare. Et hanc ob causam in citatis constitutionibus hoc consulitur tanquam aptius ad humilitatem, obedientiam, & internam pacem conseruandam, quæ bona magna ex parte impediri possent, si licentia illa concederetur, & multo magis, si titulo obligationis voti vestiretur.

Discrimen huius promissionis ab alijs.

IV. Adnotandum tamen est, quamuis nemo teneatur ex voto hunc ingressum ad vlteriorem gradum procurare, non tamen simpliciter prohiberi, quia nec per se malum est, & aliquando potest esse conueniens, si debito modo fiat; quod etiam obseruatũ est in Declarationibus prædictarum constitutionũ. Nam in cap. 8. Examinis lit. A. additur, *Cum tamen aliquid constanter sese offerret, quod ad maiorem Dei gloriam fore iudicarent, post orationem simpliciter Superiori proponere poterunt, ipsius iudicio omnino rem committentes.*

Aliquando potest implere procurationẽ.

Itaque religiosè ac debito modo, quæ ad executionem huius voti pertinēt proponere, seu in memoriam reducere, præsertim vbi ex accidenti, vel aliquo casu probabiliter præsumi potest obliuionem, vel incogitantiā aliquam interceſsisse, non vetatur, etiamsi obligatorium non sit. Vt autem hoc optimo modo, & sine vlla suspicione alicuius humani affectus fiat, in eo casu non est determinatus gradus postulādus, sed solum generatim & indefinitè particularem determinationem arbitrio Superioris relinquendo. Vnde fit hoc solum habere locum in his, qui nondum in aliquo ex vltimis gradibus, est constitutus: nam in eo tantum habet locum prædictum votum, & solum etiam in eo dicta indifferentia, & animi præparatio postulatur: nam qui iam est in aliquo termino, nullo modo cogitare debet de tranſitu ad alium, neque vnquam aliquid de ea re proponere, quanuis si Superior interdum id præcipiat acceptandum sit, vt statim dicam.

V. *Quæstiuncula prima circa declarationem data in n. 2. Non procedit de coadiutoribus tempor. sed scholast.*

Dubitari enim potest circa prædictam declarationem, an qui hoc votum emisit, teneatur acceptare determinatum gradum à Superiore prefixū, vel solum quem ipsa elegerit? ita vt si ad ipsum nō admittatur, alium acceptare non obligetur. Quod dubium non habet locum in coadiutoribus temporalibus, qui etiam hoc votum ingrediendi Societatem emittunt; tamen in eis obligatio determinata est ad gradum coadiutorum formatorum, quia iuxta institutum, ad alium non admittuntur, & ideo certum est eos ex hoc voto obligari ad illū acceptandum, & ita procedit decretum 39. Congregationis 7. At verò in scholasticis est difficultas, quia ipsi solum vouent ingredi Societatem; possunt autem ingredi vel ad gradus professorum, vel coadiutorum formātorum: ergo non obligantur ad vnum illorum graduum determinatè: ergo satisfaciunt suæ obligationi, admittendo vnum gradum, & non alium. Nihilominus dicendum est ex vi huius voti obligari ad acceptandum gradum à Superiore præscriptum, & ita declaratum est in can. 15. 7. Congreg. generalis, & videri potest decretum 32. eiusdem Congregationis. Ratio à priori sumitur ex ipsa forma viuendi, *iuxta constitutiones*. Cum enim in ipsis constitutionibus statuatur electionem huius gradus, seu status non debere esse ipsius priuati religiosi, sed religionis, manifestum est, eum qui vouet ingredi Societatem, obligare se ad acceptandum gradum, non quem ipse elegerit, sed ad quem fuerit assumptus. Confirmatur à simili; nam qui vouet ingredi religionem absolutè, & indefinitè, si in vna non recipiatur, tenetur ingredi aliam, si admittatur; nec satisfacit obligationi talis voti eligendo vnam determinatam religionem; & nolendo ingredi aliam, si in illam recipiatur; quia in obiecto illius voti indefiniti plus includitur, quam vna determinata religio, scilicet plures disiunctiue, in quarum vnaquaque potest votum sufficienter impleri, sed ita est in præsenti, nam promissio indefinitè fit ingrediendi Societatem: ergo vbi ingressus ille indefinitus est, & habet varios modos possibiles secundum regulam, qui in vno non admittitur, tenetur alium acceptare, si offeratur.

VI.

Sed dicere potest quis, licèt verba videantur indifferentia, se tamen non intendisse vouere nisi determinatum ingressum ad gradum professorum, & ideo non obligari ad acceptandum alium, vt in exemplo adducto, licet quis exterius promittat ingredi religionem absolute, si interius solum intendat se obligare tali religioni, non amplius obligatur. Respondetur, moraliter loquendo falsum esse quod assumitur, & nihil prodesse. Nam qui vouet aliquid secundum regulam, tenetur se conformare regulæ, & ad illam suam intentionem referre: ergo diuersa intentio, quæ postea fingitur, nec præsumitur, nec credenda est: & quanuis admittatur, non excusat. Nam vel habuit aliquis talem intentionem, bona fide putans illam esse intentionem regulæ; & sic error est priuatus, qui nōn excludit intentionem se obligandi secundum regulam: vel intentionem illam habuit mala fide, nolens se obligare iuxta vim suorum verborum, nec iuxta intentionem religionis, sed suo arbitrio; & in hoc facit religioni iniuriam, teneturque postea intentionem mutare, & parere religioni. Sic etiam (vt hoc obiter adnotemus) sæcularis, qui vouet ingredi Societatem, tenetur ad hunc ingressum absolutè & simpliciter, iuxta modum, & institutum talis religionis: nec satisfaceret suo voto, si nollet ingredi nisi sub determinata conditione, quod ad talem gradum, vel ad professionem tali tempore admitteretur: quia votum illud generalius, & indifferentius est, & fieri censetur in eo sensu, in quo moraliter impleri potest, iuxta institutum talis religionis. Nihilominus tamen si expressa intentio vouentis fuisset, non se obligare ad ingressum, nisi sub ea cōditione, reuera non contraheret maiorem obligationem: si quidem omnino libere, & sine vllo pacto cum religione promisit, & non secundum regulam, sed prout voluit: in presenti autem determinatur ad certum modum vouendi, & promittendi secundum regulam.

VII.

Dices, ergo scholaris in Societate approbatus, si postea solum admittatur ad gradum coadiutorum temporalium, tenebitur illum acceptare, vt in eo formetur, & ibi semper maneat. Consequens durum videtur, quia nullus, qui in scholarem approbatum admittitur, videtur habere animum se ad hoc obligandi, neque in constitutionibus inuenitur explicata talis obligatio, nec sufficienter indicata. Vnde in prædicto decreto 2. quintæ Congregationis solùm dicitur teneri scholares ad acceptādum gradum professorum, vel coadiutorum formatorum: vbi iuxta subiectam materiam, solū coadiutores spirituales intelligi videntur. Eadē clarius colligitur ex Examine, c. 7. vbi explicatur, absolutis studiis professionem, aut vota coadiutorū, prout Societas voluerit, emittendam esse: confiat autem absolutis studiis non esse emittenda vota coadiutorum temporalium.

VIII.

In hoc loqui possumus, vel de absolutā obligatione ex vi voti, vel de maiori perfectione ex vi etiam regulæ. Loquendo posteriori modo, certū existimo teneri vnumquemque ad acceptandum hūc vel illum gradum. Primò quidem, quia in Examine c. 1. §. 11. dicitur, *Omnes qui recipiuntur in Societate debent quantū est ex parte sua ingredi indifferentes, vt in quocunque gradu eius arbitrio superioris constituantur.* Hęc autem indifferentia non fictè, seu verbis tantū, sed verè, & ex animo postulatur, vt latiùs in c. 8. explicatur. Etiam c. 5. §. 8. specialiter explicatur, indifferentiam hanc etiā ad prædictam mutationem, vt sic dicam, extendendam esse: ac proinde includi videtur in ipsa assumptione gradus scholaris, vel coadiutoris approbati respectu cuiuscunque vlterioris gradus cuius fuerit secundū constitutiones capax: ergo ex vi regulæ & instituti tenetur quis semper esse in ea præparatione animi. Eo vel maximè, quòd illa nō est mutatio in ipso statu, seu gradu religionis, quantum ad vinculum, sed solùm quantum ad ministerium, seu occupationem: nam quoad vinculū idem omnino est scholaris approbati, & coadiutoris temporalis etiā approbati, & nondum formati: & similiter idem omnino est vinculum coadiutorum, tam spiritualiū quàm temporalium: solum ergo in actionibus est discrimen. At verò quantum ad actiones, & regula, & perfectio obedientiæ postulat, vt accepteat alia, quis inferius ministeriū, etiam relicto alio altiori,

vel

vel honorabiliori: ergo cum in casu proposito nihil aliud fiat, tenetur quis saltē ex vi regulæ perfectionis illum acceptare.

IX. *Responsio ē loquendo ex vi voti.*

In alio verò puncto de præcisa obligatione voti magis dubia mihi res est, velimque potius declarari ab his, qui potestatem habent, quam meum iudicium proferre: magis tamen in eam partem propensus sum per se loquendo, & exclusis accidētariis excusationibus, votum hoc totam hanc materiam, & obligationem comprehendere. Quia rationes numeri præced. hoc videntur concludere, cum hoc votum ita fiat, vt secundum constitutiones intelligendum sit. Et explicatur in hunc modum, quia si superior Societatis velit scholarem ab studiis amouere, & temporalibus ministeriis applicare, vt in eo statu perpetuò maneat, in rigore videtur habere potestatem: & causa subesse potest, si iudicet ita expedire, vel ad spiritualem salutem talis personæ, vel ad commune bonum religionis, vel fortasse etiam aliquando in iustam pœnam: ergo si id rigorosè præcipiat, tenetur subditus obedire: nec potest tuta conscientia retrocedere ob eam causam, aut ita se gerere resistendo, vt tandem dimittatur: ergo eadem ratione si præcipiatur ingredi Societatem in gradu temporalium coadiutorum obligabitur. Illationes videntur claræ. Antecedens autem probatur, quia à principio recipiuntur omnes sub illa indifferentia, vt dictum est in numer. præcedenti, & postea vouent simpliciter obedientiam secundùm constitutiones: ergo præceptum illud non excedit materiam talium votorum. Dices, ergo similiter ex vi siue regulæ, siue voti tenebitur admissus in coadiutorem temporalem acceptare gradum scholastici si ei assignetur: quod est contra superius dicta in n. 5. est tamen maior ratio, quia admissio temporalium esse solet ad determinatum gradum, non sic scholasticorum.

X. *Temperatur responsio.*

Quanuis autem hoc in rigore speculatiuo verum videatur, vix potest moraliter venire in vsum, nisi quando fortasse res à principio est dubia, & persona sub illa expressa, & specifica conditione recipitur, & sub eadem studiis applicatur, vt experimento constare possit quid expediat: tunc enim res est manifesta. Extra hunc verò casum moraliter non potest ea necessitas accidere: & ita non est in vsu, quia reuera est res humano modo difficilis, & potest semper alio suauiori modo componi, & ideo quidquid sit de absoluta potestate, ex vi voti iuxta primæuam institutionem constitutionum: vsus, & consuetudo moderata esse videtur hanc obligationem, vt solum intelligatur esse intra gradus eiusdem ordinis, quando à principio aliud in particulari non declaratur.

XI. *Quæstiuncula 2. circa eandem declarationem n. 2.*

Hinc verò facile expeditur illa dubitatio: an hæc obligatio extendatur non solùm ad transitum à gradu scholarium, ad alium vlteriorem, verùm etiam ad mutationem inter ipsos vltimos gradus; respondetur enim à gradu professorum non posse fieri mutationem ad gradum coadiutorum: quia hoc non esset vlterius ingredi, sed retrocedere. Et quidem quatuor vota solennia semel emissa, nec minui possunt, nec fieri simplicia. Manifestum ergo est hanc mutationem non cadere sub tale votum: at verò è contrario coadiutor spiritualis potest ad professionem solennem admitti: quanuis enim rarò fiat, fit tamen, & nullo iure Societatis prohibitum est, imo aliquando posse expedire, insinuatur p. 5. Constit. c. 4. 1it. F. Et meritò, quia successu temporis potest, vel ipse homo magis proficere in literis, & spiritu, vel talentum, & capacitas eius experimento magis cognosci, & iudicari vtilis Societati in illo vlteriori gradu: ergo conuenienter potest id fieri: consequenter igitur probabile censeo habere tunc locum obligationem huius voti: ita vt teneatur quis acceptare gradum professorum.

XII. *Obiectio.*

Dices, iam ille impleuit priorem promissionem ingrediendi Societatem; nempe quando vota coadiutorum emisit, iam ergo illa obligatio extincta fuit; per vota autem coadiutorum spiritualium non obligatur ad vlteriorem ingressum, nec de hoc fit vlla promissio, aut mentio: ergo nullo titulo durat talis obligatio. *Diluitur.* Respondetur primam promissionem ita fuisse impletam, vt tamen non videatur extincta, quanuis moraliter, quasi extincta habeatur, quia regulariter hic transitus non conceditur, multoque minus rigorosè exigitur, aut præcipitur: nihilominus tamen semper videtur manere hoc ius apud superiorem, quia subditus absolutè promisit ingredi Societatem in quocunque gradu superior vellet: ergo sicut à principio teneretur emittere professionem solennem, si ad illam immediatè fuisset ad missus, ita etiam postea: nam alius gradus interpositus non abstulit ius superioris, neque adæquatè (vt sic dicam) expleuit obligationem, sed solùm quandiu aliquid maius non exigitur: & ideo quando promissio illa ingrediendi Societatem exponitur de acceptādo gradu, quem superior designauerit, non ita intelligitur, vt designato vno, non possit superior vlteriorem, si expedierit, designare, & exigere: hæc enim limitatio, nec rationabilis apparet, neque in illa declaratione insinuatur: quæ meliùs intelligitur absolutè, de ingressu ad quemcunque gradum. Est ergo hæc resolutio probabilis, ac potestati religionis fauorabilior, quanuis opposita non difficilè defendi queat, per formaturā in Societate extingui omnem obligationem transeūdi ad professionem: aut à professione trium votorum ad professionem quatuor.

XIII. *Quæstiuncula 3 circa eandem met declarationem.*

Tandem dubitari potest, quid necessarium sit, vt quis teneatur in conscientia acceptare, & quomodo in hoc possit grauiter peccare: interrogari enim potest, an ad hoc necessarium sit, vt superior id præcipiat in virtute obedientiæ, & quidem videri posset hoc ita esse, quia regula generalis est, ordinationem superioris non inducere rigorosam obligationem in conscientia, præsertim grauem, nisi sub illa forma, vel alia æquiualente proponatur. Vsus etiam videtur hoc confirmare, quia multi alias timorati, sine scrupulo peccati (quidquid sit de imperfectione) resistunt huiusmodi ordinationi. *Resoluitur.* Nihilominus censeo inprimis non esse necessarium proprium obedientiæ præceptum. Probatur, quia hoc votum distinctum est à voto obedientiæ: ergo potest per se obligare, sine interuentu obligationis voti obedientiæ. Imò ad hoc maximè fieri videtur: nam illo secluso dubium fortasse esse posset, an emittere noua vota, sit materia prioris voti obedientiæ: ergo secluſa hac quæstione, & præcepto illius voti, potest exigi alterius promissionis obseruantia. Vt autem illa promissio obligationem suam inducat, necesse est, vt superior, nō solum facultatem præbeat, sed etiam exigat à subdito, vt suam promissionem impleat.

XIV. *Quando censetur scholaris teneri aut non teneri ad acceptandum gradum.*

Dupliciter enim potest scholaris inuitari ad vlteriorem gradum: vno modo per modum gratiæ, vt sic dicam, ex voluntate superioris non absoluta, sed conditionata: quia nimirum hoc ei conceditur, tanquam fauor religionis, in quo moraliter loquēdo est subintellecta conditio, si velit illum acceptare, quia gratia non confertur in inuitum: & tunc in rigore non obligatur ex voto ad acceptandum. Et ita possunt excusari à culpa graui, qui recusant aliquem gradum sibi oblatum. Alio verò modo potest alicui iniungi vt gradum aliquem acceptet, exigendo ab illo voti sui obligationem: quod tunc fit, quandocunque superior, ex definita voluntate,

& quasi decreto illum iniunxerit, etiamsi obedientiæ præceptum non imponat. Hæc enim duo longè diuersa sunt. Vt si quis voueat dare alicui eleemosynam, quoties ille voluerit, ac petierit, si solùm petat ostendendo simplicem quendam affectum, & quòd libenter illam accipiet, nõdum obligabit votum; quia nondum est satis impleta cõditio. At verò si definitè & ex efficaci voluntate petat volens impleri, quod Deo promissum est, iam tunc vrgebit obligatio voti, non quia petens imponat præceptum, sed quia implet conditionem, qua posita votum obligat. Ita ergo est in proposito; nam acceptatio requirit oblationem, seu donationem ex parte alterius, & in rigore dicit habitudinem ad oblationem perfectam, quæ ex absoluta voluntate procedit. Et ita expressè statutum est in 7. Congr. decret. 32. cuius hęc sunt verba. *Censuit Cõgregatio, omnes vi 4. voti in Congregatione 5. explicati, teneri superiori cuiũ gradum imponenti obedire, ita tamen vt rationes prouinciali, ac patri nostro, consueto Societatis more, proponere possint, quas scripto censuit proponendas: verum superiori illũ examinatiõ in sententia persistenti, & certum gradum absolute statuenti, licet non addat obedientiæ præceptum, teneri vnumquemque obedire, imperatumque gradum suscipere, vt si non fuerit obsecutus, censendus sit in malo statu esse, atque à sacramentorum vsu, & administratione excludendus.* Ita enim similes promissiones moraliter & iuxta communem vsum intelliguntur. Dices, qui absolutè promittit ingredi, videtur obligari quoties ianua ei aperitur, & ingressus permittitur, etiamsi non cogatur, neque ab alio efficaciter moueatur, nam satis ab ipsa promissione mouetur. Respondetur non esse dubium, quin promissio ingrediẽdi possit in hoc sensu fieri, vt patet in voto ingrediendi religionem, vel ingrediendi Ecclesiam ad orandum: tamen in præsenti hoc votum non est ita absolutum, tum quia fit cum ordine ad voluntatem superioris, ac proinde rectè explicatur de voluntate absoluta, & perfecta: tum etiam quia fit secundùm constitutiones, ex quibus solùm habemus obligari ad acceptandum eo modo, quo dictum est.

Instantia remouetur.

Vltimò ex dictis satis responsum est ad alteram partem dubitationis in principio propositam, quando sc. obliget hoc votum, & cur in eo determinatio tẽporis addita non fuerit. Ideo n. addita nõ est, quia neque in Bullis Pontificiis, neque in constitutionibus huius religionis certum temporis spatium definitum est ad huiusmodi ingressum. Cur autem hoc tempus definitum non fuerit, dicemus l. 6. à principio, agentes de gradibus professorum. Obligat ergo hoc votum, vt dictum est, cùm primùm conditio in eo inclusa impletur, scilicet, quòd superior, qui potestatem habet, huiusmodi ingressum postulet efficaci voluntate, vel etiam dici potest obligare quando Societas exigit ius suum: nam licèt hæc promissio sit votum Deo factum, tamen per illud aliquod ius acquiritur ipsi Societati, ratione cuius, & ratione etiam iurisdictionis, quam habet in subditum, potest non solum obligare, sed etiam cogere ad hoc votum implendum in eo gradu, quem Societas designauerit. Hæc verò obligatio ita intelligenda est vrgere pro tali tempore, seu statim ac voluntas superioris intimatur, vt tamen moraliter id intelligendum sit; nam semper datur locus semel, aut iterum recurrendi ad eundem superiorem, & proponendi si quid occurrerit: nam hoc significatur in constitutionibus citatis, & expresse habetur in 7. Congr. sup. cit. Et hæc est etiam intentio Præpositi, vt suauis ratio prouidentiæ & consuetudo interpretata fuit. Tutus autem in conscientia non solùm ille non est, qui absolutè resistit (vt dicta Congreg. satis expressit) sed etiam ille, qui adeò resistit, vt moraliter cogat superiorem, ad voluntatem vel mutandam, vel suspendendam, ne fortasse subditum maiori periculo exponat.

INDEX CAPITVM
LIBRI QVINTI.

De Societatis tum scholaribus quantum ad proprium ipsorum studendi munus, profectumque in literis, tum etiam de publicis eius scholis pro externis.

Cap. I. *AN in Societate IESV status aliquis religiosus ad literas discendas meritò destimetur?*

II. *An Societatis religiosi in Philosophicis studiis, & humanioribus literis diligenter instruendi sint?*

III. *Vtrùm ratio profitendi in literis conuenienti modo, & per apta media in Societate IESV instituta sit?*

IV. *An conueniens fuerit religiosos Societatis publica studia, & vniuersitates habere, & in eis docere?*

V. *An puerorum eruditio conuenienter per religiosos fiat in vniuersitatibus Societatis?*

VI. *An ad externos scholasticos erudiendos conuenientibus mediis vtatur Societas IESV.*

LIBER QVINTVS.

De scholasticis ac studiis Societatis IESV, tam domesticis, quam externis.

Libri argumentum.

HActenus solùm explicuimus statum hûc religiosum, quâtum ad substantiam eius, & quoad vincula votorũ, quibus constituitur, & obligatur. Nunc priusquam ad alios gradus transeamus, dicere oportet de muneribus, & exercitiis huius status; quę & literaria esse possunt, & spiritualia. Priora sunt propria; & ideo de illis præcipuè dicemus: posteriora magis communia sunt toti religioni, & de illis aliquid tactum est in 1. lib. c. præsertim 3. addemus verò hic aliqua, quæ videbuntur magis propria, & necessaria ad religiosam professionem huius status explicandam. Literaria autem exercitia, & passiuè, & actiuè considerari possunt, id est, vel vt ordinãtur ad discendum, vel ad docendum. Priori modo pertinent propriè, & per se ad scholares Societatis; posteriori autem modo, etiam assumuntur à Societate, tum ob suorum profectum; tum etiam ob externos, & quoscunque fideles, qui sacra doctrina indigent; & quia hæc duo omnino coniuncta sunt, de illis suo ordine dicemus.

CAPVT I.

Vtrùm status aliquis religiosus ad literas perdiscendas in Societate merito destinetur?

I. *Error hæret. in hac quæst.*

QVorundam error fuit, studium literarum alienum esse ab statu religioso; vt refert D. Thom. opusc. 18. cap. 26. & opusc. 19. c. 11. Videtur enim hic error circa eius tempora, seu D. Dominici exortus. Præcesserat enim error VViclephi, qui generaliter studia Christianorum damnabat, contra quem aliqua infrà attingemus cap. 4. Hi verò impugnatores religionis licèt non negarent studia secularium esse conuenientia, dicebant tamen in statu religioso, vel esse illicita, vel certè non esse proportionata. Vtrũque enim illi asseruisse videntur, quantum ex D. Thom. colligitur. Fundari autem potuerunt primò in antiqua consuetudine monachorum, de quibus Cassiodorus lib. 1. Tripartitæ, c. 11. ex Sozomeno li. 1. cap. 12. sic ait: *Multiplicem scientiarum cognitionem, & argutam disserendi subtilitatem, veluti rem superuacaneam, & otium, quod in præstantioribus studiis ponendum est, sibi surripientem & ad vitam rectè instituendam nihil afferentem adiumenti, penitus contemnunt.* Et cap. 13. idem Sozomenus referens D. Antonij vitam, & virtutes, addit, *literas neque nouit, neque magni æstimauit; sed puram mentem, vtpote literis antiquiorem, & earum inuentricem laudauit plurimum* Et Gregorius 2. dialog. in proœmio de B. Benedicto sic inquit, *Romæ liberalibus studiis traditus fuerat, sed cùm in eu multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eũ quem qualis in ingressu mundi posuerat, retraxit pedem, ne si quid de scientia eius attingeret, ipse quoque in immane præcipitium totus iret. Despectu itaque litterarum studiis, relicta domo, rebusque patris, soli Deo placere desid. rans, sanctæ conuersationis habitum quæsiuit. Recessit igitur, scienter nesciens, & sapienter ignorans.* Et D. Basil. in regula 235. ex breuioribus, ferè ad hanc quæstionem respondens, ait, *Hi qui præsunt conuenit, vt scientiam habeant.* de cæteris verò subiungit; *vnusquisque verò (memor verborum illorum Apostoli, non plus sapere, qu ã oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, vnicuique sicut Deus diuisit mensuram) quæ offic ij sui sunt studio se discat, & persequatur, nequecurioſe vlterius quidquam inquirat.* Hinc denique videtur dixisse Hieronymus ad Titum 1. & refertur in c. *olim.* d. 95. *Antequam instinctu diaboli studia in religione fierent.*

2. *eius fundamentum ab authoritate seu exẽplis.*

Rationes ad hunc errorem suadendum esse possunt, primò quia studia, & tempus occupant & mẽtem distrahunt à propriis religiosorum institutis. Secundò, quia perfectio religiosa (vt ait Sozomenus suprà) in bonorum numero non ducit ea, quæ inter vitium, & virtutem media sunt, quia non satis putat non esse malum, nisi hominem reddat bonum, & meliorem: at literarum studia inter media bona computantur; ergo. Tertiò, quia religio fugit gloriam illam, quæ ab hominibus colligi solet, neque virtutem ostentat; sed exercet: at scientia per se inflat, & ostentationi magis, quàm virtuti inseruit: ergo. Quæ rationes cùm generaliter probare videãtur, hoc genus studij non esse admittendum in religioso instituto, multo magis videntur conuenire non posse esse finem religioli status: quia hoc modo magis repugnat debito ordini: ergo non rectè est institutus in Societate peculiaris gradus religiosorum ad hunc finem literas addiscendi. Vnde nouissimè Kemnitius hæreticus reprehensionem hanc contrà Societatem exaggerauit, vt refert Payua de origine Societatis: & ideo Antiesuitam illum vocat Spencæus lib. 1. de continentia c. 5.

II. *Primum.* *Secundum.* *Tertium.*

III. *Assertum.* *Quæ sint.* *Eius probatio.* *Obiectio.*

Certum nihilominus in primis est, studia literarum saltem sacrarum religioso statui maximè congruere. Hanc veritatem censeo esse dogma fidei, quod D. Thom. confirmat ex illo Psalmi 118. *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me:* nam inde constat, non solùm bonitatem, sed etiam scientiam, esse conuenientem ad animæ perfectionem. Vnde Isaiæ 5. dicitur, *Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* Et Oseæ 4. *Contuens populus, eo quòd non habuerit scientiam: quia tu scientiam repulisti, repellam te.* Quanquam enim hæc loca, & similia exponi possint de scientia practica præceptorum Dei: tamen ad literam optimè intelliguntur de scientia, quæ opponitur ignorantiæ diuinarum literarum, quæ radix est multorum vitiorum, & ideo Isaiæ 3. ob peccata populi comminatur Deus, *Auferam de Ierusalem, & Iuda consiliarium, & sapientem de architect ũ, & prudentem eloqui mystici.* Vnde Bern. serm. 36. in Cantica: *Non ignoro* (inquit) *quantum Eccl sia profuerint, & prosint literati, siue ad refellendos eos qui aduersus sunt, siue ad simplices instruendos, lucis quidocti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt*

diunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Denique legi, quia tu repulisti scientiam, & ego repellam te, vt non fungaris mihi sacerdotio. Vnde etiam Innocentius III. in cap. *non sicut prudem.* de renuntiatione hæc eadem verba adducit, vt ostendat, scientiam esse Episcopo necessariam. Et ad idem propositum afferuntur in VII. Synodo cap. 2. & refertur in cap. *omnes.* d. 38. scientia ergo hæc per se maximè vtilis est religioni & perfectioni eius. Quod si talis scientia est vtilis, non est expectanda à Deo per infusionem, id enim superstitiosum esset; neque etiam solo ingenio proprio, & labore quærenda, id enim & præsumptuosum, & periculosum existeret; ergo illius studio & disciplinæ vacare opportuno tempore conuenientissimum est.

IV. *2. probatio adducta ex patribus.*

Secundò ad hoc confirmandum adducit D. Th. opusc. 19. c. 11. sententiam Hieronymi in epist. 4. ad Rusticum, *Habeto cellulam pro paradiso, varia Scripturarum poma decerpe, hîc vtere deliciis, harum fruere complexu.* Et infra, *nunquam de manu, & oculis tuis recedat liber, discatur Psalterium ad verbum.* & infrà, *Amas scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis.* & infrà, *Ne ad scribendum cito, sed profuturæ, & leui ducaris insania: multo tempore disce quod doceas.* Deinde affert eundem Hieronymum epist. 103. ad Paulinum presbyterũ, *Sanctæ rusticitatis solum sibi prodest, & quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi, tantum nocet si destruentibus non resistat.* refertur in c. Sancta. 2. q. 7. Afferre etiam possumus eundem Hieronymum epist. 13. ad Paulinum Epistopum dicentem, *semper in manu tua sacra sit lectio.* & infra, *Audi mi conserue, amice, germane, ausculta paulisper, quo in Scripturis sanctis calle gradiaris, totum quod legimus in diuinis libris, nitet quidem, & fulget etiam in cortice, sed dulcius in medulla est: qui edere vult nucleum, frangat nucem;* & in reliqua parte epistolæ illum excitat ad hoc studium: & concludit; *nihil in te mediocre esse contentus sis totum summum, totum perfectũ desidera.* His addi possunt, quæ de hac scientia Scripturarum, quatenus religiosis & monachis necessaria est, tractat Cassianus collat. 14. à c. 8. vsque ad finem. Item quæ de antiquis monachis referũt historiæ, quod nimirum lectioni Scripturarum assiduè vacabant, vt de religiosis in Ægypto, & de Essæis Christianis refert Eusebius lib. 2. historiæ c. 16. ex Philone lib. de vita contemplatiua. Et de antiquis monachis S. Benedicti, idem refert Trithemius lib. de viris illustribus illius ordinis c. 6.

V. *3. Probatio authoris.*

Tertiò possumus etiam ratione hoc conuincere. Nam studium, præsertim sacrarum literarum, de se bonum est, & honestum, & ad perfectionem vitæ tã actiuæ, quàm contemplatiuæ est necessarium: ergo maximè accommodatum est religioso statui. Maior patet, quia scientia per se, est perfectio maximè cõsentanea naturæ hominis, & ideo etiam propter suã perfectionem appeti honestè potest: quia velle conuenientem naturæ perfectionem, & quasi ornamẽtum, per se bonum est: id est, secluso prauo fine, vel alio accidentario periculo morali, vel impedimento necessarij boni: hæc enim extrinseca sunt, & in religionis statu facilè vitari possunt. Quòd si hæc vera sunt de scientia ex genere suo, multo magis de scientia Dei & earum rerum, quæ ad ipsum pertinent, cùm fœlicitas hominis in hac cognitione cõsistat, vel ab illa maximè pendeat, iuxta verbum Christi Ioannis 17. dicentis, *Hæc est vita æterna, aut cognoscant te solum Deum verum,* &c. Appetere autem propriam beatitudinem, & studere illi acquirẽdæ, pro huius vitæ capacitate optimum est. Et hinc facile probatur minor. Nam in primis contemplatio in diuinæ veritatis consideratione consistit, quæ sine præuia lectione, & studio, vel haberi non potest naturaliter, vel non sine periculo erroris; & ideo Patres omnes de vita cõtemplatiua tractantes, ante omnia docent assiduam lectionem, & studiũ ad illam esse necessaria, & has ponunt inter partes vitæ contemplatiuæ, vt suprà in lib. 1. cap. 6. n. 7. huius partis vidimus. Vnde Hieronymus epist. 103. *Oro* (inquit) *te frater christiane, inter hæc viuere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihilque aliud quærere. Nonne videtur tibi iam hic in terris regni cælestis habitaculum? ex quo* (ait D. Thom. dict. c. 11.) *patet, quid cælestis conuersatio est in studio sacræ Scripturæ commorari.* Nec minus necessaria est ad perfectionem huius partis vitæ actiuæ, quæ circa spirituales actiones, & salutem proximorum versantur, vt per se satis patet, magisque constabit ex sequenti assertione.

VI. *1. Assertio bipartita.*

Dico secundò in statu religioso, cuius finis est nõ solùm contemplari, sed etiam contemplata aliis tradere, necessaria est nõ vulgaris scientia, sed perfecta rerum omnium, quæ ad fidem, & mores pertinent; ac proinde necessarium etiam est, vt religiosi huiusmodi scientiæ perfectè acquirendæ in tali statu religioso incumbant. Prior pars adeo est euidens, vt non egeat probatione. Quia nemo potest alios docere. si ipse ignorãs sit: quomodo enim poterit mentes illuminare, qui in tenebris versatur, aut hæreticis resistere, aut rationem eius, quæ in nobis est, fidei reddere, aut morales difficultates occurrentes dissoluere, & omnibus satisfacere, nisi in vtraque Theologica doctrina, positiua & scholastica speculatiua, & morali: satis instructus sit. Confirmat hoc D. Thom. ex illo 1. ad Timoth. 4. *Dum venio attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ;* nam dictio illa, *lectioni*, passiuè (vt sic dicam) & non actiue intelligenda est, id est, non ad fructum aliorum, hoc enim ad doctrinam pertinet, sed pascendo teipsum, vt rectè ibi adiunxit Caietanus, & Theophylactus ibi rectè colligit. *Si Paulus Timotheum iubet incumbere lectioni Scripturarum, quid nos posse hac facere dicet?* Et addit, *Quin etiam ipse Paulus ad finem vsque vitæ suæ, legendis sacris incubuit, quas & alios ad illud studium cohortabatur.* Ac denique D. Thomas ex hoc patere concludit, quòd exhortari, & docere volentibus necessarium est lectionis studium, & affert illud Gregorij in Pastorali p. 2. cap. vlt. *Necesse est, vt qui ad officium prædicationis exuberant, à sacræ lectionis studio non recedãt.* Per lectionem autem in his, & similibus locis intelligi debet omne studium doctrinæ sacræ ad Ecclesiasticum, seu religiosum munus necessarium, vel accommodatum ad exhortandos, vel docendos proximos in rebus omnibus ad fidem, & mores eorum pertinentibus. Sic enim, & non alias explere poterit minister Euangelicus in omni materia præceptum Apostoli ad Titum 2. *tu loquere quæ decent sanam doctrinam.*

Prior pars ostenditur.

VII. *Pro posteriori ostendendã supponuntur duo.*

Et hinc facile probatur altera pars, supponendo duo certa, & moraliter necessaria, vnum est, non posse in huiusmodi religione recipi omnes viros proiectos, & in diuinis literis sufficienter instructos ad exhortandum, & docendum alios: quod ipsa experientia satis constat, & in superioribus lib. 3. cap. 1. num. 2. tactum est, & in constitutionibus Societatis, & Bullis Pontificiis in speciali est adnotatum, vt ibidem diximus. Aliud est, huiusmodi doctrinam, seu scientiam non esse à Deo miraculosè petendam, & expectandam: non enim sunt hæc signa, aut extraordinaria opera nunc Ecclesiæ necessaria, sed labore & industria, cum diuina gratia cõparanda est, iuxta illud Hieronymi epist. 4. ad Rusticum. *Hæc dico, vt etiamsi clericatus te tibi stillat dissidium, discas quod possis docere, & rationabilem hostiam offeres Christo, ne miles antequam tyro, nec prius Magister sis quam discipulus.* Et infra: *Multo tempore disce quod doceas.* Sic etiam dixit Innocentius I. in epistola 12. & habetur d. 61. cap. 4. *Miserum est eum magistrum fieri, qui nunquam discipulus fuit.* Quod etiam habet Boetius in lib. de disciplina scholarium c. 2. & ad hoc propositum expendit Theophylactus verbũ illud Pauli ad Timo-

Timotheum, *Dum venio attende lectioni*, dicens, *Addit ei animum per hoc quod dicit : Dum venero spem faciens ei venturum præceptorem. Verisimile enim erat, eum, qui præceptore orbatus esset Paulum requirere. Cuius autem rei gratia dixit, Dum venio, parerat cum ipse iuuenis esset multa ignorare, egereque eum præsentia Pauli, vt hæc disceret. Ait igitur: Interea dum venero, lege Scripturas, & inde habebis, vt fieri potest, legislationes, & præcepta: postquam autem venero, ego tibi suggeram reliqua.* Quam ponderationem videtur Theophylactus sumpsisse ex Chrysostomo, qui hom. 13. breuiùs eam insinuauit, dicens, circa idem verbum, *Dum venero; prouidentissime profecto id posuit, solaturque discipulum : fieri enim necessario debuit, vt desertum se ac parente destitutum putaret, nisi ille suum polliceretur aduentum.* Quibus adiungere possumus, quæ paulo inferiùs idem Chrysostomus addit, *Ista profectò Timotheo dum loquitur, omnes salubriter admonet, quod si hic, qui mortuos excitabat, hæc monita edidit, quid nos iam miseri dicturi sumus?* Si ergo Timotheus indigebat doctore, & disciplina, quid mirum est quòd religiosi, præsertim illi, qui futuri sunt ministri Euangelij, doctore, studio, ac disciplina indigeant.

VIII. *Cõcluditur iam posterior pars assertionis.*

Ex his ergo duobus principiis, euidenter concluditur, optimum esse religiosam iuuentutem studiis literarum sacrarum incumbere: quia ad omnem finem ipsius religionis necessarium est ; & aliunde, nulla ex parte repugnat perfectioni talis status, vt iam tactum est; & respondendo ad obiectiones cõfirmabitur. Additque D. Thomas huiusmodi iuuẽtutem esse aptissimam ad profectum in huiusmodi literis, eo quòd à carnalibus affectibus, & secularibus curis maximè sit separata iuxta illud Isaiæ 28. *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactates à lacte, auulsos ab vberibus.* Propter quod Bernardus epist. 108. reprehendit quendam, qui religionis ingressum differebat, vt in seculo studiis vacaret. *Falleris* (inquit) *si te putas inuenire inter mundi magistros, quam* (scilicet scientiam) *soli Christi discipuli, id est, mundi contemptores Dei munere assequuntur.* Et adducit illud Oseæ 10. *Seminate vobis ad iustitiam, metite spem vitæ, illuminate vobis lumen scientiæ,* Et subdit, *vides quia non rectè proceditur ad lumen scientiæ, nisi germen iustitiæ præcedat ad animam, ex quo formetur granum vitæ, & non palea gloriæ. Quid ergo? nondum tibi ad iustitiam seminasti, nondum spei manipulos metuisti, & veram te præsumis sectari scientiam? nisi fortè pro vera supponatur illa, quæ inflat.* Vbi licèt de scientia spirituali, & practica præcipuè loqui videatur ; non tamen excludit quamcunque scientiam, præsertim rerũ diuinarum. Locus autem Oseæ, quem adducit, in vulgata nostra non habet illa verba ; *Illuminate vobis lumen scientiæ*, sed relata sunt iuxta LXX. in vulgata verò loco illorum sunt hæc, *Innouate vobis nouale.* Hieronymus autem ibi in eandem sententiam à Bernardo intentam vtramque lectionem accommodat : nouale enim agrum significat denuo ad culturam accõmodatum, vt expositum Pontifex in c. *quid per nouale.* de verb. signif. Metaphoricè ergo significat animam, à qua spinæ, & radices peccatorum, ac vitiorum eradicatæ sunt, quæ apta est ad spiritualem culturam, & similiter ad scientiæ profectum, vt expositum etiã idem Bernardus sermone 37. in Cantica, & Origenes tract. 12. in Matth.

IX. *3 Assertio. Probatur ex Pontificib.*

Dico tertiò, conuenientissimè in Societate institutum esse primum religiosorum gradum, vt in eo studiis vacetur. Hoc in primis satis constat ex approbatione Pontificum, & ex tota ratione instituti in 1 lib. à nobis declarati. Ita enim sunt duo hi gradus scholarium, & professorum in hac religione instituti, vt prior ad posteriorem ordinetur : ergo finis proximus, & intrinsecus, vt sic dicam, illius prioris status est disponere personas, easque capaces reddere, & aptas ad posteriorem statum. Hæc autem dispositio in duobus maximè consistit, in virtute scilicet, & doctrina, iuxta illud Pauli 1. ad Timoth. 4. *Attende tibi, & doctrinæ.* Ex quibus instructio, & exercitium virtutis statim à principio religionis, & nouitiatus, incipit, & ad illius studium, & disciplinam specialiter tempus secundæ probationis ordinatur; nam exercitium, & profectus eius, toto vitæ tempore durare debet, & tempore etiam studiorum peculiaris eius rei cura conseruatur, & in vltima probatione renouatur, vt in sequenti lib. cap. 1. & 2. videbimus. Meritò ergo literarum studium positum est tanquam proprium munus, atque adeò tanquam proximus finis huius prioris gradus : vnaquæque enim res esse dicitur propter suam operationem. Quin potiùs D. Thom. dict. artic. 5. quæstione 188. 2. 2. de tota aliqua religione (& videtur tacitè de sua loqui) dicit rectè institui ad studia literarum: multo ergo facilius hic nos dicere possumus de inferiori quodam gradu totius religionis. est tamẽ proportionalis diuersitas : nam tota religio non ordinatur ad studia literarum, tanquam ad suam actionem, vel adæquatam, vel præcipuam ; sed tanquam ad actionem secundariam, quæ sit medium ad alias præcipuè intentas ; quidã autem gradus religiosorum proficiẽtium in eo statu, qui solùm cõstituit quandam partem vnius religionis, rectè ad illam actionem, tanquam sibi adæquatam, vel præcipuam (scilicet post generalem curam propriæ perfectionis spiritualis) ordinatur. Hoc enim genus actionis, licèt ordine intentionis posteriùs sit respectu totius religionis : ordine executionis necessariò debet esse prius : optimè ergo primus religionis gradus circa illud occupatur. Quomodo autem nihil alienum à perfectionis instituto hic ordo contineat, ex solutionibus argumentorum constabit.

X. *Ad primũ medium ratio.*

Ad fundamentum ergo contrarij erroris, primũ negatur assumptum vniuersaliter intellectum : ostendimus enim antiquissimos etiam religiosos, studium literarum plurimum coluisse: fatemur autem hoc studium non esse singulis necessarium ad propriam perfectionem: sunt enim diuersæ viæ ad perficiendas animas, quibus Spiritus sanctus vtitur: nam ob eam causam inter alias Ecclesia dicitur, *circundata varietate*, & ideo quod Benedictus, vel Antonius, vel alij innumeri sancti monachi studiis nõ vacauerint, non ideo est, quia religiosis hoc studiũ noceat (hoc enim est ex puris particularibus argumentari,) sed quia aliud vitæ genus professi sunt, ad quod tam accuratum studium necessarium non erat, sed illud quod ad rectos mores proprios instituendos & ad diuinam contemplationem sine errore exercendam sufficeret: quod illis non defuisse omnino credendum est : oportet ergo quoad hoc multum distinguere inter monachale institutum, & mendicantium, (vt generatim loquar) nam in hoc posteriori, studia sunt multo magis necessaria, eo quòd adiuuandos proximos ordinetur, vt dictũ est. Vnde quo mendicans religio perfectius hunc finem participauerit, eò pluribus literis & studiis indigebit.

XI. *Ad locum Basilij ex ad. 20.*

Ita ergo facile responsum est ad priora exempla. Testimonium autem Basilij potiùs nostram intentionem confirmat, tum quia dicit vnumquemque religiosum *debere studiose discere, quæ sui officij sunt* : religiosus ergo, qui tendit ad officium ministri Euangelici debet accuratè discere, quæ ad illud officium spectant, quod sine magno literarum studio fieri non potest. Tum etiam, quia hoc ipsum confirmat Basilius, dicens, *cui aliorum rectio commissa sit, tum quæ apud omnes scripta sunt, scientia comprehensa habere, ac discere debere*: quod nos plane dicere possumus de quocunque sacerdote Societatis: nam licèt munus Rectoris non habeat quoad iurisdictionem, participat illud quoad doctrinã, & instructionem aliorũ:

propter

Propter quam ſcientia eſt neceſſaria, *cum doceat* (ſicut Baſilius ſubiungit) *cunctos, multiplicem Dei voluntatem ſingulis præmonſtrando officio ſuo.* Teſtimonium autem Hieronymi ſiniſtre refertur: nam ibi per ſtudia non intelligit Hieronymus ſtudia literarum, ſed affectiones varias, vt D. Thomas rectè expoſuit, & ex contextu patet, qui ſic habet: *Antequam diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent: & diceretur in populis: ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ*, &c. ſic Virgilius.

Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.

XII. *Ad primam rationem in num. 1 quo adit de occupatione temporis.*

Ad primam rationem duo in ea dicuntur, ſcilicet ſtudia occupare tempus, & mentem diſtrahere. Priùs fatemur, non de toto, ſed de magna parte temporis: cum ea enim moderatione in religione aſſumitur, vt ſuum proprium ac ſufficiens tempus altioribus religionibus reſeruetur: omnia enim tempus ſuum habent, & religionis ſtatus ita omnia diſponit, & ordinat (ideo enim ordo vocatur) vt tempora non confundantur. Vnde in 1. regula Societatis ex communibus, quæ deſumpta eſt ex p. 4. conſtit. c. 3. ſic habetur, *ſinguli præſinitum ſibi tempus ſuæ conſcientiæ bis in die examinãdæ oratione, meditationi, lectionique ſpirituali impendat*: & cætera, quæ ſequuntur: atque hoc modo, illa temporis occupatio nihil officit religionis perfectioni. Nec præterea tempus illud, quod ſtudiis impenditur, ſine ſpirituali profectu conſumitur, cum totum illud ſtudium magnum Dei obſequium ſit, tum ratione finis ad quem ordinatur, tum ratione charitatis, & obedientiæ, à quibus proficiſcitur, vt expreſsè habetur in 1. & 2. regul. ſcholarium Societatis, ſumptis ex conſtit p. 4. cap. 6. Alteram partem de diſtractione, ſimpliciter negamus, quia animæ diſtractio in deteriorẽ partem ſumitur, ſtudia autem, quantum eſt ex ſe (quidquid ſit de vitio, aut fragilitate perſonæ) non diſtrahunt mentem, quominus de Deo, vel de re aliqua honeſta propter Deum cogitet. ergo non diſtrahunt, ſed potiùs colligunt mentem, & ſolent eſſe medium ad prauas cogitationes impediendas, & conſequenter impediunt carnis concupiſcentias, & alia infima deſideria, vt D. Thom. dict. art. 5. declarat.

Quoad 2. de diſtractione.

XIII. *Inſtantia remouetur.*

Dices impedire ſaltem actualem cogitationem, vel contemplationem de Deo. Reſpondeo; ſi hoc incommodum afferant pro illo eodem tempore, pro quo Deo vacandum eſt, non id oriri ex ipſis ſtudiis, vel ex noſtro inordinato affectu, aut negligentia, vel aliquando ex naturali conditione, & fragilitate: non ergo ob eam cauſam ſtudia relinquenda, aut reprehendenda ſunt, ſed moderanda affectio, & circa ſpiritualia adhibenda diligentia, & cum diuina gratia difficultas illa ſuperanda, quæ multo magis oriri ſolet ex aliis curis, & phantaſiis, & cogitationibus aliarum rerum. Si autem dicatur ſtudium hoc impedimentũ afferre pro eo tempore quo ſtudendum eſt, abſolutè loquendo, nullum id eſt inconueniens, tum quia non eſt mortalis conditionis ſemper actũ cogitare de Deo, & poſt ipſum nihil melius cogitari poteſt, quam quæ ad ſacram doctrinam pertinent, tum etiam quia, vt dicebam, cogitare de rebus aliis propter Deum virtute eſt cogitare de ipſo, ſicut dixit D. Thom. 1. p. q. 64. art. 1. ad 3. cognitionem rerum in propria natura, quando refertur ad laudem creatoris habere aliquid de luce diuina, & poſſe dici cognitionem veſpertinã, quam boni Angeli habent. Tum denique, quia mens religioſa nunquam ita literarum ſtudiis abſorbetur, etiam illis temporibus, in quibus eis vacat: quin ad Deum ſæpe recurrat, nunc intentionẽ in illum renouando, nunc auxilium, & lumen petendo, nunc verò de veritatis intelligentia gratias agendo.

XIV. Ad ſecundam reſpondetur, literarum ſtudia per ſe ſpectata, vel per ſe tantùm aſſumpta, inter mediocria bona computari, & ideo ſic ſumpta non magni æſtimari à religioſis, at verò ſumpta vt inſtrumenta virtutis, & actionum omnium, quę ad ſalutem animarum ordinantur, non eſſe inter mediocria, ſed inter magna bona computanda: participant enim bonitatem finis ad quem ordinantur. Accedit quod ſtudium rerum ſacrarum, de quo præcipuè agimus, non ita eſt ex mediocribus bonis, vt aliquid ex obiecto indifferens reputandũ ſit. nam reuera eſt ex obiecto honeſtũ, quia cognitio quæ per illud inquiritur, eſt perfectio per ſe maximè conſentanea ſupremę hominis inclinationi, vel etiam naturali inclinationi gratiæ: nam cognitio de qua agimus ex principiis ſupernaturalibus procedit, & ad perfectionem fidei ſpectat, quæ non poteſt dici ex mediocribus, ſed ex maximis bonis.

Ad 2. rationem in ſedẽ n. 2.

XV. *Ad 3. ibid.*

Vnde facilè reſpondetur ad tertium: negamus enim ſcientiam per ſe repugnare humilitati religioſæ. Vt enim dixit D. Thom. 2. 2. q. 167. art. 1. *Ipſa veritatis cognitio per ſe loquendo bona eſt: poteſt autem per accidens eſſe mala, ratione alicuius conſequentis: vel in quãtum aliquis de cognitione veritatis ſuperbit, vel in quantum homo vitatur cognitione veritatis ad peccandum.* Conſtat autem ex dictis ſtudium non ſumi à viris religioſis gratia oſtentationis, aut vanæ æſtimationis; & ideo nihil repugnare modeſtiæ religioſæ: quòd ſi qui motus contrarij inſurgant, accidentarij ſunt, & diuina gratia vinci poſſunt. Addo non ſemper eſſe reprehenſibile in religioſo aliquid interdum facere ad eruditionis & profectus in literis oſtentationem: quæ tamen non in ſola oſtenſione ad aliorum tantùm opinionem aucupandam ſiſtat; hæc enim vana oſtentatio eſſet, ſed ad eundem finem ſalutis animarum referatur; nam, vt Auguſtinus dixit lib. de Bono viduitatis cap. 22. *Nobis neceſſaria vita noſtra; aliis fama noſtra.* Et ſer. 49. ex diuerſis, qui eſt primus de communi vita clericorum, *conſcientia tibi, fama proximo tuo.* Ad conciliandam ergo authoritatem neceſſariam, doctrinam oſtentare à religioſo ſtatu alienum non eſt: Nam etiam ad Timoth. aiebat Paulus 1. epiſt. c. 4. *hæc meditare, in hiſdem, vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus.* Vbi Chryſoſtomus, *vides* (inquit) *vt in hoc quoque illum magnum fieri vellit, atque mirabilem; ex quo ſcilicet Eccleſiæ commoda prouenire ſciebat*, & ideo vult profectum manifeſtari omnibus *non modò in vitæ rectitudine, ac ſanctimonia, verùm in ſynceritate atque vbertate doctrinæ.* Atque hinc etiam conſtat quomodo ad huiuſmodi ſtudia gradus aliquis religioſus ordinari conuenienter potuerit.

CAPVT II.

Vtrùm literarum humaniorum, linguarum, ac liberalium artium ſtudium & peritia religioſis Societatis conueniens ſit.

I. *Pars negans ſuadetur ex Paulo.*

IMpugnatores religionis tempore D. Thomę, multo magis hoc ſtudium inferiorum artium in religioſis damnabant: dicebantque (vt D. Th. ſignificat) magis pertinere ad prædicatores Antichriſti, quàm Chriſti, quos deſcribit Apoſtolus 2. ad Timoth. 3. de quibus inter alia, ait, *ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes.* Vbi tacitè reprehendit eos, qui profanas artes diſcunt, per quas nunquam ad veritatem doctrinæ ſacræ cognoſcendam perueniunt. Et ideo ſubiungit, *Tu autem aſſecutus es meam doctrinam.* Et infra, *Tu vero permane in his, quæ didiciſti, & credita ſunt tibi, ſciens à quo didiciſti, & quia ab infantia ſacras literas noſti, quæ*

quæ te possunt instruere ad salutem. Quasi dicat, hæc doctrina tibi sufficit; aliæ verò literæ, quæ ad salutem hominem non instruunt, superfluæ sunt: propter quod idem Paulus 1. ad Corinth. 1. sapientiam huius mundi vocat stultitiam, & ad Coloss. 2. Philosophiam inanem, atque fallacem appellat. Vnde etiam Iulianus Apostata apud Cyrillum lib. 7. contra illum, sic argumentabatur contra Christianos his scientiis vacantes. *Quare vos disciplinarum, quæ apud Græcos sunt, conuiua estis; siquidem vobis vestratum Scripturarum lectio iussit, cùm mel usus sit ab illu homines arcere, quàm ab idolothytorum cibis.* Addo etiam in iure Canonico prohiberi clericis discere non solùm leges, sed etiam physicas disciplinas c. 2. ne clerici vel monachi in 6. ca. *non magnopere.* extra eod. tit. & in Concilio Carthag. 4. c. 16. prohibentur Episcopi Gentilium libros legere, & habetur 37. d. c. 1. vbi per multa sequentia capita referuntur testimonia Patrum reprehendentium huiusmodi studia in Ecclesiasticis viris, præsertim c. 5. ex Hieron. suprà ad Eph. 6. arguuntur Episcopi, qui filios suos in secularibus disciplinis erudiunt. Et in c. *omnem,* dicitur hæreticos præcipuè studere Dialecticæ, & subiungitur, *sed non in Dialectica complacuit Deo saluum facere populum suum.*

Secunda arguit Iuliani Apostatam.

Tertia arguitur ex iure.

II. *Assertio affirmatiua tripartita.*

Dicendum verò est linguarum, & liberalium artium eruditionem maximè necessariam esse operariis Euangelij; nec religioso statui repugnare; & ideo meritò scholares Societatis diligenter in his doctrinis oportet erudiri; priusquam doctrinæ sacræ in Theologia scholastica, vel Scripturæ diuinæ interpretationi, aut intelligentiæ incumbant. Res est satis clara, & certa. Quæ probari potest primò, ex antiqua Patrum traditione. Inprimis Clementis I. ep. 5. de communi vita ad discipulos, quæ habetur in c. *elatum* d. 37. ad præsens institutum accommodatissima est; dirigitur enim ad religiosos, quos peculiariter vocat discipulos, seu condiscipulos; hosque primùm ad paupertatem, & obedientiam hortatur; deinde ad Scripturarum intelligentiam, quâ non proprio sensu, sed secundùm traditionem Patrum & consonantiam locorum eiusdem Scripturæ interpretandam esse dicit. Tandem verò subiungit; *cum enim ex diuina Scriptura integram quis, & firmam regulam veritatis susceperit; absurdum non erit si aliquid etiam ex eruditione communi, ac liberalibus studiis, quæ forte in puritia attigit, ad assertionem veri dogmatis conferat, ita tamen, vt vbi vera didicit, falsa & simulata declinet.* Hinc etiam Eugenius Papa in cap. *de quibusdam,* d. 37. ordinauit, vt in omnibus Episcopatibus constituerentur Magistri & Doctores, *qui studia liberarum, liberalium que artium dogmata assidue docerent.* Et subiungit rationem notandam, *quia in his maximè diuina manifestantur atque declarantur mandata.*

Prima pars probatur primo ex Patribus.

III. *Probatur secundo.*

Atque ita obseruasse omnes antiquos Ecclesiæ Doctores ex historiis, & ex ipsismet facilè intelligitur. Nam etiam Paulus non dedignatur aliquid de prophanis auctoribus, suis dictis, vel scriptis inserere, vt patet Actor. 17. 1. ad Cor. 15. ad Titum 1. quæ loca ad hoc propositum obseruauit Hieronymus, vbi etiam intelligit illud Prou. 1. *Animaduerte parabolam, & interpretationem, verba sapientum, & anigmata eorum.* Et addit Hieronymus, *quæ propriè Dialectcorum, & Philosophorum sunt.* Et inferius ad hanc rem accommodat ritum accipiendi mulierem captiuâ in vxorem; Deut. 21. trâdendo caput, supercilia, pilos, & vngues corporis amputando. Et subiungit, *Quid ergo mirum si ego sapientiam secularem propter eloquij venustatem & membrorum pulchritudinem, de ancilla, atque captiua Israelitidem facere cupio?* Et infra, *labor meus in familiam Christi proficit.* Quòd deinde confirmat exemplo Origenis, Metrodij, Quadrati, Aristidis, & aliorum multorum, tam Græcorum, quâ Latinorum. Et concludit, *Quia omnes in tantum Philosophorum doctrinis, atque sententiis nostrorum vsi sunt vt nescias quid in illis primum admirari debeas, eruditionem seculi, an scientiam Scripturarum.* D. etiam Augustinus in libris de doctrina Christiana ex professo ostendit, quàm sint necessariæ huiusmodi artes ad sacram Scripturam intelligendam, præsertim lib. 2. Et in summa tria dicit esse necessaria; signorum intelligentiam, rerum cognitionem & dubiorum ac difficultatum expeditionem. Primum confert linguarum notitia; ad secundum iuuant Philosophia, & Mathematicæ; in tertio modum, & magnum lumẽ præbet Dialectica: suppoſuerat autem lib. 1. cap. 1. duo esse necessaria in omni tractatione; scilicet modum inueniendi, quæ intelligenda sunt, & modum proferendi, quæ intellecta sunt. & ideo præter illa tria, quæ ad intelligentiam necessaria sunt, ad proponendi modum in lib. 4. requirit eloquentiã, non vt simpliciter necessariam, sed vt valde vtilem, & vt cum debita moderatione vsurpetur; quod de Dialectica, & de cæteris artibus intelligendum erit, vt ipse latè prosequitur lib. 2. cap. 35. & sequentibus. Quomodo etiam dixit optimè Clemens Alexandrinus lib. 6. stromat. n. 2. versus finem, *vitandus est multus, & plane inutilis abusus, qui consumitur in iis, in quibus non oportet, eo, qui est cognitione præditus, vt in disciplinis tanquam præexercitationibus, quæ adiumenta in causarum instar habeant, & ad accuratam veritatis traditionem, quatenus id potest assequi, nec abto potest diuelli, & ad propulsandas artificiosas rationes, quæ improbe moliuntur, excindere veritatem non relinquit ergata, quæ promouent ad eas, quæ sunt in orbe disciplinas, & Græcam Philosophiam, sed non principali ratione sed ea quæ est necessaria, & secunda, & deriuatur à circumstantijs.* Et paulo superius optimè concluserat: *Par consequentia ergo his quæ attendit, quæ exercent ad cognitionem, sumens ex vnaquaque disciplina id, quod confert ad veritatem.* Et postea latè prosequitur per singulas liberales artes discurrendo, earumque vtilitatem attingendo: adducitque exemplum Abrahæ, qui in Astrologia, & Astronomia peritus fuit, eisque ad veritatis cognitionem optimè est vsus; sicut etiam de Moyse dicitur Actor. 7. quod eruditus erat omni sapientia Ægyptiorum, quod non sine peculiari Dei prouidentia factum est, vt eos confunderet, à quibus eruditus est, vt Theophylactus ibi indicauit. Hinc denique Nazianzenus orat. 20. quæ est funebris in Basilium, illud (inquit) *inter sanæ mentis homines constare arbitror, eruditionem inter humana bona principem locum tenere, non de hac nostra solum, ac nobilioris loquor, quæ conferre pro omni sermonis tempore atque ætate saluti vni; atque earum rerum quæ ratione, atque animo intelliguntur pulchritudini atque ordini, quæ ad pietatem sanctissimè hæret; sed etiam de externa, quam plerique Christiani prauo quodam iudicio vt insidiosam, & periculosam aspernantur.* Quod latè prosequitur & variis exemplis declarat.

Ex his ergo sufficienter conuincitur, totam hâc IV. eruditionem humanam, debita intentione, ac moderatione sumptam Doctori Euangelico esse valde vtilem, ac moraliter necessariam, quæ erat prima pars assertionis. Quòd autem religioso statui non repugnet, quæ erat secunda, eisdem exemplis, & rationibus conuinci potest: Hieronymus enim, & Augustinus religiosi fuerunt, qui vbique summam eruditionem in his literis ostendunt. Idem dicere possumus de Athanasio, Basilio, Nazianzeno, & similibus. Ratio etiam id conuincit: quia finis propter quem hæ scientiæ quæruntur optimus est, & maximus in perfectissimo statu religioso necessarius, vt sæpe est ostensum. Medium etiam hoc, & per se bonum est; quia est perfectio intellectus, & veritatum naturalium cognitio, & quatenus medium quoad multa valde vtile, quoad aliqua verò, etiam necessarium est ad dictum finem. Est enim necessaria sal-

Secunda assertio.

Ratio.

tem

tem Latinæ linguæ sufficiens cognitio, & Dialecticæ & Philosophię mediocris eruditio: sine his enim nullus nisi temerè, & imperitè ad Theologiam accedere potest. Ad eam verò exactè comparandã linguarum cognitio, & peritia omnium artium, præsertim verò Dialecticæ, Philosophiæ, & Metaphysicæ exacta comprehensio vtilissima est. Hinc Clemens V. in Clem. 1. de statu Monach. §. penult. inter alia, quæ ad ampliationem cultus diuini statuit, vnum est; *Vt in singulis monasteriis, quibus ad hoc suppetunt facultates, idoneus teneatur Magister, qui eos* (id est, Monachos) *in primitiis scientiis instruat diligenter.* Per primitiuas autem scientias sine dubio intelligit eas, quæ ad diuinam Theologiam præambulæ sunt; ideòque rationem adiungit, *vt monachis proficiendi in scientia via opportuna non desit*, cui consonat cap. *quia nonnullis.* de Magistris, vbi Grammatica etiam doceri præcipitur, *ne opportunitas proficiendi subtrahatur.* Vnde etiam Trithemius dicto lib. de viris illustribus S. Benedicti cap. 6. refert antiquissimam consuetudinem illius sacri ordinis fuisse iuniores fratres disciplinis scholasticis instituere, vt Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Philosophia, & aliis, quibus sufficienter instructi ad sacram Scripturam introducerentur. Quòd si in religionibus monasticis hæc consuetudo probata fuit, multo magis in illis; quæ ad spiritualia ministeria proximorum instituta sunt, vt rectè concludit D. Thomas dict. Opusc. 20. cap. 13.

V. *Tertia pars assert. suadetur ex fine Societatis.*

Ex quibus nos à fortiori concludimus tertiam assertionis partem *religioni Societatis necessariam fuisse omnino hanc institutionem*: id verò constat ex dictis lib. 1. c. 2. de fine huius religionis: nam inter omnes quæ ordinantur ad salutem proximorum, sine dubio excellit in modo, & præcipua intentione quærendi salutem animarum: ad quem finem tria principalia munia assumit, scilicet propagare Ecclesiã inter infideles, & quascunque remotissimas nationes, defendere illam ab hæreticis, & impugnatoribus pro eorum simul reductione laborando: exhortari, & docere ipsos Catholicos ad eorum sanctificationem, & omnem perfectionem quoad fieri possit cooperando. Vnde fit, vt hæc religio peritia linguarum, & totius Philosophiæ ac Metaphysicæ indigeat, non solum propter Theologiæ, & sacræ Scripturæ intelligentiam, sed etiam vt aliis modis ea peritia vtatur in fidei obsequium.

VI. *Quibus de causis peritia linguarũ Societati necessaria.*

Nam peritia linguarum hoc tempore maximè necessaria est ad resistendum hæreticis, & eorum petulantiam retundendam: aliquarum etiam linguarum cognitio ad seminandam fidem inter Paganos, & Gentiles maximè necessaria est Vnde sicut Spiritus sanctus ob hanc præcipuam causam primis Euangelij prædicatoribus tribuit linguarum donum, ita quando illa signa cesserunt, religio, quę illud munus participat, debita diligentia & industria linguæ instrumenta præparare, & quoad fieri possit, vniuersale efficere debet: quod sine peritia linguarum non fit. Hac ratione vtitur Pontifex in Clement. 1. de Magis, dicens, *Illius, cuius vicem in terris gerimus, imitantes exemplum, qui iturus per vniuersum mundum ad euangelizandum Apostolos in omni linguarum genere fore voluit eruditos, viris Catholicis peritiam linguarum habentibus, quibus vtuntur infideles, præcipue abundare sanctam affectamus Eccl. siam qui infideles ipses sciant, & valeant sacris institutis instruere.* De qua re videri potest Ludou. Gomez. super regulas Cancellariæ, reg. De *idiomate* q. 1. vbi hoc ipsum argumentum rectè prosequitur dicens quam sit necessaria ad fidei propagationem linguarum notitia, illarum præcipuè quæ apud infideles frequentiores sunt. Philosophia etiam necessaria est huic religioni, non solum ad Theologiam sibi acquirendam, sed etiam vt per eam præpararet viam ad tractandam cum Gentibus fidem, conuincendo eorum errores, & naturales veritates de Deo euidenter demonstrando: hunc enim morem antiqui patres, & Ecclesiæ rectores obseruarunt, vt constat ex Augustino in libris de Ciuit. Dei, Eusebio in libris de Præparatione, & demonstratione Euangelica, Iustino in oratione Parænetica ad Gentes, & vtraque Apologia pro Christianis. Cyrillo libris contra Iulianum, Tertulliano, Arnobio & aliis. Fieri autem non potest, secluso miraculo, aut extraordinaria prouidẽtia Dei, vt aliquis sufficiat vi & efficacia rationum errores naturali lumini contrarios conuincere, nisi in Philosophicis disciplinis accuratè instructus, & eruditus sit.

Quod optimè confirmat exemplum Danielis, prout illud expendit Glossa ordinaria, circa illud verbum Danielis, *Proposuit autem Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa Regis, &c.* Dixerat enim priùs iussisse Regem Præposito suo, vt introduceret de filiis Israel pueros *eruditos omni sapientia, cautos scientia, & doctos disciplina, & qui possint stare in palatio Regis, vt doceret eos literas, & linguam Chaldæorum.* Et adiungit, constituisse eis *annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino vnde bibebat ipse*: postea verò solũ dicit proposuisse Danielem, *ne pollueretur de mensa*, tacite significans à doctrina & peritia linguarum, non abstinuisse: qui enim duobus propositis vnum excludit: aliud tacitè admittit, vt argumentatur Gregorius hom. 18. in Euangelia, & pro iure positum est in cap. *nonne*, de præsumptionibus. Quo argumento suppositò, rectè dicit prædicta Glossa ex Hieronymo ibi, *Qui de mensa Regis non vult comedere, ne polluatur si sapientiam, atque doctrinam Aegyptiorum sciret esse peccatum, nunquam did. isset: didicit autem, non vt sequatur, sed vt iudicet, atque conuincat. Si enim qui imperitus huius artis, adue sus Mathematicos scribat, aut experiens Philosophiæ: contra Philosophos agat, irridendus est. Hac ergo intentione* (concludit) *discunt pueri Chaldaicam doctrinam, qua & Moyses omnem sapientiam Aegyptiorum didicerat.* Et in fine capitis indicat Daniel Deum specialiter cooperatum fuisse huic intentioni, & studio eorum, *Pueris* (inquit) *hos dedit Deus scientiam, & disciplinam in omni libro, & sapientia.* Et infrà, *Et omne verbum sapientiæ, & intellectus, quod suscitatus est ab eis Rex inuenit in eis decuplum super cunctos Ariolos, & magos, qui erant in vniuerso regno eius.* Quod planè intelligitur de propria doctrina & Philosophia ipsorum Chaldæorum; vt Hieronymus & Theodoretus adnotarunt. His ergo propriis & specialibus rationibus necessaria est Societati harum rerum summa eruditio.

VII. *Firmatur necessitas vtriusque peritiæ exẽplo.*

In quo etiam considero, aliud esse loqui de toto corpore, seu confuse de operariis Societatis, aliud verò de singulis personis eius. Nam priori modo loquendo absolute dicere possumus necessariam esse Societati maximam perfectionem omnium dictarum disciplinarum, & linguarum: quia licet difficile, vel moraliter impossibile sit, omnes illas simul cum theologica doctrina in singulis personis perfectè coniungi: tamen in ipso corpore Societatis esse potest, & procuranda est excellentia, & eminentia in omnibus illis. Quod & facile comparari poterit, si in vnaquaque disciplina aliquis, vel aliqui sint, qui peculiari studio, & diuturniori tempore, ac diligentius illi incumbat, & ad varia Ecclesiæ obsequia, quæ pro temporum, & occasionum diuersitate occurrunt, vtilissimum est, vt discursus factus ostendit, & ipsa experientia satis hactenus comprobauit. Atque ob eam rem, quamuis hæc studia in Societate principalius ad Theologiam referantur, ad quam, & ad sacræ Scripturę intelligentiam eius religiosi frequentius, & principalius tendunt. Nihilominus interdum aliqui diutius in his inferioribus artibus occupantur,

VIII. *Dicta peritia quomodo Societati necessaria.*

tur, vt in eis singulariter ad prædictos fines excellant.

IX. *Ad 1 argumentum in n. 1.* Ad obiectiones in principio positas respondetur primùm, Paulum ad Timoth. eos reprehendere, qui ita discunt, vt ad veritatis cognitionem peruenire non possint. Hi autem præcipuè sunt, qui ea discunt, quæ à vera fide ipsos auertunt, & in errorem inducunt; de quibus statim ait, *Homines corrupti mente, reprobi circa fidem*; & ad distinctionem illorum subdit, *Tu autem assequutus es meam doctrinam*, &c. Potest autem illa reprehensio etiam extendi ad eos, qui in externis disciplinis ita versantur, & immorantur, vt per eas non ascendant ad altioris veritatis cognitionem. Quam autem ad Corinth. vocat Paulus *sapientiam huius mundi*, non necesse est intelligi esse veram Philosophiam, secundùm se spectatam; sed vel sapientiam huius mundi vocat mundanam prudentiam, quæ crucem Christi stultitiã reputabat; & ideo subdit statim, *Prædicamus Christum, & hunc crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*; vel certè per *sapientiam huius mundi* intelligit totam Philosophiam, & eruditionem Gentilium, quæ *stulta* dicitur, vel quia multis erroribus admista erat, vel quia per illam mundus Deum non cognouit, vt ibidem dicitur, sed potiùs ea abusus est ad veritatem fidei oppugnãdam. Atque Philosophiam in hoc sensu sumptam vocauit Apostolus inanem fallaciam. Nihilominus tamen secundùm se sumpta optima est, & ab ipso Deo data, vt ipsemet Paulus signincauit ad Rom. 1. dicẽs: *quod notum est Dei, manifestũ est in illis: Deus enim illis manifestauit*, &c. statim verò subdit, ipsosmet Philosophos factos esse insipientes, quia commutãuerunt veritatem Dei in mendacium; oblato ergo errore, & prauo vsu, veritas, quæ in Philosophis inuenitur formidanda non est, sed potiùs ab eis, vt ab iniustis possessoribus in vsum nostrũ vindicanda, vt dixit August. 2. de doctrina Christiana cap. 4.

X. *Ad 2. ibid.* Ad argumentum Iuliani respondet Cyrillus, lectionem sapientum Græcorum vtilem esse Ecclesiasticis tractatoribus, tum ad eruendam veritatem, quæ in ipsis est, tum ad confundendos eorum errores, & ex vtroque veritatem fidei illustrandam. Neque est simile quod de idolothytis afferebat Iulianus, nam hæc à Christianis vitantur, non materialiter (vt sic dicam) quatenus caro, vel panes sunt; sed formaliter quatenus idolis dicata sunt, ne impiis sacrificiis consentire, aut participare videantur: in studio autem Philosophiæ, aut lectione librorum Gentilium nihil est vanum præter abusum, excessum, aut prauam intentionem: quæ omnia à nostris religiosis vitantur, vt cap. seq. dicam.

XI. *Ad 3 ibid.* Ad iura canonica respondetur in c. *non magnopere*, & c. 2. ibi citatis, per *physicas disciplinas* solum intelligi medicinam, vt manifestè constat ex præcedentibus verbis, quibus reprehẽduntur *qui de claustris suis exeunt ad confectiones physicales ponderandas*, & occasione scientiæ, rursus actionibus mundanis implicantur. Ad Concilium Carthaginense respondetur, meritò prohibuisse non omnibus, sed Episcopo lectionem librorum Gentilium, tum quia ratione sui muneris, si ei satisfacere velit, vix poterit huiusmodi lectioni sibi non necessariæ vacare. Et ideo illi promittitur lectio librorum hæreticorum pro necessitate aut tempore, vt ibi dicitur: quia ad munus Episcopi pertinet hæreticis resistere, ac respondere: cùm Gentilibus autem disputare: iam non pertinet ad munus eius: potuit autem magis pertinere in initio Ecclesiæ: quando Ecclesia in gentibus fundabatur. Tum etiam, quia Episcopus ratione sui status, præsumitur in doctrina sacra perfectus, & consequenter, non indigere lectione Philosophorum ad eam comparandam, & consequenter non esse illi necessariam. Cui expositioni consonat illud Hieronymi ad Damasum epist. 146. *At nũc etiam sacerdotes Dei, omissis Euangeliis & Prophetis, videmus Comœdias legere, amatoria Bucolicorum versuum verba canere, tenere Virgilium, & id, quod in puerũ necessitas est, crimen in se facere voluptatis.* Addo insuper prohibitionem illius Concilij videri potius admonitionem quandam, quàm præceptum. & intelligendam esse de lectione nimia, in qua principale studium, & hominis applicatio collocatur. Alicuius autem honestæ recreationis causa, vel accidentariæ cuiusdam venustatis, seu ornatus, nunquam fuit prohibitum etiam Episcopo, legere Gentilium libros. Quomodo dixit Cyril. li. 7. contra Iulianum vbi suprà, *Sufficit quidem diuina Scriptura ad faciendum eos, qui in illa educati sunt, sapientes, & probatissimos, & sufficientissimam habentes intelligentiam, indigemusque ad hoc nihil prorsus externũ magistrũ. Quoniam autem dulce est omnia scire, & idcirco hac ratione, & valde prudenter etiam Græcorum sententias diligenter discimus, quas de vnaquaque re habuerint, & ante alia de Deo, & inde ridendi occasionem accipimus, quod volunt innumeros Deos & immundorum dæmoniorum multitudinem honorare.* Alia ergo decreta illius dist. 37. manifestè loquuntur de nimio excessu in studio talium literarum, & de prauo vsu illius, vel in moralibus vitiis, vel in erroribus contra fidem: quo sensu manifestè loquitur Hieronymus in locis ibi citatis.

CAPVT III.

Vtrùm ratio proficiendi in literis conuenienti modo, & per apta media in Societate instituta sit.

SVppositâ probitate & honestate doctrinæ, duo sunt, quæ ad illius profectum maximè iuuant, vnum est conueniens modus, & ordo vacandi studio literarum. Alterum, vacare per media apta & vtilia. Hic autem profectus in statu religioso non est nude (vt ita dicam) spectandus, id est, solius scientiæ argumento considerato, sed adiuncta semper ratione religiosa scientiæ: & ideo hoc votum in ipsa ratione & institutione Societatis studiorum cõsideratum est. *Lib. 1. cap. 14. num. 5.*

Dico igitur primò rationem hanc proficiendi in studiis, quatenus ad ipsosmet religiosos Societatis spectat conuenientissimè in constitutionibus eiusdem Societatis esse statutam. Assertio hæc constare debet ipsasmet constitutiones legendo, & considerando: libet autem eam explicare præmissa sententia Bernardi, qui sermone 36. in Cantica tractans illud 1. ad Corinth. 8. *Qui se putat aliquid scire, nondum scit quomodo oporteat eum scire*, sic inquit, *Vtilitas, & fructus scientiam modo sciendi præsumit. Modus autem sciendi est, vt scias quo ordine, quo studio, quamque quæque nosse oporteat.* Hæc ergo tria diligentissimè obseruauit B. Ignatius: nam quoad ordinem primò ac præcipuè seruari iubet inter studium virtutis & doctrinæ. & ideo statim in procœmio 4. partis constitutionum inquit: *Postquam ea, qui admissi sunt ad probationem, tactum esse videbitur almæ vocationis propriæ, profectus in virtutibus necessarius conueniens fundamentum, & literarum adificio agendum erit.* Et cap. 4 §. 2. statim admonet cauendum esse, *ne feruore studiorum intepescat solidarum virtutum, & religiosæ vitæ amor.* Deinde in cap. 5. præcipit seruari ordinem disciplinarum, seu artium inter se: quod clarius his verbis explicat cap. 6. §. 4. *In disputatione, ordo se habendus est, vt prius in Latina lingua soliditatem habeant fundamentum, quam artium liberalium, & in his antequam*

antequam Theologiæ scholasticæ, & quidem in hac, antequam positiuæ studiis se dedant. Sacræ Scripturæ vel eodem tempore, vel postea discipoterunt. Dices Bernardum longè alium ordinem docuisse, dicentem, Quo ordine? vt id priùs, quod maturius ad salutem. Respondeo, vel non loqui de ordine harum scientiarum inter se, sed de priori comparatione, ad sciẽtiam virtutis, vel certè loqui simpliciter, de ordine vt includit ordinem intentionis: sic enim inchoandum est ab ea scientia, quæ maturior, & propinquior est ad salutem, atque ita sacra doctrina prima in ordine tali futura esse debet. At verò ordine executionis necesse est à rudimentis incipere, & ab imperfectioribus ad perfectiora progredi. Et hunc ordinem nobis proposuit B. Ignatius.

Obiectio diluitur.

II.

Quo sensu S. Ignat. Theologiam positiuam ab Scripturæ distinxerit.

In cuius verbis illud solùm explicandum occurrit, quòd Theologiam positiuam à sacræ Scripturæ intelligentia distinguit, cùm tamen ordinario, & communi loquendi modo doctrina, quæ intelligẽtiã Scripturæ tradit, nomine *Theologiæ positiuæ* significare soleamus. Videtur ergo per positiuam Theologiam intellexisse Ignatius lectionem sanctorum Patrum, & Conciliorum ac decretorum Ecclesiasticorum, vt significatur in declaratione capituli 5. lit. B. & in cap. 12. §. 1. & cap. 14. §. 1. lit. C. quibus etiam addere possumus eam historiæ Ecclesiasticæ eruditionem, quæ ad traditiones Ecclesiasticas eruendas, & fundandas confert. His enim omnibus perfectus Theologus, summa diligentia incumbere debet, post iacta tamen Theologiæ scholasticæ non exigua fundamenta. Potest etiam sub positiua doctrina tota illa eruditio comprehendi, quæ pro concionibus ad populum necessaria est. Errant enim valdè, qui ante magnum profectum in Theologia scholastica, ad illud genus studij distrahuntur, quia omnia confundunt, & nihil cum fundamento solido, plura autem non sine periculo errandi addiscunt. Hoc ergo totum in prædicta cõstitutione, & distinctione verborum significari videtur. Nam illud Scripturæ studium, quod præcisè ordinatur ad literalem eius intelligentiam, necessarium est, ad ipsammet scholasticam disciplinam. Et ideo oportet aliqua illius principia, seu inchoationem aliquam, cũ ipsamet Theologia scholastica accipere. Et fortasse ob eam rem sub disiunctione dixit B. Ignatius, vel eodem tempore, vel postea addisci posse, quia reuera necessarium est aliquem profectum in scholastica Theologia priùs facere, postea verò in discursu eiusdem disciplinæ, aliquid de Scripturæ intelligentia adiungere.

Vide formulam de promouendis ad gradum 62. n. 4.

Ante Theologiam formonibus ad populum nõ insudandũ.

III.

Secundum requisitum est vt studiosius discantur quæ Deo magis accedunt.

De secundo puncto necessario ad profectum scientiæ dixit Bernardus. *Quo studio? vt id ardentius, quod vehementius ad amorem.* Quod egregiè quidem dictum est, loquendo de scientia mystica, quæ magna ex parte practica est, & ad amorem ordinatur; suo tamen modo etiam applicari potest ad artes, & ad scientias speculatiuas, de quibus loquimur. Nam ex parte discentis ad istum finem diuini amoris ordinandæ sunt; & ideo, quæ propinquiùs ad illum accedunt, & magis ad illum mouent, maiori affectu, & studio suscipiendæ sunt. Item quia, (vt Philosophus ait) Propter quod vnumquodque tale, & illud magis: at inferiores artes addiscendæ sunt propter sacram doctrinam, quæ proximè, & vehementius in Deum ducit: ergo huic impensius studendum est. Verumtamen, quamuis ex parte affectus, siue quoad intentionem siue quoad apprehensionem, hoc verum sit, nihilominus quoad effectum, & applicationem laboris, quælibet doctrina maximo studio suscipienda est, quantum eius difficultas, & arduitas postulauerit: mensura enim proxima huius studij, non est amor, sed operis arduitas, & necessitas. Et ideo B. P. Ignatius generaliter de omnibus his studiis dixit 4. p. constit. cap. 6. §. 2. *Serio, & constanter animum studio applicare deliberent, sibique persuadeant, nihil gratius se Deo facturos in Collegio, quàm si ea intentione, de qua dictum est, studiis se diligenter impendant.* Et §. 8. *Scholastici in audiendis lectionibus sint assidui, & in eis præuidendis diligentes, & postquam eas audierint, repetendis, iis, quæ non intellexerint, interrogandis: alios verò, quæ oportuerit, admonendis.* Et in toto discursu illius capitis, multa prudentissimè ordinat, quæ magnam profectò animi, & laboris applicationem ad studia requirant. Propter quod in cap. 4. §. 2. tanquam fundamentum statuerat, hanc literariam operam totum hominem requirere. Ne autem nimia aut minus vtilis religiosis viris appareat, subiungit eodem loco, si cum debita intentione suscipiatur, non minus, imò magis gratam esse Deo, quacunque alia, pro studiorum tempore. Et in cap. 6. addit, *illum studendi laborem, ex obedientia, & charitate susceptum, esse opus magni meriti*, & ideo non amitti fructum eius, etiamsi ad effectum per illud intentum (præmaturè intercedente morte) non perueniatur.

IV.

Tertium requisitum est finis generalis, proprius & peculiaris proximorũ.

Iam verò de vltimo membro interrogat Bernardus *quo fine?* & respondet, *vt non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad ædificationem suam, vel proximi. Sunt namque* (ait) *qui scire volunt, eo fine tantum, vt sciant: & turpis curiositas est, & sunt qui scire volunt, vt sciantur ipsi: & turpis vanitas est, qui profectò non euadent subsannantem satyricum, & ei qui huiusmodi est decantantem: scire tuum nihil est, nisi te scire hoc, sciat alter? & sunt item, qui scire volunt, vt scientiam suam vendant, v. g. pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæstus est. Sed sunt etiam qui scire volunt, vt ædificent, & charitas est. Et item, qui scire volunt vt ædificentur, & prudentia est. Horum omnium soli vltimi duo non inueniuntur in abusione scientiæ, quippe qui ad hoc volunt intelligere, vt bene faciant.* Quæ verba omnia, ad rem, de qua agimus, accommodatissima sunt; nam vt ab vltimo verbo incipiamus. Societas ad hoc præcipuè doctrinam quærit, vt bene faciat, primùm sibi, deinde proximis. Nam, & propriam perfectionem primariò, & deinde perfectionem proximorum procurat. Quãquam enim in hoc scientiæ labore maiori ex parte dicere possumus principalem illius finem esse beneficium proximorum: nam ad propriam perfectionem minor eruditio, minorque linguarum, & scientiarum congregatio sufficeret. Nihilominus finis perfectionis propriæ nunquam excludendus est, etiam ab ipso studiorum labore, non solùm quia cùm ille meritorius sit, magis ac magis semper animam sanctificat: sed etiam, quia hoc studium, quantum est in se, magis ac magis hominem illuminat circa Dei cognitionem, & morum perfectionem, quæ principaliter semper intendenda est. Atque ita hunc finem proposuit nobis B. P. Ignatius initio 4. partis constitutionum, & cap. 5. in principio, *Cum doctrinæ* (inquit) *quæ in hac Societate addiscitur, hic scopus sit, suis, & proximorum animis Dei fauore aspirante prodesse.* Et ex hoc fine colligit cap. 12. in principio, potissimum incumbendum esse Theologicæ doctrinæ, quia illa est medium magis proprium ad dictum finem, vt circa verba Bernardi adnotauimus.

Ex quinque finibus duos postremos à Bern. proponi.

Perfi saty. 1.

V.

Fines alii peculiares pro studiis nostris assignantur.

Quamuis autem hic sit generalis finis in his studiis habendus: nihilominus in vnaquaque facultate, seu disciplina proximus, & peculiaris finis adhibendus est, vt iuxta illum mensura, & modus eius adhibeatur. Optimum exemplum est positum à B. Ignatio 4. p. Constitut. cap. 6. §. 5. vbi sic inquit, *Si linguarum studio nostri vacant, inter cætera, ad quæ discentium intentio feratur, illud sit, vt versionem ab Ecclesia probatam defendant.* Potest etiam infidelium con-

uersio esse proximus finis addiscendi linguas, iuxta superiùs dicta. Propter quod 2. p. Constitut. cap. 12. §. 2. priùs dicitur, propter Theologiam, & eius vsum addiscendas esse, Latinam, Græcam, & Hebraicam, linguas, postea verò subditur. *Aliarum præterea linguarum, qualis est Chaldaica, Arabica, & Indica, vbi necessariæ, vel vtiles ad dictum finem viderentur, habita regionum diuersarum, & causarum, quæ ad eas docendum mouent, ratione, possent præceptores constitui.* Vbi in declaratione lit. B. dicitur, *Cùm in aliquo Collegio eò spectaretur, vt homines ad Saracenos, vel Turcos iuuandos præpararentur, Arabica lingua, vel Chaldaica conueniret: cùm ad Indos, Indica, & sic de aliis dicendum,* &c. Cuius constitutionis, & declarationis vestigiis egregiè insistit S. Congregatio canon. 54. eodem modo de Philosophia, & Artibus liberalibus iudicandum est: nam, vt superiùs diximus, hæ & Theologiæ inseruiunt, & per se etiam iuuare possunt ad finem circa proximos intentum. Quod his etiam verbis significatum est 4. p. Constitut. cap. 12. §. 3. *Artes, & scientiæ naturales, ingenia disponunt ad Theologiam, & ad perfectam cognitionem, & vsum inseruiunt, & per seipsas ad eundem finem iuuant.* Oportet ergo, vt qui in Societate illis incumbit, finem proximum intueatur, propter quem illud studium assumunt: nam longè aliter Philosophiæ studere debet, qui illa vsurus est tanquam proximo instrumento ad infideles conuincendos, quàm is, qui solùm illam assumit, vt dispositionem ad Theologiam: & sic de aliis. Et ideo in declaratione eiusdem cap. lit. C. generatim dicitur, *Tractabitur Logica, Physica, Metaphysica, moralis scientia, & Mathematicæ: quatenus ad finem nobis propositum conueniunt.*

VI. *In volutandis huiusmodi libris finis etiam proximus attendendus.*

Atque eadem ratio finis propinqui circa lectionem librorum maximè necessaria est; vt scilicet, illi ab vnoquoque legantur, qui proprio munere, seu fini sibi peculiariter præfixo vtiles; & accommodati sint, alioqui lectio ad curiositatem potius erit, quàm ad religionem pertinebit. Et ideo quibusdam Gentilium, seu infidelium librorum lectio necessaria est, vt possint eorum errores confutare, & argumenta dissoluere: aliis verò inutilis, vel nociua erit talis lectio. Similiter in aliquo religioso erit Astrologiæ, v. g. operam dare, si fini sibi præstituto inseruiat; in alio erit inutile, & otiosum. Sicut quodlib. 4. a. 16. dixit D. Thom. studere magicæ arti ad reprobandam, & confutandam illam bonum est; tamen si sit talis persona, ad quam non pertinet hoc scire, inordinatum esse appetitum.

VII. *Quo modo improbandus primus finis ex tribus datis à Bernardo*

Atque hinc colligo ex illis tribus finibus, quærendi scientiam, quos D. Bernardus non probauit, primum non esse quidem per se malum, respectu tamen religiosi esse inordinatum ratione status, & conditionis talis personæ, vt à simili colligo ex D. Thoma in dict. quodlib. Cùm enim scientia naturaliter appetatur, ex suprema hominis inclinatione per se bona est, & honesta, quia si per se spectat ad animi ornamentum, & perfectionem, illam propter se appetere, non est per se malum, etiamsi per eam nihil aliud intendatur, nisi cognitio naturalis veritatis. At in viro religioso duplici ratione id est reprehensibile. Primò, quia ratione sui status tenetur in his præcipuè versari, quæ ad perfectionem conferant: scientia autem per se spectata, nihil confert. Secundò, quia qui hac solùm intentione in studiis versatur, regulariter non quærit ea quæ vtiliora sunt, sed quæ delectabiliora. Meritò ergo tale studium in viro religioso, dici potest turpis curiositas; licèt enim in particulari fortasse non semper sit propria culpa, ac peccatum, semper tamen est valde imperfectum, & expositum multis periculis sæpius in eo peccandi, propter rationes dictas.

VIII. *Secundus finis improbatur.*

Secundus autem finis per se & intrinsecè malus est: & quamuis ex obiecto non habeat malitiam mortalem, potest tamen facile esse occasio multorum grauium peccatorum, sicut de ambitione, & de inani gloria docuit D. Thomas 2. 2. q. 131. art. 1. & quæst. 132. art. 3. & 4. Maximè autem solet ex hoc fine oriri appetitus ostentandi singularem scientiam, & consequenter, dicendi noua, quod maximè in Theologica doctrina cauendum est; præsertim quando nouitas est antiquitati contraria, nam si sit ad illius confirmationem, maioremque illustrationem, & amplificationem, non semper est reprehendenda. Hoc enim est quod dixit Vincentius Lirinensis lib. aduersus profanas nouitates cap. 26. & 27. tractans illud Pauli 1. ad Timoth. 6. *O Timothee depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates. O Timothee* (inquit) *ô sacerdos, ô tractator, ô Doctor, si tu diuinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrina, esto spiritualis tabernaculi Beseleel: pretiosas diuini dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, aderna sapienter, adijce splendorem, gratiam, venustatem, intelligatur & exponente illustrius, quod antea obscurius credebatur, per te posteritas intellectum gratuletur, quod antea venustas, non intellectum veneretur abatur: eadem tamen quæ didicisti, ita doce, vt cum dicas nouè, non dicas noua.* Quod latius deinde prosequitur. Sic etiam dixit Bernardus epist. 17. ad Canonicos Lugdunenses, *Nouitas contra Ecclesiæ ritum præsumpta, mater est temeritatis, soror superstitionis, & filia leuitatis.* Atque eodem modo, omnia iura reprobant nouitates antiquis consuetudinibus contrarias, quæ plerunque discordiam pariunt, vt ait Honorius III. in cap. *cum consuetudines*, de consuetudine. & Benedictus XI. Extra. *inter cunctas*, de priuileg. de qua re plura legi possunt d. 11. & 12. Quod non solùm verum est de nouitate morum, sed etiam de nouitate doctrinæ, quando talis est, vt antiquæ repugnet, turbat enim pacem, & occasio est erroris, vt enim dixit Baldus consil. 112. lib. 2. *Rectè bene loquitur, qui contra omnes loquitur.* Et propter hanc causam, sæpe in nostris constitutionibus admonemur nouas opiniones vitare. 3. p. constit. cap. 1. lit. O. & p. 8. cap. 1. lit. K. additur commumorem doctrinam esse sequendam. & p. 4. cap. 5. §. vlt. magis approbatam, & securam, & similia multa, quæ prædictæ nouitati contraria sunt. Ad hoc ergo incommodum vitandum maximè necessarium est turpem illam vanitatem à principio vitare, ne quis scientiam adiscat, vt sciatur, id est, non eo statim procedat hæc vanitas, vt non solùm sciens, sed etiam auctor & inuentor suæ scientiæ, quis videri velit.

IX. *Tertius finis improbatus maximè alienus esse debet ab scholaribus Societatis.*

Tertius finis à Bernardo improbatus maximè alienus esse debet ab scholaribus Societatis. Nam licèt quærere scientiam ob quæstum, vel pecuniæ, vel honoris, ex se non sit intrinsecè malum si in illo fine non sistatur, sed ad alium honestum referatur: nihilominus in Societate inordinatum est, vtpote contrarium regulæ, & instituto eius. Primò enim (vt suprà lib. 4. cap. 7. à numer. 18. ostendimus) nullum stipendium, aut temporale commodum pro suis ministeriis accipere potest: ergo repugnat huic instituto scientiæ incumbere propter quæstum pecuniæ: nam qui hanc intentionem habet, virtute habet propositum recipiendi postea pecuniam, & propter vsum suæ scientiæ; quod vix potest excusari à peccato graui. Posset autem aliquis intendere huiusmodi quæstum, vel commodum temporale, non per modum stipendij, sed solùm per modum emolumenti; quod consequi sperat, si doctus euadat; eo modo, quo licitè potest, & solet consequi: iuxta quem modum excusabitur

à pec-

à peccato graui, non tamen à magna imperfectione, & vix ab aliqua culpa, quia finis ille imperfectissimus est, & per se spectatus voluptuosus potius, quàm honestus. Idem ferè dicendum est de quæstu honoris, quantum enim humano modo fieri potest, per institutum Societatis præclusa est via obtinendi honores, vel dignitates per literarum excellentiam, nam ob hanc causam part. 10. §. 6. professi vouent non ambituros dignitatem, vel prælaturam, & ideo etiam locorum ordo inter nostros non habetur, etiam in scholis part. 4. cap. 6. §. 17. & cap. 15. §. 4.

X. *Instantia diluitur.*

Dices, eisdem locis permittitur gradus literarios accipere, quibus notæ, & signa honoris coniuncta sunt. Respondetur hos gradus tantùm admitti, quatenus propter alios necessarij sunt ad maiorem Dei gloriam, & fructum animarum, est enim circa hanc partem, & circa dicta in num. 7. de primo fine prauo, aduertendum, testimonium scientiæ apud alios, & honorem, qui ex illo sequitur, interdum esse necessarium, vt scientia ipsa aliis vtilis esse possit; quia, vt dicitur Ecclesiast. 20. & 41. *Sapientia abscondita & thesaurus inuisus* (id est, occultus) *quæ vtilitas in vtrisque?* Et ideo licèt quispiam non debeat discere, vt sapiens habeatur, nihilominus per se non est malum comparatam doctrinam aliis manifestare, & bonam apud illos opinionem de doctrina habere velle, non in fama, vel honore sistendo, hoc enim vanum esset, sed vt aliis vtilis esse possit. Quomodo dixit Rabanus circa parabolam de talentis Matth. 21. reprehensione dignos esse, qui ex quadam immoderata humilitate doctrinam abscondunt, neque illâ in vtilitatem proximorum vtuntur. In hunc ergo finem perfectionem doctrinæ publicis actionibus ostendere, & eius insignia vel honores admittere, malum non est, nec prædicto ordini seu intentioni contrarium. Vnde D. Thom. 2. 2. q. 132. art. 1. ad 1. ait, laudabiliter posse hominem, ad aliorum vtilitatem gloriam suam appetere, iuxta illud Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona.* Et dict. opusc. 19. cap. 3. ex professo probat religiosos licitè admittere hos gradus: etiam in vniuersitate seculari. Et in cap. 2. eiusdem opusc. explicat latè illa verba Matth. 23. *Vos autem nolite vocari Rabbi*: ne huic veritati contraria videantur, & ex professo probat ibi non dari à Christo præceptum vel consilium nõ exercendi munus Doctoris, vel Magistri, cùm hoc repugnet officio, quod Christus ipse & Apostoli exercuerunt, cumque huic officio specialis corona in cœlo promittatur, & ideo Christus D. dixerit; *Qui fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum.* Deinde probat ibi non vetari nomen, aut alia insignia Magistri, vel Doctoris; quia si officium malum non est, nec nomen erit malum, neque ea insignia, quæ non ad elationem, sed ad autoritatem officij ordinantur. Vnde Paulus 1. ad Timoth. 2. & 2. ad Timoth. 1. se & Doctorem, & magistrum appellat; concludit ergo ibi prohiberi à Christo ambitionem, & elationem, quæ est in desiderio huius gradus, vel nominis, solùm propter proprium honorem, & æstimationem. Quem sensum præcedentia Christi verba satis indicant, *Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Vbi Gloss. interlinealis, *Magistros* (inquit) *primos sedere non vetat; sed eos arguit, qui hæc habita, vel non habita indebitè appetunt.* quæ verba ferè habentur in homil. 43. imperfecti.

Quibus mediis rem literariam Societas in suis scholasticis promoueat.

XI. *Varia media proficiendi in doctrina indicantur.*

Vltimò non erit ex his difficile ostendere media etiam proficiendi in doctrina aptè & conuenienter esse in Societate instituta. Varia enim media ad hunc finem essequendum necessaria sunt; quædam corporalia, alia spiritualia, & inter hæc quædam pertinentia ad voluntatem, alia ad intellectum, quædam diuina, alia humana; quædam denique positiua, quædam verò priuatiua, remouentia scilicet ea, quæ huiusmodi profectum impedire possunt. De his ergo omnibus ita prouisum est scholaribus Societatis, vt nihil amplius desiderari posse videatur. Inter corporalia enim media, illa dici possunt esse positiua, quæ ad scholarium sustentationem necessaria sunt, & ideo in iure Canonico; qui studeant vt Ecclesiæ inseruiant, multis gaudent priuilegiis, vt constat ex cap. *super specula*, de Magistris, & cap. *relatum*, de Clerico non resid. & cap. 2. de priuileg. in 6. & ex Concilio Trid. sess. 5. cap. 1. de Reformatione, & aliis, de quibus videri potest Panormitanus super dicta iura, & Rebuffus tract. de Priuilegiis scholasticorum priuil. 29. & sequentibus. Ob hanc ergo causam prouisum est in Societate, vt scholares in suis Collegiis habeant vnde conuenienter sustentari possint, tũ quo ad victum & vestitum, tum etiam quoad ipsum studium necessaria, ita vt omni harum rerum cura, & solicitudine liberi sint, religiosa moderatione contenti. De quo breuiter statuitur 4. p. Constitutionum cap. 4. in principio; latiùs part. 3. cap. 2. vbi lit. C. specialiter aduertitur in his, quæ ad vestitum attinent maiorem quandam rationem habendam esse cum scholasticis exterioris decentiæ, & commoditatis propter studiorum laborem. Et quoad instrumenta pro studiis necessaria statuitur in 4. p. cap. 6. §. 7. vt in Collegiis sit bibliotheca communis. & præterea vt quisque libros, qui necessarij fuerint, habeat. De aliis verò rebus minutioribus, cuiusmodi sunt mensa, lucerna, papyrus atramentum, calami, & similia, res erat per se clara, de qua non oportuit aliquid specialiter statui, quia sub generali regula paupertatis, & communis vsus rerum necessariarum continetur 3. p. c. 1. §. 7. & 8. & 6. p. c. 2. §. 11. In hoc autem eodem genere media priuatiua dici possunt, quæ corporalia impedimenta studiorum auferunt, seu præueniunt. Huiusmodi est illud quod habetur 4. part. constit. c. 4. §. 1. *Peculiari cura animaduertendum erit: vt temporibus valetudini corporis incommodis scholastici non studeant, vt somno quantum temporis satis sit tribuant, & in laboribus mentis modum seruent: sic enim fiet, vt diutius in illis perseuerare, tam in literis addiscendis, quàm in eisdem exercendis ad Dei gloriam possint.* Huc etiam spectat quod in c. 3. eiusdem partis §. 3. prouidetur, vt scholasticis tollantur impedimenta exteriorum occupationum, & laborum, tam in domesticis officiis, quàm in aliis ministeriis; vt diuturnius studiis vacare liceat. Et ad hunc finem constituuntur in Collegiis coadiutores temporales, vt scholastici ab his muneribus subleuentur, vt ibidem in declaratione dicitur lit. B. & C.

De mediis corporalibus positiuis.

De priuatiuis.

Inter media spiritualia alia præcipua, & magis diuina sunt; quæ animi puritatem, & pacem conseruant, & auxilium ac lumen à Deo impetrant: nã scientia, quæ per hæc studia præcipuè intenditur, supernaturalis est, & ex diuina gratia maximè pendet. Ob hanc ergo causam hęc media sæpe in nostris constitutionibus proponuntur. Nam cap. 6. 4. partis sic dicitur, *vt scholastici plurimum in his facultatibus proficiant in primis animæ puritatem custodire, ac rectam stu-*

XII. *De mediis spiritualibus generalibus.*

diorum intentionem habere conentur, nihil aliud in literis, quã diuinam gloriam & animarum fructum quærentes, & in suis orationibus gratiam, vt in doctrina proficiant, ad hunc finem crebrò petant. Sic Athanasius lib. de Incarnatione verbi, circa finem. *Ad scripturarum* (inquit) *indaginem, verumque intellectum opus est vita proba, animo puro, & virtute, quæ secundum Christum est, vt mens per eius tramitem decurrens ea, quæ expedit, adipisci possit, quatenus fas est humanam naturam diuina intelligere. Nam sine pura mente, & sanctorum imitatione nemo comprehenderit sanctorum verba.* Et D. Aug. li. 22. contra Faustum c. 53. *In his* (inquit) *qui flagrant ingenti amore perspicuæ veritatis, non est improbandum studium, sed ad ordinem reuocandum; vt à fide incipiat, & bonis moribus nitatur peruenire quo tendit.* Affert illud Eccles. 1. *Fili concupiscens sapientiam, conserua iustitiam, & Deus præbebit illam tibi.* Et hoc significatum esse ait in Iacob. cui prius data est Lia, quàm Rachel. *Nam prior* (inquit) *est in recta hominis eruditione labor operandi, quæ iusta sunt, quàm voluptas intelligendi quæ vera sunt.* De eadem re videri potest idem Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 41. & lib. de Spiritu & litera cap 12. & lib. de Agone Christiano cap. 13. *Fides* (inquit) *est quæ subiugat primùm animam Deo, deinde præcepta viuendi, quibus custoditis spes nostra firmatur, & nutritur charitas, & lucere incipit, quod antea tantummodo credebatur, errat autem quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cùm adhuc nequiter viuat.* Et Bernardus sermon. 1. in Cantica, *Ante carnem disciplinæ studiis edomitam, emancipatam spiritui, ante spretam, & obiectam seculi pompam & sarcinam, indignè ab impuris lectio sancta præsumitur.* & similia multa passim in Sanctis Patribus inuenientur. Quia verò in hoc etiam pietatis exercitio potest aliquando esse excessus, qui profectum literarum impediat, ideo etiam, quoad hanc partem, B. N. Ignatius sufficientia remedia prouidit, tum singulis moderationem debitam consulendo, tum etiam superioribus magnam circa hoc curam & vigilantiam iniungendo. Atque ita in cap. 4. sæpe citato §. 2. *Cùm studiis* (inquit) *vacant, vt est cauendum, ne feruore studiorũ intepescat solidarum virtutum ac religiosæ vitæ amor: ita mortificationibus, orationibus, ac meditationibus prolixis eo tempore non adeò multum loci tribuetur.* Quod statim in declaratione A. discretioni Rectoris committitur, & cap. 6. §. 3. *Impedimenta* (inquit) *studiis remoueantur, quæ à studiis animum auocant, tam deuotionum, ac mortificationum, quæ vel nimiè, vel sine debito ordine suscipiuntur, quam curarum,* &c. Vbi statim eadem declaratio adhibetur.

XIII. *De mediis propriis seu literariis.*

Iam verò his suppositis mediis, quæ licet altiora, tamen remotiora sunt, ipsa propria, & literaria media (vt sic dicam) copiosè, & valde ordinatè traduntur in eadem 4. p. constit. toto cap. 6. vbi præcipuè ea docentur, quæ ex parte ipsorum studentium adhibenda sunt. Quale est illud in §. 2. *Seriò, & constanter animum studiis applicare deliberent*, & illud §. 8. *Scholastici in audiendis lectionibus sint assidui*, &c. & quod de continuis disputationibus statuitur §. 10. & sequentibus; & de priuato studio §. 14. & de repetitione, seu lectione auctorum post absoluta studia §. 16. Adduntur verò alia, quæ ex parte præceptorum necessaria sunt, nimirum vt sint idonei, & eruditi, & in eo numero, qui doctrinæ tradendæ, & auditoribus accommodatus, & sufficiens sit, quique diligenter munus suum exequantur, & scholasticorum profectum speciatim procurent, vt in eadem 4. p. constit. cap. 12. & 13. vsque ad 15. vbi etiam de ordine & modo seruando in doctrina tradenda, & de auctoribus in qualibet facultate perlegendis, & de tempore in vnaquaque consumendo, omnia, quæ necessaria sunt satis accuratè traduntur. Ac denique superioribus, & Rectoribus præcipuè committitur, & commendatur delectus personarum, qui ad doctrinas addiscendas maximè necessarius est, vt vnusquisque ad illam applicetur, qui naturam, & ingenium ad illam satis accommodatum habere prudenter existimetur, vt videre est in eadem 4. p. cap. 5. §. 2. & cap. 13. §. 4. cùm declarat. lit. E. & quia interdum aliquibus durum, & difficile videri posset ad hanc vel illam scientiam contra propriam fortasse inclinationem, aut voluntatem accommodare; ideo, qui in Societate scholares approbati futuri sunt, statim in ipso examine, quod ante ingressum fit. cap. 7. §. 3. interrogantur, an velint se finere duci circa ea, quibus studere debent, ac studiorum modum, & tempus, iuxta quod superioribus videbitur.

Ex parte discentium.

Ex parte docentium.

XIV. *Ex parte superiorum quæ requiruntur.*

Denique ipsismet superioribus iniungitur solicitudo, vigilantia, ac cura, vt tam præceptores, quã scholastici omni diligentia, sua munera exequantur, nihilque eis desit, quod ad hunc finem necessarium sit. Quamobrem sperari non immeritò potest scholares Societatis euasuros in literis conspicuos, si eis mediis vtantur, quæ ratione sui instituti eis licent, ac Deo sine dubio gratissima sunt, propter quod etiam addo, non paruæ obligationi teneri eos ad strenuè laborandum in huiusmodi studiis, tum quia eam ob causam de Ecclesiasticis bonis aluntur: tum etiam, quia pro eo tẽpore illud est speciale munus, & proprium obsequium diuinum, ad quod ab ipso Deo, per suos pastores deputati sunt. Tum denique quia sicut Aristoteles dixit li. de cœlo cap. 5. *Paruus error in principio, maximus est in fine.* & ita qui in studiis negligens est, postea inutile instrumentum erit circa conuersionem, vel curationem animarum: &, quod grauius est, periculo sæpius fortasse errandi se exponit. Propter quod meritò in 4. part. constit. c. 6. §. 15. priùs Rector Collegij animaduertitur vt moneat, incitet; & animet ad studia eos, quibus id necessarium fuerit. Deinde verò additur. Quòd si animaduerteret aliquem in studiis tempus inutiliter terere, quòd nolit, aut certè non possit progressum in literis facere, expedit illum ab eis remouere, vt alius loco illius substituatur.

CAPVT IV.

Vtrùm conueniens fuerit religiosos Societatis publica studia, & vniuersitates habere, & in eis docere.

POstquam dictum est de proprio munere, ad quod proximè ordinantur scholares Societatis, consequens est, vt dicamus de ministerio docendi. Quamuis enim munus docendi profectus etiam commune esse possit, tamen quia cum literarum studiis coniunctum est; (disciplina enim, & doctrina quodammodo correlatiua sunt) Et quia munus hoc maiori ex parte in scholis, præsertim inferioribus, per scholares approbatos exercetur: ideo eius consideratio in hunc locum optimè cadit. Circa quam in præsenti capite rationem reddemus cur Societas hanc curam assumpserit. Deinde quo consilio, modo, & ratione illam administret, declarabimus in duobus sequentibus.

I

Igitur publica studia vocamus ea, quæ non solùm sunt ad proprios religiosos instruẽdos, sed pro omnibus, siue laicis & secularibus, siue religiosis cuiuscunque ordinis exponuntur, quæ tunc vniuersitates appellantur, quando priuilegiis Pontificiis, ac regiis muniuntur, vt in eis vsque ad literarios gradus professus fieri possit. Possemus autem hoc loco contra illos hæreticos disputare, qui hæc studia, & vniuersitates improbare ausi sunt, quorum

Publica studia quæ sint.

De quorum vtilitate.

fum princeps referri potest Licinius Imperator, qui adeò literis infestus fuit, vt virus, ac pestem publicam eas nominaret, vt in eius vita scribit Ioannes Baptista Ignatius, refertque etiam Prateolus lib.10.hæres.3. & meliùs ex Victore in vita Constantini Baronius tom. 3. ann. 316. Christi Domini. §. *Porrò animo.* Postea verò Iulian. Apostata Christianis specialiter prohibuit literarum studia, quãquam ille non in eo errauit, quòd sentiret literarum studia mala esse, aut inutilia ad fidei defensionem, & propagationem, sed potiùs, quia eorum vtilitatem, & efficaciam agnoscebat, vt Christianam religionem, à qua turpiter ad paganismum defecerat, & cuius erat acerrimus hostis, funditus euerteret, illa diabolica malitia vsus est: & ideo sancti Patres acerbiorem censent fuisse illam Iuliani persecutionem, quàm Tyrannorum, qui per vim, & tormenta, ad negandam fidem cogebant, vt constat ex Augustino lib.18.de ciuitate cap. 32. & Nazianzeno, oratione prima contra Iulianum, Theodoreto cap. 7. vbi sunt illa verba notanda, pro his, quæ in cap.1. huius lib. initiodiximus, *vetuit ne Galilæi (sic enim fidei Seruatoris nostri consecratos vocabat) Poeticam, Rhetoricam, aut Philosophiam discerent: nam nostris ipsorum (inquit) pennis, (vt est in prouerbio) percellimur, siquidem nostrorum scriptorum subsidiis muniti, contra nos bellum suscipiunt.* Similem persecutionem de Habdalo Mahometano, & Syriæ Tyranno refert Paulus Diaconus lib. 22. nam etiam ille literarum studium prohibuit omnibus Christianis, sub potestate sua degentibus. Et ad hos videtur alluisse Glossa ordinaria ex Rabano 1.Reg. 13. ad hoc propositum accommodans verba illa, *Faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israel; cauerant enim Philistim ne fortè Hebræi facerent gladium, aut lanceam: Diabolus* (inquit) *per Paganos, per hæreticos, & per falsos Christianos studet prohibere, ne sint doctores in Ecclesia, qui spiritualia arma faciant, & nobis ad pugnandum tribuant.* Hoc igitur eodem spiritu motus VVicleph, dixit, vniuersitates, studia, Collegia, graduationes, & Magisteria à Papa, & Episcopis esse vanâ gentilitate introducta, & non plus Ecclesiæ prodesse, quàm diabolum, vt refertur in Concilio Constantien. sess. 8. & 29. Quem errorem Lutherus postea sequutus est, adeò impudenter, vt dixerit (referente Adriano Papa in Bulla contra ipsum circa medium, quæ habetur in tom. 5. Conciliorum) scholas Christianas esse Sodomas, & Gomorrhas, & malorum omnium sentinas. Quod refert etiam Clicthouæus l.2.de Missæ sacrificio cap.29.

Iuliani persecutio tollentis studia maior quam tyrannorum martirium Christianos.

II. *Praedictum error confutatur ex supradictis.*

Veruntamen hic error non solùm est contra fidem, & vniuersalem consensum, & traditionem Ecclesiæ, vt latè ostendit VValdensis lib.1. Doctrinalis fidei cap. 68 & 69. verùm etiam est contrà omnem rationem naturalem, & contra euidentem experientiam, ideoque in eo confutando non immorabimur; sufficere enim nobis possunt, quæ de necessitate doctrinæ, tam sacræ, quàm liberalium artium, quatenus illi deseruiunt, suprà cap.1.à nobis dicta sunt: nam hic etiam de studiis sub hac potissimum ratione consideramus. Generaliùs autem loquendo, studia, & vniuersitates honestarum artium, non solum propter Ecclesiasticam, sed etiam propter ciuilem communitatem, & vtilitatem, necessaria sunt, &, ita in omnibus regnis, & prouinciis rectè institutis, huiusmodi generalia studia floruerunt. Vnde in lib.11. Codicis extat titulus *De studiis liberalibus vrbis Romæ*, quos tempore Agapiti Papæ cœpisse, significat Cassiodorus in lib. diuinarum institutionum in Prologo. Parisiis etiam Carolus Magnus celeberrimam vniuersitatem fundauit, vt Antoninus refert 2.p. historiali tit. 14. cap.4. §.12. & sumitur ex Concilio Parisiensi sub Ludouico I. l.3. c.12. cuius verba pro hac materiâ notanda sunt: *Obnixè ac suppliciter vestræ celsitudini suggerimus, vt morem paternum sequentes* (fuit autem Ludouicus filius Caroli Magni) *saltem in tribus congruentissimis imperij vestri locis scholæ publicæ ex vestra authoritate fiant, vt labor patris vestri, & vester, per iniuriam (quod absit) labefactando, non depereat: quoniam ex hoc facto & magna vtilitas, & honor sanctæ Dei Ecclesiæ, & vobis magnum mercedis emolumentum, & memoria sempiterna accresceat.* In Anglia Oxoniense studium antiquissimum fuit, & celeberrimum, in Hispania Salmantinum, de quo mentionem fecit Clemens V. in Clement.1. de Magistris: in Lusitania Conimbricense hoc termaximi Ioannis III. regali planè munificentia fundatum; quanuis enim tempore, superioribus recentius sit, non tamen doctrina, & vniuersalis Ecclesiæ vtilitate, ac fructu, præsertim circa fidei propagationem, inferiùs existit. De studiorum ergo vniuersalium vtilitate nulla nobis quæstio est nam etiam Aristoteles lib. 7. Politic. c. vlt. & l.8.cap.1. illud dicit à legislatore maximè obseruandum esse, quod ad disciplinam iuuentutis pertinet: *nam id* (inquit) *neglectum in ciuitatibus, affert Reipub. detrimentum.* & infrà subdit hanc disciplinam debere esse publicam, & communem, Lacedæmonios laudans; quòd suam rempublicam ita instituerint: de quo plura in sequentibus asseremus.

In Anglia. *In Lusitania.* *Vide Cassanæum in catalogo gloriæ mundi p.10. consid. 32.*

Duarenus l.1. de Eccl. ministerio c.15.

Prima exempla variis.

Studia Romæ. Parisiis.

III. *Missus error arguitur pro parte negatiuli ex authoritate.*

Quod ergo in præsenti inquiri potest, solum est, an expediat religiosos viros in his publicis studiis docere, vel (quod difficilius est, & ad rem nostram propiùs accedit) harum vniuersitatum curam accipere. Ratio dubitandi esse potest, quia religiosi officium non est docere alios. Sic enim dixit Hieronymus ad Riparium, & habetur c. 6. q. 1. c.4. *Monachus non docentis, sed plangentis habet officium.* Et in c. *hoc nequaquam*, §. *præcipit.* 7. q.1. ex V. Synodo similia verba referuntur. *Monachorum subiectionis habet verbum, & discipulatus, non docendi, vel præsidendi, vel pascendi alios.* Est ergo valde alienum à religioso instituto munus docendi extra suos saltem religiosos assumere. Vnde sicut in Concilio Nicæno statutum fuit, vt monachus nulli tribuat pœnitentiam nisi monachis, nec sepeliat nisi monachos, cap. 1. 16. q. 1. ita dicere possumus, religiosum non debere nisi religiosos suos docere. Et ex eodem principio, quòd officium monachi non est docere, sed lugere, colligit Bernardus ser. 64. in Cantica, certum esse, quod publicè prædicare monacho non conuenit: multo ergo minus conuenit in publicis scholis docere, & adhuc minus generales vniuersitates gubernare. Ratio denique adiungi potest, quia quidquid repugnat perfectionis profectui, est etiam alienum à religioso instituto: sed hoc munus publicè legendi, præsertim externis & secularibus hominibus, necessariò impedit profectum religionis, regulariter loquendo, propter nimiam distractionem, & temporis occupationem, & occasiones contendendi, ac multum loquendi quod vix fieri sine peccato potest: ergo, &c.

Arguitur etiam ex ratione.

IV. *Prima assertio. Et quæ possit authoritate probari.*

Nihilominus certum est totum hoc munus esse posse valde accommodatum statui religioso; & in præsenti tempore legitimè, & in magnam Ecclesiæ vtilitatem fuisse à Societate assumptum. Ad hoc confirmandum sufficere nobis possent, quæ circà approbationem Collegiorum, & vniuersitatum Societatis varij Pontifices tradiderunt, præsertim Paulus III. Iulius III. Pius V. & Gregorius XIII. vt autem & ecclesiastica traditione, & ratione hoc declaremus, supponamus sermonem esse de studiis illarum disciplinarum, quæ religiosos viros decere possunt, à quo numero iure communi Pontificio, tantùm iuris ciuilis prudentia, & scientia medicinę excluſæ sunt in cap. *super specula.* ne Clerici, vel monachi, quod idem statutũ est in 4.p. constit. c.12. §.4.

Suppositio pro eadem suadenda ex tra ritione & ratione.

his verbis. *Medicinæ & legum studium, vt à nostro instituto magis remotũ in vniuersitatib. Societatis, vel non tractabitur, vel saltem ipsa Societas per se id oneris non suscipiet.* Ius autẽ canonicum docere, non est religiosis iure communi prohibitum, sicut neque illi studere, aut eius gradum suscipere, vt communiter tradunt Doctores in dicto cap. *super specula*, & in cap. 1. ne clerici, vel monachi, in 6. & ob hanc causam in prædicta constitutione Societatis, non ponitur cum absoluta prohibitione. In §. autem 1. eiusdem c. comprehendi videtur sub Theologica doctrina positiua, quam Societatis professores pertractare possunt, quantum ad finem præfixum salutis animarũ iuuat. & ideo hæc verba ibi interponuntur, *non attingendo tamen eam partem canonum, quæ foro contentioso inseruit.* Quamuis enim hæc pars illius doctrinæ, aliis clericis secularibus non prohibeatur, quia reuera non est profana, sed Ecclesiastica, & ad gubernationem ecclesiasticam necessaria; nihilominus aliena est à statu religioso, qui ab omnibus forensibus causis, etiam ecclesiasticis, debet esse alienus. Vt enim in simili dixit Pelagius Papa, *Amarissimum est de isto proposito, ad illud officium homines deduci, in quo nullo modo, quæ à monachis Deo promissa sunt, valeant adimplere: omnimoda enim est illius officij & istius habitus diuersitas, illic enim quies, oratio, labor manuum: at hic causarum cognitio, conuentiones, actus, publica litigia, & quæcunque vel ecclesiastica instituta, vel supplicantium necessitas poscit*, cap. *de præsentium*, 16. q. 1. His ergo remotis disciplinis, cæteræ, quæ vel sacræ sunt, vel ex se ita communes, vt ad sacras possint esse vtiles, & negotiis secularibus non implicentur, minimè sunt extra religiosum institutum, etiamsi omnibus docendæ sint. Quia verò certius hoc est de tota Theologica doctrina, quatenus & scholasticam, & positiuam, & scripturæ interpretationem complectitur; ideo *in hanc potissimum Societatis vniuersitates incumbunt: quia ad salutem animarum medium magis proprium est*, vt in citato §. 1. dicitur. Et ob eandem causam de hac potissimùm conclusionem positam confirmabimus: nam de cæteris in sequentibus specialiter dicemus.

V. *Probatur ita assertio tradita.*

Si ergo antiquos Ecclesiæ mores consulamus, inueniemus doctrinam hanc frequentiùs per viros religiosos publicè fuisse traditam. Refert enim Eusebius l. 5. Historiæ c. 4. & 10. & ex illo Hieronymus de scriptoribus Ecclesiast. Pantænum, virum religiosum, publicè in Ecclesia Alexandrina sacræ doctrinæ professorem fuisse. Et quamuis non asserant illum fuisse monachum, aut propriè religiosum: insinuat tamen Eusebius fuisse ex sectatoribus Apostolorum, qui eorum vitam, & officium, atque adeò statum imitati sunt: *erant* (inquit) *ad id temporis plures verbi prædicatores qui diuino Apostolorum imitandorum studio inflammati, magna adumenta, cum ad verbum Dei in animis hominum exædificandum, tum ad id augendum afferebant, quorum è numero erat Pantænus ille*, &c. De quo etiam addit (vt in hoc etiam exemplũ nobis esse posit) ad Indorum vsque regiones se cõtuliſſe, vt gentibus, quæ orientem incolebant, præco esset Euangelij. Et concludit, *Iste Pantænus propter multa rectè facta, & virtutes eximias, tandem scholæ illi Alexandrinæ præficitur, qui tum sermone coram, tum scriptis diuinorum institutorum, & religionis tanquam Thesauros hominibus proposuit.* De cuius eruditione multa scripsit discipulus eius Clemens Alexandrinus l. 1. stromatum. Aduertit autem Hieronymus scholam illam Alexandrinam, à Marco Euangelista incepisse, & in ea successione continua semper Ecclesiasticos fuisse Doctores, qui illi præfuerunt, quos verisimile est fuisse semper viros Apostolicos & religiosos, quales in Alexandria sub Marco præcipuè fuisse in tomo superiori ostensum est, quanquam eos, qui scholam illam regebant, ex clericis, ac presbyteris fuisse certum sit: nam de Pantæno ibidem dicitur fuisse ordinatum, & ei successit Clemens presbyter Alexandrinus, & huic Origenes, &c. Iam verò in eodem tomo ostendimus clericos eo tẽpore fuisse religiosos à monachis distinctos: nam monachi tunc nondum doctrinæ, aut Ecclesiæ ministeriis vacabant.

Præterea eadem ratio est de doctrina, vel scriptis vel voce tradenda: constat autem præcipua Theologorum scripta, tam à sanctis Patribus, quàm ab scholasticis doctoribus edita status religiosi fructus, & labores extitisse. Nam Athanasius, Nazianzenus, Basilius & multi alij Græci, religiosi, & monachi fuerunt: & ex Latinis Augustinus Hieronymus, & alij: ex scholasticis verò Thomas, Bonauentura, & cæteri ferè omnes, quos etiam constat publicos professores fuisse, & Hieronymus epist. 4. ad Rust. & 16. q. 1. agnoscit Nazianzenum præceptorem suum; similem inductionem fecit D. Thomas dict. opusc. 19. c. 2. vbi adducit etiam Damascenum, Chrysostomum, cum aliis quos dicit fuisse religiosos & præcipuos Ecclesiæ Doctores. Affert etiam verba illa, quæ l. 1. c. 5. n. 8. ex Hieronymo adduximus *Sic viue in monasterio, vt clericus esse mereare.* Et infrà, *multo tempore disce, quod doceas.* Plures etiam vniuersitates studio, & eruditione virorum religiosorum fundatæ sunt; sufficitque nobis exemplum Parisiensis Academiæ, quæ per monachos fundata est. Sic enim ait Anton. 2. p. historiali tit. 14 cap. 4. §. 12. *Fuerunt Parisiis fundatores huius studij, quatuor monachi Bedæ discipuli, scilicet Rabanus, & Alcuinus, Claudius, & Ioannes Scotus* (Benedictinus scilicet, non Minorita, vt Genebrardus in sua Chronologia l. 3. paulo ante finem notauit, & erat per se notissimus.) Refert præterea ibidem Antoninus ex Chronicis metropolis Arelatensis, historiam nostro instituto valde accommodatam, quam ideo breuiter perstringendam duxi. *Cum in occiduis* (inquit) *partibus solus* (scilicet Carolus Magnus) *regnare cepisset, & studia literarum iam essent vbique in oblitione, ideoque* (causalem nota) *veræ diuinitatis cultura peteret; contigit duos Scotos monachos de Hibernia, cum mercatoribus Britanniæ applicare viros, & in secularibus literis, & in sacris Scripturis incomparabiliter eruditos; qui ad conuenientes turbas clamabant: Si quis sapientiæ cupidus est veniat ad nos, & accipiet eam, nam apud nos venalis est; quod cum ad aures Caroli peruenisset, eos vocatos interrogat si veram sapientiam venalem haberent. Cui illi sapientiam inquiunt, & habemus, & in nomine Domini eam quærentibus dare parati sumus. Quærenti autem Regi, quid pro ea peterent? responderunt loca tantum opportuna, & animas ingeniosas, & sine quibus peregrinatio ista transiri non potest, alimenta. Quibus auditis, ingenti gaudio repletus Carolus, alterum in Gallia Parisijs residere fecit, & pueros nobilissimos ei commendauit, & victualia dari præcepit: alterum verò in Italiam direxit, cui monasterium S. Augustini iuxta Ticinensem vrbem* (vulgo Pauia) *delegauit, vt illic qui voluissent; ad discendum congregari possent.* Postea verò (vt ibidem refertur) adueniens Alcuinus, & Imperatorem ipsum, & totam Galliam doctrina illustrauit: Fuit ergo semper ministerium hoc religiosorum virorum valde proprium, eorumque statui maximè accommodatum.

VI. *Confirmatur ex dictis.*

VII. *Secunda ex ratione.*

Ex quo vlterius rectè concludimus, posse optimè institui religionem, quæ ad hunc finem docendi publicè in Ecclesia quascunque doctrinas religioso statui accommodatas, inter alias actiones suas, ordinetur. Hoc intendit D. Thomas 2. 2. quæst. 188. art. 4. & 5. nam licèt in priori solùm agat de ministerio prædicandi, & audiendi confessiones, & in posteriori generatim de ministerio studendi, tamen ex discursu vtriusque, simul euidenter concluditur idem esse de ministerio docendi, vt constat etiam ex eodem opusculo 19. cap. 23. & 4. & 12. *Probatur ex traditis à D. Th.*

& 12. Quidquid enim in hoc ministerio inuenitur, per se loquendo sanctum est, & aptum ad propriam, & proximorum charitatem nutriendam. Nam in primis ante actum docendi requirit ex parte ipsius Doctoris sacram lectionem, & assiduam meditationem rerum diuinarum, vel aliarum rerum, quæ ad diuinarum intelligentiam conducat: qui actus non solùm honesti sunt; sed etiam ad vitam contemplatiuam per se spectant, vt in superioribus, lib. 1. cap. 6. probatum est, & ideo maximè sunt proportionati statui religioso, ad quem illud vitæ genus principaliùs pertinet. Deinde actus ipse docendi, præcipuè religiosa intentione factus, plures habet honestates, & vtilitates: est enim in primis vtilis proximo, qui docetur, & illuminatur, principaliter quidem in ordine ad bonos mores, & vitam æternam, consequenter verò in ordine ad omnia alia commoda, quæ ex eruditione proueniunt: est ergo ex suo genere actus misericordiæ spiritualis; & consequenter etiam charitatis proximi cui beneficium fit; & Dei, propter quem fieri debet, erit etiam actus religionis saltem imperatus; quia propter Dei obsequium, & propter zelum animarum fieri debet, quo sacrificio nullum est Deo gratius, vt ex Gregorio hom. 12. in Ezechielem affert D. Thom. dict. quæst. 188. art. 4. ergo hoc etiam genus actionis de se maximè consentaneum est statui religioso: præsertim quia ipsemet actus docendi, quantuis ad actiuam vitam pertinere videatur, intrinsecè includit contemplationem, non solùm quia illam supponit, vt diximus: sed etiam quia magnam requirit internam considerationem, & facile potest in Deum referri, & vt sic ad illam vitam pertinet, iuxta doctrinam Diui Thomæ 2. 2. quæst. 179. art. 2. ad 3. & quæst. 180. art. 4. Accedit præterea, quòd status religiosus aptissimus est ad illud munus, vt D. Thomas latè in dict. opusc. declarat, tum quia religiosi sunt vacui curis, & solicitudinibus seculi, & ideo sunt meliùs dispositi ad lectionem, & studium, & consequenter ad doctrinam: tum etiam, quia tunc doctrina est fructuosior discipulis, quando bonis moribus coniuncta est: religiosus autem, ex vi sui status, profitetur non tantùm bonos, sed etiam perfectos mores, obseruando non tantùm præcepta, sed etiam consilia. Et plures alias rationes ibi accumulat, quę legi possunt, est enim res per se satis clara.

Tantùm.

VIII. *Tertia assertio.*

Probatur primò.

Solùm superest, vt addamus etiam posse conuenienter institui in religione aliqua, v.g. in Societate, vt habeat proprias vniuersitates sub sua propria cura, & regimine, ac doctrina, quod ex eisdem principiis facilè ostenditur, supponendo hoc debere fieri debito ordine ac modo, & non propria authoritate, sed Pontificia. Sic enim totum illud officium est pietatis, & beneficentiæ publicæ, & nihil habet in se indecens aut alienum à statu religioso: nam incommoda, quæ obiici possunt, sunt accidentaria, & ad hoc maximè inseruit religiosus status, vt vitentur: quòd si aliquid per fragilitatem humanam irrepserit, abundantia fructus compensatur, & ideo Ecclesiastici 24. dicitur, *qui elucidant me* (id est, veram sapientiam) *vitam æternam habebunt.* & Daniel. 12. absolutè promittitur; *qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Quibus verbis quanti sit meriti, & æstimationis apud Deum, docere alios in ordine ad salutem, declaratur, vt ibidem explicat Hieronymus, & in epistol. 103. ad Paulinum. Possumus autem specialiter applicare illa verba ad fructum harum vniuersitatum: nam in illis propriè eruduntur multi, vel potiùs omnes quantum est ex institutione earum. Ac deinde quo magis fuerint coniunctæ religioni bene institutæ, eò illarum eruditio magis erit ad salutem. Est ergo institutio illa Deo gratissima, & magnam habens remunerationem, si rectè fiat. Deinde vtor argumento, quo D. Thomas. Ad defendendam Ecclesiam per corporalem militiam institui potest religio: ergo multo magis ad defendendam Illam per propria arma eius, quæ magis spiritualia sunt, quàm corporalia, 2. Corinth. 10. & magna ex parte in doctrina consistit. Cui argumento nos addimus ad religionem militarem non tantùm pertinere, quòd sui religiosi priuatim militent, sed etiam quòd exercitum ducant, congregent, ac dirigant in eo genere militiæ. Sic ergo cum proportione hoc spectat ad religionem spiritualiter militarem (vt sic dicam;) ad hunc autem finem instituuntur huiusmodi vniuersitates, in quibus, & per ipsam generalem doctrinam publicum fit bellum contra dæmonem, & plures etiam instituuntur milites, & duces, qui aliis locis, & variis modis contra ipsum militare possint. Simile argumentum est, quòd religio institui potest ad curandos infirmos, non tantùm per priuatam actionem singulorum, vt sic dicam, sed erigendo etiam publicum Xenodochium, & totam curam, ac solicitudinem illius assumendo. Idemq; cum proportione dici potest de aliis operibus misericordiæ: cur ergo non multo magis hoc idem dicendum est de hoc genere misericordiæ spiritualis.

Probatur secundò à simili ex D. Thom.

Est autem hoc loco aduertendum, quanuis Societas propias possit habere vniuersitates, & Collegia, in quibus doctrinam hanc tam suos, quàm externos discipulos publicè doceat, non tamè prohiberi ex vi sui instituti, quo minus in generalibus vniuersitatibus idem ministerium possit admittere, si seruata paupertate, quam profitetur, & ablatis occasionibus ambitionis, & secularis negotiationis ei offeratur. Quod his verbis declaratum est in congregatione prima generali, can. 15. *Cathedræ publicæ in vniuersitatibus, aut alibi cum ea disceptatione suffragiorum, & oppositione, quæ solet fieri, non sunt admittendæ: si tamen sponte offerantur ab vniuersitatibus, aut Rectoribus earum, & gratis prælegantur, nec quisquam se opponat, cum quo sit disceptandum, admitti possent consulto generali*; Et eadem ratione consentaneum est instituto Societatis, vt ad gradus Doctoratus, vel Magisterij interdum alij promoueantur: imò id expresse disponitur in 4. part. constitut. cap. 6. §. 17. seruatis tamen circunstantiis, quibus semper cauetur, ne paupertas, vel humilitas lædantur. Vna est vt nostri Doctores in sedendo non seruent certum antiquitatis ordinem, & simul omnes extra numerum se constituant, & pro ratione additur, vt ab omni ambitionis specie, atque ab aliis affectibus parum temperatis recedant, quæ conditio seruari facilè potest, in propriis vniuersitatibus ipsius Societatis, in quibus sunt alij Doctores externi, qui iuxta suam antiquitatem vel prærogatiuam certa loca accipiunt.

IX. *Societas etiam in aliis vniuersitatibus doc. re potest sine stipendio, oppositione, præcedentia, in sedendo.*

Possunt tamen interdum in aliis vniuersitatibus nostri professores gradum accipere: quia neque hoc est alienum à statu religioso, vt latè docet D. Thom. Opuscul. 19. contra impugnantes religionem capit. 2. & 3. quem imitatur D. Antonin. 3. part. tit. 5. capit. 2. §. 8. & Aluarus Pelagian. libro secundo de Planctu Ecclesiæ capit. 24. circa finem, neque etiam est alienum à Societate, cùm interdum ad ministerium suum cum vtilitate exercendum necessarium sit. In illis ergo vniuersitatibus, necessarium est, quoad hanc locorum dispositionem, earum ordinem, & consuetudinem, vel institutionem sequi, tum quia non erit in potestate nostra illum immutare, cùm nostræ iurisdictioni non subsint: tum etiam, quia in re alioquin

X. *Limitatur prox. n. 9. & 12. de non præcedentia in sedendo.*

indif-

indifferente, & quæ sine incommodo religionis fieri potest, decet membrum consuetudini totius corporis conformari: tunc autem Doctor Societatis sit membrum talis vniuersitatis; sequatur ergo consuetudinem eius seruata sui instituti humilitate, vt nullius loci dignitatem ambiat, sed aliis facilè cedat, & illo contentus sit, qui ibi fuerit designatus.

XI. *Obseruationes aliæ circa gradus literarios.*

Altera conditio est, ne sumptus, qui pauperes non deceant, in gradibus huiusmodi faciant, *ad quos* (dicitur citato loco) *sine humilitatis detrimento non ob aliud, quam, vt possint proximis ad Dei gloriam esse vtiliores, promoueri debent.* Et in hac conditione includitur, vel certè ex proprio modo nostræ paupertatis supponitur, non debere Doctorem Societatis ex suo gradu temporale emolumentum, aut stipendium, quod ex aliorum actibus, aut gradibus aliis prouenire solet, sperare, aut accipere. Supponitur etiam in vltimis verbis, non posse religiosum Societatis huiusmodi gradum procurare, aut ambire, id enim sine magno detrimento humilitatis non permitteretur. Addo etiam meritò in Societate obseruari propter eandem humilitatem conseruandam, vt hi gradus nō conferantur propter honorem, seu quasi in præmium personarum, sed tantùm pro ministeriorum necessitate, neque ampliùs multiplicentur, quàm ad munera, seu onera Societatis sustinenda necessarium sit. Quamuis enim Caiet. secunda secundæ quæstione 186. articulo septimo reprehendat Prælatos religionis institutæ ad prædicandum, qui subditos prohibent ab huiusmodi gradibus remuneratoriis, quando aliàs personæ dignæ sunt: nihilominus si hac intentione fiat, vt ambitioni locus non detur, dummodo religioni sufficienter prouideatur, & inseruiatur, laudabile & optimum consilium est.

XII. *Ad locum Hieronymi in n. 3.*

Ad verba ergo Hieronymi respondet D. Thomas suprà, Hieronymum ibi explicasse id, quod per se, & quasi ex officio, & statu conuenit monacho, vt monachus est; nam eius non est perficere, sed perfici, nec docere, sed pœnitentiam agere; non tamen negat Hieronymus, quin persona monachi, si alioqui habeat necessaria ad docendum, possit munus illud suscipere, si ab eo qui potestatem habeat, imponatur. & eundem sensum habent verba V. Synodi superiùs citata. Est autem aduertendum nomen, *monachi*, propriè sumptum significare eum, qui vitam solitariam, vel purè contemplatiuam profitetur, vt apertè explicat Dionysius cap. 6. de Eccles. Hierarch. & Piamont. Abbas apud Cassianum Collat. 18. capit. 5. & propterea iuxta antiquum morem Ecclesiæ, ad monachos ordinariè, & ex vi sui instituti non pertinebant ministeria Ecclesiastica ad doctrinam, vel sacramenta pertinentia; & ideo grauiter reprehenditur, quando præsumentes de proprio statu, propria auctoritate illa vsurpabant: & ita intelliguntur multa decreta 16. quæstione 1. per viginti priora capita: in multis autem eorum expresse declaratur, etiam eo tempore non fuisse prohibitum monachis, auctoritate Episcopi, & Ecclesiastico ordine seruato, talia munera exercere: Et hac ratione intelligitur optimè, quod ex Concilio Nicæno obiiciebatur: nam monachi, etiam secundùm suam primam institutionem, poterant hæc officia inter se exercere ex vi suæ institutionis, & quasi intrinsecæ potestatis, quia hoc ad conseruationem, & perfectionem sui status per se erat necessarium: at verò circa fidelem populum, nihil poterant nisi extrinsecus ab Episcopis vocati; & eodem modo loquitur Bernardus de monacho quatenus monachus est.

XIII. At verò post illa tempora, præsertim à temporibus Dominici, & Francisci, institutæ sunt religiones, quæ cum vita contemplatiua actiuam circa proximos coniungunt sub habitu etiam monachali; à quo monachorum nomen participant? quamuis secundùm etymologiam vocis, & primæuâ institutionem monachi non sint. Sic enim etiam nūc monachales ordines à mendicantibus distinguimus. His ergo monachis, ex vi suæ institutionis, & status sic approbati per sedem Apostolicam, non tantùm lugendi, sed etiam legendi, seu docendi officium competit; non quidem potestate ordinaria, sed delegata. Quia verò hæc delegatio non est personalis, vt sic dicam, sed totius religionis, nec est tantùm à priuato Episcopo, sed ab vniuersali Pontifice, & est quasi à iure per approbationem, & priuilegia talium religionum; ideo dicimus iam illis conuenire ex vi talis status, & instituti. Antea enim aliquæ concessiones similes factæ fuerunt monachis per Innocentium, Gregorium, Bonifacium, & alios Pontifices, vt patet ex cap. *si monachus*, cap. *moderamine*, cap. *sunt nonnulli*, & c. *si quem*, 16. quæstione 1. illæ verò semper magis respiciebant clericatum, quàm monnachatum, & particularem personam, quàm religionem. Iam verò nunc post instituta mendicantium plures etiam monachales religiones hanc potestatem, seu delegationem participant.

XIV. *Ecclesiæ vita potissimùm quam respexerint diuersi diuersa, olim monachi.*

Addendum etiam est, quod & D. Thom. citato loco adnotauit, hæc, quæ de monachis olim dicebantur, non habuisse locum in religiosis clericis, qui semper in Ecclesia fuerunt, nec de illis intelligi debere: quia nec monachi erant, nec ita nominabantur, neque in omnibus cum illis æquiparandi sunt, sed in his tantùm, quæ ad statum religiosum, vt sic, pertinent, iuxtà capit. *quod Dei timor*, de statu monachorum. & cap. *ex parte*. de postulando. Vnde concludit D. Thom. quòd *sicut clerici regulares non tenentur abstinere à lineis indumentis, quamuis monachi teneantur: ita multo fortius licet illis religiosis docere, quorum religio est ad hoc statuta, etiamsi monachi non liceret.* Constat autem ex superiùs dictis in l. 1. cap. 5. Societatem pertinere ad hunc ordinem religiosorum clericorum, & ex propria institutione esse ordinatam ad iuuandos proximos, præsertim in doctrina & moribus, & ad hunc finem esse ab Ecclesia approbatam & à Sede Apostolica accepisse omnem potestatem ad hoc munus necessariam: ergo omnibus titulis, & licet, & proportionatum est hoc munus tali religioni. Neque est verum, ministeriū hoc per se impedire perfectionis profectum, vt ex dictis de illius honestate constare potest, & à fortiori patebit ex sequenti capite.

CAPVT V.

Vtrùm Societas conuenienter susceperit puerorum institutionem.

1

NOn agimus de eruditione puerorum, quæ solùm pertinet ad eorum instructionem in bonis moribus, vel rudimentis in doctrina Christiana: nam hoc ministerium non est proprium collegiorum, aut vniuersitatum, sed toti vniuersitati commune est (imò professorum est magis proprium, vt infrà libro 6. capit. 3. videbimus) quia non ad scientiam, de qua nunc agimus, sed ad iustitiam, & salutem ordinatur: agimus ergo de tota eruditione puerorum, quæ ad intellectum illustrandum pertinet. In tres autem ordines possumus distinguere totam doctrinam harum vniuersitatum, infimum, medium, & supremum. In hoc vltimo ponimus sacram doctrinam, & quæ ad illam intrinsecè pertinent, vt sunt casus conscientiæ, de quo maximè procedunt dicta in cap. præcedenti, neque in præsenti titulo comprehenditur, quia hæc doctrina

puerorum

puerorum non est, sed viros iam bene adultos requirit, vt etiam Aristoteles lib. 1. Ethicorum cap. 3. de ciuili scientia sensit. In medio ordine ponimus Artium curriculum, quod & Mathematicas, & aliqua ex parte ethicam doctrinam complectitur: licet verò in minori ætate addiscí possit, non tamen est propriè puerorum eruditio: nam reuera postulat facultatem ingenij satis expeditam, atque adeò rationis vsum omni ex parte perfectum. Habet etiam hæc doctrina magnam affinitatem cum Theologia, & ideo propter illam non oporteret peculiarem mouere quæstionem: nam quę diximus capite superiori, magna ex parte possunt ad illam applicari, cum ostenderimus ibi in numero septimo cõsiderationem veritatis philosophiæ in Deum relatam, quandam esse religiosam contemplationem. Accedit, quòd ea, quæ de infimo ordine dicenda sunt, à fortiori de his mediis facultatibus procedẽt. Igitur puerorum eruditio comprehendit totam linguarum peritiam incipiendo à primis Grammaticæ fundamentis vsque ad perfectam eloquentiã cum aliarum linguarum, præsertim Græcę præsidiis, & ornamentis, vna excepta Hebræa, quæ magis adultos decet.

II. *Assertio 1. praambula eruditionem puerorum per se bonam esse.*

Deinde notandum est, ministerium hoc considerari posse, vel, absolutè, & secundum se, vel comparatione facta ad religiosos, à quibus vsurpatur: nam de illo secundum se nemo, nisi sit insanus, dubitare potest, quin sit optimum, & ipsi iuuentuti vtilissimum, imò & Reipublicæ maximè necessarium. Quod non solum in Ecclesia verum est, vt statim ostendemus, sed idem etiam agnouerunt Philosophi, & legum latores, pro externa politia, seu ciuili Republica, vt videre licet apud Aristotelem septimo Politicorum capite vltimo; & libro octauo capit. primo. Quanuis enim in generali loquatur de institutione puerorum quoad mores, tamen ipse maximè intelligit de his actionibus, quæ ad bonum regimen, & conseruationem Reipublicæ necessariæ sunt: inter quas constat meritò numerari huiusmodi eruditionem. Sic etiam dixit Cicero oratione secunda in Verrem, *Nullum munus Reipublicæ afferre maius, melius ve possumus quam si docemus atque erudimus iuuentutem*, & Diogenes Laertius dixit, adolescentium educationem totius Reipublicæ esse fundamentum. Nihilominus tamen comparatione facta ad religiosos, dubitari potest: an expediat hoc munus per illos ministrari, & exerceri.

Probatur authoritate.

Vide Siman. lib. 9 de rep. c. 23.

III. *Probatur quoad profectum in ipsa doctrina.*

In quo rursus subdistinguo illud ipsum verbum, *expediat*: potest enim inquiri, an expediat ipsis pueris, qui docendi sunt: vel an expediat ipsis religiosis, qui docturi sunt. Et in primo quidem sensu res etiam certissima est: illud esse valde expediens secundum se, & ex suo genere spectatum. Ad quod demonstrandum, animaduertendum est, duo posse in hac disciplina, & puerorum educatione considerari: vnum est profectus in ipsa doctrina: aliud est vita seu boni mores, qui simul cum ipsa doctrina addiscuntur. Et vtrumque multum pendet ex Magistri qualitatibus, seu dotibus. Sed primum magis pendet ex doctrina, & eruditione Magistri: ex quo capite parum refert illum esse religiosum, aut secularem, victum, vel iniquum: quia potest secularis, & iniquus excedere in eruditione, & doctrina, vt per se patet. Nihilominus tamen, quia profectus discipuli, non pendet tantum ex scientia magistri secundum se, sed vt applicata ad docendum ipsum, id est, ex cura & solicitudine integre, & perfectè implendi munus suum non ad quæstum, vel ostentationem, sed ad vtilitatem discipuli: ideo ex hac parte multum refert vita, & bona conscientia præceptoris, etiam ad profectum literarium discipuli: ergo ob eandem causam, religiosus status præceptoris ex se, potest multum conferre ad meliorem instructionem puerorum, etiam quoad vtilitatem, & profectum literarum: nam ratione status diligẽtiores & fideliores esse debẽnt in suo munere præstando, ac etiam magis integri, & independentes, si ab ipsis, quos erudiunt, stipendium non accipiãt: vnde tandem, quia ex charitate illud faciunt, & omnibus, & singulis, pro captu vniuscuiusque, prodesse curabunt. Præterquam quòd propter vitam aliis curis, & solicitudinibus liberam, magis in eo munere laborare possunt. addo etiam ratione eiusdem status facilius posse melioribus consiliis vti, etiam in ipsamet ratione docendi, cum maiori fructu discipulorum: ad quod etiam facilius possunt & sibi, & discipulis diuinum auxilium impetrare.

IV. *Deinde quoad profectũ in moribus.*

Maioris autem momenti est profectus in moribus, qui facillimè in ea ætate imprimuntur. Et ad hunc profectum quamplurimum refert vita, & religiosum institutum præceptoris: vt latè tractat Ribaden. libro tertio de B. Ignatio capite vltimo. Primò ratione exempli. quod maximè mouere solet: & ideo qualis magister est, talis educantur discipuli, præsertim in ea ætate, quæ vix potest inter bonum, & malum discernere, & ideo actio magistri, si mala sit, est discipulo quædam licentia tacita, vel potiùs excitatio ad eum imitandum. Propter quod dixit Boetius in tractatu scholariũ, *nullaris est magis perniciosa discipulo, quam vita magistri contumeliosa.* Secundò ratione intentionis, & industriæ, quæ ex ea nascitur: nam religiosus præceptor magis intendit bonã educationem pueri in moribus, quam in doctrina, & ideo quidquid potest prauos mores docere, vel in ipsismet libris legendis, vel in quacunque praua societate, aut aliis huiusmodi rebus diligenter auertit: quidquid verò ad eorum bonam instructionem commodè iuuare potest non prætermittit. Hinc Chrysostomus homil. 60. in Matth: parentes docet, vt si ad colendũ filiorum ingenium pædagogus recipiendus sit, non quemcunque sibi oblatum statim admittant, sed considerent *vllam artem hoc artificio sublimiorem non inuenire. Quid enim* (inquit) *maius, quam animis moderari, quam adolescẽtulorum fingere mores? omni certe pictore, omni certe statuario, cæteris que huiusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui iuuenum animos fingere non ignorat.*

Hinc etiam sacri canones, qui frequenter præcipiunt vt sit in vnaquaque Ecclesia præceptor, qui pueros in his inferioribus disciplinis, etiam in Grãmatica, instruat, simul admonent vt magna cura is eligatur, qui vita, & moribus eis prodesse possit, vt videre licet in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. part. 1. capit. 18. vbi specialiter admonetur, vt talis præceptor & gratis doceat, & docẽdi licentiam gratis accipiat: ac beneficium competens, quo ali possit. Quod ex parte statutum fuerat in quadam antiqua Synodo sub Eugenio II. & habetur in cap. *de quibusdam* distin. 37. in Concilio autẽ Lateranensi sub Innocentio III. cap. 11. distinctè explicatur, vt gratis in Grammaticæ facultate, ac aliis instruat, & quod Magister idoneus constituatur à Prælato, cum capitulo, seu maiori ac saniori parte Capituli eligendus. Et Concilium Tridentinũ sess. 5. capit. primo de Reformatione, idem statuitur, & eligendus Magister dicitur ab Episcopo cum consensu Capituli, & omnibus modis curandum esse, *ne pia hæc, vtilis, atque fructuosa prouisio, quouis quæsito colore negligatur.* Et sess. 23. capit. 18. de Reformatione, grauissime statuit vt erigantur seminaria, in quibus pueri à teneris annis ad pietatem & religionem simul cum literis instituantur.

V. *Accedit authoritas S. Thomæ.*

Et in

Et in Concilio Moguntino sub Sebastiano, cap. 65. gratissime idem statuitur tanquam res maximè necessaria ad fidem & religionem, vel instaurandam, vel conseruandam. Et peculiariter animaduertitur, vt præceptores idonei sint, & catholicæ veritatis amantes, ac de hæresi non suspecti. In Cõcilio autem Mediolanensi I. sub Carolo Borromæo part. 1. dicitur Magistros esse eligendos *non minus fidei & vitæ, quam doctrinæ & scientiæ laude commendatos*, quibus etiam præcipit, vt bonis moribus, & salutaribus præceptis eos erudiant. Nec solùm canones, sed etiam leges ciuiles hanc curam habuerunt. Nam in l. *Magistros* C. de professoribus libro 10. *Magistros* (inquit) *studiorum, doctoresque excellere oportet moribus primum, deinde facundia.* Et deinde subiungitur, vt magno iudicio, & optimorum conspirante consensu eligantur, & in lib. 2. statuitur, vt si semel electus postea inueniatur insufficiens, reprobetur. Et similiter in l. vnica C. de professoribus, qui in vrbe; lib. 12. dicitur, *si laudabilem in se bonis moribus vitam esse probauerint.* Et postea additur, *Si docendi puritiam*, &c. Ex hoc ergo capite etiam est manifestum Ecclesiæ, & Reipublicæ multum expedire, vt hæc puerorum eruditio per religiosos fiat. Quia per se loquendo, & ex vi sui status perfectiores in bonis moribus esse debent, & diligentiores in discipulis instituendis in bonis moribus simul cum doctrina.

Varia de institutione puerorum apud Alex. ab Alex. & Tiraq. li 2. genial. c. 25.

VI. Reliquum est vt videamus, an ipsis quoque religiosis hoc expediat, non enim defuerunt, qui in hoc etiam nostram Societatem reprehenderint, quòd ad huiusmodi Ministerium se dimittat. Primum quod vile, ac infimum, religiososque viros munus dedecens videatur. Nam cùm D. Gregorio relatum esset, Desiderium Grammaticam quibusdam exponere, ad eum ita scribit lib. 9. epistol. 48. *Quamrem moleste ita cepimus: ac sumus vehementius aspernati, vt ea* (scilicet bona quædam) *quæ prius dicta fuerant, in gemitum & tristitiam verteremus.* Refertur in cap. *cum multa.* d. 86. Secundò, quia non solùm indecens, sed etiam noxium potest hoc ministerium esse religiosis viris, tum propter nimiam distractionem, & inquietudinem, quam puerorum multitudo necessariò allatura est: tum propter nimium laborem & occupationem, quæ non solùm proprium spiritualem profectum, sed etiam ministeria maioris momenti, & quæ maiores Ecclesiæ fructus parere possent, impediunt: tũ denique propter multa pericula, quæ cum hoc ministerio adiuncta esse possunt. Tertiò ex aliarum religionum exemplo: nullæ enim sunt, quæ in hoc ministerio circa seculares occupentur, à quarum vestigiis discedere, & nouum aliquid in re tam graui introducere laudabile non est.

Arguitur primo ex Gregorio.

Exemplo eandem arguitur.

VII. Nihilominus censemus, & hoc non esse nouum: neque alienum à religioso statu; & pro tempore, & opportunitate Societatis fini & institutioni fuisse maximè consentaneum. Probo singula, & inprimis ex antiquis historiis & ex Patribus constat pueroruum eruditionem à viris religiosis tanquam piam, & Ecclesiæ valde vtilem fuisse susceptam. Nã quod Eusebius lib. 5. historiæ cap. 11. & 12. & libro 6. cap. 12. refert de schola Ecclesiæ Alexandrinæ, non solùm videtur intelligendum de ipsa doctrina sacra, seu Theologia, sed etiam de aliis disciplinis, & de eloquentia, & aliis fundamentis eo tempore ad sacram doctrinam necessariis. Et ideo de Pantæno ait, fuisse omni humaniori literatura præstantissimum, & de Origene partitum fuisse curam docendi cum Heracla viro sacrarum literarum studioso, & in aliis disciplinis disertissimo, ac Philosophiæ nõ ignaro eique illos erudiendos commisisse, qui ipsis fidei elementis essent imbuendi. Et Theodoretus libro 4. historiæ cap. 16. refert Protogenem in Thebaidam à Valente relegatum, statim ac locum reperit idoneum ludum aperuisse, & pueris docendis operam dedisse, quos non modò exercuit ad eleganter manu scribendum, verùm etiam sacra Dei eloquia docuit. *Nam hymnos* (inquit) *Dauidis tanquam dictata illis proposuit, & eas Apostolicæ doctrinæ sententias, quarum ingeniis accommodatas putabat, ediscendas tradidit.* In quo exemplo, (vt ex illo cætera, quæ afferemus, intelligantur) animaduerto non oportere, vt de eadem eruditione, in Grammatica, vel Latina lingua, hæc antiqua testimonia loquantur, sed cum proportione accipienda esse de eruditione puerorum in quibuscunque inferioribus disciplinis, quæ sint quasi principia, vel fundamenta perfectioris doctrinæ: sic enim nunc etiam Grammatica ad hæc fundamenta pertinet, vt notauit Isidorus lib. 1. Etymologiarum, cap. 4. Qui propterea dixit lib. 3. de summo bono cap. 13. Grammaticorum doctrinam etiam posse proficere ad vitam, dum fuerit in meliores vsus assumpta, quod ex Hieronymo refertur in cap. *si quis autem*, d. 37. Imò etiam artem scribendi inter hæc fundamenta reputauit prædictus Protogenes, qui fuit vir sanctus, & miraculis clarus, vt ibi Theodoretus refert. Et de S. Casiano Martyre, qui munus habuit docendi pueros paruulos à quibus postea martyrium passus est, vt ex Prudentio, & Beda refert Surius tom. 4. die 13. Augusti, de hoc (inquam) ferunt, vt videre est apud Baronium in martyrologio, die 13. Augusti: fuisse prius Episcopum in Germania, & à sua sede deiectum, venisse Italiam, & Immola consedisse, ibique ludum literarum aperuisse. Item de S. Patroclo refert Gregorius Turonensis in vita eius, & ex eo Surius tom. 6. die 19. Nouembris, fuisse prius clericum, seu canonicum regularem, & relicta vrbe ad vicum quendam discessisse, ibique *adificato oratorio D. Martino, aliquis conscrato, pueros erudire cœpisse in studio literarum.*

Suadetur primum assertionis membrum.

VIII. Refert etiam Chrysostomus lib. 3. aduersus vituperatores vitæ monasticæ, post medium, quendam venerabilem monachum, qui solitariam vitã profitebatur, ad Constantinopolitanam ciuitatem descendisse, vt cuiusdam adolescentis curam haberet, ipsiusque formaret animum, dum ipse Latinæ, & Græcæ linguæ studeret, vt tandem sui instituti, & propositi socium illum haberet, cuius, & institutum, & opus mirum in modum laudat Chrysostomus. *Ita enim* (inquit) *puerum illum breui egregius ille pædagogus exercuit, tantamque in eo flammam diuinæ cœlestis accendit, vt cuncta simul repente abiceret, atque ad solitudinem conuolaret, aliquo rursus inde gerens, quod illum ab intempestiua illa, ac vehementi exercitatione ad moderatiorem posset commodiorem que conuertere.* Et infrà, *condiscipulorum plurimi tantum ex illius contubernio familiarit profecerunt, vt illius instituti fierẽt amuli; habebat quippe ille domi, qui se perpetuo moderaretur, ac veluti statua ingiter sub artificis manu constituta ornatior in dies euadebat, ingentemque animo decorem assiduè adiiciebat.* Et inferius concludit Chrysostomus: *Itaque si quis mihi nunc quemcunque huiusmodi animum, ac pædagogum daret, aliaque similiter pollicerẽtur, curaturum; incredibile est, quam id libenter amplexaturum: sic enim profecto copiosiori ex fructu magis gauderemus.* Nec mirandum est religiosum illum virum vtilius pueri curam, & magisterium tanta cura suscepisse, cùm sanctus Hieronymus scribens ad Læcepisse, cùm sanctus Hieronymus scribens ad Lætam de institutione Paulæ filiæ circa illius educationem, latè illam instruat, & cum inter alia potionem, latè illam instruat, & cum inter alia potiones, gestabo humeris, balbutientia fenex verba; tricium spondeo; gestabo humeris, balbutientia senex verba; formabo, multo gloriosior mundi Philosopho, quàm si Regem Macedonũ Babylonio periturum veneno, sed ancillam, & futuram Christi, erudiam, regni cœlestibus efferendam.

Præter-

IX. *Accedunt Concilia & Patres.*

Præterea inter decreta, quæ VI. Synodo Constantinopolitanæ tribuuntur, & referuntur in tomo 3. Conciliorum post Concilium Toletanum III. in cap. 5. statuitur, vt presbyteri per vicos & villas scholas habeant, *Et si quis fidelium* (inquit) *suos paruulos ad discendas literas commendare vult, cum summa charitate eos doceant, neque aliquid pretij ab eis accipiant.* Et in capit. 4. supponitur etiam religiosos cœnobitas hoc tunc exercuisse; sic enim ait; *Si quis presbyteris voluerit nepotem suum, aut aliquem consanguineum ad scholas mittere in Ecclesiis sanctorum, aut in cœnobiis, quæ nobis ad regendum commissa sunt, licentiam ad id faciendum concedimus.* In Concilio etiam Aquisgranen. sub Ludouico primo, cap. 135. habetur; Canonicos etiam regulares assumpsisse curam instruendi, & docendi pueros, & adolescentes, saltem eos qui ad Ecclesiæ ministeria educabantur. Idem grauissimè commendatur in Concilio Parisiensi sub eodem Ludouico libro primo cap. 30. Quòd etiam tempore D. Basilij hoc obseruatum fuerit, colligi potest ex eodem in regulis breuioribus 2. quæstione 2. vbi sub his terminis quæstio mouetur. *Nunquid conueniat, vt inter fratres magister sit puerorum secularium?* Est autem responsio notanda. *Cum Apostolus dixerit: Patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, sed educate illos in disciplina, & correctione Domini; si qui eos adducunt hac mente adducunt, & qui suscipiunt tales sunt, qui planissime confidant posse se, qui sibi adducantur, in disciplina, & correctione Domini educare: seruetur quod præceptum est à Domino, qui dixit: sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum; remoto autem huiusmodi proposito, aspe, hoc neque Deo gratum, neque ex decoro, aut ex vtilitate nostræ esse existimo.* Hinc etiam D. Benedictus nobilium Romanorum atque aliorum Italiæ magnatum filios, in suo monasterio erudiendos accipiebat, vt ex Gregorio intelligitur 2. Dialogorum cap. 3. in fine, dicente, *Cœpere etiam tunc ad eum Romanæ vrbis nobiles, & religiosi concurrere, suosque ei filios omnipotenti Deo nutriendos dare.* quanquam in his verbis loqui videtur de donatione filij ad statum religiosum, quæ tunc erat in vsu, & de qua loquitur Benedictus in sua regula cap. 59. In historia etiam religionis Prædicatorum refertur, in quodam suo capitulo generali statutum esse, vt in singulis monasteriis aliqui fratres deputarentur, qui circa doctrinam, & mores puerorum, qui in scholis versantur, curam haberent. Non est ergo hoc nouum, licèt fortasse, quia maiori ex parte antiquatum erat, per Societatem fuerit instauratum, & fortasse etiam auctum, & ad meliorem formam redactum.

Castillo l. 2. cap. 70.

X. *Probatio ab exemplo.*

Et ex eadem traditione, & exemplis constat ministerium hoc non esse indecorum, sed maximè decens religiosos viros. Quod enim à grauissimis & sanctissimis viris susceptum, & approbatum est, cur indecens reputabitur? an quia humile potius, quàm honorificum ministerium esse videtur? At profectò hoc genus operum maximè decet religiosum statum: alioqui non deberent religiosi curare infirmos, pedes hospitum lauare, ac denique per charitatem inuicem seruire, vt Paulus monet. Quod si ad alia opera charitatis, etiam abiecta, & laboriosa meritò ordinatur religio, cur non etiam ad hoc opus docendi pueros, quod licet valde laboriosum, & minus honorificum sit, tamen sine dubio est vtilissimum Ecclesiæ, vt ostensum est in c. 2. Si ergo seruetur conditio à Basilio posita, nihil est indecentiæ in hoc munere; potestque ex verbis illius argumentum à contrario sumi; tunc enim hoc ministerium non erit *ex decoro* (vt ipse loquitur) quando per illud temporale cõmodum quæritur, aut spiritualis fructus proximorum non speratur; ergo à contrario, cùm à religiosis viris nihil præter communem Ecclesiæ vtilitatem per hoc ministerium quæratur, cumque hæc vtilitas propter rationes omnes adductas, & manifestum experimentum, magna sperari possit, dubium non est, quin huiusmodi opus dignissimum sit, vt à religiosis viris assumatur.

XI. *Satisfit primo argum. in num. 6.*

Neque contra hoc quidem facit reprehensio Gregorij in dicta epist. seu in dict. cap. *cum multa.* Primò quidem, quia aliud est loqui de Episcopo, aliud de religioso: multa enim religiosum decent, quæ Episcopum dedecent, in quibus numerare possumus Grammaticam docere, sicut etiam Gregorius Nazianzenus epist. 97. in Gregorio Nisseno reprehendit, quòd prætermissa lectione Scripturarum nimium Rhetoricæ libris vacaret, eumque exhortatur, vt illis libris omissis propria Episcopi munera, qua solebat diligentia resumeret. Deinde & Glossa ibi & Gratianus in §. cur ergo, post cap. *turbat.* d. 37. & alij exponunt, Episcopum illum reprehendi à Gregorio, eo quòd in concionibus ad populum loco sacræ lectionis, & eruditionis, Gentilium fabulas, & Poëtarum carmina exponebat. Quem sensum indicat Gregorius cùm ait, nefandum esse Episcopis canere: quod nec laico religioso cõueniebat: loqui enim necesse est de cantu profano, nõ de ecclesiastico: legimus quippe de eodem Gregorio apud Ioannem Diaconum lib. 2. vitæ eius, cap. 6. interdum cum Ecclesiasticis pueris fuisse modulatum, habentem in manu flagellum, quo pueris minabatur: si in Ecclesiastico cantu errarẽt. Qui ergo Summus Pontifex dedignatus non est, propter clerici reformationem in cantu Ecclesiastico pueros instruere, vel sua auctoritate ad maiorẽ diligentiam adhibendam eos compellere: multo magis iudicaret opportunum, ac decens, religiosos aliquos occupari circa puerorum eruditionem in inferioribus literis, quatenus ad maiores necessariæ sunt.

XII. *Satisfit secundo ibid. quod omnia eius capita.*

Præterea quòd ministerium hoc non sit omittendum propter impedimenta, vel pericula, quæ secum affert, declaratur breuiter. Quia inprimis hoc ministerium per se est adeò vtile, ac necessarium Ecclesiæ, vt prætermittendum non sit, etiamsi maiora, aliqua ex parte impedire videatur. Nam licèt formaliter (vt sic dicam) minimum appareat, virtute tamen magnum est: cùm ex illo & Ecclesiæ mores, & altiores disciplinæ magna ex parte pendeant, ita vt ad illud meritò accommodari possit parabola de grano sinapis, quod minimum est quantitate, virtute autem magnum. Accedit, quòd altiores scientiæ plures habent Magistros, tam religiosos, quàm sæculares: ad hanc autem puerorum eruditionem pauci, quales numero 3. & 4. proponebamus, inueniuntur, aut inclinantur, & ex hac parte maiori Ecclesiæ necessitati in eo subuenitur, & ideo licèt apud homines videatur minoris dignitatis, apud Deum fortasse est maioris meriti. Præterea quamuis opus hoc ad eas personas comparatum ab altioribus ministeriis eas impediat: tamen non ibi sistendum est, sed cum toto religionis corpore est conferendum: nam (vt de Ecclesia dixit Paulus 1. Corinth. 12. *Corpus non est vnum membrum, sed multa, & quæ videntur membra corporis infirmiora esse necessaria sunt*, & ex illorum ministerio non impeditur corpus, quominus perfectiores actiones per altiores facultates possit efficere. Ita ergo contingit in corpore religionis: nam si hæc inferiora ministeria cùm debita mensura, & moderatione sumantur, non impediunt altiora: sed potiùs ad illa iuuant, tum præparando materiam, vt sic dicam, ex parte audientium, vt idonei sint ad perfectiores disciplinas capessendas, tum ex parte ministrorum, vt paulatim ab inferioribus ad perfectiora progrediantur, & ita in omnibus

bus magis proficiant; nam omnia tempus habent, & quædam ministeria, quandam ætatem, & conditiones requirunt, quædam verò alias; & tota hęc varietas in corpore religionis inueniri potest, si cum dexteritate, & prouidentia gubernetur: quod quidem non negamus esse difficile, ac laboriosum, inde tamen speramus meritum augeri. Vnde per se loquendo, hic labor, & solicitudo non potest impedire substantialis perfectionis augmentum; tum quia est opus insignis charitatis, & ex obedientia susceptum ipsam charitatem multum auget, ac perficit; tum etiam, quia sperandum est ratione talis status, & totius religionis ad hoc munus, inter alia instituta, non sine speciali Dei prouidentia, & approbatione; sperandum inquam est non defuturum peculiare auxilium Dei ad illud munus, cum aliorum fructu, & sine proprio nocumento, imò cũ magno etiam profectu efficiendum. Quapropter si quid est periculi, eadem diuina gratia, & superiorum vigilantia, & aliis operibus religionis, & iis præsertim, quæ ad vitam contemplatiuam pertinent, superari non difficile poterit generatim loquendo. Præsertim cùm tale periculum non sit per se coniunctum huic ministerio, sed sit valde accidentarium, & extrinsecum; vixque possint cogitari actiones humanæ, in quibus similia, vel maiora pericula inueniri non possint.

XIII. Tandem quòd hoc tempore, & in hac religione medium hoc (quidquid sit de religionibus aliis temporibus) fuerit valde opportunum Ecclesiæ, & non sine peculiari Dei prouidentia inuentum, intelliget facile, qui animaduertat, quæ lib. 1. diximus, de institutione Societatis: namque rationes omnes & circumstantiæ, quas ibi obseruabimus circa institutionem Societatis ad ministeria proximorum, ad hoc peculiare ministerium applicari possunt, & experientia, quam diximus, institutum ipsum comprobasse, non minus approbat; & confirmat hoc ministerium. Re enim vera incredibilis est fructus, qui ex illo redundauit; in Prouinciis siquidem Catholicorum, vbi fides illæsa conseruatur, non solùm puerorum, sed etiam omnium statuum mores per hoc medium reformati sunt. nam ex his pueris, & plures religiosi, & boni clerici, & iusti gubernatores Reipublicæ prodierunt. Cùm enim à tenera ætate Dei timorem concipiant, & diuinis rebus, ac sermonibus assuefiant, semper odorem illum retinent, generatim loquendo, iuxta sententiam Sapientis Prouerb. 22. *Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* In religionibus autem hæresis labe infectis per hanc puerorum educationem, non solùm filij; sed etiam parentes sæpe ab hæresi præseruati sunt, & ab illa interdum ad fidem reuocati. Sicut enim legimus Principes, & alios hæresum patronos ad eas disseminandas, & propagandas, procurasse, vt pueri statim ab initio cum ipsis literarum principiis errores biberent, vt de Maxentio refert Eusebius lib. 9. historiæ. cap. 5. & Theodorus presbyter in Isagoge, seu expositione vnionis duarum naturarũ in Christo, statim initio de sectatoribus Eutychis, & Dioscori refert tanta pertinacia Ecclesiam oppugnasse, vt quos haberent puerulos necdum compotes plani eloquij exacuerent, atque persuaderent inducẽdo, quo possint, & audire & discere, quæ pro suo dogmate tuendo afferebant, quos nostro etiam ætate Lutheranos imitari audiuimus: scribunt enim carmina, & elegantes orationes contra Pontificem, & Ecclesiam catholicam, vt pueri eas legentes eorum spiritum hauriant, & summam diligentiã adhibent, vt Magistri puerorum suis erroribus infecti, & ad eos affecti sint. Et in Concilio Colonienſi sub Adolpho p. 1. cap. 1. refertur sectarios magisteriis inhiare scholarum, & operam suam instituendæ iuuentuti passim venditare, vt venena sua tenerę iuuentuti instillent; de Diuo etiam Petro martyre ex S. Dominici familia, scribitur Patrem Patruumque hæreticos contendisse (sed tamen frustra) vt ab schola remoueretur, vbi cum cæteris pueris fidei nostræ rudimenta didicerat; esset ergo absurdum, & insolens (vt ait Theodorus suprà) si hæretici pro tuendo mendacio puerorum animos præoccupare studerent, & Ecclesia pro veritate & animarum salute defendenda in eo negotio negligens inueniretur; propter hanc ergo præcipuè causam existimo tali tempore Deum excitasse Ignatium, eique hanc mentem, & consilium absque aliarum religionum vrgente exemplo dedisse, illudque sui vicarij auctoritate, & multis effectibus, ac suæ gratiæ ostensionibus cõprobasse. Quibus tandẽ accedit grauissimum Cardinalium testimonium; nam in congregatione in qua ad dubia circa Concilium Trid. respondent, in quadam responsione 231. circa decretum Concilij Trid. sess. 23. c. 18. de reformatione, addiderunt, quærendos esse magistros Grammaticæ & Musicæ eruditos, qui in seminariis pueros instituant, *quorum* (ait Congregatio) *si reperiantur Societatis cæteris anteponendi sunt.* Atque ita satisfactum est tribus rationibus dubitandi in num. 6. positis.

Fructus eruditionis puerorum inter catholicos.

Item inter hæreticos.

Theodorus in tom 1. Biblioth. Patrum.

Addam in fine huius capitis vsque adeò cordi fuisse D.P.N. Ignatio hãc educationem puerorum, vt non putauerit indignum, vel alienum à nostro instituto, etiam illorum curam suscipere, qui sub aliquo Magistro legere addiscunt, aut scribere, cum debito tamen moderamine. Vnde in 4. p. Constit. c. 12. in fine vltimæ declarationis sic dicitur; *In legendo & scribendo alios instituere, opus etiam charitatis esset, si personarum numerus Societati suppeteret, vt omnibus vacare posset. propter earum tamen penuriam, hoc ordinarie dari non consueuimus.* Itaque opus quidem ipsum ex se, charitatis est, & susceptum propter prædictum finem, scilicet vt pueri cum ipsis primis literis, nihil aliud quàm honestatem, & religionem addiscant, esset reuera magnum, & religiosum obsequiũ Dei, non tamen nisi rarò suscipitur, & propter grauem aliquam causam, & communem necessitatem, ne tot muneribus nimium religio oneretur. Potestque moralis ratio adiungi; nam vtilitas, quæ ex illo magisterio resultat, magis remota est à literariis disciplinis, minusque ab illa pendent altiores scientiæ, quàm à Grammatica, vel aliis artibus liberalibus, & ex hac parte minus coniuncta est cum Collegiorum instituto, facileque inter seculares inueniuntur, qui exactè artem illam doceant, quæ magis etiam ad mechanicas accedit, quàm ad liberales, & ideo frequentius per laicos, quàm per clericos tradi solet, & alioquin ætas puerorum pro illo statu, regulariter loquendo, nimis tenera & imbecilla esse solet ad morum instructionem accipiendam, & ideo minùs necessarium illis est nostrum ministerium: nam quod in hoc ministerio iis puerulis fuerit opportunum, suppleri potest externas eorum scholas interdum adeundo, & in doctrina Christiana, & bonis moribus pro illorum capacitate pueros instruendo, quam curam tanquam sibi propriam, vbi commodè fieri potest, Societas non prætermittit.

XIV. Quæ circa scholas de eruditis sacerdotum.

CAPVT VI.

Virum ad externorum scholarium institutionem conuenientibus mediis Societas vtatur.

DVo in hac institutione intenduntur: profectus videlicet in doctrina, & in moribus, quæ Duplex fructus. I. ita comparantur, vt licet doctrina sit quasi materia propria

tate in scholarum ingressu.

propria huius ministerij, & effectus proximus Collegiorum ; finis tamen præcipuus sit honestas morum. Quæ duo obseruare licet in Concilio Tridentino sess. 23. c. 18. quod est de seminariis puerorum, & eorum institutione, vbi media ad vtrumque effectum consequenda præscribit: meritò ergo in cõstitutionibus Societatis idem circa has scholas secularium prouisum est, & integro libro authoritate eiusdem Societatis postea edito, & inscripto, *Ratio institutioque studiorum*, disertissimè inculcatum.

Prima assertio de mediis ad virtutem promouendam.

II. Primò ergo dicendum est, sufficienter ac conuenienter in his Collegiis esse prouisum de mediis, quibus iuuentus in virtute conseruetur, ac promoueatur. Hoc facilè patebit breuiter hæc media enumerando. Primum, quoniam conscientia pura sedes est sapientiæ, statuitur, vt frequens confessio peccatorum fiat, saltem singulis mensibus 4. p. Cõstit. c. 7. §. 2. *Curetur*, (dicitur ibi) *quoad eius fieri poterit, vt singulis mensibus ad sacramentum confessionis accedant.* Et cap. 16. *Diligenter curetur, vt qui Literas discendi gratia ad vniuersitates Societatis se conferunt, simul cum illis bonos, ac Christianis dignos mores addiscant, ad quod multum iuuerit, si omnes singulis saltem mensibus confessionis ac sacramentum accedant.* Hoc medium probauit Concilium Tridentinum dicto cap. 18. vbi de his, qui educantur in seminariis, dixit, *saltem singulis mensibus confiteantur peccata.* Et in vtroque loco ponderanda est particula *saltem*, per illam enim insinuatur, melius esse, frequentius confiteri, & ita esse consulendum, quamuis non exigendum, aut pro regula statuendum, præsertim pro iunioribus secularibus. Et ob eandem fortasse causam, nihil de vsu Eucharistiæ pro his scholaribus externis, sicut pro nostris scholarib. statuitur, tacitè verò intelligitur id, quod Concilium expressius declarauit, dicens, & iuxta confessoris iudicium sumant corpus Domini nostri Iesu Christi: quod facilius in seminariis seruari potest, eo quòd in eis sub seueriori disciplina Ecclesiastica iuuenes contineantur.

1 medium confessio mensirua.

Vide Isidorũ iuniorem tract. de variis collegiis ad vtilitatẽ publicam constituendis.

III. Secundò post vsum sacramentorum præcipitur quotidianus Dei cultus; & quia hic maximus est in sacrificio Missæ, ideo in eisdem locis constitutionũ dicitur vt Scholastici quotidie Missã audiant: quod etiam de seminariis expressit Concilium Tridentinum citato loco. In Concilio autem Lateran. sub Leone X. sess. 9. sub titulo, de reformatione Curiæ, non solùm dicitur, vt ad Missas, sed etiam vt ad Vesperas, diuinaque officia audienda impellantur. Sed id intelligẽdum est cum distributione accommoda, non enim inducendi sunt, vt quotidie his officiis assistant, id enim quamuis aliàs sanctum, & bonum, illi ætati esset nimis onerosum; & studiorum opus impediret; & ideo Concilium Tridentinum de his qui educantur in seminariis solùm dixit in diebus festis debere in Ecclesia cathedrali, pro opportunitate loci inseruire: ita ergo intelligendum est Concilium Latera. de diebus festiuis: nam de illis specialiter loquitur, si contextus attentè inspiciatur. In illis autem ad Missas audiendas omnino cogendi sunt, si oportuerit; ad alia verò diuina officia tantùm inuitandi, & suauiter inducendi; præsertim verò ad prædicationes, & sermones audiendos, vt dicitur in prædicto Concilio Later. Inde in dicto c. 16. 4. p. constit. dicitur ; *Concionem singulis diebus festis, cum ea fieri, audiant*, & præceptoribus iniungitur, vt vnusquisque à suis discipulis hoc seruari procuret.

2 Medium diuinus cultus præsertim in Missa quotidie audienda.

IV. Tertiò, quia generales conciones, quæ pro toto populo fiunt, minus accommodatæ puerorum captui atque adeò minùs vtiles esse possunt: ideo præceptoribus Societatis cura instruendi, & exhortandi ad virtutem suos discipulos variis modis commendatur. Quod est sacris canonibus valde consentaneum. Nam in dicto Concilio Latera. inter alia sic dicitur; *Magistri scholarum, & præceptores pueros suos, siue adolescentes, non solùm in Grammatica & Rhetorica, ac cæterũ huiusmodi instituere debeant, verum etiam docere teneantur ea, quæ ad religionem pertinent*: vt sunt præcepta diuina, articuli fidei, sacri hymni & Psalmi & Sanctorum vitæ, &c. Sic ergo in prædict. cap. 7. 4. p. constit. §. 2. generatim dicitur, curandum esse vt scholastici, in his, quæ ad doctrinam Christianam pertinent, bene instituantur: & in cap. 16. §. 2. in particulari ordinatur, vt semel in hebdomada prælegatur pueris Christiana doctrina, & vt ipsi eam addiscant ac recitent: & in §. 3. additur vt singulis etiam hebdomadis aliqua declamatio fiat, per quam omnes ad augmentum virtutis excitentur. Et §. 4. commendatur præceptoribus, vt inter legendum cùm se occasio obtulerit, ad obsequium, & amorem Dei, ac virtutum discipulos moueant: quod etiam in priuatis Collegiis oportunè facere debent.

1 Medium institutio doctrinæ Christianæ, ac exhortationes priuatæ, &c.

V. Quartò optima est consuetudo in initio scholarum, seu lectionum publicè orationem præmittere; sicut de Thoma Aquinate legimus, nunquam se lectioni, vel scriptioni dedisse, nisi præmissa oratione. Hanc ergo cõsuetudinem in nostris scholis quãtum fieri possit, seruandam esse in dicto §. 4. præcipitur. Docendi autem sunt pueri, vt in ea breui oratione duo efficiant, vnum est vt omnia sua studia, & in particulari tempus illud, & actionem in Deum referant. Quod documentum insinuauit Basilius, quantum ad rectitudinem intentionis in reg. 292. ex breuioribus, & Boetius lib. de disciplina scholarium cap. 6. latiùs Dionysius Carthus. lib. de doctrina scholarium art. 20. Aliud est vt assuescant à Deo postulare gratiam ad proficiendum in studiis. Quod ad omnes alias vitæ actiones illis valde vtile esse poterit.

4. Medium oratio in schola initio.

VI. Quintò specialiter cauetur in constit. 4. p. c. 14. §. 2. vt præceptores abstineant ab eis libris iuuentuti prælegendis, in quibus sit aliquid, quod bonis moribus nocere queat. Quod fere eisdem verbis dixit Concilium Lateran. suprà; *Nihil* (ait) *contra bonos mores aut quod ad impietatem inducat, eos docere possint.* Alia etiam Concilia, quæ de hac puerorum eruditione aliquid statuerunt, ab his libris, qui obscœnas fabulas, & comœdias continent, abstinere iubent, vt videre licet in Concilio Colonien. sub Adolpho 1. p. c. 3. *Inter sit* (inquit inter alia) *vt tantùm casti, pij, & religioni orthodoxæ consentientes auctores prælegantur.* Quod iudicium non vult esse penes omnes, & ideo statuit, vt nullus liber prælegatur iuuentuti, nisi ad hoc examinatus sit, & admissus à Decano artium Catholicæ vniuersitatis. Idem præcepit Concilium Mediolanense 1. sub Carolo Borrhomæo p. 1. c. de Iudimagistris; *Non solum* (inquit) *libros inde S. D. N. Pij IV. auctoritate edito nominatim vetitos pueru non interpretentur, aut ab illis legi patiantur; sed neque etiam alios, quibus obscœna & turpia continentur*: quod etiam in regula 7. Catalogi Rom. cautum est; similia videri possunt in Synodo Augustensi cap 26. & in Synodo Moguntina sub Sebastiano c. 36. refertur etiam Synodus Valentina, sub Martino Ayala sess. 1. quæ non habetur in tomis Conciliorum.

5 Medium ne prælegantur libri bonis moribus noxii, quod suadetur auth. Concil.

VII. Ratio clara est, quia sub specie eloquentiæ & dulcedine Latinæ linguæ, & per oblectamenta fabularum prauas cogitationes immittunt, & mores inhonestos docent; imò mentem excitant ad incentiua libidinum: vt Isidorus dixit lib. 3. de summo bono c. 13. & refertur in cap. *ideo prohibetur* 37. d. Vnde rectè Origenes hom. 2. in Hierem. huiusmodi libros

Item ratione ex patribus.

comparat calici aureo, in quo venenum propinatur. *Vnusquisque* (inquit) *Poetarum qui putantur apud vos* (scilicet ethnicos) *disertissimi, calicem aureum temperauit* (scilicet per eloquentiæ ornatum, & styli eloquentiam) *& in calicem aureum, venenum immisit idololatriæ, & venenum turpiloquij, venenum eorum, quæ animam interimunt, dogmatum, venenum falsi nominis scientiæ.* Et in eadem sententia multa scribit Augustinus lib.1.confessionum,cap.13.& sequentibus, & specialiter cap.16.de Terentio loquens,ait; *Non omnino per hanc turpitudinem verba ista commodius discuntur, sed per hæc verba, turpitudo ista confidentius perpetratur. Non accuso verba, quasi vasa electa, atque pretiosa, sed vinum erroris, quod in eis propinabatur ebrijs Doctoribus.* Item Hieronymus in Ionam cap.3. circa finem, ad hoc ipsum accommodat dicta verba Hierem.51.*Calix aureus Babylon inebrians omnem terram*, dicens; *Quæ non inebriauit sapientia sæcularis, cuius non animos compositione verborum, & dissertitudinis suæ fulgore perstrinxerit?* Denique ex Basilio ad nepotes suos refert Castro lib.3.de iusta hæretic. punit. cap.9. (in quo simul cum præcedenti,de hoc argumẽto : & de delectu in lectione librorum piè,& eruditè differit)refert (inquam) Gentilium libros de discretione legendos esse,qua apes naturaliter vtuntur. *Apis enim* (inquit) *non omnibus floribus insidet, neque ex iis, ad quos accedunt, omnia auferre conantur, sed quantum ipsis opportunum fuerit, reliquum dimittunt : sic nos vt sobrij sapientesque simus, quantum nobis congruum ad veritatis propinquum ex ipsis fuerit persequemur, reliquam prætereamus. Et sicut in legendis rosis sentes vitamus. Sic in talibus sermonibus, quidquid est inutile capientes, noxium vitemus* : similia sumi possunt ex Damasceno lib.4.de Fide c.18. Hunc autem delectum non possunt habere pueri: & ideo tales libri, vel illis omnino legendi non sunt, vel non *nisi purius à rebus, & verbis honestu purgati sint*, vt in prædicta constitutione dixit B. Ignatius : quòd si purgari non potuerint,abiiciantur, *merorum qualitas animorum puritatem offendat*, vt ibidem in Declarat. dicitur. Sunt etiam optima ad hanc veritatem cõfirmandam, verba Basilij regul. 15. ex fusioribus, quamuis enim ille de pueris, qui in religione educantur ad profitendum in illa,loquitur: tamen ad rem de qua agimus optimè accommodantur. *Illud quoque* (inquit) *considerandum est, vt literarum commentatio instituto nostro conueniens sit, vt & magistri, scilicet vocabula in sacris literis vsitatis apud ipsos vtantur : & loco fabularum, historias rerum mirabiliter à Deo gestarum, ipsis denarrent : itemque, sumptis ex prouerbiis sententiis ad virtutem erudiant.*

Venenum in auro, turpitudo in eloquentia.

Vide eundẽ Castro 1. contra hæreses c.12.

VIII. *Item ex humanis legibus.*

Nec solùm sanctis Patribus,ac decretis sed etiam humanis legislatoribus hæc cura fuit, seruata proportione. Nam Vlpianus in l. *cæterum* 4.ff.Familiæ erciscundæ quoad hoc comparat, mala medicamenta,venena,& libros,quos vocat *improbæ lectionis*: quę omnia protinus dicit esse corrumpenda officio boni,& innocentis iudicis. Plato etiam lib.7. de legibus, Poëtarũ libros, qui de Diis suis irreligiosè loqui videbantur, exterminandos à Republica censuit. Vnde rectè dixit Simancas de Catholicis institit.tit.38. non solùm veræ religionis cultores, sed etiam eos qui peruersam, atque impiam religionẽ suscipiũt, libros noxios damnare solere quod multiplici eruditione latè confirmat, & latiùs lib.3. de Republica c.26.

Secunda assertio de mediis ad literas promouendas.

IX. Secundò dicendum est, non minori prudentia definita esse ac statuta in Societate necessaria media,quæ ad scholasticorum, & puerorum eruditionem opportuna esse possunt : & in praxi seruantur. Hoc posterius experientia constare potest, cũ enim ad factum pertineat, aliam probationem certam non admittit,nisi fides scribenti adhibeatur. Possumus verò addere moralem persuasionem, nam hęc media, quæ respectu scholarium solùm respiciunt doctrinæ fructum, respectu præceptorum pertinẽt ad bonos,& religiosos mores eorum. Nam statuta illa,in quibus hæc media continentur, pars quædã sunt illius regulæ, quæ à talibus personis ad perfectionem acquirendam obseruanda est:& ideo tam accuratè seruantur, quàm quæcunque alia perfectionis regula:quia diuinum bene placitum,& consilium æquè per illa proponitur. Prior autem pars ex eisdem constitutionibus accipienda est.

Præterea pertinet ad media efficacia.

Primum igitur ac præcipuum medium huius negotij est ipsorum magistrorum sufficientia, ac diligentia,vt in cap.superiori.n.3. tactum est, & per se est satis notum,& obseruatum ab omnibus Conciliis ibidem in n.5.& 10.citatis: quæ de hoc ministerio tractarunt.In 4. ergo parte Constit. cap.6. §.6. sic dicitur: *Professores siue de Societate illi sint, siue externi, optandum est vt docti, diligentes, & assidui, & profectum studentium, tam in lectionibus, quam in aliis literarũ exercitationibus studiosi sint.* In quibus verbis omnia, quæ ex parte præceptoris desiderari possunt attinguntur. In declaratione verò, vt maior cautio in hoc habeatur, additur, vt fine approbatione, & facultate Prouincialis, nullus publicè legat, nisi vel ad tempus,necessitatis gratia, & in classibus inferioribus rursus.In cap.12.§.1.de Theologia dicitur: *In hanc potissimum Societatis vniuersitatis incumbunt, ac diligenter per idoneos admodum præceptores.* De inferioribus verò doctrinis additur, *Horum etiam idoneos professores, & quidem iusto numero constituantur.* De mediis verò scientiis seu artibus dicitur §.3. *quæ diligentia pariter, & per eruditos præceptores tradantur.* Denique cap.13.§.3.*Magistri* (dicitur) *diuersi pro captu, & numero audientium constituantur, qui quidem profectum vnusquisque ex suis scholasticis speciatim procurent.* Et ibi in Declaratione, de præceptorum numero ac diuisione classium diligenter statuitur, & consonant ea, quæ in re simili statuuntur in Concilio Trid.sess.23. cap.18.de Reformat.ibi, *his pueros Episcopus in tot classes, quot eis debitur, diuisos, iuxta eorum numerum*, &c. atque ita in hac parte nulli labori vel oneri parcit Societas.

X. *Primo nihil medii efficacius dicitur. Primum medium.*

Secundum medium circa ordinem studendi.

XI. Secundum medium maximè necessariũ ad eruditẽdum cum fructu discipulos est ordo, ac methodus,tum in doctrina tradenda, tum etiam in disputationibus & omnib.literariis exercitiis, & prælectionum recognitione circa ea, quæ à præceptoribus tradita sunt, & in adhibenda diligentia, vt scholastici priuatim studeant, vel aliquid componendo,vel repetendo, aut conferendo ea, quæ audierunt,quæ omnia in prædicto c. 13. quod est de modo & ordine prædictas facultates tractandi accuratissimè disponuntur, & ad illud lectorem remitto,ne oporteat integrum hic transcribere. In c. autem 14.de libris, qui prælegendi sunt, statuitur, vt non solùm vitentur illi, qui aliquid periculi ad fidem, vel mores afferre possunt, sed etiam illi eligantur,qui ad studẽtium vtilitatem magis fuerint accommodati: nam hinc etiam eorum fructus magna ex parte pendet.

Vid. illa de non studendo auctoribus Societatis editum.

Tertium medium pertinet ad pœnas, ac præmia discentium.

XII. Tertium medium est illud generale,& in omni Republ.ad mores, & artes promouendas, & vitia compescenda maximè necessarium, præmiũ, scilicet, & pœna, quæ in vnaquaque actione vel personarum genere debet esse illis proportionata. Verũque ergo magna dexteritate, prudentia, & religione in scholis Societatis obseruatur. Et quidẽ quoad pœnam statutum est vt correctio sufficiens non desit, pro qualitate, & capacitate scholarium, si tamen corporaliter adhibenda sit, propter religiosam decentiam, ac molestiam, non per ipsos præce-

Deinde.

Tractatum etiam fuit in 1 congreg. decret 35.

præceptores, sed per ministrum aliquem, seu correctorem ad id muneris deputatum executioni mandanda est. ita habetur p. 4. Constit. c. 7. §. 2. & cap. 16. §. 5. vbi etiam additur, si hæc correctio non sufficiat & periculum sit, vt scholaris aliis noceat, cùm ipse parùm proficiat, expellendum esse ab studio eum, qui incorrigibilis est. Et in Declaratione additur, si ad exemplum, & timorem aliorum, propter scandalum præstitum maior aliqua pœna necessaria fuerit Rectoris prudentia procurandam esse, *quanuis* (dicitur ibi) *quoad eius fieri potuerit, in spiritu lenitatis, pacis, & charitate cum omnibus conseruata sit agendum.* Atque hoc genus institutionis videtur insinuasse Basilius in reg. 292. ex breuioribus supra iam citata, dum ait, pueros ea conditione esse admittendos, vt à religiosis instituantur, vt qui eos adducunt, intelligant eos esse erudiendos *in disciplina, & correctione Domini.* Ex quo sumpsisse videtur Carthus. opusc. citato de eruditione puerorum, artic. 24. ad finem, in scholis edictum proponendum esse, vt nullus ad eas frequentandas admittatur, nisi prius consentiat magistrorum disciplinæ ac correctioni acquiescere, imò & in præcipuis scholis statutum est, vt non nisi data prius fide de obediendo Rectori in Scholasticorum album quispiam describatur.

XIII. *De præmio.*

De præmio nihil inuenio expressè in constitutionibus decretum: quod ideo fortasse accidit, quia de correctione oportuit expressè prohibere: ne executio per nostros fieret, & cõsequenter peculiare officium pro nostris vniuersitatibus instituere ad eum finem. At verò de præmio nihil huiusmodi statuere necessarium erat: nam, vt dixit Philo Iudæus lib. de Abraham: *Sic vero Principi agendum est, vt si quis egit coactione, hunc aliis puniendum tradat. Cæterum cum præmia reddenda sunt, id per se ipsum faciat.* Igitur de præmiis nihil statuere necessarium fuit, sed ex generali ratione prouidentiæ illa supponere: modum autem & vsum eorum prudentiæ gubernatorum relinquere. Nihilominus in 1. Congregatione generali can. 119. hoc amplius declaratum est his verbis: *Proponi & dari possunt munuscula quædã, quæ præmia vocantur Scholasticis externis, vt ea ratione inflammentur ad studia literarum.* Et additur, *vt in eis seruetur modus honestus & religiosus:* quod denique medium in lib. de Ratione studiorum sæpius commẽdatur. Quin etiam Basilius de re simili agens, reg. 15. ex fusioribus: *profuerit* inquit, *illis, si proponantur præmia memoriæ, cum rerum, tum etiam verborum: siquidem fiet hac ratione, vt quæ volumus, ea facilius & iucundius sint percepturi.* Atque in hunc finem Scholasticis iis, qui in hoc nostro Conimbricensi, & insigni Collegio erudiuntur: tum etiam vniuersis seorsũ, qui de Latina lingua, Græca, Hebræaque soluta ac ligata oratione decertare volent, in singulos annos centũ aureorum libri apprimè concinnati, superioris Academiæ expensis, in præmia proponuntur. Quia verò honos alit artes, maximèque solet studentes mouere, & quia alia præmia temporalia nõ semper possunt ad manum haberi: ideo hoc genere præmij pro captu actionum, & personarum, vt solent præceptores nostri, consignatis aliquibus locis, aut signis honoris, quibus pueri ad quandam æmulationem, & maiorem diligentiam excitentur. Et ob eandem causam pro maioribus viris, & grauioribus studiis, non desunt in nostris vniuersitatibus honorifici gradus literarij, iuxta cap. 15. 4. p. constit. His ergo modis studentium profectus in virtute, & literis in vniuersitatibus & collegiis Societatis quoad fieri potest procuratur, & cum diuino adiutorio, vt effectus ipsi satis ostendunt, comparatur.

Vide Xenophontem in Hierone.

Conclusio capitis.

INDEX CAPITVM LIBRI SEXTI.

De professione quatuor votorum, quæ in Societate fit, ac probatione propria ei antecedente, deque aliis votis simplicibus, quæ consequenter ad illam emittuntur.

Cap. I. *AN professio in Societate rectè diu differatur?*

II. *Vtrùm ante professionem tertius probationis annus fieri debeat.*

III. *Quid sit in professione Societatis vouere secundum obedientiam, peculiarem curam circa puerorum eruditionem, & quæ specialis obligatio inde nascatur.*

IV. *An obedientiæ votum ad summum Pontificem quod professi Societatis emittunt, sit solemne, & ab aliis tribus distinctum.*

V. *An professio conuenienti modo in Societate fiat.*

VI. *De votis simplicibus vltra professionem emissis, ac primum de voto non assentiendi relaxationi paupertatis.*

VII. *De voto non ambiendi dignitatem aliquam intra vel extra Societatem.*

VIII. *An votum non acceptandi Episcopatum absque superioris præcepto conuenienter fiat in Societate.*

IX. *De voto audiendi consilia Generalis, si quis professus Societatis in Episcopum assumptus fuerit.*

X. *De voto manifestandi dignitatem aliquam procurantes.*

XI. *Cur dicta professorum vota simplicia sint, & non solemnia.*

LIBER SEXTVS.

De professione, quæ in Societate fit, ac de iis, quæ illam antecedunt, & consequuntur.

DIximus hactenus de gradu scholarium Societatis: reliquum est, vt ad gradū professorum transitum faciamus. Prius autem quàm de professione ipsa, per quam gradus ille constituitur, cōsideramus, primo loco per duo sequentia capita nonnulla præmittenda sunt de tempore, & probatione præuiis ad illam iuxta peculiarem Societatis institutionem; quæ in hoc ab aliis differt, quòd religiosos suos ad perfectionem solennem, non nisi post diuturnū tempus, admittit; & in hoc etiam, quòd non contenta priori biennio probationis, tertium annum ab scholaribus suis post finita studia exigit; & quia vtrunque singulare videtur, vtrumque in ea reprehensum est; & ideo vtriusque rationē reddere est necessarium. Secundo loco dicendum erit in cap. 3. 4. & 5. de ipsa solenni professione. Tertio tandem à ca. 6. vsque ad finem libri, de quibusdam votis simplicibus, quę consequenter ad illam emittuntur.

CAPVT I.

Vtrum professio in Societate conuenienter per multum tempus differatur?

I. *Primum reprehensio in Societatem alibi iam expedita.*

DVo in hac parte ab aliquibus reprehensa, ab aliis in dubium reuocata sunt. Primum est nimia dilatio admittendi ad professionem eo quod singularis, & noua videatur, &, quod grauius est, nonnullam iniustitiam continere. Sed de hoc puncto satis dictum est lib. 3. à principio, ostendendo cur post biennium, ad vota simplicia, & non solennia scholares admittantur, non solùm absque iniustitia, verùm etiam sine vllo vero incommodo illorum, & cum magna ratione, & spe boni communis. Secundum est, quòd hoc tempus, non solùm sit diuturnum, sed etiam indeterminatum, quod est longe diuersum, & potest habere maiora incōmoda, & minorem causam, vel necessitatē. Quod primum declaratur ex vsu Ecclesiæ circa promissionē clericorum, vsque ad sacerdotium, quem Ecclesiasticum vsum antiquiorem diximus ibidem c. 1. n. 3. imitari Societatē in hoc genere probationis. Quāuis enim olim diuturna probatio clericorū fieret, semper tamen habuit per canones definitum tempus. Id constat ex epist. Zosimi I. ad Hesychium. Nā in primo c. generatim ait, neminem admittendum esse ad sacerdotium nisi post lōgam probationem, postea verò c. 3. designat temporis dilationem, scilicet, quinquennium ad minimum in gradu lectoris, & quatuor deinde annos in gradu subdiaconatus; quinque etiam alios in diaconatu, & ita tandē admitti poterat ad presbyterium. Quæ paucis mutatis præscripserat Siricius Papa epist. 1. ad Himerium, c. 8. & 9. vbi etiam à presbyterio ad Episcopatum, tempus decēnij designat; quod Zozimus postea omisit, & ad illum ascensum nullum definitum tempus requisiuit. Hormisda autem Papa in epist. ad Episcopos Hispaniæ, c. 1. quamuis indefinitè requirat longam probationem, addit tamen, eam esse debere iuxta præscripta, ac definita per sacros canones alludens ad citata decreta, & ita in idem redit. Et idem ferè habet Leo Papa epist. 85. alias 87. ad Episcopos Africæ, & eundem sensum habet canon 13. Concilij Sardicensis. quæ omnia cum aliis refert Gratianus d. 61. 76. & 76. Iuo Carnoten. in suo decreto p. 6. c. 29. & sequentibus.

Pro altera arguitur primo auctoritate.

II. *Arguitur 2. ratione quia si ostensum.*

Præterea, esto expediat diuturna probatio, non caret incommodis illo temporis indeterminatis; nā inde sequitur, vt hominis arbitrio faciēda sit, quia non potest aliud medium inueniri. Contra hoc autem militat imprimis, quòd in omni humana communitate conuenientius est, vt ea, quę sunt grauiora, & quasi fundamenta talis status, sint certa lege definita, & non sint arbitraria; hæc enim est potissima causa, ob quam necessariæ sunt leges humanæ; sed professio solennis, est vnum ex potissimis fundamentis religionis; ergo tempus eius non debuit arbitrio hominis relinqui, sed per legem statui.

III. *Item ab incommodis.*

Deinde ex hoc arbitrio sequi facilè possunt acceptiones personarum, ex parte Superiorum nimirum, vel propter humanum affectum, admittendo minus dignos, & digniores interdum prætermittendo, aut nimium differendo; vel ex ignorantia facti, quæ sæpe interuenire potest, præsertim in tāta multitudine personarum, & in tanta locorum distantia: vbi necesse est per aliorum relationē, seu informationem, notitiam comparare eorum, qui professione digni sunt. & ita facile est vel ignorantiam, seu etiam inaduertentiam, vel errorem admisceri. Tandem hinc sequi possunt querelæ, & perturbationes eorum quibus professio magis differtur, quàm aliis, vel quàm ipsi cupiant. Est enim humanum quid, hunc gradum appetere, vel quia omnis, qui est in via, naturaliter expetit terminum, vel quia religiosus non videtur irreligiosè facere appetendo maximum vinculum, & obligationem magis indissolubilem cum Deo, vel certè, quia illud est quoddam testimonium publicum probitatis, & sufficientiæ ad omnia munera, seu ministeria suæ religionis. Aliunde verò difficillimum est, vt non contristet nimia dilatio desiderij non completi, præsertim si sub specie iusti, & honesti desiderij concipiatur, & maximè quando aliis nec antiquioribus, nec doctioribus gradus ille confertur. Hęc autem omnia incommoda cessarent, si tempus esset certa lege definitum; tunc enim nemo, quantumuis doctus, vel religiosus, conqueri posset, si toto tempore lege præscripto, differretur eius professio. Et aliunde posset tempus præscribi sufficiens ad diuturnam probationem intentam: quæ enim experientia, vel probatio fieri non potest sufficiēs per decē vel duodecim annos, vel aliud simile tempus,

quod prudenti arbitrio regulariter iudicetur sufficiens? hoc enim satis est ad humanam legem, etiamsi interdum possit in particulari superfluum, vel diminutum inueniri.

IV. *Resolutio capitu.*

Nihilominus dicendum est iustissimis de causis tempus solennis professionis, non esse certa lege, in Societatis instituto definitum: quamuis enim vt definiretur tum in 4. congreg. can. 7. tum in 5. can. 29. propositum fuerit, definiendum tamen non esse, in decreto 13. ipsius 4. congreg. & can. 11. quintæ statutum est, vt hoc probemus, proponenda primùm sunt verba constitutionum, quæ de hoc loquuntur, & quæ certas conditiones ad professionem emittendam requirunt. Primùm ergo *iure ordinario* non admittuntur in Societate ad professionem emittendam, nisi Sacerdotes, vt habetur in examine cap. 1. §. 8. vbi sermo est de professis, quatuor votorum, in quibus circa hoc nulla fit dispensatio: quia si interdum ex causa vrgente necesse sit aliquem ad professionem admittere ante sacerdotium, illi satis erit solennis professio trium votorum, quia ad nullum finem potest esse alia necessaria; & hanc etiam admittit, licèt rarò, Societatis constitutio p. 5. c. 2. §. 3. Quanquam regulariter, etiam illa non sit cõcedenda, nisi Sacerdotibus, vt ex prædicto §. 2. & declaratione eius non obscurè colligitur, & consuetudo satis interpretatur; & ideo dixi, *iure ordinario*, vt vtrãque professionem comprehenderem, & indicarem exceptionem, quæ in professione trium votorum fieri solet, præcipuè ob causam primogenituræ, seu maioratus, iuxta can. 4. quintæ congregationis generalis, qui ita habet: *nemo deinceps iure maioratus gaudens in Hispania, nisi habita facultate R. P. Præpositi Generalis in Societatem recipiatur, & vbi sit iis donis ornatus, vt magnam præbeat spem, se post biennium probationis fore talem, qualem nostræ constitutiones requirunt, vt ad professionem trium votorum admittatur, ad professionem autem intelligatur admittendus, nisi qualitas maioratus eiusmodi fuerit, vt promotio ad sacrum ordinem firmitati illius abdicationis satis sit: tunc enim non professio, sed ordinatio procuranda erit.* Ratio verò huius conditionis presbyteris est, quia Societas est religio presbyterorum, vt suprà lib. 1. c. 5. ostensum est, & quia gradus professorum est supremus in Societate, ad eosque pertinet principale regimen eius, & grauiora ministeria, quæ sacerdotium requirunt.

1 Conditio ad professionem vnde eius dilatio ostenditur.

Ratio huius primæ conditionis.

V. *2. Conditio.*

Hinc consequenter postulatur ad professionem emittendam, ætas ad minimum 25. annorum, p. 1. constit. c. 2. §. 12. vbi 25. annus expletus designatur, dicitur enim debere excedere 25. annũ. Vnde quoad hoc maior ætas ad professionem, quam ad sacerdotium requiritur, cùm ad sacerdotium 25. inchoatus iure ordinario sufficiat, & ita posset regulariter intelligi, quod in eadem p. 1. constit. in Declarat. c. 3. lit. K. dicitur, posse Generalem dispensare, vt cum minore ætate professio fiat: maximè enim videtur habere locum hæc dispensatio, quoad complementum 25. annorum; nam si maior futura esset diminutio, oporteret vel simul dispensare in priori cõditione, scilicet, vt sine sacerdotio, fieret professio, vel vti priuilegio recipiendi ordines ante legitimã ætatem.

VI. *3. tenditio.*

Rursus postulatur eruditio, non mediocris in literis, vt infrà in cap. 5. num. 7. attingemus; & in vita & moribus conspicuis magna probatio, vt in eisdẽ locis citatis declaratur, & p. 10. §. 7. ac sæpe alias, & in Bullis Pontificiis hoc sæpe repetitur; præsertim in his, in quibus declaratur, & confirmatur constitutum, vt sunt præcipuè prima Bulla Pauli III. & Iulij III. & duæ constitutiones Gregorij XIII. in quibus consequenter asseritur, regulariter loquendo, necessarium esse diuturnum tempus, quia sufficiens in literis eruditio, non breui tempore comparatur: & rarò comparata supponitur in his qui ad religionem veniant. Solida autem virtus, eiusque probatio, religiosam disciplinam plurium annorum in omnibus, moraliter loquendo requirit. Est ergo simpliciter diuturnum tempus necessarium.

VII. *Dupliciter dilatio.*

Hoc autem tempus dicitur, ad minimum, debere esse vltra biennium, in examine c. 1. §. 12. & cap. 4. §. 16. vbi additur posse hoc tempus prorogari; circa quod tempus aduertendum est, dupliciter posse aliquem in Societate admitti ad solennem professionem: primò mediante gradu scholarium: secundò immediatè post nouitiatum. quamuis enim hoc rarius fiat, quia rarò inueniuntur personæ, quæ immediatè sint capaces illius gradus, vel causæ, quæ ad illum immediatè concedendum obligent; attamen per se non repugnat, nec est alienum ab hoc instituto. Illius ergo temporis determinatio, non erat necessaria, quoad priorem modum, nec quoad illum posita est, quia ad ipsum gradum scholarium necessarium est illud biennij tempus: ergo multo magis ad professionem, quæ post illum danda est. Imò tunc non potest biennium sufficere ad professionem; tum quia tempus aliquod, neque illud quidem exiguum, in literis, & gradu scholarium consumendum est; tum etiam, quia ibidem additur, in scholaribus necessarium esse tertium probationis annum, priusquam ad professionem admittantur. Posita ergo est illa determinatio pro his, qui immediatè ad professionem solennem sunt admittendi, estque determinatio (vt sic dicam) quoad minimũ, non quoad maximum, quia scilicet infra biennium danda non est professio; non tamen necesse est, vt completo biennio statim detur, sed tempus illud prorogari potest, vt in eodem p. 12. dicitur. & quoad hoc extremum nulla est determinatio in tali tempore.

Prima pars dubitationis.

VIII. *Dubitatur vtrum personæ non nota, & non maiorum, sed talenti, ac vtutum satisfactior ẽ in ea præbeat, ad professionem admittendæ sint.*

Vtrumque verò habet nonnullam difficultatem in constitutionibus ipsis. Nam inprimis p. 5. c. 2. §. 3. ad professionem solennem trium votorum, requiruntur ad minimum, septem anni religionis Societatis, *in quibus persona nota fiat, & non maiorum, sed talenti, ac vtutum satisfactior ẽ in ea præbeat*; ergo multo magis requiritur idem septennium ad professionem quatuor votorum: ergo non rectè assignatur biennium pro minimo tempore: Aliunde autẽ videtur nec biennium esse minimum; nam illud diminui potest, vt dicitur in declaratione cap. 1. p. constit. lit. C. Denique, ex alio capite videtur in eo casu, in quo hic terminus pro minimo assignatur, debere esse maximum; quia quando persona talis est, vt immediatè post nouitiatum possit esse digna professionis quatuor votorum, iam non est capax status scholarium, supponitur enim in literis satis instructa: nec debet vltra biennium in nouitiatu detineri: ergo debet statim post biennium ad professionem admitti.

IX. *Prima pars dubitationis expedienda est, ex distinctione data in num. 7. de transitu à nouitiatu ad professionem, mediato, vel immediato. Videtur enim mihi in illo loco 5. p. Constit. supponi, neminẽ, secundum ordinariam legem, admittendum esse ad professionem trium votorum immediatè post nouitiatum, sed post diuturnam probationem in gradu scholarium; & ita facile conciliatur ille locus cum alio, qui ad minimum requirit tantùm biennium: nam in vno est sermo, de transitu mediato, in alio verò de immediato, & consequenter, in vno est sermo expressus de professione trium votorum, in alio verò, licèt non exprimatur, tamen vnum locum per alium declarãdo, sermo est de professione quatuor votorum.*

Eius confirmatur.

Prima pars dubitationis.

X. *Quo professo quando aliquis ob personæ conditionem, & pecuniaria dona admittẽdus est post nouitiatum immediate*

Et ratio differentiæ reddi potest sufficiens: nam

post biennii, non vero trium.

diatè ad professionem, talis esse debet, vt ad professionem quatuor votorum digne possit admitti: & ideo licèt professio, quatuor votorum dignior sit, nihilominus facilius fit trãsitus ad illam immediatè post nouitiatum, quàm ad professionem triũ votorum. Hac ergo ratione designatur septenniũ, vt minimum tempus necessarium ad professionem trium votorum, quia supponitur nunquam fieri immediatè post nouitiatum. Dixi autem, *secundum ordinariam legem*, quia ob accidentariam causam extrinsecam, qualis est, (vt suprà numero 4. dicebam) successio in maioratu, contingit interdum aliquẽ immediatè post nouitiatum, admitti ad professionem trium votorum, & tunc clarum est, non esse expectandum septennium, quia hoc repugnaret vrgenti necessitati, propter quam maturatur illa professio.

XI. *Expeditur 2 pars.*

Ad secundam partem dubitationis respondetur facilè, biennium assignari, vt minimum tempus necessarium ad professionem, ex vi regulæ, cui non repugnat, quod per dispensationem Præpositi Generalis possit tempus illud coarctari, & hoc est, quod in prædicta declaratione dicitur. Est autem animaduersione dignum, quod lib. 2. cap. 4. numer. 9. attigimus, in Congregatione S. generali, canon 10. statutum esse, vt nullo casu exercere liceat facultatem dispensandi in contrahendo biennij spatio quoad effectum admittendi aliquem ad statum religiosum per vota simplicia scholarum: vnde videbatur consequenter prohibita dispensatio circa idem tempus, in ordine ad professionem solennem. Quod tamen non ita est: nam potiùs in eodem can. 10. aduertitur, per illum non derogari Superiori declarationi constitutionum, quia satis est, vt illa facultas dispensandi in biennio in ordine ad professionem exerceri possit. Itaque iudicauit Congregatio posse minus expedire contrahi biennij tempus ad vota scholarium, quàm ad professionem solennem: quod sanè difficilè apparet, cùm professio sit vinculum indissolubilius, & proximè ordinatum ad altiorem finem, & ideo ex se maiorem probationem requirat. Nihilominus non fine rationabili causa id iudicatum, & sancitum est; quia regulariter, ac ferè semper fiunt vota scholarium immediatè post nouitiatum; & illud biennium per se, ac primariò postulatum est propter scholares; id est, propter iuuenilem ætatẽ, in qua recipiuntur, & propter munus, ad quod proximè admittuntur, & ideo fuit expediens in huiusmodi personis omnino claudi ianuam dispensationis incorporandi illos, eo modo, quo incorporari possunt ante biennium probationis expletum, tum ne sumeretur occasio sæpius dispensandi in re, quæ ordinariè fieri debet, tum quia respectu talium personarum, talisque status, vix potest cogitari causa, quæ ad hoc cogat. At verò admissio ad promissionem immediatè post biennium, rarissimè fit, ac fieri potest: & tunc necesse est, vt vel causa extrinseca cogat, propter absolutam vinculi indissolubilitatem, (quæ causa vix potest vnquam ad biennium minuendum obligare) vel vt persona adeò sit matura, & digna, vt ad omnem satisfactionem breuius tempus sufficere possit, & ideo pro hoc raro casu, & oportuit dispensationem prohiberi, ne fortasse, etiam hac occasione, ingressus in Societatem, huiusmodi personis grauioribus difficilior reddi videretur.

Ratio canonis 10. in 5. congreg. editi.

XII. *Annus nouitiatus etiã in Societate seruandus.*

Quamuis autem biennij tempus per hanc facultatem minui possit, non tamen integer probationis annus, qui non ex speciali iure religionis, sed communi Concilij Tridentini necessarius est, etiam in Societate ad valorem professionis: & ideo non potest in eo religio ipsa dispensare, vt suprà lib. 2. c. 4. num. 7. tetigi, tractando de nouitiatu. Vbi etiam à numer. 9. tetigi quæstionem, an professio facta in Societate post annum probationis, & ante expletum biennium, sine legitima dispensatione, valida sit, esto malè fiat. In qua censeo validam esse: quia constitutiones Societatis, quæ ad hanc professionem requirunt tempus vltra biennium, nunquam declarant hanc esse substantialem conditionem necessariam ad valorem actus, vt ibi latiùs expendi.

XIII. *Expeditur 3 pars.*

Ad tertium membrum respondeo, hoc biennij tempus, non esse præfixum ex parte termini magnitudinis, seu ita vt iure ordinario habendum sit tanquam sufficiens, vt si aliqui immediatè admittantur ad professionem, quia licet possint multæ personæ recipi ad nouitiatum, quam non indigeãt disciplina scholarium, quoad doctrinam; frequenter nihilominus contingere potest, vt eædem personæ indigeant maiori tempore ad disciplinam religiosam, & ad maiorem, magisque exactam probationem morum, & talenti in ministeriis exercendis circa proximos. Item indigere possunt maiori instructione in ipso vsu exercitiorum, & actionum Societatis. Ac denique in huiusmodi viris iam consummatis in ætate quoad doctrinam, imò etiam quoad mores, maior probatio sæpe desiderari potest (habet enim in eis specialem difficultatem) vt sese accommodent modo procedendi religionis, præsertim in humili obedientia, & subiectione, & in reponendo proprio iudicio, illud Superiorum, & religionis dictamini confirmando. Propter has ergo, & similes causas, sæpè necessarium est, vt in his etiam personis biennij tempus differatur; & ideo licèt tempus illud præfixum sit vt minimum, non est positum vt maximum. Tunc autem (vt difficultati satisfaciamus) admitti possunt tales personæ post biennium, ad gradum scholarium: quia hic gradus, licèt præcipuè videatur institutus propter literas addiscendas, & ideo inde nomen acceperit, non tamen propter solas illas, sed etiam propter alios fines proximè insinuatos, scilicet propter maiorem disciplinam religiosam, magisque probatam multisque experimẽtis radicatam, & cognitam, & propter aliquem etiam vsum ministeriorum, & probationem talenti respectu illorum, vt intelligi potest ex 4. p. constit. cap. 8.

XIV. *Ostenditur iam ex institutoSocietatis resolutio data in n. 4.*

Igitur de hoc tempore præter biennium, vt minimum necessarium, nihil in regula Societatis definitum est, sed tantum indefinite declaratum, oportere admittendos ad professionem esse *in vita & moribus diu probatos*, in exam cap. 1. §. 8. & p. 5 cap. 2. §. 3. ac sæpe aliàs. Quæ institutio ita approbatur in Bulla prima Iulij III. vbi ex parte S. Ignatij, & sociorum hæc verba proponuntur. *Opportunum iudicauimus, etiam statuere, ne quis ad professionem in hac Societate admittendam, nisi diuturnis, & diligentissimis probationibus, prout in constitutionibus declaratur, eius vita & doctrina exploratafuerit, recipiatur; quia reuera hoc institutum omnino humiles, & prudentes in Christo, & in Christianæ vitæ puritate, ac literis conspicuos exigit.* Quæ institutio statim à Pontifice confirmatur. Similiter in Bulla 1. Pauli III. de scholaribus solùm dicitur: *Post cognitum inspiritu, & literis eorum profectum, & post satis ienem probationem in Societatem nostram admitti possint.* & eodem modo approbarunt hanc institutionem reliqui Pontifices, nullo certo assignato termino, quo finito necessario fieri debeat. Imò etiam Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 16. de regularibus, hoc ipsum confirmauit illis verbis, quæ sæpe citauimus. *Per hac tamen sancta synodus nihil intendit innouare, aut prohibere, quin religiosi clericorum Societatis IESV iuxta pium eorum institutum à sancta sede Apostolica approbatum, Domino, & eius Ecclesiæ inseruire possint.*

Hæc

Hæc enim verba specialiter dicta sunt à Concilio propter professionis dilationē, vt ex contextu constat. Nam proximè ante præceperat, vt in aliis religionibus, peracto probationis tempore, personæ ad professionem admittantur: & ab hac regula excipit Societatem, cuius institutum nullum alium terminum ponit, nisi *cum Societati, vel eius præpositio Generali placuerit in Domino satisfactum* 5. p. constit. c. 3. Hunc ergo terminum, tam Pontifices, quàm Concilium approbarunt.

XV. *Accedit 1. ratio seu dilemma.*

Rationes etiam ad idem confirmandum multæ afferri possunt. Prima est, quia considerato institutо Societatis, & varietate personarum, quę in ea recipi possunt, nullus talis terminus commode assignari poterat. Aut enim talis terminus fuisset breuis, v.g. septem, aut nouem annorum: aut prolixior viginti annorum, v.g. aut amplius. Primum nō fuisset regulariter expediens, quia ostensum est institutum hoc postulare diuturnas, ac multiplices probationes: vnde ad minimum ordinariè requirit post biennium nouitiatus totum studiorum tēpus, quod solet esse nouem, aut decem, vel plurium annorum. Post nouitiatum enim duo, vel tres anni in literis humanioribus, & perfectione linguarum consumi solent, quibus adduntur tres, vel quatuor (iuxta regionum consuetudinem) pro Philosophiæ cursu. Sequuntur deinde quatuor anni scholasticæ Theologiæ; & interdum solet prouectioribus vnus, vel duo anni concedi ad recognoscenda, quæ audierunt, & ad aliquam lectionem Patrum comparandam, & simul in publicis actibus, & disputationibus specimen aliquod comparatæ doctrinæ tribuendum, contingit item frequenter vt hic studiorum cursus docendis externis inferiores disciplinas interrumpatur, id enim ad sustinenda onera religionis, & publicis muneribus satisfaciendum, sæpe necessarium est. Atque ita fit non raro, vt in huiusmodi studiis, quindecim, vel plures anni consumantur, post quos sequi debet tertius probationis annus, de quo statim dicemus in cap. sequenti. Cùm ergo leges morales ferri debeant iuxta ea, quæ frequentius accidant, & respicere debeant totum corpus Societatis, & non vnius, vel alterius prouinciæ commodum, vel consuetudinem, non poterat terminus professionis; si designandus fuisset longè ante vigesimum annum præscribi. Tam prolixum autem terminum præfigere his temporibus, & in hac religione, non erat expediens. Quamuis enim nonnulli ex antiquis monachis, etiam vsque ad XXX. annum renunciantes probare solerent, vt legimus apud Ioannem Climacum in 4. gradu de obedientia, parum à principio: hi tamen præsentis temporis mores non ferunt; præsertim si pro termino præfixo, ac necessario, tantum tempus assignetur. Item quia in tanta varietate personarum, quæ in Societate recipiuntur, diuersarum ætatum, ac conditionum, tanta dilatio sæpe esset incongrua, & ipsis personis onerosa, sine legitima causa, & religioni inutilis, vel etiam nociua. Non ergo potuit talis terminus conuenienter limitari, sed prudenti arbitrio debuit relinqui.

XVI.

Vnde addi potest secunda ratio, quæ magis explicat præcedentem; nam vel hic terminus futurus erat ita certus, vt nec contrahi posset, nec prorogari, nec etiam regulariter dispensari, nisi ex grauissima, & extraordinaria causa; & hoc modo propositus fuisset sine dubio incommodissimus, vt ratio facta declarat, vel ita esset designandus, vt tamen facile posset Societas, vel eius Præpositus Generalis in eo dispensare, coarctando illum, vel etiam prorogare. Hoc autem modo non vitarentur incommoda, quæ in principio num. 3. proponebantur, sed potiùs augerentur: quia eo ipso, quòd tempus illud pro quibusdam ex dispensatione minueretur, aliorum querelæ timeri possent, de acceptione personarum superiorem ipsum arguendo, & sic de aliis. In prorogatione autem, si aliquando esset necessaria, fuisset maior nota, seu infamia; ergo pensatis omnibus conuenientius fuit in hac parte nullam statuere legem præter prudens ac iustum iudicium Prælati.

Tertia & fundamentalis ratio est; quia causæ omnes quæ mouerunt Societatem ad expectandam diuturnam probationem, consequenter impulerūt ad expectandum satisfactionem ipsius Societatis ex tali probatione resultantem; nam ad hunc finem ordinatur probatio, quę inutilis esset, si illo fine nōdum consequuto, professio nihilominus danda esset. Hæc autem satisfactio non potest esse certa in quolibet certo, ac determinato tempore, quia non consistit in sola temporis perseuerantia, sed in vita & moribus, & affectuum moderatione, quæ ab aliquibus breui tempore, ab aliis verò (quod frequentius accidit) per diuturnum etiam tempus nō comparatur: ergo spectato fine probationis diuturnæ, non fuit expediens aliter illi terminum professionis assignari. XVII. 3. Ratio.

Accedunt præterea alia commoda ex huiusmodi incertitudine, seu indeterminatione prouenientia: si enim tempus ad professionem esset certum, ac determinatum per legem, posset humana fragilitas inde occasionem sumere ad remissius, vel negligentiùs agendum, tam in virtutis, quàm in literarum profectu, & in applicatione etiam administeria Societatis, & sustinendos labores professorum proprios: quæ occasio tollitur ex temporis incertitudine: imò cùm omnes intelligant professionis meritum non esse positum in temporis antiquitate, sed in illis donis, & conditionibus, quæ ad eum gradum in Societate postulantur, de quibus illi priùs satisfacere necesse est; inde fit, moraliter, ac regulariter loquendo, vt excitentur ad maiorem curam, tam in obseruatione instituti, quàm in studiis & aliis Societatis exercitiis ac ministeriis: Denique cùm hæ vtilitates ex hac institutione sperari possint, nullumque verum incommodum ex illa possit timeri; & aliæ rationes, & causæ pro materia morali, sint etiam vrgentes, nulla relinquitur in hoc negotio dubitandi ratio. Solùm superest vt probemus, hinc non sequi incommodum: hoc autem partim probatum est, in superioribus lib. 3. cap. 2. cùm ostendimus scholaribus Societatis nec iniuriam, nec, per se loquendo, aliquod incommodum fieri, eo quòd non statim ad solennem professionem admittantur: Quæ similiter probant idem de quocunque tempore, in quo ex rationabili causa in eo statu detinentur: magis verè constabit ex responsionibus ad argumenta. XVIII. *Accedunt terminus, & tempus.*

Ad primam ergo dubitandi rationem, parum profectò referret, rem hanc esse nouam, si ad conuenientem gubernationem nouæ religionis proprio, & peculiari modo ad specialem finem instituta sit conueniens, & Apostolica approbatione digna. Addo verò non esse nouam, præsertim quoad spiritum, & finem per eam intentum; videlicet, vt grauissima ministeria Ecclesiastica & animarum solicitudo non committatur, nisi personis valde dignis, de quibus sperari possit, quòd cum earum securitate, & aliarum fructu, & religionis integritate, ac decentia illa valeant exercere. Et in primis iam suprà n. 15. ex Climaco ostendimus, quam diuturna fuerit olim probatio aliquorum monachorum, quæ si definitè erat XXX. annorum, vt ibidem dicitur, profectò durior erat illa temporis determinatio, quàm hæc nostra indefinita probatio. Si verò numerus ille per exaggerationem positus XIX. *Ad 1. arg. in num. 1.* *Dilatio proposita, sæpe non esset conueniens.*

positus est, positus profectò est pro diuturna probatione. Et ita Cassianus lib. 4. de Institutis rennunc. cap. 3. 7. & 8. indicat probationem iuniorum ad monachatum per multa experimenta solitam fieri fuisse, nulla temporis determinatione adhibita. Præterea cùm olim monachi generatim non essent clerici, & ad eum statum assumi possent, nullum ad hoc tempus determinabatur, sed merita attendebantur. Et ideo dixit Hieronymus in epist. 4. ad Rusticum; *Sic viue in monasterio vt clericus esse merearis.* Et Gelasius Papa in cap. *Si quis monachus*, 16. quæst. 1. duas conditiones ad illum ascensum requirit; vnam *quod monachus venerabilis vitæ merito sacerdotio dignus videatur*: alteram, *vt Abbas, sub cuius imperio Regi Christo militat, illum fieri presbyterum petierit.* Cùm ergo Societas sit religio sacerdotum, & non quorumcunque, sed quibus animarum ministeria committuntur, quid mirum est, quòd regula professionis eius non sit certum tempus, sed certum meritum; vnde tam ad sacerdotium quàm ad professionem, tempus est in Societate indefinitum, & iudicio superioris determinandum (licèt enim ad sacerdotium solùm 4. annus Theologiæ nunc expectetur ordinariè; attamen is ipse incertus est, ob interruptum sæpius studiorum cursum, vt n. 15. dicebamus) & nihilominus longius tempus ad professionem requiritur, quàm ad simplex sacerdotium: nam professio sacerdotium supponit, vt dictum est nu. 4. & addit maiorem obligationem, & requirit maiorem capacitatem ad omnia munia Societatis, & principale regimen eius, quod iuxta constitutiones p. 4. c. 10. & part. 10. §. 4. & alibi professis committi debet.

XX. *Decreta in eodem 1. arg. citata expenduntur pro nobis 1.*

Vnde etiam ad hoc expendo in ipsismet decretis in argumento citatis, licet designentur certa tempora ad ordines singulos suscipiendos, ad Episcopatum certè non definiri tempus: nam Siricius nihil de hoc dixit, sed solùm *si eum cleri, ac plebs, vocauerit electio.* Zosimus verò dixit, *si eum ex actio ad bonos mores, vita perduxerit.* Sacerdotium enim non tam necessarium habet annexum munus pastoris sicut Episcopatus, & ideo licet vitam innocentem requirat, multo magis perfecta virtus in Episcopo postulatur; qui propterea in statu perfectiorum esse dicitur. Et ideo eius assumptio non tempore, sed merito mensuranda venit. Professi autem Societatis, licet non attingant illum gradum, tamen eum participant quantum ad prædicationem Euangelij, & salutem animarum procurandam: & ideo mirum nō est, quòd in eis etiam doctrina potius, & vita, quàm certa temporis prouectio requiratur.

XXI. *Expenditur 2. & retorquentur.*

Vltimò est valde considerandum in illis decretis non assignari illa tempora pro terminis magnitudinis, sed paruitatis, statuunt enim, vt nemo assumatur ad clerum; aut hunc, vel illum ordinem, nisi post tantum, vel tantum tempus; non tamen statuunt, vt transacto illo tempore statim assumantur; sed hoc semper relinquitur arbitrio Episcoporum, sub ea conditione, quam non omittunt dicti Pontifices; *si per hæc tempora dignus iudicatus fuerit.* Vnde Leo Papa epist. 85. alias 87. cap. 1. & habetur cap. *miramur*, 61. d. tractans verba Pauli; *Manus cito nemini imposueris*: interrogat, *Quid est cito manus imponere, nisi ante maturitatem ætatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalem honorem tribuere non probatis?* Et Gregorius lib. 4. epist. 44. agens de monacho assumendo ad quodlibet Ecclesiasticum officium, præter tempora à sacris canonibus præfixa, requirit *vt in monachali habitu secundum Patrum regulas, irreprehensibiliter conuersatus fuerit.* Neque in hoc aliam temporis limitationem præfigit: ergo sic ponderata illa decreta, potius possent retorqueri contra B. Ignatium, eo quòd breuissimum biennij tempus, pro termino paruitatis ad professionem posuerit, sed huius rei ratio facile ex dictis in n. 7. intelligitur, nam illud biennium ad minimum postulatur, vltra maturam ætatem, & vltra sacerdotium, & vltra sufficientem eruditionem, & alia dona: ita vt quando biennium solum fuerit, magis sit ad personam, & omnia dona eius religioni accommodanda quàm hæc de nouo acquirenda.

Ad rationes respondetur. Ad primam dicimus verum esse assumptum, nimirum per leges determinari oportere ea, quæ sunt in vnaquaque communitate grauiora: id est, vt leges præscribant modum, & formam in huiusmodi rebus seruandam. Et ita in præsenti sufficienter factum est in Societate. Non enim oportet, vt determinatio legis semper fit quoad omnes circunstantias loci, & temporis: sed pro qualitate negotiorum, ac rerum, nam quæ talia sunt, vt vel frequentem mutationem patiantur, vel ex variis circumstantiis pendeant, non possunt semper, quoad has circumstantias per legem determinari, sed committenda necessariò sunt animatæ legi: qualis est supremus gubernator. Ita ergo in præsenti factum est, nam modus professionis, & conditiones ad illam requisitæ: & aliquod tempus, quod regulariter potest quoad minimum, esse necessarium, per leges Societatis determinata sunt: at verò circunstantia temporis quoad maximum terminum omnino præhxum, quia pendet ex variis circumstantiis, nec debuit, nec commode potuit determinari. XXII. *Ad 2. arg. in n. 2.*

Ad aliud verò ex incommodis desumptum, in primis tam ostensum est, ea, si quæ sunt, non euitari posita lege determinante tempus maximum, nisi talis esset lex, quæ multa maiora haberet incommoda, & nullam haberet dispensationem. Neque in rebus humanis petendum est vt nulla habeant incommoda, sed vt vel hæc minora sint, vel vt propter maiora, & certiora commoda tolerentur. Deinde dicitur, si homines sint veri, ac solidi religiosi, non multum esse, quòd illa incommoda timeantur: quia non appetent professionem tanquam honoris titulum, vel habilitatem ad altiora munera intra, vel extra suam religionem, id enim ambitiosum esset, propter maius autem cum Deo vinculum, non est quod sint soliciti, cùm iam sint veri religiosi, eiusque cultui omnino traditi, vt lib. 3. cap. 3. tractatum est: & alias ex parte sua parati sunt ad illud vinculum magis constringendum, quoties iussi fuerint, vt etiam lib. 4. cap. 17. vidimus. Quod autem spectat ad differentiam personarum, vnusquisque ex parte sua, si verè religiosus sit, debet se ad illum gradum cæteris indigniorem reputare: Societas verò ex sua parte curare debet, vt omnis æquitas, ac debita distributio in hoc negotio seruetur: quod sane ita fieri credendum est: tum quia per eos fit, quibus totius religionis gubernatio committitur, tum etiam, quia non fit sine diligenti examine & multorum consilio, qui & viri prudentes sunt, & religiosi, & timorati, vt in instructione promouendorum ad gradum latè præscribitur. Quòd si interdum vel per errorem, vel per humanum affectum inæqualitas aliqua fieri contingat, illud priuatum est incommodum, quod vix vnquam acciderit, atque non tanti momenti est, vt propter illud publica vtilitas, quæ ex prædicta institutione prouenit, prætermittenda sit. XXIII. *Ad 3. duplex ex incom. modis in n. 3.*

CAPVT

CAPVT II.

Quare tione ab scholasticis Societatis tertius probationis annus ante professionem exigatur.

I. *Ratio dubitandi.*

RAtio dubitandi esse potest, quoniam, qui semel sufficienter probatus est, & approbatus, non debet iterum in examen vocari: capit. *luet*, de off. legati: sed scholares Societatis iam per biennium integrum fuerunt probati, & tandem approbati: ergo non debent iterum cogi ad integrum probationis annum transigendum. Quòd si dicas respectu altioris gradus, posse nouam exigi probationem; contra hoc est, quia etiam hoc dato videtur sufficiens probatio, quæ fit per discursum plurium annorum, viuendo in Societate post vota scholarium emissa: finis enim probationis solùm est, vt & religiosus sufficienter cognoscatur à religione, & ipsam experiatur, in tot autem annorum discursu, cum tanta vitæ familiaritate & communitate, satis profectò potest talis persona cognosci à religione, tam in moribus, quàm in omnibus natura dotibus, aut defectibus: & ipse similiter poterit sufficienter experiri religionem, ergo cessat adæquata causa probationis: ergo non est imponendum tantum onus, sine causa. Eo vel maximè, quòd ex parte religiosi, non habet locum talis probatio, iam enim se priuauit libertate relinquendi hanc religionem, & ad ingressum eius per professionem, si præcipiatur, se obligauit, & ideo quantumcunque asperitatem, vel rigorem postea experiatur, non potest voluntate sua retrocedere, qui solet esse proprius finis probationis ex parte religiosi: ergo religiosus scholaris Societatis, iam est incapax probationis ex parte sua: ergo nec religio probare illum debet, alioquin non est æqualitas, & est nimia seueritas, præsertim post tam longam experientiam. Tandem si talis probatio adhibetur, concedatur saltem professio proximè post illam: nam qui sentit onus probationis, debet etiam sentire commodum approbationis, si in probatione recte se gesit: at hoc non fit in Societate, sed dicta probatio iuxta constitutiones statim post studia fit, professio verò postea per plures annos differtur: ergo superflua est talis probatio: aut alia profectò adhibenda esset, quæ proximè professionem antecederet: nam tunc debet vltimum iudicium de persona fieri: quòd si tunc necessaria non est, profectò neque antea fuerat.

II. *Quid habeat institutum Societatis circa hunc 3. annum.*

Proponamus inprimis, quid circa hoc habeat institutum Societatis, eiusque in hac parte confirmationem: & inde facile constabit vera ratio huius institutionis, & difficultates soluentur. Igitur in examine cap. 1. §. 12. solùm dicitur, *vt admittantur scholastici ad gradum professorum, vel coadiutorum formatorum, vnum adhuc annum, post absoluta sua studia expectabunt.* In cap. autem 4. §. 16. declaratur illum annum exigi, vt in variis probationibus ad maiorem Dei gloriam exerceantur. In 5. verò part. constitut. cap. 1. vocatur simpliciter hic *annus probationis*, & postulatur integer *vt adhuc perspectus sit antequam quis professionem emittat.* & in omnibus his locis dicitur, posse hoc tempus prorogari si superiori visum fuerit. De potestate autem coarctandi hoc tempus, vel omittendi hanc tertiam probationem, nihil dicitur, quamuis neque negetur. Atque hanc institutionem specialiter approbauit Gregorius XIII. in Bulla, *Ascendente Domino*, in qua sic dicitur: *scholares studiis in Societate absolutis, antequam professi vel coadiutores spirituales formati fiant, non solum tertium adhuc probationis vberioris annum in deuotionis & humilitatis exercitijs impendunt, vbi si quæ fortasse in re harum virtutum seruor, per literarum occupationem intepuerit, per earundem virtutum frequentiorem exercitationem, ardentiorem quasi diuini amoris vocationem recalescant, sed etiam*, &c. Et postea subiungitur, totius instituti, & specialiter eorum, quæ narrata fuerant, confirmatio.

III. *Concil. in dicta.*

Ex quibus intelligere licet, hunc annum tertium probationis, non postulari tanquam de substantia, vel tanquam omnino necessarium ad valorem professionis; tum quia nec in constitutionibus, nec in prædicta Bulla ponitur aliquod verbum, quod tantam necessitatem indicet: tum etiam, quia cap. præcedent. numer. 12. dictum est, neque integrum biennium esse de substantia professionis, sed solùm integrum annum ex vi Concilij Trident. requisitum. Reliqua ergo, quæ ex peculiari instituto Societatis adduntur, ad necessitatem regulæ pertinent, & vt res debito modo fiat, non tamen, vt facta teneat. Vnde certum est posse Præpositũ Generalem, in hoc anno dispensare, & iustis de causis aliquando id facere, quamuis constitutiones sua taciturnitate circa talem dispensationem satis indicant non debere facile concedi. Vnde etiam intelligi potest, quòd licèt hic annus in rigore iuris debeat esse continuus, iuxta superiùs dicta lib. 2. cap. 4. numer. 11. de communi anno nouitiatus, & ideo frequenter, ac regulariter ita seruari debeat; nihilominus in hoc facilior possit esse dispensatio; eo quòd hæc probatio substantialis non est, & vtilitas eius potest vtroque modo comparari. Denique ex verbis præsertim dictæ constitutionis, intelligi potest tertiam hanc probationem præcipuè consistere in vacatione ab studiis, & actionibus ergà proximos, vt Deo ac propriæ perfectioni intentius eo tempore vacetur. Duo enim in prædicta constitutione Gregorij XIII. dicuntur. Vnum est, vt tertium probationis annum in exercitijs deuotionis, & humilitatis consumant, qui ad professionem sunt admittendi. Aliud est, vt in Societatis ministeriis tandiu probentur, quamdiu Præposito Generali, ad sitam & Societatis integram satisfactionem videbitur. Supponitur ergo in tertio probationis anno per se loquendo ab his ministeriis vacandum esse, non propter inutile otium, sed propter otium sanctum, *quod diligit charitas veritatis*, & propter propriam mortificationem & sanctificationem.

IV. *Quomodo intelligatur annus integer.*

Hinc verò ratio transigendi dictum annum, in variis instructionibus à Præposito Generali emanatis, ad illos, *Deo vacandi, & spirituali profectui* incumbendi, fines accuratè descripta est, tam pro iis, qui ob exiguum numerum in domo eadem nouitiorum probabuntur, quàm pro iis, qui annum peragent in domo separata, amicorum, & consanguineorum consuetudine semota, siue coram, siue etiam per literas: In quam certè domum decem, vt minimum, conuenient sub instructore vno, qui & authoritate per se valeat, & alias etiam gubernarit: is verò illos omnes in spiritu formandos curabit, vniuersamque institutis Societatis rationem explanabit perstatos aliquot cuiusque hebdomadæ dies, ac modos exponet iuuandi proximos salutariter. Inmodos iungere præterea poterit pœnitentias, ac mortificationes, inter ipsos tamen priuatim, quas ad eorum profectum conducere iudicabit, atque à referuatis (si opus erit) absoluet. Quidquid tamen ad externam disciplinam spectat, non nisi consulto Rectore, aut Ministro Collegij imponet, si forrè separata ipsorum habitatio, pars aliqua Collegij fuerit. Quòd si eorum quispiam minus in probando satisfecerit, educendus erit atque in tempus aliud differendus. Anno autem peracto, tam instructor, quàm

quàm Prouincialis de singulis Generalem, rectè ne an secùs illum obiuerint, planè informabunt. Hæc est summa earum obligationum, quæ pro tertio probationis anno professionem in Societate nuncupaturis iniunguntur; & in vltima instructione data annò 1601. latiùs habentur. vide etiam ordinationes contractus authoritate 7. congrega. toto cap. 3.

V. *Ratio ita transigendi in actibus scilicet vita contemplatiua respectu temporis præteriti,*

Quibus omnibus tam in præcedenti, quàm in 3. numero attentè consideratis, mihi colligo, propriam rationem huius institutionis, non tam consistere in formali ratione (vt sic dicã) probationis, quàm in spirituali exercitatione, & veluti dispositione ad professionẽ necessaria. Quam rationem & primariam esse existimo, & per se sufficientem, etiamsi nulla alia interueniret, quanuis altera ratio de experimento, & probatione omittenda non sit. Declaratur hæc ratio. Supponendo quod sæpe diximus, præsertim lib. 1. cap. 6. Societatem esse religionem perfectè mistam, quæ ita intendit actioni circa proximos, vt etiam principaliter vacet contemplationi, quantum necesse est, vt nihil de propria perfectione remittatur, & ministeria erga proximos cum maiori fructu fiant; ob quã rationem: quanuis ordinariè hæc vita Societatis mista sit, nihilominus aliqua tempora specialiter deputata sunt ad exercendã puram vitam contemplatiuam: hoc enim conuenientissimum esse in huiusmodi mista religione D. Thom. apertè docuit 2. 2. q. 188. art. 8. cùm dixit solitudinem non congruere religionibus, quæ sunt ordinatæ ad opera vitæ actiuæ, nisi ad tempus, exemplo Christi, qui, vt dicitur Luc. 6. *Exiit in montem solus orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Inter alia verò, duo præcipuè tempora ad hoc genus vitæ exercendum determinata sunt in Societate, vnum est biennium nouitiat⁹, de quo in superioribus lib. 2. cap. 4. diximus. Aliud est hic tertius annus probationis, qui & oportunissimo tempore collocatus est, & nec debuit, nec potuit ampliùs coarctari, vt effectus, qui in illo desideratur, ordinariè possit comparari. Primum enim tempus nouitiatus maius esse oportet, quia in illo spiritus fundamenta iaciuntur, & incipiunt in rebus diuinis se exercere, qui nullum vsum, & ferè nullam illarum notitiam priùs comparauerant; postea verò promouentur viri iam instructi, & exercitati in rebus spiritualibus: quarum etiam ampliorem cognitionem & faciliorem vsum per doctrinam, & scientiam scripturarum habere possunt. &, ideo vnius anni tempus pro illis sufficiens fuit: illud autem necessarium fuit, quia in nouitiatu, regulariter loquendo, nunquam potest hæc mystica, & spiritualis scientia perfectè addisci, neq; gradus interioris meditationis, orationis, & contemplationis attingi, quantum viris perfectis, vel multum proficientibus necessarium est. Quod autem tunc defuit, rarò potest studiorum tempore comparari, imò timendum potiùs est, ne aliqua ex parte diminuatur, quod acquisitum fuerat, vel saltem intepescat, vt in prædict. constitutione dicitur, quo etiam fiat noxię remissioni seu tepiditati obsistendi, sexta generalis congregatio canon. 11. parentis Ignatij vestigijs inhærens iuniorum fratrum seorsim à reliquis habitandi, & conuersandi morem, iam tunc alicubi introductum, probauit, & in vniuersum deinceps suscipiendum indixit, vt spiritus feruorem in nouitiatu conceptum, sub peculiari spiritualis præfecti cura fratres vi conseruarent, atque in dies augerent, atque etiam Generali Præposito institutionem dicto fini conuenientem, vt ederet, commendauit. Itaque opportunissimè cadit hic, de quo loquimur, tertius probationis annus post studia, vt non solùm reparetur, si quid fuerat diminutum, sed etiam, vt altiori, & perfectiori modo actus vitæ contemplatiuæ exerceantur, vt qui antea sapiebat, cogitabat, orabat, & loquebatur vt paruulus, postquam factus est vir suo modo euacuet, quæ erant paruuli, & incipiat nouo modo adhærere Deo, mundum despicere, & seipsum, ac omnia temporalia contemnere. Vnde etiam fiet, vt si scientia provt solet, aliquid elationis, vel ambitionis induxit, altiori cognitione, & consideratione diuinarum rerum expellamus.

VI. *Deinde respectu temporis futuri, vtrum actio, an contemplatio potior in vita mista.*

Et hæc quidem est talis anni ratio, seu necessitas, comparatione facta ad tempus præteritum; non inuenietur autem minor si oculos ad tempus futuræ vitæ conuertamus. Inquiri enim solet an in hac vita mista, actio debeat præcedere contemplationem, vel contemplatio actionem. Sancti enim Patres interdum docere videntur actionem præmittendam esse. Sic Gregorius 6. Moral. cap. 27. & 28. aliàs 17. & 18. *qui contemplationis* (ait) *arcem tenere desiderant, priùs se in campo operũ per exercitium probent*; & infrà: *vt videlicet mens priùs desudet in opere, & postmodum refici delectet per contemplationẽ.* Et ad hoc accommodat figuram Rachel, & Liæ quarum prior, vitam contemplatiuam, posterior actiuam, figurauit: Et ideo Lia priùs nupta est, sicut priùs etiam nata fuerat: & sic mysticè interpretatur verba illa Genes. 29. *Non est consuetudinis in terra nostra, vt minores prius ad nuptias tradamus, quàm maiores.* Eandem doctrinam habet D. August. 22. contra Faustum, cap. 52. & sequentibus: sed oportet aduertere, ex superiùs tractatis lib. 1. cap. 6. de hac duplici vita, interdum Patres sub actione comprehendere omnem exteriorem operationem, siue ordinetur ad propriorum affectuum mortificationem, siue ad proximorum beneficentiam corporalem aut spiritualem: aliquando verò vitam actiuam in maiori proprietate sumptam, significare institutum vitæ ad actiones erga proximum ordinatum. Et simili modo contemplatio interdum sumitur latè pro quocunque interno exercitio, orationis, meditationis, aut cuiuscunque veritatis diuinæ considerationis: Interdũ verò magis propriè pro perfecta eleuatione mentis in Deũ, per vnionẽ charitatis, & sapientiæ, & internam quandam quietem in Deo.

VII. *Eius decisio ex membris iuncta actione & contemplatione facta,*

Si ergo tam actio, quàm contemplatio in latiori significatione sumantur, vix possumus inter illas ordinem assignare, sed requirunt inter se indiuiduam societatem, & vicissitudinem, vt ab actione ad contemplationem, & è conuerso, frequens transitus fiat; quia neque in hac vita mortali possumus semper Deo, & contemplationi eius iugiter inhærere: neque sine propria mortificatione poterit esse mens disposita, vt eleuetur in Deum, sicut egregiè tractat Moyses Abbas apud Cassianum Collat. 1. à cap. 8. vsque ad 13. statim ergo à principio necesse est vtriusque vitæ iacere fundamenta. Quod si velimus vsque ad prima initia descendere, planè videntur sumenda à vita contemplatiua: quia omnis sancta cogitatio ad illam spectat: totius autem salutis initium à sancta cogitatione sumitur, vt est communis Augustini doctrina lib. 2. contra duas epistolas Pelagian. cap. 8. & de Bono perseuerantiæ cap. 8. de Gratia & libero arbit. cap. 7. lib. 2. de Peccat. merit. & remission. cap. 17. & nos latè discussimus lib. 1. de gratia, per varia capita. Sic ergo initium, vel fundamentum cuiuscunque honestæ vitæ, vel reformationis ei⁹ ab interna cogitatione, & consideratione sumenda est. Hac ergo ratione dicimus, vitam etiam hanc mistam per actus vitæ contemplatiuæ esse inchoandam, ita tamen vt illis statim adiungantur actiones illæ præcipuæ, quæ ad affectuum moderationem, & purgationem cordis ordinantur, per quas homo redditur habilior ad actus perfectionis contemplatiuæ vitæ: per quos rursus vires assumit ad actiones virtutũ perfectius exer-

exercendas, & ita paulatim proficit in vtroque genere vitæ. In hoc autem progressu indifferenter admiscentur actiones erga proximum, præsertim illę, quæ propriam mortificationem & humilitatem habent adiunctam, & magnam perfectionem contemplationis non requirunt.

VIII. *Altera decisio etiam bimembris sumpta con templatione perfecta.*

At verò si loquamur de cõtemplatione perfecta, & illam comparemus ad actionem, quæ ad moderationem propriorum affectuum ordinatur, sic debet actio sine dubio præcedere cõtemplationem: quia comparantur, sicut motus, & terminus, seu Quies, vel tanquam dispositio, & forma. Nam in hac etiam vita vera est illa Christi sententia, *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt*; vtique per contemplationem, quam mihi cor mundum obtinere non potest; vt Augustinus exposuit. Ergo actio necessaria, ad mundandum cor omnino antecedere debet; & hoc sensu locuti sunt Augustinus, & Gregorius locis citatis, quanuis Augustinus aliquid amplius addat, vt statim dicam. Si verò comparemus hanc eandem perfectam contemplationem, ad perfectam actionem, ad illam scilicet, quæ spiritualis est, & circa illuminationem, & sanctificationem animarũ versatur; sic profecto contemplatio huius vitæ antecedere debet actionẽ. Quod planè sentit D. Thom. 2. 2. quæst. 188. art. 6. cùm de hoc genere actiuæ vitæ dicit, *vnum opus vitæ actiuæ est, quod ex plenitudine contemplationis derivatur, sicut doctrina, & prædicatio. Vnde & Gregorius dicit in 5. homil. super Eze. h. quod de perfectis viris post contemplationem suam redeuntibus, dicitur Psalm. 144. Memoriam suauitatis tuæ eructabunt.* Et in hoc ponit D. Thom. perfectionem talis actionis, quia per eam contemplata aliis traduntur. Et fortasse in hoc sensu dixit Augustinus suprà, cùm ad hunc statum peruentum est, non solùm habere in hoc sæculo speciosam intelligentiã, sed etiam laboriosam iustitiam. Quam laboriosam iustitiam inferiùs explicat, dicens, *labor enim iustorum maximum fructum habet in eis, quos regno Dei generat, inter multas tentationes, & tribulationes, prædicando Euangelium*, &c. Atque hunc ordinem exemplo vitæ suæ nos docuit Christus, non solùm quia ab initio suæ conceptionis summam contemplationem per vnionem Dei habuit: sed etiam quia ante prædicationem suam, per quadraginta dies in desertum secessit, vt soli Deo vacaret. Et eundem ordinem voluit ab Apostolis seruari, non solùm quia priusquam eos ad prædicandum viuens mitteret, orare docuit, & cum eis sæpiùs ad orandum recessit, vt ex Matth. 5. & 6. & ex alijs Euangeliorum locis colligere licet; sed etiam, quia discessurus ex hac vita iussit eos sedere in ciuitate, quoad vsque induerentur virtute ex alto, Lucæ 24. Quod ipsi ita intellexerunt, vt ingressi in cœnaculum essent perseuerantes vnanimiter in oratione Actor. 1. Nec breuitas temporis spectanda est, sed exemplum: Ioannes enim Baptista triginta annis priùs in contemplatione se exercuit, & postea ad prædicandum exiuit, sunt enim varia Spiritus Sancti dona, quæ singulis distribuit pro vt vult.

IX. Ratio etiam hoc conuincit, tum quia necesse est, vt prius aliquis in se ardeat, quàm alijs luceat; vt aliàs in Baptista ponderauit Bernardus in sermone festiuitatis eius; quia de illo dixit Christus, *erat lucerna ardens, & lucens*: ardet autem quis per contemplationem, lucet autem per doctrinam; tum etiam, quia valde inordinatum est, vt aliquis doceat, prius quàm discat, vt sæpe iura canonica loquuntur: quæ præcedente cap. retuli. Et egregiè ac modestissimè Nazianzen. orat. 1. *Hæc* (inquit) *cùm nobiscum ipsi non possimus, fort sse consilium, benevolis quidem certè, collocutis, præstabilius esse duximus, cùm quæ dicenda & facienda essent nesciremus, ea addiscere, quàm nescientes docere. Præclarè enim cum eo agitur: cui vel in profundam senectutem cursus venit, eamque vim habens, vt prudentia ad hucinpietate animæ adiumẽto esse possit. Nã certè alios docere aggredi, priusquam ipsi edocti simus, valde stultorum, ac temerariorum hominum esse videtur.* Vnde inferiùs concludit, *quis cùm Domini voluptatem nondum, vt videre dignum est, viderit*, &c. *Ecquis cum nondum & opere, & contemplatione, per omnes Christi appellationes, & virtutes peruenerit*, &c. *Ecquis cùm nondum vacauerit ad Dei scientiam in monasterio absconditam, nec loqui didicerit, sed paruulus sit, & adhuc lacte alatur, adhuc exiguus, qui inter Israelitas non numerantur, nec in Dei castris recensentur, nondum deniq; e tanquam vir Christi ouium feros queat, lato tamen alacrique animo se Christiano cœtui caput constitui patiatur?* Quanuis enim Nazianzenus hæc de munere Episcopali scripserit; tamen per proportionem rectè accommodatur muneri, & actioni professorum Societatis, quatenus quædam participatio illius est, & in illuminando, & docendo alios consistit, & ideo ad illum assumi non debet, nisi qui didicerit per contemplationem, quæ postea docet per actionem. Denique si contemplatio non antecedat, vix aut nullo modo poterit postea tempore ipsius actionis comparari: & ita multo minus poterit ipsam comitari, ac perpetua vicissitudine cum ea miscери; sed relinquet solam Marthan ministrare: quod sine magno illius incommodo non erit, quia subtrahetur ei suauitas, & opprimet eam actionis necessitas, vt aliàs Augustinus dixit sermone 26. de verbis Dom.

X. *Conclusio ratione 3. fundamenti assignata confirmatur.*

Ex hoc ergo discursu concluditur ratio, & ostenditur mirabilis S. Ignatij sapientia in instituendis, & instruendis alumnis suis. Priùs enim voluit vtriusque vitæ actibus in primo nouitiatu sufficienter exerceri tali ordine, vt à fundamentis vitæ contemplatiuæ per exercitia spiritualia initium sumerent, & ex vita actiua, illam partem tunc maximè exercerent, quæ ad propriam mortificationem, & virtutum acquisitionem confert: & ideo diximus in superioribus numer. 5. tempus illud, vel omnino, vel ferè tantum esse vitæ contemplatiuæ: Quod genus vitæ per totum tempus studiorum perseuerat; nam (vt etiam declarauimus) totum negotium disciplinæ, & doctrinæ acquirendæ, ad otium contemplationis magis spectat. Quia verò ille contemplationis modus, non spectat ad perfectum, & summum gradum eius, quanuis ad illum possit disponere, ideo constituit, vt prius quàm huiusmodi scholares ad operandum in vinea domini exirent, ad scholam vitæ contemplatiuæ redirent, vt in ea & consequenter in virtutibus sine quibus illa esse non potest, quoad fieri posset, perficerentur. Ad hunc ergo finem tertiũ probationis annũ designauit, quilicèt pro tanti operis dignitate breuissimũ tempus videatur; pro fragilitate tamen hominum, & breuitate vitæ iudicandum est sufficiens. Non enim hoc tempus eo fine designatur, vt in eo tota huius exercitij perfectio comparanda sit, sed vt maiora quædã, & sufficientia fundamenta iaciantur, & vt in amorem, & studium eius animus incalescat, vt dixit Gregorius XIII. hæc enim destinatio, & hęc intentio maximè necessaria est perfectioni huius vitæ. Deniq; vt si quæ sunt orta impedimenta, quæ ab hoc studio animum auertere possint, eo tempore tollantur. Hæc ergo videtur esse propria ratio & finis per se, ac primariò intentus in designando hoc tertio probationis anno.

XI. *Alia ratio confirmans tertium tempus probationis.*

Hinc verò consequenter fit (quæ est altera principalis ratio huius institutionis) vt hic annus multum deseruiat, & moraliter sit necessarius ad perfectam probationẽ, & experimentum eorum quibus professorum munus, quasi ex officio, & speciali obligatione, in Societate committendũ est. Ad hũc enim

enim finem ordinatur, vt cap. præcedent. diximus) totum illud tempus in quo differtur professio: ergo etiam hic tertius probationis annus ad eundem finem ordinatur, & specialiori quadam ratione, tum propter nonnullam maiorem difficultatem; tum etiam propter maiorem virtutis ostensionem, quæ illo tempore desideratur, præsertim humilitatis, ac deuotionis, vt in dicta constitutione Gregorij XIII. dicitur.

XII. *Ad rationẽ dubitandi in n. 1.*

Neque cõtra hoc obstat ratio dubitandi in principio posita. Respendetur enim approbatum ad vnum munus, seu rem vnius ordinis, probari iterũ posse ad negotium, vel munus altioris ordinis; quia non sufficiunt, vel requiruntur ad omnia munera, eædem qualitates, vt notauit Panormit. in cap. *accepimus*, de ætat. & qualitat. num. 6. Quanuis ergo nouitius, dum admittitur ad priora vota, approbetur in scholarem, probari iterum, atque iterum potest in ordine ad statum, & munus professorum, quod longè grauius est. Deinde etiam in ordine ad eundem terminum potest quis iterum examinari, & probari, quando multum temporis intercessit; & præsertim, si occasio aliqua notabilis mutationis, ac diminutionis timeri probabiliter possit, & de re agitur, in qua nondum est ius acquisitum, vt sentit Panormitanus suprà: quæ omnia in præsenti concurrunt. Nam præterquam, quòd per priora vota scholarium non approbatur quis simpliciter ad professionem, postea intercedit multum temporis, in quo potest timeri feruoris, & deuotionis diminutio, & ideo sic supereſt ratio sufficiens nouæ probationis in ordine ad professionem, cùm in illam, vel ad illam nunquam sit proprium ius acquisitum, nisi ad summum sub tali conditione in constitutionibus expressa.

XIII. *Ad 1. replicam in eodẽ nu. 1.*

Ad replicam autem quod in toto tempore studiorum sit hæc probatio. Respondetur verum quidem id esse, non tamen sufficere tempus illud; tum quia duplex studium ad professionem Societatis supponi debet, literarum scilicet, & spiritus. Hoc autem secundum, nec tempore nouitiatus potuit esse perfectum, nec inter studendum literis potuit consummari; & ideo necessarium fuit proprium adiungere tempus, in quo consummaretur. Tum etiam, quia ipsummet studiorum tempus, vel occasionem præbet nouæ reformationis; propter distractionem, & remissonem animi, circa spiritualia exercitia, quam nimia solicitudo literarum afferre solet, præsertim incipientium, vel occasionem præbeat nouæ probationis, qui per discursum illius temporis solet magis vniuscuiusque natura, & capacitas, vel in ordinata aliqua inclinatio cognoscit, quàm magis probare, vel moderari necesse est.

XIV. *Ad 2. replicam ibidem.*

Ad alteram verò replicam, quæ postulat qua ex parte fiat hæc probatio: Respondetur concedendo eo tempore, si propriè loquamur, probari religiosum à religione, non religionem à religioso, vt ratio ibi facta ostendit, quæ non solùm de hoc tertio anno probationis, sed etiam de toto tempore studiorum verum habet. Ad obiectionem autem de inæqualitate, seu iniustitia, respondetur in superioribus est lib. 3. c. 2. à num. 3. vbi ostendimus, non esse iniustum contractum, in quo scholaris approbatus obligatur absolutè, & ex parte sua perpetuò Societati, & Societas non ita se illi obligat: nam in hoc ipso contractu intrinsecè includitur, vt Societas possit amplius probare religiosum, etiam ad dimittendum illum, si sibi non satisfecerit, quia non dum illum simpliciter, & ad omnia approbauit, & è contrario ibi etiam continetur, vt religiosus iam non possit amplius religionem probare, qui quando priora vota emisit, illam simpliciter approbauit, *vt vitam in ea perpetuò degeret*, & ideo scholaris, qui hac mente in Societate viueret, vel tertium annum probationis ageret, vt religionem ampliùs experiretur, & si duriorem inueniret, relinqueret, non esse tuta conscientia, quia iam non habet ius probandi, sed obligationem obediendi, & se disponendi, vt quantum in ipso est, in Societate retineatur, vel etiam intimiùs admittatur.

Tertius annus fit vt religio probet, non verò vt probetur.

Denique ad vltimam tacitè respondetur in dict. constit. Gregorij XIII. dum dicitur scholares finitis studijs in Societate, non solùm in tertio probationis anno, *sed etiam in verbi Dei, sacrarum & scholasticarum lectionum, pœnitentiaque & Eucharistiæ Sacramentorum ministerio Societati tandiu probantur, quandiu Præposito Generali videtur.* Itaque finis studijs non præscribitur tertius annus probationis, eo quòd ille sufficiens reputandus sit, ex vi regulæ, vt statim illo finito, professio concedatur. Nam qua ratione cap. præced. ostensum est, non esse tempus definitum ad professionem faciendam, eâdẽ non est in hoc sensu ille annus præscriptus, sed vel positus est tantùm pro termino paruitatis, ita vt ad minimũ hic annus requiratur, quia per se ac moraliter necessarius, non tantùm ad experimentum personæ, sed magis ad præparationem, seu dispositionem conuenientem tali statui, vel certè per determinationem huius anni indicatum est, ex toto illo tempore, quod inter finem studiorum & professionem intercedere potest, vnum saltem annum concedendum esse, vt in eo propriæ perfectioni, & vitæ (vt dicebam) ferè omnino contemplatiuæ vacetur sub speciali cura, & spirituali disciplina religionis, vt num. 4. retulimus, & hic vocatur quasi per antonomasiam *tertius annus probationis*, quamuis suo modo, totum reliquum tempus vsque ad professionem probationis etiam sit.

XV. *Ad 3. replicam ibidem.*

CAPVT III.

Vtrùm specialis forma profitendi in Societate specialem obligationem inducat circa eruditionem puerorum.

I. *Suppositio pro resolutione huius capitis.*

SEquitur agendum de secunda parte huius libri, quam ipsius initio proposuimus. Ac pro hoc capite suppono imprimis fieri in Societate veram professionem per vota solennia, quod ex constitutionibus, & Bullis Pontificijs, & ex vsu manifestum est; & ex dicendis constabit. Nec desunt, qui existiment fuisse hoc simpliciter necessarium, vt tota hæc congregatio sit absolutè, & simpliciter vera religio, vt etiam refert Henriquez lib. 12. cap. 5. num. 4. lit. T. in commento. Sed hoc in rigore non est verum, vt iam lib. 3. cap. 3. à numero 6. vidimus; tum quia, sicut potest esse verus, & proprius religiosus simpliciter sine votis solennibus, ita potest esse corpus mysticum veræ religionis constans ex solis huiusmodi personis religiosis. Quia religio, vt dicitur, de toto corpore, solùm significat corpus constans ex personis verè religiosis vt sic; tum quia satis probabile est, antiquiores fuisse veras religiones, quàm vota solennia, vt tomo præced. ostẽsum est; fuit ergo hoc conuenientissimum, secundùm præsentem Ecclesiæ institutionem ad maiorem perfectionem, decorem, & ignitatem huius corporis.

II. *Suppositio secunda.*

Secundò suppono hanc professionem Societatis includere omnia, quæ sunt de substantia professionis religiosæ in communi, & regulariter addere aliquid, includit enim traditionem religiosam, quam significant in forma profitenti præscripta 5. p. constit. cap. 3. verb. illa, *Ego N. professionem facio.* & tria substantialia vota paupertatis, castitatis, & obediẽtiæ, quæ in eadẽ forma statim expresè promittuntur. Addit verò duo. Primũ est spicialis quẽdam

dam determinatio voti obedientiæ circa puerorũ eruditionem, de quo in præsenti capite dicendum est. Secundum est speciale votum obedientię Summo Pontifici circa missiones, de quo in sequenti. Quod verò attinet ad ea quæ communia sunt statui religioso, satis explicatum est in citato tomo, quia substantialis solennitas illorum trium votorum eadem est in professis Societatis, & aliarum religionum; & ita in illa generali doctrina explicata est: substantia verò aut obligatio eorundẽ votorum, prout specialiter in Societate fiunt, declarata à nobis est suprà in lib. 4. tractando de votis scholarium; solùm ergo superest nobis explicandum id quod specialiter addit hæc professio.

III. *Suppositio tertia de duobus modis profitẽdi.*

Vnus modus.

Tertiò præmittendum est duos modos solenniter profitendi inueniri in Societate. Vnus & ordinarius est emittendo professionem quatuor votorum, vt constat ex prima forma profitendi, quæ habetur in dict. cap. 3. constitutionum imò hæc professio est primariò, ac per se in Societate intẽta, & ab illa quasi per antonomasiam denominatur Societas professa, vt constat ex examine cap. 1. §. 5. & 6. p. c. 1. §. 1. & ex declaratione instituti, quæ habetur in Bullis Pontificijs 1. Pauli III. & 1. Iulij III. & in constitutionibus Gregorij XIII. Et similiter nomine *professionis* absolutè dictæ, solet hæc professio in Societate intelligi; vt sumitur ex 5. p. constitut. cap. 2. simul cum 3. quia hæc professio est, quæ veluti iure ordinario ad Societatem spectat: & qui sic professi sunt principalia membra huius corporis existunt, & ideo congregatio generalis, quæ vniuersam Societatem repræsentat, ex illis per se coalescit, & ad illos regulariter pertinet suffragium actiuum, & passiuum in electione Generalis. Regimen etiam Societatis: quoad Prouincias præcipuè, & domos professas, in eis solis ordinariè esse potest, vt constat ex constitutionibus 8. p. cap. 3. cum declaratione lit. A. & cap. 6. §. 4. cum declaratione, & ex alijs regulis Societatis.

IV. *Alter modus.*

Nihilominus præter hunc modum est alius solenniter profitendi, emittendo tantùm tria vota substantialia religionis solennia, omisso voto obedientiæ ad Summum Pontificem, vt constat ex constitutionibus 5. p. cap. 2. §. 3. & ex Bullis Pontificijs, præsertim ex constitutione, *Ascendente Domino*. De hoc ergo posteriori modo professionis, vel de his oneribus, aut muneribus, quæ ad huiusmodi professos pertinent, nihil speciale hîc dicendum occurrit. Quia in modo vouendi obedientiam, quoad declarationem muneris docẽdi Christianam doctrinam conueniunt cum professis quatuor votorum, & ita de vtrisque simul explicabitur: quoad carentiam verò quarti voti, & rerum omnium, quæ inde consequuntur, conueniunt cum coadiutoribus spiritualibus formatis: sicut etiam cum illis ferè conueniunt in ministerijs, ad quæ assumuntur & in donis, seu qualitatibus, quæ in eis requiruntur: & ideo de vtrisque simul infrà lib. sequenti dicetur. Nam hi professi trium votorum in Societate, coadiutores sunt spirituales, quos tamen speciali quadam prærogatiua dignos iudicat Societas, vt ibi exponemus: loquimur autem de hac professione trium votorum, quæ conceditur, tanquam vltimus terminus, & status aliquarum personarum. Aliquando enim fit per extrinsecam occasionem, quæ requirit vt persona sit ligata votis solennibus; vt in casu primogenituræ, de quo in cap. 1. num. 4. meminimus, & olim tempore Pij V. cùm quispiam esset ad sacros ordines promouendus; & de tali professione nulla fit consideratio, quia est veluti per accidens, & non affert maiorem obligationem, quàm sit in gradu scholarium, excepta solennitate. Neque etiam fit, vt in ea sistatur: nam comparata doctrina, & maiori perfectione virtutis, potest transitus fieri ad professionem quatuor votorum. De hac ergo tantùm videndum est an reuera addat aliquid tribus substantialibus votis religionis, & quàm immutabilis sit.

Vtrùm conueniens fuerit Societati professa peculiarem curam & obligationem pueros in doctrina Christiana erudiendi, suscipere.

In primis igitur circa puerorum eruditionem, ad quam votum obedientiæ specialiter in professione determinatur, notandum est duas esse eruditiones puerorum (sub quibus semper quascunque rudes & ignorantes personas comprehendimus.) Vnam in literis, alteram in fide seu doctrina Christiana; vtramque verò amplectitur religio Societatis: sed prior, quia non est tam propria professorum, & quia ad Collegia Societatis pertinet, superiùs in lib. 5. cap. 5. & 6. à nobis declarata est. Hîc altera est explicanda; nam de illa in particulari sermo est, in prædicta forma profitendi: vnde licèt hoc ministerium commune sit omnibus membris Societatis, quia tamen peculiari modo videtur annexum, & expressum in ipsa forma professionis Societatis, ideo hîc breuiter explicandum est. V. *Eruditio duplex puerorum.*

Quòd ergo ad ipsum ministerium spectat, constat esse Ecclesiæ valde necessarium, quia est veluti fundamentum totius Christianismi, vt dicitur in Catechismo Pij V. Quia verò tale ministerium facile videtur, & minus graue; ideo minus necessariũ videri potest; vt inter præcipua officia huius religionis, quæ alijs grauissimis rebus occupata est, poneretur, & cum tanta exaggeratione, vt solum illud in obedientiæ voto exprimeretur. Etenim Christiani parentes filios suos Christianam doctrinam docere possunt, & debent, quia vnum ex præcipuis muneribus parentibus est filium in religione instruere. Vnde Ignatius Martyr epist. 9. ad Philadelphienses, *P. trés* (inquit) *educate filios vestros in disciplina, & admonitione Domini, & docete eos sacras literas, & artes, vt non dediscant ociosi, & inertiæ*; *Honeste* (inquit) *educat iustus pater liberos, in filio sapiente lætabitur mater eius*: alludens ad illud Prouerbiorum 10. *Filius sapiens lætificat Patrem*. Deinde hoc etiam spectat ad patrinos, qui eos de sacro fonte leuarunt, vt in 3. tom. 3. p. quæst. 67. art. 8. cum D. Thom. declarau. Vnde in Concilio Arelat. III. sub Leone, tempore Caroli Magni canon. 19. statuitur, *vt parentes filios suos, & patrinos eos, quos de fonte lauacri suscipiunt, erudire summopere studeant: illi, quia eos genuerunt, & ei à Domino sunt, isti, quia pro ei fideiussores existunt*. & in Concilio Maguntiaco sub eodem Carolo cap. 47. præcipitur, *Vt vnusquisque compater, vel proximus spiritualis filiolos suos catholicè instruant*. Deinde spectat etiam hæc cura per se, & ex officio ad parochos, vt sumitur ex Concilio Tridentino sess. 1. c. 2. & sess. 24. c. 4. vbi præcipit parochis, vt singulis diebus dominicis oues suas & in particulari pueros, in rudimentis Christianæ doctrinæ erudiant. Videbatur ergo quoad hanc partẽ sufficienter prouisum Christianæ reipublicæ; non ergo oportebat Societatem tam sedulò ministerium hoc profiteri; atque si aliqua erat eius necessitas, sufficienter poterat opus hoc per scholares Societatis expleri, neque oportebat professos ad illud peculiariter obligari; deinde non apparet, quæ sit hæc specialis obligatio ad hoc ministerium, potius, quàm ad alia. Neque etiam videtur professos Societatis regulariter loquendo, huic ministerio magis incumbere, quàm reliquis. Quid ergo necesse fuit in voto obedientiæ illud exprimere. VI. *Ratio quæstionis.*

Dicen-

VII. *Prima assertio. Suadetur authoritate Societatis.*

Dicendum verò inprimis est, ministerium hoc merito à Societate susceptum esse, tanquam vnum ex præcipuis & maiori cura, ac perfectione exercendis. Quod inprimis satis persuaderi potest auctoritate ipsarum constitutionum, quam nemo potest facilè præterire, tum propter sanctitatem, & prudentiam auctoris, tum propter vsum, & consensum totius religionis, in qua tot viri religiosi & sapientes & prudentes fuerunt. Tum maximè propter approbationem Pontificiam, non solùm in generali, sed etiam in particulari. Nam in prima Bulla Pauli III. sic dicitur, *& nominatim commendatam habeant institutionem puerorum, ac rudium in Christiana doctrina ducem præceptorum, atque aliorum ruduimentorum, quæcunque secundùm circunstantias personarũ, locorum, ac temporum illis congrua videbuntur: Est enim maximè necessarium circa prouidentiam huius rei, diligenter Propositum & Consilium inuigilare, cùm & in proximis ædificium fidei sine fundamentis non possit consurgere, & in nostris periculum sit, ne vt quisque erit Doctor, ita prouinciam hanc, tanquam primo aspectu minus speciosam, forsitan detrectare conetur, cùm tamen reuera illa sit fructuosior, vel proximis ad ædificationem, vel nostrũ ad charitatis, & humilitatis simul officia exercenda.*

Item Pontificum.

VIII. *Accedunt rationes tres.*

In quibus Pontificis verbis omnes rationes, & sanè grauissimæ attinguntur, quibus assertio posita suaderi potest. Primò enim licèt ministerium hoc in se non videatur nimis excelsum, in semine tamen, & virtute est maximum: quia ex eo magna ex parte pendet honesta, & sancta vita fidelium, tum quia fides est fundamentum omnis iustitiæ; tum etiam, quia non solùm docentur pueri quid credere debeant; sed etiam quid debeant operari: & in quem finem debeant vitam instituere: quod maximè in principio necessarium est. Nec solùm circa hæc illuminantur, sed etiam excitantur, & varijs medijs illi ætati accommodatis alliciuntur, & ad opera pietatis incitantur. Deinde occasione puerorum fit, vt etiam homines grandioris ætatis, vel interdum senes, nunquam in rebus fidei antea satis instructi doceantur: alij verò, qui eos obliuioni tradiderant, denuo addiscant. Multi etiam qui grauioribus concionibus interesse non solent, vel eas non satis percipiunt, hoc medio doctrinæ Christianæ solent magis ad pœnitentiam agendam, & virtutem sectandam commoueri. Vnde cum maior pars hominum rudis sit, & indocta, sperari profectò potest per hoc medium, si conuenienter exerceatur, plures proficere posse in fide, & virtute, quàm per alia excellentiora, & altiora ministeria. Et ideo cùm tanta asseueratione in illa Bulla dictum est, *reuera nullam esse fructuosiorem erga proximos occupationem*; quia hæc prodesse potest omnibus, quibus aliæ, non verò è conuerso.

IX. Accedit præterea hoc medium esse efficacissimum ad obuiandum erroribus, & falsis doctrinis: & ob hanc causam existimo tam grauiter fuisse B. P. N. Ignatio commendatum: quia religionem hanc præcipuè contra insurgentes hac tempestate hæreses Deus per eundem Ignatium præparauit. Tandem possemus hoc confirmare exemplis antiquitatis, & sacrorum canonum; sed hæc sufficienter adducta superiùs sunt lib. 5. c. 5. tractando generatim de eruditione puerorum: nam multa ex illis loquuntur, præcipuè de institutione eorum in fide, & rudimentis eius, vt ibi notauimus. Et planè Eusebius lib. 6. Historiæ cap. 12. cùm de Origine, & Heracla loquitur, dicit eos assumpsisse munus erudiendi iuuentutem in rudimentis fidei. Omnes etiam vtilitates, quas ibi ostendimus, habere hanc puerorum eruditionem ex hoc potissimum sperari, ac sequi, manifestum est, & ideo in Concilio Moguntiaco sub Carolo cap. 45. sic dicitur. *Symbolum, quod est signaculum fidei, & orationem Dominicam discere, semper admoneant sacerdotes populum Christianum.* Cùm ergo Societas sit religio sacertotum, meritò assumpsit prouinciam, non solùm admonendi, vt hæc discant, sed etiã faciendi, ea nimirum docendo in omnibus locis & occasionibus, quibus possunt, scilicet in templis, in puerorum scholis ac per vias, & plateas. Vnde in eodem canone subditur, *Propterea dignum est, vt filios suos doceat ad scholam siue ad monasteria, siue foras presbyterũ, vt fidem catholicam rectè discant, & orationem Dominicam, vt domi alios edocere valeant.* Vbi specialiter expendo verbum illud, *siue ad monasteria*; illo enim significatur, etiam religiosos illius temporis non fuisse dedignatos hoc ministerium instituendi pueros in Christiana doctrina. Expendo etiam illud verbum, *vt domi alios edocere valeant*: nam per illud insinuatur alius modus, quo hæc puerorum institutio ad alios grandiores deriuatur, dum coram his domi repetũt pueri, quæ in publico didicerunt.

X. *Secunda assertio.*

Secundò dicendum est, meritò in forma professionis in Societate explicatum esse hoc ministeriũ in voto obedientiæ; quamquam id factum sit, non tam propter nouam obligationem imponendam, quàm propter ministerium commendandum. Sumitur hæc assertio ex declaratione eiusdem constitut. p. 5. cap. 3. lit. B. quæ sic habet, *promissio docendorum puerorum, ac rudium hominum; iuxta literas Apostolicas, & constitutiones, non inducit aliam obligationem, quàm reliqua spiritualia exercitia, quæ ad auxilium proximorũ adhibeatur, cuiusmodi sunt confessiones, prædicationes &c. in quibus quisque se debet occupare, iuxta rationem obedientiæ suorum superiorum. Quòd autem de pueris docendis in voto fit mentio, ea de causa fit, vt sancta hæc exercitatio peculiari modo sit commendata, & vt deuotius curetur propter singulare obsequium, quod Deo per eam in animarum auxilio exhibetur: & quia facilus obliuioni tradi poterat, & in desuetudinem abire, quàm alia magis specialia.* Quibus verbis vtraque pars assertionis, eiusque ratio explicata est.

XI. *Notatio vlterior circa 1. partem eiusdem assertionis.*

Est autem circa priorem partem de obligatione speciali aduertendum, in prima congregatione generale eiusdem Societatis decreto 134. post electionem, commendari specialiter hoc ministerium professis, & subiungi hæc verba, *Pater quidem noster Ignatius iniunxit singulis professis, vt semel per quadraginta dies id facerent.* Significat autem congregatio hoc fuisse iniunctum à B. Ignatio, vt perpetuò in Societate obseruandum. Quia verò id non satis erat ibi explicatum, additum est in secunda congregatione decreto 48. post electionem. *Quijus professus post editam suam professionem intra annum, per quadraginta dies continuos, vel interpolatos doctrinam Christianam pueros tudes personas docere teneatur.*

XII. *Professos obligari videri ad docendã doctrinam Chr. per 40. dies.*

Vbi obscurum est, quam vim habeat illud verbum, *teneatur*. Nam licèt aliàs verum sit ordinationes, & regulas huius religionis, non obligare ad culpam, ibi tamen videtur determinari materia propria voti obedientiæ professorum, quantum ad hanc expressam ordinationem, & ideo videtur verbum illud inducere obligationẽ in conscientia. Nihilominus certum est, illam ordinationem esse solùm directionem quandam ad meli⁹ exequendum, vel inchoandum id quod in præcepta professione exprimitur, nõ tamen esse legem sub peccato obligantem, imò neq; esse inter alias regulas in tali religione, & ita sunt similia verba in eius constitutionibus explicata, neque etiam esse determinationem materiæ voti, quia in illo decreto, quoad hanc partem, nulla fit mentio voti; vnde licèt finis illius decreti fuerit reducere ad praxim aliquo modo votum illud; non tamen mens eius hanc ponere, vt materiam præcepti. Eo vel maximè

Oppositum ostenditur quoad obligationem rigorosam.

quia professus non vouet docere doctrinam Christianam: sed *obed. etiam, & secundùm eam peculiarem curam*, &c. & ideo impossibile est in tali voto determinari hanc, vt materiam necessariam voti, nisi imponendo præceptum obligans in virtute obedientiæ: at hoc non ponitur ibi. ergo. Quocirca, neq; ex consilio tenentur professi absolutè ad hoc ministerium exercendum per quadraginta dies: nisi illis per superiorem iniungatur, vel saltem licentia præbeatur: quia non est intentio illius decreti, eximere subditos ab obedientia suorum superiorum, vt per se constat; sed paratos eos reddere ad hoc ministerium præstandum, vel etiam procurandum à suis superioribus: & superiores ipsos monere, vt non solùm permittant, sed etiam curent ita obseruari à professis: & ideo si superiores, vel expressè, vel tacitè excusent ab hoc ministerio eos, qui profitentur, eo quòd aliàs legitimè impediti sunt: nihil peccant.

XIII. *Notatio altera circa partem secundam.*

Circa alteram verò partem de commendatione ministerij: notanda etiam sunt citata decreta 1. & 2. congreg. generalis: nam in priori, hoc tam pium exercitium admodum inculcatur ipsis professis: in posteriori verò ipsi Præposito Generali valde commendatur: *ne vllo vnquam tempore illius oblivio in nostros animos irrepat, cùm illud in votorum nostrorum formula complectamur.* Ex quibus vltimis verbis intelligitur fructus illius explicationis in formula vouēdi: inde enim factū est, vt cura huius ministerij in professorum animis magis insederit, & in maiori etiam æstimatione habeatur. Et ad hunc etiam finem B. Ignatius similem curam imposuit Rectoribus Collegiorum 4. p. constitut. cap. 10. §. 10. *Rector ipse legere aut docere Christianam doctrinam quadraginta dies debet.* Vbi in declaratione additur si impedimentum intercedat, cum Prouinciali esse communicandum, vt per alium fieri possit: idque debere Rectores implere intra primum annum sui muneris, declaratur in 2. congreg. generali cap. 15. vt ergo omnes de Societate ad hoc ministerium magis, ac magis afficiantur tot modis, & signis eius vtilitas, & necessitas commendatur.

XIV. *Ad rationes dubitandi in num. 4.*

Nihil igitur obstant rationes dubitandi in num. 4. positæ: nam licèt in externa specie, ministerium minus speciosum appareat, reuera est Catholicæ Ecclesiæ valde necessarium, & quo maioris humilitatis officium: eo maiori religionis commendatione indiget. Nec refert quòd parentes, patrini, & parochi, ex officio ad hoc ministerium teneantur: quia generatim loquendo, huius religionis officiū, est iuuare in omnibus ministerijs ad salutem animarum pertinentib⁹ eos, quibus ex officio incumbunt: vel qui non omnes suis muneribus satisfaciunt, vt debent: vel quia pluribus existentibus ministris, & coadiutoribus, meliùs poterunt animę iuuari, & illuminari. Accedit, quòd hoc ministeriū docendi Christianam doctrinam, habet latitudinem, tam ex parte personarum, quia non solùm pueri, sed etiam multi ex adultis hac eruditione indigent; tum ex parte modi docendi, & explicandi rudimenta fidei, ad quod sæpe non mediocris scientia necessaria est, & in dogmatis exponendis, & maximè moralibus rebus, qua certè scientia scholares Societatis nondum satis instructi supponuntur: ideoque multum potest in hoc ministerio industria, & solicitudo, ac doctrina nostrorum religiosorum, maximè prouectiorum, Ecclesię prodesse, prout hactenus per diuinam gratiam experientia demonstrauit. Meritò ergo in professione Societatis huius operis specialis, & expressa mentio fit, vt non solùm scholaribus: sed omnibus operarijs eius sit commendatum, ipsiq; professi intelligant peculiari ratione ad suum statum, & officium pertinere, vt declarauimus.

CAPVT IV.

Vtrùm votum obedientiæ ad Summum Pontificem, quod professi Societatis emittunt, sit solenne votum, ab alijs tribus distinctum.

I. *Huius cap. duplex pars. Primum. Argumenta. Secunda pars.*

DVo puncta apparent in hoc voto difficilia. Primum est, quomodo ab alijs tribus, & specialiter à generali voto obedientiæ distinguatur. Secundum est, quomodo solenne sit. Ratio dubitandi circa priorem partem est, quia vel hoc votum est distinctum, quòd inducat nouam obligationem circa eandem materiam: vel quòd obliget ad nouam materiam. Neutrum dici potest: ergo nullo modo distinguitur: nec enim fingi potest alius distinctionis modus. Minor quoad priorem partem probatur: quia materia semel consecrata Deo per votum obedientiæ, non est capax nouæ obligationis, per aliud obedientiæ votum: licèt enim materia, aliàs debita, ex præcepto sit capax nouæ obligationis voti, tamen, quæ iam per votum promissa est, non est capax nouæ obligationis: vnde si quis iterum, atque iterum castitatem voueat, non multiplicat obligationem votorum: sed repetit idem votum, vt in tomo 2. visum est: sed per votum obedientiæ religiosæ obligatur quis obedire Summo Pontifici, non solùm ratione iurisdictionis, quam à Christo habet, sed etiam ratione specialis promissionis Deo factæ, & Prælatis religionis, quorum supremus est Pontifex, vt in tomo superiori ostensum est: ergo non potest per nouum votum, noua obligatio obedientiæ circa eandem materiam superaddi. Neq; enim ad hoc sufficit quòd per vnum votum distinctius, & expressius promittatur obedientia circa talem actionem, vel ad talem personam, quia implicitum, vel explicitum non variant, neque addunt obligationem voti, vt patet ex his, quæ in præcedenti cap. num. 11. dicta sunt de illa expressione docendi Christianam doctrinam, quod non ideo addit speciale votum, vel obligationem. Item patet in religionibus, quæ solùm implicitè vouent castitatem, & paupertatem, quia non minori obligatione tenentur. Altera item pars minoris probatur, quia per votum obedientiæ omnia sunt promissa: ergo non relinquitur noua materia, quæ denuò per hoc speciale votum promittatur. Dices, votum generale obedientiæ per se non obligare ad has missiones. Sed contrà, quia esto fortasse hoc verum sit respectu voti obedientię facti secundùm regulas aliarum religionum, non tamen respectu facti secundùm regulam Societatis: vnde in ea etiam scholares approbati tenentur in his missionibus obedire, si præcipiantur: ergo vltra votum obedientiæ generale in Societate factum, ad nullam actionem, vel rem nouam potest obligare hoc speciale votum factum summo Pontifici.

II. *Argumentum proposita. Solutio.*

Tandem circa secundum punctum propositum obscurum est, cur hoc votum inter solennia ponatur, aut in quo eius solennitas consistat. Et est ratio dubij, quia solennitas voti addit aliquem effectum, scilicet inhabilitatem, vel capacitatem aliquam, ex vi iuris positiui, præter omnem illum effectum, vel obligationem, quam hominis promissio secum affert, vt superiori tomo dictum est; hoc autem votum non affert secum talem effectum, neque aliquid includit præter promissionem. Nec satis dicere esse solenne, quia coniunctim, & simul cum professione fit: nam hæc est sola concomitantia, non formalitas; aliàs etiam vota reliqua, quæ professi emittunt, vt à cap. 6. videbimus, erunt solennia, quæ cum professione fiunt. Quòd enim non statim, sed paulo

paulo pòst fiant: parum profectò videtur referre, vt hoc solenne, alia simplicia dicantur, cùm moraliter rem considerando quod parum distat nihil distare videtur. Et præterea reddenda est ratio, cur magis hoc votum statim fiat, vt dicatur solenne quàm reliqua.

III. Propter hanc difficultatem aliqui moderni scriptores dixerunt, licèt hoc votum professorum Societatis laudabile sit, quia abundans cautela non nocet: re tamen vera, ex vi illius voti, non amplius obligari ad obediendum summo Pontifici secundùm regulã suam, quàm alij religiosi ex vi suæ professionis teneãtur. Quin potiùs asserũt, omnes religiosos inter se esse æquales in hac obligatione obediendi summo Pontifici, in suis obseruantijs regularibus: quia omnes illum habent tanquam supremum Prælatum vniuscuiusque religionis, à quo pendet omnis obseruantia regularis: ita scripsit Emanuel Rodriquez de regularibus tom. 1. q. 22. à. 6. potestque hæc sententia iuuari ex ratione, quam nostrimet Patres in Bullis Pontificijs ad hoc votum emittendum his verbis tradunt. *Quanuis Euangelio doceamur, & fide orthodoxa cognoscamus, ac firmiter profiteamur, omnes Christi fideles Romano Pontifici tanquam capiti ac Christi Vicario subesse: ad maiorem tamen nostræ Societatis humilitatem, ac perfectam vniuscuiusque mortificationem, & voluntatum nostrarum abnegationem summopere conducere iudicauimus, singulos nostros vltra illud commune vinculum speciali voto astringi*, &c. Ex his enim verbis colligitur, per hoc votum solum addi vinculum religionis; vltra vinculũ subiectionis, quod commune est omnibus fidelibus: at hoc vinculum religionis, omnes religioni superaddunt, ex vi suæ professionis, ergo re ipsa hoc votum nihil addit nouum comparatione facta ad alios religiosos. Sed ad summum addi potest huic sententiæ, hoc votum addere maiorem quandam certitudinem huius obligationis obediendi Pontifici. Quòd enim omnes religiosi ex vi professionis promittant obedientiam specialem summo Pontifici, non est ita certum, quin aliqui Theologi hoc negauerint, vt significat Durandus 2. d. 44. quæst. 5. & quanuis oppositum doceat communis sententia, vt Carthusianus eadem d. 44. quæst. 5. notat & in superiori tomo visum est; id verò sub opinione versatur: igitur hoc votum addit saltem certitudinem obligationis: non tamen obligationem, iuxta hanc opinionem. Nihilominus hæc opinio vera non est, nec consentanea Bullis Pontificijs, quibus hoc votum approbatum est, vt speciale, & omnino distinctum à reliquis. Vt ergo id ostendamus, comparabimus prius hoc votum ad professionem aliarum religionum, deinde ad alia vota seu vincula eiusdem Societatis, in quo fortasse maior difficultas versatur.

Quid addat hoc votum, tribus aliarum religionum votis.

IV. 1. *Assertio bipartita.* Dico ergo primò professi Societatis emittentes quartũ votum obediendi summo Pontifici, & sanctè faciunt, & ad aliquid ex vi illius voti obligantur, ad quod non obligantur reliqui religiosi ex vi professionis suæ: vt conclusionem probemus materia huius voti præ oculis ponenda est: quæ satis expressè proponitur in dictis Bullis Pontificijs, & in Examine cap. 1. §. 5. *Professa Societas* (dicitur) *præter tria vota, votum facit expressum summo Pontifici, vt Vicario, qui nunc est, vel pro tempore fuerit, Christi Domini nostri, nimirum ad proficiscendum sine excusatione, non petito viatico, quocunque gentium eius sanctitas miserit, inter fideles, vel infideles, ad res, quo ad diuinum cultum, & religionis Christianæ bonum spectat.* In quibus verbis in primis obserua, materiam huius voti nõ esse totam illam, quæ potest esse materia obedientiæ religiosæ; etiam secundùm regulam Societatis, sed solam materiam missionum, vt patet ex illis verbis, *nimirum ad proficiscendum*, quæ sunt declaratiua, & limitatiua voti, & materiæ eius. & ita in ipsa forma profitendi expressè dicitur. *Insuper promitto specialem obedientiam summo Pontifici circa missiones.* Vbi in declaratione dicitur, *tota intentio quarti huius voti obediendi summo Pontifici fuit, & est circa missiones.* Et additur, hoc modo esse intelligendas literas Apostolicas, quæ interdum verba generaliora habere videntur, & in sequentibus magis declarabuntur.

Ad hanc materiam spectat ire ex iussu Pontificis.

Addo præterea in materia huius voti, sub verbo, *proficiscendi*, etiam verbum permanendi, in quacunque mundi parte, vel prouincia, & sub nomine missionis perseuerantiam etiam, iuxta intentionem præcipientis, comprehendi. Accommodatum exemplum ad hoc explicandum habemus in cap. *si pastoralis*, de electione in 6. vbi Bonifacius Pontifex interpretans constitutionem Nicolai Papæ, quæ exigit vt electi ad quædam beneficia Romam proficiscantur pro confirmatione electionis: inquit, *Non solùm vt quis veniat, sed etiam ex sui mente exigit, quod vsque ad finem negotium prosequatur*: sic ergo in præsenti dicimus, votum parendi in proficiscendo, exigit ex sui mente obedientiam in permanendo, vsque ad finem negotij; vtique iuxta intentionem mittentis huic rei accommodatam, vt statim explicabimus. Ratio etiam hoc conuincit, quia via est propter terminum; inutilis enim esset missio, nisi in termino sisteretur, quantum ad finem, & effectum missionis necessarium est. Vnde hic terminus, & quies necessaria in illo, non est quasi finis extrinsecus, qui solet distingui à materia legis, vel promissionis, sed est intrinsecus terminus, à quo pendet tota ratio, & vtilitas talis materiæ, & ideo intrinsecè pertinet ad materiam talis voti. Et ita explicari videtur in citatis verbis examinis, ibi, *ad eas, quæ ad diuinum cultum*, &c. nam vna ex his rebus, maximè necessaria esse potest permanentia in tali loco. Clarè etiam supponitur in 7. p. constit. cap. 1. §. 2. ibi, *residere, vel mitti.*

V. *Spectat item manere vbi iusserit.*

Hinc tertiò addo, non solùm teneri professos, ex vi huius voti missiones peragere, sed etiam actiones illas, vel functiones ad quas, seu propter quas mittuntur, fideliter, seu strenuè, quod in ipsis moraliter est, peragere. hoc eodem discursu facile persuaderi potest, quia nomine missionum iuxta verum sensum, & communem vsum loquentium, non intelliguntur solùm itinera, vel residentiæ in aliquibus locis, sed actiones etiam & ministeria, ad quæ huiusmodi itinera, ordinantur. Obedientia ergo circa missiones, quæ per hoc votum promittitur, hæc omnia comprehendit. Et hic est sensus illorum verborum in Bullis Pontificum, speciali ad hoc voto astringi, vt quidquid modernus & alij Romani Pontifices pro tempore existentes iusserint, ad profectum animarum, & fidei propagationem, & quascunque prouincias nos mittere voluerunt, &c. Vbuent ergo non solum ire quò missi fuerint, sed etiam ibi exequi quidquid facere iussi fuerint; vtrumque ergo est materia huius voti, quantum est ex vi obligationis eius. Quod ideo addo, quia in vsu talis erit obligatio, quale fuerit præceptum, quod actu imponetur. Sæpe enim potest præcipi alicui ire in Indiam, non tamen præcipi actionem ibi exercendam, sed relinqui secundùm institutum. Et tunc si quis obediat eundo; licèt postea sit negligens, vel aliàs peccet malè vtendo suo munere, non peccabit specialiter contra hoc votum, quia præceptum non fuit circa totam materiam illius impositum.

VI. *Spectat præterea obire actiones in ipsis moraliter est. Et ex vi voti solum iter aut permanentiam.*

Extrimitur huius voti instituto Societatis.

VII. *De fine eius dem voti seu materia eius.*

Quartò considerandæ sunt verba illa, *ad profectum animarum*: & fidei propagationē pertinentia, nam substantialiter limitant materiam huius voti, non enim obligamur peregrinari quocunque, ad alios fines, sed solùm ad salutem animarum, & fidei propagationem. In examine autem cap. §. 5. videtur hoc ampliari dum dicitur; *Adres, quæ ad diuinum cultum & religionis Christianæ bonum spectant.* Hic enim finis generaliter esse videtur. Nam ire ad visitanda, v. g. loca sancta Hierusalem, ad diuinum cultum pertinet, & non videtur conferre ad fidei propagationem vel profectum animarum. Veruntamen hæc verba accomodanda videntur ad ea, quæ in Bullis Pontificijs continentur, quia sub illis institutum approbatur, & confirmatur; præcipuè, quia in 7. p. constit. cap. 1. §. 1. eodem modo declaratur tota intentio huius voti, scilicet, vt sit, *Ad animarum auxilium*; de hoc ergo cultu Dei, & bono religionis Christianæ alia verba intelligenda sunt.

VIII. *Extensio dicti finis.*

Quanquam omnis alius cultus Dei, possit ad hunc finem saltem indirectè, & remotè ordinari: propriè tamen, & directè sub illo fine comprehenduntur omnes actiones misericordiæ spirituales circa proximum, vt sunt procurare pacem inter Principes dissidentes; subuenire laborantibus in quocunque animæ periculo; seminare fidem, & resistere hæreticis, iuuare Catholicos quocunque spirituali ministerio doctrinæ, aut Sacramentorum. Actiones autem misericordiæ corporalis, vt sunt redimere captiuuos, vel simles, licèt non videantur directè sub hoc voto comprehensæ, si tamē sint ex his, quæ clericos docent; non videntur excludi, quia omnes possunt ad spiritualem profectum ordinari, sicut eas etiā Societatis institutū amplectitur. Actiones verò defendendi Ecclesiā, vel resistēdi infidelibus per arma & bella, licèt sint opera charitatis, nō tamē pertinent ad sacerdotes, & ideo clarū est hìc non comprehendi, quamuis ab his missionibus non excludantur illæ, quæ fiunt, siue in terra, siue in mari adiuuando Christianos milites & duces pro Ecclesia militantibus: nam hæc immediatè pertinent ad finem spiritualem iuuandi animas fidelium, & vltimatè ordinantur ad pacem, & vniuersale spirituale totius Ecclesiæ. Nec obstat, quòd materialis gladius interueniat, cùm ille non per religiosos ipsos, sed per milites tractandus sit.

IX. *Collectio dictorum de materia & fine huius voti.*

Atque hinc in summa concludo, sub materia huius voti comprehēdi omnia spiritualia ministeria, quæ Societas circa proximos exercet; nā ad omnia illa potest nos Pontifex mittere quocunq; velit. Et quia sub *missione* (vt n. 5. diximus) cōprehēditur existentia, seu residentia in aliquo loco, etiamsi Pontifex eò non me miserit; potest mihi præcipere, vt ibi cōcioner, doceā, vel aliud simile ministeriū peragā, quia si eo in loco nō essem, posset me illo mittere in hunc finē: ergo licèt adhìm. potest præcipere vt permaneam, & tale ministerium exerceam: & ita in rigore, & sine alia restrictione verum est, quod in Bullis dicitur hoc voto nos astringi, *vt quidquid Romani Pontifices, pro tempore existentes, iniunxerint ad profectum animarum, & fidei propagationem pertinens*, exequi teneamur. Quòd si dubium inciderit, an tale ministerium hoc loco, & tempore pertineat ad profectum animarum, vel si solùm ad temporalem, vel ciuilem vtilitatem proximorum, vt docere hìc Grammaticam, vel Philosophiam; eius rei iudicium penes summum Pontificem sine dubio futurum est: id enim ratio quòd in dubijs pro superiore standum sit postulat: & verba ipsa, quibus materia huius voti explicatur, idem satis indicant.

X. *1. Circunstantia ex-*

Tandem, ad materiam huius voti spectant aliquæ circunstantiæ grauissimæ, & non parum difficiles. Prima est vt cùm mittuntur professi, nullo expectato, aut petito viatico, ire teneantur. Hæc conditio inter eas, quæ ad votum paupertatis spectant, ponitur 6. p. constit. c. 2. §. 13. *Quando summus Pontifex* (dicitur ibi) *vel superior professis, vel collegiis ad laborandum in vinea Domini mittet, nullum viaticum petere possint, sed liberaliter representent, vt mittantur, prout illa* (id est, mittentibus) *ad maiorem Dei gloriam fore videbitur.* Et additur in declaratione, *id est pedites, vel equites: cum pecuniis, vel sine illis*, &c. Vnde videtur hæc obligatio ex ea parte, quia respicit paupertatem, ad votum illius pertinere. Nihilominus tamen, vt pertinent ad circunstantias, & modum missionis, cadit etiam sub votum missionum: nec enim est inconueniens, vt eadem res sub diuersis rationibus, cadat sub diuersa vota, sicut etiam sub diuersa præcepta. Et ita in cap. 1. Exam. §. 5. de Societate professa dicitur, *Facit votū expressum, &c. ad proficiscendū*, &c. non petito viatico. & 7. p. const. c. 1. vbi votū hoc copiosè traditur in §. 3. hæc conditio tanquam illius propria declaratur. Quocirca qui occasione viatici, vel ex timore indigentiæ, missionem detrectaret, cōtra hoc votum directè delinqueret: quia vouet obedientiā circa missiones, iuxta constitutiones & Bullas, quæ ita materiam huius voti declarant. Vnde etiam fit, vt non solùm ire, sed etiam residere, vbique locorum debeant professi, non expectato viatico, nec subsidio à Pontifice, sed à Deo, & piorum eleemosynis, quibus sustentari debent, iuxta paupertatem, quam profitentur.

Secunda circunstantia ponitur his verbis in Pontificijs Bullis; *sine vlla tergiuersatione, aut excusatione, illis quatenus in nobis fuerit.* In examine dicitur, *sine excusatione*, & apertè declaratur, hanc ipsam circunstantiam sub voto cadere. Agens enim B. P. Ignatius de hoc voto ait; *Quo se obedientiæ Summi Christi Vicarii, sine vlla excusatione, Societas obstrinxit.* Obedientia ergo sine excusatione sub hoc votum cadit. Hæc autem conditio intelligenda est, & iuxta alia loca eiusdem cōstitutionum, & secundùm rationem rectam. In alijs enim constitutionum locis, & in epistola de obedientia sæpè monemur perfectionem obedientię non excludere, quin, si aliqua iusta excusatio occurrerit, superiori debito modo, & reuerentia proponi possit; similis ergo proposito, & iusta excusatio per hanc conditionem non excluditur in præsenti, quia secundùm se iusta est, & rectæ rationi consentanea: neque in alijs obedientiæ operibus illicita, quia est per regulam permissa: sed ideo potiùs permissa est, quia recta ratio illam postulat. Imo aliquando illam tacere esset valde contrarium intentioni Pontificis præcipientis & fini eius. Igitur vt vno verbo dicam excluditur per hoc votum, excusatio voluntatis; non rationes: vel certè excluditur excusatio, quæ includat absolutum decretum non eundi, non verò illa, quę in sola expositione rationabilis impedimenti consistit. Nam etiam cùm excusatio videtur rationabilis, nō licet absolutè nolle parere, & hoc modo se excusare, quia si non obstante difficultate proposita Pontificis præceptum vrgeat, illi omnino parendum est ex vi talis voti; nisi euidenter præceptum esset multum, quod non potest præsumi, aut timeri. Et è cōuerso quāuis homo ex fragilitate, sine dolo & fraude tergiuersaretur, insinuans difficultatem suam, & rogans excusari per ablationem præcepti, cum preparatione autem parendi si Superior non condescendat, tunc non est peccatum graue, licèt esset imperfectio magna, & fortè etiam peccatum veniale.

XI. *Secunda circunstantia.*

XII. *Tertia circunstantia.*

Tertia circunstantia huius materiæ est, vt sit vniuersalis, & indifferēs ad omnia loca, & ad omnes gentes cuiuscunque religionis, seu opinionis, *sine ad Turcas* (dicitur in Bulla) *sine ad quoscunque alios infideles, etiam in partibus, quas Indias vocant, sine ad quoscunque alios quos ire quando mittantur.*

hæreticos, schismaticos, seu etiam ad quosuis fideles. Nec intellexit Societas (additur in Constitutione) *particularem aliquem locum, sed vt per orbem in diuersas regiones, & loca spargerentur.* Vbi etiam scribitur, & in declaratione magis exponitur, ob hanc potissimè causam Societatem totam decreuisse per hoc votum, in potestate Pontificis specialiter se cõstituere; quoniam cum maius Dei, & totius Ecclesiæ obsequium in proximorum auxilio optaret, & ignoraret vbinam cum maiori fructu versari posset, negotium hoc Christi Vicario committendum iudicauit; tum quia illi, vt totius Ecclesiæ capiti, maior cognitio rerum, ac necessitatum totius Ecclesiæ futura erat: tum etiam, quia sperandum meritò putauit, distributionem ministrorum Societatis per Pontificem, futuram esse optimam, & maiori auxilio Spiritus Sancti factam.

XIII. *Extenditur dicta circumstantia.* Vnde etiam fit, vt ex vi huius voti teneantur professi Societatis, si Pontifici visum fuerit, nullum habere certum domicilium, sed huc illucque discurrere, ac si oportuerit, extra Societatis domos diuturno tempore habitare, eo quòd ad bonum animarum expediat. Ita vt hic viuendi modus non sit omnino accidentarius, seu extra latitudinem instituti, sicut esset in alijs religionibus, sed sit per se comprehensus & electus ad finem Societatis: propter quod de professis dicitur in 4. p. Constit. cap. 2. §. 4. lit. B. *non habere stabilem habitationem.* Et in Examine cap. 4. debere esse paratos ad discurrendum per quascunque mundi partes, prout à Pontifice, vel superiore fuerit iniunctum.

XIV. *An recessus ab aliquo loco spectet ad materiã huius voti.* Quæri verò tandem potest, an sub hac materia missionũ cõprehendantur non solùm actus eundi, sed etiam redeundi, seu recedendi ab aliquo loco, vel etiam negatio non eundi in aliquam regionem; ita vt ex vi huius voti, possit hoc Pontifex præcipere, secluso alio titulo iurisdictionis. Hinc enim videtur non comprehendi, quia in rigore, hæ sunt res distinctæ, ita vt negatio, seu recessus non comprehendatur propriè sub nomine missionis; materia autem voti ad proprietatem verborum limitanda est. Aliunde autem, moraliter hæc considerando, videntur planè, vel esse eiusdem rationis, vel ita connexa, vt non possit alterũ sine alio promitti. Respondeo dupliciter posse præcipi recessum ab aliquo loco; primò propter priuationem termini à quo, primariò, ac per se. Secundò propter terminum ad quem, id est, propter accessum ad aliquem locum. Hoc posteriori modo non est dubiũ, quin recessus sub his missionibus cõprehendatur, quia non potest præcipi accessus ad aliquẽ locum, quin præcipiatur recessus à quocunque loco alio.

XV. De priori autem modo, videtur res dubia; quia id non pertinet ad missiones. Nihilominus existimo, si sub eadẽ ratione recessus spectetur, scilicet auxilij animarum: etiam comprehendi sub illa materia, vt si Pontifex reuocet aliquem à loco vbi non est vtilis, & fortasse impedit alios, vel etiam nocet proximis; credo teneri ad obediendum, ex vi huius voti, etiamsi alio determinatè non mittatur. Ratio est, quia sub nomine *missionum*, etiam termini earũ comprehenduntur & permanentia in illis, vt diximus n. 5. ad hanc autem permanentiam spectat temporis limitatio, & consequenter, non tantùm accessꝰ, sed etiam recessus: alias potestas esset diminuta, & valde imperfecta atque exposita multis incommodis. Item quia hoc necessarium admodum est ad salutem animarũ, & in rigore comprehenditur sub materia missionum. Item quia intentio cõstitutionum est, vt hæc distributio professorum Societatis per orbem Pontifici Summo omnino subiecta sit, vt patet 7. p. c. 1. §. 1. in fine, & sæpe alias: hoc autem ita nõ esset, nisi tam in reuocandis, quàm in mittendis personis, haberet Pontifex plenã potestatem. Denique cùm professi ex vi sui instituti alicubi esse debeant ad fructificandum, eo ipso quòd ab aliquo vno loco reuocantur, ad alium virtute mittuntur, siue hoc sit primariò, siue secundariò intentum; & siue ille locus determinatus sit à Pontifice, siue per superiores Societatis veniat determinandus, & siue in eo magis attendatur bonum ipsius religiosi, siue proximorum, hæc enim omnia accidentaria sunt: nam ad materiam huius voti satis est, quòd ibi non desit aliqua ratio missionis, ex qua possit maius aliquod auxilium proximorum, & bonum Ecclesiæ redundare.

XVI. *Quid de non eundo ad certum locum.* Atque eodem modo dicendum videtur de non eundo in aliquem locum, vel regionem. Nam hæc etiam negatio dupliciter potest præcipi: primò propter permanentiam in termino à quo, & sic clarũ est posse præcipi, sicut de ipsa permanentia dictũ est. Secundò potest per se præcipi ad impediendum accessum ad talem terminum: & sic videtur res magis aliena ab hoc voto, sed eodem modo credo ad illud reuocari, si ratio prohibitionis sit vtilitas animarũ, quia semper hoc pertinet ad distributionem personarum, sempérque reducitur talis negatio ad positiuum oppositum, scilicet, vt Societas in alijs locis occupetur, siue hoc per se primò, siue secundariò sit intentum: satis enim est, quòd materia de se talis sit, quodq; per se sit annexa cum materia voti: sicuti ex vi præcepti affirmatiui prohibẽtur ea, quæ sunt intrinsecè coniuncta, & qui potest actũ præcipere, potest etiã præcipere necessaria, ac per se coniuncta actui, siue ipse principalius intendat negationem, siue minus principaliter. Ita ergo in præsenti dicendũ censeo. Et hæc de materia huius voti.

XVII. Ex quibus infero, & probo inprimis, hoc votum pium, & sanctum esse, quæ erat prior pars assertionis positæ numero quarto, quia fit de re optima, & propter optimum finem. Nam per illud nihil aliud intenditur, nisi commune bonũ Ecclesiæ, salus proximorum, & fidei defensio, ac propagatio, vt in locis citatis constitutionum, & Bullarũ, sæpiùs declaratur, illi autem optimi fines sunt. Quòd verò quidam calumniantur, per hoc votum Societatẽ fauorem specialem ab Apostolica sede ambire, cùm re ipsa nihil noui voueat, solúmq; adulationis causa, & propter humanũ respectum, hunc singularẽ profitendi modum inuenisse. Hæc (inquam) calumnia non potuit esse prudentũ hominum, sed eorum qui temerè, & iuxta affectũ, & animi dispositionẽ suam, de alijs iudicant. Cùm enim nec ex materia, nec ex fine ipsi⁹ voti secundum se, talis intẽtio, vel suspicio eius appareat, cùmque sæpiùs in constitutionibus recta illa intentio declaretur, & summo Pontifici in Bullis proponatur; quis potest nisi temerè aliam siniſtram intentionem suspicari? Præterquam quòd illa ambitiosa intentio, in singulis personis non potest moraliter habere locũ, vt per se cõstat, quia per tale votũ, nec magis fiunt notæ Põtifici, nec aliquid tẽporale ab illo sperant: intendere autẽ, vt tota religio sit specialiter sub summi Põtificis protectione, vt ad suum specialem finem ab ipso defendatur, & iuuetur: hoc non esset ambitiosũ, sed valde consentaneũ rationi, & charitati. Sic enim diuus Francisc⁹ pro se, & religione sua peculiariter promisit obedientiam Honorio III. summo Põtifici, & successoribꝰ eius, vt statim in numero 27. dicitur. Et Bonauentura in Apolog. paupertatis respons. 4. partic. 2. articulo primo, ait ratione singularis paupertatis, religionem Minorum, peculiari modo esse commissam curæ Pontificis tanquam filium familias parenti, quæ non est ambitio, sed sancta intentio; liceat ergo Societas suo modo hoc intenderet, optimè faceret; quamuis reuera non sit hæc huius voti intentio, sed potest esse fructus, vel effectus, qui ex illo consequatur.

Mate-

XVIII. 2. probatio ex bonitate materiæ.

Materiam autem esse in se optimam, & dicto fini accommodatam per se notum est: quia ministeria Societatis, sunt per se, & natura sua ordinata ad salutem, & sanctificationem animarum, scilicet prædicatio verbi Dei, & alia, quæ illam comitantur: hæc autem non fiunt legitimè nisi ab his qui mittuntur, iuxta illud Roman. 10. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* A nullo autem potiori iure & maiori Spiritus Sancti directione mitti possunt, quàm à summo Pastore ouium Christi, ad quem ex officio spectat ouium saluti spirituali intendere. Modus etiam optimus, quo mitti possunt est ex obedientia, quæ est holocaustum Deo gratissimum, & maximè quando voto consecrata est: ergo ex omni capite est hæc materia optima, & optimo fini accommodata.

Item ex bonitate modi eam exercendi.

XIX. Obiectio de huius voti inutilitate diluitur.

Dices aliunde videri talem promissionem inutilem, quia Pontifex non potest singulos professos, Societatis cognoscere, vt eos mittat: nec potest his missionibus intendere, alijs grauissimis rebus occupatus. Respondeo primò experientiam docuisse contrarium, nam frequenter hæ missiones fiunt à summo Pontifice, vel in generali petendo personas, earúmque determinationem Generali committendo; vel interdum etiam particulares personas, & aliquando etiam ipsum Generalem mittendo, non sine magno fructu, quem hic referre necesse non est. Deinde licèt singulares personæ non sint cognitæ Pontifici, multum refert ipsum scire totam hanc religionem esse huic muneri speciali voto cõsecratam; & suo nutui obedientem fore in omnibus, quæ ad bonum animarum iusserit. Cùm enim ipse sit generalissimus dux totius Ecclesiastici exercitus, vtile illi esse potest habere ad manus auxiliares copias militum, quos liberè possit distribuere, prout expedire censuerit. Et ob hanc causam Pater noster beatus Ignatius in 7 p. constitut. cap. primo, §. vltimo. sapientissimè prouidit ad finem huius professionis meliùs consequendum, *vt Præpositus Generalis, cùm nomen Christi Vicarius in Apostolica sede fuerit constitutus, per se, vel per alium intra annum ab eius creatione, & coronatione teneatur eius sanctitati declarare professionem ac promissionem expressam obedientiæ, quam ipsi Societas peculiari voto circa missiones ad Dei gloriã se astrinxit.* Denique licèt Papa non possit omnes professos Societatis cognoscere, aliquos autem præcipuos, & quibus commodiùs vt instrumentis vti potest, facile potest cognoscere, vel ex fama, vel ex facie, quia Romam sæpe diuertunt, vel multi etiam degunt, & ab his potest de alijs, prout voluerit, notitiam sufficientem sumere: hęc ergo satis súperque sunt, vt hoc votum ex ea parte non inutile, sed potiùs valde vtile reputetur.

Sic missi sunt Laynes in Galliã, Borgia in Lusitaniam pro bono Ecclesiæ & alij ex primis Sãcti Ignatij socijs.

XX. Ex vi talis voti tenetur generalis ex aquo dispositione Papæ circa missiones.

Non tamen omittam aduertere, quia Præpositus Generalis est principalis minister, quo summus Pontifex necessariò ordinariè vsurus est, ad has missiones faciendas, teneri ipsum ex vi sui muneris, & (vt ego opinor) ex vi eiusdem voti, quod ipse emisit, fideliter exequi & ordinare quidquid sua sanctitas in hoc genere iusserit, & iuxta intentionem suam. Hoc etiam significatur in 7. p. constitut. capite primo. §. quarto, ibi; *Superior, iuxta eius* (id est, Pontificis) *præceptum, eos qui magis conuenire, & apiores ad id fore videbuntur, designabit.* Et §. 6. ibi; *Qui* (scilicet Superior) *sanctam intentionem Pontificis in Christi Domini nostri obsequium considerabit.*

XXI. Probatur distingui Societatem à monachalibus puris per hoc votum.

Secundò principaliter infertur, & probatur ex dictis voti hoc specialem inducere obligationem, quam generale votum obedientiæ aliarum religionum, nõ includit, quæ erat secunda pars assertionis in numero quarto. Probatur facile ex dictis facta inductione, etenim religiosus monachalis nõ tenetur, ex vi sui voti obedientiæ, esse paratus ire in Indiã, vel ad Turcos, quoties iussus à Pontifice fuerit: nam quoad hoc non magis tenetur illi obedire, quàm secularis quispiam, quia illud non pertinet ad professionem suam. Suppono autem ex superiori tomo de votis religiosorum, votum obedientiæ non obligare religiosum ad obediendum in omnibus simpliciter, etiamsi optima & perfectissima sint, sed tantùm in his, quæ ad professionem suæ regulæ spectant directè, vel reductiuè: illa autem non pertinent ad monachalem professionem, vt per se constat. Suppono etiam ex omnium sententia, votum obedientiæ, in quacumq; religione, quantum ad materiam suam, non aliter obligare respectu Pontificis, quàm respectu prælatorum religionis, quia idem est obedientiæ votum, & secundùm eandē regulã fit, ad summúmq; gradatione quadã extenditur, & ascendit vsque ad Summũ Pontificem tanquam supremum prælatum vniuscuiusq; religionis, vt in fine materiæ de voto in cõmuni dictum est. Constat autē prælatũ Carthusiæ, &c. non posse obligare subditũ suũ ex vi voti obedientiæ, ac per se loquendo, vt eat in Indiam, &c. ergo neque potest Pontifex hoc titulo id præcipere. Dico, *hoc titulo*, quia non agimus de iurisdictione Pontificis vt Pontifex est, ratione cuius poterit in aliquo casu id præcipere, sicut etiam potest præcipere clerico seculari, sed ille casus & rarior est, & nõ est ex voto obedientiæ, quod nunc consideramus.

Item ex bonitate modi eam exercendi.

XXII. Videtur non esse ad religionem ad discretionem.

De religionib⁹ mendicantibus magis potest quis dubitare, quia ex institutione sua aliquo modo ordinantur ad actionem circa proximos: & ideo de illis verisimile est, posse mitti ad Indos ex præcepto obedientiæ, vt videtur supponere Soto lib. 7. de Iustit. q. 2. art. 4. in fine corporis. Nihilominus tamen absolutè, & simpliciter est magnũ discrimen. Primò, quia religiosus alterius ordinis, etiam mendicantis, solùm potest obligari ad migrandum in regiones longinquas, quatenus potest à suo Generali transferri ab vna prouincia in aliam, propter maius bonum suum, vel religionis, vt latè tractat Nauarr. Comment. 3. de Regular. n. 22. quia cùm tota religio sit vnum corpus, distantia locorum non obstat, quominus per supremum gubernatorem possit fieri translatio ab vno in alium, quando toti corpori expedit. Professus autem Societatis, ex vi huius voti, mitti potest à Summo Pontifice, præcisè ratione muneris prędicandi, vel alio modo ministrandi proximis in spiritualibus, etiamsi necesse sit eò tendere, vbi nulla sit Societatis domus, neque prouincia, neque moralis spes illius.

XXIII.

Vnde etiam fit, vt ex vi voti mitti possit, vbi perpetuò extra domos, & collegia Societatis habitet per alienas domos, & hospitalia peregrinando: ad quod (vt opinor) alij religiosi ex vi voti cogi non possunt. Et fortè in hoc sensu dixerunt aliqui moderni non posse religiosum, etiam mendicantē, præcepto obedientiæ obligari, vt eat ad Indos: nam id propter solam distantiam absolutè verum non est, quoad hunc autem viuendi, & peregrinandi modum, est probabile. Maximè verò excusari poterunt, si versari debeant inter ipsos infideles, cùm sit probabile periculum mortis, seu martyrij in tali munere obeundo. Et ideo S. Francisc⁹ in regula solùm dixit, *qui voluerit ire inter Sarracenos, petat licentiam*, &c. indicans aliter mitti non posse, vt notauit Cordub. suprà q. 2. in expositione Regulæ S. Franc. c. 10. & Ioannes de Capistrano in suis Cõstitutionib⁹ cap. 12. Professus autem Societatis, ratione sui voti, non potest hoc titulo tergiuersari, & ita in pluribus casibus obligatur, ratione huius voti, in quibus alij religiosi ex voto obedientiæ non obligantur. Accedit etiam obligatio in modo eundi: quia viri Societatis tenentur ire (vt sic dicam) expeditis suis, id est, sine viatico, & mendicando si oportuerit: alij autem, cùm hoc non profiteantur, non

poterunt

poterunt obligari cum tanto rigore. Denique professus Societatis, quasi ex officio tenetur esse expositus ad hoc munus, ita vt sine speciali necessitate mitti possit, quia hunc modum viuendi professus est: alij non item, sed ex accidenti, vel communi lege charitatis, iustitiæ, aut obedientiæ Christianæ, vel ob aliquem peculiarem respectum, seruiendi suæ religioni, vt de transitu ab vno loco in alium paulo antè dicebamus ex Nauarro.

XXIV. *Obiectio tricepscontra hoc 4. votū. add 2. cap.*

Hinc verò sumunt aliqui occasionem obijciendi contra hoc votum nouitatem, & singularitatem, imò & temeritatem; nam videtur quædam præsumptio tot difficultatibus, & periculis, se obijcere. Verùm hæc obiectio sæpe est in Superioribus expedita, vt in lib. 2. c. 4. à num. 2. Si enim religio Societatis secundùm suum proprium institutum & viuendi modum noua est, quid mirum, quòd aliquid noui etiam profiteatur? Quando enim religio S. Francisci paupertatem in communi profiteri cœpit, nouum fortasse fuit: profiteri etiam militiam, aut redemptionem captiuorum, nouum aliquando fuit in talibus religionibus. Non ergo omne nouum reprehensibile est, sed quod est antiquitati contrarium, non verò quod pro temporum opportunitate in morem introducitur, ad perficienda ea, quæ antiqua sunt. Eadémque proportione, de singularitate dicendum est, sicut Societas est peculiaris religio à cæteris distincta; ita etiam habere aliquod proprium & peculiare insigne, quo ab alijs discernitur: iam enim in Superioribus lib. 1. c. 2. ostendimus, vnamquamque religionem habere aliquem scopum, quò peculiariter collimat. In Societate ergo ministerium hoc circa animarū salutem; *Sub speciali obedientia Summi Pontificis*, est specialis scopus eius, ad quem à Deo vocata est, & ordinata. Quapropter singularitas hæc, non humana tantùm ratione, sed speciali (vt credimus) Spiritus Sancti gratia inuenta est, ad disseminandam fidem in tot remotissimis regionibus, & ad Ecclesiam à tot hæreticorum incursibus defendendam.

dd 2. cap.

XXV. *Ad 1. caput responsio triplex.*

Quanuis autem hoc votum sit de re valde ardua, & difficili, & si ad fragilitatem hominum comparetur periculis expositum (id enim non negamus;) nō tamen propterea imprudens est, aut temerariū. Primò quidem, quia non humanis viribus, sed Spiritus Sancti gratia implendum creditur, qui enim cœpit, & inspirauit illud, ipse perficiet, si per nos nō steterit. nam (vt in superioribus lib. 1. c. 6. num 9. & cap. 7. num. 10. diximus) hæc est specialis gratia huius vocationis, quæ potentior est omnib⁹ periculis, & difficultatibus. Deinde per hoc votum non promittimus nos periculis exponere; nec has, vel illas regiones adire, aut has, vel illas actiones exercere, sed obedire Christi Vicario, quo medio nullum potest esse certius ad non errandum in via Dei. Accedit tandem religionis prouidentia, tum in disponendis & probandis personis; tum etiam in eis eligendis. Et præterea in Cōstitutionib⁹, & Bullis sæpe monemur, vt patet in 7. p cōstit. c. 1. §. 2. & in Bulla 1. Pauli III. & Iulij III. ne vllus in hanc, vel illam partem mitti procuret, sed se moueri sinat, quamuis se paratum ostendere malum non sit. Ita expendit Greg. lib. 6. epi. 5. c. 169. illud Isai. 6. vbi cùm Deus diceret, *Quem mittā? aut quis ibit nobis?* ipse se obtulit dicens, *Ecce ego, mitte me.* Et illū confert cum Hieremia, qui cap. 1. se excusabat, dicens; *A, a, a, Domine Deus nescio loqui*; atque vtrumque spiritum laudat, quia ex bono affectu proficisci potest. Et quia nec Hieremias restitit, nec Isaias ire contendit prius quàm se per altaris calculum purgatum vidit. *Ne aut non purgatus* (inquit Gregorius) *ire quisquam sacra ministeria audeat: aut quem superna gratia elegit, sub humilitatis specie superbè contradicat.* Et hactenus de prima comparatione, quā in fine numeri tertij proposuimus.

Quid addat hoc votum, vltra generale votum obedientiæ Societatis.

XXVI. *Arguitur nihil addere;*

Supereſt vt de altera comparatione dicamus ad finem numeri tertij posita, in qua est maior difficultas vt in fine numeri tertij dicebamus, quia votum obedientiæ in Societate factum obligat secundùm regulas, & cōstitutiones eius, & ideo ad multa obligat, ad quæ alij religiosi, ex vi suæ obedientiæ non obligantur, vt in superiorib⁹ à numero quarto visum est. Videtur ergo obligare per se ad has missiones acceptandas, atque adeò per professionem quatuor votorum, nihil addi in reipsa vltra obligationem trium votorum substantialium huius religionis. Assumptum patet ex 7. p. cap. 2. & expressiùs 9. p. constitut. cap. 3. §. 9. vbi dicitur, Præpositum Generalem habere potestatem mittendi omnes sibi subditos, etiam non professos ad quaslibet mundi partes, & pro quocunque tempore, ac ministerio pro animarum auxilio. Et in 6. p. cap. 2. §. 1. 3. æquè de coadiutorib⁹, ac de professis dicitur, *cùm ad laborandum in vinea Domini mittuntur, nullum viaticum petere possint, sed se liberaliter* (dicitur ibi) *repræsentent, vt mittantur, prout Pontifici aut superiori ad maiorem Dei gloriam fore videbitur.* Vbi plane supponitur, esse æquè obligatos, cùm tamen coadiutores hoc votum non emittant. In contrarium autem est, quia hoc votum sit distinctum à reliquis: propterea enim in constitutionibus & Bullis quartum votum appellatur, & professio hæc quatuor votorum dicitur: ergo oportet vt distinctam obligationem inducat, aliàs quomodo distinctum est?

Arguitur addere nouū aliquid.

XXVII.

Ad hoc imprimis dicitur, siue hoc votum in voto obedientiæ Societatis implicitè contineatur, siue non, sanctè, & vtiliter fieri. Hoc in primis ostendo exemplo religionis sancti Francisci, qui in principio suæ regulæ speciale votum obedientiæ facit Papæ Honorio, & legitimis successoribus eius. Quod exponens Bonauētura in expositione regulæ capite primo in fine, ait; *Et si totus clerus, & religiosorum vniuersitas teneatur firmiter Apostolico Domino obedire: tamen Sanctus huic debito votum obiecit speciale, sciens voto fortiſi ari sacri ordinis vinculum, & meritum geminari.* Quod votū (dicunt communiter expositores eiusdem regulæ) factum esse à sancto Francisco, non pro se tantùm, sed etiam pro omnibus suis fratribus, id est, vt ab omnibus etiā fieri intelligatur, nec enim potest votū per alium fieri cùm sit actio personalis, vt libro quarto de voto tractauimus capit. q. 1. sed quia vouent obedientiam secundùm regulam, & in ea continetur illud votum ex, resse, ideo censentur omnes speciali quodam modo illud votum facere. At illud votum sancti Francisci expresse factū Honorio nō ad plura obligauit illū, quàm votum obedientiæ generalis suæ religionis, & nihilominus illud fieri specialiter, & expresse, valde laudabile fuit, & nunc est in tota illa religione: etiamsi non adeò expresse tale votum à singulis fiat: ergo etiam in glorioso Patre Ignatio, & socijs eius, & in omnibus, qui illos imitantur, tale votū dignū laude est, siue ad nouos actus obliget, siue nō obliget. Deinde sunt optima ad hoc declarandum verba Concilij Toletani XI. capite decimo, quæ referūtur in caput *quāquam* d. 23. vbi dicitur expedire vt qui sacris initiantur promittant, & voueant obedientiam, etiamsi ex vi statuti sui canonicis regulis teneātur obstricti, & ratio subiungitur, *solet enim plus timeri quod singulariter poscitur, quàm quod generali sponsione concluditur.* Deinde esto hoc votum non addat specialem obligationem, nihilominus est specialis reuerentiæ, & humiliatis actus: ergo, vel ex hoc capite laudabile est. Atque hæc ratio tangitur in prædictis Bullis dum dicitur; *Ad maiorem nostra Societatis humilitatem, ac per-*

ac perfectam vniuscuiusque mortificationem, & voluntatum nostrarum abnegationem, &c. Denique addit nouam & expressam voluntatem illius obligationis, qui est nouus actus meritorius.

XXVIII. Hinc præterea probabile est, votum hoc, circa eosdem actus addere maiorem obligationem, quasi intensiuam, etiamsi non addat extensiuam. Potest autē dici additio extensiua duplici modo, vel quia extenditur ad nouos actus: vel quia eidem actui addit obligationem diuersæ rationis, ac virtutis; si ergo supponamus ad has missiones, cum omnibus circūstantijs eius à numero decimo adductis, oriri obligationem ex vi voti obedientiæ Societatis, clarum est per hoc votum expressum nō extendi obligationem priori modo, quia non ad nouos actus, nec posteriori modo, quia non est in alia specie virtutis, nisi religionis, neque in ea est alterius rationis, quàm voti, quia, vt suprà numero primo argumentabamur, generale, vel speciale non mutant specificam rationem obligationis, licèt intra eandem speciem possint aliquam diuersitatem habere.

XXIX. Iam ergo probatur assertio de maiori obligatione intensiua, quia specialis promissio videtur intra suum genus maiorem inducere obligationem, vt in citato Concilio Toletano significatur, & glossa sentit in dicto cap. *quanq; am.* Idem etiam significauit Bonauentura in verbis nuper citatis, dicens de illo voto sancti Francisci, quod addidit, & firmitatem & meritum, cùm tamen non differret à voto obedientiæ suæ religionis, nisi sicut explicitum ab implicito, seu speciale à generali. Imò licèt à reliquis fratribus illius ordinis tale votum non fiat ita explicitum, solum quia in regula ita continetur, ait Corduba dicta quæstione tertia, grauius peccare fratres minores mandatis Pōtificijs inobedientes, quàm cæteros religiosos. Ita ergo professus Societatis IESV grauius peccabit recusando missionem à Pontifice iniunctam, quàm coadiutor, aut scholaris approbatus, licèt hi etiam peccent cōtra obedientiam illam detrectando. Aliqui etiam addunt solam multiplicationem voti circa eandem materiam augere obligationem, & consequenter culpam, si transgressio fiat. Vnde Angles quæstione de voto articulo primo difficultat. 9. ait, qui in duabus religionibus professus est solenniter castitatem, grauiùs peccare, si incontinenter viuat, quàm qui in vna tantùm; quod licèt per se loquendo non ita se videatur, quando vota sunt omnino similia, & eiusdē rationis: at in nostro casu est satis verisimile.

XXX. Nam adiunctis circunstātijs diuersis, quæ in hoc voto Societatis iuueniuntur, valde verisimilis probatio ex illis desumitur: sunt autem hæ circanstantiæ duæ potissimum. Vna est specifica promissio talis materiæ, per quam persona ex officio dicatur ad illud munus, propria, ac peculiari voluntate; inde enim talis obligatio magis voluntaria, & expressiori pacto confirmata est, & ideo auget obligationem intra eandem speciem; cùm enim de ratione obligationis sit, esse voluntariam, quo magis voluntaria fuerit, eo erit maior, cæteris paribus. Item prohibitio, quò fuerit expressior, & specialior, eo magis obligat. Vnde etiam probabile est, sacerdotem, qui proprio speciali voto cōfirmat expresse obligationem seruandi castitatem, magis peccare illam violando, quia contra expressiorem promissionem, magisque voluntariam. Sic etiam dixit D. Thom. 4. d. 3. 8. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 2. ad 2. votum improprium, quod fit in Baptismo, augere obligationem intra eandem speciem, propter maiorem cognitionem, & voluntatem. Secunda circunstantia, quæ in hoc voto considerari potest, est persona cui obedientia per tale votum promittitur, quæ est digna maiori reuerentia, & fidelitate: constat enim promissionem, cæteris paribus, eò inducere maiorem obligationem, quo persona, cui promissio fit, dignior est: ob quam rationem promissio facta Deo, altiori modo obligat, quàm facta homini; Et suo modo etiam, (licèt non æquali proportione,) promissio facta Regi magis obligat, quàm facta priuatæ personæ. Igitur in præsenti ex eo, quòd tale votum est expressè, & directè de obedientia præstanda Summo Pontifici, erit maioris obligationis.

Nec refert, quòd tale votum directè fit Deo, nam XXXI.
etiam includit promissionem factam Pontifici, quę est materia illius voti, & per se magis obligat in suo genere, & facit vt votum sit grauius, & consequenter magis obligans. Nec etiam obstat, quòd etiam votum obedientiæ in generali includat Summum Pontificem; quia solùm includit sub communi ratione Prælati huius religionis, & num. 21. dicebamus: hoc autem votum directè fit Pontifici secundùm se, etiamsi verum esset aliàs non esse Prælatum alicuius religionis. Quare in hoc voto considerari potest specialis proprietas, quòd cùm Præpositus Generalis aliquem professum mittit in virtute huius voti, propriè gerit vices Pontificis, & per specialem potestatem ab ipso datam, exigit promissionem Pontifici factam. At verò quando ipse mittit, vel præcipit aliquid ratione generalis voti obedientiæ, tunc vtitur proprio iure, & quasi dominio sibi acquisito. Et hinc etiam fit, vt prius præceptum grauius sit, & magis obliget: sicut eadem lex humana posita à Papa, vel ab Episcopo, licèt intra eandem speciem obliget, grauius obligat à maiori Prælato posita, iuris etiam naturæ, & humanileges circa eandem materiam possunt augere obligationem intra eandem speciem, propter respectum ad plures superiores, ob digniores: ita ergo suo modo in præsenti.

Vltimo addo, probabiliter defendi posse, addere XXXII.
hoc votum obligationem aliquam, etiam ex parte materiæ; ita vt ad aliquid, vel in aliquibus casibus possit hoc votum obligare professos, in quibus alij, ex vi generalis voti obedientiæ, in rigore non obligabuntur. Hoc ita declarato, quia inprimis non inuenio in constitutionibus expressum scholares approbatos teneri ad proficiscendū in huiusmodi missionibus sine viatico, vel illo non petito, aut procurato: nec videntur obligandi per se, & absolutè, quia illi non sunt hoc genus paupertatis professi, sed ad summum in casu necessitatis, quando aliter non potest fieri, & alioqui profectio, seu missio necessaria est. Coadiutores autem obligantur ratione voti paupertatis, quod illos magis obligat. Professi tandem non solum ratione paupertatis, sed etiam ratione obedientiæ, & ita comparatione facta ad scholares, est in professis maior hæc obligatio ex parte materiæ: comparatione autem coadiutorum est maior in eadem materia, sed vinculo noui voti, seu promissionis obedientiæ.

Deinde nec de scholaribus, nec de coadiutori- XXXIII.
bus inuenio expressum in specialī, quòd in his missionib⁹ sine excusatione obedire teneantur, & ideo videntur posse in aliquibus casibus excusari sine culpa grauī, in quibus professi non poterunt: vt si negotium esset nimis arduum, vel cum graui periculo mortis, & adesset professus, qui æquè bene, & sufficienter mitti posset. Certè deberet Superior potiⁿ mittere professum, quàm aliū, quia ille quasi ex officio tenetur esse expositus illi muneri in speciali: ergo in eo casu excusatio religiosi non professi, ob magnam rei difficultatem, cui eius persona hic, & nunc non est necessaria, non videtur contraria voto, saltem in rigore præcepti: excusatio autem professi esset contraria, quia expressè vouet ire sine excusatione, & tunc eius excusatio, nec rationabilis, nec colorata esset. Hoc autem ea mente dixerim,

dixerim, vt professi suam magnam obligationem agnoscant, non vt alij suam extenuent, & occasionem excusationum assumant, nam præterquam quòd illa nunquam erit sine magna imperfectione, vix potest in particulari excusari, si instet rigor præcepti, quia non potest moraliter constare priuato religioso de omnibus rationibus, quæ Pontificem, vel Generalem mouent ad ipsum mittendum potius quàm alium, vel de impedimentis, quæ circa alios occurrunt, &c. Eo vel maximè quòd in propria causa sæpè quis fallitur, vel timendo vbi non est timor, vel iudicando sibi iniuriam fieri, se potius, quàm alium mittendo. Nihilominus tamen verum censeo, in rigore præcepti maiori obligatione, etiam extensiua, teneri professum ad abstinendum ab excusationibus, & ostendendum se paratum ad has missiones, quanuis difficiles, quia hoc totum expressè, & in specie vouet.

XXXIV. Accedit præterea, quòd professus, ex vi professionis, pluribus negotiis, & missionibus exponitur, quàm alij, quia cùm professio dari non debeat nisi hominibus prudentia, literis, & religione conspicuis, eo ipso quòd ad professionem admittuntur, quasi iudicantur idonei ad omnia ministeria, ad quæ dotes illæ sunt necessariæ. Et similiter cùm ipsi professionem acceptant omnibus illis ministeriis se offerunt, prout superior iudicauerit: quare vix iam in eis locum habet legitima excusatio. Alij autem, dum in inferioribus gradibus existunt, meritò possunt se ab illis grauioribus missionibus, saltem ex parte rerum, vel negotiorum, ad quæ destinantur, excusari. Ita ergo intelligi potest omnibus modis maior obligatio huius voti, etiam respectu aliorum membrorum Societatis. Et consequenter satis constat non solùm conueniens, sed etiam vtilissimum, & iuxta suum institutum necessarium fuisse tale votum nostræ Societati. Et ita satisfactum est primæ rationi dubitandi in principio positæ.

Concluditur quæstum in num. 26 & de statu fit 1. argum. ibi posito.

XXXV. Ex quibus etiam obiter explicatum est, cur hoc votum fiat summo Pontifici in particulari, & non simpliciter prælatis religionis sicut solet fieri generalis obedientiæ votum. Ratio enim esse potuit iuxta dicta in num. 30. vt hoc votum ex omni parte grauius sit, maioremq; reuerentiam conciliet. Item est alia ratio, quia cùm finis huius voti, sit vniuersalis Ecclesiæ obsequium, vel auxilium, distributio ministeriorum soli Pontifici vniuersali eius pastori debuit principaliter committi. Præterea factum videtur, vt ipse summus Pontifex intelligeret, se acquirere proprium, & speciale ius in totam hanc Societatem, sibi peculiari modo subiectam: nam licet sola Societas professa hanc propriam habeat obligationem, cùm omnes alij gradus Societatis ad illum supremum ordinentur, vel cooperando illi, vel ad illum homines disponendo, dum talis gradus specialiter deuincitur summo Pontifici, tota religio illi subiecta specialiter euadit. Tandem speciali Dei prouidentia hoc consilium inuētum & initum credimus, vt quo tempore hæretici Apostolicam sedem speciali odio prosequūtur, vna aliqua religiosa familia, eam speciali reuerentia prosequatur, & ideo se totam eius obsequio deuoueat: eiusq; supremam potestatem specialiter recognoscat.

Cur 4 votū fiat Papa nominat. in.

XXXVI. Sed quæret hîc aliquis, quando teneantur professi qui mittuntur à summo Pontifice, vel à Præposito generali nomine illius, ex vi huius voti obedire sub culpa graui; & an debeant hanc obligationem expectare, vt obediāt. Respondeo ad priorem partem, ex parte materiæ ferè semper esse hanc obligationem grauem, quia materia grauis momenti est: vnde quantum ad animi præparationem, semper tenentur esse parati, quia ex parte Pontificis semper est potestas præcipiendi. Quoad actualem verò obligationem ex parte modi præcipiendi, seu mittendi rarò imponitur proprium præceptum. Existimo enim, quod de generali voto obedientiæ cautum est 6. p. constit. cap. vlt non imponi præceptum eius, sed simplicem obedientiam, *nisi superior in nomine Domini nostri Iesu Christi, vel in virtute obedientiæ iubeat*, id etiam in hoc voto intelligendum esse. Quod quidem quoad missiones, quæ à Generali iubentur, certissimum est, & vsu receptum; quia constitutio illa vniuersalis est, pro omnibus materiis. De missionibus autem ab ipso Pontifice immediatè iniunctis, potest quis dubitare, quia ipse nō comprehenditur constitutionibus. Nihilominus tamen idem sentiendum est, quia dum his religiosis præcipit, intelligitur iuxta modum suarum constitutionum illis præcipere, quandiu aliud non declarat. Item quia nunquam præsumitur imponi proprium præceptum, donec sufficientibus verbis exprimatur.

Ad alterum verò partem, quamuis Soto lib. 7 de Iustit. q. 2. art. 4. indicet in huiusmodi rebus arduis & missionibus consilium esse expectare proprium superioris præceptum: & fortasse in casu dubio (in quo ipse maximè loqui videtur) ita esse consulendum; simpliciter tamen, ac regulariter loquendo, id consulendum non est; sed potiùs, vt ad nutum superioris obediatur. Quia licet ratio præcepti videatur aliquod meritum addere; tamen illud compensatur, excediturque promptitudine voluntatis, & prius meritum nō amittitur, quia voluntas parata est, ad multo magis obediendum præcepto, si interponeretur; & per solam simplicem iniunctionē satis constat subdito de diuina voluntate, vt omnem fructum obediētiæ, & omnem diuinam protectionem, & auxilium eam ob causam sperare possit. XXXVII.

Vtrùm hoc votum sit solenne, & in quo eius solennitas consistat.

Vltimo loco explicandum superest, vtrùm hoc votum sit solenne, & in quo eius solennitas cōsistere possit, quod erat secundum punctum in numero secundo propositum, cuius dubitandi rationem ibidem adduxi. Nihilominus negare nō possumus, hoc votum esse solenne: nam in constitutione, *Ascēdente Domino*, Gregorij XIII. primum hi appellantur professi quatuor votorum, quia omnia illa solennia sunt, aliàs plurium votorum appellari deberent, vt infrà à cap. 6. videbimus. Postea verò expressiùs de eisdem professis dicitur *tribus illis substantialibus votis solennibus, quartum similiter solenne addunt speciale summo Pontifici obedientiæ circa missiones præstandæ ob certiorem Spiritus sancti in missionibus ipsis directionem*, &c. Et ex constitutionibus in forma ipsa profitendi satis colligitur, quia eodem tenore, in eadem solenni professione hoc votum cum aliis fit. XXXVIII.

Eius autem solennitas eodem modo videtur declaranda, qui in generali voto obedientiæ, proportione seruata: nam in hoc voto probabile est, totam eius solennitatem consistere in traditione omnino irreuocabili ex vtraque parte, promissioni adiuncta, quam de seipso facit persona profitens, se verè tradens in dominium religionis; sic enim professus Societatis specialiter se tradit in dominium, & potestatem Pontificis, quo ad hūc effectum missionum, ita vt quoad illum non maneat sui iuris, nec propriæ religionis, sed tanquam seruus Pontificis, quam seruitutem tota ipsa religio participat per hanc professionem, quam ideliter per hoc votum seruare promittit. Præterea sicut in solēni voto obedientiæ, ita subditur voluntas religiosi, voluntati Prælati, vt definat esse sui iuris; atque ob eam rem omnes contractus facti à tali religioso, vel nulli sint, vel rescindi à superiore possint: ita cum XXXIX.

proportione, de hoc voto dicendum est: nam in ordine ad missiones, atque adeò in ordine ad habitandum in hoc vel illo loco; ita est professus Societatis alieni iuris, vt quidquid efficere vel contrahere velit, illi obligationi repugnans, validum esse non possit. Habet ergo hoc votum eandem solennitatem, quam generale votum obedientiæ seruata proportione, & ideo de illa nihil ampliùs dicendum superest.

CAPVT V.

Vtrùm professio conuenienti modo in Societate fiat.

DVo in modo emittendi professionem considerari possunt. Vnum est id, quod pertinet ad substantiam eius: aliud ad exteriorem solennitatem, & cæremoniam spectans. Vtrumque potest in præsenti breuissimè explicari, quia substantialia huius professionis, iam ferè declarata sunt, accidentalia, verò sunt pauciſsima.

De modo substantiali.

I. Ad substantiam ergo huiusmodi professionis ex parte emittentis illam, supposita legitima receptione, & sufficiente probatione, de quibus suprà in lib. 2. cap. 1. & hoc lib. 6. cap. 2. dictum est, suppositа etiam debita intentione profitendi, solùm sunt verba illa quæ habentur in 5. p. constit. cap 3. §. 3. *Ego N. professionem facio, & promitto omnipotenti Deo, coram eius virgine matre, & vniuersa cœlesti curia, ac omnibus circunstantibus, tibi reuerendo Patri Generali Societatis Iesu locum Dei tenenti, & successoribus tuis, perpetuam paupertatem, castitatem, & obedientiam, & secundum eam, peculiarem curam circa puerorum eruditionem, iuxta formam viuendi in literis Apostolicis Societatis Iesu, & in eius constitutionibus contentam, insuper promitto speciale obedientiam Summo Pontifici,* &c. In quibus verbis considerare licet, distinctissimè contineri omnia, quæ sunt de substantia status religiosi, ita vt nulla ratione professio magis expressa fieri posse videatur. Nam in ea in primis expressè fit traditio per verbum profitendi; deinde singula vota sigillatim exprimuntur, declarantur, extenduntur, & limitantur: ac denique etiam infinuatur totum hoc fieri in religione, per Sedem Apostolicam approbata, dum literarum eius mentio fit.

Forma professionis substantialis ex parte professentis.

II. Nihilominus tamen aduertere necesse est, non omnia & singula illa verba esse de substantia & valore huius professionis, multa enim ponuntur ad ornatum, vel maiorem decentiam ac deuotionem, vt quòd fiat promissio *omnipotenti Deo*, quòd *coram virgine matre*, &c. quòdque fiat *Generali & successoribus*; in rigore enim satis est, profiteri, & quatuor vota expressè emittere: hoc enim videtur esse in hac religione necessarium, & substantiale, ex mente constitutionum eius. Quapropter aduerti etiam potest, omnia hæc verba, quantum ad dictam expressionem votorum, & professionem, sumi per modum vnius continuatæ orationis, quæ non habet perfectum sensum, donec tota proferatur; ita vt si quis solùm diceret: Ego profiteor in Societate Iesu, & promissionem expressam taceret, non fieret professus. Idem censeo de singulis votis substantialibus: quod in tribus primis est manifestum; quia sunt de substantia cuiuscunque professionis. & in hac religione, nisi explicitè fiant, non censentur fieri, vnde qui vnum emitteret, professionem non faceret, & ideo nec reliqua duo valida essent, quia non fiunt, nisi vt annexa professioni.

Quæ verba sint substantialia, quæ minimè.

III. De quarto autem posset esse maior dubitatio, si quis post prolatam illam formam, vsque ad illa verba, *iuxta formam in constitutionibus contentam*, nol-let vltra progredi, nec quartum votum emittere, an maneret verè professus trium votorum Societatis. In quo mihi breuiter dicendum videtur ex parte suа manere professum, quia supponimus habere intentionem profitendi illo modo, qui per se sumptus sufficit ad quandam veram professionem faciendam: ex parte verò Societatis, dependere hùc valorem ex intentione acceptantis: nam si ille legitimè talem professionem acceptet, valida erit; aliàs verò minimè; vt in sequenti puncto declarabitur.

An valeat

IV. Ex parte igitur Societatis de substantia huius professionis est, vt in manibus alicuius fiat, qui illam possit acceptare, & acceptet: hoc enim est de substantia cuiuscunque professionis, quia est veluti contractus reciprocus, vt tomo præced. tractatum in communi est. Est autem hoc singulare in Societate, vt iure ordinario, potestas admittendi ad professionem, in solo Præposito Generali sit, ita enim statuitur 5. p. constit. cap. 1. §. 2. & p. quæst. cap. 3. in principio. Quia verò in his locis generaliter est sermo de omni admissione, tam ad professionem, quàm ad alios quoscunque gradus, etiam nouitiorum, & de omnibus dicitur potestatem recipiendi esse apud Generalem, posse tamen per se, vel per alios illam exercere, ideo aliis in locis declaratum est, hanc commissionem admittendi ad professionem ordinariè non debere generatim fieri Prouincialibus à Præposito Generali, sed in particulari ad has, vel illas personas ad professionem admittendas post diligentem inquisitionem, & bonam ac sufficientem informationem de eorum vita, & doctrina, vt patet ex declaratione dict. cap. 3. partis 9. in lit A. & ex cap. 2. 5. p. constit. in princ. vbi in declaratione additur, in remotissimis Indiarum regionibus, posse facilius generalem commissionem fieri, in cæteris verò locis non facile. Ex quibus verbis intelligere licet posse aliquando fieri hanc commissionem confusè, & in communi pro arbitrio prudenti Generalis, & ideo hoc non pertinet ad substantiam, sed solùm quòd potestas sit Præpositi Generalis, vel à Generali commissa. Est autem notanda differentia inter professionem, quæ immediatè ab ipso Generali acceptatur, vel per alium: nam ipse potest liberè acceptare, vt voluerit, alij solùm iuxta potestatem sibi delegatam; quia in Generali est hæc potestas tota quota ipsa est, in aliis verò solùm quanta datur.

Explicatio.

Diligenter inquirenda.

V. Vnde in casu suprà posito de illo, qui ex intentione Generalis accedit ad emittendam professionem quatuor votorum, & posteà in ipso actu fitlit, & non vult emittere quartum votum; dicendum est, si professio fiat coram ipso Generali, in voluntate eius esse illam acceptare, necne? & si acceptet valida esse, quia nihil aliud expectabatur; si verò nolit acceptare, posse id facere, & professionem manere nullam; quia supponimus Generalem accessisse animo acceptandi professionem quatuor votorum: nō ergo censetur acceptare, donec tota professio finiatur, & ipsa, vel scriptum, in quo continetur, recipiatur, vel saltem taceat, & consentiat: ergo quandiu quartum votum non emittatur, adhuc manet res suspensa, donec Generalis explicet mentem suam.

Resolutio.

Ampliatio.

Ratio quare non possit.

VI. At verò si professio admittenda sit per alium, cui demandata solùm est potestas admittendi talem personam ad professionem quatuor votorum, non potest talem professionem acceptare, quia non est illi potestas commissa acceptādi ad alium gradum, nisi ad professionem quatuor votorum: & ideo admittere non potest ad aliquem alium gradum, etiam inferiorem: quia hi gradus non distinguuntur sicut pars & totum, vt qui possit totum, possit & partem, sed distinguuntur, vt quædam tota; seu mem-

Declaratio.

Ad aliquem gradum inferiorem.

Ratio.

seu membra diuersa, inter quæ non potest fieri illatio, vt qui possit vnum, etiam maius generare, possit & aliud etiam inferius. Maximè, quia professio trium votorum rarò, & ex magna causa conceditur in societate: & ideo non potest, is qui ad professionem quatuor votorum approbatus est à Generali, ad professionem trium votorum tantùm admitti, sine noua eiusdem Generalis cõcessione. Potest denique ad hoc confirmandum, argumentum à simili sumi, ex iuribus asserentibus, cui mandatur prouideri de integra præbenda, etiamsi in Ecclesia sint tam integræ, quam dimidiæ præbendæ, & ipse velit dimidia esse contentus, non posse de illa prouideri, & cui mandatur dari præbenda certæ quantitatis, non posse dari præbendam minoris valoris, etiam ipso volente, cap. *cui de non sacerdotali*, de præbend. in 6. & subiungitur ratio, *Non enim huiusmodi mandata (quorum fines diligenter seruari oportet) debent ad casus alios, quàm expressos extendi.* Hæc autem ratio, & decisio, cum eadem, vel maiori proportione in præsenti, locum habet.

De modo accidentali.

VII. *Solennitatis seu dispositionum ante professionem recensio.*

Circa modum accidentalem, seu solennitatem huius professionis, vel loqui possumus de ea, quæ antecedit ipsam professionem etiam remotè, quæ magis propriè dici potest dispositio, vel de ea, quæ comitatur ipsum profitendi actum, & quidem pro antecedẽte solennitate, seu dispositione ad professionem hanc, multa præscribuntur de iure ordinario Societatis. Nimirum longa probatio, sacerdotium, ætas 25. annum excedens, eruditio prout in c. 1. huius libri tractatum est; proximus verò requiritur defensio thesium Philosophiæ, ac Theologiæ, quatuor argumentantibus, vt habetur p. 5. constitut. c. 2. §. 2. quod retinetur in 4. congregat. decreto 11. quantus verò profectus in iis scientiis postuletur: ita tandem in 7. congreg. decreto 28. n. 3. statutum fuit. *Nemo ad quatuor votorum professionem admittatur, nisi qui sub finem anni quarti deprehensus fuerit tantum eruditionis habere, quantum necessum foret ad Philosophiã, ac Theologiam cum satisfactione docendum, nisi forsan ad gubernandum, vel concionandum, illustria talenta haberet,* &c. vbi etiam rigorosa satis forma examinis præcipitur, quæ ibi videri potest: requiritur deinde à professuris, vt Societatis institutum, ac Pontificias Bullas attentè euoluant in c. 4. examinis n. 41. & alibi: item vt triduo ostiatim mendicent, vt denique per dies octo ante ipsam professionem exercitiis spiritualibus vacent, de quibus in lib. 9. à. c. 5. agendum erit.

VIII. *2. solennitas comitans non irritans si desit.*

Iam verò pro solennitate comitante ipsum professionis actum paucissimæ quidem cæremoniæ, sed grauissimæ, & antiquitati valde consentaneæ in citato loco Constit. 5. p. cap. 3. præscribuntur, idque in Congreg. 1. decreto 36. habetur ratum, atque item in can. 20. vbi primò postulatur, vt hæc professio publicè fiat coram domesticis, & externis, qui Missæ sacrificio interfuerint. Quæ circumstantia videri potest essentialis, vt professio non sit clandestina, vtque de illa in foro Ecclesiæ constare possit, sed de hoc in tomo superiori diximus, agentes de professione religiosa in genere, omnino seruandam esse hanc circumstantiam propter ratfonem factam: hactenus verò nullum inueniri ius irritans professionem aliter factam: idem ergo in præsenti dicimus, quia nec in constitutionibus, nec in Bullis Societatis inuenitur speciale ius irritãs, vel maiorem necessitatem imponens: & ideo non magis credimus hanc circunstantiam esse substantialem in præsenti, quàm in professionibus aliarum religionum.

IX. Secundò postulatur vt ante professionem præcedat Missæ sacrificium celebratum publicè ab eo, qui professionem admissurus est, finitoque sacrificio habens in manibus sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, ad eum se conuertat, qui professionem emissurus est, & ita eius professionem audiat. Quæ cæremonia sine dubio grauissima est, & magnam reuerentiam conciliat: & licèt peculiaris nostræ Societatis esse videatur, in aliis enim religionibus non solet fieri professio tempore Missæ, nec finito sacrificio: non est tamen noua: nam in primitiua Ecclesia ita fuisse vsitatum ex Dionysio intelligimus cap. 6. de Eccles. hierarch. vbi sic inquit, *stat quidem sacerdos ante sacrum altare, monasticam imprecationem psallens*, &c. vbi licèt non faciat expressam mentionem sacrificij quod præcederet; verisimile tamen est ita fuisse vsitatum, & hoc significare cum ait, sacerdotem stantem ante altare (vtique sacrificio peracto) mysticam inuocationem super eum, qui professionem emissurus erat, solitum fuisse inchoare, quod ex aliis, quæ ibi subiungit, magis intelligitur, vt statim in numer. 10. exponemus. Denique Societas loco illius inuocationis, solo sacrificio Missæ, & precibus, ac collectis eius contenta est, & illum etiam morem quoad cantum, & psalmodiam non imitatur, quia chorum non profitetur: & in omnibus actionibus suis vniformiter, ac simpliciter procedit, & ad debitam solennitatem sufficit Missa publicè dicta, etiamsi absque cantu proferatur: magnamque reuerentiam ac timorem conciliat præsentia Iesu Christi, D. N. in manibus sacerdotis existentis, vt in manibus ipsiusmet Christi, potius quàm Prælati professio fieri intelligatur.

2. solennitas etiam non irritans si desit.

Tertiò ille qui professionem emissurus est, dicta confessione generali, voce alta professionis formam suprà à numer. 1. explicatam, ex scripto legit, vbi meritò vox alta postulatur, vt ab assistentibus audiri possit, & intelligi: scriptum autem requiritur, tum ad maiorem solennitatem, & certitudinem, vt infrà in num. 11. iterum dicitur: tum etiam vt in singula verba formæ, quæ vel substantialia, vel decentissima sunt, fideliùs, & securiùs, proferantur. Sic etiam D. Benedictus in sua regula cap. 5. 8. præcipit professionem in scriptis redigi. Additur autem in prædicta constitutione oportere, vt scripta illa vouendi, per aliquot dies antea fuerit considerata cum diuturna meditatione, & singulari animi, & sensuum omnium collectione, vt in examine cap. 4. §. 41. explicatur. Et ob hanc causam non fiunt à sacerdote in huiusmodi actione interrogationes illæ, & exhortationes de sæculi renuntiatione, de perfectione vitæ, ac status talis religionis, & similibus, quæ loco supra citato Dionysius cõmemorat, quia supponuntur hæc, & per longa probationum tempora esse satis interrogata, & proposita, & per proximos præcedentes dies esse multum præmeditata.

X. *3 solennitas etiam non de essentia.*

Quartò finita forma professionis, qui eam emisit, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumit de manibus eius, qui professionem admittit. Hoc etiam olim seruatum fuisse Dionys. suprà testatur, qui 2. p. illius c. 6. ita cõcludit, *vbi vero ille*, (id est, monachus) *ista omnia intente promiserit, diuinorum mysteriorum participem efficit.* cuius rei causam in fine 3. partis eiusdem capitis sic addit. *In fine vero omnium, sacerdos ad diuinam ita instructum vocat communionem, aperte satis insinuans, eum, qui sic consummatus est, non modo contemplatorem fore sacrarum rerum, sicut in morem medij ordinis ad communionem accessurum, sed augustiore scientia fretum alio, quàm sanctus populus, modo ad communionis diuinæ participationẽ admitiẽdum* Ac si diceret per hanc communionem moneri religiosum maiori puritate, & consideratione, quàm communem populum debere diuinissimum hoc sacramentum tractare,

XI. *4 solennitas.*

Eius ratio ex Dionysio.

tractare, quæ ratio maximè locum habet in professis Societatis, qui & sacerdotes esse debent, & officium assumunt exhortandi, & disponendi homines ad eiusdem sacramenti conuenientissimum
Altera ratio ex eodem. vsum. Vnde etiam subiungit in clericorum ordinationibus sanctam communionem tradi, non solùm quia sacramentum hoc est consummatiuum, & perfectiuum omnium sacrarum rerum, quia est summa mysteriorum omnium; sed etiam, quia omnes ordines, suo modo, sunt participes singulari ratione huius sacramenti, vt per illud subleuentur, & perficiantur: ob eandem ergo rationem &
3. ex authore significationem in fine nostræ professionis nobis diuinum hoc sacramentum traditur. Addimus etiam, per hanc communionem, diuino quodam modo formari, & stabiliri pactum inter Deum ac Societatem, & professum initum. Nam sacerdos dans Eucharistiam, ostendit se acceptare professionem, & in suam communionem spiritualem professum recipere: Deus autem, & Christus seipsum principaliter dans, auxilium suum ad fidem ibi datam seruãdam tacitè promittit, & pignus singularis præmij postea tribuendi, si ab ea non defuerit, tribuit. Professus autem Christum ipsum suscipiens, eum quasi in fideiussorem adducit, & Deo offert de fide, ac promissione à se præstita seruanda.

XII. Quintò solet sacerdos scriptam professionem
5. solemnitas. accipere de manibus eius, qui professionem emisit; estque bona consuetudo, in signum acceptationis: quamuis necessaria non sit, nec de ea in constitutionibus fiat mentio: quia satis censetur acceptari professio publicè, & cum illa solennitate illam audiendo, & consentiendo, & maximè (vt dicebam) sacram communionem statim impertiendo. Post hæc etiam sequi solet mutua cum amplexu salutatio, cuius etiam meminit Dionys. his verbis, *Cum sanctis aliis, qui astant viris ipsum salutat. Per quam salutationem* (ait idem Dionys. 1. 5. p. 3.) *significatur æqualium spirituum sancta Societas, mutuaque & iucunda lætitia.* Et in 3. p. eiusdem cap. 6. ait, *quòd si modò quoque, tam sacerdos, quàm circumstantes reliqui viri sancti sic dicatum consalutant sacram intellige Dei præferentum speciem Societatem, qua sibi inuicem cum lætitia, & charitate gratulantur*, Hoc ergo eodem spiritu hæc consalutatio in nostra Societate fit: hac obseruata differentia, quod Dionys. insinuat illam salutationem fuisse fieri solitam ante communionem, in Societate verò fit post finitam communionem, quia illa censetur veluti consummatio professionis: Alia verò quæ de mutatione vestium, & tonsione aliisque cæremonijs ibi Dionys. refert & in aliis religionibus iuxta vniuscuiusque modum sanctè seruãtur, in hac professione omittuntur, propter rationem suprà in n. 8. insinuatam, & quia Societas, vt lib. 1. cap. 5. diximus, quoad habitum, & externam speciem vitam profitetur communem. Additur verò in citato loco constit. postea describendam esse professionem, cum omnibus circumstantiis particularibus eius, tam personarum emittentis, & admittendis illam, quam loci ac temporis in libro ad hoc peculiariter deputato vt de tota semper constare possit ad Dei gloriam: similisque diligentia à sancto Benedicto in citato loco regulæ suæ præscribitur, in modo quidem aliquantulum diuersa, quoad substantiam verò & spiritu eadem, in eundemque finem tendens.

CAPVT VI.

De voto simplici non assentiendi relaxationi paupertatis, quod religiosi Societatis, simul cum aliis votis simplicibus, post solennem professionem emittunt.

EXplicatis iis quæ professionem Societatis antecedunt, & comitantur, restat dicendum de illis quæ consequuntur: supponendum igitur est, in Societate obseruari, vt peracta professione, & emissis quatuor votis solennibus, separatim, & non ita publicè neque in Ecclesia, sed in Sacristia, vel alio simili loco coram eodem superiore, vel alio sacerdote, qui professionem acceptauerat, & aliquibus domesticis, imò & extemis nonnullis aliquando, alia simplicia vota emittantur, quæ in Constit. præscripta sunt. Quorum mentio etiam fit in constitutione Gregorij, *Ascendente Domino*, vt hic mos, inter alia instituta Societatis, expresse & in particulari confirmaretur, vt reuera confirmatus fuit. Illorum ergo vim & rationem in hoc & sequentibus capitibus explicare necesse est. Posset autem prius in communi quæri, an oportuerit noua vincula addere, vltra illa, quæ sunt essentialia professioni. Nã hic etiam locum habet frequens obiectio de rei nouitate, cùm aliæ religiones simile quid non obseruent. Item quia videtur alienum à spiritu Societatis vincula multiplicare: ideo enim in eisdem constitutionibus 6. p. c. 5. declaratur exceptis quatuor votis, nullas constitutiones, aut ordinationes obligare ad culpam, vt vitentur laquei incurrendi diuinam offensionem: ergo eadem ratione videri potest, non debuisse multiplicari hæc vota, vel certè cum ibi non excipiantur, videri possunt non inducere grauem obligationem: quia exceptio firmat regulam in contrarium. I. *Diuisio partis sequ.* *Obiectio contra nouitatem horum votorum.*

Nihilominus non oportet de hac re quæstionem mouere, quia certum est, & indubitatum, hæc vota inducere grauem obligationem, quia habẽt materiam satis grauem, vt videbimus, & sunt vera, ac propriissima vota, vt ex facto ipso, & locis citatis euidens est: obligatio autem grauis per se loquendo, ac secluſa contraria declaratione, quæ nulla in præsenti interuenit, inseparabilis est ab huiusmodi voto. Quapropter in dict. cap. 5. 6. p. non omnis alia obligatio votorum excluditur, sed constitutionum, declarationum, & ordinationum: & ideo necesse non fuit, illa vota expresse excipere. Quòd verò de aliis quatuor facta sit mentio, & non de his, facile respondetur, quia hæc in illis virtute comprehensa sunt tanquam annexum principali. Vnde vno quasi actu moraliter loquendo, emitti solent, hoc est, non multo post ipsa solennia. Parum autem refert, quòd hic ritus vouendi nouus sit, si bonus est, & ad finem huius religionis necessarius, aut valde conueniens. Quæ autem fuerit ratio huius necessitatis, & conuenientiæ, meliùs in particulari in singulis progressu explicabitur. In genere verò dicere possumus, per hæc vota non multiplicari onera, sed caueri, quædam mala, vel incommoda, quæ iure timeri possent, si hisce votis non præcluderentur; & ideo sine periculo fieri, & obseruari posse: atque ita nihil repugnare cum spiritu, ac intentione Societatis in altera constitutione 6. p. cap. 5. insinuata. II. *Eorum bonitas.*

Quod verò attinet ad votum nõ admittendi relaxationẽ paupertatis, initio dubitandi esse potest, quia materia huius voti, ita indeterminatè sumpta, est incerta, & indifferens: ergo nõ est cõueniens materia voti. Antecedens patet, quia in illo voto relaxatio intelligitur, *quoad redditus, vel possessionem* III. *Dubitandi ratio in hoc voto.* *pro parte.* *villam*

vllam in proprium vsum, vel ad sacristiam, vel ad fabricam, vel ad aliquem alium finem, præter id, quod ad Collegia, & domos probationis attinet, admittendum: vt in 6. Constitutionum cap. 2. §. 1. lit. A. declaratur. De hac autem relaxatione magna controuersia est, an expediat: nam multi putant melius esse ad perfectionem cuiuscunque religionis, habere conuenientes, ac moderatos redditus in communi; & quod magis est, Concilium Trid. hoc videtur regulariter iudicasse, cum facultatem concesit omnibus religionibus, (Minoribus & Capucinis exceptis) admittendi huiusmodi redditus. Et quamuis nũc generaliter hoc non concedatur; tamen non videtur dubium, quin discursu temporis, possit res ad eum statum deuenire, in quo ad maius commune bonum, vel religionis, vel Ecclesiæ expediat hunc modum viuendi, in domibus professis Societatis mutare, maximè in aliquibus locis, in quib. religio, aut fides plurimum labefactata sit: non ergo fuit cõueniens Societatem professam, nouo obligari voto ad huiusmodi mutationem non admittendam.

IV. *1 punctum circa hoc votum quoad finem eius. Fundamentum vnum pro tali fine.*

Tria breuiter circa votum hoc sunt explicanda scilicet finis, materia, & obligatio huius voti, ex quibus facile patebit responsio ad rationem dubitandi positam. Ad finem huius voti explicandum duo proponit fundamenta B. P. N. Ignatius in dicto c. 2. 6. partis constit. Primum est, paupertatem esse murum firmũ religionis, & ideo in sua puritate esse conseruandam, quantum diuina gratia inspirante, fieri potuerit. In 10. autem p. §. 5. *propugnaculũ religionum*, eam appellat, quas in statu suo, & disciplina conseruat & à compluribus hostibus defendit. Quæ doctrina consentanea est illi, quam tradit D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 3. paupertatem esse primum fundamentum perfectionis acquirendæ. Quod etiam asseruit S. Bonauent. in Breuiloquio p. 5. cap. 6. dicens, ad integritatem perfectionis primò requiri recessum à malo superbiæ, quod fit per paupertatẽ spiritus; & idem significat opusculo de reformatione mentis p. 2. c. 16. 17. & 18. & latè in Apologia pro Euangelica paupertate; cuius rei rationes, & causas latè in tomo superiore tractauimus disputando de variis votis paupertatis.

V. *Fundamentum alterũ.*

Secundum fundamentum est, humanæ naturæ hostem ad hoc propugnaculum, ac refugium debilitandum maximè eniti solere atque ea, quæ à primis fundatoribus benè ordinata fuerant immutare. Quod & experientia ipsa satis notum est, & ex priori fundamento sequitur: nam cum dæmon nitatur totam destruere religionem, maximè procurat eius fundamentum conuellere & murũ, ac propugnaculum eius euertere, quia illo sublato facile poterit tota religio expugnari. Vnde prudenter adnotauit Nauarrus licèt votum paupertatis inter tria substantialia religionis infimum sit, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 188. art. 8. & ex obiecto eius facile constat: & quamuis etiam sit obseruatu facilius, quia facilius est nostra, quam nos ipsos quoad corpus vel animam relinquere, vt dixit Greg. hom. 33. in Euangelia: nihilominus violationem paupertatis maiora nocumenta religionibus attulisse, vel quia frequentior est propter maiorem ex parte dæmonis impugnationem, eo quòd eius malitia, aut minor apparet, aut magis latet, faciliusque proinde dissimulatur, ac permittitur ex parte prælatorũ (cum tamen pro castitate maximè pugnet probrum, ac pudor; pro obedientia, superior cuius interest vt pareatur) vel etiam quia est maximè accommodata commoditatibus corporis, nam pecunia generale instrumentum est ad omnes illas; vel denique, quia rerum proprietas maximè contria est ordini religioso, qui *hinc laditur penitus, & mutatur*, vt dixit Alexander III. in Concilio Lateran. p. 49. cap. 15.

Ex his ergo duobus fundamentis concludit S. Ignatius finem huius voti esse, *vt quod in nobis scitum fueris, hac in parte Societati prospiciamus*; quod aliis verbis dictum est à Gregorio XIII. in constitut. *Ascendente Domino, ad paupertatis quæ regularis institutis murus est, & propugnaculum ad perfectionem tuendam*. Vt enim sustentetur ædificium, & vrbs defendi possit, nihil magis curandum est, quàm vt fundamentum firmum maneat, & murus integer, ac illæsus. Et ideo Alexander III. in dict. cap. 15. Cistertienses religiosos vehementer exhortatur, *vt domus illa* (ait) *quæ à prima sui origine in ordine vestro sunt fundatæ, constitutis, & ordinatis terminis sint contentæ*; loquitur autem de terminis paupertatis. Et eandem solicitudinem adhibuerunt reliqui Pontifices grauissimas pœnas imponentes violatoribus paupertatis religiosæ, vt in Superiori tomo vidimus. Et glorioli Patres Dominicus, & Franciscus specialem maledictionem suis religiosis transgredientibus paupertatem à se institutam, reliquerunt, vt Bonauent. in Opusc. de Christi paupertate, de S. Dominico refert, & de S. Francisco legitur in speculo Minorum.

VI. *Concluditur 1. punctum seu finis dicti voti.*

VII. *2. punctum id est materia eiusdem voti.*

Vt autem ad secundam partem (id est, materiam huius voti) explicandam accedamus, distinguenda est duplex mutatio paupertatis religiosæ, vna quoad factum tantùm, alia etiam quoad ius. Prior habet de se intrinsecam malitiam; nam consistit in transgressione substantialis voti paupertatis religiosæ: posterior verò, per se spectata, non est intrinsecè mala, aut prohibita, quia non fit per violationem iuris, sed per mutationem illius, factam ab eo, qui potestatẽ habet, vt supponimus. Alij ergo fundatores vel protectores religionum adiunctis pœnis, aut maledictionibus præcauerant, ne fieret mutatio à religiosis circa paupertatem, quoad factum, id est, quoad custodiam, vel transgressionem paupertatis promissæ; non verò remedium aliquod prouiderunt, ne institutio ipsa talis, vel talis paupertatis mutaretur: & ita videmus plures religiones, fortè sine culpa, quamuis non sine aliqua primi feruoris remissione, rigorem primæ institutionis suæ, quoad obseruantiam paupertatis, per indulta Apostolica temperasse; cui certè indulto, etiam sponte oblato, virginem Claram renunciasse legitur. Beatus autem Ignatius ad obseruationem paupertatis promissæ durãte eius obligatione, nullam pœnam, vel maledictionem adiungendam cẽsuit, præter eas, quæ in iure communi continentur, & alia media, quæ ad generalem regularum, & cõstitutionum obseruationem prouidit: vt lib. 4. à c. 7. vidimus: præcauere autem studuit, ne in iure ipso paupertatis, quod pro Societate statuebat, relaxatio fieret, quod facere non potuit, per comminationem, aut maledictionem, quia talis mutatio (vt dixi) non erat per se mala, & ideo id fecit adiungendo nouam obligationem per hoc votum, cuius materia est, *nec procurare, nec consentire, vt relaxatio paupertatis in Societate fiat, etiam eo modo, quo aliàs sine culpa fieri posset*.

Quid alij fundatores pro paupertate prouiderint.

Quid B. Ignatius.

VIII. *Explicatur hæc Ignatij prouidentia exemplo.*

Est simile de voto, quod interdum fieri solet, de non petenda dispensatione circa obseruationem promissæ castitatis: nam mutatio in voto iam facto media dispensatione, non est per se mala; tamen per se loquendo, melius est in voto facto perseuerare, & non facile dispensationem petere, & ideo votum illud non petendi dispensationem, & per se bonum est, & distinctam habet materiam ab ipso voto castitatis. Aliud est enim non ducere vxorem; aliud non petere dispensationem, ad ducendam illam. Et fieri potest, vt aliquis violet hoc posterius votum, petendo dispensationem, & non violet votum castitatis: maximè si illa non vtatur. Imò fieri etiam potest, vt neque vtendo illa, agat contra votum

votum castitatis; quia licèt dispensatio male fuerit petita, concessa tamen valida fuit, & ita abstulit votum castitatis. Et è contrario, posset quis violare votum castitatis, & non aliud votum, non petendi dispensationem; vt si absque dispensatione duceret vxorem. Ita ergo in præsenti, votum hoc, & bonum est & distinctum à voto paupertatis, quia distinctã habet materiam. Aliud est enim non habere proprium, nec redditus vel capellanias, & cætera, quæ sunt materia voti paupertatis in Societate: aliud verò non admittere relaxationem in hoc instituto paupertatis, quod est optima materia huius voti: tum quia perseuerantia in primo spiritu religionis per se melior est, tum etiam, quia relaxatio paupertatis, solet esse occasio cadendi simul à tota obseruantia rigorosa religionis, vt docuit S. Bonauent. tomo 1. Opusc. in epist. de Reformandis fratribus, & Dionysius Carthus. in Opusc. de Reformatione claustr. art. 17. Distinctio autem inter hæc vota, & eorum materias, eodem signo percipi potest: nam si professus Societatis habeat proprium, &c. peccauit contra votum solenne paupertatis, non tamen propterea violabit hoc votum, quamdiu non assenserit, vt simile quid per modum iuris, seu dispensationis in Societatem introducatur; & è conuerso si præbeat hunc assensum, violabit hoc votum, quamuis nihil contra paupertatem peccet. Vnde etiam obiter intelligitur ratio ob quam soli professi hoc votum emittant: quia nimirum ad illos pertinet præcipuè Societatis gubernatio, & illi soli habent suffragium in Congregatione generali, in quo sola posset huiusmodi alteratio fieri: & ideo professos obligando, satis fecit in hac parte Societati prouisum.

Cur professi hoc votum nuncupent.

IX. Atque ex his facile erit tertium, quod proposuimus; explicare: qualis scilicet obligatio ex hoc voto nascatur: omne enim votum obligat ad executionẽ suæ materiæ: materia autem huius voti est, non admittere relaxationem circa paupertatem in Societate institutam: ergo ad hanc obseruationem obligat. Vt autem hæc obligatio exactius declaretur, & dubitationes, quæ insurgere possunt, expediantur: ponderanda sunt verba, quibus materia huius voti in Constitutionibus proponitur. Nam in 6. p. cap. 2. §. 1. sic dicitur, *Promittant se ad innouationem constitutionum, in his, quæ ad paupertatem pertinent: nihil facturos, nisi magis restringendam iudicarent.* Vbi primùm expendo hoc votum purè negatiuum esse, quia non obligat ad aliquid agendum, sed tantùm ad non agẽdum, vt planè constat ex illis verbis, *Nihil facturos.* Non ergo peccabit cõtra hoc votum professus, qui viderit alios procurare huiusmodi relaxationem, & non restiterit; aut dissuaserit, quamuis possit: quamuis enim in illa omissione possit peccare cõtra charitatem suæ religioni debitam; quomodo etiam posset in simili casu peccare non professus, qui hoc votum non emiserit; non tamen transgredietur hoc votum, quia per illud non obligatur ad impediendum, vel resistendum, sed tantùm ad non agendum. Quod si quis obiiciat: quia non resistens cooperari censetur in moralibus, argumento cap. *quanto*. de sentent. excommun. ibi, *eos delinquentibus fauere interpretamur, qui cùm possint, manifesto facinori desinunt obuiare.* Respondetur in primis, id procedere in casibus in iure expressis, & ita declaratis, qualis est, in illo textu. Deinde quoad culpam apud Deum, solum habere hoc locum iuxta mensuram obligationis, quam aliquis habet ad impediendum, vel resistendum. In præsenti autem hæc promissio, vel obligatio eius, qui non extenditur ad huiusmodi actionem, & ideo, qui illam omittit, non censetur moraliter cooperari.

3. punctum id est obligatio huius voti exponitur.

Est obligatio pure negatiua nihil faciendi contra paupertatẽ.

Obiectio diluitur.

X. Quid autem sub illa negatione, *nihil facturos* comprehendatur, in declaratione sic exponitur, *quod nunquam assentietur ad immutandum, quod ad paupertatem in constitutionibus pertinet: nec in consentiet totius Societatis congregatæ, nec per seipsum vlla ratione id curando.* Ex quibus verbis colligo duas actiones in genere prohiberi, ex vi huius voti: prima, ac præcipua est, si contingat in Congregatione generali de hoc puncto tractari, nunquam ferre suffragium, vt pauperras relaxetur, quod suffragium decisiuum est, & ideo circa illud maximè vrget obligatio: nam si ibi obseruetur, quidquid antea præcesserit, non multum nocebit Societati, quia nulla poterit fieri mutatio, regulariter loquendo. Propter periculum autẽ, quod imminere posset, additur, seu prohibetur secunda actio, quæ est, quacunque ratione procurare, vt talis relaxatio fiat, vel à Societate admittatur: & in in Bulla *Ascendente Domino*, additur, *se nunquam quacunque ratione acturos, vel consensuros*: quod tamen intelligo de consensu cooperatiuo, & dante auctoritatẽ, vel efficaciam aliquam huiusmodi mutationi: nã verba illa ex constitutionibus sumpta sunt, & iuxta illas sunt interpretanda; itaque per illam negationẽ prohibetur omne consilium, seu suffragium, etiam consultiuum de tali relaxatione facienda, & à fortiori omnis positiuus fauor, aut procuratio, nõ autem sola permissio.

Actiones duæ vel magis distinctæ.

Statim verò oritur dubitatio, an fit contra hoc votum, iudicare in aliquo euentu esse expediens talem relaxationem facere. Nam si licet interius ita sentire, licebit & verbis id proferre, & actionibus procurare: nam per se bonum est, & melius id velle, & desiderare, quod religioni magis expediens iudicatur; nec votum potest hoc impedire, quia impediret maius bonum. Quòd autem illud iudicium possit esse licitum probatur, quia potest esse verũ, nam vt in num. 3. obiiciebamus, tanta esse posset mutatio in rebus humanis, vt omnino expediat ad maius bonum religionis habere redditus in communi, vel aliquid simile. Respondetur posito illo casu, cessare huius voti obligationem, exemplũ est in voto de nõ petenda dispensatione, posito enim, quod validum fit: vt lib. 2. de materia voti cap. 11. n. 6. attigimus, & si alij, quos sequitur Sancius lib. 4. de voto cap. 8. à num. 20. non admittant; planè non obstante absoluta eius forma si casus occurrat, in quo pensatis omnibus prudenter iudicetur melius, & gratius Deo esse petere dispensationem, cessat obligatio illius voti, iuxta communem sententiam Doctorum Richard. in 4. d. 38. art. 9. q. 3. supplem. Gab. ibi q. 1. art. vlt. Anton. 2. p. tit. 11. cap. 2. §. 9. ad fin. Soto lib. 8. de Iustit. q. 9. versus finem, Syluest, *votum* 2. q. 14. Angel. *votum* 3. n. 20. ita ergo in præsenti. Ratio autem generalis est, quia votum tãtum esse potest de meliori bono, vt in citato lib. de voto c. 7. dictum est, & ideo non potest esse impeditiuum maioris boni: ergo etiam in præsenti, non obligabit votum quando eius materia ita mutata est, vt seruari non possit, sine impedimento maioris boni. Neque oportuit hoc in ipso voto explicari, quia hæc conditio generalis est omni voto, vt scilicet eius obligatio cesset, eo ipso quòd materia eius, vel inutilis facta est, vel maius bonum impediens. Vtautem hoc sine scrupulo fiat oportet, vt sit euidens, & certa mutatio illa facta ex parte materiæ: nam in dubio melior est conditio ipsius voti, cùm deabsoluta promissione certò constet.

XI. *Quæstio an esse possit huius voti obligatio.*

XII. *Quid in hac dubitatione tenendum.*

Non videtur tamen fore contra tale votum, in casu talis dubij, rem ipsam agitare: ac discutere, & rationes dubitandi, in vtramque partem proponere, & quid verisimilius, aut probabilius appareat, proferre: nam supposita prædicta dubitatione, hæc omnia non solùm per se honesta sunt, sed etiam necessaria ad commune bonum, vt in simili dubio vitetur periculum alicuius maioris incõmodi tertius religionis. Vnde etiam addo in simili euẽtu, quãtis rei

Fei veritas,& necessitas non possit certò, & euidẽter cognosci, non fore contra votum totam dubitationẽ, & rationes eius Summo Pontifici proponere,vt ipse statuat,quod toti religioni melius esse iudicauerit:quod etiam securius fiet;si priùs ab ipso facultas petatur, vt non obstante tali voto possit vnusquisque quod sentit,vel opinatur, libere proponere.

XIII. *Quæstium 2. An acceptam riquent dispensatio oblata in hoc voto. 1. sensus eius resolutur.*

Occurrit verò statim dubitatio illa, scilicet, an obliget hoc votum nõ solùm ad non petendam dictam relaxationem, sed etiam ad nõ admittendam illam motu proprio à Pontifice concessam. Dupliciter autem potest hoc à Summo Pontifice concedi, scilicet præcipiendo,vel indulgendo. De priori modo nulla est quæstio; quia obediendum omnino est præcipienti Pontifici. Dices, Pontifex vt Pontifex non habet ius præcipiendi in his materiis,quæ pertinent ad consilium; vt est autem supremus prælatus religionum,nihil potest præcipere contra regulam,maximè,quæ voto firmata est: ergo in eo casu non tenebimur obedire tali præcepto. Respõdetur materiam illam esse capacem præcepti Pontificis, vt Pontifex est;si supponamus hic & nunc prudenter iudicari talem paupertatem esse nociuam, vel impeditiuam maioris boni talis religionis,in ordine ad finem sibi præstitutum;nã licet profiteri, aut non profiteri paupertatem, absolutè loquendo,nõ sit materia præcepti, sed consilij; suppositâ tamen professione religionis seruare in eo statu hunc,vel illum modum paupertatis potest esse materia præcepti Pontificis, quia potest esse medium moraliter necessarium ad commune bonum talis status à Põtifice in Ecclesia Catholica approbati; sicut posset Pontifex à principio approbare talem religionem cum hoc modo paupertatis, & non cum strictiori, vel laxiori,& à fortiori posset prohibere,ne quis talem statum profiteretur,nisi sub tali paupertate, vt per se constat. Ita ergo postquam semel approbauit religionem cũ vno genere paupertatis, potest mutatis temporibus,illam approbationem reuocare, vel mutare,prout expedire censuerit, & consequẽter prohibere, ne deinceps quis talem statum profiteatur nisi sub tali paupertate. Tenebitur ergo religio parere huiusmodi præcepto,quod iustum præsumitur,quamdiu oppositum euidens non est, manatque à Summo Pontifice quatenus talis est, quia ad illum sub hac ratione spectat religionũ instituta approbare, vel mutare, continetq; in virtute illud præceptum,vel dispensationem voti,vel declarationem quod cum talibus circumstantiis nõ obliget. Imò suppositâ hac declaratione,vel manifesto fundamento eius,posset Summus Pontifex, etiam vt supremus prælatus religionum illam mutationẽ facere,& sub obedientiæ virtute præcipere,quia nõ esset contra votum,nec propriè cõtra regulam, sed esset rationabilis mutatio regulæ,ad meliorem tõtius regulæ obseruationem ordinata.

Quid si attendatur vt est prælatus religionum.

XIV. *Aliorum resolutio per viam irrigationis*

Dicunt etiam aliqui,posse Pontificem, vt supremum religionis prælatum, irritare hoc votum suo arbitrio, & consequenter præcipere relaxationem paupertatis,admittendo dominũ,v.g. in domibus Societatis. Sed mihi valde probabile est non posse Pontificem hoc votum irritare, quia est votũ quodammodo de substantia talis status,vel certè per se annexum illi: vota autem huiusmodi non possunt irritari à Prælatis religionũ. Item quia in potestate irritandi,quoad materiã,vel obiectum, nõ videtur excedere,per se loquendo, Summus Pontifex Præpositum Generalem cuiuscunque religionis respectu suorum subditorum;quia ex eadem traditione, & ex eodem voto obediẽtiæ, nascitur illa potestas: certum est autem non posse Præpositum Generalẽ irritare hoc votum: ergo nec Pontifex. Item quia aliàs posset pro sua voluntate,sine alia iusta causa,hoc votum tollere,quod incredibile est, quia est contra intentionem vouentium,& totius religionis, quæ nunquam voluit, quoad hanc partem, tribuere alteri potestatem dominatiuam. Sicut etiam non est verisimile posse Pontificem irritare suo arbitrio, & sine causa votum abstinendi à carnibus, & lacticiniis,quod religiosi minimi emittunt. Addo insuper etiam ablato hoc voto, non posse absque legitima causa præcipi Societati professæ,vt admittat dominium;quia illud est contra votum solenne paupertatis, cuius obligatio auferri non potest, sine causa legitima: necesse est ergo,vt virtualis dispẽsatio,vel interpretatio intercedat, quæ non potest esse sine causa iusta, vel cogente. vnde quia talis causa rara est,& difficilis ad æstimandum,ideo Pontifex rarò, vel nunquam talia præcepta religionibus imponit.

Alio ergo modo potest hoc Pontifex concedere indulgendo sicut Concilium Trid. sess.25. cap. 3. de Regularibus,concesit ferè omnibus religionibus, vt possent habere bona immobilia etiam quibus antea non erat permissum. In eo autem casu dubitari potest, an si Pontifex nunc similem concessionem faciat Societati professæ, possent licitè professi illam acceptare sine transgressione huius voti. videntur enim nõ posse,quia promittunt se nunquã, quacunque ratione acturos,aut consensuros in huiusmodi relaxatione: ergo cùm tunc non cogantur acceptare: nec licitè consentire possunt. Sicut qui vouit non petere, neque accipere dispensationem voti,non potest licitè illam acceptare, etiamsi Pontifex illam concedat.

XV. *2. sensus eiusdem quæstiunculæ.*

Arguitur in partem neg.

Nihilominus probabilius censeo: hoc votum nõ obligare professos Societatis ad non acceptandam illam Pontificis concessionem. Quod in simili casu videntur sensisse Patres secundæ congregationis generalis, quando cesserunt illi concessioni Concilij Trid. nam id fecisse videntur,non ex necessitate, & obligatione prioris voti, sed quasi denuo illud confirmantes, vt significant illa verba canone 21. *Congregatio totius Societatis nomine, cessit cuicunque iuri prouenienti ex concessione Concilij Trid.* Habebat ergo ius non cedendi,si vellet. Et infrà, *vt iuxta nostras constitutiones,& vota,quæ post professionem emittuntur, in professis,ac ipsorum domibus paupertatem retinere.* quę verba indicant quasi nouam voti confirmationem spontaneam, ac merè voluntariã: & ideo in actis eiusdem Cõgregationis, præpositũ referetur, *an placeret decreto Concilij renunciare*: & ab omnibus responsum esse, *Placet.* quæ verba indicant non ex obligatione huius voti; sed ex amore perfectionis id fecisse. Præterea suprà ostensum est, verba illa, *nunquam acturos, vel consensuros,* iuxta mentem constitutionum interpretanda esse: in constitutionibus autem solùm ponitur pro materia huius voti, non procurare vllo modo, neque esse causam huius mutationis: ergo acceptare illam, si à Pontifice fiat, non est contra hoc votum. Neque est contra verbum illud *non consensuros,* nam ibi est sermo de consensu cooperatiuo in actionem, seu negotiationem huic voto contrariam, cuiusmodi esset suffragium in Cõgregatione; acceptatio verò hæc, neque est cõsensus cooperatiuus, sed receptiuus, vt sic dicam: neque etiam est in actionem voto contrariam: sed in eam tantùm, quam summus Põtifex auctoritate sua efficere potest. Tandem id ostenditur retorquendo exemplũ adductum: nam si quis vouerat præcisè, non petere dispensationem, aut non procurare licentiam ad aliquid faciendum; & superior suo nutu offerat dispensationem,vel licentiam, non est contra votũ illam acceptare; quia minus est acceptare, quàm petere, & obligatio voti non est extendenda vltra rigorem verborum, nisi aliud certò constet de intentione vouentis. Ita ergo est in præsenti.

XVI. *Pars affirmans primò à simile.*

Probatur 1. diluendo argumentum præcedentis.

Probatur 2. retorquendo exemplum partim negatum.

XVII. *Instantia contra proximè dicta occurritur.*

Dices ergo si Societas professa nunc velit vti cõcessione facta à Concilio Tridentino, posset id facere, sine læsione huius voti. Respondetur negando sequelam, quia res non est integra, neque in eodem statu, postquam enim Societas cessit illi priuilegio, virtute confirmauit votum solenne eiusdem paupertatis, non obstante illo; & in eodem sensu professi sunt eandem paupertatem successores omnes, & consequenter per hoc votum promittunt paupertatem illam, quam sic professi sunt, illæsam cõseruare, nihil ex parte sua innouando, quod ad relaxationem pertineat; reuocare autem cessionem factam, præsertim postea à sede Apostolica cum reliquo instituto toties confirmatam, esset magna relaxatio; & ideo sine dubio esset contra hoc votum. Secus autem erit si vel summus Pontifex, vel aliud Concilium generale in futuro tempore denuo similem facultatem faciant, nam tunc habebit Societas eandem libertatem renuntiandi, vel acceptandi illam, quam habuit secunda Congregatio generalis, circa decretum Concilij Tridentini.

XVIII. *Quæstiun. 3. quorum bonorum paupertas non relaxanda.*

Posset præterea circa hoc votum dubitari, an obliget solùm circa paupertatem professorum, & domorum professarum, vel etiam circa alia, quæ pertinent ad paupertatem scholarium, Collegiorum, & domorum probationis, & ratio dubitandi sumitur ex verbis illis declarationis cap. 2. 6. p. *Innouare quod ad paupertatem attinet, est relaxari ad redditus, vel possessionem vllam in proprium vsum*, &c. Constat autem hæc solùm pertinere ad domos professas. Imò hinc oritur dubium, an hoc votum solùm obliget ad nõ procurandam relaxationem quoad hæc bona immobilia, non verò circa omnia alia, quæ in paupertatis vsu Societas obseruat, vt lib. 4. à cap. 7. vidimus. Respondeo breuiter obligationem huius voti, extendi ad totam materiam paupertatis, prout cadit sub votum in Societate factum, in quocunque gradu seu statu illius factum sit. Hoc satis explicatum est in dicta constitutione Gregorij XIII. illis generalibus verbis, *Nunquam acturos, vt quæ in constitutionibus Societatis circa paupertatem ordinata sunt, immutentur.* in Constitutionibus autem; tam sunt ordinata, quę pertinent ad Collegia, & domos probationis, quàm cætera. Et ratio reddi potest, quia professi non tantùm hoc promittunt propter seipsos, vel domos suas, sed pro tota Societate, cuius cura, & præcipua gubernatio illis incumbit. Vnde quod in prædicta declaratione dicitur, ideo est, quia illa est præcipua, & magis propria materia voti paupertatis in Societate. In 10. autem p. constit. §. 5. additur, *non accipere stipendia pro nostris ministeriis, & non applicare redditus Collegiorum ad vtilitatem domorum*: quatenus ergo hæc vel alia pertinent ad materiam voti paupertatis in Societate, eatenus eorum immutabilitas sub hoc votum cadit. De quo inquiri etiam posset, an sit solenne, vel simplex; sed ex materia, & modo quo fit, & ex intentione Constitutionum, & Bullarum constat esse simplex.

Dictum votum simplex est.

§. 6. & eisdem ferè verbis probatur in constitutione; *Ascendente Domino*; sæpe citata: Neque *præsumat* (dicitur ibi) *ne indirecte quidem, vt in aliquam prælationem, vel dignitatem intra vel extra Societatem aliquatenus.* De hoc igitur voto nulla est controuersia, quin licitum, & sanctum sit, vt expresse docuit D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 2. ad 3. & ib. Caiet. & Soto lib. 10. de Iustitia q. 2. art. 2. ad 3. Antonin. 3. p. tit. 20. c. 2. §. 6. & ratio est; quia tale votum euidenter est de meliori bono.

Vt autem hoc explicetur, aduertendum est, quæstionem esse inter Theologos, an appetere Episcopatum, vel procurare illum (& idem est cum proportione de qualibet alia prælatione) illicitum sit, quam citati Doctores ibidem tractant, & plures refert Henriq. in sua summa lib. 10. cap. 32. n. 3. in commento; sentiuntque id esse illicitum, ac pertinere ad ambitionem, vel præsumptionem; quod etiam docent Card. in Clem. *in plerisque.* de elect. q. 7. Abb. in cap *non est.* de voto num. 9. idemque insinuauit Augustinus 19. de Ciuitate, cap. 19. dicens, *locus superior sine quo populus regi non potest, & si administretur, vt decet, tamen indecenter appetitur.* & Chrysostomus lib. 3. de sacerdõtio parum à principio, cum multa cõmemorasset Episcopo necessaria, subdit, *inter quæ illud præcipuum, sacerdotij animum honoris illius desiderio vndique vacare.* & infra sibi obiiciens illud Pauli; *Si quis Episcopatum desiderat*, &c. respondet, *At ego neque peris ipsius, sed dominationis ac potentiæ desiderium pestilens esse dixi.* Quod eleganter prosequitur ambitionis pericula exaggerans. Idem verò hom. 3. in Acta, cũ ita ipsiusmet Episcopatus periculum extulisset, vt paucos ex eis saluari, & alia similia dixisset, subdit, *Hæc loquor non vt vobis pudorem incutiam, sed vt vestram cohibeam cupiditatem: quem enim conscium addus, si prouaris vel per teipsum, vel per alium? quibus oculis intueberis illum, qui tibi fuit auxilio? quid habebis quod excuses?* & hom. 66. in Matth. tractans illa Christi verba, *Principes Gentium dominantur eorum*, Matt. 20. ait, illis ostendisse Christum, gentium mores esse prima quæque appetere. *Tyrannica* (inquit) *hæc passio est, & nonnunquam eximios etiam viros perturbat: quapropter cum vehementiore castigatione indigent, acrius etiam ipsi insurgit comparatione gentium tumentem ipsorum animum retinens: nam qui primatum quærunt sibipsis dedecori sunt, ignorantes hoc se pacto in infima detrudere.* Similia habẽtur in imperfecto hom. 35. inter alia, *Quicunque desiderat primatum in terra, inueniet confusionem in cœlo, vt iam inter seruos Christi non sit de primatu certamen.* Et infrà, *Volens Dominus duorum fratrum ambitionem exstinguere, & decem discipulorum inuidiam, introduxit dissentiam inter Principes mundiales, & ecclesiasticos, ostendens, quia primatus in Christo, neque ab aliquo appetendus est non habente, neque alteri inuidendus est non habenti.* Hæc autẽ & similia dicuntur à sanctis Patribus de appetitu prælationis, quatenus in ea honor, excellentia, & superior potestas spectatur, & cõcupiscitur: nam hoc modo talis appetitus, & omnis prætensio, quæ ex illo procedit, malitiam habet ambitionis, & vanæ præsumptionis.

II. *Episcopatus appetere quando sit illicitum.*

Si ergo votum sumatur, quatenus coercet hoc vitium & inordinatum appetitum, manifestum est esse optimum, & religioni valde expediens. Primũ patet, quia abstinere ab huiusmodi vitio, optimũ est: ergo promissio de cauendo hoc vitio, etiam est optima. Nec refert quòd per se, & ex diuino, ac naturali iure teneamur vitium hoc fugere, tum quia ea etiam, quæ per se bona, & necessaria sunt, laudabiliter Deo vouentur; vt tract. 6. est ostensum in lib. 2. de voto cap. 3. tum etiam vt augeatur obligatio; quia fortasse in huiusmodi negotio inordinatio tantùm esset venialis culpa, quæ interueniente voto, erit mortalis; tum denique, quia ad aliquod amplius obligat hoc votum, quàm ad vitan-

III. *Assertio.*

CAPVT VII.

De voto non ambiendi dignitates, quod professi Societatis emittunt.

I. *Vera suppositio.*

FOrma, sub qua hoc votum à professis Societatis emittitur, ita habet: *Præterea promitto nunquam me acturum, vel prætensurum, ne indirecte quidem, vt in aliquam prælationem, vel dignitatem in Societate eligar, vel promouear. Promitto præterea nunquam me curaturum, prætensurumve, extra Societatem, prælationem aliquam, vel dignitatem.* præscripta est hæc forma in 1. & 3. Cõgregatione generali, & sumpta est ex 10. cap. const.

vitandum id quòd per se malum est, vt statim dicam.

IV. Secundum autem probatur, quia nullum vitium potest esse magis perniciosum communitati, præsertim religiosæ, & specialiter Societati. Ex hoc enim vitio inuidiæ, dissensiones, contentiones, calumniæ, quæ sunt pestes cuiuscunque communitatis, oriuntur; vt sumitur ex Basilio in constitutionibus monast. c. 10. & ex Augustino 5. de Ciuit. c. 12. & sequentibus; & ex Philosophis Plutarcho in moralibus lib. de Auditoris officio, ante medium. Et ideo Plato in Gorgia, quem laudat Eusebius lib. 12. de Præpar. Euangel. c. 4. dixit, *Nemo sponte ad gubernandam Rempublicam accurrat.* Quòd si hoc verum est de seculari Republica, multo magis de Ecclesiastica; cuius gubernatio ad spirituale bonum subditorum ordinatur. & ideo Leo Papa epist. 85. aliàs 83. c. 1. refertur c. *miramur.* 61. d. non solùm eos grauiter reprehendit, qui Episcopatum ambiũt; sed etiam qui ambientes eligunt: *Non est hoc* (inquit) *consulere populis, sed nocere; nec præstare regimen, sed augere discrimen: integritas enim præsidentium, salus est subditorum: & vbi est incolumitas obedientiæ, ibi est forma doctrinæ. Principatus autem quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupauit, etiamsi moribus, aut actibus non offendit, ipse tamen initij sui est pernitiosus exemplo: & difficile est, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.* Quæ grauissima sententia maiori quadam ratione locum habet in Congregatione religiosa, tum quia non solùm salus, sed etiam perfectio singulorum, ex vita, & exemplo præsidentis magna ex parte pendet: tum etiam, quia totum religionis bonum ex obedientia pendet, quæ ex ambitione maximè perturbatur. Nam, vt dixit Simachus Papa in Synodo Romana cap. 1. *quos amor dominationis inuasit: etiam iugum Ecclesiasticæ disciplinæ facit respuere.* & ideo dixit idem Pontifex epist. 1. c. 5. *cùm hic excessus in laica conuersatione culpetur, quis dubitat quin religiosis ac Deum timentibus incutiat opprobrium?* habetur in cap. *nullus itaque* 1. q. 1. Et rationem explicuit optimè Bonifacius 3. p. in cap. *quorundam*, de electionibus in 6. Quia religiosus ambiens dignitatem, suæ professionis oblitus, incipit retro respicere. Denique nihil profectionis, imo & virtutis viam ita impedit, sicut ambitio; est enim, vt scripsit Bernardus ser. 6. in Psal. *Qui habitat, subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, luoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum arugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium: ex remedijs morbos creans, generans ex medicina langorem.* Qui etiam legi potest epist. 42. & 126.

V. *Applicatio dictorum ad Societatem.* Ob hanc ergo causam, tanta solicitudine præuenit B. Ignatius, vt huic vitio in Societate viam omnino præcluderet, mediante hoc voto speciali professorum, quod illis maximè conueniens fuit, quia & intrà Societatem præcipua gubernatio ad eos pertinet, & extrà Societatem illi esse possunt, ad huiusmodi dignitates aptiores. Et propter hanc etiam causam potuit esse in hac religione votum hoc magis necessarium, quàm in aliis: quia faciliùs poterat hoc vitium eam impetere, eo quod professi eius futuri erant, quoad fieri posset, literis eruditi, & ad Ecclesiastica quæcunque ministeria idonei, & in eis plurimum exercitati, vnde etiam facile consequi poterat, vt inter Principes, & Prælatos Ecclesiæ familiariter versarentur, illisque grati, ac benuoli existerent: quæ omnia & multa alia, quæ ab vnoquoque considerari possunt, facile poterant ambitionis motus excitare, vel etiam promouere, nisi quantum est ex parte instituti, hoc remedium esset adhibitum: quod non solùm vtile est post professionem, quando ipsum votum emittitur, sed etiam à principio his, qui in nouitiatu instituuntur: quia statim hoc spiritu imbuuntur, vt concipiant nihil esse magis contrarium fini, ad quem in hac religione tendunt, quàm inordinatum ambitionis affectum: ac proinde etiam factum est, vt nulla in re superiorum prouidentia magis inuigilet, quàm in hoc vitio à Societate exterminando, tum prælaturas intra religionem, soli generali committendo; vt lib. 10. c. 3. dicetur: tum etiam cum debita reuerentia procurando ne electio alicuius extra religionem à Pontifice intentata, ad effectum veniat; vt non semel cum diuina gratia perfectum est, & in historiis Societatis legitur; quoad ipsum verò generalatum vna inter alias perpetuitatis eius causas, redditur in 9. p. cap. 1. in declarat. lit. A. *quòd longiùs recedet omnis cogitatio, & occasio ambitionis, quæ huiusmodi officiorum pestis est: si certis temporibus esset eligendus.* *Vide Rib. dum & Orlandin. c. 12. agentes cap. seq. num 12.*

VI. 1. *Assertio.* Addendum verò vlteriùs est, per hoc votum, non solùm prohiberi id, quod per se, & natura sua malum est, sed etiam aliquid de se indifferens, quodq; iusto aliquo titulo honestari potest. Quanquam enim appetere prælationem propter excellentiam, & potestatem, malum sit; appetere illam propter fructum aliorum, & propter vigilias, & labores eius non est ex se malum, imò potiùs habet speciem boni, dicente Paulo, ad Timotheum 3. *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Ex quo fit, vt procurare Episcopatum; si fiat ex moderato affectu, propter dictum honestum finem, & cum aliis circunstantiis debitis, non sit malum ex natura rei, & aliquando fortasse posset esse meritorium, si Episcopatus vel prælatio multum haberet laboris, & parum honoris, aut temporalis vtilitatis, & ideo pauci; vel nulli essent, digni qui illum acceptare vellent. Per hoc igitur votum, non solùm obligantur professi Societatis, nõ procurare prælationem, extra vel intra Societatem ambitiosa, vel turpi intentione, aut prætensione, sed etiam si ea prætensio aliquo titulo vel colore honestari videatur. Hoc constat ex ipsa forma vouendi, *nunquam me acturum, curaturum, aut prætensurum*; quæ verba indifferentia sunt ad prætensionem aliàs licitam, vel illicitam: sicut qui absolutè vouet castitatem, nõ solùm promittit abstinere ab illicitis actibus venereis, sed etiam à licitis matrimonij. Neque obstat quòd in §. 6 10. p. constit. dicitur, *erit summi momenti, vt perpetuò felix status Societatis conseruetur, diligentissime ambitionem malorum omnium in quauis re publica, vel cõgregatione matrem, submouere,* &c. Dicimus enim, licèt hic sit principalis finis huius voti, non tamen esse adæquatam materiam eius, quia ad illum finem cõsequendum medium conuenientissimum fuit, omnino *præcludere aditum ad huiusmodi dignitates quærendas*, vt statim in eadem constitutione additur: non præcluderetur autem aditus, moraliter loquendo, nisi absolutè omnis prætensio, abstrahendo à licita, vel illicita prohiberetur: nam tunc omnibus aperta maneret ianua, vt rationabiles causas suæ prætensionis contingerent.

VII. Atque ita patet ratio huius tam vniuersalis materiæ: & addi potest alia, quia quanuis interdum possit quis bona intentione, & ex rationabili causa, prælationem aliquam prætendere, tamen id moraliter loquendo, rarissimum est, & multis periculis expositum, ideoque simpliciter loquendo, melius est ab omni tali prætensione, siue licita, siue illicita in vniuersum abstinere. Est ergo illa accommodata materia voti & Societati valde necessaria. Consequentia satis patet ex dictis. Antecedens verò, & per se notum moraliter videtur, & consentaneum est testimonijs Patrum, quæ nu. 2. adduximus, & quæ statim afferemus. Solùm fingi posset casus in quo non solùm esset licitum, sed etiam necessarium ex præcepto naturali, vel diuino præla-

prælationem procurare propter spiritualem salutem proximorum : vt si ponamus illam maximè periclitari, & non esse aliam personam, quæ possit, aut velit ei subuenire. Hic tamen casus adeò extraordinarius est, vt cogitari potius valeat, quam timeri; quia ad pastores Ecclesiæ spectat his necessitatibus prouidere, per quam prouidentiam sufficiēter potest subueniri necessitati populorum, absque prætensione, & negotiatione alicuius personæ; quæ prætensio regulariter potius impedit, quàm iuuat, quia reddit personam suspectam, & in foro Ecclesiæ minus dignam. Vt enim dixit Gregorius lib. 7. epist. 110. & habetur 1. q. 7. cap. vlt. *sicut is, qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admouendus: sic qui vltro ambit, vel importune se ingerit: est procul dubio repellendus: nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit nisi vt crescendo decrescat, & ascendendo descendat?* Similiaque sumi possunt ex Clemente I. epist. 1. & ex Concilio Aurelian. II. tempore Vigilij cap. 1. Quia ergo hoc regulariter est malum, vix admitti potest casus, in quo tale medium sit necessarium ex charitate, ad subueniendum proximis.

VIII. Esto tamen contingere possit, propter illud non oportuit exceptionem in voto facere, sed hoc relinquere generali regulæ, & naturæ voti, cuius obligatio cessat, quando tanta fit mutatio in materia. Vnde admisso tali casu, solùm id faceret, quod ad subueniēdum proximis ex parte sua sufficeret: quale esset dare notitiam Pontifici, vel ei cui cura incumbit, de necessitate proximorum, sese ad labores offerendo, quantum ipse voluerit, vel expedire iudicauerit; tunc enim locum habet; quod Gregorius ait 1. p. Pastoralis cap. 7. prædicationis officium nō nunquam laudabiliter appeti, id confirmans exemplo Isaiæ cap. 6. qui cupiens prodesse proximis Domino quærenti quem mitteret, vltrò se obtulit, dicens: Ecce ego, mitte me, & c. 8. subdit, tunc esse posse laudabile Episcopatum quærere; quando per eū ad supplicia grauiora peruenire posse non dubitatur: & ideo, ait, dixisse Paulum, *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*: quia illo tempore hoc dixit, quo is qui plebibus prætereat, primus ad martyrij tormenta ducebatur.

IX. *Quæstion. 1. an hoc votū solo affectu violetur. Approbatur pars neg.* Quæret verò aliquis, an desiderare, vel appetere prælationem sit contra hoc votum? vbi etiam exponendum erit, quid significetur illis verbis, *directè, vel indirectè*. Atque adeò quæ actiones censeantur prohibitæ ex vi huius voti. Primum ergo dicimus, solo affectu, & appetitu interno desiderare prælationem, esto sit alioqui malum, & prohibitum, non esse huic voto contrarium. Probatur, quia desiderare, quandiu in hoc sistitur, non est *prætendere, procurare, aut agere* aliquid ad obtinendam dignitatem: nam per hæc omnia verba explicatur aliquis influxus, vel causalitas circa effectum obtinendi dignitatem: per solum autem desiderium nihil causatur, neque applicatur aliquod medium, quando intra limites desiderij homo continetur: tota autem materia huius voti explicatur per illa verba, *agendi, procurandi*, aut *prætendendi*: ergo in illa non comprehenditur præcisus actus desiderandi: ergo per illum solum non violatur votum, per se loquendo. Quod ideo addo, vt excludam scandalum, quod sibiipsi (vt ita loquar) quispiam inferre potest, exponendo se morali periculo frangendi votum: quia difficile est, post conceptum desiderium nō efficere aliquid ad implementum eius: præsertim oblata occasione: nam hac ratione posset iam tunc inchoari læsio voti; sed hoc rarum erit, nisi desiderium sit vehemens, & de morali periculo, per aliquod experimentum iam constet.

X. Deinde assero facere aliquid ex hoc desiderio, quod solum ordinatur ad maiorem capacitatem, vel dignitatem ipsius desiderantis, nondum videtur esse etiam indirecta prætensio, & ideo consequenter non videtur violatio huius voti, dummodo negotiationem aliquam circa alios nō inuoluat. Vt v.g. studet quis diligēter vt sit magis capax prælationis intra, vel extra Societatem, & ex eius desiderio in eo munere laborat: non existimo certè peccare illum contra hoc votum, etiamsi coram Deo ambitiosus sit, & ea ratione studium ad culpam ei imputetur apud Deum, quemadmodum qui exinterna hæresi induceretur ad studendum pro impugnanda fide, nondum censeretur expressisse satis hæresim contra leges Ecclesiæ. Ratio verò est, quia licèt interius, & apud Deum id sit prætendere prælaturam, non tamen exterius, & apud homines: quando autem per hoc votum promittimus non prætendere, &c. intelligitur de prætensione humana, cum aliqua negotiatione, & inductione eius, qui possit prælationem dare. Et explicatur in hunc modum: quia aliud est obiectiuè tantùm posse alium mouere ad sui electionem: aliud verò, per aliquam actionem moralem effectiuè illum mouere ad exercitium actus dandi prælationem (vt sic dicam.) Hoc posterius est in vniuersum prohibitū ex vi huius voti, vt ex verbis adductis constat: non autem prius: quia illo modo excitare, seu mouere alium ad meam electionem, seu conferendam mihi prælationem, est quidem effectus necessario consequens ex ipsa scientia, aut virtute, ac similibus dotibus, & ideo illud per se nō prohibetur voto. Quānis autem intendere hunc effectum propter se, sciētiam autem, & virtutem propter ipsum, malum sit, nihilominus per hoc votum illa praua intentio per se non prohibetur, quia hoc votum directè est de actionibus externis, vt ex verbis eius declaratum est. Confirmatur tandem, quia aliter explicatur hoc votum moraliter esse valde periculosum, generaretque plures scrupulos, quia intentio hominis facile mutatur, & difficile cognosci potest: ideoque non fuisset expediens vouere, non habere hanc, vel illam intentionem, in actionibus de se bonis & necessariis religioni.

XI. *Quæstion. 2. An liceat virtutem ostentare.* Magis dubitari potest, an sit contra hoc votum ostentare, aut fingere virtutem apud Generalem, aut alios, qui ad hāc promotionem iuuare possint, solùm ex affectu captandi prælationem. Videtur enim ex dictis in 1. confirmatione numeri præcedentis, hoc non esse contra hoc votum, quia hocnō est moraliter agere: sed solùm est obiectum ipsum ornare, & aptum reddere ad excitandos alios, saltem per imaginem virtutis. In cōtrarium verò est, quia votum obligat ad non procurandum directè, nec indirectè: quid autem est indirectè procurare: si hoc non est? Item quia si hoc non esset contra votum, etiam procurare ex dicta intentione, vt alius me laudet apud superiorem, seu bonam informationē tribuat, etiam falsam, non esset contra hoc votum: quod planè est absurdum, quia illa est magna ambitio indirecta. Sequela autem patet, quia talis laudatio, vel informatio solùm est obiecti propositio: non est autem inductio, nisi in quantum ab ipso obiecto fieri potest.

XII. Respondeo ad dubitationem videri quidem ostentationem illam prætensionē indirectam (quantumcumque res non careat dubitatione, quia ratio in dicta confirmatione facta non caret difficultate) & præter hunc possunt esse alij modi prætensionis indirectæ, vt est, v.g. obsequiis, aut beneficiis beneuolentiam apud aliquem procurare, ex intentione parandi viam ad obtinendam prælationem, quamuis hæc intentio omnino non declaretur, quia talis declaratio iam redderet prætensionem directam, quę non requiritur ad violationem voti. Deinde procurare apud Generalem vel alios bonam famam, seu

seu æstimationem, per aliorum informationem, etiam est ambitio indirecta, quando ex dicta intentione fit: quia nullus est efficacior modus negotiationis in huiusmodi rebus. Et ideo sub nomine prætentionis propriissimè comprehenditur. Vnde si talis intentio explicetur, est prætensio maximè directa: quando autem latet, est indirecta (formalis enim prætensio interior, semper est in se directa, solumque dicitur indirecta, quando aut ipsa externa prætensio, aut ipse prætendens nobis illam non exprimit formaliter, vt ex 1.2. suppono) quod censeo verum, non solùm quando informatio falsa est, sed etiam quando est vera, quia eodem modo procedit ratio facta. Nec refert, quòd procurare bonum nomen, aut famam apud alios, per se non sit malum, neque ambitio; nam satis est quòd sit de se indifferens, & quòd relatum ad talem finem sit tacitè seu indirectè prætendere prælationē. Et in hoc est differentia inter hæc duo, procurare virtutem, aut scientiam, vel procurare immediatè existimationē virtutis, aut scientiæ apud alios: nam primum est per se bonum, & ideo per hoc votum non prohibetur; etiamsi possit malè fieri ex praua intentione operantis; secundum autem ex se ad summum est indifferens, & solitariè spectatum, seu absque positiua ordinatione ad bonum finem, statim contrahit speciem quandam ambitionis: & ideo continetur sub actionibus indirectis, quæ per hoc votum prohibentur fieri ex tali intentione; & ob eandem rationem id apparet probabilius de hypocrisi, seu fictione virtutis; quia talis etiam actio, præ se fert speciem ambitionis, & non pertinet ad virtutis operationem, sed ad ostentationem eius; ideoque facta ex prædicta intentione, indirecta prætensio est, & consequenter huic voto repugnat. Considerandum autem est, hæc non semper esse peccata mortalia in indiuiduo, vel propter leuitatem materiæ, vel quia intentio illa subrepit, & non est satis deliberata, vel certe quia non propriè imperat actum, sed solùm illi adiungitur, & circa illum versatur, vt circa obiectum tantùm, & ita vel eius malitia est merè interna, vel certè prout exterius prodit, leuis est.

Interest inter procurare virtutem vel scientiā, & earum ostentationem.

Temperatur data resolutio.

XIII. *Quæstiun. 3. Quid per prælationem & dignitatē importetur.*

Supereſt verò adhuc explicandum, quid nomine *prælationis*, & *dignitatis* in hoc voto intelligatur, & an hæc duo idem importent. Cùm enim tam in Cōstitutionibus, quàm in Bulla Gregorij hæ duæ voces semper distinguantur, videtur profectò aliquid diuersum significare: & quidem extra Societatem, non est difficile hæc duo distinguere: nam prælationis nomine intelligi potest Episcopatus: dignitatis verò nomine Cardinalatus: nam cum per se non habeat ordinariam potestatem iurisdictionis, videtur magis propriè, ac frequentius dignitatis nomine, quàm prælationis significari. Non existimo tamen limitari votum ad hęc duo, sed comprehendere in vniuersum omnem prælationem, & dignitatem Ecclesiasticam, quæcunque illa sit, siue hæc nomina significent res distinctas, siue tantùm ad maiorem explicationem posita sint; omnis enim prælatio videtur esse dignitas, licèt fortasse non cōuertantur: quia dignitas iurisdictione carens, non censetur prælatio. Non est autem ita facile in hoc sensu declarare, quid intra Societatem nomine dignitatis significetur, quod diuersum à prælatione sit. Nam per prælationem omnes intelligunt significari munus superioris habens ratione sui iurisdictionem propriam, & spiritualem in subditos, siue ordinariam; vt sunt munus Generalis, Prouincialis, Præpositi, & Rectoris Collegij aut domus probationis, siue delegatam, vt vicarij generalis, Commissarij, aut Visitatoris, nam reliqua ministeria inferioris gubernationis sub Rectoribus, seu Præpositis localibus, vt est officium Magistri nouitiorum Ministri, &c. non possunt propriè, & in rigore prælationes appellari, nec secundum ius commune, argumento cap. *quamuis*. de verborum significatione. Nec etiam iure speciali Societatis, quia in Constitutionibus solùm appellatur officialis Rectoris 4.p.c.10.§.7. vnde ordinariam iurisdictionē non habet, sed quantum ei committitur à Rectore, vt expressè dicitur in examine cap.4.§.31. adiuncta declaratione. Idem patet à simili ex his, quæ de aliis religionibus mendicantibus tradunt Sylvest. verb. *Prælatus*, q. 2. & Angelus eod. verb. in principio.

Quid prælatio in Societate.

XIV. *Quæ munia non reputātur dignitas in Societate.*

Ad explicandum autem nomen, *dignitatis*, intra Societatem, in primis vti possumus declaratione Sixti V. in motu proprio, quo similia verba in alio motu proprio de illegitimis declarauit, dicens, nomine *dignitatis*, in religionibus, non comprehendi ministeria concionandi, aut docendi, vel legendi, neque etiam gradus Magisterij, aut Doctoratus. Ita ergo in præsenti dicendum videtur, hæc omnia, & similia, quæ magis sunt oneris, quàm honoris (vt ibidem dicit Pontifex) sub hoc voto non comprehendi: nam licèt verum sit declarationem illam Sixti, ex intentione eius, datam esse solùm pro materia subiecta illegitimorum, de quibus loquebatur; nihilominus ex illa sumitur validum argumentum à simili, & à paritate rationis. Quocirca probabile mihi est, intra Societatem illa duo vocabula eandem rem significare, neque inueniri propriam dignitatem, nisi prælationem ipsam, quia reliqua omnia sunt magis officia onerosa: atque ita post hæc scripta receptum est à septima Congregatione decreto 44. ex mente P. Claudij. nimirum in Societate, nec dignitatem à prælatura distingui, neque assistentiū munus esse dignitatem; quòd si officia alia à prælatura habent honorem adiunctum, & nō est tantus, qui sufficiat ad rationem dignitatis, & magis est ob dotes, seu qualitates, quæ supponuntur, vel ostenduntur in personis, quàm ex ipsis muneribus. A fortiori verò idem de Consultoribus Prouincialis erit dicendum.

XV. *Quæ possint reputari.*

Posset tamen esse contra hoc votum prætendere in Societate dignitatem aliquam extraordinariā, vt, v.g habere quasi iure proprio, & personali suffragium in Congregatione generali, extra omnem modum, & titulum in cōstitutionibus præscriptū: aut procurare nomen aliquod, & modum dignitatis, ratione cuius habeat consortium aliquod in regimine cum aliquibus specialibus prærogatiuis, prout esse solent in aliquibus religionibus, iuxta suam consuetudinem, vel obseruantiam magistri ordinis, definitores, aut alij post aliqua officia graviora emeriti, ac priuilegiati. Hinc etiam satis verisimile fit, acturum contra hoc votum, qui vacante generalatu, prætenderet in Congregatione prouinciali, fieri se electorem Præpositi Generalis in generali Congregatione: nam licèt illud non sit munus perpetuum, aut stabile: nihilominus iuxta consuetudinem Societatis est res valde grauis, & participatio; quædam iurisdictionis supremę pro illo tempore in hac religione, & circa potissimum actum, qui in ea esse potest. De electione autem in Procuratorem non est eadem ratio, quamuis non careat scrupulo, propter suffragium decisiuum, quod habet cum Præposito Generali in Cōgregatione p[ro]curatorum, ratio[ne] [illegible]is, & quia in eo [illegible] totam suam prouin[cia] repræsentat, sufficiēs dignitas censeri pote[st] [illegible]is, quæ intra Societatem esse possunt.

XVI. *Quæstiun. 4. De pœna violantis hoc votum.*

Vltimò inquiri potest, quam pœnam incurrat is, qui votum hoc in Societate violat. Ad quod ex eisdem constitutionibus respondendum est, in quarum 10. p. 6. pro his qui extra Societatem dignitatem ambiunt, nulla pœna designatur fortasse quia illud

illud peccatum magis priuatum est; & non ita nocet corpori religionis. Pro his autem, qui intra eandem Societatem, directè, vel indirectè prælationē procurant, ponitur pœna incapacitatis, & inhabilitatis ad quamuis prælationem: quod intelligo respectiuè, id est, de prælatione intra eandem Societatem; vsurpantur enim verba iuxta subiectā materiam. Et pœna hæc non incurritur ipso facto, sed post sufficientem probationem, atque adeò post sententiam saltem declaratoriam criminis. Ita enim intelligo illa verba, *Incapaces, & inhabiles, ad prælationem, quamuis habeantur ij, de quibus probari posset, quòd eam ambiissent.* Non enim de sola potestate, seu posibilitate intelligendum hoc est, ita vt satis sit delictum esse probabile: sed de potestate redacta ad actum; ita vt quis sit conuictus de crimine, de quo oportet, vt per sententiam constet. Atque ita expressius declaratum est p. 8. constit. cap. 6. §. 2. cum declaratione A. vbi specialiter sermo est de ambitione Generalatus: & augetur hæc pœna, quia non solùm imponitur inhabilitas passiua, vt eligi posit, sed etiam actiua, vt posit eligere; non solùm pro ea vice, sed etiam perpetuò, vt declarant illa verba, *Nec in eam congregationem, nec in aliam vnquam admitti possit.* Requiritur tamen ibi ad huiusmodi pœnam, vt priùs aliquis de tali ambitione conuictus sit: & in declaratione A. exponitur ad totam hanc pœnam incurrendam, necessarium esse, vt probationes tales sint, vt rem ipsam, seu veritatem sufficienter ostendant: nam si solùm efficiant probabilem suspicionem, illa non satis erit ad pœnam inhabilitatis neque, vt aliquis suffragij iure priuetur, licèt aliud remedium adhibendum sit, ne illa persona tunc eligatur, tanquam minus idonea, minusve digna.

Exponitur constitutio.

XVII. Quod genus pœnæ ac prouidentiæ, satis est consentaneum, & rationi, tum, vt in eo quis puniatur, in quo deliquit; tum etiam, quia per ipsam ambitionem fit quis indignus prælationis, vt rectè dixit Panorm. in cap. *per inquisitionem*, de electione n. 5. & propterea est pœna hæc satis consentanea sacris canonibus, vt videre licet 1. q. 6. c. vlt. vbi Gregorius ait: *sicut is, qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admouendus: sic qui vltro ambit, vel importunè se ingerit, est procul dubio repellendus.* Similem pœnam imponit Leo Papa epist. 82. cap. 8. Episcopo ambienti altiorem Episcopatum, nam propria sede illum priuari iubet, habetur 7. q. 1. cap. *si quis Episcopus.* & idem refertur ibi cap. *si quis de ordine*, ex Concil. Meldensi cap. 30. & alij plenè similes videri possunt in Synodo Romano II. sub Symmacho cap. 3. cap. *si quis Papa* d. 39. & in Concil. Romano sub Innocentio II. & cap. *Apostolica*, 8. q. 1. & concordant etiam iura ciuilia, vt patet ex l. *sancimus.* C. ad legem Iuliam repetundarum, quam refert etiam Gratianus 1. q. 7. cap. *sancimus*, & plura de hac materia videri possunt in Simanquas lib. 2. de Republica cap. 9. 10. & seq. Ioannes Matienzo in Dialogo Relatoris 4. cap. 4. Alexander ab Alexandro li. 3. cap. 17.

Dicta pœna consonat rationi, & iuri.

CAPVT VIII.

De alio voto non acceptandi dignitatem aliquam extra Societatem, nisi præcepto superioris ad id cogente, quod professi Societatis emittunt.

I. TErtium votum simplex quod fit à Professis Societatis vltra ea, quæ diximus in præcedenti ca. de prælationibus extra Societatem, includit partem aliam, quæ sub his verbis profertur. *Nec consensurum in mei electionem quantum in me fuerit, nisi coactus obedientia eius, qui mihi præcipere potest, sub pœna peccati.* Per quæ verba amplificabitur prius votum, & quasi nouum votum emittitur, eiusque materia prælationem omnem, & dignitatem extra Societatem comprehendit; eam verò in tit. c nomine *Episcopatus* significauimus, quia in illo facilius cernitur difficultas huius voti, vt videbimus; & inde facile potest doctrina ad reliquas dignitates applicari. Quoad prælationem verò intra Societatem, non fuit conueniens facere huiusmodi ampliationem, quia intentio instituentis, seu fundatoris non fuit, vt prælationes intra Societatem non habeantur, hoc enim repugnaret gubernationi ipsius Societatis, & ideo non oportuit promittere illas non acceptare, sed solùm non prætendere. Fuit autem intentio eiusdem instituentis vt extra Societatem omnino non habeantur quoad fieri posit, & ideo voluit, vt professi obligarentur, quantum possent, ad non acceptandas illas. Non potuerunt autem obligari simpliciter, & absolutè, quia non possunt licitè resistere præcepto superioris, & votum esse debet de re licita. Extra casum autem præceptipossunt liberè non acceptare & ideo potuerunt etiam obligari ad non acceptandum in omni casu non præcepto.

Explicatur tertium votum simplex.

II. Hinc verò oritur difficultas: quia votum non solùm esse debet de re licita, seu non mala, sed oportet vt sit de meliori bono; sed hoc votum est de re, quæ impedit maius bonum; non igitur est validum nec conueniens votum. Minor probatur primò, quia melius est obedire simplici verbo Prælati, quàm expectare rigorosum præceptum eius. Ita enim distinguit obedientiam perfectam à necessaria D. Bern. lib. de Præcepto, & dispensat. cap. 12. & seq. & D. Thom. 2. 2. quæst. 104. art. 5. ad 3. & docuit etiam B. Ignatius 6. p constit. cap. 1. §. 1. nosque in lib. 4. agendo de obedientia perstrinximus. Ergo nouere non obedire Prælato, nisi rigorosè præcipienti, est votum impeditiuum maioris boni: esseque hoc votum reprehensibile in quolibet religioso, respectu sui Prælati. Simile autem videtur esse in præsenti; nam per hoc votum tollitur libertas obediendi Pontifici simpliciter mandanti accipere Episcopatum, donec cum rigore præcipiat. Quod pari ratione est contra perfectionem obedientiæ debitæ Pontifici.

Probatur minor.

Opponitur maiori.

III. Secùndò potest etiam alio modo hoc votum impedire maius bonum: quia interdū erit maius Dei obsequium acceptare Episcopatum, etiamsi Pontifex non præcipiat: ergo si votum impedit tunc acceptationem, impedit maius bonum: ergo imprudenter fit cum illa generalitate, sed limitatio esse debuisset non acceptandi *nisi vbi certum esse maius Dei obsequium.* Antecedens patet, quia considerato obiecto, & circumstantiis, quæ occurrere possunt, dubitari non potest, quin sæpe contingere posit casus, in quo *maius sacrificium Deo sit acceptare*, quàm repudiare Episcopatum, vt etiam constat ex dictis in præcedenti capite. Non est autem necesse vt in omnibus his casibus Pontifex adiungat præceptum, quia hoc pendet ex libera voluntate eius, & variæ rationes occurrere possunt, ob quas nolit absolutè præcipere, licèt valeat, sed tantùm offerre. Imò aliquando potest accidere: vt acceptare Episcopatum sit materia consilij, & non præcepti, quod proinde non posit etiam à Pontifice imponi. Quia status adeò perfectus non potest præcipi, sine graui necessitate: potest autem consuli propter *maius Dei obsequium*, maioremque perfectionem proximorum: ergo contra consilium, & maius bonum est ligari voto ad non acceptandum Episcopatum, nisi ex præcepto superioris.

Confirmatur de

IV. Et cōfirmatur ex cap. 1. d. 85. vbi Gregorius Papa

de quodam Archidiacono ad Episcopatum electo, vt cognosceret an dignus esset, inter alia iubet inquiri, *si tactis sacrosanctis Euangeliis, sicut nobis nuntiatum est, iusiurandum præstiterit, nunquam se ad Episcopatum accedere.* Vbi significatur tale iuramentum fuisse illicitum: ideo enim de illo inquiri iubetur, vt glossa ibi notauit. Non est autem verisimile iuramentum illud adeò fuisse temerarium, vt factum fuerit de non acceptando Episcopatu, etiamsi iustè præciperetur ob necessitatem: ergo intellexit Gregorius non fuisse prudens, & licitum iuramentum illud, etiamsi absolutè fieret de non acceptando Episcopatu etiam tunc quando licitè potest nō acceptari. Vnde Glossa ibi sentit hoc iuramentum, etiam in eo sensu intellectum, esse peccatum veniale. Quod in eo principio fundari videtur, quia tale iuramentū (& idem est de voto) repugnare potest charitati, vel saltem perfectioni eius: nam, vt dixit Gregorius cap. *in Scripturis*, 8. quæst. 1. *Si is, qui valet, omnipotentis Dei oues renuit pascere, ostendit se pastorem suum minimè amare:* Vbi Glossa dicit mortaliter peccare, qui Episcopatum sibi oblatum non recipit, si se dignum credit; quod confirmat ex cap. proximè præcedenti, vnde Augustinus lib. 32. contra Faustum cap. 10. dicit meritò contemni ab Ecclesia, & in opprobrium haberi eum, *qui electus ab Ecclesia, ministerium euangelizandi renuit, & qui curam lucrandorum refugit aliorum.* Et ideo dixit idem Augustinus 19. de ciuitate c. 19. negotium iustum suscipiendum esse ex charitate, si imponatur.

V. *Confir. 2.* Denique confirmatur, quia intentio illa, in qua diximus fundari hoc votum, videtur esse contraria maiori bono Ecclesiæ, & ideo non esse consentaneum ordini charitatis: ergo & votum, quod ab ea procedit, non potest esse charitati conforme. Antecedens patet, quia maius bonum Ecclesiæ est, vt viri sanctiores, & doctiores ad Episcopatus assumantur, quàm quòd inferioribus ministerijs occupentur, iuxta illud Innoc. III. in cap. *Licèt*, de Regularibus, *si autem maius bonum minori bono præponitur: ita communis vtilitas speciali vtilitati præferatur*, sed hoc impeditur intendendo, & procurando, vt professi Societatis, etiamsi religiosissimi, & doctissimi sint, ad Episcopatum non assumantur. ergo, &c.

VI. *Qui eundem partem neg. tradere videantur.* Propter hæc, & similia argumenta non defuerūt moderni auctores, qui votum hoc improbare ausi fuerint. Citatur Gutierrez de Iuramento confirmatorio 1. p. cap. 72. num. 5. & 8. & eodem modo referri possunt authores dicentes, esse illicitum iuramentum non accipiendi Episcopatum; quod tenet Nauarr. in summa cap. 12. num. 16. cum Angelo verbo *iuramentum* 5. n. 3. & Syluest. *iuram.* 2. quæst. 7. & *Iuram.* 4. quæst. 1. Anton. 2. p. tit. 10. cap. 6. §. 4. Soto lib. 8. de iust. q. 1. art. 7. ad secundum, eam verò sententiam tenet expressè Palacios in 4. d. 38. disput. 1. ante medium versic. *Sed quid si aliquis ea lege vouet* (scilicet non esse Episcopus) *vt eximat præcepti casum nunquid culpabile tunc esset votum?* Respondet; *Itidem arbitror esse culpabile, quia casus præcepti rarus est in hac materia: satis est quòd poterit esse salubre gregi Christi, quòd hic, vel ille sit Episcopus, ideo non licet salubritate gregis Christi impedimentum afferre.* Hæc ille. Fauet etiam idem Syluester verb. *Episcopus*, q. 3. in fine, quatenus dicit esse peccatum mortale non acceptare Episcopatū; non solùm quando speciali præcepto Superioris quis cogitur, sed etiam absq; præcepto, si probabiliter credat, quòd per alium eqùè benè prouideri non potest, quia est contra fraternam charitatem.

VII. *Vera assertio bipartita.* Nihilominus vera, & certa sententia est, votum hoc esse laudabile ex obiecto suo. Nobis etiam indubitatum est Societati esse valde laudabile, & opportunum. Prior pars sumitur ex D. Thom. 2. 2. quæst. 185. art. 2. d. 3. vbi sic inquit, *Accipere Episcopatum non est de se necessarium ad salutem, sed fit necessarium ex superioris præcepto: his autem, quæ sic sunt necessaria ad salutem potest aliquis impedimentum licitè apponere antequam fiat præceptum.* Loquitur autem de impedimento voti non acceptandi Episcopatum, de quo in argumento obiecerat. Vnde subiungit in solutione. *Qui autem votum emittit de non suscipiendo Episcopatu, si per hoc intendit se obligare ad hoc, quòd nec per obedientiam superioris prælati accipiat, illicitè vouet; si autem intendit ad hoc se obligare, vt quantum est de se, Episcopatum non quærat, nec suscipiat, nisi imminente necessitate, licitum est votum, quia vouet se facturum, quod hominem facere decet:* & quodlib. 5. art. 22. in corpore, & ad 2. generaliter sentit melius esse non acceptare Episcopatum, quàm acceptare; quandiu necessitas ex parte præcipientis non agnoscitur. Sequitur hanc sententiam Richardus quodlib. 3. quæst. 21. Syluest. verb. *electio* 1. quæst. 19. & 20. Idem sentiunt Antonin. Caiet. & Soto citati superiori capite num. 1. item Cordub. in Summa Hispana q. 154.

VIII. *Fundamentum eorum præcipuum.* Fundamentum principale huius sententiæ esse debet, quia propositum non acceptandi Episcopatum, quandiu id fieri possit sine culpa, optimum est, & consequenter est aptum vt voto confirmetur, vel aliter (& in idem redit) quia non acceptare Episcopatū, ex suo genere melius est, quàm acceptare, quandiu vtrunque licet, & ideo est apta materia voti. Consequentia per se clara est. Assumptum verè præter citata loca sumi potest ex D. Thom. in 4. d. 29. art. 4. ad 4. vbi reprobat opinionem dicentem Papam non posse præcipere alicui, vt accipiat Episcopatum: *quia hoc posito* (inquit) *periret Ecclesiasticus ordo. Nisi enim aliquis posset cogi ad suscipiendum regimen Ecclesiæ, Ecclesia conseruari non posset, cùm quandoque illi, qui sunt idonei, hoc nolint suscipere nisi coacti.* In quibus verbis supponit hoc esse laudabile. S. etiam Bonauentura super regulam, cap. 2. circa medium, loquens de religiosis, quia Episcopale officium assumuntur, ait, *si coacti ab Ecclesia, huiusmodi ineuitabili necessitate suscipiant regimen animarum, non sunt reputandi ab ordine egressi: si quantum in ipsis est, semper appetant in sinu ordinis confoueri. Quòd si non vocati ad Episcopalem gradum, nec coacti ad eundem aspirant, vt fugiant ærumnas pauperum, & ordinis rigorem, credo eos in illius partem cessuros, qui dixit, fodebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* Vbi considerare possumus Bonauenturā duos tantùm ordines posuisse, scilicet, vel eorum, qui coguntur, vel eorum qui malè affectant, & procurant Episcopatum; cum tamen possit addi tertius, eorum, qui vel non illicitè, vel nullo modo Episcopatum quærunt, tamen oblatum acceptant, etiamsi non cogantur. Cùm tamen eos solùm defendat, qui coacti ineuitabili necessitate regimen suscipiunt, planè sentit alios omnes, à religionis affectu aliquo modo deuiare; atque adeò simpliciter melius esse non accipere episcopatum nisi prædicto modo.

IX. *Accedunt pro eadem parte dicta sanctorum.* Suaderi autem id præterea potest antiquiorum Patrum sententijs. Augustinus enim 19. de Ciuit. c. 19. necessitatem requirit, dicens, *Negotium iustum suscipit necessitas charitatis, quam sarcinam si nullus imponit, veritas contemplanda videndum est.* Quòd maximè dicere potuit propter sarcinam Episcopalem: de qua idem August. epist. 148. ad Valerium. Et habetur c. *ante omnia* d. 40. dixit nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, & periculosius Episcopi officio Greg. etiam 1. p. Pastoralis cap. 6. eius humilitatem laudat, qui regiminis culmen ex corde fugit, & cùm sibi imperatur, inuitus obedit. Multaque similia sumi possunt ex cap. 7. sequenti, & ex eodem lib. 6. epist. 5. & habetur in cap. *in scripturis*, 8. q. 1. sunt etiam ad hoc proposita grauissima Imperatorum verba in L. *si quenquam*, 39. C. de Episcopis, & clericis, *castus & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus, vt quocunque locorum pro-*

nerit omnia vitæ integritate purificet. Tantum ad ambitū debet esse sepositus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profectò enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus; vtroque quantum in ipso est; nam absolutus consensus necessarius est, saltem suppositò præcepto.

X. *Item patrū exemplis admirandū, sed non imitandū.*

Tertiò asserre possumus ad hoc confirmandum antiquorum Patrum exempla, qui quantum valuerunt dignitatem Episcopalem recusarunt, qui varijs medijs vsi sunt. Primum est admirandum potius quàm imitandum, huiusmodi est; quod de Marco Euangelista refert Hieronymus in prologo ad Marcum, qui in Glossa ordinaria circumfertur, amputasse sibi pollicem, ne Episcopus fieret; sed ille prologus & falsò ascribitur Hieronymo, vt in emēdatioribus libris Hieronymi tom. 7. ante commentaria in Marcum, annotatur: & ibi etiam narratio illius facti omittitur; & in lib. de scriptoribus Eccles. in Marco, nihil huiusmodi insinuat: imò ea, quę simpliciter narrat, videntur cum illa historia repugnare. Nicolaus autem de Lyra dans fidem illi narrationi dicit non amputasse sibi totum pollicem, sed partem aliquam, quæ non fuit sufficiens impedimentum, vt Episcopus fieret. In quo non rectè diuinat, nam si amputauit sibi pollicem ne Episcopus fieret; potius credendum est tantum abscidisse, quantum ad impediendum Episcopatum sufficeret; præsertim, quia etiam partem abscindere, de se malum esset: si autem aliqua ratione excusari potest, tam in toto, quàm in parte excusari debet. D. igitur Thom. 2. 2. q. 185. art. 2. ad 3. respondet Marcum non peccasse nolendo Episcopatum, imò in hoc exemplum eius esse per se laudabile: medium verò illud per se non fuisse licitum; credibile autem esse ex instinctu Spiritus Sancti Marcum eo vsum fuisse. Quòd si hoc verum est optimè, & veluti per quandam exaggerationem docuit nos Spiritus S. quantum illi placeat intentio & desiderium fugiendi Episcopatum.

XI. Simile exemplum est, quod de Antonio Anachoreta refert Lyra suprà ex lib. qui dicitur Paradisus, nam cùm quidam ciues vellent eum rapere, & constituere Episcopum, ferro secuit sibi aurem sinistram, dicens, in lege diuina esse prohibitum, ne quispiam aure præcisa Episcopus fiat; sed mirum est tam insigne factum fuisse ab Athanasio omissum in vita Antonij. Si autem verum est, intentio probanda est: medium autem minimè, sed excusandum, vel propter ignorantiam, vel per instinctum Spiritus S. Fortasse autem Lyra loqui voluit de Ammonio monacho; de quo factum hoc referunt Palladius in historia cap. 12. Socrates lib. 3. historiæ cap. 30. qui addit cùm Ammonius non obstante defectu auriculæ, cogeretur Episcopatum accipere, iureiurando se obstrinxisse, si vim inferre sibi conarentur, linguam quoque excisurum. Socrates verò addit Euagrium Ammonium perstrinxisse quòd auriculam præscindendo facinus fecisset, seque coram Deo reum ipse peregisset, quam culpam nō negauit Ammonius; sed cùm idem Euagrius etiam aufugeret, eo quòd ad Episcopatum esset electus, illi respondit Ammonius: *At tu Euagri non putas tepœnas daturum, quòd lingua propter vnium tui amorem excisa, gratia, quæ donata est tibi, minimè vsus sis.* Hoc igitur modo sancti illi viri pro euitanda dignitate Episcopali, & in alium reijcienda inter se certabant. Mirabilia etiam sunt illorum sanctorum exempla qui cùm hominibus resistere non possent, quin Episcopi fierent, à Deo mortem impetrarunt, prius quàm Episcopatum accipere cogerentur. ita referunt de S. Nilammone Sozomenus lib. 8. historiæ, cap. 19. & Nicephorus lib. 13. cap. 17. & de S. Goare refert VVandelbertus lib. 1. vitæ eius cap. 14. & 15. habetur apud Surium tom. 4. die 6. Iulij, & Vincentius in speculo historiali, libro 22. cap. 13. & sequentibus.

XII. *Exhortatio ad imitandum, reijciendum, fugiendum.*

Præter hæc verò sunt alia frequentia etiam Sanctorum exempla, qui modo magis humano, quàm præcedentes, atque (vt sic dicam) morali & imitabili quantum potuerunt, electioni suę ad Episcopatum, vel fugiendo, vel se occultando, vel precibus obsecrando, vel alijs modis restiterunt. Ita refertur de Gregorio Nazianzeno, Basilio, Martino, ac Cypriano, Ambrosio, & Augustino, Chrysostomo, Gregorio Magno, Antonino, & Laurentio Iustiniano, Malachia, & alijs, de quibus videri potest Surius in historijs de vitis eorum; & specialiter Ambrosius de seipso, id refert in epist. ad Vercellensem Ecclesiam; refert etiam Rufinus lib. 2. historiæ cap. 11. & Socrates lib. 4. historiæ cap. 25. tripart. lib. 7. historiæ cap. 8. & habetur in cap. *Valentinianus*, d. 63. Augustinus etiam de se idem significat epistol. 148. ad Valerium, & habetur in capit. *ante omnia*, d. 40. ac videri etiam potest in serm. de communi vita clericorum, vbi de se dicit, *Adeò timebam Episcopatum, vt, quoniam cœperat tam esse alicuius momenti inter seruos Dei fama mea, in quo loco sciebam non esse Episcopum, non illò accederem. Cauebam hoc & agebam quantum poteram, vt in loco humili seruarer, ne in alto periclitarer. Sed vti dixi: Domino seruus contradicere non debet*; indicans tunc solùm acceptasse, quando intellexit esse Dei voluntatem. Idem de D. Gregorio intelligi potest ex lib. 1. epistolarum epist. 3. 4. 7. 25. 26. 29. & 30. in quibus valdè dolet de Episcopatus onere sibi impositō, & de amicis conqueritur quòd de illo tanquam de bono aliquo ei gratularentur. In epist. autem 31. subdit, *Homo nec ad appetendum locum procax insistere, neque ad repellendum contumax debet inueniri: vnde indignus ego ad suscipienda Episcopatus onera iussioni omnipotentis Dei vestraque me voluntati subdidi* De Laurentio etiam Iustiniano ad rem nostram considerare possumus quòd quantum potuit, episcopatum recusauit, donec resistere non potuit Eugenio Papæ ter iubenti, vt refert Bernardus Iustinianus in vita eius cap. 4. in fine. Denique hùc etiam spectat, quod de se refert Clemens I. epist. 1. restitisse se Petro volenti se Episcopum creare, donec ab eo audiuit; *Si periculum peccati timens, suscipere refugis Ecclesiæ gubernacula, certus esto quod amplius peccas, qui populum Dei, velut in fluctibus positum & periclitando, cùm iuuare possis, subterfugis, tuę tantummodo habens considerationem, & non quod in commune omnibus expedit, prouidens.*

XIII. *Exempla aliorum refutantium.*

Quibus etiam addi possunt eorum exempla, qui non solùm affectu conati sunt, sed etiam effectu obtinuerunt ne Episcopi fierent, quamuis à summis Pontificibus inuitarentur. Quod de S. Bernardo, & sancto Thom. de Aquino & alijs, nostræ etiam religionis hominibus, celebratum est, legique potest apud Hieronymum Platum lib. 1. de bono statu religionis cap. 38. Alij denique semel obtentam dignitatem, postea repudiarunt. Cælestinus V. Pontificatui renunciauit, vt colligitur ex cap. 1. de renunciat. in 6. Petrus Damianus Cardinalatum, & Episcopatum reliquit, quanquam ob eam rem grauis pœnitentia ei fuerit à Summo Pontifice imposita, quam ipse acceptauit, tamen in defensionem facti sui apologeticam epistolam ad Gregorium VII. scripsit, quæ habetur in Bibliotheca sanct. tom. 3.

XIV. *Accedit ratio.*

Vltimò probatur ratione assertio posita. Quia licèt Episcopatus sit status perfectissimus, supponit tamen, non confert perfectionem, per se loquendo; cùm tamen illam requirat, ne illum accipiens se multis periculis exponat; ergo loquendo ex obiecto, quandiu homo potest sine peccato Episcopatum recusare, melius facit il-

lum

sum recusando, quàm acceptando, saltem moraliter, & vt plurimum loquendo: ergo votum non acceptandi in tali casu ex suo genere optimum est; consequentia est clara, quia votũ de meliori bono laudabile est. Antecedens patet, quia non acceptare, in ordine ad propriam salutem est securius, & quoad propriam æstimationem suiipsius, est humilius, & à propria præsumptione maximè distans: ergo ex his capitibus hoc melius est, magisque consentaneum perfectioni. Aliunde verò sufficienter prospicit quis vtilitati aliorum, si paratus est illud onus accipere, quando vel charitas, vel obedientia obligauerit: ergo. Vt autem vim huius rationis exponamus, declarare oportet sufficienter, materiam huius voti, quoad illam exceptionem, *nisi ex obedientia eius, qui præcipere possit*; in illa enim sola, tota difficultas versatur.

XV. *Hoc Societatis votum comprehendit etiam præceptum charitatis, &c.*

Et in primis certum est, ibi nõ solùm excipi præceptum positiuum humanum: nam licèt Papa non præciperet sub virtute obedientiæ, si alia via certò constaret iudicio prudentum, præceptum charitatis obligare ad suscipiendum illud onus in bonum proximorum, propter aliquam vrgentem Ecclesiæ necessitatem, non est dubium, quin casus ille non comprehendatur sub hoc voto, nec reipsa; quia votum non potest obligare contra charitatem; nec ex intentione vouentis. Nam absolutè excipitur obedientia eius qui præcipere potest sub pœna peccati, tunc autem intercedit obedientia Dei, qui sub reatu culpæ præcipere potest: ergo casus ille sub dicta exceptione comprehenditur. Et à fortiori comprehendetur quilibet casus, in quo contingeret diuinam voluntatem speciali signo, & miraculo manifestari, vt cum antiquis sanctis interdum factum est: nam illud vim quandam specialis præcepti diuini habere videtur. Deinde si necessitas Ecclesiæ, aut proximorum non sit tanta, vt charitas ipsa per se obliget sub peccato acceptare Episcopatum, satis videtur cuicunque alteri necessitati, vel vtilitati proximorum subuenire, obediendo superiori præcipienti acceptare Episcopatum: at hoc modo magis vitantur omnia incommoda, & pericula: ergo sufficienter fit illa exceptio. Maior patet, quia magis pertinet ad curam superioris cura boni communis, quàm inferioris: item magis nota potest illi esse vtilitas communis, & necessitas talis personæ in ordine ad illam: faciliùs denique, & sine suspicione, vel periculo inordinati affectus potest idem superior in tali causa iudicium ferre: ergo per potestatem, quam ipse habet præcipiendi alteri, vt acceptet Episcopatum, sufficienter subuenitur communi bono. Minor declaratur; quia dum non interuenit præceptum diuinum, vel humanum, homo simpliciter manet liber ad acceptandum, vel respuendum onus Episcopatus: & ideo si illud acceptet, semper videtur propria voluntate, vel honorem accipere, vel periculis se exponere, quæ in Episcopatu maxima sunt, vt August. dixit epist. 148. & Gregorius 1. p. pastoralis cap. 8. & Chrysost. hom. 35. Imperfecti vnusquisque etiam in propria causa non est rectus iudex, & ideo quandiu quis à superiore non cogitur, vix potest prudenter iudicare, melius sibi esse, maiusve Dei obsequium acceptare, quàm renuere Episcopatum.

XVI. *An comprehendat etiã simplicem iussionem superioris.*

Dices fieri posse, vt superior iudicet, & declaret melius esse, maiusque Dei obsequium acceptare Episcopatum, nolit tamen rigorosè illud præcipere, sed solùm simpliciter ordinare: ergo tunc non obligabit votum non acceptandi, quia non acceptare non esset tunc de meliori bono. Respondebit aliquis concedendo totum, neque hoc esse contra formam emittendi illud votum, eo quòd casus ille etiam videatur comprehensus sub illa exceptione, *nisi coactus obedientia eius, qui potest præcipere*, cùm illa ordinatio sit simplex quædam obedientia, ab eo imposita, qui potest præcipere, quanuis actu nolit cum rigore præcipere, & talis obedientia possit etiam dici inducere coactionem quandam religiosam, sicut iuxta ordinarium vsum religionum, per simplices ordinationes, & obedientias suo modo cogantur religiosi parere; etiamsi non interueniat obligatio sub pœna peccati. Sed huic responsioni obstat Declaratio 9. p. constit. cap. 4. lit. B. vbi de Præposito Generali dicitur: Si Pontifex ordinet eum sumere aliquam dignitatem, non tamen ita absolutè imperando, vt ostendat se velle eum ad tale officium admittendum obligare, non posse illam admittere sine consensu Societatis, nec Societatem posse consensum præstare, nisi obedientia Sedis Apostolicæ per præceptum, quod ad peccatum obliget, illam compulerit. Et idem repetitur cap. 5. eiusdem partis in fine, & lit. E. Idem ergo est sensus prædicti voti, & exceptionis, quæ in illo fit.

Respondendum ergo, quanuis regulariter non expediat proprium præceptũ superioris expectare, sed melius sit simplici eius ordinationi, & voluntati obedire: nihilominus in aliquibus rebus grauioribus, in quibus, vel periculum animæ, vel affectus proprij honoris, aut commodi timeri potest, consultius esse nõ moueri, nisi ex proprio præcepto superioris. Notauit hoc Soto lib. 7. de Iustitia, q. 2. art. 4. vbi cùm definijsset cum D. Thoma, & communi sententia, melius esse facere aliquid ex voto, quàm sine illo: obijcit sibi, quia sic melius esset religiosis expectare rigorosum præceptum superioris, quàm prompté ad nutum eius obedire. Respondet autem in communibus, & ordinarijs rebus non ita esse; *Quando autem res* (inquit) *ardua est, eademque dubia, vt ad Indos nauigare, aut regiminis onus suscipere, aut quid simile, consilium est, vt monachus non iniussus, suo proprio iudicio tales subeat prouincias, sed præfecti mandatum præstoletur.* Quæ doctrina confirmari potest ex alia in lib. 4. c. 14. num. 19. tradita D. Gregorij lib. 35. Moralium cap. 10. aliàs 13. vbi dicit, obedientiam, per quam aliquid prosperum, id est, humano affectui consentaneum præcipitur, debere nihil habere de suo, & ponit exemplum, *cum locus superior imperatur.* Habet autem de suo, significat idem esse, quod ex proprio desiderio illum suscipere, & non potius inuitum ac nolentem illum acceptare. Et postea Moysis, & Pauli allatis exemplis, concludit, *Præeunte ergo vtrorumque ducum inuicta virtute instituimur, vt si obedientiæ patinam apprehendere veraciter nitimur, prosperis huius seculi ex sola iussione, aduersis autem, etiam ex deuotione, militemus.* Quæ ferè verba transtulit auctor sermonis 5. ad Fratres in eremo, sub nomine D. Augustini, & habetur etiam in cap. *sciendum*, 8. q. 1. Optimèque præsenti instituto inseruit: nam si quæ obedientia videtur habere aliquid de suo, maximè ascendere ad culmen Episcopatus, præsertim in persona religiosa; quæ non solum honorem, & potentiam acquirit, sed etiam subiectionis, & paupertatis vsum effugere videtur. XVII.

Sed instabit aliquis ex D. Thom. 2. 2. q. 104. a. 2. ad 3. *nam licèt hoc verum sit secundùm id, quod exterius apparet, secundum tamen Dei iudicium, qui corda rimatur, potest contingere, quod etiam in prosperis obedientia aliquid de suo habens, non propter hoc sit minus laudabilis.* Ergo etiam in præsenti, quanuis non interueniat proprium præceptum, sed per solam significationem simplicem voluntatis Pontificis moueatur quis ad acceptandum Episcopatum, & ideo dicatur talis obedientia habere aliquid de suo, non propterea erit coram Deo talis obedientia minus laudabilis, si reuera non intendatur proprius honor, aut commodum, sed sola obedientia diuinę voluntatis. Quod maximè habebit locum, si præcedat prudens XVIII.

iudiciũ, quod hîc & nunc melius sit, & gratius Deo, acceptare Episcopatum, vt contingere potest, etiam secluſa obedientia: ergo multo magis poterit id iudicare accedente simplici ordinatione obedientiæ, etiamsi non sit proprium præceptum: ergo tunc non poterit obligare votum, cùm non possit impedire maius bonum. Et confirmatur, nam si illa doctrina vniuersaliter vera esset, etiam esset consultius intra religionem non acceptare prælationem, vel aliquod officium honoris, nisi ex rigoroso præcepto superioris, & si timor periculi spectetur, non esset acceptanda missio ad Indos, nisi rigoroſe præciperetur: quod est contra consuetudinem Societatis, in qua hæc censeretur magna imperfectio, & votum non aliter acceptandi huiusmodi officia, censeretur inutile, ac nullius momenti: ergo.

XIX. Respondeo argumentum conuincere, doctrinam illam non esse ita generaliter intelligendam, vt in omni huiusmodi materia obedientię, in qua homo aliquid habet de suo, ratione honoris, aut commodi, vel etiam in qua periculum, aut difficultas inest, necessarium semper esse, aut melius superioris præceptum expectare, aut expediens esse, id vouere: nam reuera non semper id verum est, quia ob alias circunstantias potest esse melius, magisque expedire maiorem promptitudinem in his obedientijs ostendere; in rebus enim moralibus non possunt ex consideratione vnius tantùm circunstantiæ, vel proprietatis, generale iudicium ferri, sed omnia expendere necesse est. Doctrina ergo illa Gregorij ad præsens applicata, ita intelligenda est, vt obedientia, quę aliquid habet proprij commodi, ex genere suo non sit expetenda, nec defideranda, imò neque admittenda sine præcepto, nisi in particulari ob speciales rationes aliud expediat. Quam doctrinam cum Soto nos etiam extendimus ad eam materiam obedientiæ, in qua multum est periculi proprij nocumenti spiritualis.

XX. Sed in hoc est præterea considerandum, aliquando esse in materia obedientiæ hoc genus difficultatis, & periculi, sine admistione honoris, vel alterius temporalis commodi, vt est in missione ad Indos (quo exemplo vtitur Soto) & talis obedientia faciliùs acceptari potest, sine præcepto rigoroso; quia nihil habet de suo, & ideo verisimilius est, solùm in ea expectari voluntatem superioris, quæ licèt simpliciter tantùm proposita sit, est optima ratio obediendi, & per se loquendo, sufficit ad excludendum timorem difficultatis, aut periculi, spe diuini auxilij, ob cuius amorem talis obedientia suscipitur. Quod maximè verum habet in ea religione, quæ ex proprio instituto, & vocatione his ministerijs incumbit: nam sperandum est gratiam vocationis non defuturam, ad ea pericula superanda, quando pura intentione, & ex voluntate superioris locum Dei tenentis, & de ipso subdito, & conditione eius, sufficientem notitiam habentis, suscipiuntur. Quin potiùs in tali religione, non solùm optimum consilium est promptitudinem ostendere, acceptando huiusmodi obedientiam, verùm etiam quodammodo præueniendo illam, ostendendo animum propensum, vel saltem indifferentem, si superior expedire iudicauerit. Quod tamen non est ita in his ministerijs, quæ de suo aliquid habent, vt est prælatio, seu locus regiminis: nam in his, nunquam consultum est ostendere animum paratum, aut indifferentem, ne dum propensum, quia semper imminet periculum, ne homo seipsum potius, quàm diuinam voluntatem quærat. Et signum à posteriori esse potest, quòd promptitudo in prioribus obedientijs alios ædificat, in posterioribus autem minimè, sed potiùs ex se scandalum infert.

XXI. Est autem vlteriùs cõsideranda differentia inter prælationem intra, vel extra religionem; quòd extra multo plus habet de suo, quàm intra, è contrario verò intra minus habet periculi, quàm extra religionem. Et præterea generatim loquendo, necessarium est religioni, vt aliqui intra illam prælationem habeant: quod autem extra illam, ad dignitates assumuntur, nec necessarium est ad eius gubernationem, vt per se constat: nec regulariter est illi commodum; quia per hoc priuari potest meliori-

Satisfit conclusioni. bus, vel doctioribus religiosis ad sua ministeria, vel ad propriam gubernationem aptioribus, quod egregiè ponderat Gregorius, & habetur in cap. *Hinc est*, 16. q. 1. *præcepit etiam* (scilicet Francorum Rex) *vt eiusdem monasterij Abbas nunquam ad Episcopatum eligeretur, ne fortè occasione Episcopatus Abbatia aliquid detrimenti pateretur*; nimirum priuando se bono pastore, vt glossa ibidem magis exponit. Ex his ergo differentijs nascitur, vt regulariter non sit expediens, neque opportunum religioni, quod eius religiosi non acceptent intra illam prælationem, nisi rigoroso præcepto compellantur, quia hoc nimium difficile redderet ordinariũ regimen religionis. Satis ergo est, quòd se non faciles, sed potiùs difficiles ad illa ministeria ostendant, cũ ea moderatione, quam prudens ratio, & intentio maioris obsequij diuini dictauerit. At verò extra religionem regulariter, & ex genere loquendo, consultius, ac melius est non acceptare prælationem, nisi ex obligatione præcepti, quia ibi interueniunt omnia, quæ hanc obediendi rationem postulare possunt, quia illa materia multum habet de suo, simulque habet coniunctum magnum periculum, & aliunde non pertinet ad proprium spiritum, vel ministerium religionis, nec ad ordinarium regimen eius, nec per se continet verum ac spirituale religionis commodum, & ideo in ea acceptanda meritò ostenditur tota difficultas, quæ licitè ostendi potest, quod sit expectando proprium superioris præceptum.

Conclusio confirmatur ex dictis cap. 18.

XXII. Quòd si hoc verum est de quacunque religione, speciali profectò ratione in Societate certissimum est. Primò quidem, quia ratione sui instituti ac ministerij maximè indiget doctis, & religiosis operarijs, quibus priuaretur, si inuitati ad Episcopatus, vel dignitates, facile, & sine cogente præcepto illas acceptarent. Qua ratione vtitur B. Ignatius p. 10. §. 6. Secundò, quia in hac religione, quo plus esse potest periculi ambitionis, eò necessarium fuit omnes occasiones eius omnino præcludere: & ideo conuenienter decretum est, vt non solùm dignitates non procurentur, sed etiam vt propria sponte, quoad fieri possit, non acceptentur, vt in eodem loco constitutionum dicitur. Tertiò, quia moraliter, ac regulariter loquendo, professi Societatis docti, & religiosi vtiliores erunt Ecclesiæ in suo humili statu permanẽdo: & ministerio Societatis fideliter exercendo, quàm Episcopatus acceptando. Quæ ratio confirmari potest sententijs, ac testimonijs S. Dominici, & S. Francisci, de quibus refertur cùm simul essent ab Vgolino Cardinali inuitati, eisq; illi dixisset conueniens fore, si episcopatus suis fratribus selectioribus conferrentur: ambo respondérunt se nunquam in eam mentem consensuros: addiditque S. Dominicus, *Fratres mei sublimem satis prædicatorum habent statum. Si illum valeant æstimare.* D. autẽ Franciscus subiunxit, *Fratres mei ideo Minores vocantur, vt nunquam super terram fieri appetant maiores, sed propria vocationis submissione contenti, melius Ecclesiæ veritati inseruire valeant.* Et B. Ignatius his &, alijs similibus verbis, & rationibus Paulum III. induxit, vt Societatis institutum in hac parte illæsum cõseruaret, vt in eius vita legitur apud Ribad. l. 3. c. 14. in editione Latina; & idem tandem confirmauit Gregorius XIII. in constitutione, *Ascendente Domino*, videriquè possunt, quę pro hac re luculenter scribit Nicolaus Orlandinus lib. 6. Annalium Societatis.

Ex

XXIII. *Ad principale argum. inn 2.* *Ad 1. probationem minoris ibid.* *Ad 2 probationem.*

Ex his ergo facilis est responsio ad rationes dubitandi in principio positas. Ad primam enim & principalem rationem respondetur, hoc votum nunquam impedire maius bonum, sed simpliciter loquendo esse de meliori bono. Ad primam autem probationem iam in n. 17. responsum est, licèt regulariter non sit expectandum rigorosum præceptum superioris ad obediendum, nihilominus in tali materia propter speciales eius conditiones, & propter peculiares etiam rationes pertinentes ad maius cõmune bonum, melius esse non acceptare sine præcepto. Ad secundam autem probationem in primis dicitur, difficillimum esse fingere casum, in quo secluso præcepto Pontificis, charitas, ex se non obliget ad acceptandum Episcopatum, & nihilominus sit melius & opus consilij illum acceptare. Cùm enim ex solo obiecto hoc nõ sit consultius, maximè comparatione facta ad statum religiosum, vt in superioribus probatum est, & sumitur ex cap. *per tuam*, de voto, oportet vt ob aliquam grauem Ecclesiæ necessitatem illud iudicetur melius. Hanc verò necessitatem, seu gradum eius, ita definire, seu distinguere, vt sufficiat ad efficiendum opus cõsilij, quod tale non erat: & non ad obligandum ex charitate, valde difficile apparet in præsenti materia, in qua, non acceptando Episcopatum, consulitur, non proprio commodo temporali, aut corporali, sed spirituali, acceptando verò, timeri potest, & proprium periculum spirituale, & deceptio in iudicio, propter naturalem affectum honoris & excellentiæ. Vnde cùm aliàs tota hæc dubitatio auferri possit, si superior præcipiendo interponat auctoritatem suam, nunquam videtur superesse casus in quo sit melius, & consultius acceptare, quàm non acceptare, secluso præcepto.

XXIV. *Progreditur data responsio.*

Accedit specialiter, quòd aliunde etiam intercedit communis ratio toti⁹ religionis, ad cuius spirituale commodum maximè necessarium fuit, vt circa hoc esset aliqua lex definita, iuxta quam liceret Episcopatum acceptare, & non aliàs, quia aliàs vnusquisque suo arbitrio fingeret necessitatem acceptandi; & facile vnusquisque induceretur ad iudicandum id esse melius, & maius Dei obsequium. Ad hoc ergo vitandum incommodum, nulla melior potuit præfigi regula, quàm vt expectetur superioris præceptum: nam per hoc, & commodo religionis consulitur, & cuicunque necessitati, quæ in Ecclesia esse possit, sufficienter subuenitur: ideoque quandiu Pontifex non interponit præceptum suũ, nec certa & euidens est obligatio charitatis, securè potest professus Societatis, iudicare, sibi non esse melius Episcopatum acceptare; nõ solùm quia semper timere potest proprię salutis periculum, vt aliàs indicauit D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 2. & ibi Soto l. 20. de Iustitia, quæst. 2. art. 2. Sed etiam, quia ad maius bonum Societatis ita expedit: quod etiam est bonum commune, cui secundùm ordinem charitatis magis tenetur prospicere mẽbrũ Societatis, quàm commodis externorũ fidelium, quorũ cura magis pertinet ad Prælatos Ecclesiæ. Eò vel maximè, quòd professi Societatis, in suo statu permanentes possunt Episcopos iuuare, & hoc modo satis subuenire necessitati fidelium, vel cuicunque vtilitati, licèt Episcopi non sint; ideo nunquam coguntur iudicare esse maius Dei obsequium, Episcopatum accepare, si præcepto non obligentur.

XXV. *Societatis professi tenentur etiã iudicare melius esse non acceptare Episcopatum.*

Ob hanc ergo causam, meritò votũ illud in prædicta forma emittunt, & post factum illud votum, iam non solum licitè possunt, sed etiam tenentur iudicare esse maius Dei obsequium non acceptare Episcopatũ, quandiu nõ præcipitur. Quòd si in particulari occurrat casus, in quo res videatur dubia, supposito voto tollitur omne dubium; quia votum est certum, & in dubio ius illius præfertur. Imò etiãsi talis videatur esse casus in particulari, in quo secluso voto videretur clarum, & certum esse meli⁹ acceptare Episcopatum, facto iam voto, acceptandus non est, sine præcepto; tum quia votum generaliter factum est: tum etiam, quia nulla est necessitas aliter faciendi, cùm facile sit Pontifici præceptum ponere, si omnino vult, vt acceptetur. Exemplum est in Patriarchatu Æthiopię, aut Episcopatu Iaponensi, in quibus multum est oneris, & laboris, parumque honoris, & nihil ferè temporalis commodi, propter quod videri poterat bonum, & optimum opus esse illud acceptare, iuxta verba Pauli 1. ad Thimotheum 3. sic intellecta à Gregorio 1. p. Pastoralis cap. 8. & nihilominus etiam hi Episcopatus acceptandi non sunt à professo Societatis sine præcepto, vt apertè supponitur 10. p. constit. lit. A. ibi, *Nec tamen in Patriarchatu & episcopatibus Aethiopiæ admittendis resisti potuerit.* Ergo etiam in illis, quantũ est ex parte Societatis, resistendum est.

XXVI. *Ad 1. confir. inn. 4.*

Ad confirmationem ex c. 1. d. 85. respondetur, forte Archidiaconum illum absolutum iuramentũ, fine vlla exceptione [illegible]cisse, & ideo temerè iurasse, vel certè, quanuis ille non peccasset iurando, D. Gregoriũ voluisse quod iuratum fuerat obseruare, quia nulla fortè erat necessitas cogendi per præceptum Archidiaconum illum ad accipiendum Episcopatum; non cogente autem alia necessitate melius, & consultius erat iuramentum seruari. Quocirca sententia Glossæ ibi citata, asserentis esse peccatum mortale nõ acceptare Episcopatum, si is cui offertur, se dignum credit: non est vera, nisi quando sub præcepto imponitur, vel tam euidens est necessitas, vt charitas ipsa obliget. Et ita sunt intelligendi Gregorius, & Augustinus ibi citati, præsertim quòd Augustinus in priori loco contra Faustum solum loquitur de ministerio euangelizandi: in alio verò loco de ciuit. requirit vt cura; & negotium proximorum ex necessitate imponatur. Gregorius autem tum ibi, tum alijs locis sentit, neminem debere reputare se dignum, nisi ex iudicio, & præcepto superioris; vt videri licet lib. 1. epistol. c. 10. & l. 3. c. 10. & l. 10. epist. 5. & idem sentiunt D. Thom. & alij auctores suprà citati.

XXVII. *Ad 2 confir. inn. 5.*

Ex quo etiam patet responsio ad vltimam cõfirmationem; iam enim declaratum est, quomodo ex hoc voto nõ impediatur commune bonũ Ecclesiæ, quia vniuersalis eius pastor, semper retinet ius suũ præcipiendi, quod ad illud commune bonum expedire iudicauerit, & alioqui etiam per hoc votum procuratur spirituale bonum, non solùm particularis personæ vouentis, sed etiam totius religionis: quod in maius totius Ecclesiæ bonum redundat. Alia, quæ circa hoc votum desiderari possunt, tractabuntur cõmodiùs circa finem capitis sequentis.

CAPVT IX.

De voto alio, quod professi Societatis emittunt, audiendi consilia Generalis, si in Episcopos eligantur.

I. *Cur hoc votum & qua forma nuncupetur.*

QVia non obstante voto superiùs explicato, contingere potest, vt professus Societatis cogatur Episcopatum suscipere, pro huiusmodi euentu curã habuit B. P. Ignatius adhibendi aliquod remediũ, quo, & saluti professi sic electi, & maiori vnioni ei⁹, cum Societate, maioriq; proximorum ędificationi, cõsuleret. Et ob hanc rem statuit, vt qui professionem in Societate emittunt, votum aliud sub hac forma addant. *Promitto, si quando acciderit, vt hac ratione in Præsidem alicuius Ecclesiæ promouear, pro cura, quam de animæ meæ salute, ac recta muneris mihi impositi administratione gerere debeo, me eo loco, ac numero habiturum Præpositum Societatis Generalem, vt nunquam consi-*

lum audire detrectem, quod vel ipse per se, vel quiuis alius de Societate, quem ad id ipse substituerit, dare mihi dignabitur. Consilijs verò huiusmodi ita me pariturum semper esse promitto, si ea meliora esse, quàm quæ mihi in mentem venerint, iudicabo.

II. *Puncta tria circa idem votum, ac primum de intelligentia eius.*

Ad explicandum igitur huius voti sensum, tum vtilitatem, tum tertiò obligationem, in primis supponendum est, religiosum professum ad Episcopatum assumptum, eo ipso manere exemptum à propria obedientia suæ religionis. Nam licèt solenne obedientiæ votum non tollatur, nec irritetur, aut propriè dispensetur: eius enim obligatio manet solùm in ordine ad summum Pontificem; eximitur nihilominus talis persona à subiectione omnium Prælatorum talis religionis: iuxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. q. 185. & 186. retrobique art. 8. ad 3. communiter receptam, & in tract. 8. lib. 3. explicatam, & sumitur ex cap. vnico 17. q. 1. vbi dicitur, monachum factum Episcopum à iugo regulæ monasticę absolui, & consequenter ab obedientia Prælatorum suæ religionis. Et sanè meritò, quia constitutus est in altiori gradu, iuxta cap. *nisi cum pridem*, de renuntiatione. Hinc ergo fit, vt professus etiam Societatis factus Episcopus, non teneatur parere consilijs Generalis Præpositi Societatis, & ideo votum non in hoc sensu sit, vt ex vi illius teneatur talis Episcopus obedire consilijs Societatis, quod in 10. p. constit. §. 6. explicatur his verbis. *Non quòd habeat, qui Prælatus est, aliquem de Societate superioris loco.* Et in ipsa forma vouendi satis declaratur.

III. *An episcopus teneatur quæ ab obedientia præter quam papæ. Quid lo quendo ex natura rei.*

Fortasse autem aliquis obiter inquiret an in hoc sensu potuerit tale votum fieri, aut ordinari? Respondeo breuiter, ex sola rei natura, non videri per se, & intrinsecè malum: nam ille, qui ratione iurisdictionis superior est, potest quoad proprias actiones, voluntariè se subdere directioni, & voluntati alterius, & ad illi parendum se obligare Deo, saltem per votum, etiamsi non intercedat promissio humana; quanuis hæc etiam non videatur repugnare. Nec videtur deesse in tali voto, seu materiâ eius, ratio melioris boni, saltem in ordine ad spirituale bonum vouentis: quia ibi exercetur religio, & humilitas, & obedientia, sine alicuius incommodo, vel iniuria. Nihilominus tamen iure Ecclesiastico non videtur hoc licitum, sine licentia Papæ, cui soli reliqui inferiores Episcopi immediatè subijciuntur: pertinetque hoc ad dignitatem Episcopalem, & ideo non possunt particulares personę in hoc cedere iuri suo, nec voluntariè promittere, aut retinere obedientiæ obligationem ad alium inferiorem hominem, à qua ipso iure, seu facto, ex vi talis status, & in honorem suæ dignitatis absoluuntur. Atque hoc maximè procedit de obedientia in his actionibus, quæ pertinent ad regimen animarum: nam illarum cura ipsi Episcopo, & non alteri extraneo demandata est: & ideo non potest ipse ita se constituere sub alterius voluntate, quoad ea, quæ ad hoc regimen spectant, vt ab illa omnino pendeant: quia hoc esset quodammodo immutare ordinem, & regimen à Pontifice præstitutum. Et ob hanc causam prudenter B. P. Ignatius, non solùm noluit per hoc votum obligari professum Societatis factum Episcopum ad obediendum Præposito Societatis, tanquam superiori: verum etiam neque ad sequendum iudicium, seu consilium eius: quia hæc esset virtualis quædam obedientia, per quam Episcopale regimen ad Præpositum Societatis reduceretur, eique quodammodo subderetur: sed solùm voluit, vt tunc teneretur tale consilium sequi, quando iudicaret esse melius.

Quid ex iure Ecclesiastico.

IV. *2. Punctum de vtilitate huius voti.*

Hinc verò nascitur difficultas circa secundum, quod propositū est, scilicet, quænam sit vtilitas huius voti: videtur enim esse nulla: quia si quis nolit consilium Præpositi sequi, vel non sit affectus ad eam rem, quam ille consulit, facile sibi persuadebit illud consilium non esse optimum, & regulariter loquendo semper inueniet, qui contrarium consulat: paruæ ergo, aut nullius vtilitatis, videtur esse hoc votum, & aliunde potest esse occasio dubiorum, & scrupulorum in his, qui fuerint timoratæ conscientiæ: in alijs verò potest esse occasio dissensionum, & odiorum. Nihilominus duas magnas vtilitates in hoc voto inuenit B. Ignatius, quas his verbis explicauit. *Quòd sponte in Dei conspectu vult ad id facendum obligari, quod ad diuinum obsequium melius esse intellexerit: quòdque placeat esse aliquem, qui sibi cum charitate, ac libertate Christiana, ad gloriam Dei, & Domini nostri id proponat*, 10. p. constit. §. 6.

V. *Vtilitas ex cæteris verbis S. Ignatij.*

Vt autem à posteriori parte incipiamus, per se satis notum est, quantum indigeant hi, qui præsunt aliorum consilijs, & rectis admonitionibus. etenim Aristoteles scripsit 3. Pol. c. 3. prudentiam virtutem esse eorum propriam, qui imperium obtinent, quia illis & maximè necessaria est, & ferè ad rectè gubernandum sufficit, quia dixit Xenophon in Cyripędia l. 1. *Hominibus imperare difficile non est, si quis prudenter id agat:* prudentib⁹ enim vltrò paretur. Vnde S. Chrysostomus serm. 15. in epistolam ad Ephesios, *Nihil ad rerum* (inquit) *administrationem ita necessarium est, atque prudentia.* Rectum autem, ac sanum prudentiæ iudicium maximè pendet ex sapienti consilio; nullus est enim hominum, qui sibi sufficiat, & præsertim in tanta rerum varietate, ac difficultate, quanta in publica administratione occurrit. Quod exemplo Moysis accipientis cōsilium soceri sui ostenditDeus Exod. 18. vt notauit Philo lib. de creatione Principis ante medium, dicens, *Relatum est hoc in sacra volumina, vt haberent, quod imitentur posterorum Principes, ne aspernentur consiliarios, quasi possint ipsi dispicere omnia, cum ne Moses quidem aspernatus sit.*

VI. *Dicta vtilitas ex expositione mentis eius.*

Quòd si hoc verum est in quocunque regimine, multo magis in animarum gubernatione: quam esse artem artium, dixit Innocentius III. in cap. *cum sit* de ætate, & qualitate. Et ideo Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio, dixit, *Et si quis magnam perpetua vitare religionem, pietatémque præstiterit, ne hunc quidem eligere statim audeam* (scilicet ad Episcopatum) *nisi magnam etiam animi prudentiam, religione huiusmodi coniunctam habeat.* Magna pars autem huius prudentiæ est, aliorum vti consilijs. Nam, vt rectè dixit Bernard. epist. 82. *cuncti sapientes solent in rebus dubijs plus alieno, quam proprio iudicio credere, & qui aliorum facile ambigua, quæque elucidant, in suis consueuerunt scrupulosius hęsitare.* Vnde epist. 28. ad Ardutionem promotum Episcopum, Paulum (inquit) *imitari curato, in honorificando ministerium tuum, honorificabis autem grauitate morum, maturitate consiliorum, actuum honestate: hæc sunt, quæ officium Episcopale maximè nobilitant, & ornant. Omnia fac cum consilio, non tamen omnium, nec quorumcunque, sed tantùm bonorum.* Et ideo Clemens Papa epist. 3. & refertur de 38. cap. vlt. Episcopum monet, vt nec propter senectutem, nec propter generis nobilitatem, omittat accipere vtilia, & salutaria consilia, etiam à paruulis, & minus eruditis. Quod se ita obseruasse testatur Augustinus epist. 75. ad Auxilium, dicens, *Si tibi, quàm iuste fiat Dominus reuelauit, nequaquam inuentem ætatem tuam, & honoris Ecclesiastici rudimenta contemno. En adsum senex adiuuene coepiscopo, & Episcopus tot annorum à Collega nondum annicula paratus sum discere.* Gregorius autem lib 11. epistola 29. & habetur 84. d. inter alia grauiter reprehendit Episcopum, quòd consilia sapientum, & recta studentium, nulla pateretur ratione suscipere. Rationem autem tetigit Aristoteles 3. politic. cap. 12. quia facilius est multis videre oculis, quàm duobus tantùm. Accedit quòd non solùm consilia rerum agendarum, sed etiam, quæ per modum admonitionum, de præteritis factis dantur, necessaria sunt his,

Vide Nauarr. cap. 25. n. 43.

his, qui gubernant, rarò autem inueniuntur, vel Principes, qui admoneri patiantur; vel fideles amici, qui veritatem, omissa adulatione, syncerè consulant. Hæc est ergo prima vtilitas huius voti, per quod proponit, qui illud emittit, tam consilium, quàm admonitionem admittere de rebus sibi maximè necessarijs, & à persona, de qua moraliter certum est, cum charitate, & prudentia hoc officium esse obituram.

VII. *Altera vtilitas ex iisdem verbis.*

Altera verò vtilitas est, quia non solùm obligatur talis persona, ex vi huius voti ad non detrectandum audire huiusmodi cõsilium, sed etiam ad exequendum illud, si melius, & gratius Deo esse iudicauerit. Quæ conditio prudenter, vt dixi, addita est, quia non debuit Episcopus, qui iam nõ est Prælatis Societatis subditus, vel iudicium suum iudicio Præpositi submittere, vel agere contra iudiciũ suum, si aliud melius esse iudicauerit, quàm quod Præpositus consulit. Neque ob eam rem est parui momenti votum illud; quia non ordinatur ad illuminandum intellectum (vt sic dicam) sed ad firmãdam voluntatem circa id, quod melius est, satisque magna obligatio est, qua homo adstringitur ad faciendum id, quod ad diuinum obsequium melius esse intellexerit. Nec refert, quod iudicium facilè flectatur in aliam partem, si voluntas in eam propensa sit, tum quia sæpè res adeò est clara, & manifesta, vt intellectus non possit tergiuersari, vt si consilium detur de scandalo vitando, de cura, & vigilantia erga suum munus, & rebus similibus: tum etiam, quia ad hoc ipsum hoc votũ deseruiet, vt quis timeat infideliter procedere, & proprio affectu excœcari. Cumq; hoc officium charitatis sit, & inter personas, quæ, & religione, & doctrina, perspicuè fore credendæ sunt, non est cur magna perturbatio, vel conscientiæ, vel animi ex eo timenda sit. Nam licèt ex parte admonentis libertas necessaria sit, verbis placidis temperanda erit: & licèt consulenda sint, quæ profint, ita tamen vt delectent suadenda sunt.

Satisfit impugantionib. in n. 4.

VIII. *Tertiũ punctum de præfati voti obligatione bipartita.*

Tandem ex his explicatur facilè, quod tertio loco est propositum in numero secundo de obligatione huius voti. Nam in genere ad duo obligat. Primùm est, non detrectare audire consilium, quod vel Præpositus Societatis per se, vel alius ab ipso subſtitutus dare dignabitur. Dicetur autem detrectare, quando, vel omnino nolit tale consilium audire, vel certè quando tam acerbè illud tulerit, vt sibi multum displicere significet: nam hæc est non solùm virtualis, & indirecta, sed moraliter loquendo, satis etiam expressa detrectatio. Vt autem votum ad hoc obliget, necesse est, consilium esse de materia accommodata tali voto. Non enim promittit professus Societatis, si ad eum statum peruenerit audire consilium Præpositi in rebus v. g. temporalibus, secundùm se spectatis, vt sunt, v.g quæ pertinent, vel ad res familiares, vel ad temporaliũ bonorum administrationem, vel etiam ad studia literarum; sed in his tantùm, quæ pertinent vel ad propriæ animæ salutem, vel ad debitam Episcopalis muneris administrationem. Hæc enim duo in ipsamet formula vouendi explicantur, & in persona Episcopi ita sunt coniuncta, vt inter se separari non possint: nam *integritas præsidentium salus est subditorum*, vt dixit Leo Papa epist. 85. cap. 61. Et illa etiam duo ad diuinum obsequium, quod per hoc votum intenditur, sufficiunt; reliqua enim omnia indifferentia sunt, nisi ad prædictos duos fines ordinentur, sub qua ratione, ad materiam huius voti pertinere poterunt.

IX. Similiter (quod ad alteram partem attinet) non promittit profes⁹ absolutè facere in omnib⁹, quod melius est, sed in parendo huiusmodi consilijs, ita vt licèt per se, nihilque à Societate admonitus, iudicet aliquid esse melius ad diuinum obsequium, non statim tenetur ex obligatione voti, illud facere, esset enim onerosa valde, & periculis exposita obligatio: nec verba ipsius voti adeò generalia sunt, sed ad prædicta consilia limitata; quæ etiam sic moderata, non est parua obligatio, & ideo in huiusmodi consilijs præstandis, & non multiplicandis magna prudentia & consideratio necessaria est; rarò enim fieri debet, nisi in his rebus, quæ ad diuinum obsequium, vel magnum animarum fructum videbuntur necessariæ.

X. *Dubium 1. An etiam ex tenaẽtur Societas Episcopum suum monere.*

Quæri verò potest obiter, an sicut professus factus Episcopus, tenetur audire consilia Societatis: ita etiam teneatur Societas illum admonere, & hanc veluti curam animæ, & muneris illius suscipere. Respondeo non teneri speciali aliqua obligatione, præter eam, quæ pertinet ad legem charitatis, quæ maiori quadãm ratione, seu potiori ordine obligare potest circa talem personam, vt potè magis Societati coniunctam. Quòd autem nulla obligatio alterius rationis intercedat, probatur, quia non conuenit Præposito Generali ratione sui officij, quia iam talis persona nõ est illi subdita: nec ratione alicuius voti, quia nullum emittit, & in forma vouendi suprà posita in num. 1. solùm professus promittit audire Præpositum, &c. de obligatione autem Præpositi nihil dicitur. Neq; etiam tenetur ratione alicuius constitutionis Societatis, quia 10. part. constitut. §. 6. (vbi solùm de hac re tractatur) nulla obligatio ei imponitur. Imò in declaratione lit. A. expressè dicitur, *Non tamen obligatur Societas ad hoc munus suscipiendum quandocunque alicui ex ea Episcopatus esset admittendus; imò libera manet, vt id oneris & relinquere, & assumere possit, vbi multum referre ad Dei obsequium iudicaret.* Fuit autem hæc declaratio facta occasione Patriarchatus Æthiopiæ, in quo casu, & similibus multum referebat scire gradum huius obligationis ex parte Societatis: quia hæc admonitio fieri debet, vel per ipsummet Præpositum Generalem, vel per alium de Societate ab ipso designatum: nam licet in prædicto loco constitutionũ solùm dicatur, consiliũ esse debere Præpositi Generalis, vel alicui⁹, quẽ ille sibi ad hoc substituerit; tamen in ipsa forma vouendi, quam retulimus, quæ ex prima, & tertia congregatione generali sumpta est, expressè declaratur, hunc substitutum debere esse de Societate. Vnde in Episcopatu Æthiopiæ, vel aliarũ prouinciarum multum distantiũ, cùm hæc admonitio non possit immediate per Generalem fieri, oporteret aliquem de Societate cũ Episcopo mitti, vt hoc munus loco Generalis præstaret; quod esset Præposito, & Societati graue onus, si ad hoc ex speciali obligatione teneretur & ideo prudenter animaduersum est, nullam esse in Societate de hac re obligationem.

XI. *Dubium 2. An idem votum intelligatur etiam de Papatu.*

Duo verò alia supersunt dubia circa hoc, & præcedens caput. Primum est, an obligatio horum votorum se extendat ad Summum Pontificatum; ita vt professus Societatis contra hoc votum agat, illum ambiendo, nec possit eum acceptare, nisi per præceptum cogatur, & euectus ad illud munus, adhuc teneatur consilia Præpositi audire, & exequi, si meliora iudicet. Et ratio dubitandi esse potest, quia forma vouendi absoluta est; de quacunque prælatione extra Societatem. Duobus autem modis potest hic casus contingere. Vnus est, iuxta ordinariam consuetudinem Ecclesiæ, si aliquis de Societate prius Cardinalis, postea eligatur ad Pontificatum. Alius erit extraordinarius, vt si religiosus Societatis nullam extra illam habens dignitatem immediatè (sicut olim fiebat) in Pontificem eligatur.

XII. *Quæstium. Præuia ad*

In priori casu supponitur illa quæstio non prætermittenda; an scilicet professus Societatis semel iam factus Episcopus, vel Cardinalis, ad hoc obli-

dubiũ iuxta priorẽ casũ.

getur superioribus votis ad non procurandam aliam maiorem dignitatem, vel prælationem, vel nõ acceptandam illam, nisi præcipiatur. Ad quam respondendum videtur affirmatiuè. Primò, quia religiosus factus Episcopus, tenetur ad obligationem religiosi status, quæ Episcopali non repugnet, vt in tomo superioti visum est; sed est peculiaris obligatio religiosi professi Societatis non procurare dignitates, & non repugnat seruari in illo statu Cardinalis: ergo. Secundò, quia hoc votum absolutè fit, & est natura sua perpetuum, vt indicant illa verba formæ, *nunquam me curaturum, prætensurum, aut consensurum*, &c. & non extinguitur per superiorem dignitatẽ, quia neque ex natura rei hoc sequitur, neq; iure aliquo est cautum: ergo durat obligatio eius.

XIII. Nihilominus dicendum est, hanc obligationem cessasse per subtractionem materiæ, qua materia huius voti non est ambitio vel procuratio dignitatis absolutè sumpta, sed respectiuè, id est, respectu eius, qui adhuc permanet in puro statu religiosi Societatis, ita vt sensus huius voti sit, non procurandi, vel acceptandi transitum à religione ad talem dignitatem: semel autem facto transitu, euacuata est materia voti, quia omnis alius transitus iam non est eiusdem rationis. Vel potest aliter explicari (& in idem redit) ex voto virginitatis suprà tract. 6. lib. 5. de voto c. 6. n. 14. explicato, diximus enim quòd si tantùm fiat, de non violando clausttrum virginitatis, obligationem terminari ad primam vicem, ideoque semel amissa virginitate, tale votum non obligare; tale enim videtur esse in præsenti hoc votum, de non mutando (vt sic dicam) tali modo statum religiosum: & ideo obligatio eius ad primam vicem terminari videtur. Quod si ita est, facta semel mutatione, cessabit talis voti obligatio. Quod autem ita sit, suadent in primis verba illa constitutionis, *Promittant ad nullam extra Societatem prælationem, vel dignitatem obtinendam, se quidquam acturos, neque ad sui electionem*, &c. nam hæc verba in rigore indicãt primã promotionẽ; nam postea, iuxta modum loquẽdi iuris, potius dicitur translatio, quàm electio, maximè inter Episcopatus, extra Summum Pontificatũ, sed hoc euidentiùs declarant verba sequentia: *sed vnusquisque videat, qua ratione animarum saluti, iuxta nostræ professionis humilitatem, & submissionem inseruire possit.* Hæc enim verba declarant, hanc obligationem solùm respicere illos, qui in sua humili professione adhuc perseuerant. Quod tandem confirmat ratio, quæ subiungitur, *Ne Societas his hominibus, qui ad propositum sibi finem sunt ei necessarij, priuetur*: postquam ergo iam aliquo priuata est, nihil quoad hãc partem de illius obligatione curat. Et quanuis ad hæc omnia responderi possit, hunc fuisse finem, vel rationem motiuam illius voti, materiam autem vniuersaliorem esse; quia sic indicant verba, quæ absolutè, & perpetuò videntur obligare personam, ideoq; priorem partem esse retinendam, tanquam tutiorem, & virtuti, ac religioni magis fauentem: nihilominus in rigore iuris, posterior hæc sententia vera videtur, & satis persuaderi his, quæ diximus. Nam reuera intentio instituti fuit, continere suos professos intra se, & in suo statu; de his verò, qui iam sunt extrà, licèt aliquando intra fuerint, non ita curat. Neque est tanta curandi necessitas. Denique licèt prior sententia videatur quodammodo securior, hæc est benignior, & ideo in materia onerosa, & ad minimum speculatiuè incerta, satis secura, & aliunde securior, quia pauciora vincula imponit, & euitat pericula, quæ faciliora sunt in eo qui iam ad dignitatem conscendit.

XIV. Ex hac ergo resolutione, ad priorem quæstionem in numero 11. respondetur in dicto casu Episcopum, vel Cardinalem Societatis, non peccare contra hæc vota, procurando aliam maiorem dignitatem, vel acceptando illam absq; obligatione præcepti: quia illa non est materia horum votorum, vt num. 13. declaratum est. Et ita constat, Summum Pontificatum, prout ordinariè fit electio ad illum, non pertinere ad materiam illius voti, quia semper supponitur persona in eo statu, in quo iam non obligatur per tale votum. Vnde obiter à fortiori colligo professum semel factum Episcopum non teneri ex vi huius voti renunciare vnquam Episcopatui, vel ad hoc petere facultatem, etiamsi moraliter certus sit, fore concedendam; tum quia mutato statu cessauit obligatio huius voti, vt dixi, tum etiam, quia ille non vouit non perseuerare in Episcopatu spontaneè, absque vi præcepti, sed solùm non acceptare illum sine præcepto. Quocirca, non solùm si intelligat esse melius, verum etiam si moraliter sibi persuadeat esse necessarium ad suam salutem dimittere talem dignitatem, non peccabit contra hoc votum, id non procurando, sed peccabit contra propriam charitatem. Tandem autem aduerto, in his casibus posse aliquod remedium adhiberi mediante voto in hoc cap. explicato: nam in eis poterit talis prælatus admoneri à præposito Generali, vt aliam dignitatem non ambiat, vel etiam, vt se à periculis eripere procuret, relinquendo quam habet: cui consilio tenebitur ille parere, ex vi huius voti, si ad maius Dei obsequium, maioremque suæ animæ salutem pertinere iudicauerit, iuxta ea, quæ diximus num. 8.

Resolutio quæstionis primæ. *n. 11. huius.*

XV. Iã verò superest quæstio de alio modo, quid scilicet dicendũ sit, si cõtingat professũ ab humili statu religionis immediatè ad Pontificatũ eligi, vel electionẽ procurare. Tunc enim videtur vrgere ratio facta in n. 11. quia persona est capax talis obligationis, & votũ absolutè fit de omni prælatione, & dignitate. Fitq; hæc pars valde probabilis, ex quadam cõmuni opinione Canonistarũ, quòd religiosus nõ potest, sine consensu sui Prælati, acceptare electionẽ sui, etiã ad Summũ Pontificatum. Hæc verò opinio mihi in tomo superiori nõ placuit: & ideo cõsequẽter ad ea, quę in illo puncto dixi, probabili° hic existimo, materiã huius voti, non extendi ad summũ Pontificatũ; tum quia cõstitutio loquitur de prælatione intra, & extra Societatẽ: Summus autem Pontificatus, neque intra Societatem dici potest, vt per se constat, neq; etiam extra, vt ibi ponderaui, quia est prælatio vniuersalissima supra omnem religionem, & ipsam etiam Societatem. Vnde intentio cõstitutionis solùm videtur dirigi ad prelationes particulares, & condistinctas à tota religione. Item quia si loquamur de sola acceptatione, non est verisimile sub generali locutione, comprehendi casum adeò specialem, qualis est electio simplicis religiosi ad Pontificatum. Neque etiam est credibile constitutionem Societatis voluisse limitare modum acceptandi electionem adeò singularem, & ad totius Ecclesiæ bonum pertinentem, & quæ eo tempore fit, in quo Ecclesiã caret vniuersali pastore, qui huic bono prospiciat, & ideo vix potest moraliter fieri, vt præceptum de illa electione acceptanda imponatur, etiãsi maxima instet necessitas. Vnde hic habet locum regula iuris 81. in 6. sub locutione generali non comprehendi specialem casum, qui non creditur verisimiliter intentus. Deniq; hanc fuisse mentem B. Ignatij colligo ex verbis eius ad Summum Pontificem: quæ refert fidelissimus testis Petrus Ribadeneira citatus cap. præced. num. 22. vbi inter alias rationes, quibus Ignatius Pontificem persuadere nixus est, ad Ecclesiæ bonum pertinere, ne operarij Societatis Episcopi fiant, vna est, *quòd vbi-riores perceptura sit fructus Dei Ecclesia, ex nostris non Episcopis, quam Episcopis.* Hoc autem vt probet, subiungit, *Nam qui Episcopus est, etsi maiorem auctoritatem habet, ac potestatem, certis tamen locorum finibus continetur & sua*

Resolutio quæstionis posterioris.

& suis est tantùm ouibus pascendis ad dictus. Quæ verba satis declarant, ipsum locutum esse de priuatis Episcopis, non de Episcopatu vniuersali. Quocirca licèt ambitio eiusdem dignitatis, maiori ratione possit sub hoc voto comprehendi; tamen quia in vtraque parte talis voti, de eadem dignitate extra Societatem sermo est, idem necessariò est dicendum; nec sine causa, quia moraliter superfluum erat hoc promittere: cùm enim (vt in tom. de fide disp. 10. sect. 4. in fine attigi) iure, vel consuetudine ordinaria, talis electio non fiat; nullus etiam est, qui dignitatem illam immediatè ambiat, aut procuret, sed mediante Cardinalatu, & ideo huic modo satis prouisum est, impediendo omnem prætensionem, vel spontaneam acceptationem Cardinalatus; de hac enim dignitate certissimum est sub hoc voto contineri, siue sub nomine *prælationis*, siue *dignitatis* comprehēdatur, siue (quod ego verū puto) sub vtroque.

XVI. *Resoluitur tertium dubium.*

Atque hinc facile expeditur alterum dubium, in eodem num. 11. si contingat professum Societatis fieri Papam, an teneatur hoc voto audiendi consilia Præpositi Societatis, & illis parendi si meliora iudicauerit. Existimo enim non teneri; quia pontificalis dignitas (vt dixi) non comprehenditur sub his votis: & in hoc casu, quodammodo est res clara: nam alij Prælati, licèt non sint subditi Præposito generali, neque etiam sunt caput eius, & propter priorem respectum, & subiectionem, quam habuerunt, decentiùs possunt à Præposito admoneri, atque ad parendum aliquo modo obligari: Summus autem Pontifex est caput totius Societatis, non solùm, vt vniuersalis Episcopus, sed etiam vt supremus Prælatus religionis, & ideo non erat ita decens, aut conueniens, vt sub hac obligatione comprehenderetur. Ad quod etiam ponderari possunt verba ipsius formæ vouendi: *si in Præsidem alicuius Ecclesiæ promoueat:* Pontifex enim non alicui Ecclesiæ tantùm, sed vniuersali Ecclesiæ præsidet: de illo ergo sermo non est. Quin potiùs occasione illius verbi dubitari potest, an sub hoc voto comprehendatur Cardinalis vt sic, id est, qui non sit Episcopus: nam ille ex vi talis dignitatis nulli Ecclesiæ præest. Nihilominus veriùs censeo comprehendi; nam illud verbum explicandum est iuxta constitutionem, ex qua forma illa vouendi sumpta est: constitutio autem p. 10. §. 6. sic habet; *Promittat etiam Deo, quòd si quando dicto modo compulsus prælationem aliquam extra Societatem admittat*, &c. Non est autem mihi dubium, quin Cardinalatus in omni proprietate, & rigore sit prælatio extra Societatem: ergo etiam ille sub hac promissione comprehenditur. Vnde vox alia, *Præses*, seu *Præsul alicuius Ecclesiæ*, vt æquipollens sumpta est, præsertim quia Cardinalis, licèt Episcopus non sit, Titulum habet alicuius Ecclesiæ, in qua iurisdictionem habet Episcopalem, & ideo illi præcedere dicitur.

Cardinalis etiam comprehenditur in voto audiendi consilia Generalis.

XVII. *Eruitur sensus constitutionis de non acceptanda dignitate. Non intelligitur de Papatu.*

Vltimò potest ex dictis obiter exponi cōstitutio, quæ habetur 3. p. c. 3. §. 13. fine facultate Generalis nullum posse dignitatem vllam extra Societatem admittere, nec Generalem posse illā dare, nisi sedis Apostolicæ obedientia illum compellat. Ibi enim in primis, non comprehenditur dignitas Summi Pontificis. Quod patet, tum ex particula illa, *extra Societatem*, vt illam in n. 13. ponderauimus, tum quia ibidem supponitur sedem Apostolicam, id est, Pontificem, posse compellere Generalem ad dandam licentiam, quòd repugnaret respectu eiusdē dignitatis quia tunc Sedes Apostolica vacaret. Tum denique, quia non decebat prouisionem sedis Apostolicę quoad hoc quodammodo pendere à voluntate Generalis, vt in simili in n. præcedenti dixi. Deinde solùm habet locum illa constitutio circa acceptationem primæ dignitatis. Nam religiosus Societatis semel translatus ad statum Episcopalem, si transferatur postea ad alium Episcopatum meliorem, vel si priùs factus Cardinalis, postea fiat Episcopus, iam non indiget hac facultate Generalis, non solùm quia iam non est sub obedientia eius, sed etiam propter alia; quæ in n. 13. & 14. adduximus circa prædicta vota, est enim eadem ratio.

Nec nisi de prima acceptatione dignitatis.

XVIII. *NB ac eptare absque licentia conuenit omni religioso, interest tamen inter nostros & alios.*

Aduerto præterea hanc obligationem de iure communi conuenire omnibus religiosis respectu suorum prælatorum ratione voti obedientiæ, vt in tom. superiori explicatum est, nonnulla tamen videntur in hoc esse specialia Societatis. Primùm quòd facultas hæc reseruatur Generali, quod in aliis religionib⁹ regulariter non fit. Secundum quòd Generalis ipse non potest illam dare, nisi coactus obedientia Pontificis. Tertium quòd non solùm inferiores religiosi, sed etiam ipsemet Generalis si ei concedatur talis dignitas, non potest illam acceptare, sine consensu Societatis, vt habetur 9. p. Constit. cap 4. §. 5. & c. 5. §. 6. & in declaratione vtriusque loci. Vbi etiam additur, Societatem non debere præstare consensum, sed expectare præceptum Pontificis, quod sub peccato obliget. Quod in alijs religionibus non postulatur, sed sufficit quòd solus Pontifex consentiat, seu facultatem præbeat, argumento c. *cùm venerabilis*, de consuetudine, & c. *fi Abbatem* de electione in 6.

XIX. *Extenditur dicta constitutio ad non professos.*

Rursus considero constitutionem illam, non de solis professis, aut coadiutoribus spiritualibus loqui, sed in vniuersum de religiosis Societatis: nam simpliciter dicit, *Nullus possit*, &c. comprehendit ergo omnes, qui sub obedientia Generalis militant. Vnde si contingeret (quod difficile non est) per amorem, vel fauorem alicuius Principis, scholarem approbatum in Episcopum eligi, seu nominari: etiam ille non potest, ex vi huius constitutionis, acceptare Episcopatum sine licentia Præpositi Generalis. Hæc autem obligatio ex vi huius constitutionis, non est ad peccatum, quia omnibus constitutionibus generale hoc est, & nihil speciale de hoc est declaratum: vnde cùm scholares de hac re nullum votum emittant, videntur ad hoc non obligari sub peccato, sed tantùm sub regula perfectionis. Nihilominus tamen ex adminiculo iuris communis, existimo hanc esse grauem obligationē. Cùm enim hi scholares sint veri religiosi, & quoad obligationem obedientiæ, tam non habeant velle, aut nolle, quàm quilibet alij, comprehenduntur sine dubio sub generali lege capituli, *si religiosus.* de Elect. in 6. quo declaratum est, in religioso grauē præsumptionem esse, acceptare electionē de se factam, sine consensu Prælati sui. In Societate autem per hanc constitutionem declaratum est Generalem esse vnicū Prælatum, ad quem hoc pertineat. Ergo in Societate acceptare dignitatem sine licentia Generalis, est acceptare sine licentia Prælati. Nam licèt fingamus Prouincialem, aut Rectorem consentire, nihil facient; neque in ea re sunt Prælati; ergo est illa grauis transgressio, non quidem ex vi solius constitutionis, sed illa suppositā, ex vi iuris communis.

Ex adminiculo iuris inducitur eis grauis obligatio.

XX. *Talis obligationis violatio an nullat acceptationem.*

Et eadem ratione censeo, acceptationem, vel electionem aliter factam esse irritam ex vi prædicti capitis; quod eodē modo induci potest. Ed ad idem ponderari potest verbū illud nostræ Cōstitutionis, *nullus possit*, quod de se sufficit ad irritandum, vt vulgare est apud Doctores, & idem cum proportione est de Generali, quia respectu illius Societas est Prælatus eius, & ideo de illo etiam dicitur in Constitutione, *Non debet, nec potest.* Præter hæc verò additur in professis omnibus obligatio voti, ratione cuius non possunt ipsi consentire, nisi præcipiantur ab habente potestatem, etiamsi Generalis facultatem daret. Obserue enim, constitutionē hanc, quæ prohibet Generali ne hanc facultatem præbeat, nisi coactus obedientia Pontificis nō obligare Generalē ipsum

ipsum tanquam proprium præceptum, sed per modum simplicis regulæ; neque hanc obligationem, seu constitutionem esse speciali voto confirmatam: & idem est de Societate, respectu Generalis. Posset ergo contingere, vt Generalis, aut Societas indebitè vtendo potestate sua, vel ex aliqua Epicheia, talem facultatem daret, sine præcepto Pontificis: illa ergo non obstante, obligabitur professus ad non acceptandam dignitatem (quanquam si acceptaret valeret electio) donec præcipiatur: quæ obligatio in scholari approbato non inuenitur, quia nascitur ex voto speciali, quod scholares non emittunt.

CAPVT X.

De voto manifestandi procurantes dignitatem, quod inter alia à professis Societatis emittitur.

I. *Videri votũ hoc procedere solum de dignitatibus intra Societ.*

VT ambitio dignitatum, & Prelationum, tàm intra Societatem, quàm extra illam, nullum in eadem, quoad fieri posset, locum haberent, non fuit contentus B. Ignatius professos speciali voto obligare ad eas non procurandas, sed etiam addidit votum, quo promitterent manifestare hoc Societati, quemcunque in hoc peccare intelligerent. Verba constitutionum p. 10. §. 6. hæc sunt. *Omnes professi se nihil vnquam ad eam* (id est, dignitatem obtinendam) *acturos, & quos agere animaduerterint delaturos Deo, ac Domino nostro voueant?* Circa quem locum aduertendum occurrit, ex vi illius, solum videri præcipi, vt hoc votum fiat de dignitatibus, & prælationibus Societatis. Nam verba proximè præcedentia sic habent. *Erit summi momenti, vt perpetuò felix Societatis status conseruetur, diligentissimè ambitionem submouere, ac aditum ad dignitatem, vel prælationem vllam directè vel indirectè, quærendam in Societate præcludere*; & proximè subduntur verba illa citata, *omnes professi*, &c. Ex quo contextu planè constat, illud relatiuum *ad eam obtinendam*, referre solùm dignitatẽ, & prælationem in Societate. Item, quia de alijs extra Societatem, statim subditur, *Promittant etiam ad nullam extra Societatem prælationem, vel dignitatem se quidquam acturos.* De deferendis autem prætensoribus harum dignitatum, nihil subiungitur. Nec dici potest, hæc posteriora verba intelligenda esse iuxta priora, quia hoc nullum habet in contextu fundamentum, & materiæ sunt omnino diuersę, sicut è conuerso in posteriori clausula additur promissio non acceptandi dignitatem extra Societatem nisi præcepto cogantur, quod, quia in priori additum non fuit, ad dignitates intra Societatem non extenditur, vt suprà cap. 8. n. 2. vidimus, ergo similiter, &c.

II. *Opp. situm resolutur.*

Nihilominus praxis Societatis habet vt de vtrisque dignitatibus hoc votum fiat. Nam post duo vota non procurandi prælationem, aut dignitatem intra, vel extra Societatem additur, *Tum si quem sciam aliquid prædictorum duorum curare, vel prætendere, promitto illum rémque totam me manifestaturum Societati, vel Præposito eius.* Vnde non est dubium, quin hoc votum obliget in vtroque genere dignitatum, siue illud fiat ex vi prædictæ constitutionis: siue (quod mihi propter argumentum num. præcedenti factum probabile est) illa fuerit extensio quædam à tertia generali congregatione facta, cuius auctoritate decreto 46. forma vouendi à prima congregatione iam præscripta decreto 102. ita extensa est, nam ad hoc potestatem habet congregatio generalis, & fortasse cum illi 3. congregationi interfuerint, multi ex Patribus, qui & intentionem B. P. Ignatij, & vsum Societatis à principio cognouerunt, hanc eius fuisse mentem declararunt, licèt illis verbis constitutionis satis explicata non fuerit.

Hoc igitur voto supposito, tria sicut in præcedenti cap. circa illud declaranda occurrunt, vtilitas, materia, & obligatio. Ponitur materia fit.

De vtilitate huius voti.

Circa vtilitatem ratio dubitandi esse potest, quia vel hoc intelligitur de detegendo crimine alterius, quando ad commune bonum Societatis est necessarium, & potest cum fructu fieri; vel absolutè, & sine limitatione, vt verba sonant. Priori modo votum est parum vtile, quia tunc ipsa ratio charitatis obligat, & sufficit inter viros religiosos, nec; oportet laqueos addere, posteriori autem modo, votum esset iniquum, quia sine necessitate, & fructu boni communis non est proximus infamandus. Nihilominus dicendum est, votum hoc, & sanctum & vtile esse Societati. Quod auctoritate sufficienter probatur ex approbatione summorum Pontificij, vel generali, vt à Paulo III. & Iulio III. confirmatibus institutum, & approbantibus constitutiones, vel speciali, vt à Gregorio XIII. in constitutione, *Ascendente Domino*, ex qua etiam colligitur, hoc votum cadere in vtrasque dignitates; nam posit vota non prætendendi dignitatem intra, aut extra Societatem subditur, *Item Societati, vel eius Præposito manifestaturos, si quem sciant aliquid huiusmodi moliri.* III. Vtra vtilit. Ponitur ratio Pauli III. pro vtilit. Ponitur ratio Iulij III. pro vtilit.

Ratio autem quoad honestatem huius voti clara est; quia deferre ad superiorem peccatum subditi, maximè quando vergit in commune detrimentum, per se, & ex obiecto bonum est dummodo debito fine, & circunstantijs vestiatur. Sic Christus dixit Matth. 18. *Dic Ecclesiæ*, votum autem hoc, quauis simpliciter, & absolutè fiat, intelligendum est de reuelatione iusta, & charitati consentanea, vt in simili dixit Sylvest. verb. *Denunciatio.* quæst. 5. quod explicare non fuit necesse; quia, & ex materia, ea, & ex ratione voti erat satis manifestum; nam certum est hoc genus delicti multum posse nocere Societati. Certum etiam est hoc nocumentum maius futurum, si tale delictum à scientibus occultetur: nam & timor pœnarum, & prouidentia superiorum multum iuuare potest, vt illud non serpat, neque effectum habeat. Est ergo per se bonum, ac moraliter necessarium ad commune bonum Societatis vt superioribus manifestetur: ergo hoc etiam vouere honestum est. IV. Probatur ratio ex vtroque præcepto.

Quòd verò etiam vtile sit, declaratur, tum quia licèt charitas posit per se ad hoc obligare; tamen peculiaris obligatio religionis ex voto, & est magis clara, & expressa; & multum solet mouere conscientiam religiosi; tum etiam, quia hoc votum non tantùm obligat, suppositia alia obligatione charitatis, sed absolutè, quoties id potest honestè fieri, etiamsi aliàs non esset præceptum. Sæpe enim accidere potest, vt reuelare peccatum fratris superiori, possit honestè fieri, non tamen sit sub præcepto, quia præcepta affirmatiua non obligant pro semper, etiam suppositia honestate actus, nisi intercedat sufficiens necessitas: hæc enim separabilis est ab honestate, etiam in præsenti materia. Nam ad honestatem sufficit aliqua vtilitas, quæ tamen non semper satis est ad præcepti obligationem: si ergo quis obligetur ex voto ad subueniendum hoc remedio Societati, non solùm quando necessitas charitatis cogit, sed etiam quando vtilitas maioris boni suadet, & honestat actum, in magnam profectò vtilitatem religionis cedet tale votum. Ita ergo est in præsenti voto, vt amplius ex illius declaratione constabit. V. Probatur quoad posteriorem.

De materia eiusdem voti.

Circa materiam erga huius voti distingui potest remota, & proxima. Remota est peccatum ambitionis VI. Explicatur

Materia remota per 3. quæstiunc. Prima resolutio.

tionis in procuranda dignitate, intra, vel extra Societatem. Proxima est manifestatio illius peccati. Circa priorē inquiri potest primò, qualis, & quanta futura sit hæc ambitio, vt sit materia huius voti, sed in hoc, regula de sumi potest ex dictis suprà in cap. 7. vsque ad num. 12. circa votum non ambiendi dignitates: ibi enim declarauimus quid sufficiat ad violandum grauiter illud votum, illa ergo ambitio, quæ fuerit peccatum mortale contra votum illud, est materia sufficiens in suo ordine ad huius voti obligationem; nullo enim certiori modo potest hæc materia designari. Quod etiam ex verbis constitutionis satis colligitur, quæ sic habent. *Promittant se nihil vnquam ad eam obtinendam acturos, & quos agere animaduerterint delaturos.* Eadem ergo actio, quæ cauenda promittitur, deferenda vouetur, si in alio animaduertatur.

VII. *2. quæstiun.*

Quæri verò subinde potest, an oporteat tale peccatum in altero esse contra suum votum, vt sit materia hui⁹ voti; quod est quærere, an hoc votū obliget ad manifestandum iudicialiter illud peccatum cōmissum à quocunq; religioso Societatis (nam de fraterna manifestatione res videtur clara, vt lib. 10. c. 9. cōstabit) vel solùm ab eo, qui ex voto speciali illud cauere tenetur. Potest enim etiam scholaris approbat⁹ in hoc delinquere, vt ex dictis in c. præced. n. 19. intelligi potest, quanuis nullum votum de hac re fecerit: tenebiturne ergo professus Societatis ex vi huius voti, illū manifestare? *Resolu'itur.* Respondeo mea sententia non teneri. Nam licèt in forma vouendi dicatur, *si quem sciant:* & in constitutione, *& quos agere animaduerterint:* tamen ex subiecta materia, & ex cōtextu cōstat, illa relatiua eos tantùm referre, qui ex voto ad delictum illud cauendū obligantur. Ratio verò esse potest, quia licèt Societati maximè expediat, vt omnes, qui quocunque modo, sunt membra eius, omnem ambitionem euitent: nihilominus non omnes ad votum de hac re emittendum obligantur, sed sufficienter in hac parte prouisum creditur Societati, si præcipua membra eius, quæ iam sunt cum illa (vt sic dicam) vltimatè coniuncta, hoc vinculo obligentur: cùm in illis magis timeri posset hoc vitium, quia futuri sunt digniores, & ad huiusmodi munera aptiores, & propinquiores. Sic ergo sufficiens visum est, si votum manifestandi hoc delictum solùm in ordine ad easdem personas fiat. Item sicut scholares approbati nō tenentur ex speciali voto deferre professum, etiamsi illum in hoc peccare animaduertant, sed solùm ex communi regula, & lege charitatis: ita neq; è contrario professi tenentur ex suo voto ad manifestandum hoc delictum iudicialiter, etiamsi in scholari illud animaduertant, sed solùm ex eadem regula, & lege charitatis. Tandē potest etiam circa hanc partem inquiri, an peccatum hoc debeat esse publicum, vel occultum sufficiat: item an certum, vel etiam dubium. Sed hæc tractabuntur commodiùs explicando obligationem huius voti in 3. puncto.

VIII. *Materia prima duplex. Et de quanā procedat votū.*

Circa alteram partem materię, quam proximam appello, dubitari potest de qua manifestationē, seu denuntiatione, in ea sit sermo. Duplex enim esse potest denuntiatio, quantū ad præsens spectat: vna iudicialis, quæ ordinatur ad punitionem delicti iam cōmissi, & consequenter ad vitanda similia, non solùm in ipso, qui denunciatur, sed etiam in alijs. Alia paterna, seu fraterna appellatur, quę ordinatur prę cipuè ad emendationem in futurū, vel propter spiritualē salutē ipsiusmet delinquentis, vel præcipuè propter bonum alicuius communitatis, cui⁹ graue detrimentum ex tali delicto probabiliter timetur. Dubitari ergo potest, de qua istarum denunciationum intelligendum sit hoc votum, nam ipsum indifferenter sit; & tamen ad executionem eius multum refert, an vno vel alio modo facienda sit denunciatio. Quia si votum solùm obligat ad denuntiationē paternā, nō tenebitur quis iudicialiter denunciare, & consequenter nō poterit Prælatus Societatis ad punitionem delicti procedere cuius oppositū constitutio supponit, pœnā inhabilitatis imponens propter hoc delictum; nec sine causa, quia aliàs non esset illud sufficiens remedium ad cohibendum hoc delictum. Item quia aliàs seruandus esset in hac denuntiatione ordo correctionis fraternę, & admonendus esset priùs delinquens, si esset spes emendandi, vel si esset emendatus, non esset faciēda: quæ omnia videntur esse contra finē, & intentionem huius voti, quæ fuit efficacius remediū adhibere, vt nemo auderet vitium hoc in Societate introducere. Quòd si propter hæc dicamus, votum hoc intelligi de denuntiatione iudiciali, sequitur, neminem obligari ad exequendum hoc votum, nisi quando potuerit probare delictum, quia iudicialis denunciatio non potest licitè aliter fieri, nam esset fini improportionata, & per illam infameretur proximus sine fructu, & daretur occasio faciendi similes iniurias proximo. Illud autem consequens videtur etiam nimium eneruare vim huius voti, & efficaciam huius remedij. Posset enim hoc delictum serpere in Societate, & multum illi nocere; priusquàm esset probabile in iudicio.

IX. *Authoritas solutio.*

Ad hanc dubitationem breuiter dicendum est, materiam huius voti præcisè, & indefinitè, esse accipiendam prout verba sonant de manifestatione facienda Præposito, eo modo quo licitè fieri potuerit. Cùm enim votum indistinctè fiat, non possum⁹ nos illud limitare citra id, quod materia voti intrinsecè postulat: hoc autem solum est, vt actio honestè, & vtiliter fiat. Quocirca quando circunstātiæ non iuuant, vt denunciatio iudicialis fieri possit, paterna autem, seu fraterna, aut quocunq; alio nomine vocetur delatio alia ad superiorē, commodè, & vtiliter fieri possit, illa erit sufficiens materia huius voti, quia per illā satis expletur, quia solùm, seu indistinctè promissa est manifestatio superiori: vnde non est dubiū, quin ad illā faciendā tunc obliget hoc votū. Si autē iudicialis denunciatio commodè fieri possit, etiam poterit fieri licitè, constatque sufficientem esse ad hoc votum explendum. Existimò autem immediatè non cadere sub obligationem eius, quia plus inuoluit, quàm promissum sit. Semper ergo satisfiet voto huic, simpliciter manifestando rem superiori, qui iudicabit an debeat procedi ad denunciationem iudicialem, poteritq; obligare subditum, vt illam faciat si expedire censuerit, si non in virtute huius voti, saltem in virtute obedientiæ, quod satis est. Ad difficultates autem positas respondere nunc non est necesse, quia neutram partem admittim⁹ tanquam definitè necessariam, in quo sensu illæ procedunt, & ideo non sequuntur. Quid autem dicendū sit de nonnullis casibus, qui ibi tanguntur, in sequenti puncto attingemus. *Quid ad difficultates inn præced.*

Quando & quibus circunstantijs hoc votum obliget.

X. *Quæstiunc. 1 cum qua notitia delicti obliget hoc votum.*

Circa obligationem ergo huius voti, quia affirmatiua est, explicare oportet quando, & cum quib⁹ circunstantijs obliget; est enim hæc obligatio quasi præcepti affirmatiui, cuius natura est, vt non obliget pro semper, sed tempore opportuno, & cum debitis circunstātijs. Primò ergo dubitari potest, quæ, & quanta notitia de delicto alterius requiratur in habente hoc votum, vt obligetur ad manifestandū illud superiori. Videtur enim quælibet probabilis coniectura, vel suspicio sufficere, saltem vt in eodē gradu, & sine maiori exaggeratione aperiatur superiori. Quia talis manifestatio tunc etiā est consentanea fini huius voti, nam potest esse vtilis ad impediendum

diendum maius malum, vel tollendam suspicionem, si fundamentum non habuerit. Videtur etiam consentanea verbis constitutionis: nam in 10. p. §. 6. dicitur, *quos animaduerterint*, quod verbum generalem significationem habet, complectentem omnem illum modum cognitionum. Vnde in 8. p. cap. 6. §. 2. in declarat. A. hic casus distinguitur quoad modum punitionis quando de illo satis constat, vel solùm est suspicio probabilis, aut non satis probata. Vnde videtur supponi in omnibus his casibus esse manifestandum.

XI. *Resolutur obligare solum cùm notitia certa.*

In hoc dubio tractari potest quid sit in obligatione, vel quid liceat, aut expediat. Quoad priorem existimo votum hoc non obligare, nisi suppositâ certitudine delicti. Probatur ex forma vouendi, *Si quem sciam*, &c. quod verbum retinetur etiam in constitutione, *Ascendente Domino*. Est autem sumendum in ea proprietate, in qua saltè cõmuni modo loquendi vsurpatur. nullus autem prudens dicit se scire, nisi quæ morali saltem certitudine nouit. licèt enim non oporteat interpretari illud verbum in dialectico rigore, saltem moralis, & iuridica proprietas retinenda est: iuridicè autem nullus dicitur scire, nisi qui moralem certitudinem de re habet. Vnde glossa in l. 2. §. 2. antepenult. ff. de aqua pluuiali arcenda, dixit, *scire* esse veritatem visu perceptam in mente retinere: vbi per visum intelligit quamcunq; experimentalem rei cognitionem. Sic enim Bartolus dixit, per visum intellexisse omnẽ sensum in l. 1. ff. de interrogatorijs actionibus, quam refert Nauar. in cap. *si quis autem*, de pœnit. d. 7. num. 9. qui addit per visum etiam intelligi posse puram intellectualem cognitionem, sed non est necesse, quia agimus de scientia humana, & practica.

XII. *Quæ certitudo requiratur.*

Addo verò ad scientiam, de qua agimus, non oportere rem esse visam, aut proprio experimento cognitam, nam si certa humana fides, per testimonia fide digna, de illa habeatur, satis erit, nam hæc sufficit ad moralem certitudinem. Vnde Innocentius in cap. *cùm in causa* de iuramento calumniæ, iuramentum de veritate dicenda quam quis scit; non solùm esse posse de his, quæ quis vidit, sed etiam de his, quæ indubitanter credit; non solùm fide diuina, sed etiam humana. Consentit Felinus referens plures alios in cap. 1. de summa Trinit. & fid. cathol. vbi specialiter notandum est, quòd cum Dominico, & alijs dicit, posse aliquem dicere pro certo scire, quod ab vno fide digno tanquam certum accepit. Quod etiam significat Nauar. in cap. *inter verba*, concl. 6. Corol. 66. num. 389. qui etiam allegant glossam in l *si quis extraneus*. §. *sciendum*, aliàs *si quis*. ff. de acquirenda hæreditate, & in l. *Titio fundus*. ff. de condit. & demonstrat. Sed illæ parum, aut nihil ad rem præsentem dicunt. Denique addit Nauarrus hanc moralem certitudinem sufficere, vt subditus teneatur manifestare delictum Prælato interroganti, an illud sciat, siue per generalem, siue per particularem inquisitionẽ: sic ergo in præsenti sufficit similis certitudo, vt votum obliget ad manifestationem. Ratio autem est, quia tunc subest materia huius vóti in omni proprietate verborum si moraliter accipiantur, vt re vera sumenda sunt: subest etiam ratio sufficiens boni communis, per medium ordinatum, quia per illam manifestationem potest facile præueniri ad exactam cognitionem delicti, maximè si reuelentur personæ à quibus talis notitia accepta est.

XIII. *Satisfit argumento in num. 10.*

Quòd autem minor notitia, aut quælibet alia suspicio nõ sufficiat, satis ostensum est ex ipsa forma vouendi, per quam declarandum est aliud verbum constitutionum, *si animaduerterint*. Quod etiam in rigore significat satis certam cognitionem. Alio verò in loco constitutionum, quamuis supponatur aliquando, posse negotium hoc de aliqua persona tractari, propter solam suspicionem, eamque non inueniri probabilem post exactam rei examinationem; non tamen asseritur, cùm sola illa suspicione obligare votum ad huiusmodi manifestationem. Nec deniq; satis est, quòd illa possit esse vtilis; quia ad voti obligationem oportet inspicere materiam eius; neque oportet vouere manifestationem pro omni euentu, in quo potest esse vtilis, satis enim fuit prouidere casibus certis, & moraliter necessarijs. Quocirca, licèt in casu solius suspicionis, vel opinionis non satis certæ, obligatio huius voti nõ cogat, nihilominus sæpè poterit manifestatio esse licita, si purè & simpliciter fiat in eo gradu in quo vouetur, eo fine vt superior ea cognitione instructus, attentiùs vigilet, & prudenti modo perspiciat, an res illa mai⁹ habeat veritatis fundamentũ, vel si nullũ inuenerit, vt etiã suspicionis occasio tollatur.

Licet non manuteneat. tandem. tunc potest. ad.

XIV. *Quæritur. 2. an alij vocari debeant. per dictum. pravum.*

Secundò dubitari potest an hoc votum obliget denunciare delictum, quod præteritum est, & in futurũ omnino non pendet: vt v. g. si nulli constat aliquẽ professum aliquando ambisse prælationem, iam verò omnino cessasse, vt non sit morale periculum reincidendi, an teneat nihilominus illius delictum Generali manifestare, siue ille consequutus fuerit dignitatem, quam ambierat, siue non; hoc enim ad præsentem obligationem nihil refert videtur, cùm effectus consequutus non augeat, nec minuat delictum. Pars ergo affirmans suaderi potest, quia hæc manifestatio non ordinatur præcipuè ad emendationem priuatæ personæ, sed ad commune bonum Societatis, vt illa omnino impediatur hoc ambitionis genus, ad quod valde necessarium esse potest, etiam in eo casu rem manifestare.

XV.

Nihilominus dicendum censeo in eo casu votum non obligare. Probatur: nam verba voti hæc sunt; *Si quem sciam aliquid prædictorum duorum curare, vel prætendere*, scilicet de præsenti: non verò dicit, curasse, aut prætendisse, quod longè diuersum est: nec obligatio rigorosa est vltra verborum exigentiam extendenda. Atque idem probant verba constitutionum 10. p. §. 6. *& quos agere animaduerterint delaturos.* & verb. Gregorij XIII. *Si quem sciant aliquid huiusmodi moliri.* Declaratur præterea, nam vbi B. Ignatius voluit hanc obligationem ad præteritum actũ extendere, id expressit; cùm ergo id non expresserit, signum est noluisse. Antecedens patet ex 8. p. constit. cap. 6. §. 2. vbi pro eo tempore quo Societas congregata est ad eligendum Generalem, omnibus electoribus præceptum imponitur; *Vnusquisque sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, teneatur Vicario manifestare, vel alicui ex antiquioribus professis, qui cum Vicario conferat, si sciat aliquem hoc munus affectasse, vel etiam tunc affectare directè, aut indirectè id procurando, vel signo aliquo id declarando.* Quod præceptum peculiare est, & distinctum ab obligatione voti, & non habens locum in aliis dignitatibus, vel prælationibus, sed solùm in Generalatu, propter rei grauitatem, & idcirco specialiter extenditur ad præteritum tempus, quia ibi etiam consideratur dignitas eligendorum, & fidelitas eligentium, & vtriusque existimatio valde minuitur ex tali delicto etiamsi præteritum sit: ergo ab eo casu, vt ab speciali, optimum sumitur argumentum ad negandam extensionem illam in generali obligatione in qua non exprimitur.

XVI.

Eo vel maximè quòd etiam in illo præcepto, illud præterium, *affectasse*, non est extendendum ad totum tempus vitæ præteritæ, sed ab obitu Generalis, vsque ad tempus electionis, vt videtur declaratum à quarta congregatione generali in formula generalis congregationis §. 21. vbi etiam declaratur, præceptum illud, nõ tantùm obligare respectu eorum, qui ad electionem congregati sunt, sed respectu omnium de Societate, *quicunque, & vbicunque sint, qui ab obitu P. Generalis, ad electionem vsque pro se, aut pro alijs*

Explicatur. præteritum. declaratur. præterea declaratum. præterea declaratum. generalem.

pro aliis ambierint, quia nimirum de omnibus potest fieri electio, & omnes possunt electionem perturbare; præceptum autem manifestandi licèt ibi non videatur imponi omnibus de Societate, sed solùm ad electionem congregatis, nam ad illos tantùm loquitur dicta constitutio; tamen in formula congregationis generalis §. 82. extenditur præceptum sanctæ obedientiæ ad omnes, qui sciuerint similem ambitionem, siue sint ex numero congregatorum, siue non; ibi verò non agitur quidem de electione Generalis, sed assistentium, tamen ob identitatem rationis potest inde sumi argumentum, vel interpretatio prioris præcepti, quamuis in materia odiosa. Prædicto autem modo meritò fit illa extensio ad præteritum, quia quamuis fortè ambitio cessauerit, effectus eius moraliter durare censetur, ob temporis breuitatem: imò vix potest moraliter præsumi emendatio: at verò in materia huius voti nulla est limitatio, vel designatio præteriti temporis, & ideo in illa non fit hæc exceptio, aliàs quantumuis lapsus aliquis finitus iam esset, emendatus ac sopitus, excitandus esset propter obligationem huius voti: quod nec charitati consentaneum est, nec Societati necessarium, aut vtile.

XVII. *Ad argum. pro parte affirmat. in num. 14.*

Vnde ad rationem in contrarium respondetur inprimis, vt suprà dixi in num. 13. ad obligationem voti, non quamcunque vtilitatem esse spectãdam, sed materiam, & verba quibus fit votum. Deinde licèt ex tali manifestatione sperari possit illa generalis vtilitas, quòd debita non maneant impunita: tamen nõ est hæc, quæ præcipuè per hoc votum intenditur, sed præcludere aditum ad quærendam, vel obtinendam dignitatem per ambitionem: ad hunc autem finem satis est ambitionẽ, quæ aliquo modo durat, impedire. Vt autem ambitio finita cẽseatur, non satis est mutasse voluntatem, vel egisse pœnitentiam prioris delicti: nec cum effectu cessasse nouam solicitudinem, & negotiationem ad dignitatem obtinendam, sed necesse est præteritum factum ita retractari, seu impediri, vt effectum non habeat, id est, vt ex vi negotiationis factæ, dignitas non obtineatur, alioqui, & finis primarius voti perseuerat, & materia etiam durare virtualiter censetur. Et ad confirmandam totam hanc doctrinam facit, quòd communiter Doctores tradunt circa præcepta Superiorum inquirentium delicta in generali ad ea emendanda, vel impedienda, excusant enim subditos ab onere talium præceptorum, quãdo delictum omnino cessauit, & nullum nouum periculum omnino timetur, vt videre licet in Nauarro, cap. *Inter verba*, concl. 6. coroll. 66. Soto lib. 5. de Iust. it. p. 5. artic. 1. vers. *Et hic fumenda est regula*. Cordub. in summ. q. 64. qui alios refert.

XVIII. *Quæstiun 3, circa idem 3. punctum an votum obligat denuntiari occultum.*

Tertium dubium est, an hoc votum obliget quãdo delictum alterius occultum est: & ratio dubitandi esse potest, quia hoc votum absolutè fit. In contrarium autem est, quia manifestare occultum delictum fratris, videtur intrinsece malum, quia Ecclesia non iudicat de occultis: denuntiatio autem, quæ fit Ecclesiæ, vel pastoribus eius, ordinatur ad aliquod Ecclesiæ iudicium: ergo si fiat de re occulta, est prorsus inutilis ad hunc finem: ergo si fiat, erit pura detractio, & consequenter intrinsecè mala. Vnde de inquisitionibus generalib. est communis resolutio, neminem teneri ad denuntiandũ, quod probare non potest. Angelus verb. *denuntiatio*, num. 13. Sylvest. q. 4. num. 5. verb. *excommunicatio*, 2. dub. 8. num. 18. qui tamen hoc limitat ad denuntiationem publicam cum Rosella eodem verb. nu. 16. talis autem esse videtur manifestatio, de qua hîc agimus: & idem sentiunt plures alij, quos refert & sequitur Corduba paulo antè citatus, & lib. 1. quæstionarij quæst. 43. & plura de hac materia infrà videbimus lib. 10. per varia capita, explicando quandam regulam Societatis: & quia ex illa generali materia hæc specialis pendet: ideo in præsenti breuiter hoc dubium expediemus.

XIX. *Præmittuntur varij gradus.*

Primò ergo vulgaris distinctio præmittenda est, de delicto publico, vel occulto, in vtroque n. membro varij sunt gradus, vt tangitur in cap. *vestra*, de cohabit. cleric. & mulier. & à Doctoribus ibi: tamen ad rem præsentem explicandam distinctiùs possunt ita proponi: quoddam enim delictum est ita occultum vt sub secreto confessionis sciatur: & hoc in quæstionem non venit, quia semper intelligitur exceptum, vel potiùs illud non reputatur scitum. Aliud est ita occultum, vt per solam secretam consultationem ordinatam ad bonum, & remedium animæ delinquẽtis sciatur. Tertiò est occultum, quod sub cõmuni naturali secreto scitur per solam relationem, seu narrationem ipsiusmet delinquẽtis, vel alterius. Quartò est occultum, quod vnus nouit per certam scientiam, seu visionem, à nullo autem alio scitur. Quintò quod vnicus tãtùm testimonio, præter ipsum denũciantem probari potest. Sextò quod est sufficienter probabile per duos, vel tres testes, quãuis de illo nulla sit infamia, vel maior notitia, & hic gradus participare incipit aliquid de publico: quamuis absolutè tale delictũ, non censeatur publicum à Theologis, nec Iuristis, sed proprio nomine dicatur probabile, vt videre licet in Caietano, & aliis 22. q. 33. art. 7. Nauarro in Summa cap. 27. nu. 255. Adriano in 4. materia de correctione fraterna, & aliis citatis & citandis.

XX. *Gradus varij publici delicti.*

Publicum ergo propriè dicitur, quod ab aliqua communitate, vicinia, aut familia scitur, vel saltem à maiore parte eius; oportet tamen, vt familia sit saltem decem personarum, iuxta frequentius arbitrium Doctorum, quos citauimus: vnde saltem necesse est vt à sex, vel septem personis sciatur: & hoc credo in præsenti sufficere, etiamsi non sit ille numerus maior pars communitatis. Quis enim dicat tantùm esse publicum hoc delictum ambitionis, de quo agimus: quando scitur in maiori parte totius Societatis, vel totius domus; in quo sunt centum, vel plures personæ, vel totius congregationis generalis constantis etiam magno numero personarũ? Satis ergo est quod à pluribus certò sciatur; numerus autem definiri non potest, nisi prudenti arbitrio: sex autem, aut septem videtur sanè numerus sufficiens, saltem ad minimum gradum publici facti. Nam aliud dicitur notorium, quod frequentiorem requirit notitiam: aliud dici potest famosum, quod præter certam notitiam plurium, addit infamiam inde ortam. Præter hæc verò dici etiam potest famosum, vel etiam laborare infamia delictũ, quòd à multis scitur per relationem tantùm, ab vno tamen oculari teste manantem. Deniq; aliquando est infamia de delicto, cuius origo ignoratur, solumq; de publico rumore constat.

XXI. *1. pronuntiatũ quoad denũtiationem iudicialem.*

Ad dubium ergo propositũ respondeo inprimis, quocunq; ex dictis nuper modis, delictum sit publicum, vel etiam sufficienter probabile, votum hoc obligare ad eius manifestationem. Quod est certũ, quia tunc manifestatio licita est, siue fiat per denũciationem secretam, & paternam, siue iudicialem, estque vtilis ad finem voti, & comprehẽsa sub verbis eius. Solùm potest esse difficultas, an vltimus modus infamiæ sufficiat ad denuntiationẽ iudicialem, de qua dicam statim. Addo ergo etiam quando delictum est semiprobabile, i. e. ab vno fide digno teste sufficiẽter notum (qui erat quintus modus in num. 19. positus) obligare votum, quia etiam tunc potest licitè fieri, saltem per secretam, & paternam denuntiationem, vt ex dicendis à fortiori patebit. Quin potiùs credo etiã tunc posse fieri iudicialem denuntiationẽ, ita vt denuncians nõ se obliget ad integrã probationem, sed solùm ad manifestãdum

2. pronuntiatum.

quod scit. Nam materia est pertinens ad commune bonum, cui præferendum nō est priuatum incommodum, & ille modus denuntiationis potest esse valde vtilis ad illum finem, quia deseruiet, vt superior possit legitimè interrogare testem, & vt post illius testimonium, possit iuramento, vel alio conuenienti modo cogere reum ad veritatem dicendam: imò addit Nauar. dicto cap. *Inter verba*, nu. 381. (vbi hanc sententiam tenet) quod ipsemet denunciator potest esse testis simul cum alio, ad probandum delictum via denuntiationis, ad effectum iniungendi pœnitentiam, & emendandi peccatum.

XXII. *3 pronunciatum.*

Extra hos verò casus, in omnibus aliis modis occulti delicti, non potest quis etiam occasione huius voti, procedere ad denuntiationem iudicialē; quia talis denuntiatio per se nō est rationi consentanea, quod intendunt authores in ratione dubitandi nu. 18. allegati, & probat ratio ibidem facta. Atque eodem modo dicebamus suprà nu. 12. quoties laborat infamia delinquens, etiamsi non constet, an ex aliqua scientia orta sit, posse deferri ad superiorem, vt in eo delicto iudicialiter procedat, eo modo, quo licitè potest, dūmodo saltem ipsa infamia sufficienter probari possit: quia id satis est, vt possit superior postea iustè inquirere, & conuenientia remedia adhibere.

Expeditur ratio vtrinque dubitādi in nu. 18.

XXIII. *4. pronūtiatum attinēs ad denuntiationem paternam.*

At verò de secreta, seu paterna denuntiatione distinguēdum est; nam licèt delictum sit occultum quarto modo posito in num. 19. id est, soli eidē personæ per certam experientiam, seu visionem cognitum: nihilominus per se loquendo potest delictum secretum manifestari Præposito Generali. Ità sumitur ex Couarruuia lib. 1. variarum cap. 11. nu. 6. & 7. Adriano quodlib. 11. liter. R. Soto relect. de legendo secreto memb. 2. q. 4. concl. 2. Nauarro in manuali, cap. 18. num. 61. & cap. *Inter verba*, concluſ. 6. & aliis Doctoribus, dicentib. hunc modum denuntiationis esse licitum, quando ordinatur ad vitandum aliquod damnum graue, vel communitatis, vel alicuius tertiæ personæ. In præsenti enim non agitur præcipuè de vindicando ambitionis delicto, sed de impediendo communi nocumēto religionis, quod esset maximum, si dignitates per ambitionem obtinerentur, vel si hoc vitium paulatim in hac religione introduceretur; quod facile timeri posset, propter propensionem magnam hominum ad huiusmodi vitiū, & plures occasiones eius, quæ in hac religione esse possunt, cui tale vitium maximā perniciem afferret. Vnde Soto dicta quæst. 4. de secreto dub. 1. post 3. concluſ. inter peccata, quæ per se vergunt in perniciem publicam, ponit ambitionem, & subornationem suffragiorum in cathedris, & in aliis electionibus: quod non sine multorum scandalo experientia satis docet. Hinc ergo concluditur ratio assertionis, quæ generalis est, quia bonum cōmune præfertur priuato, & è conuerso nonnullum nocumentum priuatæ personæ, & præsertim nocētis permittendum est, vel contemnendum propter vitandum maius damnum, vel communitatis, vel alicuius innocentis. In præsenti autem damnum proueniens ambitioso ex manifestatione peccati eius occulti, parui momenti est comparatione nocumenti, quod ex eius vitio religioni potest prouenire. Imò etiam respectu eiusdem religiosi, potest in maius bonum redundare: nam damnum solùm est parua quædam infamia apud superiorem, commodum autem est vt vitetur spirituale eius damnum, & periculum: ergo.

Sumitur ex authoribus.

Ratio ad idem.

XXIV. *Obiectio bipartita.*

Dices, licèt hic finis bonus sit, medium tamen nō est proportionatum, quia si delictum est occultum, etiamsi reueletur superiori, nullum potest medium adhibere: quia nec potest interrogare reum; nec si interroget ille tenebitur confiteri delictum, quia non iuridicè interrogatur: quod si neget, illi potius est fides adhibenda, præsumitur enim innocens, qui non probatur nocens. Neque etiam potest de tali delicto inquirere in particulari, quia esset infamare talem personam. Denique datur aliis occasio facta denunciandi, si possunt occulta dicere, quæ probare non possunt. Respondeo ad priorem partem, quamuis illud medium nō sit omnino efficax, non tamen esse inutile, & in ea opportunitate esse vnicum, & maximum remedium, quod adhiberi potest, & ideo pro capacitate materiæ esse satis proportionatum, & in tanto periculo, communis boni, non esse omittendum. Nam in primis fæpè contingit, vt quod vnus scit, putans rem esse occultam, & sibi soli notam, alius eodem modo idem scier, vel eadem via, aut alia simili: & tunc si vterque recurrat ad superiorem, erūt duo testes, qui licèt fortasse contestes non sint, & ad ordinariam pœnam non sufficiant, multum tamen conferre poterunt ad remedium adhibēdum, præsertim in causa pertinente ad bonum commune, vt constat in hæresi, proditione, &c. Deinde etiamsi vnus solus secretò denunciet, deseruiet, vt superior attentiùs inuigilet, & obseruet personam & actiones eius, & omnia indicia, vel circunstantias, quæ veritatem indicare valeant. Potest etiam generalem aliquam inquisitionem facere, nullam suspicionem de tali persona ostendendo, sed solùm de ipso delicto, aut de possibilitate eius, ex officio procedēdo, vt ita intelligat, an aliquis rumor de tali persona sparsus sit; & ita iuxta comparatam cognitionem prudenti arbitrio poterit remediū adhibere, etiamsi non puniat peccatum. Quod in Societate faciliùs est Præpositio Generali, quia ad ipsum pertinet distributio omnium dignitatum, seu prælationum eius, & ipse etiam debet præbere consensum, vt extra illam accipiatur: quòd si agatur de ambitione Generalatus, ad Vicarium Generalem pertinet huiusmodi cura, & prouidentia. Nam in eo casu tam occulti criminis, satis esse videtur rem illi manifestare: nam per hoc satis impletur votum manifestandi *Societati, vel Præposito eius*. Vicarius autem non communicabit cum aliis tribus antiquioribus professis in constitutionibus designatis, donec prudenter iudicet, an res sit in eo statu, vt possit in iudicium deduci, vel nisi eorum consilio, & industria indigeat ad remedium adhibendum.

XXV. Ad aliud autem inconueniens de periculo falsi testimonij, respondetur, inprimis hoc non esse morale periculum, nec præsumendum in personis religiosis. Deinde exigi potest iuramentum, quando fuerit aliqua talis suspicio, obseruandæ etiam sunt aliæ circunstantiæ, & indicia, quæ moraliter non desunt, quando tam inordinatus est animus, & affectus denunciantis, vt falsum testimonium in re tam graui alteri imponat. Deniq; hæc manifestatio, non ad hoc ordinatur, vt statim adhibeatur fides vni denuncianti, sine alio examine, vel consideratione. Sed vt inde sumi possit initium, & via intelligendi certiùs veritatem, & adhibendi aliquod remedium. Aliquando verò tanta posset, esse authoritas vnius loquentis propter vitæ integritatem, & prudentiæ existimationem, vt si rem affereret, tanquam sibi certa experientia notam, fides illi esset adhibenda, non quidem ad puniendum delictum, sed ad eius affectum & progressum impediendum, argumento capit. *super eo*, secundo de testibus, iuxta quem textum vnus testis veridicus sat est ad malum impediendum: licèt non ad puniendum.

Vide Sanch. de matr. lib. 3. disput. 11.

XXVI. Ex quibus infertur idem esse dicendum in tertio casu in num. 19. posito, quando res non solùm occulta est, sed etiam sub secreto naturali recepta: tūc enim non obligat naturale secretum ad seruādum illud, non obstante fide, seu promissione data: quia semper subintelligitur conditio, nisi tale secretum

4 pronūtiatum attinēs ad denuntiationem paternam.

nam subintelligitur conditio

in de-

in detrimentum communis boni cedat, nam tunc obligatio esset iniqua, & contra ipsum naturale ius: in præsenti autem materia tale secretum vergeret in magnum Societatis detrimentum, vt in num. 11. & 12. ostensum est, & ideo non obstante tali secreto, licitum est ambitionem Præposito manifestare: quod si est licitum, etiam cadit sub obligationem huius voti, quia continetur sub verbis eius, vt constat ex interpretatione superiùs in nu. 2. data; suppono enim cognitionem sub illo secreto acceptam esse sufficienter certam moraliter, modo superiùs in numero illo 19. explicato: nam illo posito nihil deest ad materiam & obligationem huius voti.

Vtrùm professus Societatis ex vi voti teneatur denuntiare ambitionem, quam alter secretò, & gratia tantùm salutaris consilij postulandi, illi manifestauit.

XXVII. Solùm ergo supereſt difficultas circa secundum modum occulti, in quo adiungitur secretum consultationis ordinatæ ad remedium animæ. Quibusdam enim videtur, etiam in eo casu obligare hoc votum, quia peccatum occultum, quod vergit in corruptionem communitatis, reuelandum est superiori secreto, & vt patri, non obstante quocunque secreto, extra confessionem. Sub hac enim generalitate loquitur diuus Thomas 2.2. quæst. 70. articulo primo ad secundum, & eodem modo loquitur Soto libro quinto de Iustitia, quæst. 7. articulo primo ad primum, & de Tegendo secreto memb. 2. quæst. 7. proximè ante 4. concluſ. Caietanus etiam, cum aliis modernis expositoribus ibi. At verò præsens delictum, de quo agimus, vergit in commune detrimentum religionis, vt nu. 23. ostensum est: ergo non obstante illo secreto, licitè reuelatur, & consequenter obligabit hoc votum. In contrarium verò est, quia multi graues auctores negant delictum esse reuelandum, quod per solam consultationem secretam cognitum est. Nauarr. in Summ. cap. 25. n. 46. & latè in dict. c. *inter verba*, coroll. 6. præsertim à num. 401. Cord. lib. 1. q. 43 dub. 2. casu 3. Sed hi indifferenter loquuntur de consultatione, quæ fit ad remedium annonæ, vel corporis, vel rei familiaris, qualis fieri solet cum Aduocato, Medico, & similibus, & ideo etiam Corduba, & Nauarrus posteriori loco, adhibent exceptionem, *Nisi reuelatio sit necessaria ad vitandum maius malum Reipublicæ, vel innocentis*, vt vulgare est de crimine hæresis, sicut tractaui disp. 20. de fide. sect. 4. proditione, & aliis.

XXVIII. Inuenio vnicum Dominicum Bãnes qui 22. dist. q. 70. art. 1. dub. 4. ad 6. in specie dixit Theologum si consulitur in ordine ad sacramentum Pœnitentiæ in nullo casu posse reuelare, & loquitur apertè de consultatione distincta à propria cõfessione sacramẽtali, quæ nullo modo est pars eius, licèt ad illam vt ad finem extrinsecum ordinetur, & ideo non inducit proprium sigillum eius, sed infra illud tam magnum secretum, vt propter nullam causam illud reuelare liceat. quod tamẽ ab ipso nulla auctoritate, vel ratione probatur. Potuit autem in hoc fundari, quòd per illam extrinsecam relationem participat talis consultatio religionem Sacramenti; ergo etiam participat secretum eius, ita vt sacrũ & religiosum dici valeat: ergo nulla ratione violãdum est. Et confirmatur, quia aliàs magna ex parte præcluderetur via ad confessionem liberè faciendam, si non posset homo liberè, & sine timore reuelationis consultare, quod necessarium sibi esset, ad confessionem faciendam. Sed hæ rationes non cogunt, nam illa relatio est merè extrinseca, solùm ex intentione operantis, & ideo non addit actui externo obligationem aliquam, vel potiùs efficaciam, ad illam inducendam, quemadmodum etiam attigi in tomo de pœnit. disp. 33. sect. 4. num. 6. Nec; etiam impeditur libera confessio, quia intra illam, potest fieri sufficiens consultatio cum confessore, vel si ille non sit sufficienter doctus, per illum sub eodem sigillo, poterit consuli doctior; & tunc verum est, Theologum, qui consulitur, in nullo casu posse reuelare secretum, quia re vera participat sigillum confessionis; nam recipit notitiam illam cũ onere suo. Quod si fortasse nolit sub tanto sigillo illam audire, malè faciet; quia confessor non potest aliter eam communicare.

XXIX. *Resolvitur præ dictum modum occulti non posse conferri cũ sigillo.*

Quocirca loquendo de consultatione in ordine ad confessionem, quam facit homo omnino extra confessionem, vt se ad illam præparet, vel vt rectè possit disponere de rebus suis; sic non censeo esse in illa maiorem secreti obligationem, quàm esset ex natura rei in simili consultatione facta in ordine ad contritionem, vel satisfactionem propriæ conscientiæ, etiamsi non esset sacramentalis confessio instituta, prout contingere posset in statu legis naturæ, aut veteris: quia nec cum institutione huius sacramenti additum est speciale præceptum positiuum talis secreti, pro illa consultatione, vbi enim ostendetur? neque ex natura rei sequitur, vt respõsio in n. præcedenti data ostendit. Nihilominus tamen ex ipsa rei natura etiam secluso Sacramento censeo illud secretum esse grauissimum, ita vt licèt non obliget in omni prorsus casu, & sine vlla exceptione, sicut sigillum confessionis; rarissimè tamẽ, & non nisi propter vitandum maximum commune malum violari possit. Ratio est, quia hoc remedium consultationis secretæ, ex natura rei est maximè necessarium ad bonum animarum, quod bonum maioris momenti est, quàm alia temporalia, & ideo ad maximum bonum humani generis spectat, vt hoc remedium conseruetur, & non fiat vel inutile, vel nimium onerosum. Potestq; cum aliqua proportione hîc applicari ratio, quæ de sigillo confessionis fieri solet: necessarium enim fuit, vt confessio, quæ medium etiam est ad salutem necessarium, inutilis, aut onerosa non fieret: sic ergo ne cõsultatio ad remedium conscientiæ ordinata, quæ suo modo est hominibus necessaria ad bonum animæ, inutilis, aut onerosa fiat, magnam secreti obligationem secum afferre necesse est, quanuis non in eo gradu, vt sit cum sigillo confessionis comparanda; quia nec res ita sacra est, nec ita necessaria. Et ideo dixi paulo antè, licèt hoc secretum non obliget semper, & sine vlla exceptione, sicut sigillum confessionis; non tamen posse violari, nisi grauissima communis causa intercedat. Vt autem causa prudenter iudicetur sufficiens, non solùm ponderandum est incommodum particulare, quod inde accidere potest illi personæ cuius secretum reuelatur; sed etiam hoc generale, quòd illud cõsultationis remedium multum eneruatur, & fit odiosum per talem reuelationem.

Esse tamen grauissimũ secretum.

Eius grauitatis ratio.

Confirmatio proportionalis.

XXX. *6. Pronunt. ob dictam grauitatem secreti illicitum esse reuelare delictum cõtra hoc votum.*

Ex hac igitur doctrina, quam verissimam existimo, & bonis moribus necessariam, infero in præsenti quæstione, non obligare hoc votum, quando res tantũ scitur sub hac consultatione secreta, quia non existimo esse tũc licitam talem reuelationem. Nam licèt ambitio sit ex peccatis, quæ vergunt in detrimentum communitatis, maius censeo esse nocumẽtum, quod ipsi etiam religioni prouenire potest ex facilitate reuelandi tale secretum; vix enim vllus auderet suæ conscientiæ prouidere per talem consultationem, quod maximum bonum est, similem enim ob finem, ne scil. religiosi nostri terreantur à manifestanda superiorib. conscientia, vt lib. 10. cap. 6. tractabitur, districtè præcipitur iisdem superioribus, vt secreti illius naturalis fidem omnino seruent. Et, quod caput est, nuper in 6. Congreg. generali can. 12. statuitur, quod de manifestandis su-

periori aliorum defectibus in regula habetur; *intelligi de illis defectibus, quæ ab aliquo alio notata, & obseruata fuerint; non autem de iis, quæ ipsimet secretò, & consilij petendi gratia, vt dirigantur vel iuuentur, alteri communicauerint.* Vnde quod sic scitur, dici potest moraliter nesciri; & hoc etiam titulo, non comprehendi sub materia huius voti. Accedit quòd si attentè res consideretur, maius commodum inde prouenire potest ad ambitiones etiam impediendas: quia ipsi quoq; ambitiosi maiori cum fiducia consulent viros doctos, ac religiosos, à quibus poterunt saltem consilio iuuari: si autem sciant esse reuelandos non consulent; & ita nec consilium, nec reuelatio locum habebunt. Vnum verò addo consideratione dignum, oportere, vt consultatio vera sit, & non ficta, id est, quòd fiat animo intelligendi veritatem, ad cauendum peccatum, vel ob alium finem bonum; nam si quis specie tantùm consultationis vtatur, vel ad inducendum alium ad malum, vel ad explorandum animum eius, vel quid simile; profectò talis consultatio non est digna secreto, & ideo ea non obstante obligabit hoc votum, eo modo quo de aliis casibus occultis diximus.

Vide institutionem 13. datam anno 606.

Obseruatio necessaria pro supradictis.

Vtrùm ante denuntiationem dictæ ambitionis præmittenda sit secreta monitio?

XXXI. *Quæstiunc. 4. circa idem 3 punctum.*

Vltimò inquiri hîc potest, an in illis casibus, in quibus manifestari potest superiori hoc crimen, etiamsi secretum sit, possit, vel debeat secreta admonitio præcedere: quando enim delictum est publicum, certa res est, non esse necessarium, quia potest statim procedi ad denuntiationem iudicialē, iuxta doctrinam communem 2.2. quæst. 33. art. 7. vbi Caiet. circa ad tertium, & Soto lib. 5. de Iustitia, quæst. 5. art. 1. In occultis autem videtur semper præmittenda admonitio, iuxta ordinem Euangelicum Matth. 18. & cap. *qualiter & quando*, de accusation. Sed de hoc infrà lib. 10. cap. 9. & 13. explicando generales regulas, latiùs dicemus. Nunc solùm aduerto, duplicem hîc esse posse quæstionem: vna est, an habens hoc votum, possit hanc admonitionem præmittere: alia est, an teneatur. Ad priorem dicendum est, id per se non esse contra votum; quia votum non fuit de manifestatione faciēda, nulla admonitione præmissa. Dices admonitio eo tendit, vt manifestatio non fiat, si delinquens emendetur, & ex hac parte esse contra votum, quia tendit ad impediendum actum eius, Respondeo primò antecedens non esse necessariū, quia potest illa admonitio fieri vt sciat delinquens suum delictum esse manifestandum superiori & ita disponatur ad emendationem, & correctionem superioris. Deinde dicitur illam intentionem debito modo conceptam non esse malam, nam vel per admonitionem obtinetur effectus intentus perfectæ emendationis, & impeditionis totius ambitionis, omnisque effectus eius, vel non: si non, procedendum est ad manifestationem, sicque non impeditur votum; & hoc retineri debuit in proposito cùm admonitio fiebat: si autem emendatio perfecta obtenta est, cessare poterit admonitio, nec fiet contra votum, quia eius materia cessauit, eò quòd illud delictum iam sit quasi omnino præteritum; quod non cadit sub hoc votum, vt suprà num. 15. diximus. Neque est contra votum expectare aliquam mutationem materiæ, qua facta cesset obligatio eius; quia & obligatio illa affirmatiua est; nec ita obligat pro statim, quin aliquam commodam occasionem expectare liceat, & ratio expectandi, vel etiam desiderādi talem mutationem potest esse honesta, & ad charitatem pertinens, vt in præsenti facile considerari potest.

Duplex sensus, ac resolutio prioris.

XXXII. Ad aliam quæstionem respondetur, non esse obligationem promittendi in hoc casu admonitionem, quod est manifestum, quoad voti obligationem, quia in voto nihil agitur de hoc ordine seruando. Solùm ergo potest dubitari de lege correctionis fraternæ, seu charitatis: hîc autem non habet locum obligatio, seu ordo correctionis fraternæ per se loquendo; quia hæc manifestatio, licèt sit secreta, & non ordinetur per se ad punitionem delicti, in quo conueniet cum correctione fraterna; re tamen vera, non est correctio fraterna, nec pertinet ad præceptum illius, quia non ordinatur per se ad priuatum bonum fratris, qui est proprius finis correctionis fraternæ, iuxta illud: *si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*; sed ordinatur ad commune bonum, & impediendum commune detrimentum religionis ex assumptione sui subditi ad prælaturam, etiamsi ipse aliàs in ea procuranda non peccasset, & ideo non regulatur per se talis manifestatio per generalem legem, seu regulam correctionis fraternæ; vnde communis sententia Doctorum est in peccatis, quæ per se vergunt in damnum cōmunitatis, non esse necessarium, per se loquendo, hunc ordinem seruare, vt videre licet in Soto dict. relect. membr. 2. quæst. 4. concl. 7. & Corduba dict. q. 43. lib. 1. & quæst. 64. Summæ, & aliis, quos infrà lib. 10. in proprio loco referemus. Vide etiam, si placet, 36. Motum proprium Pij V. contra offendentes Cardinales, vbi delictum illud, quantumuis occultum, statim manifestari præcipit sub excommunicatione latæ sententiæ.

Pofunip. fontanyp. Iauin.

Dilutio.

Dices, esto hoc non pertineat ad præceptum correctionis fraternæ, sed ad præceptum subueniendi communitati periclitāti, nihilominus charitas fratris semper obligat, vt hæc subuentio fiat cum minimo damno ipsius, quoad fieri possit: ergo si potest subueniri per monitionem secretam, famam proximi seruando, nō est delictum eius statim manifestandum: ergo charitas obligat ad præmittendam huiusmodi monitionē. Respondeo, ideo semper dixisse, *per se loquendo*, quia in his rebus moralibus vix potest dari regula generalis, quæ non patiatur exceptionem. Dicimus ergo, vbi per se primò agitur de communi bono, & de firmo, ac securo remedio illius, & vbi tantum periculum immineat, quantum est in huiusmodi peccatis, monitionem priuatam non esse remedium proportionatum, quia moraliter non potest reputari sufficiens, sed necessaria est prouidentia eius, ad quem ex officio pertinet, communi bono prospicere, & ideo per se, ac moraliter loquendo, necessarium non est illud medium intentare, per hoc tamen nō tollitur, quin in aliquo casu raro tanta possit esse spes fructus, & sufficientis remedij per admonitionem secretam, vt charitas obliget ad præmittendam illam: sed hoc in casu ambitionis, tam rarum esse existimo, ac difficile, vt non censeam esse casum moralem, & ideo absolutè dici potest, non esse talem obligationē. Imò etiam addo non solùm licere, sed etiam melius esse statim ad rem superiorem in huiusmodi euentu, quia comparatione boni communis illud detrimentum fratris, quasi nihil existimatur. Porrò quosnam & quales socios, adhibere debeat superior ad iudicandum de ambitu delati, ex 8. p. constit. cap. 6. lit. A. & ex decreto 49. congregat. 4. intelligi potest.

XXXIII. *Quæstiun.*

CAPVT XI.

Cur hæc vota simplicia sint, & non solennia.

I.

QVpponitur in hoc titulo vota hæc simplicia esse, & non solennia: quod iuxta institutum Societa- *Vota simplicia esse.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

certò supponimus.

tis certum est. Nam in constitutionibus solùm dicitur vt professi hæc omnia Deo promittãt 6.p.cap.2. §.1.& 10.p.§.6. In congregationibus autem generalibus 1.& 3. vt suprà in cap.9. num.10. citaui, vota hæc *simplicia* appellantur; vbi forma illa emittendi præscribitur. Ac denique sub eadem voce illa approbauit Gregorius XIII. in Constit. *Ascendente Domino*. Itaque cùm hoc certum sit, rationem inquirimus, cur hæc vota non sint solennia, sicut est quartum votum professorum. Et ratio dubitandi esse potest, quia sunt ita annexa tali professioni, sicut quartum votum, omnia enim requiruntur ex peculiari instituto Societatis, & nullum eorum ex sola rei natura erat necessarium. Item omnia sunt æquè perpetua, & immutabilia: omnia etiam conferunt ad perfectiorem renuntiationem, vel suæ voluntatis, vel honorum omnium, ac bonorum temporalium. Denique fiunt etiam hæc vota publicè & in manibus prælati, & cum exteriori solennitate.

II. Sed hoc breuiter expediri potest. Nam inprimis hæc vota, tam ex intentione vouentium, quàm Societatis, tanquam simplicia fiunt; & ideo non mutant naturam votorum simplicium, etiamsi coram prælato, & in præsentia multorum fiant, vt in simili de coadiutoribus formatis dicitur 5. p. Constit. cap.4. declarat.1. Quanuis enim sola intentio vouentis non sufficiat ad voti solennitatem, necessaria tamen est formalis, vel virtualis, & ideo, si ex intentione vouentis votum tantùm fit, vt simplex, optimum argumentum est re ipsa solùm esse simplex, maximè cùm illa intentio ex nullo errore procedat. Deinde hæc vota omnino sunt de futuro, & non participant, vt sic dicam, traditionem de præsenti, nec proximè, ac per se ordinantur ad confirmandam illam, sicut ordinantur in Societate non solùm tria ordinaria vota, sed etiam quartum votum professorum, vt suprà in cap.4. ad finem declarauimus. Assumptum patet ex ipsa forma vouendi, & ex rebus ipsis, quæ promittuntur, quæ magis pertinent ad tollenda incommoda, vel impedimẽta perfectionis in futurum, quàm ad statum ipsum perfectionis in præsenti stabiliendum. Tertiò longè aliter hæc vota connexa sunt professioni Societatis, quàm quartum de obedientia præstanda Põtifici circa missiones: nam hoc est per se primò requisitum, ex vi finis primarij, ad quem ordinatur Societas. Vnde sicut in statu religionis, vt sic, tria vota censentur esse de mediis essentialiter necessariis ad finem perfectionis; ita in Societate hoc quartum votum est de medio essentialiter necessario ad propriam perfectionem, & finem huius instituti. At verò hæc vota non fiunt tanquam essentialiter necessaria, sed tanquam secundariò conducentia ad conseruationem instituti: vnde materia illarum non continet media per se ordinata, ac simpliciter necessaria ad finem Societatis: sed ad remouenda aliqua impedimenta. Quartò hoc declarat modus emittendi hæc vota: nam quartum votum in ipsamet professione emittitur, tãquam ad illam essentialiter pertinens: hæc autẽ vota post aliquod tempus, & interdum post aliquot dies emittuntur, & qui ea promittit, incipit dicere: *Ego N. professus Societatis promitto*, &c. significans, hæc non pertinere ad professionẽ, sed supponere illam; in aliis verò substantialibus votis dicit, *Ego professionem facio, & promitto*; & ideo in accidentali etiam solennitate est magna diuersitas. nam hæc vota licèt fiant coram prælato, & aliis propter rei grauitatem, & vt de illo Societati publicè constet; non tamen fieri solent publicè in Ecclesia, nec cum aliis solennitatibus, cum quibus professionem fieri suprà in cap.5. vidimus. Denique hæc vota nullum moralem habent effectum, iure positiuo communi, aut speciali Societatis additum, sed solam obligationem, quam vi sua inducunt; votum autem solenne semper habet aliquem huiusmodi effectum moralem, vt de tribus substantialibus in præcedẽti tomo, & de quarto voto Societatis, in cap.4.n.38. ostendimus. Vnde etiam fit vt professi, qui in Societate quartum illud votum emittunt, ratione illius censeantur habere in Societate primum locum, vt habetur in examine cap.1.§.8.& p.5. Constit. cap.1.& 2. & ideo illi soli sunt, qui ordinario iure Societatis vocem habent actiuam, & passiuam in electione Generalis: professi autem, qui quartum votum solenne non emittunt, quanuis alia quinque vota faciant, vt constat ex Extrauag. *Ascendente Domino*, atque ex quarta cõgreg. decreto 39. in illo gradu non constituuntur, nec præditum suffragium habent, & ideo dicimus talia vota nullum effectum moralem, quasi positiuum habere; sunt ergo omnino simplicia; & diuersitas inter illa, & quartum votum professorum, ex dictis satis declarata est. Si quis verò quærat an hæc vota sint dispẽsabilia per superiores, siquidem simplicia sunt, consulat ea de re tractatum 1. huius tomi lib.2.cap.12.num.10.

INDEX CAPITVM LIBRI SEPTIMI.

De professione trium votorum, ac formatis Coadiutoribus.

I. *CVr hæc professio in Societate admittatur, & ad quem finem.*

II. *Cur Coadiutores spirituales Societatis IESV solemnia vota non emittant, & in quo à professis, & scholaribus differant.*

III. *An conueniens fuerit Coadiutores temporales in Societate admitti, & quibus votis incorporentur.*

IV. *Generalis illatio de gradibus personarum Societatis.*

LIBER SEPTIMVS.

De Professis trium votorum, & Coadiutoribus formatis Societatis.

Introductio ad sequentē lib. 7.

COnstat ex Bullis, & constitutionibus Societatis, quas infrà cap. 1. referemus, præter professos quatuor votorum, esse alios presbyteros religiosos, qui ad ipsos professos in spiritualibus ministeriis iuuandos in Societate recipiuntur, eique alio genere professionis, vel vnionis incorporantur, & in vltimo quodam gradu religioso constituuntur, quos *professos trium votorum*, aut *coadiutores spirituales formatos* appellamus. De his ergo nunc commodè sermo incidit, quia cum professis in ministeriis, & in vitæ genere conueniunt; præter quam in modo votorū, quæ emittunt, & consequenter in conditionibus, quas requirunt: quam differentiam hîc explicare eiusque rationem reddere necesse est, simulq; quidquid his gradibus, proprium ac speciale fuerit declarabimus.

CAPVT I.

Cur in Societate aliqui admittantur ad professionem trium tantum votorum, & ad quem finem destinentur.

I. *Ratio dubitandi bipartita.*

HÆc graduum differentia difficilis multis visa est, quia potest esse occasio dissensionum, & æmulationum, in Religione, & alioqui nulla eius sufficiens ratio apparet, quantum ad præsens attinet. Primum per se videtur clarum, quia illa differentia constituit inæqualitatem in gradibus, ac proinde rari esse possunt, qui inferiori gradu sint contenti, & inde oriuntur perturbationes animorum, iudicia varia, ac sinistra de superioribus, quòd potius affectione, aut falsa informatione, accipiant personas, quàm iustè eligant, ac distribuant, & similia incommoda sequuntur. Secundum declaratur, quia hi omnes, qui ad professionem trium votorum admittuntur, reputantur iam sufficienter probati, & post diuturnas experientias digni inuēti, qui in Societate perpetuò retineantur, & in eius ministeriis spiritualibus occupētur; cur ergo ad æqualem professionem cum aliis non admittentur. Confirmatur, nam hi professi emittunt omnia alia vota solennia, & simplicia, quæ alij professi emittunt, vt in fine proximi libri attigimus, & cum omnibus conditionibus, ac solemnitatibus, quæ in illis cogitari possunt: cur ergo ad quartum votum obedientiæ ad Pontificem circa missiones, non admittuntur? Certè materia illius voti commodissimè in illis locum habere potest, & ipsi satis capaces esse debent talis obligationis: nam si digni sunt vt perpetuò, ac immutabiliter, Societati incorporentur, ad spiritualia ministeria obeunda, vbique terrarum poterunt illa exercere; ergo poterunt mitti à Pontifice, ad illa exercenda, ergo sunt capaces obligationis voti specialis ad has missiones: cur ergo ad illud emittendum, non admittuntur? Nec enim fingi potest corporalis debilitas; nam hæc accidentaria est & in omnibus professis inueniri potest, & illa non obstat, quominus persona, quantum in se est, obligetur simpliciter, vsus verò postea sit iuxta vniuscuiusque vires. Nec etiam spirituale impedimentū allegari potest: quia si nullum est in talibus personis, quod professionem solennem impediat, certè neque ad hanc obligationem impediendam videtur posse reperiri.

II. *Vnionis in religione trium votorum.*

Duobus modis in præsenti potest accipi nomen *professionis trium votorum*, primo generatim, pro vnione per tria vota; siue simplicia, siue solennia: alio modo specialiter pro solēni professione, atque hoc posteriori modo hîc sumitur & de illo procedunt rationes dubitandi, nam de alio modo incorporationis per vota simplicia dicemus cap. seq. & ita erit satisfactum generali quæstioni. Quanuis autē hoc ita sit: nihilominus ad respōdendum vtrique quæstioni in particulari, necesse est generatim præmittere: iuxta Societatis institutum opportunum fuisse, & valde expediens aliquos sacerdotes per tria tantùm vota Societati incorporari, vt in eo gradu, ac statu perpetuò maneant. Hoc inprimis suadetur auctoritate Pontificum, qui hoc genus institutionis approbarunt. Paulus III. in Bulla 4. anni 1546. *Exponi vobis*, quam ad hoc directè concesit, vt approbaret receptionem spiritualium coadiutorum in Societate, sub quibus nos nunc cōprehendimus omnes sacerdotes, qui ad spiritualia ministeria destinantur, & solùm per tria vota incorporantur: quæ acceptio nō est aliena ab ipsis constitutionib. Societatis. Nam in Examine, cap. 1 §. 8. q. 10. & 11 numerātur varij gradus Societatis: *Professorum quatuor votorum, coadiutorum formatorum, Scholarium, & Nouitorum, seu indifferentium*, vbi de professis *trium votorum* non fit mentio, sed sub *coadiutoribus spiritualibus* comprehenduntur. Idem institutum quoad hanc partem, probarunt Iulius III. & Gregorius XIII. latiùs, vt infrà capite sequenti videbimus. Secundò in eadem Bulla Pauli III. allegatur experiētia sex annorum: nam cùm anno salutis 1540. Societas approbata esset ab eodem Paulo, nulla mentione facta horum cooperatorum, per sex annos sequentes intellexerit nostri patres, experientia eos docente, indigere Societatem ope, & adiutorio illorum, & ideo nouam approbationem huius impetrarunt.

III.

Tertiò, declaratur ratione, quia iuxta B. P. Ignatij mentem, & institutum, in professis quatuor votorum Societatis multa dona postulantur, non solùm gratiæ, virtutis, ac spiritus, sed etiam doctrinæ sacræ, ac philosophiæ, omnisque eruditionis necessariæ ad docendum, concionandum, explicandum, res fidei, easque ab eius hostibus defendendum, & ad res morales, casusque in eis occurrentes expediendum: huiusmodi autem dotes nō possunt in omnibus, non in multis reperiri, ideoque ad sustinendā omnia onera Societatis, etiam in spiritualibus ministeriis, non sufficiunt illi soli, qui his omnibus dotibus perfecti sunt, aut plusquam mediocriter instru-

instructi; ergo necessarij sunt Societati alij sacerdotes religiosi, & probi; qui, licèt in cæteris donis minus sint perspicui, ad iuuandam Societatem in spiritualibus ministeriis, vel in aliquibus, etiam temporalibus, quæ per sacerdotes decentiùs fiant, sufficiant: scilicet, in domibus professis in audiendis confessionibus, vel externorum, vel etiam nostrorum, in visitandis infirmis, & incarceratis, & aliis operibus misericordiæ exercendis, vel etiam in officio ministri, Procuratoris, domûs, Collegij, aut prouinciæ: præterea in collegiis iuuare possunt, vel in eorum gubernatione, munere etiam Rectoris fungendo, vel in literis humanioribus, aut liberalibus artibus edocendis, ac elaborandis, vel in audiendis confessionibus nostrorum scholarium, & cura gerenda spiritualis profectus illorum. Denique in domibus probationis fungi possunt officio Rectoris, aut magistri nouitiorum, vel in aliis suprà dictis ministeriis iuuare: ergo rectè institutum est, vt huiusmodi personæ in Societate reciperentur, & per tria vota incorporarentur. Confirmatur & declaratur hæc ratio: nam multi sunt apti ad aliqua Societatis ministeria, qui non sunt ita idonei, vt se ad missiones Pontificias absolutè deuoueant: nec vt ab ipsa Societate ad illas exponantur: ergo hi meritò incorporantur sine illo quarto voto, atque adeò per tria vota, vel aliter multi sunt, qui licèt mitti possint, non certè tanquam capita missionum (vt sic dicam) sed vt socij præcipuorum ministrorum: ergo satis est vt illi, qui per se sunt idonei vt principaliter mittantur, speciali voto se consecrent ad illud munus: aliis verò satis est, vt generali voto obedientiæ, cum aliis substantialibus religionis adstringantur.

IV. Hinc quartò possumus hoc institutionis genus antiquis exemplis confirmare, nam Christus Dominus missurus prædicatores in mundum, paucos elegit, qui essent præcipua capita illius ministerij; deinde, adiunxit plures alios, qui essent illorum cooperatores. Ita priùs vocauit duodecim Apostolos; postea illis septuaginta discipulos adiunxit, vt notauit Anacletus Papa, epist. ad omnes Episcopos, cap. 18. seu, vt scribit Zepherinus epist. 1. præcepit Apostolis vt 72. discipulos in adiumentum eligerent; ex actibus etiam Apostolorum, Epistolis Pauli, & Ecclesiasticis historiis constat, cum Apostolis semper incessisse aliquos, qui erant socij, & quasi coadiutores eorum. Sic de Timotheo ait Paulus ad Philipp. 2. *Spero in Domino Iesu Timotheum me citò mittere ad vos, vt & ego bono animo sim, cognitis, quæ circa vos sint.* Et infrà, *Experimentum autem eius cognoscitis: quia sicut patri filius, sic mihi seruiuit in Euangelio.* Et infrà, Epaphroditum vocat *fratrem, & cooperatorem & commilitonem meum*, & cap. 4. *Adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis*, &c. Sic etiam 2. Corinth. 8. de Luca ait, *Ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ*, & idem ibi, & cap. 7. de Tito significat. Martus etiam ab Hieronymo *comes, & coadiutor Petri* interdum appellator. Et eodem modo *coadiutorem* Petri Clementem vocant, Ioannes III. Pontifex in epist. ad Episcopos Germaniæ, & Leo II. in quadam epistola, & similia multa in historiis reperiuntur. Eratque hæc distinctio necessaria, quia nec Apostoli per se poterant omnia perficere, nec inuicem sociati poterant semper incedere, nec solos peregrinari decebat, aut expediebat: indigebant ergo suis adiutoribus & sociis, quos oportebat aliquo modo esse in illo ministerio inæquales, ac eis subordinatos, vt commodiùs possent omnia ordinatè fieri. Ita ergo Societas quoniam Apostolorum munus, quo ad discurrendum per orbem, ad prædicandum Euangelium, participat, quosdam habet, quibus ex vi suæ professionis hoc ministerium principaliter conueniat, quos proinde speciali voto ad hoc obligare conueniens fuit; aliis verò indiget, qui solùm sint, veluti socij, & coadiutores aliorum, siue in missionibus ipsis, siue in domibus, vel collegiis, eis cooperando: quos nec necesse fuit illo speciali voto obligari; nec etiam expediens propter priores rationes, num. 3. factas, & vt hæc aliqualis differentia vnumquemq; sui muneris admoneret, & gradum suum tenere, obligationemq; adimplere suaderet.

Hoc ergo generatim suppositio, facile suaderi potest, meritò institui potuisse, vt aliqui ex his sacerdotibus, qui quartum votum non emittunt, nihilominus ad solennem professionem trium votorum admittantur. Primò quidem, quia, vt cap. sequenti videbimus, potiùs difficile est rationem reddere cur non omnes hi sacerdotes per solennè professionem incorporentur si illa digni inueniantur. Secundò, quia nonnulli esse possunt, quos vel necesse non est, vel non expedit quartum emittere votum, quia non habent omnes dotes ad illud ministerium necessarias, & tamen dignissimi sunt, qui ad solennem professionem recipiantur, vel propter singularem vitæ sanctitatem, vel quia propter insignia facta aut opera specialiter sunt de Societate benè meriti. Interdum etiam potest expedire aliquos recipi ad hoc genus professionis, vt fit in Societate modus dissoluendi matrimonium ratum, non emittendo professionem quatuor votorum, & vt vinculum hoc cum Societate sit vtrinq; absolutè perpetuum, quod sæpe propter extrinsecas rationes necessarium est, vt intelligi potest ex cap. 1. præcedentis libri.

V. *1. Assert. trium votorum solennium tam merito institutum.*

Vnde intelligitur modum hunc professionis trium votorum, non esse veluti per se, ac principaliter in Societate intentum, nec gradum hunc esse (vt sic dicam) diuersum à gradu spiritualium coadiutorum; sed in eo esse quasi specialem exceptionem, ad subueniendum specialibus occasionibus, & causis, quæ occurrere possunt, vt proximè citaui ex libro præcedenti. Per se enim institutum Societatis postulat vt omnes professi eius votum obedientiæ speciale Pontifici offerant; tamen quia materia huius voti non habet locum in omnibus operariis, quibus Societas indiget, vt num. 3. ostensum est, aliquos coadiutorum ad professionem recipit per se quidem non ad professionem, sed ad alium gradum, de quo statim dicetur in cap. sequenti, tamen ob speciales causas occurrentes, vt tactum est, expedire potest, vt aliqui ex his solennem professionem emittant, & ideo quasi per dispensationem, vel exceptionem hoc admissum est, & probatum in Bullis Pauli III. & Iulij III. & Gregorij XIII.

VI. *1 Coroll. dicti, vota non constituunt gradum peculiarem in Societ.*

Vnde etiam fit vt ad hanc professionem multa in Societate requirantur. Postulatur enim, vt saltem per septennium aliquis in Societate vixerit, sicut in præcedenti libro cap. 1. num. 8. indicabamus, & post diuturnam probationem sui talenti, & vitæ religiosæ non mediocrem satisfactionem Societati præbuerit, ac denique vt peculiares causæ non parui momenti concurrant, vt habetur 1. p. constit. cap. 2 § 3. vbi declaratio lit. C. postquam partes ad hanc professionem requisitas exposuit, ita concludit, *Et hi vt plurimum homines erunt qui propterea, quod bene meriti sint, & valde deuoti, quamuis minori doctrina, & concionandi aptitudine præditi, quam nostrum institutum in professis requirat, admittendi esse in Domino videbuntur.* Per hanc enim professionem inprimis admittitur quis ad perpetuam Societatis coniunctionem, & ad ministeria spiritualia eius. Deinde se obligat illi Societas speciali modo, & absolutè, nulla-

VII. *2. Coroll. de requisitis ad hæc vota.*

que subintellecta cõditione, illum acceptat. Atque ex priori capite requiruntur in tali persona ad minimum, illa omnia dona, quæ in coadiutorib. formatis necessaria sunt: ex posteriori verò requiritur aliquis excessus vel in speciali ostẽsione sanctitatis, vel in obsequiis spiritualibus, Deo, Ecclesiæ, vel Societati exhibitis, vel in aliqua alia causa, quæ ex parte Societatis illud genus gratitudinis postulare videatur.

Ministeria horum professorum.

VIII. *Non præficiuntur ordinariè toti prouinciæ, aut domui professæ.*

Nihilominus tamen hi professi trium votorum ordinario iure non possunt esse in Societate Prouinciales, nec præpositi domorum professarum, iuxta constitutiones eius part. 8. cap. 3. & lit. A. vt declaratur in 3. Congregatione generali can. 13. estque hoc consentaneum iuri, & rationi. Nam prælatus religionis debet esse expressè professus in eadem religione, & consequenter cum debita proportione ad eos quibus præficitur: ergo esse debet intrà eandem religionem, vel in superiori gradu cum illis, vel saltem in æquali professionis gradu: sed præpositus domus professæ per se præficitur professis quatuor votorum, & prouincialis, tum illis, tum cæteris omnibus; ergo meritò in eis postulatur perfectissimus gradus professionis, qui in hac religione esse potest. Et ob eandem rationem in Collegiis, & domibus probationis, possunt hi professi esse superiores, quia sunt in altiori gradu, quàm subditi quibus per se loquendo præsunt. Cùm ergo in collegiis, & coadiutores formati, & scholares etiam approbati Sacerdotes, possint esse Rectores, quia habent professionem accommodatam statui taliũ conuentuum, multo magis poterunt hi professi, qui sunt in superiori gradu. Nec oberit, quòd in his collegiis possunt esse multi professi quatuor votorum, nam illud est accidentarium, & hoc modo nõ est incõueniens, vt professi subsint etiam non professis, sicut in dict. can. 13. Congregationis 3. declaratum est; sicut etiam subsunt Ministro domus professæ, etiamsi professus non sit; quia nõ est proprius Prælatus, sed locum eius quodammodo gerit.

Præficiũtamè possunt collegiũ, & Nouitiatui.

Instantia occurritur.

IX. *Non habent vocem in elect. Generalis passiuam, vel actiuã.*

Præterea non possunt hi professi trium votorum habere suffragium actiuũ, vel passiuum in electione Præpositi generalis. ita habetur. 8. part. constitutionum c. 3. & 6. lit. B. & de passiuo quidem, à fortiori constat ex dictis: nam si Prouinciales aut Præpositi esse non debent; multo minus Generales. De actiuo autem, inter alias, ratio esse potest; quia electio generalis in Societate est res maximi momenti, & ideo solis illis, qui in ea sunt præcipui, quia maiora Dei dona habere supponuntur, commissa est. Item quia electio hæc pertinet ad ius ordinariũ Societatis professæ, & ideo ad eos tantùm pertinet, qui propriam Societatis professionem, & iure ordinario emittunt, huiusmodi autem sunt soli professi quatuor votorum, nam alij & fiunt quasi ex dispensatione, & quodammodo non emittunt propriam Societatis professionem: imò hinc etiam est, vt Assistentes generalis ordinariè esse non debeãt; ita enim intelligitur, quod dicitur 9. part. const. c. 5. lit. A. vt Assistentes professi sint, *si commodè fieri poterit.* Ita enim tacitè exponitur in formula congregationis Generalis cap. 8. vbi absolutè ordinatur vt Assistentes eligantur ex professis quatuor votorum. Denique neque ex vi suæ professionis ad congregationem Prouincialem vocandi necessariò sunt, nec in ea eligi debent, vt procuratores pro tota Prouincia Romam ad triennalem congregationem proficiscantur, vt ex formula congregationis Prouincialis cap. 3. colligitur, vbi solùm professi quatuor votorum dicuntur necessariò vocandi ad talem congregationem, ex vi professionis; nam ex vi muneris, etiam vocantur Rectores, Procurator Prouinciæ, &c. Similiter in cap. 5. statuitur, vt eligendus in Procuratorem, sit ex professis quatuor votorum; idemque habetur in formula congregationis Procuratorum. §. 1. & in 2. cõgregatione Generali can. 29. Hæc enim omnia ad principale regimen totius Societatis pertinere iudicantur, & ideo solis professis quatuor votorum committuntur.

Non creantur in assistentes Generalis.

Nec votantur ad congreg. prouincialem, aut eliguntur vt procuratores.

CAPVT II.

De Coadiutoribus spiritualibus Societatis.

SVperiori capite ostensum est, aliquos in nostra Societate recipi, vt professos in spiritualibus ministeriis adiuuent, quanuis in æquali gradu cum eis in Societate non constituantur; hi ergo *spirituales coadiutores* appellãtur, qui proinde specialem in Societate gradum constituunt, vt constat ex examine cap. 1. §. 9. & toto cap. 6. & 2. p. constit. c. 1. lit. A. & 5. p. constit. c. 1. lit. A. & c. 4. & in Bullis Apostolicis Pauli III. & Iulij III. & Gregorij XIII. Ex quibus locis etiam constat, hos coadiutores incorporari vltimatè Societati per tria tantùm vota simplicia; ita enim expressè declaratur in ipso instituto locis citatis, & aliis, & expressè approbatur ab istis Pontificibus, præsertim à Gregorio XIII. Ratio autem ob quam hi religiosi tria tantùm vota emittunt, & non quartum, ex capite præcedenti num. 2. & 3. petenda est, nam eadem in illis est, quæ in professis trium votorum, vt ibidem diximus. Hic ergo solùm superest, vt dicamus cur hæc vota simplicia tãtùm sint; in quo duo peti possunt: primum est quid desit his votis quominus solennia sint? Secundum est, quæ ratio mouerit B. Ignatium ob quam voluerit in hoc gradu nunquam admitti ad vota solennia, quibus possumus addere tertium, scilicet, quid necesse fuerit hunc gradum distinguere à gradu scholarium, aut in quo distingui possit, cùm omnium vota simplicia tantùm sint.

I. *Coadiutores spirituales gradum professorum non habent.*

Professi trium votorum.

Quæritur.

Tria.

Dubium primum quid desit votis coadiutorum spiritualium formatorum quominus solennia sint.

De primo dubio, multa essent à nobis tractanda, nisi ex dictis suprà in tomo 3. de solennitate voti essent perspicua: Tota ergo ratio dubitandi est, quia hæc vota reddunt personas inhabiles ad matrimonium, & incapaces dominij omnium bonorum, tam retinendi, quàm acquirendi, & plenè subiiciunt voluntatem propriam alienæ, cum totali sui traditione; quid ergo illis deest, quominus solennia sint? Dicere enim quòd ex intentione hũt, vt simplicia, & non vt solennia, non satisfacit, quia, vel est repugnantia in illa intentione; quomodo enim potest quis velle emittere votum, quod habet omnes effectus voti solennis, & nolle emittere votum solenne? vel certè aliquid assignare oportet, præter intentionem, quod hîc desit ad voti solennitatem.

II. *Dubium primum.*

Ratio dubitandi.

Dicendum verò nihilominus est; hæc vota tantùm esse simplicia, quod satis probant testimonia Pontificum: quia, vt tomo præcedenti ostensum est: solennitas voti pendet ex approbatione, & institutione Ecclesiæ, Ecclesia autem non approbauit hæc vota vt solennia, sed tantùm vt simplicia: ergo quæ ratio ostendit saltem ita esse: quanuis non declaret cur ita sit, vel quomodo potuerit Ecclesia approbare vota, quo ad illos effectus in ratione dubitandi positos, & non facere illa solennia: Secundò idem probat replica facta de intẽtione, quia effectus agentium non excedit intẽtionem eorum, sed

III. *Resolutio Pontificum.*

sed nec ex intentione vouentium, nec ex intentione Societatis admittentis, hæc vota sunt solennia, sed tantùm simplicia: ergo propria verò ratio est; quia hæc vota non fiunt vt absolutè perpetua, sed solùm ex parte vouentium; ex parte autem Societatis habent subintellectam illam conditionem, vt durent quandiu Societas hos religiosos retinendos iudicauerit. Vnde etiam fit vt in traditione, quæ per hæc vota fit, non sit mutua obligatio eiusdem rationis in vtroque extremo; nam ex parte religiosi est absoluta viuendi perpetuò in Societate, quantum in ipso est; ex parte autem religionis, non est ita absoluta, sed retinendo libertatem ad dimittendam liberam personam, in aliquo raro casu, & ex grauissimis causis. Quòd enim hæc vota hoc modo, & sub his conditionibus fiant, satis expressè declaratur in instituto Societatis. Primum in examine cap. 1. §. 9. vbi hæc vota vocantur simplicia, cap. autem 6. diserte declaratur, *ex parte ipsorum coadiutorum ligari ad semper viuendum, & moriendum in Societate*, & nihilominus Societatem, vel eius superiorem, qui commune bonum debet intueri, cùm expedire iudicauerit *posse eos dimittere, & à sua congregatione separare, & tunc illos omnino liberos, nulliusque voto obstrictos remanere.* Et in declaratione additur, *id fieri non posse sine causis iustissimis.* Idem repetitur 2. p. constit. cap. 1. lit. A. cap. 4. §. 3. & part. 5. cap 4. lit. B. & in Bullis Pontificiis citatis expressè approbatur, & confirmatur. Vnde constat contractum esse iustum, & sanctum; in quo eadem est ratio, quæ de scholaribus suprà lib. 3. cap. 2. à num. 2 tractata est. Quòd verò hic modus traditionis, & votorum repugnet solennitati votorum, in tomo superiori à nobis ostensum est. Votum enim solenne debet esse immutabile, vel omnino, vel ad summum per solam dispensationem raram, & grauissimam: hæc autem vota nõ habent tantam immutabilitatem. Exalio item effectu, manifestari potest, quia vota horum coadiutorum non habent vim dirimendi præcedens matrimonium ratum, qui effectus inseparabilis est à professione solennium votorum: ergo maior probanda est, eodem modo quo de votis scholarium lib. 4. cap. 2. id ostendimus: est enim eadem ratio in vtrisque, vt consideranti facile patebit: & ex his rationi dubitandi in contrarium adductæ satisfactum est.

Dicta conditiones quadrant vitæ Societatis.

Eadem repugnant votis solen.

Quid ad rationem dubitandi in n. præced.

Dubium secundum, cur dicti coadiutores spirituales ad professionem solennem non admittantur.

IV. Circa secundum dubium in fine num. 1. propositum, maior videtur esse dubitandi ratio, nam hi coadiutores formati supponuntur in primis esse homines apti ad ministeria Societatis spiritualia, & si non ad omnia & maiora, saltem ad multa, & satis grauia, & quidem maiora, quàm sit sola chori assistentia, propter quam solam in aliis religionibus multi religiosi recipiuntur, & solennem professionem emittunt. Deinde supponuntur esse homines probatæ virtutis, & suæ religioni satis fideles, & digni qui post sufficientem probationem ad vitam in Societate perpetuò agendam admittantur. Denique tantum de eis fidit Societas, vt quando aliàs non oberit, eos velit esse Rectores Collegiorum 4 part. constit. cap. 10. & ad Congregationem generalem, si opus fuerit, saltem pro negotiis tractandis eos admittat 8. part. constit. cap. 3. lit. A. & cap. 6. lit. B. & in 4. Congregatione generali can. 16. Cur ergo ad professionem solennem non admittuntur? Accedit quòd hæc tanta graduum varietas in vno corpore Societatis, potest esse occasio diuisionis, aut scandali, vel minoris vtionis; non erat ergo multiplicanda sine vrgenti necessitate, quæ in hoc speciali gradu nulla apparet.

1. Ratio dubitandi.

Confirm.

Atque eò maximè superflua apparet hæc varietas, quòd vota substantialia horum coadiutorum quo ad materiam eadem omnino sunt, & eodem modo fiunt, quo vota professorum: nam & in voto obedientiæ, eodem modo explicant specialiter eam promittere circa puerorum educationem 5. part. constit. cap. 3. §. 3. & 5. & in 2. Congregatione generali can. 20. & per votum paupertatis eodem modo profitentur se nihil habere nec in particulari, nec in communi, ac denique eodem modo publicè, & in manibus Prælati vota sua emittunt; cur ergo non etiam ex parte Societatis vt solennia admittentur? Vbi etiam quæri potest, cur hi coadiutores alia vota simplicia professorum non emittant, cùm professi etiam trium votorum illa faciant: nam (vt cap. præced. dixi) hi omnes substantialiter sunt in eodem gradu & munere, & alioqui isti etiam sunt membra perpetua Societatis, quæ oportet omnino cauere ab omni ambitione, & prætentione dignitatis extra & intra Societatem, ad quem finem dicta vota præcipuè ordinantur.

V. *Altera dubitandi ratio.*

Nihilominus dicendum est, non sine magna causa B. Ignatium ita hæc ordinasse, & instituisse, sufficiensque argumentum esse debet quòd Romani Pontifices expressè hanc instituti partem approbarunt: Paulus enim III. in Bulla speciali de hoc gradu expressè declarat, hæc vota coadiutorum fieri cum illa conditione, vt obligent quandiu Societas huiusmodi personas retinendas in suo munere iudicauerit, & non vltra; *necpropterea* (inquit) *ad aliquam solennem professionem emittendam teneantur, neque ad eam aliter admittantur.* Gregorius autem XIII. in const. *Ascendente Domino*, expressè declarat hæc tria vota esse simplicia, & per ea constitui hominem in certo Societatis gradu, idque specialiter approbat, & confirmat. Ratio autem inter alias, quæ fundatorem mouit, fuisse videtur, quia religioni vtilissimum, & ipsis religiosis minimè nociuum iudicauit, vt quoad fieri commodè posset, religio retineret debitam potestatem dimittendi omnes, qui ad religionis finem, & modum non sese accommodarent; sic enim & ipsa religio in sua puritate melius conseruatur, & securius, ac vtiliùs potest proximis inseruire, qui est scopus illius. Deinde commodiùs indicauit Ignatius, vt hi qui dimittendi sunt, liberi, quàm votis ligati, dimittantur, vt cum minori dispendio vtriusque partis fieri possit dimissio: graue enim est religioni extra se abiicere eum, qui adhuc verè religiosus eiusdem religionis maneat. Ipsi etiam qui dimittitur graue onus est priuari religionis commodo, & iugum retinere. Vt ergo hæc dimissio suauius fieri possit, hoc medium tanquam commodius electum est. Itemque vt religiosi ipsi in maiori timore conseruarentur, semperq; vigilantius viuerent.

VI. *Vera ratio puncti.*

Probatur authorit.

Probatur vtilitate eiusdem.

Non potuit autem hæc conditio generaliter, in omnibus membris Societatis obseruari: nam (vt Philosophi aiunt) omne mobile fundatur in aliquo immobili: quo certè principio ad vestigandum Deum vsi sunt, decuitque in hac religione esse aliqua principalia membra, quæ essent veluti columnæ & fundamenta eius, in quib. ipsa religio, quasi immobilis esset: ideoque & ipsi indissolubili vinculo ligarentur, & ipsa religio se illis perfectè obligaret, nec votis liberos à se posset dimittere: Atque hi sunt soli professi quatuor votorum: extra illos vero, mens B. Ignatij fuit vt omnes alij dependentes semper essent à Societatis ordinata potestate. Hac ergo ratione voluit coadiutores spirituales in dicto

VII. *Dicta vtilitates non habentur in omnibus membris Societatis.*

gradu

gradu permanere, solumq; per modum dispensationis permisit aliquos eorum ad professionem trium votorum admitti, propter graues causas occurrentes, vt capite præcedenti declaraui, in quibus magis (suppositis dictis causis ac meritis) deuotioni eorum, qui admittuntur, quàm generali rationi instituti attenditur.

VIII. *Probatur tandem eadem resolutio à carentia omnis detrimenti spiritualis.*

Neque ex hoc modo institutionis aliquod detrimentum his religiosis sequitur: nam (vt in l. 3. ca. 2. num. 2. dixi) apud Deum nullo merito priuantur, propter talem conditionem suorum votorum; imò crescunt quodammodo, quia liberaliùs se obligant, non expectantes ex parte religionis similem obligationem. Item, quantum in ipsis est, æquè se tradunt Deo & religioni in perpetuum, nec est vllũ periculum de statu perpetuitate & stabilitate, si ipsi velint debito modo se gerere; ergo nullo spirituali commodo priuãtur ex eo quòd ad professionem solennem non admittantur: imò etiam inde iuuantur, quòd eo ipso monentur, vt fideles suæ religioni sint, suoque muneri, vt par est satisfaciant. Aliunde verò, vt conueniens ordo, in toto corpore religionis seruetur, expedit, vt vnusquisque gradũ suum agnoscat, & sciat ad quod ministerium vocatus est, quia ergo hi nõ sunt vt principales operarij, sed vt adiutores eorũ; ideo oportuit diuerso modo vniri religioni, quasi dependenter à superiori gradu, & cum subordinatione ad illum, vt ita debitus ordo, sine quo Religionis vnitas stare non potest, conseruetur.

IX. *Ad 1 argu. in n. 4.*

Vnde ad primam rationem dubitandi in contrarium in n. 4. respondetur, non propterea hos religiosos non admitti ad professionem solennem, quia non sunt probatæ virtutis, vel quia non possint multa, & grauia ministeria in Societate obire; sed quia ad illorum perfectionem, & meritum satis est alio simpliciori modo Societati incorporari, & vt in suo gradu, & humilitate conseruentur, id melius est, tum ipsis, tum etiam religioni, vt exposuimus. Nec in exemplum adducendi sunt mores aliarum religionum, quia Spiritus sanctus est vnus, & multiplex, & diuersis religionib. diuersa tribuit instituta, iuxta varios fines earum. In aliis ergo religionibus in admittendis personis sufficientibus ad professionem, & religiosum statum, consideratur tantùm aptitudo ad propriam perfectionem, & ad summum ad officium chori, vel ministeria diuini cultus, seu vitæ contemplatiuæ; in Societate autem inter principalia consideratur aptitudo ad ministeria erga proximos, & ideo etiamsi aliquis sibi bonus esse videatur, non statim ad solennẽ professionem admittitur. Et præterea in hac religione, propter periculum, quod in his ministeriis cum proximis esse potest, difficiliùs fit obligatio ex parte religionis, ita vt regulariter non fiat nisi ad eos, qui sunt veluti fundamenta, & præcipua religionis membra. Nec etiam timenda hinc est diuisio aut minor concordia animorum in hac religione, quoniam sicut in eodem corpore varia membra diuersa munera habent, & iuxta illa diuersam habent dispositionem, & vnionem cum toto, imò & diuersam seu heterogeneam animæ informationem; vt dicitur libro 1. de anima cap. 2. à num. 26. & nihilominus omnia inter se perfectè vniuntur ad vnum corpus constituendum. Et sicut in eodem mystico corpore Ecclesiæ varij sunt gradus, in ordine hierarchico, qui non solùm non impediunt corporis vnitatem; sed maximè illam conseruant, vt in disp. 9. de fide sect. 5. disseruimus; ita in hac religione, quę hierarchiam Ecclesiasticam maximè imitatur, hæc varietas non impedit vnionem animorum, sed potiùs illam perficit: maximè quia fundata est in humilitate, & charitate: nam qui maiora Dei dona acceperunt; & ideo in superiori gradu constituti sunt, alios non despiciunt, sed potiùs honorant, & vt commilitones, & cooperatores suos amant, & vt Dei ministros, ac seruos venerantur. Ipsi verò qui in coadiutorum gradum ascíti sunt, suam eriam sortem amplexi, in vitæ candore, & humilitate Deo seruiunt, & alios, vt patres æstimant; neque in hac distributione graduum intercedere debet ambitio ex parte subditorum, nec personarum acceptio ex parte Prælatorum; quia in eis non consideratur honor, sed onus, & maius Dei obsequium & proximorum auxilium.

Ad secundam rationem dubitandi in nũm. 5. patebit solutio à fortiori in num. 13. vbi differentias inter coadiutores, ac verum votorum professos adducemus. *Ad 2 arg. in n. 5.*

Dubium tertium, in quo hic gradus coadiutorum spiritualium ab aliis, præsertim scholasticorum, distinguatur.

X. Supereſt dicendum de tertio dubio in quo explicanda est differentia inter hæc vota, & vota scholarium approbatorum. Supponimus autem differentiam hanc non posse esse substantialem, quia etiam inter vota simplicia, & solemnia non intercedit: debet ergo esse moralis, nimirũ quoad aliquos effectus, vel conditiones, ad statum vitæ pertinentes. Est autem per se valde consentaneum rationi, vt aliqua huiusmodi differentia constituta fuerit inter scholares, & coadiutores formatos, scholares enim, licèt veri religiosi sint, vt libro 3. cap. 3. tractatum est, adhuc tamen sunt aliquo modo in via, & in probatione, qui status quoad id, quod habet vię, & probationis, non debet esse perpetuus, sed habere aliquem terminum, cùm non sit propter se, sed propter talem terminum: ergo etiam in coadiutoribus requiritur aliquis status, qui sit veluti terminus & approbatio vltima religionis in suo ordine. Atque hęc est prima differentia inter gradum scholarium, & coadiutorum à Religione intenta: quomodo autem exerceatur, & in quo posita sit, explicandum supereſt. Secundò ergo ex parte votorũ, & effectuum eorum, est differentia in voto paupertatis, quod in Societate reddit coadiutores incapaces dominij, & inhabiles ad hæreditatem, quem effectum in scholaribus non habet: vtrunque autem constat ex Bullis Pontificiis num. 6. allatis, à quibus hic effectus maximè pendet. In voto autem castitatis nullam inuenio differentiam quoad effectus, quia vtrorumque votum obligat ad perfectam castitatem, & inhabilitat ad matrimonium contrahendum, licèt neutrum dirimat præcedens matrimonium ratum. Idem ferè est de voto obedientiæ, nisi quòd coadiutores dum illud votum emittunt, exprimunt specialiter curam circa puerorum eruditionem in doctrina Christiana, sicut professi, sed iam suprà libro 6. cap. 3. numero 9. diximus per hoc non addi specialem aliquam obligationem voti.

XI. Tertiò ac præcipuè differunt in strictiore obligatione ex parte religionis. Si quis enim consideret, quæ hactenus diximus, hæc vota ideo tantùm non sunt solennia, quia non habent reciprocam obligationem, & perpetuitatem ex parte religionis, & in hoc cõueniunt vota scholarium, & coadiutorum. Diximus autem suprà in nu. 3. non ita hoc esse intelligẽdum, vt ipsa religio nullo modo obligetur: sed vt non obligetur absolutè, nec sine facultate retenta ad remittenda talia vota: obligatur tamen aliquo modo ad non dimittendum quacumque ex causa, ob quam scholaris iustè demitteretur, sed plane gratiore: itaq; vt rem magis explicemus, in hac

in hac non dimittendi obligatione, ex parte religionis potest esse magis vel minus, & circa coadiutores formatos est longè maior, ideoq; eorum vota magis accedunt ad perfectionem votorum solennium. Et ex hac maiori obligatione prouenit vt lõgè difficilius sit expellere coadiutorem à Societate, quàm scholarem, nam ex pluribus causis potest hic expelli, interdum inuitus, interdum ex consensu illius & religionis. Coadiutor verò (vt sentio) non tam pluribus, sed ex earum grauiorib. quibusdam dimitti potest. Vnde in 2. part. constit. cap. 1. lit. A. maior dicitur esse in horum dimissione difficultas, & lit. C. reseruatur generali. Vnde in 2. 3. & 4. Congregationibus generalibus, vbi de officio vicarij agitur, in hoc professis æquiparantur. In particulari autem non inuenio in Bullis vel constitutionibus declaratam hanc differentiam secundùm magis & minus, sed arbitrio Generalis esse relictam, & ideo eam in particulari non definio, sed prudenti zelo, & arbitrio Prælati committendam censeo. Experientia tamen mihi compertum est, longè difficiliùs coadiutores dimitti, rariùs enim hoc factum vidimus, illud verò sæpius. Oportet ergo, vt causa nõ temporalis, sed spiritualis sit; positiueq; religioni contraria, & non tantùm negatiuè. In scholaribus enim sæpe corporalis infirmitas sufficit, maximè si ipsi id petant: in coadiutoribus autem formatis, non esset talis causa admittenda, etiam ipsis petentibus. In scholari præterea satis erit, quòd inutilis ad ministeria religionis videatur, pro vt hæc latiùs l. 3. c. 9. sunt exposita: in coadiutore autem minimè, nisi etiam perniciosus sit. In scholari etiã, non oportet semper expectare, vt incorrigibilis sit, sed satis est, quòd difficilis naturæ se ostendat: in coadiutore omnis curatio præmittenda est, ita vt priùs se incorrigibilem ostendat. Denique quia scholaris adhuc in probatione est, non emendari, aut non meliorem fieri, erit sufficiens causa dimittendi illũ: in coadiutore autem minimè, quia iam cũ talibus imperfectionibus, v.g. admissus est, non vt probetur, sed vt probatus, & ideo licèt in eis maneat, expelli non potest. His ergo, & similibus modis differentia hæc intelligi potest.

Causa sufficiens ad dimittendũ scholarem, non tamen coadiutorem formatum.

XII. Vnde fit quartò, vt etiam quo ad exteriorem solennitatem vota hæc coadiutorum formatorum solennius fiant. Vnde 5. p. constit. cap. 4. §. 1. præcipiuntur fieri publicè in Ecclesia, vel sacello coram domesticis, & externis, & in manibus alicuius, qui illa admittat: quod non ita asseritur in votis scholarium; idque ad explicandam maiorem vnitatem cum Societate, maioremq; obligationem, quæ ex parte Societatis respectu coadiutorum interuenit. Alia præterea differentia assignari potest, quoad conditionem prærequisitam ex parte personarum ad huiusmodi vota: nam in coadiutoribus formatis regulariter postulatur diuturnior experientia, & probatio, iuxta 5. part. constit. c. 2. §. 4. licèt verò certum tempus ibi non limitetur, sicut de professis trium votorum factum fuerat in § 3. In ordinationibus tamen generalium toti Societati communes, editi tum ann. 1606. pag. 225. in fine n. 5. tum etiam anno 1616. pag. 144. in fine, septennium specificatur, ad non differẽdam super illis informationem. Item requiritur quòd docti, vel sufficienti doctrina instructi. Exam. c. 1. §. 10. & c. 6. §. 1. vbi etiam postulatur, vt sint sacerdotes. Denique hac ratione coadiutores spirituales, ex scholaribus fiunt, & omnes hæ differentiæ sequuntur ex prima; nam scholares adhuc sunt quodammodo in via; hi verò iam in termino sunt.

XIII. Vnde etiam constat, in his etiam omnibus conuenire coadiutores formatos cum professis trium votorum, quanuis nonnullæ etiam differentiæ inter eos ex constitutionibus notari possint, præter eam, quæ est in solennitate votorum. Primò enim in his professis determinatur tempus septennij ante quod admitti non possunt secundùm constitutiones: de coadiutoribus verò non fit certa limitatio, sed arbitrio generalis relinquitur, quoad in ordinationibus expressum est, vt paulo ante notauimus. Ille enim modus professionis (vt cap. 1. num. 6. dixi) est per modum cuiusdam dispensationis, & ideo maior probatio ad illum requiritur, siquidem in eis anticipari septennium non potest, in coadiutoribus autem non potest differri, saltem quoad informationem. Secundò de coadiutorib. expressè dicitur in citato §. 1. vt sint sacerdotes, de his verò professis non ita expressè: tamen, vt suprà in dicto cap. 1. num. 2. aduertimus, in examine comprehenduntur hi professi sub coadiutoribus spiritualibus quia cap. 1. §. 8. expressè fit mentio professorum tantùm quatuor votorum, & in sequenti soli coadiutores adduntur; vnde videntur sub his comprehendi professi trium votorum; ideoq; omnia, quæ in eodem examine pro coadiutoribus spiritualibus requiruntur, esse intelliguntur necessaria his professis: quorum vnum est sacerdotium. Vnde 5. p. cõstitut. c. 2. litt. C. in his professis postulatur ordinariè, vt habeant sufficientiam in literis, quæ ad confessarij munus benè obeundum satis sit, nisi aliis Dei donis compensetur. Vnde videtur supponi debere esse sacerdotes, qui in munere audiendi confessiones possint exerceri. Atq; ita videtur quidem dicendum iure ordinario. Aliquando (vt suprà notaui lib. 6. cap. 1. num. 4.) admittuntur ad professionem trium votorum aliqui ante sacerdotiũ, sed illud est extra constitutiones, ob peculiares casus occurrentes, qui in coadiutoribus spiritualibus locum non habent, & ideo nunquam in eis fit hæc dispensatio.

à professis votorum trium.

Tertia differentia asignari potest, quia coadiutores formati non emittunt alia quinq; vota simplicia, quæ professi quatuor votorum faciunt; illa verò promittunt professi trium votorum, vt declaratum est in 4. Congregat. generali. decret. 39. vel Can. 10. Coadiutoribus enim non imponitur hoc onus, quia constitutiones solùm à professis illa vota exigunt 6. p. cap. 2. §. 1. p. 10. § 6. Et quia in eis locis absolutè dicitur, *Quicumque in Societate professionem emiserint*, vel *omnes professi*, & non adhibet limitationem de professione quatuor votorum, ideo de omnibus generaliter intellectum hoc est. Quanuis enim interdum illa vox absolutè prolata soleat sumi in constitutionibus, quasi principaliori significato, vt patet 5. p. cap. 2. §. 2. notauimusque in libro præcedenti cap. 3. num. 3. tamen quia illa constitutio erat fauorabilis religioni, amplè interpretandã fuit. Item quia hi sunt verè, & simpliciter professi, & ideo comprehendũtur sub regula generaliter, ac indefinitè obligante professos. Ratio autem huius differentiæ esse potuit, quia professi sunt magis immobiliter coniuncti Societati, & possunt faciliùs admitti in Congregationibus generalibus, & ideo oportuit vt haberẽt omnes obligationes quas professi habent ad institutum Societatis in sua puritate conseruandum.

XIV.

CAPVT III.

De Coadiutoribus temporalibus Societatis.

I. HIc est vltimus gradus personarum Societatis, de quo pauca nobis superfunt dicenda; quia in votis cum proportione sumptis non differunt ab aliis coadiutoribus spiritualibus: in ministeriis autem, & obligationibus eorum nulla ferè specialis difficultas occurrit. Primùm ergo supponendum

Esse in Societate gradum coadiutorũ temporalium, & qua sit huius ministerio.

dum est, præter eos, qui ad spiritualia ministeria peragenda in Societate recipiuntur, aliquos admitti, vt eorum actionibus occupentur, quæ ad corporis sustentationem, & alias externas, & corporales exercitationes necessariæ sunt; & hos *Coadiutores temporales* vocamus, appellatione quidem satis religiosa, & accommodata. Coadiutores enim vocantur, tum, vt vel ipsa voce, quædã æqualitas, & modestia religiosa significetur; non enim vt famuli, aut seruitores æstimandi sunt, sed vt fratres, Socij, & adiutores nostri, sicut Martha Christo de sorore dicebat, *Dic ergo illi vt me adiuuet*, Luc. 10. Et Luc. 5. *Simon, & alij annuerunt sociis, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos.* Verbum ergo adiuuandi Societatis cuiusdam, & æqualitatis est, & ideo ab eo Coadiutores appellantur: tum etiam, vt significetur eos coadiuuare in ipsomet opere, quod alij pertractant; hoc enim nomine appellantur in Scriptura, qui cooperabantur Apostolis in prædicatione Euangelij, vt suprà cap. 1. num. 4. vidimus in Paulo ad Philipp. 2. & 4. & epist. ad Philem. sic ergo dicuntur in Societate *Coadiutores*, non solùm, qui immediatè in ipsis spiritualibus ministeriis adiuuant; sed etiam qui mediatè parando ea, quæ ad talia ministeria necessaria sunt: sicut corpus dici potest animę adiutor, etiam ad intelligendum, quia licèt non simul cum anima intelligat, ministrat tamen ea, quæ ad intelligendum sunt necessaria, & animæ intelligenti suo modo cooperatur. Hac ergo ratione additur particula illa *temporales*, vt distinguantur ab spiritualibus, vtrique enim ad spiritualia adiuuãt, sed non eodem modo, nam sacerdotes adiuuant partem aliquam spiritualium ministeriorum præstando, cæteri verò temporalia peragendo, liberos illos relinquunt ad spirituales occupationes, & hoc modo etiam in eis illos adiuuant.

II. *Primum coroll. de necessitate huius gradus, & eius causa.*

Atque hinc constat primò quæ fuerit necessitas huius gradus in Societate, tota enim ad hoc refertur, vt sacerdotes vel qui ad sacerdotium præparantur, liberiùs, & impensius possint in spiritualibus actionibus erga Deum, & seipsos, & in studiis, ac ministeriis erga proximos occupari. Tria enim præcipuè sunt, in quibus operarij Societatis à coadiutoribus temporalibus iuuantur. Primò in his, quæ ad corporis sustentationem necessaria sunt, in quibus omnia, quę ad victum, vestitum, habitationem, & rerum temporalium negotiationem, ac procurationẽ pertinent, comprehenduntur. Quanuis enim in his possint etiam sacerdotes, & coadiutores spirituales interdum occupari, id solum est dirigendo, & ordinando, ac præsidendo his, quæ grauiora sunt; maioremque authoritatem in ministro requirũt; executio autem sine coadiutorum temporalium auxilio fieri commodè non potest. Secundò iuuatur maximè Societas ab his fratribus in his, quæ ad cultum diuinum pertinent, in sacellis, & Ecclesiis, sacrarum vestium, & rerum omniũ, quæ ad templorum ornatum, & sacrosanctæ Eucharistiæ decentissimam custodiam sacrificiique oblationem pertinent, diligentissimam curam gerendo. Tertio adiuuant in ministeriis erga proximos, vel domi eos cum charitate recipientes, eorumque necessitatibus, quantum in ipsis est, subministrantes, & extra domos Socij operariorum existentes: nec enim decet, vt soli incedant, nec possunt sacerdotes sibi inuicem comites, & socij esse: quia multum in ministeriis impedirentur.

III. *Huius gradus exempliũ ex Act. 6.*

Ob has ergo causas necessarius fuit in Societate hic personarum gradus. Cuius nonnullum exemplum possumus sumere ex Actor. 6. vbi Apostoli dixerunt, *Non est æquum nos derelinquere verbum DEI, & ministrare mensis*: & ideo ordinarunt septem Diaconos, quibus ministerium illud committerent. In quo exemplo non æqualitas in omnibus, sed proportio tantùm attendenda est: illi enim ministri fuerunt Diaconi ordinati ad ministerium altaris, siue tunc statim cùm electi fuerunt ad ministerium mensarum, siue aliquanto pòst: quod alibi disputatur: nostri autem coadiutores ad nullum clericatus gradum per se assumuntur, quia Diaconi non ordinantur per se primò ad temporale ministerium, sed ad spirituale, tam in sacrificio solenni. ter, & immediatè sacerdoti ministrando, quàm in verbo Dei, & administratione aliquorum Sacramentorum, si necesse fuerit: secundariò autem illis commissum est ministerium distribuendi communes eleemosynas inter paüperes, & viduas, nostri autem coadiutores immediatè non assumuntur ad spirituale ministerium: & ideo nullam ordinationem requirunt. Proportio ergo solùm consistit in hoc, quòd sicut Apostoli, vt verbo Dei vacarent, à corporali ministerio etiamsi esset charitatis, & misericordiæ, abstinuerunt, assumendo aliquos, qui eos in illo opere iuuarent: ita Societas exonerat operarios, & scholares ab his ministeriis temporalibus propter altiora opera, & coadiutores sumit, quibus iuuentur: & sicut illi coadiutores Apostolorum ex clero assumpti sunt, ita hos nostros coadiutores religiosos esse, & ex eadem religione assumi decentissimum fuit. Vide Iulio. & Leon. Bellar. de eccles. cap. 6. & 25. ad ann. Franciscus Vasquez in 3. p. disp. 240. cap. 3. & 4.

IV. *Obiectio & traditur gradum.*

Et hinc facilè soluitur si quis obiiciat, olim in reformatis religionibus non fuisse in vsu hanc diuisionem officiorum inter religiosos, sed omnes fuisse solitos in his humilioribus, & corporalibus ministeriis succesiuè, seu vicissim per hebdomadas inseruire, vt constat ex Basilio de instit. Monach. serm. 1. circa finem, *Porrò* (inquit) *quæ necessariò in communi conuentu tractanda ministeria sunt, eamtatis in orbem vicibus circumaguntur, binique singulis hebdomadibus necessarium omnium in hoc genere munus explento, vt & humilitatis merces communis sit, neque cuiquam facultas cæteros superandi in rebus, etiam laudabilibus amplior detur, & vt æqualiter à laboribus requiescere omnes possint*, &c. Et hanc consuetudinem per cunctam Mesopotomiam, Palæstinam, & Cappadociam, & totum Orientem seruatum esse testatur Cassianus lib. 4. de institutis renunc. cap. 19. singulis (inquit) hebdomadibus vicissim fratres ad hæc officia sibi reddenda succedunt, ita vt secundùm Cœnobij multitudinem, ministrorum quoque numerus deputetur. Eandem seruari præcipit S. Benedictus cap. 35. Regulæ. *Reg. Bened.*

V. *Etiam diuin.*

Respondemus enim, inprimis diuersum fuisse institutum antiquarum religionum, & nostræ; illæ enim erant religiones monachorum, qui tunc non ordinabantur sacerdotes, nisi rarissimè, vt sæpe dictum est, nec in spiritualibus alicuius ordinis ministeriis, aut studiis, sed in corporalibus laboribus, seu actionibus, versabantur: & ideo non indigebant aliis coadiutoribus, cùm ipsi nullam haberent conuenientem excusationem, quo minus per se possent, cum fraterna æqualitate, & distributione, hæc munera obire: in Societate autem fieri minimè poterat, propter studium, & ministeriorum spiritualium occupationem, vt dictum est. Quam exceptionem addit in sua Regula S. Benedictus, dicens excusari ab eis muneribus debere, qui in rebus maioris vtilitatis occupati fuerint. Et Cassian. suprà cap. 22. refert apud Ægyptios, *quibus* (inquit) *maxima cura est operis*, non fuisse hebdomadarum vicissitudinem, ne sub occasione huius officij omnes ab operum canone impedirentur. Quam consuetudinem iam obseruant monachales ordines, quia iam literis incumbunt, & ordinantur sacerdotes: adeò, vt nomine monachorum regulariter illi tantùm intelligantur, qui ad chorum sunt deputati; qui verò ad temporalia ministe-

ministeria recipiuntur, conuersi vocantur c. *non dubium*, cap. *ex tenore*, cum similibus, de sentent. excommun. vel aliis etiam nominibus. Denique ne in Societate, quoad fieri possit, desit egregiũ charitatis, & humilitatis illorum monachorum exemplum, vsu receptum est, vt tam scholares, quàm sacerdotes; etiam superiores per hebdomadas tẽpore corporalis refectionis aliquid muneris in culina, ac triclinio exerceant; & per annum præsertim feriarum tempore his humilitatis officiis exerceantur, quod specialiter, ab antiquioribus sacerdotibus, & qui aliis præsunt, obseruari ordinauit B. Ignatius 3. p. constit. c. 1. §. 19.

De hoc more P. Claud. in instructione ad scholares num. 4.

VI. *2. Corol. de num personarum huius gradus.*

Secundò colligitur ex dictis, qua mensura recipi debeant in Societate coadiutores, & quæ dotes in eis requirantur. Mensura enim esse debet necessitas ministeriorum ad eos spectantium; tot enim recipi debent, quot necessarij fuerint ad iuuandam Societatem in his, quæ diximus, & non plures. Ratio enim, & mensura mediorum ex fine sumenda est, & ars non pluribus instrumentis vtitur, quàm ad suũ finem indigeat. Item quia alias multa sequuntur incommoda: nam vel Societas grauabitur pluribus personis, quàm alere possit, vel priuabitur aliis operariis ad ministeria spiritualia necessariis; & præterea ipsimet coadiutores otiosi magna ex parte erunt, si in superabundanti numero recipiantur: debent ergo recipi in mensura subleuandis oneribus domorum, & Collegiorum Societatis accommodata; & ita statuitur p. 1. constit. c. 2. §. 1. lit. A. 3. p. c. 2. §. 7. p. c. 3. §. 2. & Regula 39. Prouinc. Exempla numeri coadiutorum habes in formula acceptandi Collegia.

VII. *De qualitatibus eiusdẽ gradus.*

Atque his locis etiam designantur conditiones, & partes, quæ in huiusmodi personis desiderantur, quæ omnes eò tendunt, vt ad finem intentum, prout ratio prudentiæ requirit, sint accommodati: itaque ex parte corporis requiruntur vires, sanitas, &c. sustinendis laboribus sufficientes: ex parte verò animæ aptos ad deuotionem, & virtutem, & ad eam propensos, & bonæ, ac facilis naturæ, quoad fieri possit, & præsertim, quòd sorte Marthæ contenti sint. Vnde licèt in eis iudicij capacitas, & ars aliqua, vel sufficiens ad illam ingenium desiderari possit; literæ autem vllæ non postulantur, nec eis conceditur, vt in Societate plus literarum addiscant, quàm ante ingressum in illam sciebant, ita in Examine c. 6. §. 6. Imò si legere, & scribere antea nesciebant, sine facultate generalis id addiscere non possunt, vt in regula 14. ex communibus dicitur. Habeturque similis inter Regulas S. Francisci c. 10. vbi de suis fratribus, ait, *Non curent literas discere, qui literas nesciunt.* Vbi generaliter quidem de suis fratribus loqui videtur; mens autem eius fuisse videtur, vt qui omnino sine literis ingrediuntur, quia nõ ad literarum munera recipiuntur, de literis nõ curẽt, sed in qua vocatione vocati sunt permaneant, iuxta Apostoli consilium 1. Corinth. 7. Atque ita Cordub. ibid. quæst. 7. Bonauent. in expositione Regulæ c. 10. & alij.

VIII. *3. Corol. De perfectione requisita ad hunc gradũ ex parte votorum.*

Tertiò infertur ex dictis, quàm sit perfectus hic gradus Societatis in ratione religiosi status, quod cõsiderari potest, vel ex parte votorum, vel ex parte finis, & actionum, ad quas ordinatur. Et in primis in votorum vinculo non differunt, formaliter loquẽdo, vt sic dicam, ab scholaribus approbatis, vel à coadiutoribus spiritualibus formatis, secundùm tempora diuersa. Bis enim vota Societatis emittũt, & in eam incorporantur. Primò post biennium per vota simplicia eiusdem omnino rationis cum votis scholarium approbatorum admittuntur. Vnde elici tunc possunt coadiutores approbati. In eisque nouitiatus per biennium, & cum eisdem spiritualibus exercitijs & experimentis, sicut in cæteris omnibus postulatur. Post diuturniora verò experimenta (quæ saltem per decennium iuxta consuetudinem Societatis durant, quamuis in rigore legis nullum certum tempus habeant præter arbitrium prudens superioris iuxta quod in formula data à P. Claudio Aquauiua, decennium circiter in Societate, & annus ætatis 30. determinatur) incorporantur intimius Societati per vota coadiutorum formatorum, vt habetur in Examin. cap. 6. §. 7. 2. p. constitut. cap. 1. quæ omnino eiusdem rationis sunt cum votis coadiutorum spiritualium; & ideo nihil aliud de illis dicendum supereſt, quoad eorum materiam, vel obligationem. Ad professionem autem solennem non admittuntur hi religiosi eisdem rationibus, quibus ne coadiutores spirituales, vt cap. præced. in puncto 2. vidimus, quæ in his à fortiori locum habent. Præsertim, quia illi non efficiuntur clerici: hæc autem religio propria clericorum est, vt diximus lib. 1. cap. 5. Sufficit ergo illis in sancta humilitate Deo consecrari, nam quantum est ex parte illorum nihil diminuitur de merito apud Deum, eo quòd solennia vota non emittant; & si religiosè viuant, tam indissolubilem habent cum religione vnionem, ac si solennem professionem emisissent, suntque verè, substantialiter, ac perfecti religiosi, vt Gregor. XIII. declarauit. Nihil ergo in hac parte relinquitur, quod desiderent.

IX. *Item ex parte finis perfectio multis modis ostenditur.*

Ex parte autem finis, & actionum; ad quas eorum status ordinatur, habent sine dubio gradũ ad magnam perfectionem acquirendam aptissimum, & (in quo alios quodammodo superant) securissimum. Nam in primis participant totam illam partem vitæ contemplatiuæ, quam Societas in omnibus suis membris profitetur. Debent enim esse dediti exercitijs spiritualibus, & mentalibus, & suis temporibus orationi, examini conscientiæ, lectioni spirituali, & meditationi deputatis, vacare. Et quamuis sacrum non faciant, nec officium Canonicum recitent, audire tamen Missam quotidie debent; imò & Rosarium Virginis, vel etiam eius officium, licèt non ex regula, ex pia tamen consuetudine recitare, prout lib. seq. cap. 2. numer. 2. exponemus. Præter hæc verò (quod Basil. regul. 37. ex fusioribus valde commendat) cùm actiones eorum externæ sint, & corporales, non multum animum distrahunt, quo minus possint frequenter circa Deum versari; vel eum præsentem in suis laboribus habendo, vt idem Basil. in 5. earundem regularum & c. 7. constit. monast. hortatur: vel in eum omnia, quæ agunt referendo, & auxilium postulando. Itaque magnam possunt perfectionem vitę contemplatiuæ in hoc statu comparare. Vnde etiam fit, vt perfectionem antiquorum monachorum multum imitentur: illi enim, & clerici non erant, & post laudes suis temporibus Deo decantatas, manibus laborabant, vt se vel alios pauperes sustentarent; hi verò, & sua etiam tempora, quibus Deo mente psallant, & ore deprecentur, habent; & postea manibus laborant, non vt aliquid temporale comparent, quo se, vel alios sustentent, sed vt ministros Euangelij adiuuent, eisque ministrent. Ex quo vlteriùs sequitur, vt partem Marthæ, non solùm corporaliter, sed etiam spiritualiter participent. Nam licèt proximè circa corporalia occupentur, tamen quia illa sunt media ad proximos spiritualiter iuuandos, & sub ea intentione assumuntur; ideo fructum & meritum spiritualium actionum circa proximos participant. Præterquam quòd ipsi debent ad salutem proximorum suo modo cooperari tum familiaribus colloquijs, vt in c. 6. examinis §. 4. habetur, tum maximè exemplo, & præsertim patientia, & charitate omnes alacri animo susципiendo, eorumque necessitatibus summa diligentia succurrendo

rendo, & si necessarium fuerit omnium onera portando, & sustinendo. Tandem hinc etiam meritò consequuntur, vt omnium bonorum operum, ac meritorum Societatis participes sint, & illius gratiis non minus, quàm cæteri professi perfruantur, vt habetur in Bullis Pauli III. Iulij III. & Greg. XIII.

CAPVT IV.

Quot sint gradus personarum in Societate, & quomodo inter se distinguantur, ex dictis colligitur.

I. *Tres tantùm esse gradus personarum in Societate.*

EX dictis in hoc & superioribus libris circa varios gradus personarum Societatis, facile colligi potest quot illi sint, & quæ inter illos distinctio intercedat. Potest autem hæc distinctio membrorum Societatis dupliciter fieri; scilicet vel iuxta diuersa vincula cum ipsa Societate per vota aliquo modo diuersa; vel per ministeria, ad quæ proximè talis personarum status ordinatur; & vtroq; modo tres tantùm sunt ordines personarum: priori modo distinguuntur in Societate *scholares approbati, formati, coadutores, & professi*: nam hi omnes habent inter se differentiam in modo votorum, ac vinculi cum Societate, vt satis explicatum est lib. 3. 6. & in hoc 7. nec oportet augere hanc partitionem propter coadiutores temporales, vel spirituales, quia illi omnes, quoad vota eandem rationem habent, vel inter se cùm formati sunt, vel cum scholaribus, quando simpliciter post biennium admittuntur. Et ita quoad hoc æquiparatur in 4. Congreg. can 1. & suo etiã modo in 7. Congreg. can. 23. Vnde clarius comprehendendo omnes, *scholarium* nomine sublato, dicere possumus in Societate alios esse religiosos *approbatos*, alios *formatos*, alios *professos*, vel quosdam esse religiosos quidem substantialiter, nondum tamen in vltimo termino cõstitutos: alios verò qui iam sunt in termino absque solenni professione, alios verò professos. Et eadem ratione non oportet ibi distinguere plura membra propter professos trium, vel quatuor votorum, tum quia professi trium votorum & pauci sunt, & magis ex dispensatione, quàm ex lege ordinaria, tum etiam, quia in modo vinculi, aut votorum, non differunt à cæteris professis, sed solùm in numero votorum, & ideo aliquando comprehenduntur sub gradu professorum, vt 5. p. constit. c. 1. lit. A.

1 Collectio horum triũ graduum ex votis, qua nuncupant.

II. *Altera collectio ex ministeriis,*

At verò distinguendo hos gradus ex ministeriis, tres etiam inueniuntur, diuerso tamen modo: sic enim numerandi sunt *scholares*, *operarij*, & *coadiutores temporales*. Ministeria enim Societatis, aut spiritualia sunt, aut corporalia: ad hæc posteriora recipiuntur coadiutores temporales. Priora verò, aut considerantur in seipsis, aut in via, & præparatione ad illa; in hoc secundo ordine versantur *scholares*, in alio verò reliqui omnes, qui iam ex officio, & statu suo ad illa exercenda ministeria destinati sunt, quos *operarios* appellamus, & sub illis *tam coadiutores spirituales formatos*, quam *professos trium, vel quatuor votorum* comprehendimus. Et ita intelliguntur facile omnia, quæ de his gradibus, tam in bullis Pontificiis, quam in constitutionibus nostris inueniuntur.

Operarij qui dicantur.

III. *Vocatio ad quemlibet gradum vnde sumenda.*

Et quidem in examine cap. 1. §. 7. & sequentibus, quatuor classes personarum Societatem ingredientium, distinguuntur; tamen reuera non additur aliquis gradus, sed ibi magis distinguitur intẽtio, vel dispositio ingredientium. Nam interdum recipiũtur definitè, ad aliquem ex dictis tribus gradibus, & ita distinguuntur tres classes ingredientium; aliquando verò recipiuntur indefinitè ad eum gradũ, qui superiori visus fuerit. Et ita additur quarta classis, quæ vocatur *indifferentium*, quæ non pertinet ad gradus personarum Societatis, sed ad classem *nouitiorum*, vt sic dicam: nam in eis solis potest esse classis indifferentium, quia expleto biennio determinandi sunt omnes saltem ad statum scholarium, vel coadiutorum temporalium, vt in quarta congregatione generali decreto 37. seu can. 2. declaratũ est: vbi considerandum est etiam hoc modo regulariter loquendo non posse distingui nisi duas, vel tres classes: quia nouitij, vel ad temporalia ministeria, vel ad spiritualia recipiuntur: pauci autem recipiuntur ex parte Societatis indeterminati inter hæc duo membra, licèt ex parte sua omnes debeant indifferentes ingredi: aliquando verò possunt aliqui recipi cum ea indifferentia; & ita constituuntur tres ordines nouitiorum. Inter quos qui recipiuntur ad spiritualia ministeria, consequenter admittuntur definitè ad gradum scholarium, indefinitè verò ad gradum professorum, vel coadiutorum: rarò enim potest à principio fieri hęc distinctio, donec in studiis personæ probentur. Aliquando verò cùm personæ sunt proiectæ ætatis, aut literatæ, possunt à principio cùm recipiuntur, ad gradum professorum, vel coadiutorum destinari; & ita intelligenda est illa partitio: & ad eandem doctrinam facile accommodantur, quæ de quatuor acceptionibus Societatis dicuntur 5. p. const. c. 1. lit. A. Nam in prima comprehenduntur nouitij, & ita solùm tres gradus membrorum propriè dictorum Societatis relinquuntur.

INDEX CAPITVM LIBRI OCTAVI.

De mediis quibus ad spiritualem profectum & perfectionem suorum religiosorum Societas vtitur.

Cap. I. *AN, & quantum debeant religiosi Societatis ex vi sui instituti mentalibus exercitiis vacare.*

II. *An religiosi Societatis ad aliquas orationes vocales ex vi sui instituti teneantur.*

III. *An ad frequenter celebrandum, vel communicandum religiosi Societatis specialiter obligentur.*

IV. *An confessionis vsus, & frequentia conuenienter in Societate instituta sit, ac primùm de generalibus confessionibus.*

V. *An reseruatio peccatorum quæ in Societate fit, sit conuenies.*

VI. *De charitate in vniuersum tam erga Deum, quàm erga proximum, quam Societas IESV à religiosis expetit.*

VII. *De mediis in particulari pro charitate erga proximos, domesticos, seu fratres, ac primùm de negatiuis, consistentibus ve in omissione.*

VIII. *De mediis positiuis, seu quæ in actione consistunt.*

IX. *De mediis, quibus ad solidas virtutes infra theologales, perfectamque animi moderationem religiosi Societatis promoueantur.*

LIBER OCTAVVS.

De mediis, quibus ad propriam perfectionem acquirendam Societas vtitur.

EXplicatis votis omnib⁹ Societatis, & variis personarũ ordinibus, qui ex eis oriuntur, dicendum sequitur de actibus, seu ministeriis, in quibus personæ Societatis exerceri, & occupari debent. Ordinatur autem hæc religio, vt vidimus, primò quidẽ ac per se, ad suorum membrorum spiritualem perfectionem, deinde verò proximorum: & ideo priusquam de ministeriis erga proximos dicamus, de mediis, quibus ipsa religio in se, & in suis membris spiritualiter perficitur, dicendum est, hæc autem media quædam sunt merè interna, per quæ anima immediatè coniungitur Deo dum æterna meditatur, conscientiam recognoscit, & in interioribus actibus virtutum omnium versatur; alia sunt externa, quæ subdistingui possunt, in ea, quæ per seipsa, & ex opere operato animam sanctificant, vt sunt sacrificium, & sacramenta, & in ea, quæ ex opere operantis, vt sunt exteriores exercitationes virtutum. De his ergo omnibus ex professo dicendum est, & distinctius explicabimus aliqua, quę in primo lib. cap. 5. & 6. tacta sunt, quæ verò à c. 7. & deinceps sufficienter tractata sunt, hic omittuntur.

CAPVT I.

An, & quantum debeant religiosi Societatis ex vsu instituti mentalibus exercitiis vacare.

I. *2. Assertio Mentalia exercitia nõ sunt sub præceptorigoroso. Eius ratio.*

QVoniam duplex est obligatio, alia rigorosa, & præcepti: alia regulæ religiosæ, ac perfectionis, in toto hoc libro obligationem posteriori modo sumimus; quia supponimus, quod etiam lib. 4. cap. 12. n. 13. attigimus, regulam Societatis non inducere rigorosam obligationem: vbi autem ex alio capite oriri potuerit, id specialiter adnotabimus. In præsenti ergo constat primò, mentalia exercitia, quæ sunt conscientiæ examinatio, meditatio, contemplatio, & in vniuersum mentalis oratio, nõ cadere sub obligationem rigorosam non solùm propter rationem dictam, sed etiam quia humanum præceptum non fertur per se in huiusmodi actus: quia vel non potest, vt lib. 4. de legib. cap. 12. docuimus; vel licet possit mediante voto obedientiæ, certè non expedit propter periculum maioris mali; & circa hoc videri possunt quæ in tract. 4. libr. 2. de oratione mentali c. 4. diximus. Dico autem *per se*, quia ratione alterius actus exterioris interdũ præcipi potest vt in præsenti recogitatio peccatorum, vel examinatio conscientiæ potest præcipi ratione confessionis; tunc verò solùm eo præcepto præcipitur, quo ipsa confessio, de quo infrà in c. 4. dicemus. Potest etiam interdum aliqua exterior actio, vel otium, præcipi propter hos interiores actus, vt si præcipiatur lectio propter meditationem, vel vacatio ab studio propter contemplationem. Sed tũc etiam non præcipitur rigorosius actio vel emissio exterior, quàm interior meditatio: cùm ergo hæc rigorosè non præcipiatur, nec cætera etiam, quę ad ipsam ordinantur.

II. *2. Assert. sensus sumi sub regula.*

Secundò verò dicendum est, religiosos Societatis, ex vi suæ regulæ teneri ad exercendos huiusmodi actus temporibus præscriptis: sic enim non repugnat actus, etiam mentales, cadere sub regulam religiosam cùm illius professio, & assumptio voluntaria sit, sicut in voto obedientiæ in citato c. 12. lib. 4. exposuimus. Probatur ergo assertio ex 3. p. const. c. 1. §. 20. *Omnes suum tempus rebus spiritualibus impendant, vnica & deuotioni quærendæ pro mensura diuinæ gratiæ sibi communicandæ insistant.* Quæ verba habentur etiam in reg. 21. ex generalibus, & similia reg. 1. ex communibus, quam infrà à n. 4. expendemus. Vbi etiam declarabimus, quod, & quãtum hoc tempus sit, quod etiam attigimus suprà in lib. 1. cap. 6. numer. 4. Solùm hic addendum est ab hac obligatione nullos excipi etiam professos, & quibusuis ministeriis occupatos. Nam regula generalis, nec exceptionem vllam facit, quia reuera nec necessaria, nec rationabilis erat: vbi enim necessaria est, non omittitur, vt videre licet in regula 4. ex communibus, cum similibus. Quin potiùs de professis signatim dicitur 6. p. const. c. 3. §. 3. debere in domibus eam partem regularum obseruare, quæ illis communis est: constat autem hanc partem mentalium exercitiorum maximè conuenientem esse eorum statui, & conditioni: adstringuntur ergo omnes eadem regula, & ita postea in 4. congreg. decret. 36. vel can. 11. stabilitum fuit. *Hæc assertio vniuersim. Obiectio de professis.*

III. *Obiectio de professis.*

Dices in 6. p. const. c. 3. §. 1. de professis dicitur, nullam eis regulam præscribi, quoad spiritualia hęc exercitia, eo quòd certum ducatur eos viros spirituales futuros, & qui sic in via Christi D. profecerint: vt in ea currere possint. Hoc autem ita intelligendum est, vt eis non intelligatur per regulã prohibitum, quin vltra tempora spiritualibus exercitiis omnibus definita, possint aliquid addere: imò in ea constitutione tacitè admonentur, vt id faciãt; quantum *discreta charitas vnicuique dictauerit*, & adhibito consilio confessoris. Igitur professi ex vi regulæ non limitantur ad sola opera religionis, ac diuini cultus, quæ pro tota communitate Societatis præscripta sunt: & in hoc sensu dicitur eis non præscribi regulam circa hæc opera, non quia non obligentur generali regula, sed quia per illam non prohibentur, quo minus aliquid addant: quin potius ab eis hoc desideratur, & speratur: in hoc enim quod addendum est, non præscribitur regula, quia non potest esse vniformis, cum nec vires omnium eædem sint, nec occupationes, &c. Hæc est ergo differentia inter professos, & scholares Societatis, quòd scholaribus ita sunt definita spiritualia exerci-

exercitia & tempora eorum 4.p.constit.cap.4. & in Congreg.1.generali decreto 97.& in 2.decreto 29.& in 4. decreto 5.& can. 6. vt sine facultate superiorũ nihil eis addere possint: quod meritò ita præscriptũ est; tum propter studiorum labores, tum etiam, quia in eo statu, nondum supponuntur adeò in rebus spiritualibus exercitati, vt hoc illorum arbitrio committendum sit; at verò professi non habent ex regula illam prohibitionem, sed potius generalem licentiam, vel etiam exhortationem, vt frequentiùs in his spiritualibus operibus exerceantur, quia eorum ministeria, & status hoc requirunt. Vide Bon. in spec. disciplin. c.13. citatur etiam similis doctrina reuelata Pachomio Abbati ab Angelo sibi regulam tradente, apud Pallad. in histor. c.38. quem locum inuenire non potui, nec in Pallad. tomo 7. Bibliæ, nec in vita Pachomij apud Sur. tomo 3.

IV. *De exercitio examinandi conscientiã.*

Vt autem hoc magis explicetur, operæpretium erit ad particularia opera, quæ in hoc genere Societas exercet, descendere; sunt enim tria genera horũ operum, scilicet examinatio conscientiæ, lectio spiritualis, oratio mentalis, sub qua meditatio, & contemplatio comprehenduntur; de quibus prædictæ regulæ loquuntur. Regula prima ex communibus, & in dict. c.3.6.p.constit.§.2.ibi, *orandi, meditandi, & & legendi*, & §. 11. *vtantur quotidie suæ conscientiæ examinatione*, & p.4.c.4.§.3. additur vt bis fiat. Itaq; quod ad primum exercitium examinandi conscientiam pertinet, tenentur nostri religiosi ex regula bis in die, meridie scilicet, & noctu, vtroque in tempore per quadrantẽ id præstare; neque circa hoc aliquid specialiter annotandum hic occurrit. nam quæ de hoc examine dici possunt, commodius lib. sequenti, tractando de exercitiis spiritualibus, explicabimus, vbi etiam de alio examine quod in Societate fieri consueuit, & *particulare* vocatur, aliquid addemus.

Ribadan. in vit. S. Ign. lib.5.c.1.

V. *De exercitio lectionis spiritu, & praparatione ad orandum.*

Quod verò spectat ad secundum, lectio spiritualis in hoc statu maximè necessaria est, tum propter meditationem. Nam, vt Bernardus tract. præced. lib.1. cap.5. num.15. relatus, dixit, meditatio sine lectione errori exposita est; tum propter spiritualem fructum, quem ipsa per sese solet afferre, quia, & ad illuminandum intellectum, & ad accendendum affectum valde vtilis est, tum denique propter alios. Nam cùm nostri religiosi proximos debeãt, ad virtutem excitare, eosque instruere, & interdum etiam in spiritualibus dirigere, necesse est, vt Doctores sacros euoluant, à quibus lumẽ accipiant. Sciẽdum est enim huiusmodi dilectionem interdum ad proprium. interdum ad aliorum profectum ordinari, & vtramque esse in hoc statu necessariam, priorem tamen fructum esse præcipuè intentum in hac parte, vbi spiritualis lectio commendatur, tanquam exercitium vitę contemplatiuæ ad propriam spiritualem perfectionem ordinatum. Non repugnat tamen, imò ad perfectionem, & industriam legentis pertinet, ad vtrumque finem hoc opus ordinare. Hoc verò prouectiorum est, & maximè cõuenit professis Societatis, ratione sui status: nam ita debent incumbere propriæ perfectioni, vt aliis etiam consulant, & è conuerso: vnde si eadem actio possit esse vtilis ad vtrumque finem, perfectior erit, cæteris paribus, si ad vtrumque referatur. Nihilominus tamen, viris etiam perfectis, lectio spiritualis aliquando specialiter sumenda est propter affectum potius excitandum, quàm propter studiũ, & ideo vtrumque distinctè commendatur omnibus, etiam professis, & viris quantumcunque perfectis, scilicet, & studiũ sacrarum literarum, & spiritualis lectio, quæ & in 1. regula ex communibus præcipitur, & eidem horæ quadrãs in singulos dies à 7. congr. designatur in can. 5. De illius verò necessitate multa docent, qui id argumentum peculiariter assumpserunt, nominatim Puerite tract. 2. Alphonsus Rodrig. 1.p. tract. 5. cap. 28. Paz tom. 1. l. 2. p. 4. c. 31. & tom. 2. l. 3. p. 5. c. 2.

VI. *De exercitio mentalis orationis.*

Præter hæc verò necessaria est etiam in hoc statu frequens, & assidua mentalis oratio: quia non solùm necessarium medium est ad propriam perfectionem acquirendam, & ad fructuosè laborandũ in vinea Domini; sed etiam aliqua ex parte, finis est huius religiosæ vitæ, quæ non solum actiua est, sed sed etiam contemplatiua, vt suprà lib.1. c.6. d. ximus. Vnde cùm hoc exercitium toti Societati sit maximè necessarium, quo gradus professorum cẽsetur esse perfectior, eo magis illud participare debet, & otium contemplationis; ita tamen, vt ministeria erga proximos non impediat, sed potius iuuet ac promoueat. Atque hæc est regula quam constitutiones indicant, vt ea vtantur professi ad vacandum contemplationi, nimirum *quantum commodè potuerint, non relinquendo ea ministeria erga proximos, quæ charitas aut obedientia postulauerint*; quæ fuit regula præscripta ab August. 19. de ciuit. c 19. dicente, *Negotium iustum suscipit necessitas charitatis, quam sarcinam. si nullus imponit, percipienda, atque intuenda vacandum est veritati: si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem*; & subdit verba nostris religiosis & præsertim professis maximè consideranda: *sed nec sic omnimoda veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suauitas, & opprimat ista necessitas.* Significat enim his verbis Augustinus, etiam his, quibus ex necessitate muneris, vel status incumbit cura proximorum necessarium omnino esse, suis temporibus contemplationi vacare.

VII. *Huic exercitio non satisfit nisi pleno tempore impendendo.*

Nec satisfaciet quispiam suæ obligationi, etiamsi dicat, in ipsis operibus, & spiritualibus ministeriis non omnino relinqui interiorem mentis considerationem, & intentionem, ac recursum ad Deum. Quanquam enim hoc prætermittendum non sit, & in eo magna ex parte præceptum, vel consilium orationis impleatur, iuxta doctrinam Basilij in reg. 5. ex fusioribus, nemo tamen debet (vt idem sanctus subiungit) ea occasione præscripta tempora ad vacãdum orationi, vel meditationi negligere; quia sine hoc adminiculo, neque attentio ad Deum in aliis operibus, nec feruor deuotionis poterit conseruari; & ideo D. Tho. 2.2.q.188.a.8. cum dixisset solitudinem cõgruere religionibus proficentibus vitam contemplatiuam, non verò illis, quæ ordinantur ad opera vitæ actiuæ, siue spiritualia, siue corporalia, subdit, *Nisi forte ad tempus exemplo Christi, qui, vt dicitur Luc. 6. Exiit in montem solus orare, & erat pernoctans in oratione Dei*, de quo exemplo agimus to. 2. in 3. p. disp. 29. sect. 1.

VIII. *Id tempus designatur pro singulis diebus & annis.*

Id tempus designatur tum singulis diebus per horam, tum singulis annis per 8. vel 10. dies. Duobus autem modis potest hoc intelligi; primò vt singulis diebus tempus aliquod huic solitudini deputetur. Secundò vt interdum per plures dies actiua vita intermittatur, omnisque communicatio cum hominibus omittatur, vt soli Deo vacetur. Et vtriusque modi exemplum nobis præbuit Christus; & vtrumque imitari debent religiosi Societatis ex vi suæ regulæ, & receptæ consuetudinis: nam & singulis diebus statutis temporibus se colligere, & soli Deo vacare debent per horam integram, vt in 4. Congreg. generali can. 6. retinetur, ac etiam denuo stabilitur. Nec id tempus, nisi graui de causa, abrũpendum decernitur in 7. congreg. decreto 21. nu. 2. & aliquando etiam per aliquot anni dies (quos decem vel octo designat sextra Congregatio can. 9. in singulos annos, & in 7. can. 4. magis adstringitur) ab exteriori actione omnino cessare, & in sola interiori vita se exercere, vt in illa 7. Congregatione, & decreto in n. 4. iterum inculcatur, & in sequenti

libro c.7 latiùs dicemus. Nam, vt actio postea efficacior sit, hoc otium necessarium est, quia hoc negotium spirituale, opere primum, seu exemplo, deinde sermone, seu prædicatione perficitur: neutrum autem eorum efficaciam habebit, nisi eam promereatur oratio, vt dixit Bernardus epist. 201. ad Balduinum Abbatem.

CAPVT II.

Vtrùm religiosi Societatis ad aliquas orationes vocales ex vi suæ instituti teneantur?

I. *Primæ assertionis bimembris.*

QVoniam vocalis oratio cum mentali proximè coniuncta est, vt facile intelligi potest ex iis quę initio libri 3. de oratione vocali scripsimus, de illa consequenter dicendum est, breuiterque poterit expediri, suppositā distinctione data initio ca. præcedentis de obligatione, vel præcepti rigoroſi, vel solius regulæ. Dicendum est enim, nec ex rigorosa præcepti obligatione, neq; ex regula specialiter ad orationē vocalē obligari singulos religiosos Societatis. Suppono sermonē esse de his religiosis ex eo capite, quod religiosi sint, nam si sint in sacris constituti, clarum est teneri illo titulo ad officium canonicum recitandum; sed illa obligatio accidentaria est religioni: sic ergo facilis est ratio vtriusque partis. Prioris quidem, quia nullum est principium, nec fundamentum talis obligationis: nam si ad aliquam orationem vocalem obligarentur nostri religiosi, vel esset ex communi ratione status religiosi, vel ex propria & speciali. Hoc secundum dici non potest, quia constitutiones Societatis non inducunt talem obligationem, vt sæpe monuimus. De primo autem patet, quia ex illo titulo solet oriri in aliis religiosis obligatio tantùm recitandi officiū canonicum, idque ex obligatione in sola consuetudine fundata, vt tract. 4. lib. 4. de horis canon. c. 17. numer. 6. tradidimus; hæc autem in nostris religiosis locum non habet. Quod quidem de coadiutoribus temporalibus est per se notum, quia non est obligatio, suo muneri consentanea: vnde nec in aliis religionibus professi laici, seu conuersi ad hoc obligantur, vt ibidem in n. 2. notauimus, & à fortiori neque nouitij. De scholaribus verò expresse dicitur in 4. p. Constit. c. 4. in declaratione lit. B. *ad dicendum officium diuinum non tenentur*. Professi verò & coadiutores spirituales semper sunt Sacerdotes, & ideo tituli sacerdotis tenebuntur. An verò si qui sunt professi non ordinati in sacris, obligentur, statim dicam.

II. Circa alteram partem ad obligationem regulæ pertinentem, aduertendum est, solum obligari nostrum religiosum ex vi constitutionum, ad expendendum quotidie vnius horæ tempus in oratione, præter Missam, & præter officium canonicum, si illud alias ex obligatione recitauerit; & præter examina conscientię; licèt enim hoc postremum in Cōstitutionibus nō contineatur, sicut etiam in 1. Congregatione, can. 94. notatum fuit, additum est ab ipsa Societate, & perpetua consuetudine seruatum à tempore secundæ Congregationis & specialiter in 4. decreto 3. fuit confirmatum. Illius autem horæ tempus ex vi constitutionum, non ita mentali orationi destinatur, vt non possit in eo vel Rosarium, vel officium B. Virginis recitari, pro deuotione vel maiori fructu orantium, vt declaratur 4. p. Constit. c. 4. §. 3. & 4. & lit B. &c. & in dict. can. 3. Congregationis 4. generalis, licèt dicatur, *vt omnino retineatur consuetudo orandi per horam integram*, &c. non tamē declaratur, vt illa oratio tota mentalis sit. Nihilominus tamen praxis, & consuetudo Societatis declarauit, vt illa hora matutina tota orationi mentali, seu meditationi, & contemplationi tribuatur, atque ita hoc cēseri debet ius ordinarium Societatis, à quo fine superioris facultate, seu commutatione discedere non licet. Vnde pia, ac ferè generali consuetudine introductum est, vt omnes, præsertim non Sacerdotes, vltra integram horam mentalis orationis, Virginis officium, aut Rosarium recitēt, suum proprium tempus huic deuotioni tribuendo, à qua consuetudine, qui discrepat satis imperfectè agit, etsi in decreto 102. sextæ Congregationis propriæ regulæ obligatio non sit posita.

Vocalis oratio intra horam quotidianam ora-

III. Hæc autem omnia de priuatis orationibus & personalibus obligationibus procedit, vt in assertione tetigimus: iam de oratione publica & communi: dicendum secundò nullam esse in Societate certi temporis obligationem, vbi occurrebat quæstio de choro, cur Societas illum nō profiteatur, sed hæc satis tractata est lib. 1. cap. 8. & ideo plura hic dicere necesse non est. De Litaniis etiam dubitari potest quia videtur esse antiqua consuetudo Societatis, vt à tota communitate quotidie in domibus & collegiis dicantur: ergo erit etiam sub obligatione: dicendum est autem inprimis hanc orationem, etiāsi pia & sancta sit, nulla constitutione, vel regula esse præscriptam. Deinde dicitur, non ita esse consuetudine receptam, vt præcepti obligationem inducat, tum quia existimo nullam consuetudinem Societatis propriam, & specialem habere hanc vim, nec sub hoc genere obligationis posse introduci, quia est contra expressam constitutionem 6. p. c. 5. ibi, *Visum est nobis in Domino nullam constitutionem, declarationē, vel ordinem vllum viuendi posse obligationem, ad peccatum mortale, aut veniale inducere*, nam sub illa particula, *ordinem viuendi*, consuetudines omnes comprehendi censeo; non ergo potest consuetudo obligationem illi constitutioni repugnantem inducere; nam eo ipso non esset nostris hominibus pia, nec religiosa consuetudo, vtpote constitutioni repugnans, tum etiā, quia illa non est propria consuetudo inducens obligationem, seu ex obligatione introducta, quia constat ex speciali aliqua ordinatione præpositi generalis inchoatam fuisse, & ex eadē continuari semper, nec in ea maiorem obligationem agnosci, quā in ipsa ordinatione, in qua fundatur. illa autem nō inducit obligationem præcepti, sed obediētiæ simplicis, vt aliàs diximus. Quamdiu ergo illa voluntas superiorum duraverit, tenebitur Societas litanias recitare, eo modo quo tenetur alias simplices obedientias implere, non tamen arctiori obligatione, nec diuturniori tempore, sed cessante illa voluntate, cessabit etiam illa qualiscunque obligatio.

IV. De qua obligatione sciendum est, eo ipso quòd obligat communitatem, obligare etiam singulos eodem genere obligationis, & nō maiori, vt illi publicæ, & communi orationi adsistant: quia nō posset aliter obligari communitas, cum non possit oratio illa à cōmunitate fieri, nisi ad eam singuli cōueniant, vt in simili diximus tractat. 4. li. 4. de horis canon. c. 10. n. 9. nihilominus si quis absit ab illa oratione communi, non obligatur etiam illo simplici modo ad litaniam priuatim & per se recitandam. Quod quidem est certum, si debito modo & iusto impedimēto, vel ex superioris facultate absit, quia tunc nulla relinquitur ratio obligationis, quia non tenebatur litaniam per se dicere, sed cum cōmunitate, & ab hac obligatione simpliciter exemptus fuit. Veruntamen idem censeo etiamsi contra obedientiæ obligationem non adfuerit: quia licèt imperfectè egerit, tamen iam est transacta occasio, & materia illius obligationis, seu obedientiæ, nec tenetur aliā loco illius substituere, quæ nullo modo præcepta fuit; sicut qui omisit ieiunium præscriptum vno die, nō tenetur aliud seruare alio die loco illius. Dices, ergo qui hora matutina cū aliis non orauit, non tenetur ex vi regulæ, in alia hora diei id supplere.

supplere. Respondetur negando consequentiam, nō enim est in re simili. Nam regula simpliciter statuit orationem per integram horam in die: vnde ex vi regulæ, qualibet hora diei impleri posset: quòd autem cōmuni consuetudine matutina hora designata sit, non est (vt sic dicam) ad extinguendam obligationem; si tunc nō impleatur, sed ad designandū certum tempus, & commodius, in quo impleatur, ita vt non differatur: & ideo si tunc non impletur, postea continuè vrget regula, vt quàm primùm fieri possit, impleatur. In præsenti autē ordinatio solùm est respectu communitatis, & obligatio nō descendit ad singulos, nisi cooperando ipsi communitati, & ideo priuata oratio non est materia illius obligationis, quamuis optimè facturus sit, qui illā voluntariè expleuerit: esset autem exemplum simile de illo qui vno die integram horam orationis omisit, non enim tenetur etiam ex vi regulæ alio die addere alteram horam, quamuis consultissimè facturus sit, si id egerit. Sed adhuc instabis; quia religiosus professus deputatus ad chorum si absque rationabili causa, aut etiam cum illa, absit à choro, tenetur priuatim recitare horas, vt in li. illo 4. de horis c. 17. n. 2. tanquam cōmune, & receptum tradidimus: ergo licèt religiosus Societatis absit legitimè à cōmunibus litaniis (nedum sine causa) tenetur sub eadem obligatione, qua tenetur cōmunitas priuatim recitare. Sed negatur consequētia, quoniam in cit. loc. ostēdemus saltem ex consuetudine obligari professos monachos ad priuatam quoq; recitationem, etiamsi sacris nondū sint initiati, & in Societate talis aliqua consuetudo non inualuit: quid autem dicendum sit, si tota cōmunitas litanias omitteret, ex dictis in illo li. 4. de horis canon. c. 10. paulo superiùs citat. n. 8. atque etiam ex c. 13. n. 11. cum proportione sumi potest; quod verò hic resoluimus de litaniis intelligendū est à fortiori de choro per hebdomadā sanctam, & in die 2. Nouemb. & si quod est aliud officiū certi temporis (vt in assertione attigimus) quæ à tota communitate in Societate vsurpatur.

Instantia altera diluitur.

Altera instantia diluitur.

V. *1. dubium tripartitum.*

Nonnulla verò dubia expedienda supersunt. Primum est de orationibus vocalibus, quæ dicendæ iniunguntur pro defunctis, vel pro fundatoribus, vel aliis causis, seu necessitatibus fortuitò occurrētibus, quanta sit earum obligatio, & quomodo explendæ sint. Circa prius punctum de quantitate obligationis generaliter asserendum est; non transcēdere obligationem simplicis regulæ, vel obedientiæ. Patet ex generali declaratione constitutionum p. 6. c. 5. nam cùm nihil distinguat, aut limitet, hanc etiam materiam comprehendit. Vbi ergo aliqua oratio sub aliquo ex illis signis iuncta non fuerit, scilicet, *in virtute obedientiæ*, vel *in nomine Domini*, non obligat ex vi præcepti: at in constitutionibus, aut regulis, nullum est tale præceptum, nec ordinariè à superioribus in hac materia solet imponi. Posset autem quis dubitare de orationibus (& idem est de Missis) quę pro fundatoribus collegiorum fieri præcipiuntur 4. p. constit. cap. 1. aut domorum in can. 18. Congregationis tertiæ: nam illæ videntur deberi veluti ex vi pacti, ideoque ex iustitia, atque adeo sub rigorosam obligationem conscientiæ cadere. Nihilominus probabilius censeo, etiam illam obligationem non excedere vim regulæ, quia nullum est verbum, quod maiorem obligationem ostēdat: nec fit aliud pactum, vel specialis obligatio fundatori, sed solum acceptatur fundatio iuxta constitutiones, atque adeò cum oneribus, quæ imponunt constitutiones, & sub tanta obligatione, quanta ab eis imponitur, & non maiori. Vnde à fortiori sequitur in reliquis suffragiis, quæ pro benefactoribus, vel pro Societate, aut aliis rebus fieri præcipiuntur: idem esse dicendum, sicut etiam iuxta communem sensum Societatis intelligitur, quoties superior simpliciter præcipit hoc vel illud pium opus facere pro tali causa, vel intentione: nunquam enim imponere censetur præcepti obligationem rigorosam, sed tantùm simplicem ordinationem, nisi obseruet formam præcipiendi præscriptam in dicto cap. 5. 6. partis constit.

Ad posterius autem punctum de modo implendi hanc obligationem, respondetur, esse implendā simpliciter, ac modo quo imponitur, seu quod perinde est, seruatis debitis circumstantiis quas oratio ipsa requirit, eo ipso quòd facienda est, vt tract. 4. lib. 2. de orat à c. 2. docuimus. Potest autem iniungi propter hos fines, & vocalis, & mētalis oratio, quia vtraque cadere potest sub obedientiam religiosam, vt attigi lib. 4. de legib. c. 12. ad finem, & specialius tom. 3 de sacramentis disputatione 79. sect. 9. quæst. 1. qualis autem præcipiatur, ex verbis constabit, & ex vsu religionis. Quando enim iniungitur indefinitè tantùm orationis tempus, de mentali optimè intelligitur, & per illam optimè expletur: si tamen vocalis fiat vel mista, etiam sufficiet. Si autem definitè iniungatur Rosarium, vel litaniæ, &c. de vocali planè intelligo, & ita explenda est, debetque recitari attentè & deuotè, quantum oratio vocalis ex se postulat, vt lib. 3. de oratione à cap. 3. docuimus. Aliæ verò circumstantiæ particulares, de quibus ibidem in cap. 7. vt v. g. quod dicatur in oratorio, vel flexis genibus, vel quid simile, non sunt necessariæ, nisi expresè præscribantur. Si autem quis minus attente hæc recitauerit, quàm par est, non grauius peccabit, quàm venialiter, secluso contemptu, quia vt dixi, talis oratio nō fit ex rigoroso præcepto, & ideo nec modus eius cadit sub arctiorem obligationem, quàm cadere soleat in orationibus merè voluntariis. Et ideo quando bona fide proceditur, non oportet esse de hac re solicitos, præsertim de repetendis orationibus, quæ minus attentè forsan dictæ sunt, quia non est hæc intentio talium præceptorum, seu ordinationum, aut constitutionum.

VI.

Quin potiùs dubitari potest, an qui præscripto tempore, v. g. hebdomada, vel mense talem orationem, vel suffragium voluntariè omisit, teneatur postea illud implere. Nam ex dictis in num. 4. argumento simili videtur cōcludi non teneri, quia iam transacta est occasio præcepti, & non est aliquid cōtra iustitiam commissum, vt maneat veluti obligatio restituendi. Nihilominus censeo durare semper idem genus obligationis regulæ, vel obediētiæ donec impleatur, nisi in aliquo casu particulari finis præcepti omnino cessauerit. Ratio est, quia illud suffragiū, vel oratio per se præcipitur propter fructum eius, & non vt onus alicuius temporis: nam licèt fortasse designata fuit certa dies, vel hebdomada, nō fuit ad extinguendam obligationem, sed ne ampliùs differretur eius solutio; & ideo si tunc non impleatur, non extinguitur obligatio, sed deinceps continuè, ac vehementius vrget. Dixi, *voluntarie*, quia si eo in mense vel hebdomada, &c. ægritudine, nauigatione, aut alio legitimo impedimento suffragia persolui nequiuerunt, non videtur vrgere præterea obligatio, cum alia, vertente mense, hebdomada, &c. recurrat, nec prior suo tempore expleri potuerit; sic enim tranfire cum onere videtur.

VII.

Alia dubitatio hìc specialis est de horis canonicis, an professus Societatis ex vi suę professionis teneatur recitare officiū canonicū. Dico, ex vi professionis nā ex vi sacerdotij, vel sacræ ordinationis, quæ ordinario iure supponitur in professis Societatis, vt lib. 6. c. 1. nu. 4. notauimus, manifestum est teneri, quia verò absolutè loquendo professio potest ab ordinatione sacra separari, ideo de obligatione, quam ipsa professio ad hoc inducit, inquirimus.

VIII.

Et ratio dubij esse potest, quia cæteri religiosi professi tenentur diuinum officium recitare, vt est certa communis sententia: sed professi Societatis nullo speciali iure hac obligatione liberãtur: ergo. Nihilominus dicendum est, religiosos Societatis, etiã professos ex vi professionis non teneri ad diuinum officium recitandum, ita vt, si quis fuerit professus, & non ordinatus in sacris, hoc onere non teneatur. ita colligitur ex Bullis Pontificiis : nam in Bulla 1. Pauli III. cum limitatione dicitur, *Socij omnes quicunque in sacris fuerint teneantur priuatim ad dicendum officiũ secundum Ecclesiæ ritum.* Vbi sermo est de omnibus sociis, siue professis, siue non professis; qui ergo in sacris non fuerint, non tenentur. Et ideo in Bulla Iulij III. dicitur, *Socij omnes, cum presbyteri esse debeant, ad dicendum officium teneantur.* Vbi sociorum nomine, quasi per antonomasiam soli professi significari videntur: nam illi regulariter & secluſa dispensatione presbyteri esse debent , & tantum hoc titulo tali præcepto obligari dicũtur: ergo ratione solius professionis, ad hoc non tenentur.

IX. Ratione idem probatur, quia alij religiosi, vt latè ostendi tract. 4. lib. 4. de horis can. cap. 17. non tenentur recitare officium canonicum, ex vi professionis tantùm, sed adiunctã cõsuetudine, quæ præcipuè orta videtur ex obligatione, quam habẽt recitandi communiter officium in choro: sed in Societate non est talis cõsuetudo, neque etiam fundamentum eius ergo. maior & communiter recepta est, vt videre licèt in Caietano verbo *Horæ canonicæ*, quem sequitur Soto lib. 10. de Iustitia. q. 3. art. 3. Medina Cod. de Pœnit. tract. 6. de oratione q. 7. circa finem, Palacios in 4. d. 15. disp. 9. Castro lib. 1. de lege pœnali 8. Et ratione patent, quia religiosus ex vi professionis solùm tenetur ad ea quę vouit, & præsertim ad obedientiam secundùm regulam; non vouet autem religiosus dicere diuinum officium: ergo si in regula distinctè non præcipiatur sub obligatione peccati, nulla est iure communi obligatio, nisi ratione consuetudinis. Vnde fit, vt fateantur omnes, non teneri hac obligatione nisi religiosos ad chorum deputatos, non verò eos, qui laici dicuntur, etiamsi verè professi, & religiosi sint: non ergo nascitur illa obligatio ex professione vt sic, neque etiam nascitur ex eo quòd religiosi viuunt ex eleemosynis, vt Castro cũ alijs sentit; id enim rectè impugnat Soto, quia nullo iure hæc obligatio annexa est eleemosynis, neque etiam eo titulo petuntur, aut tali intentione dantur à fidelibus, quod maximè verum habet in religiosis Societatis, qui ad alia ministeria longè diuersa aluntur à fidelibus. Iam ergo probatur minor propositio; nam quod attinet ad consuetudinem de religiosis nondum professis, nota res est; de professis autem vix potest in Societate considerari ; quia nulli sunt professi quatuor votorum non Sacerdotes; rari autem sunt, qui ante ordinem sacrum professionem trium votorum emittant, & in illis consuetudine receptum est, vt non obligentur. Fundamentum etiam contrariæ consuetudinis in Societate deest, quia professi in illo choro non deputantur: ergo quoad hoc reputandi sunt sicut religiosi laici aliarum religionum. Cur autem hæc obligatio nostris non imponatur ante sacros ordines, ratio sumenda est ex his, quæ diximus suprà lib. 1. c. 8. cur Societas choro non vtatur, videlicet, vt religiosi liberiores sint ad studia, lectiones, & alia Societatis munera, vt tetigit etiam Gregorius XIII. in Bulla anni 73. quæ incipit, *Ex Sedis Apostolicæ.*

X. *Exponitur priuilegium anteponendi, & postponendi.* Vltimò pro his, qui ratione ordinis tenentur officium canonicum recitare, præter illa, quæ sup. tract. 4. lib. 4. de horis canon. c. 27. à num. 3. tradidimus, notanda hic sunt nonnulla priuilegia à Summis Pontificibus concessa. Vnum continetur in 2. Bulla Iulij III. vbi refert, ante fuisse concessam Societati *facultatem, & licentiam anteponendi, & postponendi diuinum officium.* Quæ fortasse viuæ vocis oraculo concessa fuit, nam in prioribus Bullis non inuenitur, ibi autem ab ipso Iulio confirmatur. Hoc autem indultum intelligendum est, de antepositione, & postpositione intra tempus legitimum eiusdem diei naturalis, vel Ecclesiastici, seruata proportione ad ipsas horas canonicas, iuxta Ecclesiæ consuetudinem ; nam postponere horas in alium diem, nunquam permissum est in Ecclesia, & ideo generalis confessio non debet, nec potest ad hoc extendi, & idem est de antepositione ; præsertim quoad horas minores, nam matutinum anteponitur, etiam ante initium diei naturalis, recitari enim potest ad finem vesperæ præcedentis diei, & ideo de illo est specialis concessio paulo infrà explicanda. Deinde vt hoc priuilegium aliquid operetur, intelligendum est, virtute illius, posse hoc sine culpa fieri, etiamsi in particulari specialis causa ad excusandum sufficiens non intercedat. Vt enim ex propria materia in citato loco de horis canonicis suppono, hæc temporis circumstantia non est adeo grauis in priuato officio recitando, de quo hic sermo est, vt eius mutatio, etiã sine causa facta, sufficiat ad culpam mortalem. Vnde facile potest ex rationabili causa, licèt non admodum graui, excusari omnis culpa, si ergo hæc causa semper expectanda esset, parum aut nihil operaretur hoc priuilegium : conceditur ergo per illud generalis facultas etiam non expectata alia causa.

XI. Dices illicitam esse talem dispensationem sine causa. Respondetur, licet in particulari cesset causa immutandi tempus non cessare causam dispensationis, seu priuilegij, nam hæc sumitur ex generali causa religionis, propter varias, & frequentes eius occupationes, & vt tollantur scrupuli in particulari. Per hoc tamen non tollitur naturalis quædam obligatio seruandi debitum ordinem, & modum in nostris actionibus, & ideo quamuis non requiratur semper causa per se sufficiens ad excusationem, saltem requiritur rationabilis causa sic operandi, qualis maximè erit , quam explicat Iulius Pontifex suprà, dicens, *Vt quietius, & deuotius in humilitate spiritus Altissimo possitis gratum præbere famulatum.*

XII. De matutino verò exstat specialis concessio Pij V. facta Minoribus, qua nostri possunt per communicationem gaudere, vt scilicet possint sine scrupulo pridiè, ante Solis occasum illud recitare. Ita refertur in compendio nostrorum priuilegiorum, verbo *Horæ canonicæ* §. 3. & eandem referunt moderni scriptores Vera Cruz & Emanuel Rodriques, qui addunt *ante Solis occasum dicto completorio.* Sed quoad hanc partem, si sequamur opinionem D. Thomæ suprà à nobis explicatam, nullum ferè est priuilegium hoc, nam ex communi consuetudine hoc licet, sed priuilegium dari potuit, vt magis sine scrupulo fiat; quod in verbis eius indicare videtur. Additur præterea in eadem concessione, & habetur in illo nostro priuilegio §. 2. vt omnes horæ, etiam cõpletorium possint anteponi, seu recitari hora matutina eiusdem diei, ratione itineris, vel alterius occupationis. Quod priuilegium, quod ad nos spectat, in prima concessione Iulij existimo esse contentum, nam indefinitè loquitur de hac anticipatione, tam ex parte temporis, quam ex parte horarum canonicarum, nec est cur à nobis limitetur.

XIII. Vnde in hoc differt ab alia concessione Leonis X. facta Minoribus circa hanc anticipationem, vt habetur in supplemento, concessione 128. quæ ex parte magis ampla, & ex parte magis stricta videtur; Nam de matutino ait, vt illud possint dicere ante mediam noctem, quacunque hora voluerint, quæ videtur

videtur nimia licentia, sed restringenda est, vel ad quamcumque horam eiusdem noctis, vel saltem ad quamcunque horam diei Ecclesiastici, qui quoad hunc effectum, finito completorio incipit computari. De aliis autem horis dicit, *& alias horas de mane vsque ad vesperas exclusiue*. In quibus verbis ambiguum est, quid vesperarum nomine significetur, potest enim significari, vel quædam pars, seu hora officij canonici, iuxta communem modum loquendi Ecclesiæ, vel ipsum tempus promeridianum, iuxta vsum scripturæ vulgariter etiam retentum. Si ergo sumatur priori modo, ibi non conceditur facultas anticipandi vesperas, ita vt ante prandium dici possint, estque valde restricta concessio: si autem sumatur posteriori modo, sensus erit vt omnes horæ minores possint anteponi, & mane recitari, vel postponi, & recitari vesperi, & sic ferè eadem est concessio. Sic autem vix intelligo ad quid addita sit illa particula *exclusiue*, & ideo prior sensus videtur magis intentus, & fortasse ob eam causam Pius V. explicauit eam extensionem, *vsque ad completorium*. Potest etiam in illo indulto Leonis notari alia restrictio: quia solùm conceditur hæc facultas, *quando religiosi habent alias occupationes*; inferiùs verò ita hoc exponitur, vt recidat in sensum suprà à nobis explicatum, & illũ confirmare videatur: ait enim, *etiamsi occupatio non sit multum necessaria, sed satis est quod cogitent nunc deuotius & & quietius dicere.*

CAPVT III.

Vtrum ad frequenter celebrandum, vel communicandum, religiosi Societatis speciali ter obligentur?

INter exteriora media, quæ ex se vim habent sanctificandi, & vniendi animam Deo, primum ac præcipuum est sacrosanctum Eucharistiæ sacramẽtum, quod duplicem vsum habet; sacrificij scilicet, & sacramenti, & de vtroque breuiter dicendum est, tam pro sacerdotibus, ad quos spectat hoc sacrificium celebrare, quàm pro aliis omnibus non sacerdotibus, qui Missam audire & communicare possunt & debent.

I. Primò ergo circa celebrationem Missæ duo illa vulgaria puncta distingui possunt, scilicet, exercitij actus, & specificatio, seu modus eius, nam de vtroque aliquid in constitutionibus Societatis ordinatum est, & aliquid in priuilegiis est cõcessum, quod breuiter explicandum est. Et inprimis de exercitio, seu frequentia celebrationis statuitur, vt Missæ sacrificium *crebrius* quàm octauo quoque die à sacerdotibus offeratur, ita in examine c. 4 §. 25. in 6. verò p. constitut. c. 3. §. 2. solùm dicitur, ne vltra octo dies differatur: *sine causis iudicio superioris legitimis*. Verùm hæc negatiò per priorem affirmationem explicanda est; nam intentio statuentis reuera fuit commendare hanc frequentiam, vnde in eodem loco generaliter dixit, sacramentorum *frequentia valde cõmendetur*, & in tertia regula sacerdotum dicitur, vt *ita viuere studeant, vt merito quotidie celebrare possint*. Non fuit autem hæc frequentia omnino determinata, ac præscripta, quia minorem quàm quotidianam, non expediebat definire: nam viris religiosis non est minor cõsulenda, cùm hæc per se melior, ac perfectior sit, & ad maiorem Dei gloriam, totiusque Ecclesiæ vtilitatem pertineat. Totam autem illam sub regula ponere non oportebat propter varias causas, & occasiones eam intermittendi, quæ moraliter occurrere possunt: & ideo consultius visum est solum generatim consilium huius frequentiæ indicare. Quo factum est vt tam recepta consuetudine in Societate hoc obseruetur, vt non nisi raro, & ob extraordinariam causam, quotidianum sacrificium omittatur, & hæc de primo puncto.

Primũ punctum pro priori parte tituli de frequenti celebratione.

Circa punctum aliud, ad specificationem actus, pertinere censemus modum tam internum, quàm externum, decenter, ac religiosè offerendi hoc sacrificium. In quo præterea, quæ communia sunt omnibus sacerdotibus, & sub præceptum cadunt, de quibus tom. 3. de Sacramentis disp. 81. & sequent. dictum est, peculiare est Societati, vt pro ministerio nullum stipendium temporale, etiam per modum eleemosynæ accipiat. Per quod (vt alias rationes suprà lib. 4. cap. 7. à numer. 8. tactas omittamus) ablata est omnis occasio offerendi hoc sacrificium intuitu etiam secundario alicuius commodi temporalis, sed solùm propter Dei gloriam propriam sanctificationem, Ecclesiæ, & proximorum spirituale auxilium, quæ est vna ex perfectissimis circumstantiis, quæ ad perfectum modum exercendi hoc ministerium pertinere possunt. Deinde adiungẽda est interna præparatio per cordis munditiam, & alias congruentes dispositiones: quæ res tota hoc vnico verbo proponitur in illa regula 3. Sacerdotum nam post verba citata, *Ita viuere studeant, vt quotidie meritò celebrare possint*, addit, *ad idque conducet, (quantus ex constitutione octauo vt minimum quoque die confiteri teneantur) sæpius in hebdomada confiteri*. Tandem pro externo ritu ita statuitur. 4. p. Constit. c. 8. §. 2. *In ratione Missæ dicendæ, vt præter intelligentiam, & deuotionem internam, decentem etiam habeant exteriorem modum, omnes instituantur*. Quod in regula 4. Sacerdotum magis explicatur quoad pronuntiationem, & temporis moram, quæ & propriæ deuotioni satis fit, & aliis non fit onerosa, sed potiùs ædificationi: & in vtroque loco de cæremoniis Missæ ordinatur, vt Societas accuratè obseruet ritum, quem Apostolica sedes pecuhariter approbauerit: vnde etiam fiet, quod in dicta constitutione & aliis valde commẽdatur, vt nostri Sacerdotes inter se vniformitatem in Missa dicenda teneant, quod etiam inter media ad vnionem charitatis ponitur 8. p. Constit. c. 1. §. 8. Nam cum religio per se primò Sacerdotum sit, vt lib. 1. cap. 5. diximus: meritò in eo munere, quod inter Sacerdotalia maximum est, præcipuam curam, & diligentiam adhibere debet.

II. *Secundum punctum pro eadem parte tituli. de modo, seu qualitate actus.*

Occurrebat statim dicendum de his, pro quibus Missæ in Societate dicendæ sunt ex obligatione regulæ. Sed in hoc, præter obligationem offerendi sacrificium pro defunctis, vel sociis, vel fundatoribus nostris, de quibus in Constitutionibus mentio fit, nulla est alia ordinaria obligatio, nisi superiores illam imponant. De qua tota obligatione constat nõ transcendere ordinariam regulæ vel obedientiæ obligationem, iuxta dicta in c. præcedente, quæ hic applicari possunt. Solùm oportet obseruare, si alicubi hæc obligatio suffragiorum susceptæ sit, vt annexa alicui Ecclesiæ, vel monasterio, quod à Pontifice Collegio alicui Societatis vnitur; tunc obligationem implendi illud onus esse rigorosam, & de iustitia, quia res transit cum onere suo: illud autem onus erat tali rei coniunctum: ergo cum illo transiuit ad Societatem; seu sicut Societatis Collegium susceptit tales fructus, & commoda, ita etiam & tale onus, & eandem obligationem: iustum est enim, vt qui sentit commodum, sentiat & onus. Nec aliud posset iustè fieri: nam licèt Papa per modum commutationis posset illud onus auferre, contentus aliis oneribus Societatis; tamen nisi expresse id declaret, non præsumitur, nec fortasse fieri potest sine grauissima causa. quia verò talis obligatio est aliena ab instituto, & modo Societatis, ideo etiam rarò suscipitur, & non sine Pontificis facultate.

III. *Quousque ad hanc obligationem suffragia nostri sacerdotes obligentur.*

IV. *Priuilegium celebrandi ante recitatum matutinum officium.*

Atque hinc intelligitur meritò Apostolicam sedem aliqua concessione priuilegia Societati, ad hoc ministerium pertinentia, vt facilius & frequentius fieri posset. Duo verò præcipuè sunt notanda. Vnũ est quo conceditur religiosis Societatis vt possint diuinum

diuinum officium Missæ postponere, seu quod idē est Missam dicere, Matutino aut Prima (de aliis enim horis nulla erat difficultas) nondum recitatis. Ita concedit Iulius III. dicta Bulla 2. his tamen verbis, quæ non parum scrupuli ingerere videntur. *Vt tu* (inquit ad Præpositum generalem) *& pro tempore existentes religiosi Societatis huiusmodi, ex legitimis, ac iustis causis, in quo tuam, & successorum tuorum præpositorum generalium pro tempore existentium, & aliorum, quos ad hoc substituueris conscientiam oneramus, officium ipsum celebrationi Missæ libere, & absque conscientiæ scrupulo postponere possitis.* Ex quo tenore verborum colligitur primò. Pontificem per hæc verba non concedere omnibus de Societate immediatè hanc facultatem, sed solùm de licentia Præpositi generalis, vel alterius, quem ad illam cōcedendam ipse substituerit, alioqui non horum tantùm, sed omnium conscientiam grauaret. Et ita in Compendio priuilegiorum verbo *Horæ canonicæ* §. 1. additum est à P. N. generali; *Hac facultate dum opus fuerit vti potuerunt itinerantes, reliqui verò ex concessione superioris.* Quamuis enim ex declaratione Gregorij XIII. religiosi Societatis vti nō possint facultatibus & priuilegiis à Pontificibus Societati concessis, nisi de licentia superiorum: nihilominus in hac facultate, ex speciali forma & modo illius hoc est necessarium.

V. *Quid in eo concedatur.*

Deinde difficile est intelligere, quid peculiare cōcedat hoc priuilegium, nam ex legitima causa, sine priuilegio hoc fieri potest iuxta probabiliorem sententiam quam amplexi sumus to. 3. in 3. p. tractando de sacrificio Missæ, disput. 82. sect. 1. & suprà tract. 4. lib. 4. cap. 27. hic autem solùm fit concessio ex legitimis, aciustis causis, & cum tanta exaggeratione, vt dicat Pontifex superiores teneri in conscientia ad eas examinandas, & expendendas, atque adeò ad non facile concedendam hanc facultatem. Vnde quis existimare potest, Pontificem in hac cōcessione multum fauere opinioni Nauarri asserentis esse peccatum mortale Missam dicere ante recitatum matutinum. Sed hoc necessarium non est, nec satisfacit; nam idem Nauarrus tract. de horis canonicis cap. 21. num. 30. suam opinionem limitat, ne procedat, quando aliqua iusta de causa hoc fieret: ergo si Pontifex hic requirit iustam causam, nihil concedit: dicendum ergo est in primis non esse necessariū, vt priuilegium aliquid concedat præter commune ius certum, sed satis esse; vt quando ius est dubium detur ad tollendos scrupulos, vt in simili adnotauit Nauarrus de oratione c. 19. concluſ. 9. num. 87. & hic insinuatur; cùm dicitur, *absque conscientiæ scrupulo.* Deinde dicitur, quamuis Pontifex hic postulet iustam causam, non oportere intelligi de tota causa, quæ iuxta opinionem Nauarri necessaria est ad interpretationem faciendam; minor enim sufficiet, etiam iuxta illam opinionem, adiuncto priuilegio.

VI. *De priuilegio celebrādi ante auroram.*

Aliud priuilegium specialiter concessit Gregor. XIII. presbyteris Societatis, quod refertur in compēdio priuilegiorum, verbo *Missa* § 3. scilicet, vt per horam ante auroram, vel infra horam post meridiem possint ex legitima causa, & de licentia Præpositi generalis, vel alterius ab eo deputati, Missam celebrare. per quam magis explicatur similis concessio facta à Paulo III. in Bulla, *Cùm inter cunctas*, anni 1545. Quod priuilegium parum etiam concedere videtur, quia ex causa iusta, absque speciali priuilegio id fieri potest; vt est communior sententia Doctorum, vt latiùs dixi in 3. tom. 3. p. disp. 80. sect. 4. vbi etiam priuilegium hoc generaliter explicaui, & ex ibi dictis constat, quoad anticipationem multū posse operari hoc priuilegium, quia intelligendum est de vna hora ante totum illud tempus auroræ, in quo iure ordinario potest Missæ sacrificiū inchoari: & licèt fortasse in aliquo raro casu, per epicheiā, possit absque priuilegio id fieri, rarò tamen & non sine extraordinaria causa, & necessitate, virtute autem huius priuilegij frequentius id fieri potest, & ex communibus causis; vt gratia itineris, vel propter commoditatem communicādi infirmum, vel aliam similem, etiamsi necessitas magna non sit.

Dices, esto hoc non liceat iure communi; tamen Episcopus potest in hoc dispensare, vt est communis sententia, quam loco citato retuli: ergo etiam superior Societatis, qui habet iurisdictionem quasi Episcopalem, suo iure posset hanc dispensationem concedere sine hoc priuilegio, nihil ergo denuò cōcedit. Quod ita fatetur Emanuel Rodericus p. 43. art. 2. & 3. Dico tamen priuilegium hoc semper operari, vt superior facilius, & ex minori causa, & certius, magisque sine scrupulo possit hanc licentiam dare, quàm sine priuilegio posset. Hæc enim est optima ratio interpretandi huiusmodi priuilegia, iuxta cap. *in his*, de priuilegiis, cum similibus. Denique aduerto constitutionem 2. Pij V. quæ incipit, *Sanctissimus in Christo Pater.* qua reuocauit facultates huiusmodi, nihil obstare huic priuilegio, quia concessio Gregorij posterior est. VII. *Obiectio.* *Solutio.*

Alia etiam sunt priuilegia Societati cōcessa, pertinentia ad hoc sacrificium, quantum ad altare, vel locum in quo celebrandum est, vt quod possint celebrare in priuatis oratoriis approbatis à Prouincialibus, ex concessione Gregorij XIII. in Bulla, *Ad perpetuam rei memoriam*, anni 1575. Item quòd in missionibus possint vbique celebrare in altari portatili, dummodo locus decens sit, ex concessione eiusdem Gregorij in Bulla, *Vsum altaris*, anni 1579. Sed hæc priuilegia sufficienter à nobis exposita sunt in 3. tom. 3. p. disp. 8. sect. 3. Quæ omnia (vt dixi) eo præcipuè tendere videntur, vt nostri religiosi, quoad fieri possit, non impediantur à quotidiano viu, & frequentia huius altissimi sacrificij. Sunt verò alia, quę respiciunt commodum proximorum, vt facultas bis in die celebrādi in remotissimis regionibus, vbi pauci sunt sacerdotes, & ideo vnus plurium populorum curam suscipere cogitur, in Bulla vltima Pauli III. & alia, quæ per se facilia sunt, & ideo de hoc sacerdotum officio hæc sunt satis. VIII. *Alia priuilegia.*

Qua frequentia communicare debeant religiosi Societatis, qui sacerdotes non sunt.

Superest vt de non sacerdotibus dicamus, quatenus hoc sacrificium, & fructum eius participare possunt, in quo omnes religiosi Societatis æquipārantur, siue coadiutores temporales sint, siue scholares, & siue aliquem ordinem sacrum habeant, siue nullum. Potest autem laicus participare hoc diuinum mysterium, tam vt sacrificium, audiendo Missam, vel ministrando in ea, quàm vt sacramentum communicando, & vtroque modo obliganturreligiosi Societatis non sacerdotes, ad aliquid speciale ex vi suæ regulæ. Nam inprimis tenentur omnes diebus singulis Missæ sacrificio interesse, siue ministrando, siue audiendo 4. p. constit. c. 4. §. 3. & 4. & in regulis communibus reg. 2. *Omnes quotidie sacro decenter interfint.* De qua regula nihil dicere oportet, cū non sit specialis Societatis, sed valde communis, ita vt non solùm à religiosis, sed etiam à mediocribus Christianis obseruetur cum commode potest. Præscribitur autem superioribus localibus in suis cuiusque regulis, Præpositi 49. & Rectoris 45. vt dictā regulam faciant obseruari. IX. *Dē participatione sacrificij.* X. *De participatione aliorum spiritualium.*

De altera verò parte, scilicet, communione huius diuinissimi sacramenti, commune etiam est, vt religiosi ex visui status frequentius communicare debeant. Nam in Clem. 1. §. *Iane*, de statu monach. singulis mensibus iniūgitur monachis communio, & quod ad omnes religiosos extendunt Glossa ibi, & Cardin. *Frequentia communionis.*

Cardin. quæst. 3. & 4. & alij. Citatur etiam Oldradus cons. 122. & de monialibus expressè Trident. sess. 25. de regularib. cap. 10. An verò hæc obligatio sit ex proprio præcepto, vel solùm per modum simplicis ordinationis, nunc non disputo, videantur quæ dixi in 3. tom. disput. 70. sect. 2. Vltra hoc commune ius, aliquæ religiones frequentiorem vsum huius diuini Sacramenti obseruant: nam D. Hieronymus in regula monialium (si illius est) cap. 19. statuit vt bis in mense, vel sæpius communicent, & similiter in cõstitutionibus Minorum factis à Guiliel. Freder. c. 4. & à Ioan. Capistr. c. 7. statuitur, vt decimo quinto quoque die fratres, in conuentuali Missa communicent.

Vide Azor. tom. 1. lib. 7. c. 40.

Frequentia bis in mẽse.

XI. *Frequentia singulis hebdomad. in Societ.*

Societatis autem constitutio octauo quoque die communicare præcipit, Reg. 6. in summar. constitut. *Confiteantur oportet, & sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ accipiant octauo quoque die.* & habetur in exam. cap. 4. §. 25. vbi additur limitatio, *nisi confessario aliquod esse ad communionem impedimentum videretur.* Quod non solùm de impedimento necessario intelligendum est, id enim addere non oportebat, sed etiam de quocunque genere impedimenti, ratione cuius consultius videatur communionem differre. Itaque qui consilio seu iudicio confessoris communionem differt, contra regulam non facit: idemque est de iudicio superioris, vt expressè declaratur 3. p. constit. cap. 1. §. 11. vbi dicitur: *Nisi aliqua de causa aliud superiori videretur.* Est autem ibi notanda particula, *saltem*, cùm dicitur, *& octauo quoque die saltem ad confessionis, & communionis sacramentum accedant*, nam per dictam particulam indicatur, hanc debere esse minimam frequentiam, & consequenter insinuatur maiorem non denegari, sed permitti. Tamen in 4. p. constit. c. 4. §. 3. hoc amplius explicatur in declaratione lit. B. *frequentius* (dicitur ibi) *quam octauo quoque die communicare: non nisi peculiares ob causas, & potius necessitatis, quàm deuotionis habita ratione, permittitur.* Sed in hoc loco sermo peculiariter est de scholaribus, qui propter occupationem, vel distractionem studiorum non permittunt frequentius communicare, nisi cum dictis limitationibus. In priori autem loco generalior sermo est de his, qui in probationibus versantur, & ideo non tanta limitatio adhibetur. Et similiter in 6. p. constit. cap. 3. §. 2. vbi etiam generalis est sermo de omnibus iam Societati incorporatis, solùm negatiuè dicitur; *Differri autem non debet communio vltra octo dies*, & ita declaratur, in regulis Rectoris reg. 34. vbi adduntur duo. Primum cum scholasticis dispensari posse, vt diebus solennibus, etiam communicent, cuiusmodi sunt festa Apostolorum, & maiora alia. Secundum vt coadiutoribus, & his qui literis non dant operã, longe faciliùs concedi possit, vt intra hebdomadam communicent.

XII. *Octo dierũ frequentia antiquitati consona.*

Hæc ergo frequentia octaui diei inuiolabili ferè consuetudine recepta est, ita vt rarissimè illa exceptio, *nisi confessor, vel superior aliud iudicet*, ad votum applicetur, nisi causa ægritudinis: atque etiam tunc, quoad fieri potest, procuratur, vt communio infirmorum vltra octo dies non differatur, vt in regula 13. infirmarij præcipitur; estque hic mos antiquorum monachorum moribus consentaneus, nam licèt separatis in cellulis habitarent, saltem dominicis diebus ad Ecclesiam conueniebant, vbi de manu præsidentis Eucharistiam accipiebant, vt ex historia Palladij colligitur, cap. 38. de Pachomio & sociis, & cap. 59. & 61. de aliis: & ex Sozomeno lib. 3. Historiæ, cap. 14. Hinc Cassianus collat. 23. cap. vlt. reprehendit monachos, qui specie timoris, & reuerentiæ multum differunt communionem: *Aestimantes* (inquit) *non nisi iustos & immaculatos debere præsumere, & non potius vt sanctos, mundosque nos sua participatione perficiant: qui profecto* (ait) *maiorem arrogantiæ præsumptionem, quam declinare sibi videntur, incurrant, quia tũc cum ea percipiunt dignos se eius perceptione diiudicant: multo enim iustius est, vt cum hac cordis humilitate, qua credimus, & fatemur illa sacrosancta mysteria, nunquam pro merito nos posse contingere, singulis ea dominicis ob remedium nostrarum ægritudinum præsumamus*, &c. Et ita etiam receptum est in ordine Cistertiensi, cap. 25. suarum definitionũ. Ac denique de sancto Onuphrio refertur quòd singulis dominicis diebus de manu Angeli communicaret, Volaterran. lib. 17. Sabelli. lib. 2. cap. 2. Idem consilium communicandi singulis hebdomadibus, fuit ab Augustino traditum epist. 118. ad Ianuar. & nomine eius habetur in lib. de Eccles. dogmat. cap. 53.

Vide thesaurum vitæ hum. ex Marullo l. 4. c. 12. Maclum l. 1. c. 10.

Et licet olim maior frequentia fuerit in vsu fidelium, non solùm Apostolorum temporibus, vt ex Actibus constat, viderique potest de eo Lorin. c. 2. versu 41. à §. *deinde sequitur*, vbi alios adducit; sed etiam postea per plures annos, vt ex Anaclet. c. *peracta*, de consecr. d. 2. Hieronym. Apolog. contra Iouinian. & epistola ad Luciniam, Chrysost. homil. 5. in epist. ad Timoth. & 28. in 1. ad Corinth. Cyprian in expositione orationis Dominicæ. Ambros. lib. 5. de sacram. cap. 4. & aliis antiquis Patribus intelligimus: nihilominus his frigidis temporibus, hæc frequentia satis magna iudicatur, vt etiam attigimus disp. 69. de sacram. sect. 4. concluf. 3. præsertim pro tota aliqua communitate. Nam D. Bonau. tom. 2. de processu relig. cap. 21. col. 4. vix dicit inueniri aliquem religiosum non sacerdotem, adeò sanctum, cui non sufficiat semel in hebdomada communicare, nisi ex speciali causa, vel in aliqua solennitate, vel extraordinaria deuotione. Ergo toti communitati religiosæ hanc frequentiam non solùm permittere, sed etiam ex regula præcipere satis magna concessio est: fuit autem huic nostræ religioni valde conueniens, tum propter generalem rationem, quia hoc sacramentum est fons totius sanctitatis, & perfectionis, tum ob specialem necessitatem huius status; nam ad securius tractandum cum proximis, indiget maiori frequentia, maiorique vnione cum Christo; tum præterea, quia cum Societatis institutum sit proximos ad frequentiam sacramentorũ mouere, expedit maximè vt ipsa exemplo præeat: tum denique in odium hæreticorum huius temporis, qui de hoc sacramento, eiusque frequentia malè sentiunt.

XIII. *Hæc frequentia nunc accommodatior.*

Ratiões eius in Societate.

CAPVT IV.

Vtrùm confessionis vsus, & frequentia conuenienter sint in Societate instituta: ac primum de generalibus confessionibus.

I. *Frequens confessio cõmendata.*

QVòd frequentia huius sacramenti in quolibet statu vtilissima sit, per se notum est: maximè verò in statu religioso, vbi maior puritas animi postulatur, & faciliùs etiam potest frequentissimè confessio fieri. Vnde quoad hanc partem nullus est, qui non maximè laudet Societatis institutum: ex vi cuius debent omnes nõ sacerdotes, octauo quoque die confiteri cap. 4. exam. §. 25. 3. p. constit. c. 1. §. 11. 4. p. c. 4. §. 3. sacerdotes etiam debent, vt minimum octauo quoque die confiteri, vt in eodem loco examinis dicitur. Additur verò in regula 3. sacerdotum, quòd licèt ex constitutione ad hoc tantùm teneantur, attamen *conducet sæpius in hebdomada confiteri.* Quæ verba sufficiunt, vt pro regula id positum esse intelligatur ei, qui semel facere decreuit, quod melius est. In his ergo frequẽtię consiliis, nulla est difficultas, nã talis frequentia, sine dubio laudabilis est: imò interdũ Patres maiorem cõsulunt:

Bona-

Bonauent. enim in regula nouitiorum c. 3. circa finem, etiam quotidianam consulit; sed aliud est de consilio particulari, aliud de regula pro tota communitate posita, in qua prædicta frequentia, est fine dubio sufficiens, & in tali statu secundùm prudentiam, necessaria. Nihilominus tamen in quibusdam circumstantiis, quæ circa hunc vsum præscribuntur, nonnulli impegerunt.

II. *Confessionũ generalium annua vel semestru in Societate repetitio.*

Primò, in eo quòd confessionis generalis vel totius vitæ, vel annuæ, vel semestres exiguntur, c. 4. Exam. §. 10. & 41. vbi in primo loco postulatur confessio generalis totius vitæ; & postea, sexto quoque mense, ab vltima generali inchoando. Et idem repetitur 6. p. constit. c. 1. §. 2. & in summario §. 5. Et ratio est, quia nemo obligari potest, vt peccata semel ritè confessa iterum confiteatur, vt ex tractatis in tomo de pœnitentia disp. 18. sect. 4. num. 8. suppono. Propter quod aliqui moderni autores reprehendũt simile statutum Cistertiensis ordinis, vt Dionys. Cistertien. in 4. d. 23. Ledesma 2. p. 4. q. 8. dub. 10. Palac. d. 17. disp. 7. col. 4. simile dubium nascitur ex alio statuto nostrarum constit. 3. p. cap. 1. §. 20. lit. G. & in summario §. 6. quo decernitur, vt, si aliquis interdum alteri, quàm ordinario confessori suo confiteatur, debeat cùm primùm ad ordinarium redierit, integrè omnia confiteri, ab vltima confessione, quam illi fecit; quod intelligitur etiamsi confessiones intermediæ, ex legitima facultate factæ sint; in qua virtute præcipitur iterata confessio earundem culparum.

1. obiectio contra hanc repetitionẽ.

Altera obiectio.

III. *Ad 1 obiectionem in num. præced.*

His verò obiectionibus satisfacere difficile non est, si generalia principia sacramentalis confessionis probè teneantur. Primùm enim constitutiones hæ, non vt rigorosa præcepta, sed vt regularia consilia de meliori bono proponuntur. Nam de his cõstitutionibus sæpè dictum est, nõ obligare per modum præcepti. Vnde ratio harum confessionum generalium in eis redditur; *propter multiplicem spiritus vtilitatem, quæ in ea re deprehenditur.* Et iterum, *propter magnam eius rei vtilitatem parati esse debebunt.* Non ergo præcipitur vt res necessaria, sed consulitur, vt vtilis; de qua vtilitate nemo scriptorum dubitat, vt videre licet in D. Thoma 4. d. 17. q 3. art. 4. q. 5. Caiet. tom. 1. Opusc. tract. 5. q. 4. Sylvest. *confessio.* 1. q. 3. Medina C. de confessione 9. de vtilitate iterandi confessiones. Vnde S. Bonauent. in regula nouitiorum c. 3 in fin. monet religiosum, vt annuatim generaliter confiteatur. Et Benedictus XI. in Extrauag. *Inter cunctas. §. cæterum,* de priuilegiis, dixit, licèt non sit necessarium, esse tamen salubre, saltem propter erubescentiam, quæ magna est pœnitentiæ pars. Quod eadem ratione testatur Augustin. cap. *quem pœnitet,* de pœnitentia d. 1. præter quam rationem, sunt etiam aliæ, quas in tomo de pœnitentia prosequuti sumus.

IV. *Instantia occurritur.*

Quia verò dicere quis potest, religiosam regulam, non vtcunque esse consilium voluntarium, sed aliquam necessitatem inducere, vel decentiæ cuiusdam, vel etiam alicuius pœnæ: addimus vlteriùs, quamuis absolutè, & omnino ab extrinseco nemo cogi possit ad iteratam confessionem, posse tamen suppositò priori consensu per votum, promissionẽ, aut pactum, vt est communis sententia, quam loco allegato tradidimus, viderique possunt Maior 4. d. 17. q. 6. Henric. quodlib. 7. q. ad 1. in contrarium. Medin. C. de confess. q. de confess. fratris ex priuil. facta, dub. penult. Nauar. c. *placuit,* de pœnit. d. 6. num. 18. cap. *fratres,* de pœnit. d. 5. n. 30. Gerson Alphab. 25. lit. F. In præsenti autem interuenit proprius consensus, per quem voluntariè acceptatur illa qualiscũque obligatio regulæ: nam ille, qui Societatem ingreditur, liberè ingredi vult, & sub ea conditione recipitur, vt per confessionem generalem debeat ad illum statum præparari. Et eodem modo voluntariè se subdit aliis constitutionibus præcipientibus confessionem generalem singulis annis, vel sexto quoque mense, non solùm quatenus confusè volunt profiteri hunc statum secundùm suam regulam, quod satis est; sed etiam, quia statim in principio ingressus, illis legendum datur institutum, & compendium constitutionum, & regulæ communes, vbi hoc expresse continetur, vt suprà visum est tractando de ingressu Societatis. Atque hac ratione simile statutum Cistertiensium approbatum est à Summis Pontificibus, vt Nauar. refert dict. c. *placuit,* de pœnitent. d. 6. n. 18. à quibus nostræ etiam constitutiones confirmatæ sunt. Cistertienses etiam dicuntur habere simile statutum annuatim generaliter confitendi. Et paulo inferiùs alias similes consuetudines aliarum religionum referemus.

V. *Ad 2 obiectionem in num. 2.*

Vnde patet etiam responsio ad alteram obiectionem, quia etiam illa constitutio proponitur per modum regulæ religiosæ, & voluntariè acceptatur. Nec enim existimo per illam imponi obligationem rigorosam in conscientia, seu ex vi præcepti, quia tantùm est simplex quædam constitutio. Dices, qui per occasionem itineris, vel alterius necessitatis confitetur peccatum aliquod reseruatũ confessori ordinario, vel cuilibet inferiori sacerdoti, tenetur postea sub mortali comparere coram superiore, cui erat peccatum reseruatum, & culpam aperire ac satisfactionem offerre. Ergo similiter in præsenti. Respondetur dato antecedenti, negando consequentiam: quia ibi conceditur iurisdictio sub eo pacto, & conditione, hic verò minimè, sed supponitur prior confessio legitimè facta simpliciter, ac per se, & aliud solùm datur vt consilium perfectionis; quod patet ex tenore verborum dictæ declarationis; *qui alij quam suo confessario designato confiteretur, debet postmodum (quantum recordari poterit) eidem suo confessario totam suam conscientiam aperire, vt nihil ignorando, quod ad eam pertineat, melius in Domino possit eum iuuare.* Ex quibus verbis constat, hanc solùm proponi vt simplicem regulam, non vt onus necessarium ex priori confessione, seu absolutione relictum.

VI.

Explicaturque amplius: nam si confessio præcedens fuit tantùm de materia non necessaria, seu de peccatis venialibus, constat non esse de necessitate præcepti, illa postmodum confiteri: quia neque antea fuisset, etiamsi illa confessio prior proprio confessori fieri potuisset. Quamuis enim teneatur religiosus Societatis, ex vi regulæ, octauo quoque die confiteri: tamen non cogitur ex vi religiosi præcepti de omnibus venialibus integrè confiteri: ergo multo minus obligabitur ex præcepto repetere in confessione ea peccata venialia, de quibus semel ritè confessus est. Si autẽ prior confessio fuit de mortalibus peccatis, licèt illa fuerit de necessitate prioris confessionis; tamen eo ipso quòd de illis absolutio sacramentalis absolutè, & simpliciter data fuit, iam non sunt materia necessaria, & ita venialibus peccatis comparantur. Nec dici potest remissa fuisse sub onere, tum quia illa non erant reseruata, vt supponimus, cùm possent ab ordinario confessore absolui: tum etiam, quia nullum tale onus, vel conditio pœnitenti declaratur.

VII.

Sed dices grauissimum esse onus huius regulæ, etiamsi tantum per modum regulæ obliget, & ideo non fuisse etiam per modum consilij, seu directionis religiosæ proponendum. Antecedens declaratur, nam si priora peccata fuerunt mortalia, & plenè absoluta, intolerabile videtur, imò imprudens illa iterum confiteri ordinario sacerdoti, nam est iterum infamare se absque necessitate; si autẽ fuerunt tantùm venialia, & illa sunt ex regula necessariò repetenda, sequitur teneri omnes de Societate, ex vi regulæ integrè confiteri de omnib. venialibus peccatis,

peccatis, & contra regulam agere; si aliquid omittant, quod videtur durissimum. Sequela patet ratione suprà facta: nam si tenetur quis in eo casu repetere venialia priùs confessa, multo magis obligatus fuisset illa primò confiteri si potuisset; ergo eadem ratione tenetur semper de omnibus venialibus confiteri.

VIII. *Hæc instantia non militat solum in Societate.*

Verumtamen simile statutum ex ordine Carthusiæ, & sancti Hieronymi infra referemus: idemque consilium inuenitur in sancto Bonauentura in speculo disciplinæ p. 2. c. 3. imò etiam sumitur ex Benedicto XI. in dict. Extrauag. vbi præcepit religiosis confessoribus priuilegiatis, moneant suos pœnitentes, vt semel in anno confiteantur suis Parochis integrè de toto anno, quia licet hoc non sit necessarium, est bonum. Multo autem maiori ratione expedit religiosis, non solum propter maiorem pœnitentiam, & satisfactionem culpæ commissæ, sed propter meliorem directionem in futurum, vt in nostra regula significatur. Directio enim, & gubernatio in futurum multum pendet ex cognitione præteritorum, præsertim in spirituali, & interiori gubernatione, vt in lib. 10. c. 6. nu. 2. ex doctrina Patrum confirmabimus. Confessor autem ordinarius ex vi sui muneris habet curam spiritualis regiminis suorum pœnitentium, quorũ *vultus non agnoscit*, nisi ex confessione eorum, ideoque optimum consiliũ est, vt pœnitentes illis se omnino aperiant, vt ab eis adiuuari possint. *Prouer. 27.*

IX. *Vndatur in quod repetitionem mortalium.*

Vnde non est cur hoc graue onus reputetur, siue præcedentia peccata mortalia fuerint, siue venialia. Nam in vtroque genere multum iuuari possunt, & infamia nullius considerationis est; cum secretum sit summum, & per veram contritionem, & signa pœnitentiæ omnino recompensentur, apud pium, & prudentem confessorem, qualem supponimus futurum esse eum, de quo loquimur. Et quamuis negari non possit, rem esse difficilẽ in materia morali; tamen considerare oportet propterea rem non poni sub necessitate præcepti, sed consilij, quod de rebus arduis, & difficilioribus dari solet, potestque hęc difficultas & propositum vincendi illam deseruire, ne fortasse libertas illa confitendi alieno, vel extraneo confessori pariat, etiam aliquam libertatem, vel facilitatem peccandi. Et ita responsum est ad priorem partem obiectionis.

X. *Item quoad repetitionem venialium.*

Ad alteram verò, fateor obligationem illam ex regula, & ex maiori perfectione, vt ratio illa benè probat. Nec enim B. Ignatius cogitabat de cõscientia tantùm peccatorum mortalium; quãdo dicebat, totam conscientiam debere esse manifestam confessario, vt meliùs possit pœnitentem iuuare, loquitur enim de conscientia religiosa; quæ & à peccatis mortalibus esse debet longè aliena, moraliter, & regulariter loquendo: & iuuanda est, non solùm ad vitanda peccata mortalia, sed etiam venialia, & ad virtutum augmentum. Est autem hæc integritas prudenti, & sano modo intelligenda, quod ad venialia peccata pertinet: non enim necesse est, etiam secundum perfectionis regulam scrupulosè singula cõfiteri, & de numero peccatorum, vel modo circunstantiarum solicitum esse, id enim molestum esset potius quàm vtile; sed hoc solùm dicimus ad illam regulam pertinere, vt nihil ex industria ob verecundiam, vel pudorem, aut timorem infamiæ taceatur, etiamsi leue videatur, & vt bona fide, mediocrique diligentia facta, tota conscientia ita manifestetur, prout ad maiorem confusionem propriam, vel ad moralem ac sufficientem notitiã confessoris, in ordine ad maiorem profectum satis esse videbitur. Atque eodem modo sumendum est, quod dicitur de repetenda confessione alteri facta, si enim in ea nihil speciale fuerit, satis erit de hoc ipso certiorem reddere confessorem proprium, nã id satis est, vt intelligat totam conscientiam sibi esse manifestam, & ita possit securius in illius regimine procedere.

CAPVT V.

An reseruatio peccatorum, quæ in Societate datur, conueniens sit?

I. *Rationes dubitandi.*

SImiliter sicut & in præcedenti capite, dubitatum est de alia consuetudine nostræ Societatis circa hoc sacramentum, reseruandi nimirum peccata superioribus, & cogendi subditos, vt eis confiteãtur: nam hoc adeò est difficile subditis, vt periculo exponantur interdum committendi sacrilegiũ, mutilando confessionem, & ita recipiendo absolutionem & Eucharistiam, prius quam se superiori aperiant. Deinde cum in toto ordine vitæ suæ, & in omnibus actionibus, & muneribus maximè à superioribus pendeant, valde timent illis manifestari; quia, & si propriam reuelationem non vereantur, vix sibi persuadebunt, quin illa notitia vtantur, ad gubernandos illos, & consequenter verebuntur, ne aliquid molestum eis accidat, dũ ea occasione, aut priuantur munere, vel actione, sed socio, vel loco commodo, aut aliquid huiusmodi; & ita fit onerosa confessio, quòd maximè cauendum est. Illud denique videtur in hoc vsu nimis arduum, quia hac occasione coguntur sæpè subditi, etiã sub grauamine mortalis peccati, idem peccatum iterum confiteri superiori, postquam ritè fuerat alteri confessori reuelatum, & ab ea punitum, & sacramentaliter remissum, scilicet quando in absentia superioris, cui peccatum reseruatum est, datur licentia subdito confitendi alteri reseruatum; datur enim hęc facultas, cum obligatione adeundi postea superiorem, nacta occasione. Nam quòd hæc obligatio sit sub mortali, in Societate declaratum est, ex mente B. Ignatij à P. N. Claudio Aquauiua Præposito generali. Hæc ergo tanta obligatio videtur nimis acerba & periculosa.

II. *Ostenditur ius reseruandi in Societate.*

Circa reseruationem agere possumus vel de iure speciali, quod in hoc Societas obseruat, vel de vsu eius, seu de facto. Quod ad primum spectat, dicimus reseruationem peccatorum propriam & specialem esse consentaneam regulæ, & constitutionibus Societatis. Nam 3. p. const. c. 1. §. 11. hoc supponit B. P. Ignatius cùm dicit, *confessarius non ignoret quos casus sibi superior reseruat*: & subdit modum, & mensuram reseruationis, non in particulari designando. Sed generatim dicitur: *Illi autem reseruabũtur, quos ab eo cognosci necessarium videbitur, aut valde conueniens, quo melius remedium adhiberepossit, & suæ curæ commissos præseruare ab omnibus, quæ nocitura sunt.* Hunc autem morem reseruandi casus, absolutè de illo loquendo, nullus catholicus improbabit, nã vniuersa Ecclesia hoc obseruat, tum pro vniuersa, respectu Summi Pontificis, tum pro singulis diœcesibus respectu suorum Episcoporum. Atque eadem ratione religiones idem obseruant, quia Prælati religionum habent in religione sua, vices Episcoporum, & quo intimiùs gubernant & specialiori ratione officium spiritualiũ parentum exercent, suosque subditos ad maiorem perfectionem ducere tenentur, eo tali statui magis accommodata, & quodammodo debita est hæc reseruatio. Vnde S. D. N. Clemẽs VIII. in peculiari decreto, quo huic reseruationi religiosorum modum posuit, supponit eam & licitam, & conuenientem esse, de qua etiam videri possunt quæ vniuersè de hac re in 4. tom. 3. partis disp. 29. tractauimus, vnde constat hunc vsum ob suam communem rationem in Societate reprehendi non posse. *Ratio communis pro dicto iure.*

III.

Non erit autem difficile proprias, & peculiares rationes inuenire, ob quas hæc reseruatio in Societate

Rationes speciales pro eodem.

tate expediat. Primò ac præcipuè, quia propter cõmunicationem cum proximis in periculis versatur, & ideo necesse est, vt magis timeant quemcunque lapsum, ad quod multum deseruit reseruatio, nam est veluti frænum quoddam continens hominem. Secũdò, quia in hac religione plures educantur iuuenes, quos ob ætatem, in officio, & disciplina religiosa magis cõtinere maximè necessarium est. Tertiò, quia cùm in hac religione non tam multæ corporales afflictiones, seu asperitates ex generali regula præscribantur ob rationes in lib. 1. c. 9. allatas; oportet vt spiritualis disciplina ac vigilantia rigidior sit, imò in hunc etiam finem spiritualis rigor corporeus ille fuit temperatus à B. Ignatio. Quartò quia in hac religione maximè necessarium est, vt subditi multum suis superioribus fidant, vt ab eis regi possint, ne forte interdum scandalis, & occasionibus peccandi illos exponant, & vt aliis modis paternè possint ab eis adiuuari; & quandiu hæc religio noua est, & in suo primitiuo spiritu durat, curandum est vt hæc consuetudo non auferatur, nec minuatur, ad quem finem hæc reseruatio etiam vtilissima est: igitur de substantia, vt ita dicam, reseruationis controuersia esse non potest.

Conuenientem esse vsum particularem reseruandi peccata, quem Societas obseruat.

IV.

Secundò igitur de particulari eius vsu, seu modo videamus. Potest autem in hoc modo esse excessus, vel ratione nimiæ reseruationis, vel propter nimiã difficultatem committendi aliis absolutionem; vel propter aliquem alium abusum reseruationis: de singulis ergo videamus. De primo in constitutionibus, præter citata verba 3. p. Const. c. 1. §. 11. nihil specialius inuenitur: in illis autem certum est rationem, & finem ibi assignatum, esse genuinã, & propriissimam causam, ob quam Ecclesia consuetudinem reseruandi casus introduxit, semper enim supponitur, vt in sequentibus magis exponemus, illud remedium, & medicinam præseruatiuam adhibẽdam esse integro & illæso prorsus manente confessionis sigillo. Non explicatur autem in illis verbis, cui superiori committatur hæc potestas reseruandi casus, & iudicium de iis, quos reseruari necessarium, aut valde conueniens est. Hoc autem additũ, seu explicatum est in secunda Congregatione generali can. 4. vbi prius approbatur reseruatio facta à P. Iacobo Laynez secundo Generali nostro. Deinde additur *Declaratio verò, & ampliatio, vel restrictio casuum spectat ad R. P. Generalem.* Nullus ergo inferior Prælatus, neque etiam Prouinciales, possunt in hoc aliquid addere, vel immutare, nec respectu sui, nec respectu subiectorum. Nõ tamen excluditur quin Generalis congregatio hanc habeat potestatẽ, quin potius à fortiori hoc sequitur, cum ipsa sit superior Generali: imò Clemens VIII. in illo suo decreto c. 1. hanc potestatem solis capitulis generalibus pro tota religione, & prouincialibus pro tota Prouincia commisit; & hoc iure vtitur nunc Societas quoad casuum reseruationem, quantum ad hoc, vt fiat authoritate Congregationis generalis: nam prouinciales congregationes in nostra Societate non habent propriam potestatem iurisdictionis, vt etiam sumi potest ex can. 15. cõgreg. 5. & ideo nec casus reseruare possunt; vnde licet Clemens VIII. facultatẽ concesserit capitulis prouincialibus reseruandi casus pro sua Prouincia, intelligendum videtur de capitulo iurisdictionem alias habente: soli ergo Congregationi generali est hoc nunc in Societate reseruatum, non ex sola vi sui instituti, sed adiuncto dicto decreto Clementis: & ita in Congregatione 5. generali, quæ post illud decretum facta est, noua etiam forma reseruationis est edita, vt videre est in

1. calumnia de nimiã reseruatione exploditur.

Quid de reseruatione decretum sit in 2. congr. can. 4.

Cong. Prouin. nõ gaudet iurisdictione.

instructione 5. & 6. de casuũ reseruatione anni 1606. alias in instructione toti Societati communi c. 5. & 6. anni 1616.

V.

Ex his ergo per principia, quasi extrinseca colligere possumus, reseruationem, quam nunc habet Societas, ex parte materiæ non esse nimiam. Primò, iuxta formam à S. D. N. Clem. VIII. præscriptam facta est. Secundò, quia si speciatim expendatur, nihil continet alienum ab vsu Ecclesiæ, & ab vtilitate, aut necessitate religionis. Nam in primis non reseruantur nisi peccata exteriora, & quæ manifestè sint mortalia: deinde non omnia, sed quædam grauiora, quæ summatim sunt: *peccatum mortale contra aliquod ex tribus votis, vel contra alia vota, quæ professi emittunt, periurium, falsum testimonium, furtum, foditio in superiorem, vel diuisio à capite cum graui damno religionis, detractio, & discordiarum seminatio inter fratres, accipere, vel mittere furtim literas materiam peccati mortalis continentes, tacuisse impedimentum aliquod excludens à Societate, vel mentitum esse in examine ad eius ingressum in graue incommodũ Societatis, ac denique quodlibet peccatum habens annexam excommunicationem in Bullis, aut decretis Societatis.* Qui omnes casus in persona religiosa graues sunt, possuntque graue scandalum, vel infamiam religioni afferre: & si recte inspiciantur sunt valde similes his, quos ipsemet Pontifex reseruatos esse voluit, & nõ sunt nimis multi pro ratione talis status, & obligationum eius.

VI.

Tertiò intelligi potest moderatio huius reseruationis, ex vsu aliarum religionum. Nam Carthusiani habẽt statutum quo reseruatur superiori, quodlibet peccatum mortale certum, vt refert Gerson in proprio tractatu de illo statuto p. 2. alphab. 33. lit. E. & quantum ex Gersone colligitur, idem seruat in Gallia Cælestinorum religio. Et licèt ipse Gerson non approbet tam latam & absolutam reseruationem; subdit nihilominus: *Potest tamen fieri reseruatio de certis mortalibus manifestis, quæ transeunt in opus exterius.* Rursusque ad alium Carthusiensem scribit. *Recepi quòd in constitutionibus vestris non dicitur, quod omnis mortalis culpa sit Matori reseruata in foro confessionis, sed quod grauis culpa. Et certè tolerabilis & salubris ipsa constitutio, si bene fuerit declaratum, qualis culpa debeat meritò grauis reputari.* Sed in prædicta reseruatione Societatis non nisi grauia peccata reseruantur, & satis distincte explicatur, quæ talia rationabiliter censeantur in hac religione. In regula etiam S. Francisci cap. 7. sic dicitur. *Si qui fratrum instigante inimico mortaliter peccauerint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres vt recurratur ad solos Ministros Prouinciales, teneantur prædicti fratres ad eos recurrere, quanto citius potuerint sine mora.* Loquitur autem de recursu in sacramento pœnitentiæ, nam statim subdit: Prouinciales si sint sacerdotes, per seipsos debere pœnitentiam imponere, si minus debere Presbyteris committere, vt illam imponant. Nisi enim ageretur de sacramento confessionis, non referret Prouincialem esse presbyterum. Atque ita in statutis eiusdem ordinis multa peccata reseruantur Prouinciali, & ferè sunt eadem scilicet *peccata grauia contra tria vota substantialia, furtum,* &c. In definitionibus etiam ordinis S. Benedicti in Hispania cap. 13. numerantur duodecim casus, in quibus ordinarij confessores absoluere non possunt, sed debent pœnitentes ad Abbatem remittere, ex quib. aliqui coincidunt cum nõ nullis casibus reseruatis à Clemente, vt illi, qui ad *apostasiam* pertinent: alij recurrunt etiam cum nostris, vt *furtum, proprietas:* alij cum minori restrictione, vel explicatione ponitur, *vt mittere, vel recipere literas sine licentia.* Alij sunt proprij illius ordinis, maioremque rigorem continent, vt *comedere carnes sine licentia, ingredi cellam alterius religiosi, dare aliquid de monasterio personæ secularis sine licentia, reuelare secreta religionis, vel monasterii,*

alij

aut Prælati sui alicui extraneæ personæ, incitare alium, vt sub iuramento, aut voto sibi aliquid promittat, &c. Nihil ergo singulare, aut nimis rigorosum in prædicta Societatis reseruatione reperitur; imò in hoc lenior est, quàm illa D. Fráciſci, quòd nulla sit reseruatio Prouinciali, sed superiori domus, vel Collegij, ad quem & facilior, & familiarior potest esse recursus, & præterea liberum manet religioso, vt si velit potius ad Prouincialem recurrere, possit id facere, quia respectu maioris Prælati nulla est reseruatio, vt per se notum est.

VII. *2. calumnia de difficultate licentia ad reseruata expenditur.*

Dicetur fortasse: (vt ad 2. calumniam veniamus) esto reseruatio in se non sit nimia, tamen in vsu eius esse nimium rigorem, quia superior omnino vult peccata dicta sibi confiteri, difficilisque est in danda facultate, vt per alium absoluantur; hoc autem, licèt in peccatis publicis esset tolerabile, in occultis nimis onerosum est, vt docet S. Bonau. in expositione regulæ c. 7. vbi regulam citatam exponit de peccatis publicis, quia *quæ secreta sunt* (inquit) *non sunt publicanda*, & quia notorium peccatum grauius est propter scandalum, & ideo grauius est puniendum. Gerson etiam suprà ait, *Confessio sacramentalis non debet coarctari per reseruationes casuum, præsertim occultorum sed dandus est locus timori altissimi.* Et infrà, *Confessio sacramentalis de peccatis occultis raro, & cautissimè debet remitti ad superiores habentes iurisdictionem coerciuam in publicis, quales sunt Abbates, & Priores religionum, quia facile oritur suspicio apud correctos publicè, quia occulta confessio per eos facta ladatur.*

VIII. *Reseruans potest in rigore nihil remittere.*

Sed in hac re si attentè inspiciatur, quid iure fieri possit & debeat, & cum vsu Societatis conferatur, euidenter constabit, in hoc etiam facto, debitam moderationem seruari. Nam iure certum, est, posse superiorem obligare subditum, per se loquendo, vt peccata reseruata, quantumuis per accidens occulta, sibi confiteatur: nam hic est finis reseruationis, per se loquendo, & quidquid superior de hoc rigore remittit, ex benignitate facit, vel ex debita prouidentia ex accidenti aliquo necessaria, nō quia ius non habeat persistendi in rigore reseruationis. Vnde Clemens VIII. qui speciali decreto maximè curauit prouidere libertati religiosorum in confessionibus faciendis, cum in §. 3. eiusdem decreti præcepisset Prælatis regularibus, ne subditos ad cōfessionem secum faciendam cogerent, seu obligarent, addit limitationem; *Nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint*: ergo pro reseruatis licet his prælatis confessiones subditorum audire, etiamsi ipsi non sua sponte, aut motu proprio, sed necessitate reseruationis, & seueritate superioris compulsi, id faciant.

IX. *Exponitur diploma Clementis quo ad proxime dicta.*

Sed licèt hæc per se vera sint, nihilominus ad charitatem, & prudētiam superioris pertinebit in particularibus casibus considerare dispositionem & fragilitatem pœnitentis, eique condescendere, ne in peius ruat; de quo non potest alia generalis regula præscribi, præter superioris prudentiam & charitatem, vt in dicto 4. tomo disput. 30. sect. 4. & 5. latius declaraui, & suprà tract. 8. tetigi, tractando de potestate absoluendi Prælatorum regularium: vbi etiam expendi nouum decretum S. D. N. vbi in §. 4. præcipit, vt superiores duos, vel tres viros doctos & pios deputent, qui ordinarias confessiones religiosorum audiant. Et subdit, *Quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi, ipse in primis confessarius iudicauerit.* Ex quibus verbis notaui iuxta mentem Pontificis, non debere superiorem hanc facultatem facile, & ad nutum confessoris concedere, sed magno iudicio, & consideratione, & quando necessitas pœnitentis, vel maior vtilitas illam postulauerit. Et hanc ob causam vult multum deferri in hoc, iudicio confessoris, quia ipse potest magis perspectam habere conscientiam, & dispositionem pœnitentis. Et nihilominus non cogit superiorem, vt statim pareat iudicio confessoris, vt planè indicat illa particula, *in primis*, quæ significat consulendum esse confessoris iudicium, & magnam vel maximam illius rationem habendam esse, non tamen esse futuram infallibilem ac necessariam regulam. Quod ad tollendos scrupulos pro Societate nostra ita fuit ab eodem Pontifice declaratum, vel concessum, scilicet, *ne iudicium à reseruatis absoluendi confessariis absolutè relinquatur, vt in eodem §. 4. dicitur: sed liceat interdum superiori, pro ratione sui officij huiusmodi facultatem denegare, in iis casibus, in quibus constat, iuxta ea, quæ Doctores dicunt, & discreta charitas docet huiusmodi licentiam esse denegandam.* Illud denique in dicto decreto obseruare licet, etiam cùm illa licentia danda est, non cogi superiorem dare illam, vel generalem pro electione pœnitentis, vel particularem pro tali persona ab ipso pœnitente designata: nam Pontifex vult personas quibus danda est, esse designandas à superiore ipso, & significat regulariter remittendam esse illi personæ, quæ gerit officium ordinarij confessoris eius personæ, quæ casum habet reseruatum. Imò supponit licentiam hanc per huiusmodi confessorem esse à superiore petendam, & pro illo esse dandam à superiore, quando expedire dari iudicatum fuerit: qui modus est valde ordinatus, & si pœnitentes illum seruarent, facile superiores illis acquiescerent. Quando verò subditi hanc facultatem, per alios sacerdotes, vel pro aliis suo arbitrio petunt, non tenetur superior statim condescendere, sed facile potest talem facultatem negare, vel prout conueniens iudicauerit, eam moderari.

X. *Praxis Societatis circa petendam licentiam à confessario pœnitentis.*

Hoc igitur est ius regulariter obseruandum circa hanc reseruationem. Quàm verò illi consentanea sit praxis Societatis, facile quis intelliget ex instructione, quæ est 6. ex impressis anno 1606. quamque superiores circa hoc obseruant. Nam in 1. illius §. admonentur, *vt quando confessarius, tacito nomine pœnitentis à superiore petit facultatem absoluendi à casu reseruato, nullo modo superior difficilis esse debeat, sed facilis potius, & promptus in ea concedenda,* &c. Et in §. 2. additur, solùm quando interuenit *necessitas vitandi scandalum, vel aliud graue damnum Collegij, seu domus*, illam negari posse, donec pœnitens *per se, vel per confessarium*, sufficientem notitiam superiori adhibeat: tunc enim pœnitens omnino tenetur hanc notitiam superiori dare, vnde nec est tutus, nec satis dispositus ad absolutionem, donec iustæ voluntati, & necessitati superioris in ea parte satisfaciat; meritò ergo tunc potest superior talem facultatem negare. Imò licet obligatio pœnitentis ad dādam illam notitiam superiori, secluſa reseruatione, non sit omnino clara, & certa, si tamen sit opus maioris virtutis & charitatis, id satis erit, vt superior iustè neget licentiam, donec pœnitens rem totam illi manifestet, quantum ad remedium adhibendum necessarium est: quia ipse habet ius audiendi talem confessionem, & per se loquendo non tenetur illam potestatem delegare: considerando autem causas extrinsecas potius tenetur consulere bono communi, quàm irrationabili, vel imperfectæ voluntati pœnitentis condescendere. Ad hoc autem moderandum additur in §. 4. si confessarius vrgeat, eo quòd iudicet superioris seueritatem detrimentum potius spirituale, quàm commodum allaturam, & tentatis aliis mediis, nullum sufficit, sed pœnitens durior fiat, tandem: *superiorem debere facultatem negare*, sed fragilitati subditi condescendere: habita semper ratione charitatis, cuius finis est prodesse per correctionem, vel seueritatem, & illam temperare, quando illa spes deest:

deest; in eo autem casu licèt superior facultatem det, debet confessarius attendere; vt pœnitens suæ obligationi satisfaciat in adhibendo remedio cõmuni malo, vel scandalo, si morale periculum illius sit, quia nisi hoc faciat, non poterit absolui, non ex defectu iurisdictionis, sed quia dispositus non est. Ad hoc autem oportet vt & obligatio pœnitentis certa sit, & quòd alia remedia adhiberi nõ possint.

XI. *Quid si petatur à non ordinario confessario pœnitentis.*

At verò quando licentia non per confessarium, sed per alium sacerdotem petitur, tunc praxis Societatis (vt ex §. 5. colligitur) est, vt licentia non tam facile detur, quod etiam est consentaneum rationi, & iuri, vt numero 9. ostendimus. Nec tamen semper deneganda dicitur, sed attentius circumstantias negotij, & personæ esse considerandas, & ita dari posse, vel negotium committi alteri personæ, prudenti, doctæ, & religiosæ, quæ ad remedium adhibendum aptissima sit, & cuius conspectum non possit pœnitens rationabiliter subterfugere. Quæ omnia per sese sunt valde consentanea rationi, nam sine dubio oportet aliquam difficultatem, & seueritatem ostendere, aliàs ferè nullius momenti esset reseruatio; semper tamen prudens illa conditio subintelligitur, vt si tandem superior intelligat, se nihil posse prodesse, condescendat tali sacerdoti (dummodo simpliciter idoneus sit) negotium committendo, vt maius periculum euitetur.

XII. *3 calumnia de vsu notitia confess. resoluitur.*

Tandem dicendum superest de vltimo abusu, qui in hac reseruatione fingi potest, vtendo scilicet hoc medio ad gubernandum, vel ipsum pœnitentem, vel alios, per notitiam in confessione comparatam: hoc enim aliqui Societati obiiciunt, sed est mera impostura. Duplex ergo intelligi potest gubernatio: vna quæ præcise necessaria est ad vitandum peccatum, de quo agitur, vel scandalum, aut pœnitentis, aut aliorum, ex peccato illo præcise ortum; alia est in rebus aliis, actionibus, vel muneribus. De hoc posteriori vsu nulla est mentio, nec vestigium in Societate, vt à fortiori ex sequentibus in numer. 4. patebit. De priori autem communis doctrina est posse prælatum, qui rem in confessione nouit, vti illa notitia ad illum finem, si obseruet, vt ille vsus talis sit, vnde nulla reuelatio directa, vel indirecta nasci possit, vel si hæc timeri possit nullus sit talis vsus, sine expressa licentia pœnitentis: nam si hæc obseruentur, nulla inordinatio contra iustitiam pœnitentis, vel contra religionem sacramenti in tali vsu excogitari possit, vt in tom. 4. in 3. p. disput. 33. sect. 7. late dixi.

Qui vsus illa notitia per se liceat.

XIII. *Neque à Clemente VIII videtur prohibitus.*

Et quamuis S. D. N. Clemens VIII. in speciali decreto, de casibus reseruatis regularium, specialem prohibitionem illis imposuerit non vtendi notitia confessionis ad exteriorem gubernationem: probabilissime nihilominus existimo hunc vsum non comprehendi sub illis verbis, & præcepto; quia hic vsus nõ potest dici ad exteriorem gubernationem, sed solùm ad internam & spiritualem medicinam conscientiæ pœnitentis. Nam ipse pœnitens vitare tenetur moralem occasionem mortalis peccati, vel non præbere scandalum alteri, vt secum tale peccatum committat: ergo vsus qui tantùm ordinatur ad tollendam similem occasionem peccati, vel scãdali, non potest dici exterior gubernatio: nam licèt fit quædam actio, vel priuatio exterior, ordinatur solùm ad internum bonum animæ ipsius pœnitentis: adeò vt licet ordinetur etiam ad bonum complicis, v. g. hoc solum sit, in quantum bonum pœnitentis cum illo coniunctum est, & non potest vnum ab altero separari: hoc enim supponimus. Nam si iam omnino non ageretur de remedio pœnitentis, nec de impienda aliqua obligatione, ad quam ipse in conscientia teneatur: sed tantùm de remedio alterius; iã ille vsus magis dici posset pertinere ad exteriorem gubernationem, & non esset vsurpandus sine libera, & spontanea voluntate, & facultate pœnitentis.

Quamuis autem hæc in rigore vera videantur, nihilominus Societas propter maiorem securitatem, libertatem pœnitentium, & reuerentiam sacramenti: etiam ab hoc vsu licito, notitiæ per confessionem habitæ, se abstinet. Quod apertius constabit ex graui ordinatione R. P. N. Claudij, quam hic ad verbum referam, quia dignum est vt ab omnibus agnoscatur. *Tametsi non desunt Doctores, qui sentiant, saluo sacramentali confessionis sigillo, iustis de causis licere nonnunquam confessario (cum id fieri potest sine vlla reuelatæ confessionis suspicione) vti extra confessionem notitia per confessionem habita: tamen quoniam hæc doctrina, & eam exigit in tanta re, circunspectionem, quam seruare perdifficile sit, & interim posset aliquando retardare subditorum libertatem, quam huius fori sanctitas, & nostra Societatis institutum requirunt, in semptis, rebusque suis confessario aperiendis: idcirco visum nobis est, in Domino statuere, sicut, & seuere statuimus pro reuerentia, qua semper Societas nostra coluit huius sacramenti inuiolabile sigillum, & libertatem, vt omnes superiores diligenter caueant: ne vel ipsi, vel nostrorum aliquis, supradictam doctrinam vsquam introducant, nec illam publice, aut priuatim doceant, nec ea vtantur vllo modo (nisi forte de pœnitentis licentia) sed ita prorsus in omnibus casibus, nostri se gerant confessarij, ac si in confessione nihil penitus audiuissent, sibique persuadeant, vt humanarum rerum regimen ab hoc sacramento longissime distat, ita debere nullatenus ab eo pendere.* Hoc ergo est, quod in Societate de iure seruatur; de factis enim particularibus, hic non disputamus, quamuis de nullo nobis constet hunc iuri contrario.

XI. *Prohibitus tamen non omnino.*

XV. *Concluditur calumnia.*

Vnde constat non solùm non committi excessum in hoc vsu, verum potius videre posse committi aliquem defectum, omittendo medium licitum, & sanctum, quod interdum posset esse vtilissimum pœnitentibus, verumtamen cum hoc ipsum omittatur, propter altiores fines, reprehensibile non est, sed potius laudabile. Intelligendum autem necessariò hoc est, quando non interueniret obligatio præcisa ipsius superioris, qui ex officio tenetur auferre à subdito moralem occasionem peccati: etiamsi illam in confessione nouerit, quando sine vlla reuelationis suspicione auferri potest, tunc autem debet prius monere pœnitentem suæ obligationis, & illum inducere, vt consentiat, & acceptet sibi talem occasionem auferri, cùm in remedium animæ suæ id facere teneatur. Prohibitio ergo illa intelligenda est pro his euentibus, in quibus non necessariò, sed ob vtilitatem, talis notitia ad illum vsum applicari posset: & quia hoc regulare est (illa enim necessitas præcepti rara est) ideo regula simpliciter negatiua circa hoc constituitur.

Virum conueniat, aut necessarium sit superiori aliquando confiteri. XVI.

Ex his satis factum est (vt opinor) primo puncto huius capitis ex propositis in fine numero primo, & sublata est omnis occasio fingendi pericula, & monstra difficultatum, vbi reuera nulla sunt, oportet tamen aliquid in particulari dicere de altero puncto in numero primo tacto: videtur enim in illo dubio supponi, esse in Societate constitutionem, quæ obliget subditos, vt suo superiori confiteantur. Quod dupliciter intelligi potest, primò ratione casuum reseruatorum, & hoc per se sequitur ex ipsa reseruatione, & ita admittitur, seu excipitur à Clemente VIII. Quo-

Primum dubium huius obligationis.

modo

modo autem seruandum sit, explicatum iam est in puncto præcedenti. Secundò potest id intelligi extra casuum reseruationem, de communibus confessionibus, vel ordinariis, & particularibus, vel extraordinariis, & generalibus, & in hoc duo dicenda occurrunt.

XVII. *Confiteri prælato per se malum non esse probatur authoritate.*

Primum est illud non esse per se malum, aut reprehensione dignum, secluſa humana prohibitione. Quamuis enim ad se omnino aduocare confessores munus respectu subditorum, iuxta præsentem statum religionum, violentum sit, ac periculosum, ac proinde inordinatum, vt tract. 8. disputando de prælatorum potestate in communi, diximus; tamē pro aliquibus temporibus, aut vicibus id exigere per se inordinatum non est; nam multæ religiones videntur habuisse huiusmodi regulam, & consuetudinem à Pontificibus approbatam. De Carthusiensibus referunt, habere statutum confitendi generaliter Priori, cùm primùm eligitur, fortè ab vltima confessione præcedenti facta: item confitendi eidem quando post aliquam peregrinationem, ad monasterium redeūt. Quod statutum habet etiam religio S. Hieronymi c. 20. suarum constit. de quo quantum ad iterationem confessionis, capite præcedenti à numer. 2. diximus; hìc verò consideratur quantum ad circumstantiam confitendi superiori. In ordine Cistertiensi dicitur esse statutum, vt monachi singulis annis confiteantur integrè Abbati, quod statutum à Pontificibus Pio II. & Sixto IV. confirmatum fuisse, intelligi potest ex eorum priuilegiis 91. 97. & 103. Et simile statutum fuisse ab Alberto Magno in religione Prædicatorum introductum, refert Ferdinandus del Castil. lib. 3. Chronic. c. 46. quod ipse approbat. Olim etiam in religionibus monachorum, solùm esse solebat vnus presbyter, qui omnium proinde confessiones audiebat, qui tamen simul superiorem fuisse, & maiorem quā Præpositus, habere potestatem, clarè sumitur ex regula S. Augustini in fine. Denique Hugo de S. Victore serm. 53. institut. monast. vniuersaliter dicit, *In facienda confessione talis discretio esse debet, vt quotidiana & leuia peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, vt orationibus pro inuicem factis saluemur. pro grauioris lepræ immunditia sacerdoti, id est, nostro summo Prælato pandere debemus, vt ad eius arbitrium iustificari curemus.* Cùm ergo consilium hoc tanta auctoritate, vt vsu antiquorū Patrum fundatum sit, nō potest reprehendi, vt per se malum. Ratio autem est, quia prælatus est de se ordinarius pastor, & proprius sacerdos religiosorū: ergo per se & secluſa speciali prohibitione, eis non facit iniuriam, si interdum velit agnoscere vultum pecoris sui.

XVIII. *Non tamen regula datur in Societate de confitēdo Prælato præter reseruata*

Secundò verò addimus obiectionem illam in n. 1. falsum supponere; quia in Societate nulla est regula, quæ absolutè obliget subditos ad confitendum aliquando superiori, non solùm obligatione præcepti, verùm nec per modum simplicis regulæ. Quia vbicunque constitutiones de confessionibus faciēdis, vel ordinariis, vel extraordinariis loquūtur, semper præscribunt, vt fiant confessori à superiore designato: vel ad summum sub disiunctione, superiori, vel cui ille iniunxerit, & semper intelligitur ordinarias confessiones fieri ordinario confessori designato: in extraordinariis autem sex mēsium, & similibus optionem relinqui pœnitenti, vt vel superiori, vel alteri ex designatis ab illo confiteatur. Vnde in regula prouincialis num. 131. sic dicitur. *Si visitatio circa renouationem votorum inciderit, ipse ad excipiendas confessiones generales nostrorum, aliquos Patres probatos, & maturiores designabit, eosque, qui sibi confiteri volet, benigne audiet.* Et idem cum proportione dicitur in regulis præpositi §. 23. & Rectoris §. 22. Estque hoc consonum modo loquendi constitutionū p. 6. c. 1. §. 2. vbi dicitur paratos esse omnes debere *ad confessionem generalem, quæ ab vltima generali inchoetur ei, quem superior sibi substituerit, faciendam.* In quibus verbis, non solùm non dicitur confessionem esse faciendam superiori, sed insinuatur potiùs, semper debere superiorem substituere aliquem, cui fieri possit, quamuis nunquam excludatur, quin possit subditus eligere superiorem, si velit. Denique tam longè abest Societas à prædicta calumnia, vt nec ipsos consultores superiorum velit designari ad audiendas nostrorum confessiones vt habetur in ordinationibus impressis anno 1617. c. 1. n. 7.

XIX. *Neque in aliqua religione dari valet post decretum Clement.*

Atque hunc morem non solùm probauit, sed etiam sub præcepto imposuit S. D. N. Clem. VIII. in suo decreto de casibus reseruatis religiosorum, vbi sic inquit: *non liceat regularibus superioribus confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserunt, aut ipsimet subditi sponte, aut proprio motu id ab eis petierint.* Quod præceptum intelligendum est, non solùm de confessionibus ordinariis, sed etiam de extraordinariis, siue fiant occasione reditus ex itinere, siue ex regula confitendi generaliter semel, aut bis in anno: tum quia absoluta est prohibitio, & nobis non licet illam restringere: tum maximè, quia exceptio illa, *nisi quando peccatum reseruatum*, &c. firmat regulam in contrarium. Per hoc ergo decretum antiquæ illæ consuetudines in numer. 17. allatæ, sublatæ sunt: infirmitas enim, & fragilitas horum temporum, hanc moderationem requirit.

XX. *Hæc omnia latius est in Societate quàm in quibusdam religionibus.*

Tandem ex his non erit difficile satisfacere tertio puncto, seu vltimatæ parti difficultatis positæ in fine n. 1. de onere comparendi: de qua multa nobis essent dicenda, nisi in 4. to. 3. p. disp. 30. sect. vlt. latè tradita essent: in eum ergo locum lectorem remittimus: ne inutili repetitione illum oneremus: ibi enim res tota, quæ in Societate obseruatur tractata est, ostensumque est esse doctrinam communem, rationi & praxi Ecclesiæ consentaneam: solùm hìc addo, nonnullos authores censere, vel referre, in aliis religionibus, religiosos peregrinantes non posse absolui à reseruatis, donec redeant ad locum vbi est Prælatus, & vt num. 6. attigimus, quando peccatum est reseruatum Prouinciali absenti, sine eius facultate non posse absolui: at hoc grauius onus est: ergo facultas confitendi ſtatim cum illo onere, potiùs est gratia spectans ad suauiorem modum procedendi.

CAPVT VI.

Quomodo perfectionem charitatis religio Societatis intendat.

I. *Prima pars tituli de charitate in Deum expeditur.*

CVm finis religionis sit perfectio charitatis, & consequenter ad illum etiam tendant omnia religionis exercitia, fit vt illa maioris momēti sint, magisque propria religionis, quæ propinquius ad hunc finem accedunt, illumque immediatius operantur. Sunt autem duo charitatis officia, dilectio scilicet Dei, & proximi. Ad prius officium præcipuè spectant, quæ hactenus in hoc lib. 8. tractauimus: nam diuina charitas, quoad proprios, & elicitos actus erga Deum, maximè operatur, & crescit in operibus internæ meditationis, & contemplationis, prodit autem exteriùs in actus religionis, & diuini cultus, de quibus hactenus dictum est. Solum hìc addere possumus, ad hunc finem charitatis Dei, maximè conferre, vt cæterarum virtutum opera expresse, ac frequentiùs repetita intentione ad maiorem Dei gloriam fiant, & ob hanc causam huius rei studium, & memoriam frequenter in constitutionibus Societatis commēdari, tam in actu signato, vt ita dicam, quàm in exercito. Nam in Summario constitut. reg. 10. sic dicitur, *Omnes rectam in-*

Hæc charitas frequenti relatione bonorum operum in Dei gloriam promouetur.

tentionem habere studeant, non solùm circa vitæ suæ statum, verum etiam circa res omnes particulares, id semper in eis sincere spectantes, vt seruiant, & placeant diuinæ bonitati propter seipsam, & propter charitatem, & eximia beneficia, quibus nos præuenit: potius quàm ob timorem pœnarum, vel spem præmiorum, quamuis hinc etiam iuuari debeant, & in omnibus quærant Deum, &c. In constitutionibus autem passim hoc inculcatur, & vsu ipso docetur, vt in examine cap. 1. §. 6. statim dicitur. *Ratio viuendi iustas ob causas, maius Dei obsequium semper intuendo,* &c. & §. vltim. *Quod ideo fit, vt vtrinque maiori cum claritate, & cognitione in Domino nostro procedatur, vt quanto fuerit magis probata singulorum constantia, tanto stabiliores, ac firmiores sint in diuino seruitio, & vocatione prima, ad gloriam, & honorem diuinæ maiestatis.* Quod verbum adeò erat familiare B. Ignatio, vt singulis ferè constitutionibus illud repetat, nimirũ ad vices vsque 177.

Diuina gloria frequens in ore S. Ignatii.

II. Atque hanc etiam intentionem maximè commendat Basilius in regulis moralibus reg. 18. afferens verba Pauli, *siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* 1. Corinth. 10. & illud 2. ad Thessalon. 2. *Sicut probati sumus à Deo vt credatur nobis Euangelium, ita loquimur non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra*: quæ verba quotidie versari deberent in corde, & mente religiosorum Societatis, & quæ subdit; *Nec quærentes ab hominibus gloriam, nec à vobis, nec ab aliis.* Imò addit etiam B.P. Ignatius, vt non solùm hæc humana motiua contemnamus, verùm etiam inter diuina, amore potius, quàm timore moueamur. Vt enim dixit Basil. reg. 4. ex fusior. *Eis, qui ad perfectionem aspirant, præceptis sublimioribus opus est, eisque, in quorum expletione vniuersa charitatis Christianæ veritas legitimè absoluitur.* Vnde idem Basilius reg. 137. ex breuioribus, *Bonam* (inquit) *animi affectionem ego esse existimo cupiditatem vehementem placendi Deo, eamque insatiabilem, & stabilem, & constantem.* Hanc verò, addit statim, contemplatione magnitudinis Dei, & recordatione beneficiorum eius comparari. Addere item possumus, necessarium esse frequenter, & in singulis operibus, quoad fieri possit, eam intentionem repetere. Ad hoc autem (vt idem Basil. dixit. reg. 5. ex fusioribus) necesse est illud Pauli imitari, *nostra conuersatio in cœlis est, quia alias nullo modo scopum animi attingemus, Deo videlicet, vt placeamus. Omni ergo custodia* (subdit inferiùs) *custodiendum est cor nostrum, neque patiendum vt assidua de Deo cogitatio ex animis nostris elabatur, siquidem hæc est ratio per quam erga Deũ acquiri charitas consueuit*, &c. quæ elegantissimè prosequitur, & imitatus est B.P.N. Ignatius 3. p. constit. c. 1. §. 26. dicens, *crebro admoneantur, vt in omnibus quærant Deum, exuentes se quantum fieri potest, amore omnium creaturarum, vt affectum vniuersum, in ipsarum creatorem conferant, cum in omnibus creaturis amando, & omnes in eo, iuxta sanctissimam ac diuinam eius voluntatem.* Et hæc sufficiunt de charitate erga Deum, nam cætera (vt dixi) tractata sunt.

III. *Charitas ad inuicem in Societate commendatur.* Proximorum amor in externis actibus præcipuè versatur, poteltque subdiuidi in operibus charitatis, erga externos, de quibus in libro sequenti dicendum est, & de charitate fraterna inter nos ipsos, de qua hîc præcipuè tractamus. Quantum autem hæc fraterna dilectio in Societate commendetur, intelligi potest ex principio constitutionum Societatis, & Summarijs illarum, vbi dicitur, *legem charitatis esse, quæ conseruatura est, gubernatura, atque promotura in sancto seruitio, hanc minimam Societatem Iesu.* specialiter verò in 3. p. constitutionum cap. 1. §. 18. & in Summario §. 42. *Vnio & conformitas mutua quam diligentissimè curanda est, nec, quæ ei aduersantur, permittenda, quo vnicli inuicem fraternæ charitatis vinculo melius & efficacius possint se diuino obsequio, & auxilio proximorum impendere.* &. §. 21. vbi dicitur, *de iis crebrò tractent, quæ ad sui abnegationem, & in virtutibus profectum, & omnimodam perfectionem attinent, ad ea se inuicem exhortando, & præcipuè, ad vnionem, & charitatem fraternam.* Et §. 22. *Magnopere confert ea munera obire, in quibus magis humilitas, & charitas exercetur*: nec immeritò B. P. N. Ignatius, in hac vnione, & vinculo fraternæ charitatis præcipuum huius religionis fundamentum posuit, nam hoc etiam fuit primum vinculum status religiosi, qui in illis fidelibus inchoatus censetur, *quorum erat cor vnum, & anima vna, qui habebant omnia communia, & diuidebant singulis, prout vnicuique opus erat: & ideo, & sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem: gratia magna erat in omnibus illis,* vt Actor. 3. & 4. dicitur.

Consonatque illud Psalmi 132. *Quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum.* vbi Augustinus ait, peculiari ratione hoc conuenire statui religioso; *Ista enim verba* (inquit) *psalterij, iste dulcis sonus, ista suauis melodia, tam in cantico, quàm in intellectu multa monasteria peperit.* Et infrà, ait, primos, qui hanc vocem audierunt, fuisse Apostolos, & primos fideles, quorum erat cor vnum, & anima vna: *Sed non soli* (inquit) *audierunt. Non enim vsque ad illos solos hæc dilectio, & vnitas fratrum venit, venit enim, & ad posteros ista charitatis exultatio.* Vnde idem August. in sua regula, hoc præcipuum documentum, ac primum inter cætera proponit. *Primum propter quod in vnum estis congregati, & vnanimes habitatis in domo Domini, & sit vobis anima vna, & cor vnum in Deo.* Basilius etiam in constitut. monast. à cap. 19. cœnobiticam vitam commendans, fundamentum eius esse dicit, summam animorum coniunctionem, & vnitatem sine qua, (vt inquit Hieronymus) seu Author regulæ monialium cap. 1. *Nulla vita est deterior, quàm simul degere corpore, & non mente, & vere infœlices sunt, quibus non inest vna sed diuersa voluntas. Et sic habere poteritis religionis propositum si vnanimes in domo Dei habitetis.* & ob eandem causam dixit idem Hieronymus in regula Monachorum cap. de charitate. *Quidquid diuidit inter fratres, infernus dicendus est.* Vnde elegantissimè Bernard. serm. 29. in Cantica, *Vos* (inquit) *experti estis, & quotidie experimini, quàm bonum sit, & quam iucundum habitare fratres in vnum. Si tamen in vnum, & non in scandalum: alioquin nec iucundum plane, nec bonum, sed pessimum, ac molestissimum.* Ob hanc ergo causam omnes religionum fundatores, hanc mutuam fratrum dilectionem maximè commendant, vt videre etiam licet in S. Benedicto cap. 4. regulæ. S. Bonauen. in quæstionibus super regulam quæst. 18. Basilius in constit. monast. c. 2. & 3. ac reliqui; quia communis vita sine hac vnione, nec vtilis esse potest, nec iucunda.

IV.

CAPVT VII.

De mediis negatiuis, quibus fraterna charitas, & concordia in Societate conseruatur.

1. AD fraternam charitatem, & vnionem foueudam varia media in Societate introducta & commendata sunt, quæ in 8. p. constit. cap. 1. & alijs in regulis accuratissimè prouidentur: quæ in summam breuem redigemus & ex iis aliqua, quæ magis propria magisque vtilia videbuntur, pro materiæ qualitate, locupletabimus. Inprimis ergo suppono debent ea, quæ ex ipsa lege charitatis debita sunt: quæ in media negatiua, & affirmatiua distingui possunt. De negatiuis pauca dicere necesse est, quia plura

plura sunt debita ex obligatione iustitiæ potius, quàm charitatis; qualia sunt, nec cogitatione, nec verbo, nec opere, alteri iniuriam facere, vel in re aliqua quempiam lædere. Et ideo de hoc præcepto nihil ferè in constitutionibus, aut regulis statuitur, quia magis ad necessitatem legis, quàm ad consilia perfectionis pertinet. Quia verò pro hominum imbecillitate, aliquid huiusmodi pati contingit, quàm citissimè curandum præcipitur 3. p. constit. cap. 1. lit. P, his verbis: *Ferenda non est inter illos domesticorum perturbatio, vel ira mutua: & si aliquid huiusmodi acciderit, vt statim cum satisfactione debita in gratiam inuicem redeant.* Quæ verba pro regula proposita sunt Præpositis, & Rectoribus in suis regulis n. 32. & 33. consonant Ecclesiastici canones Concilij Toletani XI. c. 4. Concilium VVormaciense cap. 41. Carthag IV. c. 93. cum aliis apud Gratianum d. 90. c. *Ismael* d. 56.

II. *Ad hoc medium spectat primo regula non seminandi discordias.* Quia verò illi præcipuè charitatē offendunt, qui dissensiones inter fratres seminant, ideo in 8 p. const. c. 1. §. 5. (quæ est etiam regula 128. Prouincialis) grauissimè cautum est, *si quis dissensionis, vel diuisionis eorum, qui vna viuunt, inter se, vel cum suo capite autor esse cerneretur, diligentissimè ab ea congregatione, velut pestis, quæ eam potest sinimopere inficere si præsens remedium non adhibeatur, separandus est.* imò & inter casus reseruatos habetur. Additur verò in declaratione, separationem hanc esse posse, vel ab eo loco transferendo personam in alium, vel à tota Societate, si ad commune bonum conueniret, vt esse posset, quando vel persona incorrigibilis est, vel scandalum adeò est graue, vt aliter sedari non possit; ac denique quo pacto hoc vitium curandum sit, habetur in industriis, pro morbis animæ cap. 17. Tandem huc spectat regula 30. ex communibus, *vt omnes caueant ab illo affectu quo aliæ de aliis nationibus sinistrè sentire, aut loqui solent*, quia nimirum huiusmodi sermones, & quælibet signa talis affectus multum solet charitatem minuere, non solùm ad externos, sed etiam inter religiosos ipsos. Vnde multum magis cauendum est murmurationis vitium, quod maximè discordias parere solet: & ideo Basilius cap. 34 regulæ, *ante omnia* (inquit) *ne murmurationis malum pro qualicunque causa in aliquo qualicunque verbo, vel significatione appareat. Quòd si deprehensus fuerit quis, districtiori disciplinæ subiaceat.*

Spectat secundo altera regula non sentiendi sinistrè de aliis nationibus.

III. *Spectat tertio regula nō iubendi, neque reprehendendi.* Ad media idem negatiua spectat, quod in reg. 31. ex communibus, prohibetur. *Nemo præter eos, quibus per superiorem licet, quidpiam aliis iubeat, aliosve reprehendat.* Quæ duas habet partes ad vnionem fraternam ordinatas: sed circa priorem dubitabit aliquis; nam ad religiosum statum maximè spectat, vt omnes sibi inuicem seruiant, & ad hoc parati sint, idque maximè fraternam dilectionem conciliat: ergo ad eādem spectat, quod sibi inuicem etiam iubeant, quia hæc correlatiua sunt. Vnde Basilius in constitut. monast. c. 19. loquens de fœlici religiosorum vnione. *His* (inquit) *æquabiliture inter se alij aliorum, & famuli sunt, & domini, & in inuicta libertate accuratissimam sibi inter se seruiunt seruitutem.* Et Benedictus cap. 7. regulæ. *Obedientiæ bonum* (inquit) *non solum Abbati exhibendum est, sed etiam sibi inuicem obediant fratres, scientes per hanc obedientiæ viam, se ituros in Deum.*

Obiicitur contra priorem partem huius regulæ.

IV. *Satisfit obiectioni.* Respondeo spiritum obediendi, & seruiendi omnibus in vnoquoque esse laudabilem, & valde cōciliare amorem: spiritum autem præcipiendi, & omnem significationem eius: è contra reprehensibilem, ac de se valde alienare animos. Adeò vt dixerit Bonauentura in speculo disciplinæ 2. p. principij c. 3. ad religiosam charitatem præcipuè pertinere se inuicem obsequio, beneficio, & honore præuenire: ita vt si fortasse in aliquo negotio præire cogamur, *non præcipere, sed demonstrare*, quæ agenda sunt, videamur. Itaque ex parte obsequentiū omnis subiectio, & seruitus ostendenda est: ex parte verò aliorum, præcipuè si superiores non sunt, omnis iubendi modus, & affectus vitandus est, quia superbiam redolet, & charitatem non conciliat. Et ideo Chrysost. hom. 58. ad populum, de antiquis monachis loquens eleganter dixit, *Non potest illorum quisquam audire contumeliam inferens, vel patiens, non imperans, nec cui imperetur, sed omnes ex ministratium sunt numero.* Et S. Benedictus c. 31. regulæ. *Fratres sic sibi inuicem seruiant, vt nullus excusetur, nisi causa ægritudinis, aut grauis vtilitatis causa.*

V. *Obiicitur contra posteriorem partem eiusdem regulæ.* Circa aliam etiam partem, dubitabit aliquis, quomodo iubeamur alios non reprehendere, cùm cap. 4. examinis §. 8. doceamur, paratos esse ad aliorum correctionem, debita charitate cooperari. Cūque Christus D. dixerit, *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corrige illum inter te, & ipsum solum*, Matth. 18. *Respōdetur.* Respondeo aliud esse charitatiue monere, aliud reprehendere: nam illud potest esse officium, nō tantùm æqualium inter se: sed etiam inferioris ad superiorem: vt D. Thom. 2. 2. quæst. 33. art. 4. docet, & eo loco Matthæi intenditur: cum omnes de fraterna charitate intelligant; hoc verò est vsurpare officium superioris vel iudicis, quod ad aliam virtutem spectat: itaque monere ex charitate, solùm est, blandè, leniter, & humiliter rem proponere, ostendere, & rogando magis, quàm exasperando expostulare: reprehendere autem est authoritate quadam obiurgare, vtendo aliqua verborum asperitate, quasi in pœnam, & vindictam delicti, quæ ad superiores spectat. Hac ergo ratione reprehensio æqualium inter se prohibetur in nostra regula, vt charitati contraria. Atque eodem sensu S. Benedictus cap. 70. suæ regulæ præcipit, vt nemo audeat alium castigare: reprehensio enim quædam castigatio est, & inter homines prudentes non parum grauis. Sic etiam Ioannes de Capistrano c. 5. *Nullus* (inquit) *audeat alium increpare, nisi authoritatem habeat, vigore sui officij.*

VI. *Datur bona fide à fortiori robiratur.* Adde quòd etiam superiores ipsi monentur, vt in reprehensionibus paternam lenitatem, & moderationem seruent, ita vt si fieri posset, non tā reprehendere, quàm rem ostendere videantur, iuxta illud Pauli Galat. 6. *Vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.* De qua re optimè Concilium Tolet. XI. cap. 7. *Plus* (inquit) *ergo corrigendos agere debet benevolentia quā seueritas, plus cohortatio, quam commotio, plus charitas quam potestas.* Si ergo in superioribus ipsis tanta moderatio in reprehensione requiritur, cæteris inter se quoad hoc æqualibus, meritò omnis reprehensio interdicitur, quamuis fraterna monitio commendetur, quæ tamen à senioribus, licèt Prælati non sint, maiori quadam authoritate, & charitate fieri potest sine acerbitate, tamen quæ reprehensionem simpliciter efficiat, vt regula, & charitas melius seruentur.

VII. *Spectat 4. regula non contendendo cum alio, disputando, practice iudicando.* Ad eundem charitatis finem referendū est, quod in reg. 28. ex communibus ordinatur, *Nullus cum alio contendat, sed si qua in re nobis est diuersa sententia, eaque vtilitate detur manifestanda, rationes modeste, & cum charitate afferantur, eo animo vt suus veritati sit locus, non vt in ea re superiores videamur.* Cum hac regula consonat, quod 3. p. constit. cap. 1. §. 18. & in Summario constitut. §. 42. I*dem sapiamus omnes: idem omnes dicamus*, vt Apostolus admonet. *Doctrinæ igitur differentes non admittantur, nec verbo in concionibus, vel lectionibus publicis, nec scriptis libris. Imo & iudiciorum de rebus agendis diuersitas, quæ mater esse solet discordiæ, & inimica vnionis voluntatum, quantum fieri potest, euitari debet.* In quibus regulis non solū exterior contradictio, vel contentio, sed etiam interior dissensio cauenda dicitur, nec tantum in practicis iudiciis, sed etiam in doctrina, & speculatiua scientia. Tria ergo prohibentur: contrarietas opinionum,

exterior contentio, & contradictio verborum, in eis, dissensio in iudiciis de rebus agendis.

VIII. *Opinionum dissensio, quomodo officiat charitati.*

De primo, est quidem recepta sententia opinionum diuersitatem, per se non esse charitati contrariam. ita D. Thom. docet 2.2. quæst. 28. art. 3. ad secundum. vbi ex Aristot. 9. Ethic. cap. 1. & 3. adducit concordiam in opinionibus non pertinere ad amicitiam. Vnde infert, nihil prohibere aliquos inter se charitatem habentes, in opinionibus dissentire, nec hoc repugnare paci: *quia opiniones sunt in intellectu, qui præcedit appetitum, qui per pacem vnitur:* Sed licèt hoc verum sit, vsus ipse, & praxis ostendit, opinionum diuersitatem, & frequentem contradictionem, non parum obesse vnioni charitatis, & sæpe discordiam parere cap. vlt. 90. d. & ad minimum remittere feruorem, & perfectionem eius minuere: vel quia licèt opiniones pertineant ad intellectum, vt D. Thom. ait, tamen multum pendent ex affectu, & pia affectione voluntatis, & quoad hoc opinio est posterior voluntate. Vnde timeri potest, ne opinionum varietas ex defectu vnionis voluntatum proficiscatur. Vel quia opinionis contradictio apprehenditur, vt diminutio quædam propriæ æstimationis, & famæ, quæ occasio est: vt affectus ad alium minuatur. Vel denique quia hæc contrarietas sæpe prouenit ex quadam æmulatione, circa doctrinæ propriæ existimationem, & honorem, atque alia humana commoda, quæ inde proueniunt. Hinc Abbas Ioseph. apud Cassianum collat. 16. cap. 8. *Quemadmodum* (ait) *carnales adhuc & imbecilles fratres ob vilem, terrenamque substantiam, inimicus ille disiungit: ita etiam inter spirituales gignit pro intellectuum diuersitate discordiam.* Ad eundem modum S. Ambr. in ep. ad Rom. c. 14. exponit: propter pugnas opinionum tollendas scriptum fuisse caput illud ab Apostolo, *Disceptationes* (ait) *erant inter eos, quas Apostolus concordiæ, & saluti studens diuina disputatione confutat.* Multo ergo magis ab his dissensionibus cauere debent, qui perfectam charitatem fraternam concupiscunt, prout etiam cautum est in 5. congreg. decreto 31.

IX. *Quo modo etiam officiat si exterius prodeat contentio, e disputando.*

Quia verò humana conditio non fert vt in his rebus, quæ sub fidem, aut scientiam non cadunt, omnino diuersa ingenia consentiant, ideo per hanc regulam non præcipimur nullam inter nos habere opinionum diuersitatem, *sed vt doctrinæ differentes non admittantur.* Quod in primis intelligitur, quoad doctrinam solidam, magisque in Ecclesia approbatã, in ea enim non debet admitti diuersitas inter nostros, cùm nouæ opiniones tali doctrinę repugnantes admittendæ non sint, vt in declaratione lit. O. dicitur citato loco constit. Deinde in opinionibus (vt ibidem dicitur) in quibus Catholici Doctores variant inter se, vel contrarij sunt, curandum est, vt conformitas etiam in Societate sit, vtique quoad fieri possit. Tertiò intelligo præcipuè intentum, ac necessarium esse, vt hæc diuersitas (si qua fit) non sit in toto corpore doctrinæ (vt sic dicam) ita vt videantur esse inter nostros quasi scholæ contrariæ; hoc enim maximè solet animorum diuisionem efficere.

X. *Diuersitas doctrinæ ex affectu nata, maximè vetatur à regula.*

Illud etiam maximè ex vi illius regulæ, videtur intentum, vt diuersitas doctrinæ, quæ ex affectu, & directa voluntate procedit, nulla ratione permittatur: namque ex instituto doctrinam alterius oppugnare, indicium vehemens est dissentientis potius voluntatis, quàm intellectus, & ideo non potest non nimium nocere charitati. Tandem ad obseruationem huius regulæ maximè pertinet, vt non cum offensione alterius eius doctrina oppugnetur in publicis lectionibus, concionibus, aut scriptis libris: hoc enim est, quod non solum alterius animũ offendit: sed etiam scandalum maximè inferre solet, præsertim si acerbè & contentiosè fiat; vnde præ oculis habenda est illa Nazianzeni sententia orat. 26. de moderatione in disputationibus habenda, *Turpe est profecto in veste, ac vestitus ratione, non subhorrere, sed viliorem eligere, ac genuum callo, lacrimarum fontibus, ieiuniis, vigiliis, chameunitis, labore, atque omnis corporis maceratione humilitatem præ se ferre, ac propriam imbecillitatem agnoscere: in diuinis autem disputationibus principatũ, & tyrannidem sibi vendicare, nec cuiquam omnino cedere, verum supra omnes legis Doctores supercilium efferre, vbi humilitas, non solum gloriam habet, sed etiam securitatem.*

Non satis verò est in doctrina vnitatem procurare, nisi etiam in rebus agendis iudiciorum diuersitatem euitemus; Quia *solet esse mater discordiæ, & inimica vnionis voluntatum.* Hæc enim dissensionis occasio, frequentius, & generalius in iudiciorum diuersitate circa res agendas, quàm in doctrina occurrit, eſtque magis perturbationibus expositа; quia non solum inter doctos, sed etiam inter indoctos, & inter magnos & paruos inuenitur, & in singulis ferè rebus & actionibus interuenire potest: & ideo solet esse maius dissensionum seminarium, eoque efficacius, quo maiori affectu in his humanis rebus, & exterioribus actionibus versamur. Quod eleganter exaggerat Bonifacius Papa, relatus in Clem. *Dudum*, de sepulturis, vbi inter alia (inquit) *Dissensiones & scandala prauis actibus aditum præparant, rancores, & odia suscitant, & illicitis moribus ansam præbent.* Hæc enim discordia, & animarum amaritudo, maximè augeri solet per verborum contentionem. Diuersitas enim iudiciorum (vt suprà num. 9. dicebam) adeo humana est, vt si lenitate, & moderatione verborum, animique modestia proponatur, neminem prudentem offendat; at contentio, temeraria cõtradictio, & pertinax propriæ sententiæ defensio, plurimum lædit: & ideo hoc totum nobis maximè vitandum proponitur. Quod fuisse Pauli consilium ad Rom. 14. dicẽtis: *Quæ pacis sunt sectemur*, exponit ibi Ambr. dicens: *Quoniam disceptatio discordiam parit, ideo vt pacifici esse possimus à contentione edendi, & non edendi dissimulare nos docet.* Nazianz. autem etiam in rebus leuioribus ab huiusmodi vitio abstinere nos iubet, in suprà citata oratione dicens: *maximè ita comparatum est, vt omnis sermo contentiosus, & cum ambitione comunctus sit, quo ad contendendum de rebus grauioris momenti prouehamur: proinde curæ nobis esse debet, vt quemadmodum pueros imprimis moribus, & prima institutione fingimus, vt insequentis ætatis improbitatem fugiant: ita nos quoque ne in leuibus quoque, paruique momenti disputationibus audacia atque ineptiæ significationem præbeamus, ne ea tandem diuturna consuetudine in maioribus abutamur.* sic etiam Augustin. in lib. 1. contra Academic. c. 3. Adolescentes inquit assuefaciendos esse, ne quod semel dixerint, pertinaciter defendant: inde enim contentiones maximè oriri solent. De quo videri etiam potest Hieron. dialog. 1. contra Pelag.

XI. *Quomodo scandalum fiat ex diuersitate opinionum.*

XII. *Ira contentionis maior est religiosis.*

Præcipuè verò de religiosis Basil. in reg. 49. ex fusioribus sic ait: *Quotiescunque aliqui inter se de re aliqua collidunt dissidentes, & corrixantes, eos nequaquam inter se pugnaciter nimis contendere debere, sed controuersiæ decisionem superioribus reseruare.* Augustin. verò in reg. cap. 29. & 34. *Lites*, ait, *nullas habeatis, aut quàm celerrimè finitas, ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca.* Maximè verò vitium hoc contentionis exaggerare videtur Ioan. Climacus gradu 4. de obedientia post medium dum ait: *Is, qui dum loquitur, verbum suum, quamuis illud sit verum, firmare voluerit, sciat se diaboli morbo ægrotare.* Non enim loquitur de confirmatione per iuramẽtum, quæ longè solet esse à religiosis, sed de contentiosa affirmatione, quæ ex superbia oriri solet, quã vocat dæmonis ægritudinem. Vnde subiũgit, *Quod si cũ suis æqualibus colloquendo id facit, fortassè aliquando maiorum increpatione curabitur: sin verò in maiorum, & sanctiorum sermone contra sententiam pertinax in sua opinione perseuerat, humana arte nunquam sanari poterit.*

Cauere

XIII. *Adhortatio.* Cauere ergo debent, qui in suis sententiis, & iudiciis nimis tenaces sunt, facileque aliis contradicunt, ne ab eo charitatis vinculo, quod Societas postulat, declinent, & paulisper deficiant: Si enim haberent cor vnum, & animam vnam cum omnibus, non facilè ab eis dissentirent; vt enim eleganter dixit Chrysost. hom. 58. ad Popul. agens de hac monachorum concordia, *cum omnibus sit vna anima, qualiter hæc ipsa contra seipsam insurgeret.* Porro pro hoc vitio contentionis, tã in speculatiuis, quàm in practicis curando, videndum c. 16. industriarum, ad superiores Societatis.

XIV. *2. Medium principale etiam negatiuum ac per contrarium extremum ne sint nimia familiaritates, Sumitur hoc med. ex c. 4 exam.* His adiungere possumus medium aliud, quo vitium per contrarium extremum veræ fratrum dilectioni repugnans cauetur: nimirum priuatæ affectiones, & nimiæ familiaritates, ac singulares amicitiæ fratrum, seu religiosorũ inter se. De quo pauca inuenio in toto Societatis instituto expresse, & in particulari tradita esse, licèt multa sint generaliter constituta, in quibus consilium à fortiori includitur. Quale est illud quod in examin. c. 4. §. 7. & in Summario constit. §. 8. habetur. *curandum est vt omnẽ carnis affectum erga sanguine iunctos exuant, ac illum in spiritualem conuertant, eosque diligant eo solùm amore, quem ordinata charitas exigit,* &c. Si enim de parentibus, & fratribus omnibusque consanguineis hoc præscribitur, multo magis de qualibet humana, seu carnali amicitia coniunctis, intelligendum est. Est ergo generalis regula Societatis, vt neminem diligamus, nisi eo amore, quem ordinata charitas exigit: priuatæ autem amicitiæ, etiam inter fratres spirituales, multum derogant huic ordini charitatis, vt ostendemus, ergo, &c.

XV. *Sumitur ex 3am exp 3. const c. 1. Item ex p. 10. constit.* Præterea in eodem Summario §. 27. ex p. 3. constit c. 1 §. 26. ita præscribitur, *in omnibus quærant Deum exuentes se, quantum fieri possit amore omnium creaturarum, vt amorem vniuersum in ipsarum creatorem conferant, eum in omnibus amando, & omnes in eo, iuxta sanctissimam, ac diuinam ipsius voluntatem.* Per hanc ergo regulam aperte prohibetur omnis priuata amicitia, quæ ex diuina charitate non descendat: nam si in illa fundata fuerit, iam priuata non erit, vt declarabimus. Ad hæc in eodem Summario §. 43. ex p. 10. constit. §. 11. inter media maximè necessaria ad charitatem fraternam, hoc ponitur. *In Societate non sentiatur animorum propensio ad alterutram factionem, quæ esset fortassis inter principes, vel dominos Christianos, sed sit potius quidam vniuersalis amor, qui partes (omnes licet sibi inuicem contrariæ sint) in Domino nostro complectatur.* Nam reuera non solùm ad pacem cum ipsis externis conseruandam & vitanda scandala, sed etiam ad vitanda inter ipsos fratres dissidia, est hoc consilium necessarium; quia dum vnus vni factioni, & alter alteri afficitur, inter se disiungi necesse est: ergo à fortiori, omnis priuata affectio, quæ diuisionem respectu aliorum, & consequenter scandalum charitati contrarium afferre potest, cauenda est. Et ideo inter ea, quæ in reddenda superiori ratione conscientiæ aperienda proponuntur, in particulari instructione de ea re, vnum est, *An alicui sit plus familiaris quàm aliis:* & in cap. 8. industriarum numero 9. quomodo vitium hoc curandum sit, apprimè traditur.

XVI. Est de hac re egregia constitutio 30. S. Basilij inter monasticas constitutiones, quam hic fere totam referre libet, quia singula verba grauissima sunt, & ad nostrum propositum confirmandum aptissima. *Charitatem* (inquit) *mutuam inter se fratres habere debent, non ita tamen, vt duo, tresve seorsim à cæteris sodalibus inter se coeant, quandoquidem hoc non charitas, sed diuisio, & seditio, & eorum, qui inter se coeunt, improbitatis indicium est: si enim communis decus disciplinæ charum haberent, qui tales sunt, sine dubio communem, æqualemque aduersus omnes charitatem tenerent. Si verò ipsi à reliquis sua sponte, abscissi disiunctique in cœtu, cœtum efficiant, vitiosa huiusmodi amicitiæ conciliatio est, & diuersam quandam à communibus institutis rem esse oportet, quæ hos inter ipsos conciliet: atque hoc profectò nihil est aliud, quàm contra veterem disciplinæ stabilitatem, constantiamque innouatio.* Et postea subdit, *Qui hoc vitio laborat, si post debitam correctionem non emendetur, vt omnium pestilentia contacta ab reliquo ouili segregandus, ne in reliquos quoque morbi contagionem transfundat.* Eandem doctrinam multis in locis idem Basilius commendat, atque exaggerat. Nam regula 34. ex fusioribus, amorem hunc priuatum *vitiosum* appellat, & *vitium maximè infame, quo mutua & concors conspiratio, quæ ex charitate nasci consueuit, distrahitur, & in eius locum suspiciones prauæ, æmulationesque atque obtrectationes clam arrepunt.* Idem serm. de Abdicatione rerum circa med. vbi ob custodiam etiam, & cautelam pudicitiæ, & honestatis hoc maximè commendat, & concludit; *Crede mihi quoniam fraterne tibi, atque ex intimo animi recessu loquor.* Serm. autem 1. de instit. monast. versus finem, pro charitatis necessitate hanc legem constituit. *Non patitur charitatis lex aliquas ciri seorsim amicitias, aut sodalitates.* Et subdit rationem, *Quia fieri non potest, quin affectiones istæ, quæ in hanc potius, quàm in illam partem propendent, plurimum incommodent communi omnium concordiæ.* Et qui in hoc delinquit (subiungit inferius;) castigandum esse vt iniurium publicæ charitati, si quidem in eo quòd quis aliquem vnum plus diligit, facilè indicat reliquos se in amore inferiores habere.

XVII. *Suam doctrinam tẽperat Basil.* Hanc vero doctrinam ita moderatur idem Basil. serm. 2. de instit. monach. *vt licet æqualis & similis charitas aduersus omnes tenenda sit, vnicuique tamen, pro cuiusque decoro, honos habeatur.* Et sicut in naturali cõpore omnia membra quadam æqualitate diligimus, & dolore carere procuramus, magis autem illa, quæ nobiliora, & vtiliora sunt: *Sic quoque* (ait) *in cuncto conuentu, cùm æqualiter misericordia ex malis cuiusque moueamur, & similiter charitate aduersus omnes simus propensi: nihilominus tamen iis, qui vtiliores sunt, maiorem, vt æquum est, honorem habeamus.* Quocirca hæc charitatis amplitudo, & æqualitas, ordinem debitum, iustamque distributionem non excludit, vt iterum cap. sequenti numer. 4. in simili attingemus: imò eius perfectio, & conseruatio, non minus ex hac difformitate (vt sic dicam) quàm ex illa vniformitate consurgit. Nam sicut ex priuatis affectionibus inordinatis oriuntur suspiciones, inuidiæ, obtrectationes, & similia vitia, quæ charitatem lædunt, ita ex indebita paritate ordo confunditur, & virtus debito honore, ac præmio priuatur, vnde fieri solet, vt eius studium remittatur. Atque ob eam rẽ iudicio omnium sapientum non minus necessaria est ad fouendam charitatem, iusta distributio, quã communis beneuolentia. Vnde idem Basil. in reg. breuior. in 170. cum interrogatum esset, Nunquid eodem loco habendi sint, quorum in rectè factis maior & quorum minor vigeat industria. Respondet afferendo Christi & Pauli verba: ille enim Luc. 7. dixit, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, & cui minus dimittitur, minus diligit.* Et Pauli 1. Timoth. 5. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt, maxime qui laborant in verbo, & doctrina;* & concludit, *Hoc rectum arbitror, vt in omnibus, qui istiusmodi sunt, seruetur.* Quod latè etiam docet Cassian. collat. 14. c. 16. exemplo Christi Domini Ioannem specialiter diligentis id confirmans. Non igitur omnis amor, qui ad quosdam maior fit, quàm ad alios in religione reprehẽditur: sed ille qui modum excedit, ideoque singularis, ac priuatus, quasi per antonomasiã dicitur.

XVIII. *Nimia familiaritatis vnum indicium.* Indicia autem talis amoris sunt: primò si ratio maioris amoris non sit, aut maior Dei gloria, & honor, vel maior religionis, aut animarum vtilitas, aut

aut maior virtus, & sanctitas, quæ in tali persona cernitur, quidquid enim ad hæc motiua non reducitur, alienum est ab ordine charitatis religiosæ: adeò vt Basil.dict.serm.2.de instit.monast.dicat etiam sanguinis coniunctionem, quantumuis propinquam, in religiosa charitate non spectandam, sed pro nihilo habendam esse. Secundò si talis affectio ad vnum aliquem,auertit aliquo modo animũ ab aliorum dilectione, ita vt vel eorum consortia, & conuersationem, quam communis charitas postulat,declinet:aut moleste ferat, aut eorum necessitatibus non ita libenter subueniat; signum apertum est excelsum illum, non ex ordine charitatis, sed ex priuata affectione oriri. Tertiò ex aliis affectibus planè cognoscitur: nam charitatis amor est ordinatissimus, & non nisi debito tempore, & loco,sine cuiusque offensione ostenditur. Si ergo affectio illa inclinat ad tempus otiose terendum, vel ad aliquid aliud,quod perfectioni, ac regulæ consentaneum non sit;priuata affectio est,non charitatis debitus amor. Vnde maximè læditur charitas, vtBasil.suprà egregiè prosequitur,quando sine manifesta causa, plus vni quàm alij tribuit, vel si munerum,aut bonorum distributio, sine debita proportione fiat.Nã licet vnusquisque religiosus,quantum in se est,debeat omnia contemnere, & viliorẽ gradum appetere;tamen respectu aliorum, singulorum merita spectanda sunt, & debito honore, & amore prosequenda: quod maximè ad superiores spectat,à quibus grauius charitas offenditur,quando priuatis affectionibus, & non iuxta vniuscuiusque facultatem,ac merita, habita communis vtilitatis ratione, labores & honores singulis distribuunt,vt optimè attigit idem Basil. regula 303. ex breuioribus.

Alterum.

Tertium.

CAPVT VIII.

De mediis positiuis quibus fraterna charitas in Societate conciliatur.

I. VEniamus ad alia media,quæ non in prohibitione,sed in actione consistunt, & ad eundem finẽ conciliandi charitatem fraternam ordinãtur. Quæ partim interna esse possunt, partim externa. Illa generaliora sunt, & ex interno spirituali profectu maximè pendent: huiusmodi est quod 8. p. constit. cap.1.§.8.dicitur,*præcipuum vtriusque partis vinculum, ad membrorum inter se & cum capite suo vnionem, est amor Dei, ac Domini nostri Iesu Christi,cum cuius diuina, & summa bonitate,si superior, ac inferiores valde vniti fuerint, perfacile inter seipsos vnientur.* Vnde quia hoc vinculum oratione,ac meditatione maximè crescit,iuxta illud Psal.38.*In meditatione mea exardescit ignis*; ideo sine dubio hæc est certior,& solidior via ad hanc vnitatem obtinendam. Sic etiam reduci ad praxim optimè poterit quod p.3.constit.cap.1.§.4. dicitur, *Atque ita fiat, vt se mutuò considerantes omnes in deuotione crescant, Deumque,ac dominum nostrum laudent, quem quisque in alio,vt in illius imagine agnoscere studeat.* Quæ regula sumpta videtur ex reg.5.Augustini,quam statim num.3. referam,estque ad rem præsentem optima:quia nihil ita conciliat erga aliquem veræ charitatis amorem,quàm singularia virtutum ornamenta, & Spiritus sancti dona in eo conspicere, eumque vt Dei imaginem,optimis gratiæ coloribus depictum, cõtemplari.Si ergo omnes, & in seipsis studeant in his virtutibus & donis crescere; & in aliis ea frequenter considerare,eosque (vt ibidem dicitur) tanquã sibi superiores in animo ducere & de illorum spiritualibus bonis gaudere, Deoque gratias agere mirum profectò in modum,mutua inter eos charitas crescet.

Hæc media quadã sunt interna, & vnio cuiusque nostrum in Christo.

Item oratio.

Item consideratio donorum in alijs.

II. Exteriora media quædam etiam generalia sunt, & ad alias virtutes pertinent. Huiusmodi est quod de obedientia ad hunc finem commendatur in 8. part.constit.cap.1.§.3.& sequentibus. *Huiusmodi vnionis* (dicitur ibi) *magna ex parte obedientiæ vinculum conficitur.* Simile est paupertatis & humilitatis medium de quo ibidem §.8.dicitur, *Ad vnionem maximè instituit rerum temporalium contemptus*, &c. inter temporalia namque honores,& dignitates,æquè ac diuitiæ, & corporalesque commoditates computantur: nec minus illorum, quàm horum bonorum contemptus ex Dei charitate sequitur,vt citatus §.8. loquitur:peculiariter verò paupertatis medium, vtpote religiosi ratione voti propriissimum, quod luculẽter tradidit Basil.in constit.monast.c.19.*vbi* (inquit) *omnia communia sunt, animi, mentes, corpora, & ea omnia, quibus necessario ad victum, cultumque vtimur, communis Deus,communis pietatis mercatura,communes labores*, &c. Idem prosequitur cap.35. & Cassian. collat.16.c.6. afferens id Actor.4.*Erat illis cor vnum,& anima vna.* Et statim subditur,*Et erãt illis omnia communia.* Chrysost. lib.3.contra vitup.vitæ monast.& orat.de S.Philogonio,& alia congerit Gratianus 12.q.2.c. *dilectissimis*,cum aliis.

Quomodo paupertas sit vnionis medium.

Mensa communis.

Alia verò sunt magis specialia, quale in primis est,quod in eodem §.8.subiungitur,de vniformitate,& conformitate in omnibus rebus etiam externis,vt in vestitu, victu,omnique viuendi modo;similitudo enim est causa amoris: & hęc vitæ vniformitas,ac communis consensio, maximè ad animorum vnitatem iuuat.Vnde August.in Reg.cap.5.*Omnes vnanimiter,& concorditer iuuant*: ac si diceret,vt iuuant concorditer,necesse est,vt viuant vnanimiter.Et subdit, *& honorate in vobis Deum inuicem, cuius templa facti estis.* Quia Deus solus est *qui habitare facit omnes vnius moris in domo*, vnde hæc vniformitas maximè facit, vt Deus in omnibus recognoscatur, & consequenter,vt omnes in Deo maximè vniantur. Huc spectat mensa communis, quæ adeò in Societate communis est,vt nullus quantumuis grauis,& antiquus,siue superior,siue doctior, siue cuiuscunque alterius conditionis ab illa excipiatur, nisi ægritudinis causa,solo dempto Generali,cui ob graue pondus occupationum aliasque causas, hoc singulariter concessum est in Congreg.3. generali c.5. imò & in 7.Congreg.decreto 7. commendatur maximè P.Generalis propensio, quam ipsi congregationi significauerat, ad tollendam priuatam mensam,quod etsi non obtinuit, facto tamen ipso,sed illa priuauit. Quam communitatem antiquorum monachorum maximè commendat Chrysostom. l. 3. contra impug. vitæ monast. *Cuncta* (inquit) *illis communia sunt, mensa, domus, indumentum, & quod sanè mirabilius est, vnus etiam, idemque animus omnibus est*: indicans illam externam vnitatem multum ad hanc animorum vnitatem conducere.

III. *Forma in qua vniformitas in mutuo modo.*

IV. *Quomodo mensa communis.*

Nec mensa solùm dicitur communis in loco, & tempore,sed maximè in vsu ciborum, nam ident omnibus absque singularitate apponi debent, de vnitate quo Chrysost.hom.58.ad Populum de religiosis loquens, *vna mensa & ministerium suscipientibus, & exhibentibus,eadem fercula, eadem indumenta, habitacula eadem,eadem vita.Et quid miraris* (subdit) *quod vna sit omnibus dicta,vestis,& mensa, quippe cum omnibus sit vna anima.* Et ob hanc causam omnis etiam singularitas in communi mensa cauetur, quia solet valde pusillorum animos offendere, & consequenter charitatẽ perturbare, vt optimè docet Bernard. sermon.30. in Cantica. Quanquam hoc impedire non debeat, vt præcedenti cap.numer.17. in simili dixi, quominus necessitatibus omnium,cum proportione subueniatur,iuxta illud, *diuidebatur singulis, prout vnicuique opus erat*: nam hoc ipsum charitas ipsa desiderat. Vnde Benedict.cap.34.Regulæ, *Non dicimus* (inquit) *vt per*

vt personarũ (quod absit) acceptio sit, sed infirmitatum consideratio: vbi qui minus indiget, agat Deo gratias, non contristetur: qui verò plus indiget, humilietur pro infirmitate, non extollatur pro misericordia, & ita omnia membra erunt in pace. Et S. Augustinus c. 11. Reg. *Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine si aliter tractantur in victu, non debet aliis molestum esse, nec iniustum videri, quos fecit aliqua consuetudo fortiores: nec illos felitiores putent, quod sumunt, quod non sumũt ipsi, sed sibi potius gratulentur, quia valent quod non valent illi.*

V. 2. Principale medium mutuæ charitatis, ægrotantium cura.

Huc accedit singularis ægrotorum, & infirmorum cura, quam nostra Societas profitetur, quæ illi quidem singularis non est. nam religiones omnes in ea splendent & ab omnium fundatoribus maximè commendatur. Basil. cap. 19. constit. monast. *vbi* (dicit de vita cœnobitica) *qui infirma corporis valetudine est, complurium animos imbecillitatis sua participes habet: qui verò animo æger est, & affligitur, etiam complures præsto sunt, à quibus curetur, à quibusque quotidie erigatur;* significans sub hac ægrotantium cura, omnia misericordiæ opera comprehendi, quibus fratres sibi inuicem subuenirent, nunc infirmum curando, nunc afflictum consolando, nunc laborantem adiuuando, nunc etiam labantem confortando, aut iam lapsum corripiendo, & erigendo. Vnde in regulis moralibus in 41. cap. 2. lenitatem, & facilitatem circa infirmos valde commendat. Et in regulis breuioribus in 155. ait, ministrandum esse infirmis; *vt fratribus Domini.* Præterea D. Augustinus in sua regula sæpius hanc infirmorum curam commendat ca. 13. 28. 30. & 40. Et optimè S. Benedictus c. 36. *Infirmorum cura ante omnia & super omnia adhibenda est, vt sicut reuera Christo, ita eis seruiatur.* Et infrà, *cura maxima sit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur,* &c. Quod confirmauit Innocentius III. in cap. *cum ad monasterium,* de statu monachorum. Eidem rei prouidit S. Pachomius in sua regula. cap. 20. 22. & 23. vbi sunt illa verba notanda. *Dabunt ei ad omnem abundantiam, vt in nullo frater languidus contristetur.* Cui consonat, quod in proœmio ad illam regulam de Ægyptiis monachis refert Hieronymus, *Ægrotantes muris sustentantur obsequiis, & ad omnem coptam præparatis cibis.* Et idem sumitur ex S. Dorotheo doctr. 18. de vita rectè instituenda.

VI. Simulata quorundam infirmitas non debet retardare ab hoc medio.

In regula S. Francisci nihil inuenio de hac re expressum, tamen certum est eundem fuisse illius eximij sancti Spiritum, quem copiosè declarauit S. Bonauent. lib. de sex alis Seraphim. cap. 4. tom. 2. Opuscul. in fine. Vbi inter alia optimè aduertit, non esse aliquibus denegandum infirmitatis subsidium, eo quòd aliqui, vel ex illusione, vel ex malitia, interdum decipiant, sed potius subueniendum esse omnibus, ne boni, & verè indigentes fortasse patiantur. Et ideo etiam prudenter præcipit D. Augustinus Reg. 28. *Si latens est dolor in corpore famulo Dei dicenti quòd sibi doleat, sine dubitatione credatur, sed tamen vtrum sanando illi dolori, quod delectat expediat, medicus cõsulatur.* Præterea in Concilio Aquisgran. sub Ludouico Imperat. c. 42. Clericis, seu Cãonicis regularibus, hæc regula maximè commendatur. Item Lupus in regula monachorum ex S. Hieronymo c. pen. *Si quis* (ait) *ceperit ægrotare, transferatur ad exedram latiorem, & tanto senum ministerio conueniat, vt nec delicias vrbium, nec matris quærat affectum.* Et in Regula Monacharum c. penult. sub nomine eiusdem Hieronymi dicitur *summopere seruetur in vobis vt ergà infirmantes sorores cum omni sollicitudine, omnis exhibeatur cura,* &c. quę optimè prosequitur.

VII. Dictum medium studiosè obseruat Societas.

In hoc igitur maximè studet Societas antiquos Patres religionum imitari & hoc medio beneficentiæ, & misericordiæ erga infirmos charitatem fraternam conciliare. Ideo in 3. p. constit. c. 2. §. 6. cum declaratione dicitur, vt ægrotorũ magna cura habeatur: idque Præposito in suis regulis. §. 65. & Rectori §. 56. maximè commendatur, estque peculiare officium Præfecti sanitatis, qui in suis regulis, & infirmarius etiam in suis, accuratè de hoc instruuntur, & monentur. & Prouincialis in cap. 15. suarum regularum monetur, vt dum visitat, interroget, an cũ infirmis, & hospitibus debita charitas exerceatur, quod etiam inuenitur in constitutionibus Minorum Guillelmi Farinarij c. 4. Præterea in Summario constit. §. 46. omnibus iniungitur: vt de reb⁹ ad salutem sibi necessariis superiores certiores faciant, ne fortasse ob ignorationem eorum aliquid patiantur. Et in sequentibus regulis, variis modis cura subditorum in hac parte superioribus cõmendatur. Item in regulis communibus 16. & 17. & in 29. omnes instruuntur quomodo ægrotos inuisere, exhilarare, & consolari debent. Quod etiam commendat Bonaui. in Regula nouitiorum c. 7. & ab antiquis religiosis fuisse valde obseruatum colligitur ex Dorotheo supra doctr. 14. & Sozomeno lib. 6. Histor. c. 31. Ac denique, quod caput est, vsu, & consuetudine ita est hoc charitatis officium in Societate susceptum, vt tam superioribus erga subditos, quã subditis inter se, nullum maiori affectu exerceri videatur: quod à parente suo Ignatio, non solùm verbo, sed etiam exemplo didicerunt, vt in vita eius refertur lib. 5. c. 8.

VIII. 3. Medium hospitalitas erga fratres.

Aliud medium superiori simile est, fratrũ sociorumque ad nostra domicilia vndique diuertentiũ hospitalitatem cũ omnibus signis, & operibus beneuolentiæ & charitatis. Quod quidem verbis satis commendatum est in Societatis regulis, multo verò magis vsu receptum, & amplificatum. In constitutionib. enim nihil de hac re expresse habemus, sed supponitur vt clara, & præsertim in 4. p. c. 2. lit. F. & 6. p. c. 2 lit. D. significatur, non solùm nostros peregrinos humanissime tractãdos esse, dum in loco aliquo versantur, sed etiam vestes & viaticum, si indiguerint, eis esse præstandum: neque hoc posse esse paupertati cõtrarium, si charitati videatur necessarium; tamen in regula 82. Præpositi, & 80. Rectoris distinctius ita præscribitur *charitatem magnam exhibeat erga alios de Societate per Collegium transeuntes eosque amanter hospitio excipiat: ac memineri se aliquo viatico, aut eleemosyna eos si indigerent, iuuare posse. Curet item diligenter dirigere, ac iuuare expeditiones hospitium, qui negotiorum causa, domi versantur.* Et in regulis Prouincialis cap. 15. in visitatione, specialiter proponitur, vt inquirat, An erga nostros hospites debita Societatis charitas, & cura exerceatur. Vnde colligitur officium hoc in vnoquoque Societatis domicilio, ad totam in vniuersum Societatem extendi, sine vllæ nationum vel prouinciarum distinctione, absque personarum acceptione, vel limitatione, siue professi sint, siue nouitij; siue sani, siue infirmi; siue noti, siue ignoti, ad omnes magna charitas exhibenda est.

IX. Dicit absque hospitalitate signis beneuolentia ostendenda.

Quæ inprimis in ipsa receptione ostendenda est; quæ esse debet cum externis signis maximæ amicitiæ, qualia exhiberi solent de more regionis, à gratuibus inter se amicis, aut etiam consanguineis. Et ideo cum in regula 34. excommunibus cautum sit, *vt nemo alium etiam ioco tangat, vt ea, quæ religiosos decet, grauitas, & modestia retineatur,* subditur, *Præter quàm in signum charitatis amplexando, eum qui aut abit, aut redit peregrè.* Deinde non solis signis, sed etiam multo magis omnibus misericordiæ, & humilitatis operibus vtendum est, nec laboribus, nec sumptibus parcendo, quantum & religiosa paupertas permittit, & fratris necessitas postulat. In quo planè imitatur Societas, quod de antiquis monachis refert Chrysost. homil. 58. ad Populum; *omnes ex ministrantium sunt numero, & hospitum quisque pedes abluit, & multa de hoc contentio, & hoc facit non examinans quis ille sit, & verum liber sit, an seruus, sed vnicuique ministerium*

hoc

hoc exhibet. *Nullus ibi magnus, nullus paruus.* Eandem charitatis ostensionem valde commendat Benedictus c.53. suæ regulæ; vbi generalius quidem loquitur de omnibus hospitibus, multo verò specialius de propriis fratribus id intelligit.

X. *In ipsa hospitalitate frugalitas tenenda.*

Eodem modo loquitur Basil. in Regulis fusioribus cap.20. vbi tamen multum commendat, ne in conuiuando cum hospitibus religiosa modestia, & paupertas excedatur; *Quid* (inquit) *nobis cum apparatibus sumptuosis? Accessit ad nos hospes aliquis? Si frater est, & idem nobiscum vitæ institutum habet, is domesticam suam mẽsam agnoscat, quippe cum, quæ domi reliquerit, ea inuenturus sit apud nos. At defatigatus ex itinere? eatenus cum ipso prolixius liberaliusve agatur, quatenus ad recreandam eius lassitudinem satis sit.* Et post multa, quæ de hoc argumento eleganter prosequitur, & valde notanda sunt ad vitandos excessus, quos non charitas; sed vanitas, vel ambitio, in suscipiẽdis hospitibus, sæcularibus præsertim aliquando introducit; concludit, vnũquemque debere iuxta suam qualitatem, & necessitatem tractari, ita tamen, *vt cibaria, quæ promiscuè omnibus apponuntur, eiusmodi sint, quæ cùm vili pretio, tum paruo etiam negotio comparentur. Adhibenda tamen in mensa necessaria vbique mundtia, atque elegantia, ita tamen vt nunquam extra fines nostros egrediamur.*

XI. *4. Medium colloquium inter fratres statuitur.*

Hæc fortasse cæteris religionibus communia videbuntur: addamus igitur medium aliud, quod aliquibus ita videtur in Societate singulare, vt vel ob eam rem illud reprehendere non vereantur. Est enim in Societate consuetudo, de qua in regula Rectoris 55. & Præpositi 56. vt singulis diebus vna hora post prandium, & alia post cœnam, vel dimidia, cùm à cœna abstinetur, fratres omnes inter se familiariter, & amicè in eodem loco, si fieri possit, conueniant ac colloquantur. Quę consuetudo, licèt occasione tuendæ salutis, etiam introducta sit. 3.p. cõstit.c.2.§.4.lit.D. præcipuè tamen ob charitatem fouendam retinetur. Quoniam amicitia, Aristotele teste, communicatione crescit, taciturnitate dissoluitur. 8. Ethic c.5. vnde etiam Clemens I. epist.1. monet fideles, vt frequenti inter se communicatione, etiam in mensa, charitatem fraternam foueant. Quod fuisse in primitiua Ecclesia vsitatum statim dicemus, satisque peruulgatum est. Quippiam simile de antiquis Ægypti monachis indicat Hieronymus epist.22. ad Eustoch. de custodia virgin. solitos fuisse per decurias ad mensam conuenire, & postea hymno dicto, seu post gratiarum actionem, *vsque ad vesperam* (ait) *cum suis vnusquisque loquitur, & dicit, vidistis illum, & illum? quanta in illo sit gratia? quam moderatus incessus? si infirmum viderint, consolantur: si in Dei amore feruentem, cohortantur ad studium.*

XII. *Obiectio cõtra hoc medium ab incommodis.*

Dices: esto confabulatio aliqua ad hunc finem vtilis sit, tamen quoridianam, & duarum horarum, videri nimiam, tum quia silentium ab omnium religionum parentibus summè commendatur: tum etiam, quia in multiloquio non potest deesse peccatum; vnde vix fieri potest, vt frequens locutio, & per horas integras, non sit occasio multa peccata, saltem venialia, committendi; præsertim eo tempore, quo animus est ad loquendum procliuior; & per calorem cibi, quo dammodo *inflammatus facilius relaxatur*, vt ait Hugo de S. Victore in Instit. nouit. c.18. vnde fieri potest, & fortasse interdum contingit, vt, quod videtur esse medium ad charitatem fouendam, eam plurimum lædat, vel quia in tam prolixo sermone detractiones, aut murmurationes miscẽtur, vel quia contentiones excitantur, quæ in iras, & rixas saltem leues erumpant.

XIII. *Redarguitur obiectio.*

Hîc verò ab iis, qui ita recreationem hanc reprehendunt, percontari libet, danda ne sit aliqua religiosis viris, qua ordinaria exercitia intermittant, de se quidem indifferens, sed quæ in bonum ordinari queat? Certè non negabunt, tum ne suæ ipsorum cõsuetudini detrahant, tum ne sanctorum etiam Patrum, ne dicam sapientum Philosophorum, communi sensui contraueniant. Sic enim Clem. Alex. lib.3. pædagogi c.10. *supra modum laborare, & pessimum est: & morborum causa. Neque ergo oportet esse omnino otiosum, neque esse omnino nimis laboriosum.* Et August. li. 2. de musica in fine, *volo tibi parcas, labor est in charis, & apertum ire per auras animum permittas: nam sapientem interdum remittere aciem rebus agendis decet intentam.* Ambros. lib.3. de Virgin. columna 4. *quod velis prolixè facere, aliquando ne feceris,* quod ibidem parcemiam esse testatur: atque hanc doctrinam de honesta, & moderata recreatione, quam nomine *ludi* significat, probat tandem D. Thom. 2.2.q.168.art.3. At mutua collocutio facilior est religiosis, quàm cæteræ recreationes, quæ, quoniam varia requirunt instrumenta, operosæ sunt, nec, quotidianam de qua loquimur, religiosorum recreationem decent. Accedit quoniam collocutio nullo negotio potest de indifferenti reddi honestissima, si de rebus iis transigatur, quæ in Societate pro materia colloquendi proponuntur, vt infrà numer. 17. attingemus, præstat igitur cæteris genus hoc recreationis ordinariæ.

XIV. *Formalis obiectio contra medium proposit.*

Iam verò ad obiectionem directè respondetur, nihil esse tam sanctum, ac religiosum, quod nõ possit per abusum peruerti: sicut olim sancta intentione fecerunt inter se fideles vsitata conuiuia, quæ *Agapes* vocabantur, quorum meminit Clemens lib.2. constit. Apost. cap.28. vt ibi notat Turrian. & commemorat etiam Tertullian. in Apologet. c.39. & libro ad Martyres cap.2. & tamen tempore D. Hieronymi in tantum abusum abierant, vt dicat ipse epist.22. ad Eustochium, *Vnde in Ecclesiam Agapetarum pestis introit.* Sic igitur non negamus ex hoc sancto exercitio posse sequi incommoda, & interdum remissionem nimiam, non tamen propterea prohibendum esse, & in aliud extremum declinandum, sed per religiosam disciplinam ita dirigendum, vt inconuenientia præueniantur, & Societas suo fructu non priuetur: vnde hactenus consuetudo hæc Societatis ad charitatem fratrum conciliandam, & nutriendam, vtilissima visa est, & experimento comprobata.

XV. *Probatur quæ in obiectione.*

Nec solùm ad charitatem fouendam, sed etiam, vt ex constitutionibus & ex Alexandrino suprà attulimus, ad corporum salutem conseruandam visa est necessaria, nec multis ante annis, à grauibus religiosis experimento comprobata. Nam humana conditio non fert perpetuam animi contentionem in studiis aliisque spiritualibus exercitus, & ideo quietem aliquam & relaxationem postulat, vt egregiè D. Thom. explicat citata q.168.art.2. & 4. afferẽs vulgatum exemplum, S. Ioannis Euangelistæ dearcu nimium intenso, aut continuè sagittas emittente, quòd durare non possit. Quod etiam refert Abbas Abraham apud Cassian. collat.24. cap.21. Et ob hanc rem tempus illud electum est, quod simul vtrique fini animos laxandi, & conciliandi deseruiret: quia nullum est ad mentis exercitia obeunda minus opportunum; tunc enim animus in eis parũ profuit. Vt enim dixit Abbas Moyses apud eundem Cassianum collat.2.c.26. *Recens esca perceptio, tam in vespertinis, quàm in nocturnis orationibus tenuem, leuemque sensum inueniri non sinat.* Et alioqui talia exercitia eo tempore, multum corpori nocent. Vnde etiam Iurisconsultus in l. *medicus.* ff. de operis libertorum, ita dicit exigendam esse operam à libertis, vt liberalis sit exactio, *id est,* (ait) *vt acquiescere meridiano tempore, & valetudinis & honestatis suæ rationem habere sinantur.* Quia ergo religiosi Societatis & literariis & spiritualibus exercitiis perpetuò intenti esse debent, neque vllâ ferè aliam intermissionem, aut animorum relaxationem habent, præter hanc familiarem inter se & hone-

honestissimam conuersationem, imo & quorundam aliàs indifferentium recreationum instrumẽta eis vetantur in 3.p. constit.cap.1.§.14. & in regula 36. Rectoris, ideo huic otio illa tempora aptissimè designata sunt, & in 6. tandem Congre. decreto 3. post multam discussionem, dicta recreatio retenta fuit, cui etiam moderationes variæ sunt adhibitæ, tum in eadem 6. Congregatione decreto 47. 48. 105. tum in septimæ decreto 21. numero 4. & can. 8. ac 9. quæ ibi videri possunt, atque etiam in ordinationibus toti Societati communibus cap. 4. num. 21.

XVI. *Imo prodesse progressus in studiis, & virtutibus.*

Vnde etiam existimo, si cum debita moderatione, & prudentia hoc medium suscipiatur, non solùm non impedire, sed iuuare plurimum posse ad profectum tam in literis, quàm in spiritu. Vt enim dixit Basil. in constit. monast. c. 8. *sepenumero contingit, cùm exortum in animo tædium susceptæ peregrinatio discutit, & spatio ad colligendas denuo vires, ac sese colligendum refocillandumve dato, alacriorem ad capessenda de integro pietatis certamina facit.* Loquitur de egressu ex monasterio prætextu visendi & conueniendi fratres, quẽ non consulit frequenter, & sine causa fieri; tamen ob prædictum finem & ad tollendum tædium vt maioribus animis ad consueta exercitia redeatur, non solùm consulit. *Sed etiam*, ait, *manus & inflati animi esse, austeritatis colore hoc charitatis officium euitare.* Simili ergo modo nos dicimus facilius esse intra eandem domum tædium hoc congruis temporibus leuare, vt inde cum maiori feruore, & contentione, ad opera cõsueta reuertamur. Aliud exemplum simile quod Cassianum inuenio, qui loquitur de charitatiua susceptione fratrum ad nos venientiũ, quæ interdum videri potest nostram animi contentionem interrumpere & impedire. Et tamen in collat. 24. cap. 20. sic ait Abraham Abbas, *Illa remissionis, atque humanitatis intercapedo gratissima, quæ nonnunquam pro aduentu fratrum interuenire consueuit, licet molesta vobis ac fugienda videatur, tamen quàm sit vtilis ac salubris: tam corpori, quàm spiritui vestro paucis accipite. Sæpe accidit, non dicam nouitius, & infirmis, sed etiam experientissimis, atque perfectis, vt nisi mentis eorum directio atque censura, quibusdam fuerit munita vicissitudinum laxamentis, aut in teporem spiritus, aut certè in perniciosam corporis valetudinem collabatur. Et ideo à prudentibus, atque perfectis cùm intercesserit crebra etiam fratrum visitatio, non solùm toleranda patienter, sed etiam gratanter est amplectenda.* Quæ omnia in nostram quotidianam intercapedinem per mutuam fratrum colloquutionem egregiè conueniunt, nam prorsus eosdem fines, & eosdem fructus habet, quos statim commemorat, dicens, *Primum, quod prouocat nos auidius semper solitudinis desiderare secretum: nam quodammodo cursum nostrum dum interpellare creditur, infatigabilem, iugemque conseruat, qui si nullo interdum obice tardaretur: vsque ad finem contendere indefessa pernicitate non posset. Deinde, quod necessitas recreandi corpusculi, cum fructu humanitatis indulget, maiora nobis confert lucra, cum iucundissimo corporis laxamento, quàm illa sint, quæ per abstinentiæ fatigationem fucrant acquirenda*: quæ omnia nostro proposito egregiè accommodantur: nam reuera eædem omnino rationes in præsenti exercitio locum habent.

XVII. *Hoc etiam medio inuuimur ad agendum cũ proximis.*

Alia præterea consideratio adhiberi potest, quia hoc medium est etiam vtile Societati, ad finem suũ præcipuum conuersionis animarum, quem magnopere consequitur conuersando cum hominibus, & de diuinis rebus suauiter, ac discretè loquẽdo; ad hoc autem valde proficiunt religiosi Societatis in his, quæ inter se habent religiosa colloquia; quæ frequentius esse debent de diuinis rebus, cuiusmodi præscribuntur in instructione 14. de renouatione spiritus, ad finem; & ita vsu addiscunt suis temporibus tacere, & suis prudenter, & fructuose loqui, quod est optimum silentij genus; vt indicauit Ambr. in Psalm. 118. Octouar. 2. in princip. & optimè toto capite 10. lib. 1. de offic. *Pythagoras* (inquit) *suis silentium imposuit: vt non loquendo loqui doceret. Dauid, vt loquendo magis diceremus loqui, quomodo enim sine exercitio doctrina? aut sine vsu profectus?* &c. quod latè per varia artium humanarum exempla prosequitur, & concludit. *Ita ergo, qui volunt discere cautionem loquendi, quod naturæ est, non negent, quod custodiæ est exerceant.*

Accedit, quòd per hanc, qualemcunque animorum remissionem maiora profectò vitantur incommoda in tota communitate. Cùm enim singulis ferè personis intermissio aliqua necessaria sit, tam quoad labores corporis, quàm quoad sanctum otium & silentium, ac solicitudinem, multo maior est hæc necessitas in tota communitate, quia non potest tota esse æquè fortis viribus corporis, aut spiritus, sed plures in ea frequentius sunt debiles, & infirmi. Vnde fit, vt nisi habeat communitas regularem aliquam, & ordinatam, ac certam intermissionem suis definitis temporibus, ac modo etiam à religione præscripto; periculũ morale sit, vt multi arbitrio suo relaxationem accipiant, & quidam inter se suo arbitrio secretam familiaritatem ineant; alij non absque valetudinis periculo statim somno indulgeant, alij modos alios recreationis inueniant: in quibus sine dubio maiora incommoda regulariter miscerí possunt. Nec posset tota cõmunitas, vt numero 13. insinuaui, omnibus his remediis priuari, & in perpetuo rigore contineri, sine magna violentia, & coactione, quæ nec durabilis est, nec tantum fructum spiritualem afferre solet. Et ita licèt ex hac nostra recreatione, quæ sola commodior videtur, vt illo numer. 13. ostendimus, aliquid incommodi sequi possit, quasi nihil æstimandum est, comparatione eorum, quæ in oppositio timeri possunt.

XVIII. *Vitantur maiora incommoda, quàm ea opponantur sequerentur.*

Eo vel maxime quòd incommoda, quæ obiiciũtur, vel nulla sunt, vel præueniri moraliter possunt. Nam quo ad silentium attinet, fatemur esse maximum decus & custodiam religionis, sed in illo etiam est modus, & medium seruandum. Nam aliæ etiam religiones, ordinariè loquendo, non simpliciter silẽtium præcipiunt, neque omni tempore, sed certis temporibus, ac locis, extra quæ facultas concedi solet modestè loquendi, & animos relaxandi; vt bene explicatur in regula monialium nomine S. Hieronymi cap. 22. Societas verò definitis temporibus, ac locis hanc facultatem concedit, extra tempora verò recreationi assignata, silentium ita seruare præcipit, *vt nemo loquatur nisi obiter, & perpaucis, aut de rebus necessarijs*, vt in regula 26. ex communibus dicitur, & per sequentes regulas optimè explicatur. Deinde tempus duarum horarum, considerata distributione earum, & occasione, ac necessitate, non potest videri nimium: tum quia ante quamlibet ex his horis recreationis antecedere solent sex, vel septem horæ, in quibus continuè exercitiis spiritualibus, aut studijs, aut ministeriis erga proximos insistitur; tum etiam, quia post prandiũ, quantumuis temperatum, ad minimum vnius horæ tempus necessariũ est, vt possit animus sine magno corporis detrimento ad grauiores occupationes redire. Ideo enim, vt dixi numero 13. tempus illud electum est. Nec refert, quòd in aliquibus religionibus in eo tempore silentium commendari solet, vt patet ex regula S. Benedicti cap. 48. & in regula Monach. nomine S. Hieronymi cap. 38. & Pachomius in sua regula 14. inquit: *Si egressus fueris à cibo, ne loquaris in redeundo, donec ad locum tuum reuertaris.* Sunt enim diuersa instituta, & in ordine ad diuersos fines, aut pro temporum, ac circumstantiarum diuersitate potest vnum, vel alterum expedire: consideratis

XIX. *Ad incommodum allatum in n. 12.*

consideratis autem fine, & occupationibus Societatis, hoc medium existimamus esse illi magis accommodatum.

XX. *Ad 2. intō modum in eodem n 12.*

Consule instructionem 14 pro renouatione spiritus c 9.

Quam ob rem non potest illud censeri multiloquium, in quo non solet deesse peccatum: nam illud dicitur de multiloquio superfluo, & incauto; illud autem nec superfluum est, sed de se moderatum & sperandum est à viris religiosis, non temerè, nec incaute fieri. Præsertim, quia ex parte religionis maxima adhibetur cura, vt & materia illi conuersationi præscripta sit, vt diximus in fine numer. 17. ita vt, & leuare possit animos, & neminem offendere, & loquentes, ac audientes ædificare: & modus sit etiam religiosus, ac moderatus, & vt contentiones, ac verborum pugnæ vitentur. Ac denique *attenditur* (quod D. Thom. dict. q. 168. art. 2. consulit) *ne gratuitas animæ totaliter resoluatur*. Vbi ex Ambr. 1. officior c. 20. simile documentum adducit, *cauemus ne dum relaxare animum volumus, soluamus omnem hanc moniam, quasi concentum quendam bonorum operum*. Cui consonat elegans sententia Basilij in const. monast. c. 13. *vitandæ omnes omnino in sermone facetiæ, & scurrilis dicacitas, sicut*, &c. Et infrà, *si vsus inciderit aliquando, vt remittendæ aliquantulum tristitiæ causa, sermone ad hilaritatem excitemur, danda omnino opera est, vt spirituali lepore refecta sit oratio nostra, & Euangelico sale condita, vt rectæ, quæ interius sit, sapientia gratum foras odorem aspiret, dupliciterque auditorem, & animi relaxatione, & intelligentiæ festiuitate delectet*. Idem quoque monet Clem. Alexandrinus lib. 2. Pædago. cap. 5. *Studij* (inquit) *nostri acrimoniam, & animum intensam vehementiam moderatè remittentes, non autem inconcinne dissoluentes*. Et in opere ad fratres de monte Dei apud Bernard. satis ante medium, ita habetur. *Non tam quod animum delectando ad horam detineas, quàm quòd pro spiritualibus studiis delectationem cōserues, & nutrias, in quo remittatur ad horam animus, non resoluatur*.

XXI. *5. Medium mutua communicatio inter absentes per literas.*

Nec solum contenta est Societas ea communicatione, quæ animos eodem loco habitantium in vnum cor, & animum coniungat, sed etiam absentibus fratribus illam consulit literarum communicationem, quæ ad eundem finem inseruiat. Vnde S. P. N. Ignatius 8. p. const. c. 1. §. 9. de mediis ad hanc vnionem totius Societatis scribens, *magnopere* (inquit) *etiam iuuarit literarum vltro citroque missarum inter inferiores, & superiores frequens commercium, & crebro alios de aliis certiores fieri, ac audire, quæ ex variis locis ad ædificationem, & eorum quæ geruntur cognitionem afferuntur*. Extat etiam hac de re instructio data an. 1594. præscribens modum in his literis tenendum, consonatque huic institutioni quod Basilius scribit in regulis moralibus reg. 70. c. 15. *Qui Dei beneficio rectè aliquid fecerit, is cæteris quoque notum facere illud debet, vt Dei gloria crebrior efficiatur*. Affertque de hoc Apostolorum exempla Actor. 14. Ephes. 6. Vnde idem Basil. epist. 55. ad Ambrosium, inter magna Dei dona numerat, *quod quàm longissimè propter locorum distantiam seiunctis, per literarum alloquium mutuo coalescere dedit*. Et infra illum excitat ad hoc necessarium charitatis officiū. *Quod dilectionis* (inquit) *erga nos fundamentum iecisti, in ipsam structuram assiduitate mutui nostri alloquij excitare, ac prouehere stude. Nam hoc pacto spiritu poterimus coniuncti esse licet terrestri habitatione quam longissimè alter ab altero disiuncti simus*. Hinc etiam antiqua fuit in Ecclesia consuetudo, vt essent inter fideles communicatoriæ (sic enim eas appellabant) literæ, quibus inuicem inter se catholici communicare, & fidei suę testimonium præbere solebant, de quibus mentionem facit Optatus l. 2. de schismat. Donatist. & August. epistola 163. ad Eleusium.

Attestatur & prisca fidelium consuetudo.

XXII. *Vltimum medium auxiliandi.*

Vltimò finis ipse, & ministeria Societatis, & hanc vnionem maximè requirunt, & ad illam valde iuuant. Est enim Societatis finis animarum salutem procurare, & cōsequenter ministeria postulat huic fini accommodata. Hinc ergo in primis sit, vt quilibet de Societate prius, & impensius procurare, & desiderare debeat suorum fratrum salutem, quàm externorum; quia charitas ordinatissima est: vnde sicut inclinat ad quærendam prius propriam spiritualem salutem, quàm alienam; ita etiam inter alios prius intendit, & quærit salutem spiritualem, spiritualium fratrum, totiusque corporis Societatis, quā externorum. Et hinc oriri debet summa illa cura, ac diligentia quam Prælati Societatis de spirituali profectu suorum filiorum habere debent. Hinc etiam ortum habuit illa regula Societatis, *vt omnes parati sint ab aliis corrigi, & ad aliorum correctionem debita charitate iuuare*: & illa, *vt omnes in suis colloquiis, & sermonibus se inuicem ad charitatem fraternam, & alias virtutes excitare procurent*. Ex his ergo actibus, & affectibus multum hanc vnionem augeri necesse est; nam, cū omnes nihil tam desiderent quam propriam salutem, & perfectionem, cum hoc desiderium mutuū in omnibus conspiciant, & ab omnibus tam verbo, quàm exemplo iuuari se sentiant, in mutuo etiam amore multum proficiēt. Accedit quod omnes in zelo de salute animarum maximè conspirare debent, & se inuicem ad hunc finem iuuare: ad hoc autem in primis necesse est, vt multum inter se sint concordes, & vniti. Vt enim dixit eleganter Chrysost hom. 77. in id Ioan. 16. *vt sint vnum, sicut ego & tu vnum sumus. Nihil est concordia, & mutuæ voluntatis æquparandum: vnus enim multiplex est. Si enim cōcordes sint, duo vel decem non amplius erit vnus, sed eorum vnusquisque sit decuplum, & inuenies in decem vnum, & in vno decem*. & infrà, *Ecce dilectionis excellentia, quo pacto vnum inseparabile, & multiplicem reddit, & vnus in multis simul locis, in Perside & Romæ esse possit, & quod natura non potest, dilectio potest*. Quod hactenus per diuinam gratiam in Societate mirum in modum experimur, faxitque Deus vt in perpetuum conseruetur, & augeatur.

CAPVT IX.

Quibus mediis religiosi Societatis iuuentur ad virtutes solidas, infra Theologales, comparandas.

I. *Vera, & solida virtutis in quo sint, & quæ sint.*

PRæter charitatem, cæteraque Theologales virtutes, ac religionem quæ Deum ipsum, suo etiam modo, attingit, moralium omnium virtutum conuentus ad exactam animi perfectionem necessarius est; tantoque erit verior ac solidior perfectio, quāto hæ virtutes solidiores fuerint. Ideoque B. P. N. Ignatius filios suos de solidis virtutibus acquirendis, frequenter admonet 3. p. const. cap. 1. §. 10. *Ad veras* (inquit) *solidasque virtutes consequendas insistant, siue plures adsint spirituales visitationes, siue pauciores, curent vero semper in via diuini seruitij progressum facere*. Et. §. 27. *Studium in quod incumbent, quum domus Societatis proluantur, id esse debet, quod eos magis ad superiorum dictam abnegationem sui, & in virtutibus ac deuotione profectum iuuabit*.

II. *Quæ sint in re virtutis.*

Veras autem virtutes appellat S. Ignat. quæ non in externa specie, & opinione hominum, sed in Dei conspectu ex sola intentione diuinæ gloriæ, & ipsius solius virtutis, ac honestatis affectu exercētur. Solidæ autem virtutes dicūtur, quæ in vera animi humilitate, & contemptu rerum omnium temporalium, puroque Dei amore fundantur. Sic D. August. serm. 57. de tempore explicās illa Christi verba, *nesciat sinistra tua, quid facit dextera tua*. Quid est (inquit) *nesciat sinistra tua, quid facit dextera tua? nisi quod facit amor Dei, non tua, quod facit dextera tua? nisi quod facit amor Dei, non corrumpat amor mundi*. Et infrà exponens illud, *Cùm oraueris intra cubiculum tuum*, &c. *Si temporalia quæra*

Quæ solida.

quæris (inquit) *sicut iam dixi, publica est oratio tua; si æterna quæris, secreta est oratio tua.* Ita ergo veræ, ac solidæ virtutes dicuntur, quæ ab affectu, & intentione rerum temporalium animum separant, & in solo Dei, & æternorum bonorum amore fundantur. Quod elegantissimè declarauit Cyprianus lib. de Cardinalibus Christi operibus cap. de Ieiunio, & tentatione, quod enim ipse de ieiunio & corporis maceratione dicit, nos de quouis virtutis genere, verum esse intelligamus. *Virtutum* (inquit) *fudoribus laus importuna se ingerit, & subtilissimis aculeis penetrans animam, dum extollit: emollit, & pungit, cum vngit: virtutem in hypocrysim vertit, & simpliciter inchoata peruertit. Quasi tinea, quod integrum erat, rodit, & occupat, & sanctitatis fundamenta euellit, & dissipat.* Et infrà, *mens hoc veneno imbuta in miseriis deliciatur, & occupata hac scabie, in vlceribus gloriatur. Religio sit superstitio, & succedit ei ambitio subornata: extincto spiritu quatriduano cadaueri solum speciant exuuiæ, virtutis species examinis, & simulacrum sanctitatis.*

III. *Cur Societatis viris specialiter commendentur hæ virtutes.*

Ex his autem causam, & rationem intelligere licet, ob quam cùm veræ, solidæque virtutes cuiusuis gradus, & conditionis hominibus necessariæ sint, specialiter in hoc Societatis statu commendentur? Primò quidem propter periculum, quia inter proximos frequenter versamur, vt eos ad virtutis studiū excitemus; & ideo cauere maximè debemus, ne ostentatione virtutis, potius quàm veritate, cōtenti simus, timere etiam debemus ne inanis gloria, quæ (vt Bernardus dixit) *virus virtutis est*, veritatem virtutis extenuet, aut corrumpat. Præterea in hoc statu necesse est variis occasionibus, ac tentationibus, & persecutionibus virtutes omnes probari; quare nisi solidæ sint, magna ruina timeri potest. Præsertim, quia, vt dicitur in eisdem Societatis constitutionibus p. 10. §. 2. ad ipsummet finem auxilij animarum, & ad consequendam æternam salutē efficacissimum medium est probitas, & virtus ministrorum eius, quia & per illos disponuntur, vt à diuina manu, cuius est principaliter hoc opus, rectè gubernentur; & quia virtutum exempla plus proximum mouent, quàm verba, vt in eisdem constitutionibus dicitur p. 7. c. 4. §. 2.

IV.

Vnde tandem accedit, quòd in exteriori modo viuendi huius religionis, quantum ad victū, & vestitum spectat, nihil est singulare, quo proximos mouere, aut in admirationem rapere possit; quod alij religiosi austeriorem vitam profitentes magna laude, & fructu præstare solent, & ideo nisi religiosi Societatis veritate virtutum & magna prudentia, ac moderatione suarum actionum effulgeant, parū hominibus lucere, ac prodesse poterunt. & nisi cum hac ostensione veræ, ac integrę virtutis soliditatem habeant, spiritum eorum extingui, & sola virtutum simulachra (vt Cyprianus aiebat) relinqui fit facile.

V. *Quibus mediis instruuntur ad eas comparandas.*

Sed videamus quibus mediis ad has virtutes cōparandas alumnos suos Societas instruat. Multa quidem in superioribus lib. 1. cap. 3. & toto lib. 4. adduximus; nam ea quæ de modo paupertatis huius religionis diximus, planè continent solidissima fundamenta cuiuscunque perfectæ virtutis, quia planè tollunt solicitudinem omnium temporaliū rerum, & omnem etiam occasionem præscindunt excessus, & voluptatis nimiæ, vel vanitatis in vsu illarum. Quæ verò de castitate diximus, magnam animi, & corporis puritatem generare valent. Denique perfectio obedientiæ, quam declarauimus, vnicum, & efficacissimum medium esse potest ad cæteras virtutes, cum soliditate, & veritate acquirendas: nam perfectè obediens soli Deo nititur, eiusque regitur voluntate, quæ regula est omnis perfectionis. Præterquam quòd perfecta obedientia, sine perfecta humilitate esse non potest: humilitas autem solidum fundamentum est cæterarum virtutum. Vtrumque paucis verbis (vt alia omittam) optimè complexus est Ioannes Climacus gradu 4. de obedientia, dicens, *vidi illic viros quinquaginta ferè annos in obedientiæ certamine egisse, à quibus cum addiscere orarem, quam ex labore isto consolationem, quem profectum inuenissent: alij quidem in abyssum humilitatis se iam peruenisse dicebant, per quam bellum omne semper excluderent, ac superarent. Alij sensum omnem laboris, & doloris in maledictis, & contumeliis se perfectè amisisse dicebant.* Quo signo nullum potest esse maius perfectæ, ac probatæ virtutis.

1. *Est oratio, & alij actus religionis.*
2. *Est exercitium virtutum affines ad proximos*

VI.

Ad hæc virtutes, quæ Deum ipsum attingunt, actibus orationis, & religionis perficiuntur: de quibus quantus sit vsus, quantaque cura in Societate, libro octauo ostensum est. Virtutes autem, quæ operantur circa proximum, in hoc verbo continentur, *diliges proximum sicut teipsum.* Quæ dilectio, quàm sit cordi Societati, & quot modis in ea exerceatur satis perspicuum est, & in sequenti libro dicetur copiosè, & ideo nihil hic agimus de virtutibus iustitiæ, tam commutatiuæ, quàm distributiuæ, & si quæ aliæ sunt illis annexæ; quia hæ cum in suis ordinariis actibus magis sint necessitatis, quàm consilij, supponuntur potius, quàm docentur in religioso statu; & præsertim in illo, in quo quantum rerum temporalium contemptus præcipitur, tantum proximorum dilectio commendatur. Aliæ denique sunt virtutes, quæ hominem in seipso componunt, ac moderantur, quarum soliditas ex duobus affectibus maximè pendet, scilicet ex contemptu honoris, cui vera humilitas respondet, & abstractione à corporis voluptatibus, quæ sensuum omnium perfectam mortificationem postulat; de his enim duobus dictum legimus B. Francisco, *Amara pro dulcibus sume, & teipsum contemne, si me vis agnoscere.*

+ *Est virtutes moderantes affectum & sensuum voluptates.*

Qua ratione Societas curet affectum honoris moderari in suis religiosis.

In affectu honoris moderando, & humilitate nutrienda, magna ex parte institutum Societatis versatur. Huc enim in primis tendunt omnia, quæ de non ambiendis dignitatibus, in superioribus lib. 6. à cap. 7. diximus. Deinde non solùm dignitates, sed etiam omnia alia munera, quæ honoris specimen præ se ferunt, etiam si oneris, & laboris sint, non licet in Societate procurare, & multò minus extra Societatem. Vnde ob hanc causam ablata est occasio obtinendi cathedram in publicis vniuersitatibus, per publicas oppositiones, seu congressus, ac suffragia, vt declaratum est in superioribus. Et ob eandem gradus magistrorum, aut Doctorum, nec à subditis procurari permittuntur, nec à superioribus intuitu dignitatis concedi, sed solùm vbi necessitas, vel vtilitas proximorum postulauerit. Et tunc etiam non admittuntur loca certa singulorū, vt ab omni ambitionis specie recedatur, vt in constitutione dicitur, & suprà citato libro 6. tractatum est.

VII. *1. primò curat Societas, remouendo à muneribus honorificis.*

Atque huc etiam spectat, quòd inter religiosos Societatis nullum ius anteceſsionis, aut præeminētiæ ex antiquitate, vel ex muneribus, acquiritur in sedendo, in ratione victus, aut vestitus, vel in priuilegiis, aut exemptionibus ab obseruantia cōmuni: sed solùm habetur ratio necessitatis, generatim loquendo. Nam quoad sedendum in Refectorio sacerdotali dignitati aliquid defertur; vt sacerdotes omnes simul, & digniori loco sedeant, nullo tamen inter ipsos antiquitatis ordine seruato, sicut neque inter cæteros inter se, vt habetur in can. 30. 1. Congreg. quod ad humilitatis profectum vtile esse, & consentaneum consilio Christi D. monentis, vt in

VIII. *Item non curand. antiquitatis vel meritorū præemin. tiam in relatione*

conuiuio nouissimum locum vnusquisque affectet, docuit optimè Basil. reg. 21. ex fusioribus. Solùm in congregationibus generalibus, & prouincialibus ordo antiquitatis in sedendo seruatur; id verò non tam propter honorem personarum, quàm propter bonum ordinem in illo actu necessarium, & maximè vt suffragia priùs à prouectioribus, magisq; expertis proferantur; superioribus etiam honorabilior locus semper debetur, quia decentia dignitatis, & reuerentia illis debita illa postulat: in reliquis verò, quæ ad personalem commoditatem pertinent, cæteris æquales sunt. Hæc autem omnia, atq; tanta, tàmque perpetua vitæ communitas planè requirunt magnã animi moderationem, solidamque virtutem; alioqui diu tolerari & conseruari nõ posset. Nam, vt in simili dixit Basil. epist. ad Canonicam. *Hæc quidem dum simpliciter hoc modo dicuntur, leuia videntur, ac nullius penè difficultatis, eiusmodi sunt tamen, in quibus seruandis magna opus esse contentione, ipse nos vsus docuerit.*

IX. *Secundo id curat per humilitatis exercitium internum.*

Hæc, & alia id genus multa in Societate diligentissimè obseruantur, vt omnis ambitionis occasio, omneque humilitatis impedimentum penitus auferatur. Quia verò hoc satis non est, sine frequenti humilitatis exercitio, tam interno, quàm externo, vt prudenter sancti, & religionum institutores tradiderunt Basil. q. 98. ex breuioribus, Bernardus epist. 47. Bonau. in speculo disciplinæ c. 5. vtrumque exercitium frequens in Societate existit, & primò teste D. Benedicto cap. 1. suæ regulæ, primus humilitatis gradus est propriæ volũtatis abnegatio. Nam, vt ait Cassianus libro quarto de instit. renunciatione cap. 8. Humilitatem cordis veram, nemo acquirere potest, qui priùs voluntatem propriam non dicerit renunciare. Hic autem humilitatis gradus optimè perficitur, quando non sola voluntas; sed etiam iudicium alterius iudicio submittitur. Sicut enim suprema hominis excellentia in intellectu posita est, ita supremus humilitatis gradus in illius submissione, & subiectione conspicitur. Quantum verò huius internæ humilitatis exercitium in Societate commendetur, in superioribus latè est declaratum libro quarto ca. 14. & 15. & verba illa constitut. satis ostendunt. 3. part. cap. 1. §. 23. *conentur interius resignationem, & veram abnegationem propriæ voluntatis, & iudicij habere.* Quod adeo necessarium in hoc instituto iudico; vt censeam in hoc maximè habere locum, quod Cassian. dicto capite octauo dixit. *Nec cum fratribus vnitatem perpetuam, nec firmam diuturnamque posse habere concordiam, sed nec in cœnobio quidem posse diutius perdurare eum, qui voluntatem suam non didicerit superare.* Sic enim longa experientia didici, non posse quempiam, aut quietũ in Societate viuere, aut diu in ea permanere, qui voluntatem & iudicium moderari, frangere, ac frequenter abnegare non didicerit. Huc accedit exercitium aperiendi conscientias proprias superioribus, omniumque consiliorũ suorum, imò & cogitationum rationem reddere. Quod esse opus magnæ humilitatis, & ad illam cõparandam aptissimum, docet etiam Cassianus dicto lib. 4. c. 9. Tanti verò æstimat Societas hoc exercitium, vt esse vnum ex substantialibus sui instituti, in vltima generali congregat. declarauerit: quæ res integram postulat disputationem, quam inferius libro decimo tractando de regimine Societatis prosequimur.

Tale exercitium in quibus actibus exerceatur.

Cernitur id in dandara tione conscientiæ.

X. *Curat rursũ per exercitiũ externum ipsius humilitatis.*

Venio ad exteriores actiones humilitatis, quæ humilitati comparandæ, nutriendæ, augendæ & conseruandæ maximè necessariæ sunt. Nam, vt egregiè dixit Chrysostom. homil. 58. ad populum, vitam sanctorum Monachorum describens, *Ipsa opera modestè se gerere docent, & excandescere non permittunt. Quis enim quæso terram fodiens, & irrigans, & sportellas, ac saccum texens, vel alia quadam huiusmodi tractans vnquam alatum sapiet? Quis autem in paupertate viuens, & pugnans cum fame, tali morbo laboret? nemo. Propterea facilis est illa humilitas.* Hac igitur ratione in institutione religiosorum Societatis hoc primum iacitur fundamentum, & in annis probationis in humilioribus officiis, & operibus diligentissimè exercentur, vt constat ex vsu, & ex superius dictis libro secundo capit. quinto de probatione nouitiorũ, & ex capite quarto Examinis §. 28. vbi hoc inprimis ingressuris proponitur. Nam, vt Bernard. egregiè dixit epistola 87. *Humilitas totius est spiritualis fabricæ fundamentum: humiliatio autem via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, lectio ad scientiam.* Et in eandem sententiam Cyprian. de Natiuitat. Domin. Christi humilis in hunc modum ingressum contemplans. *Hic est* (inquit) *primæ religionis introitus, sicut in mundum primus Christi ingressus, vt quicunque pie vult viuere, humiliter de se sentiat, neque supra se in mirabilibus ambulare præsumat. Fundamentum sanctitatis semper fuit humilitas, nec in cœlo stare potuit superba sublimitas. Hanc primam gratiam ingrediens mundum noster paruulus attulit, & à cunabulis nos sibi conformes fieri volens, teneri voluit in vita, quod exhibuit in persona.*

Tum in nouitiis tum in scholasticis.

Quia verò iuxta institutum Societatis necesse est ad altiora ministeria, & ad actus etiam hierarchicos exercendos disponi, ac præparari; ideo non possunt diu ac continuò in his humilioribus ministeriis religiosi eius occupari. Nihilominus tamen, nunquam exercitium humilitatis tum in actibus tum in aliis exterioribus signis prætermittitur, sed pro ratione ætatis, officij, ac necessitatis, singulis accommodatur. Hinc fit vt studiorum tempore aliqua etiam humilitatis officia, quæ non studiorum contentionem, sed eorum elationem remittant, interim exerceantur. iuxta cap. sextum quartæ partis constitut. liter. B. & C. & alias Societatis regulas. similiter ob eundem finem vilioribus vestibus induti aliquando publicè incedunt, & paupertatis, ac humilitatis indicia, ac ministeria exhibent, iuxta regul. vigesimamnonam Rectoris, & iuxta consilium Basilij in constitutione monalterior. capite vigesimoquarto dicentis, *debet pietatis cultor viliora munera magno cum studio, magnaque cum animi alacritate suscipere, scienis nihil minutum esse, quod Dei causa fiat; sed grande & spirituale, & eiusmodi, vt cœlum nobis conciliet. Quamobrem, licet communibus vilitatibus inseruientia sarcinaria sequi iumenta oporteat, recusaret tamen non debet.* Et c. 31. de vestimentis ait; *non elegantiora, sed quæ viliora, nobis sunt eligenda, vt in hac re etiam animi nostri humilitatem significemus,* &c. Et similia habet reg. 168. ex breuioribus.

Tum etiam temporibus studiorum.

Ob hanc ergo causam hoc humiliationis opus, & exercitium, non tantùm nouitiatus, vel studiorũ tempore durat; sed post finita studia, iterum quasi instauratur, & renouatur, & per annum integrum principaliter exercetur, iuxta 5. p. constit. c. 2. §. 6. vbi de scholaribus finitis studiis dicitur, debere in vltima probatione sua, *in schola affectus diligentius se exercere, & in rebus spiritualibus, & corporalibus, quæ ad profectũ in humilitate, & abnegatione vniuersi amoris sensitalis, voluntatis, & iudicij proprij, & ad maiorem Dei cognitionem, & amorem conferunt, insistere.*

Tum vsq; ad finem vitæ.

Denique etiam per totam vitam hoc exercitium durat, & hac ratione in ipsis ministeriis, vt in superioribus lib. 2. c. 5. num. 8. vidimus, nunquam vilia, & abiecta recusantur, sed libentius assumenda sunt, vt omnes de Societate monentur, in examine c. 4. §. 28. & 3. p. constit. c. 2. §. 22. Ideoque nulla misericordiæ opera in hospitalibus, carceribus, &c. fugere debent, iuxta 7. p. const. c. 4. §. 9. & tandem ertditio puerorum, cum Christiana doctrina, adeo in Societate cõmendata est, vt sit vna ex præcipuis obligationibus professorum; cùm tamen non paruum humilitatis exercitium includat: quia, vt Augustin. attigit

attigit li. de catechizandis rudibus cap. 10. in huiusmodi munere illud maximè solet hominem tædio afficere, quòd pueros Christianis rudimentis imbuere vilis sermo, abiectusque videatur. Vnde ad illud opus alacriter susciendum necessarium esse iudicat Christo D. conformari, *qui factus est infirmus, vt infirmos lucrifaceret. Quomodo enim paratus esset impendi pro animabus eorum, si eum pigeret inclinari ad aurem eorum. Hinc ergo* (ait) *factus est paruulus in medio nostrum, tanquam nutrix fouens filios suos.* Est ergo opus illud sicut magnæ charitatis, ita etiam magnæ humilitatis, quibus duabus virtutibus, maximè indiget operarij Societatis. Vnde elegantissimè Augustinus citato loco ita concludit. *Si delectat intellectus in penetralibus syncerissimis hoc etiam intelligere delectet, quomodo charitas, quanto officiosius descendit in infima, tanto robustius recurrit in intima per bonam conscientiam, nihil quærendo ab eis ad quos descendit, præter eorum sempiternam salutem.*

Qua ratione curet Societas motus sensuum in suis religiosis moderari.

XIV. Supereſt dicendum de cæteris virtutibus, quæ corporis sensus, ac voluptatem moderãtur; de quibus sigillatim dicere operosum esset, & minimè necessarium: quia multa sunt in superioribus lib. 1. c. 3. & lib. 4. c. 3. dicta de castitate, temperantia, ac totius vitæ moderatione, quæ harum virtutum perfectionem exigunt. Satis ergo nunc erit pauca generatim attingere, sub mortificationis ratione; illa enim sine dubio, omnium virtutum mater est; ideoque in Societatis instituto præcipuum quodammodo locum sibi vendicat: adeo vt S. P. N. Ignatius eam quodammodo diuturnæ orationi, ac contemplationi præponeret, vt in lib. 5. vitæ eius refertur. Vnde in examine cap. 4. § 44. sic inquit, *Diligenter animaduertant oportet summi momenti id esse ducendo in conspectu creatoris, ac domini nostri, quantopere viuet, ac conferat ad vitæ spiritualis profectum omnino, & non ex parte abhorrere ab omnibus, quæ mundus amat, & amplectitur, & admittere, & concupiscere totis viribus, quidquid Dominus noster Iesus Christus amauit, & amplexus est.* Et in §. 46. addit, *vt melius ad hunc perfectionis gradum in spirituali vita tam pretiosum perueniatur, maius, ac impensius studium sit quærere in Domino maiorem sui abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quoad fieri poterit, mortificationem.* Et c. 6. §. 6. *solicitè in abnegationis sui ipsius profectum, & virtutum studium incumbendo.* Et in particulari mortificatio in victu, vestitu, & similibus commendatur 3. p. constit. c. 2. §. 3. Et in declaratione lit. C. dicitur, *vestitus ratione, ad mortificationem, & abnegationem sui, & ad mundum eiusque vanitatem sub pedibus conculcandam iuuantur.* Solumque additur habendam esse rationem finis Societatis, & necessitatis naturæ, quã ipsamet ratio virtutis postulat.

Sensuum mortificatio maximè commendata in Societate.

Quibus sanè omnibus valde consentanea sunt, quę Basil. & alij Patres religionum institutores passim docent; præcipuè verò libet conferre Basilij monita cum regulis S. Ignatij. Ille enim sic dixit, serm. de abdicat. rerum. *Appetitionem, locutionem, auditionem, responsionem, omnia ista vtilitate metitor.* Ignatius autem 3. p. constit. c. 1. §. 4. & in Summar. §. 29. *omnes diligentissime curent portas suorum sensuum, oculorum præcipuè, aurium, & linguæ, ab omni inordinatione custodire.* Basil. in eodem serm. temperantiam valde commendat, & præcipuè vitandas (ait) clandestinas esitationes, vt ipse loquitur. Ignatius verò 3. p. constit. c. 1. §. 5. *In refectione corpus curandum est, vt temperantia, modestia, & decentia interius, & exterius obseruetur*: & additur in reg. 16. ex communibus, *vt sine facultate superioris nemo extra consueta tempora bibat, nec extra domum cibum sumat.* Vbi non additur, extra domum, quia domi id liceat extra consueta tempora, sed quia ex generali obligatione paupertatis, id erat manifestum, quæ ratio non ita vrgebat extra domum, & facile posset id fieri titulo vrbanitatis, nisi esset prohibitum. Præterea idem Basil. reg. 16. 17. 18. & 19. ex fusius disputatis sub nomine *continentiæ* totam corporis mortificationem summa prudentia, & religione, commendat: quæ in Societatis instituto in locis citatis, & aliis innumeris & (quod magis necessarium est) in vsu & praxi planè conspicio. Satis ergo (vt existimo) constat institutum hoc aptissimum esse ad virtutes omnes in magna perfectione comparandas, si pro dignitate, & status obligatione seruetur.

XV. *Basilij monita, & Ignatij mira conuenunt.*

INDEX CAPITVM LIBRI NONI.

De mediis, seu ministeriis, quibus ad proximorum externorum salutem Societas vtitur.

Cap. I. *Quid possint, ac debeant religiosi Societatis præstare in ministerio prædicandi.*

II. *Quid possint, ac debeant iidem religiosi præstare in administratione sacramenti pœnitentiæ?*

III. *Quid possint, ac debeant præstare in administratione Eucharistiæ?*

IV. *Quid iidem religiosi possint in aliorum sacramentorum administratione?*

V. *De spiritualibus exercitiis, & primum quid sint, & quam sanam doctrinam contineant.*

VI. *De arte seu methodo exercitiorum.*

VII. *De prudentia in hoc exercitiorum opere à B. Ignatio seruata, & eorum vsu, à nostris, vel externis hominibus seruando.*

VIII. *De medio iuuandi proximos, conuersando familiariter cum ipsis.*

IX. *De medio peculiaris curæ iuuandi proximos in periculo mortis.*

LIBER

LIBER NONVS.

De mediis, seu ministeriis, quibus ad proximorum salutem Societas vtitur.

CVm duplex sit, seu duas præcipuas partes habeat Societatis finis, propriam scilicet suorum religiosorum perfectionem, & proximorum salutem; media vtrique parti accommodata requirit, vt benè & perfectè instituta sit, & ideo postquam lib. præcedenti de mediis ad priorem finem ordinatis diximus; de his, quæ propter proximos suscipiuntur, dicendum est. Duo tamen sunt, in quibus Societas proximos iuuare principaliter solet, doctrina scilicet, & virtus: omitto enim opera misericordiæ corporalis, tum quia non principaliter & per se intenduntur, tum etiam, quia non indigent peculiari declaratione & cum spiritualibus obiter attingentur. De doctrina etiam in lib. 5. c. 5. & 6. satis dictum est, quia cum tractatione de scholaribus Societatis cõiuncta erat. solùm ergo superest vt de aliis mediis, quæ ad excitandos affectus, & ad proximorum sanctificationem proximè ordinantur, tractemus. Possunt autem hæc media, vt ex 7. p. nostrarum constit. cap. 4. sumitur, distingui in interiora, seu merè spiritualia, & externa. Prioris generis sunt, bonum vitæ exemplum, sancta desideria, & orationes continuæ pro salute proximorum, sacrificia propter eundem finem Deo oblata; quæ media omnibus religionibus communia sunt, maximè verò Societati, propter suum particulare institutum commendantur, & ab omnibus personis eius iuxta vniuscuiusque captum exercenda sunt: tamen de illis nihil speciale dicendum superest, præter ea quæ in superiori libro diximus. Media ergo externa, quæ in prædicatione diuini verbi, sacramentorum administratione, & spirituali proximorum instructione, potissimum consistunt, explicanda à nobis sunt; & simul declarabimus priuilegia, & facultates, quas ad hæc ministeria exercenda, Sedes Apostolica Societati concessit.

CAPVT I.

Quid possint religiosi Societatis, ac debeant præstare circa ministerium prædicandi verbum Dei: quidque ratione illius ab Apostolica Sede eis sit concessum.

I. *Ministerium prædicandi mendicãtes participant post Episcopos.*

POst actiones pertinentes ad diuinum cultum, & proprium profectum, dicendum sequitur de ministeriis erga proximos. Inter quæ primum locũ obtinet prædicatio verbi Dei: nam, vt ait Innocentius III. in cap. *inter cætera*. de Offic. ordin. *Inter cætera, quæ spectant ad salutem populi Christiani, pabulum verbi Dei maximè nosci tur esse necessarium: quia sicut corpus materiali, sic anima spirituali cibo nutritur.* Et Concilium Tridentinum sess. 5. c. 2. de Reformat. dicit prædicationem Euangelij non minus necessariam esse Christianæ Reipub. quàm lectionem, esseque ait præcipuum Episcoporum munus. Ita ergo in Societate professa, quatenus ad iuuandos Episcopos circa salutem animarum, præcipuè instituta est, hoc est vel præcipuum, vel ex præcipuis eius ministeriis quod suo quidem modo omnibus religionibus mendicantibus commune est, præsertim religioni B. Dominici, quæ propterea Prædicatorum specialiter appellatur. Nihilominus tamen verum est, Societati ex vi sui instituti, per se conuenire vt ministerium hoc à Prælatis Ecclesiæ participet, & vice illorum exerceat, vt constat ex dictis lib. 1. huius tractatus cap. 2. Occurrebat autem statim disputatio cum his, qui tempore D. Thomæ, & Bonauenturæ eorum religiones impugnabant, eo quòd ministerium hoc vsurparent. Sed, quia illi Patres huic quæstioni sufficienter responderunt, vt patet apud D. Thomam Opusc. 19. c. 4. & S. Bonauenturam tom. 5. Opuscul. speciali tractatu de hac re: & quia res ipsa per se difficilis non est, ideo circa illam non immorabimur.

II. *Nemo dicit ministerium exercere potest sine facultate.*

Supponimus ergo primò, religiosos Societatis licitè posse in Ecclesia hoc ministerium exequi. Cuius fundamentum est, quia ad hoc habent Apostolicæ Sedis facultatem: nemo enim licitè prædicare potest, nisi mittatur, cap. *cum eximiuncto*. de hæretic. vbi id confirmatur testimonio Pauli ad Rom. 10. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* mittere autem pertinet ad pastores Ecclesiæ, & præcipuè ad supremum eorum, quia pascere oues Christi ex officio, ad eos spectat, nisi ex speciali reuelatione alicui tale munus committatur, vt de Equitio refert Gregorius lib. 1. Dialogorum cap. 5. Nam Christi oues pascuntur maximè verbo Dei; & ideo, & ratio iustitiæ postulat, vt nemo sine eorum auctoritate illorum officium, & iurisdictionem vsurpet, & necessarium omnino est vt in Ecclesia debitus ordo seruetur, caueãtur schismata, & pericula seminãdi errores præueniantur. Ideoque in c. *excommunicamus*. §. *quia verò*, de hæreticis, excommunicantur omnes, qui præter auctoritatem ab Apostolica Sede, vel Catholico Episcopo loci susceptam, publicè, vel priuatim prædicationis officium vsurpare præsumũt. Et in Concilio Constantiensi, sess. 8. damnatur artic. 14. Ioannes VViclef, qui dicebat, licere presbytero, vel Diacono prædicare verbũ Dei sine auctoritate Sedis Apostolicæ, vel Episcopi Catholici. Quã condemnationem Martinus V. sua Bulla confirmauit. Quod egregie etiam comprobat Concilium Senonen. in generali decreto ante decreta fidei, & in decretis morum, c. 35. & Concil. Treueren. II. c. 3. ac denique Concilium Tridentinum dicta sess. 5. c. 2. de Reform. idem prohibet specialiter religiosis, vt infrà n. 4. explicabimus: & confirmat Concilij Senonense in decretis morum, cap. 55. & Concilium Treuerense II. cap. 3. Est ergo necessaria religiosis Societatis, sicut & cæteris, facultas Ecclesiastici Prælati, vt hoc munus licitè exercere possint. Certum autem est facultatem Sedis Apostolicæ ad hoc esse sufficientem, quia summus Pontifex est supremus, & vniuersalis pastor, & indepẽdens quoad hoc ab omnib. inferioribus, vt in simili latius dixi

tom. 4. 3. p. tractando de iurisdictione delegata ad audiendas confessiones, item disp. 26 & in defens. fidei lib. 3. à c 3. & disp. 10. & de fide, sect. 2. Superest ergo vt facultatem Sedis Apostolicæ afferamus, & explicemus. Habetur autem in primis in Bulla Pauli III. *Cùm inter cunctas.* anni 1545. *Societatem* (inquit) *sub nostra, & Apostolicæ Sedis protectione suscepimus, & cuilibet vestrum, qui ad hoc idoneus repertus, & per vestræ Societatis Præpositum pro tempore existentem deputatus fuerit, in quibusuis Ecclesiis, & locis, ac plateis communibus, seu publicis vbique locorum clero, & populo verbum Dei prædicandi, proponendi, & interpretandi, ac eos viam veritatis edocendi, & ad bene, beateque viuendum, ita vt in vobis verbo pariter & exemplo ædificentur, in Domino hortandi, & admonendi liberam facultatem auctoritate Apostolica per sepræsentes ad nostrum, & Apostolicæ Sedis beneplacitum concedimus.*

Obseruatio prima pro expendendo, & explicando proximè allatum priuilegium.

III. *Intelligitur priuilegium, si nõ abnuat Episcopus aut parochus.*

Circa hanc facultatem primò aduertendum est, licèt absolutè detur, & sine restrictione, nihilominus conditionem subintellectam habere: nimirum, si Episcopi in suis diœcesibus contenti fuerint, vel si parochus non contradixerit. respectiuè, seu cum proportione illam applicando. Quia in primis id est consentaneum rationi ad vitanda dissidia, & scandala. Deinde est consentaneum ordinario iuri Episcoporum, & parochorum, ad quos ex officio pertinet munus prædicandi, & docendi populum, vt de Episcopis dictum est ex Concilio Tridentino, quod idem habet sess. 24. c. 4. idem Concil. Toletanum XI. c. 2. Carthaginense IV. c. 20. cum similibus, & habetur d. 88 c. *Episcopus nullam.* De parochis verò idem significat idem Concilium Tridentinum eisdem locis, & expressius in Clementina *Dudum.* de sepultur. versic. *verum.* & in Extrauag *Inter cunctas.* de priuileg. §. *ideoque*, in fine; & tradunt communiter Innocentius, & Doctores in c. *excommunicamus.* Hoc autem ius non derogatur expresse per illam concessionem: ergo non fuit mens Pontificis illud auferre, sed potius, saluo illo iure, limitanda est concessio. Quamuis enim de plenitudine potestatis valeat Pontifex facultatem dare ad prædicandum. vbique sine licentia Episcoporum, vel etiam ipsis & parochis repugnantibus; tamen quando id expresse non declarat, censendus potius est hoc concedere saluo iure inferiorum.

IV. *Probatur concordando loca Tridentini.*

Accedit quod Concilium Trident. sess. 5. cap. 2. de Refor. de regularibus generaliter dicit in primis, vt licèt à suis Prælatis approbati sint, *Priusquam incipiãt in Ecclesiis etiam suorum ordinum prædicare, se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur. In Ecclesiis verò: quæ suorum ordinum non sunt, vltra licentiam suorum superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur.* Vbi discrimen constituit, nam in propriis Ecclesiis sufficere vult solam præsentationem, vel licentiam petitam, sic èt non obtineatur: in aliis verò Ecclesiis vult esse necessariam licentiam obtentam, *sine qua*, vt subiungit, *in ipsis Ecclesiis non suorum ordinum, nullo modo prædicare possunt.* In sess. autem 24. c. 4. videtur priorem partem restringere, dicens, *Nullus autem secularis, siue regularis, etiam in Ecclesiis suorum ordinum contradicente prædicare præsumat.* Per quæ verba requirit licentiam, saltem implicitè, nam postulat vt Episcopus non contradicat, si autem non contradicit, tacitè consentit, maximè cùm priùs ab illo benedictio postuletur; clarum est autem hoc decretũ Concilij non esse derogatum per illam concessionem, tum quia est posterius illa, tum etiam, quia oportuisset expressam illius mentionem facere. Vnde quamuis Iulius III. postea concessionem illam Pauli III. sub generali clausula approbasset; nihilominus illa approbatio non fuisset sufficiens ad reuocationem prioris decreti Concilii, quamuis iam præcessisset.

V. *Confirmatur ex Greg. XIII.*

Eo vel maximè, quòd postea subsequutũ est decretum sess. 24. quod factum fuit sub Pio IV. & post illud Gregorius XIII. in Bulla, *Ad perpetuam rei memoriam*, anni 1575. concedens religiosis Societatis, vt semel approbati ab aliquo Ordinario, & à suis superioribus deputati, dum iter agunt, possint liberè vbique prædicare, duas addit exceptiones. Prior est, *Dummodo id non faciant in ipsis oppidis, aut locis, in quibus Ordinarij existunt, nisi eorum licentia desuper obtenta.* in qua manifestè supponitur, iure ordinario necessariam esse licentiam Episcopi ad prædicandum in suo Episcopatu, ex priuilegio autem concedi, vt peregrinando, & transeundo, non requiratur illa licentia, vbi commodè postulari non potest: & quia vbi præsens est Episcopus facile peti potest; ideo noluit ad illa loca extendi priuilegium illud. Et deinde pro aliis locis, in quibus absens est Episcopus, addidit secundam exceptionem; *Non repugnantibus tamen curatis Parochialium Ecclesiarum*: cùm enim illi, præsertim in absentia Episcopi, pastores ordinarij sint, quamuis non æqualiter eis deferri voluerit, eorum licentiam postulando, aut expectando, saltem propter bonum pacis, & ad tollenda scandala noluit id fieri ipsis repugnantibus. Vnde hæc secunda conditio non videtur ita per se, & iure ordinario necessaria ad vtendum priori priuilegio subij III. quando licentia iam est ab Episcopo obtenta; quia illa est secundùm ius commune sufficiens: & in hoc secundo priuilegio addita est à Gregorio XIII. ex speciali ratione, quia non supponitur obtenta licentia ab Episcopo loci.

VI. *In quibus locis non sit necessaria licentia.*

Atque hoc mihi certum est quoad prædicandum in nostris templis, quando contingit esse in oppidis vbi non sunt Episcopi, sed tantum parochi. Idemque censeo quoad prædicandum in plateis, vel in quibuscunque aliis locis extra proprias Ecclesias parochorum: in ipsorum autem Ecclesiis secus dicendum est, nam ipsis repugnantibus non est ibi vtendum tali facultate, non solùm quia non decet, neque expedit, sed etiam quia illi habẽt speciale ius in talibus Ecclesiis, & circa administrationem earum: & ideo per generalia verba non censentur illo priuari, donec Episcopus illud expresse præcipiat, aut concedat, quod facere potest, quoties alter irrationabiliter inuitus est. Tum denique, quia hoc est consentaneum iuri communi, nam in dicta Extrauag. *Inter cunctas*, sic dicitur, *In Ecclesiis autem parochialibus fratres ipsi, inuitis eorum Rectoribus, seu sacerdotibus, nisi iussi à superioribus eorundem* (id est, Episcopis) *non audeant prædicare.*

VII. *Obiectio ex ipsis nostris priuilegiis.*

Dices: Ergo generale illud priuilegium Pauli III. nihil confert: nam si Episcopi in suis Episcopatibus nostris religiosis licentiam prædicandi concedant non est necessaria facultas Pontificis, quia Episcopi sufficit. è contrario verò, si Episcopus neget facultatem suam, priuilegium non prodest: ergo simpliciter inutile est. Quod argumentum valide confirmari videtur ex cap. *In his.* de priuilegiis, vbi simili argumento reprobat Pontifex interpretationem quorundam Episcoporum, qui dicebant, priuilegium à Sede Apostolica concessum Minoribus, & Prædicatoribus, vt possint celebrare in altari portatili, intelligendum esse de licentia ipsorum prælatorum: *Quomodo* (inquit Pontifex) *nihil eis conferret memorata indulgentia, sine qua id prælatis annuentibus, licuerit eidem.*

VIII. *Satisfit obiectioni.*

Respõdeo primùm, nec nos in præsenti illam interpretationem admissuros fuisse, nisi ipsimet Pontifices facultatem illam ita essent moderati, vt videmus. Deinde est in illa maior quædam ratio, nam celebrare in altari portatili, parum, aut nihil refert ad proprium munus Episcoporum: prædicare autẽ est

est quodammodo vsurpare proprium munus illorum: & ideo voluerunt Pontifices, vt in hoc maior esset ab illis dependentia. Nec tamen propterea priuilegium inutile est: nam illo secluso, possent Episcopi pro solo arbitratu suo licitè negare hãc facultatem religiosis nostris, quantumuis essent digni, quia tunc illa facultas esset merè gratia, & quasi delegatio seu communicatio liberalis iurisdictionis: nunc verò stante priuilegio, non possunt iuste negare hanc licentiam, si persona est idonea, quia est contra Pontificis voluntatem, & intentionem, qui hac ratione absolutè concedit hanc facultatem: vnde per se ab illo manat, & ideo non potest inferior sine iusta causa illam impedire, quamuis ex benignitate ipsius Pontificis requiratur consensus Episcopi vt conditio necessaria. Et ideo Concilium Tridentinum statim subiunxit, *Ipsam autem licẽtiam gratis Episcopi concedant.* Et Gregorius XIII. in alio indulto statim explicando, addidit, *Districtius inhibentes vniuersis, & singulis locorum Ordinariis, & quibuscunque aliis, quacunque dignitate, & auctoritate fungentibus, ne quenquã vestrum quouis prætextu præmissorum occasione impedire, vel molestare audeant quoquomodo.*

IX. *Suborta quæstiuncula expenditur.*

Statim autem suboriebatur quæstio, si Episcopus neget hanc facultatem euidenter iniuste, an liceat nihilominus prædicare? Sed non arbitramur quæstionem necessariam ad praxim, quia certũ est faciendum non esse, neque expedire, tum quia scandalum potius, vel detrimentum timeri posset ex tali prædicatione, quàm fructus sperari: tum etiam, quia difficile constabit iniustitiam esse adeo euidẽtem, nam licet persona aliàs sit idonea, potest hic & nunc non expedire vt prædicet. Denique cum Concilium, & Gregorius XIII. absolute postulent licentiam obtentam; quacunque ratione obtenta nõ fit, non impletur conditio necessaria, & ideo non licet vti facultate. Hæc autem omnia locum habent in locis subiectis Episcopis; quia verò nostri religiosi mittuntur etiam ad eas regiones infidelium, vbi nulli sunt Episcopi, ideo ibi nulla alia conditio requiritur, nisi superiorum Societatis approbatio, & deputatio.

Obseruatio secunda pro eodem priuilegio.

X. *Dictum priuilegium ad professos, deinde ad alios extenditur.*

Secundò principaliter circa eandem facultatem aduertendum est, quòd licet hæc facultas per se primò data sit intuitu Societatis professæ, vt significauit Gregorius XIII. in dicta Bulla, *Ad perpetuam*, illis verbis. *Quia ipsa Societas, inter omnia religionum instituta, expeculari & solenni voto specialius curam habet salutis proximorum per totum orbem discurrendi.* & nihilominus facultas ipsa non solis professis conceditur, sed in fauorem vel adiutorium ipsorum ad omnes de Societate extenditur, vt probant illa verba Pauli III. *Cuilibet vestrum, qui ad hoc idoneus repertus*, &c. loquitur autem cum Præposito, & sociis Societatis IESV: sociorum autem nomine, clarum est omnes comprehendi. Gregorius autem clarius dixit, *Omnibus & singulis ipsius Societatis prædicatoribus.* Dubitatum autem fuit, vt idem Gregorius refert in Bulla, *Dilecti filij*, anni 1584. an hæc facultas solis presbyteris concedatur, vel inferioribus etiam nõ ordinatis in sacris ea vti liceat. Et quidem quòd non tantum concedatur presbyteris, ex Bulla Pauli III. videtur mihi satis potuisse colligi: nam priùs habet illa verba vniuersalia, *cuilibet vestrum*: postea verò tractaturus de facultate audiendi confessiones, inquit, *Nec non illis ex vobis, qui presbyteri fuerint*, &c. ergo cum priùs indistinctè loquutus fuerit, vniuersalius sine dubio loquutus est.

Quamũ non sine presbyteri

XI. *Arguitur debere saltẽ*

Videri autem posset alicui, facultatem hanc solum ad Diaconos esse extendendam, quia illis solis conuenit ratione Ordinis, & quasi ex officio posse Euangelium annuntiare, iuxta doctrinam Isidori in c. 1. d. 25. & Gregorij in c. 2. 92. d. concessio autẽ simpliciter facta, debet secũdùm iuris idoneitatem intelligi. Et confirmatur, nã Gregorius in priori Bulla dicit, *Omnibus Societatis prædicatoribus*, non videntur autem propriè posse dici prædicatores, nisi saltem Diaconi sint. Nihilominus idem Gregorius in vltima Bulla citata non solùm concedit, sed etiam declarat ex vi priuilegij Pauli III. posse semper, & ab illo tempore potuisse scholares, & alios religiosos Societatis sacris ordinibus nondum initiatos hac gaudere facultate. Sicque hoc priuilegium intellexerat ipsa Societas in 2. Congregatione generali, can. 27. vbi non solùm de ordinibus sacris loquitur, sed absolutè dicit, *Retineatur priuilegium à Sede Apostolica concessum, vt nostri possint concionari, etiamsi non sint ad ordines promoti.* Cuius ratio reddi potest, quia verba Pontificis, *Cuicunque vestrum*, vniuersalia sunt, & sunt verba fauorem continentia, tam ipsorum religiosorum, quam animarum, in quibus maximè locum habet illud axioma, *Vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.* & quod, *beneficium Principis ample intelligendum est*, l. vlt. ff de constit. Princip. c. *dilecti.* de donationibus cum similibus.

esse Diaconos.

Resolvitur id non requiri, tum ex Pontificib. tum ex vsu Societatis.

XII. *Arguitur contra Caietanum esse Diaconi esse concionari.*

Nec munus concionandi ita est annexum aliquo iure diuino, vel humano ordini Diaconatus, vt propterea limitanda sint vniuersalia verba Pauli III. ad solos Diaconos, quia prædicandi munus propriè non est actus alicuius ordinis, vt dixi in 3. tom. 3. p. disp. 16. sect. 3 in fine, cum Soto 4. dist. 1. q. 1. art. 6. Cordub. lib. 1. Quæstionarij q. 50. puncto 2. contra Caietanum ibidem, q. 64. art. 6. & 2. 2. q. 187. art. 1. dicentem, actum prædicandi esse annexum saltem ex institutione Ecclesiæ ordini sacro Episcopi, vel sacerdotis, vel Diaconi: ipse autem nullo iure probat hanc Ecclesiasticam institutionem, seu annexionẽ. Videtur autem fauere Leo Papa epist. 61. alias 63. dicens, *Præter Domini sacerdotes nullus audeat prædicare, siue monachus, siue laicus ille sit, qui cuuslibet scientiæ nomine glorietur.* Nihilominus nullum est Ecclesiasticũ præceptum, quo prohibeantur inferiores clerici prædicare ex legitima facultate eius, qui possit illam concedere, vt expresse declarat glossa in c. *aditcimus*, 16. q. 1. & in c. *in sancta*. d. 92. dicens, Leonem suprà citata verba dixisse contra quosdam monachos vsurpantes officium prædicandi, cum eo tempore nec sacerdotes essent, nec haberẽt auctoritatem, vel facultatem prædicandi. Vnde addit, sub sacerdotibus comprehendere Leonem omnes alios clericos, qui ab ipsis Episcopis, seu prælatis Ecclesiæ habuerint prædicandi facultatem: de Diaconis verò ait, quando eis attribuitur munus prædicandi, nomine prædicationis intelligi lectionem Euangelij, quæ ipsis ex officio conuenit. Quam doctrinam sequuntur communiter Canonistæ asserentes, iure communi & absque dispensatione posse committi etiam his, qui in sacris non sunt ordinati, Panormitanus in c. *decernimus*, de iudicijs, n. 14. Decius ibi, n. 19. & Alexãder cõsil. 216. Angelus verb. *Laicus*, n. 4. Tabiena verbo *Prædicare*, §. 5. & alij, quos refert, & sequitur Didacus Perez lib. 8. ordinamenti, tit. 4.

XIII. *Quid de puella laicis ac mulieribus.*

Sed in his authoribus aduertere oportet, eos indifferenter dicere, laicis posse delegari etiam ab Episcopo munus prædicãdi, imò glossa citata idẽ dicit de muliere, quam in hoc meritò reprobant Panormitanus, & Angelus: repugnat enim Paulo dicẽti, *mulieres in Ecclesijs taceant*, 1. ad Cor. 14. &, *docere mulieri non permitto.* Ex quibus locis colligit D. Thom. 2. 2. q. 177. artic. 2. munus publicè prædicandi esse prohibitum fœminis, eiusque prohibitionis optimas congruentias adducit Et quamuis dubitari possit, an illa prohibitio iuris diuini sit; verisimilius tamẽ est, factam fuisse à Paulo, & ab Ecclesia receptam, non quia illud sit intrinsecè malum, sed quia minus decens,

decens, & conueniens. Quæ prohibitio canonibus Ecclesiasticis confirmata est, cap. *mulierem*, 33. quæst. 5. ex August. q. 45. noui, & veteris Testamenti, & ca. *mulier*. 23. d. ex Concilio Carthagin. IV. cap. 98. idem in cap. *noua* de pœnit. & remiss. de quo vide Gerson. 1. p. tract. de examinatione doctrinarum 2. p. eius, considerat. 2. alphab. 18. lit. G. De laicis autem simpliciter consentiunt dicti authores, & esse speciale de prædicatione dicit glossa in cap. *bene quidem*, d. 96. verb. *præter Romanum*.

XIV. *Negandum plane.*

Hoc autem aliis non placet, qui simpliciter negant, laicum esse capacem facultatis prædicandi. Sylvester verb. *prædicator*, quæst. 1. cum Panorm. in c. *sicut in vno*, de hæreticis ex textu ibi, Simancas de Catholicis instit. tit. 49. num. 2. quia laicus non est capax iurisdictionis spiritualis, officium autē prædicandi, iurisdictionē requirit spiritualem, vt paulo antea à nu. 2. dicebamus, ideo enim exerceri non potest sine authoritate Prælatorum. Et fortasse hoc sensu dixit Panormitanus supra, prædicare esse officium curatum: at verò laici sunt incapaces iurisdictionis Episcopalis, saltem iure communi: ergo etiam sunt incapaces huius delegationis. Vnde fit primò Episcopos ordinarios non posse illis hoc munus committere, quia non possunt in communi iure dispensare. Sequitur secundo, facultatem Pontificis simpliciter nostris religiosis concessam ad prædicandum, intelligendam esse de religiosis clericis, saltem prima tonsura initiatis: quia licet Pontifex possit in iure communi dispensare, & ideo possit spiritualem iurisdictionem delegare laico, vt alias dixi tom. 5. 3. p. disput. 2. sect. 3. n. 12. estque communis opinio, apud Henriq. lib. 3. ca. 24. Auilam 1. p. dub. 6. Sayrum de censur. lib. 1. c. 5. num 15. post Panormit. Couarr. & Nauar. nihilominus quando simpliciter concedit, intelligitur secundùm ius commune cōcedere quoad alias conditiones requisitas; ergo in præsenti solùm concedit illam facultatem clericis. Quam interpretationem confirmat Gregor. XIII. in posteriori Bulla dicens; *Vobis insuper concedentes, vt etiam clerici vestri prima tantum tonsura insigniti, prout huc vsque fecerunt, valeant deinceps ipsum Dei verbum, vbique populo prædicare.* Vbi licet vtatur verbo *concedendi*, re tamen vera non est noua concessio, sed antiquæ declaratio, & confirmatio, vt ex priori clausula constat, & ex illo verbo, *prout huc vsque fecerunt*, intelligit enim non male, sed recte ac iure fecisse, tam extendendo illam facultatem ad omnes clericos, quàm coarctando ad solos illos: quod etiam ipse tacitè facit, dum solis initiatis saltem prima tonsura vsum talis facultatis concedit.

Corollaria duo ex data resolutione.

XV. *Obiectio bipartita contra corollar. 2.*

Contra hanc verò interpretationem obiici potest, quia laicum, id est, non initiatum etiam prima tonsura, prædicare, iure communi prohibitum non est, nec ex eo quòd sit actus iurisdictionis prohibitio sufficienter colligitur: ergo quòd illi etiam concedatur facultas prædicandi, contra nullum ius est: ergo priuilegium Pontificis, præsertim concessum religiosis absolutè, & sine restrictione, ample intelligendum est de omnibus, etiamsi tonsurati nō sint, iuxta generalia principia iuris supra n. 11. insinuata.

1 pars obiectionis probatur.

Antecedens quoad priorem partem probatur ex c. *cum ex iniuncto*, & c. *sicut in vno*. de hæret. vbi prohibētur laici, *cuiuscunque ordinis censeantur, vsurpare officium prædicandi*. Vbi expendo verbum *vsurpare*, quod in rigore significat propria authoritate exercere: ergo ex commissione prædicare ibi non prohibetur: nullum autem aliud decretum, in quo sit vestigiū huius prohibitionis, inuenitur. Quin potius in dicto cap. *mulier*. d. 23. ait Concilium Carthaginens. laicus præsentibus clericis, nisi ipsis iubentibus, docere non audeat: potius ergo ibi supponitur capax huius delegationis. Altera verò pars declaratur, quia

Probatur. 2

duobus modis potest requiri iurisdictio Ecclesiastica ad aliquem actum: primò vt principium per se eius, vt requiritur ad excommunicandum, vel absoluendum: secundò vt cōditio necessaria, vel quasi imperans, vt est ministrare Eucharistiam, vel benedicere cōiuges, vnde breuitatis causa priorem vocare possumus actum elicitum à iurisdictione: posteriorem autem imperatum. Prior igitur actus nō potest secundùm ius commune committi laico, & hoc modo procedunt omnia, quæ de censura, excōmunicatione, & absolutione alibi tractauimus, tractantque Doctores communiter in cap. 2. de iudiciis, & in c. *ab excommunicato*. de rescript. & Couarr. cap. *alma mater*. 1. p. §. 11. num. 13. de posteriori autem actu non videtur eadem ratio, quia non requirit iurisdictionem in exequente, sed solùm in imperante. Propter quod committere talem actum non est delegare iurisdictionem, sed solùm executionem eius. Mera autem executio committi potest laico, quando alias talis actus non requirit per se ordinē, & ideo Baptismus priuatus committi potest laico: solennis autem minimè. Executio etiam sententiæ in clericum committi potest laico aliquando, non tamen sententiæ prolatio, neque etiam executio, si requirat potestatem ordinis, vt erit, v. g. degradatio realis. Prædicare igitur non est actus elicitus à iurisdictione, vt per se est euidens, quia tantùm est docere, illuminare, ac monere, & ideo passim committitur nullam habentibus iurisdictionem. Non est etiam actus ordinis, quia nullus ordo per se ordinatur ad talem actum; in nullius enim ordinis traditione talis actus mentio fit, vt de Sacerdotio, & Diaconatu, rectè aduertūt Soto & Corduba suprà: est autem eadem ratio de reliquis, & de prima tonsura: neque è cōuerso hic actus annexus est alicui ordini ex institutione Ecclesiæ, nullibi tale præceptum & institutio inuenitur. Solùm ergo requirit iurisdictionem vt imperantem, & ad executionem non requirit ordinem: poterit ergo & ab Episcopis, & à Pontifice iure ordinario committi laico. Et fortasse glossa suprà citata ob hāc causam dixit, hoc esse speciale in munere prædicandi inter actus spirituales requirentes aliquo modo iurisdictionem.

XVI. *Sententia Auilæ de illum imitantium.*

Nihilominus existimo veram esse dictam interpretationem, quia nō est verisimile Gregorij XIII. per illam dictionem *tantum*, limitasse facultatem à Paulo III. concessam, nam expresse voluit illam declarare in vero sensu eius, & totam illam confirmare. Item, quia ita fuerat à Societate intellecta, & vsu recepta illa facultas, quem vsum Gregorius cōfirmat. Præterea, quamuis iura expresse non prohibeant hāc delegationem, satis tamen indicant, per se loquendo, esse alienum ab statu laici prædicationis munus, ideoque non esse illi permittendū, aut concedendum, nisi ex speciali causa, & necessitate. Et ideo per verba generalia non censetur illi facta concessio, sed tunc solùm quando illi directe & in particulari fit, & præsertim rogantibus clericis, vt dicitur in dicto Concilio Carthagin. quod tamen hunc sine licentia Episcopi locum non haberet.

XVII. *Confirmatur exemplo.*

Et confirmari hoc potest ex illa regula iuris in *sub clausula generali non contineri specialia, quæ verisimiliter non essent in particulari concedenda*: laicum autem prædicare, habet quandam specialem indecentiam, iuxta communem Ecclesiæ consuetudinem, nec solet illi facultas hæc in particulari concedi: ergo ne generalis debet ad illum extēdi. Verum est in religioso multum diminui indecentiam, vt significauit glossa in dicto cap. *mulier*. eo quòd persona Ecclesiastica fit. Nihilominus tamen etiam ex religiosis, non habet Ecclesiæ consuetudo vt merè laicus ad illud munus assumatur. Vnde quia olim monachi non erant clerici, sed laici, ideo ad munus prædicandi non admittebantur, iuxta illud Hieronymi ad Riparium contra Vigilantium, *Monachus non docentis, sed plangentis*

Item ex vsu Ecclesiæ.

plangentis habet officium, & ad Eliodorum epist. 1. *Alia causa monachorum est, alia clericorum: clerici pascunt oues, ego pascor:* & similia, quæ 16. q. 1. referuntur. Quocirca, quamuis neque aliquis ordo per se detur propter hoc munus, neque è conuerso munus ipsum per se sit annexum alicui ordini: nihilominus ex iure diuino ac naturali rebus sacris munus prædicandi Euangelium proprium est clericorũ, quia illud munus spirituale est, & sacram doctrinã requirit, quæ propria est sacerdotum, & eorum, qui ad sacerdotium tendunt, per primam saltem tonsuram, iuxta illud Malach. 2. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent de ore eius: quia angelus Domini exercituum est.* Et ideo meritò iure ordinario laicus non admittitur ad hoc munus. Hæc autem maximè procedũt de publica concione, quæ fit in Ecclesia, vel in quocunque loco, in quo fiat conuocatio fidelium ad verbum Dei pro concione audiendum: nam si non fiat hoc modo ad illuminandum & excitãdum populum, sed solùm ad catechesim, & institutionem doctrinæ Christianæ, aut aliquid huiusmodi, illa non est prohibita laicis, neque est per se indecens, præsertim religiosis. quod etiam tacitè sentit Ecclesia, admittens in patrinos catechizandi laicos, & fœminas.

Catechizare possunt mere laici.

XVIII. *Ad Societatis nouitios confessarios extenditur 3. corol.*

Quæri verò hic vlterius potest, an hæc facultas etiam ad nouitios Societatis extendatur. Et ratio dubij est, quia illi verè non sunt religiosi, & ideo neque in Societate videntur propriè comprehendi nomine *sociorum*, quo vtitur Paulus III. & multo minus possunt *prædicatores* appellari, vt loquitur Gregorius. Nihilominus censeo etiam illos posse vti hac facultate de licentia superioris: quia iuxta communem sententiam Doctorum, licèt nouitius verè & in rigore religiosus non sit, nihilominus in fauorabilibus venit appellatione religiosi argumento ca. *religioso. §. quamuis.* de senten. excomm. in 6. vbi vt gaudeat priuilegio canonis, dicitur comprehendi sub nomine *religiosi.* Item, quia nouitij, sicut pro eo tempore sunt sub potestate prælatorum, & sustinẽt suo modo onus religionis, ita etiam participãt priuilegia, & fauores religionis, vt communiter tradũt Doctores in dict. c. *religioso.* & in c. *beneficium.* de Regularib. in 6. & faciunt quæ Nauarrus tractat in consilio 5. & 6. de foro compet. Denique presbyter nouitius Societatis, & ab Ordinario approbatus, potest à superioribus deputari, ad audiendas cõfessiones, communicãdo illi iurisdictionem totam, quam ex vi Bullarum Apostolicarum potest, vt infra videbimus: ergo eadẽ ratione potest quilibet clericus nouitius ad prædicandum mitti, si alias sit idoneus. Accedit, quod in nostris constitutionibus p. 5. in principio declaratur, *Societatem* in quadam lata significatione comprehendere nouitios: ergo in eadẽ significatione *sociorum* nomine comprehenduntur. Ita ergo accipienda est illa vox in indulto Pauli III. cum contineat Principis beneficium. Nec vero huic doctrinæ obest quod ait Bern. ser. 64. in Cant. *Nouitio nõ expedit prædicare.* Loquitur enim in proprio monacho, in hæc verba, *Monachi officium est non docere sed lugere,* & paulo post, *Certum est quod publice prædicare, nec monacho conuenit nec nouitio expedit.*

Obseruatio tertia.

XIX. *Nunus prædicandi potestas doctrinam, & modus.*

Tertiò principaliter notãda sunt in hac facultate verba illa, *Qui ad hoc idoneus repertus.* Circa quæ multa tractari possunt de donis naturæ, scientiæ, & gratiæ necessariis vt aliquis ad hoc munus prædicãdi idoneus reputetur. Sed hoc ad nostrum institutũ nihil refert: legantur quæ de hoc argumento tractat Augustinus lib. 4. de doct. Christ. fere per totum, & Chrysostomus lib. 5. de Sacerdotio, in principio, & Gregorius 1. p. Pastoralis, c. 7. & 8. & lib. 1. Dialog. c. 4. & in libris Moralium frequentissimè, in Proœmio, c. 2. lib. 3. c. 35. lib. 13. c. 13. lib. 21. c. 8. & lib. 31. c. 19. Omnia verò, quæ ad hanc idoneitatem requiruntur, ad sufficientem scientiam, & virtutem pertinent: nam *si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Et ideo dixit Clemens epist. 1. *Prædicatores docti sint, vt alios prudenter instruere & perfectè possint docere,* iuxta illud Daniel. 11. *Populus sciens Deum, obtinebit, & faciet, & docti in populo, docebunt multos.* Doctrina autem sine probitate vitæ inefficax est: *nam si sal euanuerit, in quo salietur?* dixit Christus Matth. 5. nam, vt monet Dionys. c. 3. de Cœlest. hierar. *Præstantius, ac omnibus diuinius est, Dei cooperatorem fieri,* & ideo necesse est *prius in se diuinam operationem suscipere,* postea quantum fieri potest cum aliis communicare, *Nam quibus purgandi cæteros officium est, ingenti munditiæ copia tradere aliis suæ sanctimoniæ consortium decet,* &c.

XX. *Quanta doctrina & probitas postuletur.*

Quanta verò requiratur scientia, aut probitas, non potest certa regula definiri, neque æqualis in omnibus petenda est; sed loco, tempori, & personis proportionata. Vnde Dionysius loco citato distinguens varios ordines Ecclesiæ triumphantis, qui ad militantem applicari possunt. *At verò* (ait) *quibus purgandi cæteros officium est, ingenti munditiæ copia tradere aliis suæ sanctimoniæ consortium decet: qui verò illuminandi consequuti sunt munus, eos vtpote lucidiores spiritus ad percipiendam, atque tradendam aliis participationem, ac Societatem lucis idoneos, sacrique illius fruoris gratia opulentissimè plenos, exundantem omni ex parte lucem in eos, qui mererentur, effundere. Qui autem perficiendi funguntur vice, eos vt perficientis disciplinæ peritissimos sacratissima institutione scientiæ, sanctarum, quas contemplati sunt, rerum ad se accedentes huius rei causa perficere.* Itaque prædicandi munus non æquale est in omnibus, alij enim ad rudẽ plebem erudiendam, & in communi, ac vulgari honestæ vitæ modo instruendam, & excitandam destinantur. Alij ad illuminandum Doctores, confutandos hæreticos, & mysteria fidei altius proponendũ & illustrandum: alij denique ad perfectionis viam, & spiritualem doctrinam subtilius tradendam assumuntur, & ideo in quibusdam maior doctrina, quàm in aliis, & similiter maior perfectio sanctitatis, & efficacia spiritus postulatur. In omnibus autẽ, quod ad doctrinam attinet, ad minimum necessariũ est, vt fidei dogmata & propria, ac moralis doctrina virtutum, & vitiorum, ita teneantur, vt absque periculo erroris sufficienter possint publice explicare. Quod vero spectat ad virtutem, saltem necessarium est, publicum honestæ vitæ exemplũ. An verò sit peccatum mortale in peccato mortali prædicare, in dicto loco 3. tom. tractauimus, & probabilius duxi non esse, secluso scandalo. In nostræ autem Societatis hominibus desiderãdum est, ac procurandum vt abundantior sit doctrina, & vt vita professioni ac instituto respondeat, vt *cæteros possint verbo pariter, & exemplo ædificare,* cùm in externo habitu parum ab eis secernantur.

Obseruatio quarta.

XXI. *A quo superiore facultas concionandi detur.*

Quartò explicanda sunt illa verba, *& per vestræ Societatis Præpositum pro tempore existentem deputatus fuerit.* Non enim obligãt hæc verba, vt Præpositus per seipsum & immediatè debeat omnes Societatis prædicatores exponere, aut approbare, id enim in tãta hominũ multitudine impossibile est. Illi ergo hoc committitur, vt per se, vel per alios, qui ad hoc munus sufficientes sint, id posset. Quod vniuersaliter de similibus facultatibus, Generali consciis, explicauit idẽ Paulus III. in sua Bulla 5. circa finem. Videtur autem hoc specialiter commissum Generali, vt intelligat hoc peculiariter ad eius administrationẽ pertinere, & vt huius rei peculiarem curam habeat, vt dicitur in 2. Congregatione generali, canon. 27.

Et

Et iuxta hoc intelligendum est quod in 7. p. Const. c.4.§.6.dicitur, verbum Dei proponendum esse populo assiduè *per eos, quos superior probauerit, & ad tale munus destinauerit. Superior* enim ibi non significat Generalem, vt per se constat: intelligi autem debet qui ad hunc actum ab ipso habuerit facultatem, vel indefinitè superior, ad cuius munus hoc pertinet. Hic autem superior in Societate post Generalem, est Prouincialis iuxta regulam 20. eius, quæ sic habet, *Prædicatores, & confessores ipse constituet, præmisso tamen domestico examine, & approbatione Ordinariorum iuxta formam Concilij Tridentini.* Huius rei exemplum habemus in religione Minorum: nam in c.8. Regulæ prohibentur prædicare sine approbatione Generalis: postea verò declaratum est, Prouinciales posse id præstare, vt constat ex Nicolao Papa in c. *exiit.* §. *verũ quia expresse*, de verb. significat. in 6. vbi etiam refert in fratrum priuilegiis contineri, & ita obseruari. Quod confirmat Clemens V. in Clem. *exiuit*, de verbor. signific. & Gregorius IX. in expositione regulæ, articulo 6. Vnde colligo, hanc potestatem in Prouincialibus non esse tantùm delegatam, sed etiam ordinariam, quia ex vi sui muneris, & legis, ac priuilegiorum virtute, illam participant; quare nõ repugnat vt eam possint delegare alicui Rectori, vel alteri, si iudicauerint expedire: quod tamen generali delegatione non videtur permittendum, quia nec necessarium est, nec sufficiens, vt Prouincialis suo muneri satisfaciat: in aliquo autem casu ob specialem necessitatem, & maximè respectu determinatæ personæ eam potestatem committere seu delegare, & validè & licitè fieri potest.

Illatum ex proximè dictis.

XXII. *De examine ad concionandum.*

Quod autem in prædicta regula Prouincialis dicitur, *præmisso domestico examine*, additum est his, quæ in Bullis Pontificiis requiruntur. Nam Paulus III. solùm dixit, *qui ad hoc idoneus repertus*: potest autem idoneus reperiri, & cum examine, & sine illo. Illa ergo forma *quod approbatio superioris, sit per examen*, nõ est de substantia huius actus, imò neque de rigoroso præcepto, sed de obligatione simplicis regulæ, quam seruare valde expedit, quamuis in aliquo casu, vbi res est publice nota & euidens, in ea circumstantia dispensari possit. Est autem illa regula consentanea his, quæ statuit Concil. Lateranen. sub Leone X. sess. 11. Bulla 1. quæ incipit; *Supernæ maiestatis præsidio.* vbi sic dicitur; *Sacro approbante Concilio statuimus, & ordinamus, vt nullus tam clericus secularis, quàm cuiuscunque etiam Mẽdicantium ordinum regularis aut quiuis alius, ad quem facultas prædicandi tam de iure, quàm de consuetudine, vel priuilegio, aut alias pertinet, ad huiusmodi officium exercendum admittatur, nisi prius per superiorem suum respectiuè diligenter examinatus (in qua re conscientiam ipsius superioris oneramus) ac morum honestate, ætate, doctrina, probitate, prudentia, & vitæ exemplarit. ate ad illud aptus & idoneus reperiatur,* In quibus verbis *morum honestas, probitas, & vitæ exemplaritas*, ad idem pertinent: *prudentia* verò à doctrina & virtute, si simul coniungantur, vix potest separari. In prædicatore autem, quatenus talis est, ea prudentia requiritur, qua ad rectè loquendum, & pro dignitate de rebus sacris, & ad bonum animæ pertinentibus necessaria est. De ætate verò nihil in particulari definitum est in Decretis. Solùm inuenio Gregorium hom. 2. in Ezech. expendendum verbũ illud, *tricesimo anno*, & dicẽtem, iuxta rationis vsum, doctrinæ sermo non suppetit, nisi in ætate perfecta: quod latè prosequitur, docens non esse hoc munus assumẽdum, donec homo sit in ætate solida, & matura: *Quatenus ei* (inquit) *cũ vita, & spiritu omnia, quæ ad prædicandum congruunt, concordare videantur.* Sed hoc etiam prudentiæ prælati relinquendum est: quia non in omnibus, nec pro omnibus locis, aut concionibus eadem maturitas ætatis requiritur, multumque ex aliis dotibus, præsertim iudicij, & solidæ virtutis suppleri potest.

Obseruatio quinta.

Quintò exponenda supersunt illa verba, *In quibuscunque Ecclesiis, & locis, ac plateis communibus seu publicis, & alias vbique locorum.* Iuxta quam facultatem dicitur in constitutionibus Societatis 7. p. cap. 4. §. 7. *hoc ipsum, quod dictum est* (id est, prædicare verbũ Dei) *extra Ecclesiam Societatis aliis in Ecclesiis, vel plateis, vel aliis locis præstari, quando ei, qui cæteris præest, ad maiorem Dei gloriam conferre videbitur.* Estque prædicta facultas consentanea iuri communi, & aliis summorum Pontificum cõcessionibus, nam similis habetur pro Prædicatoribus & Minoribus in Clemen. *dudum.* de sepultur versiculo. *Nos autem. Statuimus* (inquit) *& ordinamus vt dictorum ordinum fratres, in Ecclesiis & locis eorum, ac in plateis communibus liberè valeant clero, & populo prædicare.* Simile habetur ex Benedicto XI. in extrauagant. *inter cunctas.* de priuileg. *In Ecclesiis* (inquit) *ac locis ipsorum, ac in plateis communibus, seu publicis,* &c. Idemque concessit Sixtus IV. fratribus Carmelitis, & Ioannes XXII. vt referunt Cardinalis in dict. Clem. & Ioan. Andr. in c. *constitutiones.* de Regularib. in 6. & in Compendio priuilegiorum mendicantiũ verb. *Prædicatores.* §. 8. & 10. Considerandа autem est differentia inter verba Pauli III. & Clementis V. seu Benedicti XI. nam hi duo restrictè loquuntur, *In Ecclesiis, ac locis ipsorum*; Paulus autem Societati simpliciter concessit, *In quibuscunq; Ecclesiis, seu locis*, &c. Quæ differentia ex eo orta videtur, quod illa prior facultas ita concedebatur, vt liceret ea vti absque diœcesanorum, vel aliorum prælatorum petita licentia, vt Benedictus XI. expressè declarat: & ideo non extendebatur facultas quoad loca particularia vltra proprias Ecclesias, vel domos: quia, vt ibi ait Petrus de Ancharano, voluit Papa sine aliorũ præiudicio de eorum locis disponere: nunc autem iuxta formam Concilij Tridentini necessaria est Ordinariorum approbatio, quæ in prædicta facultate subintelligitur, vt exposuimus, & ideo generaliter conceditur facultas pro omnibus Ecclesiis, quia sic intellecta, nullius continet præiudicium, vt declaratum est.

XXIII. *In quibuscunque Ecclesiis, & locis, ac plateis communibus seu publicis, & alias vbique locorum.*

XXIV. *Obiectio contra nostros religiosos.*

Contra hanc verò concessionem, quatenus plateas, & loca publica includit, obiiciunt aliqui, & contra nostros religiosos obmurmurant, eoquod hac facultate vtantur: quia hoc est contra decentẽ modum tractandi verbum Dei, pertinetenim ad reuerentiam rerum & actionum sacrarum, vt nõ in locis profanis, & communibus, sed in sacris, & ad ea munera specialiter deputatis peragantur: verbũ autem Dei est res valde sacra, adeo vt ab Augustino cum ipsa Eucharistia quodammodo conferatur: ergo concio sacra indecenter in plateis profertur. Et confirmatur, nam ad hunc finem, inter alios, dedicantur sacra templa vt in 3. tom. disp. 81. ostendimus: ergo sicut non licet extra illa alia sacra facere, ita nec sacram concionem. Tandem confirmatur, quia hic modus concionandi est contra Ecclesiæ cõsuetudinem, & sine vtilitate, quia in viis & plateis neque attente, neque deuote potest verbum Dei audiri: ergo talis vsus neque introducendus, neque admittendus est.

Sonatus in nonnulla in his pp. Sanch.

XXV. *Primaria solutio obiectionis.*

Ad has obiectiones respondendũ est, de fide certum esse, per se loquendo, nec malum, nec indecens esse in plateis, & locis publicis populo prædicare. Hoc conuincit auctoritas dictorum Pontificum: fuisset enim intolerabilis error facultatem dare ad rem de se malam, vel indecentem. Deinde confirmari potest exemplo Christi Domini, qui in monte, in littore, & in naui, & vbique, prout occasio ferebat, docebat turbas, vt ex Euangeliis constat. Vnde Lucæ 13. dicit, in die iudicij impios dicturos, *In plateis nostris docuisti.* Deinde idem fecerũt Apostoli, vt ex

Dubia petita ex Prima 2. q. 81. a. 6. ad 3.

Confirmatio.

Actis

Christi, Apostolorũ, &c.

Actis Apostolorum cap.5. constat, nec sine præcepto, vel consilio ipsiusmet Christi. Nam Lucæ 14. dixit Dominus seruo, *Exi cito in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc.* Et Matth.10.dixit, *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis prædicate super tecta*: id est, in quolibet loco commodo, & publico, apto ad publice prædicandum. Erant enim tunc tecta domorum (vt Maldonatus aduertit) plana, & apta ad cõfabulandum; quod in eis tunc fieri solebat, sicut & nunc fit in foro. Vnde perinde fuit dicere, *Prædicate super tecta*, ac prædicate in foro, & vbique: & ante Christum Dominum idem legimus de Ioanne Baptista Matth.3 & Luc. 1. & ante illum alij Prophetæ, vt colligitur Amos 5. *Et odio habuerunt corripientem in via*, vbi hoc ex Hieronymo notat Ribera, inde colligens antiquam esse Sanctorum consuetudinem, & à Propheticis vsque repetitam temporibus concionandi in plateis, & vbicunque multitudo hominum audire poterat. Cui etiam optimè consonat historia lib.2. Esdræ, cap. 8. vbi dicitur, congregatum fuisse omnem populum quasi virum vnum ad plateam, quæ est ante portam aquarum, & ibi ex eminenti loco Esdram legem Domini legisse, & docuisse. Consonant etiam verba illa Prouerb. 1. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua, dicens: Vsquequo paruuli diligitis infantiam*, &c. Quæ verba licèt exponi possint de internis inspirationibus Dei, tamen verba ipsa declarant etiam comprehendere vocationem externam per voces Prophetarum, nam in eis clara fit illatio ad morem antiquum prædicandi in plateis, & in foribus ciuitatum. Vnde Abulensis lib.2. Paralipomenon, cap.15. q.5. aduertit, in veteri lege extra templum esse determinatum locum ad sacrificia, nõ tamen ad prædicandum, hoc enim fieri poterat in omni loco. In lege autem noua multò minùs datum est de hac re speciale, & quasi cæremoniale præceptum. Vnde etiam post tempora Apostolorum multi sancti consueuerunt prædicare populis in plateis, & in agris, vt sunt vulgares historiæ de S. Antonio Paduano, Vincentio Ferrer. S. Petro Martyre, & similibus. Ratio denique manifesta est, quia hoc nec diuina lege positiua prohibitum est, vt ostẽdimus, nec Ecclesiastica: vbi enim est decretum, aut canon hoc prohibens? Nec denique est per se, & intrinsecè malum, vt eadem traditio ostendit, & patebit respondendo ad rationes.

Ex facto etiam concionatorũ post Apostolos.

Denique ex ratione.

XXVI. *Replicare monetur.*

Dices: Si hoc non erat prohibitum, quid necesse erat priuilegium de hac re concedere: nam sine illo fieri poterat, supposita facultate concionandi? Respondetur, non semper priuilegium dari vt per illud dispensetur in aliqua lege, sed propter alios etiam fines, vt sæpè dictum est. Hoc ergo priuilegium duo præcipuè operari potest. Vnum est, vt non solùm Societati liceat, sed etiam ratione huius concessionis habeat aliquod ius prædicandi in huiusmodi locis, ità vt à nemine possit sine rationabili causa iustè impediri, etiam ab his, qui dominium aliquod, vel iurisdictionem temporalem in talibus locis habent. Quod significauit glossa quædam marginalis in dict. Clement. *Dudum*. Inde colligens, posse Papam disponere aliquid faciendum in re domini temporalis, in fauorem fidei. Secundò operatur hoc priuilegium, vt ora contradicentium obstrui debeant, & cogantur fateri, hoc non solùm non esse malum, verùm etiam de se valde expediens esse, si cum debita moderatione, & prudentia fiat. Hoc patet, tum generali ratione, quia non est verisimile Pontifices concessuros fuisse huiusmodi facultates, nisi iudicarent vsum earum in Ecclesia expedire: tum etiam ex verbis ipsorum, nam Clemens V. ait, hoc concedere *ad salutis animarum fidelium incrementum*; & *exaltationem*. Gregorius verò XIII. dicit, id concedere, vt *populi verbo, & exemplo religiosorum ædificentur*.

Et ideo secunda assertio ferè æquè certa ac præcedens statui potest, vsum huius facultatis non solùm malum non esse, sed etiam esse valde opportunum Ecclesiæ, & ex his rebus, quæ sub consiliũ cadunt, quantum est ex genere suo. Hoc præter authoritatem Pontificum suadent maximè exempla sanctorum, qui hoc fecerunt, non tantùm initio Ecclesiæ quando hoc necessitati tribui poterat, sed etiam post fundata & multiplicata templa, prout constat fuisse temporibus sancti Bernardi, Dominici, Francisci, & aliorum, quos retulimus, à quibus hoc factum est, & post eorum tempora à multis aliis, vt ex historiis Sanctorum constat. Et in vita sancti Francisci, capite duodecimo, legimus hoc Deum miraculo confirmasse. Ratio etiam hoc ostendit, quia hominum status, & conditiones varij sunt, & magna eorum pars ad audiendum verbum Dei in templis, non concurrit, multi quia commode non possunt, alij quia propter prauam consuetudinem nolunt: ergo valde vtile est Ecclesiæ, vt interdũ extra templum in plateis, vel aliis locis publicis conciones fiant, vt vel inuiti cogantur audire, qui refugiunt, vel certè vt impeditis, & impotẽtibus subsidiũ spirituale offeratur: & ita prædicator ex charitate quærat etiam eos, qui verbum Dei audire recusant, imitans eum, qui dixit; *Inuentus sum à non quærentibus me: palam apparui his, qui me non interrogabant*. Roman.10. Isai. 65. Cui consonat quod Paulus ait 2. ad Timoth. 4. *Prædica verbum, insta opportunè, importunè*. Vbi Theophylactus, *non sit tibi statum tempus, sed importunè etiam, hoc est, cum in periculis fueris, & extra Ecclesiam loquere, & prædica, & opportunè, hoc est, cum extra trepidationem fueris in Ecclesia. Opportune enim, & importunè iuxta vulgi opinionem dixit, nam opportunitatem doctrinæ vocat in Ecclesia esse: importunitatem autem extra hanc esse*. & sumpsit ex Chrysostom. homilia nona. Diuus Thomas autem etiam exponit, *importune*, secundùm falsam existimationem audientium: prædicator enim opportunus est volentibus: importunus nolentibus: debet autem ita instare, vt etiam nolentes audire cogantur. Ad hunc ergo modum prædicatio in plateis videtur importuna non satis rem considerantibus, est tamen valde opportuna, vt verbum Dei ad omnes melius diffundatur.

Secunda assertio qua authoritate fulciatur.

Quo item ratione.

XXVII.

Ad rationem ergo in contrarium respondetur, prædicationem propriè non esse ministrationem sacram, vt rectè aduertit Abulensis suprà, cuius signum est, quòd propter illam, vt suprà dicebamus, nec specialiter consecrantur ministri, neque etiam aliquæ peculiares cæremoniæ per se necessariè sunt: neque etiam ordinatur ad aliquã mysticam significationem, sed solùm ad moralem, & spiritualem fidelium vtilitatem, ideoque ex ratione sua non postulat sacrum locum, in quo fiat, sed tantùm accommodatum, & opportunum ad vtilitatem, & ædificationem audientium. Ad primam confirmationem respondetur in primis, templa, licèt consequutione quadam ad munus concionandi inseruiant, non tamen propter hunc finem per se primò instituta, sed propter sacrificium in eis offerendum, ac proinde non propriè benedicuntur, aut consecrantur propter concionem, sed solùm ratione diuinæ Eucharistiæ, & aliorum sacramentorum. Vnde Nicephorus refert libro duodecimo historiæ, capite 34. alicubi fuisse obseruatum vt pro concionibus faciendis essent loca à templis diuersa, designata: & Abulensis suprà aduertit, cum tempore legis veteris sacrificia in vno tantùm Hierosolymitano templo offerri possent, Leuitic.17. & Deuteronom. 21. in aliis ciuitatibus, vel oppidis fuisse Synagogas ad orationem, & concionem deputatas. Quod etiã

XXVIII.

Ad obiect. inn 24.

Ad 1. confir. ibid. vnare-sponsio.

Altera responsio.

colligitur ex Lucæ quarto, & Actorum 13. vers. 14. & cap. 15. vers. 21. Deinde dicitur, siue templa, siue alia loca destinata sint ad munus prædicandi, non inde fieri, illud non posse exerceri in aliis locis, nam loca illa non designantur vt sint omnino necessaria ad illud munus, sed vt commoda, & certa ad ordinarias prædicationes, ad quas fidelis populus sponte suis temporibus concurrere solet. Sicut etiam templa sunt destinata ad orandum, quod non impedit quominus aliis etiam locis orandum sit, cùm Apostolus dicat; *Volo viros orare in omni loco.* Ad secundam confirmationem negatur inprimis hoc esse contra consuetudinem Ecclesiæ: ostensum est enim esse antiquissimam, quòd autem nunc sit minus frequēs, causa esse potest vel quòd minor est in audientibus necessitas, vel in prædicantibus remissior charitatis fervor. Negatur etiam hoc esse inutile, nam licèt fortasse in plateis minus commodè concio fiat, quā in templo tamen vtilius est vel illo modo fieri, quā omninò omitti, cùm ob eam causam consuetudo prædicandi in templis neque omittatur, neque remittatur, sed illi addatur alia, per quam fructus augeri solet, maximè in his personis, quę minus solent templa frequentare, vt diximus in n. 27.

Ad 2 confirmat.

Obseruatio sexta.

XXIX. *In quibus temporibus sit ex dicto priuilegio concionandum.*

Sextò circa eadem verba, quæ circunstantiam loci attingunt, aduertendum est, in hoc indulto nihil additum esse, quod ad circumstantiam temporis pertineat, sed absolutè, & indefinitè facultatem concedi, ideoque ad omne tempus, sine vlla restrictione extenditur. In dicta autem Clement. *Dudum.* & in extrauagant. *Inter cunctas* additur restrictio his verbis, *Hora illa duntaxat exceptā, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram se facere solenniter prædicari, in qua prædicare cessabunt.* Circa quam limitationem dubitari potest, an iuxta illam limitandum etiam sit hoc Societatis priuilegium. Nam si spectemus rationem, quam Benedictus XI. expressit, affirmatiuè respondendum videtur: *Putamus etenim dignum* (ait) *vt maiori minor, & superiori inferior deferat in hac parte.* In contrarium autem est, quòd ius illud non est generale pro omnibus religionibus, sed pro Minoribus, & ideo ex vi sui, illos tantùm comprehendit, vel ad summum eos, qui per viam communicationis illo vsi fuerint priuilegio. Et ita etiam Societas, si præcisè consideretur, quatenus est vna ex mendicantibus religionibus, & per communicationem vtatur illo priuilegio, subiecta etiam erit illi limitationi; tamen proprium eius priuilegium non est cur per aliud limitetur, cum generalius concessum sit.

An possimus concionari qua hora Episcopus concionatur

Dico ergo ex vi illius iuris, non limitari facultatem postea concessam à Paulo III. sed solum quantum ipsa naturalis ratio, & debitus ordo postulat, vt in eo casu inferior non vtatur tali priuilegio. Addo præterea ex Concilio Tridentino cit. in n. 3. colligi posse, dictam limitationem etiam in nostro casu locum habere, nam generaliter prohibet regularibus, *vt contradicente Episcopo, in suis etiam Ecclesiis prædicare non præsumant*: ergo in prædictis casibus non licebit, inuitis Episcopis, prædicare, etiam secluſa limitatione Clementis, ac Benedicti. Verum est quidem ex vi huius fundamenti non satis esse quòd Episcopus in sua Ecclesia concionetur, vt statim veluti ipso facto, censeatur nostris religiosis prohibitū prædicare in suis, nisi Episcopus vel specialiter, vel generaliter prohibeat: quia per solam prædicationem suam non contradicit, & quamdiu non cōtradicit, religiosus vti potest sua facultate, suppositā generali eiusdem Episcopi approbatione, & ita existimo quoad circumstantiā temporis, nullam aliā moderationem tunc esse necessariam, dummodo

XXX. *Resolutio authoris*

Episcopus nullū tēpus sibi specialiter reseruauerit, seu iusta ratione prohibuerit, siue de tali prohibitione constet per expressa verba eius, siue per consuetudinē, siue per quamcunque aliam sufficientē significationē; non est enim necessarium vt expressum præceptum imponat, sed satis est quòd indicet sibi displicere, præsertim in casibus in prædictis suis designatis, qui per se sunt rationi maximè cōsentanei. Secluſa autē prohibitione hominis, cū in iure nulla alia sit, non relinquitur aliquod tempus, quod generaliter excipi possit, quia sermo de Deo, per se loquendo, omni tempore bonus est, & proficuꝰ. Sola ergo prudētia debet hoc moderari, vt nec temporib. importunis, nec nimia prolixitate fiant.

Obseruatio septima.

XXXI. *Dilucidatur obligatio prædicandi populo verbum Dei.*

Septimò notanda sunt illa verba indulti, *Clero & populo verbum Dei prædicandi, proponendi, & interpretandi.* Illis enim explicatur de quo genere, & modo prædicationis hic sermo sit. Nam iuxta doctrinam D. Th. 2.2.q.177.art.2. *Dupliciter potest aliquis sermonem facere, scilicet priuatim, & familiariter ad vnum, vel paucos loquendo, vel publicè loquendo ad totam Ecclesiam.* Vbi Caietanus aduertit, non addi totam, vt cōprehendatur tota Ecclesia, quæ diffusa est per totum orbem terrarū; sic enim nullus publicè concionaretur: sed addi *ad cōprehendendum partes quasi essentiales Ecclesiæ, scil. clerum & populum*, quia hoc est de ratione muneris prædicandi simpliciter dicti, scil. vt quantum est de se indifferenter fiat ad totam Ecclesiam. Ob hāc ergo causam Pōtifices tam in hac nostra Bulla, quam in prædicta Clemen. & Extrauag. dixerunt, *Clero & populo*, vt significarent sermonem esse de publica, & propriissima prædicatione, nam ad alia priuata colloquia, etiamsi in eis proponatur verbum Dei, vel exhortatio ad virtutem, non erat necessarium speciale priuilegium. Et eodem modo intelligenda sunt quæ dixim⁹ de toto hoc munere, & præsertim quòd solum à clericis, tam iure ordinario, quàm ex vi huius facultatis fieri possit. Vnde simpliciter docere doctrinam Christianam ad puerorum, vel rudium institutionem, non cōprehenditur propriè sub nomine prædicationis, quia per se non ordinatur ad docendam, & exhortandā totam Ecclesiam vt cōprehendit clerum & populum, doctos & indoctos. Ideoque fieri potest à nostris, etiamsi primam tonsuram non habeant, idque non tam ex vi huius priuilegij, quam ad munus illud speciale priuilegium necessarium non est, sed sufficit generalis approbatio Societatis, quæ ad illud munus inter alia specialiter instituta est, vt suprà lib. 6. c. 3. à n. 4. vidimus, & in eadem Bulla Pauli III. expresse dicitur: & fortasse ob hanc causam in nostris priuilegiis Pōtificis nullū est, quod de illo ministerio specialiter loquatur.

Ad 1 obiect. 2 argum. & quæstionem.

XXXII. *Quis sermo dicatur publicus.*

Addit præterea Caietanus citato loco, non satis esse loqui ad totam Ecclesiam, id est, clerum, & populum, vt censeatur esse propriè prædicare, nisi fiat *publicè, hoc est, ex publico officio.* Nam si quis per modum priuatæ personæ alloquatur ad totam Ecclesiā, exhortando ad aliquid speciale, & tunc occurrit, illud non est prædicare, vnde dicit mulieri hoc esse permissum. Non videtur autem facile explicare quid addat illud verbum *publicè*, si sermo est ad totā Ecclesiam: quia necesse est, vt talis sermo eo modo fiat, vt ab omnib. percipiatur: ergo necessariò fit publicè, alta voce, & cum notitia publica. Quòd autem fiat ex loco certo eminenti, necne, non videtur esse de substantia, satis enim est, quòd fiat ex quocunque loco alto, vt à cæteris audiantur. Item quòd fiat ex officio publico, vt ipse ait, non videtur necessarium: nam facere ex officio publico, proprie est facere ex obligatione publici muneris: hoc autem necessarium non est, nam potest quis concionari ex charitate, & propria voluntate, vel ex priuata aliqua obliga-

obligatione. Aut illud *ex officio publico*, significat loqui cum aliqua speciali voluntate exteriori, vt Missa aliqua, publica oratione, vel crucis signo, vel cum speciali veste, vt superpelliceo : & hæc omnia non sunt de substantia talis actus, quatenus vera prædicatio est, ad quam requiritur priuilegium, aut facultas, cuius non sunt capaces fœminæ, nec laicis iure ordinario concederetur.

XXXIII. *Resolutio.* Hoc ergo mihi videtur rectè explicasse noster Pontifex illis verbis, *Verbum Dei prædicandi, proponendi, & interpretandi, ac eos viam veritatis edocendi*, &c. Quibus significatur tunc aliquem exercere publice hoc munus, quando illud exercet vt publicus doctor totius Ecclesiæ, de qua Paulus ait, *quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia Doctores*, 1. ad Corinth. 12. & ad Ephes. 4. addit, *Ad consummationem sanctorum in opus ministerij in ædificationem corporis Christi.* Quando autem se gerat quis vt publicus doctor in suo sermone, ex modo, intentione, & populi conuocatione facilè colligi potest, maximè tamen ex materia, vt Pontifex indicauit, scilicet quia verbum Dei, quod quàtum est ex se, omnem doctrinam sacram comprehendit, Ecclesiæ proponit, & interpretatur. Hoc ergo est docere ex officio publico, id est, tanquam doctorem publicum: & ideo si quis loquatur de peculiari aliquo casu, quasi consulens, vel tanquam inducens ad aliquid agendum, non censetur publicè docere in Ecclesia, etiamsi ad totam Ecclesiam loquatur: & in hoc sensu loquutus est Caietanus, & rectè.

Obseruatio octaua.

XXXIV. *Quem finè sibi proponit concionator.* Octauò attingit Pontifex modum, quem operarij Societatis in prædicationibus suis obseruare debent, dicens, *Verbum Dei prædicandi, proponendi, & interpretandi, ac eos viam veritatis edocendi, & ad bene, beateque viuendum, ita vt in vobis verbo pariter, & exemplo ædificentur in Domino hortandi, & admonendi.* In quibus verbis duo insinuantur, scilicet & finis prædicationis, & actiones, seu media, quibus ad eum finem in ipsa concione vtendum est. Nam finis esse debet, vt proximi ad benè, beateque viuendum ædificentur, & exhortentur. De vtroque egregiè dixit Gregorius in epist. ad Leandrum, ante libros Moralium, cap. 2. *Quisquis de Deo loquitur, curet necesse est, vt quidquid audientium mores instruit, rimetur, & hunc rectè loquendi ordinem deputet, si cum opportunitas ædificationis exigit, ab eo se, quod loqui cœperat, vtiliter deriuat.* Ædificatio ergo proximi esse debet scopus prædicationis: doctrina autem, & modus eius talia esse debent, qualia illi fini fuerint accommodata. Ad debitum autem finem maximè spectat non propriam laudem, nec popularem auram in concionibus quærere, vt disertè tradit Paulus 1. Thessal. 2. *Non quasi hominibus placentes, sed Deo qui probat corda nostra: nec enim aliquando fuimus in sermone adulationis, nec quærentes ab hominibus gloriam*, &c. ideo vt Chrysostomus ait lib. 5. de Sacerdot. in principio, *Nemo potest finem prædicationis assequi, nisi popularem auram aspernetur.* Et infrà, *Nam si plausu, atque aura populari vincatur, tum ipsi, tum multitudini, quæ audit, damnum detrimentumque affert: nam suaui laudum desiderio captus, ad auditorum gratiam magis quàm ad vtilitatem dicendi vim exercet.* Et lib. 6. in eandem sententiam dicit, *Qui aliorum edocendorum prouinciam susceperit, is ne de aliorum laudibus dependeat, neve aliis animum despondeat, quin orationum hoc consilium meditatus, vt Deo gratæ atque acceptæ sint, hunc vnum sibi statuat canonem ac terminum optimi illarum opificij, non etiam plausum ac laudationem.* Et infrà, *Abundans enim illi fuerit laborum solatium, idemque omnium certè maximum, si sibi ipse conscius esse potuerit, ad hanc se rationem doctrinam, eloquentiamque suam composuisse, atque adaptasse, vt Deo illa placens, acceptaque fiat.* Similia de verborum ambitu, vanaque ostentatione in concionando eleganter reprehendunt D. Hieron. ad Nepot. post medium, ab illis verbis, *Docente te in Ecclesia non clamor populi, sed gemitus suscitetur*, &c. Augustin. 4. de doctrin. Christ. c. 5. ab illo loco, *Cui affluit insipienti eloquentia*, &c. D. Greg. 22. moral. cap. 12. in editione Vatican. *Quoties auditores*, &c. D. Ambros. in illud 1. Corinth. 1. *non in sapientia verbi.* Nazian. in Apologet. num. mihi 79. *Non enim pleriſque similes sumus, qui veritatis doctrinam adulterant*, &c. D. Bernard. sermon. 59. in Cant. ad illud, *vox turturis.* Legatur etiam ser. 58. Et ideo S. Bonauentura tract. de interiori homine, 1. p. c. 15. dicit, nullum religiosum debere accipere, nedum affectare prædicandi munus, donec ascendat ad illum virtutis gradum, quem ipse quartum annum appellat, scilicet pro bono opere laudes, & humanos honores contemnere, & fastidire, & quærere solius Dei gloriam, & salutem animarum. Et subdit, *Quicunque ante hunc annum se ingerit, nec saluti animarum proficit, nec sibi meritorius propter vanitatem, & leuitatem: nec aliis est proficuus*, &c Hoc denique est, quod concionatoribus Societatis in eorum regulis statim initio proponitur, *Memores sint, vocatos se esse ad reducendas animas suo creatori*, &c.

XXXV. *Media sanctitatis ad eundem finem.* Et iuxta hunc finem media proponuntur, & supponitur *pura intentio diuini seruitij, & zelus syncerus animarum ad gloriam diuinæ maiestatis*, postulantur etiam *solidæ virtutes, ac præcipue charitas, & familiaritas cum Deo in spiritualibus exercitiis.* Deinde verò in cæteris regulis prudentissima media moralia consuluntur, quæ ad strenuè hoc munus præstandum vtilissima sunt. Omissis autem aliis quæ magis sunt extrinseca, & peruia, duo sunt valde notanda, quæ ad ipsum modum & actualem vsum pertinent. Vnum est in regula 9. scilicet, *Vt ea populo proponant, quæ ad captum & vtilitatem audientium erunt accommodata, iisque insistant, quæ ad Christianam institutionem, atque ad extirpanda vitia, & virtutes inserendas valent, & à rerum subtilium curiosa tractatione se abstineant.* Quæ verba ferè sumpta sunt ex 8. part. Constitutio. cap. 8. §. 3. suntque veluti commentarius quidam verborum Pontificis. Prosequiturque hoc documentum Nazianz. in Apologet. numer. 64. editionis anni 1609. *Res* ait, *minimè vulgaris, paruique spiritus esse videtur, verbi, perinde ac tritici mensuram opportunè cuique dare, & dogmatum nostrorum veritatem cum iudicio dispensare.* Et eloquentissimè D. Gregor. l. 17. cap. 14. vbi inter alia, de Apostolis ait, *Curauerunt summopere rudibus populis plana & captabilia, non summa atque ardua prædicare.* Quod etiam cum multis aliis egregiis documentis tradunt optimè Concilium Senonen. in Decretis morum cap. 36. & Treuerense II. cap. 3. & satis significatur in Concilio Tridentino suprà.

Medium vsus pro vsu concionandi.

XXXVI. *Medium alterum.* Aliud continetur in regula 12. quæ est prudentia in correctionibus adhibenda: quanquam enim reprehendere vitia necessarium sit, quod sub illis verbis Pontificis *hortandi*, & *admonendi*, comprehendi interpretamur, & docet optimè Chrysostomus homil. 70. ad Populum: nihilominus, vt vtiliter fiat, maxima prudentia, & moderatio necessaria est, præsertim illa vt fiat generatim, vnde Hieron ad Nepot in fine, *Nemmem specialim sermo meus pulsauit, generaliter de vitiis disputatio est. qui mihi irasci voluerit, ipse quod talis sit confitebitur.* Et declarauit optimè S. Bonauentura in Apologet. quæ. 2. vbi concludit, *Correctioni, & ædificationi tantum debet intendere doctor fidelis, non confusioni, vel infamationi alicuius præsentis, vel absentis.* Et infra, *Quem confundendo exasperas, hunc tardius ædificas, & rancoris aculeo vulneras.* Quod cùm hoc in vniuersum verum sit, maximè verò circa pastores Ecclesiæ, sacerdotes, & primarios viros, vt adnotauit S. P. N. Ignatius in lib. Exercitiorum, in fine, quadam

quadam reg. 10. Et ob eam rem specialiter admonentur in sua illa reg. concionatores Societatis, vt ab his reprehensionibus prorsus abstineant, quin etiam in Clem. 1 §. 1. de Priuileg. religiosis omnibus in virtute sanctæ obedientiæ & sub interminatione maledictionis æternæ districtius præcipitur, *ne in sermonibus suis Ecclesiarum prælatis detrahant.* In Concilio autem Later. sub Leone X. vniuersis prædicatoribus dicitur, *Ex diuinæ vocis præcepto Euangelium omni creaturæ cum virtutum commendatione, & vitiorum detestatione enucleent, & declarent, & pacem ac dilectionem mutuam à Redemptore nostro tantopere commendatam vbique fouentes, non scindant vestem inconsutilem Christi, sed ab Episcoporum, & Prælatorum, ac aliorum superiorum, eorumque status scandalosa detractione, quos coram vulgo, & laicis non modo incaute, sed etiam intemperate reprehendunt, & mordent, & ab eis male gestorum expressis quandoque nominibus aperta, & manifesta redargutione abstineant.* Et deinde innouat citatam constitutionem Clementis V.

XXXVII. *Quam cadat in obligationem Societatis concionari*

Vltimò ex dictis intelligitur, quid in hoc munere non solùm licere, sed etiam cadere sub obligationem possit. Duplex enim hic distingui potest obligatio, scilicet de exercitio actus, & de modo & quasi specificatione eius. Præceptum etiam hic accipi potest vel rigorosè & propriè, vel latè vt comprehendit regulam religiosam. Hoc posteriori modo tenetur ex visuæ regulæ Societas hoc munus frequenter, & assiduè exercere, vt habetur 7. p. Constit. c. 4 §. 6. Hæc autem obligatio ad inferiores non descendit, nisi cùm superior illud munus iniunxerit, vt ibidem in Declaratione dicitur. Notauitque Bern. serm. 58. in Cant. dicens neminem nisi vocatum tanquam Aaron concionari debere. quod eleganter repetit serm. 64. Ad superiorem ergo pertinet ex vi regulæ procurare, vt hoc munus exerceatur quantum prudentia dictauerit: inferiorum autem erit, ad illud esse paratos, & dispositos, tam ex parte voluntatis, quàm ex parte facultatis, quantum in ipsis fuerit, iuxta ea quæ in 4. p. Constit. c. 8. §. 3. statuuntur. Hæc autem obligatio respectu inferiorum non est sub culpa, donec talis actus in virtute obedientiæ imperetur, *regulariter ac per se loquendo*, sicut de obligatione regulæ, & simplicium ordinationum obedientiæ, in superioribus dictum est. Dico autem *regulariter*, vt excludam extraordinarium casum, in quo possit charitas ipsa per se obligare, præsertim inter hæreticos, vel alios infideles, aut vbi grauis aliqua ignorantia totius populi, cũ morali periculo salutis plurimorum interueniret, quæ prædicatione veritatis posset expelli. Dixi etiam *per se*, vt excludam malitiam scandali, vel aliam similem, quæ per accidens potest intervenire: hæc verò communia sunt aliis muneribus, seu actionibus obediętiæ. In superiore autem grauior per se est hæc obligatio, non vt per se hoc munus exerceat, nam potius ipse facilius excusari potest, sed vt exerceri curet in loco, aut locis ad ipsum pertinẽtibus. Quãquam enim per se loquendo, non excedat directionem regulæ, si solam positiuam legem, vt sic dicam, inspiciamus: tamen quatenus ex natura rei tenetur ratione officij, ad prouidendum communi bono Societatis quoad partem sibi subiectam, & procurãdum vt in ea institutum seruetur, potest hæc obligatio esse maior, & in conscientia; rarò autem erit grauis eius transgressio, nisi pertineat ad nimiã quandam, & scandalosam negligentiam, vel quasi contemptum, quia extra huiusmodi casum, nec manifesta obligatio, nec materia grauis cernitur.

XXXVIII. *De obligatione debito modo concionandi.*

De altera verò obligatione, quæ pertinet ad modum actus, dicendum est, aliquem modum cadere sub obligatione regulæ, vt constat ex constitutionibus, & regulis Societatis suprà adductis, in quibus multa continentur, quæ ad perfectionem pertinent; quæ ex sola rei natura non sunt simpliciter necessaria, vt actio honestè fiat, sunt tamen opportuna vt melius fiat, & ideo sub obligatione regulæ religiosę posita sunt. Aliqua verò sunt rigorosè præcepta iure positiuo; illa verò magis pertinẽt ad modum negatiuum, quàm affirmatiuum, vt non concionari sine legitima facultate modo præscripto in Concilio Tridentino, vel abstinere ab indiscretis detractionibus, aut reprehensionibus superiorum, iuxta Clementinam citatam, quæ magna ex parte nituntur ipsa ratione naturali, quamuis ratione prohibitionis Ecclesiæ posset in aliquo casu esse peccatum mortale, quod ex se non esset. Et huc etiã pertinet quod in eadem Clement. cauetur, ne concionatores religiosi retrahant laicos ab Ecclesiarũ suarum frequentia, vel accessu & ne indulgentius pronuncient indiscretas, id est, falsas, aut incertas, vt ibi glossa exposuit, ex Clement. 2. de pœnit. & remiss. Denique aliquis modus potest esse præceptus iure ipso diuino, & naturali, vt est omnis ille, qui intrinsece necessarius est ad honestatem actus, vt est recta intentione prædicare, veram, & non falsam doctrinam proponere, vtilia dicere, & vana nõ miscere, & similia, quæ rectè explicat Caietanus in summa verb. *Prædicator*. quæ communia sunt omnibus prædicatoribus, neque in nostris habet aliquid speciale, nisi quòd fortasse ratione specialis status, atque etiam ratione maioris scandali moraliter est in eis maior hæc obligatio.

CAPVT II.

Quid possint, & debeant religiosi Societatis præstare in sacramenti Pœnitentiæ administratione.

ALiud præcipuum ministerium competens Societati ex vi sui instituti ad salutem proximorum, est sacramentorum administratio, vt dicitur 7. p. Constit. c. 4. §. 5. præsertim verò confessionibus audiendis, & Eucharistiam administrando id consequuntur, vt ibidem subiungitur: & ideo de his duobus prius dicemus, postea verò aliquid de reliquis attingemus. Supponimus autem nullius sacramenti administrationem potuisse licitè à nostris sacerdotibus vsurpari, sine priuilegio, aut facultate Sedis Apostolicæ, aut singulorum Episcoporum, in suis diœcesibus. Decuit tamen, & maximè expediēs fuit, vt huiusmodi facultas ab ipsa Sede Apostolica immediate in religionem emanaret, quamuis cum ea subordinatione ad cæteros prælatos, quam recta ratio, & sacri canones postulãt: & ideo sicut in præcedẽti sectione fecimus, ita hic proponemus in primis Pontificiam facultatem, & eam, explicando omnia, quæ ad hæc ministeria pertinent, simul declarabimus.

I. *Pauli III. indultum pro confessionibus audiendis.*

Igitur Paulus III. in prædicta Bulla 3. alias 1. de facultatibus, post illam de munere prædicandi, de confessionibus audiendis subdit, *Nec non illis ex vobis, qui presbyteri fuerint, quorumcumque virtutum forsan ornamenta Christi fidelium, ad vos vndecunque accedentium confessiones audiendi, & confessionibus diligenter auditis, ipsis, si rationabiles & eorum singulos ab omnibus, & singuli eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcumque grauibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, & à quibusuis ex ipsis casibus resultantibus sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis (exceptis cõtentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini solita est legi) absoluendi, ac eis pro commissis pœnitentiam salutarem iniungendo. Et inferius, clariusque in Bulla 5. anni 1549. declarat quemlibet fidelem cuilibet sacerdoti Societatis confiteri posse, nulla expectata sui Rectoris parochialis facultate, qui etiam non teneantur*

Id nunc intelligitur prævia approbatione.

peccata, de quibus absoluti fuerint, iterum confiteri. Circa quam concessionem aduertendum est, antiquiorem esse decreto Concilij Tridentini session. 23. c. 15. de Reformat. statuentis, vt confessarij omnes, etiam regulares, ab Episcopis debeant approbari; & ideo facultas illa vi sua, & secluso hoc posteriori iure, communis erat omnibus Societatis presbyteris, prout Bulla indistincte concedit. Nunc autem certum est, necessariam esse Episcopi approbationem, vt in proprio loco disp. 28. de pœnit. sect. 4. latius, & generalius declarauimus, non quoad hoc eadem ratio est de religiosis omnibus.

Quomodo singulis communicetur dictum priuilegium?

II. Quæret autem potest, an sacerdos Societatis eo ipso quòd ab Episcopo approbatus est, habeat hanc facultatem, & consequenter totam iurisdictionem fori pœnitentiæ, quæ per illam datur independenter à prælatis suis, ita vt licèt ab eis prohibeatur confessiones audire quamuis male faciat contra votum obedientiæ eas audiendo, confessiones ni-

Ratio dubii.

hilominus validè sint, nullumque defectum intrinsecum in suo genere habeant. Ratio autem dubitandi est, quia in priori facultate prædicandi expresse dixit Pontifex, *Qui ad hoc idoneus repertus, & per vestræ Societatis Præpositum deputatus fuerit*; hic autem nullam huiusmodi limitationem posuit, sed absolutè dixit, *Illis ex vobis, qui presbyteri fuerint*: ergo hac verborum differentia indicat non esse in hac posteriori facultate dictam concessionem necessariam. Præsertim cùm inter eas possit ratio diuersitatis assignari: nam munus prædicandi grauius est, & magis publicum & simpliciter loquendo plura dona requirit, ideoque potuit facultas concedi à superioribus magis dependens. Et confirmatur, quia alias

Confirm.

posset Prælatus Societatis non concedere hanc facultatem integram suis subditis, vnde quodãmodo posset reseruare casus respectu etiam secularium, concedendo hanc facultatem ad absoluendum à quibusdam peccatis, & nõ ab aliis; vel ex parte personarum exponere ad audiendas confessiones taliũ personarum, & non aliarum. Nam, si hæc facultas non conceditur nisi mediante superiore, cum ipsa in se indiuisibilis non sit, poterit tantum ex parte concedi ad arbitrium superioris, quod videtur absurdum, & præter communem vsum, atque ita hãc partem tuetur Enriq. lib. 7. de indul. c. 28. n. 2. vbi citat Emmanuelem Roderic.

III. *Resoluitur dari medio superiore.*

Nihilominus dicendum est facultatem hanc intelligendam esse cum dependentia subditorum à suis Prælatis, non solùm quoad hoc vt propter subordinationem obedientiæ non liceat vti hoc munere contra superioris voluntatem, sed etiam quia substantialis facultas, vt sic dicam, audiendi confessiones, & iurisdictio necessaria per superiorem conferenda sit. Ita generaliter declaratum est à Gregorio XIII. in Bulla, *Decet Romanum Pontificem*, anni 1575. *Neque aliter dictæ personæ Societatis prædictis priuilegiis, facultatibus, & aliis præmissis, aut aliquo eorum, nisi per Generalem Præpositum, & de eius beneplacito, aut per alium seu alios de eius commissione electos, vt præmissum est, vti, aut gaudere possint.* Vnde licet ante hanc concessionem dubium esse potuerit de mente concessionum Pauli III. tamen post illam dubitari non potest, siue dicamus illam concessionem Gregorij fuisse meram declarationem, siue restrictionem. Addo verò, mihi probabilius esse Pauli III. concessionem ita fuisse intelligendam, vt deputatio Prælati Societatis ad munus audiendi confessiones, fuerit necessaria, vt sacerdotes Societatis possent gaudere hoc priuilegio, & facultate Pontificis, siue dicamus iurisdictionem ipsam immediate concedi per prælatum Societatis, siue designationem eius esse veluti conditionem necessariam, vt Põtifex illam tribuere censeatur: nam ad rem ipsam, & effectum facultatis parum hæc differentia refert. Hoc autem ità esse colligo primò ex contextu. Nam prius dicitur, *Quilibet vestrum, qui ad hoc idoneus repertus, & per vestræ Societatis Præpositum pro tempore existentem deputatus fuerit, in quibusuis Ecclesiis*, &c. Postea verò finita prima facultate, nullo interiecto puncto, sed continuando eandem clausulam addit secundam dicens, *Nec non illis ex vobis, qui presbyteri fuerint, quorumcumque fidelium*, &c. Ergo subintelligendum etiam hic est quod præmissum fuerat, ad hoc idoneis repertis, & per Præpositum deputatis: nam sub illo fundamentõ hæc omnia dicuntur: solùm hic addita fuit conditio presbyterij, quia in priori facultate non erat necessaria, vt suprà capite præcedenti notauimus.

IV. *Suadetur ratione.*

Secundò idem patet ratione, quia non est verisimile omnibus presbyteris Societatis concedere Pontificem hanc facultatem, & iurisdictionem, absque illa conditione, *Si idonei reperti fuerint*: quia non possunt rationabiliter præsumi idonei eo ipso quòd in Societate ordinantur, nam licet fortasse regulariter ita fit, non tamen certum est seruari in in omnibus, nec fuisset expediens illud tam generaliter præsumere, aut supponere. Illa ergo prior conditio sine dubio intelligitur in hac secunda facultate: ergo etiam altera de deputatione per prælatum, nam eodem modo, & contextu proponuntur. Eo vel maximè, quòd est valdè necessaria, tum ad conuenientem ordinem religiosum, contra quẽ verisimile non est, Pontificem per generalia verba concedere quod in specie nõ esset concessurus: tum etiam, quia in religione hoc est moraliter necessarium, vt confessor reputetur simpliciter idoneus, non tantùm scientia, sed etiam moribus, quod non minus necessarium est ad debitam administrationem huius sacramenti.

V. *Satisfit vrgenti dubitandi ratio.*

Dico igitur, tam iure primario Societatis (vt sic loquar) quàm posteriori à Gregorio declarato, omnem facultatem, & iurisdictionem in hoc ministerio necessariam descendere à summo Pontifice ad quoscunque sacerdotes Societatis, quibus communicatur per Generalem Præpositum eiusdem Societatis, vel immediatè, vel mediis Prouincialibus, aut aliis superioribus, quibus vel iure ordinario, vel delegato hæc potestas creandi confessores conceditur: ordinariè autem [illegible] diis Prouincialibus id fit, vt ex regula eorum [illegible] suprà tetigimus. Et ita responsum est ad rationem dubitandi ex verbis Bullæ desumptam. Nec refert quòd munus prædicandi, maiorem sufficientiam requirat, quanquam fortasse non omnes id admittent, nam reuera se habent vt excedens, & excessum quoad varias qualitates, quas in personis requirunt, quæ reuera in vtroque ministerio sunt magni momenti, & valde necessariæ, quod satis est, quidquid sit de comparatione. Ad confirmationem concedo in primis posse prælatum Societatis auferre à subdito omnem facultatem, & iurisdictionem ad confessiones audiendas, id enim planè sequitur ex dictis, imò hoc est, quod præcipue intendimus, & reputamus necessarium.

VI. *Possit ne cõmunicari hoc priuilegium non integrè.*

An verò possit ex parte concedere hanc facultatem & non integrè, in quæstionem verti potest. Nam alicui fortasse videbitur illam facultatem prout à Pontifice conceditur; esse vnam & indiuisibilem, & ideo auferri quidem posse, aut dari tota, posita, vel ablata conditione à Pontifice requisita, non tamen posse diuidi, maximè si verum est, non prælatum Societatis conferre iurisdictionem, sed Pontificem ipso designante, vel deputante personam: nam tunc vel conditio impletur, & sic

datur integra facultas: vel non impletur, & sic nihil datur. Sed hoc mihi non probatur, quia licet illa facultas vno verbo detur, vt sic dicam, multa in se continet, quæ diuidi possunt, & ita re ipsa multiplex est: quid ergo vetat quominus per superiorem applicetur quoad aliquid, & non in totum? Nam in primis probabilius est superiorem esse qui immediatè dat facultatem, & delegat, seu committit iurisdictionem: quia est ordinarius prælatus, & tanquam causa secunda per se sufficiens in suo ordine ad hunc effectum. Deinde, quia licèt solùm designaret personam, illamet conditio potest recipere diuisionem, nam potest persona deputari ad audiendas confessiones virorum, & non mulierum, &c. Quapropter non dubito quin possit Societatis prælatus partem huius facultatis concedere, & non totam, maximè ex parte pœnitentium, id est, ad audiendas confessiones virorum tantùm, vel scholarium tantum, vel solum in tali populo: quia in generali potestate, quæ illi conceditur, hoc totum continetur, neque nos possumus limitationem adhibere, quæ nec ex natura rei sequitur, neque à Pontifice ponitur, præsertim cùm ad debitum vsum talis muneris illud possit esse necessariũ. Nec refert quòd possit etiam superior aliquando indiscretè vti tali potestate: nam id est per accidens, quomodocunque autem id faciat, factum tenebit. Atque idem in rigore sequitur de limitatione eiusdem facultatis ex parte peccatorum, concedendo illam ad absoluendum ab aliquibus peccatis, & non ab aliis, quod respectu pœnitentium sibi subditorum clarum est per modum reseruationis, de qua suprà lib. 8. cap. 5. Respectu verò pœnitentium non subditorum, non habet locum propria reseruatio, & ideo non censeo posse fieri prudenter, & licitè talem limitationem, seu dimidiationem iurisdictionis, nisi suppositâ aliqua reseruatione facta à prælato ipsius pœnitentis, & in ordine ad obseruationem eius, vt paulò pòst à numer. 18. explicabitur, nam extra hunc casum imponeretur graue onus pœnitenti, fieretque ipsi iniuria, ideoque talis modus diuisionis ac limitationis non est in vsu.

Resolvitur affirmative.

Tum limitando pœnitentes.

Tum limitando casus subditorum, non secularium.

VII. *Suborta quæstiuncula practica.*

Quæret autem fortasse aliquis practicè, an quoties superior prohibet alicui ne confessiones audiat, censendus sit omninò priuare illum facultate, & iurisdictione ad audiendas confessiones, vel solùm vetare ne illum actum tunc exerceat: nam hæc duo diuersa sunt, & potest optimè vnum ab alio separari. Respondeo hoc pendere ex intentione superioris, & ideo ex verbis, vel aliis signis, & circumstantiis colligendam esse. Ac propterea superiores quando intendunt aliquem omninò ab officio remouere, vel suspendere, debent his verbis, vel similibus id satis explicare. Et è conuerso subditi in dubio debent abstinere, & de intentione superioris certiores fieri. Addo præterea quando à principio non datur alicui licentia audiendi confessiones, aut datur ad hoc genus personarum, & non ad alia, signum clarum est prohibitionem illam esse totalem per denegationẽ facultatis. Quando verò is, cui prius erat facultas simpliciter concessa prohibetur, ne ministerium exerceat, considerari potest, an id fiat in pœnam alicuius delicti, nam tunc videtur imponi per modum suspensionis, & consequenter tolli iurisdictio. Item, an prohibitio fiat intuitu ipsius ministerij, vt sic dicam, ne indignè fiat à tali persona, aut circa talem personam, nam tunc etiam est signum ablationis totius facultatis. Si autem prohibitio fiat per modum ordinariæ obedientiæ simplicis, vt talis persona tunc non in eo munere occupetur, sed in aliis, tunc non censetur auferri iurisdictio, quia nunquam solet cum tanto rigore id prohiberi in simili casu, imò neque cum obligatione in conscientia solet talis prohibitio fieri.

Eius varia species.

Expenditur priuilegij clausula, Quoscumque fideles vndecumque venientes.

VIII. Secundò principaliter obseruanda sunt illa verba, *Quorumcunque vtriusque sexus Christi fidelium, ad vos vndecunque accedentium.* Per hæc enim conceditur Societati priuilegium, quod à Pio II. Nicolao III. Sixto IV. & Leone X. mendicantibus iam concessum erat, vt constat ex Compendio mendicantium, verb. *Absolutio.* §. 9. & 10. Vnde duplici titulo illo gaudet Societas, scilicet per viam communicationis, & per directam & propriam concessionem. Vnde constat, posse confessorem Societatis hic residentem, & à solo prælato huius diœcesis approbatum, audire confessiones omnium qui huc ad ipsum venerint, etiam ex aliis Episcopatibus, etiamsi ab Episcopis eorum, nec licentiam, nec approbationem talis confessor habeat, quia hoc expresse hic conceditur. Quæ concessio moraliter nullius esset vtilitatis, si distantium Episcoporum approbatio expectanda fuisset. Neque hoc reuocatum, aut limitatum est per decretum Concilij Tridentini postulantis Episcoporum approbationem: nam huic decreto fit satis per hoc quod religiosus approbatus est ab Episcopo, in quo habet religiosum domicilium, vt disp. de pœnit. 18. sect. 6. numer. 14. latius declaraui.

Duplex ratio huius clausulæ.

IX. Dubitari autem hic potest, an nostri sacerdotes, quibus hæc facultas generaliter, & sine limitatione communicata est, respectu omnium pœnitentium qui non sunt de Societate, possint virtute dictorum verborum absoluere omnes regulares aliarum religionum, qui ad ipsos veniunt. Sed hoc pendet ex priuilegiis aliarum religionum, si tamen per ipsa non impediantur, & eximantur (vt sic dicam) ab hoc priuilegio, ex vi illius possent à nostris confessariis absolui. Quia tamen & ius aliorum sæpè erit incertum nostris confessoribus, & quia odiosum esse potest alios religiosos in confessione audire sine facultate suorum superiorum, ideo facultas hæc non communicatur in Societate confessoribus eius respectu regularium, qui licentiam non habuerint extra suum ordinem confitendi, vt notatur in Cõpendio priuilegiorum Societatis, verb. *Absolutio.* §. 1. Dubitari verò potest circa hæc verba, an nostri confessores possint vti hac facultate tantum in suis Ecclesiis, ac domibus, vel vbicunque adfuerint? Olim enim de aliis priuilegiis mẽdicantium hoc dubitatum est. Sed nullam hic video esse rationem dubitãdi: quia priuilegium hoc nullum habet verbum, quo restringat hanc facultatem ad locum, vel habitationem Societatis, sed ad personas illam refert, dum ait, *Ad vos vndecunque venientes.* Vbicunque ergo fuerit Societatis confessor, secum, vt ita dicam, defert facultatem, & illa vti potest, dummodo conditio aliàs requisita de Episcopi approbatione obseruetur. Vnde expeditur etiam dubitatio alia, an scilicet possit religiosus Societatis hic habitans, & hic approbatus circumiens alia loca aliarũ diœcesum, confessiones ibi audire hominũ illarũ diœcesum, quâ in materia de Pœnitẽtia latius tractauj, & resolutio est, iure communi, & per hæc fola generalia priuilegia non posse: quia non sine causa hic exprimitur, vt possint audire ad se vndecunque accedentes; & non è conuerso: & quia in Clem. *Dudum* de sepultur. statuitur, vt religiosi, qui ad audiendas confessiones deputandi sunt, Prælatis diœcesum priùs præsententur. Nihilominus tamen ex speciali priuilegio Gregorij XIII. in Bulla, *Ad perpetuam rei memoriam*, anni 1575. conceditur nostris approbatis in vno Episcopatu, vt dum per alios iter agunt, possint

possint confessiones audire, cum limitationibus præcedenti c.n.5. explicatis circa facultatem concionandi.

Expenditur clausula, A quibuscumque culpis etiam Apostol. Sedi reseruatis.

X. *An precedat clausula de reseruatis ab Epis.*

Tertiò notanda sunt illa verba. *Ab omnibus, & singulis eorum peccatis*, vsque ad illud, *etiam Sedi Apostolicæ reseruatis.* Circa quæ grauis difficultas occurrit, an ex vi huius priuilegij possint nostri sacerdotes absoluere à peccatis reseruatis Episcopis. Supponimus autem primò ex materia de Pœnitentia disp. 30. sect. 1. numer. 2. posse summum Pontificem, non obstante quacunque reseruatione Episcoporum concedere aliis iurisdictionem ad absoluendum à talibus peccatis independenter à consensu Episcoporum: quia est superior & absolutus, & ordinarius pastor singulorum, ita vt immediatè possit circa omnes iurisdictionem exercere, vel eam sibi reseruare, vel cui voluerit committere. Secundò suppono, per commune ius, non posse religiosos, etiam mendicantes, absoluere à casibus reseruatis Episcoporum, vt in materia de Pœnitentia dixi disp. 3. sect. 3. nu. 12. cum glossa, & communi sententia in Clement. *Dudum.* de sepultur. quam suprà tra. 8. li. 3. probaui, tractando de priuilegiis religiosorum in communi.

XI. Et quamuis moderni aliqui oppositum docere voluerint, tamen nituntur falsa intelligentia Clementinæ *Dudum.* supponunt enim quatuor, vel quinque casus esse iure communi reseruatos Episcopis: vnde cùm Clemens V. declarat, se non intendere maiorem facultatem concedere religiosis, quã Parochis sit iure concessa; hoc ius tale esse interpretantur, vt Parochi possint ab omnibus peccatis absoluere, exceptis tantùm illis quatuor, vel quinque casibus, & ita concludunt Pontificem totam hanc facultatem dedisse religiosis, ideoque ex vi iuris communis non posse quidem absoluere ab illis quinque casibus, iure communi Episcopis reseruatis, posse tamen absoluere ab omnibus aliis, quos Episcopi reseruauerint: quia Pontifex solùm excepit reseruationem à iure, & Episcopi non possunt restringere facultatem, à Pontifice concessam.

XII. Hic verò discursus & falso fundamento nititur, & nõ benè colligit. Primum patet, quia reuera nulli sunt casus iure communi reseruati Episcopis, vt in tom. 4. 3. part. disp. 29. sect. 3. numer. 6. ostendi; ergo non potest illa reseruatio iuris sumi pro mensura huius priuilegij. Verum ergo ius, de quo ibi Clemens loquitur, est, vt parochi habeant potestatem absoluendi ab omnibus peccatis, his exceptis, quos Episcopi sibi reseruauerint: similem ergo voluit concedere religiosis mendicantibus, & non maiorem. Secundùm probatur: nam esto daremus esse aliqua peccata iure communi Episcopis reseruata, nihilominus Parochi non habent à iure communi potestatem absoluendi ab omnibus casibus, illis exceptis, independenter omninò à iurisdictione Episcoporum, sed cum subordinatione ad reseruationes alias Episcoporum: ergo ex vi illius iuris communis non habent religiosi potestatem magis independentem ab Episcopis. Patet consequentia ex illis verbis, *Per huiusmodi autem concessionem nequaquam intendimus personis, seu fratribus ipsis ad id taliter deputatis potestatem in hoc impendere ampliorem, quàm in eo curatis, vel parochialibus sacerdotibus est à iure concessum.* Esset autem longè amplior facultas fratrum, quàm parochorum, si hæc esset subordinata reseruationi Episcoporum, & non illa. Igitur licèt concedamus, si Episcopi limitatè reseruent aliquem casum pro parochis, inde non sequi reseruare etiam pro religiosis (quod ad summum probant argumẽta aduersariorum) nihilominus quando absolutè reseruant, cùm intendant omnes comprehendere, reuera tenet illorum reseruatio, etiam respectu religiosorum, cùm ex prædicto iure communi non recipiãt potestatem, nisi subordinatam illis, vt declaratum est.

XIII. *Ratio dubit. in n. 10 posit.*

His positis, difficultas est, an ex vi huius specialis priuilegij detur hæc facultas nostris confessariis. Et ratio dubitandi est, quia per hanc facultatem non derogatur expresse illud ius commune, cum tamen conciliare sit, quod non solet nisi expresse reuocari, vt notat Sanches lib. 3. de matr. disp. 26. numer. 7. Nec satis est, quòd Pontifex ibi concedat omnes casus sibi reseruatos: nam per hoc non satis significat se concedere casus reseruatos Episcopis, non quia non possit (vt quidam malè dixerunt,) sed quia iuri suo potest facile cedere: ius autem aliorum non censetur tollere tanta liberalitate, & facilitate, & maximè vbi expresse id non declarat. Et confirmatur (quod maximè vrget) nam illustrissimi Cardinales inter alias declarationes ad sess. 14. cap. 7. Concilij Tridentini, in vna sic habent, *Regulares per priuilegium, quod Mare magnum vocatur, facultatem non habent absoluendi pœnitentes in casibus Episcopis reseruatis.* In alia verò sic, *mendicantes vigore Maris magni non possunt absoluere à casibus reseruatis, neque Iesuitæ.* In alia verò generalius, *Regulares non possunt ex priuilegiis, præsertim ex illo, quod Mare magnum appellant, sibi concessis, absoluere quenquam in casibus, quos Episcopi sibi reseruauerint.* Vbi quamuis addatur illa particula *præsertim*, tamen absolutè excluduntur omnia priuilegia religiosorum. Quæ declarationes videntur in hoc fundari, quòd illa priuilegia si sint antiquiora Concilio Trident. in illo derogata sint per verba illa cap. 7. *Extra quem articulum sacerdotes cùm nihil possint in casibus reseruatis*, &c. Si verò sint recentiora, non censentur per verba generalia hanc dare facultatem, sed solùm quando illam exprimunt. Quod fundamentum colligo ex alia declaratione eorundem Cardinalium, quæ sic habet, *Confessores vi priuilegiorum Rosarii non absoluunt à casibus reseruatis Episcopo, nisi priuilegia ipsa talem tradant facultatem, vel sint obtenta, vel confirmata post Concilium Tridentinum.* *Vide Mar. l. 3. decret. Trid. sup. c. 12. pag. mihi 411 & 412.*

XIV. *Resolutio affirmatiuè bipartita.*

Nihilominus asserо ex vi huius priuilegij concessam esse confessoribus Societatis ad hoc deputatis facultatem absoluendi à casibus reseruatis Episcopis, priuilegiumque hoc suam vim retinere. Prior pars in hoc fundanda est, quòd illa generalia verba cum extensione ad casus reseruatos sufficiunt ad comprehendendos casus reseruatos Episcopis. Et ita intellexit hoc priuilegium Auctor Compendij priuilegiorum Societatis, verb. *Absolutio.* §. 1. & sequutus est Emmanuel Rodericus q. 61. art. 3. in fine. Sumitur etiam ex Nauarro in summa, cap. 27. numer. 263. vbi per similia verba Bullæ concessæ confratribus sanctissimæ Trinitatis, ait dari prædictam facultatem; & vehementer impugnat quendam, qui hoc negauerat. Verum est magis impugnare fundamentum eius, quod erroneum erat, nimirum, non posse Pontificem hanc facultatem dare, ipse verò solùm probat habere potestatem, nam illa suppositа, pro certo habet per illa verba dari. Probatur præterea, quia illa verba, *quantumcunque grauibus, & enormibus*, valde generalia sunt. Expendo deinde illam particulã *etiam*, quia non est limitans, vel diminuens, sed potiùs augẽs, quia si casus reseruati Sedi Apostolicæ committuntur, multò magis reseruati quibusuis aliis inferioribus prælatis. Denique Gregorius XIII. die 10. Maij anni 1583. viuæ vocis oraculo, prout refertur in dicto Compendio Societatis, agnouit hanc facultatem esse concessam

à Paulo III. Societati per illud priuilegium, & declarauit non fuisse intentionem suam, illam derogare per declarationem Cardinalium citatam, & eam denuò confirmauit, per quam declarationem posterior pars resolutionis comprobata manet.

XV. *Ad rationẽ dubitandi in n. 13.*

Vnde ad rationem dubitandi respondetur, Pontificem concedendo omnes casus etiam sibi reseruatos, concedere omnes, à quibus ipse potest absoluere: potest autem absoluere ab omnibus, quos sibi Episcopi reseruant, & ideo æquè illos committit per illa verba, ac reliquos. Neque in hoc tollit ius aliquod Episcoporum, sed fungitur suo, quod habet ad absoluendum ab illis peccatis, per se, vel per delegatos suos. Et ita docui disp. 7. de censu. sect. 5. num. 13. Ad Declarationes Cardinalium quod attinet ad Mare magnum, fortasse in illo non conceditur mendicantibus facultas absoluendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reseruatis. Nam in Compendio mendicantium, verb. *Absolutio quoad seculares*, cùm multa de hoc referantur priuilegia nullum refertur, quod clausulam illam, & extensionem habeat: & ideo quoad hoc non est similis ratio. At verò quoad aliam particulam, quæ in tertia declaratione additur, quæ generalis est de priuilegiis, habet difficultatem illa declaratio; quia ex libro Monumenta ordinis, concess. 287. 392. & 439. varia referuntur priuilegia, in quibus expressè conceditur mendicantibus, vt possint absoluere ab omnibus casibus vel sub hac forma generali, *Quantumuis enormibus, dummodo tales non sint, propter quos Sedes Apostolica meritò sit consulenda.* Quæ exceptio firmat regulam quoad omnes alios. Vel etiam sub forma speciali, *Etiam reseruatis Ordinario.* vt referunt moderni auctores. Veruntamen, vt ipsi etiam fatentur, hæc priuilegia non sunt certa, sed dubia, vel quia non fuerunt vsu recepta, vel quia non satis expressis verbis conceduntur, maximè pro secularibus: & ideo fortasse Congregatio Cardinalium, in casu dubio decreuit potius esse fauẽdum iuri communi, & Concilio Tridentino. Accedit, quòd, vt in dicto Compendio Societatis refertur, in declaratione illa intercessit auctoritas Gregorij XIII. qui non solùm declarando, sed etiam faciendo, potuit decernere vt illa priuilegia minus certa, quoad hanc facultatem non admitterentur. Quod verò dicebatur de derogatione talium facultatum per Concilium Tridentinum, mihi probabile non est: quia in Concilio nihil agitur de priuilegiis, vel de derogatione eòrum, sed declaratur ius diuinum, & commune tam quoad potestatem reseruandi, quàm quoad effectum qui sequitur, posita resetuatione. Falsum etiam est, hanc facultatem non dari per verba generalia, quando illa talia sunt, vt casus etiam Pontifici reseruatos comprehendat. Quod præter dicta patet ex alia declaratione eiusdem Congregationis Cardinalium, dicentium, per Bullam Iubilæi indicti à Summo Pontifice *cum facultate absoluendi à quibuscunque enormibus peccatis reseruatis Apostolicæ Sedi, etiam in Bullâ Cœnæ Domini*, posse fideles absolui à peccatis Episcopo reseruatis. Nec videtur referre quòd in hac declaratione forma concessionis est cum extensione ad casus contentos in Bulla Cœnæ Domini, in nostro verò indulto est cum exceptione: quia non minus hæc exceptio firmat regulam ad omnes alios casus ibi non contentos, cuicunque reseruati sint, quàm amplíet dicta extensio. Alia ergo vltima declaratio citata videtur postulare ad hanc facultatem, quando non datur per verba specialia, quod indultum sit concessum, vel confirmatum post Concilium Tridentinum: quia antiquiora reputat dubia, & non admittenda, vel certè derogata non per Concilium, sed per aliam declarationem citatam Gregorij XIII. Hoc autem nostrum priuilegium, licèt fuerit ante Concilium Tridentinum concessum, fuit tamen confirmatum à Iulio III. in Bulla anni 1552. quo anno iam erat facta sessio 14. Concilij Tridentini, nam celebrata est die 25. Nouembris anni 1551. sub eodem Iulio, qui prædictum priuilegium cum aliis confirmauit die 22. Octobris anni 1552. Et alia confirmatio colligi potest ex Bulla Pij V. *Dum indefessæ.* anni 1571. Ac denique Gregorius XIII. hoc in specie declarauit, & confirmauit, vt diximus in fine numer. 14. video nihilominus reuocatam postea à Clemente octauo facultatem mendicantium absoluendi à casibus quos reseruant Episcopi, sed ea reuocatio, nec in Lusitania neque (vt credo) extra temporale dominium Pontificis obtinuit.

Cordub in Additione ad compendium Minorum verbo Absolutio quoad seculares § 19 & Rodericus q. 61. a. 3.

Expenditur priuilegij exceptio de casibus Bullæ Cœnæ.

XVI. Quartò circa exceptionem illam, *Exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini solita est legi*, aduertendum est limitationem hanc quoad aliquos casus, vel personas per alia indulta sublatam esse. Et in primis in terris infidelium, & partibus remotissimis, à quibus non potest adiri Sedes Apostolica, potest Generalis Præpositus concedere nostris facultatem absoluendi, *etiam à casibus in Bulla Cœnæ Domini reseruatis*, vt concessit idem Paulus III. in Bulla, *Licet debitum*, anni 1549. & confirmauit Iulius III. & auxit Gregorius XIII. in Bulla, *Ad perpetuam rei memoriam*, anni 1575. Circa quam extensionem vulgaris dubitatio locum habet, an sub illa comprehendatur etiam crimen hæresis, nam sub aliis concessionibus generalibus certum est non comprehendi, vt diximus, & docent communiter moderni Doctores, & declarauit Pius V. speciali motu proprio, quem refert Rojas lib. de Priuilegiis Inquisitorum numer. 416. & lib. de Hæresi, 1. part. assert. 39. Cuius declarationis fundamentum est, quia casus specialis non venit sub concessione adeò generali, iuxta regulam 81. iuris in 6. Videri autem potest hæc ratio in præsenti cessare, quia ratio, ob quam hæc concessio facta est, scilicet quia non potest Apostolica Sedes adiri, etiam in peccato hæresis locum habet, & ideo respectu earum regionum peccatum hæresis non potest considerari vt speciale, sed vt induens eandem rationem. Sic enim multa propter distantiam conceduntur, quæ alias negantur, vt dixit glossa in c. *cum ex literis.* de in integrum restitut. & Panorm. in c. *in nostra.* de sepultur. & ex Bullis eorundem Pontificum colligi potest, in quibus multa pro illis remotis regionibus concedebatur nostris operariis quæ pro aliis locis minimè permittuntur. Quæ rationes suadent hanc partem valdè probabiliter, maximè pro his locis, vbi neque officium inquisitorum exercetur, nec ferè sunt Episcopi, aut suum munus liberè administrare non permittuntur: ad omnem tamen dubitationem tollendam, hoc in specie concessit Iulius III. viuæ vocis oraculo, vt refertur in Compendio priuilegiorum in verb. Iulius. statim citando & habetur in Bulla eiusdem Iulij anni 1552. *Dilecte fili.* ibi, *& quoscunque à casibus hæresis, & aliis contra fidem, & consequentibus censuris quibuscunque, &c.* conceditur autem talis facultas soli *Præposito & professis idoneis per illam deputatis*: nõ arctatur autem ad regiones remotissimas, sed simpliciter conceditur *ad quoscunque à casibus hæresis, & aliis contra fidem absoluendos.* Et hoc modo fuit hoc priuilegium confirmatum à Gregorio XIII. die 18. Martij anni 1584. viuæ vocis oraculo pro reliquis orbis partibus, Hispania excepta, vt in Compendio refertur, verb. *Absolutio.* §. 3.

Exceptio in Bulla Cœnæ non præiudicat priuilegiis quæ habent.

XVII. Vbi adnotatur, solùm communicari Prouinciæ libus

A quo superiore hæc concessio sit communicanda.

libus extra Hispaniam, cum potestate subdelegandi hanc facultatem in casibus particularibus, quando re attentè considerata iudicauerint expedire. Quod pertinet ad moderatum vsum illius indulti, ratione cuius non poterunt Prouinciales hanc facultatem generaliter alicui concedere, nisi habuerint à Generali ampliorem facultatem, quam ipse poterit concedere extra Hispaniam, vbi iudicauerit expedire. Verumtamen limitatio illa addita ibi est, quoad hoc speciale priuilegium & quoad omnia loca, at in remotissimis regionibus, & vtendo priuilegio Pauli III. cum probabili extensione suprà dicta, videri potest maior facultas admittenda. Quia verò Paulus III. etiam pro terris infidelium non concedit casus contentos in Bulla Cœnæ, nisi quando Præpositus Generalis eam facultatem concesserit eis, quos illuc mittit, ideo semper facultas hæc pendet ex speciali illius concessione. Nam in Compendio priuilegiorum nullam inuenio factam esse mẽtionem illius secundæ concessionis, & extensionis factæ à Paulo III. nec vniuersalem clausulam, per quam Præpositus Generalis illam communicet confessoribus, aut Prouincialibus. Semper ergo necessaria est communicatio specialis & ab homine, vt sic dicam, ad absoluendum à quibuscunque casibus Cœnæ etiam in terris infidelium, & remotis, obseruando clausulam in præfatione illius Compendij positam, nimirum, omnem facultatem in Compendio omissam, eo ipso non esse concessam, donec à Præposito impetretur, nisi (vt ibi additur) periculum in mora esset, nam tunc censetur Prouincialibus, & Visitatoribus communicata solùm pro casu occurrente, ac necessario, cum aliis limitationibus, quæ ibi adiunguntur.

XVIII. *Nullibi etiã procedit exceptio de bonis naufragantium.*

Præter has extensiones est alia Gregorij XIII. facta viuæ vocis oraculo die 18. Martij, anni 1584. his verbis, *Possint confessarij Societatis absoluere eos, qui bona naufragantium rapuerunt, iniuncta eis restitutione vbi, & quomodo ea fieri poterit.* Qui casus reseruatus est in quarta clausula Bullæ Cœnæ, in cuius fine reuocantur omnia priuilegia ad absoluendum ab huiusmodi casu. Sed quod hoc est notandum aliud priuilegium ab eodem Gregorio eadem die concessum, *vt nullæ Societatis facultates censeantur reuocatæ per Bullam Cœnæ Domini*, vt in eodem Compendio refertur, verb. *Bulla Cœnæ*. §. 2. Præterea concessa est Societati alia specialis facultas, absoluendi à peccato commisso in legendo libros prohibitos, de quo peccato in tom. de fide disp. 20. sect. 2. à num. 18. dictum est. Quam facultatem etiam concessit Gregorius XIII. cum eadem limitatione, *extra Hispaniam*, & pro aliis etiam locis cum magna moderatione communicatur à Præposito Generali, vt in prædicto Compendio videre licet, verb. *Absolutio*. §. 4. Pertinet autem hæc facultas ad casus contentos in prima clausula Bullæ.

Nec item procedit quoad libros hæreticorũ.

XIX. *Nec denique procedit de secularibus qui mittuntur ad triremes.*

Vltra hæc, ex parte personarum absolutione indigentium, data est nostris confessoribus facultas absoluendi eos, qui mittuntur ad triremes, à quibuscunque casibus non solùm sine vlla exceptione, sed etiam cum hac additione, *sicut in articulo mortis*; quæ indicat amplissimam facultatem; & ideo non communicatur ipso facto, omnibus deputatis, & approbatis confessoribus, sed superioribus, & quibus ipsi specialiter eam commiserint: quod spectat ad moderatum vsum Societatis, nam facultas absolutè concessa est à Pio IV. viuæ vocis oraculo, vt refertur in dicto Compendio, §. 5. Tandem aduertendum est, hæc omnia intelligi respectu secularium, seu externorum, qui de Societate non sunt, nam pro absolutione personarum Societatis multo plures facultates quoad hanc partem sunt concessæ Prælatis Societatis, vt infra suo loco lib. 10. c. 5. dicemus. De familiaribus etiam pauca addemus infra c. 4.

Expenditur alia clausula tripartita, de absolutione à sententiis, censuris & pœnis.

XX. *Hæc clausula non fuit à principio addita præcedenti de absolutione à culpis*

Quintò obseruanda sunt illa verba, *Et à quibuscunque ex ipsis casibus resultantibus sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis absoluendi.* Addita enim sunt ad explicandũ, non solum concedi directam facultatem absoluendi à culpa, sed etiam à censura, quantumuis reseruata, cum eadem tamẽ exceptione Bullæ Cœnæ. Quãuis enim culpa tolli non possit nisi ablata censura, & ideo concessa facultate ad absoluendum à culpis reseruatis, censeatur concessa facultas ad absoluẽdum à censuris; nam qui dat facultatem ad aliquid, dat consequenter ad omnia, quæ ad illud necessaria sunt, vt constat ex toto titulo de officio delegati: nihilominus, ne putaretur facultas restricta ad casus non habentes censuram annexam, vel quia posset censura tolli solùm ad hunc effectum, vt possit obtineri absolutio à culpa, qua obtenta statim rediret censura; ideo expresse declarata est extensio illius facultatis ad absolutionem censurarum: quo fit vt per hanc facultatẽ directè ac simpliciter possint remitti censuræ, ita vt necessarium non sit amplius coram iudice comparere, quoad forum conscientiæ, vt statim dicemus.

De prima particula clausulæ à sententijs.

XXI. *An hæc particula comprehendat sententias ab homine generaliter.*

Sunt autem in illa causula tres particulæ notandæ, *sententijs, censuris, & pœnis.* Et circa primam quæri potest, an intelligenda sit de solis sententiis à iure, de quibus nulla dubitatio est, an etiam ab homine? Videtur enim ita affirmari, quia vox illa indefinite ponitur; non est ergo cur à nobis restringatur. In contrarium verò est, quia si sententiæ ab homine ibi comprehenderentur, id esset verum tam de specialibus, quam de generalibus: quia respectu vtrarumque verbum illud est indifferens; consequens autem est contra communem vsum, & sententiam. Item obstat proprietas illius vocis, *resultantes*, quia huiusmodi sententiæ non propriè dicuntur resultare ex delicto, nisi quando delictum habet sententiam annexam ex vi iuris: nam quando per hominem ferenda est sententia, non resultat propriè ex delicto. Nihilominus certum est sub hac clausula comprehendi censuras latas per sententiam generalem ab homine, quod supponitur in scholio addito ad hanc facultatem in nostro Cõpendio, vbi concessa hac facultate omnibus confessoribus, additur, *Præterquam respectu excommunicatorum generaliter ab homine, quos superiores tantum, & ij, qui ab eis specialem licentiam habuerint, poterunt absoluere.* Hæc enim exceptio supponit facultatem extendi ad has sententias, aliàs nec superiores, nec deputati ab illis possunt illa vti in eo casu: facultas ergo data est: quamuis propter vitandam offensionem, Præpositus Generalis solùm cum ea limitatione illam communicet, quod vt numer. 6. diximus, iuxta priuilegia facere potest. Ratio verò est supra tacta, quia sententia generalis ab homine est propriissima sententia, & nihil habet speciale, ob quod in generali clausula non includatur, & illa etiam propriè dicitur resultare, quoad suum effectum ex delicto contra illam commisso, nam in hoc conuenit cum sententia à iure, quod supponitur lata ante delictum commissum, & ideo ex illo statim resultat effectus. Obiter etiam aduerto,

Euge-

Eugenium IV. concessisse monachis S. Benedicti similem facultatem absoluendi ab omnibus censuris à iure vel ab homine generaliter latis, vt refertur in Compendio Mendicantium, verb. *Absolutio.* §. 5. qua in rigore possent nostri confessores vti saltem quoad censuras non reseruatas, quia illa non amplius extenditur. Verùm, cùm in nostro Compendio omissa sit, nobis non est communicata, iuxta regulam generalem, in præfatione illius præmissam.

XXII. *Idem probabiliter affirmandum de sententiis ab homine specialiter.*

Idem cum proportione dicendum censeo de sententiis ab homine etiam specialiter latis. Hoc non est tam certum; tamen in eodem Compendio supponi videtur, dum dicitur, *Excommunicatos autem nominatim ab homine, ne superiores quidem absoluent*: nam hæc verba solùm denegant actum, id est, actualem communicationem dictæ facultatis, vnde videntur supponere in Præposito Generali potestatem ad communicandam illam: ad hoc autem necesse est, vt priuilegium de his sententiis loquatur. Deinde probatur, quia nulla est sufficiens ratio, quæ nos cogat ad faciendam hanc limitationem: ergo cùm priuilegium indefinite concedatur, & sit fauor ac beneficium Principis, limitandum non est. Antecedens probatur, quia nullum peculiare ius obstat in sententiis specialibus, magis quàm in generalibus, & sæpè potest vsus vnius facultatis in sententiis specialibus, esse necessarius ad salutem animarum, & fieri sine offensione iudicum, vel aliorum scandalo, vt si persona non sit nota: ergo non est cur fiat prædicta restrictio. Contrarium huius sentit in simili auctor Compendij Mendicantium, verbo *Absolutio quoad seculares*, §. 19. quem sequi se profitetur Emmanuel Roderic⁹ in expositione Bullæ §. 9. numer. 55. postea verò ita illam sententiam explicat, vt tamen à nostra non recedat. Clarum est enim, sine satisfactione partis, vel Ecclesiæ, vel sine iusta causa, aut cum scandalo non posse quempiam vti hac facultate; at verò interuenientibus his conditionibus, satisfactionis partis vel Ecclesiæ, potest, quod dictus auctor non negat; vt autem possit, etiam cum prædictis conditionibus, necesse est vt priuilegium det huiusmodi potestatem: quia nisi hæc supponatur, extrinsecæ rationes, aut causæ non sufficiunt: hæc autem supponi, aut haberi non potest absque priuilegio.

De secunda particula clausulæ à censuris.

XXIII. *Quid nomine censuræ veniat.*

Circa secundam particulam, scilicet, *ab omnibus censuris*, occurrebat longa disputatio, quid sub illa comprehendatur. Sed res hæc in materia de Censuris disput. 1. sect. 3. copiosè tractata est. Nunc satisfit respondere comprehendi quamcunque excommunicationem, suspensionem, & interdictum, iuxta c. *quærenti.* de sent. excommun. An verò possit extendi ad irregularitatem aliquam, in materia de irregularitate tom. de cens. disput. 40. sect. 1. dictum est, & statim attingetur. Item quæri potest quæ forma seruanda sit in hac absolutione à censuris præstanda. Sed breuiter dicendum est, non oportere solennitatem aliquam vel cæremoniam iuris seruare, sed simpliciter concedi ex priuilegio Leonis X. concesso Minoribus, vt habetur in eorum supplemento concessione 174. & in nostro Compendio, verb. *Excommunicatio* §. 2.

Forma absoluendi per dictum priuilegium.

XXIV. *An absoluendum necessario intra confessionem*

Tandem quæri potest, quod etiam suprà tetigi tract. 8. lib. 2. cap. 24. num. 12. an danda necessariò sit intra sacramentum pœnitentiæ, vel possit extra illud dari. Quod dubium aliàs tractari solet de Bulla Cruciatæ, & aliis priuilegiis, in quibus solet hæc facultas concedi sub his verbis, *Concedimus vt eorum confessionibus diligenter auditis, à criminibus, & censuris absolui possint*, &c. Ex qua verborum forma videtur colligi absolutionem à censuris non posse dari nisi in confessione sacramentali, & in ordine ad absolutionem sacramentalem eius. Eadem autem forma seruatur in hoc nostro priuilegio. Nã hæc clausula ita incipit, *Nec non*, &c. *ad vos vndique accedentium confessiones audiendi, & eorum confessionibus diligenter auditis, eos à quibuslibet casibus, & ex ipsis casibus resultantibus sententiis*, &c. ergo talis absolutio à censuris dari non potest nisi prædicto modo. Confirmatur, nam hæc absolutio non potest dari vt prosit, nisi in foro interiori, vt declaratum est à Pio V. in quadam Bulla Iubilæi anni 1568. vbi occasione illius Iubilæi ita explicat omnes similes facultates ab Apostolica sede manantes: vbi consequenter ait, hanc absolutionem dandam esse in foro pœnitentiali, &c.

Nihilominus auctores moderni, vt Sanctius lib. 8. de matrim. disput. 15. numer. 25. & disput. 16. num. vlt. & disput. 34. numer. 28. & lib. 4. Decalogi cap. 54. à numer. 14. vbi alios citat, asserunt, per Bullam Cruciatæ posse dari absolutionem censuræ absque sacramento Pœnitentiæ, vnde à fortiori sequitur, id posse fieri per hoc priuilegium. Verum est, aliquos eorum in hoc fundari, quòd Bulla non limitat vt absolutio à censura detur, *auditis confessionibus*, quod in hoc priuilegio non ita est. Et ideo alij id defendunt, non obstantibus illis verbis, quia illa non sunt posita propter absolutionem à censura, sed propter absolutionem à peccatis, de qua proximè sermo subiungitur. Huius autem interpretationis ratio est, quia secundùm commune ius ad absolutionem à censura, non est necessaria confessio, nec absolutio sacramentalis, vt est per se notum, & disput. 7. de cens. sect. 7. ex professo tractatum est; ergo illa verba interpretanda sunt secundùm ius commune, vt scilicet addita censeantur pro illa absolutione, ad quam necessaria est cõfessio. XXV.

Hæc autem ratio retorqueri potest: nam potiùs essent superflua illa verba, si propter absolutionem solam sacramentalem ponerentur: quia absolutio sacramentalis essentialiter dicit respectum ad confessionem sacramentalem, & ideo eo ipso quòd cõceditur facultas ad absoluendum à peccatis subintelligitur, audita cõfessione: ergo videntur expressè audita illa verba, vt explicarent necessariam cõditionem ad vtramque absolutionem tam censurarum, quàm culparum. Ettò enim verum sit, absolutionem à censura non poitulare sacramentalem per se, nihilominus potuit Pontifex nolle, & videtur noluisse illam facultatem concedere, nisi cũ ea restrictione, quia non dabat illam, nisi vt possent remoueri impedimenta absolutionis sacramentalis. Et ita censet tutius Nauarrus cap. 26. nu. 31. Corduba in summa Hispana, quæst. 19. & 187. citans Couarrum. in cap. *Alma.* 1. p. §. 11. num. 16. vbi de hoc nihil habet, sed de valore huius absolutionis in foro interno, vel externo, quæ duo puncta confundi solẽt ab auctoribus, sunt tamen distincta, vt statim dicã à num. 30. In eandem ego sententiam alibi satis inclinaui; præsertim tom. 5 de Censuris disp. 7. sect. 7. sect. 5. à num. 35. & tom. 2. de relig. tract. 6. de voto lib. 6. cap. 16. nu. 4. Negari quidem non potest præ- XXVI. dictam opinionem Nauarri, per se loquendo, esse tutiorem, nam absoluendo à censura, facta integra confessione sacramentali, nihil est periculi, cũ certum sit talem absolutionem validam esse: absoluẽdo autem extra confessionem, cum sit res sub opinione, posset esse aliquid periculi; & ideo si nulla ratione, posset esse aliquid periculi; & ideo si nulla rationabilis causa interueniret, nec consulerem, nec permitterem vti hac facultate, nisi in confessione sacramentali.

Nihilominus in rigore alia opinio nunc mihi magis XXVII.

magis placet, quia est fauorabilior, & potest in omni proprietate accõmodari verbis indulti. Et præter modum suprà relatum numer. 25. quem attigit Corduba, & probabilis est occurrit alius: quia verbum illud, *auditis confessionibus eorum*, commune est, & de se indifferens ad sacramentalem confessionẽ, & ad quamcũque aliam absolutioni, seu sententiæ, aut pœnitentiæ imponendæ proportionatam: ergo meritò potest in sua communitate sumi, & cum partitione accommoda ad absolutionem adaptari. Confirmatur, & declaratur, nam verbum *absoluendi*, quo illa clausula concluditur, commune est ad absolutionem sacramentalem peccatorum, & ad absolutionem censurarum, quæ sine dubio est distincta, & præuia, & à diuersa potestate procedit. Ibi autem verbum illud *absoluendi* sumitur in sua communitate, & per illud conceditur duplex potestas ad vtramque absolutionem: ergo eodem modo accipi potest verbum aliud, *auditis confessionibus*, vt sub se claudat duplicem confessionem duplici absolutioni accommodatam, & ad vnamquamque requirat solam illam, quæ per se sufficiens est. Simile argumentum accipi potest ex illis verbis, quæ finita illa clausula adiunguntur, *Ac eis pro commissis pœnitentiam salutarem iniungendo*. Hæc enim verba etiam sunt communia ad pœnitentiam sacramentalem ad aliamque satisfactoriam, seu compensatiuam delicti extra sacramentum: non est enim necesse vt sacerdos Societatis volens aliquem absoluere à censura, per delictum graue contracta, solam pœnam sacramentalem imponat; sed instar iudicis ferentis sententiam in forò contentioso, potest illi pœnam imponere in vindictam contumaciæ contra Ecclesiam quam reus tenebitur in conscientia implere, non quia sit pars sacramenti, sed quia voluntariè se subiecit illi iudicio, & quasi sub eo pacto absoluitur: ergo sub eadem indifferentia accipienda sunt priora verba, ita vt ibi concedatur facultas ad efficiendum duplex iudicium, vnum sacramentale de culpis, aliud quasi contentiosum, de censuris; & ad vtrumque requiratur sua confessio, absolutio, & pœnitentia. Quamuis autem simul ad vtrumque iudicium detur potestas, non propterea postulatur vt necessariò simul fieri debeant, nulla enim ratione fundatur hæc illatio: sæpè enim multa comprehenduntur eisdem, vel coniunctis verbis, non quia in re ita necessariò coniuncta sint, sed vel quia ita breuius, & commodiùs dicuntur, vel certè quia frequentius ita fiunt, non ex necessitate, sed ex commoditate. Vnde fortasse in præsenti per hanc connexionem verborum ad summum significatum est, confessionem sacramentalem esse sufficientem vt quis absoluatur à censura, non verò quòd illa necessaria sit.

XXVIII. Quocirca, si quis ligatus tali censura accedat ad confessorem Societatis, & confiteatur tale delictũ, paratusque sit ad acceptandam condignam pœnitentiam, & obediendum Ecclesiæ, quamuis tunc non sit paratus ad absolutionem sacramẽtalem, vel nolit, aut non possit integram sacramentalem confessionem facere, vel sacerdos non valeat illam audire, credo posse illum absoluere à censura reseruata, & illum remittere, vt ab alio qui tantam facultatem non habet, possit absolui à culpis, quarum reseruatio tollitur ablata censura: & quia hæc necessitas potest sæpè contingere, ideo multum refert non plus restringere hanc potestatem, cum res vesa satis probabiliter fieri possit. Atque eadem, & maiori ratione si quis audiens prolixam confessionem alicuius, quam non potest per multos dies finire, vt sacramentaliter absoluat, si interim audiat casum, cui est annexa censura, existimo posse illum statim absoluere è censura, suppositi sufficienti dispositione ad hunc finem, scilicet quòd reus à contumacia recesserit, & satisfecerit, & conuenientem pœnitentiam acceptet: quia non oportet illum tenere ligatum censura pluribus diebus, & quia in ordine ad talem absolutionem iam est satis audita confessio, & quia absolutio illa à censura potest iuuare vt reus melius se disponat ad absolutionem sacramentalem, & ita ibi iam interuenit finis intentus per hanc facultatem, ideoque hic casus est certior quàm præcedens, mihique prorsus indubitatus, quidquid Corduba dicat. Denique si audita tota confessione integra, & sufficiente ad absolutionem sacramentalem, sacerdos vel ex malitia, vel ex indiscreto zelo nollet sacramentaliter absoluere, vellet autem absoluere à censura, sine dubio, absolutio esset valida, tum quia etiam ad literam ibi impletur cõditio, *auditis confessionibus*: tum etiam, quia absolutio à censura semper antecedit tempore absolutionem sacramentalem, & non pẽdet ex futuro euentu: quamuis ergo illa non sequatur altera valida permanebit. Neque etiam est verisimile quòd valor absolutionis à censura pendeat ex intentione absoluendi postea sacramentaliter, quia hæc per se est extrinseca, & eius necessitas neque in hoc indulto postulatur, neque aliunde colligi potest.

Atque hinc etiam sumitur argumentum valde probabile, ad absolutionem à censura, non esse necessariam confessionem sacramentalem, ex vi huius indulti, quia non est necessaria absolutio sacramentalis: nam confessio sacramentalis solùm propter sacramentalem absolutionem exigi debet. Et quamuis verum sit, hanc gratiam concedi in ordine ad absolutionem sacramentalem, non est tamen ille finis adæquatus, neque intrinsecus, vt paulò infrà dicam, sed est ratio quædam adiuuans, & extrinseca, quæ semper potest respici, & considerari in danda absolutione à censura, quamuis non simul danda sit absolutio à peccato, quia semper paratur aliquo modo via ad illam. XXIX.

Per hæc ergo satisfactum est priori rationi dubitandi in numer. 24. sumptæ ex verbis indulti: nunc dicendum superest de difficultate tacta in confirmatione eius, scilicet, quia hæc absolutio à censura solùm valet in foro interno, ac pœnitentiæ. Quod quidem in nostro Compendio vt certum supponi videtur: nam verb. *Absolutio.* in scholio ad §. 1. dicitur, *Admoneant pœnitentes absolutionem à censuris, si quam impendent, nihil eis prodesse in foro exteriori.* Et in fine totius verbi iterum notatur, ea quæ ibi dicuntur de absolutione à censuris, quoad externos, intelligi de absolutione in sacramento Pœnitentiæ. Tenet etiã hanc opinionem Couarru. in cap. *Alma mater.* p. 1. §. 11. num. 16. & eam supponunt Corduba & Nauarr. suprà in n. 26. quorum mens est, Pontificem quidem posse hanc facultatem cõcedere etiam pro foro exteriori, si velit, vt per se est certum, non tamen illã concedere, nisi expresse id declaret, quia plurimum detraheret authoritati iurisdictionis Ecclesiasticæ, si frequenter eam concederet, & ideo quando eam vult concedere, quod rarò facit, verbis expressis, & in speciali id declarat: ergo per generalem clausulam illam non concedit. Patet consequentia, tum ex regula iuris 81. in 6. quòd sub generali non continetur particulare, quod Princeps non esset verisimiliter concessurus: tum etiam quia peculiaris expressio, quæ interdum fit, indicat generalem non sufficere, alioqui superflua esset illa additio. XXX. *Responsum ad rationem dubii in n. 14.* *Confirmatio ibidem posita quid concludat.*

Quamuis autem hanc sententiã admittamus (vt necessariò admittenda est, saltem quãdo in ipso indulto expresse additur, *in foro conscientiæ*, vt additur in Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6. de reform. in facultate concessa Episcopis ad absoluendum à casibus XXXI. *Non tamen concludit contra partẽ probatam à n. 27.*

casibus occultis, licèt (inquam) hoc concedatur, non propterea sequitur talem absolutionem solùm posse dari in sacramento Pœnitentiæ, quia absolutio non ideo dicitur esse in foro conscientiæ, quia in sacramento Pœnitentiæ datur, sed quia hominem liberat ab omni obligatione in foro conscientiæ, ita vt ipse non teneatur alicui pœnæ se subiicere vltra pœnitentiam, vel satisfactionem sibi iniunctam à sacerdote absoluente, non tamen reddit immunem ab omni pœna fori contentiosi, neque aufert ius tertio, vt in foro exteriori possit iustam vindictam postulare, nec iudici, vt ex officio possit contra illum procedere in exteriori foro ad publicam pœnam. Exemplum est euidens in dicta facultate Concilij Tridentini, per quam potest Episcopus absoluere extra confessionem, cùm tamen solùm absoluat in foro conscientiæ. Dispensatio etiam in irregularitate non fit propriè in sacramento Pœnitentiæ, quia nullam habet connexionem cum illo, & nihilominus dicitur sæpe concedi in foro conscientiæ: ergo. Denique idem constat ex declaratione Pij V. suprà allegata in numer. 24. quam statim amplius ponderabimus num. seq. & 38. ex aliis iuribus, quæ adducit Couarr. dict. numer. 16.

XXXII. *Distinctio quorundam fori conscientiæ & pœnitentiæ.*

Distinguunt autem aliqui, vt Sancius lib. 8. de matrim. disput. 34. numer. 29. Rodriq. quæst. 61. artic. 10. inter forum conscientiæ, & pœnitentiale, quòd forum conscientiæ, præcisè postulet, vt absolutio fiat ad leuamen cõscientiæ: forum autem pœnitentiale addit quòd fiat in ipso sacramento Pœnitentiæ. Vnde absolutio in foro conscientiæ dari potest à clerico in minoribus: absolutio autem in foro Pœnitentiæ nõ nisi à sacerdote. Quæ sententia tribuitur Sylueſtro verb. *Absolutio* 1. & Nauarro cap. 27. numer. 41. & D. Antonino 3. p. tit. 24. cap. 7. in quibus nihil ad rem præsentem inuenio. Vnde, quamuis verum sit, forum Pœnitentiæ, rigorosè sumptum pro sacramentali, esse distinctum à contentioso, & à foro conscientiæ prout extra sacramentum exerceri potest; nihilominus in præsenti existimo cum Præposito in cap. *præterea* 2. de sponsal. pro eodem accipi forum pœnitentiæ, & conscientiæ, & neutram vocem arctari ad pœnitentiam sacramentalem, sed extendi ad omnem illam, quæ ad satisfaciendum conscientiæ, & ad tollendum vinculum censuræ coram Deo ordinatur, vt dixi lib. 8. de legibus cap. 6. numer. 16. Et colligi potest ex prędicta declaratione Pij V. in Iubilęo anni 1568. *Declarantes insuper* (inquit) *tam præsentes, quàm alias quascunque supra concessiones similium, vel dissimilium indulgentiarum à nobis aut prædecessoribus nostris hactenus emanatas, & in futurum quomodolibet emanandas literas, Christi fidelibus ipsis, nisi ad earum effectum in foro conscientiæ & pœnitentiali consequendum duntaxat, non autem foro fori, aut contentioso, nisi satisfecerint, vllatenus suffragari.* Nam ex his verbis constat, forum conscientiæ, & pœnitentiale in hac materia pro eodem sumi, & solùm condistingui à foro contentioso. Quoties ergo pœnitentia imponitur solùm ad remedium cõscientiæ, forum illud & pœnitentiale, & conscientiæ esse potest, siue id fiat intra sacramentum, siue extra, dummodo fiat per potestatem iudiciariam à superiore commissam. Ergo ex illis verbis nunquam colligi potest, absolutionem à censura dandam necessariò esse in sacramento Pœnitentiæ. Quapropter ex illis verbis non potest colligi talem absolutionem in foro conscientiæ à solis sacerdotibus dari posse, vt bene notauit Nauarrus cap. 27. num. 41. quia absolutio à censura separata ab absolutione sacramentali dari potest à non sacerdote, dummodo clericus sit, vt ex propria materia nunc suppono. Consideranda ergo sunt verba indulti, nam si dirigantur ad presbyteros, vt in hoc nostro indulto, vel ad confessores, vt in Iubilæis, tunc clarum est, potestatem solis sacerdotibus delegari: si verò verba sint generaliora, vt solent esse in aliquibus priuilegiis pro articulo mortis, vt in eo possit quis absolui ab omnibus cẽsuris, &c. à quocunque; tunc si absit sacerdos, posset inferior clericus absoluere à censura, quamuis non posset à culpa.

An verò potestas absoluendi, solùm extendatur ad forum conscientiæ, quando expressa limitatio non additur, etiamsi non fiat expressa extensio, magis incertum est, vt etiam Nauarrus, & Couarruuias intellexerunt, vterque enim satis dubius est de sua opinione: nam priuilegia & fauores, præsertim animarum, ampliandi sunt: sed hiusmodi est hæc facultas, & extensio illa non est præter proprietatem verborum, imò videtur ad integram eorum veritatem necessaria, quia per ea conceditur absolutio simpliciter: absolutio autem censuræ, quæ nõ se extendit ad forum externum, non est absolutio simpliciter, sed tantum secundum quid: ergo. Probatur minor, tum quia vinculum censuræ maximè respicit forum externum, & contentiosum, tum maximè, quia absolutio in solo foro conscientię videtur parum vtilis, quia de illa non potest constare Ecclesiæ, & ideo sic absolutus manet valde perplexus, quia non potest exterius agere contra censurã, saltem ratione scandali, vnde si agat, Ecclesiasticas pœnas incurret. Confirmatur tandem argumento sumpto à contrario ex dicta declaratione Pij V. declarat enim, non posse hanc absolutionem suffragari pœnitentibus sic absolutis, *nisi satisfecerint*: ergo si satisfecerint, suffragabitur talis absolutio etiam in foro contentioso. Propter quam declarationem id affirmant saltem in eo casu, & sub ea conditione, hanc partem asseruit Emmanuel Roder. quæst. 61. art. 6. & generalius Medina in Instructione Confessorum 2. p. cap. 12. citatur etiam Nauarrus consil. 26. de sentent. excommun. iuxta primam impressionem.

XXXIII. His verò non obstantibus negantem sententiam veram censeo iuxta dicta in disp. 7. de cens. sect. 5. à numer. 20. in qua plane constans fuit semper Nauarrus, vt videre licet consil. 47. & 48. de sent. excomm. iuxta impressionem Lugdunensem anni 94. & in aliis consiliis sæpè id supponit, & Sancius numer. 29. citato, & lib. 6. de Decal. cap. 17. numer. 43. eamque late defendit Ioannes Gutierrez lib. 1. cap. 2. Vt autem res magis intelligatur, & certa ab incertis separentur, explicandum accurate est, quid sit, quem vè effectum habeat quòd absolutio valeat in foro exteriori. Duplex enim potest intelligi effectus: primus est, vt iudex Ecclesiasticus, si illi sufficienter constet de tali absolutione, non possit amplius iudicium ferre de delicto, per quod censura illa contracta est, nec de contumacia præterita, nec de quacunque irreuerentia, vel iniuria quæ in progressu illius delicti, vel censuræ facta sit contrà claues, vel pastores Ecclesiæ: & quoad hoc euidentissimum esse existimo non esse mentem Pontificis quòd talis absolutio valeat in foro exteriori. Et hoc maximè probant rationes posterioris sententiæ, præcipuè illa, quòd absolutio in foro animæ non obstat quominus reus possit accusari, vel inquiri, & puniri, in foro exteriori, nam diuersus finis est vnius, & alterius, quia publica punitio ordinatur ad commune bonum, & ad exemplum & emendationem aliorum, & ideo non debet impediri propter solam emendationem, & punitionem rei, in foro animæ: nam contrarium posset vergere in graue nocumentum Ecclesiæ. Vnde hoc etiam satis confirmat praxis Ecclesiæ, quam dicti auctores latè commemorant. Occurrit autem peculiare exemplum ex Bulla *Compositionis*, per quam aliquis redditur tutus in foro conscientiæ, & ta-

& tamen si contraxit illa debita, pro quibus compositionem accepit, per vsuras, vel indebitam acceptionem; vel omissionem contra munus suum, posset nihilominus iuxta satis probabilem sententiam de tali delicto accusari, & iudicari, ac puniri, conuictus in foro exteriori, nunquam ergo intelligitur fieri tam plena remissio per hæc priuilegia, nisi verbis expressis concedatur.

XXXV. Alius effectus huius absolutionis, quoad forum externum, esse potest, quòd si de illa sufficienter cõstiterit in foro externo, tanquam vera absolutio recipiatur, & consequenter non sit necessaria noua absolutio, sed solùm quòd à iudice, qui censuram tulerat, vel ad quem de illa cognoscere pertinebat, eam ratam habeat: neque etiam possit ille pœnitẽs à tali iudice puniri eo quòd post talem absolutionẽ censuram non seruauerit, nec iudicare illum irregularem eo quod celebrauerit, v. g. & similia. Et quoad hunc effectum posset facilius sustineri prior opinio, nam rationes posterioris opinionis contra hoc minus vrgent: nam per hoc vel nihil, vel parum fit cõtra rigorem Ecclesiasticæ censuræ: nec minuitur ius, aut auctoritas Ecclesiastici prælati. Suntq; minora hęc incommoda in absolutione lata à iure, quàm ab homine, & ideo in priori est verisimilior illa sententia.

XXXVI. Nihilominus tamen dicendum est, in rigore non teneri iudicem ad admittendam illam absolutionem quoad hunc etiam effectum, vt nimirum æstimare debeat illum pœnitentem, tanquam liberum ab illis censuris ab eo die, quo fuit absolutus; sicut quando dispensatur irregularitas tantum in foro conscientiæ, si de irregularitate postea in foro exteriori constet, potest dispensatus nihilominus expelli, à susceptione ordinum: & in dicto exemplo *Compositionis* potest qui compositionem accepit, per iudicem compelli ad restituendum totum debitum, &c. quia non tenetur iudex Ecclesiasticus in suo foro seruare priuilegium illud, nisi per ipsum priuilegium expresse compellatur, alioqui rectè interpretabitur datum esse *saltem iure suo, & intra fines pœnitentialis fori*, & ità etiam habet vsus, & consuetudo. Ex æquitate autem poterit, & suo modo debebit iudex, si illi constiterit, pœnitentem per actus factos contra censuram post absolutionẽ nihil peccasse coram Deo, non illum ita punire, ac si verè deliquisset, sed quantum expedire iudicauerit, vel ad vindictam prioris contumaciæ, vel ad publicam satisfactionem, & ad auferendũ scandalum, si quod intercesit: nam hoc postulat tunc ratio iustitiæ ex natura rei, quia veritas debet præferri præsumptioni, quando de illa constat, vt pœna non excedat culpam.

XXXVII. *Ad rationẽ cum suis probationib. num. 33.* Ad rationem ergo in contrarium respondetur, priuilegium ex ea parte, qua potest continere odium, id est, in alterius iniuriam, vel cõmune damnum redundare, strictè esse interpretandum, & ita fieri in præsenti, maximè intercedente consuetudine, quæ est optima legum interpres. Neque hoc est contra proprietatem verborum: nam absolutio in foro conscientiæ, est vera & simpliciter absolutio, nam in re ipsa verè tollit censuram, & obligationem in conscientia, quæ ex illa nascitur. Nec refert, quòd censura per se pertineat ad iurisdictionem fori contentiosi, quoad impositionem eius, quia postquam illa posita est, obligatio, quæ ex illa nascitur, maximè est in conscientia. Et ideo quando absolutio datur in conscientia, etiam manat à participatione aliqua iurisdictionis fori contentiosi, nam sola iurisdictio in foro sacramentali non sufficeret, tamen illa communicatur per hæc priuilegia, cum limitatione ad priuatum absolutionis modum, vt sufficiat ad tollendum reatum, & obligationem coram Deo, non tamen omnino coram Ecclesia, quæ est diminutio quædam secundùm quid. Vnde etiam constat, talem absolutionem non esse inutilem, tum quia verè restituit hominem consortio Ecclesiæ, & facit illum participem suffragiorum eius, quod maximi momenti est. Tum etiam, quia reuera tollit omnes inhabilitates, & facit capacem beneficiorum, iurisdictionis Ecclesiasticæ, &c. tum denique, quia si censura erat occulta, tam occulte, quàm publicè potest se gerere vt absolutus; si verò erat publica, saltem occultè, & caute poterit eodem modo se gerere, & facilius etiam poterit Prælato Ecclesiæ in foro exteriori satisfacere, & ad hunc effectum deseruire poterit testimonium confessoris, quod vt sit efficacius, posset interdum absolutio à censura de voluntate ipsius pœnitentis coram testibus fide dignis dari, vt Nauarrus in consiliis aduertit, præsertim consil. 26. de sent. excommun. incipit, *An absolutus*, in impressione Romana anni 1591. quod omissum est in Lugdunensi anni 94.

Ad vltimam confirmationem ex declaratione Pij V. vt melius illius mentem percipere possem, desideraui Bullam ipsam videre, & non potui. Quantum autem à dictis auctoribus refertur, ex illa inprimis colligo, non extendi ad hoc nostrum priuilegium, neque ad similia, sed solùm ad eas gratias, quæ conceduntur in ordine ad aliquam indulgentiam consequendam. Verba enim sunt, *Declarantes insuper, tam præsentes, quam alias quascunque super concessione similium indulgentiarum à nobis, & prædecessoribus nostris hactenus emanatas, vel in futurum quomodolibet emanandas literas*, &c. Expendenda enim sunt illa verba, *super concessione similium indulgentiarum*, nam plane restringunt declarationem, & materiam eius. Deinde affero, declarationem illam non ad hoc factam esse à Pio V. vt exponeret in quo foro valeat illa absolutio, quamuis hoc obiter, & in transitu dixerit, vt statim notabo numer. sequenti, sed ad hoc vt declararet illam absolutionem non simpliciter & permanenter concedi, sed solùm ad talem effectum, & ad reincidentiam, vt doctè notauit Gutierrez suprà, numer. 19. & 20. patet ergo ex verbis ipsis ibi, *Declarantes insuper tam præsentes*, &c. *literas, Christi fidelibus ipsis, nisi ad earum effectum*, &c. *vllatenus suffragari, eosdemque Christi fideles iuxta huius nostræ declarationis formam, & tenorem tantum, & non aliter nec alio modo vti, aut eis se iuuare quoquo modo potuisse, aut posse: quin imo eos in illas postmodum reincidisse, & in futurum reincidere.* Quæ verba adeò sunt clara, vt nulla indigeant expositione. Atque ita quamuis concederemus, vt Gutierrez concedit, illam Bullam & similes valere ad absoluendum etiam in foro externo, satisfacta parte, vt prima facie verba indicant; nihilominus nullum inde sumi posset argumentum ad alia indulta, quæ concedunt facultatem absoluendi simpliciter. Nam illa absolutio, quæ solùm est ad effectum consequendi indulgentiam, est tantùm secundùm quid, & ideo nihil mirũ esset, quod pro tunc valeret pro vtroque foro, cum statim consequuto Iubilæo, reincidatur in vtroque etiam foro, & ita non sequantur incommoda, quæ ex absolutione simpliciter, & permanente sequerentur. XXXVIII. *Ad confirm. in eodem num. 33.*

Addò verò tertiò, probabiliter dici posse, neque hoc colligi ex prædictis verbis, & ita potius ex illa declaratione sumi posse argumentum pro nostra sententia: nam si Pius V. noluit absolutionem illã, etiam secundùm quid valere in foro exteriori etiam satisfacta parte, multò minùs valebit absolutio permanenter data. Quòd autem illa fuerit mens Pij V. patet, quia illa particula, *nisi satisfecerint*, non est construenda solùm cum proximis verbis, *non autem in foro fori, aut contentioso*, sed cum tota clausula præce- XXXIX.

præcedenti, ita vt illa verba, *non autem in foro fori, aut contentioso*, quasi per parenthesim interponantur: Ita vt sensus sit, illam absolutionem non valere in foro conscientiæ, & pœnitentiæ, nisi ad effectum indulgentiæ, & satisfacta parte: nam in foro exteriori nec isto modo valet. Hūc autem esse sensum patet, quia aliàs posset per tale Iubilæum dari absolutio in foro interiori, & ad talem effectum, nō satisfacta parte, quod Gutierrez concedit, & loquitur consequēter. Sed videtur difficile creditu, tum quia est contra communem vsum omnium similium indultorum, & communem interpretationem Doctorum: tum etiam, quia Pius V. nō fecit illam declarationem ad ampliandam, sed ad restringendam facultatem absoluendi. Antea verò non concedebatur illa facultas vllo modo pro foro exteriori, & pro interiori nunquam fuit concessa, nisi satisfacta parte, vt constat ex auctoribus interpretantibus indulgentias ante Pium V. concessas: ergo verisimile est Pium V. non fecisse illam extensionem. Tum denique, quia ex natura rei videtur iniusta, & aliena ab intentione Pontificis absolutio in foro interiori, non satisfacta parte: maximè prout communiter exponitur illa conditio, scilicet, *satisfacta parte*, vel realiter, si fieri possit, vel præstita sufficienti cautione, quantum fieri potest, quando actualis satisfactio fieri non valet: sic enim contra rationem est absoluere quenquam non satisfacta parte, quia & est in præiudicium tertij, & ille non se disponit quantum potest, vel debet ad absolutionem.

XL. Sed licèt hæc interpretatio, solam rationem spectando, videatur apparens, nonnullam tamen vim infert literæ: quia vix potest iuxta illam contextus ordinari. Et ideo retinendo planum sensum, consequēter dicendum est, ibi satisfactionem partis, debere esse realiter exhibitam, & cum effectu, vt talis absolutio valeat in foro exteriori, hoc enim conuincit ratio in ipsa confirmatione num. 33. à nobis facta. Et in hoc sensu extensio illa fuit pia, & rationabilis: voluit enim Pontifex, vt ad effectum consequendi indulgentiam absolutio illa, & effectus eius non posset impediri, etiam in exteriori foro, quando creditori ita satisfactum est, vt sit contentus; non interueniente autem tali satisfactione, licèt quoad Deum possit pœnitens esse dispositus, & facere quod in se est, & ideo possit iustè absolui in foro pœnitentiæ ad eundem effectum: nihilominus, quia de satisfactione partis Ecclesiæ non constat, noluit Pontifex vt in foro contentioso valeret illa absolutio, vel potius noluit vt iudex, vel parochus teneretur illum publicè excommunicatum, ac denunciatum, v. g. admittere ad communionem, propter talem absolutionem. Sic ergo extensio illa specialis fuit in illo modo absolutionis, propter breuitatem eius, & necessitatem, absque præiudicio tertij, & ideo non licet ab illa sumere argumentum, vt dixi, ad alia indulta, quæ absolutam facultatem concedunt ad simpliciter absoluēdum: imò per argumentum à speciali potest inde contrarium colligi.

De tertia clausulæ particula, à pœnis Ecclesiasticis.

XLI. Vltimò supereſt explicanda illa particula, *& pœnis Ecclesiasticis*, quid nimirum significet, vel comprehendat, & præsertim occurrit morale dubium, an comprehendat illam irregularitatem, quæ propter delictum imponitur; esto enim non sit censura, est tamen verè pœna Ecclesiastica, adeò vt si quis excusetur à culpa, illam non incurrat, vt patet de irregularitate, quæ imponitur celebranti cum excōmunicatione maiori, & similibus. Ergo comprehēditur saltem sub illa particula, *& pœnis*, aliàs vix intelligi potest quid per illam particulam addatur vltra censuras. Atque hanc partem habere auctoritatem grauium Doctorum, & probabiles rationes, ideoque in praxi posse vt probabilem admitti, vrgente casu, in quo non sit facilis recursus ad Episcopum, affirmat Henriquez lib. 7. de Indulg. c. 13. n. 6. Hanc sententiam licèt alio modo explicatam, late defendit Gutierrez lib. 1. Canonicarum quæstionū, c. 3. citans Sotum, Cordubam, & alios modernos, limitat tamen illam vt habeat locum solùm in irregularitate, quæ propter delictum imponitur, cōmissum contra Ecclesiasticam censuram, seu quod à censura ducit originem, vt est excommunicatum celebrare, ordinare, aut ordinari, vt ita excludat irregularitatem contractam ex homicidio voluntario, nam hæc non est pura pœna, sed etiam inhabilitas propter indecentiā effusionis sanguinis: prior verò irregularitas est tantùm pœna. Imò addit, etiamsi in indulto nō adderetur particula hæc, *& pœnis*; ratione prioris, *& censuris*, posse tolli hanc irregularitatem, quia trahit originem à censuris.

1 *Opinio ponens pœnam intelligens irregularitatem ex delicto.*

Hæc verò opinio in materia de irregularitate XLII.
disp. 40 sect. 3. n. 3. & generatim de censu. in gen. dis. 1. sect. 3. à nobis improbata est, & nunc etiam displicet. Et inprimis non sufficienter numerantur irregularitates ab illis auctorib. aliquæ enim sunt irregularitates, quæ sunt puræ pœnæ, & non ducunt originem à censuris, vt est illa, quæ contrahitur ex rebaptizatione passiua, vel actiua: vel quæ (secundùm sententiam multorum) contrahitur propter delictum suscipiendi ordines furtiuè, aut extra tēpora, vel sine licentia proprij Prælati, & similibus. Item de illa, quam quis contrahit, ministrando in ordine, quam non habet: item per crimen hæresis, & si quæ sunt similes: nam hæ omnes puræ pœnæ dicendæ sunt, iuxta illam sententiam, non minus quàm illæ, quæ imponuntur propter violationes censurarum, & tamen in illa partitione omittuntur. Deinde quòd irregularitas ducat originem à censura non refert, vt sub nomine censurarum includatur, vel (quod idem est) vt per potestatem *absoluendi à censuris*, vt sic tolli possit: quia non est per se coniuncta cum censura, vt putetur comprehensa, tanquam accessorium cum principali; sed est omninò per accidens, & remotè contracta propter nouam culpam contra censuram commissam. Item quamuis incurratur occasione censuræ, tamen ipsa non est censura, vt constat ex *c quærenti*, de verb. signif. & quia non est medicinalis pœna, sed tantum vindicatiua. Ergo nulla probabili ratione comprehendi potest sub nomine *censuræ*: aliàs si mihi daretur tantùm potestas absoluendi ab excommunicatione, possem nihilominùs tollere omnem aliam censuram, vel irregularitatem contractam per peccatum commissum occasione excōmunicationis, quia licèt non sit excommunicatio, ducit originē ab excommunicatione. Consequens autem planè est absurdum, & inauditum: nihil ergo refert ille modus originis à censura, sed intrinseca natura, & conditio ipsius irregularitatis pensanda est: vnde dubitari non potest quin idem iudicium ferendum sit de omnibus irregularitatibus, quæ sunt pœnæ delictorum (saltem excepto homicidio) siue illa delicta sint contra priores censuras, siue contra Baptismum, Ordinem, & similes.

2 *Improbatur.*

3 *Quæritur.*

4 *Probatur.*

XLIII. Neque etiam (quod ad rem præsentem magis spectat) sub pœnis comprehendūntur hæ irregularitates in hoc indulto, vt rectè docuit Nauarrus in Summa, c. 27. n. 250. alias 254. & num. 194. vbi citat Dominicum Alexandrum, & Villadiegum, quam doctrinam etiam in consiliis sæpè repetit, consilio 18. de simonia, 66. de sent. excom. Probatur primò, quia iuxta propriam consuetudinem, & stylū Curiæ sub generali clausula

sufa absoluendi à pœnis, non venit irregularitas, vt dicti auctores testantur, sicut etiam nõ venit depositio, degradatio; imò (vt existimo) nec perpetua suspensio, cuius rationem infrà nu. 48. assignabimus. Nunc verò de irregularitate specialiter dici potest, nunquam esse puram pœnam, sed aliquid indecentiæ, vel mysticæ significationis, in ea semper considerari. Propter quod eius dispensatio, generaliter loquendo, summo Põtifici reseruata est, c.1. de sentent. excomm. in 6. vbi etiã significatur multò difficilius tolli irregularitatẽ, quàm suspensionẽ: quod etiam habetur in c.1. de sent. & re iudicat. in 6. & expresse in *c. cùm illorum.* de sent. excommu. maior cẽsetur dispensatio ab irregularitate, quàm absolutio ab excommunicatione, etiam maiori, & contracta propter clerici percusionẽ. Secundò, quia irregularitas non tollitur per absolutionem, sed per dispensationem; quæ duo sunt valde diuersa, vt dicemus, traditque Burgasius de irregularitate 6. p. tit. de Schismaticis, n. 19. & tit. de sortilegiis, n. 11.

XLIV. At verò Gutierrez suprà indicat, hoc verum esse in foro exteriori: quia irregularitas etiam pœnalis, de qua agimus, licet proueniat (inquit) ex censura, habet quiddã plus in foro exteriori delendũ, nempe impedimentum, quo ligatus est clericus in eodẽ foro, vt celebrare non possit, quod non tollitur absolutione, sed dispensatione, & habilitatione: Ecclesia autem in foro exteriori nunquam introduxit formam absoluendi ab irregularitate, sed dispensandi: in foro autẽ interiori talis irregularitas tollitur quibuscunque verbis, siue absoluendi, siue dispensandi. Vnde sentit, quod licèt indultum expresse concedat potestatem confessori ad absoluendum ab omni censura, & pœna in foro interno, & externo, facta satisfactione: nihilominus non posset tollere irregularitatem in foro exteriori, sed tantùm in interiori, quia in illo non datur absolutio irregularitatis, sed in hoc tantùm.

XLV. Nullo autem iure, aut ratione probat hanc distinctionẽ Gutierres, nec ego video quomodo fundari possit: si enim Ecclesia nõ introduxit formam absoluendi, sed dispensandi tantùm irregularitatẽ in foro exteriori, peto vbi illam introduxerit in foro interiori. nam si illam nõ introduxit, etiam pro illo foro, non possunt confessores sua auctoritate illam introducere, vt per se constat: at Ecclesia non magis pro vno foro, quàm pro alio illam introduxit, aut certè ostendatur vbi locorum: nulla enim lex scripta de hoc ostendi potest: nec consuetudo, quia hæc ad factum pertinet, & ostendi non potest: præsertim cũ grauiores auctores dicant id esse contra consuetudinem, & stylum Curiæ. Neque etiam dici potest, per hoc indultum illam formam introductam esse: nam de hoc disputamus, & ita supponitur quod probandum est. Maximè quia hæc indulta non introducunt formam, sed supponunt, & dant potestatem ad vtendum illa: ergo si ante talia indulta non erat in Ecclesia introducta absolutio, sed dispensatio irregularitatis in quocunque foro, certe per illa non fuit introducta, sed facultas per illa data est accommodata verbo *absoluendi.* Præterquam quòd si hoc admittitur quoad forum internum, eadem ratione esset admittendum quoad externum, quando indulta expresse extenderent concessionem suam ad forum externum. Accedit quòd forma, siue absoluendi, siue dispensandi, quantum ad substantialia verba, vt sic dicam, non potest esse diuersa in interno & externo foro, tum quia ad eũdem substantialem effectum ordinatur: tum etiam, quia in secreto foro assumitur ex vsu Ecclesiæ in exteriori foro, quia non est multiplex Ecclesiæ institutio, nec aliunde sumi potest. Aliud etiam in ea responsione, quæ ex Medina sumpta est, mihi displicet; quia totam differentiam inter absolutionem, & dispensationem ponit in verbo absoluendi, ac dispensandi, cùm tamen differentia non in vocibus, sed in re ipsa ponenda sit, alioqui non multum referret diuersitas vocis, si res esset eadem, & per vtramque vocem significaretur absolutio autem, & dispensatio non voce tantum, sed re ipsa differunt, vt disp. 1. de cens. sect 3. n. 6. notaui, & infra in nu. 48. attingam, & hoc modo cadit in irregularitatem dispensatio, non absolutio, ideoque non comprehenditur sub potestate absoluendi: in quo autem illa differentia posita sit, explicabitur in sequenti puncto.

XLVI. Restat ergo declarandum quid addatur in illo indulto, *pœnarum* nomine vltra censuras. Non enim possumus de quacunque pœna illud intelligere, alias posset etiam suspensio, vel depositio per illam facultatem absolui: nec etiam potest coarctari ad solas illas pœnas, quæ impediunt absolutionem à peccatis, vt Nauarrus suprà sentire videtur, quia nulla pœna præter excommunicationem, aut interdictum personale illam impedit. Dicendum ergo censeo, illo verbo comprehendi pœnas Ecclesiasticas, quæ ex vi sententiæ, per quam imponuntur, non habent positiuam perpetuitatem, aut definitã durationem, sed pendent semper ex arbitrio iudicis, nam hoc arbitrium committitur confessori per hanc clausulam, & in huiusmodi pœnas cadit propria absolutio, absque vlla dispensatione propriè dicta. Hoc non inuenio sub his verbis, nec sub alia generali regula explicatum ab auctoribus, sed solũ vtuntur exemplis, & fatentur quasdam pœnas posse tolli, & non alias, rationem tamen differentiæ nõ assignant. Primum ergo quòd pœna debeat esse Ecclesiastica, in ipso indulto expresse declaratur: vt autem aliqua pœna Ecclesiastica sit, duo videntur necessaria. Primum vt sit pœna aliquo modo spiritualis, & non mere temporalis, aut corporalis. Et hac ratione pœna pecuniaria non comprehenditur sub hac clausula, vt Nauarr. aperte sentit, & Henriquez ex illo, & Soto expressius declarat. Idem ergo existimo de quacunque pœna, quam reus non debet voluntarie suscipere, sed pati: nam talis pœna nec Ecclesiastica est propriè, cùm à quolibet iudice imponi possit; nec ab illa potest reus absolui, nisi tollendo à iudice potestatem, & ius, quod habet ad puniendum illum, quod per hoc priuilegium non conceditur. Deinde necessarium est ad Ecclesiasticam pœnam, vt per Canonem, vel iudicem Ecclesiasticum sit imposita. Vnde, si quis promisit ieiunare, v. g. si hoc, vel illud ageret, & postea pœnam incurrat, non poterit absolui à tali pœna, ex vi huius clausulæ, quia licet illa pœna sit spiritualis, non est ab Ecclesia illata, sed ex voto, & ideo ad aliam clausulam, commutatio eius spectat; licet oppositũ sentiat Nauarrus suprà sine probatione. Contra quem etiam facit, quod votum pœnale non absoluitur propriè, sed dispensatur, commutatur, vel irritatur: illud autem est propriè pœnale votum. Per Ecclesiasticum autem iudicem intelligimus prælatum, siue per legem, siue per sententiam pœnam imponat.

Secunda opinio vtrius per pœnam intelligi imprimis Ecclesiasticam.

1. Conditio pœna Ecclesiastica.

2 Conditio.

XLVII. Dubitari autem potest, an includatur etiã confessor. Nam partem affirmantem tenet etiam Nauarrus suprà, & videtur probabilis, quia ille etiam est Ecclesiasticus iudex. In contrarium autem est, quia sequeretur posse pœnitentem per hanc clausulam absolui ab omnibus pœnitentiis sacramentalibus, à prioribus confessoribus impositis, quod fieri non potest, vt constat ex materia de sacramento Pœnitentiæ. Sequela verò patet, tum quia illa est quædam pœna Ecclesiastica à paritate rationis: tũ etiam, quia confessor nõ potest aliam pœnam propriam imponere, nisi sacramentaliter: nam si aliquid aliud præcipit faciendum, vel omittendum in

An confessarius sit iudex Ecclesiasticus.

re medium peccati, illud non est pœna, sed medicina, quia nō est ad vindicanda præterita peccata, sed ad præcauenda futura. Vnde, si necessitas durat, nō potest tolli à sequenti confessore, propter quodcūque priuilegium, quia esset irrationabile: si verò necessitas cessauit, poterit tolli non tam absolutione, quam interpretatione, quod non propriè est tollere: sed declarare obligationem cessasse: quia cessante adæquato fine obligationis legis, cessat lex. Qui discursus videtur mihi efficaciter probare, hāc absolutionem à pœna non posse habere locū in pœnis impositis à confessario vt sic: quod addo, quia si cōfessarius simul esset prælatus, posset vt talis aliquid præcipere, sed non ex notitia confessionis inuito pœnitente, de quo alias. Igitur pœna Ecclesiastica propriè est illa, quæ per Ecclesiasticas leges, aut prælatos Ecclesiæ extra confessionem imponitur, & aliquo modo spiritualis est, ac voluntariè exercenda seu seruanda ex conscientiæ obligatione.

Confessarius per hoc priuilegium non tollit pœnas alias positas.

XLVIII. *Intelligitur deinde talis pœna quando sit perpetua simpliciter.*

Vltra hoc autem, diximus necessarium esse ad effectum huius clausulæ, vt talis pœna non sit perpetua positiuè, id est, nō tantū indefinitè lata sine præfixione termini, quæ solet vocari perpetua negatiuè, sed excludēdo omnem remissionem, seu finem. Et hoc modo probatur inductione in depositione, aut degradatione reali, aut verbali, quam nullus dixit posse per hanc clausulam tolli; cuius ratio non potest aliūde sumi, quàm ex perpetuitate. Idem ergo erit de omni pœna sic perpetua. Et ob hanc causam existimo non comprehendi etiam irregularitatem, quia est pœna positiuè perpetua. Ratio etiam reddi potest, quia pœna perpetua non potest tolli nisi interueniat dispensatio, & ideo vbi comprehēditur sola absolutio, non includitur talis pœna. Antecedens explicatur: nam in hoc differt absolutio à dispensatione, quia per absolutionem non derogatur communi, & ordinario iuri, sed potiùs exercetur actus debitus secundùm ius, quando subiectum est dispositum: per dispensationem autem derogatur communi iuri aliquo modo, quatenus particularis persona eximitur ab ordinaria regula iuris. Et hinc est, vt absolutio ab excommunicatione, quantumuis reseruata, non habeat dispensationem adiunctam, si iusta sit. Vnde cum conceditur facultas ad absoluendum à tali censura, non conceditur actus, qui secundùm se sit præter ius, sed solùm delegatur iurisdictio ad exercendum actum consentaneum iuri communi ei, qui illam non habebat. At verò irregularitas nunquam tollitur nisi ex parte infringēdo illud ius, quod illam vt perpetuam imponit, ideoque nunquam sine dispensatione tollitur, & ideo existimo dictum esse in iure, plus esse tollere irregularitatem, quàm canonis excommunicationem. Vnde etiam sequitur alia differentia inter absolutionem, & dispensationem, quòd absolutio non requirit specialem causam, sed solū quod ex parte personæ absoluendæ sit dispositio, seu non repugnantia, & in alio sit potestas: dispensatio verò præter potestatem, requirit causam, vel vt validè fiat, vt in votis etiam pœnalibus, vel saltem vt licitè, vt in irregularitatibus, & aliis, quæ sunt de iure humano. Quia ergo nulla pœna perpetua secundū ius ordinarium auferri potest, ideo in ea non habet locum mera absolutio, sed dispēsatio necessaria est, ac proinde non comprehenditur sub potestate, quę ad absoluendum tantum datur, & non ad dispensandum.

XLIX. *Imò nec intelligitur pœna temporaria certi termini.*

Ex quo infero, idem censendum esse de quacunque pœna in vindictam delicti præcise ac definitiuè, vt sic dicam, impositia, siue per legem, siue per sentētiam hominis, etiamsi non sit perpetua, si sit ad certum terminum ita præfixum, vt immutari nō possit secundùm ordinarium ius quantumuis reus sit emendatus, vt est inhabilitas, vel priuatio, aut suspensio ab officio ad certum tempus, vel prohibitio, v.g. ab ingressu Ecclesiæ, similiter ad præfixum terminum, & similes, de quibus diximus suprà non esse propriè censuras, quod etiam fatetur Nauarrus dict. n. 254. vult tamen additionem huius particulæ, *& pœnis*, quæ in huiusmodi indultis fit, propter has pœnas fieri: tamen consequenter loquendo, videtur esse eadem ratio de his pœnis, quæ de perpetuis: quia sicut perpetuæ tunc præcisè imponuntur pro semper, vt sine dispensatione Principis auferri non possint, quia repugnat ordinario iuri; ita hæ pœnæ præcisè imponuntur pro tanto tempore, & ideo quòd pro illo cessent, repugnat legi, & consequenter fieri non potest sine dispensatione: ergo etiam hæ pœnæ non sunt absolubiles, vt sic dicā, sed dispensabiles: ergo eadem ratione non comprehēduntur sub hac clausula. Et confirmatur congruenti ratione, nam postquam delictum est definitiuè iudicatum, ac punitum, & res transiit, vt sic dicam, in rem iudicatam, non est verisimile velle Pontificē dare facultatem ad immutādam pœnam, quia hoc multum derogaret rigori iustitiæ, & disciplinæ Ecclesiasticæ, maximè cùm illa pœna talis sit, vt iam non pendeat ex dispositione, aut conuersione pœnitentis, sed præcisè propter peccatum præteritum sustineatur, & ideo iam non pertineat ad absolutionem, vel conuersionem pœnitentis, propter quā maximè videtur hæc facultas concedi.

L. *Explicatio dictæ quæ per illa pœnas.*

Quæ ergo pœnæ per illa verba adduntur vltra censuras? videmur enim excluisse omnes, quæ cogitari possunt, quæque à Nauarro, & Henriquez numeratæ sunt, & quæ sumi possunt ex glossa in c. *ad reprimendam*. de offic. ordin. verb. *in canonibus*. Respōdetur consequenter ad dicta, comprehēdi omnem pœnam Ecclesiasticam, quæ sine dispensatione per propriam absolutionem ab auctore legis, vel à iudice, qui illam imposuit, auferri potest: non nullæ enim pœnæ huiusmodi sunt, etiamsi nō sint propriæ censuræ, & propter illas additum fuit in indulto verbum illud, *& à pœnis Ecclesiasticis*. Sunt autem huiusmodi illæ pœnæ, quæ non sunt medicinales, sed vindicatiuæ, & ideo non sunt censuræ, & tamēnec perpetuæ sunt, nec ad tempus præfixum imponuntur, sed vel indefinitè ad arbitrium imponentis, vel licet assignetur terminus, semper est cum subordinatione ad iudicium superioris, vt si persona id meruerit, possit antea personam absoluere à tali pœna. In huiusmodi enim pœnis non est necessaria dispensatio, sed iure ordinario tolli possunt ad prudēs arbitrium iudicis nec requirūt aliam causam, præter bonam dispositionem pœnitētis. Has ergo pœnas intelligo comprehensas sub hoc verbo, vt est suspensio ad arbitrium sedis, prohibitio à communione per annum, v.g. nisi superior iudicet personā ita esse dispositam, vt remitti possit pars temporis, & similes. Hanc autem sententiam sic explicatam probo, tum à sufficienti enumeratione: non enim possumus dicere per illa verba nihil addi, sed solùm poni ad maiorem explicationem: quia potius confunderent, & obscuriorem redderent facultatem, si nihil adderent: nullus autem alius modus explicādi hoc additum probabilior, aut æquè probabilis apparet: hic autem sufficienter rem declarat, & optimè etiam consonat cum verbo absoluendi, nam materia circa quam debet esse proportionata actui, & potestati: ergo.

Explicatio pro sententia.

De clausula alia priuilegii pro commutandis votis & petendo debito.

LI. *Remissio ad alia.*

Supererat explicanda alia clausula, quæ huic facultati adiungitur in prædicta Bulla de commutatione votorum, quæ confessariis Societatis conceditur. Sed de hac facultate nihil speciale occurrit,

Bar. manuale ad lib. 6. dec.

occurrit, præter ea, quæ suprà in materia de voto generaliter dicta sunt. Solùm oportet obseruare, illam facultatem expresse fuisse extẽsam ad vota iurata, dummodo commutatio in alterius præiudicium non cedat, per Greg. XIII. in Bulla, *Ad perpetuã rei memoriam*. anni 1575. Præter hanc verò per communicationem cum aliis religionibus, possunt cõfessores Societatis vti facultate Benedictinis concessa à Mart. V. ad dispensandum eis votis non reseruatis Papæ, iuxta modum eis præscriptum in nostro Compendio, verb. *Dispensatio*. §. 10. De qua facultate videnda etiam sunt dicta in genere in materia de voto. Præter hæc sunt duæ aliæ facultates, quæ in Societate concedi possunt confessoribus ad dispensandũ in impedimento petendi debitum cõtracto per illicitam copulam habitam post factum matrimonium cum consanguinea coniugis, vel etiã ortum ex voto simplici castitatis, vt habetur in eodem Compendio §. 8. & 9. vbi consideranda sunt, & obseruanda quę pro vsu harum facultatum notantur. Cætera autem, quæ desiderari possent ex generali materia de dispensatione petenda sunt.

CAPVT III.

Quid possint, & debeant religiosi Societatis præstare in sacramenti Eucharistiæ administratione.

DE hoc ministerio specialem addidit facultatem idem Paulus III. in eadem Bulla, in qua postquam concesit facultatem suprà lib. 8. c. 3. à. num. 6. explicatam dicendi Missas ante lucem, vel post meridiem, subdit, *Et post, seu ante illarum celebrationem, aut aliàs Christi fidelibus ipsis Eucharistiæ, & alia Ecclesiastica sacramenta sine alicuius præiudicio ministrandi, diœcesanorum locorum, Rectorum parochialium, & aliarum Ecclesiarum, aut quorumlibet aliorum minimè requisita.* Circa quam facultatem duo à nobis breuiter explicanda sunt, scilicet potestas per illam concessa, & vsus eius.

I. *Ministratio Eucharistiæ egei potestate.*

Circa priorem partem supponendum est, in hoc sacramento locum habere quod suprà initio cap. 2. generatim diximus, neminem posse illud licitè ministrare fidelibus, nisi ad hoc habeat iurisdictionẽ ordinariam, vel delegatam, seu licentiam alicuius ordinarij pastoris: quia præbere hoc sacramentum fidelibus, est vnus ex potissimis actibus pascendi illos, & ideo per se pertinet ad pastores, nec potest licitè ab aliquo, propria auctoritate vsurpari, vt latius dixi in 3. to. 3. p. disp. 72. sect. 2. Cùm ergo presbyteri Societatis iurisdictionem ordinariam nõ habeant, indiguerunt hac facultate ad hoc ministerium præstandum.

Id ostenditur.

II. *Dictam potestatem valet Pontifex immediate dare.*

Deinde suppono posse Pontificem cõcedere hanc facultatem independenter ab inferioribus prælatis, seu pastoribus. Hoc certissimum est, ac de fide, & constat ex suprema Pontificis potestate prorsus independente ab omnibus inferioribus. Item ex dictis supra c. 1. n. 2. & latius in materia de Pœnitentia disp. 26. de facultate audiendi confessiones, quæ difficilior videri poterat, quia maiorẽ iurisdictionem requirit. Denique id constat ex facto, nam expresse Paulus III. hanc concedit facultatem in dictis verbis, & iterum in alia Bulla, *Paulus Episcopus*, anni 1549. vbi quoad aliqua magis illam explicat, dicens, *Nec non omnibus, & singulis Christi fidelibus, tam forensibus, quàm in ciuitatibus, & locis, in quibus socij prædicti consistunt, commorantibus, aut illac transeuntibus, Eucharistiæ sacramentum (quod in suis Ecclesiis tenere decenter socios præfatos volumus) quocunque anni tempore, præterquam in festo Paschatis resurrectionis Dominicæ, & mortis articulo, nisi necessitas vrgeret, eorundem fidelium, parochialium Ecclesiarum Rectorum licentia minimè requisita, accipere libere, & licitè valeant.* Et similia priuilegia fuerunt antea Mendicantibus concessa, scilicet Minoribus à Nicolao V. vt habetur in libro Monumenta ordinum, concessione 249. & in supplemento, concessione 159. Idem Sixtus IV. in eodem Monumenta, concessione 160. Quibus priuilegiis etiam gaudet Societas per viam communicationis. Quare non est dubium quin nostris religiosis hoc liceat, nulla requisita inferiorum pastorum facultate.

Imo de facto dicit.

III. *Obiectio adducitur.*

Obiici verò potest prohibitio sub censura facta à Clemente V. in Clem. *Religiosi*. de priuileg. qua prohibet omnibus religiosis, sacramentum Eucharistiæ ministrare sine licentia speciali parochorum, & concludit, *nullo religiosis eiusdem super hoc exemptionis, vel alio priuilegio suffragante.* Respondeo, de hac Clementina dubitari posse, an reuocet priuilegia prius de hoc lata, vel potiùs supponat (quod forte probabilius est) nulla circa hoc fuisse antea concessa, quod paulò inferiùs examinabimus. De priuilegiis autẽ postea concessis certum est, non posse per illam Clementinam reuocari, nec impediri, cum par in parem non habeat imperium, & posterior voluntas semper efficacior sit: constat autem, omnia priuilegia, quæ citauimus, esse posteriora. Dices, in eis non reuocari expresse dictam Clementinam, quod necessarium esset. Respondetur in primis, in huiusmodi indultis semper adiungi reuocationem sufficientem. Deinde quãdo reuocatio fit in actu exercito, vt sic dicam, dando contrariam facultatem, non esse necessariam reuocationem in actu signato. Denique cùm in illa Clementina dicatur, *sine licentia parochialis presbyteri*, à fortiori intelligitur sine licentia Episcopi, vt infrà dicam, & multò magis sine licentia Papæ, & ita impletur conditio in ea postulata.

Replicatur, & mouetur tripliciter.

IV. *Arguitur ità contra hoc priuilegium quod dat facultatem sine alicuius præiudicio.*

Tertiò circa illa verba, *sine alicuius præiudicio*, inquiri potest, quid per illa significetur, aut quæ limitatio, vel exceptio illa sit. Et ratio dubitandi est, quia ministrando Eucharistiã alicui, nemini potest fieri iniuria nisi tantùm parocho, aut prælato illius, ad quem spectat ius administrandi illam: sed hæc iniuria cessat ratione aliorum verborum, *Quorumlibet licentia minimè requisita*: ergo vel illa verba nihil operantur, vel repugnant his vltimis. Responderi potest primò, illa verba non esse addita, propter Eucharistiam, sed propter alia sacramenta, de quibus ibi etiam generatim mentio fit: sed quomodo hoc in aliis locum habeat, infrà ca. seq. videbimus. Secundò ergo dicitur, illa verba fortasse addita esse, quia per hanc facultatem non tollitur ius Prælatorum, quod habent ad prohibẽdum subdito propter iustas causas, ne communicet; id enim facere possunt, non solum per censuram excommunicationis, aut interdicti (quod est certum in his, qui talem iurisdictionem habent (sed etiam per simplicem prohibitionem in pœnam alicuius delicti, vel propter aliam iustam causam. Tunc ergo in præiudicium superiorum esset, si contra huiusmodi prohibitionem alicui Eucharistia daretur, & maximè si ei persuaderetur, licitum sibi esse à nostris sacerdotibus Eucharistiam accipere, non obstante sui prælati prohibitione. Hac ergo de causa dici potuit, sine præiudicio alterius, scilicet habentis iurisdictionem in eum, cui administranda est Eucharistia, vt benè argumentum probat, non verò propter solam iurisdictionem administrandi, in hac enim nõ potest fieri præiudicium, vt rectè etiam probatum est, sed propter ius prohibendi talem vsum ex iusta causa. Vnde fit, si prohibitio superioris sit omninò iniusta, licitũ esse, illa non obstante, ministrare, quia tunc non fit ei præiudicium. oportet tamen vt iniustitia sit euidens, nam in dubio pro superiore præsumitur.

mitur. Sequitur etiam si proprius parochus, vel Episcopus prohibeat subdito non quidem communionem simpliciter, sed ne illam à nostris sacerdotibus recipiat, talem prohibitionem nihil obstare huic facultati, quia illa supposita, præceptum est iniustum, & directè repugnans priuilegio Pontificis, & ideo nullum est præiudicium talis superioris, etiamsi contra huiusmodi prohibitionem eius agatur. Alio item modo potest intelligi præiudicium tertij excludi per illam particulam quoad circumstantias talis actus, vt, v. g. quoad circumstantiam loci, quia ex vi huius facultatis non potest religiosus Societatis ministrare Eucharistiã in aliena Ecclesia contra voluntatem Rectoris eius, nam hoc cederet in præiudicium eius. Item quoad circumstantiam temporis, vt v.g. si eo tẽpore daretur, quo parochiani tenentur vel in suis Ecclesiis adesse, vel Eucharistiam à propriis pastoribus accipere.

V. Et quidem verisimile est, propter hanc vltimam causam præcipuè positam esse illam limitationem: & ideo fortasse in altera Bulla, quam citaui, idem Paulus III, omissa illa exceptione de præiudicio tertij, addit alteram de die Paschatis, & de articulo mortis: nam quia his temporibus obligat præceptũ Eucharistiæ diuinum, vel Ecclesiasticum, & ad pastores ordinarios animarum pertinet cura ouium, præcipuè quoad obseruationem præceptorum, ideo pro illis duobus temporibus censentur habere speciale ius, fieriq; illis præiudicium, si absque eorũ facultate, vel consensu Eucharistia ministretur: nõ quòd si vellet Pontifex, non posset, cùm possit sibi illam curam reseruare, & cui voluerit committere, sed quòd multum per hoc derogaret iuri propriorũ pastorum, & ideo non faciat, nec fieri expediat. Vnde etiã in antiquis priuilegiis similis exceptio ferè semper posita est, & existimo, quamuis non fuisset expressa, subintelligendam semper fuisse, ita vt in clausula generali non comprehendantur illi duo casus, nisi in specie eor cedantur, vt in citato loco 3. tomi dixi. Et ideo quamuis Iulius II. cõcesserit Minimis, (vt habetur in eorum supplemento, concessione 143. & in nostro, verb. *Eucharistia*, §. 4.) vt possint ministrare in suis Ecclesiis; ac ministrari facere sacramentum Eucharistiæ quibuscunque personis quoties opus fuerit: nihilominus non existimo ibi esse comprehensam communionem Paschalem, seu annuam, quia casus adeò specialis non comprehenditur in generali clausula.

VI. *An ob aliud priuilegium cessit præiudicium dando Eucharistiam in pascha.* Dubitari autem potest, an ex aliquo alio priuilegio, in quo expresse hoc concedatur nostris religiosis, vel aliis Mendicantibus per communicationem liceat. Et ratio dubij est, quia tale priuilegium concessum est (vt refert Emmanuel Rodericus quæst. 56. art. 3.) in specialem fauorem monasterij ordinis S. Hieronymi S. Mariæ de Guadalupe, ex compendio priuilegiorum ordinis S. Hieronymi, §. 2. & 6. Et addit prædictus auctor, quòd licèt hoc priuilegium in principio fuerit speciale illius loci propter insignem religionem, & deuotionem eius, postea per concessionem Pij IV. & Pij V. extensum esse ad totum illum ordinem per generalem clausulam, quia omnia similia singularia priuilegia cuicunque monasterio specialiter concessa, omnibus aliis monasteriis communicantur, etiamsi in eis propria, & peculiaris ratio, quæ mouit ad primam concessionem, nõ inueniatur. Vnde vlterius infert per viam communicationis posse omnes religiones Mendicantes gaudere eodem priuilegio, sicut gaudent omnibus aliis religioni S. Hieronymi concessis. Hæc tamen tam ampla extensio nullibi (quod ego sciam) est vsu recepta, nec facilè posset introduci sine scandalo pastorum Ecclesiæ: & ideo (quidquid sit de ipsius rei probabilitate) non consulerem vsum talis priuilegij, imò admonerem fideles communicantes in die Paschatis in Ecclesiis religiosorum sine licentia parochorum, vt timerent censuras à diœcesanis latas in eos, qui suis parochiis non satisfecerunt. Imò etiam monerent religiosos introducentes talem vsum, vt timerent excommunicationem dictæ Clementinæ *Religiosi*, de priuilegiis, quia non censeo illam doctrinam adeò probabilem, & securam, vt liceat illa in praxi vti, tum quia illa tam ampla extensio per duplicem communicationem, & in re odiosa contra ius parochorum, & parum fructuosa fidelibus videtur profectò aliena ab intentione Pontificum, atque talem esse, vt sub generali clausula nunquam sit comprehendenda propter specialem rei difficultatem. Tum etiam, quia hinc ortum est, vt etiam post concessionem Pij IV. & Pij V. nunquam Mendicantes, vel alij religiosi ausi fuerint tali vti priuilegio. Imò dubito, an reliqua monasteria eiusdem Ordinis S. Hieronymi illo vtantur, nisi pro suis familiaribus, vel aliis ita sibi coniunctis, vt difficile possint obligari ad communicandum in parochia fortasse distante. Tum denique, quia priuilegium illud datum videtur non tam in fauorem monasterij, vel religionis vt sic, quàm peregrinantium ad illam Ecclesiam B. Virginis: vnde verisimile est non comprehendi sub illa generali ampliatione, imò eo ipso quòd transferatur priuilegium ad aliam domum, videtur cessare fundamentum eius. Ob has ergo fortasse causas, vel saltem ad tollendas occasiones offensionũ, nulla in priuilegiis Societatis, seu Compendio eorum facta est mentio huius ampliationis, imò regula 27. nostrorum sacerdotum præcipit vt moneantur pœnitẽtes de communicatione in sua parochia tempore Paschæ.

Iudicium authoris.

VII. Occurrebat autem statim declarandum, quomodo intelligenda sit hæc exceptio diei Paschatis: sed quia de hac re latè dixi in citato loco 3. tomi, ea hic repetere non erit necesse. Solum hic addo (quod ibi consulto prætermisi) expositionem ibi datam de die Paschæ, id est, de communione Paschali, esse consentaneam declarationi nostrarum Constit. p. 7. cap. 4. §. 5. vbi dicitur, *Pascha intelliguntur octo dies ante, & totidem post ipsum festum*: quod dictum est, quia secundùm communiorem Ecclesiæ consuetudinem intra omnes illos dies impleri potest Ecclesiasticum præceptum communicandi intra annum. Vnde vbi consuetudo plures dies complecteretur ad implendum præceptum, omnes illi nomine Paschæ comprehenderentur. Et ideo additur in eadem declaratione, posse ad communionẽ admitti in nostris Ecclesiis illos, qui cum iam suis parochiis satisfecerint, vellent iterum, aut ẽpius illis quindecim diebus communicare. Quod rectè & iuxta mentem Pontificum mihi dictum videtur, vt dicto loco probaui, & sequutus est Emmanuel Rodericus suprà, ita etiam mecum intelligens similem exceptionem positam in priuilegiis suæ religionis, etiamsi festum Resurrectionis expresse nominent; quamuis alij vocem illam aliter interpretati fuerint.

VIII. Quæri vlterius potest, in quibus casibus liceat religioso Societatis communionem Paschalem dare fidelibus, non obstante hac exceptione. Respondeo breuiter, ex vi prædicti indulti nunquam licere, nisi necessitate vrgente, nam hæc limitatio his verbis ibidem additur: censebitur autem necessitas vrgere tunc solùm quando persona est impotens ad communicandum in sua parochia, vel ad petendam facultatem à suo parocho, tunc enim in ordine ad occasionem implendi præceptum, est vera necessitas, & non concurrentibus illis duabus circunstantiis, nulla esse potest. Tenebitur autem in eo casu fidelis satisfacere postea suo parocho: & similiter parochus, si de necessitate, & de commu-

mone

hione susceptа ei satis constiterit, non poterit subditum cogere ad communicandum iterum. Hinc verò inferunt aliqui, posse dari communionem Paschalem omnibus iter agentibus, in nostris Ecclesiis, absque alicuius parochi facultate: quia occurrit dicta necessitas. Sed hoc *ex vi huius priuilegij* incertum mihi est. Et inprimis distinguendum est de vagabundis, & de iter agentibus: nam de prioribus certum existimo non posse *ex vi huius priuilegij* communionem Paschalem accipere in nostris Ecclesiis: quia tenentur implere præceptum in ea parochia, in qua eo tempore inueniuntur, nam ibi sunt verè subditi, & non habent alium certum parochum, vel pastorem: vnde ibi censentur habere domicilium eo modo, quo illius sunt capaces.

Id tamen non procedit quoad vagabundos.

IX. *In peregrinis etiam non videtur dari casus necessitatis.*

De peregrinis autem non est res adeò certa, quia habent suum firmum domicilium, in quo propriũ parochum habent, cui satisfacere postea tenentur, si occasione itineris alibi communicent. Et ideo de illis probabile est quòd in eo casu possint communionem accipere ab omnibus, qui priuilegium habent illam administrandi aliis temporibus, quia ratione excusationis illud tempus tanquam liberũ reputatur. Addi etiam potest, tunc etiam intercedere voluntatem præsumptam parochi, quia eius nihil interest quod in alia parochia, vel in regulari Ecclesia subditus communicet, dummodo sufficientem fidem afferat suę communionis. Vnde maximè fauet prius priuilegium Pauli III. in quo priuilegium hoc concedit pro omni casu, in quo non interuenit præiudicium tertij; nam in prædicto euentu nullum præiudicium parochorum interuenit, nec fit contra eorum ius, aut rationabilem voluntatem.

X. *Probabilius tamen eos æquiparari vagabundis.*

Sed licèt hæc probabilia sint, nihilominus obstare potest, quòd peregrini reputantur tanquam incolæ illius loci, in quo Paschali tempore inueniuntur, & ideo iure ordinario tenentur parocho illius loci, in quo existit ipsorum hospitium in quo habitant, confiteri, & ab eo communicari: quod constat ex his quæ in 4. tom. dixi de proprio sacerdote. Vnde cùm Eugenius IV. (refertur in lib. Monumenta ordinum, concessione 8. & in supplemento, concessione 315.) declarauerit, peregrinantes tempore Paschali reputari incolas illius loci, in quo inueniuntur, ideoque posse confiteri, & communicare in Ecclesiis talium locorum: nihilominus Collector priuilegiorum Mendicantium verb. *Communicare.* §. 2. adiunxit, id intelligendum esse de Ecclesiis parochialibus talium locorum, additque sine licentia parochi talis loci, non licere religiosis hos peregrinos communicare. Vnde in hoc deficiunt priores in num. præced. rationes de tempore libero, & voluntate præsumpta, quia solùm considerant ius alterius parochi stabilis, seu firmi, vt sic dicam, & non illius, qui pro tunc habet iurisdictionem, respectu cuius vsurpare ministerium non esset sine præiudicio. Quapropter hanc partem non solùm securiorem, sed etiam in rigore veriorem existimo. Dixi autem, *quantum est ex vi huius priuilegij*, quia si intercedat tacitus, seu interpretatiuus consensus parochi loci, quem facilè potest iudicare consuetudo, quia regulariter hi parochi non multum curant de peregrinis; tunc ex alio capite posset hoc licere, scilicet quia interuenit sufficiens licentia parochi loci, & tunc procedunt optimè coniecturæ factæ de altero parocho proprietario. Item id dictum est ad excludendam quæstionem de aliis priuilegiis, quæ suprà in numero 6. tacta est.

XI. *An dari queat Eucharistia ægrotantibus.*

Circa alteram exceptionem de communione in articulo mortis, interrogari potest inprimis, quæ communio sub hac exceptione comprehendatur: nam potest quis sæpius communicare in infirmitate, vel in mortis periculo, vel etiam per modum viatici (iuxta probabilem opinionem:) debent igitur intelligi exceptæ omnes hæ communiones, vel cur potius vna, quàm alia? Respondeo inprimis, non esse prohibitum ex hoc capite communicare infirmum in lecto iacentem, quando deuotionis causa, & non propter mortis periculum communicat. Probatur, quia in exceptione solùm dicitur, in mortis articulo. Dico autem, *ex hoc capite*, quia ex circumstantia loci videri potest hoc non esse cõcessum, quia communio non fit in Ecclesia, sed in propria domo. Veruntamen neque hoc etiam impedit, quia in nulla ex prædictis Bullis limitatur hæc facultas ad communionem quæ fit in Ecclesia Societatis, vel alia. Et ratio est, quia hoc ministerium per dictum priuilegium conceditur religiosis certo loco non addictis, ac proinde personarum, non loci priuilegium censetur. nam licet in secunda Bulla interponantur illa verba, *Quod* (scilicet Eucharistiæ sacramentum) *in suis Ecclesijs decenter teneri faciant fratres præfatos volumus* non sunt interposita ad limitandam facultatem, sed potiùs ad concedendum obiter Societati nouum fauorẽm, vt intellectum est in Compendio nostrorum priuilegiorum, verb. *Eucharistia.* §. 1. vel ad laudandam, & probandam Societatis consuetudinem, propter quam, (vt ibidem dicitur) libenter populi ad confitendum sociis, & sacratissimam communionem de manibus eorum accipiendam confluunt: quia ergo administratio huius sacramenti ordinariè à nobis fit in nostris Ecclesiis ex formulis præconsecratis, & decenter seruatis, ideo illius vsus facta est mentio, non quia ad illum coarctetur priuilegium. Vnde in priori Bulla ait idem Pontifex, *Et post, seu ante Missarum celebrationẽ, aut aliàs Christi fidelibus Eucharistiam ministrare.* Vbi aduerbium *aliàs*, amplissimum est, & extendit facultatem ad omnem modũ decenter ministrandi hoc sacramentum: nullum ergo locum per se excludit. Denique antiqua priuilegia concessa etiam Mendicantibus Nicolai V. & Sixti IV. & Leonis X. eadem facultas conceditur sine limitatione ad proprias Ecclesias, vel ad aliquod templum. Ex quibus obiter intelliget ur non posse Societatem indulgere externis sacerdotibus, vt in sua Ecclẽsia Eucharistiã ministrent fidelibus, repugnante eorum pastore, cùm priuilegium sit religiosorum non loci, vt dictum est.

charistia ægrotantibus.

XII. *An liceat nostris deferre Eucharistiam ad ægrotum per plateas?*

Dices: Ergo licebit religioso ex vi huius facultatis deferre publicè per vias, & plateas Eucharistiæ sacramentum ad ægrotos, quando non propter necessitatem, sed propter deuotionem communicant. Respondeo negando sequelam, quia illud est contra communem consuetudinem, quæ satis declarat illum modum administrationis pertinere ad proprium ius parochorum, ideoque illud ministerium optimè comprehendi sub illa exceptione, *sine alicuius præiudicio*. Ratio autem esse potest, vel quia ille modus regulariter non est in vsu, nisi ad implendum diuinum præceptum; leges autem, & iura attendunt quæ regulariter, seu frequenter accidunt: vel quia tunc ministerium fit cum speciali solennitate publica, ad quam debent concurrere alij fideles, vt decenter fiat, & fit per loca, quæ in ordine ad hunc vsum subsunt iurisdictioni Episcoporum, & ideo non comprehenditur illud ministerium sub generali concessione, sed requiritur specialis facultas vel Episcopi, vel parochi. Potest autem aliter ministrari sacramentum ægroto, priuatim faciendo sacrum in proprio oratorio ad hoc approbato, vel in alio loco eiusdem domus de licentia Ordinarij: vnde quoad hoc semper hoc ministerium pendet ab Ordinario; obtenta tamen facultate ad faciendum sacrum

in loco accommodato, non erit necessaria specialis licentia ad dandam Eucharistiam, sed ex vi priuilegij licebit.

XIII. Secundò idem dicendum censeo, etiamsi ægrotus sit in periculo mortis, quoties non communicat ad præceptum diuinum implendum, sed ex abundantiori deuotione, atque ita fit, vt sola illa cõmunio, per quam impletur præceptum in articulo mortis, excepta censeatur. Pro quo est aduertendũ, præceptum illud vno actu expleri intra tempus illius periculi facto, quia nihil aliud præcipit nisi viaticum sumere in illo articulo, quod satis fit per vnum actum. Deinde, cùm tempus illud habeat latitudinem interdum plurium dierum, & præceptum sit affirmatiuum, non obligat pro singulis momentis, vel diebus illius temporis, sed determinatio illius potest esse arbitraria. Quamdiu ergo status infirmitatis, & periculi nondum peruenit ad talem statum, vt statim, & pro eodem die obliget ad commnnicandum, si ægrotus velit communionem recipere deuotionis gratia absque animo implendi præceptum, & cum proposito postulandi alio die viaticum à parocho, si periculum creuerit, & obligatio magis vrgere visa fuerit; tunc licitum est religiosis, ex vi huius priuilegij ministrare illi sacramentum, quia ille nondum dici potest articulus mortis: manebit tamen integra obligatio diuini præcepti pro illo articulo, seu periculo, quãdo ad illud peruentum fuerit. Simili modo si ægrotus iam communicauit tempore apto ad implendum diuinum præceptum, & cum intentione implendi illud, quamuis postea, perseuerante eodẽ periculo, per plures dies Eucharistia ex deuotione accipiatur, poterit à religioso ministrari iterum atque iterum. Nec refert quòd ille videatur esse articulus mortis, est enim quasi materialiter, non quia communio fiat ad satisfaciendum obligationi illius articuli, sicut aliàs de communione Paschali cũ proportione dicebamus, indicauimusque suprà in num. 7.

XIV. *Discutiuntur varij casus de periculo mortis. De suscipientibus bellum vel longam nauigationẽ*

Vlterius interrogari potest, an articulus, & periculum mortis idem sint, ita vt hæc exceptio ad periculum mortis extendenda sit. Vnde oriuntur dubitationes aliquæ, scilicet, an is, qui communicat eo quòd nauigationem longam, & periculosam inchoaturus sit, vel quia actuale bellum est ingressurus, si in similibus casibus, possit à nostris ex vi huius priuilegij, communicari, vel debeat ad parochũ remitti. Sed de primo dubio dictum est in 4. tomo, tractando de absolutione in articulo mortis, vbi dixi quæ pro articulo mortis conceduntur, ad periculum extendi. Quæ quidem regula in fauoribus certa est: hæc autem exceptio, de qua agimus, potius est fauoris limitatio, & ideo ad vocis proprietatem, & rigorem videri potest restringenda. Nihilominus tamen, si applicetur principium prius positum, de obseruatione diuini præcepti, nihil etiam oportebit inter illa duo in præsenti distinguere, sed inspiciendum est, an tale sit periculum mortis, vt ratione illius, obliget diuinum præceptum ad communicandum, & tunc generalis regula est, quoties communio est suscipienda, ad implendam hanc obligationem prouenientem ex mortis instantia, siue hæc tam proxima sit, & tam certa, vt vocetur articulus mortis, siue sit magis distans & dubia, ideoque periculum appelletur, talem communionem sub hac exceptione comprehendi, quia in re ipsa, ac moraliter loquendo, ille est articulus mortis, etiamsi vulgaris modus loquendi fortasse alius sit, & quia formalis ratio huius exceptionis non est propinquitas, vel distantia mortis, sed obligatio diuini præcepti, cuius obseruantia pertinet maximè ad curam, & solicitudinem pastoris, & ideo illi peculiariter reseruatur. Quocirca in illis casibus propositis concedendum est, recurrendum esse ad parochos, & non esse communionem ab aliis sumendam sine eorum licentia. Idemque censeo de muliere prægnante, & proxima partui, si reuera timet simile periculum. Aut si fortasse in huiusmodi casibus hoc nõ est in vsu, & sine scrupulo accipitur, & datur Eucharistia à religiosis, ideo est, quia non existimatur tantùm esse periculi, vt inducat obligationem, & ita communio magis fit ex deuotione, quàm ex necessitate, vel certè bona fide proceditur, quia non cogitatur de tali obligatione, neque hæc exceptio ad illos casus applicatur, quia non est facile omnibus id considerare, & aduertere: vel denique illa bona fides fundari potest in præsumpta voluntate parochorum, quibus potius gratũ est hoc ministerium, quando eorum contemptus, vel aliud præiudicium non ineft. *De priuilegio Patrũ.*

XV. *Quamuis priuilegium non sufficiat ad obligationem per se grauem inducendam, potest tamen ad illam iuuare.*

Tandem inquiri potest quid significatum sit à Põtifice per limitationem additam huic exceptioni, scilicet, *nisi necessitas vrgeret*. Et ratio dubij est, quia si hoc intelligatur de necessitate extrema, non erat necessaria exceptio, & ita ex vi illius nihil conceditur per hoc priuilegium: si verò sermo sit de minori necessitate, vt priuilegium aliquid conferat, difficile erit gradum necessitatis præscribere, aut designare. Respondeo breuiter, intelligendum hoc esse de necessitate graui, ad quam duo requiruntur. Vnum est, vt proximus sit in probabili periculo mortis, neque est necessarium vt sit iam desperatus, sed sufficit probabilis coniectura. Neque in hac parte erit difficile iudicium ferre: nam si periculum non iudicetur tale, vt sufficiat ad obligationem diuini præcepti, tunc facilius licebit communionem dare virtute huius priuilegij, quia iam non erit communio in articulo mortis. Si verò periculum iudicetur sufficiens ad prædictam obligationem inducendam, tunc etiam sufficiet ad prædictam limitationem, quantum est ex hoc capite necessitatis proximi. Secundò verò necessarium est vt parochus absit, vel non possit, aut nolit Eucharistiam indigenti dare, nam tunc proximus constituitur in vera necessitate. Ad difficultatem autem respondeo, non omnes concedere, posse religiosum, secluso priuilegio, Eucharistiam dare ob solam necessitatem, quia non putant illud esse sacramentum tantæ necessitatis, & licet eorum sententia falsa sit, vt notaui dicto 3. tomo, disp. 72. sect. 2. viderique potest Enriquez lib. 8. de Eucharist. cap. 55. §. primo. A. nihilominus ad tollendam omnem dubitationem vtile fuit, hoc in priuilegio declarare. Hæc autem omnia quæ diximus, procedunt generaliter de administratione huius sacramenti circa externos: quid verò dicendum sit de familiaribus Societatis, adnotabimus cap. seq. & hæc de potestate huius ministerij Societati concessa. *Enriquez.*

XVI. *Priuilegium expedit.*

Circa vsum verò huius potestatis, de quo in principio huius capitis dicere proposui, duo tractari possunt, scil. quid expediat, & quid fiat. De priori parte videri possunt quæ de frequenti vsu Eucharistiæ dixi in tom. 3. 3. part. disput. 69. sect. 4. nam ex doctrina ibi data constat multum expedire liberaliter vti hac facultate à Pontificibus concessa, ita vt vel ipsa commoditas, & opportunitas inuitet fideles saltem ad eum vsum Eucharistiæ, quem Augustinus epistol. 118. & nomine eius liber de Ecclesiasticis dogmatibus, c. 53. suadet, scilicet, vt saltem singulis hebdomadibus fiat. Quod consilium aliis etiam Patribus consentaneum est, vt videre licet in Chrysostomo homil. 28. in 1. ad Cor. 5. & in 1. ad Timoth. Bonauent. tom. 2. Opuscul. de Procell. religi. cap. 21. vltimi processus, & aliis, quos loco citato adduxi. In præsenti verò addo nostros sacerdotes, speciali regula 26. teneri, vt *sicut pium est fideles ad fre-*

ad frequenter communicandum hortari, ita monere illos debere, ne crebrius quàm oct. uno quoque die communicent, præsertim si coniuges fuerint. De altera verò parte, quia ad factum pertinet, nihil nos dicere oportet, sed aliorum considerationi relinquere. Testatur autem Paulus III. in 2. indulto citato, se intellexisse populos ciuitatum, terrarum, & locorum, apud quæ habitationem socij habent, vel vbi eosdem versari, aut transire contingit, exemplo allectos, & inductos religiosæ vitæ, quam Domino concedente, ducunt, libenter ad confitendum eisdem, & sacratissimam communionem de manibus eorum accipiendam confluere, quam populorum deuotionem hactenus conseruari, & hac occasione, frequentiam huius Sacramenti per diuinam gratiam multum in Ecclesia renouatam esse, omnibus notum est.

Et de facto datur.

CAPVT IV.

Quid circa aliorum sacramentorum administrationem possint religiosi Societatis.

I. RAtio difficultatis est, quia in verbis citatis initio superioris capitis ex primo indulto Pauli III. eodem tenore dicitur, *Christi fidelibus Eucharistiam, & alia Ecclesiastica sacramenta sine alicuius præiudicio administrandi.* Videtur ergo ita licitum esse nostris sacerdotibus cætera sacramenta liberè ministrare, sicut Eucharistiam. In contrarium autem est, quia hoc neque vsu receptum est, neque ad finem Societatis est necessarium, neque ad pacem & vnionem cum ordinariis pastoribus animarum, vel ad conuenientem regimen earum expediens est talis facultas: non est ergo verisimile in eo sensu esse concessam.

II. Ad hoc breuiter dicendum est, nostris religiosis, per se loquendo, non licere cætera Sacramenta fidelibus administrare, sed solùm in aliquibus casibus, & occurrentibus quibusdam circumstantiis. Prior pars præter probationem adductam, quæ videtur sufficiens, colligi etiam potest ex illa limitatione Pontificis *sine alicuius præiudicio*: nam aliorum sacramentorum administratio, per se loquendo, vsurpari non potest sine præiudicio parochorum, aut Episcoporum, absque illorum facultate. Quod explicabitur melius descendendo ad singula sacramenta, simulque altera pars conclusionis ostendetur. De tribus ergo Sacramentis tantum potest esse sermo, Baptismo, extrema vnctione, Matrimonio; nam de Pœnitentia, & Eucharistia iam dictum est: Confirmatio autem & Ordo non sunt sacramenta pertinentia ad sacerdotes vt sic, sed ad Episcopos; hæc autem facultas conceditur sacerdotibus. Et licet in aliquo casu, vel aliqua administratio possit per summum Pontificem committi sacerdoti simplici, id tamen nunquam fit per generalem clausulam, sed per priuilegium valde speciale, nec conceditur quasi ordinaria delegatione, sed valde extraordinaria, & ex causa multum vrgente: & ideo certum est, hic non esse sermonem de illis Sacramentis. Quid autem in hoc genere concessum sit Societati, dicam in fine huius capitis.

Circa Baptismum ministrandum enucleatur resolutio data num. præcedenti.

III. *1. Pronuntiatum.* De Baptismo igitur certum est, non licere nostris sacerdotibus illum solenniter ministrare fidelibus ordinariè, & in his regionibus, in quibus singuli fideles habent ordinarios pastores, ad quos ex officio pertinet talis sacramenti administratio. Hoc indubitatum est apud omnes, quia iure commun hoc prohibitum est, cap. *placuit.* 2. 16. quæst. 1. vbi Eugenius Papa prohibet monacho baptizare; & licet dici possit, appellatione monachorum non venire clericos regulares, iuxta doctrinam receptam apud Nauarrum Comment. 4. de Regularib. num. 40. & 41. nihilominus omnes intelligunt sub ea prohibitione comprehendi vniuersos religiosos, quibus cura animarum commissa non est; quod glossa ibi dixit, *Non habentibus populum*, quia vt ratio prohibitionis non fundatur in speciali conditione monachatus, sed in generali statu religiosi, appellatione *monachi* omnes religiosi veniunt, vt notauit idem Nauarrus consil. 10. de statu monach. ex Panormitano cap. 2. de postulando. Hoc autem commune ius speciali aliquo priuilegio nobis concesso, derogatum non est, nec credendum est per illa generalia verba derogari propter ea, quæ ponderauimus in num. 1. arguendo pro parte negatiua, & quia priuilegium quatenus iuri contrarium, stricte est interpretandum, & non est ad id extendendum, si alio modo potest habere effectum: hic autem potest, vt explicabimus.

IV. *Baptismus extra casum necessitatis solenniter ministrandus.* Atque hinc colligitur, extra casum necessitatis, nullo modo licere nostris religiosis virtute huius priuilegij, Baptismum ministrare. Probatur, quia absque necessitate non est Baptismus ministrandus nisi solenniter, vt tomo 3. disp. 31. sect. 5. ad finem dixi, sed solenniter non potest ministrari, vt ostensum est: ergo. Item, quia extra necessitatem solus parochus habet ius baptizandi; & priuilegium nihil concedit contra hoc ius, iuxta verbum illud, *sine præiudicio tertij.* Sicut enim suprà dicebamus ius ministrandi Eucharistiam tempore necessitatis diuini, aut Ecclesiastici præcepti, esse adeò proprium pastoralis muneris, vt contra illud noluerit Ecclesia priuilegia concedere: ita maiori ratione iudicandum est de iure baptizandi, quia Baptismus multò magis necessarius est ex diuino iure, & quia per illū admittuntur homines in gremium Ecclesiæ, quod maximè pertinet ad illius pastores. Vnde tandem concluditur, nihil speciale concessum esse Societati, quoad ministerium huius sacramēti, saltem pro his regionibus, in quibus Ecclesia satis fundata est; quia licèt in necessitate possint religiosi Societatis baptizare sine solennitate, hoc non est priuilegium, sed commune ius. Et ideo in Compendio Societatis, verb. *Sacramenta*, adnotatum est, id posse nostros quoad hoc in necessitate, quod ius commune habet. Quamuis in tali articulo fortasse præferendus esset minister Societatis, ratione priuilegij, vt statim circa Extremam vnctionem explicabo num. 9. ib. fine.

V. *2. Pronuntiatum.* Deinde, si Societati, vel aliquibus operariis eius, populi aliqui commissi sint, tunc baptizare poterūt etiam cum solennitate, non ex priuilegio, sed ex iure communi, ca. *doctos.* 16. q. 1. nam ratione muneris commissi necessariò conuenit talis facultas. Atque hoc modo possunt nostri sacerdotes, qui in terris Gentilium versantur, eis Baptismum ministrare: quia eo ipso quòd ad prædicandum gentibus, vel aliis infidelibus mittuntur, eis committitur vt ad Ecclesiam recipiant qui ingredi voluerint, eisque demandatur tota cura illarum animarum. Præterquā quòd etiam ibi concurrit titulus necessitatis, quia non sunt alij ministri, à quibus gentes illæ baptizentur. Vnde etiam ibi habere potest locum priuilegium Pauli III. quia talis Baptismus *sine alicuius præiudicio* datur, cùm ibi proprij pastores animarum non inueniantur, præter summum Pontificem, cuius proximi delegati sunt nostri prædicatores. Inter nostros autem oportebit subordinationē seruari, non enim omnibus hæc cura æque tributa est, sed inferio-

inferioribus per superiores: & ita vnusquisque tantum habebit potestatis, quantum ei fuerit à superiore commissum.

VI. *Limitatur præcedens pronuntiatũ*

Hæc autem locum habent quamdiu in illis regionibus non sunt fundatæ Ecclesiæ, in quibus sint proprij Episcopi, vel parochi, nam tunc cessat necessitas, quia eis ministerium incumbit, & iam intercedit præiudicium tertij sine facultate pastoris, illius ministeriũ vsurpando. Cessat denique quoad hanc partem delegatio facta; nam intelligenda est solùm fieri quamdiu ordinarij pastores deficiunt. Atque eodem modo intelligenda esse opinor priuilegia, quæ à Leone X. Paulo III. & IV. referuntur concessa nonnullis religiosis mendicantibus, vt inter Indos, & infideles possint baptizare eos, qui ad fidem conuertuntur: semper enim tale priuilegium sine præiudicio tertij, & sine confusione, & perturbatione Ecclesiastici ordinis intelligenda sunt: & ideo pro illis locis dantur, quæ carent propriis pastoribus, & parochis distinctis ab ipsis religiosis: ideoque vbi Ecclesiæ sunt fundatæ, & iurisdictiones sunt distinctæ, & populi propriis parochis commissi sunt, non possunt religiosi ex vi talium priuilegiorum, baptizare solenniter etiam in suis Ecclesiis, sine licentia parochorum, neque etiam priuatim, nisi in articulo necessitatis. Quod etiam ex fine talium priuilegiorum intelligi potest; ordinantur enim ad conuenientem fidei plantationem, & propagationem in illis regionibus: ad hunc autem finẽ non est necessarium, nec conueniens vt vsurpẽt ius parochorum, quãdo illis iam cura commissa est. Et ideo Pius V. anno Domini 1567. quasi interpretans priora indulta, solum cõcessit religiosis, vt possint baptizare in locis illarum regionum, ipsorum curæ commissis, vel committendis: ergo in his, quæ aliorum curæ commissa sunt, se intromittere non debent. Quod ipsa etiam ratio naturalis postulat: nam vbi populi illi sunt inter religiosos diuersorum ordinum distributi, iurgia inter eos excitarentur, si vnus vellet baptizare in populo alteri commisso, & singuli volunt ius suum seruari: debent ergo etiam ipsi aliorum iura seruare, siue alij religiosi sint, siue seculares clerici.

Referuntur à Roderico q. 31. a. 2.

VII. *3 Pronuntiatum.*

Hæc autem maximè locum habent quoad Baptismum paruulorũ, qui ex fidelibus iam baptizatis oriuntur: nam si parentes habent aliquem proprium parochum, ad illum sine dubio spectat baptizare filios eorum; & procedunt omnia, quæ diximus num. præced. De his autem, qui denuo conuertuntur ad fidem, & adulti baptizantur, vel paruuli ex voluntate parentum infidelium, aut simul ad Baptismũ venientium, potest esse diuersa ratio: quia illi non sunt de Ecclesiã, & ita nondum subsunt iurisdictioni parochorum: ergo adhuc circa illos durat Pontificia facultas per priuilegia concessa. Item in illis etiam durat ratio, & finis illius facultatis, scilicet, vt fides possit propagari: imò & verba ipsa proprie verificantur, quia omnes hi reuera sunt denuò cõuersi ad fidem; & ad hos baptizandos dantur hæc priuilegia. Est igitur hoc mihi valde probabile. Vt tamen clarius, & certius loquamur, distinguere possumus inter huiusmodi infideles: nam quidam esse possunt incolæ eorundem locorum, vel diœcesum, quæ propriis parochis, vel Episcopis subsunt. Voco autem incolas non solùm eos, qui ibi domicilium habent, sed etiam omnes, qui ibi ad tempus cõmorantur, vel peregrinantur, & ibi ad fidẽ conuertuntur, siue ad hunc finem illuc peruenerint, siue quacunque alia ex causa: alij verò sunt omninò extranei, qui extra totam diœcesim commorantur. De his ergo posterioribus mihi non est dubium quin possint baptizari à nostris religiosis, inconsultis Episcopis, vel parochis earum regionum. Vt, v. g. si religiosi habitantes in Episcopatu Mexicano, inde egrediantur, vt per alias insulas, vel prouincias infidelium discurrant, ibi baptizare poterunt quos cõuerterint, quia illi non sunt aliorum curæ commissi, & ideo baptizari possunt sine alterius præiudicio: non enim fit iniuria Episcopo vnius loci, baptizando extra territorium eius, argumento illius regulæ iuris: *quod extra territorium ius dicenti non paretur impune*, c. 2. de const. in 6.

Hoc pronuntiatum vbi maximè locum habeat.

De prioribus verò infidelib. res videtur esse dubia; securius tamen existimo in hoc parere Episcopo diœcesis: nam ille habet ius in totum illud territorium, eique est commissa cura omnium animarum ibi existentium, siue vt nutriantur in fide, siue etiã vt generentur, seu ad fidem conuertantur. Quãuis enim Ecclesia non habeat iurisdictionem coërciuam, seu coactiuam in infideles non baptizatos, habet tamen iurisdictionem, vt sic dicam, voluntariã, & curam pastoralem quæ in summo Pontifice est respectu totius orbis, & in singulis Episcopis pro suis diœcesibus. Et ideo sicut ius administrandi alia sacramenta fidelibus, in tali diœcesi pertinet ad Episcopum eius: ita ministrare Baptismum infidelibus in eadem diœcesi sub eodem iure per se, ac ordinariè continetur. Contra hoc autem ius non est data religiosis facultas administrandi sacramentũ Baptismi, nullibi enim inuenitur, & generalia verba non sufficiunt, vt sæpe dixi. Consulenda sunt tamen alia indulta, & priuilegia Apostolica, si qua fortasse sunt à Sede Apostolica aliis religionibus concessa: nam illis poterit etiam vti Societas ad arbitrium Præpositi Generalis.

VIII. *Præcedens pronuntiatum limitatur.*

Circa Extremam vnctionem enucleatur dicta resolutionum 2.

De sacramento Extremæ vnctionis certũ est, per se loquendo, non posse à nostris religiosis ministrari ex vi dicti priuilegij Pauli III. neq; alterius, quod specialiter Societati concessum sit, nullum enim aliud reperietur, & illa verba generalia dicti indulti Pauli III. non sufficiunt propter illa omnia, quę adduximus c. 3. n. 3. quæ hic meritò applicari possunt. Nam hic etiam extat ius generalis Concilij prohibentis religiosis hoc ministerium sub censura excommunicationis in Clement. 1. de priuil. quod nõ derogatur, nisi per expressam, vel specialem clausulam. Hic etiam facit illa particula, *sine alicuius præiudicio*, quòd in huius sacramenti administratione etiam interueniret. Dixi autem, *ex vi dictorum priuilegiorum*, quia aliud est ratione necessitatis: si enim grotus indigeat, & in vero periculo sit constitutus, & parochus non adsit, aut nolit hoc sacramentum ministrare, poterit à nostris conferri sine illius licentia, & sepluso scandalo: illud tamen non est illis solis concessum, sed cuilibet simplici sacerdoti, vt in materia de Extrema vnctione dixi disp. 36. sect. 2. quia licet hoc sacramentum non sit absolutè necessitatis, est tamen magnæ vtilitatis, & aliquando potest esse valde necessarium, ideoque ex voluntate interpretatiua superiorum prælatorum, in eo casu legitimè confertur à quocunque sacerdote idoneo. Et ob eandem causam censui in materia de Excommunicatione, illam Clementinam non extendi ad hunc casum: quia non est verisimile, Concilium voluisse, vt religiosi non subuenirent proximis extremè indigentibus, sed vt iura parochorum non vsurparent: tunc autem non vsurpant, quia ipsi irrationabiliter essent inuiti. Ob eandem rursus causam pro eo euentu locum habet priuilegium Pauli III. quia iam non interuenit præiudicium tertij, quod saltem ad hoc deseruiet, vt sine vllo scrupulo, & contentione opinionum (non enim deest in præd icto puncto) hoc fieri possit. Conferre etiam potest vt nullus possit nostros in eo casu impedire ab huiusmodi

IX. *Addita tria non sunt data priuilegia.*

Tribus tantũ casibus conuenit posse hoc sacramentum ministrare.

Imo, & priuilegium illi latum habet.

iusmodi ministerio. Videtur etiam ratione huius priuilegij præferendus religiosus Societatis in eo casu cuilibet simplici sacerdoti, qui ius, aut facultatem non habeat ad ministrandum illud sacramentum, quia ille non potest vsurpare hoc ministerium nisi præcise ratione necessitatis: tunc autem respectu illius nulla est necessitas, quia adest minister delegatus à summo Pontifice pro tali casu.

X. *Excipiuntur familiares nostri quos possumus vngere.*

Potest præterea Societas ministrare hoc sacramentum non solùm suis religiosis, quod clarum est, sed etiam familiaribus suis, ac domesticis famulis. Hoc concessit Paulus III in secundo indulto suprà citato his verbis, *Iis verò, qui in ipsorum Præpositorum, & sociorum morantur obsequio cuncta liberè possint ministrare Ecclesiastica sacramenta, & ipsos cum decedunt, in eorum cœmeterijs sepelire.* Vbi licet in specie non loquatur de Extrema vnctione, sine dubio illam comprehendit, tum quia illa distributio, *cuncta*, propter illam maximè addita videtur: tum quia concedendo sepulturam, declarat se comprehendisse omnia sacramenta, quæ ad illam præparant. Tum præterea, quia aliàs nihil speciale concederet pro his familiaribus: nam qua ratione non comprehenderet. Extremam vnctionem, eadem non includeret viaticum. Tum denique, quia hic non est addita aliqua exceptio, neq; illa limitatio, *sine præiudicio tertij*: quia supponitur in his familiaribus propter specialem coniunctionem ad Societatem esse peculiarem rationem, ob quam nullum sit præiudicium parochis administrando eis sacramenta, maximè propria parochorum, quia quodammodo illi sunt sub cura Societatis. Præter hanc verò concessionem Leo X. concessit Minimis vt possint hoc sacramẽtum ministrare familiaribus suis in habitu seculari seruiẽtibus, vt in eorum Compendio refertur v. 57. & in nostro, verb. *Familiares.* §. 2. & §. 1. refertur similis concessio Martini V. facta monachis S. Benedicti ex Compendio Minorum, verb. *Familiares.* §. 10. quibus priuilegijs Societas per viam communicationis gaudet.

XI. *Vt familiares nostri dicantur duæ conditiones requiruntur*

Inquiri autem hic potest, qui sint *familiarium* nomine in præsenti intelligendi; alias enim amplas habet significationes, vt n. 14. attingam. Et est ratio dubij: nam in Concilio Tridentino sess. 24. c. 11. de Reformatione, vbi de his priuilegiis tractat, declarat, solùm extendi ad eos, *qui actu seruiunt religiosis, & intra eorum septa, ac domos resident, subque eorum obedientia viuunt.* Vnde duas conditiones in his requirit, vt ad hunc effectum censeantur familiares: vna est vt intra septa, ac domos religionum habitent: altera est, vt actu seruiant, & sub obedientia religionis viuant; hanc enim vnam esse existimo: non enim necesse est vt familiares promiserint obedientiam religiosam, nam hi non familiares, sed conuersi essent: dicuntur ergo esse sub obediẽtia, quia ratione muneris seruiendi consequens est, vt obedire debeant. Dubitari autem potest, an hæ duæ conditiones cõiunctim requirantur vt particula *&* à Concilio posita in rigore postulare videtur, vel diuisim quælibet dictarum conditionum per se sufficiat: quia indultum Pauli III. solùm requirit vt in obsequio Societatis quispiam moretur, id est; occupetur: sufficit ergo conditio seruitutis sine habitatione: multi enim actu seruire possunt domibus Societatis quamuis non intra eas, sed in propriis habitent. Et in priuilegio monachorum S. Benedicti, expressè dicitur, *Tam intra, quàm extra septa commorantibus.*

XII. 1. *Assertum in proximo dubio.*

Circa hoc in primis dicendum est, stando decreto Concilij Tridentini, vtramque conditionem esse necessariam, vt ex contextu manifestè constat. Illud autem decretum hodie non obstat, quominus si in priuilegiis plus conceditur, possit Societas illis vti, quia Pius V. declarauit vt gratiæ huiusmodi non censeantur derogatæ per Concilium Tridentinum, nec restrictæ. ita refert absolutè, & sine limitatione Emmanuel Rodericus quæst. 56. art. 14. Tamen in nostro Compendio, verb. *Concilium Tridentinum*, §. 3. in scholio additur, hanc confirmationem seu reualidationem Pij V. intelligendam esse quoad casus occultos, seu non manifestos, quia pro huiusmodi tantùm fieri solent huiusmodi concessiones, viuæ vocis oraculo. Ego videre non potui originalem literam, in qua illud oraculum continetur: tamen si in ea non additur limitatio, sed absolute fit concessio, vt mendicantes possint vti gratiis antea sibi concessis, etiam quoad illas, quæ per Concilium Tridentinum sunt derogatæ, aut restrictæ, prout reuera videtur concessisse: ita enim in nostro Compendio, & à dicto auctore refertur; non dubito, quin quantum ad præsens attinet, illa priuilegia integra sint, etiam quoad illa ministeria, quæ non occultè, sed publicè fiunt, vt sunt ministerium Extremæ vnctionis, vel Eucharistiæ in articulo mortis, vel etiam sepulturæ. Quia verò concessio Pij V. non est absoluta, sed solum in foro conscientiæ, seu occulto, ideo si parochi vellent sibi vendicare aliquod ius circa huiusmodi personas, & in exteriori foro illud postularent, non posset eis resisti virtute priuilegiorum, nisi quatenus per Concilium Tridẽtinum non sunt restricta: quamdiu autem ipsi non resistunt, tuta conscientia possumus vti priuilegiis iuxta concessionem Pij V.

XIII. 2. *Assertum.*

Addo verò vlteriùs in præsenti puncto non esse necessariam concessionem Pij V. saltem in nostra Societate, considerato solo priuilegio, quod habet à Paulo III. & vsu, quem circa illud obseruat, quidquid sit de concessione potestatis. Hoc constat ex Compendio priuilegiorum, verb. *Familiares.* §. 1. vbi in scholio additur, *Familiaribus Extrema vnctio poterit administrari, atque adeo iis solis, qui in domibus, Collegijs, residentijs, & aliis locis Societatis habitauerint: extra septa verò cum illis perinde ac cum aliis agatur.* Duæ igitur conditiones positæ à Concilio Tridentino à nostra Societate quoad vsum huius facultatis acceptãtur. Nam prior, quæ est de habitatione intra septa monasterij expresse in prædictis verbis postulatur, quæ non continent solam priuatam declarationem, sed etiam applicationem facultatis, quæ à Præposito Generali fit, iuxta potestatem à Sede Apostolica sibi concessam. Estque illa conditio valde consentanea rationi, tum quia non expedit religiosos extra suas domos exire ad ministranda publicè sacramenta Eucharistiæ, vel Extremę vnctionis infirmis, in priuatis eorum domibus, cum in illis locis facile possit hoc ministerium per parochos fieri, & iure debeat. Tum etiam, quia hoc vtile est ad pacem, & vnionem cum eis conseruandam, & ad tollendum omne scandalum, cumque quoad hanc partem facilè possit Concilium Tridentinum obseruari sine vllo grauamine, vel dispendio religionis. imò cum eius commoditate, consultius profectò est illud obseruare Imò hac ratione verisimile est, nõ fuisse mentem Pij V. quoad hanc partem aliquid concedere contra decretum Concilij, quia ipse solùm intendit conseruare eas gratias religionis, quæ verè cedunt in fauorem eius, & exterius non possunt pastores Ecclesiæ perturbare; ideo enim addidit illam restrictionem, *in foro conscientiæ*: hæc autem gratia quoad hunc vsum nihil ad fauorem religionis pertinet, & aliquam perturbationem exterius afferre potest.

Ostenditur quoad primam conditionem habitandi intra septa.

Pius V. non videtur derogasse hanc conditioni.

XIV. *Idem ostenditur quoad 2. conditionem actualis seruitutis.*

Alia verò conditio de actuali seruitute à Paulo III. in nostro indulto postulatur, per illa verba, *Qui in sociorum morantur obsequijs*: idem enim est morari in obsequijs, quod actu seruire. Eandemque in rigore postulat nomen *familiarium*, quotiescunque in Apostolicis indultis talis gratia pro familiaribus conceditur. Ad quę indulta, & multa alia priuilegia intelli-

Vox familiaris varia in iure, & Doctor.

intelligenda necessarium esset exponere ; quid nomine familiaris, in iure significetur. Quod tractant ex professo Doctores in c. *in literis*. de Testib. c. vlt. de verbor. signif. in 6. & Speculator in summa, tit. de reste, & Franciscus Penna in Directorio inquisitorum, comment. 119. qui dicit, nulla lege in iure communi præscribi quinam sub ea appellatione comprehendantur. Felinus autem dict. c. *in literis*. n. 1. dicit, cùm familiaris à familia diriuetur, sicut familia multipliciter dicitur, ita & familiare. Familia autē interdum significat gentem, vel cognationem, vel seruos, vel filios, vel totam congregationem vnius domus. Nihilominus tamen frequentiori vsu familiares dicuntur, respectu alicuius qui illi aliquo modo inseruiunt, & commensales sunt, ita vt expēsis eius alantur, & cum illo regulariter cohabitant. ita colligitur ex dicto c. vlt. de verb. signific. in 6. ibi, *in tuis expensis continuo domestici commensales.* Vbi glossa aduertit illud *continue*, ciuili modo esse intelligendum, quia non obstat quominus aliquando possit abesse, non solùm pro negotiis domini, vt statim in textu declaratur, sed etiam pro negotiis propriis, vt rectè glossa declarat. Quæ etiam addit (quod ad intelligentiam Concilij Tridentini notandum est) quòd licet ægrotet, actu seruire intelligitur, iuxta l. *cum hæres.* §. *Stichus.* ff. de statu lib. Non est autem simpliciter necessarium , vt aliquis familiaris censeatur, quòd propter stipendium vel mercedem inseruiat; nam licet gratis id faciat, familiaris censetur, vt cum Ioanne Andrea docuit Felinus suprà; fauetque Concilium Tridentinum sess. 14. c. 5. de Reformatione, vbi priuilegium literarum cōseruatoriarum ad duos familiares limitat, & addit, *Si tamen illi proprius sumptibus eius vixerint:* significans non esse hoc de ratione familiaris, quamuis illa conditio augeat quodammodo, ac commendet familiarium cōiunctionem: in rigore autem satis est quòd inseruiant, seu in obsequiis alicuius morentur. Et hoc modo loquitur sæpè de familiaribus Episcoporum Concilium Trident. sess. 23. c. 9. de Reform. sess. 25. c. 1. de Reform. vbi familiares à consanguineis distinguit, indicans, dici à familia, vt significat domum , nō vt de cognatione, seu genere dici solet. Nec dubium est quin in præsenti hoc modo sumatur, & respectu religionis non potest alia familiæ acceptio accōmodari. Ex quo inferri videtur, etiam requiri in his familiaribus quòd intra septa monasteriorum habitent, nam in illa significatione familia propria non dicitur vna , nisi quæ vnam & communem habet habitationem. Vnde Felinus suprà dicit, quemcunque familiarem appellari etiam domesticum, iuxta iura ciuilia, quæ citat: domesticus autem propriè non dicitur nisi qui in eadem domo habitat : ergo non immeritò hæc conditio postulatur ad vsum prædictæ facultatis circa familiares.

Actu seruit quispiam licet non semper seruiat, vel seruiat gratis.

XV.

3. Assertum ex Si priuilegia alterutrā conditionem sufficere.

Nihilominus tamen affero tertiò, quod licet hic vsus, & valde prudens, & tutior sit: nihilominus, in rigore priuilegiorum non requirit vtramque conditionem. Nā in primis ex vi nostri priuilegij Pauli III. & alterius similis concessi Minoribus I. Monumenta ordinum concessione 315. non requiritur nisi *vt in obsequiis religionis morentur*, quod potest esse fine habitatione intra septa monasterij , vt per se constat. Deinde, etiam nomen familiarium in rigore id non postulat, vt ex communi vsu constat, nam de familia Episcopi dicuntur famuli , etiamsi non habitent intra domum eius, hoc enim accidentarium est. Denique in priuilegio Martini V. concesso Benedictinis expresse dicitur, *intra, & extra septa suorum monasteriorum commorantium*, vt refertur in Compendio Minorum, tit. *Familiares.* §. 10. & in nostro , §. 1. vnde vel nō omnes familiares sunt domestici, vel latius sumenda est appellatio Domestici, non à domo materialiter sumpta , sed formaliter, vt dicit congregationem domesticam , seu familiarem œconomicam.

XVI.

De altera verò conditione habitationis in eadē domo, quod interdum per se sola sufficiat, colligi potest ex concessione facta Benedictinis, quę sub his verbis refertur in nostro Compendio, verb. *Extrema vnctio. Possunt nostri ius, qui intra septa collegiorum seu domorum infirmati fuerint , Extremam vnctionem Apostolica auctoritate liberè & licitè parochialis presbyteri, vel alterius cuiuscunque Episcopi, vel superioris licentia , vel assensu nullatenus requisito ministrare.* Quæ concessio videtur distincta ab alia superius citata, nam hæc habetur in Compendio Benedictino verb. *Vnctio extrema.* §. 1. illa autem in verb. *Familiares.* §. 10. At verò in hac nulla familiaritatis, obsequij, aut seruitij mentio fit, sed solùm postulatur vt intra monasterium aliquis ægrotet, quod potest contingere, vel occasione hospitij, vel si contingat aliquos sæculares, intra monasterium , vel Collegium studij causa, vel per aliam similem occasionem diutius cōmorari. Quod olim consuetum esse, ex regulis Basilij, & Benedicti constat. Nostræ etiam constitutiones permittunt aliquando in nostris Collegiis huiusmodi iuuenes educari p. 4. c. 3. §. 3. in Declar. lit. B. & cap. 9. lit. A. Pro huiusmodi ergo casibus vtilissimum erit hoc priuilegium hoc modo intellectum , & dum aliud in contrarium non occurrit, is videtur legitimus sensus eius, imò in hoc sensu videtur pro Societate admissum, & applicatum in dicto Compendio, verb. *Extrema vnctio.*

XVII.

Ad ministrandā Vnctionem non requiritur approbatio ordin.

Vltimò circa facultatem hāc ministrandi sacramēta familiaribus, vel secularibus in domibus nostris commorantibus, dubitari potest, à quibus religiosis possit hæc ministratio fieri, id est, an ab omnibus sacerdotibus simplicibus etiamsi ab Episcopis approbati non sint, vel indigeāt huiusmodi approbatione. Sed hoc nullam ferè dubitationē apud me habet. Primò enim de sacramentis Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis generaliter censeo , nullam approbationem necessariam esse ad illa ministranda. Quod de Eucharistia ostendi in 3. tom. 3. p. disp. 72. sect. 2. & rationes ibi factæ idem probant de Extrema vnctione: quia Concilium Tridentinum, vbi de illa approbatione agit, solùm ad cōfessiones audiendas illam requirit, sess. 23. c. 15. de Reformat. Vbi verò agit de ministro Extremæ vnctionis, solum dicit esse aut Episcopos, aut sacerdotes ab ipsis ritè ordinatos per impositionē manus presbyterij sess. 14. c. 3. & can. 4. de Extrema vnctione. Ergo ex decretis Concilij specialis approbatio non est necessaria: neque etiam ex alio iure, quod ostendi possit, nam ad sacramenta ministranda ex communi iure tam diuino, quā Ecclesiastico, sufficit potestas ordinis, quæ in præsenti est in omnibus sacerdotibus, & iurisdictionis , quæ quoad illa duo sacramenta per prædicta priuilegia à nostro Generali applicata sufficienter nostris sacerdotibus delegatur.

XVIII.

Requiritur tamen pro confessionibus audiendis.

Pro sacramento autem cōfessionis, necessariam existimo approbationem Episcopi ad vsum horum priuilegiorum circa familiares, quamuis nonnulli moderni dubitare videātur: Probatur autem, quia Concilium dicto c. 15. hanc approbationē requirit in omnibus regularibus, vt audire possint confessiones secularium : hi autem familiares, seu domestici habitatores, seculares sunt : ergo comprehenduntur sub dicto decreto. Cui existimandum non est derogatum esse per concessionem Pij V. qua cōfirmauit priuilegia mendicantiū, etiam in his, quæ per Concilium Tridentinum restricta videbantur. Nam decretum illud de approbatione confessorum non est per se ad restringendum hoc priuilegiū circa familiares , sed ad constituendam conditionem necessariam, vt aliquis sit sacerdos idoneus ad confessiones audiēdas, quam idoneitatem necessario, ac velu-

ac veluti ex natura rei, supponit illud priuilegium, & quodcunque simile. Et ideo vnum decretum alteri non repugnat, sed priuilegium semper accommodari debet ad eum, qui secundùm sacros canones idoneus fuerit cõfessionibus audiendis. Quòd si inde sequatur aliqua restrictio quoad personas, nihil refert, nam accidentaria, & materialis est.

Circa matrimonium denique explicatur resolutio posita in num. 2.

XIX. Supereſt dicendum de matrimonio, in quo ſacerdotis miniſterium ad duo tantùm deſiderari poteſt. Primò ad ſubſtantialem valorem eius, iuxta nouum decretum Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de Refor. vbi requirit præſentiam parochi, vel alicuius ſacerdotis de licentia eius ad valorem matrimonij. Vnde conſtat miniſterium hoc à noſtris ſacerdotibus vſurpari non poſſe, quia non ſunt parochi animarum: ergo ſine licentia parochorum, vel ordinariorum non ſolùm non poſſunt licite hoc præſtare, verùm etiam neque eorum præſentia aliquid conferet ad valorem matrimonij. Et quanuis Pontificis licentia poſſet ad hoc ſufficere, quia hæc nunquam excludi poteſt, ſemperque à fortiori comprehenditur, etiamſi de parocho, aut de ordinario ſolùm mentio fiat: nihilominus talem facultatem hactenus Societati non conceſſam, nec per ſpecialia eius priuilegia, nec per communicationem aliorũ, quia nulli etiam religioni conceſſum eſt, niſi vbi religioſis conceſſum eſt, vt parochorum munus ſuſtineãt, vt in ſuperioribus tactum eſt n. 5. & ſtatim num. ſeq. etiam dicemus: tunc autem non operantur propriè ex priuilegio, ſed ex iure ordinario, quia tunc adſunt matrimonio contrahendo vt parochi.

Vbi ſunt patres nõ valet priuilegium aſſiſtẽdi matrimonio.

XX. Aliud miniſterium circa hoc ſacramentum eſt, ſolennis benedictionis nuptiarum: quod ſpecialiter, & ſub graui cenſura religioſis prohibitum eſt, in Clem. *Religioſi.* de priuilegiis. De quo etiam nullum inuenio priuilegium, quo facultas detur religioſis ad ſolennizandum matrimonium, vel quo dicta prohibitio derogata ſit. Nihilominus in Cõpendio Societatis verb. *Sacramenta.* in fine additur in ſcholio ab auctore eius, non licere noſtris matrimonium miniſtrare, niſi in illis prouinciis, in quib. neceſſitatis cauſa à Præpoſito Generali permiſſum fuerit. In qua declaratione ſupponitur, Præpoſitum habere poteſtatem concedendi hanc facultatem, ſaltem neceſſitatis cauſa. Hanc autem neceſſitatem intelligo eſſe ſolùm in eis regionibus, in quib. nulli ſunt proprij Epiſcopi, aut parochi, ſeu paſtores animarum, quia extra illas regiones nulla poteſt reputari neceſſitas: nam licet in aliquo particulari caſu poſſit deeſſe parochus, tamen cùm ille defectus nõ ſit de re admodum neceſſaria, non ſtatim ratione illius licitum eſt hoc miniſterium vſurpare, ſine peculiari indulto, quod circa hoc non inuenio. Poteſtas autem concedendi prædictam facultatem pro illis remotiſsimis regionibus in prædicta neceſſitate exiſtentibus, ſolùm videtur fundari poſſe in indulto Pauli III. quo concedit facultatem miniſtrãdi omnia ſacramenta ſine præiudicio tertij. Nam ſub adminiſtratione ſacramentorum comprehenditur quidquid ad ſubſtantiam vel ſolennitatem eorum pertinet: & in illo caſu, ſeu in illis locis non interuenit præiudicium tertij: ergo nihil eſt cur hæc facultas ſub illa generali clauſula non contineatur.

Nec item valet ad benedicendas nuptias.

Vbi non dãtur paſtores valet priuilegium aſſiſtendi.

XXI. Maximè, quia, vt ſuprà dicebam, eo ipſo quòd noſtri auctoritate Apoſtolica, ad has regiones mittuntur, illis cura illarum animarum committitur, quæ ad fidem conuertuntur, vel quacunque occaſione ibi degunt, & fideles, ac baptizati ſunt. Confirmatur ex alio indulto Pauli III. anni 1549. *litet de-*

Imò in illis locis nunc ordinariè noſtri aſſiſtunt.

bitum, &c. vbi Præpoſito Societatis conceditur, vt cùm aliquos ex ſociis in Saracenorum, paganorum, aliorumque infidelium terras, & prouincias alias remotiſsimas miſerit, poſsit eis authoritate Apoſtolica cõcedere varias facultates longè grauiores, vt diſpenſandi aliquando in gradibus prohibitis, benedicendi cœmeteria, & paramenta Eccleſiaſtica. Et quanuis in his gratiis non liceat argumentari à ſimili, neque etiam à maiori ad minus, quia pendent ex voluntate expreſſa concedentis, nihilominus ex illa conceſsione colligimus hanc facultatem nec fuiſſe negatam à Pontifice, nec denegandam ſi poſtularetur: non fuiſſe autem poſtulatam, nõ quia vſus eius non eſſet in illis regionib. neceſſarius, ſed quia ſupponebatur conceſſa Societati in prioribus priuilegiis, & iam eſſe vſu receptam.

CAPVT V.

De ſpiritualibus exercitiis, quibus ad proximos iuuandos Societas vtitur; ac primò de eorum quidditate & doctrina.

PRincipio explicandum à nobis eſt, quid exercitiorum nomine intelligimus. Quanuis enim aliquibus nomen hoc nouum videatur, non tamen eſt, ſed à Patribus vſurpatum. Nam D. Bonau. in fine primi tomi Opuſculorum ſcripſit, quod *ſpiritualia exercitia* nominauit, quæ adeò neceſſaria eſſe cẽſuit, vt his verbis librum inchoet, *Vt in virtutibus conſeruetis, oportet te habere exercitia ſpiritualia, quibus animum tium occupes, quia niſi ſit, non poteris in virtutibus perſeuerare.* Et deinceps breuiter ponit tredecim exercitia, in quibus non tantum interiores actus pertinentes ad contemplationem, vel meditationem, aut eorum materiam, vel modum, ſed etiam alios actus, & ſtudia virtutum, ſub eo nomine comprehendit: quod frequens eſt in aliis Patribus, & ſpiritualibus viris, quorum ſententiam ſtatim attingemus. Non eſt autem minùs vſitata loquutio, qua exercitia ſpiritualia à corporalibus diſtinguuntur, ſignificanturque internæ animæ meditationes, ac cogitationes quibus ad internam animæ puritatem, & cum Deo vnionem progreditur. ſic dixit Bernardus in lib. de vita ſolitaria ad Fratres de Monte Dei, col. 15. (ſi eius eſt illud opus.) *Singulis horis tua diſtribue exercitia, quid ſpiritualia ſpirituali, quid corporalia corporali, in quibus ſic exoluat omne debitum ſpiritus Deo, & corpus ſpiritui, vt ſi quid fuerit intermiſſum, ſi quid neglectum, ſi quid imperfectum, ſuo modo, ſuo loco, ſuo tempore, non abeat impunitum.* Et col. 12. cùm dixiſſet, *Queris quid agas, aut in quo te occupes? Primum extra quotidianum orationum ſacrificium, vel lectionis ſtudium, quotidianæ conſcientiæ diſcuſſioni, emẽdationi, morum compoſitioni pars ſua diei deneganda non eſt. Deinde operandum eſt aliquid manibus, quod iniungitur, non tam quod animũ delectando ad horam detineat, quàm quòd ſpiritualibus ſtudiis delectationem conſeruet, & nutriat.* ſubdit inferiùs, *Non ſpiritualia exercitia ſunt propter corporalia, ſed corporalia propter ſpiritualia.* Vnde conſtat exercitia ſpiritualia vocare lectionem, meditationem, orationem, & conſcientiæ examinationem. Et eodem modo loquitur S. Bonauent. in lib. Meditationum vitæ Chriſti, cap. 56. Sic etiam Ludouicus Bloſius in Inſtitutione ſpirituali, cap. 5. *Bona quidem* (ait) *& Deo grata ſunt externa exercitia, ſed incomparabiliter melius eſt exercitium internum, quo homo deſiderãter, ardenterq; ſe ad Deum non per ſenſus, & imagines, ſed modo quodam ſupernaturali extendit, vt ei vniatur.* Et in Canone vitæ ſpiritualis, cap. 16. *Lectione,* (inquit) *precatione, cæteriſque ſpiritualibus exercitiis deditus eſto.* Item in Speculo ſpirituali, cap. 11. Sic etiam dixit Laurentius Iuſtinianus lib. de Vita ſolitaria, cap. 1. *Sunt ſpiritualia exercitia ſedula cordis intentione colenda.* Et ſimilia habet in

I. *Quid per exercitia hæc ſignificetur.*

serm. de Christi natiuitate, & in lib. de Obedientia. cap. 16. *Ambulantibus* (inquit) *in via prorsus necessaria est lux: hoc in corporalibus itineribus, hoc etiam in spiritualibus exercitijs patet: nam spiritualis quis sine spirituali lumine effugit laqueos non sufficit naturalis acumen ingenij, si non introrsus eruditur à Deo.* In hac ergo significatione exercitia spiritualia, in præsenti sumuntur.

II. *S. Ignatius librum exercitiorū scripsit pro suis pro externis.*

Est igitur aduertendum secundò, B. P. Ignatium inter alia virtutis instrumenta, quæ suæ religioni reliquit, peculiarem librum non sine magno Dei auxilio, & diuturna experientia edidisse, quem *Exercitia spiritualia* appellauit. In cuius initio ita ipse loquitur, *Nomine spiritualium exercitiorum intelligitur quilibet modus examinandi, propriam conscientiam, item meditandi, contemplandi, orandi secundum mentem, & vocem, ac postremò alias quascunque spirituales operationes tractandi. Sicut enim deambulare, iter facere, & currere, exercitia sunt corporalia: ita quoque præparare, & disponere animum ad tollendas affectiones omnes malè ordinatas, & his sublatis, ad quærendam, & inueniendam voluntatem Dei circa vitæ suæ institutionem & salutem animæ, exercitia vocantur spiritualia.* Hunc autem librum non solùm vt per illum socij proficerent, Ignatius conscripsit, sed etiam vt illius exercitiis, & documentis ad totius Christiani populi spiritualem vtilitatem strenuè operarētur. Vnde grauissimus è Diui Bernardi sacra familia vir libellum hunc nouitiatum toti generi humano institutum dixit, vt refertur lib. 16. historiæ Societatis num. 127. Quæ res quoniam aliquibus noua videri, & suspecta esse cœpit, & calumniis expositа, vt latè habetur in eadem historia lib. 13. à num. 33. ideo Franciscus Borgia singularis Ignatij discipulus, & illustre Societatis exemplum à Paulo III. Pontifice Maximo humiliter supplicauit, vt prædictum opus examinari faceret, & sua auctoritate probaret: *quo latiùs eius fructus pateat, & plures Christi fideles maiori cum deuotione ad vtendum illius exercitiis inuitentur*, vt in literis ab eodem Pontifice de hac re anno 1548. expeditis legitur. Vbi etiam refert illius operis diligentem examinationem Cardinali Burgensi, & Episcopo Salutij suo Vicario generali, & Ægydio Foscarario sacri Palatij Magistro commisisse, eorumque testimonio intellexisse, *Dicta exercitia, pietate, ac sanctitate plena, & ad ædificationem, & spiritualem profectum fidelium valdè vtilia & salubria esse & fore*: ac tandem his verbis illa approbat, *Debitum etiam respectum ad fructus vberes, quos Ignatius, & ab eo instituta Societas præfati, in Ecclesia Dei vbique gentium producere non cessant, & ad maximum adiumentum quod ad id prædicta exercitia tulerunt non immeritò habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, documenta, & exercitia prædicta, ac omnia & singula in eis contenta, auctoritatè prædicta tenore præsentium ex certa nostra scientia approbamus, collaudamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus.* Postremò idem Pontifex fideles omnes ad illorum vsum exhortatur.

III. *Diuisio tractandorum circa hunc librum exercitii.*

Quanuis autem hæc Pontificis sententia sufficere posset ad commendationem huius operis, ministerij, seu medij à B. Ignatio inuenti, vel excitati ad animarum iuuamen: nihilominus vt plenior illius notitia habeatur, & vt omnibus satisfaciamus, his præsertim, qui de hoc vsu exercitiorū obmurmurare ausi sunt, pauca breuiter in illius defensionem, & declarationem quoad substantiam, seu veritatem doctrinæ hoc in capite addimus, in sequenti explicabitur industria seu ars tradendi modum in huiusmodi exercitiis seruandum. In septimo tum Authoris Ignatij prudentia in tradendis multis regulis ac spiritualibus consiliis, quæ in dicto opere continentur, tum etiam vsus, seu applicatio ad ipsum.

De doctrina exercitiorum.

Quod ergo attinet ad doctrinam, nemo iure re- IV. *Doctrina.*
uocare potest in dubium aliquid in eo libro contentum: omnia enim sunt aut principia certa, & *Quæ tuta.*
dogmatica, aut ex doctrina Theologorum, magis *Probata.*
recepta, fuere desumpta. Quod vt clariùs constet, *Quæ sit.*
aduerto, illud opus per se, & ex instituto non esse *Quando.*
ad Theologicam doctrinam tradendam: vt enimita dicam, magis doctrinam practicam, quàm speculatiuam continet, traditurque per modum artis magis quàm per modum scientiæ, ideoque in eo magis veritas practica, seu potiùs vtilitas spectanda est, quàm speculatiua. Quia tamen meditatio, vt sit vtilis, veritatem ex parte materiæ debet supponere, ideo in hoc opere præcipuè in singulis exercitiis, seu meditationibus supponitur veritas historiæ, quando in illa fundantur, vt sunt exercitia omnia, quæ de vita Christi Domini nostri traduntur, aut de *Semper.*
peccato Angelorum, vel de lapsu primi hominis, & *Non tamen.*
similibus. In aliis verò, quæ sunt vel de præmio bo- *Sæpe seu*
norum, aut pœnis reproborum, vel de Deo ipso, aut *Aliquando.*
eius beneficiis, vel amore ei debito, sæpe iacitur fidei fundamentum, & ferè in eo solo fundantur. Quòd si aliquid vlteriùs additur, aut ex certa experientia, aut ex Patrum doctrina desumptum est. Idemque in tradendo spiritualibus documentis obseruatur, nam vbi necessarium est, quædā præmittuntur, moralem doctrinam vel dogmaticam, tanquam necessaria fundamenta continentia: & vbi necessariū est, tacitæ obiectioni occurritur, ne spirituale consilium Theologiæ doctrinæ repugnare videatur. Exemplum esse potest, quod in quartadecima annotatione ex his, quæ in principio traduntur de cautione adhibenda, ne quis feruore exercitiorum ductus facilè se aliquo voto obliget, statim additur, quamuis maioris meriti sit opus ex voto, quàm sine voto factum, nihilominus habendam esse rationem periculi, vel incommodi, quod in emittendo voto esse potest: & sic de aliis.

Primum dubium circa doctrinam exercitiorum.

Vt autem veritas hæc magis constet, insinuabimus nonnulla exercitiorum loca, in quibus posset aliquis scrupulum, vel dubium mouere, & illud facilè remouebimus. Primum in principio regulæ tertiæ dicitur, *dum voce, aut mente cum Domino Deo vel Sanctis colloquimur, præcipuè exercere operationem voluntatis, & ideo maiorem exigi à nobis reuerentiam, quam dum per vsum intellectus circa intelligentiam potius moramur.* Nam inprimis dubitare quis potest, quia iuxta doctrinam Diui Thomæ, oratio magis est opus intellectus quàm voluntatis: cùm autem mente colloquimur ad Deum, vel sanctos, id facimus orando: ergo magis tunc exercemur in operatione intellectus, quàm voluntatis. Deinde etiam circa illationem non apparet cur maior reuerentia exigatur, exercendo operationes voluntatis erga Deū, quàm intellectus, quia reuerentia est quidam timor reuerentialis, qui versatur directè circa personam excellentem, vnde oritur præcipuè ex diuinæ excellentiæ consideratione. Sicut Lucæ 5. dicitur: *Repletis sunt omnes timore*; (scilicet reuerentiali) *dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie.* Vnde ad hanc reuerentiam pertinet non nimium scrutari mirabilia Dei, iuxta illud Ecclesiast. 3. *Altiora te ne quæsieris.* Ergo magis ad- iungenda est reuerentia considerationi diuinæ, quàm affectus. VI.

V. *Impugnatur primum dubium circa exercitiorum.*

Ad priorem partem respondeo, in illis verbis non tractari de speculatiua quæstione, an oratio, quoad actū petitionis, sit actus intellectus, vel voluntatis, quanquā admodum probabile sit, in nobis petitio-

petitionem formaliter consistere in ipsa locutione mentali, vel vocali, & vt sic esse in intellectu, manare autem vt omnes fatentur proximè ab affectu, qui per ipsam petitionem potissimè explicatur. Et hoc est quod in illis verbis declaratur: nam quando cum Deo loquimur, præcipuè versamur in operibus affectus: quia licet ipsa loquutio præcipuè fiat per intellectum, tamen solùm sumitur vt signum affectus, & propter illum fit: ergo ipse affectus est quod præcipuè exercetur, siquidem *propter quod vnumquodque tale*, &c. Imò totum id est quasi vnum opus voluntatis perfectum: quia vbi vnum est propter alterum, ibi est vnum tantùm.

VII. Ad alteram verò partem respondetur, aliud esse considerare radicem illius affectus, qui reuerentia dicitur, aliud necessitatem eius. Ratio ergo facta probat, reuerentiam licet consistat in affectu, oriri ex cõsideratione intellectus, quod suo modo commune est omnibus actibus voluntatis. Noster autem B. Ignatius non hoc negat, nec de hoc tractat, sed docet magis esse necessariam reuerentiam erga Deum (quatenus nimirum per nostram libertatem cum diuina gratia eam in nobis excitare, & efficere possumus) quando per affectum & colloquium ex illo ortum cum Deo agimus, quàm cùm circa intelligentiam solùm versamur. Quod verissimum est, quia si consideratio intellectus etiam de rebus diuinis sit merè speculatiua, non ita solet excitare affectum, nec versatur propriè circa Deum vt circa personam cum qua tractamus, aut negotiamur, sed solùm vt circa obiectum quoddam, quod speculamur, & ideo in illo opere nec reuerentia tam necessaria est, nec ex illo regulariter nascitur, nisi consideratio ad praxim applicetur. Si ergo consideratio practica sit, ipsa conciliabit reuerentiam, si sit de rebus aptis ad excitandam illam: & ideo etiam tunc non exigitur à nobis tanta cura habendi hunc reuerentiæ modum, quia veluti naturaliter nascitur ex dicta consideratione, quanquam non negatur etiam tunc reuerentiam esse adhibendam, esto eius cura non sit tam necessaria, sicut quãdo in colloquiis, & affectibus versamur: quia tunc tractamus, & negotiamur cum Deo, tanquam cum amico, vel patre, aut domino: & ideo ne familiaritas (quod contingere solet) pariat contemptum, aut negligentiam aliquam, magna cura adhibenda est, vt summa reuerentia exhibeatur, nam est valdè necessaria, vt debito modo cum Deo versemur: colloquia autem ipsa & affectus de se non ponunt illam, & ideo necesse est vt ad illã homo speciali cura attendat, & inuigilet: & hæc est mens illius regulæ ad tractandum cum Deo valdè necessariæ.

Secundum dubium.

VIII. *Impugnatio regulæ 10. exercit.* Secundò in decima earundem annotationum dicitur, humani generis inimicum magis solere oppugnare eos, qui in via spiritus iam progrediuntur, per viam scilicet quam illuminatiuam vocant, quã eos, qui inchoant per viam purgatiuam. Quod licèt non tam pertineat ad doctrinam, quam ad factum & experientiam, videtur creditu difficile: quia verisimile est dæmonem in principio magis contradicere nequiter, vtendo illo principio, *Principiis obsta*, quia faciliùs poterit hominem vincere prius quàm virtutis dispositionem, ne dum habitum acquirat. Respondetur tamen in primis in ea regula non simpliciter dici dæmonem vehementius oppugnare proficientes, quàm incipientes, sed cum hoc addito, *per bona* (id est, honesti, ac virtutis) *speciem*. Quod sine dubio ita est, regulariter loquendo (ita enim hæ res morales intelligendæ sunt: aliàs enim interdum incipientes non ex eo quòd nõ tententur pacem sentiunt, sed quia iuxta Aug. in Ps. 29. *Tormenta animi non sentit qui non proficit: putat enim quia pax est; sed incipiat proficere, & tunc videbit in qua pressura est, quia cùm creuisset herba & fructum fecisset, apparuerunt & zizania*; ordinariè ergo illa 10. regula intelligenda venit. Ratio autem eius est, quoniam incipientes adhuc habent passiones immoderatas sine vlla ferè vitiosorum habituum diminutione, & ideo aperte, & sine vllo velamine conatur dæmon eos ad priora vitia reuocare, non sub specie virtutis, sed vel carnis delectationem, aut mundi honorem, aut diuitias tanquam bonum maximum proponendo: postquam verò aliquis in virtute se aliquantulum exercuit, & ad illam est affectus, & per acquisitum habitum magis propensus, non est ita dispositus, vt propositis prauis obiectis tam facilè moueatur, ideoque sub aliqua boni specie à dæmone tentantur.

1. *Defensio.*

IX. Deinde dicitur, etiam absolutè loquendo, moraliter verum videri, tentationes dæmonis, minus fortes esse statim in principio conuersionis, quàm post aliquem progressum in virtute factum: quod partim ex diuina gratia & prouidentia, partim ex astutia dæmonis prouenire potest. Ex Deo quidem, quia quando efficaciter vult aliquem ad se conuertere, vehemẽtiùs illum interiùs mouet, & spiritualibus consolationibus, ac delectationibus, faciliorem ei reddit viam spiritus, & virtutis: vnde fit vt ad eius prouidentiam pertineat etiam contraria impedimenta remouere, quæ maxima esse solent ex parte dæmonis: & ideo illius tentationes pauciores, & remissiores eo tempore permittit. Postea verò quãdo iam homo habet maiores vires virtutis & gratiæ, maiorem etiam licentiam Deus præbet dæmoni, vt illum exerceat, quo solidiorem, magisque probatam virtutem obtineat. Vnde Gregor. lib. 24. moral. cap. 7. *relinquentibus* (inquit) *seculum quædam prius tranquillitas ostenditur, ne in sua teneritudine & inchoatione turbati redeant ad id quod euaserunt: prius ergo suauitatem sentiunt securi, prius pacis quietem nutriuntur: post cognitam verò dulcedinem tanto tolerabiliùs tentationum certamina sustinent, quanto altiùs in Deo cognouerunt quod amant.* Fieri etiam potest vt dæmon in principio astutè se contineat; cùm enim partim ex rei nouitate, partim ex maiori auxilio gratiæ maior esse soleat feruor spiritus in principio conuersionis, timet repulsam, imò etiam veretur ne ipsa tentatio fiat occasio magis obfirmandi animum in proposito, & inchoato virtutis studio: & quia perseuerantia difficilis est, valdeque humanum est vt discursu temporis homo languescat, vel tædio afficiatur, ideo huiusmodi occasionem expectat per longum etiam tempus, etiamsi homo interim aliquantulum in virtute proficiat, & tunc nacta opportunitate exerit vires suas.

2. *Defensio.*

Vide Thomã à Kempis lib. 1. de imitatione Christi cap. 3.

Tertium dubium.

X. *Documentũ de corripiendo proximo ex parte impugnatur.* Tertiò in principio, seu fundamento exercitiorum, optimum consilium datur charitati proximi, & virtuti consentaneum, scilicet vt cuiusque sententiam, seu propositionem, si obscura sit, in bonã partem interpretemur, quia de omnibus benè præsumere debemus, vbi non constiterit male agere, aut sentire. Si autem propositio ipsa non possit ab errore vindicari, mentem dicentis exquiramus, vt si fortasse mente nõ errat, linguam corripere illum moneamus: si verò etiam male sentit, illũ totis viribus emendare, & ab errore securum reddere conemur. In hoc autem potest aliquis statim hæsitare: nam si error sit contra fidem, non satis est fratrem corripere, sed sæpe tenemur eum denunciare, præsertim quando ex contumacia lapsum esse satis constat. Veruntamen, quanuis in illa notatione hoc non explicetur (quia non pendet ex solo iure naturali, sed etiam ex Ecclesiasticis præceptis, multaque

indiget morali doctrina, quæ ibi erat extra institutum B. nostri Patris) non tamen excluditur, sed vniuersaliter dicitur, *Vias omnes opportunas tentet, quibus illum sanum intellectu, ac securum reddat ab errore.* Inter quas vias dicta denunciatio numeranda est, quando secundùm rectam rationem, vel superiorum præcepta fuerit necessarium: illa autem verba sufficiunt loco animaduersionis, vt si persona docta sit, & per se sufficiens ad intelligẽdum quas vias tentare teneatur, id faciat: si autem sit indocta, saltem dubitare sciat, & interrogare.

Quartum dubium.

XI. Quartò in principio, seu fundamento exercitiorum ea indifferentia affectus homini commendatur circa res creatas non prohibitas, *vt nõ magis quæramus sanitatem, quàm ægritudinem, nec vitam longam breui præferamus.* Statim verò occurrit obiectio, quia salus, & vita sunt ex his rebus, quas homo tenetur ex præcepto custodire, & quærere mediis honestis ac decentibus: non est ergo laudabilis indifferentia non magis quærendi sanitatem, quàm ægritudinem, &c. Deinde non rectè æquiparantur ibi hæc duo genera bonorum diuitiis, & honori: nam diuitiæ, & honor non sunt bona propter se appetenda secundùm rectam rationem, quia non sunt per se honesta, aut conuenientia naturæ, sed indifferentia, ac propterea solùm vt instrumenta virtutis, vel naturæ conseruandæ, appetenda sunt, & ideo ad illa secundùm se debet esse indifferens animus rectè compositus: salus autem & vita sunt ex bonis per se appetibilibus, quia sunt per se naturæ conuenientia: & ideo rectitudo virtutis non postulat circa illa eandem indifferentiam. Dicendum verò est, sermonem esse posse de dispositione affectus necessaria ad honestatem, & ad vitandam culpam etiam venialem, vel solùm de meliori, magisque perfecta dispositione. Loquendo priori modo, rectè procedit obiectio: nam reuera non postulatur eadem indifferentia affectus circa illa duo genera bonorum. Nam homo non rectè faciet si sit affectus ad honores vel diuitias præter se, eritque talis dispositio actualis, culpa ad minus venialis saltem ex obiecto, quia fertur in obiectũ aliter, & altiori modo, quàm ipsum dignum sit, fruendo nimirum vtẽdis: & ideo circa hæc bona indifferẽtia affectus ad habendum, vel carendum illis per se spectatis, & (quod consequens est) solùm velle illa quatenus esse possunt instrumenta virtutis, est ad rectitudinem voluntatis necessarium.

XII. At verò bonum vitæ & salutis est ex his, quæ propter se appeti possunt, id est, quatenus per se sunt conuenientia naturæ, & necessaria ad quandam eius integritatem, propter quam honestè appetuntur sine respectu ad alium finem: & ideo sine culpa potest affectus, non esse omninò indifferens circa hæc bona, secundùm se spectata. Nihilominus tamẽ ad maiorem perfectionem spectat (& hanc existimo fuisse mentem S.P.N. Ignatij, hæc ipsa bona non amare nisi vt sunt instrumenta virtutis: quamuis enim per se amabilia sint, interdum solet homo ex illis occasionem sumere vel peccandi, vel non proficiendi in virtute, & ideo vtilissimum est non plus ad illa affici, quàm vt conducere possunt ad maiorem virtutis profectum. Accedit, quòd interdum est vel ad virtutem necessarium, vel saltem ad perfectionem virtutis, hæc bona contemnere, & prodigere propter Deum. Vt ergo homo, & paratus, & promptus sit ad hoc præstandum, oblata occasione opus sine dubio consilij est, illam indifferẽtiam exercere, & in ea conseruari. Quod dictum intelligatur de omnib. bonis, quæ licet per se amabilia sint, homo potest eis benè, & malè vti. In virtutib. enim quibus homo malè vti non potest, illa indifferentia laudabilis nõ est. Occurrebat autem hic alia dubitatio, quam infrà in dubio 9. attingemus.

Quintum dubium.

Quintò vbi ratio examinandi generaliter conscientiam traditur, multa ad moralem doctrinam de peccatis pertinentia valde vtilia, & cum summa breuitate proponuntur, tam clarè, & distinctè, vt magnam rei comprehensionem indicent, quam tamen habuisse Ignatium priusquã in Theologiæ doctrina plenè esset instructus, ex lib. 1. vitæ eius, ca. 15. licèt colligere: vbi cùm argueretur cur sine exacta doctrina auderet rem difficillimam definire, differentiam mortalis, & venialis peccati, etiam in internis cogitationibus constituendo, respondisse dicitur; *Vera ne sint aut falsa quæ scripsi, vestri iudicij est: ego enim meum non interpono. Si vera sunt, probate: si falsa, reijcite.* Nemo autem (vt ibidem refertur) ausus est quidquam eorum improbare. Dubitare autem aliquis potest, nam ibi sub titulo de cogitatione dicitur, in cogitatione de materia mortalium venialiter tantùm peccari, *quoties homo aliquantulum moratur quasi auscultando, vel quando aliqua obiter sensus delectationem afficitur, vel in ea tetundenda sese exhibet negligentem:* nam hoc vltimũ membrum cùm indefinitè tradatur, & doctrinale sit, æquiualet vniuersali. Hoc autem modo sumptum, nimiam licentiam continet. Nam delectatio morosa per solam negligentiam, potest fieri peccatum mortale, vt ex prima secundæ constat: quia ad peccandum mortaliter non semper requiritur expressus & directus consensus, sed sufficit crassa & supina negligentia. Respondetur tamen B. Ignatium loqui præcisè de negligẽtia quæ nõ transit in consensum, nec directum nec interpretatiuũ: quod & antecedenti, & consequenti verbo satis indicatur. Expendendum enim est illud verbum *aliquantulum & obiter*, &c. quod idem significat ac subreptitiè & antecedenter ad plenam indicij, & rationis animaduersionem: quandiu autem delectatio in eo statu durat, etiamsi aliqua negligentia interueniat, tantùm est peccatum veniale: nam sine plena aduertentia rationis, consensus etiam interpretatiuus mortalis non interuenit. Ac propterea inferiùs subditur, peccari mortaliter quãdo cogitationi præbetur quacunque ratione assensus. Ponderãdum enim est verbum illud, *quacunque ratione*, additum enim est ad comprehendendum expressum & virtualem consensum.

Obiectio pro utraque sententia.

Dilutio.

Sextum dubium.

XIV. Sextò circa idem examen, vbi de peccatis agit, quæ in opere consistunt, sub titulo de opere difficultatem habet, quod dicitur, *ad iussa superiorum reuocari diplomata, seu indulta Pontificum pro infidelium expugnatione, vel Christianorum pace concedi, vel promulgari solita, per quæ ad confessionem peccatorum, & Eucharistiæ sanctæ susceptionem Christi fideles inuitantur.* Et subiungitur. *Peccat siquidem non leuiter quicunque tam pias Rectorum Ecclesiæ cohortationes, sanctionesque aspernari audet, ac transgredi.* Non enim apparet quale hoc peccatum sit, aut quæ præcepti obligatio ibi interueniat. Nam Pontifices nõ iubent per hæc rescripta, sed incitant, vt in eo dẽ loco dicitur, & ex tenore ipsorũ, & ex vsu satis constat: ergo solùm se habẽt vt consilia quædã, quia sub præceptũ nihil immediatius continetur, quàm cõsilium: non acceptare autẽ consilium, per se nullum peccatum est, vt constat tum ex diuinis consilijs, tũ ex generali ratione eorum: nam in hoc maximè differunt à præceptis, quòd nimirum obligationem, aut moralem necessitatem non imponũt: ergo has cohortationes Pontificũ prætermittere, per se nullum est peccatũ. Respondeo, illa duo verba, *aspernari, ac transgredi*,

Obiectio.

Responsio ad obiectum.

num in vno sensu.

ri audet, ac transgredi, dupliciter accipi posse, coniunctim scilicet, ac diuisim. Et quidem si primo modo accipiantur, res erit facilis, & sine cõtrouersia: nam sensus erit, non esse leue peccatum talia indulta contemnere, & ex contemptu illa transgredi; & soluitur difficultas tacta, nam contemnere consilia, & ex contemptu illa non seruare graue peccatum est, vt in superioribus diximus, tractando de consiliis Euangelicis: & hanc fuisse existimo Ignatij mentem.

XV. *In altero sensu cõcludit obiectio in rigore.*

Si autem illa duo verba diuisim accipiantur, est nonnulla difficultas in posteriori explicando, in priori enim nulla est: nam aspernari indulgentias, & exhortationes ad illas lucrandas, per se, & ex obiecto malum est, imò vix fieri potest sine errore circa fidei dogmata: quòd si tantùm sit contemptus practicus, saltem continet iniuriam rerum sacrarum, & indicat animum à spiritualibus bonis valde alienum. Secluso autem contemptu transgredi hæc diplomata, id est, non obseruare illa ex quadam animi remissione, aut negligentia, non videtur esse per se, & ex obiecto vllum peccatum: & hoc probat ratio facta. Tamen, moraliter loquendo, si homo sciens & videns, ac directa voluntate illa omittat, vix fiet sine aliqua culpa, vel quia est quasi prodigalitas quædam spiritualium bonorum, vel quia *turpis est pars, quæ non conformatur toti*, quòd etiam moraliter non fit sine aliquo scandalo, vel quia homo est nimis negligens in subueniendo spiritualiter communi bono, propter quod tales gratiæ cõceduntur, vt supponitur. Igitur in hoc etiam sensu dici potuit, in eo non leuiter peccari: nam ad hanc locutionem sufficit quòd moraliter coniungatur culpa, vndecunque proueniat. Illud autem *non leuiter*, non debet in hoc sensu accipi pro peccato mortali, sed pro graui, & non contemnendo veniali.

Septimum dubium.

XVI. Septimò in primo exercitio primæ hebdomadæ circa finem in colloquio, offendere quis posset in illis verbis, *Exquiram mecum rationem, quâ creator ipse infinitus fieri creatura, & ab æterna vita ad temporalem mortem venire pro peccatis meis dignatus sit.* Nam Verbum Dei, licèt factum sit homo, non tamen propriè dicitur factum creatura, quia ille homo creatura non est, & quia repugnant hæc diuinitati eius. Veruntamen Ignatius, quia non tractabat de Scholastica subtilitate, modum loquendi sanctorum (quorum aliquos retuli tom.1. in 3. p. q.16.art.8. in comment.) imitatus est pro eodem accipiens fieri creaturam, ac fieri hominem, & creaturam vocans omne compositum ex natura creata, in tempore productum: quod maximè facere licet quando ex contextu sermonis, & ex antecedentibus, & consequentibus verus sensus constat, vt in illo exercitio manifestum est, & latiùs explicatur inferiùs in primo exercitio secundæ hebdomadæ.

Octauum dubium vbi aliqua in specie apocrypha complanantur.

XVII. Octauò in exercitiis ad vitam Christi D.N. pertinentibus animaduerti potest, interdum aliquid addi historiæ Euangelicæ, vel ex pia consideratione, vel ex obseruatione sacrorum locorum, nunquam tamen sine sufficienti authoritate, vt in exercitio de Natiuitate, ad finem consideratur B. Virgo ex oppido Nazareth egrediens, insidens asinæ, & Ioseph comes cũ ancillula, & boue. Vbi tria adduntur, quæ Euangelistæ non narrant: primùm quòd B. Virgo non pedes iuerit, sed insidens asinæ, & ideo statim ibi additur, *vt piè meditari licet.* Fuitque hæc

1. *An insidens asinæ iuerit B. Virgo.*

sententia Lyrani in Lucæ 1. quem sequuti sunt Carthus. & Ioannes Maior, & noster Toletus Salmeron tom.3. in Euang. tract.33. *Neque enim par erat* (inquit) *puellam teneram, vicinamque partui, pedibus illud iter emetiri, nisi fine causa velimus multiplicare miracula.* Non desunt tamen viri docti, quibus magis placeat credere, Virginem iter illud pedibus confecisse, eo quòd paupertati magis conueniat, & nihil repugnet grauiditati Virginis, vt dixi tom.2. in 3.p. disp.5. sectione 1. quia nullam inde molestiam, nullum impedimentum sentiebat, iuxta Patrum doctrinam, Fulgentij serm. de laudibus Virginis, Bernardi in sermone *Signum magnum*, Nicephori lib.1.cap.12. Quibus ego libenter concedam, potuisse Virginem nõ maiori labore iter pedibus conficere, quàm si grauida non esset. Nihilominus à priori sententia recedendum non censeo. Nam insidere asinæ paupertati non repugnat, imò illam maximè commendat, vt dixit Chrysostomus homil.67. in Matth. quando necessitas cogit, tunc enim non vlteriùs progredi, sed necessitati vsum terminare perfectæ paupertatis est. Tunc autem quanuis non esset specialis necessitas ex pondere, aut impedimento vteri proueniens: erat sufficiens ex naturali corporis debilitate. Erat etiam maior quædam decentia, quam Iosephum obseruare par erat: ac denique, licet propter se, Virgo partui proxima, non indigeret illo iuuamine, tamẽ propter alios, qui supernaturale auxilium agnoscere non poterant, erat valde expediens, ne Ioseph nimis acerbus, & inhumanus in suam sponsam videretur.

XVIII. 2. *An secum bouem adduxerint B. Virgo & Ioseph.*

Secundum est, bouem etiam secum adduxisse: quod expresè affirmauit Bonau. in lib. Meditationum vitæ Christi, Lyra etiam, & auctores superiùs citati, & consonat communis traditio Patrum dicẽtium, Christum iacuisse in præsepe inter bouem, & asinam, quos retuli in 2.tom. disput.13. sect.3. paulo ante finem: nam licet illa animalia potuerint esse aliena; verisimilius tamen est in illo loco, seu angulo nihil fuisse, quod ad ipsum Ioseph non pertineret. Notantque prædicti auctores, bouem adduci potuisse vt venderetur ad soluendum tributum, & alias expensas, quia per multos dies morari sunt in Bethleem. Tertium, quod in ea consideratione additur, est de ancillula, quod nullo alio in loco legisse me recolo: imò inuenio Chrysostomum homil. de Natiuitate Domini, tom.2. dicentem, *Ioseph & Maria mater Domini non habebant seruulum, non ancillam, de Galilæa, de Nazareth soli veniunt: ipsi sunt domini, & famuli.* Hæc autem verba non admodum nos cogunt, tum quia nõ satis constat illam homiliam esse Chrysostomi: tum etiam, quia ibi interponit hæc verba, *non habebant iumentum*, quòd minùs receptum est. Alterum ergo etiam est incertum, & quãuis alterum etiam, quod hîc consideratur, non constet, probabilitate tamen non caret. Nam ille famulatus non excedebat statum, & paupertatem Ioseph, vt ex munere etiam eius coniectare possumus, & ex his quæ de statu illius, & parentum Virginis tractat Canisius lib.1. de B. Virgine, cap.4. Vnde non dubito quin domi suæ huiusmodi adiutorium, seu famulatum haberet, erat enim moraliter necessarium, præsertim propter decentiam, & clausuram, ac custodiam virginalem Mariæ, & propter assiduam eius contemplationem, & quietem. Si autem illud habebant domi, nihil profectò obstabat quominus illud secum deferrent: quia nec tanta velocitate peregrinaturi erant, quin ancillula posset illos sequi: neque, vt dixi, id excedebat eorũ paupertatem, vt propterea oporteret familiarem ancillulam dimittere, aut in aliena domo relinquere. Addo insuper, illud genus curæ, & prouidentiæ fuisse consentaneum amori, & prudentiæ S. Iosephi, qui non ignorabat partum Virginis in il-

3 *An B. Virgo ancillulã habuerit.*

lo itinere esse euenturum, fortasse autem modum eius non præsciebat: & ideo meritò prouidere potuit vt sponsam comitaretur ancillula, cuius opera vti posset, in his præsertim rebus, quæ & per fœminas decentiùs fiunt, & per extraneas fieri non decebat. Sed de his rebus sic, vel aliter sentire non multum refert, cùm nec Euangelio, nec traditioni repugnent, & congruentia ambigua sit.

XIX. *An Christus Iudæ dederit communionem.*

Aliud exemplum sumi potest ex prima contemplatione tertiæ hebdomadæ, vbi dicitur, Christum D. *post agni Paschalis esum, & peractam cœnam, pedes omnium discipulorum lauisse, & sacrosanctum corpus & sanguinem suum largitum esse.* Vbi nonnulla adduntur Euangelicæ historiæ, præsertim quòd Iudæ etiam dederit sacram Eucharistiam, de quo plura dici possent, nisi à nobis essent tractata, disputatione 41 sectione 3. de Eucharist. Illud magis notandum hîc est quod in secunda meditatione eiusdem hebdomadæ dicitur Christus *post cœnam vna cum vndecim Apostolis descendisse ex monte Sion, vbi fuerant cœnati, & transiens per vallem Iosaphat, relictis ibi ex illis octo, aliis verò tribus in horti parte, seorsum ipse digrediens orasse*, &c. Vbi primùm aduertere oportet, in Euangelio nullam fieri mentionem vallis Iosaphat. Et non desunt qui dubitent, an vallis Iosaphat, de quo fit mentio Ioël. 3. sit aliquis particularis locus, vel sit peculiare nomẽ impositum ad significandum locum, in quo vltimum iudicium peragendum est, quicunque tandem ille futurus sit. Verumtamen per illa verba nihil aliud significatur, nisi quod Ioannes cap. 18. dixit; *Egressus est Iesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron*, in montem Olueti, qui proximè trans illum torrentem existit: nam inter montem Olueti, & montem Sion est vallis quædam angusta, per quam fluit Cedron, & hæc vallis Iosaphat nominatur, iuxta modum loquẽdi Iudæorum ab vniuersa Ecclesia Latina vsurpatum, de quo in num. 2. in 3. p. disput. 53 sect. 3 dixi. In qua valle existit sepulchrum B. Virginis, vbi ædificata est Ecclesia quæ *sancta Maria Iosaphat* vocatur.

Apud Bed. de locis sanctis, cap. 6.

XX. *An in nocte passionis 8. Apostoli intrauerint hortum.*

Maius dubium esse potest, quia in prædictis verbis significat B. Ignatius octo Apostolos non fuisse ingressos in hortum cum Christo, sed relictos esse in ipsa valle Iosaphat. Nam de primis octo dicit; *Relictis ibi octo*, &c. illud autem aduerbium *ibi* designat vallem Iosaphat, nam proximè præcesserat: statim verò addit, *aliis verò tribus in parte horti*: condistinguit ergo hortum à valle, & in illo nullam partem tribuit aliis octo discipulis; non ergo ingressi sunt in hortum. At videntur repugnare verba Ioan. 18. *Egressus est Iesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipse & discipuli eius.* Nec potest dici indefinitam esse locutionẽ, ad cuius veritatem sufficit quòd tres discipuli ingressi fuerint cum eo, nam in toto illo contextu indefinita æquiualet vniuersali, nam quod proximè præcedit; *Egressus est Iesus cum discipulis suis trans torrentem*, generale est, quis enim audeat aliquem excipere, vel negare iuisse cum illo. Et hæc ratio etiam per se cogit, quia nullum est fundamentum ad negandum omnes discipulos ingressos fuisse hortũ: nullus enim aliorum Euangelistarum hoc significat: & quamuis dicat prius reliquisse octo discipulos, & cum tribus seorsim secessisse, & postea ab eisdem tribus quantum iactus est lapidis se separasse, omnes tamen illi loci poterant esse intra hortum, quia vix ducentis passibus primus illorum locorum ab vltimo distat, vt refertur ab Aranda in descriptione Terræ sanctæ, c. 13.

XXI. *Expeditur proxima ob oblio.*

Respondeo, B. Ignatium (vt opinor) nihil peculiare voluisse circa hoc definire, sed aduertere solùm illam separationem discipulorum, quam Euãgelista refert. Sciendum est ergo, totum illum locum, in quem Dominus exiuit, ab aliis Euangelistis vocari villam, non quia esset oppidum aliquod vel pagus, sed quia erat prædium (vt Marcus illud appellat) habens ruralem domum, Lusitanè *Quinta*, quæ Gethsemani appellabatur. Et intra illud prædium verisimile est fuisse hortum, id est, peculiarẽ locum arboribus consitum, & quasi viridarium, quod recreationis gratia in huiusmodi villis habeti solet, vt graues authores annotant, Toletus annotatione 3. Natalis in suis meditationibus. Totus autem ille locus erat ad radicem montis Oliueti, vnde necesse est vt vel totus, vel magna pars eius fuerit in valle Iosaphat. Hoc suppositò, vnum est certum, scil. Christum cum omnibus discipulis ingressum esse prædium illud, quia hoc clarè significant Matthæus, cap. 26. dicens; *Similiter omnes discipuli dixerunt. Tunc venit Iesus cum illis* (vtique omnibus) *in villam quæ dicitur Gethsemani*, & dixit discipulis eius, *Sedete hic donec*, &c. quæ verba referuntur ad octo discipulos, nam statim additur, *Et assumpto Petro*, &c. Iussit ergo illos sedere intra villam Gethsemani: quod rectè consideravit beatus Ignatius paulò inferiùs, in consideratione de mysteriis post cœnam, dicens; *Et octo remanere iussit Gethsemani.* Est autem verisimile iussisse illos manere statim in principio prædij, & ideo in alio loco quem tractamus, dixit, reliquisse illos in valle Iosaphat, quia vt notauimus, prædium illud attingebat, vel magna ex parte erat in valle Iosaphat. Imò refert Burchardus 1. p. descrip. Terræ sanctæ, cap. 7. §. 46. locum illum Gethsemani esse in latere montis Oliueti adhærentem cuidam rupi concauæ de monte pendenti, sub qua discipuli sederunt, cùm dixit Dominus; *Sedete hic donec vadam illuc, & orem.* Quod si ita est, rectè colligitur reliquisse discipulos satis in principio Gethsemani. Tandem fit etiam verisimile octo discipulos non fuisse ingressos partem illam prædij Gethsemani, quæ in propria, & rigorosa significatione hortus dici potest. Neque hoc repugnat Ioanni, quia à parte totum nominãdo, quod etiam in vulgari modo loquẽdi satis vsitatum est, nomine horti totum prædium Gethsemani significauit, vt etiam Toletus suprà intellexit; nihil n. aliud quàm quod alij Euangelistæ referre voluit. Quòd si fortasse quis contendat, vel ibi non fuisse partem prædij, quæ magis propriè dici possit hortus, quàm reliquæ, vel si erat, in illam fuisse ingressos omnes discipulos, quamuis neutrum satis probari possit, verba Ignatij non repugnant, sed ab ea disputatione abstinent. Nam priora generalia sunt, scilicet octo discipulos in valle mansisse, id est, in principio illius horti, vt loquitur Aranda suprà cap. 25. vel ad radicem eius, vt ait Burchardus: & in hoc tantùm sensu distinguit appellationẽ huius loci ab illa parte horti magis interiori, & quæ fortasse iam erat in monte Oliueti, vt Lucas significat, in qua permanserunt alij tres discipuli. Ad hunc modum poterit lector facilè expedire (ne prolixiores simus, & ad explicanda Euangelia diuertamur) si quid occurrerit in eodem libro in omnibus punctis, seu meditationibus vitæ Christi D. quæ ex Euangelijs desumptæ sunt, si quid enim illis interdum additur: solùm est per modũ breuis expositionis, cuius vel authoritatem, vel probabilem rationem inuenire semper facile vnicuique erit.

Nonum dubium.

XXII. *Doctrina B. Ignatij de gradib. humilitatis.*

Nonò inter præludia, seu dispositiones, ad rectã electionem faciendam ponuntur tres gradus humilitatis. Primus dicitur necessarius ad salutẽ, nam consistit in subiectione hominis ad diuinam & humanam legem. Secũdus dicitur esse perfectior: nam duo includit, scilicet voluntatem nunquam admittendi venialem culpam, & indifferentiã affectus ad omnia

omnia temporalia commoda, vel incommoda; ita vt æquè sit animus propensus ad illa, vel carentiam illorum, vbi æqualis Dei gloria, & occasio propriæ salutis interceserit. Tertius dicitur esse absolutissimus, nam in eo eligit homo paupertatem, & omnẽ mundi contemptum plusquã honores, vel diuitias, etiam cũ æquali Dei obsequio, vel gloria, vel spirituali fructu propter maiorem Christi imitationẽ.

XXIII. *Tres quæstiunc. circa hos gradus.*

In qua doctrina tria desiderari, vel quæri possũt. Primum, cur hi dicantur gradus humilitatis: nam videtur potiùs esse gradus omnium virtutũ, quippe seruare præcepta, & vitare peccata, ad omnes pertinet, & si ad aliquam specialem, potiùs ad charitatem, vel pœnitentiam, quàm ad humilitatẽ. Illa etiam vniuersalis moderatio affectus circa omnia temporalia bona officium est virtutum omnium. Secundum cur gradus humilitatis tres tantùm esse dicantur, cùm D. Benedictus in suaRegula, c. 7. duodecim gradus humilitatis posuerit, quos D. Thomas interpretatur, & defendit 2. 2. qu. 161. art. 6. Diuus autem Gregorius 23. Moralium, cap. 4. aliàs 7. quatuor ponit gradus superbiæ, quibus respondere debent quatuor gradus humilitatis, quos attigit Augustinus in lib. de Spiritu, & litera, cap. 13. in fine. Et illam partitionẽ defendit idem D. Thom. q. 162. art. 4. Bernardus autẽ in proprio tractatu de duodecim gradibus humilitatis, partitionem S. Benedicti amplectens totidem gradus superbiæ enumerat, vt notauit D. Thom. dict. art. 4. ad 4. At verò Anselmus lib. de similitudinibus, cap. 10. & sequentibus, septem gradus humilitatis enumerat. Cur ergo ab Ignatio tres gradus tantùm numerãtur? Tertiò difficile videtur quod ad perfectam humilitatẽ spectat, cum æquali Dei gloria, & spirituali profectu, eligere paupertatem præ diuitiis, contemptum præ gloria, &c. nulla enim ratio virtutis, vel honestatis in huiusmodi electione apparet. Nam illa, quę alioqui sunt naturæ incommoda, non sunt per se eligibilia, secundùm rectam rationem, sed solũ propter spiritualia commoda, vel quodlibet Dei obsequium: sed hic finis cessat in eo casu quia supponitur æquale obsequium Dei, & spirituale commodũ sine his malis naturæ contrariis: cur ergo ad perfectionẽ spectat, tunc illa eligere? Nec satisfacit quod ibi insinuatur de imitatione, vel similitudine Christi: nam imitatio hæc non est ponenda in his rebus, quasi materialiter sumptis, sed formaliter, id est, quatenus ad Dei gloriam conferunt: non legimus autem Christum æquali Dei gloria, paupertatem præ diuitiis elegisse, sed propter maiorem Dei gloriam, paupertatem elegit, & mortem. Ergo ad eius imitationem solum debemus nos similem affectũ exercere, non verò ad hæc affici, absque vlla vtilitate ad gloriam, vel obsequium Dei. Imò videtur clara repugnantia quòd sit maior perfectio hoc eligere præ illo, & tamen quòd in illo non sit maior gloria Dei; nam quidquid perfectius est in ratione virtutis, eo ipso ad maiorem Dei gloriam pertinet.

XXIV. *Ad 1. quæstiunc in n. præcedenti.*

Ad primum respondetur, iuxta doctrinam D. Thomæ dict. quæst. 161. art. 1. ad 5. *Humilitas secundùm quod est specialis virtus, præcipuè respicit subiectionem hominis ad Deum, propter quem etiam aliis humiliandus, se subiicit.* Vnde in hoc videtur humilitas habere quandam similitudinem cum obedientia, vel cum pœnitentia, seu iustitia ad Deum: tamen formaliter ab eis differt, quia propriè ac per se non inclinat ad alterum, sed moderatur affectum propriæ excellentiæ, & ita continet hominem sub Deo: & sub quocunq; participante excellentiam Dei, & hac ratione dicitur subiicere hominem Deo: & quia hæc subiectio maximè à nobis exercetur per obseruationem mãdatorum, ideo per hanc humilitas declaratur. Et ita etiam S. Benedictus præcipuos gradus humilitatis ponit in perfecta abrenunciatione propriæ voluntatis, & obseruatione præceptorum regulæ, ac totius obedientiæ, vt patet ex quatuor vltimis gradibus, quos D. Thomas refert, qui in ipsa regula sunt quatuor primi. Tamẽ in primo, qui est duodecimus apud D. Thomam, attigit substantiam humilitatis, quæ consistit in abiectione sui in conspectu excellentiæ diuinæ: eius autem perfectio in effectibus obedientiæ primariò manifestatur. Hac ergo ratione per obedientiam mandatorum, & voluntatem cauendi in omnibus offensionem Dei, & intendendi potiùs gloriam eius, perfectionem, & gradus humilitatis declarauit B. Ignatius.

Vnde facilè respondetur ad secundam interrogationem, gradus enim virtutis variis modis considerari possunt, & iuxta varias considerationes per diuersa & plura, vel pauciora membra diuidi. Hac autem trimembris diuisio graduum virtutis, valdè frequẽs est apud morales Philosophos, & Theologos: nam Philosophi distinxerunt virtutes morales prout sunt in homine, in politicas, purgatorias, & purgati animi, vt videre licet apud D. Thomam 1. 2 quæst. 61. art. 5. vbi rectè Caietanus aduertit illis verbis tres status eiusdem virtutis significari. Nam politicæ dicuntur quatenus hominem rectè moraliter componunt: purgatoriæ quatenus incipiunt hominẽ magis abstrahere à rebus humanis, & corporeis, eumque subleuare incipiunt ad imitandam diuinam, & spiritualem perfectionem: purgati autem animi dicuntur, quando iam attigerunt perfectissimum gradum, cum despicientia omnium rerum quæ animum perturbare possunt. Similis est alia partitio, qua virtutis gradus distingui solent in statum continentiæ virtutis simpliciter, & virtutis heroicæ. Item perfectionem charitatis distinguunt in incipientem, proficientem, & perfectam. Denique Glossa Ordinaria Matth. 3. circa illa verba Christi, *Sic decet nos implere omnem iustitiam*, tres gradus humilitatis distinguit, scilicet, subdi maiori, æquali, & minori, quos vocat sufficientiæ, abundantiæ, & perfectæ iustitiæ. Ita ergo potuit rectè B. Ignatius distinguere tres gradus humilitatis, ex tribus modis contemnendi seipsum, & suam voluntatem, ac temporalia commoda, scilicet vel quantum necesse est ad seruanda rigorosa præcepta, vel quantum sufficit ad vitandas etiam veniales culpas, & quærendam maiorem Dei gloriam, vel quãtum confert ad maiorem Christi imitationem. In quo etiam aduerto S. Benedictum in distinguendis gradibus humilitatis, non tantùm posuisse quę pertinent ad interiorem affectum, sed etiam, quæ ex parte intellectus, conferunt ad illam perfectionem consequendam, & quæ in exterioribus actibus, ad eum conseruandam, vel ostendendam, obseruare oportet. Et ad eumdem ferè modum procedit Anselmus, vt D. Thomas superiùs explicat: quod illis Patribus fuit opportunum: quia instruebãt hominem in omnibus, quæ ad humilitatem conferebant. At verò B. Ignatius solùm distinxit gradus humilitatis, quoad interiorem affectum, prout variis modis potest esse magis, vel minùs perfectus: quia solùm eam distinctionem præmittebat ad electionem status faciendam, quæ maximè pendet ex affectu magis, vel minùs subiecto Deo, & abstracto à temporalibus rebus. Diuisio autẽ Gregorij quoad gradus superbię nihil obstat, quia illi omnes opponuntur humilitati, in quocunque gradu existenti: quia eidem virtuti multa vitia opponi possunt.

XXV. *Ad 2. quæstiunc in eõdem n. 13.*

Ad tertiam interrogationem respondetur primò, illud genus humilitatis esse valde conforme modo loquendi, & exemplis Sanctorum, nam conformitatem ad Christum putant esse sufficientem rationem amandi omnem abiectionem, & humilitatis modum, iuxta illud Petri, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt se-*

XXVI. *Ad 3. q. eiusd. ibidem.*

*quamini vestigia eius.*1.canonica,cap.2. & cap.3. *Melius est benefacientes pati, quàm malè facientes, quia Christus semel pro peccatis nostris mortuus est.* Fateor tamen ab hoc motiuo nunquam esse separabilem maiorem Dei gloriam,& maiorem fructum gratiæ, ac perfectionis spiritualis, cæteris paribus. Vnde idem Petrus cap.4.subdit,*Communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in revelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes*; nunquam ergo hic fructus separatur ab illa communicatione,si cætera sint paria. Et ratio est clara, quia in eo motiuo includitur maior amor, & maior reuerentia ad Christum Dominum. Et præterea in eligẽda maiori temporalium rerum abiectione (etiamsi in aliis sit æqualitas) in hoc semper est excessus quòd illa via est securior,& aptior ad magis merendum, vel saltem magis satisfaciendum coram Deo, vel pro nobis,vel pro proximis. In quo etiam consideratur quædam maior similitudo Christi: nihilominus tamen verum est quod Philosophus 2.phys.c.2.& 13.metaph.c.3.dixit. *Abstrahentium non est mendacium*; & ideo ad purificandum affectum,illumque magis abstrahendum ab affectu temporalium,rectè proponitur ille perfectus gradus humilitatis, quo homo humiliora, & abiectiora magis appetit, etiamsi præscindatur omnis alia vtilitas, præter conformitatem ad Christum in profunda humilitate.

Decimum dubium.

XXVII. Decimò explicandus est similis locus, qui habetur in meditatione quartæ diei secundæ hebdomadæ,puncto 3.vbi proprio ac singulari modo distinguũtur tres perfectionis gradus,videlicet, paupertas,abiectio sui,& humilitas, quæ ex diametro, vt ibi dicitur,diuitiis honori, & superbiæ opponuntur; à quo omnes virtutes statim introducuntur. Videri enim potest nouus hic modus explicandi gradus perfectionis, & radices oppositorum vitiorum.Nam, si per gradus perfectionis intelligantur diuersi status virtutum, vt in præcedenti puncto dicebamus,non rectè illo modo explicatur: nam ad virtutem, seu perfectionem in quocunque statu existentem requiritur humilitas in proportionali gradu,seu statu,& ita illi tres gradus non sunt separabiles in statu perfectionis. Si autem illæ tantùm numerantur vt conditiones, vel dispositiones ad perfectionem,insufficienter numerantur: nam omittitur castitas, & propriæ voluntatis abrenunciatio, quæ maximè necessaria est. Et similiter in contrariis radicibus vitiorum omittitur concupiscentia carnis, quæ ponitur à Ioanne 1. canonica, cap.2. qui non distinguit inter honorem & superbiam, sed vtrumque concludit sub superbia vitæ: nam concupiscentia oculorum, pro diuitiis posita est.

Dilemma contra enumerationẽ graduũ perfectionis.

XXVIII. Respondetur, considerandam esse occasionem, & rationem eorum, quæ dicuntur, vt verus sensus intelligatur,ibi enim incipiebat tractare B.Ignatius de mediis,quibus homo paulatim disponi debet ad spiritualem affectum in se formandum, & ad electionem faciendam illius status, in quo meliùs & saluti suæ consulat, & Deo famuletur: progressum ergo, & perfectionem huius dispositionis per illos tres gradus explicat. Rectè enim existimat (quod Christus D.sæpe docuit) initium sumendum esse à rebus externis, quæ per paupertatem dimittuntur, atque adeò à moderatione affectus circa temporalia bona. His autem bonis proximus est honor: & ideo secundo loco ponit moderationẽ affectus circa honorem,quem vocat contemptum,scil.rationi consentaneum,qui virtus est innominata, vt dicit D.Thomas 2.2.qu.129.art.2. Quia verò non satis est circa exteriora bona moderari affectum, nisi circa propriam excellentiam moderatus sit; (nam appetitus excellẽtiæ secum affert appetitum honoris, & diuitiarum, & maximè perturbat animum ad electionem faciendam:) ideo ponit in tertio, & perfectiori loco humilitatem.

XXIX. Est autem vlteriùs considerandum, aliud esse agere de perfectione, aliud de statu perfectionis: ibi ergo non agitur de statu perfectionis, sed absolutè de perfectione:quia electio status,non limitatur ad statum perfectionis, quãuis ad perfectionẽ in quocunque statu ordinandam ordinetur. Ob hanc ergo causam nõ fuerunt ibi numerandæ castitas, vel obedientia: nam quatenus sunt necessariæ ad salutem,supponuntur ad perfectionem; quatenus verò sunt in consilio, non sunt necessariæ ad perfectionem vt sic,licet sint necessariæ ad statum perfectionis: nec disponunt ad electionem, sed potiùs sunt terminus electionis. Atq; idem est de perfecta paupertate,quantum ad effectum, vt ipsemet B. Ignatius iudicauit: & ideo in primo gradu præcipuè posuit spiritualem affectum paupertatis,qui ad omnẽ bonam electionem inprimis necessarius est. Vnde etiam constat, cur illa tria potissimùm numerauerit,diuitias,honorem, & superbiam,seu propriam excellentiam:quia maximè perturbare possunt rectam electionem. Omisit autem concupiscentiam carnis,quia illi proposito non inseruiebat, propter rationẽ dictam: nam quidquid in eo genere vitiosum est,nõ cadit sub electionẽ,sed per se notum est, debere moderari ante omnem electionem de maiori perfectione:quidquid autem amplius est, non disponit ad electionem,sed de illo est electio.

Vndecimum dubium.

XXX. Vndecimò occurrent in huius libri lectione nonnulli termini,quos calumniari posset qui vel in rebus Theologicis nõ essent eruditi, aut spiritualium rerum inexperti,vel in eis non satis instructi. Sæpè enim mẽtio in hoc opere fit *diuinarum illustrationum, & illuminationum*: & quoniam olim quidam hæretici Illuminati appellati sunt, formidare quis posset, ne aliquis error in huiusmodi verbis inuoluatur. Non enim defuerunt qui hoc obiicerent.Item sæpè dicitur, hominem in oratione *sentire varios spiritus, agitari variis spiritibus* consolationis,aut desolationis, & ad eos discernendos variæ regulæ assignantur, in quibus significatur, posse interdum *euidenter discerni, an auctor interni motus sit Deus,aut bonus,vel malus spiritus*: quod videtur periculis expositum, & in rigore falsum, quia sine reuelatione non potest haberi hæc certitudo. Vnde etiam aliquando significatur,posse hominem interdum *certò in se experiri beneplacitum diuinum docente id aliquo consolationum,desolationum, vel diuersorum spirituum præuio experimento*,vt dicitur in quadam secunda notatione circa tempus ad electionem aptum.Sic etiam in 4. regula ad victum temperandum dicitur, perfectam abstinentiam esse dispositionem,vt homo interdum *sentiat quosdam cogitationis intimæ radios,& consolatorios motus ibi cælitus immissos.*

Locutiones quasdam hic, easdemque obscuras explicat.

XXXI. Veruntamẽ hæc,& similia,quæ in hoc opere passim occurrent,& egregie sunt in scholastica doctrina fundata, & ad Theologiam mysticam sapienter applicata. Nam inprimis certum est dari in anima nostra internos quosdam motus, tam intellectus, quàm voluntatis, ex speciali Dei motione gratis præuenientis, vt ex materia de gratia constat prologom.3.de gratia cap.6.à num.9.& latiùs lib.3.& hi vocãtur à sanctis Patribus illuminationes, illustrationes, inspirationes, & motiones diuinæ, vt constat ex Concilio Tridentino tota sess.6. & ex antiquiorib.Conciliis, & modo loquendi Augustini: & fundatus est in modo loquendi Scripturæ, vt patet ex toto Psalmo 118.& ad Rom.8. *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt*

Notationes pro præcedentibus illuminationibus vel locutionibus.

bi sunt filij Dei, & similibus. Deinde certum est, huiusmodi internas inspirationes, vel illuminationes. interdum fieri immediatè ab ipso Deo, qui est principalis auctor omnis gratiæ, & aliquam specialem vocationem seu motionem habet sibi soli reseruatam, vt attigimus disput. 27. de Incarnatione, sect. 2. §. *sed occurrit*. interdum verò, & sæpè fiunt per bonos Angelos custodes, nam hoc est præcipuum munus eorum, vt lib. 6. de Angelis cap. 16. latè ostendimus. Vnde è contrario etiam est certum, dæmones conari ad imitandum, quantum possunt, hanc internam motionem, conuertendo illam in malum, excœcando intellectum, seu praua obiecta, quantũ possunt, illuminando, & mediantibus illis ad prauos motus, appetitum, & voluntatem excitando, interdum apertè, interdum sub specie boni: quia *Angelus sata̅ nas interdum se transfigurat in Angelum lucis*, vt Paulus dixit 2. ad Corinth. 12. Denique, optima, & certa doctrina est, inter alias hanc esse differentiam inter Deum, & quemcunque spiritum creatũ: quòd Angelus solùm potest excitare voluntatem, medio intellectu & appetitu sensitiuo, & vtrumque horũ mediis phantasmatibus, seu obiectis sensibilibus, & imaginariis: Deus autem immediatè potest mouere ipsum intellectum, & voluntatem iuxta illarum facultatum capacitatem: ipse enim solus habet infinitam efficaciam, & solus etiam est auctor harum potentiarum, quæ sicut ab ipso solo immediatè pendent in esse, ita etiam ipso solo immediatè possunt moueri, & excitari. Neque Angeli possunt in rebus quidquam efficere immediatè, nisi motũ localem, vt lib. 4. de Angelis dictum est: immediata autem motio intellectus, & voluntatis, non fit per localem motum. Et ideo dicit interdũ D. Thomas (& ita etiam loquuntur Patres) solum Deum posse influere interiùs rationali menti, 3 p. q. 8. art. 8. ad 1. item solum Deum posse illabi animæ, 3. p. quæst. 64. art. 1.

XXXII. *Notatio altera.* Ex his colligitur necessarium esse homini posse discernere inter hos motus internos, à quo principio sint: ideo enim dicebat Ioannes 1. canonica, c. 4. *Probate spiritus, an ex Deo sint*, quoniam nisi exquisitè ac diligenter hæc discretio fiat, magnum periculum est errandi: quia (vt ex Paulo dicebamus) *transfigurat se Angelus sata̅næ in Angelum lucis*. Et ideo inter gratias gratis datas; numeratur discretio spirituum 1. ad Corinth. 12. Quanuis autem hoc donum, interdum detur ab Spiritu sancto, extraordinario, & peculiari modo supernaturali: nihilominus necessarium est, vt sit aliquis modus ordinarius in Ecclesia, quo per principia supernaturalia adhibito rationis discursu, & experientiæ, & prudentiæ iudicio, discerni possint interiores motiones, seu spiritus. Sicut licet detur specialis gratia sanitatum, linguarum, interpretationis sermonum, &c. non expectantur semper in Ecclesia huiusmodi singulares gratiæ ad illos effectus, quatenus ordinariè in Ecclesia necessarij sunt, & per doctrinam, scientiam, vel artem humano modo comparatam cum diuino auxilio fieri possunt.

XXXIII. *Notatio tertia.* Vlteriùs his omnibus addendum est, quòd licet impulsus diuinæ gratiæ per illuminationes, & inspirationes secundum totam latitudinem, seu collectionem suam, non expectent hominis dispositionem; quia ipse Deus est, qui in nobis incipit: nihilominus postquam Deus per suam gratiam præuenit hominem, & cœpit in illo operari vel fidem, vel charitatem, vel quamcunque aliam bonam voluntatem, aut perfectionis affectum; potest homo, & debet (si velit proficere spiritualiter) se disponere, & præparare ad maiorem Dei illustrationem, ac motionem obtinendam: quia suppositâ priori gratia præueniente, potest homo illi cooperando mereri aliam, vel maiorem gratiam præuenientem, vel orando, illam impetrare: & ideo Ecclesia sæpe orat Deum, vt sua gratia nos præueniat; & ex doctrina de gratia id certissimè constat. Inter has autem dispositiones præcipua est vitæ puritas, & munditia à peccato, tam dolendo de præteritis, quàm cauendo futura. Deinde augetur hæc dispositio, minuendo affectum temporalium bonorum, & commoderum. Quomodo dixit B. Ignatius in vltimis verbis secundæ hebdomadæ, circa electiones faciendas. *Hoc vnusquisque persuasum habeat, tantum se in studijs spiritualibus promoturum esse, quantum ab amore sui ipsius, & commodi proprij affectione sese abstraxerit*. Tandem optima dispositio ad huiusmodi effectus diuinæ gratiæ in oratione præsertim mentali, quasi perficitur, nõ solùm quia efficacissimum medium ad obtinẽdum à Deo huiusmodi motiones, est oratio, & petitio, sed quia cum oratione mentali eleuetur anima ad Deum, & ad considerationem rerum æternarum, est magis separata à rebus temporalibus, & ideo magis disposita vt à Deo illuminetur, & moueatur, iuxta illud, *Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius*. & illud, *In meditatione mea exardescet ignis*. Accedit etiam quòd ipsamet oratio mentalis, quia est actio valde spiritualis, & supernaturalis, multumque eleuata supra sensus & corporalia bona, indiget maximè afflatu Spiritus sancti, qui frequenti inspiratione, & illuminatione sua, hominem in eo exercitio sustineat, & promoueat. Quod licet interdum pro sola sua gratia abundanter faciat, quia *prout vult spirat*: & *diuidit singulis prout vult*, tamen ordinariè, & secundùm iustam dispositionẽ suæ prouidentiæ *præsentior est diligentibus: negligentibus abest*, vt dixit Ambros. lib. 9. in Lucam, cap. 20. & egregie tractat Bern. serm. 56. in Cantica. Et ideo qui in huiusmodi orationis exercitio, quod in se est, cum diuina gratia diligentiùs præstat, & diuinis vocationibus, quæ in ea dantur, fideliter respondet, magis etiam à Deo illuminatur, & perfectiùs vocatur.

XXXIV. *Satisfit iam adductis in num. 30.* Ex his ergo satis intelligitur, cur necessariũ fuerit B. Ignatio in hoc opere frequenter loqui de internis illuminationibus, motionibus, seu inspirationibus, quia in hoc opere agebat de instruendis hominibus in exercitio spiritualis vitæ, & mentalis orationis, ac considerationis, in qua maxime exercentur, seu recipiuntur huiusmodi impulsus: neque in illis terminis aliquid est inuidiæ, cum & vix possint illi motus aliis nominib. magis propriis significari, & ex vsu Conciliorum, & Patrum, sumpta sint. Quòd si aliqui hæretici illis interdum abusi sunt, nihil hoc veritati nocet, nec catholicum scriptorem impedit, dummodo veritatem satis ab errore discernat. Quod in eodem opere à B. Ignatio diligenter præstitum est in regulis, quas tradidit ad discernẽdos spiritus, tam pro incipientibus, quàm pro proficientibus, vel perfectis.

XXXV. *Tria capita discernendi internes motiones ex parte materiæ obiecti.* In quibus illud etiam aduertendum est, tria capita in eis insinuari ad dignoscendos hos motus. Vnum est ex parte obiecti, seu materiæ, circa quam versantur: nam, si fit peccatum aliquod, manifestum est, impulsum esse à dæmone, & non à bono spiritu: si autem materia honesta sit non statim cõstat motionem esse à bono spiritu; & ideo euidentiùs constare potest, impulsum esse à malo spiritu, quam à bono: & hoc significauit Ignatius in quarta regula suprà citata. Ratio autem est, quia malum non potest bene fieri: bonus autem spiritus non potest esse auctor mali: bonum autem potest male fieri, & ideo bonum aliquando suggeri à dæmone quanuis non benè.

XXXVI. *2 caput ex parte finis & effectuum.* Et ideo necessarium est secundum caput, quod est consideratio finis, ad quem tendit impulsus seu motio interior: nam, si ille finis malus est, euidens argumentum est, motionem esse à malo spiritu. Si autem finis sit honestus, magnũ indicium est boni spiri-

spiritus mouentis, non tamen est sufficiens, tũ quia vt actio sit bona, non satis est finis bonus, nisi etiam materia, seu obiectum, aut medium vt propositum cum talibus circunstantiis nec per se malum, nec prohibitum sit: tum etiam, quia sub illa specie boni, potest non intendi bonitas, sed impediri potiùs maior bonitas, seu perfectio. Ad hoc item caput reducuntur effectus talis cogitationis vel motionis: nam finis, qui est primus in intentione, est effectus motionum, quæ ad illum ordinantur: & quanuis interdum talis effectus ab ipso homine nõ intendantur, quia vel non præcognoscuntur, vel non quæruntur, saltem pro tali tempore: nihilominus à bono, vel malo spiritu interiùs præmouẽte, sine dubio intenduntur, vel saltem præuidentur, ac præmittuntur: & ideo ex illis tanquam ex fructibus cognosci potest qualis sit qui moueat.

XXXVII. *3. ex parte modi sensibilis internorum motuum.*

Tertium caput est modus motionis, nam quod ad præsens attinet, potest esse duplex, scilicet sensibilis, siue mediis sensibus externis, siue per internã motionem phantasmatis, vel omninò internus, & spiritualis. Prior facilè cognosci potest, de quo consulendus Athanas. in vita S. Antonij, circa medium, apud Sur. 17. Ianu. tamen ex illo præcisè non potest discerni, an sit à bono, vel malo spiritu. Quãuis autem hoc verum sit de iudicio certo, & infallibili, tamen ex alio mouendi modo, supponit optimam coniecturam B. Ignatius in posterioribus regulis de hac re, reg. 7. nam interdum hæc interior motio fit placidè ac suauiter, & cum magna animi tranquillitate, interdum verò duriter, & quasi violenter, & cum aliqua perturbatione animi. Tunc ergo ait considerãdam esse conditionem personæ, quæ mouetur: nam si alioqui curam habeat procedendi in virtute, & in obsequio diuino, & suauiter mouetur, signum est à bono spiritu moueri; si autem asperè, à malo. E contrario verò si persona est in peccatis, vel negligens in diuino obsequio, à bono spiritu asperè, à malo blandè, & suauiter mouetur: nam vterq; spiritus intendit vel mutare animam à dispositione sibi contraria, vel promouere in sibi conformi: mutatio autem illa ordinariè requirit commotionem, & asperitatem: continuatio autem, vel promotio in vita simili, suauiùs fit. Item, quia dum homo resistit bono spiritui, respectu illius, indiget reprehensione, & aspera motione; tamen si ei obediat, meretur consolationem, & suauem promotionem: & è contrario dæmon in eum, qui crescit in bono, tanquam in hostem insurgit, & in contrarium duriter impellit: in eo verò, qui negligens est, quiescit, & suauiter illum mouet, vt in eo statu permaneat: quæ est optima coniectura, licet non infallibilis. In qua etiam est aduertendum, quòd licet ex ea, vel ex aliis cõstet motionem esse à bono spiritu, attamen non potest ab homine cognosci, an sit immediatè à Deo, an mediante Angelo: quia cùm spiritus creatus possit hoc modo hominem mouere, nihil in eo relinquitur (quod homini saltem notũ sit) ita proprium Deo, vt ex illo discernere possit homo, an Deus ipse immediatè moueat. Veruntamen si aliũde constet motionem esse à bono spiritu, ad morales actiones parum refert quòd motio sit immediata à Deo, vel mediante Angelo custode, quia hic semper operatur vt minister Dei, & iuxta illius voluntatem.

Da hoc documento vide quæ tradit Athan. in vita S. Antonij apud Sur. 17 Ianuar. § Nunciam.

XXXVIII. *Aut etiam ex parte modi meè spiritualis.*

At verò è conuerso contingit in posteriori modo, nam si ille semel cognoscatur, ex illo optimè intelligetur, Deum esse qui mouet: nam, vt prænotauimus, talis motio immediate in superiorem partem animæ, diuinæ virtutis est propria: igitur ex illa tanquam ex proprio effectu cognoscetur motor diuinus. Dices, Illuminatio Angelorum inter se est mere spiritualis, & nihilominus non fit à Deo immediate, sed mediis superioribus descendit ad inferiores. Respondetur, modum illius illuminationis incognitum nobis esse, & ideo non posse ab illo sumi argumentum, fortasse enim non est per efficientiam vnius Angeli in alium: hi autem effectus, de quibus agimus, non fiunt sine efficientia circa ipsum hominem: vel certe, si aliqua efficientia in illa illuminatione interuenit, ad summum est alicuius speciei intelligibilis, omninò abstractæ & independentis ab obiectis sensibilibus: quæ species non potest fieri in anima cõiuncta corpori naturali virtute: & ideo si aliqua illuminatio, vel motio in hac vita immediate fit in intellectu, vel voluntate hominis, sine dubio est immediate ab ipso Deo, præsertim, quia non fistit in ipsis speciebus, sed immediate versatur circa actus secundos intelligendi, iudicando, vel saltem apprehendendo: & voluntatis amando, timendo, &c. saltem per actus simplices, seu imperfectos.

Difficultas autem circa hunc modum est, in cognoscendo quando hęc motio tam intima, tamque intellectualis, & spiritualis sit. Et ideo ad hoc dignoscendum octauam regulam posuit B. Ignatius his verbis, *Solus Dei est consolari animam, nulla præcedente consolationis causa, cum sit hoc proprium creatoris suam ingredi creaturam, & illam in amorem sui totam conuertere, trahere, & mutare: causam verò præcedere nullam tunc dicimus, quando nec sensibus, nec intellectui, neque voluntati nostræ quidquam obiectum est, quod huiusmodi consolationem causare possit.* Quorum verborum intelligentiam facilem esse non existimo. Nam, vt paulò superiùs in quadam 3. regula dicitur, consolatio spiritualis est, quando anima Dei amore exardescit, quando interna lætitia perfunditur, quæ animum ad studium salutis, vel ad quietem, & pacem cum Deo habendam, faciliorem reddit. Hæc autem, vel similis cõsolatio non potest fieri in nobis sine causa, saltem intellectu apprehensa, quia non potest moueri affectus, nisi medio intellectu: quomodo ergo intelligi potest tunc nullam præcedere causam, quando nec sensibus, nec intellectui, nec voluntati quidquam obiectum est, &c. si enim nihil obiectum est, quid amabit, aut de quo lætabimur? quomodo ergo poterit consolari? Et augetur difficultas, quia in hac vita non potest esse talis consolatio, adeò intellectualis, quin aliquo modo participetur à sensu, tum quia cognitio in hac vita non est sine phantasmate, & consolatio (vt dixi) non est sine cognitione: tum etiam, quia appetitus spiritualis, & sensitiuus, ita sunt in homine connexi, vt superior moueri non possit, quin aliquo modo secum ferat inferiorem, iuxta illud, *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.*

XXXIX. *Regula 8. Ignatij de octaua motionis modi spiritualis.* *D. Thom. dicta supra.*

Hic discursus ostendit, difficile esse hanc motionem percipere; non est tamen dubium quin possibilis sit, & quod aliquando detur, quanuis fortasse *hæc ipsa* rarò, & non nisi viris valde perfectis, & specialiter à Deo dilectis. Et quando talis motio reuera datur ab Spiritu sancto, ipsa se aliquo modo prodit, & ostendit suam originem esse à Deo. Hoc autem non est, quia vel moueatur anima per affectum sine aliquo obiecto cognito, nec quia intellectus humanus operetur sine cooperatione phantasiæ: primũ enim fortasse omnino repugnat: secundum autem licet possit à Deo fieri, & interdum factum sit, tamen est valde extraordinarium, & miraculosum, de quo *Item in* genere eleuationis nunc non agimus. Indicium ergo huius motionis est, ex parte quidem intellectus, *primum* quia in eo fit aliqua apprehensio, vel cognitio, quæ *secundo* prout hic, & nunc in tali homine fit, non potuit per *sua.* imaginationem excitari; vel est de obiecto nobiliori, quàm in sensum vnquam aliquando ceciderit; vel quia fit tam subitò, vel cum tanta intelligentia veritatis, vt ex vi phantasmatũ comparari non potuerit: vt v. g. si Gentili, qui nunquam de Creatore cogi-

cogitauit, subitò, & sine discursu sese offerat, verũ, & credendum, esse aliquem supremum auctorem, & sentiat hanc cogitationem esse ita infixam menti, vt non possit illam remouere, & cum illi statim sese offerãt multa, quæ veritatem illam credibilem faciant, quæ nunquam antea homo cogitauit, nec per se erat sufficiens ad inuenienda illa: tũc signum ferè euidens est, Deum esse, qui in intellectu immediatè operatur. Simile cum proportione est de fideli simplici, cui subitò offertur cognitio de Deo trino, & vno, vel de alio mysterio fidei cũ tali modo, & tam distincta representatione veritatis, vt planè superet capacitatem, vel discursum eius. Hoc etiam maximè contingere potest in iudiciis practicis de diligendo Deo, aut pœnitentia agenda, perfectione sectanda, aut similibus; nam aliquando tam subitò, & tam vehementer proponuntur menti, vt ferè apertè constet non habere originem ab obiectis sensibilibus, & phantasmatibus, sed potiùs si aliqua phantasiæ apprehensio tunc comitatur, à mentis cogitatione excitatam esse. Ex parte autem affectus indicium potissimum sumẽdum est ex modo, quia nimirum licet operetnr circa obiectum cognitum, tamen vehementius mouetur, quàm obiectum ipsum per se posset, aut soleat mouere. Vt, v.g. si obiectum vt prosequendum proponatur, voluntas sentiat impetu, ac veluti necessitate quadam ad illud affici, saltem per simplicem affectum, vel maiori voluptate, & suauitate de illo cogitare, & ad illud inclinari, quàm sedeat, vel quàm possit sua industria quærere, vel comparare. Si autem obiectum proponatur vt fugiendum, vehementiùs terreat: & sic de aliis affectibus: quãdo enim hi affectus immediatè versantur circa superiora, & spiritualia bona, & per se honesta, & prædicto modo fiunt, signum est, ab ipso Spiritu sancto mouẽte voluntatem immediatè fieri: quia nulla creatura habet tantam efficacitatem in humanam voluntatem. Et hæc omnia significauit P. Ignatius in illis vltimis verbis, quibus explicat nullam causam præcedere, quando nihil obiectum est, quod huiusmodi cõsolationem causare ex se possit.

Alterum ex parte voluntatis.

XXXXI. Vnde tandem concluditur, quo sensu dictum sit agitari hominem in oratione, vel etiam extra illam variis spiritibus consolationis, aut desolationis. Spiritus enim vocari possũt, vel spirituales motiones, quæ in anima hominis fiũt, vel spirituales substantiæ, à quibus illæ motiones fiunt, vtroque enim modo sumi potest apud Paulum 1. ad Corinth. 4. & apud Ioannem 1. Canon, cap. 4. Ex quibus locis etiã constat meritò tradi nobis rationem aliquam, & viam discernendi hos spiritus: nam licet euidenter, aut cum certitudine fidei diiudicari non possint sine Dei reuelatione: nihilominus valde probabili coniectura, & interdum moraliter certa, potest de illis iudicium ferri, vt lib. 9. de Gratia à cap. 9. disseruimus: & ad illud maximè deseruire possunt regulæ fundatæ in veris principiis Theologiæ, & in magna experientia: huiusmodi autem sunt illæ, quæ traduntur ab Ignatio, nam si quis eas rectè cõsideret, inueniret omnes reuocari ad illa tria capita, quæ à num. 35. proposuimus. Quòd autem sit necessarium spirituales viros esse in hac arte instructos, per se notum est, quia nec temere est credendum cuicunque spiritui, iuxta præceptum Ioannis loco citato. *Nolite omni spiritui credere*: neque etiam nimiũ timendum est, ita vt diuinæ etiam motiones, vel contemnantur, vel reprobentur, cõtra præceptum Pauli, *Spiritum nolite extinguere: prophetias nolite spernere: omnia probate, quod bonum est tenete.* Quanuis autem generales regulæ, & indicia designentur, non tamẽ omnibus concessum est eis vti, aut per illas iudicare: sed requirit aut speciale Dei donum, aut sapientem, & in rebus spiritualibus valde exercitatum virũ, vt rectè dixit Gerson tractat. de probatione spirituum, Alphab. 17. lit. R. Qui etiam videri potest in tractatu, de Distinctione verarum visionum à falsis, Alphal. 17. in fine, vbi quinq; signa adducit, quæ in his quæ diximus, & in documentis B. Ignatij cõtinentur. Rectè etiam de hac materia loquitur in Centilogio de impulsibus, decade 3. & sequentibus Alphab. 63 lit. I. & in tom. 4. habet tractatum de signis bonis, & malis, Alphab. 17. lit. B. quod huic etiam proposito deseruire potest. Optime etiam Bonauent de processu relig. c. 18.

Duodecimum dubium.

Duodecimò occurrere potest in hoc opere difficultas, quia interdum videtur nimium tribuere viribus rationis naturalis, & liberi arbitrij, interdum verò nimium motioni gratię. Primum intelligi potest ex quadam meditatione de tribus hominum classibus, vbi in 3. dicitur, quosdam esse paratos ad id quod intellexerint maius esse obsequium Dei, *Vel ex diuino instinctu, vel ex rationis dictamine.* in regula 7. ad discernendos animæ motus, dicitur cogitandum esse nos interim à Domino nobis ipsis probationis causa relinqui, vt per naturales quoque vires insultibus inimici nostri obsistamus. Et tractando de tempore electionis dicitur, *Porro tranquillitas tunc noscitur adesse, quotiescunque anima nullis agitata variis spiritibus, vires naturales suas liberè exercet.* Alterum autem membrum sumi potest ex eodem loco, vbi dicitur, aliquando diuina virtus sic impellit voluntatem, vt omnis dubitatio, imò etiam dubitandi facultas animę sublata sit quominus sequatur impulsionem talem.

XLII. *1 membrum dubij.*

2. instrum.

Hanc difficultatem propono, nõ quia loca citata difficilia sint, sed vt occasionem sumam aduertendi zelum, quem nunc habet Societas rectè explicãdi concordiam gratiæ cum libero arbitrio, & conuenienter loquendi, & accommodatè ad resistendum Luthero aliisq; huius temporis hæreticis, eundem fuisse in Patre nostro Ignatio, & vel ab illo in Societatẽ manasse, vel eundem spiritum, qui hanc religionẽ mouet, ad resistẽdum hæreticis, huius esse doctrinæ auctorem. In primis ergo in quibusdam regulis, quas in fine totius libri S. Ignat. proponit, vt cum Orthodoxa Ecclesia verè sentiamus, generaliter notari potest, omnes ad hoc tendere, vt ab errorib. huius temporis maximè auertant, in omnibus, tam verbis, quàm factis cõtrariam doctrinam profitendo, vt de obedientia Ecclesiæ præstanda, de vsu frequẽti cõmunionis Eucharistiæ, de sacrificio Missæ, & cãtibus ac cæremoniis Ecclesiasticis, ac diuinis officiis, de votis monasticis, ac cœlibatu, de cultu ac veneratione Sanctorum, Rel quiarum, ac Imaginũ, de Iubilæis, ac peregrinationibus, & operib. satisfactoriis, & in vniuersum de fide, & operibus, ac timore Dei tam seruili, quàm filiali, & denique de tuendis traditionibus Patrum, & doctrinis sanctorum, ac probatorum Theologorum, & similia, quæ planè ostendunt spiritum spiritui Lutheri directè contrarium, quem sine dubio Deus Ignatio præbuit, tanquam vni ex primariis ducibus, quos aduersus eum excitauit. Tandem verò circa finem illarum regularum in 14. ita de prædestinatione loquitur. *Aduertendum est, etiamsi plane compertum definitumque sit, nemini contingere salutem, nisi prædestinato: circunspectè tamen super hoc loquendum esse, ne forte gratiam, aut prædestinationem Dei nimis extendentes liberi arbitrij vires & operum bonorum merita excludere velle videamur: vel è conuerso, ne plus æquo hisce tribuentes, illis interim derogemus.* Et in regul. 17. magis hoc declarans, subdit. *Neque prædicandæ, & inculcandæ gratiæ Dei, vsque adeo insistendum fuerit, vt serpere interdum possit auditoribus lethalis error, negata liberi arbitrij nostri facultate. De gratia ergo ipsa diffuse quidem loqui fas est,*

XLIII. *S. Ignatii, & Societatis spiritus conciliandi gratiam cum naturæ viribus.*

Is spiritus in B. Ignatio fuisse ostenditur.

Recentium hæreticorum errores.

fas est, Deo aspirante, sed quatenus in gloriam eius vberiorem redundat, idque iuxta modum conuenientem, nostris præsertim temporibus tam periculosis, ne & liberi arbitrij vsus, & operum bonorum efficacia tollatur. Hoc ergo ipsum, quod faciendum præmonuit S. Ignatius, vsu & exercitio in suo opere obseruauit, & hoc insinuare voluit locis in principio citatis, & in aliis, præsertim in posterioribus regulis, de discernendis spiritibus, in 2. egregiè explicat efficaciam gratiæ, dicens, *proprium esse Creatoris suam ingredi creaturam, & illam in amorem sui totam conuertere, trahere, & mutare.* Et in 8. rectè gratiam Dei excitantem, seu præuenientem eiusque efficaciam declarat dicens, immediatè diuinitus immitti; nulla ex parte hominis præcedente causa, & sufficientem esse ad consolandam animam. Aduertit autem ibidem sapienter & subtiliter, hanc gratiam esse, veluti semè quoddam, quod sui reliquias in anima relinquit, per quas potest homo postea aliquid operari, in qua cooperatione misceri potest aliqua alia intentio, vel motio à proprio, vel contrario spiritu prouenies, quam proinde obseruare, ac discernere necessarium est. Rursus in prioribus regulis de eadem discretione spirituum in vndecima egregie docet æstimare diuinam gratiam, vt cùm aliquis operationem in se sentit, seipsum deprimat, ac vilefaciat, *reputando secum quàm imbellis, quamque ignauus apparebit desolatione impugnante, nisi per gratiæ, & consolationis diuinæ opem citò subleuetur.* Et è conuerso etiam docet, non despondere animum, etiam si quis gratiæ cõsolationem, vel abundantiam non sentiat, *Quia vnusquisque æstimare debet cum Dei gratia posse se plurimum, & aduersarios suos deuicturum, dummodo in Dei virtute collocet ipsam suam, & animum suum corroboret.* Vbi ostendit necessitatem gratiæ respectu omnium, & gratuitam abundantiam respectu aliquorum, & sufficientiam quam omnes sperare debent. Et paulo superiùs in regula 9. *Certi* (inquit) *simus nostrarum virium non esse, vel acquirere, vel retinere feruorem deuotionis, vehementiam amoris, abundantiam lacrymarum, aut aliam quamcunque internam consolationem, sed omnia hæc gratuita esse Dei dona, quæ si vendicemus nobis, vt propria, superbiæ, & vanæ gloriæ crimen non sine salutis graui periculo incursuri sumus.*

XXXXIV. *Responsio ad primum mẽbrum dubij in num. 24.* Cùm ergo in 7. regula ex eisdem dicitur, *interdum probationis causa nos Deum sine consolatione relinquere, vt per naturales quoque vires insultibus inimici nostri obsistamus*; nõ dicitur vt gratia excludatur simpliciter, sed solùm quoad maiorem quandam abundantiam, & consolationem; nam statim additur, *Id quod possumus hauddubiè assistente nobis iugiter præsidio diuino, licèt tunc nequaquam sentiatur, eo quod feruorem pristinum charitatis Dominus subtraxerit, relicta nihilominus gratia, quæ ad benè operandum, & ad consequendam salutem satis esse queat.* Vnde *per naturales vires*, tum ibi tum alio loco significari videntur naturales facultates, seu potentiæ, non tamen vt operantes per solam naturalem virtutem, sed vt adiutas diuina gratia, & cooperãtes illi. Postquam enim Deus sufficienter præuenit voluntatem per suam gratiam, & fidem, interdum relinquit illam, vt benè vtatur acceptis donis, vel vt resistat occurrenti tentationi, absque nouo præueniente auxilio, quanuis non sine adiuuante, & cooperante, vt in prædicto loco satis explicatum est. Alter etiam locus ex meditatione de tribus hominum classibus, facilis est: insinuatur enim ibi duplex modus: quo mouetur homo à Spiritu sancto, quos Theologi distinguunt. Vnus est per Spiritus sancti donum, quem optimè vocat Ignatius, ex diuino instinctu, in quo homo magis agitur, quàm se agat: alius pertinet ad virtutes, in quo homo operatur per discursum, & dictamen rationis, non quidem sine lumine, & auxilio supernaturali, sed illis adiutus. Sic enim ex principiis fidei, & doctrinis Patrum discurrimus, & dictamus per infusam prudentiam de agendis. Et vterque modus insinuatur à S. Ignatio dum inter media ad bonam electionem, tertium ponitur, *obsecrares Dei clementiam, vt dignetur mentem instruere, & implere voluntatem quocunq; potius mihi tendendum sit adhibito nihilo secius pio, fidelique intellectus mei ratiocinio, per quod apprehensa Dei voluntate, ad electionem ferar.* vbi notanda sunt illa verba, *pio fideliquè ratiocinio*, quibus supernaturalis discursus significatur. Et sic ratiocinari, & eligere, est vires seu facultates naturales libere exercere, & voluntatem Dei cognoscere, ex rationis dictamine, nunquam excludendo diuinum lumen & gratiam. Quanuis negandum etiam non est, aliquando naturalis rationis dictamen conferre ad electionem honestam faciendam, non tamen de supernaturalibus bonis, de quibus in illis locis sermo esse videtur, sed de aliquo bono morali, & honesto, vt latè libro primo & secundo de gratia ostensum est.

Tandem, quod in vltimo loco dicitur de diuinõ impulsu ita efficaci, vt facultatem dubitandi auferat, pertinere credimus ad priorem modum diuinæ motionis, per dona Spiritus sancti: nam interdum potest esse tam efficax, vt necessitatem quandam inferat, saltem intellectui ad iudicandum de aliquo agendum per donum consilij, vel per aliquam reuelationem adeò efficacem, vt ex parte intellectus non relinquat facultatem dubitandi. Quanuis autem tunc homo necessariò iudicet, impulsum Dei esse sequendum, nihilominus in voluntate manere potest eligendi libertas: hæcenim non aufertur per motiones gratiæ (esto posset Deus illam auferre) ne moralis fructus, & meritum actionis impediatur: sicut Christus Dominus necessariò rectè iudicabat de omnibus agendis, & tamen libere eligebat. Hic autem motionis modus nec necessarius est ad supernaturaliter operãdum, nec ordinarius est, sed ex speciali Dei gratia aliquãdo liberaliter conceditur, vt de Matthæo, & Paulo in eodem loco exempla ponuntur. Et hactenus de doctrina libri exercitiorum.

Responsio ad 2. mum dubium num. 25.

Responsio ad 3. tium num. 26.

CAPVT VI.

De arte, seu methodo exercitiorum.

I. *Argumentum libelli sequentis.*

SEcundo loco dicere proposuimus de arte, seu methodo ad orandum, seu ad exercendam mentem in rebus spiritualibus data in hoc opere à B. Ignatio. Circa quam primò dubitare quis potest, quia vel infructuosum, vel impossibile videtur huiusmodi opus ad artem redigere, & subregulis constituere: quia non humana industria, & virtute, sed Spiritus sancti inspiratione, & auxilio fieri debet, iuxta illud Psalmi 83. *Beatus vir cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit.* Spiritus sanctus autem nullis arctatur legibus, sed variis & infinitis modis mouet, & illuminat animam prout vult. Non est ergo hoc opus artis, sed gratiæ: nam si homo velit legibus alicuius artis astringi, sæpe impediet Spiritus sancti motum. Deinde contemnere quis potest simplicitatem, & breuitatem huius operis, nam in meditationibus, quæ in eo traduntur, breuissima puncta ex historia Euangelica, aut ex consideratione vel comparatione aliqua vulgari desumpta proponuntur per simplicia verba, nihil fere addendo, quod ad materiæ vbertatem, & ad vnius horæ, vel plurium discursum, & meditationem viam aperiat. Tertiò cùm supremus gradus interni exercitij sit contemplatio, admirari quis potest, quòd in toto hoc opere nihil de ratione, aut modo contemplandi traditur, sed totum circa orationem, & meditationem

tionem versatur. Item cùm in hac via spirituali tres gradus seu viæ distinguantur, scilicet, purgatiua, illuminatiua, & contemplatiua; prima traditur in prima exercitationum hebdomada: circa secundam autem reliquæ omnes meditationes versare videntur, tertia omnino prætermissa. Item cũ nostra oratio, & consideratio ita debeat à creaturis, & à nobis ipsis incipere, & per Christi humanitatem progredi, vt ad Deum ipsum in se terminetur, ei præcipuè anima adhæreat, vt latè prosequitur Bonauentura, in Itinerario mentis, & D. Bernard. in Scala clausträli, seu de modo orandi: in hoc opere de initio, & progressu variæ meditationes tã de creaturis, quàm de nobis ipsis tradantur, de Deo ipso, aut modo cogitandi, de attributis, & perfectionibus eius, vel de modo vnionis animæ cum ipso nihil docetur, & ex hac parte dicetur saltem imperfecta hæc doctrina.

B. Ignatij consilium in hac methodo tradenda fuisse optimum.

II. Tria igitur in hac parte à nobis ostendenda sunt: primum consilium Ignatij de tradenda aliqua directione, & quasi arte huius mentalis exercitij, fuisse prudentissimum, ac planè diuinum. Secundum quam rationem in ea directione tradenda seruauerit, vt maiori se exercentium vtilitati consuleret. Tertium quomodo modis omnibus, seu statibus satisfecerit. Primum efficacissimè probatur ex effectu ipso; experimento enim constat, per hanc artem in spirituali vita multos profecisse. Quod etiã Paulus III. in Bulla superius citata agnoscit. Secundò confirmari hoc potest exemplis Sanctorum, qui non solùm ad mentalem orationem, & considerationem homines excitant, sed etiam modum orandi, & ascendendi ad Deum, docere conantur, quoad possunt. Hæc fuit intentio Dionysij, præsertim in libro de mystica Theologia. Et fortasse eadem fuit mens Augustini in lib. Meditationum, qui 9. tom. habetur, & in altero lib. de diligendo Deo, & soliloquiis, cum aliis opusculis, quæ eodem tom. 9. Augustino ascribuntur. Differentia autem esse videtur, quòd in omnibus illis libris Augustinus, non tam docet meditandi, aut contemplandi modum, quàm ipsam meditationem exercet, seu affectus, qui ea exercentur, profert, & describit, in aliis verò duobus libris soliloquiorum, potius speculatiuè inquirendo, & disputando, (vt solet) quàm affectum exercendo procedit. D. etiam Prosper tres libros scripsit de vita contemplatiua: sed in eis non tam rationem contemplandi docet, quàm generalẽ doctrinam tradit de vita actiua, & contemplatiua, & ministeriis, vel laudibus earum, & consequenter de omnibus virtutibus differit. Sic etiam alij Patres de hac materia ad instructionem eorum, qui contemplationi, aut meditationi incumbere cupiunt, varios tractatus scripserunt, præcipuè Bernardus de interiori Domo, & in Scala clausträlium, &c. Et Richard. de S. Victore in tractatu de eruditione hominis interioris, & libro de præparatione ad contemplationem, cum aliis quæ in 1. p. operum eius habentur: & Bonauentura, (vt in principio dixi) proprium librum scripserit de exercitiis spiritualibus, & alium de quatuor mentalibus exercitiis præter plura alia opuscula de meditationibus, de septẽ itineribus æternitatis, & itinerarium mentis, & similia Laurentius etiam Iustinianus multa habet egregia opuscula, præsertim lib. de vita solitaria, vbi de modis orandi, & de discretione spirituum, & necessitate mentalium exercitiorum, & quæ illa futura sint, specialiter differit cap. 15. 16. & 18. Omitto alia quæ Blosius, Taulerus, Gerson, & Dionysius Carthusianus, & alij inter sua opera de hac materia scripserunt. Qui tamen omnes potius exhortando, quàm instruendo procedunt, & ideo fusius scripsit de laudibus, & effectibus meditationis, vel cõtemplationis: peculiarem autem methodum orandi, non ita distinctè tradunt. B. autem Ignatius breuissimis regulis, ac verbis mirabilem hanc instructionem comprehendit, quàm non tam ex libris, quàm ex vnctione Spiritus sancti, & ex magna experientia, & vsu hausisse videtur.

1. Probatio ab experientia.

2. Ab exemplis patrum.

III. Tertiò ratione id ostendi potest: quia in omnibus actionibus suis, tam externis, quam internis indiget homo instructione, & doctrina, vt eas rectè, & vtiliter præstare possit: sed hæc operatio interior, quæ generali nomine oratio mentalis appellatur, est vna ex præcipuis, ac difficilioribus, & vtilioribus, quæ ab homine exerceri possũt, ergo multo magis homo indiget aliqua instructione, & directione, vt in ea rectè procedere, & proficere possit. Complectitur enim huiusmodi opus plures, & nobilissimos actus, humanos intellectus, res æternas & diuinas cogitantis, & voluntatis detestantis peccata, diligentis Deum, & contemptis temporalibus, æterna desiderantis. In quo exercitio magnus fructus esse potest si rectè fiat, multum verò tędij & otiositatis, aut etiam periculi, si malè fiat; ergo habere aliquam viam breuem ordinatam, & varietati hominum accommodatam, & perfectorum hominum vsu, & experientia probatam, non potuit non esse vtilissimum opus, ac plane diuinum. Atque ita Societas cùm ad procurãdam propriam, & aliorum perfectionem, vocata sit, quæ ab oratione, & communicatione cum Deo maximè pendet, peculiarem hanc methodum, ac modum meditandi & orandi tanquam præclarum quoddam donũ ac munus à Deo datum, & medium efficacissimum ad suum finem cõsequendum, æstimare debet. Quãuis enim principalis auctor interioris profectus, & exercitij, quo id obtinetur, sit Spiritus sanctus, nihilominus ex parte nostra plantare, & rigare necesse est, vt incrementum det Deus; gratia enim, & illuminatio diuina, non excludit cooperationem & præparationem hominis, sed potiùs illã requirit. Vt ergo homo q̃ in se est faciat, consiliis, & regulis iuuari poterit; quæ tamen non ea intentione traduntur, vt hominem ligent, vel vt legem ponant Spiritui sancto, quominus creaturã suam moueat prout voluerit, sed solùm instruunt hominem, tum vt operari incipiat, & meditari, ac discurrere quando à Spiritu sancto specialiter non præmouetur; tum vt Spiritus sancti impulsum recipere aptus sit, eumque sentire, & sequi valeat. Et hoc ipsum in eisdem exercitiis animaduertitur, vt ex annotationibus, quæ in principio eorum traduntur, & ex multis aliis locis eorum constat. Et ex his patet solutio ad 1. obiectionem n. 1. propositam.

3. Probatio ex ratione.

Exercitiorum methodum ad finem intentum salutis animarum esse accommodatissimam.

IV. Circa secundum punctum n. 2. positum aduertendum in primis est, mentem Ignatij fuisse breuissime comprehendere omnia, quæ ad spiritualẽ instructionem & interiorem animæ salutem conducere possunt, tũ vt facilius addisci, & exerceri possent: tum etiam, vt exercitium ipsum suauius, & delectabilius fieret, vt statim dicetur in num. 7. tum etiam, quia sola principia generalia possunt esse omnibus communia, applicatio autem in particulari cum maiori, vel minori extensione, aut cum his, vel illis circumstantiis relinquitur prudentiæ spiritualis magistri, & instructoris, quam in ipsis primis notationibus exercitationũ supponit nũquam de-

4. Ratio, & vtilitas huius libri.

futuram ei, qui in spiritualibus exerceri incipit, iuxta consilium Bernardi ad fratres de monte Dei column. 16. *Quamdiu paruulus es, & donec plenius addiscas diuinam cogitare præsentiam, Pædagogum tibi procura*: cui statim dicit cogitationes omnes esse aperiendas. Nam, vt ipsemet scribit lib. de ordine vitæ column. 7. *magnum huius vitæ solatium est, vt habeas cui pectus tuum aperias.* Spiritualis autem vita duo potissimum requirit, morum correctionem, & vnionem cum Deo. Ad morum autem correctionē inprimis pertinet purgatio præcedentium delictorum, quotidiana conscientiæ cura, & frequens etiam peccatorum confessio. Secundum verò frequenti meditatione, & oratione, & virtutum exercitio comparatur. Ad vtrumque autem recta electio circa vitæ statum maximè necessaria est. In his ergo omnibus conueniētissimo ordine instruitur homo per hæc exercitia. Quia verò conueniens æstimatio, & recta intentio finis vltimi principium est omnium bonarum actionum, ideo S. Ignatius ante particularia exercitia hoc præmisit tanquam fundamentum totius reformationis spiritualis.

V. *Quatuor hebdomadarum huius libri enucleatio.*

Deinde verò quatuor hebdomadas exercitiorū distinxit, quas ita appellauit, non quia necesse sit in singulis septem dies, & non plures, vel pauciores insumi, sed quia commodè ita distribui possunt, & regulariter illud tempus videtur sufficiens, & accommodatum. Propriè ergo distinguuntur in materia, & fine ad quem singula proximè ordinantur. *De 1 hebdomada.* Prima enim viam purgatiuam continet, & ideo materia eius est diuinę offensionis grauitas, & omnes cōsiderationes, quæ ad hunc finem, & ad veram pœnitentiam de peccatis agendam conferunt. Et propterea illi adiungitur duplex conscientiæ examen mane, & vespere quotidie faciendum, quod & ad conseruandam cōscientiæ puritatem, & ad frequētem confessionem vtilissimum est. de quo Bernardus l. b. de vita solitaria colum. 15. *Sedeat iudicans iustitia, stet rea, & se accusans conscientia: nemo te plus diligit, nemo te fidelius iudicabit, manè præterita noctis fac à temetipso exactionem, & venturæ diei tibi indicito cautionem: vespere præteritæ diei rationem exige, & superueniētis noctis fac indictionem.* Fuitque consuetudo antiquorum Patrum: nam de D. Antonio refertur lib. 1. Tripartitæ, ca. 11. quòd *præcipiebat semetipsum discutere, & secum ponere rationem eorum quæ gessit diu, noctuque: si quid autem indecens ageret, conscriberet, vt de cætero parceret in delicto, semetipsum scilicet erubescens, si plurima sui delicta comperisset.* Et apud Surium 17. Ianuarij §. *Tandem.* præcipiebat monachis, vt rationem diei, noctisque facientes, si in se comprehendissent, peccare desisterent, &c. Basilius etiam sæpè hoc consilium repetit: nam in sermone de abdicatione rerum post medium. *Quæ singulis* (inquit) *diebus feceris opera, ea vesperi tecum ipse commemora, & cum his, quæ feceris pridie conferto, vt melior in dies existas.* Et sermone de Asceti, seu exercitatione monachi, inter alia consulit, quotidianas suas, & cogitationes, & actiones omnes diligenter examinare; & serm. 1. de Instit. Monach. in fine, *Completo* (ait) *iam die, omnique opere tum corporis, tum spiritus absoluto, præclare fiet si diligenter vnusquisque antequam cubitum eat, cum animo suo conscientiam suam exquirat*, &c. Et Ioannes Climacus 4. gradu de obedientia circa finem, *Optimus* (inquit) *trapezita est, qui quotidie vespere lucrum, ac detrimentum omnino computat, quod scire manifestius non potest, nisi in horis singulis, in tabulis omnia denotet: nam cum calculi singulis horis ponuntur, totius diei ratio postmodum clarius agnoscitur.* Et paulo superius refert de quodam religioso, *Ad cuius latus cum appensum cingulo breuem libellum conspicerem, didici eum quotidie cogitationes suas in eo notare, hasque omnes nunciare patri solitum: non solum autem illum, sed alios quamplures id facere ibidem conspexi: erat enim (vt comperi) Patris sancti mandatum.* Chrysostom. etiam homil. 2. in Psal. 50. circa illa verba, *Peccatum meum contra me est semper*; consulit, vt qui diuturno tempore, vel alio commodiore non potuerit, saltem in ipso lecto antequam somnus irrepat, examinet, quid boni fecerit, quidve mali admiserit, & gehennæ recordetur, vt metu affectus bonum augeat, & malum auferat. Idem videre licet in Bonauentur. opuscul. de puritate conscientiæ cap. 6. & in speculo disciplinæ, Thoma de Kempis lib. 2. de disciplina claustralium cap. 9. & lib. de disciplina monastica cap. 21. Imò & Seneca, hoc præbuit consilium lib. 3. de Ira cap. 36. In hoc verò omnium defectuum quotidiano examine, quod propterea generale vocat, monet B. Ignatius vt à gratiarum actione pro beneficiis incipiamus, vel quia non minus id debetur in fine diei, quàm peccatorum recogitatio, vel certè quia multum iuuat ad magis dolendum de benefactoris offensa. Inuenio autem consilium hoc in Clem. Alex. lib. 4. pædag. cap. 4. *Postremò ait, antequam nos somnus inuadat, pium & sanctum est Deo gratias agere, vt qui eius benignitatem, & gratiam fuerimus consequuti: ita vt cum diuino quodam afflatu nos ad somnum conferamus.* Illud tamen animaduertere libet, dictos Patres solùm generaliter attigisse conscientiæ examen semel aut bis, vel sæpius in die peragendum, particulare autem examen, quod assumitur contra vnum vitium speciale, vt in illo emendando maior cura adhibeatur, & sic procedendo per singula facilius omnia eradicentur, sapienter fuisse à B. Ignatio excogitatum: insinuauit autem illum Basilius in regulis breuioribus regul. 289. vbi ait, quando aliquis frequentius in aliquo peccat, considerare debere radicem, & ibi specialiter medicinam adhibere, atque *in singulis peccatis* (inquit) *simili modo.*

VI. *De 2 hebdomada.*

Secunda hebdomada ad hoc ordinatur, vt homo rectè eligat, & constituat statum vitæ futuræ. Quia verò fundamentum rectæ electionis quoad statum vitæ in homine Christiano esse debet, sequi, & imitari Christum, ideo statim in principio illius hebdomadæ proponuntur considerationes, quæ ad hoc firmiter statuendum inducant, & præsertim de Incarnatione, & vita Christi Domini, quę nobis proposita est, tanquam exemplar ad quam nostra formanda est. Deinde proponuntur media ad rectam electionem faciendam, & documenta omnia ad illum finem necessaria. Vnde ab hac hebdomada incipit homo instrui in via quam vocant illuminatiuam, nam facta purgatione peccatorum in priori hebdomada, incipit homo vlteriùs tendere per virtutis viam, & consequenter incipit circa illam illuminari. Inchoatur etiam hic status proficientium: nam status incipientium, ad partem purgatiuam maximè pertinet. *De tertia.* Quia verò perfectio vitę Christianæ lōgo tempore comparatur, & præcipuè per virtutem passionis, & mortis Christi, & meditationem eius: ideo hoc agitur in tertia hebdomada, in qua passio Christi ad meditandum proponitur. Vnde etiam ad statum proficientium, & ad viā illuminatiuam pertinet, ideoque exercitia huius, & præcedentis hebdomadæ ad frequentiorem vsum totius vitæ spiritualium hominum pertinet, quia maior pars hominum, etiam bonorum, & ex instituto, ac electione Deo seruientium est in statu proficientium: status enim perfectorum paucorum est. Et fortasse ob hanc causam in fine tertiæ hebdomadæ adducuntur quædam regulæ ad victum temperandum. Nam ad vsum mentalis orationis, vt continuari possit, hæc moderatio in primis necessaria est. *De quarta.* Denique additur quarta hebdomada in qua Christi gloria, & resurrectio ad considerandū proponitur, attingitque viam vnitiuam, vt statim dicam.

VII.

In his autem meditationibus duo animaduer-

tenda

Forma meditandi præcipue tradit B Ignatius in suo libro

tenda sunt, materia scilicet, & forma. Materia consistit in re, quæ ad considerandum datur; forma in modo & directione, quæ ad rectè & fructuosè considerandum traditur. Et hoc posterius est, in quo maximè laborauit Ignatius: & reuera fuit donum, speciali gratia illi concessum, & non sine magno vsu & experientia comparatum cum diuina gratia, & ideo in hac forma proponenda & declaranda, & diuersis hominum statibus, & ingeniis accommodanda, versantur ferè omnia documenta huius operis, nihilque deest, (vt existimo) quod desiderari possit.

VIII. Cur in materia ad meditandum suppeditanda breuior fuerit.

Circa materiam autem solum hoc obseruatum est, vt sufficiès, & accommodata sit ad scopum proximè intentum, & ad viam seu gradum spiritualis vitæ, qui procuratur, non verò traditur in vnaquaque hebdomada omnis materia, vel meditatio, quę ad illam pertinere potest, quia hæc infinita est, & facile ab vnoquoque inueniri potest. Et ita constat responsio ad secundam obiectionem in numer. 1. nam quòd ipsamet materia ad breuia puncta redacta simpliciter, & sine multiplicatione discursuum, vel conceptuum proponatur ex instituto factum, pertinetque ad sapientem formam artificis, vt ipsemet statim in principio regulæ 2 adnotauit, vt scilicet is, qui meditaturus est, accepto solùm meditationis fundamento, vt postea per se, vel ex discursu proprio, vel ex diuina mentis illustratione ratiocinetur, & ita cum maiori spirituali gustu, maiorique fructu in oratione, & meditatione versetur. Simili consilio Cyprianus in præfatione libri de exhortatione martyrum, sola capitula Dominica se attigisse dicit, *Vt non tam tractatum meum* (inquit) *videar tibi misisse, quàm materiam tractantibus tribuisse, quæ res in vsum singulis proficit vtilitate maiore. Nam si confectam, & paratam tam vestem darem, vestis esset mea, qua alius vteretur, & forsitan non pro habitudine statura, & corporis res alteri facta, minus congruens haberetur. Nunc verò de agno per quem redempti, ac viuificati sumus, lanam ipsam, & purpuram misi, quàm cum acceperis, tunicam tibi pro voluntate conficias, & plus, vt in domestica tua, atque in propria veste lætaberis, & cæteris quoque, vt & conficere ipsi pro arbitrio possint, quod misimus exhibebis.* Addit præterea rationem aliam non minus instituto nostro accommodatam, dicens, *Nec non & illud consilium vtile, & salubre prospexi in exhortatione tam necessaria amputandas esse verborum nostrorum moras, & tarditates, atque ambages sermonis humani subtrahendas, ponenda solla illa, quæ Deus loquitur, & præcepta ipsa diuina velut arma pugnantibus suggerenda sunt, inde aures erigantur, inde instruantur mentes, inde & animi, & corporis vires ad omnis passionis tolerantiam roborentur.* His ergo & similibus rationibus motus B. N. Ignatius exercitiorum materias paucis, & simplicibus verbis proponendas duxit, idemque spiritualibus magistris seruandum præcepit, habita nihilominus ratione personarum, quæ instruitur, vt indoctis, & rudioribus nonnulla via aperiatur, & materia ipsa aliquantulum digeratur quantum satis sit, vt vnusquisque pro captu suo circa illam discurrere, ac meditari possit.

Per hanc methodum omnibus vitæ spiritualis statibus satis prouisum esse.

IX. Ad 3 obiect. in n. 1.

Tandem hinc etiam constat quod tertio loco in num. 2. proposuimus, per hanc scilicet exercitiorum rationem, omnium statibus, seu ordinibus sufficienter prouisum esse, satisfitque facile tertiæ difficultati in principio num. 1. tactæ; non enim omissus fuit in his exercitiis vltimus gradus contemplationis, sed traditus, vel insinuatus fuit quātum per humanam industriam fieri expediebat. Nam inprimis quarta hebdomada, quæ est de Christi gloria, & gaudio resurrectionis, ad viam vnitiuā pertinet, no enim ad morum emendationem, aut profectum directè ordinatur, sed ad spem, & amorem excitandum rerum æternarum, & ad participandum in hac vita aliquo modo æternas delitias, *in aula mentis* vacando diuinæ sapientiæ, vt ferm. 8. de ieiunio Leo Papa dixit. Deinde in fine illius hebdomadæ addita est contemplatio ad amorem spiritualem in nobis excitandum, quod maximè pertinet ad contemplationem. Est autem animaduertēdum in hoc gradu contemplationis, seu viæ vnitiuæ distinguendum esse initium eius, seu totum id quod habet rationem viæ, à termino, qui est ipsa vnio cum Deo, cum quadam veluti simplici intuitione veritatis. Nam in priori parte huius viæ seruanda est eadem forma orandi ac meditandi, quæ in cæteris seruatur paucis mutatis, & accommodando materiam scopo, & fini intento: in posteriori autem parte nulla certa forma, vel modus præscribi potest, quia in simplicissimo actu consistit, magisque recipiendo, quàm inquirendo perficitur, quanuis cooperatio hominis non excludatur. Hac igitur ratione P. N. Ignatius attingendo hunc gradum vltimum contemplationis, ea quæ pertinent ad initium eius, & ad formam, & materiam, in illo seruandam, & applicandam sufficienter proposuit, contentusque fuit ponendo sapientes in via; nam quod reliquum est magis ad magisterium Spiritus sancti, quam hominis spectat, ideoque de ipsa vnione cum Deo, & de ipso actu simplicis contemplationis pauca dixit.

In contemplatione via & terminus separantur.

X. B Ignatius de via contemplationis potissimum instruxit.

Et ob eandem causam potissimè nos docuit versari circa Christi humanitatem, quia illa est ostium per quod ad diuinitatem introducimur, Ioan. 10. de quo videri potest Bonauent. opuscul. de septem itiner. æternitatis, sect. 1. distinct. 1. & 3. Richard. de S. Victor. lib. 5. de contemplat. cap. 12. & sequent. & Blosius in Canone vitæ spiritualis cap. 21. vbi post nonnulla documenta circa meditationem passionis Christi concludit, *Supradictis igitur rationibus occupa te pro tuo modulo circa humanitatem Christi, hæc mentem tuam ita possideat, vt quidquid phantasmatum aliunde vitiosè se ingesserit, mox dissipetur; hanc elige in qua tutus requiescas quandiu ad altiora non proueheris. Nauis enim est, qua mare seculi huius citra periculum pertransire, atque ad beatam illam patriam fœliciter peruenire poteris. Quanquam Dominus etiam te hic nauigantem eo aliquando forte fustollet, vbi ab omnibus rerum formis atque simulacris intus nudaberis, vbi à te ipso deficiens, fœliciter transibis in Deum; eo interdum deducet te manus Domini si expedierit, vt tempore huius exilij eo perducaris; si non expedierit, non perduceris.* Vnde intelligimus hanc spiritualem artem ad summum posse nos dirigere circa meditationem humanitatis Christi, sub qua comprehendi potest omnis eleuatio mentis ex creaturis ad Deum: nam quod altius est nō cadit sub humanam industriam; & ideo monet idem Blosius in specul. spirit. c. 11. eos etiam qui speciali gratia ad vnionem cum Deo eleuantur, cessante illa Dei operatione, debere statim resumere propriam actionem, & sanctas imagines, id est, ad officium meditationis redire, ne otio torpescant. Ob hanc ergo causam hæc exercitia in his meditationibus potissimè insistunt.

XI. Non tamen de termino eius instruere omnino proderat sit.

Si quis tamen rectè animaduertat, à principio docent, seu manu ducunt eū qui spiritualiter exercitatur ad intuendam, vel ponderandam veritatē aliquam, cum interna animi quiete, & affectibus, qui illam comitantur. Huc enim tendit, vt existimo, illa sensuum applicatio de qua fit mentio in hebdomada secunda; nam illa applicatio magis intellectualis esse debet, vt per eam quis mente intueatur factum aliquod, quod admiretur, vt ad illud efficiatur, vel audiat verba quorum pondus consideret, vt illis moueatur, vel odoretur fragran-

tiam virtutum, aut donorum alicuius animæ, & sic de aliis; huiusmodi enim applicatio mentis participatio quædam contemplationis est, saltem quantum ad modum operandi. Quamuis enim tres illæ viæ quantum ad principales actus suos sint distinctæ, non tamen necessariò sunt, imò nec regulariter esse debent omnino impermistæ, sed in vnaquaque illarum aliquid de cæteris participandum est, nam in prima aliquid necessarium est de secunda, & tertia, vt suauior fiat, & magis fructuosa: nam timor, & dolor, ac detestatio peccatorum per amorem Dei, & affectum virtutum perficitur, & delectabilior fit. In tertia vero aliquid de prima, & secunda retinere frequentius expedit, propter maiorem securitatem. De quare legi potest Blosius, qui optimè loquitur in speculo spirituali, cap. 11. Secunda verò ob vtrasque rationes, & tanquam media inter duas extremas aliquid de illis participare debet. Hoc ergo in vniuersum in prædictis exercitiis significatum est: nihil igitur ad spiritualem institutionem necessarium in eis desideratur, quantum per breuem methodum tradi poterat: nam illa, quæ per viuam vocem adiicienda est, nunquam excluditur, vtramque verò perficere debet experientia, & Spiritus sancti illuminatio.

Viæ tres purg. illum. & vniti. per mix. è exercenda.

CAPVT VII.

De prudentia in opere exercitiorum ab Ignatio seruata, & vsu eorum seruando.

I. QVod ad 1. tituli partem attinet multa in superiori puncto attigimus, quæ non oportet verbis commendare, nec defendere: quia per se nota sunt, neque aliquid inuenio, quod aliquem offendere, aut de quo aliquis iure dubitare possit. Præterea verò, quæ de ratione, & methodo orandi ibi traduntur, prudentia Auctoris maximè inspicitur in variis regulis, quas spiritualibus exercitiis adiunxit, in quibus egregiè tradit consilia ad componendos mores hominum circa seipsos quoad exteriora per regulas temperantiæ, quas in fine secundæ hebdomadæ tradidit, & per documenta circa exteriorem pœnitentiam, quæ adiunxit ad finem primæ hebdomadę; quoad interiora verò per regulas, quas de scrupulis tradidit in fine exercitiorum. Quoad alios verò per regulas quas in distribuendis eleemosynis seruare docuit. Ita pro his actionibus, quibus circa Deum per intellectum, aut voluntatem potissimè versamur, in quibus error vel speculatiuus, vel practicus multum potest habere periculi, egregia consilia tradidit tum in regulis ad dignoscendos internos animi motus, & discernendos spiritus, tum etiam, vt cum orthodoxa Ecclesia verè sentiamus. Nihil itaque quod in consultationem spiritualem ordinariè venire possit, intactum omisit, & in omnibus magnam prudentiam, atque adeò magnam experientiam, & diuini luminis illustrationem ostendit.

Prudentia Ignat. in regulis temperantiæ.

II. Et quia ferè de his omnibus, quod ratio nostri instituti postulat, iam adnotatum est; vnum vel aliud tantum breuiter aduertam. nam in 4. circa tẽperantiam regula consilium datur, vt ad inueniendum temperantiæ medium aliquid de conuenienti victu sibi quis adimat: imò additur, quanto plus abstulerit, tanto celerius iuxta mensuram cibi, & potus esse reperturum: huius autem contrarium docere videtur Gerson Alphab. 72. lit. K. in quadam doctrina cõtra conscientiam scrupulosam, vbi ait, ita debere regi corpus, vt nec sit rebelle animæ, neque ad illi cooperãdum deficiat. & addit, *Et esset minus malum excedere nimis nutriendo corpus suum, quam non satis; quia difficilius potest poni remedium, cum corpus nimis sumpserit nimiam abstinentiam.* Sed hæc non sunt contraria, nam ad diuersos fines, & pro hominibus diuersimode affectis dicuntur. Nam P. Ignatius tradat de homine, qui moderatione indiget, ne excedat contra temperantiam; & huic rectissimè consulit, vt si errare timet, potius erret subtrahendo de necessariis quàm aliquid vltra necessitatem addendo, quia, & in hoc magis meretur, meliusque se disponit, vt à Deo iuuetur ad medium inueniendum, & facilius experiretur illum defectum, vt ita possit ad mediocritatem peruenire. Nec tamen absolutè, & sine aliqua correctione hoc dicit Ignatius (in quo eius prudentia cernitur,) sed hæc verba interposuit, *vitato interim valetudinis aduersæ graui periculo.* Per quæ verba tollit omnem contrarietatem cum documẽto Gersonis, qui loquebatur de homine scrupuloso, & ad nimiam auctoritatem, & abstinentiã propenso: in quo verum est, minus esse periculi si aliquid vltra necessitatem addatur, quam si minùs subtrahatur.

III. Secundò circa ea quæ de scrupulis notantur obseruari potest conscientiam aliquando angi scrupulis circa præterita an ritè sint confessa, nec ne, aliquando verò circa præsentia, vel futura, seu circa actiones quæ quotidie occurrunt. B. ergo Ignatius solùm de hoc posteriori genere scrupulorum videtur rationem habuisse, eisque aptissima remedia adhibuisse, docens, quibus prodesse aliquando possit huiusmodi scrupulorum anxietas; vel solicitudo, & quantum etiam possit nocere, si nimia sit, & quomodo tunc sit cauenda, in contrariam partem aliquantulum inclinando, vel constanter perseuerando in actione inchoata, scrupulosa cogitatione contempta, quando vel ex certis principiis, vel ex iudicio eius, cui securè potest fides adhiberi, nihil mali in tali actione iusse timeri potest. De alio verò genere scrupulorum nihil attigit, vel si seruetur ea, quæ de examine conscientiæ, & confessione generali (quando illa opus est) ritè facienda superius dixerat, facilè existimauit posse hanc tentationem superari, vel certè, quia remedia de prioribus scrupulis data cum proportione possunt applicari. Gerson verò in loco proximè citato de illis scrupulis distinctè tractat, & duo obseruanda dicit, vnum est obliuioni dandum esse tempus præteritum, nisi in generali ad petendam à Deo veniam per generalem contritionem; alterum est quando tempus præteritum solicitat, timendo, quòd non fuit facta sufficiens confessio occurrendum esse illi, recurrendo ad Deum, cum vera cordis humilitate, & contritione, & in memoriam reuocandam esse voluntatem, quam habuit integrè ac perfectè confitendi, & quod tunc fecerit quantum in ipso erat, suoque confessori satisfecerit, cuius consilio statuit præteritorum non amplius recordari, vt Deo melius possit inseruire, atque ita in eo proposito perseueret, nimiumque timorem contemnat.

IV. Tertiò in quadam notatione 15. earum, quæ in principio exercitiorum traduntur, & sæpe aliàs, præsertim cum de electionibus agitur, consilium datur confessori, vel spirituali magistro, qui alium in his exercitiis instruit, ne eum, qui exercetur, ad vnam partem magis quàm ad aliam moueat, nimirum ad religionem potius quàm ad statum secularem, vel ad hanc religionem potius quàm ad illam, sed relinquendum esse, qui instruitur, vt Dei voluntatem quærat, per seipsum ratiocinando, & lumen petendo, vt ab ipso immediatè vocetur, & inspiretur. Circa quod consilium dubitare aliquis potest, quia ordinariè solet Deus homines per homines docere, illuminare, & vocare; ergo non est expectanda immediata vocatio ab ipso Deo sed

sed quotiescunq; certa ratio dictat melius esse huic proximo, seu spirituali discipulo hunc statum eligere, optimum erit illum suadere, & ad illam partem inclinare. Etenim si altera pars esset praua, sine dubio omni conatu auertendus esset ab illa, & ad contrariam inclinandus: ergo si altera etiam pars euidenter est minus bona, erit saltem melius, & consilij opus contrariam consulere. Nihilominus consilium Ignatij prudentissimum est, & experimento comprobatum, esse necessarium, quia regulariter plus noceat, quàm proficiat. Ratio enim facta probat optimè actum consulendi ea, quæ sunt maioris perfectionis, per se optimum esse, & opus charitatis, tamen quia finis eius est vtilitas proximi in particulari, non erit melius, nisi sit etiam vtilius; sicut correctio fraterna bona non est, nisi speretur vtilitas.

V. Distinguere autem oportet inter consilium spõte oblatum, vel ab alio petitum, & efflagitatum, nã hic agimus de priori modo dandi consilium, & de hoc dicimus non expedire, præsertim tempore exercitiorum, quando aliquis per seipsum cum Deo, & secum tractat de eligendo statu vitæ suæ anteuertere, & quasi obtrudere ei consilium; tum quia statim suboritur alteri suspicio, quòd ea res humana sit, vel ex humano affectu procedat, & ita impeditur diuina vocatio: tum etiam, quia licèt contingat persuaderi, minus firma sit electio: nam suborti postea tentationibus, statim occurrit illam fuisse quandam humanam persuasionem, vnde periculum imminet, ne facta electio leuiter mutetur; quando verò aliquis, vel à Deo specialiter mouetur, & inclinatur, vel eius gratia adiutus, proprio discursu, & ratione conuincitur, firmiùs adhæret electioni factæ, & maiori fiducia à Deo sperat auxilium ad perseuerandum in illo. Quando autem consilium postulat ipse, qui electurus est, quoniam anceps est, & dubius; tunc non erit malum illud præstare, quia iam non recipitur, vt omnino alienum, sed vt ab ipsomet postulante aliquo modo ortum: quia etiam faciliùs accipit illud medium per quod à Deo ipso illuminatur. Solum obseruandum est, ne quis nimium facilem, & promptum se exhibeat ad huiusmodi consilium præstãdum, sed priùs efficaciores rationes, & commoda, vel incommoda vtriusque partis proponat, easque alteri considerandas, & electionem faciendam committat. Quòd si nihilominus alter instet, & magistri iudicium intelligere velit, priusquam eligat, non est illi denegandum regulariter loquendo; quia tunc & opus ipsum, secundum se melius est, & ex illo maior vtilitas non immeritò sperari potest.

VI. *Arguitur contra documenta de eleemosynis distribuẽdis.* Vltimò circa regulas citatas in distribuendis eleemosynis seruandas animaduerti potest, documenta quæ in eis traduntur, generalia videri ad quodcunque opus rectè faciendum, videlicet, vt ex recta intentione amoris diuini proficiscatur, & ita fiat ab vnoquoque, sicut ipse consuleret alteri, vt faceret, vel sicut vellet fecisse si mortis articulus, aut iudicij diuini instaret. Sed hoc nihil incommodi est; nam præcipua ratio prudentiæ consistit in applicatione principiorum generalium ad particulares materias. Duo autem principia sunt, quibus potissimum vtitur B. Ignatius in hoc opere, sunt-que maximè consentanea & Euangelio, & naturali prudentiæ. Vnum est, vt intentio operantis, sit pura & perfecta quærendi maiorem diuinam gloriam. Hoc fundamentum ponitur in principio Exercitiorum, hoc item repetitur in præludio ad rectam electionem, & iterum in his regulis & ferè in singulis suis constitutionibus, & documentis hoc repetit Ignatius, quia ex abundantia cordis os loquebatur, & quia reuera est res maximi momenti.

Vnum B. Ignatii in operibus virtutis familiare principium.

Quæ tamen prudenter applicanda est, vt in prædicta materia de eleemosynis faciendis, non est existimandum per hanc intentionem, diuini amoris excludi omnino affectionem erga cognatos, vel amicos, nam ipse ordo charitatis postulat, vt cæteris paribus illis prius subueniatur; quia verò naturalis affectio solet nimium inclinare, & quasi excœcare hominem, ideo specialiter aduertitur, vt in eo opere huiusmodi affectio temperetur, & ad regulam diuini amoris quoad fieri possit, accommodetur.

VII. *Alterum principium.* Aliud principium est, supposita prædicta intentione habere animum indifferentem circa media, nam sæpe erratur in electione medij etiamsi intentio bona sit propter indispositionem subiecti prouenientem ex aliqua alia affectione, quæ in causa est, vt id quod eligitur vt medium, non vt purè medium moueat, sed secundùm aliam rationem, quæ inefficacem reddit, vel diminuit alteram intentionem. Et ad hoc tendunt alia documenta, quæ ibi dantur de moderatione in quærenda propria commoditate, quæ valde necessaria est, vt animum relinquat liberum ad eleemosynas faciendas. Quæ doctrina, si ad alias materias cum proportione accommodetur, vtilissima erit ad eas non solùm honestè, sed etiam perfectè exercendas. & hæc de prima parte tituli.

De vsu Exercitiorum.

VIII. Quod ad secundam tituli partem attinet, duplex est in Societate horum exercitiorum vsus: vnus pro ipsismet religiosis Societatis, quem passiuum vocare possumus: alius est actiuus pro externis proximis, quibus per sacerdotes Societatis hæc exercitia tribuuntur ad vitæ emendationem, vel profectum. Prior vsus incipit in nostris religiosis, à primo ingressu in Societatem; nam ope horum exercitiorũ in prima probatione purgari incipiunt, & in discursu Nouitiatus iterum atque iterum ea repetunt, partim, vt magis probentur, præcipuè verò, vt in spiritualibus rebus amplius instruantur, & exerceantur, vt suprà lib. 2. cap. 5. numer. 5. tractando de probationibus declarauí. Durat præterea hic vsus toto tempore vitæ, idque dupliciter, primò per quotidianam meditationem, orationem, & conscientiæ examinationem, de quibus etiam iam lib. 8. cap. 1. & aliis locis diximus. Secundò, semel, aut bis in anno, vt ibidem vidimus, sese per aliquot dies colligendo, vt relictis studiis vel aliis occupationibus externis, in his, vel similibus meditationibus exerceantur, & soli vitæ contemplatiuæ attendant: quod huic instituto valde est opportunum, ac ferè necessarium, & in exẽplo Christi fundatum. Nec fuit à D. Thom. prætermissum, qui (vt etiam lib. 6. cap. 2. numer. 5. retuli) in 2. 2. quæst. 188. art. 8. cùm dixisset solitudinem non esse congruentem religionibus, quæ sunt ordinatæ ad opera vitæ actiuæ, addit, *Nisi forte ad tempus exemplo Christi, qui,* (vt dicitur Luc. 6.) *exiit in montem solus orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Quod exemplum magis ad quotidianam solitudinem, seu separationem pro aliquo tempore contemplationi præstando, referendum videtur. De quo etiam loqui videtur Ioannes cap. 18. cum ait, *Sciebat autem Iudas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis*; scilicet ad orandum in horto separato.

Hic vsus in Societate partim quotidianus est.

Partim annuus.

IX. *Annuus vsus exercitiorũ, exemplis in Christo & antiquis monachis.* De alia verò diuturniori separatione per aliquot dies, habemus in Christo Domino exemplum in separatione quadraginta dierum in deserto, vt cum eodem D. Thom. latius explicaui in 2. tomo 3. part. disput. 29. section. 2. Optimum etiam exemplũ est antiquorum Monachorum quod suprà adnotauimus

uimus ex D. Augustino lib. de opere Monachorum c. 23. vbi de quibusdam Monachis ait, *Per multos dies à conspectu hominum separatos, & nulli ad se prabentes accessum includunt seipsos viuentes in magna intentione orationis.* Subditque inferius. *Et horum quidem exercitationem, in tam mirabili continentia, quandoquidem habent otium, quo hæc agant, seque imitandos non superba elatione, sed misericordi sanctitate proponunt, non solum non reprehendo, sed quantum dignum est laudare non possum.* Vnde constat consuetudinem hanc, non tantùm pro tyronibus, vel proficientibus vtilem esse, sed etiam pro viris perfectis, tum quia fieri non potest quin externis actionibus, & occupationibus interior deuotio remittatur, quæ per hanc exercitiorum vicissitudinem compensatur; tum etiam, quia hoc opus per se est valde appetibile & perfectum, & ideo cùm fieri possit absque impedimento aliarum actionum proximis necessariarum prætermittendum non est.

X. *Vsum exercitiorum circa externos quidam reprehendunt.*

Alter vsus exercitiorum circa externos præcipuè seculares & rudes spiritualium rerum aliquibus probari non videtur. Ad hoc enim videtur allusisse modernus ille, cuius meminimus in lib. 1. cap. 7. numer. 2. in fine, qui exponens Psalmum 118. statim in versiculo 2. adnotat primum versum illius Psalmi, *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, pertinere ad vitam actiuam; secundum autem, *Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum*, ad vitam contemplatiuam: *Quia exercitia* (inquit) *vitæ actiuæ præcedere debent priusquam ad contemplationem quispiam erigatur, iuxta doctrinam Gregorij homil. 14. in Ezechielem, & lib. 6. Moralium cap. 17.* Et subiungit. *Quæ consultò tam longè recensuimus, vt sciant nonnulli non adeò facilem, & scitam esse viam ad contemplationis fastigium, sicut ipsi faciunt qui homines perditissimos illecebris, & ceteris mundi, carnisque spurcitiis & diabolo dolis, & inquietudinibus deditos per exercitium octo, aut quindecim dierum ad contemplationis culmen eos iam euolasse autumant, vixque pedè à mundo auertunt, & iam vltimum apicem perfectionis attigisse affirmant.* Hæcibi.

XI. *Quo sensu hæc reprehensio locum habere possit*

Quod si qui sunt, qui de comparata perfectione leuiter gloriantur, non illa solùm, sed multo maiori reprehensione digni sunt. Si quis etiam ita opinatur de exercitiis octo, aut quindecim dierum. vt in eis non solùm ad fastigium contemplationis ascendi, verùm etiam in eis perfectè purgari, aut illuminari, vel exercitium meditandi satis se iam comparasse opinetur, turpissimè, & pueriliter errat; quia non solùm perfecta vnio cum Deo, sed etiam mediocris perfectio orationis aut meditationis diuturno tempore, & multo vsu indiget, prærequiritque longam exercitationem, in vitiis extirpandis, & virtutibus acquirendis, vt per se satis notum est, & tradit D. Thom. 2. 2. quæst. 180. art. 2. & in superioribus etiam diximus lib. 2. cap. 4. & lib. 6. cap. 1.

XII. *Quo sensu temeraria sit, ostenditur authoritate*

Si autem reprehendatur vsus exercitiorum in iis, qui malè vixerunt, & desiderant conuerti ad Deum per veram pœnitentiam, vel quemcunque alium statum melioris vitæ, si à Deo vocentur sine causa, ac proinde temerè, datur reprehensio, cum res per se sit sancta, & valde laudabilis, & à summis Pontificibus Paulo III. in dicta Bulla valde commendatur. Et præterea idem Paul. III. & Iulius III. in Bullis quibus confirmant Societatis institutum, & Gregorius XIII. in constitut. *Ascendente Domino*, inter alia media, quibus Societas vtitur ad animarum profectum, specialiter numerat *spiritualia exercitia.* constat autem eos loqui de exercitiis & vsu eorum, prout sciebant esse in Societate, & prout in eius constitutionibus, & in ipsomet exercitiorum libro continentur. Nam 4. p. Constit. cap. 8. §. 5. sic dicitur, *Ad exercitia spiritualia aliis tradenda, postquam quisque in se ea fuerit expertus, assuescant, & dent operam omnes, vt eorum reddere rationem & in hoc armorum spiritualium genere tractando, (quod Dei gratia ad ipsius obsequium tantopere conferre cernitur) dexteritatem habere possint.* Et in annotationibus, quæ in principio exercitiorum habentur, hoc ipsum supponitur. Et in 9. earum expresse dicitur, dari, posse etiam rerum spiritualium inexpertis. Præterea effectus huius medij, de quibus latè Orlandinus lib. 2. historiæ Societ. num. 70. & lib. 7. numer. 21. euidenter conuincunt illud de se esse optimum, & aptissimum pro cuiuscunque status hominibus, experientia enim constat, multos per hoc medium seculo renunciasse, alios in suo statu mores correxisse, vel de peccatis pœnitentiam agentes, & vitam bonam instituentes, vel in bono statu iam constituti in melius proficientes.

Ratio etiam hoc conuincit, quia hæc exercitia ordinantur inprimis ad impetrandam gratiam à Deo ad huiusmodi effectus: deinde ad se disponendum, & tollendum, quoad fieri possit, impedimenta diuinæ gratiæ, sed potiùs ad cooperandum illi. Modus autem, quo ad hunc finem, conuenientissimus est: nam inprimis separant hominem ab aliis curis & solicitudinibus, & propterea consulunt, vt pro eo tempore aliquis locus separatus eligatur, quod ad prædictum finem maximè necessarium est, vt ex sacra Scriptura, & ex Patribus constat. Deinde docetur homo interius discurrere, & cogitare de rebus ad salutem animæ maximè pertinentibus, vt sunt nouissima, quorum recordatio tam vtilis est, vt sapiens vitam innocentem promittat habenti memoriam illorum in omnibus operibus suis, Eccles. 7. Item verba, & exempla Christi Domini, in quorum imitatione, & obedientia salus nostra consistit. Denique per hoc medium comparatur pax, & quies animi, & lumen internum, & cognitio ad bonam gubernationem vitæ in quocunque statu. XIII. *Confirm. dictorum.*

Præterea, quòd incipientibus dentur, non est contra ordinem, quem Sancti requirunt inter vitam actiuam, & contemplatiuam. Primò quidem, quia vt in superioribus lib. 1. cap. 6. attigi, quamuis vita in qua Martha potissimum exercetur, antecedere debeat puram contemplationem; nunquam tamen debet carere aliqua participatione vitæ contemplatiuæ; quia actio sine oratione, vel non rectè, vel non perseueranter fiet. Imò si exactè comparentur hæ vitæ quoad sua initia, primus gressus vitæ honestæ debet esse vitæ contemplatiuæ, quia initium salutis à sancta cogitatione sumitur, vt sæpè Augustinus docet, lateque disseruimus lib. 1. de Gratia. cogitatio autem sancta secundùm se ad contemplationem pertinet. Ad hanc autem cogitationem, & recogitationem in homine excitanda, & nutrienda ordinantur hæ exercitia; ergo non peruertitur ordo, eo quòd in initio conuersionis dentur, vel etiam ad ipsam conuersionem, etiam à magnis peccatis obtinendam. Secundò, quia ipsamet exercitia, quæ in principio dantur, inuoluunt eam partem vitæ actiuæ, quæ in principio studiosæ vitæ maximè necessaria est, scilicet, pœnitentiam internam, & externam superioris vitæ, & passionum mortificationem, & alia, quæ ad primam hebdomadam pertinent, vt in superioribus vidimus cap. 6. à numer. 5. & idem consequenter seruatur in cæteris exercitiis. Nam, vt adnotauimus n. 11. licet aliquibus temporibus intêtentius, & frequentius fiant, non ideo est, vt tota perfectio alicuius gradus contemplationis vel meditationis in illis diebus acquiratur, sed vt inde initiù sumatur, cum maiori aliqua instructione, & consuetudine quæ postea cum moderatione statui accommodata perseueret. Tertiò, quia hæc exercitia non æqualiter, & indifferenter omnibus dantur, vt nostræ XIV. *Nihil absurdi reperitur in eo quod non omnibus eadem exercitia proponantur.*

constitutiones admonent. 7. p. cap. 4. §. 8. cum declaratione in lit. F. vbi dicitur spiritualia exercitia paucis esse plenè tradenda, à quibus non vulgaris fructus ad Dei gloriam sperari posset; exercitia autem primæ hebdomadæ, cum modo examinandæ conscientiæ pluribus communicari posse, simpliciorem autem orandi modum etiam in ipsis exercitiis triplicem assignari pro rudioribus, quibus bona voluntas, & fides sufficit, vt ad illum idonei sint. Atque ita licèt exercitia deseruiant omnibus, non omnes fiunt contemplatiui, neque ad fastigium orationis eleuandi existimantur; quia nõ omnia pro omnibus instituta sunt, sed cum debita partitione ac distributione, vt in ipsis etiam exercitiis in principio annotat. 18. sufficienter docetur.

XV. *Exercitia religiosis vtilia & quomodo.*

Vnde intelligitur hæc exercitia nec solis religiosis, nec solis laicis, sed vtrisque posse esse vtilia. De religiosis constat, quia officium meditandi ratione status eis conuenit: pro laicis verò facit interrogatio Basilij 312. in regulis breuioribus. *Nunquid visitantes nos laici ad orationem exhortandi sint?* Respondet, *Si sint amici Dei, haud abs re est, cùm ad eos Apostolus scripserit: Orate & pro me*, &c. ad Ephes. 6. Itaque officium orandi omnibus commune est. Vnde licèt vnus ex præcipuis finibus exercitiorum sit electio melioris status, non eo tendunt vt omnes eligant religiosum statum, tum quia licèt status ille secundùm se melior sit, aliquando non expedit respectu eligentis: vnusquisque autem debet eligere id, quod sibi melius est. Tum etiam quia non omnes habent huius vocationis gratiam, & tunc prosunt ad eligendum, vel alium statum, vel certum viuendi modum suæ saluti magis accommodatum. Et ideo licèt religiosus iam non debeat de statu deliberare, potest meritò exercerì, vt in suo statu eligat optimum procedendi modum, vel si de illo iam antea satis deliberauit ac proposuit vt

Vti est m. sæc. bi. ac ... ia pec. ...

proposítum renouet, & impedimenta denuo consideret, vt ea diligentius auferat. Ac denique, vt in actibus per se maximè consentaneis suo statui indies proficiat: seculares autem etiamsi in seculo permansuri sint, indigent etiam hoc auilio, vt aduersus pericula, in quibus versantur, magis sint præparati, maioremque gratiam à Deo obtineant. Denique magnis etiam peccatoribus dandum est hoc remedium, non vt sui itò perfecti fiant, sed potiùs quia non modò perfici, verum etiam à priori statu mutari eis valde difficile est, ideoque his efficacissimis remediis indigent. Meritò ergo Societas, quæ ad omnes homines iuuandos instituta est, pro omnibus hoc remedium accommodauit.

CAPVT VIII.

Vtrùm debeant religiosi Societatis cum proximis familiariter conuersari ad illos iuuandos.

I. *Ratio pro parte neg.*

RAtio difficultatis est, quia huiusmodi colloquia cum secularibus multum impediunt perfectionis profectum, quem religiosi maximè debent intendere. Assumptum experientia constat, & valde commendatur a Patribus institutoribus religionũ, vt videre licèt apud Basilium regul. 5. & 13 ex fusius disputatis, vbi inter alia dicit: *Nisi ab ea nos, quæ ex sanguinis necessitudine nobiscum intercedit, coniunctione omnino alienauerimus, & à familiari congressu secularium, ac mentis habitu in alium veluti mundum transmigrauerimus, nullo modo scopum animi attingemus.* Et in præfatione illarum regularum, & duobus sermonibus præcedentibus, & latius in constit. monast. cap. 7. *Danda* (inquit) *omnino nobis opera est, vt non nisi magna adhibita diligentia circunspectioneque in congressu cum hominibus extraneis veniamus*, &c. Et confirmatur, nam ex huiusmodi familiaritate cum secularibus plerunque sequitur, vt & eos visitare, & ab eis inuicem visitari plerunque necesse sit: Vtrunque autem est contra religiosorum clausuram, quam omnes Patres commendant. Tandẽ confirmatur, qui à hinc etiã fit, vt nostri religiosi sæpè se implicent negotiis secularibus contra Pauli præceptum, *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.*

II. *Assertio bipartita.*

Dicendum nihilominus est primò, medium hoc familiariter conuersandi cum proximis ex suo genere non esse alienum ab statu perfectionis, & iuxta proprium Societatis institutum esse illi maximè conueniens. Vtramque partem certam existimo. Prior constat exemplo Christi Domini, qui vitam ita instituit, vt cum hominibus conuersaretur, & cum eis manducaret, & biberet, vt ex Euangelio constat, cùm tamen non solùm perfectionem seruauerit, sed etiam perfectissimum vitæ statum coluerit, vt latius in 2. tom. 3 p. disp. 28. sect. 1. & 2. diximus. Idem ostendit exemplum Apostolorum, quos statum religiosum & perfectionis habuisse suprà ostendimus tom. præced. & suprà lib. 1. c. 5. n 6. & tamen constat, inter homines familiariter conuersatos fuisse, & omnibus omnia factos, vt omnes lucrifacerent. Vnde Concilium Mogunt. sub Leone III. c. 14. cum dixisset, *Ministri altaris Domini, vel Monachi à negotiis secularibus omnino abstineant*, subdit; *non tamen ustum negotium est contradicendum propter necessitates diuersas, quia legimus sanctos Apostolos negotiasse.* Sic ergo nos in negotiatione Apostolorũ circa animarum salutem, rectè colligimus non esse contra religiosum statum eo fine cum proximis conuersari ex vi instituti.

Probatur prior pars.

III.

Confirmatur, quia antiquì Monachi etiamsi solitariam vitam profiterentur, quando proximis expediebat solitudinem deserebant, vt inter proximos versarentur. ita legitur in vita D. Antonij apud Athanasium, & Surium, & Sozomenum lib. 1. historiæ c. 13. vbi dicit Antonium hominum gratia solitum fuisse ciuitates ingredi. *Multi etiam* (inquit) *grauiter apud eum conquesti coegerunt illum legationem pro se ad magistratus, & primarios viros obire.* Et Theod. lib. 4. historiæ cap 24. & 25. *Relicta solitudine totam illam circuibat ciuitatem*, id est, Alexandriam, *quo omnes doceret*; quod de multis aliis ibi, & cap. 16. refert. Idem habet Cassiodorus lib. 8. Tripartitæ cap. 4. & 5. Et Basilius in regulis breuioribus in 311. quærit, *an cõueniat monachos ire ad visitandum alios*, respondet: *omnino visitandi officium vnum est ex iis, quæ grata sunt Deo, veruntamen qui eo fungitur, is, & ad intelligendum esse sagax debet, & ad respondendum prudens, & illud facere, quod dictum est: sit sermo vester semper in gratia sale conditus, & sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere*, ad Colossi. 4. & regula 312. & 313. docet quomodo excipiendæ sint visitationes secularium ad religiosos venientium. Signum est ergo etiam solitarios monachos non omnino hanc conuersationem repudiasse.

IV.

Ratio autem est quam tangit D. Thom. 2. 2. q. 187. art. 2. vbi inquirit, an liceat religiosis secularia negotia tractare, & respondet ob necessitatem proximorum id licere, quia tũc potest dici negotiatio secularis, sed actio religiosa, iuxta illud Iacob. 1. *Religio munda, & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum.* Si ergo hoc verum est de negotiatione materialiter (vt sic dicam) seculari, quando habet rationem operis misericordiæ corporalis, multo magis verum erit de exteriori, & humana conuersatione per mutua colloquia, & visitationes si sanctè & religiosè fiant propter bonum spirituale proximi. Atque ita

hoc ipsum confirmat decretum Melchiadis Papæ cum synodo Romana, quod habetur cap. 1. d. 88. *Decreuit sancta synodus nullum deinceps clericum, aut possessiones conducere, aut negotus secularibus se miscere, nisi propter curam pupillorum, orphanorum, & viduarum.* Sic etiam induci potest, quod ex citato Concilio Moguntino paulo ante adduximus, vbi etiam affertur, quòd in regula S. Benedicti præcipitur prouidere, per quorum manus negotium monasterij transeat. Simile habetur in Concilio Chalcedonensi. cap. 3. & in ca. 2. d. 86.

V. *Probatur in posteriori pars assertionis n. 2*

Ex his facile probatur altera pars assertionis, in qua supponitur id quod suprà li. 1. c. 2. late tractatū est, finem Societatis esse non solùm propriæ, sed etiam proximorum saluti maxime incumbere, ita vt hic finis non separetur à primario, & adæquato fine huius religionis. Ad hunc autem finem valde accommodatum, & moraliter necessarium medium esse cum proximis familiariter tractare, & conuersari per se euidens est, & experientia id docet. Ratio autē est, quia in primis ad perfectè tractandum cōfessoris munus, necessarium sæpe est cum pœnitentibus, etiam extra confessionem, familiariter agere, vel propter maiorem eorum instructionem, aut spiritualem consolationem, vel ad conseruandos illos in vsu frequenter confitendi, & in bonis operibus, quæ ex illo nascuntur. Deinde, quia generales sermones, seu conciones, licet pro cōmunitate necessariæ sint, nisi calore familiaris conuersationis sanctè foueantur, & quasi digerantur, facile obliuioni traduntur, præterquam quòd necessariū sæpe est illa generalitate descendere ad modum, & mensuram, ac particulares circunstātias vnicuique accommodatas, quod maximè fieri debet in colloquiis priuatis. Denique quia seculares homines plerunque animales sunt potius quàm spirituales, necesse est aliquantulum eis condescendere, & honesta conuersatione familiari eos lucrari, & attrahere, vt ad sermones spirituales paulatim inclinentur. Quanuis enim interdum sermones indifferentes misceantur, si hac intentione accipiantur, vel potiùs tolerentur, non erunt otiosi, sed vtiles, ac religiosi. His ergo rationibus Societas hoc medio tanquam sibi conuenienti vtitur ad proximorum salutem.

VI. *B. Ignatius suis imungit hoc medium attrahendi proximos.*

Quod his verbis monuit B. P. N. Ignatius 7. p. Cōstit. c. 4. §. 8. *Curabunt etiam priuatim proximum pio colloquio ad meliora promouere, tum consilio, & exhortatione ad bona opera*, vbi cum operariis generaliter loquitur. Ad scholares verò in particulari sic loquitur 4. p. Constit. cap. 4. in fine his verbis, *Horum colloquia cum scholasticis externis sint solùm de rebus ad literas, vel profectū spiritus pertinentibus, prout ad maiorem Dei gloriam omnibus vtilius fore iudicauerint.* Quin potiùs etiam de coadiutoribus temporalibus, cùm in examine cap. 6. §. 3. dixisset eos præcipue in corporalibus ministeriis debere occupari, subdit §. 4. *Et nihilominus enitì debent in colloquiis spiritualibus ad maiorem vtilitatem spiritualem proximorum aliquid conferre, & quod nouerint docere, & ad bene agendum quoscunque poterunt, quandoquidem Deus vnicuique proximi sui curam dedit, excitare.*

VII. *Secunda assertio bimembris.*

Secundò dicendum est, vt hoc medium, tam religioni in genere, quàm nostræ Societati, sit accommodatum, duo obseruanda esse. Vnum est, vt recta intentione, id est, propter solam necessitatem, vel piam vtilitatē assumatur. Aliud est, vt magna moderatione & circunspectione fiat. Vtrunque facile *Probatur vtrumque simul membrum.* suaderi potest, quia in omni honesta actione, hæc duo cum proportione applicata sunt necessaria ad rectitudinem eius, peculiari autem ratione hic obseruantur, quia actio non solùm de se est indifferēs, sed etiam nocumentum facile afferre potest, nisi magna diligentia circa illa duo obseruanda adhibeatur. Vnde hanc etiam assertionem probant rationes dubitandi in principio positæ. Tandem singulæ partes ita declarantur, quia in omnibus Patribus, & iuribus citatis, sub hac tantum conditione permittitur religiosis quodcunque negotium seculare, vt ex intentione fiat opus charitatis, vel misericordiæ, quia aliàs si seculare maneat, per se non licet; at verò amicitia, vel conuersatio cum secularibus per se spectata pertinet ad secularia negotia, nisi ex fine ad altiorem ordinem subleuetur, ergo hæc conditio in primis necessaria est. Vnde D. Basilius dicta regula 311. ex breuioribus post verba supra citata subdit, *Illud autem quempiam visere, vel consanguinitatis, vel amicitiæ causa alienum est à nostra professione.* Vbi duo motiua posuit, quæ inter merè humana videri poterant honestissima, & nihilominus aliud altius postulat, vt talis actus religioso statui sit consentaneus. Idemque sentit D. Thom. dicto artic. 2. vbi intentionem charitatis, vel religionis postulat.

VIII. *Probatur ex Basilio.*

Vbi aduerto non esse idem, actionem esse honestam, vel non malam moraliter, & esse per se conuenientem, ac decentem statui religioso. Ad primum enim sufficere potest in præsenti actione motiuum cognationis, vel amicitiæ humanæ recta ratione naturali regulatum. Ad secundum autem altius motiuum necessarium est, quia status religionis ordinatus est ad perfectionem charitatis Dei principaliter, & proximi secundariò, ideoque actiones illi statui consentaneæ esse debent, aut ex vi sui obiecti tendentes in huiusmodi finem, aut ex intentione operantis ad illum eleuatæ. Et propterea Basilius non dixit esse malum visitare cognatos, vel amicos hoc solo titulo, sed dixit esse alienum à religioso statu. In quo etiam considerandum est plus requiri in opere, quatenus à religione ex vi sui instituti postulatur, quàm vt fieri potest à singulis religiosis priuata intentione; nam religio non debet postulare opus nisi prout ordinatum ad finem perfectionis, maximè quando ipsum opus de se spectatum potius potest remittere, vel impedire fetuorem charitatis, quàm ad illum iuuare: priuatus autem religiosus interdum poterit tale opus efficere, ex inferiori, & humano motiuo, in quo non necessariò peccabit, quamuis imperfectè iuxta suum statum operetur. In præsenti ergo familiaris conuersatio cum secularibus, etiam amicis, & consanguineis, per se spectata non iuuat ad spiritualem perfectionem, & ideo ex vi instituti non postulatur, nisi vt ordinata ad proprium finem Societatis. Si qui autem particulares religiosi alio fine in huiusmodi colloquiis, aut visitationibus infirmorum conuersantur, imperfectè agunt, & constitutiones suas integrè non obseruant.

IX. *Quam sit consentaneum Societatis institutum hoc medium vti.*

Nam 6. p. Constit. cap. 2. §. 9. inter alia dicitur, *Primarios viros inuisere nostri non confitescant, nisi sancto studio piorum operum ducerentur, vel quando inima benolentiam Domino tam essent venturi, vt huiusmodi officium aliquoties eis deberi videretur.* Quod si hoc de primariis viris dicitur, multo magis cum cæteris omnibus seruandum est. Nam de consanguineis statim à principio in examine cap. 4. §. 7. admonetur religiosus Societatis, *vt omnem carnis affectum erga sanguine iunctos exuat, ac illam in spiritualem conuertat, eosque diligat, eo solùm amore, quem ordinata charitas exigit.* Et in §. 6. sic dicitur. *Cum communicatio, quæ cum amicis, & sanguine iunctis verbo, aut scripto fit, portus ad quietis perturbationem, quàm ad eorum, qui spiritu vacant profectum, præsertim in initiis, facere soleat; interrogentur, num contenti sint cum huiusmodi non communicare, nec literas accipere, vel scribere, nisi aliqua occasione superiori aliter videretur.* Denique 7. p. Constit. cap. 4. §. 8. solùm pia colloquia cum proximis commendantur, quibus possint ad meliora promoueri; quin etiam domesticum à domestico separandum, si alter ex alterius

rius consortio à profectu spirituali retardaretur, vt in 3.p.c.1.& lit.A.expresse cauetur.

X. *Probatur membrum posterius ex vtrisdem assertionis.*

Ex his facile demonstratur altera pars de moderatione in huiusmodi familiaritate proximorum adhibenda, sub qua comprehendimus colloquia, visitationes mutuas, & quamcunque aliam negotiationem, vel curam exteriorem, vel temporalem propter proximos susceptam. Nam quia hoc totum non propter se admittitur, sed propter aliud, vt diximus, non sine mensura accipiendum est, sed quantum finis declaratus postulat, & quidquid vltra additur non est consentaneum religioso statui, quantumuis ad proximorum salutem sit ordinatum: vnde in cap. 6. industriarum P. Claudius Aquaui. superiores instruit de moderandis subditis nimium agentibus cum externis. & in capite 15. peculiariter cauet ne nostri in magnatum familiaritatem specie lucrandi eos Deo, & Societati conciliandi sese insinuent. Duo autem in prædicto fine spectanda sunt; vnum est ad Deum pertinens, seu (quod idem est) ad proprium profectum in dilectione eius. Alliud est pertinens ad bonum proximorum. Moderatio ergo in huiusmodi actione duo requirit; vnum est ne cum detrimento propriæ perfectionis, & diuinæ dilectionis religiosus cum sæcularibus conuersetur; aliud est, vt cum fructu spirituali proximorum id faciat. Ratio prioris partis est, quia ordine charitatis præferendus est Deus proximo, & proprius profectus spiritualis alieno, vt disputat. 9. de charit dixi; de quo rectè Bernardus epistola 8. *Rectus ordo requiritur, vt prius propriam, deinde alienam curare studeas conscientiam. Primus quippe pietatis gradus, de quo scriptum est, Miserere animæ tuæ placens Deo. Ex hoc autem ad miserandum proximum recto iam tramite charitas ordinata procedit, quippe quem ad sui quisque mensuram amare præcipitur.* Vide illum epistola 42. circa medium. & lib.2. de consider. cap.3.ser.18. in Cant. ab illis verbis, *Rursum quod tuum est spargis & perdis.* Et optimè Augustin. epist. 81. Ratio alterius partis est, quia nisi medium sit vtile ad finem, otiosum est: ergo in præsenti si non speretur fructus proximorum, otiosa est omnis cum illo confabulatio, quæ ad aliud religionis negotium necessaria non sit; de illa enim nunc non agimus.

Duo requisita ad moderamen conuersandi cū proximis

XI. *Cauenda cū proximis triplex nimietas.*

Ad priorem partem huius moderationis pertinet in primis, vt hæc conuersatio cum proximis nimia non sit, quia hæc non potest non impedire proprium spiritualem profectum; erit autem nimia iuxta doctrinam D. Thom. dicto articul. 2. Primò si præter obedientiam prælati fiat; secundò si impediat spiritualia exercitia, & opera diuini cultus, quæ religiosus iuxta regulam suam implere tenetur; tertio denique si religiosum animum ita occupent ac distrahant, vt quodammodo secularem reddant. Et quidem quoad duo priora, regula moderationis facilis est, quia regula certos habet limites, & voluntas superioris potest etiam esse sufficienter nota. In tertio verò est maior difficultas, quia medium non est idem in omnibus, sed vniuscuiusque conditioni, & naturæ accommodari necesse est. Qui autem in duobus primis fidelis fuerit religioni, & rectam erga Deum intentionem seruauerit, sperare potest diuinum auxilium, vt in tertio non deficiat, sed medium obseruet. Optimum autem consilium, & in Societate maximè necessarium est propriam in hoc fragilitatem & conditionem, quoad fieri possit, superiori notam facere, ne fortasse quempiam applicet ad negotia, quibus implicetur, vel oneret illum tot actionibus erga proximos vt sine proprio spirituali dispendio eos sustinere non possit.

XII. Deinde pertinet ad eandem moderationem, vt actio quæ propter proximum assumitur, sit decens, ac conueniens statui religioso, vt notauit Caietan. circa dictum art. 2. D. Thom. quia bonum religionis præferendum est particulari, & hac ratione nō debet religiosus mercaturam agere, aut similibus negotiationibus implicari, vt proximo subueniat, etiamsi inde spiritualem fructum speret. Dices, interdum in historiis legi sanctos viros quidpiam simile egisse, vt proximis in spiritualibus subuenirent. Sic Theodoretus in historia sanctorum Patrum cap. 17. de Abrahamo monacho, & postea Episcopo, quem admirabilem vocat, refert, cum didicisset virum quendam teneri magna impietatis caligine, mercatoris personam induisse vt illum posset ad pietatem conuertere. Respondetur aliud esse mercaturam exercere propter lucrum temporale, quo subueniatur proximis, quod negamus esse faciendum; aliud verò habitum mercatoris sumere, vel officium fingere, vt aditus ad prædicandam fidem, vel aliud simile pietatis opus inueniatur; quod fecit ille sanctus, & non minori admiratione B. Franciscus Xauier, qui non mercatorem tantùm, sed famulum mercatorum infidelium cum magno labore, & dimissione, se exhibuit, vt introitum ad Sinas inuenire posset. Et eodem modo licitum est inter hæreticos habitu militari, vel alio seculari incedere, vel se negotiatorem simulare, propter eundem finem conuersandi cum catholicis occultis, fidemque inter eos conseruandi, vel augendi, quod nostri alicubi faciunt, quia ibi nec mendacium interuenit, sed occultatio, neque aliquid minus decens religiosum statum, cum constet, quo fine, & qua necessitate id fiat. Sic Bernard. epistol. 42. aliquanto ante medium, inter alia ad hoc institutum de eo qui proximum vult lucrifacere, scribit, *Fiat etiam (si ita oporteat) cum Iudæis Iudæus, nihil formidet cum bona conscientia exemplo Hieremiæ, & Ezechielis cum transgressoribus captiuari, & cum sancto Iob frater fieri draconum, & socius struthionum, cum Moyse quoque (quod gratius est) deleri de libro Dei, & cum Paulo anathema esse à Christo pro fratribus*, &c. Item obiici potest quod olim religiosi artis opera faciebant, vt illis venditis, ex pretio proximis subuenirent. Sed illa non potest dici negotiatio secularis, nam licet emere ad vendendum, indeque lucrandum, sit negotiatio secularis prohibita religioso, de qua intelligendus est Caiet. suprà: tamen laborare propriis manibus non est negotiatio secularis specifice, (vt sic dicam) sed communis, sicut latè in superioribus diximus, vel sicut Gregorius statim citandus de piscatura dixit. Et similiter vendere res proprias ad subueniendum sibi, vel proximo, non est propriè negotiatio, sed res indifferens & communis. Vnde vtrumque coniungere (quod faciebant religiosi antiqui) non est negotiationem exercere.

Cauenda est iam indebita occupatio cū proximis.

Vide Laurent. li.10.c.16.

XIII. *Quibus regulis dignoscatur dicta indecentia.*

Quòd si quæras, quando actio talis censenda sit, vt non deceat religiosum etiam propter bonum proximi. Respondetur duo esse principia, quibus discerni possit. Primum si sit prohibita vel ex se, quia per se est mala, vel iure communi, quia scilicet prohibita est clericis, quibus in hoc pares sunt religiosi, vt D. Thom. dicto articul. 2. dixit, vel si proprio, & speciali iure religionis prohibeatur, quia religiosus tenetur regulam suam seruare: non loquimur enim de casibus extremæ necessitatis, sed de ordinario iure. Aliud principium est, si opus de se tale est, vt vix possit sine periculo peccati fieri, vt dixit Gregor. homil. 24. in Euangelia. Idemque cum proportione est, si opus nimium occupet animum cura, & solicitudine rerum temporalium. Quia verò in hoc potest esse magna latitudo, ideo secluſa lege, vel obedientia Prælati, non

non potest certa regula præscribi, sed prudenti arbitrio vtendum est. & multo obseruanda est consuetudo Obseruantium, & timoratorum religiosorum, & communis sensus rectè sentientium, & iudicantium tale opus esse, vel non esse alienum à statu religioso.

XIV. *Data cautiones ex instituto Societatis habentur.*

Atque hæc omnia ferè præscripta sunt religiosis Societatis in suis constitutionibus. Nam 7. p. cap. 4. ferè omnia præscribuntur. & in quarta instructione P. Claudij pro confessoribus numer. 3. repetuntur; quibus nostri proximos iuuare debent: quæ omnia sunt pietatis opera, & ab omni negotiatione seculari aliena. Sexta verò parte cap. 3. §. 7. expressius id prohibetur his verbis, *Vt plenius possit Societas rebus spiritualibus iuxta suum institutum vacare, quoad eius fieri potest à negotiis secularibus abstineat, qualia sunt testamentariorum vel executorum, vel procuratorum rerum ciuilium, aut id genus officia, nec ea vllis precibus adducti obeunda suscipiant, vel in illis se occupare sinant.* Et 9. p. cap. 6. §. 4. vbi dicta constitutio refertur, additur eos, qui de Societate sunt, implicari non debere his negotiis secularibus, *licet pia alioqui essent*; in his tamen admitti potest aliquando dispensatio ex grauissimis causis, quæ soli Generali, vel alteri ex speciali commissione eius ibidem reseruatur. Et sic etiam dicitur in regula 41. ex communibus, *vt negotium etiam pium, sine facultate superioris nec suscipiatur, nec promittatur: secularia autem negotia omnino vitentur.* Denique circa hanc moderationem maximè obseruandum est quod in 6. p. Constit. cap. 3. in fine dicitur *Instituti nostri est, sine cuiusquam offensione quantum fieri potest, omnium in Domino inseruire commodis.*

XV. *Moderatio explicata procedit maxime circa fœminas.*

Præterea ad moderationem circa hoc ministerium in Societate necessarium pertinet, vt maior cura adhibeatur in eo circa fœminas exercendo cum pluribus circumstantiis. Et primò quidem ob hanc causam præter illam potissimam quam lib. 1. cap. 3. ad finem attulimus, voluit D. Ignatius vt Societas monialium curam non susciperet, 6. p. Constit. cap. 3. §. 5. vbi generaliter prohibet, ne nostri curam animarum suscipiant, *Neque item* (ait) *mulierum religiosarum, vel aliarum quarumcunque, vt ordinariè illarum confessiones audiant, vel ipsas regant, quamuis nihil repugnet semel, vnius monasterij confessiones ob speciales causas audire.* Ratio autem huius institutionis magna ex parte esse potuit, ad vitandam frequentem occasionem loquendi cum fœminis, & familiaritatem aliquam contrahendi, quæ occasio multo maior est cum fœminis subiectis, quàm cum reliquis, propter quod omnes canones, & regulæ religiosorum aduertunt, vt earum gubernatio cum summa vigilantia, & cautione, suscipiatur, vt in superioribus tract. 8. tractando de monialibus, & clausura earum aduerti. Nihilominus tamen ratio, quam adduxit B. Ignatius in dicta constitut. sumitur ex prædicta moderatione Societati necessaria in suscipiendis quibuscunque negotiis seu curis exterioribus, quæ præcipuè eius finem possunt impedire. Dices, finis Societatis est omnes proximos in spiritualibus iuuare. Hæc autem cura monialium ad eundem finem ordinatur: cur ergo censetur impedire finem Societatis? Respondetur etiam, quælibet cura animarum ordinatur ad spiritualem salutem earum, & nihilominus non est accommodata fini, & instituto Societatis; non ergo omnes actiones, vel solicitudines, quæ ordinantur ad auxilium etiam spirituale proximorum, Societi congruunt, tum propter multitudinem earum (non enim posset omnibus satisfacere) tum etiam, quia nonnullæ afferunt secum obligationes, & vincula repugnantia intentioni Societatis, & huiusmodi præcipuè est cura animarum, quæ nimium impediret plures operarios Societatis, quos oporteret esse ex fidelioribus, & aptioribus ad discurrendum per totum mundum, ad quem finem ex vi instituti ordinantur. Præstare autem id non posset, si monialium curæ essent alligati.

1 *Ratio cur monialium curam non habeat Societas.*

Accedit etiam optima ratio, quia monasteria monialium regi debent per illos religiosos, sub quorum regula viuunt, & quorum instituto suo modo obseruant; non enim Moniales S. Claræ commodè prædicatoribus subiicerentur, aut è contra; & sic de aliis: institutum autem Societatis ita est proprium virorum, vt non possit fœminis accommodari, quia non ordinatur solùm ad contemplandum, nec præcipuè ac per se primò ad vitæ austeritatem, neque ad psallendum, neque ad labores manuum, nec denique ad alios fines, qui viris, & fœminis possint esse communes, sed ad spiritualia ministeria, quæ à fœminis fieri non debent, nec possunt, ad quem finem habet regulam, & viuendi modum accommodatum. Ac propterea nō possunt commodè institui monasteria fœminarum, quæ sub regula Societatis viuant, sed necesse est vt habeant modum viuendi valde diuersum. meritò ergo abstinet Societas à gubernatione, & cura monialium. XVI.

Imò si quis rectè consideret verba citatæ constitutionis, non tantum religiosarum, sed quarumcunque fœminarum cura nobis interdicta est, sicut etiam in 7. Congreg. decreto 56. tandem stabilitum est, quod alicui videri potest contra praxim Societatis; nam sacerdotes eius frequenter habent curam secularium fœminarū, vel nuptarum, vel virginum, aut viduarum, quarum confessiones ordinariè audiunt, easque in spiritualibus regunt, & sæpe etiam quasi consequenter, etiam in exterioribus, & familiaribus rebus, quatenus cum puritate conscientiæ connexionem aliquam ordinariè habent. Respondetur inprimis constitutionem illam propriè intelligi de cura, quæ suscipitur quasi ex officio vel obligatione vtriusque, aut alterius partis. Sic enim non potest religiosus Societatis iuxta sui institutum constitui tanquam proprius sacerdos quarumcunque fœminarum, etiamsi religiosæ nō sint, sed alium viuendi modum habeant, ita vt ex officio, & suo modo ex iustitia teneatur Societas ministrare illis sacramenta, aut alia diuina. Dixi autem, *vtriusque, aut alterius partis*, quia non solùm nō potest hoc modo obligari Societas, verum etiam nec possunt religiosi eius acceptare obligationem, qua per obedientiæ votum possunt sæculares fœminæ interdum obligari. ita explicatur in regul. 19. sacerdotum. *Particularem personarum* (dicitur ibi) *præsertim fœminarum, curam nemo suscipiat* (nimirum vltra id quod necessario postulat ordinarium confessoris munus) *& quamuis confessarius pro suo munere in vita spirituali pœnitentem instituat, nullius tamen obedientiam admittat.* Quæ regula si rectè inspiciatur non solum de fœminis, sed etiam de viris loquitur, quāuis principaliter propter fœminas prohibitio posita sit, propter maius periculum quod in huiusmodi vinculis, & obligationibus inter viros, & fœminas esse potest; & inter regulas Minorum 3. p. fol. 115. in mile inuenitur in speculo Minorum 3. p. fol. 115. in quibusdam regulis Guilielmi Farinarij Ministri Generalis cap. 6. vbi prohibet inducere fœminas ad huiusmodi votum emittēdum, vel etiam requirere ab eis, vel admittere votum continentiæ; nobis autem non solùm inducere, sed etiam acceptare obedientiæ votum tam à viris, quàm à fœminis prohibitum est. XVII.

Præterea pertinet ad hāc moderationem respectu fœminarum, quia nō omnibus permittendum est, earum confessiones audire, & consequenter nec familiariter, que ordinariè cum eis colloqui, sed illis qui fuerint ad hoc matu- XVIII.

Iuue admissum suum petat circumstantias. Maturam ætatem. Breuem sermonem quæ sit.

maturioris ætatis, vt dicitur in officio Prouincialis c.12. Quibus etiam confessoribus commendatur, vt ab eis breuiter se expediant, neque extra confessionem colloquia misceant, nisi de re aut grauissima, aut multum necessaria, & quod seuere potius quàm blandè cum eis tractent in regulis 16. & 17. sacerdotum. Denique in ordinationibus toti Societati cõmunibus c.1.n.9. mandatur Prouinciali vt inquirat de fœminarũ visitationibus: & latiùs in instructione pro confessariis. Quæ omnia per se sunt rationi consentanea, & in antiquis decretis insinuata, quæ suprà tract. 8. agendo de monialibus adduximus. Fertur etiam sententiam hanc, seu consilium Augustini fuisse, *Sermo breuis, asper, & rigidus, cum fœminis est habendus.* Refert Carthusianus in Opusculo de curatorum vita, art. 65. in to. 1. quod tamen neque in vita, neque in scriptis ipsius Augustini inuenio, præter id quod de non admittendis intra domum, vel ad solitarium sermonem fœminis, refert Possidonius in vita eius c. 26. Denique etiam quoad locum circumspectio magna iubetur, & obseruatur, quia ordinariè huiusmodi ministerium fieri debet in Ecclesia, & in aliqua parte eius clara & aperta, vbi ab aliis videri possint, & ipsi inter se non se respiciant, quoad fieri possit. Quod etiam Minoribus præcepit Benedictus XII. in suis constitutionibus c. 25. & Ioannes de Capist. in suis, c. 11. de quibus videri etiam potest Conc. Mediolan. sub Borrhomæo p. 2. tit. de sacram. pœn. & p. 3. tit. de Concionatoribus, & confessariis Monialium. Si autem confessio fœminæ in priuata domo necessitatis causa facienda sit, vel quolibet alio titulo, cùm ea sit alloquendum, debet confessarius vel sacerdos Societatis habere socium semper ita præsentem, vt possit esse testis omnium, quæ fiunt, licèt non audiat, quæ dicunt ex regula 18. sacerdotum; quia verò interdum locus id non permittit, additur ibi, *Quantum loci dispositio patiatur*; quod si non pateretur, curet omnino sacerdos, ne ostium sit clausum, nec locus obscurus.

Locum conspicuum.

CAPVT IX.

Vtrùm peculiarem curam adhibere debeat Societas in adiuuandis proximis in periculo mortis.

I. *Ministerii hoc necessarium, & in Societate commendatum.*

CVm ministeria, quæ hactenus tractauimus, generatim omnibus proximis exhiberi debeant, eisque maximè, qui magis indigent, constat illa omnia exercenda cum morientibus esse quantum in nobis fuerit, quia ille est articulus maximæ necessitatis propter multa impedimenta, & pericula, quæ tunc occurrunt, quæ optimè recensent Innocentius III. lib. 2. de contemptu mundi cap. 42. Bernard. lib. de interiori domo cap. 43. & in meditationibus c. 2. & Hugo de S. Victore lib. 2. de anima cap. 2. & nomine Augustini serm. 48. ad fratres in Eremo. Summa omnium est, quia *tunc corpus maximè impedit animam, quia illi capitur tota intentio mentis, vbi est vis doloris*; & quia tunc dæmon vehementius tentat, & calcaneo insidiatur, quia tunc exitum vitæ, & consequenter finem viæ, instare conspicit, vt in simili dixit Conc. Trid. sess 14. in doctrina de Extrema vnctione in proœmio c. 2. inde colligens magnam vtilitatem sacramenti Extremæ vnctionis. Ob similem ergo causam præter eam solicitudinem generalem quam de salute omnium proximorum Societas assumpsit, specialiter ei commendatur ægrotantium, seu morientium auxilium, non tam corporale, quã spirituale, licet in corporali etiam prætermittere nõ debeat conuenientia charitatis officia, iuxta regulã datam 7. p. Const. c. 4. §. 9. & iuxta ea, quæ in principio huius materiæ li. 1. c. 6. n. 2. diximus de operibus misericordiæ corporalis, quod verò attinet ad spirituale, in 4. p. Const. c. 8. §. 7. sic dicitur, *vt in superius dictis proximi ad benè viuendum iuuantur, ita curandum est, vt ea, quæ ad benè moriendum illis conferunt, percipiantur, quique modus in eo tempore, in quo tantum est momenti ad finem vltimum æternæ salutis consequendum, vel ab eo excidendum, teneri debeat, intelligatur.* Et in regula 40. Præpositi, *procuret* (dicitur) *diligenter ne desint, qui extra domum, ægrotorum confessiones audire, & morientibus opem ferre possint.* Est ergo hoc vnum ex ministeriis maximè propriis Societatis, ad quod ex proprio instituto peculiariter tenetur, ea nimirum obligatione, qua ad cætera opera su. instituti obligatur.

II. *Ministerium hoc religioso statui conuenit.*

Quòd autem hoc opus sit consentaneum religioso statui, sufficienter probatur, quia est maximè cõsentaneum charitati, & nihil aliud continet repugnans prædicto statui, si in eo debitus modus seruetur. Et confirmatur, nam sacra Concilia maximè commendant parochis hoc ministerium, vt videre licet in Concilio Nannetensi cap 4. quod hoc loco ad literam inseram, quia egregiè describit modum in hoc munere seruandum. *Cum Sacerdos* (inquit) *audierit aliquem infirmari in sua plebe, quàm citius ad eum pergat, & ingressus cubiculum aquam benedictam super eum, & per omne cubiculum aspergat cum antiphona: Asperges me Domine, & oratione, &c.* Et infrà, *post hæc omnes iubeat extra cubiculum secedere, & appropinquans lecto, quo infirmus decumbit, eum leniter, blandèque alloquatur, vt omnem spem suam in Deo ponat, flagellum Dei patienter toleret, vt hoc ad purgationem, & castigationem suam prouenire credat, vt peccata sua confiteatur, vt emendationem promittat si Dominus vitam concesserit, pœnitentiam pro peccatis commissis spondeat, vt substantiam suam, dum adhuc sensus & ratio vigent disponat, vt peccata sua eleemosynis redimat, vt his, qui in se peccauerunt, indulgeat, vt rectam fidem & credulitatem teneat, vt de Dei misericordia nunquam desperet, cum his, & huiusmodi alloquutionibus fuerit mens infirmi releuata, data benedictione recedat Sacerdos, non post multum reuersurus, detque locum, vt ægrotus de peccatis suis possit cogitare.* Cõcilium etiam Colonienſe celebratum anno 536. part. 7. cap. 50. monet parochos, vt post Extremam vnctionem curam habeant præparandi infirmum ad mortem. Idem Synodus Augustienſis ca. 20. Imò olim Episcopi, dum eis vacabat, hoc munus per se exercebant, præsertim si ab infirmis vocarentur. Quod de Augustino refert Possidonius cap. 27. *In visitationibus* (inquit) *modum tenebat ab Apostolo definitum, vt non nisi pupillos, & viduas in tribulationibus constitutas visitaret, & si fortasse ab ægrotantibus ob hoc peteretur, vt pro eis in præsenti Deum rogaret, eisque manus imponeret, sine mora pergebat.* Meritò ergo Societas hoc ipsum profitetur, vt parata sit ad iuuandos omnes infirmos, à quibus fuerit requisita, siue sint pauperes, siue diuites, siue hoc siue illo morbo laborent, & quacunque hora diei, vel noctis vocetur. Neque propter obligationem parochorum (quod lib. 6. c. 4. n. 13. & aliàs sæpe respondimus) superuacanea videri debet hæc Societatis cura, tum quia vel sæpe non potest vnus parochus pluribus infirmis satisfacere; vel interdũ non est in eo munere adeò facilis, & solicitus; sæpe etiam non est satis idoneus, vel certè ægrotus sæpe aliorum ministrorum opera magis iuuatur, ac recreatur, & ideo non tantum nostri, sed etiam multi alij religiosi magna charitate hoc ministeriũ exercent; quamuis fortasse ex vi sui instituti, non ita obligentur sicut religiosi Societatis.

Vide Polanc. in li bello de hac re.

Repellitur duplex calumnia, qua Societas propter dictum ministerium à malè affectis pungitur.

III. Nullum verò opus est tantæ charitatis, quod non possit, vel per calumniam, vel propter aliquorum

Primũ quod nostris obiicitur.

rum negligentiam reprehendi. In duobus ergo solet argui Societas circa hoc ministerium. Vnum pertinet ad solicitudinem circa eos, qui ex ægritudine moriuntur; aliud circa eos, qui in pœnam delictorum, violentam mortem patiuntur. In priori ministerio reprehenditur auaritia; quia Sacerdotes Societatis ideo cupiunt morientibus asistere, vt bonorum illorum possint esse participes eos inducendo, vt de illis per testamentum, vel alium modum in suam vtilitatem disponant. Sed hoc valde alienum est ab spiritu, & intentione Societatis, quidquid sit de priuatis erroribus, seu defectibus si qui fortasse, vel ex humano aliquo affectu, vel ex zelo, non secundùm scientiam committerentur, de quibus nec nobis constat, neque si sint, religioni nocere possunt, quæ intensionem huiusmodi detestatur, & ideo omnes etiam actiones prohibet, quæ aliquam illius speciem præbere possunt. Hinc in vltima suarum regularum monentur Sacerdotes, vt cùm vocantur ad adiuuandos eos qui morti vicini sunt, tamdiu illis adsint, quamdiu sola necessitas postulauerit, & additur, *Cæterum etsi cum opus est ægrotos ad condenda testamenta hortari conuenit, iis tamen confitendis non assistant.* Admonere enim illos, ad officium confessoris spectat, quia est de re vel necessaria, vel valde vtili ad bonum animæ ægrotantis. Et ideo in verbis suprà citatis ex Concilio Nannetensi hoc consilium inter alia ponitur: asistere autem testamento, nec pertinet ad munus confessoris, neque per se loquendo est ministerium spirituale, quod religiosis expediat, & quamuis in aliquo casu possit esse opus pietatis ad iuuandum infirmum propter speciales circunstantias, quæ occurre possunt, vel ex debilitate, & impotentia intrinseca ipsius infirmi, vel ex aliqua morali vi extrinseca; nihilominus regulariter id non expedit, propter vitandas cognatorum querelas, & tollendam omnem occasionem supra dictæ suspicionis; quod si necessitas coëgerit, nec sine superioris dispensatione, nec sine magna circunspectione faciendum est, ita vt omnis probabilis suspicio vitetur, & tunc temeraria iudicia contemnenda sunt, quis enim illa effugere potest?

Infringitur obiectio.

IV.

Nostri consilium monẽdo quoad dispositiones liberas vltra dare non permittuntur.

Et eadem ratione, quamuis vbi opus fuerit, admonendus sit infirmus, vt pro ratione periculi, de rebus suis disponat; nõ tamen ei est offerendum cõsilium circa dispositionis modum, nisi in his tantũ, quæ ad salutem eius fuerint necessaria, vt de restituendo alieno, de soluendis debitis, de necessariis hæredibus instituendis, ita vt quantum in ipso fuerit omnis occasio iurgiorum, & litium tollatur; ad particularia autem descendere non expedit, quia eadem habet incommoda. Quanquam si infirmus

Quãdo quando consilium petitur.

consilium petat circa ea de quibus libere potest disponere, ad officium confessoris spectat id consulere quod maius Dei obsequium esse, & ad maiorem vtilitatem animæ testantis expedire iudicauerit. Vt autem nostri debito modo hoc faciant seruare debent quod 6.p. Constit.c.2.§. 6. dicitur, *quamuis ad bona, & sancta opera, & maximè perpetuò duratura incitare laudabile sit, ob maiorem tamen ædificationem nullus de Societate debet, nec potest quenquam ad eleemosynas perpetuas domibus, vel Ecclesiis eiusdem Societatis relinquendas incitare.* Quæ constitutio amplius videtur coarctari in 2. Congreg. generali canone 22. vbi sic dicitur: *Ad maiorem ædificationem, & paupertatis nostræ sinceritatem, & puritatem, placuit præcipere nostris omnibus, vt nulli externo suadeant, vt nobis potius quàm aliis pauperibus dent eleemosynam, sed contenti simus vbi petimus eleemosinas quotidianas illas simpliciter, & planè amore Dei petere.*

V.

Expenditur allatum can. 22.

Vbi põderandum est verbum *præcipere*, quod valde rarum est in constitutionibus & regulis Societatis, & ideo videri potest positum esse ad rigorosam obligationem inducendam, quam solet illud verbum præ se ferre in aliis legibus, vt cum Caietano 2.2.q.186.a.9.dub.4. circa finem, Nauarro in summa c.23.n.52. & aliis ex Clementina *Exiui de paradiso* §. *cum autem*. de verborum significatione, lib.3. de legib. cap.15. à num.8. attulimus. Nihilominus tamen non plus obligat decretum illud, quàm aliæ regulæ, quia iam est in Societate declaratum proprium signum obligationis in conscientia solum esse, cùm additur, *In virtute obedientiæ*, vel *in Nomine Domini Iesu Christi*. 6.p. const. cap. 5. ibi autem nullum ex his signis adiungitur. Nec etiam additur pœna excommunicationis, quæ ex se etiam includit rigorosam obligationem, quæque interdum additur in constitutionibus 8.p.cap.6.§.2. Solùm ergo positum est illud verbum ad exaggerandam necessitatem, & grauitatem illius decreti. In quo est etiam obseruandum nõ loqui solùm de eleemosynis quæ à morientibus peti possunt, sed à quibuscunque, & ideo non prohiberi petitionem simplicem, sed comparatiuam *præ aliis*; nam hoc inuidiosum est, & offensiuum; specialiter verò hoc magis explicatur ad rem, de qua agimus, sequentibus verbis, *Ad donationes verò quascunque, siue legata, simpliciter etiam, & planè possimus tantum nostras necessitates explicare; definitionem tamen eius deuotioni relinquamus à quo eleemosynam postulamus*, &c.

Vox præ. non tollit ius petendi etiam in extrema necessitate.

VI.

Loca iuris communis ad eadem Societatem reprobata.

Priuilegium Societati concessum.

Quo loco est aduertendum etiam iure communi malè audire in religiosis hanc petitionem, cum expressa cõparatione, vt legata potius sibi relinquantur, quàm aliis, quia licèt hoc non sit per se malum, imò nec sit contra iustitiã moderatis precibus procurare voluntatem infirmi inducere, aut mutare, vt mihi potius quàm alteri donet, quia nullum erat alteri ius acquisitum, vt cum Antonino, Saliceto, & aliis resoluit Nauarrus in summa c.26.n.36. & sumitur ex c.13.n.72. Nihilominus in religiosis, talis inductio, etiamsi non sit iniusta, reprehensibilis est. Quia & speciem quandam habet auaritiæ, & charitatem potest minuere, vel certè deprauare intentionem in spiritualibus obsequiis circa proximos, quanquam in rigore, & absolutè ac per se loquendo id facere non semper peccatum sit, quia nec est per se intrinsece malum, neque inuenitur aliquo iure absolute prohibitum. Solùm enim in Clementina 1. de priuilegiis districtè prohibentur religiosi, ne cũ confectionibus testamentorum intererunt, à restitutionibus, debitis aut legatis matricibus Ecclesiis faciendis retrahant testatores: nec legata vel debita aut malè ablata incerta, sibi, aut aliis singularibus sui ordinis fratribus vel conuentibus fieri, aut erogari procurent.

VII.

Clementina in duobus casibus prohibentis.

Quæ prohibitio vniuersalis nõ est, sed in duobus tantùm casibus, & ideo potius inde sumitur argumentum extra illos id non esse prohibitum Ecclesiastico præcepto. Prior autem ex illis casibus est, ne religiosi retrahant testatores à restitutionibus, debitis, aut legatis matricibus Ecclesiis faciendis. In quo aduerti potest, non solùm hæc prohiberi si fiat in proprium commodum, vel suæ religionis, sed absolutè, & simpliciter, & consequenter quocunque respectu fiant, contra illud præceptum agitur. Et prior quidem pars de restitutionibus clara est, & ex natura rei necessaria. In posteriori autem duo aduerti possunt, vnum est non posse dici religiosum retrahere testatorem à legato faciendo, nisi prius nouerit eius voluntatem, & illam mutare conetur. In quo expendo differentiam inter restitutionem, & legatum; nam vt quis dicatur retrahere à restituendo, satis est, quòd sciens debitum restituendi nihilominus inducat, vel ad non restituendum, vel ad donationem faciendam repugnantem restitutioni: quia debitum restituendi includit voluntatem saltem debitam, vel præsumptam, quæ satis

satis est, nisi fortasse constaret de voluntate non restituendi, sed legandi alias; nam tunc inducere ad mutandum legatum reuera non esset inducere ad non restituendum; sicut qui inducit ad minus malum eum qui decreuit malum agere, non inducit illum ad malum; sic ergo vt quis dicatur retrahere à restituendo, necesse quidem est, vt alter non sit iam in deliberato proposito nõ restituendi: sufficiet tamen ad prædictam obligationem, vt de neutra voluntate constet, sed tantùm de debito. In legato autem liberali non dicitur quis proprie retrahi ab illo faciendo, nisi qui est in proposito illud faciendi, & ita religiosus non peccat contra hoc præceptum, quando ignorans ægrotum habere tale propositum ab illo petit, vt suo conuentui, v. g. legatum relinquat, quod notauit Syluester *Religio* 6. quæst. 15. §. 4. Secundò aduerto in illa secunda parte, prohibitionem tantùm fieri respectu Ecclesiæ matricis, vt ibi expresse dicitur, per quam vocem cathedralis Ecclesia intelligitur, iuxta cap. *venerabili*, de verb. signif. Et ideo non est extendendum illud præceptum ad omnes religiosos, qui retrahũt testatores à quibuscunque legatis faciendis aliis locis, vel personis, sed sola ratione naturali, vel secundùm vniuscuiusque regulam de illa actione iudicandum est.

VIII. Alter casus illius legis est, *ne legata, vel debita, aut malè ablata incerta sibi, aut aliis singularibus sui ordinis fratribus, vel conuentibus in aliorum præiudicium fieri, seu derogari procurent.* In quo duo etiam aduerti possunt. Primum est, quando hoc dicatur fieri in præiudicium alterius. Nam Cardinalis ibi quæstione 5. sentit nõ solùm fieri in præiudicium quando fit in iniuriam, contra id, quod exiustitia debebatur; sed etiam quando retrahit testatorem à proposito, quod habebat legandi alteri, etiamsi legatum non esset alias debitum. Et est probabilis expositio, quamuis nimis rigorosa, nisi intercedat vis, aut deceptio, vel preces adeò importunæ, vt coactioni æquiparentur: quia tunc reuera fit iniuria tertio; tamẽ si nulla intercedit iniuria, non videtur in rigore fieri persuasio in alterius præiudicium. Aliud notandũ est; illud præceptum solùm ferri contra persuasionem, quæ fit in vtilitatem propriam, vel propriæ religionis, aut personarum eius. Vnde si fiat suasio in commodum alterius extranei, etiamsi aliàs peccaminosa sit, non erit contra illud speciale præceptũ, quod specialiter latum est ad reprimendum peculiarem affectum, quem religiosi ad se, vel ad suos habere possunt.

IX. *Ius Societatis contra negotiationem legatorum latius est, quam commune.* Nullum ergo inuenitur commune ius, quod tam generalem contineat prohibitionem faciendi huiusmodi persuasionem, vel inductionem, per comparationem ad alios, sicut fit in propriis regulis Societatis: in quibus primò prohibetur fieri non solùm retractio à voluntate legandi aliis, verum etiã petitio cum tali comparatione: quod intelligo tam de formali, & expressa, quàm de implicita & per circumloquia; quia moraliter æquiualent. Secundò simplex petitio permittitur, cum tanta verò moderatione, vt sola necessitas explicanda dicatur. Vnde si sit fortasse collegium, nullam habens veram necessitatem, ibi, iuxta regulam, nulla debet fieri postulatio. Tertiò etiam tunc nõ permittitur aliquid determinatè postulare, sed necessitate proposita, voluntati testatoris definitionem relinquere, solumque ei consulere, vt oret & petat diuinam inspirationem, vt id statuat, quod Deo gratius fuerit. Quæ omnia constant esse valde aliena ab effectu auaritiæ, potiusque esse consentanea spiritui paupertatis, vt in simili dixit Clemens V. in Clemẽt. *Exiui.* vers. *Nos autem.* de verb. signific.

X. *Secunda obiectio etiam refellitur exemplis.* Secunda obiectio pertinet ad auxilium eorũ, qui propter delicta damnantur ad mortem: reprehenduntur enim nostri, eo quòd sint nimium soliciti circa vitam corporalem eorum, importunis precibus, vel aliis mediis procurando huiusmodi pœnã impedire. Verumtamen hęc reprehensio (si hoc nomine digna est) non est peculiaris Societatis, sed religiosorum omnium, non solùm præsentium temporum, sed etiam præteritorum. Refert etiam Cassianus collat. 14. c. 4. quorundam monachorum institutum fuisse pro miseris & oppressis intercedere. Et de B. Antonio, quamuis genus vitæ solitarium maximè coleret, (inquit Sozomenus lib. 1. Histor. c. 13.) *Porro autem in defensionibus eorum, qui erant iniuria affecti, nemo plus operæ, studiiue posuit, adeo vt eorum causa sæpe ad vrbes se contulerit.* Clarius exemplum est quod de Ambrosio refert lib. 7. c. 23. scilicet Ambrosium ad Gratianum Imperatorem accessisse, vt quendam Illustrem virum ad mortem damnatum liberaret. Et non antea causam omisisse quàm veniam à Gratiano impetrasset. De Augustino refert Possidonius in vita sua cap. 20. solitum fuisse pro reis intercedere. *Tam honestè* (inquit) *ac temperatè, vt onerosus, ac molestus non videretur, verum etiam mirabilis extitisset.* Cuius egregium testimonium extat inter epistolas Augustini in 51. quæ est Macedonij Iudicis ad ipsum Augustinum: cum enim pro quibusdam reis Augustinus apud Macedonium interpellasset; ille respondit, *Miro modo afficior sapientia tua, & in his quæ interueniens pro reis mittere non grauaris: nam & illa tantum habent acuminis scientiæ, & sanctitatis, vt nihil supra sit, & hæc tantum verecundiæ, vt nisi faciam quod mandas, culpam penes me remanere, non in negotio esse diiudicem: non enim instas (quod plerique homines istius loci faciunt) vt quodcunque solicitus petieris, extorqueas, sed quod tibi à iudice tot curis obstricto petibile visum fuerit, admones, & rogas, subseruiente verecundia, quæ maxima difficultium inter bonos efficacior est. Proinde statim commendatis effectum desiderij tribui: nam sperandi viam ante patefeceram.* Et in epist. 53. idem Macedonius ad Augustinum scribẽs ait, se feciisse quod in altera epistola Augustinus ab eo postulauerat, quæstionemque mouet, an ad officium sacerdotis pertineat interuenire pro reis quod Augustinus ad illum scripserat. Augustinus autem in epistola 54. latè respondet, declarans quomodo humanitatis officium sit, ita esse criminis persecutorem, vt procuret quis quoad iuste fieri possit esse hominis liberatorem. Quod latè prosequitur, adducens Christi exemplũ, qui magna sapientia & benignitate adulteram à pœna mortis liberauit, & S. Iosephum qui in suspicione, quam de virgine habuit, eam ab omni pœna, & infamia liberare studuit. Quibus addere possumus Paulum qui apud Philemonem pro Onesimo intercessit. Et multa alia ex eodem Augustino, & Greg. refert Gratianus 23. q. 5.

XI. *Officium inferendi pro reu, quo moderamine præstandum.* Hoc ergo officium de se sanctum, & religiosum est: licet prudentia & moderatio iustitiæ seruandæ sint, quæ hoc loco prosequi non est necesse: quia quod ad prudentiam attinet, sufficienter exemplo Augustini verbis Macedonij commendato insinuatum est. Quod verò spectat ad iustitiam, habet proprium locum in illa materia, & tractando de lege pœnali à nobis tactum est. Summaque omnium est, vt nihil postuletur in præiudicium Reipub. vel tertiæ personæ, nec quod ab ipso iudice licitè præstari non possit. Inter ea verò, quæ ab eo fieri possunt, & fine detrimento tertij, vel boni communis, id quod benignius fuerit, pro miseris hominibus procurare, charitatis officium est; neque aliud à nostris sacerdotibus, vel confessoribus fieri, iure potest ab aliquo affirmari: multoque certius ex instituto Societatis nihil aliud postulari. Nã de hoc genere intercessionis nihil peculiare in eo traditũ inuenio, sed illud solum quod 7. p. constit. c. 4. §. 9. inter alia pietatis opera generaliter dicitur. *In custodiis publicis detentos, quoad eius fieri poterit per se subleuando, & vt alij subleuent curando.* Et in Bulla 1. Iulij III. inter alia dicitur,

Et eorum, qui in carceribus inueniuntur, piam subuentionem, & ministerium, ac reliqua charitatis opera, prout ad Dei gloriam, & commune bonum expedire visum erit. Constat igitur, ex vi instituti prædictas circumstãtias in hoc munere seruandas. Illud autem propriè solũ habet locum ante rei condemnationem vltimam ac definitiuam: nam si huiusmodi non sit, poterit locum habere intercessio, vt appellatio concedatur, in qua eadem æquitas, & prudentia seruanda est: re verò seu causa iam definita, cessat intercessio, & solum agitur de spirituali salutè, & conuenienti præparatione ad mortem ipsius rei: obiter autem procurare vt in ipsomet supplicio, & vsque ad mortem benignè & humanè tractetur, charitatis etiam officium est.

Quando locum habeat vel non habeat dictum officium.

INDEX CAPITVM LIBRI DECIMI.

De regimine Societatis tam in genere, quam in particulari, & consequenter de ipsius Prælatis.

Cap. I. *An Societas per modum monarchiæ gubernetur conuenienter.*

II. *An expediat in Societate Generalem perpetuum instituí.*

III. *An conuenienti modo reliqui Prælati Societatis instituantur.*

IV. *De suprema potestate iurisdictionis in Societate IESV.*

V. *De potestate iurisdictionis, infra suprematn.*

VI. *An Societatis Prælati ad particulare subditorum regimen merito ab eis exigant rationem conscientiæ.*

VII. *Regimen Societatis per ipsius regulam denuntiandi aliorum defectus, vt à quibusdam impugnetur, & vt à nobis defendenda sit.*

VIII. *Præmittitur generalis doctrina denuntiationis, vt ostendatur quousque in Societate locum habeat.*

IX. *De modo vtendi in Societate denunciatione Euangelica, seu charitatiua hactenus explicata.*

X. *Satisfit obiectionibus in capite 7. positis.*

XI. *De triplici modo procedendi in externo iudicio contra defectus subditorum, ac primum de visitatione, seu generali inquisitione.*

XII. *De modo procedendi per viam specialis inquisitionis, aut etiam accusationis.*

XIII. *Applicatio doctrinæ præcedentium capitum ad vsum Societatis.*

XIV. *An regula Societatis apta sit, & sufficiens ad eius conuenientem gubernationem, & religiosam directionem.*

LIBER

LIBER DECIMVS.

De regimine Societatis, & consequenter de Prælatis eius.

EXplicuimus omnia, quæ ad statum, perfectionem, & ministeria huius religionis spectant, solùm superest vt dicamus de modo gubernationis eius: nam ex illa maximè pendet, & conseruatio religionis, & executio omnium mediorum, quibus ad suam, & aliorũ perfectionem vti debet. Quoniam autem gubernatio per Prælatos, & secundum regulam fit, simul de vtrisque hoc in libro dicemus; primò quidem generatim, seu in communi; deinde verò ad illa particularia descendendo, quæ ad huius tractatus complementum necessaria videbuntur.

CAPVT I.

Vtrum Societas per modum monarchiæ conuenienter gubernetur.

I. *1 Suppositio, monarchia cum Aristocratia in Societate.*

SVppono inprimis hoc esse commune Societati cũ aliis religionibus ferè omnibus, vt eius ordinarium regimen monarchicum sit, habens aliquid Aristocratiæ admistum; nam & monarchicum regimen secundùm se melius est, & in hominibus propter eorum fragilitatem, & periculum errandi, vel in iudicio, vel in affectu, aliquo adminiculo Aristocratiæ oportet esse temperatum, vt est tam Philosophorum moralium, quàm Theologorum recepta sententia, quam in tract. 8. attigi, & latiùs in materia de legibus lib. 3. cap. 4. & de Ecclesiastica hierarchia tradi soler, attigique disp. 9. de fide sect. 6. à n. 8.

II. *2. Suppositio, varietas Prælatorum ipsius Societatis.*

Secundò suppono monarchiam huius religionis reduci ad vnum generalem Præpositum, sub quo tota religio militat, quæ vt illi coniuncta, soli Sum-Pontifici in spiritualibus ordinariè subiecta est. Hoc satis constat ex prima institutione & approbatione Societatis in Bullis Paul. III. & Iulij III. & ex Const. præsertim p. 9. sub hoc autem Generali immediatè constituuntur Præpositi Prouinciales, & sub Prouinciali, singulorum locorum superiores, sicut citato tract 8. declarauimus, nam in his conuenit hæc religio cum aliis: quia moraliter necessaria sunt in quacunque religione, quæ cùm sit vnum politicum corpus per vniuersum orbem simul cum Ecclesia catholica diffunditur, habetque membra secundùm locorum diuersitatem valde distantia. Vnde fit primò membra hæc ratione vnitatis, quã inter se habent, indigere vno capite, quod in omnia influat, & vniuersali bono totius corporis prouideat, & singulis membris in aliorum vtilitatem vti possit: & hoc est Generalis munus, vt copiosè & prudenter satis tradit S. P. Ignatius in 9. p. Const. à principio. Ratione verò distantiæ, & extensionis, & alicuius diuersitatis, quam necessario inter se habẽt varię regiones, seu nationes, necesse est sub Generali Prouinciales constituantur, quorum singuli suas prouincias proximè administrent, & regant. Quoniam vero in vnaquaque Prouincia varia sunt loca, domos, vel collegia Societatis habentia, necessarium erat, vt vnicuique loco aliquis præsit, sit e Rector, siue Præpositus appelletur. Vnde etiam ut secundo hos omnes ordinariam, & spiritualem iurisdictionem habere: vnumquemque iuxta modũ sibi cõcessum, suoque muneri accommodatum: nã sine iurisdictione administrari non potest, vt ex generali doctrina de statu religionis constat. & c. 4. n. 1. attingetur. Quanta vero sit hæc iurisdictio in singulis numeratis superioribus iuxta peculiarẽ modum huius religionis, ex discursu huius libri constabit. Denique colligitur ex dictis, omnes prædictos Societatis superiores esse Prælatos Ecclesiasticos cum omni proprietate & rigore. Habent enim animarum curam cum iurisdictione Ecclesiastica fori contentiosi ordinaria, seu ex vi muneris; quæ duo tantum sunt necessaria ad huiusmodi prælationem, vt in superioribus visum est, & attingemus c. 4. viderique possunt Sotus l. 7. de Iust. q. 4. art. 3. Nauar. conf. 23. de Priuileg. & comm. 3. de Regular. n. 4. D. Th. 2. 2. q. 33. ar. 7. ad 5.

III. *Primus modus in quo visitur Aristocratia Societatis per congregationes generales*

Tertio suppono, Aristocraticum regimen multis modis participari à Societate. Primo in hoc quod suas habet congregationes generales, quę, licet non habeant certa, ac definita tempora, opportunis tamẽ occasionibus non sunt omittendæ. Primo quidem, ac necessario, cum in defectũ Generalis mortui, vel priuati, aut priuandi suo officio quacunque ex causa, alius eligendus est. Deinde quando alia causa grauis occurrit ex his, quæ numerantur 8. p. Const. c. 2. Ad huiusmodi autem congregationem pertinet propriè, & in omni rigore Aristocraticum regimen, nam in illa qui congregantur habent suffragium decisiuum, & quamdiu illa durat, in ea est suprema potestas totius Societatis, etiam supra ipsum Generalem, vt declaratur p. 10. Const. §. 8. & 9. p. c. 3. 4. 5. & 6. à quo autem cõuocanda sit huiusmodi congregatio, & qui sint ad eam vocandi, & quomodo, quæve negotia in ea tractanda, ac definienda sint; tractatur late in 8. p. Constit. & nonnulla attinguntur in 9. & 10. & specialius in peculiari forma generalis Congregationis.

IV. *Secundus per congr. Procuratorum.*

Secundo participatur hoc regimẽ in alio genere congregationum, quæ licèt ex vniuersa Societate cogantur, nõ sunt tamẽ generales, quia ad illas, nec Prouinciales, nec plures suffragiũ habentes ex singulis prouinciis cõueniunt, sed solùm singuli ex singulis prouinciis nomine earum, & tanquam earum Procuratores missi, & ideo *congregatio Procuratorum, hæc* appellatur: habetq; fundamentum in 8. p. Const. c. 2. in declaratione lit. B. eiusque forma magis declarata est in 2. Congregatione generali c. 29. & in speciali formula de hoc edita in 5. congregatione generali; pertinet autem ad hanc congregationem primo, ac præcipuè decernere, an congregatio generalis cogenda sit, necne: & in hoc habent cõgregati suffragium decisiuum. In reliquis autem negotiis, quæ in ea tractari possunt, ex vi instituti, & cõstitutionum, solum habent consultiuum, vt ex eodem c. 2. 8. partis constitutionum colligitur.

V.

Tertio participat Societas hoc regimen, per Cõ-

Tertium per congr. prouincialia.

Gregationes prouinciales, quæ in singulis prouinciis, quolibet triennio fieri debent, earumque finis est, ad eligendã personam, quæ nomine totius prouinciæ Præpositum Generalem adeat, & in cõgregatione Procuratorum suffragium habeat. Huius ergo Procuratoris electio fit in congregatione prouinciali, & solùm in ea electione habent votũ decisiuum qui in huiusmodi congregatione suffragium habent. Fit etiam hæc congregatio in singulis prouinciis, quotiescunque totius Societatis Generalis congregatio cogenda est: nam in illa prouincia eligendi sunt, qui cum Prouinciali suffragium habituri sunt in congregatione generali, & in eorum electione habent propriam vocem actiuam omnes qui legitimè ad congregationem prouincialem cõueniunt. Porrò quinam, & quot conuenire debeãt ad hanc prouincię congregationem; qui etiam vocẽ passiuam in ea habeant, in formula eiusdem congregationis c.3. traditur. Et in 5. congreg. decret. 60. & 81. cõtractus fuit numerus qui in const. p. 8. c. 3. indefinitus erat. Præter has verò electiones nulla lex vel statutũ fieri potest in congregatione prouinciali, neq; in aliqua ordinatione facienda votum decisiuum habent, qui ad eam conueniunt, sed solùm cõsultare possunt de rebus necessariis, vel opportunis, vt in congregatione generali, si illa cogenda sit, decernantur; vel si non cogenda, Præposito generali proponantur. Quæ omnia constant ex 8. p. Const. c. 2. 3. & 5 & p. 9. c. 5. §. 4. & 2. congregatione generali, c. 29. & ex speciali formula congregationis prouincialis; in quibus locis fusè etiam declaratur qui sint ad hanc cõgregationem vocandi, & à quo indicẽda sit, & quis procedendi modus in illa sit seruandus.

VI. *Quartum per consultores.*

Quartò participat Societas regimen Aristocraticum in multitudine Prælatorum per quos gubernatur sub vno supremo generali, vt sunt Prouinciales, & locales Præpositi, qui totum gubernationis pondus inter se habent distributum: nam hoc etiã pertinere ad participationem Aristocratiæ infra n. 11. declarabo. Perficitur autem hæc participatio in consiliis, quæ ad res statuendas, atque ordinandas simul cum Prælatis adhibentur. Nam in gubernatione Præpositi Generalis à tempore 1. congreg. decreto 85. adhibetur consilium quatuor assistẽtium; in 6. verò congreg. additus est quintus pro Gallia, vt habetur; tum in decreto 1. eiusdem congreg. tum in formula congreg. generalis n. 15. & 78. qui Assistẽtes à congregatione generali, ex diuersis nationibus simul cum ipso Præposito eliguntur, vt per eos possit maiorem lucem de rebus omnibus accipere, & eorum consilio, & prudentia in rebus deliniendis vti, vt videre licet p. 9. Const. c. 4. n. 5. & 6. & in propriis regulis Assistentium, & in formula eligendi illos. Prouincialibus etiam proprij consultores assignari debent. Idemq; de inferioribus Prælatis localibus, cum proportione statuitur 9. p. Const. c. 6. §. 4. & de Rectoribus in particulari p. 4. c. 10. §. 7. & c. 17. §. 1. De numero autem eorum solùm dicitur vt cõsultores Rectorum in Collegiis ad minus duo sint, vniuersitatum vero cõsultores ordinariè debeant esse quatuor: vnde cõstat à fortiori consultores Prouincialium quatuor esse debere, & ita vsu receptum est. Imò in grauioribus domibus professis & grauiorib. collegiis, idem seruatur. Est autem his omnibus Assistentibus, & consultoribus commune, vt in suis consiliis solùm habeant suffragium consultiuũ (nisi quod de Assistentibus excipitur in cong. 4. decret. 23. & in cong. 5. decret. 16.) & decisio tota, ac iudiciũ rei penes Prælatum respectiuè maneat. Ita de Generali statuitur p. 9. c. 6. §. 11. & de cæteris superioribus p. 4. c. 17. & p. 9. c. 6. §. vlt. & p. 10. §. 8. generaliter dicitur magnopere referre si Præpositi in subditos multum potestatis habeant. Et in hoc puncto explicando consistit tota difficultas præsentis capitis, nam reliqua clara sunt.

Cur Prælati Societatis soli vendicent definitionem in agendis.

Dubitant enim aliqui, cur Societas tantam potestatem Generali, & cum proportione cæteris Præpositis tribuat, vt res omnes suo iudicio, & voluntate definire possint, etiam contra iudicium suorũ consultorum, si velint. Nam hoc potius est monarchia pura, quã mista, nisi valde secundũ quid, quod non sufficit ad excludendum periculum, ne monarchia in tyrannidem conuertatur: propter quod periculum in hominibus vitandum monarchia mista ex Aristocratia præfertur puræ: mistio autem solius consilij inefficax valde est, tum quia nullus est tyrannus adeò iniquus, qui aliquorum consilio nõ vtatur, tum etiam, quia si potestas in vno manet, cuius voluntas sufficit vt factum teneat, etiamsi contra consilium suorum Assistentium fiat, subditi manent in eodẽ periculo patiendi plures iniurias. Vnde Nauar. Comment. 3. de regularib. dicit, licet monarchia pura, secundum se melior sit; tamẽ propter concordiam, & alios respectus conuenire, ne Prælatus solus gubernet, sed adiutus *consilio, & consensu* aliquorum. Vbi expendo illam particulam *consilio, & consensu*: nam per illam significatur suffragium nõ solùm consultiuum, sed etiam decisiuum. Et rationẽ amplius declarat n. 15. quia experientia compertum est, regimen vnius magis absolutum, etiam in religionibus, præsertim non mendicantibus, degenerare in tyrannidem. *Et ideo* (inquit) *introducta est monarchia restricta, qua vnus de consensu multorum ad id deputatorum gubernat.* Vbi iterum de consensu dixit, non de consilio tantum: quia per consilium solum, non videtur satis illi periculo occurri. Facit etiam, quod antiqui Patres religionum hunc modum regiminis elegisse videntur, vt intelligi potest ex Basilio in regulis 45. 48. & 54. ex fusioribus, & in 112. ex brevioribus, & ex regula Carmelitarum c. 2. & 3. & ex statutis Carthusianorum p. 2. c. 4. & ex regula monacharum c. 7. inter opera Hieronymi tom. 9. Denique ferè omnes religiones mendicantes hanc formam regiminis obseruare videntur.

VII. *Ratio quæ.*

VIII. *Auctoritas aliorum.*

Nihilominus dicendum est, P. N. Ignatiũ non sine antiquorum Patrum exemplo, nec sine sufficienti ratione, hunc modũ regiminis elegisse. Probatur, nã inprimis D. Benedictus, in sua regula c. 3. monet quidem Abbatem, vt cum consilio fratrum gubernet; subiungit tamen, *In Abbatis pendeat arbitrio, vt quod salubrius iudicauerit esse, et cuncti obediant.* Et in c. 65. omnia constituit in arbitrio, & voluntate Abbatis, quãus dicat illum vti debere consilio fratrum timentium Deum. Deinde Basilius idem sentit, si agẽte legatur in citatis locis, nam in regula 48. ex fusioribus primũ ait, *Nullo modo quis curiose Antistitis consilia peruestiget, aut in eius facta anxiè inquirat, his duntaxat exceptis, qui cum dignitatis gradu, tum consilij prudentia Antistiti ipsi proximi sunt.* Et statim subiungit, *Quos quidem illi necessario sibi, quandocunque de re aliqua erit deliberaturus, in consilio, ac maturam considerationem adhibebit, numirum præcepto illi obtemperans: Omnia fac cum consilio.* In quibus verbis solùm consultationem maturam requirit. Et eodẽ sensu loqui videtur c. 54. vbi docet esse cogenda capitula, seu congregationes fratrum, in quibus defectus corrigantur, & honesti mores laudentur. *Quo videlicet* (inquit) *adhibita locupletè multorum sententia, maiore cum authoritate, quæ in medium adducta est, quodque sit, inducetur.* Non tamen dicit iudicium definitiuum futurum esse omnium, nec verisimile id est pro singulis, & ordinariis defectibus religiosorum iudicãdis. Solùm ergo vult, vt in plurium consessu, & consilio, atque adeò maiori cum authoritate fiat. In aliis verò duobus locis non tractat de gubernatione, sed de electione Prælati, de qua postea, ca. 2. & 3. dicemus,

dicemus, & de receptione nouitiorum, de qua iam lib. 2. cap. 3. num. 7. diximus, quid peculiariter in hoc obseruet Societas, & cur.

IX. *Accedit Augustinus.* Præterea, D. Augustinus in sua regula, multum defert Præposito, omniaque constituit in arbitrio illius, vel presbyteri, maiorem habentis potestatē, vt in superioribus, tract. 8. tractando de Prælatis religionum in genere explicuimus. Vnde Nauarrus suprà fatetur, Augustinum in sua regula significasse, vt in suis monasteriis monarchia potiùs quam Aristocratia seruaretur: addit tamen hoc fore vtilius, si vnus, qui regit, esset Augustinus, & subditi essent Posidonij. Quia verò Prælati, & subditi multum à moribus Augustini, & Posidonij degenerarunt, ideo aliquid oportuisse illi regulæ addere. Verumtamen inprimis ego nō ita iudico de præsentibus moribus, omnium religionum, & religiosorum, vt monarchia non possit eis esse vtilissima, etiamsi ordinaria potestas (seruata proportione) in vno tantùm sit, cum regulari obligatione illam exercendi ex prudenti consilio, vt statim dicemus. Deinde, quidquid sit de statu aliarum religionum, certè B. Ignatius, qui nouam religionem instituebat, non debuit modum illum eligere, qui solùm ob deprauatos, vel imperfectos mores expedire cēsetur; sed tentare potiùs debuit perfectiorem modum instaurare, & aliis remediis prouidere, vt si fieri possit ex tali regimine ea incommoda non sequantur, quę fortasse in aliis ob incuriam, vel temporum conditionem sequuta sunt.

Additam. tum Nauarri non satis probatur.

X. *Adductis Patres multis de causis imitatus est B. Ignatius.* Hanc igitur existimo fuisse rationem, ob quam Ignatius voluit, vt vnusquisque superior Societatis pro ratione, & mensura sui muneris, integram haberet potestatem, solumque consiliarios, non iudices illi adiunxit. Primo quidem, quia hoc secūdùm se, & ex genere suo, melius est, vt suprà num. 1. ex communi sentētia supposuimus: deinde quia in statu religioso fine dubio potest maximè conferre ad perfectionem, tum quia hoc modo purior, & perfectior obedientia exercetur; tum etiam, quia hoc modo, est maior dependentia membrorum à capite, & ita etiam erit maior vnio, qualis inter patrem, & filios esse debet. Tum etiam, quia hoc modo tollitur occasio multiplicandi dignitates tot iudicum, & quasi prælationes in religione, & consequenter etiam minuitur ambitionis occasio. Tum denique, quia si ordinationes, iudicia, & aliæ negotiorum expeditiones, à plurium sententia & volūtate pendeant, multiplicantur pericula schismatum, & diuisionum ac subordinationū, quæ videntur esse maioris momenti, magisque frequentia, quàm sint in pura monarchia temperata solùm per consilia sapientum.

XI. *Collectio Prælatorum subordinatorum participatio est Aristocratia.* Accedit præterea, quòd (vt rectè indicauit Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice, cap. 3.) Aristocratia, non solùm miscetur monarchiæ, per hoc quod Princeps non possit definire ea, quæ ad gubernationem pertinent, sine aliorum suffragiis decisiuis, sed per hoc maximè, quòd non per seipsum homo immediatè gubernat, sed per subordinatos Principes, vel Prælatos, in quorum singulis monarchia participatur, ex omnium tamen collectione, quædam participatio Aristocratiæ consurgit. Imò prior illa mistio, suffragantium decisiuè, potiùs est mutatio quædā regiminis monarchici, nam in effectu non est monarchia, saltem in his quæ pendent ex plurium iudicio, & voluntate: vnde si regimen maiori ex parte ita fiat, non poterit dici monarchicum, sed potiùs Aristocraticum, vel quarta species regiminis, vt Nauarr. illam appellauit. In posteriori autem mistionis genere, suffragantium scilicet, cōsultiuè tantùm seruatur semper propria & perfecta monarchia, cùm vltima resolutio ad vnum pertineat: miscetur autem Aristocratia per gubernationem plurium, ac subordinatorum Principum, ac Prælatorum, quia non est de ratione Aristocratiæ participatæ, quòd gubernatio fiat à pluribus, vt cōponentibus vnum corpus, seu tribunal, sed satis est vt quacunque ratione integretur ex pluribus, inter se aliquo modo vnitis, & ordinatis ad completum regimen totius corporis, & ita hoc genus mistionis inuenimus in præcipuis temporalibus regnis, maximè verò in Ecclesia Catholica, vt egregiè suprà Bellarminus declarat, perfectionē talis monarchiæ ostendens. Quomodo autem Societas hanc gubernationem Ecclesiæ, modo religioni accommodato imitetur, satis iam declaratum est in num. 2.

XII. Denique in hoc etiam seruatur similitudo, quòd in Ecclesia, licet Pontifex de consilio Cardinalium grauiora disponat, semper tamen seruatur perfecta monarchia, quia in rigore decisio ex solo Pontifice pendet. Nam licet frequentiùs fortasse Pontifex, in rebus præsertim grauioribus, non decernat contra plura suffragia Cardinalium, id tamē est ex sua prudentia, & libera voluntate, non ex dependentia, quam habeat ab eorum suffragiis. Episcopi etiam in suis diœcesibus habent monarchicum regimen, in quo ordinariè plurium suffragia decisiua non requirunt: ergo etiam in religione poterit commodè hoc regimen participari, cùm in illa, & subditorum obedientia debeat esse promptior, & in superioribus suauior quædam, & magis paterna gubernatio. Et præterea, quia religiosi, ex vi sui status tenentur perfectè operari secundùm regulam suam; & ideo licet solus superior habeat potestatem decisiuam, vt conuenienter illa vtatur sufficit quòd ex regula habeat obligationem sumendi consilia suorum assistentium, seu consultorum, vt possit prudēter sua potestate vti, ad quod & regula ipsa & recta ratio ipsum obligat.

XIII. Dices hoc quidem sufficere quoad vim directiuam (vt sic dicam) non tamen quoad coactiuam, nec quoad impediendum cum effectu ne superior sua potestate abutatur. Respondeo primò idem dici posse, etiamsi suffragia consulentium sint decisiua, licet enim videri possit facilius posse vnum errare, quàm plures, tamen aliunde facilius est in religione vnum inuenire, qui ex malitia, vel prauo affectu non erret, ac proinde illi sufficiant prudentia consilia, quàm inuenire plures, qui eiusdem integritatis sint. Deinde dicitur, inferiores Prælatos per prouidentiam suorum superiorum continēdos esse in officio, vt nō facile pro arbitrio suo vtantur potestate, vel contra eorum consultorum sententiam frequenter disponant, præsertim in rebus grauioribus: Generalis autem Præpositus cum debita reuerentia admonendus est ab eo qui hanc curam à Societate habet commissam. Quòd si hoc non sufficiat, per ipsam Societatem compelli poterit; atque ita moraliter loquēdo, satis subuentum est incommodis, vel periculis, quæ ex tali potestate oriri possent. Quod breuiter B. Ignatius in 10 p. Constit. §. 8. his verbis complexus est. *Refert etiam magnopere, si Præpositi particulares in sibi subditos, & Generalis in particulares* (scilicet Præpositos) *ac contra Societas in Generalem multum potestatis habeant, ita vt omnes ad bonum omnia possint, etsi malè agerent omnino subiecti sint.* *Satius sit opposita in n. 2*

XIV. Vnde est notanda hic differentia, inter hanc monarchiam & Ecclesiasticam, ne similitudo suprà adducta putetur æqualitas, cùm reuera non sit nisi imitatio, & participatio quædam. Est ergo differentia, quia regimē Ecclesiasticum reducitur ad vnum supremum Prælatum qui non solùm alteri homini in terris, verùm neque alicui communitati subiectus est. Sed est supra totam Ecclesiam, non solùm diuisim quoad singulos, sed etiam collectiuè quoad vniuersitatem. At verò in Societate Generalis Præpositus non solùm habet superiorem personam, *Interest inter modum monarchiæ Societatis, & Ecclesiæ.*

cui subiectus sit, scilicet Pontificem, quod ex generali ratione religionis Christianæ, & ex speciali statu religioso, & ex specialissima Societatis necessarium est, vt ex lib. 6. cap. 4. intelligi potest: sed etiam est subiectus ipsi Societati, à qua & dirigi, & corripi, & si necesse sit, puniri, & deponi potest, vt cap. sequenti num. 7. attingemus. Ratio autem differentiæ clara est, quia Pontifex non ab Ecclesia, sed à Christo habet immediatè potestatem. Generalis verò habet à Societate, iuxta modum in eius constitutionibus præscriptum, & à summis Pontificib. cõfirmatum. Vnde etiam oritur diuersa necessitas: nam Pontifex sicut singulari, & excellentiori modo, habet à Deo potestatem, ita etiam habet peculiarem Spiritus sancti assistentiam: quæ potest supplere cuiuscunque superioris directionem, vel coactionem. Alii verò inferiores prælati, sicut ab hominib. constituuntur, & eliguntur, ita conuenienter saltem toti communitati seu congregationi generali subiiciuntur.

XV. *Altera differentia ex præcedenti orta.*

Atque ex hac differentia & eius ratione oritur alia, per quam magna ex parte Societatis regimen Aristocratiam participat. Nam in Ecclesia maiores causæ Pontifici summo reseruantur, iuxta cap. *Maiores*, de Baptismo, & ita eius monarchia inter humanas maxima est, quia proximè accedit ad diuinam. At verò in Societate ea quæ maioris momenti in illa esse possunt, Generali congregationi reseruata sunt, iuxta primam Bullam Pauli III. quæ sic habet, *Qui quidem Præpositus de consilio consociorum constitutiones ad constructionem huius propositi nobis finis conducentes in consilio condendi auctoritatè habeat, maiori suffragiorum parte semper statuendi ius habente: consilium vero intelligatur esse de rebus quibus grauioribus ac perpetuis, maior pars totius Societatis, quæ à Præposito commodè conuocari poterit.* Addebantur vero statim sequentia verba, *In leuioribus autem, & temporaneis omnes illi* (scilicet professi) *quos in loco, vbi Præpositus noster residebit, præsentes esse contigerit.* Tamen in Bulla Iulii III. prior pars multo magis declarata, & posterior immutata est. Nam quoad priorem partem declaratur, consilium illud, quoad habet ius statuendi, ad plura suffragia, intelligendum esse *de maiori parte Societatis professæ (iuxta nostrarum constitutionum declarationem) quæ sine magno incommodo potest à Præposito Generali conuocari.* Deinde ad hoc consilium pertinere dicitur, *condere vel mutare constitutiones, declarare dubia circa institutum orientia, & alia grauiora, vt alienare, vel dissoluere domos ac Collegia semel erecta.* Quoad alteram verò partem, subiungit, *in aliis, quæ non ita magni momenti sunt, idem Præpositus adiutus quatenus ipse opportunum iudicabit, fratrum suorum consilio per seipsum ordinandi, & iubendi quæ ad Dei gloriam, & commune bonum pertinere in Domino videbuntur, ius totum habeat, prout in constitutionibus ipsis explicabitur.* Ex quo intelligimus, hanc fuisse vltimam fundatoris cogitationem, ac resolutionem, vt extra ea negotia, quæ generalis congregationis propria sunt, in reliquis omnibus Generalis supremam potestatem habeat: quod latè declarauit p. 8. Constit. c. 4. §. 9. c. 3. p. 10. §. 8. & aliis locis frequenter, vt in sequentibus adnotabo.

CAPVT II.

Vtrum expediat Generalem Societatis esse perpetuum.

I. *Breuis expeditio quo tendam huc attingendi.*

DE modo creandi Prepositum Generalem in Societate, nihil est quod specialiter dicamus: quia per electionem canonicam fit, ad quam applicari possunt omnia quæ in superioribus tract. 8. lib. 2. de electione Prælati regularis dicta sunt. Circumstantiæ autem particulares, quæ iuxta propriam institutionem & formam seruandæ sunt, ex Constitutionibus, & propriis regulis sunt manifesta, nec difficultatem aliquam habent, quam explicare hoc loco necesse sit. De munere autem isto eiusque potestate generatim constat, partim ex c. præced. partim ex doctrina communi de huiusmodi prælatione: in particulari autem de aliquibus actibus & obligationibus eius iuxta nostrum peculiare institutum dicemus in sequẽtibus. Solum ergo superest dicendum de duratione huius muneris: nõ enim desunt quibus magis expedire videatur, vt Generalis non ad vitam, sed ad certum aliquod tempus eligeretur. Nam, vt diximus, omne regimen monarchicũ homini commissum in periculo versatur ne in tyrannidem vergat: hoc autem periculum maius est, per se loquẽdo, quo potestas superioris maior, magisque absoluta fuerit. Si autem huic potestati supremæ, & absolutæ diuturnitas, & perpetuitas adiungatur, profectò nimium prædictum periculum augebitur: nam ipsa perpetua consuetudo regendi & præcipiendi creat spiritũm quendam dominandi, & facere solet vt homo propriæ infirmitatis oblitus, aliis velit seuerius imperare: ergo immeritò Societas hunc modum regiminis elegit.

II. *Primo ratio fundatur in fine.*

Nihilominus contrariam partem suadere possumus primo auctoritate B. Ignatii, quæ non parum debet quemlibet prudentem hominem mouere, tum propter magnam viri prudentiam & sanctitatem; tum propter magnam notitiam, & comprehẽsionem, quam habuit rerum Societatis: tum quia etiam post magnam consideratione, & diuturnas orationes constitutiones edidit, in quarum 9. p. c. 1. statuit vt Generalis ad vitam eligatur, propter multas rationes, quas ibi attingit, & itatim commemorabimus. Secundò accedit auctoritas totius Societatis, nam in congregatione prima generali, vt patet ex toto decreto 45. cum de successore Ignatii eligendo tractaretur, eadem res in deliberationem adducta est, tum ante, tum post electionem P. Iacobi Laynez secundi Generalis Societatis, semperque iudicium congregationis, nullo suffragio discrepãte, fuit Generalem debere esse perpetuum. Atque hanc suam sententiam omnium suffragiis, præter ipsum electum atque vnum vel alterum qui discesserant consignatam ad Paulum IV. Pontif. Maxim. eam postulantem misit. Tertiò (quod caput est) confirmat hoc authoritas summorum Pontificum. Nam in Bulla 5. Pauli III. anni 1549. manifestè supponitur Prepositum debere esse perpetuum, quatenus in principio eius declaratur, in certis casibus posse per Societatem amoueri, & alium loco illius substitui.

III. *Suadetur ex exemplo antiquarum religionum, ab exemplo antiquorum religionum.*

Secundò principaliter hoc confirmare possumus exemplo antiquarum religionum, nam, vt suprà tract. 8. ostendimus, Abbates olim erant perpetui, estque id consentaneum iuri communi, & sacris canonibus, & regulæ 5. Benedicti modo ibi explicato. Deinde nunc etiam in multis religionibus Generales perpetui sunt, quamuis inferiores Prælati sint amouibiles, vt in religione Carthusianorũ, ac Prædicatorum & Carmelitarum, & suo modo in religione Eremitarum S. Augustini, vt explicatum est in citato tract. 8. c. 7. n. 4. Præterea etiam afferri possunt exempla de Ecclesiastica monarchia, non solùm in vniuersali Ecclesiæ Pontificatu, sed etiam in particularibus Episcopatibus. Nam ex his omnibus intelligimus ex se melius esse, vt monarchia perpetua seu vitalis sit, & consequenter, cæteris paribus, esse præferendam, etiam in statu religioso, quando euidentia incommoda in ea non apparent, & quæ maiora sunt, quam quæ ex sequenti mutatione Prepositi Generalis, sequi possunt.

IV. *Suadetur ratione ipsa.*

Tertiò possumus hoc ratione persuadere. Et primum afferri possunt oẽs, quæ supra citato tractatu ratione ipsa tetigimus generaliter tractando hanc quæstionem moralem de

de Prælatis religionum, quas etiam attingit B. Ignatius in dicto cap. 1. 9. p. Constit. in declaratione lit. A. deinde applicando eas ad particulare institutum Societatis, & ad munus Generalis eius, habent sine dubio maiorem vim. Prima ergo ratio est, quia gubernatio, & influxus generalis in totam Societatē, est cum magna potestate ex parte sua, & magna dependentia ex parte corpotis, & omnium membrorum eius, & ideo indiget magna notitia totius Societatis, & omnium personarum eius, quam non potest breui tempore acquirere: expedit ergo vt multo tempore duret, quo possit statum vniuersæ Societatis comprehēdere per diuturnam experientiam, quæ ad prudentem gubernationem maximè necessaria est, & breui tempore acquiri non potest. Maximè in tanta rerum, personarum, ac negotiorum varietate: non ergo expedit, vt tunc duratio prælationis finiatur, quando persona incipit huiusmodi notitiam & experientiam obtinere: quod planè contingeret, si ad breue tempus Generalis constitueretur, quale esset sex, vel octo annorum: nam vix intra illud potest semel, aut iterum habere relationem & notitiam Societatis, per vniuersum orbem dispersæ. Nullum ergo breuius tempus, quam sit vita huius hominis, designari potuit, præsertim cùm ad hoc munus regulariter loquēdo assumi non possint, nisi homines ætate senes, & laboribus confecti. Nec obest quod opponeretur de tribus Generalibus Iacobo Laynes, Francisco Borgia, Euerardo Mercuriano, qui ad septem, plus minusq; annos tātummodo eo munere sunt egregiè defuncti. Occurrendum enim legem, seu constitutionem de perpetuitate Generalis prospicere futuris temporibus, pro quibus noluit nobis certò promittere tales semper habendos aut eligendos viros qui tribus illis Generalibus satis comparentur.

Item rationibus peculiaribus.

V. Secunda ratio sumitur ex electionibus, per quas Generales creandi sunt: in 8. enim tract. lib. 2. cap. 1. ostendimus non posse esse alium modum successionis religioni congruentem: expedit autem multum Societati vt huiusmodi congregationes Generales crebro non fiant; quia cum Societas in rebus magni momenti, & ad Dei gloriam pertinentibus satis semper occupata sit, non debet, quoad fieri possit, his congregationibus occupari, & distrahi. Quod cum in vniuersum de his congregationibus verum sit, propter longa itinera, labores & distractiones Prouincialium. Prælatorum, & aliorum electorum, qui semper esse debent ex præcipuis viris & operariis, peculiari, & vrgentiori ratione verum est, de his congregationihus quæ ad eligendos Prælatos fiunt: habere enim solent maxima incommoda & disidia, non sine magno detrimento religionis & oblocutionibus externorum de ambitu taxantium religiosos, vt in superioribus cap. præced. nu. 10. adnotauimus: ergo etiam hoc titulo vtilissimum est Generalem esse ad vitam, vt hoc modo tota Societas cum maiore quiete & pace viuat.

VI. Tertiò hinc sequitur alia vtilitas magni momenti, nimirum vt vel nulla, vel quam minima sit ambitionis occasio in Societate, sic enim dicitur in prædicta declaratione lit. A. *Longius recedet omnis cogitatio, & occasio ambitionis, quæ huiusmodi officiorum pestis est, si Generalis ad vitam eligatur, quamsi certis temporibus esset eligendus.* Cùm enim, sicut est incerta mors, ita etiam sit incerta electio, non ita excitantur animi ad præueniendam, vel procurandam electionem, sicut solent excitari quando certa tempora electioni præfixa sunt.

VII. Vltimò denique dubium non est quin perpetuitas muneris multum authoritatis conciliet ipsi Generali, tum cum externis, tum etiam cum nostris, vt in eodem c. 1. significatur: nam dignitas perpetua maioris æstimationis apud omnes est, quàm temporalis. Item quod Prælatus habet magis firmam iurisdictionem, minus dependet à subditis, ac consequenter maiorem authoritatem cum ipsis habere potest, magisque ab ipsis timeri, & liberior etiam erit à respectibus timoris, vel amoris humani. Huiusmodi autem authoritas ad gubernationem Societatis vtilissima sine dubio est, cum ad omnia negotia, quæ cum externis occurrunt, tum etiam ad rectitudinem, & efficaciam necessariam in ipso regimine adhibendam.

VIII. *Ad incommoda in num. 1.*

Periculum autem incommodi solùm est ne in vsurpanda huiusmodi authoritate, vel abusu eius, nimium excedat Præpositus Generalis, vel contra iustitiam, vel contra charitatem. Hoc autem periculum comparatione facta ad commoda, & vtilitates huius perpetuitatis, & ad incommoda & pericula frequentis electionis, & mutationis ferè nulli considerationis est, & ideo iuxta regulas humanæ prudentiæ non obstante illo periculo, perpetuitas hæc eligi debuit, & prouideri modus, quo illo modo vel periculo occurratur. Hoc autem magna etiam diligentia, & prudentia in Societatis instituto factum est: nam ob hanc causam in 9. p. Constit. c. 4. Præpositus subiicitur Societati in omnibus quæ ad modum viuendi, & gubernandi pertinent, & casus sus etiam numerantur, in quibus potest Societas illum deponere, & si opus sit à Societate remouere. Et c. 5. §. 4. modus præscribitur quo id possit executioni mandari cum necesse sit.

IX. *Pericula duo ex perpetuitate Gener. amputata in Societate.*

Accedit præterea in Societate magna ex parte amputatas esse occasiones huius periculi, saltem in eo gradu, vt possit in graue nocumentum Societatis redundare. Explicatur antecedens: nam duæ sunt potissimæ occasiones huius damni: vna est excessus in temporalibus sumptibus, vel in cibis & deliciis corporis, vel in aliis sumptuosis expensis, aut donationibus temporalium bonorum. Alia est appetitus maioris dignitatis, vel honoris. Prior magna ex parte per hoc ablata est, quod victus, vestitus, & expensæ Generalis iuxta ordinationem Societatis esse debent, cui ordinationi ipsum acquiescere oportet, vt in dict. cap. 4. dicitur. Huc etiam spectat, quod vnus ex casibus propter quos deponendus est Generalis, est ex redditibus Collegiorum aliquid ad proprios sumptus assumere, vel cuiuis extra Societatem donare (exceptis eleemosynis) vel aliqua stabilia bona domorum, aut Collegiorum alienare, vt in eodem c. 4. §. 7. cum declaratione lit. D. dicitur. Altera vero occasio tollitur quantum est ex parte instituti per votum non procurandi, vel acceptandi dignitatem aliquam sine obedientia Sedis Apostolicę. Solùm ergo videntur superesse vel humani defectus alicuius negligentiæ, vel præcipitationis, vel etiam humani affectus, quibusdam magis fauendo, quàm aliis, &c. His autem occursum est per consilia Assistentium, de quibus cap. præced. n. 6. & per officium monitoris, de quo in eodem ca. 4. 9. p. Const. §. 4. ratione cuius tenetur Monitor (qui à tota Societate debet esse electus) præmissa ad Deum oratione cum modestia debita, ac humilitate quidquid sentiat in ipso Præposito requiri ad maius obsequium, & gloriam Dei eum admonere. Nam hoc officium erga Prælatos necessarium valde est, vt docuit Basilius in reg. 27. ex fusioribus. vbi etiam addit. Ne ordinariæ disciplinæ iniuria fiat, huiusmodi admonitio ad eos est deleganda, qui cum ætate, tum prudentia in Societate reliquis præstent. Ergo quantum humana conditio patitur, sufficienter est huic incommodo prouisum, vt vel nullum, vel non admodum graue, vel saltem rarissimè ex hoc modo regiminis sequatur.

CAPVT III.

Vtrùm conuenienti modo reliqui Prælati in Societate instituantur.

I. *Prælati alij in Societate à Generali ordinariè creantur.*

DE duobus in præsenti inquiri potest, scilicet de creatione & de duratione horum Prælatorum: & in vtroque dicemus, priùs quid Societas obseruet? deinde rationem vtriusque reddemus. Quoad priorem partem institutio Societatis est vt Prælati omnes inferiores, sub Generali non fiant per electionem, vel suffragia subditorum, sed per voluntatem seu prouisionem Præpositi Generalis. ita habetur in 9.p. Constit. c.3.§.14. vbi de Generali dicitur, *Constituat per seipsum Rectores Collegiorum, & vniuersitatum, ac Præpositos locales domorum, quos aptiores fore iudicauerit. Prouinciales item, Præpositos*, &c. Similia sumuntur ex eodem cap.§.3. & cap.5.§.1 & 4.p. cap.2. & sæpe aliàs. Propter illam autem particulam, *per seipsum* additur in eodem cap.3.§.15. *Quòd si Prouinciali facultatem constituendi Præpositos locales & Rectores communicauerit, eiusdem Generalis erit eosdem confirmare, vel remouere.*

II. *An queat generalis delegare alteri electionem prouincialis.*

Quibus verbis significatur, non posse aliis committere electionem seu creationem Prouincialium, quanuis per Prouinciales, vel per alios, prout sibi videbitur, posset inferiores Præpositos vel Rectores instituere. Quia verò expressè ibi non denegatur hæc potestas delegandi facultatem ad creandũ Prouincialem, sed solùm tacetur, ideo nõ existimo esse illi absolutè sublatam: nam cum hæc potestas constituendi Prouinciales in Generali sit ordinaria, communi iure delegabilis est; ergo si nõ expresse prohibetur aut limitate ex iure communi obtinetur, quanuis expressè, & specialiter non concedatur. Nec sola taciturnitas sufficit ad eam limitandam: nam licet qui vnum exprimit, & aliud tacet, illud excludere præsumatur, c. *Nonne.* de præsumption. cum similibus, nihilominus illa præsumptio non est sufficiens quando ius commune in contrarium existit. Maximè quia potuit id fieri ad significandum frequenter posse accidere, vt inferiores Præpositi, vel Rectores per alios, scil. Prouinciales, eligantur; Prouinciales autem cùm iure ordinario immediatè subsint Generali, regulariter non debere per alium immediatè eligi. Hoc tamen non obstat, quominus in aliquo casu possit Generalis hoc committere Visitatori v. g. vel alicui commissario; imò & in praxi id positum esse nobis constat, & ideo hæc pars vt certa tenenda est, præsertim si non absoluta electio, sed inter duos aut tres à Generali designatos committatur. Confirmatio etiam, quæ in huiusmodi casu Generali reseruatur, esse potest, vel consequens, (vt sic dicam) vel antecedens. Consequentem appello, quando facta electione per commissarium Generali notificatur, & ipse ratam illam habet. Et hic est ordinarius modus cõfirmandi huiusmodi electiones. Nihilominus non censeo esse absolutè prohibitum, quominus Generalis possit, si velit, simul committere hanc potestatem ipso facto confirmando electionem ex quo facta fuerit, quod voco antecedenter confirmare; quia ibi non præcipitur vt confirmatio subsequatur, nec propter hoc posita est illa cõstitutio, sed ad potestatem Generalis declarandam.

An conueniat creari superiores per vnius Generalis iudicium.

III. *Prima obiectio huius membris.*

Superest, vt rationem huius regiminis reddamus. videtur enim nouum & alienum à communi iure, & vsu cæterarum omnium religionũ, & ideo non debuit sine magna & vrgẽte necessitate, ac ratione introduci. Eò vel maximè, quia vix fieri potest, vt vnus Generalis Præpositus possit iustè ac cõuenienter eligere Superiores, in tot prouinciis, loco & notitia remotissimis, & in tanta hominum multitudine, quorum omnium sufficientem notitiam habere, vt ex eis digniores ad hæc munera eligãtur, prout ratio iustitiæ postulat, difficillimum est. Nec satis est dicere per informationem ac relationem aliorum, posse Generalem comparare hanc sufficientem notitiam personarum: nam in huiusmodi informationib. possunt facile errores & deceptiones misceri, vel propter ignorãtiam eorum qui informant, vel etiam propter affectionem, vel aliam humanam passionem: sumus enim homines, & in tãta multitudine vix fieri potest quin aliqui huiusmodi affectus inueniantur, vel è contrario fieri nõ potest, vt in multis sit prudentia & rectitudo necessaria, ad huiusmodi informationem præstandam; eò vel maxime, quia huiusmodi informatio petenda est ab hominibus eiusdem ordinis, vt sic dicam, id est, aptis ad eadem munera & officia, & ideo facile accidere potest vt vnus de alio finistre informet, ne sibi ad tale munus aliquando impedimento sit. Denique in huiusmodi informatione nõ potest non esse magna iudiciorum varietas, quæ confusionem magnam pariat in eo, qui in loco est valde remoto, & veritatem per se inquirere nõ potest: & ideo hic modus videtur expositus multis erroribus circa electionem dignarum personarum: præter alia incommoda, quæ ex his informationibus sequi possunt, vt falsæ detractiones, manifestationes occultorum peccatorum, exaggerationes minimorum defectuum: vel è contrario, falsæ laudes, & commendationes pro infinita varietate iudiciorum & affectuum.

IV. Secundò principaliter obiici potest, contra hũc modum regiminis, quia electio proprij Prælati, videtur esse multo magis accommodata statui religioso, quia in eo esse debet obedientia maxime filialis, & voluntaria. Ad hoc autem, considerata humanæ naturæ cõditione, multum confert vt superior & antea sit cognitus, & amatus à subditis, & spontaneè ab ipsis assumptus. Nam si ab extrinseco proueniat, quodammodo violentum est, & ideo minus amabile, & ipse etiam qui eligitur priusquam cognoscat subditos, eosque vt filios tractare & diligere incipiat, suum tempus fortasse explebit, maxime si ex vna prouincia ad regendam aliam, prout nonnunquam fit, à Generali mittatur. Atque hinc in Ecclesia factum est, vt monachis ius sibi eligendi superiores fuerit cõcessum, vt in tract. 8. generatim ostendimus, & refert etiam ex Concilio Tolerano Gratianus in cap. vlt. 17.q.7. habetur autem in Concilio Cabilonensi 2. cap.7. & 18.q.2. sunteque multa alia iura, quæ ob eandem causam statuunt vt Prælatus religionis eligatur ex eadem religione, & ex eodem habitu, & si fieri potest, ex eadem domo; quod specialiter de monialibus significauit Concilium Tridentin. sess.25. cap.7. de Regular.

V. *Reliquis effem probatur assumptis.*

Nihilominus credo non sine peculiari Dei prouidẽtia & Spiritus sancti inspiratione B. Ignatium hunc modum regiminis Societati reliquisse, eumq; censeo esse ex rebus inprimis necessariis ad Societatis conseruationem, & profectum, & præsertim ad eius pacem, & tranquillitatem. Et ad hoc comprobandum præter authoritatem fundatoris, & sociorum eius, & consensum perpetuum totius religionis habemus authoritatem Pontificum Pauli III. & Iulij III. in quorum Bullis de confirmatione institutj, hæc verba habentur: *Proprij cuiusque gradus ut-dicium & officiorum discretio ac distributio tota sit in manu præpositi per nos eligendi, vel eorum, quos ipse sibi ea cum authoritate substituerit, vt congruus ordo seruetur in omni bonã item exercitatione & instituta communitate necessarius.* Habemus deinde vnitas, per

per diuturnam experientiam ex hoc modo regiminis, nulla incommoda alicuius momenti hactenus sequuta fuisse; imò ratione illius cum magna pace, & tranquillitate & seruato iustitiæ, & charitatis ordine fuisse Societatem gubernatam. Meritò ergo credimus hunc modum regiminis esse accommodatum huic instituto, iuxta suum peculiarem viuendi modum, quidquid sit de aliis religionibus, vel congregationibus, quorum proprios mores nō improbamus.

VI. *Denique ab incommodis aliter eligendi.*

Rationes, quæ vtilitatem huius regiminis ostendunt præcipuè sumuntur ex maioribus incommodis, quæ ex alio modo creandi Prælatos sequerentur Societati, & per hunc vitantur. Tribus enim modis creari possunt Prælati inferiores; primo per electionem faciēdam à tota communitate proportionaliter, seu respectiue: secundo ab aliquo superiore Prælato, cum aliquo consilio definitiuo, seu ad plura suffragia: tertio à Prælato, ita vt in illo solo sit potestas, quamuis vti debeat prudenti consilio suorum ministrorum. Primus modus habet inprimis magnum periculum generandi spiritum ambitionis, quæ pestis est religionis, vt nostræ constitutiones sæpe dicunt, & suprà lib. 6. cap. 7 agentes de votis professorum ex sanctis Patribus confirmauimus: nunc sufficit illud Basilij in constitut. monast. cap. 10. *Inter fratres principatum nullo modo appetere monachus debet; siquidem diabolica ista pestis est, & libidinis dominandi labes.* Et infrà, *qui autem ab eo vitio captiui tenentur, eos inuidos, contentiosos, dissimulatores, imprudentes, calumniatores, assentatores, veneratores, humiles vbi non conuenit, illiberales, glorioſos, sexcentis denique aliis huiusmodi turbis refertos existere necesse est.* quæ singillatim explicat & prosequitur. Quòd autem hoc vitium regulariter valde coniunctum sit cum huiusmodi electionibus, satis experientia ipsa ostendit, & ferè in omnibus congregationibus, & in superioribus sæpe declaratum est; maximè verò esse potest hoc periculum in electionibus, quæ per suffragia multitudinis fiunt; quanto enim talis electio declinat magis in regimen democraticum, tanto est minus perfecta, & huiusmodi vitiis expositа. Nam in quocunque statu hominum pauciores sunt viri prudentes & à priuatis affectionibus liberi, & ideo quando electores sunt omnes de populo, vel congregatione, vel magna multitudo, plures eorum sunt vel iuuenes, vel minus prudentes, vel in suis affectibus non satis moderati, atque ita facile est multos eorum fallere, aut decipere, aut aliis modis subornare, & inde oritur spiritus ambitionis in his, qui sperant se posse his mediis consequi prælationem.

Incommoda varia ex vno eligendi modo.

VII. *Item dissensio.*

Item electi ergo eligentes conniuẽtia & indigna prouisio

Præterea ex huiusmodi electionibus plerunque sequi solent diuisiones & schismata, quæ eleganter, & fusè prosequitur Chrysost. lib. 3. de sacerdotio à medio, & experientia notiora sunt, quàm vt verbis à nobis exaggerari necesse sit. Aliud etiam incommodum ex his electionibus sequitur: nam periculū est, ne Prælati electi his infesti sint, qui suffragium eis non dederunt; aliis verò nimium cōniueant, & quæ punita esse oportebat, dissimulent, & (quod grauius est) ad officia vel dignitates ordinis eos immeritos, & indignos promoueant: nā, vt dixit Gregorius lib. 2. epistolarum c. 61. alias epist. 22. *Si quorūdam patrocinio fuerit quisquam electus, voluntatibus eorum cum fuerit ordinatus obedire, reuerentia exigente, compellitur: sicque fit, vt & res illius minuantur Ecclesiæ, & ordo Ecclesiasticus non seruetur.* Multa denique alia incommoda in huiusmodi electionis modo, ipso vsu reperta sunt, propter quæ vitanda, multæ religiones illum modū reliquerunt, aliæ relinquendum iudicant, & exoptant, & in Ecclesia vniuersali videmus ablatas esse electiones Episcoporū, quæ olim à populo, vel clero fieri solebant, & in grauioribus electionibus, vt Papæ, quæ ob aliquam necessariam causam in vsu conseruantur, procuratum est, vt à paucis & selectis personis fiant.

VIII. *Contra alterum quemdam eligēdi modum quæ rationes militent.*

Circa secundum eligendi modum per definitorum cōsilium, occurrunt inprimis rationes omnes, ob quas in c. 1. à n. 8. diximus ordinarium regimen Societatis quoad omnia, quæ extra Congregationem generalem fiunt, esse à solis Prælatis cum suffragiis aliorum consultiuis, non definitiuis; vnus enim ex actibus iurisdictionis est prouidere, seu instituere superiores: qua igitur ratione alij actus iurisdictionis, vel administrationis Societatis committuntur iudicio, & potestati Generalis, hæc etiā prouisio commissa est: deinde quacunque ratione electiones fiant, non euitantur, licèt fortè minuantur incommoda electionum; quæ sine dubio attentè considerata, maiora sunt, quàm in prædicto Societatis prouidēdi modo; quod in præsenti ampliùs declaro: nam si Prouinciales, v. g. futuri essent in Societate per electionem, vel talis electio facienda esset à tota Prouincia in cōgregatione prouinciali, & sic illa electio iam esset totius multitudinis, & in ea locum haberent omnia dicta in n. 6. & 7. & quidem si qua incommoda visa sunt experimento cognita in electionibus religionum, maximè in his electionibus Prouincialium factis à toto prouinciali capitulo inuenta sunt. Nam quo illa dignitas maior est, eo magis appeti potest, & quia personæ, quæ ad illā electionem conueniunt, eiusdem sunt, & rationis, & prouinciæ, maius habent inter se commercium, & ideo facilius possunt negotiationes & prætensiones intercedere. Hæc ergo electio nullo modo expediebat Societati, & in aliquibus prouinciis eius esset valde difficilis, & incommodus talis electionis modus. Vt in Indiis, in quibus præter difficultatem cōgregandi omnes, qui existunt in locis valde remotis & in conuersione animarum sunt occupati, sæpe haberi non potest tanta notitia eorum, quos eligere oportet; præsertim cum sæpe expediat ex Europa nouos Prouinciales admittere.

Quæ item incommoda.

IX. *Situ interpositi pauci consiliarii,*

Alia esse poterat, vt à paucis & selectis hominibus eiusdem prouinciæ talis electio fieret: & ex hoc plura insurgerent incommoda, quàm vitarentur. Nam prius oporteret inuenire modum designandi vel eligendi hos electores, quod esset difficultates augere; quia non minor prudentia, & rectitudo necessaria esset ad quemlibet eorum eligendum, quā ipsum Prouincialem. Vel necessariū fuisset munus illud veluti iure ipso committere quatuor, v. g. antiquioribus professis, vel habentibus alia officia, quod sine dubio esset absurdissimum: nā antiquitas professionis (& idem est de qualibet alia simili conditione) non affert secum tam ordinariè omnia dona necessaria, quàm oportebat ad munus eligendi adeò graue: ac deinde constitutis huiusmodi electoribus supersunt alia generalia incommoda n. 6. & 7. allata, circa electionem ab ipsis faciendam, propter diuersitatem iudiciorum, & affectuum. Et præterea potest vnum peculiare animaduerti: nam vel illi electores habituri erant potestatem eligendi aliquem, ex ipsismet, vel non. Hoc posterius esset moraliter impossibile, vel valde incommodum, quia, si difficile est, in vna aliqua tota prouincia dignum moderatorem inuenire vnius etiam monasterij, vt alias dixit Basilius, quem in Superioribus attulimus; quomodo quæso excludi poterunt ab huiusmodi munere, seu voce passiua, omnes illi electores, cum necessariò futuri essent ex præcipuis totius prouinciæ viris. Illud autem prius, quòd scilicet ipsi simul essent & electores, & eligendi, non parum haberet incommodi in tam paruo electorum numero.

X.

Moraliter ergo rem considerando, necessarium fuit Societati, vt Prouincialium prouisio Generali commit-

Concluditur non expedire ipsos etiam prouinciales fieri per vota congreg. generalis.

committeretur eo ipso quòd per Prouincialem cõgregationem fieri non expediebat. De ipso autem Generali iam reddita est ratio c.1.n.6. cur Assistentium suffragia non sint definitiua, & vlterius considero, si quid incommodi est in hoc, quòd huiusmodi prouisiones per Generalem fiant, illud non minui ex eo quod suffragia consultorum, seu Assistentium definitiua sint: quia eandem notitiam requirunt, quam non possunt nisi per informationẽ obtinere, & in rigore maior videtur necessaria ad definiendum, quàm id consulendum: nam consilium sæpe datur, supponendo factum, vel informationẽ potiùs, quàm examinando veritatem eius; iudiciũ autem definitiuum postulat diligens examen, & cognitionem facti, seu cõditionum personæ, quæ maiori diligentia, & solicitudine fit ab vno, quando totum onus, & obligatio digne prouidendi officium ad illum pertinet. Ergo per suffragia definitiua non occurritur huic incommodo, & aliunde non vitãtur ea, quæ in diuersitate iudiciorum, & affectuum inueniuntur.

XI.

Imo nec Prælatos locales aliter, quam per Generalem fieri multipliciter ostenditur.

Idem ferè discursus fieri potest de Præpositis localibus, seu Rectoribus; nam si electio à subditis facienda non est, necesse est vt per aliquem Superiorẽ Prælatum prouideantur: constat autem id faciendum esse ex consilio prudentum, nam in omni graui negotio hoc semper necessarium est. Quod autem hoc consilium in Societate consultiuum sit potius, quàm definitiuum, eandem rationem habet in hoc negotio, quàm in aliis. Quod ergo hæc prouisio potestate ordinaria, non prouincialibus, sed Generali committatur; plures habet rationes morales valde congruentes. Prima, quia verisimiliter creditur Generalem liberiorem futurum à singularibus affectionibus, vt plurimum loquendo, tum propter maiorem muneris obligationem, tum propter minorem dependentiam ab aliis, tum propter minorem familiaritatem cum singulis personis distantiũ prouinciarũ. Secundò, quia hoc modo melius seruatur perfecta subordinatio, & vnio totius corporis cũ suo capite, quæ maximè necessaria est ad bonum eius. Tertiò, quia in Societate tanta est vnitas, vt quantum ad mutuum iuuamen & affectionem, omnium inter se perinde reputanda sit, ac si esset vna prouincia, & vna natio. Quòd enim multiplicentur prouinciæ, solùm est propter necessitatem prouenientem ex distantiâ locorum: in reliquis verò, quantum ratio instituti postulat, seruanda est maxima vnitas & communicatio bonorum omnium & mutuum auxilium, quoad fieri possit: vnde fit vt Rectores & Superiores vnius prouinciæ, sæpe ex alia prouideantur, vel è conuerso, vt qui in vna est superior, ad aliam mittatur, vt cõcionandi, vel docendi munus exerceat. Ob hanc ergo causam necessarium est vt potestas conferendi, & auferendi has prælationes sit in supremo capite.

XII.

Accedit quartò, quòd Generalis cùm perpetuus sit, habere debet comprehensam, vt ita dicam, totã Societatem, & altius prospicere, quæ personæ singulis locis necessariæ sint, & ex quibusdam locis, vel prouinciis, aliarum Rectores prouidere, si magis expediens esse iudicauerit. Et similiter cum omnes expositi esse debeant, ad missiones Pontificias, quæ plerunque per Generalem fiunt, optimè potestas prouidendi superiorem cum potestate mittendi illos in eodem Generali coniungitur, vt cùm aliquẽ Rectorem, v. g. inter infideles mittit, statim possit alium loco illius sufficere. Accedit tandem, quod licèt potestas principalis sit in Generali, vti nihilominus debet auxilio Prouincialium, vt dignè & cõuenienter possit de superioribus prouidere, & sæpe potest hoc illis committere. Vnde fit vt per hunc modum non excludatur omnis vtilitas, quæ prouenire posset ex potestate Prouincialium, si eis cõmitteretur; & additur alia maior, quæ ex eo sperari potest, quòd Generalis super omnes vigilet, & possit, vel cõfirmare quod rectè à Prouincialibus propositum, aut factum fuerit, iuxta potestatem eis cõcessam, vel certè emendare, quod minus expedire iudicauerit.

XIII.

Ad obiect. 1.

Ad primam ergo obiectionem in contrarium dici potest primo, hunc modum prouidendi Superiores, non esse nouum in religionibus: nam olim Episcopi, qui erant quasi supremi Prælati religionum, Abbates in monasteriis constituebant, iuxta Concilium Toletanum IV. can. 50. habetur in cap. 1. 18. quæst. 2. ibi, *Abbates aliaque officia instituere.* Hæc tamen verba glossa ibi ita limitat & exponit, vt semper intelligatur electio Abbatis pertinuisse ad monachos; nam *instituere*, exponit, id est, confirmare, vel si propriè sumatur, intelligit cum limitatione, scilicet quando monachi negligentes sunt, aut indignum eligunt, argumento cap. *si quis Abbas*, eadem causa & quæst. Quam expositionem sequuntur ibi Doctores communiter, fundanturque in aliis iuribus tribuentibus hanc electionem monachis, quæ iura sine dubio antiquiora sunt, præcipue enim sunt Gregorij & Pelagij Papæ, quos antecessisse Concilium Toletanum IV. certum est. Neque aliquid ex illis verbis colligi potest, sicut etiam nunc potest dici Episcopus habere ius instituendi Abbatissas, quamuis non possit illas creare sine electione monialium. Quocirca probabilius est à principio religionum illam consuetudinem fuisse magis receptam, vt suprà etiam tract. 8. suo loco probauimus.

Quandoque mutatum

Refertur prima.

XIV.

Respondet ad probat.

Dicitur ergo secundo nostra nihil referre, quòd hic modus prouidendi prælatos nouus sit, vel antiquus, sed id solum attendimus, an sit expediens, nam constat de se malum non esse, & in Ecclesia in prouidendis pastoribus animarum frequentius vsurpari: si ergo etiam huic statui religioso magis expedire constiterit, rectè faciet illo vtendo, etiamsi aliæ religiones ob alias iustas causas electionibus vtantur, vel semper vsæ fuerint; Quòd autem nobis hic modus expediat, rationes à numer. 6. adductæ, vt credimus, satis persuadent, & non minus diuturna experientia quinquaginta annorum, vel amplius, cùm hæc scribimus, in quibus cum magna pace, & quiete Societas hoc modo gubernata est, semperque ad huiusmodi officia ex dignioribus & aptioribus personis, quantum moraliter intelligi potest, assumptæ sunt, ideoque etiam ab externis hominit us prudentioribus, & grauioribus modus, quem Societas in hoc obseruat, magis, ac magis commendatur, inter quos numerari potest Nauarrus comment. 3. de Regularib. numer. 3. in fin. vnde eadem experientia satis ostensum est non esse impossibile, quod in obiectione posita tanquam impossibile assumitur. In aliis enim religionibus, in quibus non est tanta dependentia vel communicatio cum Generali, fortè illud videretur impossibile; tamen in Societate, vbi est multo maior dependentia, & communicatio, non est admodum difficile si inferiores Prælati, & alij officiales seu consultores fideliter sua munera exequantur, & Generales omnem curam, & solicitudinem adhibeant, vt quisque illorum sit fidelis dispensator ac prudens, sicut per diuinam gratiam hactenus conseruatum est.

XV.

Et punitur posterior memoria in casu a.

Quod autem interdũ aliquis error, vel defectus per ignorantiam committatur, licèt in particulari hoc nobis non constet, nullum argumentum est, vt propterea mutari regimen debeat, quia prouidentia humana, non potest omnia incommoda præcauere, sed illa præfertur, in qua regulariter pauciora inueniuntur. Illa autem pericula, quæ erga informationes exaggerantur, communia sunt ad quem-

quemcunque modum electionis, seu prouisionis, quæ per homines fieri possunt. Et ita constat experientia nec Summum Pōtificem, neque Episcopos, neque Reges, vel alios Principes, posse aliter officia vel dignitates prouidere, nisi accepta informatione quarundam personarum ab aliis fide dignis. Vnde vbi plures sunt electores, ad huiusmodi officia singulos per informationes duci necesse est ad rectè eligendum: non ergo cauentur dicta incommoda propter illum modum electionis, sed potius augerentur, nam certè minora timeri possunt quando vna tantùm persona informanda est, & illa est adeò grauis, vt omnes illi maiorem reuerentiam, & fidelitatem debeant, & adeò prudens, & potens, vt alij nec facile possint, neque audeant illam decipere: ex parte etiam eorum, à quibus informatio sumenda est, minus etiam est periculi, quia non solùm religiosi sunt, & timorati, sed etiam specialiter profitētur, vt lib. 6. à cap. 7. vidimus, ne inter eos genus aliquod ambitionis aut negotiationis inueniatur. Quantum ergo humana conditio patitur, videtur huic errori sufficienter prouisum; quod euidentius cōstaret si omnia particularia media hic proponeremus, quibus Societas vtitur, vt Generalis sufficientem notitiam personarum ad suū munus exequendum obtineat, sed hoc nec necessarium videtur, nec paucis verbis fieri posset; consulantur verò, quæ hac de re scripta sunt in ordinationibus contractis ac toti Societati communibus cap. 17. à numero 4. vsque ad finem capitis, & cap. 19. numero 4.

XVI. *Ad 1. obiect. in n. 4 multipliciter excluditur.*

Ad secundam obiectionem, fatemur inprimis electionem per suffragia subditorum habere illam humanam commoditatem, quòd erit illis magis gratus & dilectus, si eorum voluntate fuerit assumptus: tamen hæc ipsa commoditas comparata ad incommoda quæ ex electionibus sequuntur, quasi nihil à nobis reputatur. Deinde si electiones fierent semper vnanimi consensu, vel saltem rectissima intentione, esset illa vtilitas æstimanda; tamen cum sæpe fiant per contentionem, & æmulationem, illa, quę respectu quorundam videtur commoditas, respectu illorum, qui non consenserunt electioni, solet esse magna perturbatio, quia vix possunt non solùm diligere verùm etiam patienter ferre Prælatum suum, præsertim si propter negatum suffragiū illum sibi benè affectum non sentiant. Tertiò dicimus illud commodum esse mere humanum, vt sic dicam, nam qui perfectionem obedientiæ profitetur, contentus est ea electione Prælati, quam intelligit esse magis consentaneam diuinæ voluntati, & per se meliorem, B. autem Ignatius potissimum optauit cum hoc spiritu suos alumnos educare, vt abstracti ab humanis affectibus & respectibus, eum velint habere Prælatum, qui aptior in Domino sit ad gubernandum. Quartò speciali ratione est hoc magis necessarium in hominibus Societatis, quia non habent, vt ita dicam, firmum domicilium, seu ex vi instituti parati esse debent ad peregrinandum, vel habitandum in diuersis prouinciis & regionibus, & ideo assueti esse debent vt à cognitis & incognitis superioribus gubernentur. Quintò in Societate etiā minus habet incommodi, quòd superiores, ex vna domo ad aliam, vel ex vna prouincia ad alteram afferantur; tum quia in Societate non sunt filiationes domorum, vel prouinciarum, sed omnes quoad amorem & omnem beneficentiā, tanquam eiusdem domus reputantur; & tota Societas tanquam vna prouincia, vt suprà num. 11. dicebam: tum etiam propter multam communicationem per literas, & varias missiones, ex qua nascitur vt personæ, præsertim graviores, & quæ ad hoc munus possunt assumi, sufficienter cognoscantur, & facile etiam possint alios cognoscere ad regendum illos, tum denique quia regimen ipsum, est valde vniforme, & quasi eiusdem rationis in omnibus domibus & prouinciis, & ideo facile omnibus accommodatur.

XVII. *Addita commoditas in 2. obiectione aliqualiter inuenitur in Societate.*

Nihilominus dicimus in Societate non prætermitti hoc genus suauis prouidentiæ in electionibus superiorum; quantum commodè fieri potest. Nam inprimis, ferè semper, seu regulariter eliguntur superiores ex eadem natione, & frequenter ex eadem prouincia, quod si aliquando aliter fit, vel intercedit causa, vel necessitas vrgens, vel certè, quia persona in eadem prouincia educata est, & quasi naturalis effecta. Deinde nunquam huiusmodi electiones fiunt, sine magna consultatione præcipuarum personarum vniuscuiusque prouinciæ, nec sine plurium iudicio & assensu. Denique etiam habetur ratio affectuum, seu propensionum subditorum, procuraturque, vt quoad fieri possit, ab hominibus alias sibi gratis & acceptis gubernentur. Nam quòd electiones fiant ab vno capite, non excludit hoc genus prouidentiæ, & prudentiæ, imò facilius potest ab illo obseruari, qui totius religionis maiorem notitiam habet.

De duratione superiorum infra Generalem.

Supereſt, vt aliud punctum, in principio capitis propositum, de duratione superiorum, sub Generali, expediamus. Hi enim non sunt positiuè, vt sic dicam, perpetui, hoc enim Generalis proprium est, & meritò, tum quia ille solus, intra religionem à nullo pendet, omnes verò alij pendent ab ipso: tum etiam, quia non est eadem necessitas in aliis, solus enim Generalis per electionem Congregationis generalis fit; cuius frequentia vitanda fuit, vt c. præcedenti n. 5. notauimus; reliqui verò sine electionibus, facile possunt ab ipso Generali mutari, & instituitum denique, quia etiam Philosophia docet omnia mobilia niti, & fundari in aliquo immobili, vt per mutationes proprias sese mutuo iuuent, & conseruent fundata & radicata in principio immobili: ita ergo in hoc corpore religioso Societatis, mutatio inferiorum Prælatorū necessaria est, propter varias causas, & occasiones, quæ moraliter occurrunt, & quia pauci apti sunt ad magistratū perpetuò gerendum cum suo & aliorum profectu, vt suprà etiam tract. 8. dixi, tractando de Prælatis regularibus in communi. Hæ autem mutationes facilius & vtilius fiunt existente vno principio, seu capite immobili, quantum patitur humana vita mortalis, iuxta dicta in c. 2.

XVIII. *Consueti prælatos infra Generalem non esse perpetuos.*

Secundò, ex vi constitutionum Societatis, hi Prælati inferiores nullum ferè habent terminum præfixum, sed à voluntate Generalis pendent: nihilominus in 9. p. constit. de Prouincialibus dicitur, *ad triennium, vt plurimum* esse constituendos; additur verò, *quamuis & contrahi & prorogari etiam id spacium temporis possit, quando ad maiorem Dei gloriam id fore videbitur:* vnde ille terminus triennij (vt etiam in declaratione significatur) solùm præfigitur, vt ordinariè possint commodè & sine nota finito illo tempore à munere remoueri: nam si oporteret tempus prorogare, sine vllo incommodo fieri posset, quia id cederet in personæ commendationem. Maius posset sentiri inconueniens, si ante illum terminum quis esset remouendus: veruntamen hoc etiam raro potest esse necessarium, & prudenter ita fieri potest, vt nulla inde infamia oriatur, vel certè interdum propter maius commune bonum permitti, vel etiam in pœnam potest infligi. De aliis autē inferioribus Præpositis nihil dicitur quoad tempus administrationis eorum, sed solùm quod Generalis eos constituere, ac remouere potest. ita in d. cap. 3. p. 9.

XIX. *Quid de Prouincialiū duratione.*

Quid de aliis.

p.9.§.3.& p.4. c.10.§.3. vbi dicitur, *Penes eundem* (id est, Generalem) *erit Præpositum, Rectorem amouere, taliq; cura, prout in Domino conuenientius videbitur, liberare.* Nam quia frequentius expedire potest, hæc inferiora officia mutare; vel etiam eorum tempus prorogare, ideo B. Ignatius in constitutionibus, & 2. Congr. generali, can. 33. nullum certum tempus, etiam vt plurimum obseruandum, his muneribus præscripsit.

XX. *Circa superiores locales mutatio facta in 5. Congrg.*

Sed quamuis hæc ita sint, nihilominus à tempore 5. Congregationis generalis decreti 51. iniunctum est, vt omnes etiam superiores locales (exceptis Rectoribus domorum probationis & seminariorum, in quibus ius declaratum integrum manet) per triennium tantùm durent, infra quod tempus possunt à Generali iustis ex causis, vel propter commune bonum, eos remouere, aut alio mittere: prorogare autem tempus non potest, & finito triennio, saltem per annum vacare debent à munere prælationis, nisi necessarium sit aliquem ad munus Prouincialis promoueri; nam propter illius muneris grauitatē, & quia non possunt semper plures inueniri, ab aliis muneribus liberi, & aptissimi ad illud exercendū, ideo liberum relictum est Generali, vt ex quocunque inferiore munere, etiam per triennium peractum, possit ad illud quamcunque personam assumere. Pro ipsis autem Prouincialibus etiam statutum est, vt finito suo triennio subditi sint, saltē per annum; ita vt nec inferiorem aliquam prælationem habere possint. Hæc autem temporis determinatio non ideo facta est, vt dignitas prælationis pluribus communicari possit, cùm Societas maximè cupiat omnem prælationis affectum extirpare, vt in superioribus visum est lib. 6. cap. 7. & reuera hæc munera in Societate multo plus habent oneris, & solicitudinis, quàm dignitatis, honoris, aut commodi: sed facta est, vt munus prælationis faciliùs sustineri possit. Item vt hi, qui apti sunt ad prælationem, & ideo frequentiùs ad illam assumuntur, non obliuiscantur humilitatis & subiectionis, & vt experientia etiam discant subditis suis temporibus compati. Item vt hoc modo plures sint in Societate viri ad gubernandum apti, quia prudentia, ad illud munus necessaria, vsu ipso, & experientia maximè acquiritur. Denique per hoc nihil impeditur principale institutum Societatis, circa ministeria animarum, & missiones, propter hunc finem faciendas, cùm semper possit Generalis quælibet mittere, vel ad aliud opus, seu ministerium applicare, nihil obstante (vt sic dicam) iure triennij; quia reuera propriè loquendo, nullum tale ius in Societate acquiritur personis, quæ ad has prælationes assumuntur: aliunde verò facta ita determinatione, liberius possunt saltem finito triennio ab illis muneribus remoueri. Et quamuis interdum expedire posset, tempus hoc aliquibus personis prorogari, tamen, quamuis id non fiat, parum incommodi sequitur, cùm moraliter nunquam desint, qui sufficienter possint in his muneribus substitui, & propter alia commoda, quę videntur maiora, potest hoc qualecunque incommodum tolerari. Hæc tamen triennalis determinatio in dicta Congregatione 5. pro superioribus localibus facta ex significatione Pontificis, postea ab eadem Sede Apostolica ad ius nostrarum constitutionum fuit restituta.

Mutatio prædicta quas causas habuit.

Reuocatur dicta mutatio.

CAPVT IV.

De potestate iurisdictionis in Societate IESV, ac primum de suprema.

I. *1. Assertio, existere in*

IN primis supponendum est, in Societate esse iurisdictionem ecclesiasticam, tam in foro confessionis (de quo nunc agimus, quia res est clara, & sufficienter tacta superius lib. 8. c. 5. circa vsum confessionis) quàm in foro contentioso, seu exteriori respectu suorum membrorum omnium, & causarum ad eorum personas pertinentium, etiamsi criminales sint, vel cuiuscunque alterius generis. Hoc constat, tam ex communi doctrina religiosi status exempti, superiùs tract. 8. data, quam ex multis Bullis Pontificiis, in quibus eximitur Societas à iurisdictione omnium ordinariorū à principio suæ cōfirmationis, vt constat ex Bulla 1. & 5. Pauli III. & Bulla 1. Iulij III. & ex constitutione, *Ascendente Domino*, Gregorij XIII. & alia Bulla eiusdem, quæ incipit, *Satis superque*, ex quibus literis Pontificiis constat, & habere Societatem iurisdictionem quasi Episcopalem in suos subditos, quam iure communi habent religiones exemptæ, & habere illam cum omni extensione, & perfectione aliis religionibus concessa, per communicationem, quam cum illis habet, iuxta eadem indulta Apostolica, & præsertim cum mendicantibus, iuxta Bullam, *Dum indefessæ*, Pij V. & cum multis specialibus illi propriè, & directè concessis in variis Bullis Pontificiis, à Paulo III. & Iulio III. & præsertim à Gregorio XIII. concessis, ex quibus etiam constat, iurisdictionem hanc in Societate esse ordinariam respectu propriorum subditorum; quia licèt per priuilegia Pontificia liberaliter concessa sit; data est tamē vt exercenda ex proprio munere, & per proprios talium animarum pastores, superiores, ac iudices, & ideo data est vtā quam ordinaria habeatur. Quod confirmandum est & cum proportione explicandum, ex his, quæ de Prælatis regularibus in communi diximus in tract. 8.

II. Secundò principaliter dicendum est, iurisdictionem hanc considerari posse, vel prout existit in cōmunitate aliqua Societatis, vel in singularibus personis, vtroque enim modo potest iurisdictio Ecclesiastica communicari. Imò vna & eadem iurisdictio potest nunc esse in singulari persona, & postea in communitate aliqua, vt iurisdictio Episcopalis ordinariè est in Episcopo & sede vacante in Capitulo. Vterque ergo modus habendi iurisdictionem, in Societate reperitur, sicut in aliis etiam religionibus: Est autem hoc peculiare Societatis, vt nulla cōmunitas eius habeat propriam iurisdictionem gubernatiuam, nisi solà Congregatio generalis totius Societatis; nam Prouinciales Congregationes hanc iurisdictionem non habent, & multo minus quæli- bet inferiores: Dico autem non habere propriam iurisdictionem ad gubernandum, quia & Congregatio Prouincialis habet ius eligendi, vel procuratorem ad Generalem mittendum, vel eos, qui cum Prouinciali ad generalem Congregationem mittendi sunt, vt constat ex 8. p conſt. c. 3. & in §. 1. & c. 5. §. 3. & ex formula Congregationis Prouincialis: illud autem ius eligendi cum omnibus, quæ illud cōcernūt, cuiusmodi sunt electiones definitorum earum rerum, quæ in ipsa Congreg. Prouinciali tractandæ sunt, & secretarij eiusdem Congregationis, non computatur nunc à nobis in propria iurisdictione, de qua agimus, neque vlla expositione indiget, præter eam, quæ in dicta formula Cōgreg. Prouincialis sufficienter tradita est.

1. Assertio, existere in Societate iurisdictionem, eamque maximā dico intensiue, non autem extensiue (vt ita nunc breuiter loquamur, postea enim à nu. 8. latius id explicabimus:) Dico enim esse intensiue maximā; nam primò potest Generalem eligere, cui consequenter communicat totam iurisdictionem, quam ipse habet. Secundò, quia etiam post illius electum, manet illi superior, vt suprà visū est in c. 2. n. 7. satisque etiam inter alia indicatum est in 4. Congregatione generali decreto 20. illis verbis, vt Congregatio Præpo-

III. Congregatio autem generalis sine dubio habet iurisdictionem, eamque maximā in Societate, ma-

Præposito mandet, &c. Vnde potest non solùm illum obligare suis legibus & præceptis, sed etiam eũ punire, vel interdum deponere, si causæ legitimæ intercedant, iuxta 4.c.9.p.constit. Tertiò habet potestatem statuendi ius perpetuum, & illud mutandi in eadem Societate; de quo videri potest decretum 76.Congr.7. Quartò habet potestatem alienãdi vel dissoluendi collegia, aut domos semel erectas, & acceptatas, iuxta c.3.9.p.constit.§.17.& 18.& 4.p.const. c.2.§.3.& habetur in Bullis Pauli III.& Iulij III. Atque hi actus ita sunt proprij Congregationis generalis, vt iurisdictio ad eos exercendos in nulla singulari persona inueniatur, vt ex eisdem locis constat.

IV. *Aliam quoque iurisdictionem subiectat sed nõ sola necessario.*

Ad eandem autem Congregationem solam (per se loquendo) spectat Assistentes Generalis eligere, vt constat ex 9.p.constit.c.5.§.3. Hoc autem non adeo necessarium est, quin aliquando possit hæc electio fieri absque Congregatione generali, quando necessitas aliqua occurrerit subrogandi aliquem in locum alterius demortui, vel sufficienter impediti; tunc enim Generalis poterit illum substituere, cõcurrentibus tamen suffragiis decisiuis omniũ Prouincialium Europæ, vel maioris partis eorum, vt in eadem constitutione dicitur, atque idem dicendum videtur de electione Admonitoris Generalis: nam illa etiam ad Congregationem generalem spectat, vt colligitur ex eadem 9.p.constit.cap.4.§.4.ibi, *Per Societatem designatus*; Societas enim ibi necessariò sumitur prout in Congregatione generali necessariò existit, & repræsentatur. Quia nec tota Societas formaliter, (vt sic dicam) & per seipsam potest illum designare, nec supponitur aliqua alia Congregatio, vel persona, cui Societas hoc munus commiserit, maximè enim esset ipsemet Præpositus Generalis, nullibi autem legimus hoc munus illi esse commissum. Poterit autem, vt existimo (quãuis in constitutionibus expresse non legatur) cum necesse fuerit substituere Admonitorem in casu aliquo necessitatis cum suffragiis Prouincialium, sicut de Assistentibus dictum est; atque ita declaratum est in 3.Congr.can.19.& Congr.4.generali, can. 24.& 25.

V. *Tertia assertio, iurisdictio existens in Congreg. generali, dicenda simpliciter extraordinaria.*

Atque hæc sunt, ad quæ propriè extenditur iurisdictio Societatis, prout ab ipsamet in Congregatione generali existente immediatè exerceri solet & debet. An verò ad alios etiam actus ampliari possit, paulo post à numer.8. videbimus. Quamuis autem hæc iurisdictio Congregationis ordinaria sit, prout ordinaria à delegata distinguitur: potest tamen dici extraordinaria, prout distinguitur ab ea, qua ordinariè, & continuè regitur Societas: quod enim illa iurisdictio non sit delegata, certum est: tum quia conuenit illi ex certa, & statuta lege à Pontificibus confirmata, & ex vi sui muneris: tum etiam à posteriori, quia potest illam delegare & committere, imò etiam tanquam ordinariam conferre. Extraordinariam autem eam voco, quia non pertinet ad ordinarium regimen Societatis: neque ad perfectionem, & integritatem eius, vt Congregatio generalis actu semper existat, neque vt ab ea immediate manet ordinarius influxus suæ iurisdictionis Societati necessariæ: sed solum in casibus necessariis congregãda est, qui extraordinarij dici possunt. Hęc autem iurisdictio actu nõ existit, nisi pro tempore, pro quo generalis Congregatio actu existit, & ideo extraordinaria appellari potest.

VI. *4. Assertio in Generali residet simpliciter suprema iurisdictio.*

Hinc ergo concluditur quarto supremam iurisdictionem Societatis ordinariam vtroque modo esse solùm in Præposito Generali: nam in illo est ex vi sui muneris, & ex vi legis, & ordinarius influxus, quo vniuersa Societas regitur, ab ipso manat, vel immediatè, vel cum dependentia ab ipso: hoc constat ex Bullis, & constitutionibus. Nam in prima Bulla confirmationis instituti à Paulo III. edita statim in principio dicitur: *cuiusque gradus iudicium & officiorum discretio, ac distributio tota sit in manu Præpositi.* Et infrà, *Iubendi autem ius totum penes Præpositum erit.* Et idem repetitur in Bulla I. Iulij III. & additur, *prout in constitutionibus explicatur.* Et in eisdem Bullis dicitur habere Præpositum omnimodam gubernationem, seu superintendentiam super Collegia, & scholares. Quæ omnia à posterioribus Pontificibus, præsertim Greg.XIII. & confirmata & aucta sunt. Explicatur autem latè hæc potestas per suos actus in 9.p.const.c.3. vbi primum ei tribuitur potestas admittendi, & dimittendi personas Societatis: item mittendi illas ad varia loca, vel ministeria, vel ab eis reuocare: item prouidere Rectores, & officiales, per quos Collegia, & vniuersitates administret, ac regat, tam in spiritualibus, & literariis, quàm in omnibus temporalibus bonis, quæ ad Collegia spectant. Idemque de domibus probationis, & professis intelligendum est, & de Prouincialibus, quorum creatio illi etiam committitur. Apud illum etiam esse dicitur per se, ac primariò potestas dispensandi, & vsus facultatum omnium à Sede Apostolica concessarum Societati, vt lib.9.c.2.à nu. 2. vidimus; ac potestas etiam corrigendi & puniendi cum opus fuerit, ac denique cætera omnia, quæ ad vniuersale regimen spectant, vt sunt acceptare Collegia, vel domus, vocare ad Cõgregationem generalẽ, quando ipso viuente congregari opus est, & quod amplius est, Vicarium etiam Generalem sibi post mortem substituere, qui Societatem ad Generalem eligendum conuocet, eamque regat donec Generalis eligatur, vt habetur in 8. p. constit. c.4.§.1. Quod illi etiam peculiariter commendatum est in Congregatione 4. generali can. 18. Cur autem tam ampla potestas ei data sit, & an ita fieri expediens fuerit, in superioribus satis declaratum est c.1.à n.7.

Quæstiuncula prima circa dictam potestatem Societatis.

VII. *Arguitur Præpositum habere iurisdictionem immediatè à Congreg. generali. Arguitur habere à Pontifice.*

Quæri verò hic potest, an Generalis habeat hanc iurisdictionem suam immediatè à Summo Pontifice, vel à Congregatione generali: hoc enim posterius ex eo videtur colligi, quòd Generalis à Congregatione eligitur: ergo sicut ab illa habet esse: ita & potestatem: imò totum esse Generalis, vt Generalis est, in potestate seu iurisdictione consistit. In contrarium autem est, quia rectè intelligi, potest Congregationem solùm designare personas: Pontificem autem immediatè atque ipso iure conferre dignitatem & potestatem, ad similitudinem videlicet electionis Pontificis. Quod autem ita fiat, videtur colligi ex Bullis Pontificiis, præsertim ex Bulla 5.Pauli III. vbi sic ait, *Nos eiusdem ordinis supplicationibus inclinati sibi, vt Præpositus Generalis dictæ Societatis pro tempore existens, cum primum iuxta constitutiones eiusdem Societatis electus fuerit, eo ipso verus ipsius religionis Generalis Præpositus cum libera generali & omnimoda cura & administratione omnium, & singulorum ad felix regimen, & prosperam directionem dictæ Societatis spectantium sit, & esse censeatur, &c. concedimus.* Ergo ipsemet Pontifex est, qui iurisdictionem & potestatem concedit personæ à Societate designatæ. Et Gregorius XIII. in suis Bullis plures facultates directè ipsi Præposito concedit: specialiter verò in Bulla de vsu facultatum anno 1575. concessa declarare videtur omnes gratias, & facultates, & indulta *concessa, seu in posterum concedenda prædicto & pro tempore existenti Præposito Generali Societatis huiusmodi concessa esse.* Ergo non Societas, sed Pontifex confert illi immediatam iurisdictionem: nam hæc per talia priuilegia, & indulta datur.

Quæstiuncula secunda.

VIII. *Argu tur n̄ posse Congreg. limitare potestatem Generalis.*

Secundò interrogabit aliquis an possit generalis Congregatio potestatem Generalis restringere, seu (quod idem est) ex parte auferre. Nam si vera est posterior pars, quam modò suadebamus, videtur sequi non posse, quia ipsa non dat ei iurisdictionem: ergo nec auferre, aut limitare potest. Confirmatur exemplo à simili de Summo Pontifice: qui licet eligatur à Congregatione Cardinalium, imò licèt eligeretur à Concilio generali, potestas eius non potest ab Electoribus limitari; nec diminui, etiam in re minima; quia ipsi non conferunt potestatem, sed tantum designant personam; ergo similiter, &c. In

Arguitur posse.

contrarium autem est, quia Congregatio manet superior Generali electo: ergo potestas generalis semper manet pendens à Congregatione; nam hoc postulat debita subordinatio inferioris ad superiorē; & in hoc multum deficit exemplum adductum, vt c. 1. n. 14. dicebam; quia Pontifex semper manet supra omnem Congregationem ipsum eligentē. Confirmatur; nam generalis Congregatio habet potestatem faciendi perpetua statuta, & mutandi constitutiones, vt suprà n. 3. ex Bullis Pontificiis, & ipsis cōstitutionibus ostensum est; ergo etiam habet potestatem immutandi potestatem Generalis, siue augendo, siue minuendo illam. Patet consequentia, quia ille non habet hanc suam potestatem sine adminiculo constitutionum; quia recipit illam secundùm constitutiones, & ideo non potest, v. g. dissoluere Collegium, quia constitutiones negant illi hāc potestatem, potest verò acceptare illud, quia eædē constitutiones concedunt: ergo Congregatio, quæ potest has constitutiones immutare, potest etiam immutare potestatem, quæ ex illis pendet.

Quæstiuncula tertia.

IX. *Agitur pro parte affirmatiua.*

His annexa est tertia interrogatio, an scilicet Cōgregatio generalis quamdiu durat, possit per seipsam immediatè efficere omnes actus iurisdictionis, quos Generalis potest exercere. Pars enim affirmās suaderi potest, quia Congregatio supra Generalem est: ergo potest per se efficere, quidquid per Generalem potest. Consequentia in his casibus subordinatis bona est; ideo enim potest Prouincialis quidquid Præpositus localis, & Generalis quidquid Prouincialis. Item quia Generalis habet suam potestatem à Congregatione generali: ergo quidquid per

Agitur pro negatiua.

illam iurisdictionem ipse potest, à fortiori poterit Congregatio per seipsam. In contrarium autem est, quia sequeretur posse Congregationem generalem per se eligere Prouinciales omnes, & alia similia facere, quæ sunt valde aliena ab hoc instituto. Item quia in ipsis constitutionibus, & Bullis Pontificiis determinantur, & limitantur ea, quæ Congregatio generalis per se potest præstare, tam quoad electiones, quàm quoad leges ferendas, & alios actus iurisdictionis: ergo nihil aliud potest Congregatio per seipsam immediate exequi.

Resolutio primæ quæstiunculæ n. 7.

X. *Posterior pars declaratur.*

Difficultas præcipua in præsenti est in explicanda dependentia, quam habet iurisdictio hæc prout est in Generali Præposito ab illa, quæ est in generali Congregatione, & è contrario, in qua dicendum censeo iurisdictionem Generalis, simpliciter loquendo, pendere à Societate vt legitimè congregata in vnum corpus, & non è conuerso. Hoc posteriùs euidenter probatur ex dictis; quia Congregatio generalis est simpliciter superior, & quia Generalis in nulla re potest minuere potestatem talis Congregationis: solùm ergo ab illo pendet in congregari, vt sic dicam, quia ad Generalem pertinet illam indicere, vel ad Vicarium Generalem, quando generalatus vacat, exceptis casibus, in quibus hoc committitur Assistentibus, vel Prouincialibus ob Generalis defectus, vt constat ex 8. & 9. p. constit. postquam autem semel congregata est, ipsa habet simpliciter supremam iurisdictionem independenter à suo Præposito, adeò vt nec dissolui possit ex sola illius voluntate sine consensu eiusdem Congregationis, vt declaratur in formula eius c. 7. num. 75.

XI. *Confirmat pars prior.*

Altera verò pars probatur sufficienter rationib. positis num. 8. secundo loco in secunda dubitatione, seu quæstiuncula. Et ratio à priori est, quia Generalis habet suam iurisdictionem iuxta constitutiones, constitutiones autem hanc iurisdictionem dant Congregationi generali, vt constat ex 8. p. illarum & ex 9. c. 4. & ex formula Congregationis generalis: nam licet in his locis verbis formalibus & expressis non explicetur hæc dependentia: tamen eo ipso, quod dicitur Congregationem esse simpliciter superiorem, sufficienter significatur. Maximè verò hæc dependentia ex eo colligitur, quòd Congregatio generalis habet potestatem condendi decreta perpetua, vt constat ex 8. p. const. c. 7. & per ea decreta potest constitutiones immutare, vt ex eodem loco colligitur, & ex Bullis confirmationis instituti Pauli III. & Iulij III. ex quibus colligitur constitutiones condere ad generalem Congregationem pertinere, eiusdem autem est legem mutare, cuius est condere, & quælibet Congregatio generalis æqualis authoritatis & potestatis est cuicunque præcedenti. Denique Paulus III. in Bulla 2. expressè concedit Societati facultatem mutandi, alterandi & in totum cassandi constitutiones, tam hactenus factas, quàm in posterum faciendas, iuxta locorum ac temporum & rerum qualitatem, & varietatem, ita vt postquam mutatæ, alteratæ, seu de nouo conditæ fuerint, eo ipso Apostolica auctoritate confirmatæ censeantur. Cùm ergo tota iurisdictio Præpositi generalis ex cōstitutionibus pendeat, consequenter fit, vt etiam pendeat à Congregatione generali.

XII. *Declaratur pro batur ad dubia in 2 inst.*

Hoc ergo posito quod ad rem spectat solum videtur in prima interrogatione posse relinqui ambiguitatem de modo loquendi. parum enim refert, quod dicamus hanc potestatem dari immediatè ipsi Generali à Summo Pontifice, dummodo fateamur datam esse cum prædicta dependentia à Congregatione generali. Deseruiet autem ille modus loquendi, ad explicādum facilius verisimum proloquium in Societate, ac constitutionibus consentaneum: nimirum, Generalem habere omnem potestatem Societati concessam à Summis Pontificibus, tam communi, quàm speciali iure, & tam directè per propria priuilegia, quàm indirectè per communicationem aliorum: his tantùm actibus, seu rebus exceptis, quæ per Constitutiones, seu decreta Cōgregationum generalium illi prohibita sunt: nō tamen id proloquium pendet ex illo principio, seu loquendi modo, vnde in rigore fortasse verius est, iurisdictionem hanc immediatè fuisse communicatam Societati à Summo Pontifice: & per Societatem in Congregatione generali existentē, transferri in Præpositum Generalem: nam hic est melior ordo prouidentiæ, vt influxus capitis veniat ad inferiorem Prælatum per medium Congregatio autem generalis reuera est medium inter Pontificem, & præpositum. Deinde quia Pontifex per se solū intendit dare huic religioni sufficientem iurisdictionem, & potestatē, qua se possit gubernare: applicationem autē huius potestatis ad hanc, vel illā personam: imò etiam ad hunc, vel illum modum regiminis, ipsi Societati cōmisit: ergo. Denique nunquam

Pontifex

Pontifex contulit hanc potestatem B. Ignatio; sicut Christus contulit Petro Ecclesiasticam potestatem, sed tradidit Societati.

XIII. *Data similitudo de electione Pontificis non valet.*

Non est ergo similitudo quærenda inter vtranque concessionem, & consequenter neque inter electionem Pontificis & Generalis, vt in vtraque scilicet tantùm fiat designatio personæ, nam de Pontifice est longe alia ratio, siquidem eius potestas altiori modo descendit immediatè ab ipso Christo omnino independenter ab hominibus, in præsenti autem iurisdictio immediatè communicatur per homines, & non solùm pendet à Papa, sed etiã suo modo à Societate, vt declaratum est. Recte ergo dicitur Generales habere hanc potestatem proximè à Societate nec Paulus III. in citatis verbis aliud significat, sed confirmat, & approbat institutionem Societatis quoad hanc partem, & ratam habet Generalis electionem cum omni potestate, quam illi Societas concedit. Et simili modo intelligo verba Gregorij: loquitur enim ex suppositione, quòd Generalis à Societate creatur cum suprema potestate; nam eodem modo vult intelligi omnem facultatẽ illi esse cõcessam, & per illum dimanare ad alios: nõ enim dubito quin Societas ipsa in Congregatione generali existens habeat per se ipsam vsum facultatum, & priuilegiorum, & possit immediatè illum concedere aliquibus, si iudicauerit expediens. Neque enim Gregorius intendit hoc ius Societatis immutare, nec superioritatem Congregationis generalis minuere: non ergo nominat Præpositum generalem ad excludendam Societatem, quam alias sæpe coniungit, & primo loco ponit, sed ad excludendum ab inferioribus liberum vsum talium facultatum, absque Præpositi licentia. Quia enim ordinarium regimen Societatis est per generalẽ Præpositum, per Congregationem autem generalem rarò, & extraordinariè fit, vt n. 5. asseruimus; ideo in concessionibus, seu priuilegiis harum facultatum generalis Præpositi, tanquam supremi Prælati mẽtio fit, semper tamen intelligendum est concessionẽ fieri cum subordinatione Præpositi generalis ad Congregationem generalem, quam Societas profitetur iuxta 10. p. constit. §. 8. & 9. p. constitut. c. 3. §. 10. Vbi de Generali sic dicitur, *eius erit vti facultatibus à Sede Apostolica Societati concessis*, &c. in quibus verbis plane significatur concessiones Sedis Apostolicæ Societati immediate fieri; ipsam verò Societatem potestatem transferre in Præpositum, vt per eum ad reliquos inferiores officiales deriuetur, iuxta 8. p. earundem constit. c. 1. §. 6.

Nec adducta ex Bulla Pauli & Gregorii cogunt.

Optimus locus constitutionum pro parte in vigore, viriore.

Resolutio secundæ quæst. in n. 8.

XIV. *Pars affirmans quæstiunculæ simpliciter vera, & quomodo.*

Ad secundam interrogationem respondetur, per noua decreta & mutando priores constitutiones, loquendoque de absoluta potestate, non esse dubiũ, quin possit congregatio generalis restringere potestatem, & iurisdictionem Præpositi, vt probant superius adducta, & quæ modò diximus de emanatione huius iurisdictionis à Summo Pontifice in Præpositum per Societatem. Quamuis autem hæc potestas absolutè non desit, vsus eius rarus esse poterit, & cum magna moderatione, nam mutatio cõstitutionum rara esse debet, & non nisi ex magnis, & vrgentibus causis, præsertim in re adeo graui, & quasi substantiali, vt est potestas Generalis Præpositi. Aliter etiam posset intelligi hæc restrictio solum de facto circa talem personam, restringendo illius potestatem, quamuis non condatur ius nouum, nec fiat mutatio in ipso munere secundùm se, & hoc videtur habere maiorem inuidiam, propter iniuriam talis personæ, & ideo aduerti potest, dupliciter hoc posse fieri, scilicet, vel ante electionem Generalis, vel viuente Generali semel iam absolutè & cum integra potestate creato. Priori modo posset facilius fieri, vt si ad sumendam experientiam alterius regiminis, quoad aliquam potestatem, vel actum eius, vel ob aliquam temporalem causam vrgẽtem, Societas ante electionẽ Generalis statuerit, vt pro hac vice Generalis electus, non haberet talem, vel talem potestatem: nam sicut Societas potest absolutè mutare constitutionem aliquam in tali materia, ita potest pro aliquo tempore, vel occasione illã suspendere, vel quasi in illa dispensare. Posteriori autem modo, id regulariter fieri non poterit, nisi interueniente magna causa, quæ vix erit sine culpa ex parte ipsius Præpositi, vel ob impotentiam ex nimia senectute, aut ægritudine, vel alia simili causa exorta; in his enim casibus constitutiones ipsæ satis declarant quantam in hoc potestatem habeat Congregatio 9. p. constitut. c. 4. §. 6. Extra hos verò casus cum generalis electus habeat ius acquisitum, sicut non potest sine causa priuari prælatione ipsa, ita nec integra & debita potestate illius: quòd si ad bonum commune pertinuerit pro aliquo tempore, non vti aliqua potestate, generalis Congregatio poterit Præposito iniungere, & ipse tenebitur consentire.

Modus alter bipartitus pro eadem parte affir.

Resolutio tertiæ quæstiunculæ in n. 9.

XV. *1. Pars resolutionis affirmans, quoad absolutã potestatem.*

Ad tertium punctum responsio clara est ex dictis: si enim spectemus nudam potestatem, non deest in Congregatione generali ad efficiendum per se, & immediatè alios actus iurisdictionis, seu prouisiones, aut electiones ad officia, siue per legem statuẽdo, vel aliquid huiusmodi deinceps pertineat ad Congregationem generalem præter ea, quæ nunc per se solet efficere, siue in casu aliquo particulari dispensando, seu aliquem de facto exequendo, iuxta occurrentes occasiones. Quod planè sequitur ex dictis, & ex suprema potestate Cõgregationis, & nullum manet incommodum. Et potest confirmari ex quodam decreto primæ Congregationis generalis n. 32. quod sic habet, *Non licet Præposito generali* (durante scilicet Congregatione generali) *mutare huiusmodi officiales: qui ab ipso Generali creantur* (id est, Prouinciales, Rectores, &c.) *vsque ad dissolutionem Congregationis, nisi eidem Congregationi aliquem esse mutandum videretur.* Ex quo decreto ferè confirmantur omnia dicta; nã in illo quodammodo limitatur potestas Præpositi, nam antea non erat illi prohibitum ex vi constitutionum mutare huiusmodi officiales. Idem ergo fieri posset à Congregatione in aliis rebus, si expediret.

XVI. *2. Pars negans quoad vsum talis potestatis.*

Quamuis autem potestas absolutè loquendo nõ desit; nihilominus in vsu huius potestatis ordinariè seruandum est quod in constitutionibus est præscriptum, quia non datur potestas in perturbationem, sed in ædificationem, & credendum est Congregationem non esse abusuram sua potestate, ad mutationem aliquam faciendam in instituto, vel in vsu eius, sed semper rationem maioris boni habituram. Vnde intelligitur, quomodo assignentur in Bullis, vel constitutionibus quidam peculiares actus Congregationi generali: ideo enim id fit, quia tales actus à sola Congregatione fieri possunt, non verò, quia illos tantum possit ipsa efficere, nam quandiu durat, plures iurisdictionis actus exercere potest: prudentiæ autem illius est, non se intromittere, neque immorari in aliis, nisi euidens necessitas, vel vtilitas id postularet, & ideo considerando ordinarium vsum, dixi suprà in num. 3. potestatem Congregationis non esse maximam extensiue, quia iurisdictio Præpositi ordinariè circa plura versatur.

CAPVT V.

De potestate iurisdictionis infra supremum.

I. QVod attinet ad inferiores Prælatos sub Generali, dicendum primo est illos participare hanc iurisdictionem & potestatem maiorem, vel minorem, pro ratione sui muneris, & iuxta distributionem seu communicationem à Præposito generali manantem. ita statuitur in 8. p. constit. ca. 1. §. 6. vbi de Generali dicitur. *suo fungetur officio erga omnia membra Societatis, capitis videlicet, à quo in illam influxus ad præfixum sibi finem necessarius descendat: & sic à generali Præposito vt à capite vniuerso facultas Prouincialium egrediatur, ac per eos ad locales, per hos autem ad singulares personas descendat.* Et in 9. p. cap. 3. §. 3. de eodem dicitur, *Poterit eam facultatem eisdem, scilicet Rectoribus, communicare, quam senserit in Domino conuenire.* Et §. 7. *Præpositi Prouinciales, aut locales & Rectores, & alij eius commissarij eam partem huius facultatis habebunt, quam ipsis Generalis communicauerit.* Idem §. 16. & sæpe alias; quæ omnia in Bullis Pontificiis approbata sunt. Ratio autem huius assertionis ea est, quæ in ipsis constitutionibus insinuatur. Nam in primis necessarium est, vt Prælati suam iurisdictionem habeãt, sine qua propria munera exercere nõ possunt; modus autem perfectior, & aptior ad maiorem vnionem religionis, & ad perfectiorem obedientiam est, vt inferiores Prælati habeant illam à suis superioribus, & dependentem ab illis, & quia non debet esse in omnibus æqualis; sed maior in maioribus Prælatis, ideo rectè vniusciuiusque mensura à superiore præscribitur.

II. *Obiectio.* Vna verò supereſt difficultas, quia sequitur in Prælatis Societatis infra Generalem constitutis, nõ esse certam ac definitam iurisdictionem, sed arbitrariam iuxta voluntatem Generalis: consequens videtur absurdum, tum quia sequitur Prouinciales, & Rectores non habere iurisdictionem ordinariam, sed tantum delegatam; atque ita non esse veros Prælatos, nec posse subdelegare, nisi quatenus hoc est in commissione sibi facta expressum. Sequela patet, quia iurisdictio, quæ nõ obtinetur, ex præscripta lege, non est ordinaria, iuxta glossam in cap. *cum ab Ecclesiarum.* de officio ordinarij. verb. *Ecclesiastica sententia* addita doctrina Innocentij ibidem numer. 1. Tum etiam, quia res adeò grauis non videtur committenda arbitrio & voluntati alicuius, quia potest esse occasio dissensionum, & acceptionum personarum, & frequentium mutationum in regimine, quod debet esse stabile, & certum. Et cõfirmatur, nam ex dicta assertione sequitur Prouinciales & Rectores Societatis nihil posse nisi quod eis expresse concessum est, & consequenter si occurrat casus, eis quidem non expresse concessus, neque etiam denegatus, sed omissus, non habere iurisdictionem in illo, sed debere ad Generalem recurrere. Consequens autem durum est, nam & est præter communem consuetudinem talium Prælatorum, & est nimia restrictio perplexitatibus & difficultatibus expolita: conuenientius enim videtur, vt quidquid eis non prohibetur, censeatur concessum, nam facilius est præscribere, quæ prohibentur, quàm quæ conceduntur, cum infinita varietas rerũ & casuum in huiusmodi gubernatione possit occurrere.

III. *Refellitur obiectio probando dictos prælatos habere ordinariam iurisdictionem in suis* Respondetur inprimis certum esse Prouinciales & Præpositos locales, seu Rectores Societatis habere iurisdictionem ordinariã, & non tantum delegatam. Probatur, quia sunt ordinarij pastores ac veri Prælati, vt constat ex iure communi religionũ suprà adducto in tract. 8. quod Societati commune est, quoad hanc partem. Idem patet ex constitutionibus, in quibus hæc munera vocantur prælationes, & dignitates Societatis, & hęc intelliguntur comprehendi in voto, quod professi emittunt, non prætendendi prælationem, aut dignitatem in Societate 10. p. constit. §. 6. de qua re lib. 6. c. 7. à n. 13. Non est autem vera prælatio, nisi iurisdictionem habeat ordinariam. In hac porro iurisdictione duo considerari possunt, scilicet substantia eius, vt sic dicam, & quantitas: simpliciter ergo habere iurisdictionem intrinsecum est his muneribus, & hoc satis est, vt talis iurisdictio ordinaria sit. Vnde non solùm nõ potest Generalis tollere à Prouinciali, vel Rectore iurisdictionem absolutè, imo hoc repugnantiam inuoluit, quia de intrinseca ratione talium munerum est iurisdictio: verum etiam nec potest facere, vt Societas sine propriis Prouincialibus & Prælatis localibus gubernetur, quia hoc pertinet ad primariam institutionem huius religionis, quam ipse immutare non potest. Solùm ergo quoad quantitatem, seu extensionem iurisdictionis pendent hi Prælati à Generali, quod non repugnat ordinariæ iurisdictioni: nam hoc ferè modo pendent Episcopi à Papa, & multo magis legati, qui tamen ordinariam iurisdictionem habent, vnde etiam in 4. Congreg. generali decr. 28. sancitum legimus posse P. Generalem delegare vicepræpositum domus Romanæ, cum ordinaria potestate.

IV. Sed in hoc etiam addendum est, aliquam esse quantitatem huius iurisdictionis, ex natura rei necessariò coniunctam cum tali munere, vt est illa sine qua moraliter ac debito modo fieri non potest. Deinde vnusquisque ex his Prælatis habet in Societate proprias regulas & constitutiones ad illũ pertinentes, in quibus potestas suo muneri attributa declaratur, & illa censeri debet potestas ordinaria; quia iam est certa lege præscripta, & adiuncta tali muneri. Similiter in Compendio priuilegiorum declaratæ sunt facultates omnes ad dispensandum, vel absoluendum, vel ad alias gratias concedendas illis commissæ, vt in officio Prouincialis adnotatur regula 8. & in officio Præpositi reg. 13. & Rectoris 11. Quòd si præter has voluerit Generalis plures potestates concedere, vel omnibus vel aliquibus Prælatis inferioribus, illæ reuera erunt tantum delegatæ.

V. Ad difficultatem ergo respondetur iurisdictionem horum Prælatorum dupliciter dici posse arbitrariam respectu Generalis: vno modo, quia non est certa lege definita, ac debita, vel quia fine causa auferri potest; etiam quantum ad eam partem, quæ ex vi muneris comparatur; & sic falsum est, vt patet ex dictis: vnde responsio in forma erit; negando in hoc sensu primam sequelam. Secundò dici potest arbitraria, quia semper pendet ex voluntate Generalis, qui ex causa potest illam restringere, & ex gratia potest illam augere; & hoc est quod constitutiones intendunt; & inde non fit talem iurisdictionem non esse ordinariam, vt declaratum est. Neque hoc habet vllum inconueniens, sed ad debitam subordinationem expedit, nec propterea numeri possunt frequentes, aut indebitæ mutationes, cum ea, quæ ad ordinarij regimen necessaria sunt, certis legibus sint definita: quæ non facilè, nec sine graui causa mutari debent. Quæ verò extraordinaria sunt, vel ad specialem fauorem pertinent, ratio postulat, vt pendeant ex suprema potestate gubernatoris.

VI. Ad vltimam confirmationem fatemur in Societate ad cognoscendam vniuscuiusque Prælati facultatem, vtendum potius esse affirmatiua, quã negatiua regula, id est, id vnumquemque posse, quod sibi est concessum; non verò quidquid sibi non est prohibitum: vnde in citatis regulis Præpositi, & Recto-

Rectoris dicitur, *quas habeat facultates, partim ex his, quæ ipsi in his regulis conceduntur, partim ex compendio facultatum Societatis intelligat: vt in iis, quas non habet, sciat ad superiorem recurrere.* Neq; hinc sequi potest aliqua perplexitas, vel difficultas, quin potius vnicuique magis clara & nota erit potestas, quam habet, & alioqui potestas ipsa satis est ampla, & facultates non dantur ad singulares casus, sed per generales regulas sufficientes, & specialiter in regulis Prouincialis. n. 7. & cum proportione in regulis Præpositi. nu. 11. & Rectoris nu. 10. aduertitur vbi necessaria fuerit dispensatio constitutionum, in grauioribus casibus recurrendum esse ad superiorem Prælatum, quod est iuri communi consentaneum, *c. fin.* de officio Archipresbyt. adiuncta gloss. verb. *Referat.* & cap. *maiores.* de Baptismo. Et nihilominus additur, vt si absque graui incommodo non possit Generalis respõsum expectari, possit Prouincialis dispensare, & postea rationem totius rei reddere Generali, idemque cum proportione de inferioribus respectu Prouincialis; & ita omnibus incommodis sufficienter est prouisum.

VII. 2. *Assert. membrũ.*

Secundò dicendum est potestatem hanc Prælatorum Societatis extendi ad omnes religiosos eius, & ad omnes actus, seu materias ad quas religiosa iurisdictio, siue communi iure, siue per priuilegia communia, aut specialia hactenus concessa extenditur. Prior pars quoad professos, siue quatuor, siue trium votorum extra controuersiam est; quoad reliquos verò religiosos, qui per simplicia tantùm vota incorporati sunt, fuit in dubium reuocata, vt latiùs dictum est lib. 3. à principio vsque ad cap. 4. existimarunt enim aliqui, iurisdictionem religiosam fundari necessariò in professione per vota solennia, & ideo dixerunt Societatem nullum in eos ius habere, nec Põtificem ex vi votorum huiusmodi potuisse illud conferre, ac proinde ordinariorum iurisdictioni subditos existere, ita refert Gregorius XIII. Pontifex in constitutione, *Ascendente Domino.* Veruntamen quatenus hæc sententia potestatem Pontifici negat, est error in fide; quia certum est Pontificem posse sub protectione, & iurisdictione sua suscipere quamlibet personam Deo specialiter consecratam, modo ab Apostolica Sede approbato. Item aliàs non potuisset Pontifex eximere clericos tantùm per primam tonsuram initiatos, quia illa cæremonia tantum est per Ecclesiam instituta. Item nõ potuisset priuilegium canonis vel fori ad nouitios extendere, quæ omnia & similia sunt contra receptum vsum Ecclesiæ, & contra supremã potestatem, quam Pontifex habet in ordine ad spiritualia.

1. *Membrũ ostenditur.*

Error in sententia circa 1. memb. assertionis infingitur.

VIII. *Ostenditur veritas oppositi ex Pontif.*

Quatenus verò illa sententia de facto loquitur, aut procedit ex prædicto errore, aut ex clara ignorantia iuris proprij Societatis, de quo sine illius notitia loqui non deberet. Itaque expressæ sunt in hoc concessiones, & declarationes Pontificum Pauli III. Iulij III. Pij V. & Gregorij XIII. ac Gregorij XIV. Qui dum Societatem eximunt, & sub protectione sua illam specialiter suscipiunt, de tota Societate loquuntur, vt omnes suos ac veros religiosos complectitur, seu ex illis cõstat. Vnde interdum de *socijs*, interdum de his, *qui sub obedientia Præpositi militant*, interdum denique *de religiosis Societatis* loquuntur: ergo extendunt hanc iurisdictionem ad omnes etiam scholares, quia illi sunt veri religiosi, vt suprà est ostensum, veraque membra Societatis. Confirmatur, quia quicunque ex his religiosis, si apostatet à Societate, potest ab eadem compelli, tum per censuras, tum per violentam detentionem, & incarcerationem, vt constat ex eisdem Bullis, præsertim Pauli III. & Gregorij XIII. ac Pij V. nec solùm per sola specialia priuilegia Societatis, sed etiam per alia concessa mendicantibus, circa suos religiosos professos potest illos cogere & punire iuxta concessionem & communicationem Societati factam à Pio V. cum speciali declaratione, quòd ad omnes etiam scholares extendatur. Quæ omnia & alia in Compendio Societatis verb. *Apostata*, latè referuntur. Comprehenduntur ergo hi omnes sub iurisdictione Societatis.

Confirmatur.

IX. *Quousque hoc 1. membrum assertionis procedat de nouitiis.*

Dicendum verò supererat de nouitiis, sed de his eadem est ratio Societatis, quæ aliarum religionũ: non enim habet in illos propriam iurisdictionem inuoluntariam (vt vocant) id est, directiuam, qua possit eos specialiter obligare in conscientia, vel coactiuam, qua possit eos simpliciter repugnantes cogere, quia obedientiam non vouerunt, vel si fortasse eam particulari affectu promiserunt, Societas illam non acceptauit, neque illos sibi incorporauit. Quoad iurisdictionem autem voluntariam subduntur aliquo modo Societati, & sunt capaces gratiarum spiritualium, quas Præpositus Generalis secundùm concessionem Sedis Apostolicæ potest in Societate concedere, vt dicitur in 5. part. constit. cap. 1. lit. A. existimoque quoties in Bullis, seu priuilegiis fit concessio in ordine ad omnes, qui sub obedientia Societatis viuunt, comprehendi etiam nouitios; cuius exemplum clarum est in Bulla vltima Pauli III. de gratiis & facultatibus, & habetur etiam in Compendio, verbo, *Dispensatio.* §. 1. Et ratio est, quia etiam nouitij viuunt propriè sub obedientia Societatis, etiamsi non sub obligatione voti, præsertim cùm fauores ampliandi sint. de reseruatis quoad nouitios, tract. 8. l. 2. c. 17. à nu. 11. satis dictum est.

X. 2 *Membrũ assertionis declaratur.*

Altera pars assertionis certa est. Nam inprimis Prælati Societatis habent omnem potestatẽ, quasi Episcopalem, quam habent cæteri Prælati religionum in vtroque foro; imò per se possunt quidquid Episcopi possunt in clericos & laicos sibi subiectos, tam quoad facultatem absoluendi & dispensandi in irregularitatibus, de quibus in Concilio. Trid. sess. 24. ca. 6. quàm alias quascunque facultates, vt habetur in Compendio Societatis, verbo *Prælati*; §. 3. quamuis hanc gratiam non participent inferiores Prælati, nisi iuxta concessionem Generalis: nunc autem indefinitè de Prælatis loquimur. Deinde per communicationem facultatum, & gratiarum factã à Pio V. possunt Prælati Societatis æquè principaliter quidquid possunt Prælati mendicantium per sua propria priuilegia, vel per communicationem aliorum, vt in Compendio Societatis latè continetur verbo, *Communicatio.* §. 2. & sequentibus, & specialiter §. 5. declaratur hanc communicationem, etiã nouitiis fieri posse; quod intelligitur quoad gratiarum concessionem, non quoad rigorosam iurisdictionem, vt iam diximus. Denique similem generalem concessionem fecit Societati Gregorius XIV. his verbis; *quin etiam omnes facultates, omnemque iurisdictionem, quoad subditorum punitionem, & correctionẽ pertinet, quibuscunque ordinibus eorumque generalibus hactenus concessas, non ad instar sed æquè principaliter ipsi Societati eiusque Præposito Generali concedimus & elargimur.* Præter hæc habet Societas plures facultates sibi specialiter factas, vt ex eius Bullis, & Compendio priuilegiorum constat; potestas autem per eas collata præcipuè residet in Præposito generali, per quem inferioribus Prælatis communicatur. Est ergo in Societate, & in Prælatis eius respectiuè tota potestas, & iurisdictio, quę in religioso statu inuenitur, & secundùm ordinarium modum Pontificiæ prouidẽtiæ inueniri potest: semper tamen intelligendum est, habere hanc iurisdictionem suo instituto accõmodatam, nam Prælati eius nihil contra institutũ agere possunt (excepta iusta dispensatione quæ dici non potest contra institutum) & ideo quoad aliquos actus iurisdictionem non habent, quã fortasse

Limitatio proximè dictorum.

habent aliæ religiones, vt ad dandam facultatem recipiendi eleemosynam pro spirituali ministerio, vel quippiam simile: sicut etiam è contrario aliqui sunt actus iurisdictionis huic instituto accommodati, qui in aliis religionibus non exercentur, vt est expellere aliquem votis expeditum.

XI. *Vnde sumatur quæ sint potestates Societatis in particulari.*

Non censeo autem necessarium explicare in particulari, potestates omnes, quas ratione huius iurisdictionis Societas habet; quia de his, quæ generales sunt, vel in quibus cum aliis religionibus Societas communicat, in tract. 8. lib. 2. sufficienter tactæ sunt, quæ verò sunt propriæ, in Compendio Priuilegiorum, & in constitutionibus ac regulis sufficienter declarantur, & in sequentibus capitibus nonnulla attingemus, explicando magis in particulari vsum huius iurisdictionis; ex dictis etiam in l. 1. c. 3 & latiùs l. 8. de mediis, quibus Societas vtitur, ad profectum suorum subditorum, constat hanc iurisdictionem esse plenam in foro pœnitentiæ, & in foro etiam exteriori quoad potestatem directiuam per leges & præcepta, & per coërciuam, quoad correctionem secundum regulam, etiam remota appellatione, & quoad potestatem dispensandi in his, quæ necessaria sunt. Ac denique quoad alia multa, de quibus latè in Bulla 5. Pauli III. 2. Iulij III. 3. Pij V. & ferè in omnibus Gregorij XIII. Supererat hoc loco dicendum de potestate administratiua bonorum temporalium, id tamen opportunè factum est in tract. 8. qui est primus huius voluminis l. 2. c. 28.

CAPVT VI.

An Societatis Prælati ad particulare subditorum regimen, merito ab illa exigant rationem conscientiæ.

I. *De quibus agendum in reliquo libro*

Post explicationem vniuersalis regiminis in Societate, dicendum sequitur de particulari subditorum gubernatione, quod ad finem vsque præsentis lib. prosequemur. Id verò præcipuè instituimus ad satisfaciendum difficultatibus, quas aliqui obijciunt, quæ fortasse magis ex ignorantia facti, quàm iuris procedunt, & ideo non descendam in particulari ad omnia, quæ circa gubernandos subditos in Societate peraguntur, sed solùm ad ea in quib. prædicta difficultas poterit inueniri. Quia verò ordinarium hoc regimen semper est secundùm regulã, simul illius rationem reddemus vbi oportebit, & huius occasione breuem quandam notitiam totius regulæ, in postremo capite summatim attingemus. Vt autem rem totam comprehẽdamus, nec tractata repetamus, tria breuiter sunt, in quibus totum hoc particulare regimen consistit. Primum est receptio personarum. Secundum conseruatio earundem & prouidentia circa illas. Tertium dimissio earum, si necessaria fuerit. De primo membro satis dictum est à nobis in l. 2. & de tertio in l. 3. c. 9. Tantũ igitur superest vt de secũdo membro dicamus, circa quod duo necessaria ad huiusmodi gubernationem & prouidẽtiam distinguere oportet iuxta duplicem potestatem in Prælato necessariam; directiuam, & coërciuam. Quædam enim pars regiminis consistit in debita directione per præcepta & consilia (ad quam rem etiam spectat conueniens distributio onerum, & honorum) altera verò pars posita est in debita correptione & iusta punitione; de his ergo breuiter dicendum est.

II. Vt verò primæ parti satisfacere incipiamus, à ratione conscientiæ ordiemur. Per rationem autem conscientiæ, intelligimus manifestationem status conscientiæ proprię, quam subditus facit superiori, vt ab eo intimè cognoscatur, tam in moribus, ¦ quã in affectibus vel propensionibus suis, ex qua vocis interpretatione, statim oritur dubitãdi ratio, quia vel hæc manifestatio superiori facienda est, in confessione sacramentali, vel extra illam. Primum dici non potest, aliàs & obligarentur subditi, aut constituendum superiori, & confessio sacramentalis ordinaretur ad exteriorem gubernationem, quæ duo absurda sunt, & ideo supra ostendimus, esse aliena ab instituto Societatis: secundum autem, & videtur nimis durum subditis, & parum vtile Prælatis ad gubernationem. Primum incommodum patet, quia aperire suos defectus, & secreta cordis, extra sigillum cõfessionis, difficillimum est, tum propter infamationem sui erga ipsummet Prælatum, tum propter periculum, ne Prælatus id aliis manifestet, vel bono zelo, & non secundum scientiam, vel per negligentiam aliquam, seu inaduertentiam, aut certè interdum per æmulationem, inuidiam, vindictam, aut alium similem affectum; tum denique propter alia incommoda, quibus exponitur subditus, ita se manifestando Prælatis suis quia ob eam causam poterit, vel remoueri ab officiis, vel loco mutari, vel aliis similibus modis male tractari; & ideo videtur hic habere locum consilium Chrysostomi hom. 31. ad Hebr. *Non dicotibi vt te prodas, neque apud alium accuses.* Et augetur 1. difficultas seu incommodum; primò quia si hæc manifestatio vni tantũ Prælato esset facienda, & cum illo solo esset semper continuanda, saltem pro tempore vitę eius, esset res vtcunque tolerabilis; tamen hoc in Societate non sufficit; quia hæc ratio conscientiæ, non soli Generali reddenda est; imò pauci sunt, qui in præsentia possint id facere: ab accusantibus autem, & perscriptum nec fit; nec ordinariè fieri expedit. Imò nec soli Prouinciali fieri debet; quia non minus indiget illa notitia, qui proximè gubernant: oportebit ergo pluribus superioribus se manifestare etiam pro eodem tempore. Augetur secundò idem incommodum, nam qui superiores sunt, breui tempore mutantur, & ipsi etiam subditi, ab vna domo in aliam facile transmutantur, atque ita necessarium erit vnicuique subdito paulatim, seu successiuè, se manifestare plurimis Prælatis, & fortasse intra paucos annos se manifestare ferè omnibus grauioribus patribus prouinciæ; quod certè est asperum ac difficile. Deinde secundum incommodum declaratur, quia testimonium hominis in re propria non est tanta fide dignum, vt possit Prælatus in eo niti ad gubernandum subditum, aut enim debet illi credere, tam bẽnè, quam malè de se loquenti, & sic facile poterit ab eo decipi, quia vnusquisq; benè de se sentit, & loquitur, imo licèt non sentiat, frequentius dissimulat, aut mentitur: vel saltem defectus extenuat, & bona exaggerat: vel superior debet credere mala, & non bona, & in hoc iniuriam faceret ipsis subditis, & vix posset eos commodè gubernare, aut eis vti ad aliqua ministeria, quia de omnibus haberet minus bonam existimationem quam par esset.

Quid circa rationem conscientiæ in Societate statutum sit.

III.

Circa præsentem difficultatem, puncta quatuor explicanda sunt: primo quid in hoc Societas obseruet secundum suam regulam; secundo quam sit hoc consentaneum antiquitati religionis, & professioni perfectionis: tertio ad quod secretum inde Prælatus obligetur; quarto denique ad quem finem & vsum hæc notitia ordinetur, & à superiori applicari possit; ex quibus etiam constabit, quantum differat hæc ratio conscientiæ à confessione sacramentali, & soluentur rationes dubitandi. Circa primũ *Declaratur* regula Societatis est, vt statim ab ipso ingressu *1. punctum* omnes

Ita professi, ac non professi.

ōmnes se aperiant superiori, & deinceps in discursu vitæ, per certa & designata tempora, id prosequantur; hoc constat ex examine c. 4. §. 34. 35. & 36. in quorum primo sic dicitur; *Re in Domino considerata visum nobis est in diuinæ Maiestatis conspectu, mirum in modum conferre, vt superioribus subditi omnino perspecti sint, quo melius regi, & gubernari, & per eos in viam Domini dirigi possint.* Deinde in 35. dicitur; *Præterea quanto exactius superiores res omnes internas, & externas suorum nouerint, tanto maiori cum diligentia, amore, & solicitudine iuuare eos, ipsorumque animas, à variis malis, & periculis, quæ in progressu possint accidere, conseruare poterunt.* Et infra, *vt melius secundum Dei voluntatem huiusmodi missiones fiant, his & non illis mittendis; vel his ad hoc munus, illis verò ad alia, non solùm refert valde, sed summopere, vt superior plenam habeat notitiam propensionum, ac motionum animi, & ad quos defectus, vel peccata fuerint, vel sint magis propensi, & incitati, qui sub eius cura sunt, vt eius rei habita ratione, melius ipsos dirigere possit, nec supra mensuram virium suarum in periculis, vel laboribus grauioribus, quàm in Domino ferre suauiter possit, constituat.* Ex quibus rationibus in §. 36. ita concluditur. *Ideo quicunque hanc Societatem in Domino sequi volet, & in eadem ad maiorem Dei gloriam manere: priusquam ad primam probationem accedat: vel postquam ingressus fuerit, antequam generaliter examinetur, vel post examen, intra aliquot menses (si superiori differendum videretur) sub sigillo confessionis, vel secreti, vel quacunque ratione ei placuerit, & ad maiorem ipsius consolationem fuerit, debeat conscientiam suam magna cum humilitate, puritate & charitate manifestare, re nulla, qua Dominum vniuersorum offenderit, celata: & totius anteactæ vitæ rationem integram, vel certè rerum maioris momenti, superiori qui tunc fuerit Societatis, vel cui ex Præpositis, vel aliis ex inferioribus ille iniungeret, pront magis conuenire videretur. reddat, vt melius omnibus in Domino prospiciatur, ipseque magis in spiritu cum gratia vberiori ad maiorem diuinæ bonitatis gloriam proficiat.* Et §. 38. additur sexto quoque mense rationem hanc esse reddendam, incipiendo semper ab vltima, quæ data fuerat; cui non dissimilis constitutio reperitur in regula Monacharum D. Hieronymo attributa cap. 17. & §. 39. additur, scholasticos finitis studiis, rationem vitæ suæ reddituros, ab vltima, quam reddiderunt in domo vbi ad studia missi sunt. Et de iisdem scholaribus additur in 4. p. cap. 10. §. 5. Rectorem suum magnopere reuereri, ac venerari debere; & infrà, *nihil ei clausum, ne conscientiam quidem propriam, tenendo, quam ei aperire, vt in examine dictum est, suis constitutis temporibus, & sæpius si causa id posceret, oportebit.* De professis autem, & coadiutoribus formatis additur in dicto loco exam nis cap. 4. singulis annis reddituros esse hanc rationem conscientiæ incipiendo semper ab vltima vel crebius, si Præposito videbitur; quod multum etiam commendatur in 6. p. cap. 1. §. 2. addita etiam illa ratione, *Quo melius in via salutis, & perfectionis se dirigant.* Et in 9. p. cap. 3. §. 19. de Generali dicitur, *cognoscat quoad eius fieri poterit, conscientias eorum, qui sub eius obedientia sunt, ac præcipuè Præpositorum Prouincialium: & aliorum, quibus munera maioris momenti committit.* Denique de eadem re est egregius locus 3. part. cap. 1. §. 12. quem infrà expendemus. Ex his ergo satis constat primum punctum, scilicet, quid in hac parte Societas obseruandum statuit, & ob quam causam, & quam fuerit cordi B. P. N. Ignatij institum hoc medium. Propter quæ in congregatione 5. Generali §. 17. inter substantialia huius instituti ponitur reddendam esse superiori conscientiæ rationem.

Vsum aperiendi conscientiam superiori extra confessionem antiquissimum esse, & professioni perfectionis maximè consentaneum.

IV. Hunc autem fuisse spiritum antiquorum Patrum, & fundatorum religionum, ostendi facile potest. Nam in primis Basil. in reg. 26. ex fusioribus. *Debet (inquit) vicissim vnusquisque eorum, qui inferiores sunt, si quidem memorabilem vllam facere progressionem studeat, & ad perfectionem vitæ illius, quæ præceptis D. N. IESV Christi est consentanea, peruenire, cum nullum animi sui motum apud seipsum celatum retinere, tum in sermone nihil non diligenti ante cura consideratum proferre, sed mentis suæ arcana aperire fratribus iis, quibus datum illud negotium sit: vt adhibitis facilitate, & misericordia ægrotantes curent:* Et reg. 44. specialiter de his, qui extra monasterium aliquo tempore peregrinati sunt, explicat, cùm primùm redeunt perfectam rationem reddituros Prælato, non solùm suarum actionum & sermonū; sed etiam cogitationum. *Ita enim (inquit) & attentiores esse assuescant, qui itineribus se dabunt, si de reddenda ratione solicita sint: & nos quamdiu abiuncti illi à nobis permaneant, neutiquam videbimur illorum vitæ curam negligere.* ad idem facit reg. 46. & reg. 227. ex breuioribus, vbi adducit illud Isaiæ 5. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris.* Præterea S. Benedictus in cap. 7. suæ regulæ, quintum humilitatis gradum esse dicit, *Si omnes cogitationes malas cordi suo aduenientes, vel mala à se, absconse commissa per humilem confessionem Abbati non celauerit suo.* Et quamuis ibi Turrecremata de confessione sacramentali locum illum intelligere videatur: tamen si quis consideret ipsummet S. Benedictum Sacerdotem non fuisse, & illo tempore Abbates ordinariè non fuisse presbyteros, facilè intelliget Benedictum, non limitare illud consilium ad sacramentalem confessionem. Et cap. 46. defectus publicos in congregatione fratrum ait esse proponēdos. *Si autem (inquit) peccati causa fuerit latens tantum Abbati, aut spiritualibus senioribus patefaciat, qui sciant curare vulnera, non detegere.* Et c. 49. omnia vult proponi Abbati, vt ex voluntate eius fiant.

studetur

hoc punctū

ex Patribus.

V. Præterea Cassianus l. 4. de institutis renuntiantium c. 9. *Ad quod* (inquit, id est ad veram humilitatem) *vt facile valeant peruenire, consequenter instituuntur nullas penitus cogitationes pruriētes in corde pernicioſe celare, sed confestim vt exortæ fuerint eas suo patefacere seniori.* Et infra, præter humilitatem maximam huius exercitij, vtilitatem esse dicit, quia hoc modo instruuntur religiosi, & armantur contra insidias diaboli: vnde concludit, *Generale namque, & euidens indicium diabolicæ cogitationis esse pronuntiant, si eam seniori confundimur aperire.* Et cap. 39. ponens decem signa veræ humilitatis, *Secundum est, si non solum actuum suorum, verum etiam cogitationum nihil suum celauerit seniorem.* At verò Moyses Abbas apud eundem Cassianum collat. 2. c. 10. primo loco hoc indicium posuit, dicens, *Vera discretio non nisi vera humilitate conquiritur, cuius humilitatis hæc erit prima probatio, si vniuersa non solum, quæ agenda sunt: sed etiam quæ cogitantur, seniorum reseruemur examini.* Et in discursu illius cap. egregiè declarat, quantum momenti in hoc negotio sit, ad vitandas dæmonum fraudes, & spiritualem vitam rectè instituendam. Et c. 11. exemplo & sententiis antiquorum id confirmans, concludit, *Et ideo semper seniorum summa cautione sanctæ sectanda vestigia: atque ad eos cuncta, quæ in nostris cordibus oriuntur, sublato confessionis velamine, deferenda.*

VI. In his autem Cassiani & aliorum Patrum sententiis, obseruare licet, loqui ferè semper de iuuenibus religiosis. Vnde respondere potest aliquis, hæc

Obiectioni, quæ fit: et occurritur,

& confirmatur adhuc ex Patribus nostitutum

intelligenda esse de nouitiis, vel ad summum de nouioribus, qui per se non possunt, nec sciunt cogitationes, & actiones suas moderari: regulam autem B. Ignatij duriorem esse, quæ hoc onus etiam professis, & quantumuis prouectis toto vitæ tempore imponit. Veruntamen licèt hæc manifestatio, quoad singulos motus, & tentationes magis necessaria sit iunioribus, tamen fidelis conscientiæ manifestatio, proportionata personæ subditi, & voluntati Prælati, omnibus ratione status sui, semper à Patribus necessaria iudicata est, quia hæc non solũ ordinatur ad instructionem propter vincendas tẽtationes, sed ad totum spirituale regimen animæ, cũ perfecta obedientia, & humilitate, & ad obtinendam à Deo maiorem gratiam mediante superiore. Vnde Esaias Abbas tomo 2. Biblioth. oratione 8. (qui etiam videatur in orat. 6.) in præceptis ad fratres; qui cum ipso viuebant. *Aperi* (inquit) *cogitationes tuas patribus tuis, & gratia Dei proteget te.* Et S. Dorotheus doctrina 5. à principio exaggerat, quàm necessarium sit homini habere à quo regatur, nec sufficientem sibi existimari. Et inde postea concludit, necessarium esse religioso omnia occulta sua manifestare, vt à sapientiori instrui & regi possit. Et inferius refert exemplum vulgare de quodam Abbate, qui dæmonem vidit offerentem fratribus varias potiunculas, & solum vnum inuenit, qui suam biberit: & postea intellexit causam esse, quia solus ille conscientiam suam spirituali patri occultabat. *Nam quisquis* (inquit) *illius præsentit insidias, accurrit illico, & cogitationes suas quascunque latentes aperuit Patri, & sic auxilium inuenit in tempore tentationis, & hac de causa, non potuit aduersus eos iniquus insidiator. Infelicem illum vnum inuenit, qui seipsum regeret, & instrueret.* Vnde in Ioanne Climaco gradu 4. de obedientia intelligimus hunc fuisse morem antiquorum Patrum, refert enim, se vidisse in monasterio quendam monachum habentem libellum, in quo totam suam conscientiam scribebat, vt eam postea Prælato manifestaret, aitque illum fuisse morem reliquorum monachorum; quem morem etiam posteriores religiosos imitatos esse, & imitari debere, sumimus ex S. Bonauent. lib. de sex alis Seraphin cap. 7. satis post medium tom. 2. vbi inter alia inquit, *Ad Prælatum pertinet conscientias singulorum agnoscere.* Et rationes indicans subdit, *& de quibuslibet perplexitatibus expedire: pericula peccatorum præuidere, & præcauere, monere fratres vt proficiant, corrigere corrigendum, elucidare dubia, informare singulos, qualiter officia sibi commissa congrue administrent, quo & fratribus, prout conuenit, sufficiant, & conscientiam non offendant. Et paulo antea dixerat, hæc esse de substantia officij pastoralis.* Ex quo dicto confirmare possumus, quod in fine numeri 3. diximus; in Societate declaratum esse, hanc rationem conscientiæ esse de substantia instituti; quia si de substantia officij Rectoris est conscientias subditorum agnoscere, profectò de substantia subditi religiosi est, suam conscientiam Rectori manifestare; fieri enim humano modo non potest, vt ille conscientiam agnoscat, nisi is eam manifestet. Vt enim dixit Augustinus in tractatu de ouibus, cap. 9. *Neque enim homo pater tuus, aut frater tuus intrare potest in conscientiam tuam, quam nouit Deus.* Meritò ergo regula hæc reddendi rationem conscientiæ ad substantiam instituti pertinere dicitur.

Ad quod secretum obligetur superior Societatis in omnibus quæ illi in ratione conscientiæ manifestantur.

VII. Circa tertium de secreto obseruando à Prælato in omnibus, quæ per hanc conscientiæ rationem illi manifestantur, distinguere oportet, quo in foro huiusmodi ratio reddatur. Nam in 4. cap. Examinis de nouitio in Societatem admittendo dicitur. *Priusquam ad primam probationem accedat, vel postquam ingressus fuerit, antequam generaliter examinetur, vel post examen, intra aliquot menses, si superiori differendum videretur, sub sigillo confessionis vel secreti, vel quacunque ratione ei placuerit, & ad maiorem ipsius consolationem fuerit, debeat conscientiam suam magna cum humilitate, puritate, & charitate manifestare.* Ergo hæc ratio conscientiæ dari potest in confessione sacramentali; quia non potest sub sigillo confessionis aliter committi; quantumcunque enim aliquis præmittat se dicere aliquid sub sigillo confessionis, nisi verè confiteatur sacramentaliter, & in ordine ad illam loquatur, non obligabit alterum sub sigillo, vt in tomo 4. 3. partis ostendimus, ac docent plurimi relati à Sancio lib. 3. de matrimonio disp. 13. numero 6. potest etiam hæc ratio extra confessionem reddi, & optio inter hos duos modos ipsi religioso committitur, ex vi prædictorum verborum, & ob alia, quæ numer. 10. afferemus.

VIII. Secundò ergo suppono, hanc conscientiæ rationem multum differre, quoad materiam à confessione sacramentali; nam materia confessionis, tantùm sunt peccata ab homine commissa, hæc verò conscientiæ manifestatio multo plura includit: quia inprimis non tantùm esse debet de malis, sed etiam de bonis, vt expressè monemur 3. part. constitut. cap. 1. §. 12. ibi, *Nec solùm defectus aperiant, sed etiam pœnitentias, vel mortificationes & deuotiones, ac virtutes omnes,* &c. Quod etiam significauit Basil. regula 26. ex fusioribus, dicens; *Hoc enim modo fiet, vt & quod laude dignum sit in nobis confirmetur, & quod minus probandũm congruo remedio sanetur:* Supponit ergo vtrunque manifestandum esse. Deinde idem colligitur ex aliis testimoniis numero 3. adductis, quatenus dicunt totam animam & conscientiam manifestandam esse, in conscientia enim non solum mala, sed etiam bona scripta manent: & ex fine huius manifestationis id planè colligitur, vt statim dicam. Præterea ex malis non solùm actualia peccata, sed etiam tentationes, prauæ consuetudines, vel inclinationes aperiendæ sunt, & non solùm mali actus, sed etiam imperfectiones, imò etiam occasiones malæ, vel cuiuscunque transgressionis regulæ, etiamsi ex se peccatum non sit; hæc enim omnia sub conscientiæ latitudine comprehenduntur, & eorum cognitio ad spirituale regimen personæ religiosæ necessaria est; & hoc significant subiuncta verba prædictæ constitutionis; *voluntate pura optantes ab illis dirigi, sicubi à rectitudine deflecterent; nolentes suo proprio sensu duci, nisi communiat cum iudicio illorum quos Christi D. N. loco habent.*

IX. Vnde etiam differt hæc ratio conscientiæ à sacramentali confessione in fine intrinseco, ac per se; nam confessio sacramentalis per se solum ordinatur ad comparandam remissionem peccatorum, & satisfaciendum digne Deo pro illis, & consequenter ad emendationem eorum quatenus propositum huius emendæ pars est illius necessariæ satisfactionis: omnis autem alius finis qui huic adiungitur, licet non sit malus, nec repugnans fini, & circumstantiis debitis confessioni, est accidentarius confessioni sacramentali vt sic. At verò ratio conscientiæ, de qua nunc agimus, non ita per se ordinatur ad remissionem peccatorum, quamuis etiam possit per modum consultationis ad illam deseruire, & ita propter illam fieri; sed ordinatur præcipuè ad directionem vitæ in futurum, & in tantum requirit manifestationem præteritorum actuum, in quantum ad prouidentiam futurorum neces-

necessaria est præteritorum notitia; Et quia hęc directio, non solùm ordinatur ad vitandum malum, sed etiam ad proficiendum in bono, & non tantùm in bono necessario, sed etiam in meliori, & perfectò; ideo non tantum vitiorum, sed etiam virtutum notitia necessaria est. Item ad vtrunque multùm refert inclinationes cognoscere, & tentationes, vel etiam diuinas inspirationes, & auxilia: rectè ergo hæc omnia sub materia huius obseruantiæ comprehenduntur. Accedit præterea, quòd hæc directio non solùm potest intelligi ex parte ipsius subditi, sed etiam ex parte ipsorum Prælatorum: quia per hanc notitiam conscientiæ subditi maximè iuuari debent, ad gubernandum illum non solùm per consilia, & admonitiones, sed etiam in ministerijs, & occupationibus, ita vt illum non constituat in periculo cadendi, sed in statu proficiendi; quod maximè necessarium est in religionibus, quæ vacant ministerijs cum proximis: nam in eis faciliùs possunt pericula occurrere, nisi Prælatus sciat ea præuidere, & præcauere; vt Bonauent. num. 6. allatus dixit. quod vix potest præscire, nisi conscientiam subditi cognitam habeat. Vt ergo Prælati Societatis possint officia sibi commissa congruè administrare, ita vt fratribus sufficiant, vt idem Bonau. loquitur, & conscientiam non offendant, necessarium est hoc medium in Societate seruari.

X. *Sub quo secreto possit, aut debeat subditus manifestare superiori conscientiam.*

Ad hos autem fines quando eorum necessitas interuenit, necessarium est, vt hæc ratio, & notitia extra confessionem, aut licentia vtendi ea quæ habita est ex confessione, à subdito detur: quia notitia confessionis, non potest applicari postea ad huiusmodi vsum, est enim res sacratior, & altiori secreto claudenda. Et ob hanc causam notitia hæc non sigillaris superiori danda est: ad confessionem autem sacramentalem secum faciendam compellere illum non debet, nec potest: præsertim nunc post summi Pontif. Clementis VIII. decretum de reseruatione casuum pro regularibus. Quæ omnia constitutionibus Societatis consentanea sunt. Nam in 6 part. cap. 1. § 2. prius dicitur, *Omnes, tam professi, quam formati coadiutores, semel singulis annis, & quoties præterea superiori visum fuerit, ad suas conscientias in confessione, vel secretò, vel alia ratione eidem aperiendas, propter magnam eius rei vtilitatem, parati esse debebunt:* vbi notandum est illud relatiuum *eidem*, nam refert *superiorem:* illi ergo est hæc ratio reddenda. Modus autem videtur plane constitui in arbitrio religioni (stante præsertim prædicto decreto) imò ita demum explicuit P. Claudius in 14. instructione pro renouatione spiritus cap. 2. numero 2. paulò ante finem, & initio eius instructionis, quæ pagin. 154. inter omnes regulas impressas anno 1607. inuenitur: iuxta id quod in 4. Congregatione decreto 40. fuerat commendatum. itaque poterit vel communicare solam notitiam confessionis, si modus ille gratior sibi fuerit: nec necessitas alterius notitiæ interueniat: vel extra confessionem rationem reddere, ad quam saltem exigendam ius habet superior. Et quia hoc posterius, de reddenda ratione extra confessionem, laudabilius dicitur in citata instructione, estque proinde regulariter obseruandum, ideo in ipsa regula statim subditur: *tum etiam* (sc. parati esse debent) *ad confessionem generalem, quæ ab vltima generali inchoetur, et, quem sibi superior substituerit, faciendum:* Vbi aliter fit mentio de confessione, quæ non in eidem superiori, sed de eius licentia facienda dicitur, vt in superioribus adnotauimus.

XI. Ex his ergo facilè est respondere ad tertium punctum propositum, de secreto à superiore seruando. Aut enim rationem conscientiæ sumit in confessione, vel extra: in priori casu tenetur seruare sigillum confessionis, vt per se constat: & ideo tunc non poterit vti illa notitia extra confessionem, nisi de consensu ipsius pœnitentis, iuxta certam doctrinam à nobis, tam in 4. tomo 3. part. disput. 33. sect. 1. quam in hoc opere sæpius traditam; solùm oportet distinguere, an aliquid dicatur in confessione propriè, ac formaliter: an verò solum concomitanter, & per accidens: nam illud prius cadit propriè sub sigillum confessionis; posterius autem non ita propriè, vt ex doctrina de sigillo in citato tomo constat. In præsenti autem si quis in confessione integram conscientiæ suæ rationem reddat, multa videtur necessario dicturus, quæ non formaliter, sed concomitanter tantùm ibi dici censenda sint, vt sunt virtutes, & multa alia, quæ supra numer. 8. numerauimus, & quidquid non conduxerit ad manifestanda ea peccata de quibus confessio fit. Sed in hoc confessorem oportet esse valde cautum, & potius inclinare ad claudenda omnia sub sigillo, quàm aliquid excludendum; quia facile possunt ferè omnia reduci ad circumstantias, vel necessarias, vel vtiles, ad declarandum melius peccatum, & postulandum remedium illius in futurum & præsumendum est à pœnitente hac ratione dici: ideo enim eligit medium confessionis, vt secretum sigilli in omnibus obtineat, quantum fieri potest. Igitur sine illius consensu nihil est reuelandum, siue pertineat ad tentationes, quæ non sunt peccata, siue ad naturalem inclinationem ad aliquod vitium, siue quidpiam simile, cuius reuelatio possit esse onerosa pœnitenti. Vnde si aliquis vsus talis notitiæ extra confessionem sit necessarius: oportet exigere à pœnitente, vt illud extra confessionem dicat, vel vt solùm concomitanter in ea esse dictum declaret; quod ipse tunc secundùm regulam facere tenetur. Quæ necessitas exigendi licentiam à pœnitente maximè verum habet, quando ille vsus, vel est merè externus, & quasi politicus, vel habet adiunctam aliquam suspicionem reuelationis, nam si esset tàtum spiritualis cura, & prouidentia erga ipsum pœnitentem, sine vllo timore, vel suspicione reuelationis, & alioqui materia non est directè, nec proximè pertinens ad confessionem peccatorum (de ea enim quæ sic pertinet iam diximus lib. 8. c. 5.) tunc facilius potest illa notitiæ vsus permitti, non requisita à pœnitente licentia.

Responsio ad 3. quæstionem. quando manifestatur conscientia in confessione.

Non facile putandum manifestata in confessione, dicisolùm comitanter.

Quando autem ratio conscientiæ redditur extra confessionem, non habet locum secretum sigilli, vt per se constat: nihilominus tamen dicendum est oriri inde maximam obligationem secreti naturalis, quanta oriri solet ex secreta consultatione conscientiæ. Probatur primò, quia hoc est moraliter necessarium, vt hoc onus, seu medium tolerabile & rationabile sit. Quod suadent rationes dubitādi in principio positæ, numero 2. Deinde quia hoc exigit ratio charitatis, & iustitiæ, & quia hæc est intentio eius, qui suam conscientiam aperit, & est iusta, quia non vult se infamare, sed solùm necessitati suæ spirituali prouidere; quod meritò potest facere, & debet. Denique in ordinationibus toti Societati communibus, atque ex authoritate 7. Congregationis contractis cap. 1. numer. 17. magna exaggeratione dictum secretum commendatur, ac superior illud fortasse violans, seuere puniendus, etiam officij depositione, si opus fuerit pronunciatur. & confirmatur à fortiori ex cap. 15. earundem Ordinat. parte 2. vbi superior strictè iubetur secretū seruare in defectibus ab altero fraterne delatis, nedum in iis, quos de seipso quis manifestat. Est tamē magna differentia inter hoc secretum, & sigillū confes-

XII. *Responsio eiusdem quæstionis quando manifestatio fit extra confessionem.*

confessionis. Primò, quia hoc non expedit, quominus liceat superiori loqui postea cum subdito de rebus sub tali secreto commissis, & illum secretò reprehendere si necesse sit, vel monere suæ fragilitatis, vt talem occasionem vitet, vel talem occupationem non appetat, vel procuret, & similia. Deinde potest ex illa notitia operari, gerendo erga subditum illum prouidentiæ modum, qui saluti eius spirituali, vel magis necessarius, vel vtilior sit; etiamsi ipsi subdito sit inuoluntarius, quia irrationabiliter resistit. Solùm cauere debet ne illum infamet, aut malam suspicionem de illo generet; quia hoc de se repugnat iustitiæ, & solet aliis scandalum parere, & subditos reddere difficiliores & timidiores in huiusmodi ratione suæ conscientiæ reddenda: quanquam in hoc aliqua moderatione opus est; nam si res sit moraliter necessaria ad salutem subditi, vt est vitare proximam occasionem alicuius peccati grauis, & alioqui suspicio non est cum firma & sinistra opinione aliorum, sed cum quadam dubitatione, & admiratione; tunc propter salutem animæ, contemnendum est illud incommodum, aliis remediis impediendo illud, quantum fieri possit; quia salus animæ præferenda est, & ipse subditus hoc velle tenetur, imo tanta esse posset spiritualis necessitas, vt etiam infamia contemnenda sit. Quapropter si superior bona intentione; & facta morali diligentia ad prudenter procedendum operetur, rarò in hoc delinquet. Quando verò non ob necessitatem, sed ob maiorem vtilitatem, & perfectionē hoc fit, maiore circunspectione opus est, & regulariter non videtur faciendum, sine subditi consensu, quia in his rebus raro est vtilius, quod est inuoluntarium.

1. discrimen inter vtramque manifestationem.

2. discrimen.

Infamia resultans ex manifestatione extra confessionē, aliquando non curāda.

XIII. Tandem potest superior vti hac notitia ad conuenienter gubernandum subditum in ordine ad bonum commune totius religionis, tum quia naturale secretum non obligat cum dispendio boni communis: tum etiam, quia ex ipsa regula constat, ad hunc finem hoc medium ordinari. Vnde interuenit tacitum pactum, & consensus ipsius subditi, quando Societatem ingreditur. Tum denique, quia ex hoc vsu, per se loquendo, non sequitur nocumentum particulare ipsius subditi: nam licet fortasse ob eam causam applicetur ad hunc locum, vel ministerium ei minus gratum, non debet illud tanquam nocumētum reputari; si communi bono religionis ita expediat, cùm inde nulla sequatur infamia, neque aliud simile incommodum quasi priuatiuum, vt sic dicam; sed ad summum carentia negatiua alicuius maioris commodi, vel honoris, qui nec per se debet tanti æstimari, præsertim in personis, nec debet comparari cum communi bono. Cauendum est autem, ne ratione huius notitiæ aliquid fiat in vindictam, seu punitionem delicti, quando illud est occultum, & solùm per hanc viam superiori ab ipsomet delinquente manifestatur: quamuis enim tunc possit superior secretam etiam pœnitentiam imponere, quæ magis sit in medicinam, quàm in vindictam: tamē publicè punire delictum, nec debet, nec moraliter potest, quia est cōtra debitum ordinem, vt per se constat: quomodo autem possit remedium adhibere in futurum, iam dictum est.

3. discrimen.

Ad quem finem & vsum ordinetur notitia per rationem conscientiæ comparata: simulque impugnationibus satisfit.

XIV. Vltimo ex dictis declaratum est, quod quarto loco proposuimus de vsu, & vtilitate huius scientiæ, & quantum distet à notitia, quæ per confessionem habetur. Soluuntur etiam facile ex dictis rationes dubitandi in principio positę. Ad primam enim interrogationem iam dictum est, vtroque modo posse rationem conscientiæ reddi: scilicet, & in confessione, & extra: tamen quando in confessione fit, nō ordinatur ad exteriorem gubernationem, sed ad perfectam satisfactionem delictorum, iudicio superioris imponendam in eodem foro, & ad meliorem directionem, & curationem spiritualem, etiam in futurum.

1. dubitandi.

2. principio.

3. quod.

4. ratio.

Quando autem fit extra cōfessionem, potest ordinari ad gubernationem exteriorem, pertinētem ad bonum ipsius personæ, & religionis cum debita circunspectione secreti famæ, honoris, & consolationis ipsiusmet subditi, vt explicatum est. Vnde ad primum incommodum de difficultate huius manifestationis suæ conscientiæ extra confessionem respondemus cōcedendo esse rem difficilem ei, qui non decreuit viam perfectionis profiteri, vel in eo proposito non fideliter perseuerat, atque progreditur: tamen ei, qui rectè affectus, & dispositus est in desiderio consequendi perfectionem, & perfectè moderandi passiones omnes, & vitandi omnes occasiones, vel occupationes, quæ huic progressum impedire possunt sicuti debet qui religiosam vitam profitetur: quærendi denique in omnibus maius Dei, & religionis obsequium, non erit difficile hoc medium amplecti: nam amor finis facile reddit mediū ad illum consequendū necessarium, aut condicens, quantumuis aliàs difficile esse videatur. Sic enim Christus D. dixit iugum suum suaue esse, non quia in se difficile non sit, sed quia verus amor leuem, & suauem illum reddit, vt significauit August. lib. 6. de Musicâ, c. 14. Vnde etiam Plutarchus Dialogo de profectu morum: primum fundamentum virtutis dicit esse amoris immensitatem circa studium philosophiandi, id est, virtutem insequēdi. Vnde idem Philosophus inferius eodem operehoc medium posuit inter principia ad proficiendum in virtute; *Omnes* (ait) *æquo ferentes animo reprehensionem, potissimum, si ipsos etiam morbi animorum gratia accedant reprehensores, bonam spem exhibent melioris cuiusdam habitudinis, qui enim sese ingenuè offert corripientibus, peccatum profert, malum fatetur, non passus latere aut ignorari; proditque corrigenti, adiunctis etiam precibus: is demum specimen præstiterit, non contemnendi in Philosopha progressus: nam quisquis ad bonam frugem ex corruptis moribus peruenire desiderat, opus habet, authore Diogene, diligente amico, vel acri feruidoque hoste, vt peccatum fugiat, aut corripiat, aut certè humaniter ac blande curatus.* Si ergo medium hoc non est visum adeò difficile cuidam Philosopho propter ordinariam virtutem assequendam: cur debet videri arduum religioso propter perfectionem charitatis, & cordis puritatem obtinendam, eo vel maximè quod difficultas hæc statim in principio examinis proponitur iis, qui Societatem ingredi cupiunt, iuxta regulam Magistri notitiorū capite secundo, numero decimoquinto, si ergo tunc illam admittunt, & cum hoc onere religionē postea profitentur, non est quod difficultatem causentur, cùm de perfectione & veritate actionis dubitare non possint.

XV.

1. dubitandi.

2. principium.

3. quod.

4. ratio.

Quod autem ad exaggerādam difficultatem additur de incommodis, quæ sequi possunt ex parte superiorum propter eorum imperfectionē, vel defectus, nihil obstat. Primo quia, moraliter ac regulariter loquendo, præsumendum non est de Prælato religioso, vbi religio reformata est, & tanta diligentia, & solicitudo, quanta suprà in ca. 3. n. 15. indicata est, adhibetur in prouidēdis superioribus Prælatis, qui prudentia & charitate maximè præstent. Apud quos hæc notitia volūtariè data ab ipso subdito, etiamsi de peccatis sit, non infamat illū, quia, vt etiam sapienter animaduertitur in instructione

XVI.

1. ex parte.

2. generatim.

3. circa idem.

4. inconueniens.

5. dum.

P. Clau-

P. Claudij pro superioribus, capite nono, numero quinto (quod integrum caput pro hac ratione conscientiæ, quam tractamus, videri debet) plus acquirit benevolentiæ, & æstimationis per illam fidelitatem erga superiorem, & per signa pœnitentiæ, & emendationis propositum, quàm propter commissa peccata posset amittere, præterita enim peccata per pœnitentiam deleta, etiam apud Deum ipsum non infamant hominem: vnde nec infamare debēt apud spiritualem Patrem, qui Deum maximè imitari debet.

XVII. *Prælati ne prodant subditum se manifestãtem.*

Ideoque tenentur Prælati summo studio animaduertere, vt ratione huius notitiæ nihil faciant, quod iure possit subditum offendere, & inde occasionem sumere sese occultandi, & paulatim fortasse in maiora vitia, vel incommoda cadēdi: vt enim refert Cassianus collat. 2. capite duodecimo; *Occasionem nobis perniciosæ verecundiæ, qua cogitationes malas studeamus obtegere, illa præcipuè creat causa, qua nouimus quendam in Syriæ partibus, vt credebatur, præcipuum, seniorum cuidam fratri cogitationes suas simplici confessione prodenti, postmodum quadam indignatione commotum easdem grauiter exprobrasse, vnde fit, vt dum eas in nobis premimus, & senioribus erubescimus publicare, curationum remedia consequi nequeamus.* Debent ergo superiores in hoc esse cautissimi, ne potius vt iudices, quàm vt Patres à subditis tractentur. Nam quod Chrysostomus dixit, *nõ dico tibi vt te prodas*, intelligitur vel in ordine ad iudicium externum, quod ad vindictam tendit, vel in ordine ad illos, qui tali notitia male vsuri sunt; subditi verò nõn debent esse nimium delicati, vt vel ea omnia, quæ ipsis non placent, iniustè fieri censeant; vel certè, si Prælatum aliquem interdum in hoc errare, aut imprudentem esse contingat, ideo cæteros omnes similes esse iudicent, aut ob eam tantũ causam, necessariam regulam, & sanctam consuetudinem immutandam putent; *Absit enim* (vt rectè dixit Augustinus ad Publicolam epist. 154. & habetur in cap. *de occidendis* 23. quæst. 5. *vt ea quæ propter bonum aut licitum facimus, aut habemus, si quid per hæc præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur: quid enim est in vsu hominum bono, ac licito, vnde non possit etiam pernicies irrogari.*

Subditi ne plus nimio circumspectant suum honorem.

XVIII. *Ad 2. exaggerationem*

Alia denique exaggeratio difficultatis ex mutatione superiorum, vel eorum pluralitate, humana quidem est, & sensibilis, vt sic dicam, parũ tamen momenti apud eos qui spiritualiter viuunt, & simpliciter, ac confidenter ambulant: talem enim habent conscientiæ statum, vt non vereantur illam multis personis manifestare. Quin potiùs hæc ipsa obligatio potest hominem reddere cautiorem circa statum conscientiæ suæ, & plurimum etiam consiliis, & orationibus magis iuuari poterit. Denique ex ipso vsu, & praxi constat minus difficultatis in hoc negotio esse, quàm in speculatione, vel apprehensione appareat: si sermo sit de his personis, quæ rectè volunt in religione procedere. Quod enim aliis difficillima res sit, non dubitatur, verumtamen difficultas illa non solùm vitanda non est, verum potiùs meritò est intenta, vt saltem illa religiosos in officio contineat.

XIX. *Ad alterum incommodi eiusdem posterioris mẽbri dilatatio.*

Ad alterum denique incommodum contra vtilitatem huius medij responsum satis est, ex his quæ diximus. Debet enim Prælatus fidem adhibere subdito suæ conscientiæ rationem reddenti, dum aliud sibi non constiterit; per hoc tamen nõ tollitur quin prudenter omnia obseruet, & dicta illius cum factis eiusdem, quæ superior alias nouit, vel vidit, conferat; ita enim vix fieri potest, vt in re magni momenti decipiatur.

CAPVT VII.

Virum fraterna denuntiatio rectè fiat secundum regulam, & particulare regimen Societatis.

I. *Debite facta denuntiatio iusta est.*

AD conuenientem religionis gubernationem nõ solum necessarium est, vt Prælatus possit delicta, seu defectus cognoscere per propriam & spontaneam manifestationem vniuscuiusque de seipso, sed etiam per denuntiationem ab vno factam de lapsu alterius. Sicut enim prior manifestatio, ad priuatam, & voluntariam directionem vniuscuiusque necessaria est; ita posterior denuntiatio ad communem correctionem delictorum, & propter eos maximè, qui delicta sua abscondere & excusare procurant, admittenda omnino est, in omni bene ordinata communitate. Atque ita hæc, quam inprimis aggredimur, ac fraterna vocatur (nam iudiciaria quantum loci in Societate, habeat, cap. decimotertio explicabitur.) in iure & in Euangelio multũ commendatur, vt statim videbimus. Quòd ergo hæc denuntiatio iuste præcipiatur, vel in constitutionibus ordinetur, manifestum est: quia ipsa est actio honesta, & communi bono necessaria, dũmodo legitimo prælato, & cum debitis circumstãtiis fiat; vna autem ex debitis circumstantiis est debitus ordo, de quo maximè in præsenti dubitatur.

II. *Proponitur & ponderatur regula Societatis de denuntiatione fraterna.*

Nam regula Societatis hæc est: *Ad maiorem in spiritu profectum, & præcipuè ad maiorem submissionem, & humilitatem propriam contentus esse quisque debet, vt omnes errores & defectus ipsius, & res quæcunque, quæ notatæ in eo, & obseruatæ fuerint superioribus per quemuis, qui extra confessionem eas acceperit, manifestentur.* Habetur in Compendio Constit. num. 9. Ex quibus verbis colligi videtur omnes defectus, etiamsi sint grauia peccata, & omnino occulta, esse à quocunque, qui illa certò sciuerit manifestanda superiori, nulla præmissa monitione, nec spectato fine emendationis, sed solùm intuitu maioris perfectionis, submissionis, & humilitatis. Hoc declarant singula verba, si expendantur: nam finis non alius proponitur nisi, *Ad maiorem spiritus profectum*, &c. Materia verbis valde vniuersalibus declaratur: & ideo cum dictum esset *omnes errores, & defectus*, ne quis putaret solùm esse sermonem de communibus imperfectionibus religiosorum, additur, *& res quæcunque*. Deinde verò subiungitur exceptio notitiæ confessionis, per quam firmatur regula, quod quacũque alia via etiam occultissima, recognoscatur, superiori denuncianda sit. Additur denique vnumquemq; debere esse contentum, vt hæc denuntiatio de se fiat nulla alia conditione postulata. quo significatur nõ esse necessariam prætiam monitionem. Atque ita in examine cap. 4. §. 8. nouitius ingressurus Societatem statim interrogatur, an contentus sit futurus, vt omnes errores, defectus, &c. vt ex tunc præbeat suum consensum, neque habeat postea querelæ occasionem. Atque in hunc modum videtur interpretari hanc regulam vsus, & praxis Societatis; nam prælati ipsi hanc integram illius obseruantiam requirunt.

III. *Pri̇̃ num argumentum ex duplici repugnantia regulæ contra euangelium 1 repugnantia 2 repug.*

Difficultas autem contra hanc regulam & communem praxim est. Primò, quia videtur repugnare Euangelio Matt. 18. vbi Christus Dominus ait, *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum.* ex quib. verbis duo colligunt Doctores communiter. Vnum est, ante denuntiationem, quæ infra significatur illis verbis, *Dic Ecclesiæ*, præmittendam esse fraternam correctionem secretam. Aliud est, finem huius negotij esse lucrari fratrem, scilicet, per emendationẽ eius,

eius, ideoque si crimen fuerit occultum, & emendatum, non esse ad denuntiationem procedendũ: vtrumque autem repugnat superiori regulæ. Secundò obstat textus in cap. *licet Heli.* de Simonia ibi, *sicut accusationem præcedere debet legitima inscriptio: sic & denuntiationem charitatiua correctio.* & in cap. *cum dilectus.* de accusat. denunciatio repellenda dicitur, quâ secreta monitio non præcesserit. Idem habetur in cap. *si peccauerit.* 2. q. 1. ex Augustino serm. 16. de verbis Domini: *Quia secretum* (inquit) *fuit quando in te peccauit, secretum quære cum corrigis quod in te peccauit: nam si solus nosti, quia peccauit in te, & eum vis coram omnibus arguere, nones correptor, sed proditor,* & in Conc. Aquisgran. I. cap. 134. de subdito delinquenti dicitur, *hic primum secundum Domini præceptum, non solum semel, ac secundo, ac tertio, quinimo crebrius admoneatur,* &c.

Secundum argum. ex iure canonico.

IV. *Tertium argumentum ex Patribus.*

Tertiò ne quis fortè dicat hunc ordinem pertinere ad sæculares, non ad religiosos, qui sunt velut mortui: dicitur, quia antiqui Patres, & fundatores religionum eundem ordinem seruare præcipiunt. Basil. in epist. ad Canonicam, circa finem, *Oportet* (inquit) *eum qui post vnam & alteram monitionem obstinate nihilominus in vitio perseuerat ad Antistitem deferri.* Et in regulis moralibus reg. 52. cap. 2. & 4. pro regula ponit ipsa Christi verba Matth. 18. & in regulis fusius disputatis reg. 46. *Quidquid est* (inquit) *in quo peccetur, id referri ad Antistitem debet, siue ab eo ipso qui peccatum admisit, siue ab iis, qui illius conscij sunt, si illud ipsi curare non possint, & mederi eo modo quo præceptum est à Domino.* Vnde in regulis breuioribus interrogationi tertiæ, quæ erat, quomodo conuertemus peccantem, respondet, *quemadmodum iusti sumus à Domino,* &c. Et interrogationi 25. quæ erat, quid sit detractio? respondet reuelare peccatum alterius in duobus tantùm casibus licere, scilicet vel consilij causa, vel ad vitandum damnum aliorum, extra hos verò semper esse detractionem. Regulæ etiam 47. 178. 182. 232. sunt de hac re, & in eis eodem ferè sensu explicat Christi D. verba; & in constitutionibus monast. cap. 30. *Si quis,* inquit, *disciplinam labefactare in animo habeat, & alios de fratribus secum comites trahat; hic primò quidem ab eo qui sanus sit secretò admoneri tãquam parum sanus debet, sin arcano curari noluerit, adhibendi sint de fratribus,* &c. Vbi prosequitur ordinem correctionis. Eodem modo loquitur Augustinus in sua regulâ, dicens: *Si oculi petulantiam in aliquo vestrum aduerteritis, statim admonete, ne cæpto progrediatur, sed de proximo corrigatur: Si autem & post admonitionem,* &c. prosequitur ordinem correctionis. Quem tamen paulo inferius immutat, dicens, *sed antequam aliis demonstretur, per quos conuincendus est si negauerit, prius Præposito debet ostendi, si admonitus neglexerit, corrigi, ne forte possit secretius correptus non innotescere cæteris.* Vbi semper postulat vt monitio præcedat, antequam delictum manifestetur Prælato, & vt secretum seruetur quoad fieri possit. Accedit tandem auctoritas B. Thomæ, qui, quodlib. 1. art. 16. expresse dicit, correctionis ordinem à Christo præceptum, etiam in religionibus esse seruandum, ita vt si Prælatus præcipiat sibi denuntiari delictum occulte ante admonitionem, quando est spes fructus, non sit ei obediendum.

V. *4 argum. ex ratione.*

Quartò argumentari possumus ratione, quia lex ipsa charitatis, etiam secluso Christi D. præcepto, postulat vt sine causa necessaria, nec secretum frangatur, nec peccatum occultum proximi alteri reueletur, imò etiam ratio iustitiæ vel fidelitatis hoc postulat: sed quando peccatum fratris est emendatum, vel moraliter emendandum per secretam admonitionem nulla est necessitas manifestandi illud superiori: ergo non potest iustè fieri, sicut non potest iustè manifestari alteri fratri, aut amico. Quid enim refert ad iniuriam minuendam, quòd persona, cui reuelatur peccatum, Prælatus sit? quin potiùs illa circumstantia videtur augere iniuriam: quia infamia maior est, magisque inuoluntaria, quia pluris æstimat subditus bonam opinionem apud vnum Prælatum, quàm apud multos alios. Et confirmatur, quia recta ratio postulat vt curatio aegroti fiat cum minimo nocumento, & diminutione aliorum bonorum: ergo etiam postulat spiritualis curatio animæ vt fiat cum minimo nocumẽto famæ: ergo si facta iam est, iniustum est denuo infamare, vel si fieri potest, per solam secretam admonitionem, non licet medicinam adhibere cum detrimento famæ. *Confirm.*

VI. *Quod aliqui putent statutum religionis obligans religiosos ad manifestandum Prælato delicta occulta, ante præmissam monitionem.*

Propter hæc, & similia argumenta, nonnulli illicitum putant statutum religionis obligans religiosos ad manifestandum Prælato delicta occulta, ante præmissam monitionem. Alij verò, vt Bannes 22. quæst. 33. artic. 4. existimãt esse nimium rigorosam, & non expedire communitati: quia potest nimium perturbare fratres inter se, quia licet perfecti possint patienter tolerare, vt delicta sua Prælato manifestentur: imperfecti nihilominus, vel quicunque non adeò perfecti sunt, vix poterunt sine perturbatione id ferre: cumque communitas maiori ex parte ex huiusmodi hominibus constet, non videtur tale statutum esse posse pro tota communitate accommodatum: vt ergo rem totã ordinatè explicemus, videbimus prius generatim, & abstrahendo à Societate, an tale statutum licitum sit, deinde an sit expediens: ac tãdem totam doctrinam ad regulam & praxim Societatis in c. 9. accommodabimus: quia verò fundamentum totius doctrinæ partim ex Euangelio, partim ex discursu rationis sumendum est, inde initiũ sumemus: nam licèt hoc tractari soleat in 2. 2. q. 33. vbi olim publicè docendo sententiam nostram aperuimus, tamen quia illa non versatur in manibus omnium, non possumus hic prætermittere fundamenta huius materiæ.

Statutum religionis admittens monitionem ante manifestationem delicti occulti.

Explicatur locus Matth. 18. si peccauerit in te, &c.

VII. *Primum fundamentum.*

Primò ergo dixerunt aliqui Christum Dominum Matth. 18. non fuisse locutum in vniuersum de correctione fraterna in quocunque delicto fratris, nec posuisse speciale præceptum de illa, vel de ordine eius, sed specialiter locutum fuisse de iniuria facta vnicuique à suo proximo, & de modo patienter illam ferendi, & curandi magis animo lucrandi proximum, quàm vindicandi seipsum. Fundantur maximè in illo verbo. *si peccauerit in te:* nam illud non significat, *coram te,* vt multi exposuisse videntur, sed *contra te,* vt proprietas verbi, scripturæ vsus, Euangelij contextus, & multi Patres docere videntur. Nã iuxta Latinam proprietatem particula, *in,* talẽ habet significationem, in simili contextu, iuxta illud Virgilij Æneid. 1.

Quid meus Æneas in te committere tantum,
Quid Troes potuere?

Nunquam autem significare solet, *in te,* id est, coram te, aut te sciente: non est autem cur literam ad impropriũ sensum torqueamus. Sic etiam Genes. 39. & Exod. 10. dicitur *peccare in Dominum.* & 1. Reg. 2. *si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* & Luc. 17. *si peccauerit* (inquit) *in te frater tuus, increpa illum, & si pœnitentiam egerit, dimitte illi, & si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, dimitte illi.* quæ verba, vel sunt eadem, vel similia his, quæ Matth. refert, & tamen in illis idem est, *peccare in te,* ac iniuriam tibi facere, vt probant verba subiuncta, *dimitte illi:* non enim potest homo dimittere omnia peccata, quæ coram se fiunt, sed quæ fiunt in suam inju-

Id habetur de defect. pecc. & de charitate.

t alij post.

iniuriam. Vnde hunc etiam sensum cõfirmant verba, quæ Matth. 18. Petrus subiunxit; *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei*, id est, quoties me offendet; intellexerat ergo verbum Christi in illo sensu: nam propterea subiunxit illam interrogationem eiusque intelligentiam cõfirmauit Christus subiecta parabola de Rege, cui seruus debebat decem millia talenta, quæ dimisit ei: ipse autẽ postea vrgebat conseruum sibi debitorem, nolens ei remittere: ergo est sermo de peccato in aliquem ex quo debitum ratione iniuriæ nascitur.

VIII. Præterea ità intellexit hunc locum Innocentius III. in cap. *nouit.* de iudiciis, ibi; *Et Rex Angliæ sit paratus sufficienter ostendere, quod Rex Francorum peccat in ipsum*, id est, offendit ipsum; quamuis gloss. ibi dicat Christũ Dominum in alio sensu fuisse loquutum; quod tamen non probat. Fauet etiam idem Innocentius III. in cap. *cum ex iniuncto.* de hæretic. & Chrysostomus qui homil. 70. ad populum ita alludit ad hunc locum, *si contra me peccantem, postquam me non audierit, ita præcepit auerfari*, &c. & eodem modo exponit Basilius in regula 232. ex breuioribus, vbi confert verba illa Christi Matth. 11. *dimittite si quid habetis aduersus aliquem*, cum illis: *si peccauerit in te frater tuus*; sentiens in vtroque esse sermonem de inferente iniuriam, quã tamen ita dicit esse dimittendam, vt tamen admonitione leni, & castigatione aduersus ipsum iniuriæ auctorem vti oporteat. Idem sentit in regulis fusius disputatis respons. 9. Vbi cum dixisset non esse religiosis litigandum cum his, à quibus iniuriam patiuntur, subdit; *Admonendi sunt tamen qui tales sunt, &c vt pareamus præcepto Domini, qui dixit, si peccauerit in te frater tuus.* Eandem expositionem indicant Hilarius & Hieronymus in Matth. & Ambrosius in Lucam, imò & Innocentius III. in cap. *cum ex iniuncto.* de hæret. idem significans, & dicens; *cum aliud sit fratrem in te peccantem occultè corripere secundum regulam Euangelicam*, illud enim *in te*, idem significat ac contra te. Denique etiam D. Augustinus sermon. 16. de verbis Domini, de iniuria propria illa verba intellexit, dicens; *Ille iniuriam fecit, & iniuriam faciendo grauiùs seipsum vulnere percussit, tu vulnus fratris contemnens, peior es tacendo, quàm ille conuitiando*, & inde colligit non esse leue peccatum, peccare in hominem: intelligit ergo peccare in te, idem esse, quod peccare contra te. Denique D. Thom super Matth. ita cum gloss. exponit, *si iniuriam vel contumeliam intulerit tibi.* Et Caietan. ibi ait; *si peccauerit in te*, positum esse ad differentiam peccati in alterum. Probat etiam Abulensis ibi quæst. 84. Theophylactus, & Euthymius.

IX. *Ex data interpretatione non colligitur ordo vel præceptũ correctionis fraternæ.* Iuxta hanc ergo interpretationem non solum non agitur de omni peccato fratris, sed etiam colligitur vlterius Christum Dominum hic non egisse de modo fraternè corripiendi omnia peccata, sed de perfecto modo tolerandi iniurias, vt non solùm eas non vendicemus, verùm etiam iniuriantem lucrari procuremus. Probatur, quia ibi Christus non agit de omni peccato, sed solùm de iniuria propria: ergo inde non potest colligi generale præceptum; quia potius neque in propria iniuria curanda videtur ille ordo à Christo Domino præceptus, tũ quia nullum est ibi verbum, quod rigorem præcepti præ se ferat, sed tantum cuiusdam vtilis doctrinæ, vel consilij; tum etiam, quia Christus Dominus nullum dedit præceptum positiuum, nisi sacramentorum, vt alias constat ex materia de legibus: ille autem ordo non est ex natura rei necessarius, nulla enim euidenti ratione naturali probari potest, præsertim quoad testium inductionem, quæ summam habet difficultatem, & vix potest ad praxim reduci, vt ex vsu constat: ergo verisimile non est ibi esse latum speciale præceptum à Christo de huiusmodi ordine.

Et confirmatur, quia Christi D. verba indifferentia sunt ad iniuriam illatam, tã occultè, quàm publicè: nam absolutè dixit, *si peccauerit in te*: ergo indefinitiuè etiam constituit illum ordinem pro quacumque iniuria, siue occultè, siue publicè fiat, cùm tamen certum sit non esse necessarium præmittere correctionem secretam, vbi peccatum est publicũ. In iniuria autem propria videtur id vtiliter consuli, ad ostendendam animi lenitatem, & beneuolentiam erga eum qui iniuriam intulit: non enim est corripiendus propter commodum corripientis, sed propter ipsum, vt significauit Christus, dicens, *lucratus es fratrem tuum.* & exposuit Augustinus serm. 16. de verbis Domini. Vnde idem August. lib. 2. de sermone Domini in monte, cap. 19. *Raro* (inquit) *& in magna necessitate obiurgationes adhibendæ sunt, ita tamen vt etiam in his ipsis, non nobis, sed Domino vt seruiatur, instemus.* Et dum hoc fit *inter te & ipsum solum*, aptior est modus ad conciliandam amicitiam. Imò etiam si petenda sit satisfactio, vel solutio debiti à creditore, qui dum est in mora soluendi, dici potest peccare in creditorem; optimus ordo est, prius ab eo priuatim petere vt soluat, & deinde, si necesse fuerit, coram vno vel altero amico instare apud illum, prius quàm ad petendum coram iudice procedatur, quamuis hic ordo non sit simpliciter necessarius, & in præcepto, quando alioqui debitum & tãle est, vt ante omnem petitionem solui debeat, & alioqui probari potest in iudicio. Ergo quamuis Christus D. in ordine ad emendationem fratris illum ordinem posuerit meliorem, non sequitur illũ constituisse sub præcepto. Vnde Bonauent. Luc. 17. in illa verba *si peccauerit in te*, &c. *Hic autem ordo* (inquit) *congruitatis est, non necessitatis, & maximè si percipiatur, quod proximus incorrigibilis est ad verbum fratrum, & corrigibilis manu forti.* & hanc sententiam latè confirmare conatus est Bernardinus de Areualo in speciali opere de correctione fraterna.

Sed quamuis in his duobus punctis, scilicet an correctio sit de quouis peccato, non verò solum de iniurioso corripienti, & an de correctione ipsa, detur præceptum in verbis Christi, magna videatur esse dissensio, quoad explicationem textus Euangelici; fortasse in re ipsa, & quod attinet ad doctrinam moralem, nulla ferè est, nec esse potest; nam in primis circa prius punctum suppono non esse dubium quin detur naturale præceptum correctionis fraternæ, quod omnes Theologi agnoscunt cum D. Thom. 2.2. quæst. 33 Richardo, Durando, & aliis in 4. d. 19. Soto in Relect. de tegendo secreto, membr. 2. quatuor primis quæstionibus. Altisiod. lib. 3. summ. Tractat. 21. cap. 1. Summistæ omnes verb. *Correctio fraterna.* Canonistæ in cap. *nouit.* de iudiciis. cap. *si peccauerit.* 2. q. 1. & habetur expresse ex Anacleto Papa in cap. *tam Sacerdotes.* 24. quæst. 3. vbi glossa destruit textum per fideles Prælatos interpretanda. Facit etiam illud Ambrosij lib. 1. de officiis, cap. 36. *Qui non repellit à socio iniuriam si potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit*, cap. *non inferenda.* 23. quæst. 3. Item illud Augustin. tract. 7. in Ioan. *Non putes te amare vicinum tuum, quando eum non corripis: non est ista charitas, sed languor*, cap. *non putet* 23. quæst. 5. Item illud Gregorij in ca. 5. d. 83. *Consentire videtur erranti, qui ad resecanda, quæ corrigi debent, non occurrit.* habetur lib. 7. epist. 117. Vbi melius dicitur: *Qui corripienda, vt resecari debeant, non occurrit.* Et in eodem lib. epistola 114. *Faciens culpam proculdubio habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare*: sed potissimum fundatur hoc præceptum in ratione charitatis, & misericordiæ, quæ obligat ad subleuandam proximi miseriam, peccatum autem est maxima miseria; & correctio ferè est vnicum medium, quo potest vnus subuenire alteri proximo in tali miseria, & necessitate

X. *Statuuntur duo puncta.*

constituto; ergo quandiu quisq; commodè potest, & alius indiget, charitas ex se inducit talem obligationem.

XI. *Traditur 1. punctum, materiam dicti præcepti non limitari ad solam iniuriam corripienti. Id suadetur authoritate.*

Ex quo infertur præceptum hoc non limitari ad peccatum iniuriosum corripienti, vt etiam in tractatu de charitate dict. 8. sect. 2. numero 2. & in tractat. de fide disputatione 20. sect. 4. numero 14. dixi, quia fundamentum, & ratio huius obligationis, non respicit rationem propriæ iniuriæ, sed absolutè necessitatem proximi, & hoc est etiam certum, & receptum ab omnibus Theologis, ex quo factum est, vt ipsi intellexerint verba Christi, de quocunque graui lapsu proximi, quod secundùm rectam rationem correptionem fraternam postularet: verisimile ergo est Christum Dominum voluisse, vniuersalem doctrinam de corrigendis fratribus tradere, quod etiam significant illa verba, *lucratus eris fratrem tuum*: nam hic fructus in omni lapsu graui proximi procurandus est, si sperari potest, vnde & Origenes tractatu 6. in Matth. generaliter verba Christi intelligit de peccatis quibuscunque, siue facta sint in iniuriam corripientis, siue non, quanuis in leuioribus peccatis, & non in grandioribus, ordinem illum seruandum putet, sed fortasse per leuiora non intelligit illa tantùm, quæ nos vocamus venialia, sed illa, quæ facilius emendari possunt in quibus correctio potest per secretam monitionem facilius operari. Anselmus etiam in Matth. prius exponit de iniuria homini facta: deinde addit alteram expositionem, & cum ea pertransit. Exponit verò speciali modo illud *in te*: id est, *publicè*. Existimo autem appellare publicum, ne durius sicula videatur interpretatio, non in rigore iuris, prout publicè dicitur fieri, quod coram multis fit, sed quod est publicum seu apertum respectu illius in cuius præsentia fit, licet respectu aliorum, sit occultum, quem sensum significat idem Anselmus, dicens, *corrige priuatim, ne videaris alieni criminis proditor potius, quam corrector*, non esset autem proditor si peccatum esset publicum priori modo. Vocat ergo *publicum* corripienti, & ita eadem est expositio cum communi Scholasticorum, *in te*, id est, *coram te*. Et eandem subdit rationem dicens, *omne enim publicum peccatum contra vnumquemque dicitur fieri, quia publicè peccans proximum suum corrumpit*.

XII. *Suadetur præterea ex contextu & intentione Christi.*

Nec videtur hæc expositio aliena ab intentione Christi, si ita vno verbo exponamus, *in te*, id est, præbens tibi scandalum, quantum in ipso est. Nam consequutio totius cap. hunc videtur sensum postulare, siquidem in præcedenti parte cap. vsque ad illum locum, multum commendauerat, ne scandalum aliis tribuamus, & demus occasionem fratri, vt pereat, propter cuius salutem filius hominis in mundum venit, vt ibidem Christus dicit, adducta parabola centum ouium, & concludit, *sic non est voluntas ante patrem vestrum, qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis*. Deinde verò conuertit sermonem ad eum qui scandalum præbet, vt ostendat illius etiam salutis se curam gerere, eandemque vnumquemque nostrum esse habiturum, etiamsi nobis ipsis scandalum dent. Sic ergo subdit, *Si autem peccauerit in te frater tuus*. Hic enim sermo non potest habere ad superiora eam consequutionem, quam particula *autem* significat, nisi in prædicto sensu explicetur. Atque in hunc modum connectit textum Chrysost. homil. 61. dicens: *Quoniam acri oratione aduersus scandalizantes vsus, multis eos argumentis terruit, ne supini, atque desides hac ratione hi fiant, quibus scandala inferuntur, & neputantes totam in alios culpam esse reiectam, & ad mollitiei vitium delabantur, & quasi omni fauore digni in arrogantiam incidant, perspicue quomodo ipsos etiam comprimit, atque coercet.* Postea verò in discursu expositionis de corripiente loquitur, tanquam de eo qui passus sit iniuriam; vel quia omnem offensionem, quæ per scandalum datur, iniuriam vocat; vel quia in propria iniuria maxima ratio scandali dari solet, & tunc etiam perfectio charitatis in corripiendo proximo magis cernitur. Sic etiam idem Chrysostomus homilia 1. de verbis Isaiæ ait, per illa verba adhortatum esse Christum, vt id facerent homines, quoties inuicem peccauerint: dicuntur enim peccare inuicem, non solùm, quando mutuas iniurias sibi faciunt, sed etiam quando inuicem sibi scandalum præbent. Et ad eundem modum exponit ibi Theophylactus, dicens; *Sermonem contra offendiculum dantes, valde extendet, nunc & eos qui offenduntur corrigit, &c.* Sicque tandem possunt cæteri Patres intelligi, nec est alienum à modo loquendi scripturæ: nam 1. ad Corinth. 8. ait Paulus; *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* vbi peccare *in fratres*, vocauit eis scandalum inferre, cùm ergo materia scandali non sit tantùm propria iniuria, sed quodlibet peccatum, præsertim graue, non sine magno fundamento Theologi Christi sermonem ad omne peccatum extenderunt.

XIII. *Liber sanus exprimit in eum vitium excludit.*

Eo vel maximè quòd licet demus (quod admodum probabile est) Christum loquutū esse de propria iniuria seu læsione, non id fecit vt alia peccata excludat; sed potius, vt à fortiori comprehendat. Nam si de sibi illata iniuria debet quis alium admonere, multo magis de iniuria Dei, vel de proximo spirituali nocumento eius, qui grauiter peccat; cur enim magis obligaretur quis ex Christi præcepto circa propriam iniuriam, quàm circa alia peccata, cùm admonitio in propria iniuria non respiciat commodum proprium, sed alterius? quin potiùs in propria iniuria posset homo habere aliquam excusationem, tum ne videretur seipsum vindicare, tum quia non tenetur quis inimico ostendere peculiaria signa amicitiæ, sed satis est non ostendere odium, nec excludere à generalibus beneuolentiæ signis, & operibus. Ergo vel Christus generaliter loquutus est de hoc opere admonendi fratrem, vel certè si locut⁹ est de fratre inferente iniuriam, supponit esse opus charitatis commune omnibus, atq; adeò à fortiori exercendam cum amico, seu fratre, qui non intulit iniuriam, grauiter tamen lapsus est, & in eadem necessitate constitutus, & hoc plenè supponit Innocentius III. in dicto cap. *nouit*, cum ex Christi verbis subinfert, *licet autem hoc modo procedere valeamus super quolibet criminali peccato, vt peccatorem reuocemus à vitio ad virtutem: præcipuè cum contra pacem peccatur, quæ est vinculum charitatis* sentit ergo doctrinam esse generalem; ergo quod ad rem moralem attinet, parum refert vno vel alio modo illam particulam, *in te*, interpretari.

XIV. *1. Punctum quadrifariam, scilicet materia dicti præcepti Christi, materia ex qua, & materia circa quam.*

Secundò infero idem ferè dicendum esse de alio puncto in quo dicta opinio à communi Theologorum sententia differre videtur. Nam Theologi etiam fatentur ibi non esse latum à Christo Domino speciale præceptum positiuum diuinum particulare legis gratiæ, ita sentit Diuus Thom. 2. 2. q. 33. artic. 2. & 7. & hi expositores, & Soto dict. relect. membr. 2. q. 4. & optimè probatur rationibus factis in nu. 9. præsertim illa, quod in lege gratiæ non sunt præcepta diuina positiua, nisi sacramentorum. Ergo etiamsi concedamus cum multis Theologis Christum Dominum ibi tulisse præceptum; nihilominus fatendum est, non addidisse nouum, sed explicuisse morale præceptum connaturale ipsi charitati, & dilectioni fraternæ. & è cõuerso, quãuis verba Christi posint explicari, vt generalẽ doctrinã continent abstrahẽdo à rigore præcepti, vel suauitate consilij, tamẽ negare non possum⁹, quin materia ipsa includere possit præcepti obligationẽ, & maximè quoad

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

secretam monitionem, de qua nunc agimus; nam de testium inductione maior posset esse dubitandi ratio. Priorem partem probant rationes in principio factæ, & communis opinio Theologorum, qui sentiunt ordinem hunc, quoad prætermittendam monitionem secretam, esse ex suo genere materiam sufficientem ad obligationem sub mortali; quia nō infamare proximum est materia talis obligationis, cui interdum opponitur, nō tantùm moraliter sed etiam formaliter, id est, sine legitima excusatione inuersio illius ordinis: ergo è conuerso seruare illū ordinem est etiam materia grauis obligationis, atque ita simpliciter docuimus in tract. de charitate, disput. 8. sect. 6. num. 2. Auertunt autem omnes hoc præceptum prout ad correctionem fraternam obligat esse affirmatiuum, ideoque non obligare pro semper, sed cum determinatis circumstantiis, quas infrà attingemus, quæ in summa explicantur per illum effectum, non infamandi proximum, si ad effectum emendationis eius necessarium non fit. Hæc autem explicatio illius præcepti æque habet locum, siue dicamus Christum Dominum loquutum fuisse de hoc præcepto, siue non, quia licet de illo fuerit loquutus, nihil ei addidit, vt morale & naturale erat: ac proinde quem sensum postulat ex natura rei, eundem admittit in Euangelio esse contentum; ergo ad doctrinam moralem, de qua agimus, parum refert, vno, vel alio modo verba Christi Domini intelligere.

Probatur dicta capacitas materiæ quoad illam partem, Inter te & ipsum solum.

XV. *Probatur deinde quo ad alteram partem, adhibe vnum vel duos testes.*

Idem cum proportione dicendum est, de posteriori membro, in quo (vt dixi) difficilius apparet præceptum ex natura rei: quia illa inductio testium non videtur ita necessaria ad conseruandam famā proximi, & secluso hoc capite non videtur esse aliud ex quo talis obligatio oriatur. Nam quod D. Thomas ait, naturæ ordinem postulare, vt non fiat transitus ab extremo ad extremum, nisi per mediū, & ideo non esse transeundum à monitione secreta ad denuntiationem coram Prælato, nisi media testium inductione, est quidem bona congruentia ad declarandam illius ordinis conuenientiam & honestatem; non videtur tamen sufficiens ratio ad ostendendam necessitatem obligationis. Nihilominus probabile est etiam illam esse materiam præcepti; præsertim si procedendum sit ad denuntiationē publicam, & iudiciariam, de qua Christus loquutus fuisse colligitur ex illis verbis, *si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus*; supponunt enim hæc verba excommunicationem latam ab Ecclesia, ad quam non peruenitur nisi per denuntiationem iudiciariam. Ante illam verò potest esse testiū inductio necessaria, tum vt per eos constare possit Ecclesiæ fraternam correctionem præcessisse, quod necessarium esse significatur in dict. c. *licet Heli.* de Simonia, quam rationem indicant verba Christi, *vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum*; illi enim nō possent esse testes delicti ex vi illius inductionis; sed solùm testes esse possent præmissæ admonitionis; tum etiam vt maior, & debita cautio circa famā proximi adhibeatur.

XVI. *Probabile tenetur loqui solum de peccato occulto.*

Vltimò hinc colligo, posse non incommodè intelligi Christum D. fuisse loquutum de peccato occulto, vt ab Augustino intelligitur, quem scholastici sequuti sunt; quia licèt fortasse litera non cogat, non tamen repugnat, & alioqui est sensus accommodatus aliquibus circumstantiis literæ: cur enim Christus postulasset monitionem secretam in peccato publico, etiamsi sit iniuriosum corripienti? vix enim potest aliqua vtilitas expectari ex tali monitione secretò facta, quę non possit eadem vel maior sperari ex monitione facta, saltem corā eis, qui delictum viderunt. Quod ergo Christus dixit, *Corripe illum inter te & ipsum solum*, indicat illam particulam exclusiuam, etiam subintelligēdam esse, cum dixit, *si peccauerit in te frater tuus.* Ideo enim dicit *in te*, quia tibi, & non aliis scandalum dedit. Vnde Augustinus dict. sermon. 16. de verbis Dom. *Peccauit* (inquit) *in te frater tuus si tu solus nosti, tum verè in te solum peccauit, nam si multis audientibus tibi fecit iniuriam, & in illos peccauit, quos testes suæ iniquitatis effecit.* Potest ergo optimè sermo Christi de peccato occulto intelligi: quia in solo illo tenetur quis priuatam correctionem præmittere. Quam obligationem ex regula Christi colligit Innocentius III. in cap. *cum ex iniuncto.* de hæreticis; sentit ergo ibi esse sermonem de peccato occulto.

Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

Nec tamē propterea excluditur, quin etiam correctio fraterna locum habeat circa peccatum publicum, vel simpliciter, vel secundùm quid, respectu duorum, vel trium, quod *probabile* dici solet, sed interest multū quoad ordinem in correctione seruandum: quia tunc non est tanta necessitas, vt prima monitio fiat, *inter te, & ipsum solum.* Tamen quia, vt dicitur ex Aristotele, maximum in vnoquoque genere est mensura cæterorum: iuxta proportionē ad omnino occultum, seruandus est ordo in aliis. Nam si peccatum proximi fit vni, vel alteri notum, quoad hoc potest ordo ille habere locum, vt coram aliis non corripiatur, saltem à principio: quia quoad hoc habet locum ratio non infamandi proximū. Interdum etiam erit valde expediens solum prius admonere, saltem propter pudorem eius, & vt melius accipiat admonitionem, & talis potest esse cōditio personæ, vt posset ad hoc charitas obligare, habito respectu ad fructum per correctionem intētum, qui fortasse vno modo obtinebitur, & non alio, quando autem peccatum est simpliciter publicum, publice corripiendum est, iuxta sententiam Pauli 1. ad Tim. 5. *Peccantem coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.* In quo etiam seruari debet, vt ibi fiat talis correctio, vbi publicum est delictū, non alibi, iuxta rationem charitatis, quæ omnia vel virtute, vel formaliter continentur in verbis Christi vno vel alio modo expositis. Prædictis verò expositionibus suppositis, ad explicandam & defendendā nostram regulam accedamus.

XVII. *Licet de peccato omnino occulto loquatur Christus ordo eius locū habet cum proportione.*

Ostenditur regulam Societatis de correctione fraterna, neque doctrinæ Euangelicæ, neque naturali iuri famæ aduersari.

XVIII.

Tota difficultas est, qua ratione regula Societatis, omnium defectuum, vel criminum, quantumuis grauium, & occultorum, denunciationem per quemuis, qui extra confessionem ea acceperit, contempta monitione secreta fieri permittat; & nihilominus verbis Euangelij, *Corrige eum inter te & ipsum solum*, Matth. 18. ac naturali præcepto de monitione præmittenda, non aduersetur? Facile tamen omnia componuntur, si aduertamus non esse omnino eādem materiam huius regulæ, atque iuris naturalis, & Euangelij: nam regula procedit suppositā renunciatione, quam expresse faciunt omnes, qui Societatem ingrediuntur, renunciando omni iuri famæ, quod dictæ denunciationi paternæ obstare posset, vt mox ostendemus: volenti autem & consentienti nulla fit iniuria. Præceptum verò naturale in hoc casu (& idem est de doctrina Christi Matth. 18.) procedit absolute, nulla suppositā renunciatione, totumq; fundatur in iure famæ, quod quis habet, ne se inuito apud alios infametur: ac proinde quandiu quis hoc iure non cedit, tamdiu materia præcepti, eiusque obligatio subsistit: eo verò iure per renunciationem sublato, consequenter etiam & materia & præceptum eius tollitur. Huic autem iuri quilibet renunciare potest efficaciter, seu quoad validi-

tatem; vt ita dicam: tum quia vnusquisque renunciare potest fauori proprio, cap. *si de terra*, in fine, de priuileg. tum etiam, quia homo est dominus suæ famæ: ergo si renuntiet, & det alteri facultatem denunciandi superiori suum delictum, se non admonito, cessabit obligatio huius præcepti iustitiæ. Hinc enim iuxta receptam doctrinam, peccatū iniustitiæ non est bona suæ famæ, aut fortunarū prodigere, neque in aliis consequenter obligatio restituendi consurgit, si ex prodiga illius licentia præcise, tale aliquod eius bonum auferant. Atqui in Societate iuri famæ apud superiorem, vt patrem, renunciatur illis verbis regulæ ex 4. cap. examinis §. 8. *interrogetur* (is scilicet, qui Societatē ingredi vult) *an contentus sit futurus, vt omnes errores & defectus ipsius, & res quascumque notatæ in eo, & obseruatæ fuerint superioribus per quemuis, qui extra confessionem eas acceperit manifestentur.* Quæ tandem regula, seu renunciatio, non vllus ambigendi locus esset, declarata fuit in 6. Congregatione generali à decreto 32. vsque ad 34. & Congregat. 6. can. 10. §. 1. his verbis, *licitū est omnibus nostris manifestare superiori, vt patri, quodcunque delictum alterius, siue leue, siue graue, & hic est sensus regulæ cum ex illis verbis capitis 4. examinis constet, nostros cedere cuicunque iuri famæ, quod huic manifestationi obstare posset, & facultatem facere omnibus deferendi ad superiores, quæcunque ab illis notata fuerint:* Est igitur tam expressa hodie in Societate talis renunciatio, omnibusque in illam ingredi volentibus adeò patenter exponitur, vt nullam profecto iniustitiam contineat dicta apud superiorem, vt patrem, immediata manifestatio.

XIX. *Instantia circa proxime dicta.*

Verum opponet aliquis, cum ad absolutam huius regulæ honestatem non sit satis, si contra iustitiam non militet, sed etiam oporteat, ne vlla alia inhonestate laboret (bonum enim absolutè non nisi ex integra causa consurgit) contingere poterit, vt licèt ex renunciato iure optimè concludatur, actionem illam manifestandi non esse iniustam, non tamen id sufficiat, vt sit vndique licita; quia sola charitas, secluſa ratione iustitiæ, potest obligare ad nō infamandum proximum, sicut in exemplis præcedenti numero adductis, nemo tenetur ex iustitia non se infamare, & tamen ex charitate propria tenetur non prodigere famam; sic ergo quantumcūque frater renunciauerit iuri suo, teneor ego ex charitate non infamare illum, quando possim eidem sufficienter prodesse sine tali infamia. Nec contendo nunc an in eo casu sit culpa mortalis, an venialis tantùm, quia iam non est iniuria, satis enim nobis est, quod sit aliqua culpa, quam non potest renunciatio proprij iuris impedire; vt si quis velit proprias fortunas in flumen pro sua tantum prodiga libertate proiicere, charitas obligat, vt illum impediam, si commode possim. Et quamuis ipse permittat vt ego proiiciam, contra charitatem agam id faciendo, etiamsi non sim iniustus. Et confirmatur: nam in hoc sensu tradunt Doctores, non posse aliquem renunciare naturali, & diuino iuri. Abbas in c. *sed diligenti*, de foro competenti numero 7. ex Bartolo in l. *in publicum*. ff. de pactis, & in l. *si quis in conscribendo* C. de pactis. Constat autē hoc ius esse diuinum, aut naturale, non solùm quatenus ad iustitiam spectat ratione dominij, quod quisque habet in suam famam, sed etiam præcise ratione charitatis; ergo in illud, vt sic, non cadit renuntiatio, ac proinde saltem ex hac parte honesta esse non poterit illa apud superiorem immediata manifestatio.

XX. *Expeditur*

Ad hanc tamen obiectionem præter illa, quæ c. 9. num. 17. obseruabimus, respondendum, cum renunciatio iuris prædicta, in Societate fuit ob maiorem in spiritu profectum, vt regula ipsa præmittit, cumque maior sit ordinariè hic profectus, cum à superiori sit emendatio, quàm cùm à priuato (vt inferius latè ostendemus, vbi etiam de particula *ordinarie* redibit sermo) non posse ordinariè contrà charitatem militare immediatam manifestationē defectus alterius apud superiorem. Imo pro charitate facere, cum maius bonum per talem manifestationem intendatur, & sequatur, vt supponimus. Neque enim in Euangelio (quod nulli vnquam maioris profectus viam præclusit) aut declaratur, aut confertur ius erranti, vt prius à fratre moneatur, quam à patre, si velit perfectiori modo corrigi. Atque hoc modo verificari posset quod alij senserunt, regulam scilicet, quam tractamus, ipsam esse regulam charitatis, seu in charitate fundari, quatenus videlicet per dictam manifestationem bonum (quod charitatis obiectum est) non qualecumque, sed perfectum, ac efficaciori medio, vt infra dicemus, fratri procuratur. Hoc igitur modo non iustitia tantum, sed & sanctitas regulæ Societatis defenditur, atque etiam commendatur.

XXI. *Regula prohibens, ne quis sine licentia superioris, quæ non interrogatus, manifestet defectus proximi, tempore.*

Recolenda verò hoc in loco veniunt, quæ circa illam ac circa allatum decretum paternę correctionis in eadem Congregat. 6. & ordinationibus etiam aliis toti Societati communibus in cap. 15. sunt stabilita. Primò enim regula solummodo licitum esse declarat aliorum defectus manifestare, idque etiā non interrogante superiore, vt in citato can. 10. 6. Congregationis num. 3. subditur, non tamen obligat per se loquendo, nec certè esset expediens omnibus imponere hoc onus, imò nec passim illud permittere, quia Prælatis esset molestissimum, & fratribus odiosum, posset que multum minuere charitatem & fraternam vnionem. Ad superiores ergo spectat hanc curam aliquibus committere; & tunc illi tenebuntur iuxta gradum obligationis sibi impositum, quæ in hoc maior est, & minor quàm in aliis religionibus: nam (vt credo) in aliis zelatores, seu acclamatores (quos vocant) sub iuramento astringuntur acclamare quæ viderint; in Societate verò nulla obligatio ponitur iure ordinario, sed simplex tantum ordinatio; quanquam interdum materia ipsa poterit maiorem obligationē ex charitate inducere (imo & superiorem cogere ad strictę præcipiendum alicui vt vigiler) vt etiam in n. 4. eiusdem canonis 10. 6. Congreg. stabilitum est in hanc formam: *In delictis, quæ vergunt in detrimentum boni communis, aut damnum imminens tertiæ personæ (qualia sunt infectiua aliorum, & nociua bono religionis, &c.) non solum posse, sed etiam teneri quemque ea manifestare superiori, vt patri, vt prouideat secreto & prudenter, tam bono subdito, quam religioni.*

XXII. *Secundo in 7. Congreg. can. 20. & vberius in decreto 12. seuerè puniri iubentur, qui temere, & ex mala nibus suspitionibus, vel ex alia quapiam minus probata causa, falsum alteri crimen imponunt:* etiamsi (vt necessario intelligendum videtur) apud superiorem tantum id faciant, cum reuera incuriosum sit. Et additur ibidem, *vt caueant superiores, ne faciles delatoribus aures præbeant, disquirant que singula, donec in delata rei cognitionem veniant, vt aut innocentem liberent, aut noxium satisque delatorem pro rei magnitudine puniant.* Imò & si verus alias defectus commissus fuerit vult Societas vt debito cum amore, & charitate manifestetur.

XXIII. *Tertiò delator non solum ea notitia, quæ ex cō fessione sacramentali immediatè, vel mediatè pro- cessit, vti non potest, vt ipsa regula monet, ac per se notum erat, sed neque illa etiam, quæ sibi secreto, & ex- silij petendi gratia vt alter dirigatur, vel iuuetur, com- ta fuit.* quæ verba sunt eiusdem canonis 10. illius 6. Congr. §. 2. De quibus dubitari potest, an dictiones illæ *secreto, & consilij gratia*, disiunctum, an copulatum sensum efficiant; nam coniunctio &, non semper efficit copulatum. Etenim, si hoc in loco copulatum reuera faciant, poterit is, cui consilij quidem petendi causa defectus aliquis communicatus est, non tamen

tamen secretò, aut, è contra communicatus secretò est, non tamen consilij, sed amicitiæ, aut alterius finis humani gratia, ad superiorem immediatè deferre; quòd si sensum disiunctum reddant, duplici ex principio prohibetur vsus notitiæ; tum, si secretò communicata fuit, etiam absque ordine ad consilium, vel directionem, &c. tum, si cum tali ordine, absque conditione tamen vlla secreti; quod per se nihilominus seruare teneatur is, qui consulitur ex alio principio, reuerentia scilicet, vt ita dicam, negotij conscientiæ. Censeo tamen sensum esse copulatum; tum, quia coniunctio *&*, communiter illum sensum reddit; tum quia citatus canon 10. §. 1. declarat amplissimam iuris renuntiationem, dicendo renunciare nos *cuicumque iuri famæ*. Cùm ergo in bonum spirituale animæ conditus sit, eam solùm notitiam excipit, cuius vsus spirituali bono alioquin obesset, cuiusmodi est vsus notitiæ ex confessione, aut ex communicatione gratia consilij, & directionis; auerterentur siquidem homines à quærendo animæ remedio, si talis vsus concederetur. Admittit ergo regula vsum notitiæ humano modo communicatæ, atque implicitè irritam facit quamcunque promissionem, etiam iuratam de non reuelando superiori cùm id sit contra bonos mores, imò contra primarium eius finem.

CAPVT VIII.

Præmittitur generalis doctrina denuntiationis, vt ostendatur quousque iuxta regulam Societatis locum habeat.

I. *Notatio 1. quid sit denuntiatio latissimè sumpta.*

VT altiùs explicemus iustitiam, & honestatem dictæ regulæ, eamque veræ doctrinæ de correctione accommodemus, nonnulla principia generalia præmittenda sunt, præsertim, quid denuntiatio sit, & quot modis fieri contingat: nam hoc necessarium est ad intelligendum quousque secreta monitio præcedere debeat denuntiationem; quam distinctionem tradidimus circa crimen hæresis in disp. 20. de fide sect. 4. à n. 2. Et inprimis denuntiatio latissimè sumi potest pro manifestatione delicti facta Prælato, & sic comprehendit etiam accusationem, de qua hic nõ agimus, sed in c. 12. ad finem nõnihil circa illam attingemus, quia certum est ad illam non prærequiri monitionem, nam per eam nõ intenditur per se emendatio fratris, sed vel interesse proprium, & vt accusatori fiat satisfactio; vel publica etiam vindicta & punitio delicti; & in ea se gerit accusator, vt actor exigens à iudice punitionem, & satisfactionem condignam rei, quam iudex reddere tenetur seruato iustitiæ ordine; ideoque accusatio in scriptis necessariò fieri debet, seu inscriptio debet ad illam præcedere; nisi in rebus leuissimis, iuxta legem *leuia* ff. de accusat. quæ omnia simul ad denuntiationem necessaria non sunt: propriùs ergo sumpta denuntiatione, vt ab accusatione distinguitur, est legitima delatio, seu manifestatio delicti facta superiori, vt suo munere, vel prouidentia vtatur ad aliquod damnum emendandum, vel impediendum. Quæ descriptio ex dicendis patebit, ne in eius declaratione immoremur. Addit verò Hostiẽsis in Summa lib. 5. tit. de denuntiationibus, esse delationem sine inscriptione; sed licet verum sit denuntiationem sæpe fieri legitimè sine scripto, tamẽ aliquando potest scripturam postulare, vt notauit Soto, & ideo non oportet hoc in generali descriptione ponere. Meliùs ergo facta aliqua diuisione, ratio denuntiationis declarabitur.

II. *Notatio 2. quotuplex sit, secundùm quosdam.*

Solet ergo multipliciter diuidi denuntiatio. Panormit. in c. *nouit*. de iudiciis num. 33. quem sequitur Soto dicta Relect. membr. 2. q. 5. quatuor genera denuntiationis distinguit; scilicet, iudicialis, Euangelicæ, canonicæ, & regularis. Adrianus verò in 4. materia de correctione fraterna q. vlt. ad 1. omisso vltimo membro alia tria numerat. Innocentius autem in c. *nouit*, de iudiciis, distinguit quidem Euangelicam & canonicam denuntiationem, omittit autem iudicialem; & ponit aliam, quam dicit non esse actionem, nec denuntiationem propriam, sed præcedere actionem, vel denuntiationem, non autem declarat, quid sit, sed exempla eius dicit esse frequẽtia in iure, c. *quapropter*, cap. *si quid*. 2. q. 7. in quibus solum præcipit Pontifex, vt sibi manifestentur, quæ in Episcopis, vel aliis Prælatis notata fuerint. & in c. fin. de accusationib. fit mentio similis denuntiationis, quæ solum videtur esse quædam simplex delatio ad aures Prælati, vt ipse inquirat, tamen si attentè considerentur citata iura, & similia, illa denuntiatio vel iudicialis est, vel ad eam reducitur, nam est inchoatio quædam, vel excitatio iudicis vt inquirat, & iudicet, quam admonitionem interdũ facit Episcopus Principi, aut iudici seculari, vt in Authent. vt iudices sine quoquo suffragio fiant. §. *si quis autem*, & sequentibus. Denique Hostiensis in dict. tit. de denuntiationibus, duplicem tantùm distinguit denuntiationem, scilicet Euangelicam, & iudicialem, quem sequitur D. Antoninus 3. p. tit. 9. c. 9. & in rigore videtur sufficiens diuisio si rectè explicetur.

III. *Notatio 3. quotuplex esse possit peccatum denuntiandum.*

Aduerto igitur tertiò peccatum fratris esse posse, vel iam commissum, vel in periculo vt cõmittatur, vel vtrunque simul, quia & commissum est, & est in periculo continuationis, vel iterationis. Denuntiatio igitur, de qua agimus, habet pro materia propria peccatum commissum, quia correctio non est de actu futuro, sed de iam commisso, vnde non dixit Christus, *si quis peccaturus sit*, sed, *si peccauerit in te*. Nihilominus tamen latiùs loquendo de denuntiatione, etiam peccatum futurum, vt est in periculo, vel occasione, denunciari potest Prælato, vt præueniat, vel impediat, & hanc aliqui vocant canonicã denuntiationem, quia Euangelica non est id quod Christus de peccato commisso sit loquutus, vt nũc expendimus; veruntamen etiam hæc denuntiatio quatenus respicit bonum fratris, dici potest Euangelica, quia licet non formaliter, virtute tamen in verbis Christi continetur; tum quia in moralibus periculum quasi actus reputatur; tũ maximè, quia eiusdem charitatis fraternæ actus est, & ad idẽ præceptum pertinet, quod per se primò obligat ad subueniendum proximo spiritualem necessitatem patienti, non solùm autem necessitatem patitur, qui iam lapsus est, sed etiam qui in morali periculo cadendi versatur; ergo si moraliter indigeat superioris auxilio, vt vel à periculo tollatur, vel in periculo existens confortetur, opus eiusdẽ charitatis fraternæ erit, talem statũ fratris Prælato reuelare. Dices, qui in tali periculo se constituit, eo ipso peccat: ergo iam lapsus est, nec differt hic actus à præcedenti. Respondetur primò quidquid sit de antecedenti, distingui consideratione (vt sic dicam) præcisiua, quia per se primò intenditur, ne peccatum futurum cõsummetur, siue periculum sit cum peccato, siue nõ. Vnde secũdò dicitur sæpe posse esse sine peccato, vt cum quis graui tentatione vrgetur, vel alia simili ratione. Quamuis ergo tunc nõ habeat locum propria correctio fraterna: nihilominus locũ habet delatio ad superiorẽ ex charitate fraterna: & ad hanc (vt statim n. 8. dicam) per se non est necessaria secreta monitio: & ideo in Societate reg. 20. ex communibus ita statutum est, *qui grauem tentationem alicuius nouerit superiorem admoneat, vt ei ipse pro paterna in suos cura, ac prouidentia, conuenienti remedio possit occurrere*. Talis ergo denuntiatio (si ita appelletur) & fraterna, & & Euangelica dici potest; nec video cur canonica

Peccati quod timetur delatio etiam sine nomine denuntiationis.

appellanda sit, cum non sit per canones introducta magis quàm denuntiatio delicti commissi.

IV. *Notatio 4 duplicis finis denuntiationis vnde quidam falsò discriminãt inter denunciationẽ canonicam, & Euangelicam.*

Est autem vlterius aduertendum denuntiationem Euangelicã, seu fraternam per se primò & sufficiẽter ordinari ad bonum fratris, siue vt resurgat, siue vt præueniatur, ne amplius cadat, vel etiam ne simpliciter cadat: vltra hunc verò finem potest, & interdum debet intendi per hanc denunciationem bonum tertij, & multo magis bonum commune, vt si peccatum fratris vergat in nocumentum iniuriosum proximi, & multo magis si in damnum cõmunitatis. Iuxta hos ergo duos fines distinguunt aliqui denuntiationem Euangelicam à canonica. Nã prior Euangelica dicitur iuxta illud, *lucratus eris fratrem tuum*; posterior canonica, fortasse quia propter illum finem boni tertiæ personæ, vel communitatis, non fit de illa mentio in Euangelio, sed magis in iure canonico. Veruntamen non multum hærendum est in nominibus, dummodo in re ipsa falsa aliqua differentia non constituatur, qualem esse illã censeo, quam aliqui assignant (nisi sano modo explicetur, vt in n. 7. & 8. attingam: scilicet ad hanc posteriorem, id est, canonicam denuntiationem, non oportere secretam monitionem præcedere, sicut in prima, quia in illa non habet locum illa conditio, *si peccauerit in te*; quia tunc non peccat frater in te, sed in alios, quibus nocumentum parat; & bonum innocentis, & præsertim communitatis, præferendũ est bono priuatæ personæ peccantis.

V. *Arguitur per dilemma contra dictũ discrimen.*

Hæc enim differentia primò non restè fundatur in Euangelio, vt præcedenti cap. à numer. 11. tractatum est, quia illud præceptum nõ limitatur ad peccatum, quod lædit corripientem: deinde nec satis ratione fundatur, quia licet bonum innocentis vel commune præferendum sit, tamen si potest simul seruari, bonum & fama peccantis, prodigenda non est. Vnde argumentor in hunc modum; quando peccatum proximi vergit in damnum tertij, vel cõmunitatis, aut ego possum per meipsum admonitione secreta illud impedire, & de hoc habeo spẽ moraliter certam; & tunc non est cur illum denunciem alteri; neque ibi interuenit bonũ commune, vel innocentis, quod præferendum sit famæ peccatoris; quia non pugnant inter se, sed simul possum omnia tueri: ergo tunc æquè teneor per secretam monitionem remedium adhibere, ac si solum intẽderem fratris emendam. Et confirmatur, nã si peccatum proximi vergat in meum nocumentum, & ego simul cum illius emendatione intendam me indemnem seruare, vt licite possum, & interdum debeo, præcipuè si nocumẽtum, quod timeo, spirituale sit: nihilominus teneor secretam monitionem præmittere si per illam spero vtrumque fructum, vt constat ex verbis Christi; *si peccauerit in te*, etiam in omni rigore intellectis, id est, contra te tantum; ergo quando peccatum vergit in detrimentum alterius, si vterque fructus per secretam monitionem speratur, ex eadem obligatione præmittenda erit: quid enim refert, quòd sit defensio mea vel alterius innocentis? nam etiam ego in ea re sum innocens, & ita ex charitate obligor, seu inducor ad me defendendum, sicut alium. Vnde etiam fit vt denũtiatio illa, quando ad eam peruenitur, substantialiter sit Euangelica, id est, eiusdem rationis, virtutis, & ordinis; nam quòd aliquis per correctionem intendat defensionem propriam, si non excludat emendationem fratris, non obstat quominus illa sit correctio fraterna, & Euangelica: ergo quòd intẽdat defensionem alterius innocentis simul cum emendatione fratris, non est extra rationem correctionis fraternæ: ergo denuntiatio etiam subsequẽs potest dici fraterna, seu Euangelica.

VI. Aut certè tale est nocumentum alterius, vt non sit moralis spes, impediendi illud per secretam mõnitionem; & tunc cessat quidem obligatio præmittendi illam, tamen, idem est, quando peccatum fratris vergit in meum nocumentum, & despero me posse illud impedire per meam motionem, siue auxilio Prælati; imò idem est licet peccatum nulli homini nocumentum inferat, nisi ipsimet peccanti, nam tunc etiam denunciandus est Prælato prætermissa monitione secreta, de qua fructus nõ speratur, quia hæc esset tunc otiosa, & aliùde spirituale bonum fratris præferẽdum est famæ eius: ergo formaliter loquendo, non intercedit talis differentia inter illas duas denuntiationes, quæ Euangelica & canonica appellantur; ergo ob hanc rationem, nec est necessaria illa distinctio, neque illa nomina fundamentum habent.

VII. *Ratio ob quam peccatum proximi vergens in damnum tertij, non possit omitti sine maiori peccato, quam peccatum in damnum proximi.*

Dico autem *formaliter loquendo*, quia quando peccatum vergit in damnum tertij, difficilius potest per solam correctionem secretam emendari, quàm peccatum, quod soli nocet peccanti. Item est alia differentia, quòd cum peccatum nocet alteri, interuenit ius tertij, cui non possum ego cedere, & ideo requiritur spes magis certa, magisque excludens periculum nocumenti, vt monitio priuata omittenda sit, quàm cum peccatum, vel nemini nocet, vel mihi tantum, qui de meo periculo, vel nocumento melius iudicare possum. Ob hanc ergo causam in peccatis, quæ vergunt in damnum tertij, frequentiùs licebit à denuntiatione incipere, vel fæpe etiam erit necessarium, maximè quando bonum commune periclitatur, vt est in peccato hæresis, proditionis, &c. Hanc autem differentiam *materialem* voco, quia præceptum charitatis semper est idem, sed quia affirmatiuum est, requirit suam opportunitatem: hæc verò in vna materia, vel vno genere peccati frequentius occurrit quàm in alio.

VIII. *Exercitium in quo amplius versabimur.*

Addo insuper, quando ita timetur nocumentum tertij, vel boni communis, vt nondum inchoatum sit, nec peccatum aliquod sit actu commissum à proximo, ex quo illud periculum timeatur, tunc in rigore necessarium non esse monitionem secretam præmittere, sed posse immediatè denunciari rem, seu periculum Prælato; quia tunc non infamatur proximus, neque interuenit propria materia correctionis, sed solius defensionis, & ideo cessat ratio prædicti ordinis. Hoc autem ita verum est in peccato, quod vel nemini nocere potest nisi peccãti, vel solum ipsi emendanti, sicut in peccatis quę aliis nocent. Quia si frater nondum peccauit, nec mihi nocuit, versatur autem in periculo cadendi, aut mihi nocendi, licet sperem per meam admonitionem posse sufficiens remedium adhibere, nõ teneor, per se loquẽdo, sed possum immediate vti auxilio Prælati: quia ratio facta hic etiam habet locum; non enim infamatur frater, cum nullum eius delictum manifestetur, neque actio illa ordinatur ad eius correctionem, vt ordinem correctionis obseruare necesse sit; & ita nullo modo accommodatur illa differentia, nisi tantum *materialiter*, vt numero præcedenti dixi. Igitur illa differentia inter Euangelicã & canonicam monitionem ex illis finibus deliuata, parui momenti est, neque oportet ob eam causam membra multiplicare: quartum verò membrũ de denuntiatione regulari, quod Sotus num. 2. allatus posuit, cum Panormit. magis habere locum potest iuxta dicta in cap. præcedenti numer. 18. de renunciatione iuris, siquidem tunc regularis denuntiatio incipit à secundo actu, cum Euangelica per se loquendo, requirat etiam primum, quanquam Soto hunc sensum non intendit, improbamus autem quem intendit. Nam illa etiam denuntiatio regularis, quam affert, solum est materialis, eo quod denun-

Quæ sententia verissima est, quod ista diuisio de denuntiatione regulari.

denuntiatio fit in religione, & secundùm regulas, vel constitutiones eius; tamen illa etiamsi necessariò postulet integrum ordinem, semper est aut Euangelica, seu paterna, aut iudicialis denuntiatio.

IX. *Approbatur diuisio denuntiationis in duo membra, & eorũ discrimina, expenduntur.*

Est ergo simpliciter sufficiens illa bimembris diuisio denuntiationis, in Euangelicam & iudicialẽ (quam enim admisimus *religiosam*, charitatis terminis continetur) quæ membra inprimis differre censentur ex fine, nam per Euangelicam non intenditur vindicta delicti, sed emẽdatio fratris, & ad summum extenditur ad euitanda aliorum nocumenta, iuxta proximè dicta à numer. 4. Iudicialis autem ad hoc tendit, vt delictum puniatur, quatenus expedit bono communi, ne delicta maneant impunita; sed hoc sano modo intelligendum est, nam etiam denuntiatio iudicialis per se primò ordinatur ad bonum fratris, vt ex Euangelio constat, *lucratus eris fratrem tuum*, & deficiente hoc fine, præcipitur denũtiatio Ecclesiæ, quam esse iudicialem ex dicendis constabit. Ratione etiam declaratur, nam intendere vindictam propriũ est accusatoris, qui propterea ad probandum delictum obligatur, ergo per denũtiationem non intenditur per se ac principaliter ille finis, nec facile quis admitti debet ad petendam vindictam, vel punitionem delicti, nisi ad probandum obligetur; solùm ergo potest esse differentia, quòd per denuntiationem paternam, nunquam intenditur vindicta, sed emendatio: iudicialis autem aliquando extendi potest ad intendendam punitionem, quando censetur necessaria ad bonum cõmune, quod per hanc denuntiationem potest quis intendere, quando iustis de causis non vult suscipere munus accusatoris.

X. Assignatur præterea alia differentia quòd paterna denuntiatio nunquam sit propter proprium cõmodum vel interesse denunciantis: altera verò potest: existimo tamen hunc finem non necessario excludi à denuntiatione Euangelica: quod in præcedenti puncto à num. 4. satis probatum videtur, neque est alienum à verbo Christi, *si peccauerit in te*, id est, contra te: nam fortasse ideo fecit mentionem propriæ iniuriæ (iuxta illam expositionem) vt significaret inter Christianos etiam propria nocumẽta: quæ repellere, aut reparare sæpe necessariũ est, media correctione fraterna reparanda esse, si fieri possit. Quod etiam significauit Innocentius III. in cap. *nouit*, de iudiciis, dicens, *cum Dominus dicat in Euangelio, si peccauerit in te frater tuus*, &c. *Et Rex Angliæ sit paratus sufficienter ostendere, quod Rex Francorũ peccat in ipsum, & ipse circa eum in correctione processit secundum regulam Euangelicam, & tandem quia nullo modo profecit: dixit Ecclesiæ*, &c. Constat autem Regem Angliæ intendisse propulsare iniuriam, vel nocumentum, quod à Rege Francorum patiebatur. Itaque hic finis communis est, qui via vtriusque denuntiationis, imò etiã via accusationis intendi potest: discrimen tamen esse potest, quòd in Euangelica denuntiatione, hic finis est secundarius, in alia, vel in accusatione potest esse primarius: imo in his potest esse vnicus: in fraterna autem denuntiatione nunquam separatur ab emendatione fratris: nam si de hac non sit spes, propter solum proprium interesse, statim proceditur ad denuntiationem iudicialem: vel accusationem fratris. Quid autem tunc intersit inter hæc duo, non est huius loci explicare: satis nunc sit, quòd per accusationem intentatur propria actio, per denuntiationem verò imploratur potius officium iudicis: vnde in iure ciuili aliquibus personis, quibus actio accusandi denegatur, conceditur denuntiatio, ne remedio careant, vt seruo. §. *Sed & maior*. Inst. de his, qui sunt sui vel alieni iuris, & de religioso idem habetur in cap. *insinuante*. qui cleric. vel vouent.

Tertia differentia inter prædictas denuntiationes est, quod denuntiatio iudicialis versari potest circa delictum præteritum vt sic, id est, ex eo solùm, quod commissum est: quamuis peccator emendatus sit, & patri satisfecerit, quantum debeat, quia semper manet reus pœnæ, quam vt luat, denunciari potest, si communi bono expedit. In quo conuenit hæc denuntiatio cum accusatione, quamuis Soto suprà contrarium sentiat sine causa: & contra praxim: nam denunciamus hæreticum etiam vt puniatur propter commune bonum, non tamen propriè accusat, qui sic denunciat, quia non accipit propriè officium actoris: sicut enim ad interesse proprium denuntiando imploratur aliquando officium iudicis; ita etiam ad vindictam delicti propter commune bonum: in hoc ergo fine conuenit denuntiatio iudicialis cum accusatione, licet differat in aliis solennitatibus: nam accusatio debet in scriptis fieri. cap. *licet Heli*, de Simonia. in denuntiatione verò non est semper necessaria. Accusator etiam obligatur ad probandum: denuntiator verò non semper. Imo Hostiensis suprà ait, denuntiationem esse delationem legitimam sine inscriptione, quod permissiuè intelligo, nam simpliciter necessarium non videtur: at vero denuntiatio Euangelica non versatur circa peccatum commissum, eo solum quod commissum est, sed quatenus aliquo modo pendet in futurum: id est, quatenus non est emendatum, vel pro eo non est satisfactum, vel est periculum reincidendi, aut alterius nocumẽti, quia si nihil horum interfit, cessat finis principalis talis denuntiationis. XI.

Quarta differentia est, quod denuntiatio iudicialis sit superiori, vt iudex est, implorando officiũ eius: denuntiatio autem Euangelica fit superiori, vt patri, & ideo dici etiam solet denuntiatio paterna, quæ correspondet correctioni fraternæ: nam sicut hæc fit inter fratres inter se, ita quando non sufficit, fit recursus ad superiorem, vt pater est. Item quia, vt proximè dictum est, per hanc denuntiationem per se non intenditur vindicta, neque absoluta coactio, quæ per se spectat ad officium iudicis, sed intenditur emendatio cum correctione tantum: seu disciplina ad illam necessaria, quæ per se pertinet ad officium patris, & ideo per hanc denuntiationem hoc officium maximè imploratur. XII.

Potest denique quinta differẽtia assignari, quia, per se loquendo, non tam est necessarium vt præcedat monitio fraterna ante iudicialem denuntiationem, sicut postulatur ante denuntiationem Euangelicam, nam ante Euangelicam præcise, seu nulla addita regula alicuius religiosi status: per se requiritur, quando & fratris emendatio, & præuentio omnis periculi, & nocumenti sufficienter per illam speratur: in alia vero non ita. Nam quando oportet illam fieri propter publicam vindictam delicti commissi non est simpliciter necessaria monitio secreta, etiam apud patrem, quia etiamsi per illam emendandus sit frater, & cauenda omnia futura incommoda, quantum est ex parte illius; nihilominus facienda est denuntiatio, vt publico, & cõmuni bono per punitionẽ satisfiat: ergo nulla est necessitas talis ordinis: sed statim potest ad superiorem recurri, tanquam iudicem, vt ram emendatio, quam vindicatio per illum fiat: quia propter eã rem non magis infamatur proximus, & ita cessat necessitas illius ordinis. XIII.

Atque hinc sequitur, (quæ potest esse sexta differentia) denũtiationem Euangelicã magis fieri posse de peccato occulto, quàm iudicialem: nam illa cũ tantum fiat Prælato, vt patri, & præcipuè sit ob bonũ peccantis, nec per illã procedi possit ad propriã XIV.

punitionem, fieri potest de peccato omnino occulto, vt scholastici omnes cum Augustino docent; imò multi ita intelligunt verbum Christi, *si peccauerit in te*, vt suprà cap. præced. n. 16. declaraui. Denuntiatio autem iudicialis cum eo tendat, vt in foro externo, & per ministerium iudicis, vt sic, finis intentus comparetur, regulariter postulat, vt sit de re non omnino occulta, sed probabili, vel saltem improbabili, vt iudex possit postea iuridicè procedere: quod sumi potest ex cap. vltimo. de calumniatoribus, vbi punitur denunciator, quia probatio inuenta non est, nisi se sufficienter purget, quod non calumniandi animo denunciauerit. Dixi autem *regulariter*, quia quando delicta sunt valde nociua cõmuni bono, veluti hæresis, proditio patriæ, & si quę sunt eiusmodi, etiamsi occulta sint, deferri possunt ad aures iudicis, vt ipse vigilet, vel inquirat quod legitimè potuerit.

XV. Potest tamen obiici contra quintam differentiã, quia iurà æquè videntur postulare præuiam monitionem ad denunciationem iudicialem, sicut ad paternam, vt colligitur ex cap. *nouit*, de iudiciis. ibi, *In correctione processit secundum regulam Euangelicam*, iuncta gloss. dicente, *Alias denuncians non auditur nisi monitione præmissa*, quod videtur expressum in c. *cum dilectus*, de accusationibus. ibi *si constiterit præfatum Episcopum de iam dictis excessibus non fuisse prænonitum ab eisdem, à denuntiatione repellatis eosdem*; vbi glossa alia iura refert. Et in ca. *licet Heli*, de simonia, tam necessaria dicitur esse prænonitio ad denuntiationem, sicut inscriptio ad accusationem; quæ simpliciter necessaria est, & tamen in his iuribus manifestè videtur esse sermo de denuntiatione iudiciali, cum ratione illius iudex procedat ad probationem & punitionẽ in foro exteriori. Respondetur propter vitanda pericula calumniarum, ordinariè & regulariter non admitti ad denuntiandum in foro exteriori eũ, qui accusare potest, quando denunciatio ordinatur ad punitionem delicti; quia, per se loquendo, expedit vt se obliget ad probandum, qui defert alterum ad iudicium vt puniatur. Et hinc fit vt in eodem exteriori foro regulariter non admittatur denuntiatio iudicialis, nisi præcedat monitio: quia si denuntiatio ordinatur ad alios fines, via charitatis tenenda erit; si verò ordinatur ad vindictam publicam, denuntiatio regulariter non admittitur, vt dixi: nihilominus tamen ex natura rei loquendo, & in foro interiori, quando denuntiatio bona fide & intẽtione fit, & iudicatur moraliter necessaria ad finem intentum publicæ vindictæ, siue frater secretò emendetur, siue non, non est necessaria ex natura rei præcedens admonitio, vt ratio facta probat. Et hoc modo procedit assignata differentia.

CAPVT IX.

Vtrum denuntiatio Euangelica rectè in Societate procedat.

I. EX his ad nostrum institutum descendentes dicimus quòd vtrumque genus denuntiationis Societati necessarium est, sicut omni benè gubernatæ congregationi, in qua & singulorum salus, & cõmune aliorum exemplum procurandà sunt, vt conseruari possit, quia nulla est tam perfecta congregatio, in qua pro humana fragilitate lapsus aliqui nõ inueniantur, quos interdum necesse est à Prælato, vt à patre corrigi, & emendari: interdum vt à iudice castigari & præcaueri, ne in aliorum detrimentũ serpant. De modo ergo vtendi iudiciali denuntiatione qualiscunque ille in vsu sit in hac religione, dicemus c. 13. præmittendo in c. 11. & 12. generalem doctrinam ea de re, hic solum de Euangelica disputamus. Et difficultas præcipua est, quando materia eius est aliquod graue peccatum; nam in communibus defectibus, qui in viris etiam perfectis inueniuntur, non oportet tam scrupulosè seruari dictũ ordinem, vt scilicet priuata monitio præcedat. Imò poterit etiam superior huiusmodi defectus ad se delatos, & cognitos manifestare in publicis reprehensionibus, & ordinarias pœnitentias imponere, iuxtà praxim Societatis, dummodo alicuius motiuo non inferant infamiam, ac consentiat secretus delator.

II. Hæc ergo sit prima assertio, meritò in hac religione seruari vt in leuioribus delictis omissa priuata monitione, statim superiori manifestentur. Huius assertionis veritas (præter confessionem illam iuris, de qua in cap. 7. n. 18.) constat à fortiori, quia si iuxtà praxim Societatis leues defectus à superioribus manifestantur in publicis reprehensionibus, ac pœnitentiæ imponuntur, cum inde nulla infamia alicuius momenti creatur, neque detrimentum deferẽti, atque eius beneplacitum obtinetur, vt in ordinationibus contractis c. 15. p. 2. n. 6. habetur, multo magis à fortiori licebit talẽ aliquem defectum soli superiori reuelare: dicta verò praxis est conformis doctrinæ D. Thomæ 2. 2. q. 33. a. 7. ad 4. vbi ait proclamationes, quæ in capitulis religiosorum fiunt, esse de aliquibus leuibus, quæ famæ non derogant, & ideo posse sanctè fieri sine admonitione præmissa, vt in argumento propositum fuit. Idem habet Soto dict. Relect. membro 2. quæst. 4. ad 1. confirm. 2. argumenti. In quo auctore expendo illa verba: *Voco autem graues, non solum illas, quæ sunt peccata mortalia, sed quæ sunt contra famam, & honorem proximi, vt si quis intraret domos suspectas.* Ex quibus verbis & exemplo colligo, in persona religiosa omne peccatum mortale, & omnem defectum, qui possit suspicionẽ talis peccati generare, censeri rem sufficienter graue, & consequenter (quod ad præsentem assertionem facit) omnes defectus, qui huiusmodi non sunt, censeri leues, & posse sub hac assertione comprehendi. Eandem ferè doctrinam habet Abulensis in cap. 18. Matthæi q. 97. ad 8. vbi omnia peccata venialia leuia censet ad hunc effectum nõ præmittendi monitionem priuatam; quin potius Theologi communiter docent, peccatum veniale non esse materiam præcepti correctionis fraternæ, quia est res admodum leuis, & charitas non obligat ad subueniẽdum proximo in quacunque leui necessitate: quod videtur etiam insinuasse Christus Dominus in illis verbis, *lucratus eris fratrem tuum*, vt disp. quoque 8. de charitate sect. 2. n. 5. ponderauimus; hæc enim supponunt fratrem periisse, vt Augustinus infert: ergo multò minus erit præceptum seruandi ordinem in correctione venialium, atque ex his intelliges quàm recta sit dicta Societatis ordinatio.

III. Dices, collectionem hanc non esse validam, *Obiectio contra ius-ctum.* quia non tenemur ad exercendum aliquem actum, & tamen si exercere volumus, obligamur ad certum modum seruandum, vt non teneor orare, si tamen oro, debeo orare cum debita reuerentia, & attentione. Sic ergo licèt non teneat frater corrigere de veniali lapsu, si tamen volo corripere, debeo modestis verbis, & cum debito honore illum monere; ergo pari ratione debeo ordinem seruare, vt famæ proximi prospiciam, quæ nonnihil, & inter religiosos non parum lædi solet ex manifestatione culparum venialium. Quæ obiectio videtur procedere contra assertionem positam. Cui tacite duo respondent D. Thom. & auctores citati. Primum est illos leues defectus nõ derogare famæ religiosi. Secundum est, illam non esse denuntiationem, sed recordationem oblitarum culparum. Quod ita explicat Abulensis, quia in illis capitulis debet quilibet religiosus dicere suas culpas leues, & si aliquas omittit ex ignorantia, vel obliuione, alij proclamant eas,

cas, non tanquam accusantes, vel denunciantes, sed reducentes eum ad memoriam culparum suarum, quas ipse ex statuto dicere tenetur.

IV. Sed hæc posterior videtur & res incerta, & nimia restrictio; sæpe enim moraliter euidens est, alium non tacere culpam suam propter ignorantiam, & obliuionem, sed propter verecundiam, vel ne cogatur pœnitentiam agere, & nihilominus fieri potest, & fit illa proclamatio, sæpe etiam alter nō tenebatur propria obligatione conscientiæ se prodere, sed ad summū ex regula, & fortasse interdū neque ex præscripta regula, sed ex generali consilio maioris humilitatis, vel pœnitentiæ agendæ, & tunc etiam proclamatio licita est. Est ergo illa denūtiatio, imò & aliquid amplius esse videtur, quia est publicatio. Prior ergo ratio videtur præcipua, quia illa moraliter non est infamatio alicuius momenti, & ideo oportet, vt recte significabat Soto, culpas ita esse leues, vt non inducant in suspicionem grauiorem, quod ego ita explico, vt sint defectus ordinarij circa regulam, vel opera perfectionis, qui ab omnibus, vel ferè ab omnibus, committi solent, quàuis à quibusdam frequentius, quam ab aliis committantur. Nam si sint defectus extraordinarij, qui licet non sint peccata mortalia, nec ingerant suspicionē illorum, graues inter religiosos computantur, & solent impedire grauiora munera, quia plurimū minuunt existimationem personæ; & ideo non facile sunt in publicum deducendi, si alias publici non sunt, cuiusmodi esset, non seruare secretum, etiā de rebus leuioribus, deditum esse priuatis familiaritatibus, etiam intra religionem. Imò si sint materia detractionis iniustæ, existimo aliquando posse sufficere ad grauem, & mortalem lapsum, quia reuera, licet culpa, de qua fit detractio, apud Deum non sit grauis, nocumentum quod inde resultat inter homines non est leue, & ideo sufficere potest ad mortalem iniuriam; sed de hoc alias; ac videri interim potest Molin. de Iustit. tract. 4. tom. 5. disp. 16. Acclamationes ergo illæ aliarum religionum, & publicæ reprehensiones in Societate vsitatæ, nullam moralē infamiam habent; quia de leuibus tantum & ordinariis defectibus sunt. Quibus adde eiusmodi publicas manifestationes magis pertinere ad denuntiationem iudicialem, quàm ad fraternam, quantū est ex parte finis, quamuis ex parte materiæ non excedant paternam correctionem. Nam per se primò ordinantur ad punitionem, seu disciplinam religiosam, publicamque satisfactionem; cuius signum est, quia fieri debent, etiamsi frater omnino emendatus sit: & quia non fiunt ab omnibus, sed ab illis, quibus id in religione incumbit ex officio; quibus etiam tāquam personis publicis fides datur: & ideo mirum non est quod ad huiusmodi manifestationes secreta monitio necessaria non sit, cum facienda sit, etiamsi persona sit emendata.

V. 2. *Assertio.* Secundò dicendum est etiam in grauibus defectibus superiori manifestandis, ad effectum fraternæ emendationis, licitum esse in hoc statu religioso Societatis, omittere priuatam monitionem: hęc etiam assertio expressa est in eodem can. 10. Congregationis sextæ §. 1. loquimur verò in præsenti de hoc statu in specie; tum quia de illo institutus est sermo, tum etiam, quia non est in animo legem præscribere vniuersalem, nec comparationem facere cum aliis religionibus. Nam hæc materia multum pendet ex particularibus circumstantiis, quibus variatis, ratio obligationis & conuenientiæ multum variari potest. Quanquam non possumus de hac religione in particulari veritatem hanc, quam suo canone definiuit, ostendere, nisi præmittamus prius, quid de religioso statu, vt sic, certum habeatur, ex quo in numer. 15. dicta veritas circa Societatem patebit.

Quod ergo in eo statu hæc denuntiatio facta superiori immediatè, licita esse possit, ac sæpe de facto liceat, ostendendum est. Ac de possibilitate quidem id facile ostenditur. Nam leges morales respiciunt ea, quæ vt plurimum expediunt, & in hac saltem religione frequentius expedire immediatum recursum ad superiorem in citato numer. 15. probabimus; ergo nihil obstat, quominus de illo recursu possit fieri generalis lex. Et confirmatur, quia mutuus religiosorum consensus potest licentiam hanc ad inuicem concedere, per quandam veluti renuntiationem mutuam iuris proprij, ob finem melioris correctionis, sine quo certe fine talis renuntiatio absoluta prodiga foret; atque adeò contra propriam charitatem: ergo licitè, & sanctè, vtpote ob illum finem, proponi potest regula, quæ ab ingressuris religionem quamlibet, vel saltem aliquam, exigat illam renuntiationem, siquidem non minoris virtutis est talis consensus præstitus religioni, quàm qui inter ipsos priuatos religiosos propria authoritate præstaretur, ad mutandam materiam, vt iam non sit contra charitatem, hoc est, contra bonum temporale famæ, sed potius pro charitate, hoc est, pro bono melioris correctionis prædicta manifestatio. Neque authores, qui nobis aduersantur, negant possibilitatem dictæ regulæ, quam satis nunc ostendimus, sed dari de facto dictam iuris renuntiationem, idque à viris nostræ Societatis fide dignissimis se accepisse testantur, quibus nihil aliud erit respondendum, quàm offerendo citatum canonem, in quo renuntiatio, de qua loquimur, in regula contineri, manifestissime declaratur.

VI. *Probatur positam assertionem veram esse de possibili.*

VII. *Probatur deinde esse veram de facto authoritate quarundam religionum.* Iam quod de facto licitum fuerit, aut etiam licitū sit hodie in variis religionibus immediata manifestatio, suadetur primò auctoritate. Nam Smaragdus Abbas in regula S. Benedicti cap. 24. hanc regulam refert: *Si quis eum quem districtionem monasterij non ferentem, fugam meditari cognouerit, non statim prodiderit, perditionis illius participem se esse non dubitet, & tamdiu à conuentu fratrum sequestrandum, quamdiu ille valeat reuocari.* Et cap. 32. ex Paulo & Stephano Abbatibus sic inquit: *Si quis alterum quacunque parte viderit quodcunque illicitum, vel sermone, vel opere facientē, & priori distulerit publicare, cognoscat se esse nutritorem peccati, & per omnia æqualem peccanti, quia & animæ suæ, & illius, quem tegit, est durissimus inimicus.* Et in cōstitutionibus prædicatorum dist. 5 cap. 13. §. 4. dicitur, *ne vitia occultentur Prælato suo, quilibet denunciet quæ viderit, vel audierit.* Et cap. 18. §. 6. *si quis tale quid* (id est, grauiorem culpam) *extra monasterium commiserit frater, qui cum eo est, studeat eius excessum Prælato quantocitius corrigendum intimare.* Et in constitutionibus Minorum editis à Guillelmo Farinario, ac probatis in capitulo generali tempore S. Bonauenturæ dicitur; *teneantur fratres per obedientiā exeuntes, in reditu suo secretè guardiano excessus notabiles intimare.* Huiusmodi ergo lex non est vsu aliena à statu religioso.

VIII. *Item ab authoritate scholasticorum.* Iam ex scholasticis Rich. in 4. d. 19. art. 3. q. 1. ad 2. sic inquit, *circa regulares personas non est tanta necessitas huc ordinem obseruandi, sicut circa seculares: quia regulares, cum causa requirit, facilius & liberius à suis possunt administrationibus amoueri.* Et in corpore dixit, quamuis frater sit emendatus per correctionem secretam, non esse omittendam Prælati denuntiationem, *quia valet*, inquit, *ad præcauendum fratri à recidiuo, nec cedit in famæ fratris præiudicium, sit talis est Prælatus qualis esse debet.* Et eum refert ac sequitur Summa Rosella verb. *Correctio fraterna*, in principio. Et Angelus verb. *Denuntiatio* numer. 10. vbi in hanc sententiam inter alios refert Augustinum quæst. 1. in Leuit. & habetur 22. quæst. 5. cap. *hoc videtur.* item Bonauen. Luc. 17. circa illa verba, *si peccauerit in te. Prælato* (inquit) *qui vult prodesse, etiam nulla præcedente correptione potest, & debet*

& debet culpa proximi accusari extra iudicium, si sit occulta; quæ doctrina ita fuit à S. Bonauent. in sua religione introducta, vt contrariam docentes grauiter puniret, voceque actiua, & passiua priuaret, & si pertinaces essent, in carcerem coniiceret, vt refertur in lib. *Serena conscientia.* quæst. 85. & 100. & Corduba super regulam quæst. 1. refert idem fuisse statutum in capitulo generali tempore eiusdem Bonauent. Præterea S. Thom. hanc mouens quæstionem quodlib. 11. art. vlt. quamuis prius absolutè dicat: *Si ego scio, quod frater per me corrigitur, tunc non debeo hoc denunciare Prælato.* statim nihilominus subdit, *Si autem videtur, quod hoc melius fiat per Prælatum, & Prælatus nihilominus sit pius, discretus, & spiritualis, non habens rancorem, seu odium aduersus illum subditum, tunc licitè potest hoc denunciari sibi, & tunc non dicit Ecclesiæ, quia non dicit ei sicut Prælato* (id est, sicut iudici) *sed sicut personæ proficienti ad correctionem proximi & emendam.* Et subiungit, *quia variæ sunt conditiones subditorum, & Prælatorum, ideo tenendum est hoc pro regula, quòd in omnibus istis seruanda est charitas, & quod melius, & magis expedire videtur, & si hoc intendat (scilicet, emendam proximi) & seruet quantum potest bonum charitatis, tunc denunciando non peccat.* Et solut. ad 1. *si statim aliquis referat Prælato adhibens debitas circumstantias, & considerans magis expedire, non facit contra præceptum Euangelij.* Et ad 3. *si aliquis referat Prælato culpam proximi intendens vel cautelam in futurum, vel aliquid huiusmodi, quod ad emendam proximi viderit expedire, non peccat.* Hanc doctrinam D. Thom. refert & sequitur Sylvest. verbo *Correctio.* q. 7. Tabien. §. 2. Antoni. 2. p. tit. 9. c. 6. §. 4. Gabr. lect. 74. in Canon. lit. V. addens cum Richardo: *Nota quod frater delinquens, non tantùm est denunciandus Prælato, vt priuatæ personæ, vt emendetur, sed etiam emendatus vt præseruetur à recidiuo.* In quo plane sentit, præuiam monitionem, etiamsi præcedat spes emendæ, non esse absolute necessariam, quandoquidem non obstante fructu eius, procedendum est ad denunciationem, per quam poterit etiam idem fructus melius sperari. Præterea Astensis l. 2. summæ tit. 67. art. 6. ex sententia Gualteri ait, formam & ordinem denunciationis nõ esse vsquequaque seruanda circa regulares personas; *& ideo* (inquit) *modus cuiuslibet religionis est approbandus, si non est plane contra Deum, & charitatem fraternam, magisq; ueattendi debet finis correctionis, scilicet emendatio peccantis, quam ordo verborum.* & deinde ferè subiungit doctrinam ex D. Thom citatam. Et eandem fere doctrinam habet Vmbertus super regulam B. Augustini cap. 90. Præterea Gerson 2. p. tract. de Correctione proximi, alphab. 34. lit. T. docet quidem admonitionem debere præcedere denuntiationem ex vi præcepti; postea verò ponit quatuor exceptiones: prima est, quando frater venialiter, non mortaliter peccat, quia ad veniale (inquit) non est præceptum. Sed de hac re iam diximus in assert. 1. Secunda exceptio est, quando non est spes emendæ per secretam monitionem. Tertia quando licèt sit spes, est tamẽ periculum in mora. Quarta quando quis corripere non valet sine proprio periculo. Inferiùs verò magis explicans secundam, & tertiam exceptionem, quæ ad rem præsentem magis facit, subiungit regulam ab aliis auctoribus tactam, dicens, *Hic magis debet attendi finis correptionis, scilicet emendatio peccantis, quàm forma verborum*, quia, vt Arist. ait. 1. Rhetor. cap. 9. ex vtilitate reipublicæ, nõ ex verborum inspectione, lex interpretanda est, vnde subiungit, *Si quando videatur frater peccans salubrius corrigi per alium, qui potest, & vult prodesse, quàm per se, secure potest ei indicare: vnde etiam Prælato potest dici peccatum non præmissa monitione, vel secreta correctione, non tãquã iudici, sed tanquam amico peccantis, & quia hic magis potest prodesse, quãalius.* Imò addit quippiam difficilius, peccatum de quo frater peccans fuit secretè correptus, seu admonitus, & de quo se emendauit, posse dici Prælato præcipienti per obedientiam, ita tamẽ quòd si denuncians solus nouerat, soli Prælato dicat; si autẽ alij nouerãt, soli Prælato dicat; si autẽ alij nouerant coram illis, & non coram aliis Prælato reuelet; quod semper intelligendum est, seruata dicta regula, & sine charitatis, scilicet vt vel ad cõmune bonum religionis, vel ipsiusmet peccantis, vt in futurum melius præseruetur, id censeatur necessarium, vel saltem magis conueniens. Hoc enim nobis præcipuè obseruãdum est in citata doctrina, quæ est D. Thom. & omnium, & maximè locũ habet in religionibus, nempe ad omittendam licitè præuiam monitionem secretam, non oportere vt illa reputetur inutilis, sed satis esse, vt per Prælatũ maior vtilitas, vel circa satisfactionem, & emendationem commissi, vel circa futurum periculum speretur.

IX. Probatur ex Innocent. III.

Denique confirmari hoc potest ex Innocent. III. in c. *qualiter, & quando.* 2. de accusationibus. vbi cum dixisset, *sicut ante accusationem legitimam præcedere debet inscriptio; sic & denuntiationem charitatiua monitio & inquisitionem clamorosa insinuatio*, subdit statim, *Hunc tamen ordinem circa regulares personas non credimus vsquequaque seruandum quæ cum causa requirit facilius, & libertus possiunt à suis administrationibus amoueri.* ex quo loco videntur plures ex dictis auctoribus illum modũ loquendi sumpsisse. Et videntur illa vltima verba ad omnes tres modos inscriptionis, scilicet monitionis, & inquisitionis referenda, quia super omnes immediatè cadunt: quia nulla est ratio, cur ad primum, vel tertium, & non ad secundum referatur. Et de aliis quidem dicemus c. 11. & 12. de secundo verò, quod ad præsens spectat, ratio multiplex reddi potest.

X. Ratio 1. ex parte subiecti.

Prima, quia religiosus ex vi sui status profitetur perfectionis viam; & consequenter etiam emendationem morum per remedia meliora & conueniẽtiora, & ideo quamuis forte circa seculares non sit facile omittenda præuia correctio, propter spẽ maioris boni, quando sufficiens emendatio per idem speratur: nihilominus in religioso statu illa existimari debet ratio sufficiens. Sed obiicit Soto dist. 94. dub. 3. post 3. conc. quia fama subditi apud Prælatum, magni æstimanda est, vt n. 3 indicauimus ergo fine extrema necessitate non est prodigenda, ergo nõ satis est quod correctio melius fieri possit per Prælatum, sed oportet vt aliter fieri nõ possit. Atque ipse sentit; etiam inter religiosos, sed in hoc contradicit plane D. Thomæ & communi sententiæ Doctorum, quos n. 7. 8. & 9. retuli. Vnde licet fortasse inter seculares illa doctrina Soti in praxi regulariter sit securior, quia secularis magis pendet ex huiusmodi fama, & quia rarò inter eos est hic vsus pãternæ denuntiationis, & rursum quia nõ sunt professi viam maioris perfectionis; tamen inter religiosos non est dubium, quin si Prælatus sit qualis esse debet, hoc liceat non solum propter absolutam necessitatem, sed etiam propter quodlibet maius spirituale bonum, cui non est fama illa comparanda, præsertim quia illa infamia non est tanti momenti, vt statim dicetur in tertia ratione, attigique suprà c. 6. n. 12.

XI. 2. Ratio.

Secunda, quia inter religiosos propter maiorem vnionem inter Prælatum & subditum, maioremq; dependentiam ferè in omnibus rebus, & occupationibus vitæ, regulare, ac morale est, vt per prouidentiã Prælati perfectior & firmior emendatio speretur; quin potius addit Caiet. tom. 1. Opusc. tract. 31. qui est 17. responsionum resp. 5. ad 1. dubium, in religiosis non facile credendum esse quando aliquis grauiter labitur esse ita emendandum per priuatã correctionem, vt non sit amplius peccaturus. Et propterea (subinfert) *tutius est in huiusmodi casibus Prælato petenti per se, vel alium* (addo vel expresse, vel tacitè) & vo-

& volenti saluare, non perdere oues suas, & curam famæ proximorum solito habere, vt pastorem decet, complices, siue non complices sibi notos reuelare. Et explicari potest vis huius rationis in hunc modum, nam vel religiosus peccat per occasionem aliquam moralem, quam domi vel extra habeat, vel sine illa: in priori casu necesse est Prælatum habere notitiam, quia vix potest alius occasiones huiusmodi præuenire, & auferre, imò interdum neque ipsemet delinquens poterit occasiones vitare, quia fortasse prælatus ignorãs ipsum in eis constituet, & ipse cogetur obedire. Si autem sine occasione labitur, necesse est vt sit, vel ex praua consuetudine, vel ex nimia fragilitate; & in vtroq; euentu moraliter necessaria est auctoritas Prælati, quia in vtroq; casu difficilis est præseruatio, & multis indiget remediis, quæ nõ solùm potest Prælatus consulere sicut alius frater, sed etiam præcipere, & secretò cogere, vel ad secreta opera pœnitentiæ, vel ad frequentem orationem, & alia huiusmodi. Video esse posse alium modum peccandi ex repentina tentatione, aut vehementi occasione rarò contingente, quæ moraliter amplius timeri nõ potest, sed hoc & rarum etiam est, & pertinere potest ad exceptiones, de quibus infrà nu. 17. præterea licet in eo casu cesset hæc proxima ratio, rarò cessabunt omnes, quæ maiorem vtilitatem huius denuntiationis, vel respectu religiosi, vel respectu religionis, ostendunt, vt ex dicendis constabit.

Explicatur vis huius rationis.

XII. *3. Ratio.*

Tertia, quia infamiã, quę hinc sequitur religioso, quàm minima est, & ideo non solùm propter necessarium remedium; sed etiam propter maius spirituale commodum est postponenda. Nam in primis supponimus Prælatum seruaturum secretum, & nõ diffamaturum subditum suum; nam si aliud probabiliter timeatur, nullo modo est illi reuelandũ delictum. Nam etiam in sacramentali confessione taceri potest propriũ delictum si infamatio timetur: ergo multo magis cauenda est denuntiatio alieni delicti, cum tali discrimine, præsertim, quia nõ potest sperari fructus ex notitia illius Prælati, qui non valet seruare secretum. Si autem infamia non transcendit siniſtram illam opinionem, quæ in Prælato generari videtur, non debet esse magni ponderis apud religiosos, nam reuera, si emendari vnusquisque velit, & condignam pœnitentiam sui peccati agere, & sufficientia media ad non reincidendũ adhibere, non solùm recuperabit bonum nomen, sed etiam in bona opinione crescet apud spiritualem & prudentem Prælatum, vt c. 6. n. 16. in simili dicebamus. Deinde, quia fama non est bonum per se amabile, sed solũ quatenus confert ad virtutem, vel ad alia bona naturæ conuenientia ac necessaria; si ergo illa opinio, seu cognitio mei peccati in superiore nõ redundat in aliquod damnum meum, sed potius in vtilitatem spiritualem, & simpliciter in maius bonum, profecto non est reputanda infamia, quæ sit verum aliquod malum. Præterea fama religiosi potius est religionis, quã sua, quia ipse totus non est tã suus, quàm religionis, vnde si iniuriam aliquam patiatur, & per iudicem expediat illam repellere, aut vindicare, non ad ipsum, sed ad monasterium, hæc cura spectat, iuxta doctrinam Panormitani, Felini, & aliorum in *c. cum dilectus*, de rescriptis, de qua Nauarr. comment. 2. de Regularibus n. 65. & 66. ergo si manifestatio peccati personæ religiosæ fit Prælato, ex mandato vel licentia eius, in maius commodum religionis, vel religiosi nõ fit iniuria religioso, quia de voluntate principalioris domini, vel dispensatoris eius fit illa qualiscunque iactura famæ: neque etiam fit contra ordinem charitatis, quia illa denuntiatio ordinatur ad finem consentaneum perfectioni charitatis, & est medium moraliter vtilius ad illum finem.

Quarta in statu religioso est peculiaris ratio, ob quam regulariter timeri potest ne quilibet grauis lapsus in aliorum, vel saltem in alicuius spirituale damnum vel scandalum cedat, propter magnam societatem, & familiaritatem, quæ inter ipsos esse solet, ex qua prouenit, vt exemplo vnius facilè alij corrumpantur; præsertim, quia illi qui similiores sunt moribus, vel affectibus, facilius solent inter se coniungi: atque ita vitium vnius facile in alium redundat. Est autem communis doctrina Doctorum; quoties peccatum fratris in aliorum detrimentum vergit, sine mora denuntiandum esse Prælato, ne aliis noceat: ergo regulariter ita fieri poterit in religione propter vitandum aliorum nocumentum: quia sine Prælati auxilio vix potest fieri aut sperari. Accedit præterea, quòd ex hac vnione, vel potius vnitate corporis prouenit, vt peccatum vnius religiosi in infamiam totius religionis, vel monasterij cedat, præsertim apud vulgus, quod propter magnã vitæ similitudinem, statim existimat tales esse reliquos, qualem vnum aliquem conspicit, vt optimè dixit Augustinus epist. 137. & S. Bonauentura super regulam q. 16. Hac ergo ratione quodlibet peccatũ graue religiosi commune est detrimentum religionis, ac propterea ad Prælatum, qui boni communis curam gerit, maximè spectat huic modo subuenire, ac propterea moraliter necessarium est, vt eius notitiam habeat, vt famæ religionis prospicere possit, quæ multo maioris momenti est, quàm fama vnius religiosi circa Prælatum suum.

XIII. *4. Ratio.*

XIV. *5 Ratio.*

Vltimò ex omnibus coniecturis, & circumstantiis hactenus adductis simul spectatis, colligitur valde expedire ad commune bonum status religiosi, vt singuli eorum intelligant graues lapsus; qui in eis obseruati fuerint superiori, esse statim denunciandos; nam hoc fræno cautiores fiunt, magisque formidabunt huiusmodi lapsus, saltem, propter timorem sui nominis erga superiorem, & propter eius correptionem, possumusque exemplo reseruationis casuum hoc declarare, quæ ideo ab Ecclesia inuenta est pro grauioribus culpis, vt ipsa difficultas & timor accedendi ad superiorem contineret homines. Quod maximè factum est in illis peccatis, quæ rempublicam maximè offendunt, aut scandalizant: Sic ergo dici potest Prælatus religionis, quodammodo reseruare sibi emendationem delictorũ in suis subditis, etiam per secretam correctionem, vt illo medio non solùm melius emendet lapsos, sed etiam reliquos contineat ac præseruet. Vel potius dici potest conssideratis conditionibus talis status ex natura rei hoc munus pertinere ad ipsum Prælatum, eique deferendum esse, quia, moraliter loquẽdo, non potest aliter communi bono religionis & singulorum religiosorum saluti, & perfectioni satis consuli, itaque ob magnam diuersitatem status religiosi à communi statu fidelium, dici potest mutari materia illius siue præcepti, siue consilij Euangelici; atque adeo immediate transire fraternam monitionem in paternam.

XV. *Rationes hactenus pos. sit a max. mè locum habẽt in Societate.*

Ex his autem quæ communia sunt statui religioso, ad minimum colligitur morali quadam euidentia (vt existimo) hoc sæpius esse licitum: si ergo vlterius consideremus ea, quæ Societatis propria sunt, plane concludemus, moraliter loquendo, semper ac de facto hoc licere, & expedire, quia ferè in omnibus circumstantiis, quas considerauimus, est aliquid speciale in hac religione, propter quod talis Prælatorũ prouidentia in huiusmodi lapsibus subditorum maximè necessaria est; præcipuè verò propter ministeria Societatis circa proximos, & varias occasiones in quibus ratione illorũ ministeriorum possunt religiosi à suis Prælatis constitui. Item propter maiorem dependentiam, quam subditi habent

habent à suis Prælatis, non solùm in muneribus & ministeriis suis, sed etiam in operibus pœnitentiæ, mortificationis & orationis, quibus in huiusmodi occasionibus iuuari debent. Præterea propter specialem quandam communicationem, & fraternam vnionem, quam hæc religio profitetur, ratione cuius peccatum vnius magis posset alios inficere nisi summa vigilantia præueniretur. Accedit, quòd iuxta huius religionis institutum necessarium est ab adolescentia, & iuuentute religiosos in ea educari & instituì: atque ita magna ex parte religiosos esse adolescentes, in qua ætate magis indigent prouidentia & disciplina Prælatorum: in illis ergo regulariter hæc notitia Prælatorum necessaria est; in aliis vero, qui iam sunt prouectioris ætatis, diuque fuere in religione probati, bonumque sui specimen dederunt, raro cum diuina gratia erit necessarium hoc prouidentiæ genus; tamen quia semper in periculis versamur, & quia non habemus locum fixum & certum, & quia non semper domi continemur & includimur, sed propter salutem proximorum per varia loca peregrinamur, ac denique, quia superiorum prouidētia ad omnes, generalis esse debet, & non omnes sunt æquè constantes, ac firmi; ideo generaliter optimum est, vt circa omnes hic modus custodiæ, ac prouidentiæ obseruetur. Tandem quāto hæc religio magis erga proximos versatur, tanto magis indiget bono nomine, & fama apud illos, tum vt ipsi proximi maiori cum fiducia & securitate conscientias suas operariis Societatis aperiant; tum vt ex parte sociorum ministeria cum maiori fructu, & efficacia peragantur; ad vtrumque autem finem maximè oportet, vt bonum nomen non fictū & fucatum sit, sed in vera ac solida virtute fundatum: quod vix aut nullo modo fieri aut conseruari potest, nisi superior suorum subditorum defectus agnoscat, vt vnumquemque applicet ad eam rem, cui sine suo detrimento & proximorum scandalo possit deseruire, & vt quem infirmum esse cognouerit, ad lucrandos alios non applicet, donec ipse curatus & lucratus sit; propter hæc ergo & alia fortasse, quæ sexta Congregatio generalis considerauit, canonem illum 10. edidit, quo vtraque assertio continetur, ita vt iam de illis nobis non sit integrū dubitare.

XVI. *Obiectioni satisfit.*

Dices, si intra latitudinem charitatis possunt esse varij modi aut ordines corripiendi, vel denuntiandi, vt ex hactenus dictis deducitur, certe ille, qui à Christo D. est traditus, existimandus est ex suo genere perfectior, namque illa eius verba, aut verum præceptum continent, aut saltem consilium, vt c. 7. n. 9. ostensum fuit: ergo propter neutrum titulum præcepti, scilicet, vel consilij potest ille ordo dimitti, aut renuntiari, quia vel semper (licet non pro semper cum sit affirmatiuus) obligat, vel perfectio charitatis illum postulat. De hac obiectione iterum in cap. seq. respondendo ad 4. rationem recurret sermo, nunc dicimus siue obligationis sit ille ordo; siue consilij, non fuisse à Christo datum nisi stante iure cuiusque proprio in sua fama: non autem eo renuntiato: regula verò Societatis supponit perfectam illius iuris renuntiationem. Neque absolutè verum est, Christum semper perfectissima docuisse, sed perfectissima huic, vel illi personarum statui. Nam Apostolos multa docuit in sermone habito in monte, Matth. 5. Turbis verò minora, vt August. l. 1. de sermone Domini in monte, & Ambros. l. 5. in Lucam c. 6. notarunt, imò & idem seruari in eisdē personis pro diuersis temporibus vulgare documentū est, iuxta Pauli methaphoram de lacte & cibo solido, Hebr. 5. Ergo eo ipso quod in sua Ecclesia Christus D. religiosum statū esse voluit, virtute docuit, quidquid perfectionis in eo optari rationabiliter potest.

XVII. Vltimò verò præter illas regulæ moderationes, in c. 7. à n. 21. ponderatas addendum est, per hæc omnia non excludi, quin in singularibus actibus cōsiderandum sit, an cesset omnino ratio immediatæ delationis ad Prælatum: cessare autem poterit, si in aliquo particulari casu contingat, vt pensatis omnibus circumstantiis, prudenter iudicetur notitia superioris, nec necessariam nec vtiliorem esse futuram, ad emēdationem fratris, securitatem religionis, & alios fines honestos, qui per talem denuntiationem intendi possunt (quod quia ratissimum erit: ideo à lege seu regula non curatur) nam tūc abstinendum est à tali denuntiatione, si lapsus sit occultus, & nullum offendiculum aliis præbuerit, nec in futurum timeatur. Tunc enim vrget ratio illa charitatis, vt subueniatur proximo in maioribus bonis, cum minimo, vel nullo incommodo in bonis inferioris ordinis, si fieri possit: & hoc solum probat communis schola Theologorum quando affirmat præceptum correctionis fraternæ obligare etiam ad seruandum ordinem eius: semper enim intelligunt quando cæteris paribus, in spiritualibus bonis seruari potest, conseruando proximi fāmā. Quamuis enim hæc famæ diminutio apud Prælatum prudentem, & qui subditum diligit vt filium & seruaturus est secretum, non videatur magna iactura: nihilominus si absque rationabili causa fiat, non potest excusari à culpa. Quotiescunque enim occultum peccatum fratris alteri (quicunque ille sit) sine iusta causa reuelatur, vitium est detractionis, iuxta doctrinam communem, cum D. Th. 2. 2. quæst. 73. art. 1. & 2. de quā videri potest Nauarr. in cap. *inter verba*, concluſ. 6. coroll. 1. & 33. & Soto dict. relect. de tegendo secreto membr. 2. dub. 3. Vnde constat tale peccatum ex genere suo mortale esse, in individuo autem facile esse potest veniale in præsenti materia: quia supponimus denuntiationem bona intentione fieri, etiamsi fortasse non prudenter fiat, quia illa intentio facit vt illa detractio non sit formalis, sed tantum materialis, quam frequenter esse peccatum veniale, dixit D. Thom. suprà, & aliunde nocumentum, si quod est, multū minuitur, tum quia reuelatio sit vni tantum personæ, & ita corrumpit famam, non in totum, sed in parte, vt dixit idem D. Thom. dict. art. 1. ad 2. Tum etiam, quia licèt persona Prælati grauis sit, tamen si sit talis, qualis esse debet, nihil propterea nocebit subdito, qui iam supponitur perfectè emendatus, vel emendandus per admonitionem eius: quin potius semper afferet aliquam vtilitatem spiritualem, moraliter loquendo, nam saltem impensius orabit pro illo, quando omnis alia occasio procurādi maiorem eius profectum desit, quod vix potest contingere. Quocirca rarò poterit hoc ad culpam præsertim mortalem damnari: nisi quando ex parte superioris timetur, quod non rectè vtetur illa notitia in bonum ipsius subditi, quia, v. g. vel concipiet odium in illum, vel iniustam, aut saltem imprudentem indignationem, quæ solet nimium affligere & inquietum reddere subditum. Idemque erit si ob fragilitatem, & peculiarem fratris conditionem, simili perturbatio timeatur, etiam sine culpa superioris, quia si de facto denuntiatio non est illi profutura, & alioqui non iudicatur necessaria ad bonum communē, aut aliorum, quia per admonitionem secretam speratur prudenter sufficiens emendatio, non solum otiosum, sed etiam alienum à charitate esset talem denuntiationem facere.

CAP.

CAPVT X.

Satisfit obiectionibus in cap. septimo propositis.

I. *Regula initio c. 7 allata exponuntur, & commendantur*

EX hac resolutione non est difficile respondere ad obiectiones in cap. 7. factas. Nam in primis in regula Societatis nihil est huic doctrinæ contrarium. Nam prima regula ibi citata solum loquitur cum ipsis delinquentibus, non cum denuntiantibus, & ab illis solùm exigit, *vt contenti sint*, & per quod verbum non datur aliis licentia, vel faciendi iniurias, vel non seruandi in hoc negotio: non solùm obligationem, sed etiam perfectionem charitatis; hoc enim nec rationi, nec religioni consentaneum est, vt per se constat. Duo ergo intelligo ibi postulari: vnum est vt religiosus patienter, & sine perturbatione sustineat quidquid in hoc genere cum ipso factum fuerit, siue prudenter, siue ex nimio zelo, non secundùm scientiam factum sit: nam hæc præparatio animi digna est viris profitentibus perfectionem: neque ob eam alijs licet, quod aliàs non liceret, vt notum est. Alterum, vt planè intelligant, & consentiant lapsus suos, quantunuis graues, & occultos manifestandos esse Prælatis, non solum propter necessitatem, sed etiam propter maiorem spiritualem profectum ipsorum; nam licet hoc per se bonum sit, & liceat, maximè in statu perfectionis, tamen quia res est difficilis, optimum est, vt in principio distinctè proponatur, & consensus per proprij iuris famæ cessionem postuletur, vt etiam inde constet non solùm hoc licere ex lege charitatis, sed etiam fieri ex regula eiusdem charitatis perfectissimæ materiam. Et hoc significant verba illa, *ad maiorem in spiritu profectum, &c.* In illis enim tacitè supponitur hunc finem maximè esse spectandum in hac denuntiatione, vnde illo deficiente non esset ad illam progrediendum: nisi ratio boni communis illam postulet, quæ à multis *Canonica* appellatur, vt cap. 8. num. 4. dixi. Alia verò regula, quæ ad denunciantes loquitur, solum petit præparationem animi ad manifestandos alios *debito cum amore & charitate*. Per quod verbum, sicut exigitur manifestatio consentanea *debito cum amore, & charitate*, ita excluditur omnis alius inordinatus affectus, quo manifestatio fieret apud superiorem, vt c. 7. n. 21. est annotatum. Vnde cum Romæ (vt mihi constat) hæc regula à quodam scriptore in sua Summa casuum conscientiæ acriter impugnaretur, Gregor. XIII. re-regulam petijt, & legit, multumq; illam commendauit, præsertim propter illa verba, *debito cum amore & charitate*, iussitq; partem illam illius libri expungi tanquam rem bonis religiosorum moribus contrariam.

II. *Ad 1. arg. in c. 7 n. 3 quæ ad priorem impugnantem.*

Ad primam ergo obiectionem in cap. 7. ex textu Euangelij, iam responsum est, ibi non contineri aliam legem nisi charitatis & in tantum ea omnia seruanda esse, in quantum charitas postulat, & ita in Societate seruanda esse conceditur. Veruntamen ipsa charitas maioris boni quod regula intendit, docet habendam esse rationem fratris, non solùm quoad emendandum præteritum, sed etiam quoad cauendum futurum perfecto modo ac magis securo, nec solùm consulendum esse eo perfecto modo fratri peccanti, sed etiam alijs, quibus potest nocere, & multo magis bono communi. Deinde dico cum D. Thoma dict. quodlib. ex vi verborum Christi secretam monitionem postulari antequam peccatum dicatur Ecclesiæ, id est, Prælato vt iudici, qui excommunicare possit contumacem, & consequenter ex verbis Christi colligi non posse ante denuntiationem, quæ fit superiori vt patri, esse necessariam secretam monitionem: ergo in rigore verba Christi parum vrgent. Vnde ad aliud membrum sumptũ ex fine huiꝰ præcepti, qui est fratrẽ lucrari, ex dictis etiam patet responsio: nam si id interpretemur de denuntiatione iudiciali, illa propriè non ordinatur, nisi ad præteritum: sic verò non rectè accommodatur obiectio, quia non agimus de tali denuntiatione: si verò generaliùs loquamur de correptione, quam postulat charitas, sic non ordinatur tantùm ad emendandum præteritum, sed etiam ad cauendum futurum, & ad alios fines boni communis, propter quos expedit sæpe vt Prælatus habeat notitiam facti commissi, etiamsi emendatum sit, & ad hæc omnia extendi potest lucrum fratris; nam ipse quando religiosus est, debet ad perfectionem aspirare, atq; adeò illi perfectioni proportionatam emendationem amplecti, & communi bono consulere, vnde hoc totum tanquam lucrum suum æstimare debet.

Quoad vltimam quantiam posterioris.

III. *Ad 2. argu. ex iure can. in eodem num. 3.*

Ad secundum probabile satis est iura omnia, quæ de denuntiatione loquuntur, & ad illam postulant vt præcedat charitatiua monitio, quæ etiam à Prælato facta secreta est in suo gradu, vt statim dicemus, loqui de denuntiatione iudiciali, & sine dubio de illa est sermo in dict. c. *cum dilectus*. Et idem colligitur ex cap. *qualiter & quando*, & ex his, quæ ibi notantur per Doctores, & per se hoc est credibile, quia illa iura statuunt ordinem iudicialem & forensem, quoad omnes vias, quibus in eo procedi potest, quas attingemus cap. seq. vbi huius etiam ordinis rationem reddemus. Neque obstat quòd illa iura fundantur in Christi verbis, tum quia illud potest intelligi per quandam imitationem, non quòd doceant illum esse sensum verborũ Christi: tum etiam, quia, vt dixi in illo c. 7. n. 15. satis probabiliter intelligitur illud verbum Christi, *dic Ecclesiæ*, de denuntiatione iudiciali: illa ergo iura nõ statuunt aliquod ius positiuum (quod notandum est) circa denuntiationem paternam, & ideo illis non obstantibus, solus ille ordo est in præcepto in tali denuntiatione, quo sublato charitas offenditur: an verò respectu denuntiationis iudicialis præceptum illud & latum sit, & semper obliget, sequenti capite videbimus.

IV. *Motiuo fac. à Prælato, ex notitia deferentis, adhuc secreta est & conformis euangelio.*

Nunc solùm aduerto denuntiationem hanc paternam ad hoc proximè ordinari, vt frater secretò moneatur, & corripiatur, quanuis non immediatè per ipsum fratrem, sed per Prælatum: Vnde si Prælati monitio non sufficiat, illa erit satis, vt ad denuntiationem iudicialem procedi possit, si aliæ circumstantiæ concurrant ad transeundum ad tale forum. Quia cùm iura dicunt ante denuntiationem illam debere præcedere monitionem secretam, non dicunt illam monitionem necessariò debere fieri immediatè ab ipsomet fratre, qui vidit vel nouit delictum, sed solùm quod fiat, ergo si per eum facta est, qui maximè prodesse posset, nempe per superiorem, id satis est. Vnde etiam obiter addo hunc modum corrigendi fratrem media correctione paterna non esse alienum à verbo Christi, *Corripe eum inter te & ipsum solum*, nam intentio horũ verborum solum est, vt frater occultè peccans occultè cum omni secreto, quoad fieri possit, corripiatur: Vti autem ministerio Prælati ad huiusmodi correptionem propter maius bonum fratris, vel commune, non est contra hoc secretum, nec excedit modum occultum, quem talis actio secundùm rectam rationem acquirit, & ideò in eo casu particula, *solum*, non excludit quemcunque alium, sed solùm alium, qui ad talem correctionem, neque necessarius, neque vtilis est: vel etiam excludit alium simpliciter, subditus autem, eiusque superior, ad hunc effectum non ponunt in numero, vt dialectici loquuntur, atque hoc solum sensit Augustinus citatus in dict. cap. *Si peccauerit*, 2. quæst. 1. vt indicant

cant illa verba, *Quia secretum fuit quando in te peccauit, secretum quære cum corrigis, quod in te peccauit: nam si solus nosti, quia peccauit in te, & cùm vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor:* vbi secretam correptionem solùm distinguit à publica; vnde non excludit tertiam personam, si necessaria sit, sed aliàs: & infrà ponit exemplum in Episcopo, qui solus scit delictum, & ideò solus corripit: dicitur autem solus scire, etiamsi per alium sciat, qui paterne denuntiauit. Vnde subdit: *sunt homines adulteri in domibus suis in secreto peccantes, aliquando nobis produntur ab vxoribus suis, plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus: nos non prodimus palam, sed in secreto arguimus: vbi contigit malum, ibi moriatur malum.* Ex quo planè constat secretam correptionem apud Augustinum, non excludere denuntiationem paternam, factam Prælato. Concilium denique Aquisgran. non loquitur de subditis, sed de Prælatis ipsis, quos monet tanta lenitate procedere, vt sæpius præmoneant, priusquam ad publicam vindictam procedant. Vnde post citata verba, subdit, *Et si his admonitionibus non cesserit, in publica obiurgatione corripiatur.* Posteaque prosequitur modum vindictæ iuxta qualitatem delicti, & dispositionem delinquentis.

V. Ad 3. arg. in fi. 4.

Maior difficultas esse videtur in tertia obiectione; nam Basilius & Augustinus in ea citati de religiosis in particulari loquuntur: imò eis regulam tradunt, & tamen absolutè eis commendant hunc ordinem prius monendi, quàm res ad Antistitem deferatur. Sed potest primò responderi eos loquutos esse de denuntiatione iudiciaria: quod in Augustino habet difficultatem, quam statim attingam. In Basilio verò potest facilè sustineri: simplicior verò responsio est, Basilium inprimis intellexisse Christi verba de ordine seruando in correctione fraterna, & illudmet præceptum nulla alia expositione addita suis monachis commendasse, neque aliquam aliam specialem regulam de hoc dedisse: quia fortasse eo tempore non existimauit aliud esse necessarium. Non tamen tacuit in illa regula 46. ex fusioribus, quidquid est in quo peccatur, id referre ad Antistitem debere: addidit verò limitationem, *si illud ipsi curare non possint:* cui nos intelligimus æquualere illam: *cum debito amore & charitate:* nam curatio illa intelligi debet perfecta, & quæ morale periculum in futurum excludat, tum in ipso fratre, quàm in alijs, & in communi bono, & nomine totius communitatis. Et ideò in alia regula 25. ex breuiorib. expressè dixit, consilij causa, & propter bonum aliorum licitum esse alteri reuelare peccatum fratris: sub quib. cautis comprehenduntur omnes, quæ fuerint consentaneæ statui religioso. Atque ita doctrina eadem est, & nullo modo contraria, quanuis necessitate, & discursu temporum magis fuerit explicata.

VI. Locus Augustini in eode arg. additus vrgetur magis.

In Augustino illud difficilè videri potest, quod ante denuntiationem Prælati postulat monitionē secretam, & tamen statim consulit, vt testes non inducantur antequam denuntiatio Prælato fiat: *ne fortè* (inquit) *possit secretius correptus non innotescere cæteris.* Nam si loquatur de denuntiatione iudiciali, cur non præcedet inductio testium, quæ necessaria est, vt constet adhibita esse alia conuenientia remedia? Si verò loquitur de denuntiatione paterna, videtur nobis esse contrarius. Deinde illa Augustini regula, vel fundata est in Euangelio, & sic cur potius, quoad vnam partem, quàm quoad alteram seruanda proponitur: vel fundatur solùm in congruentia morali, & sic etiam videtur Augustinus sentire, considerato prudenter ordine charitatis secundùm se, vel necessarium, vel saltem melius esse, etiam inter religiosos, vt monitio priuata præcedat.

Respondetur ex Diuo Thom. 2. 2. quæst. 33. artic. 8. ad 4. Augustinum partim loquutum esse de iudiciali denuntiatione, partim de paterna; & quoad primam vellé vt obseruetur ordo Euangelicus, ita tamen vt si post monitionem secretam inducendi sint testes, quia frater noluit corrigi, primus illorum testium sit Prælatus, quod sit deferendo ad illum delictum, non vt iudicem, sed vt patrem, vt si fortè id sufficiat, non innotescat cæteris: vnde subdit, si negauerit, tunc alios adhibendos esse: vt conuincatur, & puniatur. Vnde iam loquitur de tranfitu ad denuntiationem iudicialem: Ergo saltem habemus ex loco Augustini totum ordinem iudicialem non esse necessarium ad denuntiationem paternam: vnde etiam fit, vt ex illius præcepti, nec monitio fraterna necessaria sit: quia, vt Diuus Thom. repetit in prædicta solutione, cum dicitur Prælato vt patri, non dicitur Ecclesiæ. Negare autem non possumus, quin Augustinus ibi consilium præbeat, priùs secretè monendi: subintelligit tamen conditionem, si sit spes, quod illa sufficiat ad perfectam correptionem. Et verisimile est in eo statu, & iuxta occurrentes illo tempore circumstantias Augustinum prudenter iudicasse, illud medium sæpè futurum fuisse sufficiens, & ideò illud consuluisse. nihilominus tamen si consideratis alijs circumstantijs, iudicetur melius statim conuenire Prælatum, propter maiorem efficaciam, vel securitatem, non negat Augustinus posse ordinem mutari.

VII. Refutatur.

VIII. Responsio ampliat.

Quin potius si attentè ibi legatus, solùm postulat vt frater prius moneatur, quam praua indicia leuioris animi in eo appareant, vt patet ex illis verbis, *Si hanc de qua loquor oculi petulantiam, in aliquo vestrum aduerteritis statim admonete, ne cæpta progrediatur, sed de proximo corrigatur.* Et subiungit, *Si autem & post admonitionem iterum, vel alio quocunque die idipsum eum facere videritis, iam velut vulneratum sanandum prodat quicunque hoc potuerit inuenire.* Et paulò post declarat tunc delictum prodendum esse Prælato. Ergo ex mente Augustini, quando fratris conscientia grauiter vulnerata esse intelligitur, satis consultum est statim ad patrem recurrere, vt ei medeatur: quanuis vbi nondum de lapsu constat, sed solùm aliquod leue indicium, quod ex negligentia, aut ex leuitate animi procedere potest, non oportet statim ad Prælatum recurrere pro incerto lapsu fratris, sed fratrem monere. Denique (vt suprà numer. 5. & 7. dicebam) licèt hoc arbitrium seu consilium Augustini regulariter fortè fuerit expediens eo tempore, & in eo vitæ genere: nunc vbi aliud est vitæ institutum, & maiora pericula, maiorque dependentia subditorum à Prælato, potest frequentiùs expedire etiam in simili casu, in quo scilicet *petulantia oculorum erga fœminas in fratre cernitur*, statim Prælatus moneatur, vt radicitus occasionem auferat. Denique ad Diuum Thomam ibidem citatum respondetur ibi loquutum esse de denuntiatione iudiciali: alio verò loco à nobis citato satis explicuisse quid de denuntiatione paterna sentiendum.

Ad Th. in fine cit. dem n. 4.

IX. Ad 4. arg. in n. 5.

Ad quartam rationem concedi potest totum quod per eam intenditur, nimirum vbi notitia superioris ad spiritualem aliquem fructum necessaria non est, neque ad commune bonum, tunc non esse licitum illi denunciare lapsum fratris: hoc enim solum probat discursus ibi factus. Nos autem dicimus in religionis statu, & præsertim in nostra Societate, per se loquendo, & vt in plurimum necessariam esse, aut saltem valde proficuam hanc notitiā superioris, & infamiam, quæ ex illa generatur, si frater verè & ex corde emendari velit, esse propè nullam, & ideò regulariter ac per se loquendo, intercedere sufficientem rationem ob quam in hoc

genere denuntiationis paternæ, præuia monitio prætermittatur.

X. *Instantia contra hunc dicta.*

Sed instabit aliquis: nam hinc sequitur hunc ordinem corrigendi saltem in statu religioso esse simpliciter meliorem; quod videtur absurdum, cùm Christus D. alium ordinem simpliciter docuerit. Circa hanc obiectionem Bannes 22.quæst.33, arti.8. dub.2. ad primam confirmationem 7. argumenti; tacitè de Societate sub nomine cuiusdam religionis agens, existimat inprimis constitutionem Societatis in hac parte esse iustam, eo titulo, quòd religiosi eius renuntient iuri suo, quoad famam erga Prælatum. Addit verò vlteriùs maximè attendendum esse, ne prædicta constitutio, quæ ratione renuntiationis proprij iuris potest esse iusta, sub alia ratione falsa defendatur; videlicet quoniam alio modo nulla communitas potest benè gubernari; nam hoc esset dicere ordinem correctionis Euangelicum, & naturalem esse pernicioſum communitatibus, ac proinde neque in præcepto, neque in consilio esse, quod erroneum esset, cum ordo ille, ab ipso Christo traditus sit, & à Patribus & Theologis summa veneratione susceptus. Hæc ferè prædictus author: quæ nihil repugnant his quæ hactenus diximus, neque in his, quæ spectant ad naturale ius, potest ferè esse diuersitas sententiarum, nam (vt idem benè subiungit) varietas iudiciorum, quæ in hoc esse potest, non tam circa legis obligationem, quàm circa eius applicationem ad opus versatur.

XI. *Authoris decisio.*

In hoc ergo sensu loquendo, addendum nobis superest temerarium quidem, & contra omnem prudentiam esse asserere, nullam communitatem posse bene gubernari, nisi constitutionem habeat, vel vsum denuntiandi Prælato peccata occulta, nulla præuia monitione; nam hoc licet non sit directè contrarium verbis Christi (vt falsò supponit Bannes,) quæ multis alijs modis commode explicantur, vt vidimus: est tamen præter omnem rationem, & præter omnem vsum Ecclesiæ, & nulla authoritate fundatum. Nihilominus tamen loquendo de communitate religiosa, vere & prudenter dici potest, non posse æque bene gubernari & conseruari, si omnes subditi persuadeantur se non posse licitè denunciare Prælatis lapsus fratrum, nisi tentando priùs illos emendare per secretam monitionem: nam (vt Innocentius III. significauit) in religioso statu habere tantùm curam priuatæ famæ fratris; erga solum Prælatum, sine respectu ad maius bonum spirituale fratris & sociorum, ac totius religionis, esto malum non sit, non potest generaliter loquendo esse vtilius ad maiorem perfectionem. Vel saltem licet quis nolit admittere in communi de relegioso statu, quia in illo potest esse magna varietas, & in aliquo viuendi modo posset fortasse aliud expedire: nihilominus loquendo de aliqua communitate in particulari optimè & prudenter potest quis sentire & dicere doctrinam illam non esse conuenientem ad meliorem gubernationem eius; quin potiùs regulariter in ea expedire vti prudentia Prælati ad emendandum subditum, & præuenienda incommoda, quanuis nec ipsi conueniat, neque liceat in particulari alium ordinem semper excludere, vt declaratum est. Vnde etiam addo per hanc doctrinam nunquam ita excludi monitionem secretam, quin possit aliquando frater priùs conuenire fratrem, non vt sua aliquali correptione contentus sit, sed vt illum disponat ad Prælati correptionem, eique persuadeat ipsi expedire, vt Prælatus conueniens remedium illi malo adhibeat: per hoc enim non impeditur, quominus denuntiatio fiat Prælato vt patri, sed suauiori modo fiat, & ita minus exasperetur, aut perturbetur.

Dices, si tunc frater pœnitentiam ostendat, & non repugnet emendationi delicti, superfluum esse vltrà progredi. Respondetur negando consequentiam, tum quia etiam post emendationem necessaria esse solet prouidentia Prælati, ad tollendas occasiones in futurum: tum etiam, quia rarò possumus adeò confidere de præsenti proposito, aut ostensione pœnitentiæ, vt propter commune bonũ, & maiorem profectum ipsius fratris, non sit saltem melius & vtilius rem totam ad Prælatum deferre, vt etiam in disput.8.de charitate sect.6.à n.11. tradidimus. Quod inde etiam confirmatur: nam ex sententia sanctorum Patrum, quos suprà cap.6.à n.4. retuli, vnusquisque religiosus debet statum conscientiæ suæ Prælato aperire, vt ab eo melius dirigatur, quia signum est illam notitiam apud superiorem non reputari infamiam tanti momenti, vt propter spiritualem directionem contemnenda non sit: merito ergo in prædicto casu, vnus frater alium inducit, vt tota res ad Prælatum deferatur, & tunc si delinquens consenserit negotium (vt dixi) suauius & cum maiori fructu trantigetur: si autem repugnauerit, erit rationabiliter inuitus, & eo ipso timeri potest de illius efficaci pœnitentia & constanti emendatione, regulariter loquendo, vt dixi, quia in individuo aliquando & rarissimè decurrere possunt rationes & indicia, quæ contrarium persuadeant, vt in fine capitis præcedentis aduertimus.

XII. *Alteri instantia occurritur.*

Iam verò superest inquirendum, quid possit ac debeat Prælatus cum subdito agere postquam illius lapsum per hanc paternam denuntiationem agnouit. Id quod breuiter dicendum est: debere inprimis Prælatum secretò monere & corripere subditum, qui si delictum suum agnoscat, & emendationem promittat, vltra progrediendum non est, neque ad vindictam publicam, neque ad aliquam infamiam: potest tamen superior (quod satis conforme est decreto Clementis VIII. de casibus reseruatis §.7.ibi, *licet tamen superioribus, &c.*) secretam pœnitentiam pro ratione delicti imponere, vel ad satisfactionem, vel ad medicinam. ita ferè Soto dict. membr.2.quæst.4.concl.7. Nauar.in cap.inter verba concluſ.6. num.230. Ait etiam Soto iure posse subditum paternè castigare, aut flagellare non ad punitionem præteriti, sed ad terrorem in futurum: sed difficilè eli hæc duo separare, nec video cur non possit tanquam pater secretò castigare delictum, quia commissum est: quanuis verum sit finem huius castigationis præcipuum esse terrorem in futurum: potest autem etiam esse perfecta satisfactio pro præteritò. Rursus potest Prælatus occasiones peccandi subdito auferre, & ea ratione mutationem aliquam in occupatione vel habitatione, circa eum facere: ita tamen vt nullum scandalum vel infamia sequatur. Si tamen ad eum finem necessarium non sit, nulla ratione debet illum contristare, aut ab officio amouere, nec minus quam antea honorare. Vnde Calixtus Papa epist.2. cap. *ponderet.* d, 50. *Si aliquis* (inquit) *lapsus quocunq; modo fuerit, portemus eum & fraterno corripiamus affectu.* Et infrà. *Porrò sanctus Dauid de mortiferis criminibus egit pœnitentiam, & tamen in honore permansit*, & simila multa ex alia Patribus ad hanc rem sumi possunt ex Gratiano dicta dist. capitulis sequentibus.

XIII. *Primus processus quem tenebit Prælatus, cum subdito sibi paternè dato.*

Secundò si subditus post superioris correptionem, nec crimen agnoscat, nec emendationem promittat, & alioqui moraliter constet Prælato de delicto: saltem per fidem vnius testis oculati, omni exceptione maioris, potest illum grauiter reprehendere, etiam adhibitis duobus, vel tribus viris grauibus, si ad illum cõfundendum, & commouendum expedire censuerit. Potest etiam minas adhibere, quod explorabit eius vitam, quod de illo nihil

XIV. *Secundus processus.*

nihil confidet, & similia. Imò iuxta personæ qualitatem poterit aliquam religiosam correptionem, vel flagellationem, aut similem pœnitentiam iniungere, aut exequi, si ad timorem in futurũ incutiendum opportunum esse prudenter iudicauerit; quia ad hæc omnia sufficit illa probatio, & notitia, & ad illa extenditur munus paternum, etiam seclusa iurisdictione. Sicut pater naturalis potest in simili euentu castigare filium, si prudenter sibi persuadeat esse verum, quod sibi dictum est, etiamsi iuridica, & plena probatio non intercedat. Denique poterit etiam illi præcipere cum omni rigore, & si oportuerit sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, vt talem occasionem euitet, scilicet vt non eat in talem locum, vel talis personæ familiaritatem fugiat, &c. Quod præceptum potest imponere coram denuntiatore & testibus, vt si oportuerit, postea de illius transgressione constet: nam illud præceptum etiam est iustum, & satis conueniens medium ad impediendũ periculum subditi, qui tanto magis in illo versatur, quanto minus illud agnoscit, minusque voluntariè tollere vult. Hæc partim docuit Soto dict. quæst. 4. concl. 7. partim addidit Bannes 22. quæst. 33. art. 8. dub. 4. concl. 3. contra eundem Sotum, qui sine causa negat id quod diximus de paterna punitione. Veruntamen hæc omnia ex prudentia pendent, quia nulla lege humana vel prohibita, vel præscripta sunt, & ex se non excedunt potestatem dominatiuam patris: neque cedunt in infamiam notabilem subditi, cùm eius delictum non publicetur vltra limites correctionis fraternæ.

XV. *Tertius pro cessum.*

Tertiò si his non obstantibus subditus est pertinax, & admonitionem nullam admittit, & delictum nec notorium est, nec probabile in iudicio, nec vergit directè in damnum communitatis, non habet Prælatus amplius, quod faciat circa delinquentem; sed oret pro illo, vigilet & occasiones, quas potuerit, auferat sine scandalo, aut infamatione subditi: quia non potest, propter occultum delictum illum infamare, neque ad aliud genus inquisitionis debet procedere, vt dicemus cap. 12. vbi etiam à nu. 34. exponemus quid agendum sit, quando delictum est probabile, aut directè vergit in damnum communitatis.

CAPVT XI.

De tripli modo procedendi in externo iudicio contra delicta subditorum; ac primùm de visitatione, seu generali inquisitione.

I. *1. Suppositio tripliciu modi procedendi in iudicio.*

DIximus à cap. 7. de fraterna denuntiatione, sed priusquam in particulari declaremus necessarium non esse in Societate nostra vsurpari totam iudicialem formam in puniendis subditorum delictis, etiam vsque ad eiectionem, quod cap. 13. præstabimus, generalem doctrinam & frequentius in hac materia receptam præmittere necesse est per tria sequentia capita: nam inde melius intelligitur, an aliquid peculiare in hoc habeat Societas, & qua ratione nitatur. Primò ergo supponenda est communis illa distinctio de triplici modo, quo Prælati & iudices possunt procedere in exteriori iudicio ad cognoscenda vel punienda subditorum delicta, quę circa crimen hæresis attulimus disp. 20. de fide sect. 4. scilicet per viam accusationis iudicialis, denunciationis & inquisitionis, quæ in iure sæpè distinguuntur: vt patet cap. *qualiter, & quando*, 2. cum similibus, de accusationibus. & cap. *licet Heli.* de simonia. Inter quos tres modos potissima differentia posita est in inchoando iudicio, seu processu: nam in eius medio & fine multum conueniunt, quamuis nonnullæ differentiæ intercedant: vt videbimus. Est præterea supponendum, in his tribus procedendi modis aliquem ordinem & formam postulari ex iure positiuo Ecclesiastico, vel ciuili, quæ à secularibus iudicibus seruanda est: vt iustè, & interdum etiam validè procedant: præter hanc autem formam considerari posse solam illam, quæ ex iure naturali & gentium requiritur, & sufficit vt facti veritate sufficienter inspecta possit fieri humanum iudicium, sufficit, inquam, per se loquendo, seu vbi peculiare ius positiuum non obligauerit. Hæc ergo posterior forma in qua sine strepitu, & figura iudicij secularis, planè & simpliciter procedi potest ad iustitiam seruandam, explicanda à nobis est, quia in statu religioso tanquam magis conueniens, est consuetudine recepta, & per canones & Doctores approbata. ita significauit Innocentius III. in dict. cap. *qualiter & quando.* vbi explicato progressu iudiciali, concludit, *Hunc tamen ordinem circa regulares personas non credimus vsquequaque seruandum.* Et Bonifacius VIII. de hac re speciale priuilegium mendicantibus concessit, quod refertur in compendio mendicantium verb. *correctio fratrum*, & in lib. *Monumenta ordinis*, concessione 499. & in Compendio priuilegiorum Societatis verb. *correctio.* §. 1. adnotarunt etiam Caietanus 2. 2. quæst. 70. articul. 2. & cum eo Soto lib. 5. de iustitia, quæst. 7. artic. 2. in fine, & congruentias insinuant, quia in religionibus debet esse syncera & plana cognitio criminum, & quia ibi supplicia non sunt adeò acerba, eo quòd non sunt tam ad puniendum, quàm ad salutem animæ: item in fauorem regularis obseruantiæ: ac denique, quia per se credibile est procedere iudices cum maiori charitate, & puriore intentione, & testes etiam & alias personas, quæ interuenirent, esse fide dignas.

II. *Inquisitio seu visitatio generalis in religionibus.*

His positis, inquisitio in hoc differt ab aliis duabus, quod in ea iudex ipse incipit, & non alius eum prouocat, deferendo ad aures eius delictum, & postulando cognitionem eius, sed ipse incipit eam inquirendo, & ideo vocatur hæc via inquisitionis. Quæ dupliciter fit, scilicet in generali, vel in particulari. Inquisitio generalis fit in visitationibus religionum, quæ est per se iusta & necessaria ad boni regimen religionis, & cuiuscunque reipublicæ, vel communitatis benè institutæ: vt constat ex vsu Ecclesiæ, quia aliàs crescerent vitia cum libera facultate peccandi, quam multi acciperent: si superioris vigilantiam & correctionem non timerent. Et ideò Concilium Trid. sess. 25. c. 20. de regularibus, præcipit regularibus Prælatis exemptis vt monasteria sibi subdita visitent. & de monasterijs, quę sunt ordinum capita, etiam statuit, vt iuxta sanctæ Sedis Apostolicæ, & cuiusque ordinis constitutiones visitentur. Et in sess. 21. c. 8. de reformatione statuerat, vt Episcopi visitent commendata monasteria, in quibus non viget regularis obseruantia, quæ alijs monasterijs, quæ sunt capita eiusdem ordinis non sunt subiecta, & iure communi, ac per constitutiones omnium religionum huiusmodi visitationes commendatæ sunt.

III. *Inuestigatio, gaterna.*

Vnde constat non solùm licere, sed etiam ex debito, & obligatione officij ad eas teneri Prælatos religionum, quibus hæc cura demandata est. Vt sunt ordinariè in nostra Societate Prouinciales, extraordinariè verò Visitatores à Generali delegati, vt suo nomine & Prouincias & Prouinciales visitent, cùm ipse non possit, propter innumeras alias, & grauissimas occupationes, per seipsum Societatem visitare. Hoc enim respectu totius Societatis ad illius munus maximè spectat, cùm supremam *in Societate* potestatem habeat

habeat iurisdictionem in omnes : regulariter autem id non facit, quia, vt dicitur 8.p.constit.c.1.§ 7. *ad communicationem capitis cum suis membris confert plurimum, vt Generalis magna ex parte Romæ resideat, vbi cum aliis omnibus locis Societatis faciliori vtatur commercio.* nam propter magnam dependentiam huius religionis à suo capite regulariter necessarium est, vt firmam aliquam habitationem habeat, & propter specialem dependentiam ipsius à Sede Apostolica nullam potest habere magis commodam, quàm Romam. Nihilominus tamen prout occasio, & necessitas occurrerit, visitare poterit loca Societatis, prout ibidem dicitur in Declaratione lit. H. Additur verò statim lit. I. munus visitandi valde proprium esse officij Prouincialis.

Gradatio ad Generalem primario

Cur ordinarie in tota Societate non fiat per Generalem.

IV. Supposita ergo necessitate, & legitimo vsu harum visitationum; dicimus inquisitionem, quæ ex vi earum fit, quando alia specialis circumstantia non intercedit præter obligationem proprij muneris, solùm posse fieri in generali ex parte personarum. Tribus enim modis potest Prælatus inquirere de delictis. Primò in generali tam ex parte delictorum, quàm personarum, vt quando Prælatus visitans interrogat, an in communitate sint aliqua crimina, vel an leges & statuta seruentur, vel an scias aliquem commisisse aliquod crimen, &c. & hic modus inquisitionis est per se iustus, nullamque aliam circumstantiam prærequirit præter ius & actum visitandi; quia per illum modum interrogandi nulli fit iniuria, & est moraliter necessarius ad inchoandam visitationem : nam illa interrogatio non est propriè actus iudicialis, sed generalis gubernationis, & quasi præambulum quoddam ad iudicium, si necessarium fuerit. Secundò fit inquisitio per interrogationem specialem ex parte delicti, generalem verò ex parte personarum : vt si Prælatus interroget, an scias quempiam in hac domo habere proprium, vel noctu exisse, vel similia. Et hæc inquisitio conuenit cum præcedenti, quòd sine vlla præcedente infamia personæ alicuius fieri potest: quia cùm de nulla persona in particulari fiat interrogatio, nulli fit iniuria, etiamsi infamia non præcesserit: ideoque quantum ad presens attinet, vtrumque modum sub generali inquisitione comprehendimus, & vterque de se licitus est : & ita quotidie fit ab Inquisitoribus, Episcopis & alijs visitatoribus.

1. Modus inquisitionis eiusque iustitia.

2. Modus eruditi vsus huius.

V. Nihilominus tamen circa hunc secundum modum aduertit authores, non debere vsurpari, præsertim in religionibus, nisi speciale delictum, de quo interrogatur, præcesserit, vel de illo fit communis rumor, & suspicio, quamis de authore nec infamia nec notitia sit; quia vbi nullus rumor de delicto etiam præcessit, nonnulla iniuria videtur fieri communitati eo modo interrogando: quia eo ipso videtur generari suspicio aliquid huiusmodi in tali communitate factum esse. Quam quidem circumspectionem iustam esse censeo in visitationibus religionum, præsertim quando peccata, de quibus inquiritur, sunt grauia & indecentia religiosis : nam si sint ordinarij defectus, qui frequenter, & communiter committi solent, etiam à religiosis; vel si timetur mali periculum circa aliquem defectum in particulari, nullum est inconueniens de illo in particulari interrogare, etiamsi grauis sit : hac enim ratione Inquisitores, & Episcopi de multis delictis in particulari inquirunt. Denique licet Prælatus in hoc interdum bona intentione procedat, dummodo ad personas non descendat, non peccabit grauiter : quia illud detrimentum communitatis ferè nullum est, nam illa suspicio ferè nullum habet fundamentum, nec minuit probitatem communitatis.

Cautela circa hunc modum.

Admittitur cautela cum temperamento.

VI. Tertiò potest inquisitio fieri in particulari de tali persona, quæ etiam potest fieri in particulari de tali delicto, vt an Petrus furatus fuerit, vel in generali, an commiserit aliquod delictum graue. Et vterque modus comprehendi solet sub inquisitione particulari, de qua communis regula est non licere huiusmodi particularem inquisitionem, nisi de tali persona præcedat infamia proportionata delicto, de qua regula statim dicemus. Hic solùm aduerto, quando hæc inquisitio non fit occasione alicuius delicti publici ad vindicandum illud, vel tollendum scandalum, vel iniuriam; sed fit tantùm titulo visitationis ratione officij, & vsitatæ gubernationis, tunc considerandam esse personam, vel communitatem, ad quam directè ordinatur & instituitur visitatio. Nam si visitatio dirigitur ad totam communitatem, non licet de vno interrogare magis in particulari, quàm de alijs, nisi præcedente infamia proportionata interrogationi, id est, vel de tali vitio, si de illo fiat interrogatio, vel de vita eius in genere, quòd sit minus proba, vel religiosa, si de vita eius tantùm inquiritur; quia tunc locum habet regula posita, & omnia fundamenta eius infrà tradenda. At si visitatio instituatur in particulari de aliqua persona ratione specialis muneris, tunc licitum est in particulari de illa interrogare; sine vlla præuia infamia quomodo se gerat in suo munere, vel aliquid in ea notatum fuerit, non descendendo ad particularia. Ratio est, quia sicut in visitatione communitatis generalis interrogatio necessaria est, ad inchoandam visitationem, ita cùm visitatio per se instituatur de Prouincialibus, v. g. necessariò inchoanda est per particularem interrogationem quoad illius personam, generalem verò de moribus, aut officio. Item, quia tunc nulla generatur suspicio de tali persona; etiamsi de illa in particulari fiat interrogatio, iam enim constat illam non fieri propter specialem suspicionem, quæ de illa habetur; sed quia illa est proprium & speciale obiectum, vt sic dicam, talium visitationum. De particulari autem vitio eius interrogari non poterit, nisi præcedat infamia propter rationem contrariam.

3. Inquisitionis modus quousque licet.

Atque hinc sequitur, in huiusmodi visitationibus non teneri subditum interrogatum etiam sub iuramento ad manifestandum eum, quem deliquisse nouit quando adeò occulta est persona, vt nulla infamia laboret. In quo conueniunt omnes Doctores infra citandi. Et ratio est, quia iudex non potest de tali persona iuridicè interrogare : ergo neque alter tenetur respondere illam personam manifestando. Vnde licet Prælatus absolutè interroget, semper subintelligitur, an subditi sciant delictum de aliquo qui de tali delicto infamatus sit. ita ferè Diuus Thomas 2.2. quæst.33.art. 7.ad 5. & ibi Caietanus, Soto, & alij infrà referendi. Dices, ergo peccat Prælatus simpliciter interrogando, quia præbet occasionem his qui sunt minus prudentes reuelandi peccata secreta & infamandi? Respondetur; ita fatetur Nauar.corollar.47.num.179.dict.cap. *Inter verba*, dicens illum modum interrogationis esse contra ius, in cap. *qualiter & quando*, de accusationibus. Vbi Innocentius III. proponit formam seruandam in huiusmodi visitationibus generalibus; *vt iurent subditi, quod super his, vel sciunt, vel credunt esse in sua Ecclesia reformandum tam in capite, quàm in membris, exceptis occultis criminibus, meram & plenam dicant inquisitori veritatem.* Hoc ergo videtur profectò obseruandum à visitatoribus, quando à subditis exigunt vt statim respondeant, & aliàs non sunt satis instructi & prudentes, vt sciant de quibus possint licitè aut debeant respondere. Si autem non coarctet, vt statim respondeant, non oberit generalis interrogatio, vt frequenter fieri solet in delictis generalibus : qui locus

VII. *Non reuelandum turpia in visitationibus ordinarijs quod occultum est.*

conceditur, vt etiam ignorantes possint consulere alios doctiores, vt prudenter respondeant. Similiter, quando subditus est sufficienter discretus, potest absolutè interrogare, etiamsi statim debeat respondere, & ita in simili annotauit idem Nauar. corol. 67. n. 434. & 435.

VIII. *1. Obiectio contra proxime dicta*

Sed obiici potest, quia subditus potest licitè denunciare Prælato tale crimen etiamsi non præcesserit infamia, iuxta dicta in c. 8. ergo Prælatus in generali visitatione potest ei præcipere, vt manifestet quemcunque nouerit deliquisse, quantumuis occultus & sine infamia sit. Respondetur negando anteeedens intellectum de denuntiatione iudiciali, quæ per hanc generalem visitationem intenditur; in illo autem cap. loquuti sumus de paterna, secreta, ac priuata denuntiatione facta soli prælato. Quapropter oportet attendere non eas confundere, neque ab vna ad aliam transitum inordinatum facere. Vnde si Prælatus idem depositio visitatoris iudicialis munere (vt sic dicam) postulet vel præcipiat sibi vt patri, & in ordine tantùm ad emendationem secretam denunciari ea, quæ ad bonum communitatis, vel cuiuscunque particularis personæ opportuna fuerint, debet inprimis subditus cõsiderare an sit Prælatus ordinarius, ad quem vtrũque munus pertinet, vel sit tantùm delegatus ad inquirendum vel visitandum in tali causa in ordine ad punitionem delicti. Nam in hoc posteriori casu non debet parere: quia in tali persona non habet locum illa duplex consideratio, secus verò si esset delegatus cum plena commissione & superioritate: tunc enim ordinariis Prælatis quoad hoc æquiparatur. Vlteriùs verò debet sibi persuadere subditus Prelatum verè, & ex animo ita interrogare, & non vt ea notitia vtatur ad visitationem iudicam, quam principaliter intendit: nam si de hoc non sit moraliter certus, non debet personam manifestare: supposita autem morali fide de recta intentione Prelati, potest, & debet illi obedire, quando iuxta dicta in citato c. 8. per talem manifestationem maius bonum fratris vel communitatis reuera intenditur.

IX. *2. Obiectio bipartita. Pars prior.*

Dicet vlteriùs aliquis, esto non possit quis iuridicè denunciare delictum fratris, quando non præcesit infamia regulariter loquendo, tamen in duobus casibus potest. Primus est quando delictum vergit in damnum communitatis, & facilè potest alios inficere: ob hanc enim causam in peccato hæresis tenetur quis denunciare hæreticum, etiamsi infamatus non sit: & idem est de quolibet alio delicto, quod vergat in damnum communitatis, vel alterius tertij: vt sumitur ex Diuo Thom. 2. 2. quæst. 33. art. 7. & Doctores communiter in 4. d. 19. & Soto dicta q. 4. conclus. 2. Adrianus in 4. materia de Correct. fraterna, & quodlib. 11. ad 4. difficultatem, & Canonistæ communiter in cap. *nouit*, de iudiciis, & Nauar. dict. cap. *inter verb.* sed grauis lapsus in religioso regulariter, & quasi ex intrinseca conditione talis status, vergit in commune damnum religionis, vel saltem aliorum religiosorum, vt suprà cap. 9. numero 13. dicebamus: ergo hoc satis est, vt subditus teneatur respondere Prælato generaliter interroganti manifestando personam, etiamsi infamia non laboret. Alter casus est, quando subditus secretò monuit delinquentem, & non potuit illum emendare: tunc enim benè potest licitè iuridicè denunciare Prælato talem personam absque alia infamia: quia iura citata ad hanc denũtiationem non requirunt infamiam, sed solam præuiam monitionem: ergo in eo casu tenebitur subditus manifestare talem personam Prælato generaliter interroganti.

Pars posterior.

X. *Satisfit priori parti.*

Respondetur ad priorem partem, non omnia peccata religiosorum censenda esse ita vergere in commune damnum, vt ea ratione liceat illud statim iuridicè denunciare: multa enim sunt peccata priuata & occulta, quæ nec ratione obiecti, nec ratione scandali vergunt in aliorum damnum. Et quanuis verum sit in religiosis esse maius periculi infectionis, vel scandali, aut infamiæ, propter peculiarem status cõditionem: hoc tamen non satis est, vt peccatum statim iuridicè denuncietur, quanuis sufficiat vt intra latitudinem correctionis fraternæ efficacissimum remedium procuretur. Dico autem id non esse satis in ea præcisè generalitate spectatum: nam si in indiuiduo sit periculum instans & vrgens contra tertiam personam, vel in religionis infamiam & scandalum, & denuntiatio paterna aut non credatur sufficiens, aut sit periculum in mora, tunc denunciari statim potest Prælato vt iudici, modo infrà declarando.

In eo autem casu, & in secundo suprà posito, addendum est, aliud esse respondere Prælato interroganti tantùm per viam inquisitionis: aliud verò esse obedire illi præcipienti mihi, vt denũciem quidquid ita scio, vt vel alias debeam, vel saltem possim licitè denunciare. Hic loquimur tantùm de priori modo, in quo subditus reuelando delictum alicuius personæ in particulari magis subit officium testis, quàm denuntiantis, & ideo non potest reuelare eum, qui non laborat infamia, vt statim probabitur. At verò si Prælatus non ita interroget, sed absolutè præcipiat subdito vt sibi denuntiet quidquid debet, vel potest licitè, tunc supposita capacitate ex parte materiæ præceptum obligabit, quia iustum est, cùm sit de re honesta, & quæ potest esse vel necessaria, vel valde vtilis ad commune bonũ. Et quidem si præceptum sit solum de denuntiatione aliàs debita ex lege charitatis, vel regulæ, erit valde rationabile: quia & supponit grauem necessitatem talis denuntiationis, & ordinatur etiam ad exonerandam eiusdem subditi conscientiam: si autem sub præcepto imponatur omnis denuntiatio, quæ aliàs licitè posset neri, valde rigorosum est, & meo consilio non deberet imponi, quia exponetur subditus alicui periculo, & sæpiùs scrupulis, & difficultatibus implicabitur: tamen si de facto imponatur, timendum est etiam quoad omnem denuntiationem, quæ manifestam iniustitiam non contineat.

XI. *Satisfit obiectis.*

CAPVT XII.

De modo procedendi per viam specialis inquisitionis, aut iudicialis denuntiationis, aut accusationis.

I. *1. Assertio, qua probatur modus inquirendi.*

ALius ergo modus inquirendi Prælatorum, quẽ in 1. parte tituli proponimus, est interrogando in particulari de tali persona, an fecerit talevel tale delictum? Et in hoc processu dicendum primo (estque regula generalis pertinens ad obligationem ipsius Prælati etiam regularis) non posse Prælatum ita inquirere, nisi suppositа infamia talis personæ. ita D. Thom. dict. art. 7. ad vlt. Caietan. ibi, & Soto dict. quæst. 4. & ibi Corduba in Additionibus. Diuus Antonin. 3. p. tit. 6. cap. 7. §. 8. Summistæ omnes verb, *Inquisitio*. Angelus num. 2. Armilla numer. 11. Sylvest. *Inquisitio* 1. quæst. 3. & *Inquisitio* 2. quæstione 1. Doctores Canonistæ communiter in cap. *qualiter* 2. de accusationibus, & in cap. *licet Heli*, de simonia, Panorm. in cap. *olim*, de accusationibus n. 4. Nauar. in cap. *inter verba*, corol. 63. per totum, & specialiter num. 293. Nauarra lib. 2. de restitutione c. 4. n. 174. Vmbertus super regulam D. Augustì. Habeturq; hæc regula in iure in dict. c. *qualiter*, & cap. *cum oporteat*, & cap. *inquisitionis*, de accusationibus, vbi determi-

certitur non posse iudices procedere ad inquisitionem particularem, nisi præcedat infamia.

II. *Effugium.* Dices: illud procedere in iudicio seculari, non verò in regulari, nam idem Innocentius III. in eodem cap. *qualiter*, in fine dicit non esse necessarium seruare ordinem ibi propositum cum personis regularibus. Sed contra hoc est, primò quia in dicto cap. *licet Heli*, de correctione regulari tractabatur, & tamen Pontifex ait necessariam esse clamorosam insinuationem, id est infamiam. Deinde, quia, vt Doctores exponunt, quod Innocentius III. ait de processu circa regulares, intelligitur quoad solennitates accidentales iudicij, non quoad substantialia, quæ ad veritatem & iustitiam seruandam necessaria sunt, vt ibi notant Panormit. num. 10. & Felin. num. 16. At verò quod ad inquisitionem particularem præcedat infamia, est de substantialibus iudicij, quod per talem modum inchoatur, & magis ex natura rei necessarium, ne innocentes infamentur, quàm ex iure positiuo; & ideo iura citata indifferenter de omni iudicio loquuntur, & ita intelligenda sunt.

III. *Effugium alterum.* Dices rursum, esto hoc sit verum in alijs religionibus, tamen in Societate non videtur habere locum, eo quòd censeantur in ingressu renunciare iuri suo quoad famam, vt superius in cap. 7. num. 18. in 2. modo defendendi regulam visum est. Respondetur non habere quidem locum in Societate, quoad fraternam correctionem propter dictam saltem renuntiationem iuris; habere tamen quoad iudicialem. Nam in §. 8. cap. 4. examinis, vnde maximè illa renuntiatio elici potest, dicitur, *Ad maiorem in Spiritu profectum*, qui est finis correctionis fraternæ: non ergo renunciatur in ordine ad punitionem, qui est finis inquisitionis iudicialis. Et ideo neque in Societatis, neque alicuius religionis regula hoc permittitur Prælatis: neque habent aliquod priuilegium, quod eos eximat ab obligatione seruandi hunc ordinem in iudicio, vt prædicti authores, præsertim Antoninus, Syluester, & Armilla aduertunt. Dicet in canone 10. Congregationis 6. cùm in §. 4. ageretur de denuntiatione secreta, ac facienda Prælato vt patri, statim subditur in §. 5. si credatur non perfecturam correctionem paternam, teneri delatorem denuntiare iuridicè ergo renuntiatur iuri famæ in Societate etiam in ordine ad iudicialem correctionem, probatur consequentia, quoniam circa talem renunciationem iniuria fieret delinquenti, cuius secretum delictum in iudicio propalaretur. Respondetur falsum esse iniuriam fieri reo qui corrigi priuatum non vult, si iuridicè deferatur, quia sibi imputare debet iuridicam manifestationem sui delicti. Supponit autem ad citatum decretum concurrere debere omnia quæ licitam faciant iuridicam delationem.

IV. *1 Exceptio à superiori asserente seu regulæ explicatur.* Ab hac verò generali regula excipi solent nonnulli casus. Primus est, si delictum vergat in cõmune damnum Reipubl. vt maximè esse solet peccatum hæresis, de quo hic non loquimur, quia illud Inquisitoribus statim denunciandum est. De qua exceptione videri potest Simancas de Catholicis institut. titul. 19. vbi & alios authores, & optimas sententias Patrum refert; videri etiam possunt quæ diximus tractatu 1. de fide disp. 20. sect. 4. & in tractatu de charitate disp. 8. sect. 6. à num. 3. In præsenti autem censendum erit delictum contra commune bonum religionis, quando vel directè cõtinet machinationem alicuius grauis nocumenti contra religionem, vel periculum imminet alicuius grauis infamiæ, aut scandali religionis. Sed obiiciet aliquis, quia hæc exceptio magis spectat ad viam denunciationis, vel inquisitionis generalis, quàm particularis. In denuntiatione enim, vt suprà c. 8. n. 14. insinuauimus, non requiritur præcedens infamia, sed monitio: hæc autem in huiusmodi delictis omitti potest, vel etiam debet. In inquisitione autem generali ex parte iudicis non fit exceptio; tamen ex parte eorũ, qui interrogantur, fit exceptio, vt teneantur particulares personas aperire, etiamsi infamatæ non sint in huiusmodi delictis. At verò in particulari inquisitione non videtur habere locum illa exceptio, quomodo enim potest in particulari interrogare de persona, quam omnino ignorat commisisse tale delictum solùm propter delicti qualitatem? aliàs posset Prælatus visitans, de quacunque persona particulari suo arbitrio inquirere an machinetur aliquid contra religionem, vel aliquid simile, quod absurdum planè est, & scandalosum: ergo qualitas delicti non satis est, vt Prælatus ex officio procedens per viam inquisitionis interroget de particulari persona determinatè. Respondeo necessarium sine dubio esse vt aliquid præcedat, quod Prælatum moraliter inducat ad huiusmodi interrogationem. Differentia ergo solùm esse potest, quòd in his delictis aliquid sufficere potest sine infamia ad interrogandum in particulari, quod in aliis non sufficit. Quid autem illud sit, & an pertineat ad solum propressum per viam inquisitionis particularis, vel participet aliquid de aliis viis seu modis procedendi, statim explicabitur à n. 7.

Obiectio cõtra proxim. dicta.

Responsio.

V. *Secunda quorumdã exceptio sim plicitèr refellitur per dilemma.* Secundò excipi solent vitia nimis grauia, & atrocia, vt propter eorum qualitatem possit de illis in particulari inquiri absque præcedente infamia, ita significat Angles quæst. de correctione fraterna articul. 3. conclus. 1. in fin. & refert esse opinionem communem in dicto cap. *qualiter, & quando.* Adhibetque exemplum in peccato nefando, de quo dicit posse inquiri in speciali sine infamia, quia est contagiosum, & atrocissimum, quodque moraliter non præbet spem correctionis. idem dicunt aliqui de peccato blasphemiæ, ob easdem rationes. Idem de sacrilegio fornicationis in persona religiosa. Veruntamen hæc exceptio habet eandem difficultatem, quam præcedens. Et deinde eò modo quo præcedens declarata non debet, nec potest admitti tanquam distincta à præcedenti. Aut enim sunt atrocia delicta, quia bono communi nocent, vel directè & ex obiecto, vt proditio, seditio, assassinium, vel indirectè & per redundantiam, vt peccatum graue cum graui scandalo, aut cum graui infamia communitatis. Et si peccatum dicatur atrox, propter huiusmodi circumstantias continetur sub priori exceptione, & habet idem fundamentum, scilicet quia illa non tantum est punitio criminis, sed multo magis defensio boni communis, cuius maior ratio habenda est, quàm famæ delinquentis. Quo argumento inducor ad extendendum hanc exceptionem ad peccata, quæ vergunt in aliquod graue damnum alicuius innocentis, cui alia via subueniri non potest, quia tunc etiam defensio innocentis præferenda est famæ hominis iniqui. Ac denique idem erit quotiescunque sufficiens ratio intercedit ad contemnendam famam proximi propter aliud maius bonum, quod sæpè licere constat ex communi doctrina cum D. Thom. 2. 2. quæst. 73. art. 2.

At verò si peccatum nullo modo redundet in damnum aliorum, sola grauitas eius non sufficit, vt de illo in particulari inquiratur, si non præcesserit infamia, vt satis graue erat peccatum filiorum Iacob. & tamen Diuus Thom. 2. 2. quæst. 33. artic. 7. ad 2. existimat præcessisse infamiam, & fuisse publicum, & aliàs non potuisse denunciari, scilicet patri, vt iudici, & Innocentius III. in cap. *qualiter & quando*, 2. de accusat. adducit in exemplum illud Genes. 18.

Descendam & videbo vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint. Vbi per clamorem intelligit significatam infamiam, & tamen agebatur de atrocissimo delicto Sodomorum. Ratio verò est, quia atrocitas delicti, non dat licentiam infamandi proximum, si aliàs occultum sit, nec minora incommoda & absurda inde sequi possent in Republ. Item quia illa inquisitio tunc solùm ordinatur ad punitionem, & propter hunc finem non licet infamare proximum de illo inquirendo; debet ergo supponi infamia. Vnde quoad hoc parum refert, quod sic peccans credatur incorrigibilis, cùm hęc inquisitio nõ ordinetur ad correctionem, sed ad punitionem. Verum est quidem esse quædam delicta natura sua adeò occulta, quæ vix possunt corrigi, aut puniri, si expectanda esset infamia, vt est peccatum nefandum, in quibus aliquid dispensari potest, vt sic dicam; semper tamen necessaria est aliqualis infamia, vel aliquid quod eius vicem suppleat, nimirum nocumentum communitatis, aut alicuius innocentis, vt explicatum est numero præcedenti.

VII. Tertiò excipiuntur crimina publica, seu notoria.

3. *Exceptio.* hæc potest fundari in cap. *licet Heli*, de simonia, vbi dicitur, *contra quos (vt de notoriis excessibus taceatur) tribus modis procedi potest, &c.* vbi gloss. & Doctores notant excipi notoria, quia in illis necessarium non est, aliquem ordinem ex dictis tribus seruare, cap. *ad nostram* 3. de iureiuran. & ita significat Nauarr. corollar. 48. numero 181. & 184. sed non est exceptio necessaria, vel quia solùm delictum est publicum, & non delinquens, vel vtrumque: in priori casu potest Prælatus incipere inquirendo, vt est communior doctrina, licet pauci contradicant, vt Cãietan. 2. 2. quæst. 69. art. 2. Soto 5. de iustit. quæstione 6. art. 2. & dict. Relict. Prædictam verò sententiam tenent plures alii statim citandi, & videri potest Nauar. in dict. cap. *inter verba*, concl. 6. corol. 56. numero 213. & Petr. Nauarra lib. 2. de restitutione capite 4. & sequentibus; Corduba in Summâ Hispanâ, cap. 64. Et quanuis de modo inquirendi, quem iudex in eo casu seruare debet, sit controuersia inter authores: mihi tamen ea sententia omnino probanda videtur, quæ negat posse Prælatum inquirere de aliqua persona particulari, de qua infamia talis delicti commissi non præcesserit. Quod tenet Sylvest. verb. *Correctio* §. 8. Armilla verb. *Accusatio*. §. 28. Caieta 2. 2. quęstione 69. art. 2. Soto & Corduba dict. Relect. membr. 2. quæst. 6. concl. 1. dub. 4. Plures iuris periti, quos refert & sequitur Nauar. corol. 50. & apertè colligitur ex iuribus suprà citatis, quæ docent de occultis delictis non esse interrogandum nisi præcedat infamia, & expresè habetur in legibus Hispaniæ l. 3. tit. 17. partit. 3.

VIII. Sed obiicit Soto suprà, nam licet interrogatio fiat in genere ex parte personarum, vel interrrogatus tenetur manifestare personam in particulari, & hoc intendit iudex, quanuis persona sit occulta: atque hoc iniustum est, vel solùm intendit scire delinquentem in communi; & hoc inutile est. Respondetur sensum interrogationis esse an sciat testis, quis cõmiserit delictum, ita vt illum iustè manifestare possit, & in eo sensu non est inutilis inquisitio, quia licet persona sit occulta, fieri potest vt sit de illa aliquis rumor sufficiens vt possit manifestari, & quod hoc ipsum Prælatus ignoret. Neque etiam est iniusta interrogatio, quia nulli personæ fit iniuria, & interrogatur de eo, quod publicum est. Solùm cauendum est quod suprà capit. præcedent. num. 7. diximus, ne subditus sic interrogatus exponatur periculo imprudenter reuelandi personam occultam, ignoranter existimans se posse, aut debere, ideoque melius faceret Prælatus interrogando distinctè de infamia, an scilicet nouerint esse rumorem, vel murmur contra aliquem de tali delicto, aut nonnulla grauia indicia, quæ generent alicuius suspicionem, iuxta ea quæ statim dicemur in nu. 11. Sic ergo loquendo de publico delicto, illa non est exceptio, quia reuera talis inquisitio particularis non est, sed generalis, vt supra dixi cap. præced. numer. 4.

Obiectio Soti contra dictam partẽ.

Si autem delictum non solùm est publicum, sed etiam delinquens, tunc procedit quod iura dicunt, contra illum posse iudicem progredi non seruato ordine iuris: illa verò non est exceptio, quia præcedit plusquam infamia, scil. publica notitia personæ, & in hoc conueniunt omnes in cap. *euidentia*, de accusationibus & videri potest Nauar. suprà corol. 48. numero 184. & 185. statim verò occurrebat tractandum, quando dicatur publicum delictum. Dupliciter enim dicitur apud Doctores delictum notorium. Primò notorietate iuris, & de hoc non est sermo in præsenti, quia agimus de delicto publico ante officium iudicis: notorietas autem iuris sequitur post officium iudicis per sententiam eius, vel per confessionem rei, aut per sufficientem probationem testium, iuxta cap. vlt. de cohabit. cleric. & mulier. iuncto cap. *cum olim*, de verborum significatione. Alio ergo modo dicitur notorium notorietate facti; & definitur in eisdem iuribus esse illud, quod per euidentiam rei ita notum est, vt nulla tergiuersatione possit celari: de quo dicitur in cap. *euidentia*, de accusationibus. *Euidentia patrati sceleris non indiget clamore accusatoris.* & 2. quæst. 1. cap. 17. dicitur, *De manifesta & nota pluribus causa non sunt quærenda testes, &c.* & infrà, *Neq; testibus opus erat, neq; tergiuersatione poterat tegi crimen.*

Publicum dupliciter.

Quia verò in hoc textu dicitur nota pluribus, est communis dubitatio, quot esse oporteat illos, quibus notum sit crimen. Sed, vt 4. tom. 3. p. disp. 30. sect. 2. dixi, sentitque Soto in 4. d. 12. quæst. 1. art. 6. non potest hoc reuocari ad certum numerum personarum: quia in vno loco minori potest etiam minor numerus sufficere, quàm in alio; prudenti ergo arbitrio hoc æstimandum est, vt etiam attigi lib. 6. cap. 10. num. 20. sufficietque vt coram maiori parte viciniæ delictum patratum sit, & in vniuersum si decem personæ illud viderunt, moraliter dici potest notorium; quia illud moraliter non potest celari. Et quamuis propriè dicatur notorium, seu publicum, quando multi viderunt, & euidenter cognouerunt personam committentem delictum, tamen in præsenti satis erit si aliqui viderint à quibus per publicam famam diuulgatum sit: ita vt per moralem certitudinem pluribus nota sint: & delictum, & persona delinquens, & quòd aliqui illam viderint committentem delictum.

X. *Primi quęsiti resolutio.*

XI. *Exceptio.*

Quartò excipi solet casus, in quo præcedunt sufficientia indicia personæ delinquentis, nam illa censentur sufficiens ad inquirendum in particulari de illo, etiamsi infamia non præcesserit. ita sentit Caiet. 2. 2. quæst. 69. art. 2. & Soto dict. Relect. memb. 2. quæstione 6. dubio 3. Ratio est, quia manifesta indicia æquipollent infamiæ. Vnde S. Thom. dict. quæstione 69. artic. 2. ait reum iuridicè interrogari si testis, infamia, aut manifesta indicia præcesserunt. Hanc autem sententiam improbat Nauar. suprà corol. 48. numero 182. Primò, quia illa exceptio nullo iure, vel sufficiente ratione fundatur; iura enim absolutè requirunt infamiam ad procedendum via inquisitionis, & nunquam dicunt indicia æquipollere infamiæ. Nec ratio id suadet, quia quantumuis indicia fiat manifesta, possunt esse occulta, & pauca nota; ergo adhuc crimen erit occultum: ergo non est cur illa indicia æquiparentur infamiæ, nec cur possit inquiri de tali crimine, cùm non sit extra latitudinem occulti.

Secun-

Secundò indicia quantumuis manifesta, non faciunt plenam probationem in iudicio, neque æquiualent duobus testibus: sed duo testes etiam oculares, & iurati, non satis sunt ad inquirendum de delicto, vt dicitur in cap. *inquisitionis*, §. 1. de accusationibus. quod Panormit. intelligit, etiamsi contingat deponere de tali delicto in iudicio, in quo non de veritate delicti, sed de sola infamia interrogabatur: ergo multo minus possunt sufficere indicia sola ad inquirendum. Nec D. Thom. de processu per viam inquisitionis loquutus est, sed de iuridica interrogatione rei, de qua est longè diuersa ratio. Nam reus legitimè interrogatur quoties post accusationem, vel denunciationem semiplena probatio præcessit: faciunt autem semiplenam probationem illa tria, vnus testis, infamia, vel vehementia indicia, & quoad hoc tantùm à Diuo Thom. æquiparantur. Dices, si infamia non facit maiorem probationem, quàm indicia, cur indicia non sufficient ad inquirendum, sicut infamia. Respondeo idem posse interrogari de vno teste, vel multo magis de duobus. Dico ergo infamiæ proprium esse, vt & testis, & accusatoris vicem subeat: nam quatenus veritatem rei aliquo modo ostendit, habet vicem testis, & in hoc conuenit cum iudicijs: quatenus verò infert publicum scandalum, & quasi clamorem petentem iudicium, habet vim denuntiationis: & in hoc superat indicia, & vnum, imò & duos testes.

XII. *Iudicium authoris in proximo diffidio.*

Ex quo infero posse fortasse illas sententias in cõcordiam redigi, si distinguamus inter indicia occulta, & publica. Nauarri enim sententia fine dubio est vera, quando indicia, etiamsi sint sufficientia ad vehementem suspicionem efficiendam, paucis tamen nota sunt: tunc enim licet in notitiam iudicis deueniant, non potest de persona in particulari inquirere, & hoc probant euidenter fundamenta adducta pro opinione Nauarri. At verò si indicia sint publica simul cum ipso delicto, sufficientia erunt ad inquirendum, & possent hoc modo exponi Caiet. & Soto, si quidem vocant illa indicia *manifesta*. Verum est in hac voce posse esse æquiuocationem, possunt enim indicia vocari *manifesta*, vel quia manifestè & satis clarè ostendunt delictum, quo sensu loquutus est D. Thom. loco citato, & clarius illa vocauit indicia expressa, quanuis Caietanus vocem postea mutauerit. Alio ergo modo possunt dici manifesta, quia ipsamet omnibus nota sunt, & sic de illis dicimus sufficere ad inchoandam viam inquisitionis. Veruntamen in hoc sensu non est hæc propria exceptio à regula proposita. Nam si illa indicia sufficiunt, ex eo est, quia generant publicam infamiam de tali persona. quod pertinet ad aliam dubitationem, quæ scilicet infamia satis sit ad huiusmodi inquisitionem, de qua inferius dicemus.

XIII. *Vera quadtuor exceptio õ surgens ex 4. præcedentib.*

Vnum etiam occurrit addendum circa has quatuor exceptiones, quanuis singulæ per se non sufficiant ad aliquam propriam exceptionem faciendam; nihilominus ex omnibus simul sumptis posse admitti aliquem casum, in quo possit de aliqua persona in particulari inquiri, etiamsi sufficiens infamia de illa non procedat, nimirum si delictum sit publicum & enorme, & iudici constet esse sufficientia indicia de aliqua persona, & aliunde iudicet moraliter esse necessarium ad bonum commune auctorem delicti cognoscere, vel ad præueniendum aliquod malum, quod in futurum timetur, vel quia delictum pendet in futurum, & vergit in damnum aliorum, vel alicuius innocentis, vel talis conditionis est, vt nisi de illo inquiratur cum similib. indicijs, publici vindicari non possit & ideò serpat, seu frequenter fiat, quando enim hæc omnia concurrunt; (quod non rarò accidere potest) ratio boni communis obligat vt eius cura & prouidentia habeatur, contempta particulari fama vnius personæ, tunc enim delictum publicum prouocat sufficienter iudicem ad inquirendum generaliter, indicia verò quantum est de se, determinant ad talem personam: grauitas autem delicti, & necessitas boni communis faciunt, vt in tali delicto indicia habeant sufficientem rationem accusatoris; quia naturale præceptum obligans ad non obscurandam aliquo modo famam proximi non est de re adeò intrinsecè mala, quin ex iusta causa desinat interdum obligare; vel solùm obligat, quando sine debito fine & circumstantijs fit; vt docet Diuus Thomas 2.2. quæstione 73. & per se facilè constat: siqua autem ratio iusta esse potest ad faciendum aliquid non obstante fama proximi est necessitas boni communis: ergo propter illam censeri potest illa sufficiens prouocatio iudicis ad inquirendum in particulari, non obstante fama proximi. Et tunc subditus interrogatus tenebitur reuelare personam etiamsi infamia non laboret, quia iustè interrogatur, & non habet rationabilem causam se excusandi, neque probabilem sensum in quo possit fugere mendacium, si veritatem cognitam neget. Mendacium autem illud perniciosum est, vtpote contra bonum commune, & contra obedientiam debitam Prælato in re graui. Et præterea erit periurium, imò etiam tenebitur reuelare, quãuis non possit probare delictum, quia tunc ille non interrogatur vt accusator, sed vt testis, qui tenetur verum testimonium dicere, quanuis aliter probare illud non possit, nisi sua fide & iuramento.

XIV.

Neque hæc exceptio est contra iura superiùs citata, quæ requirunt infamiam ad specialem inquisitionem: tum quia illa expressè excipiunt publica delicta, dict. cap. *licet Heli*, & cap. *ad nostram*, 3. de iureiur. quę licet potissimum intelligantur de criminibus notorijs quoad factum & personam, tamen extendi possunt ad omnia publica, in quib. sufficiens ratio boni communis intercedit, & aliàs persona non est omnino occulta, quia saltem sunt de illa indicia probabilia: tum etiam, quia regula generalis non excludit specialem exceptionem in casu raro & ad bonum commune pertinente. Præsertim, quia illa non tam videntur condere ius nouum, quàm explicare naturale, vt in eisdem decretis indicatur. Et ideò vbi ratio naturalis ostendit cessare regulam illam, quia cessat iniuria proximi, non procedunt illa iura. & hanc sententiam præter auctores citatos indicat Palud. in 4. d. 15. q. vltim. Armilla verb. *Accusatio*. §. 28. & alij quos refert Petrus Nauarra suprà, & faciunt ea, quæ tractat Nauar. suprà 50. corol. n. 187. 188. & 189. Aragon. 2.2. q. 69. art. 2. & Soto dicta q. 6 circa fin. 3. concl.

XV. *Exceptio excluditur per dilema.*

Quinta exceptio additur ab aliquibus nisi iudex procedat ad inquisitionem ad instantiam alicuius: quia tũc sufficienter prouocatur iudex ad interrogandum de tali persona, significat Syluest. *Inquisitio* 2. dicto 8. sed hæc exceptio admittenda non est: nam ille qui iudicem prouocat, vel vult subire vicem accusatoris, ac denunciatoris, vel non; sed tantùm defert crimen ad aures Prælati; vt ipse suo munere fungatur & inquirat. In hoc posteriori casu nullo modo licet iudici procedere ad inquisitionem specialem de tali persona, si non præcessit infamia, quia est expressè contra iura citata: quæ negant sufficere vnius vel duorum testimonium ad inquirendum hoc modo. Quin potiùs, si delictum ipsum aliàs publicum non est, aut famosum: tũc nec generaliter quoad personas, & specialiter quoad tale delictum debet iudex inquirere

Posterius membrum dilematis expenditur.

seu

se interrogare, nisi iuxta modum inquisitionis generalis, superius declaratum; quia vnius vel alterius personæ clamor per se non est sufficiens ratio inquirendi. Vnde in legibus Hispaniæ lib.8.nouæ recopilationis tit.1. lib.6. ordinatur, vt in eo casu iudex non audiat denuntiantem, nisi ipse ad probationem se offerat: excipit tamen, nisi delictum noctu aut loco deserto factum esse dicatur, tunc enim commendatur iudici vt veritatem inquirat, non quidem incipiendo ab speciali inquisitione, sed prius inquirendo an tale delictum verè factum fuerit. Deinde à quo factum fuerit tale delictum, & postea si aliquem laborare infamia intellexerit, poterit de illo particulariter interrogare.

XVI. *Expenditur primum membr.*

Si autem persona illa, quæ manifestat Prælato alium delinquentem, velit sustinere munus accusatoris, & denunciantis, tunc procedere quidem potest iudex ad interrogandum in particulari de tali persona; sed tunc iam non procedit via inquisitionis, sed via denunciationis, vel accusationis, de qua nunc non agimus, & ita illa non est exceptio à proposita regula. Solet autem interdum, quando persona, quæ rem manifestat iudici, aut Prælato, non vult sustinere munus denunciatoris, nec se offerre ad probandum, si potest esse testis sufficiens, & omni exceptione maior ad faciendam semiplenam probationem solet, inquam, creari à iudice fiscalis qui causam promoueat, & munus accusatoris suscipiat, & priorem denuntiatorem vt testem præsentet, vt ita fiat semiplena probatio, & possit procedi ad interrogationem rei, & aliorum testiū: tunc autem iam relinquitur via inquisitionis, & fit transitus ad aliam accusationis. Hoc tamen non fit in omnibus criminibus, sed in his, quæ contra commune bonum, aut contra religionem, aut fidem vergunt, ex quo capite posset hæc exceptio, si aliquo modo admittenda est, ad superiùs positam reuocari.

Quo casu fiscalis adhibeatur, vt denuntiatus fiat testis.

XVII. *6 Exceptio quorundam Doctorum.*

Vltimò excipiunt omnes, vt videre licet in Soto, Nauarro; & alijs citatis suprà, & apud Sancium lib. 3. de matrim. disputat. 13. & 14. casus illos in quibus non fit inquisitio ad punitionem inquisiti, sed ad alios fines iustos, ad quos est necessaria cognitio talis personæ, & qualitatum eius: vt cum inquiritur de impedimento matrimonij inter Petrū, & Mariam, vel de causa eius, etiamsi peccaminosa sit, vel cum inquiritur de irregularitate, aut inhabilitate ad beneficium, vel ad suffragium ferendum, vel cum inquiruntur merita alicuius ad officium, vel ministerium, &c. in his enim casibus habet Prælatus ius interrogandi de tali persona: quia non potest aliter conuenienter exercere munus suum, quod necessarium est ad commune bonum, quia plerumq; ipsemet, de quo fit inquisitio, voluntariè se immiscet tali negotio, & vult aut contrahere, aut suffragium ferre, &c. & consequenter etiam virtute consentit, vt de ipso inquiratur, vnde etiam fit vt ipsemet teneatur sæpè respondere, & veritatem aperire. Hæc verò exceptio licet veram doctrinam contineat, propriè non est à regula posita, cùm in ea tantùm sit fermo de inquisitione iudiciaria, quæ ad vindictam delicti ordinatur. Aliæ præterea exceptiones fieri solent, quas attingit Soto dict. q. 6. concl. 3. & latiùs Nauar. corol. 63. sed quæ tactæ sunt ad rem præsentem sufficiunt, reliquæ verò ex sequenti assertione notoriæ erunt.

XVIII. *2. Assertio triparsita.*

Secundò verò dicendum est, præcedente infamia de debito & de persona, iustè posse, imò & debere Prælatum inquirere interrogando in particulari de tali persona, & obligando subditos etiam sub iuramento ad dicendam veritatem. Est certa sententia omnium, & colligitur planè ex iuribus citatis; nam dum negant, sine infamia posse inquiri hoc modo, cum illa affirmant posse. Ratio autem primò, quia tunc infamia meritò supplet vicem accusatoris, quia ipsa vox publica, quæ infamat personam, contra eam clamat, postulando iustitiam, vt indicant iura & verba, & verba illa Domini Gen. 18. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est, descendam & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.* Secundò quia tunc iudex ratione officij habet ius inquirendi, & ratione infamiæ nullam facit iniuriam tali personæ, inquirendo de illa: ergo iustè id facit. Tertiò, quia hoc est necessarium ad bonum commune, aliàs vix possent delicta puniri, aut impediri. Quia ratio probat Prælatum non tantùm posse, sed etiam debere ita inquirere: quia tenetur habere curam boni communis, hoc autem medium est moraliter necessarium ad illud bonū. Vnde si Prælatus in simili casu esset remissus, aliis daret graue scandalum, quod est magnum argumentum obligationis eius.

XIX.

Deniq; inde etiàm facilè concluditur 3. pars assertionis, nimirum obligatio subditorum ad veritatem dicendam. Primò, quia, per se loquendo (licèt nonnulli moderni contrarium sentiant) optima est regula: Quoties Prælatus iustè interrogat, teneri subditum ad respondendum, ne detur bellum iustum ex vtraq; parte, nulla interueniente ignorantia, neq; alia legitima excusatione, vt est in præsenti; quia supponimus subditum scire se iustè interrogari, & nullam fieri iniuriam reo veritatem fatendo. Præterea esset inutilis & inefficax interrogatio Prælati, si non posset cogere subditum ad veritatem dicendam; non cogit autem per pœnam, imò nec iustè potest, donec aliàs constet ipsum falsum respondisse: quæ nō erit coactio ad cognoscendum veritatem, sed punitio delicti, quæ supponit illud aliàs cognitū: ergo vt interrogatio possit esse efficax ad veritatem inueniendam, necesse est vt Prælatus possit obligare subditum in conscientia. Deniq; tale præceptum est de re iusta, & bono communi necessaria: cur ergo non poterit Prælatus illud ita imponere, vt obliget. Omitto casus speciales, in quibus potest quis excusari, vel ne se prodat, si fit complex, vel propter alias rationes extrinsecas, quas nunc tractare necessarium non est.

XX. *Dubium 2. circa practicam huius assertionis. Vnum petitū à reflexione.*

Quæret autem aliquis, primò circa positam conclusionem quænam infamia sufficiat ad huiusmodi inquisitionem. Quam rem latè tractant citati auctores: breuiter tamen dico necessarium inprimis esse, vt infamia sit de tali persona circa tale delictū: itaque non satis est, quòd religiosus, v.g. malè audiat, vel generatim de vita sua, vel speciatim de aliquo delicto, vt de illo inquiratur, an commiserit aliud delictum, cuius auctor ignoratur. ita docent omnes, præsertim Nauar. corolar. 51. num. 190. referens S. Thomam 2.2. quæst. 70. art. 1. & Caietanum ibi, & quæst. 69. art. 2. & in opusc. 17. responsionum, respons. 5. dicentem sæpe in hoc multum errari, etiam à religiosis Prælatis, Adrian. quodlib. 11. quæst. 1. Soto dict. quæst. 6. dub. 5. & alij communiter contra Palud. in 4. d. 19. quæst. 4. & colligitur ex cap. *cum oporteat*, ibi, *Nisi super dictis famam ipsius læsam esse noueritis*, & cap. *inquisitionis*, de accusationibus, ibi, *Nullum esse pro crimine, super quo non laborat infamia*: nam illæ particulæ, *super quo*, & *super quibus*, aperte significant infamiam debere esse de eodem crimine, de quo fit inquisitio. Et ratio est manifesta, quia alia infamia impertinens est, quia non accusat vere, aut ficte talem personam de tali crimine, vnde sicut in via accusationis, accusatus de vno crimine non potest interrogari de alio, ita nec in via inquisitionis. Addunt Doctores, nisi crimina ita sint coniuncta, vt vnum sit circumstantia alterius, vel prout hic & nunc factum est, generet generalem suspicionem de

de alio; vt si Petrus inueniatur mortuus in via, & spoliatus, & Ioannes laboret infamia, quod spoliauerit illum, consequenter est suspectus de homicidio. In hoc autem & similib. casibus non fit inquisitio de delicto sine infamia de illo: quia licèt non fit de illo per se primò, vt sic dicam, in illud redundat, quia infamatus de vno delicto, est etiam infamatus de circumstantijs eius, quando aliàs constat vel ex natura rei, vel ex euidentia facti, de connexione vnius cum alio.

XXI. *Alterii pronunciatum.*

Deinde pronuntio infamiam debere esse talem vt generet publicam & probabilem suspicionem, & (vt iura loquuntur) clamorosam insinuationem. Hæc enim duo, infamia scilicet, & clamorosa insinuatio, non sunt duo ita distincta, vt vnum possit ab alio separari quoad præsentem effectum, licèt aliqui oppositum significent, quod sentit Nauar. corol. 63. numero 299. contra multos, quos refert & sine fundamento: nam iura, quæ citat, potius probant oppositum. Id verò constat ex dicto cap. *inquisitionis*, ibi, *super quo aliqua non laborat infamia, seu clamorosa insinuatio non præcessit*, nam illa particula, *seu*, indicat illa esse æquiualentia: & infrà subdit, *cùm inquisitio fieri debeat solummodo super illis de quibus clamores aliqui præcesserunt.* Vbi nulla fit mentio de infamia, quia clamores indicant illam, atque ita illam includunt, vel supponunt, & è conuerso in dicto capit. *cùm oporteat*, fit mentio solius infamiæ, quanuis sine clamoribus non sufficiat, quia debet esse publica: fit autem publica per publicum rumorem, seu clamorem, per quem supplet etiam vicem accusatoris. Vnde hoc modo loquendo de fama, in definitione eius poni solet, vt sit *communis opinio ex suspicione generata, & voce manifestatâ*, quæ si sit de malo, dicitur infamia, vt tradit Bartolus in l. *de minore. §. tormenta.* numer. 7. ff. de quæstionibus.

XXII. *Qua communis opinio de malo sufficiat ad infamiam.*

Circa quas tres particulas breuiter aduertendum est, in prima non esse certam aliquam regulam ad definiendum: quàm communis debeat esse opinio, quæ ad infamiam sufficiat, sed prudenti arbitrio esse determinandum, vt ait Soto supra; quia licet aliqui dicant requiri denarium numerum personarum, nullo iure vel necessaria ratione id ostenditur: ipse vero Soto pro regula assignat, quòd tumor sit sparsus per maiorem partem viciniæ, aut Collegij, aut vniuersitatis, in qua quis commoratur, & citat glossam vltimam in dicto capit. *inquisitionis*, quæ requirit maiorem partem vicinæ: quam viciniam rectè exponit Soto cum proportione esse intelligendam: nam in religionibus, de quibus agimus, non est necessarium vt infamia extra monasterium egrediatur, sed totum monasterium, tanquam quædam vicinia reputatur, & meritò; cum enim inquisitio intra illud tantum fiat, satis est, quòd in illo sit sparsa infamia, vnde secus esset si inquisitio de religioso esset inter seculares, seu in populo aliquo facienda, tunc enim necessarium esset infamiam etiam ad eos redundasse, aliàs non solùm religioso, sed etiam religioni iniuria fieret. Quod autem debeat esse hæc opinio maioris partis viciniæ, nullo iure probatur, sed solùm ait dicta glossa; ideò maiorem partem viciniæ requiri quia fama loci requiritur, non fama aliquorum, argumento cap. *illud*, de præsumptionibus, ibi, *quia fama vicinia magis debet attendi, si fama loci habet, &c.* Veruntamen non existimo esse necessariam maiorem, partem viciniæ, quoad numerum personarum, nam in dicto cap. *inquisitionis*, solùm dicitur, *propter dicta paucorum*, non reputari aliquem infamatum, *cuius apud bonos, & graues læsa opinio non existit.* in quibus verbis, si rectè attendatur, potius insinuatur, paucos sufficere, si probi & graues sint: non est ergo semper necessarius maior numerus personarum. Quod sentit Nauar. in dict. corollar. 48. in fine, dicens, non oportere vt fama sit in aliquo loco, sed vt sit communis opinio eorum, ad quos spectat hoc scire, vt in hac vniuersitate Conimbricensi dicetur aliquis scholaris bonæ vel malæ famæ in literarum profectu si inter magistros suos vel condiscipulos habet illam communem opinionem. quæ est doctrina Bartoli supra numero 10. & 11.

Idem verò Nauar. in commentar. de fama & infamia, numer. 7. 8. & 9. necessarium esse putat ad famam, vt sit omnium vel maioris partis eorum, apud quos allegatur esse illa, citans Bartolum suprà numer. 13. & glossam ac eundem Bartolum in lib. 3. §. *eiusdem*, ff. de testibus. Fundamentum eorum est: quia communis opinio tunc dicitur esse, quando est omnium vel maioris partis vniuersitatis, ad quam spectat, ex quibusdam legibus, quas citant; sed neque hoc videtur mihi satis probari, quia vt aliqua verè dicatur communis opinio, non oportet vt maior pars authorum illam teneat, aliàs quis posset nisi temerè aliquam opinionem vocare cõmunem, cum nullus possit ita recensere, & conferre inter se authores vtriusque partis; ergo ad opinionem communem satis est, quod absolutè multi authores illam teneant, præsertim si sunt graues. Hinc de eadem re dicunt sæpè Doctores dari opiniones communes contrarias, quod esse non posset, si sola maior pars faceret communem opinionem; sic etiam in præsenti de eadem persona & secundum idem, possunt dari duæ famę contrariæ. Quod tenet Felin. in c. *cùm oporteat*, n. 5. in fin. de accusationibus citans Zochum in cap. *cùm in tua*, de sponsalibus, & plures alios. XXIII.

Non ergo videtur semper ponderandus numerus personarum: quare si talis opinio sit apud graviores, & meliores, licèt non sint plures numero, dummodo sint absolutè multi, existimo sufficere ad infamiam. Si autem quoad qualitatem personarum essent cætera paria, probabile est requiri opinionem maioris partis, vel quia de hoc, vt dicebam, moraliter constare non potest, sufficiet vt vel probabiliter id credatur, vel certè quod censeatur esse vulgaris opinio, quia hæc facilè diffunditur ad maiorem partem. Addit præterea Nauar. dict. comment. numer. 9. opinionem pauciorum quam decem non sufficere ad infamiam, etiamsi sit maior pars illius loci, vel communitatis, vel tota communitas in qua versatur fama: quod non probat nisi authoritate Panormitani & Ananiæ: sed planè est incredibile in materia de qua tractamus: aliàs si in monasterio essent quindecim religiosi, & vnus esset diffamatus apud nouem illorum de aliquo delicto, non posset superior de illo inquirere, quod est contra omnem rationem, vel bonos mores: cur ergo illud credendum est, cum nulla ratione vel textu sit fundatum? Præterea iura suprà citata solùm requirunt illam infamiam, quæ sufficit ad publicum scandalum communitatis: in eo casu reuera est publicum scandalum, & nouum sequeretur, si nullum remedium illi malo adhiberetur: ergo, &c. Oportet igitur vt ad primum respõsum reuertamur, prudenti scil. iudicio opus esse, considerata qualitate communitatis & conditione personarum: XXIV.

Addit etiam Bartolus suprà, & cum eo reliqui, considerandam esse radicem infamiæ, nam oriri potuit ex odio & inimicitia alicuius, vel ex leuibus indicijs, & vulgi suspicione ac locutione, & tunc nõ est vera infamia, quia non potest probari per opinionem generalem, quare si de tali radice cõstet, nõ sufficiet ad inquirendum, sed oportet, vt suspicio, quæ generauit infamiã, ex iusta, & probabili causa processerit, & inter probos, & nõ suspectos homines diuul- XXVI.

De dubius ad inquisitionem ad infamiam possunt.

tis immixtis.

diuulgata sit, vt ex dictis capitulis, *inquisitionis*, & *qualiter, & quando*, 2. apertè colligitur.

XXVI. *Dubium secundum circa eandem assertionem.*

Quæri secundò potest circa eandem secundam conclusionem, quomodo debeat iudici de infamia constare, vt tunc possit iustè inquirere; aut enim debet constare in iudicio, vel extra: si in iudicio, procedemus in infinitum, vnde enim illud aliud iudicium incipiet? oportebit enim alia infamia præcedat; alioqui non poterit ex officio iudex inchoare processum: si autem sufficit vt extra iudicium cognoscatur, accusatio extra iudicium facta sufficiet ad procedendum, ad interrogandū reum vel testes iudicialiter, quod est falsum. Sequela verò patet, quia fama supplet vicem accusatoris. Item est similitudo rationis, quia priuata notitia non videtur sufficiens ad exercendum officium iudicis, vt sic. Circa hoc Angelus verb. *Inquisitio* numero 4, sentit necessarium esse, vt infamia deferatur ad iudicem, vt de illa primò iuridicè cognoscat, & numero 2. ait oportere vt fama deferatur ad iudicem sedentem pro tribunali, citatque iuris peritos, sed hoc non potest in vniuersum probari, vt notauit Sylvest. verb. *Inquisitio* 1. quæstione 8. num. 14. aliàs nunquam possent iudices inchoare inquisitionem specialem, nisi ad petitionem vel denuntiationem alicuius: quod est contra iura, & contra bonum regimen Reipubl.

XXVII. *Adæquata dubii responsio.*

Illud ergo habet locum quando fama per seipsam, seu clamor eius non peruenit ad aures iudicis, sed vnus vel alius illi denuntiant Petrum esse infamatum de tali delicto, tunc enim priusquam de illo inquirere incipiat, necesse est, vt infamia iuridicè probetur: quia cùm respectu iudicis per se non sit publica, oportet vt per publicam probationem de illa constet, & hoc probat ratio facta, idemque sentit Nauar. dict. corollar. 63. in fin. Nec tunc sequitur processus in infinitum; quia initium tunc sumitur à via denuntiationis, non à via inquisitionis; & ita prima causa, quæ tunc tractatur, non est de ipso delicto: sed de infamia delicti, an sit, necne: & illa sufficienter probata iuridicè, incipit inquisitio de delicto, de quo videndus Sylvest. *Inquisitio* 2. dict. 5. Antonin. 3. part. titul. 9. At verò interdum fama per seipsam peruenit ad aures Prælati, & clamat contra reum: & de hac loquuntur frequentiùs iura citata, quæ propterea cum infamia coniungunt clamorosam insinuationem. Tunc ergo non oportet vt præcedat iudicialis probatio infamiæ, vt sentit Sylvest. & tenet Nauarrus & alij, & probat planè ratio facta, quia aliàs nunquam posset Prælatus incipere ex officio ab inquisitione speciali. Ratio verò à priori est, quia in publicis, & euidentibus non est necessaria specialis probatio: tunc autem infamia est per se euidens, & publica, & ideò non est simile quod afferebatur de priuata accusatione, infamia enim clamat & accusat publicè, & ideò per se sufficit ad inchoandam inquisitionem.

XXVIII. *Interest inter prælatū & eius delegatum in inquirendo de infamia.*

Vnde fit, si Prælatus ordinarius ex officio procedat ad inquisitionem, satis esse quod sit certus de infamia, & tunc sua assertione sufficienter illam probet & confirmet. Quapropter si munus inquirendi deleget alteri, instruens illum, & affirmans sibi constare Petrum esse infamatum de tali delicto, id satis esset vt delegatus posset immediatè incipere; inquirendo in speciali de delicto talis personæ, non inquirendo de infamia, nec probationem eius inuestigando: quod tamen facere non posset si delegatio simpliciter facta fuisset: & delegans, nihil de infamia affirmasset: tunc enim oporteret delegatū inchoare ab inquisitione infamiæ, nisi tanta illa esset, vt per se etiam nota esset & euidens delegato; vt, v.g. si committeretur delictum inquirendum in tali loco, & delegatus ad illum locum perueniens statim intelligeret per publicum rumorem & sermonem multorum Petrum esse infamatum de tali delicto, statim posset inquirere de delicto, & de persona: quod insinuatur in cap. *cùm oporteat*, de accusationibus, vbi sermo est de iudice delegato, & illi dicitur, *nisi super prædictis famam ipsius læsam esse noueritis, vos ad inquisitionem illius non subito procedatis*: ergo si nouisset famam esse læsam, statim procedere posset. Nec ibi postulatur vt illa notitia sit per aliud iudicium & probationem in illo: sufficit ergo quòd sit publica & moraliter euidens.

Praxis inquisitionis specialis post sufficientem infamiam.

XXIX. Supposita ergo sufficiente infamia, & notitia eius, procedere potest Prælatus ad inquisitionem specialem de subito, siue speret eius emendationem, siue non: quia iam non intendit principaliter emendationem, sed punitionem, & remedium scandali, quod ex infamia oriri solet, vt Antonin. supra §. 8. & Sylvest. *Inquisitio* 2. dicto 3. notant. Modus autem procedendi ad prædictam inquisitionem quamuis in religione non requirat oēs iuris subtilitates, tamē esse debet sufficienter iuridica: ita vt faciat publicam fidem, & ideò supposita infamia examinari debent testes coram notario, seu secretario, quem ipse Prælatus ex suis religiosis ad hoc munus constituerit, vt omnes actus inquisitionis fideliter conscribat, eisque simul cum ipso Prælato subscribat, ad eorum probationem. Interrogandi etiam sunt distinctè & clarè per articulos & capitula, quæ ad hunc finem ab ipso Prælato cum notario erunt distinctè confecta. Et quanuis diximus proclamante fama non esse necessariam aliam probationem eius, hoc maximè intelligendum est, vt iudex iustè possit inquisitionem incipere, & testes ad respondendum obligare. Nihilominus tamen optimum est nonnullos testes saltem in principio, non solùm de delicto, sed etiam de infamia interrogare, vt de vtroque magis conuincatur reus. Debent etiam interrogari sub iuramento, quia aliàs nō facit testis sufficientem fidem in iudicio, quod etiam regulari iudicio vērum habet; quia illa conditio, tanquam substantialis reputatur. Significat verò Sylvest. *Inquisitio* 2. dicto 6. (vbi de reo loquitur, est autem eadem ratio de testibus) sufficere vt Prælatus in virtute obedientiæ, vel sub excommunicatione præcipiat dicere veritatem. Ego tamen consulerem iuramentum dari, iuxta cap. *cum delicti*, de accusationibus: nisi recepta consuetudo religionis aliùm modum teneret, & iuramentum non est tam substantiale, quin possit renuntiari per partes, cap. *tuus*, de testibus. Illa autem consuetudo renuntiationi æquiualet: nam consuetudo datius, & tollit, acrenunciat, quod perinde est.

XXX. Postea verò procedendum vlteriùs est iuxta merita causæ ex testium interrogationibus resultantia. Nam si nullus testis condemnat reum de delicto, ita vt insurgat saltem semiplena probatio, non potest reus ipse legitimè interrogari, & ita vlterius inquirendum est ab alijs testib⁹, vel non vlterà procedendum: tamen existimo sufficere infamiam probatam sufficienter, præsertim si accedant indicia grauia, vt citari possit, & interrogari reus: quia infamia talis facit semiplenam probationem. Necnō refert, quòd in hoc processu infamia habeat vicem accusatoris, & ideo videatur non posse sustinere locum testis: nam (vt benè sentit Nauar. corol. 63. nu. 294.) sub diuersis rationib. vtrunq; potest, præsertim cùm non sit verus accusator, sed fictus. Quatenus ergo antecedit clamando ad iudicē, habet vicē denunciantis: quatenus verò veritati facti aliquod testimonium publicum præbet, facit semiplenam probationem. Vel aliter, infamia secundùm se, & per se sola

De modo inquirendi.

Præstans aliud ab eo iuramento an sufficiat.

Libri testes reum non damnent, interrogari adhuc possit iudex, & dentur rationes vel indicia.

Infamia facit vicem accusatoris, & testis.

se cognita accusat: vt verò per testes probata in iudicio, & præsertim indicijs etiam probatis confirmata, facit semiplenam probationem. Itaque existente semiplena probatione post aliquam inquisitionem, debet citari, vel (vt Sylvester ait) vocari religioso modo inquisitus, & de veritate sub iuramento interrogari. vt autem ad respondendum obligetur, necesse est vt illi constet de legitimo processu contra illum facto & probatione, quæ contra illum resultat. Debet ergo illi legi vt colligitur ex Diuo Thoma 2.2. quæstione 69. articul. 1. ad 2. & ex Caietano ibidem, Soto dict. membro 2. quæstione 7. Nauarro in Summa cap. 25. numero 36. & in dict. cap. *inter verba*, in antiquo, corol. 64. numero 730. Bernard. Dias in Practica cap. 126. numero 4. & ibi Salzedo, qui aduertit satis esse, vt notarius legat coram reo depositiones testium tacitis eorum nominibus, neque oportere eorum transsumptum dare, nam potest cogi statim ad respondendum, cùm iam illi sufficienter constet de legitima interrogatione, quam esse communem statuit Iul. Clarus l. 5. §. fin. q. 45. n. 7. & 8.

Reo legendus processus.

Non oportet testes aperire aut trāssumptum.

XXXI.

Sumpta igitur confessione à subdito, vel ipse fatetur delictum, vel negat; si confitetur, posset in rigore statim contra eum ferri sententia, nihilominus non eo rigore vtendum est, sed terminus est ei concedendus, vt si quam habet excusationem, quæ saltem minuat delictum, eam afferre possit. De quo videri potest Iulius Clarus libro quinto §. fin. quæstione 65. & Antonius Gomez tom. 3. variarum, cap. 12. Si autem reus interrogatus neget, procedi vlteriùs debet ad conuincendum illum, tam ratificando priora testimonia, quàm alia de nouo examinando si necessarium visum fuerit ad moralem certitudinem veritatis: hic enim debet esse præcipuus scopus in hoc regulari iudicio, in quo non sunt ita necessariæ illæ circumstantiæ iterum interrogandi, seu ratificandi, quando de fide testium moraliter constat, & hoc præcipuè debet animaduertere Prælatus, scilicet vt testes suspecti non sint de inimicitia, aut leuitate, vel de alia occasione falsitatis, & vt plenè interrogentur de omnibus circumstantijs, & ob eandem rationem, quanuis in secularibus iudicijs (excepta inquisitione in crimine hæredis) soleant nomina testium manifestari reo, iuxta cap. *qualiter, & quando*, 2. §. *debet igitur*: de accusationibus, tamen in nostro iudicio regulari id non est necessarium, sed satis est dare reo copiam testimoniorum, vt possit defendere, tacitis nominibus propter vitanda maiora incommoda, & quia in regulari iudicio non est necessarium omnes has circumstantias seruare, vt dicitur in dict. c. *qualiter & quando*, quod si aliqua omitti potest, maximè hæc. Vnde etiam in generalibus visitationibus non seruatur, vt notauit Simanquas de Catholic. inst. tit. 64. n. 30.

Quid agendum quando reus fatetur delictum.

Quid quando negat.

XXXII.

Addunt Doctores, etiam inter regulares posse habere locum torturam, quando subditus est semiplenè, non tamen plenè conuictus; & adhuc negat delictum. ita Bernardus Dias dict. cap. 125. & 126. & ibi Salzedo, Diuus Antonin. 3. part. titul. 9. cap. 7. & 8. Sylvest. *Inquisitio*, 2. dict. 9. & Armilla verb. *Inquisitio*, numero 12. quanuis aliqui ex his non loquantur in specie de regularibus, sed generatim de clericis, sub quibus personas Ecclesiasticas, & consequenter regulares comprehendunt, quia non habent de hoc speciale priuilegium, quæ est ratio à priori huius assertionis, quia Prælatus habens potestatem coerciuam perfectam, habet etiam potestatem torquendi ad veritatem comprobandam. si aliæ circumstantiæ necessariæ occurrant, & specialiter prohibitus non sit; sed Prælatus regularis habet huiusmodi potestatem; vt suprà tomo præcedenti ostendimus, disputando generatim de

De modo testium.

Dubium.

Per viam inquisitionis.

Tortura religiosi quando.

Cur etiam in religiosum cadat tortura.

De tortura rei etiam religiosi negantis delictum.

potestate eius, & nulla est de hoc prohibitio posita, saltem iure communi, neque etiam iure speciali Societatis (de aliis enim religionibus proprij earum Prælati videbunt) neque etiam ex natura rei hoc prohibitum est magis in religioso, quàm in clerico, quia sicut peccatum facit dignam pœna personam, etiam sacram, ita etiam facit dignam tortura. Verum est tamen modum torquendi regulares debere esse accommodatum statui & consuetudini eorum, non etiam per violentas actiones instar secularium, sed per strictionem carcerem, humicubationes, strictiora ieiunia, & similes corporis afflictiones torquendi sunt, an autem per laicum fieri possit, diximus disputat. 22. de Censur. section. 1. numero 44. Si reus in confessione sua negauit, & per testes sufficienter conuinci non potuit, regulari modo torqueri potest, si gratuitas delicti id exigat. Quod si in tormentis veritatem adhuc neget, absoluendus est, si autem confiteatur, & post ea extra tormenta ratificet confessionem (quod necessarium est) debet procedi ad proferendam sententiam, iuxta ea, quæ tradunt dicti authores, præsertim Bernard. Dias, Iul. Clarus, Simanquas, tit. 65. n. 74. & sequentibus, & Greg. Lopez in lib. 4. tit. 30. partita 7.

Denique, quando delictum plenè probatum est, neque est necessaria, neque iustè potest adhiberi tortura, per se loquendo, quia iam cessauit finis eius, vt iidem authores dicunt: est autem delictum plenè probatum, quando ad minimum per duos testes oculares & contestes, & omni exceptione maiores conuictus est reus, iuxta illud Christi, *In ore duorum, vel trium stet omne verbum*, & omnium sententiam, ac praxim. Duo autem testes singulares, id est, de diuersis numero factis, aut de distinctis temporibus, vel locis, imò nec plures sufficiunt ad plenam fidem faciendam, vt docet Diuus Thomas 2. 2. quæst. 70. articul. 2. ad secundum, & ibi Caietanus, & Soto 5. de iustit. quæst. 7. artic. 2. qui aduertit, etiam in religione hoc seruandum esse, vt testes singulares non sufficiant ad condemnationem, licet sufficiant ad torquendum, vel alio modo exquirendam veritatem: quia (vt dicitur 2. quæst. 1. cap. 1.) *nos in quenquam sententiam* (scilicet condemnatoriam) *ferre non possumus, nisi aut in conuictum, aut sponte confessum*. Hoc autem intelligendum censeo, quoad pœnam integram. Nam quoad aliquam punitionem, vel grauem correptionem, potest condemnari; quando præter famam satis comprobatam, sunt aliqua grauia indicia, vel grauis aliquis testis: quia licèt tunc non plenè constet de delicto, est vehemens illius suspicio, vel opinio, quæ ad aliquam pœnam satis esse debet. Imò in hoc processu per inquisitionem, quanuis plena probatio obtineatur, mitius agendum est in pœna imponenda, quàm si per accusationem criminalem processum esset: quia cùm reus, neque accusatus sit ab aliquo, neque ipse confessus sit suum delictum, iura volunt vt iudex prudenti arbitrio moderetur pœnam, cap *inquisitionis*, de accusationibus. consentiunt citati Doctores Antonin. 3. p. titul. 9. cap. 7. §. 6. Sylvest. *inquisitio*, 1. quæst. vlt. Soto dicto membr. 2. q. 6. dub. 1. Nauar. cap. *inter verba*, in antiquo, corolar. 48. numer. 581. Anton. Gomez tom. 3. variar. cap. 1. numer. 81.

Duo testes sufficiunt ad pœnam legis si sint contestes.

XXXIII.

Quid si sint singulares.

Per viam inquisitionis mitius agitur cum conuicto.

Post sententiam sequi solet appellatio in seculari foro: in regulari verò audiri non debet, nisi Prælatus manifestè, & notabiliter excedat modum in regula præscripium, & præsertim in Societate est speciale priuilegium Pauli III. vt in ea appellare non licet à regulari correctione: est autem vsus vt hoc seruetur, quando correctio fit secundum ordinationes Societatis, vt constat ex Compendio priuilegiorum, verbo *Appellatio*. §. 1. Et ita non admittitur

Appellatio an in religionibus locum habeat.

XXXIV.

titur appellatio ab ordinaria correptione, reformatione, mandatis, & similibus, de quibus in dicto verbo *Appellatio* §.2. A sententia autem condemnatoria non negatur nisi ipsamet appellatio sit manifestè friuola, vel iniusta; plura de hoc appellationis puncto dixi in tract.8.lib.2.c.11.

De modo procedendi in regulari iudicio per viam denunciationis iudicialis.

XXXV.

Duobus modis potest hæc via inchoari, primò per se & immediatè: quando aliquis incipit causam sumendo munus denunciatoris apud Prælatum, seu iudicem. Secundò transeundo à denuntiatione Euangelica ad iudicialem: nam finis vnius solet esse inchoatio alterius, vt in cap.10. in fine insinuauimus, remittendo in hunc locum exactam declarationem, quæ erit facilis, explicata prius denũtiatione ipsa secundum se. Vt ergo aliquis iustè denunciet iudicialiter, necessarium non est vt præcedat infamia, vt constat ex iuribus sæpè citatis, cap. *inquisitionis*, cap. *qualiter & quando*, cum similibus, & ex omnibus auctoribus. Ratio verò est, quia in via inquisitionis infamia requiritur, vt suppleat vicem accusatoris; in hac autem via denunciator sustinet vicem accusatoris, quamuis non omnino suscipiat totum onus illius, quia non ita obligatur ad probandum, sicut accusator.

Ad denuntiandum iudicialiter non requiritur infamia.

XXXVI.

Est autem quæstio, an debeat præcedere monitio fraterna ante hanc denuntiationem, id enim significat iura citata. Et consequenter est dubium, vtrum si per solam admonitionem frater corrigatur liceat nihilominus ad hanc denunciationem procedere. Hæc verò dubia ex dictis à c.8. ferè resoluta sunt. Aut enim talis denuntiatio ordinatur solùm ad emendationem delicti, qui est ordinarius, & maximè proprius finis eius, aut ad damnum tertij, vel communis boni nocumentum vitandum. In priori denuntiatione, quæ Euangelica dicitur, si est spes emendæ, fine dubio debet præcedere correctio fraterna: nam & naturalis ratio charitatis, & iustitiæ id postulat, cùm talis denuntiatio (vtpote iudicialis) non fiat sine magna & publica læsione famæ: quæ tunc necessaria non est, & hic ordo est maximè consentaneus Euangelio, imò iuxta communiorem opinionem Theologorum censetur in eo præceptus, maximè pro huiusmodi casu spei emendæ, conseruata fama, & iura canonica etiam hoc disponunt, præsertim in c. *licet Heli*, de simonia. & notauit glòss. in ca.2. de calumniatoribus, ex quo textu mihi colligo, tam necessariam esse hanc admonitionem, vt si denunciator in probatione deficiat, & non ostendat prius secretè monuisse, vix possit à calumnia purgari, ideò enim videtur ibi denunciator ab officio & beneficio fuisse suspensus, donec canonicè suam purgaret innocentiam, quod nõ calumniandi animo ad talia crimina proponenda processisset. Nec religiosi ab hoc onere eximuntur, quia nullum de hoc habent priuilegium, & alioqui est per se maximè consentaneum non solùm perfectioni, sed etiam necessitati charitatis. Vnde etiam in Societate pro comperto est apud omnes, in ordine ad hanc iudicialem denuntiationem, nullam esse renuntiationem famæ, vt iam n.3. attigimus, seruandum esse hunc ordinem.

Responsio quando denuntiato sit ad solam emendam ei spectans.

Data respõsio valet etiam inter religiosos.

XXXVII.

1 Primũ corollar. ex prædicta responsione.

2. Corol. Prælatũ ieiunare debere ordinem Euãgelicũ denuntiationis seruare.

Atq; hinc sequitur multò minus posse fieri hanc denunciationem post monitionem secretam, si suũ effectum consequuta est: nam emendato fratre cessat finis talis denuntiationis, & ideo iam non esset denuntiatio, sed grauis detractio. Sequitur etiam Prælatum in huiusmodi denũtiatione præcisè propter hunc finem facta teneri ad seruandum Euãgelicum ordinem & totum illum, quem charitas postulauerit. Itaq; facta denuntiatione, non potest de subdito inquirere, cùm non laboret infamia: debet ergo illum ad se vocare, & cum illo de emẽdatione agere. Quod si recognoscat delictum, & emendationem ac satisfactionem offerat, nõ potest puniri publicè, quamuis occultè, præsertim inter regulares, *Quid si* posuit aliquam secretam pœnitentiam iniungere: magis in medicinam præseruatiuam, quàm in vindictam: si verò reus sit pertinax, negãdo delictum, *Quid si* adhibendi sunt vnus vel duo testes, vt cõuincatur, *nem* si delictum non sit omnino occultum. Atque si denuntiator antequam rem ad superiorem deferret seruato Euangelico ordine, vnum vel duos testes adhibuit, illi prius vocãdi sunt, ne infamia vlterius crescat: sin autem illud fuit præmissum (interdũ enim, vt satis constat ex ca.9. fieri potest sine culpa) Prælatus arbitrio suo prudenti poterit duos viros graues vocare, & subditum grauius etiam reprehẽdere, & minus etiam terrere: quia ad hęc omnia habet ius, & propter spirituale bonum illa qualiscunque infamia admittenda est. Necessarium autem est, regulariter loquendo, delictum non esse adeò occultum, vt solus denuntiator illud noterit propter periculum calumniæ, quod esse potest, & ne fortè innocens amplius infametur: oportet ergo vt concurrant aliqua vehementia indicia, de quibus certè constare possit, vel certè vt persona denuntiantis tantæ sit fidei, integritatis & authoritatis, vt faciat magnam probabilitatem. Cùm enim in hoc progressu solum commodum subditi quæratur, nõ est integra probatio exigenda, neque etiam impedit, quod ipsemet denuntians, quoad subeat vicem testis, vt propter solum testimonium eius possit secretum illud remedium adhiberi, ex cap. *in omni*, de testibus. dicente, in omni negotio (sc. causa denuntiationis, vt exponit glossa) principalis persona dicens veritatem de re sibi nota, rectissimè habenda est pro teste, quod ex verbis Christi D. optimè ibidem colligitur.

An requiratur præmonitio secreta.

Præterea contingere potest, vt subditus post totam hanc diligentiam, quia conuinci non potest, pertinax sit negãdo, & tũc putat Soto dict. membr. 2.q.4. concl.8. nihil posse facere Prælatum, nisi monere subditum, & orare pro illo. Sensus autem eius est non posse procedere Prælatum ad inquirendum amplius de subdito, qui non laborat infamia, neque etiam posse illum publicè punire. Poterit tamen (vt cap.10. numer.13. dixi) pro qualitate semiplenæ probationis eum seuerè reprehẽdere, & correctionem aliquam secretam ad terrorem & medicinam in futurum adhibere. Potest etiam ministerium auferre, quod pendet ex voluntate Prælati, si absque scandalo & infamia fieri possit, & fuerit necessarium ad tollendas illi occasiones peccandi, non tamen in vindictam commissi: & idem est de mutatione loci, & similibus. Contingere vlterius potest, vt subditus duplici testimonio sufficienter cõuincatur, & nihilominus ipse sit pertinax negando, vel certè licèt recognoscat delictum, illud defendat, & satisfactionem, aut emendationem non promittat, neque illius spem præbeat, sed potius indignationis, si asperiùs cum illo agatur. Et tunc dissensio est inter Doctores quomodo se debeat gerere Prælatus. Panormit. in cap. *nouit*, de iudicijs nu. 46. dicit, posse tunc Prælatum excommunicare, vel alijs censuris ligare subditum, & beneficio, vel officio priuare; quia potest illum tractare sicut ethnicum & publicanum, iuxta Euangelium, & nu.53. dicit posse etiam cogi ad rem restituendam, vel soluẽdum debitum, si de eo conuincatur: & in hoc vltimo oẽs videntur conuenire, si probatio est sufficiens, & subditus nullam affert sufficientem excusationem. Soto etiam dict. conclus. 8. videtur priorem pari-

Quid si vltimo negat, aut defendat, seu non emendam.

Quid si vltimo negat, aut defendat, seu non emendam.

partem admittere, dum ait in denuntiatione fraterna omnia esse agenda propter emendationem fratris: in iudiciali autem contra pertinacem procedendum esse via iuris, *etiam ad incarcerationem, & torturam*. Aliis autem videtur tunc non posse Prælatum vlteriùs procedere; quia cum delictum sit occultum, licèt probabile, non debet publicè puniri, quia nullum generauit scandalum, & ideo non postulat publicam satisfactionem, nec tum pertinet talis pœna ad bonum commune. Pœna autem occulta non est etiam imponenda nisi propter vtilitatem spiritualem ipsius rei: qua etiam hoc iudiciũ ad hunc finem ordinatur, vt diximus; ergo si nulla est spes huius fructus, sed potius timetur maior induratio, cessandum omnino est à punitione. ita insinuat Bannes 2.2.q.33.art.8.dub.4.

XXXIX. Ego verò censeo in neutra parte istarum esse intrinsecam iniustitiam, & ideo pendere ex prudenti arbitrio seruando leges non solùm iustitiæ, sed etiam charitatis. Declaro hoc; nam inprimis si delictum est probatum per dictos testes, præter denunciantem, potest Prælatus sub excommunicatione latæ sententiæ præcipere subdito reo, vt fateatur veritatem, & si fuerit contumax, reuera incurrat illam in conscientia, ita vt denuntiator, & testes possint illum vt excommunicatum habere, & iuxta antiquum ius tenerentur vitare, licèt hodie propter Extrauag. *Ad euitanda*, non teneantur. Similiter si reus confiteatur delictum, nolit tamen emendari, potest sub eadem censura cogi ad acceptandum & offerendum satisfactionem; quod si nolit, incurret eodem modo excommunicationem occultam. Hoc totum sufficienter probatur ex verbis Christi, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, &c.* Et ratio est, quia Prælatus in eo casu habet ius cogendi subditum ad emendationem per media ab Ecclesia instituta, & à Christo insinuata: illud autem medium huiusmodi est, atque ita docuit Soto lib.5. de Iustitia.q.6.art.2. citans D.Thom.Palud.& Caietanum. Addit tamen posse hoc facere Prælatum, etiamsi nulla sit spes emendæ, ex cap. *tam Sacerdotes* 24. q.3. *vbi dicitur*, inquit, *huiusmodi incorrigibiles esse ab Ecclesia separandos*: sed illud procedit (vt existimo) quando illa separatio ad aliorum bonum est necessaria: vel quando per illam speratur correctio ipsiusmet incorrigibilis. Si autem primum necessarium non est, nec secundum speratur, non video qua honesta ratione possit inferri illa censura: nam licet non appareat contra iustitiam, quia ille reuera est dignus illa coercitione, repugnaret charitati, quia augetur subdito periculum grauius peccandi, sine spe fructus. Quia verò moraliter vix potest desperari vterque fructus, quia vexatio solet dare intellectum, ideo absolutè dici potest, posse Prælatos tentare hoc medium: nam in potestate eorum manet auferre vinculum, si viderint nocere potiùs, quàm prodesse.

XL. *Prælatus potest secretè delatum & conuictum punire in vindictam.* Eadem ratione censeo posse Prælatum secretè punire subditum, etiam in vindictam peccati commissi; quia de illo conuictus est, in tali foro & modo procedendi: cur ergo non potuit digna & proportionata pœna punire, absque noua infamia, vel scandalo? præsertim inter regulares, vbi simpliciter, & de plano proceditur, & nunquam officium iudicis separatur ab officio patris, quanuis non è contra. Item licèt talis pœna non prosit ab ijs per exemplum, quia illis non manifestatur, tamen in genere proderit scire delicta non debere relinqui impunita, si sufficienter probantur, præsertim quando subditus pertinax, aut incorrigibilis ostenditur. Item quia licèt videatur talis pœna in præsenti non prodesse ipsi reo; tamen moraliter semper debet & potest sperari fructus in futurum, nam saltem timebit similem pœnam. Vnde confirmatur: nam quando est probabilis spes, quòd pœna proficiet in præsenti, & inducet subditum in meliorem mentem, omnes fatentur posse prælatum subditum conuictum punire; sed non debet esse melioris conditionis, eo quòd se durum & incorrigibilem ostendat: ergo tunc etiam puniri potest. Quæ ratio probat manifestè talem pœnam non esse contra iustitiam. An verò ex charitate suspendenda sit, prudentia docebit, considerata conditione personæ, & aliis circumstantiis.

XLI. *Dicta punitio erit secreta nisi fuit transitus ad accusationẽ.* Nunquam verò licet Prælato ad publicam punitionem procedere, nisi ad commune bonum necessarium iudicetur, quia talis pœna non est proportionata huic iudicio: interueniente autem necessitate boni communis, habebit locum hæc pœna, vt authores citati fatentur: quia bonum commune præfertur particulari famæ. Tunc autem oportet transitum facere à via denuntiationis ad viam accusationis. Nam vel denuntiator, vel alius fiscalis tanquam minister publicus sumere debet officium accusatoris, & formare processum, sicut in via accusationis, de quâ statim, & aliquando tanta & tam grauis est necessitas communi boni (sicut est in peccato hæresis, vel proditionis) vt existente tantùm semiplenâ probatione, possit hoc fieri, & tũc habet locum, quod Soto suprà citat⁹ dixit, posse incarcerari reum & torqueri, si necesse sit. Tandem verò in ferenda sententia condemnatoria mitius semper agendum est in hoc progressu, quàm in rigorosa accusatione, vt similiter dicebam in num.32. nisi ratio boni communis cogat rigorẽ retinere. Et ita intelligendum puto, quod Soto docet vtroque loco supra citato, & Nauar.in antiquo coroll.48.n.583.

XLII. *Resolutio eiusdem dubij in n.35. quando sit denuntiatio ad vitandã nocumentũ aliorum.* Atque hinc facilè intelligitur quomodo procedẽdum sit quando à principio denuntiatio principalius fit propter commune bonum, seu ad euitãdum damnum tertij, quàm (vt nu.35.dixi) multi vocant denuntiationem canonicam: tunc enim moraliter loquendo non est necessaria præuia monitio secreta, non quia omittenda sit, si credatur allatura sufficiens remedium, sed quia moraliter non potest ità sperari, vt bonum commune vel innocentis illi periculo exponendum sit: bonum autem commune, vel innocentis præferendum est commodis, & famę nocẽtis. Et eadem ratione debet tũc Prælatus procedere non respiciendo principaliter ad emẽdationem subditi, sed ad indemnitatem communitatis, vel innocentis: quia verò proprium bonum ipsius subditi, quantumuis delinquentis, nunquam separari debet à bono communi quantum est ex parte Prælati, quia vtrumque cadit sub eius cura, & obligatione, ideo licèt in rigore iustitiæ legalis possit Prælatus statim per rigorem iuris procedere præmissa alterius partis citatione ad examinandos testes, & sumendam rei confessionem, &c. Nihilominus si Prælatus speret per se posse emendare subditum, & illi malo sufficienter occurrere, ex charitate, & ex pastorali officio, tenetur illum prius secretò corripere, & emendare. Quod si obtineat, non poterit vltrà progredi ad publicum iudicium, vel punitionem: oportet tamen vt de aliorum indemnitate sit certissimus, & quòd delictũ non sit ex illis grauissimis, quæ statim ad iudicium deferẽdã sunt, vt hæresis, vel proditio. Atq; ita sentiunt Soto dict. q.4.concl.7 & Nauar.n.230. Si secreta correctio nõ obtinet effectum, vel non reputatur sufficiens, procedendum vlteriùs est iuridicè ad punitionem, & ad subueniendum communi bono, vel innocentis, ad quod tenetur Prælatus ex peculiari obligatione iustitiæ, ratione sui officij: & denuncians iuxta superiùs dicta, poterit subire officium testis, imò & ex charitate, vel obedientia potest obligari, nisi habeat legitimam excusationem.

XLIII. Vltimò intelligitur ex dictis quid dicendum sit

De transitu denunciationis paternæ ad iudicialem illicito.

de transitu & denuntiatione paterna ad iudicialem, aliquando enim fieri potest, licet non semper. Cùm enim illa fiat secreto propter solam emendationem subditi, & ad præcauendum omne malum futurum; obtento hoc fine non permittitur vlterior progressus; vt suprà num.36.dictum est. Si autem post omnem paternam diligentiam Prælati, subditus vel negat, vel incorrigibilis est, & alioqui nulla est de illo infamia, non potest inde moueri Prælatus ad inquirendum de illo, vt ex superiùs dictis eodem num.36.constat. Quapropter si delictum sit omnino occultum, & non sit ex his quæ vergunt in damnum communitatis, nihil amplius potest Prælatus facere nisi orare & vigilare, & per suam prouidentiam tollere occasiones peccandi: cùm enim hoc secretum, de quo agimus, non sit confessionis sacramentalis, potest illo vti ad omnem effectum, qui possit subdito prodesse absque infamia eius, vel scandalo, etiamsi fortasse illi molestus sit.

In tali casu cogi nequit denuntians, vt iudicialiter denuntiet.

Non poterit autem Prælatus ad iudicialem progressum transitum facere, præsertim inuito subdito denunciante, cùm ea non vt iudici, sed vt patri, & secretò loquutus sit. Neque etiam potest in prædicto casu subditum per præceptum cogere, vt quod sibi dixit: vt patri, dicat vt iudici; vel vt tollat secreti obligationē, tum quia si id frequenter faciat, terrebit subditos ne ad illum, vt ad Patrem audeant accedere: tum etiam, quia tunc nulla est sufficiens ratio præcipiendi denūtiationem iudicialem, quia supponimus delictum esse occultum, & nemini nocere nisi ipsi peccanti, & cum illo factam esse omnē diligentiam, quæ ad secretam eius emendationem fieri posset: ergo inutilis tunc esset iudicialis denūciatio, cum per illam ad meram punitionem progrediendum non sit, nec cogi possit subdit⁹ vt propter solum hunc finem iudicialiter denunciet in huiusmodi criminibus. Atque idem censeo, etiamsi delictum sit probabile, nemini autem nociuum: quia tunc etiam non potest obligari subditus ad denunciandum iudicialiter propter solam punitionem, cùm de emendatione desperetur, quia ille finis est valde extrinsecus denunciationi vt sic, pertinetque ad accusationem, de qua nunc non agimus.

XLIV. *De transitu licito.*

Secùs verò erit si delictum vergat in damnum communitatis; nam tunc obligari potest subditus per præceptum Prælati, vt sibi denunciet iuridicè delictum fratris, vt possit communitatem indemnem seruare: nam hæc est legitima causa talis præcepti, & ideo non obstante secreto prioris denuntiationis paternæ, potest iustè illud imponere. Imò si subditus suo præcepto nolit obedire, potest Prælatus iudicialiter procedere, non via inquisitionis, quia non præcesserit infamia (vt supponimus) sed via denunciationis, creando fiscalem, qui causam assumat, & denunciet, & tunc poterit etiam interrogare primum denuntiantem tanquam testem, qui tenebitur sub iuramento veritatem dicere, quia iam legitimè interrogatur, & post testimonium eius, si sit omni exceptione maius, poterit interrogari reus, ita vt obligetur ad veritatem fatendam, & ita viterius procedi, iuxta superius dicta à nu.29.

Complex clā denuncians cogi nequit ad hanc transitum.

Excusabitur tamen meritò ab hoc onere subditus, qui paternè denunciauit, si fuit complex eiusdem delicti, & ob affectum religionis, vel perfectionis illud Prælato vt patri manifestauit, fortasse etiam manifestando seipsum: tunc enim obligari non potest, vt alium denunciet iudicialiter, vel contra illum ferat in iudicio testimonium: quia nemo tenetur se iudicialiter prodere, & prodere complicem est moraliter prodere seipsum. Nemo etiam tenetur cum graui suo detrimento, vel infamia testimonium in iudicio contra alium ferre, vt est communis sententia, de qua videri potest Couarruu. in Practicis quæst. cap.18. & D. Thom. cum interpretibus.2.2. quæst.70.articul.1. Reliqua, quæ ad hunc progressum pertinent, ex superioribus sumenda sunt. Et ideo hæc de 2. parte tituli præsentis capitis dicta sufficiant.

De via accusationis.

XLV. *Hæc via non tamen excluditur, quæ tamen est in usu, & quando.*

Hæc via minus est in religionibus vsitata, non tamen omnino excluditur, quia potest qui iniuriam passus est apud Prælatum accusare iniuriatem, quod facere potest sine iniustitia, etiamsi non præcedat infamia, quia in hac via non est necessaria, & nulla præmissa correctione, siquidem, vt initio capitis 8. dicebamus, non ordinatur ad emendationem fratris, sed ad iustam vindictam. Potest etiam fieri sine peccato contra charitatem, si non ex odio, sed vel ex affectu religionis, ne similes iniuriæ in ea introducantur, vel ex affectu proprij commodi, scilicet iusti honoris, vel boni nominis, & c. talis accusatio fiat. Imò ex priori capite potest aliquando cadere in obligationem, vt est communis sententia Theologorum in 4.d.39.& 2.2.quæst.68.& Canonistarum in c. *nouit.* de iudicijs, à qua obligatione non liberantur religiosi, cùm non minus teneantur ex charitate commune bonum suæ religionis tueri, quàm reliqui. Verum est tamen quod Soto Relect. de tegendo secreto membr.2.quæst.5. generatim adnotauit) si per denuntiationem sufficienter subueniant communi necessitati, excusari ab onere rigorosè accusandi, quia quocunque medio sufficienti satisfaciunt suę obligationi: si tamen excogitetur casus in quo denunciatio non sufficiat: tunc vrgebit obligatio accusandi, rarò tamen id contingit, & ideo (vt dicebam) non est frequens in religionibus huiusmodi accusatio. Nam accusare propter vindictam, & in recompensationem proprij nocumenti, quanuis per se malum non sit, est tamen periculosum, & regulariter alienum ab his, qui statum religionis profitentur, & ideo à religiosis vitari debet. Nihilominus tamen si legitimè fiat, debet superior eam acceptare & per Notarium scriptam eam recipere: ita enim iura disponunt, & licet regulares non teneantur ad omnes solemnitates iuris, hæc reputatur maximè substantialis: quia (vt rectè D.Thom.2.2.quæst.68.art.2.docuit) est moraliter necessarium, vt constet quid accusator probare teneatur, & ideo etiam in regulari processu non est prætermittēda, postquam verò accusatio formata, & recepta est, procedendum est in causa eodem ferè modo quo de denuntiatione diximus, citando reum, & interrogando illum, prætermissa vt minimum semiplena probatione, & in reliquis vsque ad sententiam, quæ in hoc processu ferri debet (per se loquendo) secundum integritatem pœnæ.

CAPVT XIII.

Quæ forma iudicii in societate seruetur.

I. *Forma delinquentium inquirendi, & accusandi in communi.*

HIs generatim à cap.11. hucusque explicatis, videndum, an Societas iustè procedat in punendis subditorum excessibus, etiam vsque ad electionem, absq; forma iudiciali communis iuris. Atque in primis quoad denuntiationem in constitutionibus, aut Bullis Pontificijs, nulla talis denuntiatio iudicialis præscribitur, sed quoties sermo incidit de denuntiatione, aut correctione defectuum, semper vbi in Scriptis additur, vt fiant omnia *ad maiorem Dei gloriam*, vel *vbi locum habuit, prout charitas exigit*, aut aliquid æquiualens, quod ad fraternam denuntiationem, paternamque correctionem propriè refertur. Similiter, cùm loquuntur de inquisitione, seu interrogatione, solùm de paternali (vt sic dicam) procedunt, sicut enim ex

parte

parte subditi datur denuntiatio facta superiori; vt patri, & non vt iudici, ita potest superior interdum interrogare, vt pater, & nō vt iudex, par enim est vtriusque ratio. Ad interrogandum verò hoc modo, faciliùs potest habere ius, sicut etiam è contrario, subditus faciliùs potest hoc eodem modo, quàm iudicialiter interrogari; quia hæc duo ferè correlatiua sunt, & ad eundem finem, ac etiam seruando sub eodem secreto famam proximi, ordinantur.

II. *Nisi ad paternam correctionem licet Prælato inquirere in particulari absq; vlla infamia.*

Et nihilominus, nulla est in Societate regula, quæ det Prælato licentiam ad inquirendum etiam hoc paternali modo de vita alterius subditi in particulari, aut de aliquo eius crimine, quando nulla infamia, nec rumor de illa præcesit, id enim non solùm ad perfectionem prouidentiæ illius necessarium non est; verùm etiam generare potest suspicionem sinistram in subdito interrogato de alio, de quo bonam opinionem fortè habebat: & ideo nunquam Prælati interrogant, etiam vt patres, de defectibus aliorum, nisi tantùm generaliter, si infamia non præcesit. Hoc tamen semper intelligitur in defectibus grauioribus, qui generant infamiam; nam in communibus ad inquirendum etiam in particulari, sufficit quæcumque suspicio, vel occasio, quæ in patre sufficiens esse solet, ad similem prouidentiam paternam filiorum. Denique quod ad accusationem attinet multo minus eius vestigium relictum est in Societate, in formula quidem generalis congregationis num. 36. deferendus præcipitur, qui informationem de persona in generalem eligenda obtulerit; qualis tamen ea delatio, iudicialis ne, an fraterna debeat esse, non explicatur: quemadmodum quando in formula congregationis prouincialis num. 24. aliàs 16. prituandus dicitur voce actiua, vel passiua, qui de ambitu fuerit conuictus, nulla probationis forma exprimitur, præter sufficientiam illam, quæ iure naturali in aliqua tali probatione requiretur: vnde tandem concluditur, de toto ordine iudiciali, quacunque via ex supradictis procedatur, nihil peculiare dispositum esse à P.N.S. Ignatio in constitutionibus suis, nec in Pontificijs diplomatis, quibus illas conformari oportebat, præter id, quod de denunciatione ambitionis alterius lib. 6. c. 10. à n. 10. tractatum est: vnde videri posset in Societate vtendum esse iuris communis forma iudiciali, cùm opus esset aliqua iudiciali vti.

Limitatio.

III. *Ad Generalem cum opus erit, præsali aliqua forma recurrendum.*

Cæterùm in septima congregatione generali proposita quidem fuit forma iudicialis à Patribus per eam deputatis, vt habetur in decreto 94. Non censuit tamen congregatio pro tunc, decreto vllo esse firmandam, sed iudicio Patris generalis committendam, qui eam prouincialibus communicaret, maximè cùm grauior aliqua necessitas id postulasset. Vnde indicari videtur pro singulis casibus, iudicialem formam requirentibus non illico adhibendam formam iuris communis, sed recurrendum esse ad Generalem. Rursus in canone 10. §. 5. 6. congreg. iudicis quidem officium assumi, ac denuntiationem iudicialem fieri præcipitur, quoties bono communi, aut tertiæ personæ non prouideretur sufficienter per paternam correctionem, quis autem modus seu processus tunc adhibendus sit, ad instructionem ea de re remittitur, quæ tamen post editum canonem data non est.

IV. *1. Obiectio seu querela, quod Societas non seruet formam iuris.*

Sed nonnullorum querimoniis satisfaciamus, difficilis quippe eis apparet consuetudo, quam habet Societas expellendi aliquos ex suis religiosis, nulla seruata forma iudiciali, sed ex sola priuata informatione, & interdum (vt aiunt) parte non audita. Nam expulsio à religione est grauissima omniū pœnarum, quæ à religione infligi potest: ergo in illa imponēda maximè seruari deberet iudicialis ordo: si ergo in ea non seruatur, coniectura fit multo minus seruari in quibuscunq; aliis criminibus puniendis, vel pœnis inferendis. Accedit alia querimonia, quia frequentius hæc pœna (& idem est de alijs grauibus) imponitur à Generali, qui longè distat à reo: & ita non potest causam per seipsum examinare, neque excusationes eius audire, quod videtur graue onus subditorum.

2. Querela, quod distet nimium Generalis ad terminandas causas.

V. *Præmissio ad obiectionem.*

Ad principalem obiectionem respondetur, duobus modis posse Societatem aliquem expellere, scilicet; aut in pœnam delictorum, aut propter alias causas, quæ reddunt personam inutilem huic instituto; vel minus conuenientem tali religioni, etiamsi delicta non sint, neque in toto iustitiæ rigore puniri possint. Ex quibus duobus modis, prior ex se est inuoluntarius eiiciendo: nam parum refert quòd consentiat, vel repugnet reus respectu pœnæ, si aliàs illam meretur. Posterior autem modus neri etiam potest, aliquando inuito religioso, sæpè verò fit ex consensu & quasi conuentione partium. Quādo ergo eiectio fit, in pœnam tantùm, & nullo habito respectu, qui per se sufficiat ad excludendam personam, seclusa ratione pœnæ, tunc nunquam fit, nec potest legitimè fieri eiectio, nisi seruato ordine regulari in iudicio ferendo de delicto, propter quod talis pœna imponitur. Probatur argumento facto in obiectione. Item quia tunc eiectio est pœna iudicialis, seu legalis, sed in huiusmodi pœnis maximè necessarium est seruare iudicialem ordinem, saltem substantialem, ac in religione præscriptum: ergo. Item constitutiones Societatis non disponunt, vt hęc pœna aliter imponatur, nec per indultā Pontificia habet Societas in hoc aliquod speciale priuilegium: ergo debet seruare communem ordinem, quem recta ratio requirit ad huiusmodi pœnas inferendas, etiamsi rigorem iuris communis seruare non teneatur.

VI. *De quibus maximè procedat pronunciatum.*

Hæc autem assertio præcipuè locum habet in professis, nam in cæteris, nunquam eiectio est ita pœnalis, seu iudicialis, quin sit etiam conuentionalis, vt infrà num. 7. & 8 explicabimus. & ex hoc capite fieri potest vt iudicialis ordo quicunque ille fuerit, non ita necessario expectandus sit. In professis verò propriè habet locum hæc assertio, nam infrà libro 11. cap. 1. ostendam eos posse eiici à Societate propter delicta, & non propter aliam causam, illis inuitis. Vt ergo sic eijciantur, conuinci debent de delicto, procedendo iudicialiter, contra eos, aliquo modo sufficienti ad seruandum ius naturale, vt diximus. Dices, interdum contingere posse vt professus expellatur magis propter indemnitatem religionis, quam propter supplicium eius: ergo quando hæc ratio boni communis interuenit, nullus est expectandus iudicialis ordo, si bonum commune periclitetur. Respondetur primò, iam tunc non considerari puram rationem pœnæ, de qua assertio loquitur, sed rationem remedij, & cautelæ ad præuenienda mala, & ideo obiectionem non esse directè contra assertionem. Vnde secundò dicitur, tunc quidem ob illam rationem adiunctam, non esse necessarium eundem iudicialem ordinem, qui absque illa seruandus esset; nam tunc propter indicia, vel probabilem denunciationem inquiri potest de tali persona: quod aliàs non liceret, vt supra cap. 12. à num. 20. dictum est: nihilominus tamen etiam seruandus est aliquis ordo iudiciarius, ad illum finem sufficiens & accommodatus, iuxta superius dicta: nam aliqua denunciatio, vel indicia saltem talis personæ præcedere debent, & subsequi sufficiens probatio; ita vt faciant rem moraliter certam in humano iudicio, & in eo conferant notitiam publicā, id est, de qua posit publico testimonio constare. Addendū etiam est propter hunc finē vitandi alia mala, seclusâ ratione condignæ pœnæ,

non esse aliquem dimittendum; quando alia media sufficere possunt ad vitandum illud malum: quia cessat necessitas, & abscisio membri, non potest nisi ex necessitate honestari: vnde in vniuersum, si subditus corrigatur, & probabilis timor recidiui auferatur, non potest talis imponi pœna, cùm necessitas, seu periculum communis detrimenti cessauerit.

VII. Secundò dicendum est, quando quis excluditur, non in pœnam, nec propter incorrigibilitatem, sed propter alia commoda religionis, ipso non repugnante, sed potius consentiente, nullus est necessarius iudicialis ordo: sed quælibet informatio, seu notitia secundum prudentiam sufficiens, ad alia grauia negotia, ad hoc etiam satis est. Loquimur semper de notitia extra confessionem habita, nam sacramentalis non potest esse principium huiusmodi actionum. Ratio ergo est: quia ad humanos contractus non est necessaria iuridica probatio, aut notitia; hic autem est veluti quidam contractus, cùm fiat ex communi consensu vtriusque partis. Item quia tunc cessat omnis ratio iniuriæ, aut violentiæ. Hic autem modus dimissionis non habet locum in professis, quia nec religio habet potestatem dimittendi illos, nisi cogente causa omnino necessaria boni communis, vel iustitia id exigente: neque ipsi possunt voluntariè exire cùm omnino absolutè promiserint. Existimo etiam in coadiutorib. formatis non esse permittendum hunc modum dimissionis: quia illi iam non sunt vllo modo in probatione, sed suo modo in termino: & ideo quamuis possit religio illos expellere etiam solutis votis, non tamen quasi ex conuentione, vel pacto cum illis, sed tantùm ex causa ita vrgente, vt possit religio etiam inuitos iustè compellere ad egressum: quia strictiori modo eorum vota ad traditionem acceptauit, vt in superioribus libro 7. cap. 2. visum est. In scholaribus ergo approbatis habet locum prædicta assertio: nam licet expelli non possint sine causa iusta, interdum potest esse talis, quæ sufficiat ad hunc modum expulsionis, & ad alium non obliget, vt constat etiam ex superioribus lib. 3. c. 9.

Hoc pronunciatum de professis aut formatis nō procedit

VIII. Tertiò dicendum est, quando aliquis è Societate excluditur in pœnam in pacto, & conuentione fundatam, posse expelli absque iudiciario ordine de plano procedendo ex notitia sufficiente, & moraliter certa, ac exterius probabili: quod multo magis licet quando cum ratione pœnæ coniungitur respectus ad religionis indemnitatem, vel iustam vtilitatem in futurum. De hoc modo expulsionis videtur loqui obiectio facta: nam hic est qui frequentiùs in vsu habetur, & qui est maximè proprius huius religionis: nam alij modi expellendi propter incorrigibilitatem, vel scandala, rariores sunt, & suo modo in alijs religionibus vsitati: nec potest cum fundamento argui Societas, quod maiori facilitate, aut minus exacta causarum examinatione & probatione, quàm in cæteris fiat, aut non seruato iustitiæ ordine, quem regularis status patitur, & requirit. Alius ergo vsitatior modus consideratus est in obiectione: oportet tamen aduertere duplicem esse pœnam, quandam legalem, & quasi debitam ex vi delicti per se spectati; aliam verò conuentionalem, quę debetur ratione delicti ex cōuentione antea facta. In priori exigenda necessaria est iudicialis probatio, & condemnatio: in posteriori verò minimè; sed iuxta conuentionem, quæ inter partes præcessit; exigi potest suppositа rei veritate, eiusque morali certitudine, & notitia exterius probabili. Quia tota iustitia huius pœnæ fundatur in conuentione iusta; ergo etiam modus exactionis, ex conuentione regulandus est: & si fuerit illi conformis, erit iustus, cum aliàs intrinsecam iniquitatem non contineat. In præsenti ergo, electio scholaris approbati à Societate, principaliter fundatur in pacto & conditione sub qua intra Societatem admittitur: hæc autem conditio est vt quando vel ipse meruerit, vel Societati ad suam indemnitatem necessarium fuerit, expelli possit, iuxta constitutiones: ergo vt iustè hoc fiat, nullus alius modus necessarius est, nisi quem constitutiones requirunt: ergo si talis conditio seruetur, nulla fit iniuria ei, qui dimittitur.

Modus autem ille, in summa, in duobus consistit. IX. Primum est, vt causa dimissionis sit iusta, & vt sic dicam, satis iustificata. Secundum est vt de illa sit sufficiens & moraliter certa notitia apud superiorem. Ad primum spectat vt subditus semel & iterum de delicto admonitus sit, vt emendetur, & quòd incorrigibilem se ostendat, vel spem moralem afferat emendationis, & cōsequenter vtilitatis ad ministeria Societatis, & hoc modo intelligo debere esse causam iustificatam. Quod regulariter intelligendū est: nam interdum esse posset tam enorme delictum, vt ad eiectionem statim sufficiat, vel ad præcauendam infamiam religionis, vel quia vix potest concipi spes de securitate talis personæ, & aptitudine ad hoc institutum, vt latiùs in superioribus dictum est. Ad secundum autem pertinet, vt non facilè credatur vnius vel alterius denunciationi. Et in primis obseruandum est, vt si delictum denuncietur superiori vt patri, etiamsi certissimè comprobetur, non procedat ad eiectionem, sed ad solam emendationem subditi, qui est finis illius denunciationis, & ideo quasi sub hac lege, vel conditione datur illi talis notitia.

Dimissio religiosi.

Duo requisita.

Hoc autem limitandum est, nisi aliqua magna, & X. vrgens ratio boni communis eiectionem postulet, nam tunc sufficit quæcunque certa notitia causæ, quia & ipse denuncians tunc tenetur rem prodere, eo modo, quoad subueniendum bono communi fuerit necessarium, ac sufficiens. Deinde quando post denuntiationem paternam omnis diligentia ad emendationem subditi adhibita est, & non sufficit, licitè fit transitus ad iudicialem, quia id iam meretur contumacia subditi: & ideo, si de delicto & contumacia moraliter certò constet, sufficit. Idemq; est quando nō præcesit paterna denuntiatio, sed superior ipse vigilans & obseruans mores singulorum, aduertit in aliquo manifesta indicia aliquorum defectuum: vel ipsi vt iudici per alios deferuntur: vel ipsemet reus confitetur delictum extra confessionem, & extra secretam & paternam consultationem: quicunque enim ex his modis sufficit, dummodo ad notitiam moraliter certam perueniatur. Quis autem debeat esse modus huius certitudinis, non est per vllam legem, & constitutionem præscriptum, sed prudentiæ relinquitur, nam pendet ex qualitate testium, & ex modo iudicioru, vel coniecturarum, & ex qualitate etiam delicti, & alijs circumstantijs: & propterea non solùm permittitur, sed etiam iniungitur, superiori, vt priusquam de aliquo eijciendo decernat, maturo consilio id tractet cum aliquibus prudentibus viris, vt videre est tum in instructione latiori de demittendis data anno 1604. tum in contractiori, cap. 15. p. 2. Denique etiam monetur, vt priùs reum audiat, & si quam habet excusationem, aut purgationem, illam tribuat. Atq; ita omnis æquitas naturalis in hoc negotio seruatur.

Limitatio.

XI. Dices, quæ ergo differentia est inter hanc eiectionem, cum fit per modum pœnæ legalis, vel conuentionalis: quia in neutra requiritur exactus ordo iuris; sed de plano procedi potest iuxta consuetudinem regularem: in vtraque autem requiritur ille modus procedendi, & examinandi causam, qui ad mora-

Dubium.

Responsio.

moralem certitudinem sufficiat? Respondeo in primis in qualitate causæ magnum esse discrimen, vt in superioribus tractatum est. Deinde etiam in certitudine, quę postulatur, est magna differentia: nam ad pœnam legalem necessaria est probatio plena, vt in superioribus declaratum est, & maximè habet verum in pœna tam graui, qualis est electio professi à sua religione. In altera verò conuentionali pœna non est necessaria tam manifesta probatio, sed sufficit ita probabilis vt prudenter & sine temeritate iudicari possit, ita factum esse. In quo etiam est confiderandum, in hac electione in conuentione fundata nunquam considerari prę cipuè rationem pœnæ, sed quod magis expedit religioni, & ministerijs eius; ideoq; ea notitia ordinariè sufficit ad electionem, quæ sufficit, ad prudenter iudicandum hanc personam non esse aptam huic instituto, vel religionem non posse illi securè confidere sua ministeria. Denique etiam quoad ordinem, & modum procedendi in huiusmodi iudicio est magna differentia inter has duas causas & pœnas: quia in pœna iudiciali ferenda licèt non oporteat rigorosè seruare ius canonicum iudiciale quoad omnia accidentalia, tamen seruare oportet ea, quæ sunt de substătia publici iudicij aliquo ex modis in discursu capitis duodecimo declaratis. In posteriori verò pœna, hoc necessarium non est, sed sufficit moralis diligentia, quæ arbitrio prudentis Prælati adhibenda est, seruatis legibus iustitiæ & charitatis: sicut in faciendo, vel dissoluendo aliquo graui contractu adhiberi solet.

XII. *Ad 1. quæstam in fine eiusdem n. 6.*

Per hæc satisfactum est priori querelæ. Altera verò quæ subiungitur, potiùs ostendit suauitatem, & maturitatem, quam in his rebus seruat Societas. Nam regulariter huiusmodi causæ, si quæ sunt, per immediatos superiores, si sint de rebus communibus, & ordinarijs; vel per Prouinciales, si sunt grauiores terminari possunt. Quando autem res est grauior, & in vniuersum, quando aliquis post vota emissa dimittendus est, vltima resolutio Generali præposito reseruata est, non in grauamen, sed potiùs in fauorem subditorum, vt nimirum cum maiori consilio atque adeò cum maiori difficultate talis pœna, vel tale remedium applicetur. Neque per hoc priuantur subditi omni auxilio ad suam defensionem, non solùm per literas, recurrendo ad Generalem, quod minus commodum videri potest, sed coram proximioribus Prælatis pro se respondendo, & omnes causas excusationis allegando, vel (quod efficacius esse solet) emendationem offerendo. Nam si Prouincialis, v.g. per seipsum esset totum negotium absoluturus, per hoc censeretur satisfactum iuri subditi: ergo etiamsi totum negotium, quoad resolutionem, ad supremum Prælatum deferendum sit, remedium illud sufficit ex parte subditi, cùm de re tota habiturus sit Prælatus integram notitiam prius, quàm sententiam suam proferat, quemadmodum etiam in instructione citata in fine n. 12. de dimittendis latè declaratur.

CAPVT XIV.

Virùm regula Societatis ad eius conuenientem gubernationem & religiosam directionem apta & sufficiens sit.

I. *Ratio præsentis capitis.*

QVoniam humanum regimen benè institutum præter naturalem & diuinam legem, aliquam etiam regulam, & quasi normam sibi propriam & accommodatam requirit: ideò in fine huius libri pauca de Societatis regula addenda censui. nam licet in superioribus ferè totam viuendi rationem Societatis, & consequenter constitutiones eius explicuerimus, hic tamen oportet summatim vniuersas Societatis regulas, earũq; methodum, ac rationem proponere, & omnes vulgares obiectiones commemorare, vt si iam illis satisfactum fuerit, loca præ manibus habeantur, vel si quid residuum fuerit, addatur.

II. *Regula, & statutum, quomodo in aliis religionibus usurpentur.*

Diximus autem in superioribus tract. 8. c. 1. solere in multis regionibus frequenter distingui regulam à constitutionibus, vel statutis: nam regulam vocant, quæ à primo fundatore orta est, vt regula Augustini, Benedicti, Francisci, vel quæ à fundatore alicuius religionis sumpta est ab alio antiquiore, vt fundamentum religionis sue, sicut est regula Augustini in religione Prædicatorum, vel S. Benedicti in religione S. Bernardi, & multi putant ita se habere regulam S. Basilij ad ordinem Carmelitarum. Constitutiones autem dicuntur, quæ à posteriorib. capitulis, aut Prælatis additæ sunt. Societas verò nullam antiquam regulam assumpsit, quam profiteretur, sed à suo fundatore habuit constitutiones à Sede Apostolica approbatas per modum propriæ regulæ, (quanquam ferè omnia in eis inueniantur ex vsu antiquorum Patrum, & aliarum religionum) vnde potiùs dicere possumus constitutiones Societatis esse regulam eius, nam illas habuit à suo fundatore tanquam propriam viuendi normam, cui conformari debent omnia alia statuta, vel ordinationes si quæ fuerint, imò in illis virtute continentur. Præter constitutiones verò, sunt multæ aliæ ordinationes in Societate, quæ generali nomine regularum comprehenduntur. Quod si velimus cum proportione applicare distinctionem illam de *regula, & constitutionibus*, possumus in præsenti dicere, regulam Societatis esse compendiariam illam rationem & summam totius instituti, quæ in Bullis Pontificijs 1. Pauli III. & 1. Julij III. continetur, nam finem & substantialia media Societatis complectuntur, & ita ipsa Bulla appellatur ibi, *Quæ ad regulæ huius nostræ obseruationem faciunt*: Reliquas verò leges omnes nomine statutorum, aut constitutionum comprehendi.

Quomodo in Societate.

De propria regula & constitutionibus Societatis.

III. *Capita quinq; decim regulæ, seu instituti Societatis.*

Regula ergo hoc modo accepta, quantum ex citatis indultis colligitur, hæc capita continet. Primum, finem Societatis esse propriæ perfectioni, & proximorum saluti incumbere. Secundum, in Societate varios esse debere personarum gradus, vt vnusquisque possit iuxta gratiam à Spiritu sancto sibi subministratam ad prædictum finem cooperari. Tertium, vnum esse debere in Societate Præpositum Generalem, ad quem pertineat hos gradus & officia, ac ministeria omnia distribuere: & vniuersam Societatem regere. Quartum, hanc religionem totam speciali ac proprio modo sub obedientia Pontificis militare, & ideò speciali voto obedientiæ illi consecrari, & astringi. Quintum, vt professi Societatis solenne votum paupertatis, castitatis, & obedientiæ emittant. Sextum, vt nominatim commendatam habeant puerorum, ac rudium in Christiana doctrina instructionem. Septimum, vt Societas professa non tantum in particulari, sed etiam in communi paupertatem profiteatur & obseruet. Octauum, vt Societas habere possit Collegia, quæ proprios habeant reditus ad scholares Societatis alendos: quorum Collegiorum, & studentium gubernatio, & bonorum Collegiorum administratio ad Societatem professam pertinet: ita tamen vt in suum emolumentum bona dictorum Collegiorum conuertere non possit. Nonũ, vt scholares Societatis post suf-

ficientem probationem in Societatem admittantur per vota substantialia religionis, iuxta constitutiones Societatis emissa, id est, non solennia, sed simplicia, ita vt in potestate Societatis maneat sic admissos liberos dimittere, si expediens fuerit. Decimum, vt Societas coadiutores spirituales, & temporales admittere possit per vota etiam simplicia, iuxta constitutiones Societatis emittenda. Vndecimum, vt in Societate sint congregationes generales, ad quas perpetuas constitutiones condere, declarare, & mutare, & res grauiores transigere pertineat. Duodecimum, vt Præpositus Generalis per electionem generalis Congregationis creetur: quoad reliqua verò omnia, & prouisionem omniũ inferiorum Prælatorum potestas sit penes ipsum Generalem. Decimumtertium, vt socij etiam professi non teneantur communiter vel in choro officium canonicum canere, aut recitare, sed tantùm priuatim si in sacris ordinati sunt. Decimumquartum, vt in exteriori modo viuendi, in vestitu scilicet, victu, &c. consuetudinem honestorum, ac pauperum sacerdotum retineant. Decimumquintum, vt ad solemnem professionem non recipiantur, nisi post diuturnas, & diligentissimas probationes, per quas vita & doctrina admittendorum explorata fuerit. Hæc est summa instituti, & quasi regula Societatis; quæ expressè quoad hæc omnia capita in dictis indultis Summis Pontificibus proposita fuit, & ab eisdem confirmata, & postea à Gregorio XIII. XIV. & Paulo V. in suis constitutionibus exactissimè declarata, approbata & defensa. De singulis etiam à nobis est in superioribus disputatum; ita vt quoad hanc partem nihil in præsentiarum addendum superfit.

IV. *Constitutiones Societatis post aliam regulam, obtinent primũ locum. Earum confirmatio.*

Post hanc regulam inter leges, seu Societatis statuta primum locum obtinent constitutiones, quas summo consilio, & non fine magno Dei lumine diuturnis orationibus impetrato, B. P. N. Ignatius edidit, vt in vita eius lib. 4. cap. 2. Petrus Ribadeneira non minus eleganter, quam fideliter refert, qui etiam addit, eam fuisse sancti viri modestiam, vt noluerit constitutiones à se editas, ratas esse ac firmas, donec eas Societas vniuersa suo etiam iudicio comprobaret. Quod factum est in prima Congregatione generali post eiusdem Beati Ignatij fœlicem mortem can. 4. his verbis, *Constitutiones firmæ, ac ratæ habendæ, & etiam obseruandæ sunt, prout in exemplari originali Patris nostri Ignatii habentur.* Circa quæ verba aduerto, in volumine constitutionum in rigore distingui constitutiones, ab examine, & à declarationibus constitutionum. In hoc autem canone intelligo *constitutionum* nomine omnia illa comprehendi; quia examen, licet extra decem partes constitutionum numeretur, quia non tam ad religiosorum regimen, quam ad cognitionem de recipiendis comparandam ordinatur: re tamen vera constitutiones continet æquè immobiles, & ad bonum Societatis regimen æquè necessarias, & eodem modo obligantes Prælatos vel officiales Societatis, quatenus per eos illud examen mandandum est executioni. Declarationes etiam (vt in principio earum, & 6. p. cap. 1. liter. A. dicitur) eiusdem authoritatis sunt cum constitutionibus, solumque ad maiorem claritatem; & explicationem aliquarum rerum particularium illo modo positæ sunt. Denique illa tria eundem habent authorem Ignatium, ideò æquè rata, ac firma declarantur in prædicto canone. Et ita etiam intelligenda censeo multa loca constitutionum, & Bullarum Apostolicarum, in quibus *constitutionum* obseruantia commendatur, vel aliquid secundùm *constitutiones* agendum dicitur: semper enim constitutionum nomine illa omnia comprehenduntur, quia reuera talia sunt. Sic etiam intelligo 2. canonem 3. Congregationis, vbi Societas satis declarãuit, quanta reuerentia has constitutiones prosequeretur, cùm sic statuit, *Nullo modo expungendæ sunt constitutiones, quæ ratione temporum, vel alias ob causas in praxi non sunt, sed potius oportet vt inuiolatæ permaneant, vt quales à sanctæ memoriæ Reuerend. Patre nostro Ignatio actæ sint, tales omnino ad posteros transmittantur.* Etquia Beatus Ignatius in vulgari Hispana lingua constitutiones conscripserat (quorum exemplar apud nos habemus (in Latinam, ac communem linguam verti necessarium fuit, id tamen non solum summa diligentia factum est, sed etiam in duabus Congregationibus generalibus, tertia, & quarta: iterum atque iterum recognita versio est emendata; & approbata, vt ex canon. 3. Congregation. 4. constat. *Nomine constitutionum veniunt examen & declarationes.*

V. *Dicta multorum Summorum Pontificum confirmant vtilitatem.*

Ex his ergo colligimus propriè, & in rigore totum hunc constitutionum librum esse regulam Societatis, quam Pontifices approbarunt, & confirmarunt sub nomine *Constitutionum*, vt videre licet in dictis indultis Pauli III. & Iulij III. & in constitutione, *Quanto fructuosius, &, Ascendente Domino*, Gregorij XIII. Continent autem hæ constitutiones si attentè legantur, omnia, quæ ad perfectum regimen huius religionis per proprias constitutiones tradi poterant. Dico autem *per proprias constitutiones*, hæ namque sunt, quæ ad res immutabiles pertinent, & vniuersaliter obseruari debent, vt in proœmio earum declaratur, ideoquenon oportet vt ad particularia nimium descendant, tamen in suo ordine, & generalitate plenam, & perfectam prouidentiam, cum magna breuitate & summa perspicuitate, ac mirabili methodo coniunctam habent.

VI. *Confirmatur numerus huius.*

Inprimis enim omni religioni necessarium est in delectu recipiendorum summam curam ac diligẽtiam adhibere: quia nisi ingenium, & conditio personæ ad religionem & ad tale instituum religiosum accommodata sit: crescet quidem religiosorum multitudo, multum autem eius splendor, & perfectio minuetur: & ideo sancti Patres hanc curam plurimum commendant, vt constat ex Basilio regul. 11. ex fusioribus. Cassian. lib. 4. de institut. renunc. Bonauentur. quæst. 9. & 10. super regulam. Quos Patres imitatus noster Ignatius primum membrum, seu præambulum suarum constitutionum esse voluit, examen recipiendorum, in quo accuratissimè hanc diligentiam præscribit iuxta modum huic instituto accommodatum. Et in 1. p. constitut. quæ in eorum admissione seruanda sunt, statuit. Quoniam verò non solum in recipiendo, sed in retinendo, & conseruando magna cautela & prudentia necessaria est, & quia dimissio admissioni contraria est: ideo statim in 2. p. const. de his, quæ obseruanda sunt in dimittendis illis, qui Societati non inseruiunt, vel vtiles futuri non sperantur, copiosè disponit. In reliquis verò partibus constitutionum, singulis membris huius corporis sapientissimè prouidet. Et quidem in 3. d ocet modum regendi, & promouendi eos, qui in probatione versantur, sub quibus tam nouitios, quam religiosos scholares complectitur, imò cùm vita religiosa, ferè omnibus eodem modo communis, & eiusdem rationis sit, in illa parte generatim statuit, de his, quæ ad regimen propriarum personarum Societatis, tam in spiritu, quàm in corpore, pertinent: quarta verò ea continet, quæ ad profectum in literis, & in vniuersum ad studia Societatis necessaria sunt. In quinta & sexta traduntur varij modi, quibus religiosi corpori Societatis per religiosa vota, seu professionem vniuntur, & quæ vnusquisque in suo gradu iam constitutus seruare debet, & præsertim in sexta, perfectio vtrorum Societatis, & regularis obseruantia, quæ ab his religiosis postulatur

Confirmatur numerus huius.

durus

dum viuunt, & pietas quæ circa illos iam defunctos exercenda est, accuratè declaratur. Septima pars de ministerijs erga proximos disserit. Et quia occasione talium ministeriorum, non potest Societas non esse per varias mundi partes dispersa, ideo in 8. p. summa prouidentia præscripsit S. Ignatius modum, quo membra huius corporis, & inter se, & cum suo capite vnionem essent seruatura: nihil n. ad illius conseruationem, & in suis ministerijs efficaciam magis necessarium excogitari poterat. Nona pars, tota est de ipso capite seu Generali Societatis; in vltima verò, generalia consilia traduntur, quæ ad totius corporis conseruationem, & augmentum plurimum conferre possunt, & ita nihil videtur relictum, quod ad huius religionis regimen, iuxta suum peculiarem finem, & institutum, conferre posse videatur.

VII. *Contenta in his constitutionibus cõsonant antiquitati.*

In his autem constitutionibus, vt n.2. dixi, ferè omnia inueniuntur, ex vsu antiquorum Patrum, & aliarum religionum desumpta, & licet aliqua noua visa fuerint, secundùm mores & consuetudines iam receptas in communi statu regularium, reuera sunt antiquitati consentanea, & præsertim vitæ & religioni, quam ipsi Apostoli, & eorum coadiutores professi sunt, vt latissimè ostensum est, per totum hunc tractatum explicando singula puncta paulo antea in num.3. proposita, in regula compendiaria (vt sic dicam) Societatis, & in n.4. ad breuem summam redigemus.

De summario constitutionum.

VIII. Quia verò constitutionum omnium obseruantia, praxis, & comprehensio, non pertinet ad singulos de Societate, sed ad eos quibus regimen illius commissum est, ad eos maximè pertinet integrum illorum volumen diligenter euoluere, & præ manibus habere, & cum oportuerit, vel ad earum executionem, vel ad earum rationem reddendam parati sint: pro alijs verò omnibus simplicib. religiosis, summarium breue constitutionum extractum est, quod nomine etiam regularum generalium appellari solet: quia in eo generalia capita perfectionis ab omnibus huius instituti professoribus seruanda proponuntur. Solet autem regula religiosa primùm proponere finem talis status, & deinde media, quæ tres vel quatuor partes habere possunt, iuxta doctrinam D. Thom. 2.2. quæst. 186 art. 9. iuncto quodlib. 1. art. 2. scilicet, consilia pura, ordinationes simplices, & præcepta propria: in illo ergo summario, imò (vt in superioribus dictum est) in omnibus eius regulis, nulla sunt propria, & rigorosa præcepta, præter pauca, quæ in constitutionibus, vel in generali aliqua congregatione, habentur: quæ sunt de rebus valde vniuersalibus, & quæ raro occurrunt, ideoque in ordinaria regula non ponuntur.

IX. *Partes huius regulæ summarij.*

Primò ergo, in dicto Compendio, siue summario post præambulum de necessitate, & ratione condendi regulam, & constitutiones in 2. §. finis Societatis proponitur, qui satis à nobis lib. 1. cap. 2. declaratus est, & de cuius perfectione nulla est, nec esse potest controuersia. In 3. verò & 4. §. statim proponitur generalis ratio & modus viuendi in exterioribus, vbi tria tanguntur. Vnum de habitu communi clericorum, aliud de moderatione in austeritate vitæ, quoad corporales pœnitentias, non præscribendo illas in regula scripta, sed per regulã viuam, id est, superiorem. Tertium punctum ibi insinuatum est de modo clausulæ Societatis: non est enim instituta hæc religio, ad viuendi modum omnino à consortio hominum seiunctum: nec vt religiosi intra claustra semper degant, sed vt huc, illucque suis temporibus discurrant, & inter proximos, ad illos lucrandos versentur: circa quæ triplex disputatio principalis occurrebat. Prima de habitu Societatis, quam lib. 1. cap. 5. expediuimus, cuius rei summa est, quam Basilius in regulis breuioribus, ad interrogationem 210. tradit; erat enim interrogatio, *Quis est ille, qui traditus est ab Apostolo habitus ornatus?* Responsio verò est, *Nempe vsus ad propositum cuiusq; finem accommodatus, cum decoro ac dignitate, habita ratione temporis, loci, personæ, vtilitatisque.* Quare licet idem Basilius regul. 22. ex fusioribus, Benedictus, Franciscus, alijque Patres, in suis regulis, proprio vnusquisque modo religiosum habitum requirat; non sunt contrarij, nec inter se, nec nobis, quia vnusquisque iuxta finem à se propositum locutus est. Secunda, de exteriori ratione, ac modo tractandi corpus in victu, somno, alijsque austeritatibus, & pœnitentiis, quam ex professo tractaui eodem lib. 1. cap. 9. nunc que illam reduco ad eandem regulam, vt tractatio hæc corporis sit fini religionis accõmodata, quam etiam significauit Basil. serm. 1. de Instit. monachor. col. 4. dicens, *vt neque corpus delicijs dissoluat, nec macerationem nimia atteratur, nec, aut variis perturbationibus reddatur obnoxium, neque, si efficiatur morbosius, Dei mandata* (religionis leges & instituta interpretor) *exequi non possit.* Et satis ad rem nostram accommodatè in responsione ad interrogationem 196. ex breuioribus: quæ fuerat, *Quomodo manducat quis, & bibit ad gloriam Dei,* & respondet inter alia, *Qui non tanquam ventris mancipium propter voluptatem manducat, sed tanquam operarius Dei, vt in operibus iis, quæ sunt ex mandato Christi, exequendis esse firmior possit:* similiaque multa habet in regula 19. ex fusioribus. Tertia disputatio erat de clausura tam commendata religiosis, quæ nulla, vel minima in hac regula præscribitur: sed de hac re dicemus statim circa alias regulas in fin. numero 12.

1 *Punctum de habitu Societatis.*

2 *De modestiore exteriori habitu.*

3 *De clausura.*

Postea verò in eadem summa constitutionum à §. 5. ad 8. de vsu Sacramentorum in Societatis ingressu, & progressu seruando, statuitur. Deinceps vsque ad §. 19. egregia consilia traduntur, ad quærendam perfectionem, tam in perfecta seculi renuntiatione, quàm in abnegatione sui, tum externa, tum maximè interna, & præterea in solidarum virtutum acquisitione & exercitio, præsertim charitatis, & humilitatis. Et in 14. notari potest remedium curandi superbiam, & alia similia vitia, adhibitis contrarijs, in vsu & exercitio actionum, quod est Basilij in regula 51. ex fusioribus. Et ad idem faciunt regula 35. ex eisdem, & regula 289. ex breuioribus: specialiter verò in § 20. stabilitas, non solùm in ipso statu religioso, sed etiam in eo gradu eius, in quo vnusquisque à superioribus constituitur, commendatur. Ad hæc spiritualium rerum, & exercitiorum cura §. 20. & 22. præscribitur. Ac deinceps, de perfectione votorum, vsque ad §. 4. tractatur, & præcipuè circa obedientiam insistitur, tam in operibus humilioribus, quàm altioribus; & non solùm in rebus agendis, sed etiam in pœnis pro defectibus sustinendis. In particulari verò prohibetur scriptio, vel receptio literarum nisi per manus superioris. Quod etiam Augustinus in sua regula statuit cap. 4. & cum superioribus claritas, & totius animæ, ac conscientiæ manifestatio sub debito reI giosæ regulæ constituitur, tanquam huic instituto maximè necessara, vt suprà in cap. 6. visum est. Denique de vnione fraterna, & alijs quæ ad mutuam charitatem, & ad perfectionem iuuare possunt, vsque ad finem illius summarij statuitur. In quibus nihil occurrit, quod difficultatem habeat, vel nouam explicationem requirat.

X. *Quid in casu summarij regulis præscribatur.*

Vide Nau. cap. non dicatis nu. 13.

Tria puncta Ordinarij modum viuendi exterius quem regula præscribit.

De regulis quæ communes appellantur.

XI. Præter hæc omnia, sunt in Societate aliæ regulæ, quæ communes dicuntur, non tam ex obiecto, vt præcedentes, quàm ex subiecto, seu ex parte personarum, pro quibus feruntur. Pro omnibus enim religiosis Societatis constituuntur, in quo differunt à regulis specialium officiorum, de quib. statim, licèt vtrarumque nullus superior infra Generalem auctor esse possit, vt in 1. Congregatione decreto 143. habetur; Sed in hoc conueniunt cum regulis generalibus, seu summario constitutionum, quia etiam illud ad omnes pertinet: tamen in materia *circa quam*, videtur esse diuersitas: nam constitutiones hactenus infinuatæ circa generalia quædam principia perfectionis versantur, & ea consilia tradunt, quæ substantiam (vt ita dicam) internæ & externæ perfectionis attingunt; in regulis autem communibus, quæ exterius obseruanda sunt, & ad communis vitæ ordinem & conuenientem dispositionem pertinent, in particulari statuuntur.

Interest inter hæc regulas, & summarium atque speciales.

XII. Videntur autem, in quatuor præcipuas partes diuidi. Nam primùm ordinantur ea, quæ spectant ad obseruantiam spiritualium exercitiorum, & diuini cultus, quæ in omni religione primum locum habere debent, & consonant illis regulis, quæ tradit Basilius regul. 37. ex fusioribus. Deinde à regula 5. quæ ad exteriorem decentiam, temperantiam, paupertatem, obedientiam, vnionem animorum, & alias religiosas virtutes, & particulares circumstantias circa illas obseruandas, prudentissimè & accuratissimè disponuntur. Docetur enim quomodo vnusquisque, in toto ordine vitæ, & circa seipsum, & circa superiores, & circa fratres suos, se gerere debeat: legatur Basil. epist. ad Canonicam, ibi enim multæ ex illis regulis reperientur, præcipuè non ingrediendi cubiculum alterius, nec se ingerendi aliorum officijs, vel ministerijs sine Superioris ordinatione: legatur etiam regula eiusdem Basilij 50. 52. 53. & cap. 41. ex fusius disputatis, vbi modum ferè eundem dependendi in omnibus à superioribus tradit. Postea verò à regula 36. traduntur ea, quæ circa proximorum conuersationem, & ministeria seruanda sunt, & omnia ad hoc reuocantur, vt ex voluntate: & arbitrio superiorum, ea tantùm negotia suscipiantur, quæ ad spiritualem proximorum fructum, & ædificationem sine perturbatione, vel detrimento, spiritualium bonorum religionis, expediri possunt. Quibus etiam consonant, quæ tradit Basilius regula 312. & 313. ex breuioribus; ac denique à regula 43. de modo egrediendi domo disponitur, vbi religiosa clausura in sua perfectione, iuxta finem instituti obseruanda proponitur. Vt enim dixit Basil. regula 311. ex breuioribus, religiosa clausura, non in hoc posita est, vt nunquam ex cella, vel domo religiosus egrediatur, sed vt non sine fructu, nec cum periculo morali, nec sine facultate Prælati: & hæc tria sunt, quæ in illis regulis intenduntur, ac præcauentur, quantum in generali necessarium est: in particularib. enim regulis de Sacerdotibus, si quid amplius necessarium est non omittitur, vt videbimus.

Earum distributio quadripartita.

De regulis propriis cuiusq; officii Societatis.

XIII. Præter has ergo generales, & communes regulas, sunt in Societate pro singulis ministeriis, seu officiis, propriæ, ac peculiares regulæ digestæ, quod non esse nouum ex illis verbis Basilii intelligimus in regul. 147. ex breuioribus, *vnusquisque in munere suo regulam propriam conseruet.* Neque id onerosum aut graue censeri debet, sed vtilissimum, vt vnusquisque magna luce, & claritate procedat, sciatque quomodo muneri suo satisfacere debeat. Regulæ igitur Præpositi Generalis sunt constitutiones ipsæ, & totum institutum, ideoque proillo peculiares regulæ non traduntur, dantur verò Prouincialibus, & omnibus inferioribus Prælatis, de quibus in superioribus satis dictum est: & quia illi etiam consilio, & auxilio indigent, & admonitione, pro Ministro etiam, consultoribus, & admonitore propriæ traduntur regulæ; pro quibus videri potest regula 48. & 54. ex fusius disputatis à Basilio. Item dantur pro Magistris nouitiorum, & præfectis spiritualibus, quorum munus quàm sit graue, & religioni necessarium, satis indicauit Basil. serm. de Abdicatione rerum, dicens; *Summa vigilantia, acerrimaque animi circumspectione operam date, vt aliquem tibi virum inuenias, quem in omnibus deinceps deleëtæ tibi vitæ studiis certissimum ducem sequare, qui rectum iter ad Deum volentibus pergere, sciat demonstrare*, cuius virtutes & proprietates deinceps latè describit. Et quamuis hæc possint ad superiorem, seu Prælatum religionis adaptari: tamen cum ipse non semper possit per seipsum omnibus prouidere, sicut in administratione rerum temporalium ministris vtitur, ita in spiritualium rerum cura illis vti necesse est, pro notitiis quidem proprio illorum Magistro, pro aliis iam prouectioribus præfectis spiritualibus, qui propriis regulis vnicuique statui accommodatis vtantur. Sic etiam Procurator, qui in temporali administratione instrumentum potissimum Prælati est, suas proprias habet regulas, quarum necessitas quanta sit satis declarant verba Basilij reg. 35. ex fusioribus, vbi attingens hoc munus, ait: *Quam verò difficile sit virum aliquem nancisci, qui Christi nomen, non aliquo pacto dedecoret, & cum forsitan sciat, quæ communis vitæ consuetudinem teneant: ita congrecum iis, vt cum sua ipsius professione congressio illa aliqua ex parte non discrepet, id metacente, etiam vos intelligitis.* Sic etiam de cæteris ministeriis, & officiis intelligendum est, tam in temporalibus ministeriis, quàm in literarijs, vt Scholasticorum, quam etiam in spiritualibus erga proximos, vt Sacerdotum & concionatorum, & de quibus hic in particulari dicere non est necessarium, quia nullam specialem doctrinam requirunt, & quæ notatu digna sunt, in superioribus, & in locis suis opportunius non sunt prætermissa.

Breuis excursio per regulas speciales cuiusque officii.

Præpositi Generalis regulæ.

Ministri & admonitoris regulæ.

Magistri Nouitiorum & Præfecti spiritualis.

Procuratoris.

Scholastici.

Sacerdotis.

De decretis, vel canonibus Societatis, deque ordinationibus Generalium.

XIV. Vltra hæc, adduntur decreta, seu canones Congregationum generalium, quamuis enim hic modus Concilij rarius in Societate, quàm in aliis religionibus congregetur, quia cum habeat generalem perpetuum, & omnia, quæ ad institutum pertinent, plenissimè dispositа & digesta sint, rarò occurrit necessitas faciendi totius religionis conuocationē, quæ sine aliis magnis incommodis non fit? Quamuis (inquam) hoc ita sit, nihilominus aliquando fieri necesse est. Quando ergo fit, authoritatem habet condendi decreta, & leges perpetuas, & declarandi constitutiones, vel etiam mutandi, si necesse sit, iuxta Bullam 1. Pauli III. & aliam Iulij III. ordinariè verò talia decreta sunt ad declaranda dubia emergentia, vel ad aliquid addendum, quod iuxta temporum varietatem, vel nouam obseruationem, seu experientiam rerum, necessarium, aut conueniens videtur, neque ad hunc locū spectat plura de huiusmodi decretis dicere. Possunt autem Generales suas ordinationes condere, quæ non

Sola Congregat. Gen. hac condere valet & mutare.

non extspirant per mortem eorum donec reuocentur, vt ex declaratione quartæ Congregationis, decreto 19. constat, in qua participant perpetuitatem legum. Nihilominus in hoc differunt à decretis Congregationum generalium, quòd posterior Generalis potest ordinationem sui antecessoris reuocare, non tamen potest vllus Generalis canones, vel decreta Congregationum generalium abrogare, quia congregatio est illi superior, & in hoc sensu dicitur in dicta Bulla Iulij III. esse proprium generalis Congregationis constitutiones condere, vel mutare.

XV. *Vtraq; tamè potest præpositus declarare efficacter.* Et in eodem sensu intelligo, esse dictum in Congregatione 4. generali can. 21. Præpositum Generalem potestate sua ordinaria posse constitutiones declarare, eius tamen declarationem non habere vim legis vniuersalis, sed tantum valere ad praxim bonæ gubernationis, quia sicut Congregationis generalis est leges condere, ita & hoc modo declarare; nomen enim *legis* interpretor esse ibi strictè sumptum, sicut nomen *constitutionis*, pro statuto immutabili, nisi ex potestate totius religionis & grauissima causa: sic enim non potest declaratio generalis habere vim legis, atque hæc interpretatio constat ex 7. Congregatione, decreto 76. Nihilominus tamen, sicut potest declarare, ita potest ordinare vt sua declaratio in praxi, & gubernatione seruetur, quandiu aliqua Congregatio generalis aliud non declarauerit: alioqui eius declaratio non haberet maiorem efficaciam, quàm data ab homine literato, quod dici non potest, quia sicut in alijs materijs habet potestatem præcipiendi seu ordinandi, ita etiam in hac. Talis autem ordinatio non cessat ipso facto per mortem Generalis iuxta decretum 3. eiusdem 4. Congregationis, & decretum 72. Congregationis 7. quod vniuersale est. Atq; hæc attigisse de regulis Societatis sit satis.

Concluditur Societatem regulis suis esse optimè, satisque instructam.

XVI. Ex quibus omnibus (vt quæstioni præpositæ directè respondeamus) satis constat Societatem, optimis & sufficientibus regulis institutam, & munitam esse, ideòque ex hac parte nihil amplius ad eius conuenientem gubernationem, optimamque religiosorum institutionem desiderari posse. Nam si personas spectemus, omnibus gradibus & ordinibus prouisum est: si virtutes, nulla prætermissa est tali religioso statui accommodata; quæ suis peculiaribus legibus, & documentis non fuerit communita: si officia, singulorum est ratio habita, & generatim erga Deum, erga Prælatos, erga seipsos, erga proximos, tum domesticos, tum etiam externos debita officia præscripta sunt; & speciatim pro singulis ministerijs, & solicitudinibus religionis peculiariter directiones stabilitæ sunt. Quod si in legibus, & regulis authoritas postuletur, habent profectò regulæ Societatis maximam. Nam inprimis piè credimus non defuisse Societati speciale illud auxilium, quod Deus fundatoribus religionum dare solet in suis regulis condendis, vt de Sancto Benedicto ait Bernardus in Euangelio: *Ecce nos reliquimus omnia*, & de ipso Bernardo refertur in eius vita lib. 1. cap. 5. & de Sancto Francisco in eius historiis, estque moraliter necessarium; quia non valet humanum ingenium suis viribus assequi omnia substantialia, & conuenientia media, ad finem adeò supernaturalem, & perfectum. Hoc ergo piè etiam credimus de regulis Societatis, saltem prout continent bases, & substantialia media huius instituti: vnde suprà etiam lib. 1. cap. 4. de constitutionibus, quæ sunt cæterarum regularum fundamentum, ostensum est, quam graue habeant ab authore suo & à modo, quo illas edidit, prudentię, & sanctitatis, testimonium: cui accesit quinque Congregationum generalium approbatio, proferens, & ostendens totius Societatis consensum, plurium iam annorum vsu, & experientia confirmatum, & quòd maius omnibus est, Apostolica Sedes, suprema sua authoritate illas consignauit multis doctissimis, atque sanctissimis Pontificibus ferè in vnam, eandemque sententiam concurrentibus, Paulo III. Iulio III. & Pio V. Gregorio XIII. & Gregorio XIV. Paulo V. quam in suis diplomatibus grauissimis verbis testatam reliquerunt. Reliquæ verò regulæ, seu ordinationes, quas in Societate diximus esse in vsu, vel ab eisdem congregationibus, & constitutionibus fidem habent, vel certè à Præpositis Generalibus, qui post fundatorem S. Ignatium, quatuor tãtùm, cum hæc scribimus, in Societate numerantur; Iacobus Laynez, Franciscus Borgia, Euerardus Mercurianus, Claudius Aquauiua: omnes vita, doctrina & aliis naturæ dotibus satis illustres, prudentiaque, ac rectitudine gubernandi insignes, & tam in condendis, quàm in cognoscendis, ac stabiliendis regulis magnorum virorum consilio semper vsi sunt: ergo ex parte regularum, & instituti, est sine dubio in Societate sufficiens instructio, & ad regendum aptissima; solùm à Domino efflagitanda est, ex parte Prælatorum, vigilantia & charitas; ex parte verò subditorum, humilitas, & obedientia, vt religio hæc cum diuinæ gratiæ auxilio, optatum finem consequatur.

Deinde ex authoritate conditoris, & pontif. confirmantium.

XVII. *Exhortatio ad hanc regulam.* Atque ex his omnibus (vt opinor,) non solùm satisfactum est omnibus communibus obiectionibus, quæ communiter contra institutum eius fieri solent, sed etiam omnium præcipuarum ac propriarum rerum huius religionis ratio reddita est: vnde meritò concludere, ac religiosos nostros grauiter admonere possumus vt hanc regulam, ac viuendi institutionem immutatam, illibatamque retineant: quod profectò, sine eodem spiritu, & speciali gratiæ auxilio, quo ipsa fuit condita, diu fieri non poterit: quia in huiusmodi rebus non minor, imò quodammodo maior gratia necessaria est, ad earum conseruationem, quam ad inchoationem. Non deerit autem diuina gratia, si non desit integra eiusdem regulæ obseruantia, quam omnibus hominum statibus, quibus speciali prouidentia Dei propria viuendi norma tradita est, commendatam intelligimus in illis verbis Deut. 5. *Hæc est via, ambulate in illa, & non declinetis neq; ad dexteram, neq; ad sinistram.*

XVIII. *Dehortatio à mutatione illius.* Quapropter suspecti nobis esse debent omnes, qui mutationem aliquam in præcipuis rebus huius instituti introducere voluerint: etiamsi sub specie, & nomine eiusdem Societatis, id se intendere profiteantur: non enim mouentur eo spiritu, quo Societas ipsa condita fuit, sed nescio quo alio peregrino, & fortasse non est nisi ambitionis spiritus, qui omnia semper interturbare conatur. Quibus respondere possumus, quod Bernardus in Apologia ad Gulielmum Abbatem, religiosis à sua prima institutione deficientibus obiicit: *sic Macharius vixit: sic Basilius docuit: sic Antonius instituit, sic Patres in AEgypto conuersati sunt, sic denique S. Odo, Maiolus, Odilo, Hugo, quos se sui vtique ordinis Principes, & præceptores habere gloriantur, aut tenuerunt, aut teneri censuerunt.* Res itaque tanta authoritate, & consideratione stabilitæ, & tam diuturna experientia confirmatæ, non facilè mutandæ sunt: donec plurium annorum contraria experientia doceat, ex aliqua illarum maiora sequi incommoda: quod de nulla constitutione præcipua huius instituti, cum minima specie veritatis affirmari potest. Resistendum ergo est totis conatibus huiusmodi inquieto spiritui: quod si qui fuerint eiusdem Societatis ingrati filij, qui-

quibus hæc mutatio in desiderio est, aut monendi sunt, vt mutent affectum suum, & spiritu humilitatis & obedientiæ cum diuina gratia induantur: statim enim inordinatus ille affectus per se cadet: aut si huic instituto accommodari nolunt, aut non possunt causantur: melius est vt ipsi de Societate mutentur, quàm vt propter paucorum affectum tota Societas tam graue malum patiatur.

INDEX CAPITVM LIBRI VNDECIMI.

De iis, qui religiosum statum à Societate mutant.

Cap. I. *Vtrùm professus possit à Societate expelli, & quas ob causas.*

II. *Vtrùm professus in Societate possit ad aliam religionem transmitti, & quomodo.*

III. *Ad quid teneatur professus è Societate electus, vel qui modo alio ab illa desicit, seu mutatur.*

LIBER



LIBER VNDECIMVS.

De iis qui religiosum statum à Societate mutant.

Varii modi huius mutationis alio remittuntur.

DVPLEX mutatio status religiosi potest in Societate contingere: vnus est quando persona ita mutatur, vt ex religioso fiat non religiosus: alter est, quando perseuerante religioso statu mutatur viuendi modus. Hic posterior modus communis est Societati cum aliis religionibus: Prior vero est proprius eius, locumque habet, non in religiosis professis, sed in cæteris gradibus, qui per vota simplicia constituuntur, vt suprà lib.3.cap.9. visum est. De priori ergo modo mutationis nihil nobis superest dicendum, quia in superioribus satis expositæ sunt causæ, ob quas in Societate hæc libertas & facultas retinetur, & quomodo, & quo ordine, & quibus ex causis illâ vtendum est, & quem effectum habeat circa personam electam, nam relinquit illam liberam religionis vinculo, & votis. Quare nihil etiam dicendum superest de obligationibus talis personæ, post factam mutationem, quia cum religiosa non sit, nullas obligationes habet, quæ ad præsentem consideratione pertineant per se loquendo, per accidens vero habere poterit, quia si fortè ante ingressum in Societate voto aliquo tenebatur, id planè post dimissionem reuiuiscet: nisi eius materia iam cessauerit, aut lapsu temporis transierit obligatio; qua de re extat decretum 132. 1 Congregationis generalis: & canon.22 eiusdem. An vero maneat tutus in conscientia, qui dedita opera male vixit, vt liber dimitteretur, in superioribus libro 3. etiam declaratum est. Quapropter de his, qui de Societate dimittuntur, nihil nobis dicendum superest. Alter modus mutationis varios habet modos, & gradus, de quibus satis diximus suprà in tract.8. libro 3. ex quibus multi, vel nihil habent speciale in Societate, vel in ea locum non habent. Vnus modus est inuoluntarius, & iniuriosus religioni, scilicet per fugam, vel apostasiam religiosi: & de hoc videnda sunt dicta in citato loco de religione in communi, quia si quid in hoc habet proprium Societas, ibi declaratum est, & in superioribus etiam est dictum hunc modum habere locum in omnibus gradibus Societatis, etiam in his, qui votis simplicibus incorporati sunt, & easdem pœnas incurrere, &c. Alia mutatio est, vel ad Episcopatum, vel ad beneficium seculare, vel ad habitationem perpetuam extra obedientiam religionis: & hæ mutationes non habent locum in Societate secundum regulam eius: vnde vel nunquam, vel rarissimè fiunt: si autem ex speciali dispensatione fiant: sequuntur naturam religiosi status iuxta dicta in superioribus. Idemque ferè est de mutatione per transitum ad alias religiones; & si quid habet speciale, suprà in communi doctrina tactum est, & ex dicendis hic accipi poterit: quare in his mutationibus immorari non est necesse. Est ergo alia mutatio per dimissionem, seu eiectionem ab ipsa religione per potestatem, seu iurisdictionem eius, quæ solùm contingit in professis, nam alii solent liberi dimitti, vt dictum est. Si autem aliquando dimittantur ligati, eandem proportionem seruabunt: & ideo de sola dimissione professorum superest nobis dicendum: & poterit res paucis expediri: quia præter ea, quæ communia sunt religioso statui, quæ hic repetenda sunt, pauca sunt specialia puncta, quæ aliqua declaratione indigeant.

Qua mutatio hoc in loco tranda.

CAPVT I.

Vtrum professus possit à Societate expelli, & quas ob causas.

CErtum inprimis est, in aliquibus casibus posse professum quatuor votorum à Societate expelli, vt in multis locis constitutionum declaratur. Nam 2. p. constitut. cap.1. §.1. *Quanuis causas ad dimissionem dignas eò grauiores esse oporteat, quo quis arctius Societatis corpori coniunctus est: quantumlibet tamen quisque coniunctus, in quibusdam casibus separari ab ea posse & debere.* Quod de separatione, per dimissionem in declaratione exponitur, & ad professos quatuor votorum in specie extenditur, *Cuiuscunque gradus* (dicitur ibi) *& dignitatis in Societate sint.* Adeo, vt 9.p. constit. cap.4. §.7. de ipsomet Generali idem dicatur; potest enim inprimis à generalatu deponi iustis de causis: deinde vero si causæ obligent, etiam à Societate excludi. ex quibus constitutionibus constat, cum professio & vota in Societate fiant, iuxta constitutiones eius, nihil fieri contra iustitiam, aut cõtra pactum in professione inclusum, eiiciendo professum iustis de causis, iuxta constitutiones, quia Societas sub hac conditione, & non alias, se obligat ad professos suos retinendos. Nec verò in eo genere contractus, est inæqualitas, vel iniustitia aliqua, vt à fortiori constat ex superiùs dictis de scholaribus lib.3. cap.2. num.4. & ex his quæ suprà tract.8. lib.3. in genere diximus de potestate eiiciendi professos in quacunque religione. Denique hæc libertas Societatis ad eiiciendos professos suos, generatim approbata est à Pontificib. Societatem, & constitutiones eius approbantibus, & confirmantibus, & specialiter à Gregorio XIII. loco statim citando in n.6.

I. *Assertio.*

Secundo dicendum est, posse Societatem expellere aliquem professum, non solum propter nimiam contumaciam & incorrigibilitatem: sed etiam

II. *Assertio bipart.*

iam propter graue crimen, quod in scandalum, vel infamiam Societatis verteretur. Prior pars cõmunis est omnib. religionibus; ideoq; satis patet ex his, quæ in communi diximus. Posterior verò posita est ad explicandum, quid in hoc habeat peculiare Societas: sine dubio enim habet ampliorem in hoc genere facultatem, maioremq; libertatem, quàm regulariter aliæ religiones habeant. Probatur ergò primò ex 2. part. consti. c. 2. vbi præter incorrigibilitatem, aliæ ponũtur causæ ob quas dimitti possunt religiosi Societatis. Et quanuis illæ præcipuè videantur habere locum in his, qui in probationib. versantur; tamen reuera sermo generalis est, vt constat ex præced. cap. primo 2. partis const. §. 1. in fin. vbi ita concluditur: *quantumlibet sit coniunctus Societati, in quibusdam casibus separari ab ea posset, ac deberet, vt sequenti ca. videbitur:* ergo doctrina illius cap. 2. ad omnes de Societate, quantunuis illi coniunctos ac professos, extenditur. Est autem considerandum, causas in illo cap. 2. numeratas ad duo capita reuocari. Prius est impedimentum aliquod antecedens primum Societatis ingressum, per mendacium, vel iniustam taciturnitatem in examine, & probationibus occultatum. Hoc autem impedimentum potest esse duplex, substantiale, & accidentale. Si ergo sit ex substantialibus, non est dubium quin statim ac detegitur, etiam post professionem emissam, eiicienda sit talis persona à tota Societate. Sed illa non est omissio, de qua nunc loquimur, quia iuxta doctrinam à nobis supra lib. 2. cap. 1. datam, illa professio non est valida: tunc ergo non eiicitur verus professus, sed fictus & apparens, nec dimittitur cum votis, sed sine illis, quia illa nunquam habuit.

Vnde constet prior pars.

Impedimentum antecedens ingressum duplex.

De substantiali impedimento.

III. At verò si impedimentum sit accidentarium, tunc non obstitit, quominus professio valida fuerit, & ideo maturiùs considerandum est, an eam ob causam debeat eiici professus. Quod enim possit, videtur colligi ex dicto cap. 2. §. 3. & 5. quia illa doctrina, vt dixi, generalis est: tamen, quia moraliter difficillimum est, etiamsi in principio huiusmodi defectus occultetur, tanto tempore, & per tot, tamque diuturnas probationes non detegi, & cognosci à Societate: ideo quando tales defectus (vt sunt, v.g. antiquus morbus, ingens æs alienum, & similes) non cognoscuntur publicè vsque ad professionem factam, moraliter præsumitur Societatem illos non ignorasse, sed dissimulasse propter aliquod maius bonum. Quod si ita contigerit, non habebit iam Societas ius dimittendi talem personam propter illam causam, quia voluntariè consensit in eius professionem, illa non obstante. Posito autem casu in quo cesset præsumptio, & re vera constet defectum latuisse vsque ad factam professionem, tunc vlteriùs duo ponderanda sunt: vnum est, an res sit adeò grauis, vt meritò censeatur Societas inuoluntariè admisisse talem professionem cum absoluta obligatione retinendi talem personam, non obstante tali defectu: aliud est an defectus ille, qui fortasse fuisset sufficiens ad non admittendam talem personam, satis etiam moraliter sit ad prudenter dimittendam illam: quia *turpius eiicitur, quam non admittitur hospes*, etiamsi fortasse per aliquam piam, vel indiscretam deceptionem admissus sit. Ponderandum ergo est, quid maioris momenti sit, vel scandalum, aut rumor, qui ex huiusmodi eiectionibus oriri solet, vel damnum Societatis in retinenda tali persona: si enim hoc damnum non sit magni momenti, nec redundet in res spirituales, aut in decentem famam, aliud remedium videretur adhibendum: quanquam in rigore potestas dimittendi non desit, qua etiam vti licebit, & expediet, si nocumentum Societatis grauius sit. Quæ omnia sunt consentanea declarationibus illius c. 2. litera B.

Accidentale impedimentum quousque sufficiat ad eiectionem.

Posterius caput causarum huius dimissionis esse potest vitium aliquod, aut peccatum post ingressum in Societatem commissum. In quo est vlteriùs animaduertendum, fieri posse, vt hoc peccatum sit ante solennem professionem intra Societatem commissum, vel post illam. Quando est prioris modi, minoris est considerationis: tum quia iam supponitur emendatum: (nam si adhuc duraret, non posset dici solùm ante professionem commissum, sed etiam post, nam ipsa perseuerantia peccatum nouum est: esset ergo antea inchoatum, postea verò quasi consummatum, quod non minueret, sed augeret causam eiectionis propter duritiam & insurdescentiam): tum etiam, quia tale peccatum supponitur in ipsa professione extinctum, ac planè dimissum, & ideo si non reincidatur in illud, nec sit morale periculum recidiui, quod auferri non possit intra Societatem, non est sufficiens causa eiectionis, nec potest iustè puniri talis persona, regulariter loquendo. Quod si contingat tale delictum esse occultum vsque ad professionem factam, & ita licet fortè quoad Deum fuerit dimissum, in foro tamen humano non esse vindicatum: postea verò publicè detegi, & infamiam, aut scandalum oriri cui non possit nisi per eiectionem occurri, fieri aliquando poterit, sed rarò (vt existimo) id expediet, aut licebit: quia semper poterit præterita culpa aliis modis ita puniri, vt infamia & scandalum sufficienter tollantur; & ideo cum apud Deum iam sit omnino dimissa (vt suppono) per professionem, & in futurum non pendeat, non est rationabilis causa separationis.

IV. *Impedimentum peccati post professionem.* *1. Simile est in professione, quam in ordine.* *Peccatum post professionem.*

V. De peccato autem commisso post ipsam professionem, alia ratio est, etiamsi emendatum appareat, tum quia per illud maior iniuria fit Societati professæ, magisque illius famam & existimationem eleuat, & ideo sæpè potest esse necessarium ad bonum nomen Societatis conseruandum, vt ob huiusmodi causam quispiam eiiciatur. Tum etiam, quia de tali persona minor spes concipi potest, quod verè emendata sit, aut certè quod in pœnitentiam stabilem emendata sit, ita vt sit perseueratura inter eas occasiones, & pericula in quibus professus Societatis necessario versari debet. Et ob hanc specialem rationem existimo Societati permissum esse, vt maiorem in hoc licentiam habeat, etiam circa professos suos, qui & apud proximos, & propter ipsorum bonum magis indiget bono nomine, & quadam maiori fiducia, & veluti securitate suorum ministrorum, quod nomen maximè conseruabitur, si omnes intelligant infideles ministros esse à Societate dimittendos, etiamsi professi sint: & ad bonum ipsorum professorum est maximè conueniens propter pericula, in quibus versantur, vt in illis cautiores sint. Quod etiam maximè confirmatur ex his quæ de Præposito Generali dicuntur 9. p. consti. cap. 4. §. 7. vbi casus numerantur, in quibus per Societatem deponi potest; *Cuiusmodi* (inquit) *sunt peccata mortalia in externum actum prodeuntia, copula carnalis, vulnerare quenquam, reditus Collegiorum usurpare ad proprios sumptus, vel extra Societatem donare, vel stabilia bona Societatis alienare, vel prauam doctrinam habere.* Propter hæc ergo si sufficientissimè constent deponendus dicitur: & additur, *Et si opus est à Societate remouendus, &c.* Quæ limitatio, *si opus est*, indicat plus requiri ad expellendum illum, quàm ad eum officio priuandum: & meritò, quia maior est pœna, maioremque causam & pertinaciam requirit. Nihilominus etiam in illa persona non postulatur incorrigibilitas, & pertinacia: sed prudentiali iudicio Societatis relinquitur, *præ oculis habendo, quod ad*

Confirmatur à forma Generali.

ad maiorem Dei gloriam & vniuersale bonum Societatis fore iudicabitur. Igitur à fortiori in quolibet alio, simileſ causæ sufficiunt, eademque regula maioris boni vniuersalis seruanda est: nam, vt dixit Pelagius Papa c. *Sctus* 7. quæstion. 1. *Plurimorum vtilitas, vnius vtilitati, aut voluntati præferenda est.*

VI. *Cõfirmatur tandem ex Greg XIII.*

Tandem id declaratur ex speciali Bulla Gregorij XIII. concessa mense Septembri anni 1582. quæ incipit: *Cùm alias, &c.* in qua concedit facultatem Præposito Generali, vt possit ex causis iustis quemlibet professum à Societate eiicere, vel vt ad aliam religionem etiam laxiorem transeat, facultatem concedere. In qua Bulla primùm omnium perpendendus est tenor, & discursus eius. Prius enim proponit dubitationem subortam, *an Præpositus Societatis valeat professos ex causis id exigentibus à Societate emittere, aut eis sic emissis liberum sit de eius licentia se ad quemuis alium ordinem transferre.* Et ratio dubitationis fuerat, quia Paulus III. & Pius IV. statuerunt vt nemo de Societate possit ad alium ordinem transire (Carthusiensium excepto) nisi de licentia Romani Pontificis, aut Præpositi Generalis Societatis. Vnde per illam exceptionem videbatur iam hæc facultas Præposito concessa: quia verò non erat directè facta concessio, nec satis in particulari, nec cum sufficiente declaratione, ideò fortè oriebatur dubitatio: ad quam Gregorius XIII. non videtur directè voluisse respondere, sed nouam facere concessionem pro futuro tempore, dicens: *Nos re perpensa atque diligenter examinata Societatis ipsius puritati, atque incremento, emissorumque pro tempore saluti consulere volentes, statuimus vt deinceps in perpetuum liceat dicto Præposito, quos iudicauerit ab ipsa Societate emittere, &c.*

VII. *Dicta Gregorii verba quantum operentur.*

Per quæ verba vt ex eorum tenore constat, nihil de dubitatione proposita, quoad potestatem, quam antea Præpositus habebat, respondet, sed in posterum eam dubitationem abstulit, absolutam facultatem concedendo. Per quod tamen, vt existimo, non intendit negare, quin antea potestatem hanc haberet, sed quia parum referebat, ab illa quæstione abstinuit, & absolutam facultatem concesit. Hæc vero licet nunc clarior, & certior sit, non tamẽ magis ampla, vt opinor, quoad potestatem dimittendi professos in iustam pœnam delictorum: nam hæc expulsio iure communi concessa est. Et sic in Bulla Pij dicitur iustis de causis posse Præpositum quoslibet expellere: & quoad hoc eodem modo intelligi potest quod Gregorius dicit, *quos iudicauerit, possit è Societate emittere*: nam hoc iudicium semper intelligitur debere esse iustum, atque adeo iustis de causis fieri debere, vt amplius sequenti capite intelliget ur. Quia verò hoc non limitatur ad pertinaciam, & incorrigibilitatem, ideo in eadem amplitudine concedi censetur, qua fuerat in constitutionibus declaratum.

CAPVT II.

Vtrum professus in Societate possit ad aliam religionem transmitti; & quomodo?

I. IN Bulla Gregorii XIII. superiori capite allata non solùm concedit Pontifex potestatem ad expellendos professos, sed etiam ad licentiam eis dãdam, vt ad alios ordines, vltra Carthusienses, transferri possint, iustis de causis, sed iudicio Præpositi Generalis. Quæ duo, scilicet, expulsio, & transitus, diuersa sunt, nam expulsio, vt ex præcedenti capite constare potest, habet rationem pœnæ, vnde habet pro causa adequata culpam aliquam grauem, & regulariter incorrigibilem: transitus verò non semper est pœna, & fieri potest non propter culpam, sed ob alias causas. Dubitari ergo potest an ex vi illius indulti habeat Generalis facultatem concedẽdi professo, qui nihil peccauit, licentiam transeundi ad aliam religionem, ipso nimirum petente & efflagitante, vel saltem voluntariè acceptante: nam si ipse nolit ac resistat, certum est iure nõ posse expelli, nec cogi, vt ad aliam religionem transeat, tum quia habet ius perpetuò viuendi in hac religione, & bonis eius fruendi, quo iure sine culpa vel voluntate sua priuari non potest: tum etiam, quia nemo potest compelli vt aliam religionem profiteatur; transitus autem ad aliam religionem, nouam in illa professionem requirit, seu ad illam ordinatur. De consensu autem eius dubitari potest propter illa verba Greg. XIII. *Dubitari contingit an Præpositus pro tempore existens, valeat etiam professos ex causis sic exigentibus à Societate emittere, aut eis sic emissis liberum sit de illius licentia se ad quemuis alium ordinem transferre?* Et infra: *Nos Societatis puritati, atque incremento & emissorum saluti consulere volentes, &c.* & infra: *liceat dicto Præposito, quos iudicauerit ab ipsa Societate emittere, eosque de illius licentia, &c.* Ex his enim verbis omnibus colligi videtur Præpositum Generalem solùm posse dare hanc licentiam transeundi ad aliam religionem his, quos posset à Societate eiicere: nam quæstio solùm mota erat, *de sic emissis*, & ratio facultatis est cõsulere *emissorum saluti.* Et eosdem emissos, seu eiectos refert illa particula *eosque*, in vltimis verbis quib. licentia Præposito datur. Cùm ergo nullus professus possit à Societate eiici sine culpa, & facultas hæc transeundi ad aliam religionem solùm possit dari iustè eiectis, non videtur posse à Generali propter alias causas, sed solùm supposita sufficiente ratione eiiciendi professum à Societate, etiam inuitum; tunc enim ipso acceptante poterit ei concedi vt ad aliam religionem transeat.

Arguitur ciõ ex 1. parte tituli.

II. *Assertio affirm. bipartita.*

Nihilominus probabilius censeo posse Præpositum Generalem dare licentiam professo Societatis transeundi ad quamcunq; aliam religionem ex iusta causa, etiamsi illa propriam culpam, vel incorrigibilitatem non includat. Quod quidem respectu strictioris, aut æqualiter strictæ religionis fundari posset in iure communi, quia, vt suprà tractat. 8. libro 3. vidimus, transitus hic licitus est de consensu Prælatorum vtriusque religionis, à qua, & ad quam transitur sine dispensatione Papæ, solo iure communi quod etiam in Societate locum habet: quanquam nonnulla ratio dubitandi in eius professis oriri possit ex quarto voto obedientiæ, quod specialiter Pontifici faciunt: nam per professionem in alia religione necesse est hoc votum extingui, vt suprà vidimus. Ergo ex hoc capite videri potest specialiter necessaria in his professis Societatis, licentia Pontificis, propter speciale ius illi acquisitum. Sed nihilominus hæc ratio non vrget saltem respectu strictioris religionis, quia omnia huiusmodi vota censentur includere conditionem, dummodo maius bonum non impediatur. De æqualiter verò stricta religione est illa ratio apparentior: sed nihilominus solui potest, vel quia commutatio in æquale licita est in votis, iure communi, etiamsi talia vota respiciant tertiam personam, præsertim quando non intenditur commodum ipsius tertiæ personæ, sed potius vouentis, vel Dei obsequium: vel quia hoc votum est annexum professioni, & sequitur conditionem eius: vnde si professio est commutabilis in æqualem, etiamsi vna sit quatuor votorum, & alia trium, si omnibus pensatis, nihilominus est æqualitas, fieri poterit commutatio, & accessorium sequitur naturam principalis.

Probatur prior pars, quoad transitum ad strictiorem religionem.

Item quoad æqualem.

At verò respectu religionis laxioris aliter pro- III.

Deinde quoad laxiorē.

banda est conclusio posita, ex priuilegio seu iure speciali Societatis, nam ex communi non licet, vt suprà in citato tomo diximus tractando de transitu ad religionem in genere. Probari autem potest hoc speciale ius, ex Bulla vltima Pauli III. vbi in generali prohibitione transeundi ad aliam religionē, additur exceptio, nisi de licentia Præpositi, aut sedis Apostolicę. Idem habetur in Bulla vltima Pij IV. vel potius Pij V. vbi illa refertur & confirmatur. Ergo sicut de licentia Sedis Apostolicæ licet transitus ad laxiorem religionem, absque culpa transeuntis, sed ob aliam causam, ita in Societate licet de licentia Præpositi Generalis, quia æqualiter excipitur eius licentia, & Pontificis.

IV. *Euasio proximæ probationis.*

Respondeti autem potest ibi non fieri directam concessionem, sed obiter illam facultatem poni per modum exceptionis, & ideo intelligendam esse secundùm commune ius, & cum partitione accommoda: excipiuntur enim Pontifex, & Præpositus, sed cum distributione accommoda, vt vtriusque licentia sufficiat, quatenus potest illam dare secundùm ius commune, Pontificis quidem, respectu omnium religionum; Præpositi autem, in ordine ad strictiorem; vel æqualem. Quæ responsio est apparens, quia verba sunt secundùm ius interpretanda, maximè quando non concedunt directè priuilegium, sed solùm explicant iuridicam exceptionem: sicut enim respectu Pontificis iuridica est, cur non etiam respectu Præpositi Generalis? Ad minimum ergo erat res dubia, & ad tollendam dubitationem Greg. XIII. expressam fecit concessionem dans facultatem Præposito Generali concedendi professis licentiam transeundi ad religionem aliam laxiorem, vt illis verbis euidenter exprimitur: *Paris, laxioris, aut strictioris obseruantiæ ordinem, per ipsum Præpositum illis præscribendum.* Per quæ vltima verba videtur limitari hoc indultum, vt scilicet non possit Præpositus licentiam generalem concedere transeundi ad quemcunque ordinem laxiorem, sed determinatè ad hunc, vel illum; oportet enim vt ipse locum præscribat, & meritò id factum est, vt prudenter fiat commutatio, & non detur generalis licentia, quæ magis esset in destructionem, quam in ædificationem.

Remouetur.

V. *Probatur deinde posterior pars assertionis. Primò*

Quod autem hæc facultas non extendatur solùm ad illos professos, qui propter culpas solùm possunt à Societate eiici, probatur primò, quia aliàs ferè nullius vtilitatis esset hoc priuilegium, quod est manifestè contra intentionem concedentis expressam illis verbis: *Nos repensata, atq; diligenter examinata, Societatis ipsius puritati, ac incremento, emissorumq; saluti pro tempore consulere volentes, &c.* Sequela autem patet, quia religiosus omnino electus inuoluntariè à sua religione, suo iure videtur posse quamcunque religionem laxiorem ingredi, vt in superiorib. tractatum est, tract. 8. l. 3. quia si potest tutus manere in seculo, cur non ingredi quamcunque religionem? Sed quia hoc non est ita certum, probatur Secundò,

Secundò.

Quia Gregorius nullam ibi fecit mentionem culpæ, aut peccati, sed tantum dixit: *liceat Præposito, quos iudicauerit ab ipsa Societate emittere.* Verbum autem *iudicandi*, non restringitur ad iudicium punitiuum, seu vindicatiuum, sed de se indifferens est, & magis indicat iudicium prudentiale ex quibuscunque iustis causis.

VI. *Tertiò expēderatione verborum Pont. sicu*

Deinde expendenda sunt illa verba, *Societatis puritati, atque incremento, emissorumque saluti consulere volentes.* Nam primum illorum videtur respicere delicta, & peccata quæ in his personis esse possunt: nam puritas religionis in carentia talium peccatorum & personarum delinquentium consistit: tamen secundùm verbum, scilicet *incrementum*, etiam potest respicere alias causas: nam sæpè expedit ad incrementum religionis dare licentiam alicui, qui licet malus non sit, est tamen parum vtilis, vel parum quietus, aut in perfectione remissus. Vltima denique particula, magis hanc causam amplificat: nam fieri sæpè potest, vt licèt aliquis culpas non commiserit eiectione dignas, maiorem spiritualem profectum speret ex transitu ad aliam religionem, quæ licet in se laxior sit; sibi est magis proportionata propter minorem repugnantiam cum natura, vel minorem actionem externam, vel alias similes causas: ergo facultas hæc ad hos casus extenditur, vt sit intentioni Pontificis proportionata. Denique licèt Pontifex de emissis loquatur, & de eorum transitu; non ideò necesse est, vt de solis inuoluntariè, & propter peccata electis loquatur, quia etiam illi, quibus licentia datur transeundi ad aliam religionem, ipsis etiam volentibus & petentibus dicuntur propriè, & iuxta vsitatum modum loquendi à Societate emissi: nam hoc verbum non dicit necessariò vim ex parte emittentis, aut repugnantiam ex parte emissi; nec etiam dicit ordinem ad culpam, sed solùm ad causam potestati proportionatam. Nec ēt necesse est, vt emissio & transitus sint actus reipsa distincti, & quòd præcedat emissio: postea verò sequatur transitus iam emissi: sed fieri optimè potest, vt simul ac per modum vnius emissio, id est, exitus à Societate propter transitum, & non alius concedatur: & è conuerso transitus propter emissionem præcipuè permittatur.

Ex quibus omnibus amplius constat, non solùm quod in fine superioris capitis promisimus, scilicet, quas ob causas fieri possit hæc expulsio, sed etiam quis modus in ea seruandus sit. Nam si sit expulsio punitiua, & inuoluntaria, requirit delicta proportionata, iuxta exigentiam constitutionum, vt præcedenti capite declaratum est, & tunc non est necesse vt exitus à Societate concedatur cum transitu ad aliam religionem: nullus enim cogi potest ad hunc transitum: nec aliqua religio inuitum aliquē recipiet: cum tamen conditio necessaria ad hunc transitum, sit alterius religionis consensus, vt in eadem Bulla Greg. exprimitur: tunc ergo cum Societas habet ius, & causas expellendi professum, et iam reluctantem, & ille nō vult transitum ad aliam religionem acceptare, poterit Societas illum cogere, vt exeat, non tamen absolutè præcipere, vt religionem aliam ingrediatur: sed semel dimissus poterit in seculo manere, sicut alii expulsi, vt statim dicetur capite sequenti à nu. 5. Si autem ille acceptet transitum ad religionem laxiorem, poterit Societas illum permittere, quod est peculiare priuilegium eius: adeò vt cæteris religionibus prohibeat ibi expresse Pontifex participationem eius, per viam generalis communicationis priuilegiorum. Hinc etiam potest Societas delinquentem professum non excludere, sed aliter intra suam religionem punire, & consequenter illi optionem dare, vt vel in tali pœnitentia intra Societatem maneat, vel ad talem religionem etiam austeriorem, vel magis solitariam transeat, nam in hoc nullam facit iniuriam, nec iniquam coactionem: nam habet ius puniendi delictum illo modo intra suum ordinem, & potest iustè nolle concedere libertatem viuendi in seculo propter vitanda scandala, vel infamiam religionis, vel maius malum ipsius religiosi: ergo concedendo illam optionem, potius benignè agit, quam seuerè.

VII. *Reiicitur 1. partic. professum culpa nullā non posse inuitum transire*

Potest tamen indicere capit.

VIII. *Neque posse etiam volentē dimitti ad peculiam finis causa.*

At verò quando non subsunt causæ, nec delicta ad expellendum professum inuitum: nullo modo potest Societas illum à se expellere, vt in seculo maneat, etiamsi ipse consentiat: quia nec iure communi est hæc potestas in religionibus, vt supra visum est, nec per hanc Bullam, vel aliàs data est, specialiter

ter Societati; nam in omnibus fit mentio de transitu ad aliam religionē, non de exitu simpliciter. Item quia alio modo facta esset irrationabilis talis electio, & in detrimētum status religiosi: quod si subsit causa dispensandi, ad Pontificem pertinebit. Nec etiam potest in eo casu Societas cogere professum suum, vt ad aliam transeat religionem si nolit, quia nec absolutè potest directè cogere, vt à fortiori patet ex dictis in proximo puncto num. præce. nec indirectè sub aliqua conditione onerosa, quę excedat suum regularem viuendi modum, quia nullum habet ius illam imponendi.

Nec etiam volentem ad aliam religionem transmitti.

IX. Igitur solùm potest licentiam dare ei, qui vult transire ad aliam religionem. Hanc verò respectu strictioris facilè potest dare: existimo tamen practicè, & ad hunc finem nullam debere iudicare strictiorem, vel seueriorem, rebus vt nunc stantibus, præter Carthusiam, quia nec Pontifices aliam excipiunt, nec facilè inueniri poterit, si omnia spectentur, quæ suprà de rigore regulæ Societatis lib. 1. c. 9. explicauimus. Ad dandam ergo licētiam transeundi ad quamcunque aliam religionem, magna causa necessaria est, tantòq; maior, quanto religio minus fuerit perfecta, vel stricta. Quia in hoc consulēdum in primis est religioni, quæ detrimentum patitur, dum priuatur quodam membro iam consummato & perfecto, & omnibus laboribus & expensis cum illo consumptis. Deinde etiam bono ipsius religiosi, ne detur illi occasio, vt deterius, aut minus perfectè viuat. Igitur optima causa erit, & ferè vnica, si ad ministeria Societatis quispiam iudicetur inutilis, quia sc. est inhabilis, vel quia non applicatur, nec moraliter applicari potest, sine maiori suo detrimento: tunc enim ex consensu vtriusq; partis poterit fieri diuortium per transitum prædictum: & ad hoc est sufficiens auctoritas in Societate à Gregor. XIII. concessa.

Volenti trāsire qua causa sufficiat ad permittendum.

X. In quibus autem personis Societatis sit hæc auctoritas, ex eisdē rescriptis Pontificiis manifestum est. Nam solus Præpositus Generalis in eis nominatur, eique facultas hæc conceditur: nullus ergo alius Præpositus, siue Prouincialis, siue localis iure ordinario hanc habet potestatē, quia verò in prædictis Bullis non restringitur hæc facultas, vt necessariò debeat per ipsum Generalem immediatè exerceri, ita vt delegabilis non sit: ideò non est dubium, quin possit illam aliis delegare, vt expressè supponitur 2. parte constit. c. 1. lit. C. vbi additur, rarius esse hanc potestatem communicandam inferioribus Præpositis, & non nisi in speciali, & postquam res ad Generalem esset delata, & graui consideratione expensa foret.

In Generali residet facultas aliciendi vel transmittēdi professum ex causa.

Hanc facultatem delegare potest

XI. Solùm dubitari potest, an Societas tota habeat hanc potestatem, id est, an Congregatio generalis illam habeat, siue cogatur viuente Generali, siue sede vacante. Et ratio dubitandi est, quia in prædictis Bullis nunquam datur hæc potestas Societati, sed Præposito. In contrarium autem est, quia non videtur dari Præposito, nisi in quantum suo modo repræsentat Societatem, & ab illa proximè habet potestatem. Quia enim communiter suprema Societatis iurisdictio per illum exercetur, & hæc facultas datur ad ordinarium regimen, ideo illius facta videtur mentio, illique conceditur potestas: tamen intentio Pontificis fuisse videtur illam dare Societati principaliter, cùm ipsa sit Generali superior. Confirmatur, quia in eo casu, in quo Generalis congregatio posset Præpositum suum à munere deponere, & à Societate expellere, potest vtrumque facere per seipsam, & antequam alium Generalem eligat, ergo etiam poterit Præposito sic electo facultatem concedere transeundi ad aliam religionem. Item si in Congregatione generali coram ipsomet Præposito tractaretur de alterius professi electione, vel transitu ad aliam religionem, non videtur posse Præpositus contra sententiam Congregationis illum expellere, aut talem facultatem dare, quia cùm congregatio sit superior, verisimile nō est, datam esse hanc potestatem Præposito, ita vt illa vti possit contra voluntatem sui superioris. Item cum principaliter sit data in bonum Societatis, non videtur eius vsus concessus contra voluntatem totius Societatis. Igitur Præpositus in illis locis Societatem repræsentat. Vnde videtur fieri consequens in potestate Congregationis generalis esse, hanc potestatē limitate Præposito, vt nimirum illa vti non possit sine consilio, vel etiam sine suffragio vnius, vel plurium, aut alio simili modo. Quia ita intelligitur hæc potestas concessa Præposito, vt principalius sit concessa toti Societati, quæ non nisi in Congregatione generali existit, vel repræsentatur: ergo potest dicta Societas, si iudicauerit sibi expedire, sibi potestatem illam reseruare, vel aliquem modum, aut limitationem illi addere.

Arguitur residere etiā in congreg. gener.

Huic autem vltimę illationi videntur obstare illa verba Greg. XIII. *Statuimus vt deinceps in perpetuum liceat dicto Præposito, &c.* Nam iuxta eorum vim nullus inferior Pontifice potest Præpositum hac potestate priuare, nec ponere modum, quem Pontifex non posuit. Quis enim potest voluntatem Pontificis limitare, aut impedire? ipse autem absolutè & sine restrictione ait: se concedere Præposito hanc potestatem in perpetuum: ergo nunquam potest illa priuari, nec immutari, nisi per alium Summum Pontificem. Dicere autem, subintelligi subordinationem & dependentiam à Societate, propterea quod congregatio sit supra Generalem, voluntarium est, ideoque improbabile, vtpote contra absolutam formam verborum: & sine sufficiente ratione, siquidem non obstante illa subiectione Generalis ad congregationem, potuit Pontifex concedere absolutè & simpliciter hanc facultatem huic dignitati Præpositi, quia licet in casu possit habere superiorem intra Societatem, scilicet quando generalis congregatio actu coacta est; tamen regulariter & ordinariè illum non habet. Pontifex autem videtur attendisse ad ordinarium modum gubernandi, & ad dignitatem illius muneris Præpositi generalis. Ergo licet Præpositus Generalis à Societate emanet, & potestatem habeat ordinariam, nihilominus postquam semel electus est, aliquam potest habere facultatem à Summo Pontifice, qua non potest priuari per ipsam Societatem, quandiu Generalis est, seu nisi munere Præpositi priuetur. De qua re est optimum exemplum in Bulla eiusdem Gregori XIII. concessa anno 1575. die 3. Maij quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem*, in qua distinctè concedit plures facultates Societati & Præposito eius, & postea concedit, vt aliæ personæ Societatis non possint vti gratiis concessis Societati, nisi per Generalem Præpositum, & de eius beneplacito. Vbi sine dubio loquitur de propria persona & munere Generalis: nec posset vniuersa Societas immutare hunc modum gaudendi priuilegijs & gratijs à Pontifice præscriptum; quia Pontifex voluit hanc potestatem esse penes Generalem: idem ergo in præsenti dicendum est.

XII.

Ergo quod attinet ad hoc vltimum punctum, seu illatum: non potest Præpositus per Societatem priuari potestate sibi à Pontifice concessa ad expellendum professum, vel dandi ei facultatem transeundi ad aliam religionem iustis de causis. Quod verò spectat ad superiora puncta, ex quibus illatum colligebatur, consequenter videtur probabile soli Generali hoc datum esse, quia verba

XIII. *Resolutio circa dicta in n. 11. & 12.*

indulti hoc sonant, & interpretatio de repræsentatione Societatis in ipso Generali, est noua & inusitata, vt patet ex alia Bulla citata, & multis similibus. Vnde quandiu Præpositus viuit, probabile est. Congregationem etiam generalem non posse id facere sine consensu eius, propter rationem factam, quia illi data est potestas. At verò generalatu vacante probabile est congregationem habere potestatem: quia Capitulum succedit loco Prælati in omnibus potestatibus ordinariis eius: & hæc potestas iam competit iure ordinario Prælato Societatis. Quidquid verò sit de hoc scholastico rigore, securius est, non vti tali potestate ante electionem Generalis. Nam de vicario Generali, qui ad gubernandam Societatem eligitur mortuo Præposito, dicitur in eius reg. 9. non posse aliquem professum à Societate emittere: & ibidem significatur rem hanc adeò grauem reputari, vt tentanda non sit in eo casu ante electionem noui Generalis. Vnde fit tandē; vt in eo casu, in quo Præpositus ipse deponendus & expellendus esset, depositio ab officio præcedere debeat, non verò fieri possit à Societate expulsio; donec alius Præpositus electus sit, cuius authoritate, & iudicio, simul cum tota congregatione, si oportuerit, id fiat.

Electio Vnius Generalis (supponit electionem alterius.

CAPVT III.

Ad quid teneatur professus à Societate electus, vel qui quouis modo ab illa deficit, seu mutatur.

I. *Absoluti omnino à Voto, hoc non pertinent.*

HÆc quæstio in coadiutoribus formatis moraliter loquendo locum non habet: quia hi possunt expelli liberè ab obligatione votorum, & si aliquando eiiciantur, ita vt in seculo manere possint (quod raro accidit) votorum vinculis liberantur, quicquid sit de iis votis, quæ fortè in seculo nuncupauerant, vt de scholaribus tractatum est li. 3. ca. 4. à n. 23. quo fit vt nulla speciali obligatione postea teneantur: quia votorum dissolutio (vt supponimus,) valida est, quibus sublatis, non est vnde maneat specialis obligatio. Itaque in eo casu eadem ratio de his est, quæ de scholaribus approbatis. Si autem contingeret huiusmodi coadiutorem formatum expelli sine absolutione ab obligatione votorum, vel cum onere ingrediendi religionem, vel simpliciter & absolutè, sic eadem de illo ratio est, quæ de professo trium votorum, nam quoad obligationem eadem est in votis simplicibus, quandiu manent, quæ in solennibus.

II. *Resolutio quæstionis in duplici casu.*

Veniendo ergo ad professum Societatis dupliciter potest expelli à Societate; primò cum onere ingrediendi religionem aliam, vel redeundi ad Societatem, si illam non profiteatur: secundò expellendo illum sine spe receptionis, & sine speciali obligatione, præter eam, quæ ex professione ex natura rei nascitur. Prior casus nullam habet difficultatem: supponimus enim inprimis, quòd licèt religiosus dum eiicitur, non possit à suis superioribus obligari ad ingrediendum religionem aliam, vt supra probatum est tractat. 8. libro 3. estque eadem ratio de professo Societatis. Nihilominus per modum pacti mutui potest ab hoc obligari: cùm enim professus eiicitur propter sua demerita condemnari potest, vt vel talem, tantam, ac tam diuturnam pœnam in Societate sustineat, vel si malit, talem, vel talem religionem profiteatur. Si ergo ipse hanc posteriorem conditionem potius quàm priorem accepter, tenebitur sine dubio, vel illam implere, vel ad Societatem reuerti. quia sententia fuit iusta (vt supponitur) & illam religiosus acceptauit, eamque implere specialiter promisit. Quocirca si ille conditionem impleat, & cum effectu religionem aliam profiteatur, cessat omnis superior obligatio, & solum tenetur ad seruandum id, quod denuo professus est, siue sit strictior siue laxior religio; quia commutatio est legitimè facta: solum posset dubitari de quarto voto professorum Societatis, & de aliis votis simplicibus eorum. Veruntamen idem dicendum est: nam cùm duæ professiones sint repugnantes; si posterior valida est, extinguit priorem, & consequenter, quidquid illi annexum est; item propter alia quæ statim dicam.

1 Casus de professo electo acceptante conditionem præstandi alibi.

III. *Non impletâ conditione, apostata est.*

Si autem talis electus conditionem non seruet, siue omnino non ingrediendo aliam religionem, siue post ingressum, illam relinquendo ante professionem, tenebitur ad Societatem redire: quòd si subterfugiat, iam non vt electus, sed vt apostata & fugitiuus iudicandus est; quia non fuit absolutè electus, sed sub conditione; illa verò non impleta, electio est nulla, quia conditionalis, non impleta conditione, nihil ponit in esse; ergo eo ipso, quòd incipit esse in mora, incipit esse transfuga, & apostata, & consequenter tenetur omnibus obligationibus suæ religionis, & censuris apostatarum, de quibus suprà in genere dictum est.

IV.

Dices, si ille redeat ad religionem, grauiter puniendus est: & fortasse perpetuo carcere includendus, vel alia simili pœna afficiendus: nemo autem tenetur seipsum tam graui pœnæ offerre: ergo potest fugere, & non redire ad religionem. Quod maximè videtur procedere, quando bona fide aliam religionem probauit, & iustis de causis illam non est ausus profiteri, quia tunc iam videtur feciisse quod in se est ad bonum prosequendum (vt sic dicam,) se autem tradere, vt grauibus pœnis affligatur durissimum est, nec videtur ad hoc obligandus. Respondeo religiosum sic seu sub tali conditione electum semper teneri ad statum religiosum, nec posse tuta conscientia in seculo manere; & ideo teneri religionem susceptam, & in conditione positam, atque acceptatam profiteri, quod moraliter ac regulariter loquendo, semper poterit: si autem reuera habet legitimas causas non profitendi, tenebitur eas proponere Prælatis Societatis, vt facultatem faciat aliam religionem faciliorem ingrediendi, quod semper facient: aliquin tenebitur ad Societatem redire, nisi reuera timeat graues corporales pœnas diuturnas, vt carcerem perpetuum, & similes, nam tunc ad prouidentiam Prælatorum pertinebit ita reum custodire, vt redire ad suam obedientiam, & correctionem cogatur: obligare enim illum, vt ipse se tradat, certus de huiusmodi pœnis difficilè est. Quia verò pœnæ ordinariæ, non sunt adeò graues, neque excedunt modum disciplinæ religiosæ: quæ magna ex parte pendet ex bona dispositione peccatoris: nam si voluntariè emendetur, & satisfaciat religioni, facilè aliæ pœnæ temperantur: ideo regulariter etiam verum est hunc teneri in eo casu ad religionem redire.

V. *2 Casus de professo absolutè dimisso.*

Superest dicendum de alio casu, quando professus absolutè dimittitur. In quo inprimis locum habent omnia quæ de obligatione ad castitatem, paupertatem, & obedientiam seruādam dicta sunt tractat. 8. libro 3. in communi de eiectis à religione, quia est eadem proportionalis ratio. In Societate vero sunt speciales difficultates de aliis votis: quæ professi emittunt, inprimis de voto obedientiæ ad summum Pontificem in missionibus, nam professio integra manet: ergo & votum illud, & obligatio eius: talis enim est, vt extra religionem impleri possit. Idem est de votis simplicibus, præsertim de

professi absolutè dimissi.

voto

voto non ambiendi, nec acceptandi dignitatem extra Societatem: nam hoc per se est optimum, & potest in quocunque statu seruari, & votum absolutè factum est: vnde etiam durat post eiectionem. De aliis autem votis simplicibus minor est difficultas: nam materia eorum manifestè requirit actualem vitam, & coniunctionem in Societate, & ideo eorum obligatio cessat, vel suspenditur in eo statu. Veruntamen idem dicendum censeo de aliis duobus votis; imò generaliter de voto obedientiæ existimo non posse professum eiectum ex vi illius obligari ad ministeria Societatis, vt ad docendam doctrinam Christianam, ad audiendas confessiones, & similia. Nam religiosus eiectus non tenetur seruare regulam; vt supra tractat. 8. lib. 3. suo loco dixi: ergo nec professus Societatis regulam Societatis: ergo nec potest obligari ratione voti ad seruandam illam, sed occupari in his ministeriis solum est ratione regulę, & in tantum possunt præcipi, in quantum sunt secundum regulam: ergo talia præcepta non habent locum circa eiectum quandiu extra Societatem manet.

Eius vota simplicia cessant.

VI. *Imò, & quartum votum solemne.*

Ita ergo dicendum censeo de obedientia Pontifici præstanda circa missiones; nam illa etiam promittitur secundum regulam & constitutiones Societatis: qui ergo iam non agit vitam secundum regulam, neque ad id tenetur, non poterit obligari ad implendum illud votum durante illo statu: quia reuera cessauit materia eius. Confirmatur, quia ita necessario interpretanda est intentio vouentium, & instituentium talia vota: tum quia nemo promittit sustinere onera religionis nisi in ipsa religione, & adiutus spiritu, prouidentia, authoritate, & aliis auxiliis eius, quæ omnia maximè necessaria sunt in re adeò difficili, & ardua; vt est obedire in huiusmodi missionibus. Tum ex illo generali principio, quod nulla promissio obligat, quando tanta fit mutatio in statu promittentis, vt verisimile non sit eius intentionem fuisse pro illo statu se obligare; de quo tractat. 6. libro 4. de voto, cap. 19. multa diximus: talis autem mutatio in præsenti casu manifestè procedit, nam longè alia est conditio religiosi actu vniti suæ religioni, qui vt membrum eius mouetur: vel separati, qui nec à religione mouetur, nec in eius finem tendit. Atque hic discursus æque probat de voto simplici non quærendi, vel acceptandi prælationem, nam vsus eius erat accommodatus religioni, durante vnione ad illam; mutato autem statu minimè. Vnde etiam tunc cessat ratio talis voti in constitutione expressa, quæ mentem eius, & intentionem declarat. Est autem ratio in 10. p. Constitutionum §. 6. *Vt perpetuo felix status Societatis conseruetur.* Postquam autem aliquis à Societate eiectus est, nihil ad statum eius refert, quod dignitatem ambiat, vel accipiat. Item *ne Societas his hominibus, qui ad propositum sibi finem sunt ei necessarii priuetur.* At hic eiectus nec Societati necessarius est, nec illo priuabitur, etiamsi Prælatus fiat, quia iam priuata supponitur. Item *vt vnusquisque videat qua ratione animarum saluti iuxta nostræ professionis humilitatem, & submissionem inseruire possit.* At eiectus iam non tenetur ad hunc finem aspirare, nec illi incumbere. Cessat ergo in his eiectis talium votorum obligatio, vel potius necessarius vsus, quandiu in eo statu permanent: nam si contingat iterum in Societatem recipi, vota integra manent, & statim obligare incipiunt.

Dicta vota tantum secundum professus remouentur.

VII. *Quæ obligationes durent in professo mutato ad aliorum statum.*

Ex his infertur idem dicendum esse de omnibus translatis à Societate in alium statum altiorē; nam de transitu ad aliam religionem per professionem eius, dictum iam est: idem ergo est si professus Societatis fiat Episcopus, vel Cardinalis, non enim tenetur amplius voto obedientię circa missiones, nec voto non ambiendi, aut non acceptandi altiorem dignitatem, propter easdem rationes, vt etiam supra tetigi de his votis tractando. Solumque manet ex votis simplicibus illud, quod per se, & ex materia sua ad hoc ordinatur, vt in eo statu obliget, vt ibi etiam exposuimus: vnde fit vt de his translatis à Societate ad Episcopatum, vel altiorem dignitatem nihil nobis dicendum superfit, præter ea, quæ communia sunt omnib. religiosis Episcopis, & quæ de illo speciali voto diximus. Nec etiam de translatis ad aliam religionem, quia facto transitu legitimè, & validè, ille perinde reputatur, ac si in Societate nunquam extitisset.

VIII. *Conditiones legitimi trāsitus ad aliam religionem.*

Vt autem talis transitus legitimè fiat, oportet vt iuxta priuilegia Societatis seruentur, quæ autem illa sint, attigimus suprà in libro 3. tractantes de votis scholarium, & summa est vt transitus non fiat sine licentia obtenta Præpositi Societatis ordine Carthusiensium duntaxat accepto, iuxta Bullam Pauli III. anni 1549. *Licet debitum*, vbi ingressus aliter factus irritatur, & persona vt apostata condemnatur; & latius confirmarunt Pius IV. & V. in Bulla anni 1565 *AEquum reputamus.* Idem autem Pius V. viuæ vocis oraculo, & Gregorius XIII. in Bulla anni 1584. *Dilecte, fili*, circa superiorem exceptionem de transitu ad Carthusianos limitationem addiderunt, vt nimirum semel liceret, non aut bis, aut sæpius, sine consensu Societatis Præpositi. Quā gratiam ita Societatis voluit Gregorius esse propriam, vt per viam communicationis non posset ab aliis religionibus participari. Cum licentia autē Præpositi fieri potest hic transitus etiam à professis: non solum ad arctiorem, sed etiam ad laxiorem religionem iustis de causis, vt idem Greg. XIII. declarauit in Bulla anni 1582. *Cum alias*; post quem transitum, si professio subsequatur in alia religione, liber (vt diximus) manet professus Societatis ab omnib. aliis votis specialiter in Societate emissis, sicut manet liber ab obedientia Societatis. Si autem non sequatur professio, redeundum illi necessariò est ad Societatem, nam omnia vota, omnisq; eorum obligatio integra manet: nec de hoc transitu plura hic dicere necesse est.

IX. *Apostata nullas obligationes religionis exeuntes.*

Vltimò colligitur ex dictis per contrariam rationem longè aliter iudicandum esse de professo apostata, vel etiam sine peccato apostasiæ extra Societatem, & cum exemptione etiam ab obedientia eius ex dispensatione Pontificis commorante. In vtroque enim omnium votorum obligatio integra perseuerat, & de apostasia quidem id patet, quia ligatus manet omnibus votis, & iure actu subiectus Societati, ad quam redire tenetur. Item quia omnis apostata tenetur, etiam pro illo tempore ad obseruationem regulę, quantum in se est, quia non debet iniquitas ei patrocinari, vt supra ostensum est: ergo multo magis tenetur ad specialia vota seruanda, quæ secundùm regulam fecit. Denique rationes factæ de eiecto non militant in profugo, imò si attentè considerentur & applicentur contra apostatas conuincunt.

X. *Quid de manentibus extra Societatem de licentia Papæ.*

De aliis verò extra Societatem manentib. de licentia Papæ, etiamsi in eius palatio, & sub immediata obedientia eius viuere contingat, certum est professionem, & statum antiquum in eis manere integra: ergo & omnis obligatio votorum quantū in se est. Quod addo, quia si talis persona sit exempta ab obedientia Societatis, protunc non tenebitur, ex vi quarti voti obedire Generali in missionibus, sicut non tenetur in aliis rebus. Votum tamen ipsius de obediendo Pontifici in missionibus integrum, & speciale manet. Atque eadem ratione perseuerat votum non ambiendi dignitatē intra, vel extra Societatem, nec acceptandi illam extra

Socie-

Societatem, niſi præcipiatur, quia obligatio horum votorum non pendet ex actuali obedientia ad Præpoſitos Societatis, ſed per ſe, & rectè obligat in tali materia, quæ in illo etiam vitæ genere locum habet. Item talis perſona adhuc eſt membrum Societatis, ſubſtantialiter (vt ſic dicam) illi coniunctus, licet quoad actualem vſum aliquo modo ſeparata ſit; illud tamen ſufficit, vt in eo locum habeant rationes omnes horum votorum, & præſertim ea, quæ reſpicit conſeruationem Societatis *in ſua puritate, & felici ſtatu*, qui maximè perturbari poſſet, ſi tales perſonæ poſſent in ea dignitatem ambire, ſine violatione ſui voti. Imò facilè poſſent illo modo dicta vota eludi procurando prius exemptionem à Societate, & poſtea ambiendo: non eſt ergo dubium quin maneat tunc integra obligatio. Neq; difficultas alicuius momenti circa hoc occurrit. Atq; hæc de toto religioſo ſtatu, atque inſtituto Societatis Ieſu, ſi non quantum eius dignitas, atq; excellentia poſtulabant, certè quantum ingenii mei vires aſſecutæ ſunt, tractanda occurrerunt; ad laudem & gloriam eiuſdem IESV, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

INDEX

INDEX RERVM, QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Primus numerus paginam, secundus marginalem eiusdem paginæ numerum designat.

A.

Abbas.

ABBATIS nomine veniunt in iure prælati omnes religionum. 113.2

Abbates regulares quidam sunt benedicti, quidam non benedicti. 168.2

Huiusmodi benedictio est veluti quoddam ornamentum illius dignitatis, & iterari non potest. ibid.

Per hanc benedictionem datur potestas ad aliquos actus ordinis exercendos, vt ad benedicendum. ibid.

Vide in verb. *Ordines.*

Abbates regulares benedicere possunt sacras vestes & corporalia, & quo iure hanc potestatem habeant? 174.2. & seq.

Quibus Abbatibus seu prælatis hæc potestas concedatur? 175.9 10.11

Vide in verb. *Benedictio.*

Abbatissæ cur per electionem monialium creentur, & non potiùs ab Episcopis constituantur? 60.2

In Abbatissam eligi non potest nisi monialis eiusdem monasterij. In casu verò necessitatis, potest eligi ex alio monasterio eiusdem ordinis. 77.7

Quæ causa sit sufficiens vt Abbatissa eligi possit ex alio monasterio eiusdem ordinis? ibid.

In Abbatissam vt aliqua monialis eligatur debet habere ætatis annos saltem 40. & religionis 8. post expressam in ea professionem. ibid.8

Hæc verò conditio substantialis non est; & quãdo obseruari debeat? ibid.

Si ea seruari nequeat, quantæ ætatis & antiquitatis in religione debeat esse monialis eligenda? vel an assumi debeat ex alio monasterio eiusdem ordinis? vel certè postulanda sit dispensatio à Summo Pontifice? 78.10

Quænam è duabus concurrentibus, quarum altera habet tantùm annos ætatis acquisitos, altera verò tantum annos antiquitatis, sit potiùs eligenda in Abbatissam? ibid.

In Abbatissas an eligi possint illegitimæ? 79.12 & seq.

An possint eligi corruptæ, vt viduæ, &c. 80.16

Abbatissarum electrices debent esse professæ tacitè, vel expressè. ibid.18

Vtrùm conuersæ possint eligere? & quæ ætas ad huiusmodi suffragium ferendum requiratur? ib.

Abbatissis secluso priuilegio aliquo non competit potestas ad ferendas censuras. 94.10

An saltem eis competat minor aliqua potestas ad imponendas alias pœnas, quæ spirituales non sunt, ad spirituales tamen accedunt? ibid.

Abbatissæ vtrum saltem ex priuilegio habeant, aut habere possint potestatem spiritualem, tum ad pœnas spirituales imponendas, tum ad conferenda beneficia? ibid.11

An habeant saltem aliquod Dominium quodammodo spirituale, non solùm in moniales, sed etiam in alias personas, vt in clericos, qui interdum eis subijciuntur? Et quodnam huiusmodi Dominium esse possit? 95 13

Abbatissæ licèt per se non possint, poterunt tamen per suos officiales (quos habere possunt) excommunicare, &c. Hanc tamen potestatem, non ipsæ, sed Summus Pontifex talibus officialibus conferet. ibid.15

Abbatissa an, & qua ratione obligare possit subditas suas in conscientia? 119.7. & seq.

Absolutio.

Absolutio duplex tantùm est, à peccatis scilicet, & à censuris, vel pœnis Ecclesiasticis. 119.1

Absoluendi potestatem ordinariam & immediatam habent omnes prælati regulares tam infimi, quàm medij & supremi in suos subditos religiosos. 120.2.3

Possunt dicti prælati, imo pro casibus non reseruatis tenentur sub graui obligatione delegare alteri, cui religiosi liberè confiteantur. ibid.4

An teneantur assignare in qualibet domo duos vel tres confessarios pro casibus non reseruatis, ita vt singuli confessarij possint omnes religiosos eius domus absoluere? 121.6.7

Absoluendi potestas prædictis confessarijs commissa, censenda est tantùm delegata & non ordinaria. ibid.8

An superior possit dictam potestatem absoluendi pluribus delegare: & qua moderatione id debeat facere? ibid.10

Cætera vide in verb. *Confessio*, & *Confessor.*

Priuilegia ad absoluendum, vide in verb. *Priuilegiũ.*

Absolutio in articulo mortis, vide in verb. *Articulus mortis.*

Absolutio à censuris, vide in verb. *Censura*, & *Excommunicatio.*

Absolutio à casibus reseruatis, vide *Casus reseru.* & *Bulla Cœnæ.*

Absoluere peregrinos religiosos, quis possit? vide verb. *Peregrinus.* Nouitios etiã quis? vide *Nouitius.*

Absoluo, verbum, aliquando in iure idem valet atque dispensare. 143.16
Absolutio in quo differat à dispensatione? 640.48
Absoluere missos ad triremes, vt in articulo mortis, possunt religiosi Societatis ex priuileg. viuæ voc. orac. accedente tamen licentia suorum superiorum. 633.49
Absoluere Apostatas à religione nemo potest nisi eorum superiores: si tamen detur necessitas, & adeos non possint recurrere, absolui possunt à quolibet confessore, cum onere tamen comparendi. 431.21

Abstinentia.

Abstinentia qua potius ratione sit medium ad conseruandam castitatem. 455.5. & seq.

Acquisitio bonorum.

Acquisitio bonorum monasterio de se bona est; & ad prælatum potestas acquirendi monasterio spectat. 155.5
Alij religiosi de licentia prælati acquirere possunt monasterio, non tamen sine illa; nec sibi etiam cum illa. ibid.
Acquirere alteri monasterio, vel aliud monasterium suæ religioni, an & quomodo possint prælati regulares? 156.6
Cætera vide in verb. *Bona.*

Accusatio.

Accusatio ad quem finem dirigatur? 721.33
Accusatio licitè potest, imò aliquando debet fieri in religione; nec requirit præuiam admonitionem secretam, 724.44
Quomodo huiusmodi accusatio intendenda & prosequenda sit? ibid.

Actiua vita, vide *Vita actiua.*

Actus.

Actus interior cùm prodit in exteriorem est magis meritorius, & vnde hoc illi proueniat? 300.24 & seq.

Administratio bonorum religionis, vide verb. *Bona temporalia.*

Admonitor

Admonitor Præpositi generalis Societatis quod habeat munus; & quomodo illud obire debeat? 679.9
Quomodo, & à quibus sit eligendus? 685.4

Adulatio.

Adulatio quàm pernicioſa? 714.2

Alienatio.

Alienatio bonorum immobilium religionis, an & à quibus prælatis fieri possit iuxta ius antiquum? 163.18. & seq.
Alienare iure communi posteriori possunt prælati regulares bona etiam immobilia, & mobilia pretiosa religionis, cum certis tamen conditionibus. 159.1. & seq.
Quænam sint ea bona? 162.16. & seq.
Quæ deinde sint conditiones requisitæ ad eorum alienationem? ibid. 17. & seq.
Qua certitudine constare debeant dictæ conditiones? 160.7. & 8
Alienationem sine dictis conditionibus esse irritam. 163.20
Alienare ne possit prælatus bona immobilia monasterij accedente solo consensu capituli, aut conuentus; an requiratur etiam consensus alicuius prælati superioris? 161.13
Quomodo præstari debeat huiusmodi superioris prælati consensus? 162.14. & 15
Alienare bona conuentuum qua ratione possint aut non possint prælati regulares iuxtà sua statuta & priuilegia. 159.1. & 2
Alienare omnia mobilia Collegiorum & domorũ suæ religionis potest Præpositus generalis Societatis per sua statuta. Et quid possit circa immobilia simul cum Societate, seu congregatione generali? 166.13
Vide etiam in verb. *Bona.*
Alienantes bona Ecclesiastica alienari prohibita, quas pœnas incurrant? 164.21

Ambitio.

Ambitio dignitatum omnibus, & maximè religiosis pernitiosa. 560.2. & 4
Ambientes dignitatem, verb. *Dignitas*, & verb. *Professi Societatis.*

Amicitia.

Amicitiæ particulares religiosis Societatis vitari præcipiuntur, & sunt religiosæ charitati contrariæ. 609.14. & seq.
Quænam sint huiusmodi amicitiæ reprehensibiles, & vnde dignosci possint? 610.18

Amor.

Amor virtute conciliatur. ibid. 1
Amor Dei perficitur cùm ad amandum & benefaciendum proximo ostenditur. 300.25

Anachoreta.

Anachoretæ antiqui, vt Paulus, & alij, an fuerint veri religiosi? 280.12

Animarum cura.

Animarum cura, seu regimen, ars est artium. 404.2
Quantam prudentiam requirat? 570. 5. & 6

Apostasia, & Apostata.

Apostasia à religione committitur fugiendo à religione animo non redeundi, siue id fiat habitu retento, siue dimisso. 181.13. & 14
Quantum sit peccatum? ibid. 11
An differat specie à fuga quæ solum fit ad tempus? ibid. 15
Licèt non differat specie, est tamen circumstantia necessariò aperienda in confessione, in omni opinione. 181.16
Apostata à religione, retento tamẽ habitu, iure cõmuni excommunicationem non incurrit. 181.17
Potest tamen eam incurrere iure particulare religionis, ibid.
Apostata à religione est quodãmodo irregularis ad ordines sacros; etiã Episc. accipiẽdos. 184.28. & 30
Suspiciens verò illos ordines in tali statu pœnam suspensionis à suscepto ordine incurrit. 182.18
Apostata sit nec ne, qui à religione fugit retento habitu, & cum animo aliquando redeundi? 183.24 & 188. 14. & 15
Item an sit Apostata qui fugit dimisso habitu; sed cum animo redeundi? 182.20. & seq.
Quæ mora facta in seculo à religioso fugitiuo sufficiat vt ille censeatur Apostata & pœnas Apostatarum incurrat? 184.25
Apostata etiã est ille qui relinquit habitũ suæ religionis vt in sæculo permanenter viuat, quis simul habeat animũ ingrediẽdi in aliã religionẽ. 183.24
Quid si statim vbi dimittit habitum sine licentia sui superioris aliam religionem validè ingrediatur? ibid. 23. 8. 12. & seq.
Quid si inualidè aut illicitè ob defectum necessariæ alicuius conditionis? 183.21
Quæ conditiones necessariæ sint ad validum aut licitum transitum in aliam religionem? Vide verb. *Religiosus ad aliam religionem transiens.*
Apostasia consummatissima committitur relinquen-

quendo & religionem & habitum, animo non redeundi. 184.26
Apostasia censetur consummari, vbi primum religiosus animo non redeundi septa monasterij egreditur. ibid.27
Antequam consummetur non incurruntur pœnæ Apostatis impositæ. ibid.
Apostata à religione esse non potest, qui non est verus religiosus. 185.1
Secus si sit verè religiosus, quamuis vota solennia non sit professus, sed tantùm simplicia. ibid. 2.3. & seq.
Apostata non est qui sine peccato à religione recedit, quamuis alioqui ad talem recessum peccaminosè, seclusa tamen fraude, vi, &c. causam dederit, aut ex malo fine in illum consenserit. 186.7
Ab Apostasia autem securus non est, qui ex instituto malè vixit vt dimitteretur à religione. ibid.
Apostatæ à religione Societatis, præter pœnas iuris incurrunt excommunicationem reseruatam Generali eiusdem Societatis; idque quanuis habitum non dimittant, vel etiam si ad aliam religionem transeant. 187.8
Non sunt verò censendi Apostatæ huiusmodi religiosi, si retento habitu ad breue tempus in sæculo viuant, animo redeundi. ibid.
Vbi verò censuram Apostasiæ incurrerint, ab ea non possunt, etiam per bullam Cruciatæ, absolui, nisi à suis superioribus. ibid.9
Quas deinde obligationes religionis retineant? 739.9
Apostatæ quas pœnas incurrant iure communi? 184.28
Quas iure nouo seu speciali? 187.11.&12
An eas incurrant ipso facto ante sententiam, vel post illam? 188.16
An pœnæ iure communi Apostatis impositæ ab omnibus religiosis, an solum à monachis incurrantur? 191.29
Apostatæ & fugitiui à religione possunt puniri à suis superioribus iuxta suas regulas, vel ad arbitrium prudentis. 188.16
Apostatæ à quibus & quomodo possint absolui, vide verb. *Absolutio.*
Apostata non est religiosus qui extra claustrum habitat cum licentia, etiam inualida superioris. 214.13
Apostata an peccet contra votum paupertatis bona in sæculo acquirendo? 189.21
Apostatarum bona sine turpi negotiatione acquisita, an, & quomodo pertineant ad religionem; & quomodo illis vti possint Apostatæ ante reditum ad monasterium? ibid.
Apostatarum bona contra iustitiam acquisita proprio Domino restituenda sunt. ibid.20
An si sit incertus Dominus possint ab ipsis Apostatis erogari pauperibus inconsulto superiore? Aut saltem possit prælatus eis modum præscribere in dictis bonis distribuendis? ibid.
Apostatarum bona turpiter, non tamen contra iustitiam acquisita, an, & quãdo pertineant ad Cameram Apostolicam, non verò ad monasterium? 190.22. & seq.
Apostasiæ cooperari dando consilium, auxilium, &c. peccatum est mortale. 192.1
Recipere verò Apostatam vel occultare in domo aliquando excusatur à peccato cooperationis; & quando? ibid.2
Apostasiæ cooperans excommunicatione Pontifici reseruata ipso facto incurri. Excipiuntur tamen receptatores Apostatarum respectu quorũ hæc censura declarationem admittit, & quam? 197.26
Apostasiæ cooperari quis censeatur, eò quod illam non impedit? 192.3
Apostasiæ cooperans inducendo religiosum vt religionem deserat, an aliquam restitutionem religioni debeat? ibid.4.& seq. vsq; ad fin. cap.
Qui per vim aut fraudem religiosum abduxit à religione, an, & quid teneatur restituere ipsi religioso? 194.10. & seq.
Et quid ipsi religioni? ibid.13. & seq.
Qui per vim ad Apostasiam concurrit, auertendo religiosum à sua religione non tenetur, imò nec potest, propria auctoritate per similem vim illum reducere. 193.8
An possit auctoritate ipsius religionis? ibid.
Cooperans religioso volenti apostatare, nihil restituere tenetur. 197.26

Apostoli.

Apostoli fuere primi clerici regulares. 203.3. & seq. & 275.6
Apostolorum nomen quo fundamento, & occasione religiosis Societatis Iesu in Lusitania, & in India orientali fuerit accommodatum? 358.7

Appellatio.

Appellare an possint religiosi à sententijs & præceptis suorum prælatorum? 98.1. vsq; ad fin. cap.
Appellationis effectus quis sit? 99.6
Appellatio à sententia an habeat locum in Societate? 721.33

Articulus mortis.

In articulo mortis non potest Sacerdos ordinarius absoluere à reseruatis moribundum, si adsit superior, vel alius, qui habeat potestatem absoluendi à reseruatis. 135.14
In articulo mortis potest quilibet confessor ordinarius religionis absoluere religiosum mendicantem ab omnibus casibus & censuris, & concedere ei indulgentiam plenariam. 133.8 & seq.
Vide verb. *Mendicantes.*
In articulo mortis potest absoluere à censuris quilibet clericus etiam non ordinatus in sacris. 636.32

Assistentes Societatis.

Assistentes Præposito Generali Societatis, quot sint, quod munus, & quod suffragium habeant? 726.6
A quibus possint aut debeant eligi? 685.4
Omnes Societatis religiosi tenentur manifestare Generali, quoscunq; sciuerint Assistentium munus procurare. 670.16

Augustinus.

Augustinus post Baptismum & ante reditum in Africam religiosæ vitæ modum iniuit, non tamen propriè religiosus fuit. 339.2. & seq. vsque 9. & 343.18
Post reditum verò in Africam, etiam ante presbyteratum verè fuit religiosus, & Monachorum institutor. 341.10. & seq.
Regulam religiosam scripsit, & quam? 343.14
An regulam scripserit pro Canonicis regularibus, an pro Eremitis? ibid.15. & seq.
Vide etiam in verb. *Canonici regulares, & Eremitæ.*

B.

Baptismus.

Baptismum an, vbi, & qua ratione religiosi ex vi suorum priuilegiorũ ministrare possint. 645.3

Baptismum infidelibus adultis, aut paruulis infidelium an possint ministrare religiosi virtute suorum priuilegiorum? 646.7.&8

S. Basilius, & eius religio.

A sancto Basilio regulas & præclara instituta religionis edita fuisse. 322.6
Huius instituti & religionis antiquitas. ibid.
Finis huius instituti, ac media ad illum consequendum. 323.7.&seq.

Benedictio.

Benedictiones aliquæ ita sunt propriæ Episcoporum, vt nec per Pontificem committi possunt simplici sacerdoti,& quænam illæ sint? 173.1
Benedicere sacras vestes & corporalia possunt Abbates regulares, & quo iure hanc potestatem habeant? 174.2
Benedictiones, quæ vnctionem chrismatis requirunt,an possint à dictis Abbatibus conferri?175 8
An dicta potestas benedicendi possit consuetudine præscribi? ibid.
Ad quas res benedicendas extendatur dicta potestas? ibid.9.&11
Quibus prælatis hæc potestas concedatur? ibid. 9.10 & 176.11
Benedictiones nuptiales conferre sub graui censura religiosis interdicitur. 649.20
An religiosi Societatis propter sua priuilegia in aliquo casu, aut loco eas conferre possint. ibid. & num.21
Abbates benedicti, vide verb. *Abbæ.*

S. Benedictus & Benedictinorum ordo.

S. Benedicti religio,quando & quomodo cœperit? 324.4
Quod institutum seu professio eius? ibid.5
Alia monasteria,quæ ante Benedictum non pauca erant in Occidente eius regulam sunt amplexata. ibid.6.&325.7
Obligationes quæ religiosis Benedictinis iure communi imponuntur, quomodo intelligantur, & an comprehendant etiam alios religiosos? 333.11.&12
Benedictinæ familiæ viri insignes; & cur variè numerentur? 326.10
Benedictino ab ordine an manarit Cluniacensis? 327. initio.
An Cistertienses & alij? ibid.3.&seq.

Beneficium & Beneficiatus.

Beneficiũ regulare in quo differat à seculari? 267.2
Beneficium regulare, non tamen religioni pleno iure subiectum, non potest à solo prælato religionis conferri religioso, sed simul & præcipuè ab Episcopo facienda est talis collatio. 272.22
Non tamen opus est speciali dispensatione ad huiusmodi collationem religioso faciendam,ib.
Vtrum ad alia beneficia sit necessaria dispensatio? Et à quo concedi possit, si necessaria sit?266 per tot. cap.19
Beneficium seculare etiam curatum haberi non potest à religioso qui relicta propria religione ad aliam diuersi ordinis transijt. 253.12
Beneficiatus regularis habens beneficium regulare suæ religioni pleno iure subiectum, an teneatur ad omnem religiosam obseruantiam, sicut cæteri simplices religiosi? 268.6
Cui nam acquirat, suæ ne Ecclesiæ, an religioni, an vtrique? ibid. 8. vsq; ad 17
Quomodo expendere possit aut debeat bona quæ Ecclesiæ acquirit? 269.10
An rediens ad monasterium possit secum ad illud deferre peculium, & omnia bona mobilia, quæ Ecclesiæ acquisierat? ibid.11
Retinere, & administrare non potest bona quæ monasterio acquirit. 270.17
An, & quam obligationem habeat obediendi prælatis suis,tum in alijs,tum in administratione suæ Ecclesiæ? ibid.18.&seq.
Vtrum possit reuocari ad monasterium pro arbitrio sui superioris, sine aliqua speciali causa? 271.20
Non potest dictus beneficiarius sine socio suæ religionis habitare. 272.26
Beneficiarius regularis habens beneficium regulare, non tamen suæ religioni pleno iure subiectum, an ad aliquam obseruantiam regulæ, votorum, & subordinationis ad prælatos regulares obligetur? ibid.24.&seq.
Omnia acquirit suæ Ecclesiæ. ibid.
Non potest talis beneficiatus arbitrio prælati sui regularis reuocari ad monasterium, & à beneficio amoueri. ibid.23
Beneficiarius regularis habens beneficium seculare,ab omni obseruantia regulæ,& subordinatione respectu prælatorum suæ religionis est exemptus? nec tenetur secum habere socium suæ religionis. 273.18
Statim verò incipit esse sub speciali obedientia Episcopi. 207.6

Bernardus, & eius religio.

D. Bernardi religio quæ? eius regula, origo, perfectio.&c. 231.3.&seq.
D. Bernardus neq; institutor, neq; supremus prælatus totius Cistertiensis ordinis fuit. 324.6

Birrus.

Birrus est quoddam vestimenti genus proprium olim clericorum. 374.4

Bona.

Bonorum temporalium monasterij administratio, primariò competit ipsi communitati, & mediante ipsa prælato, in quem ipsa transferre potest hanc suam potestatem, 154.2
Hæc potestas non est potestas iurisdictionis, sed reducitur ad dominatiuam. ibid.
De facto in prælatum fuit translata initio religionum. 155.3
& à iure communi approbata. ibid.4
Bonorum monasterij acquisitio, vide ver. *Acquisitio.*
Bonorum monasterij alienatio, vide verb. *Alienatio,* & verb. *Donatio.*
Bonorum monasterij conseruatio qua ratione, & sub qua obligatione ad prælatum & officiales illius,& ad alios etiam subditos pertineat? 156.7
Quos pecuniæ monasterij sumptus, in quibus rebus, & sub qua obligatione prælati regularium facere possint & debeant? ibid.9
Qua æquitate sibi & alijs teneatur prælatus subuenire de bonis monasterij? 157.10
Bona mobilia monasterij expendere & consumere quatenus possit aut debeat prælatus regularis? 158.16.&17
Bona immobilia monasterij quomodo administrari debeant à prælato? ibid.18.&19
Bona monasteriorum semper fuerunt Ecclesiastica, ac proinde dispositioni sacrorum canonum subiecta. 159.20
Bona immobilia Collegiorum Societatis alienari, mutari, ac dissolui non possunt à solo Generali, sed vlterius requiritur consensus ipsius Sorietatis. 164.3

Quomodo huiusmodi consensus Societatis haberi possit sufficienter; an per se sufficiat sine cõsensu Generalis? 165.5
Qua ex causa fieri possit dicta alienatio? ibid.7
An à Generali simul cum Societate possint superabundantia bona immobilia vnius Collegij applicari alteri? ibid.8. & 166.9
Explicantur indulta & priuilegia Apostolica confirmantia & ampliantia statuta Societatis quoad potestatem alienandi, mutandi, contrahendi super bona mobilia, & immobilia ipsius Societatis. ibid. 11. & seq. vsq; ad fin. cap.
Bonorũ mobilium Societatis alienatio, vide verb. *Alienatio.*
Bona religiosorum beneficiariorum, vide verb. *Beneficiarius.*
Bona ab Apostatis extra religionem acquisita, vide verb. *Apostata.*
Bona Episcopi regularis, vide verb. *Episcopus.*
Bona religiosi transeuntis ad aliam religionem; vide verb. *Religiosus ad aliam religionem transiens.*
Bona religiosi expulsi, vide verb. *Religiosus expulsus.*
Bona à Clerico regulari, etiam in claustris degenti, per turpem negotiationem, vel contra Canones acquisita, an pertineant ad religionem, vel ad Cameram Apostolicam? 191.30
Bona sua distribuere promittunt omnes qui in Societate recipiuntur, & hanc promissionẽ faciunt antequã per vota Societati incorporẽtur. 461.17
Quomodo hæc promissio intelligenda, & quos effectus habeat? ibid.& 18
Huiusmodi bona, quibus, quando; & an absolutè distribuenda sint, sine conditione, si perseuerauerit, &c. 462.19
Bona sua pauperibus potius, quàm consanguineis distribuere, quibus maximè rationibus religiosis expediat? ibid 2. & seq.
Bona scholasticorum Societatis ab ipsis scholasticis sunt in pauperes distribuenda. ibid.
An & qua ratione in consanguineos etiam ea possint distribuere? ibid.2. & 463.4
Quo superioris consensu, & consilio. ibid.4. & 5
An possint etiam Societati ea applicare, & ad id quoque induci? 464.6. & 7
Ante omnia ex his bonis debita soluenda sunt. ibid. 6.
An bona sua, saltem in vsus pios, distribuere licitè possint religiosi non professi Societatis absq; directione & consensu superiorum? 465.3
An validè saltem ea distribuere valent absq; tali consensu superioris? 467.11 & 12
Bona sua in vsus profanos vt possint distribuere religiosi non professi Societatis, vltra consensum superioris adhibere tenentur consiliumduorum aut trium patrum, quos superior approbauerit. 466.10.
At verò in vsus pios pro sua deuotione ea distribuere possunt, cum consensu tamen superioris. 465.3. & 10.
Vtrùm diuisi à Societate, qui vota tantum simplicia in ea emiserunt, possint deferre secum bona, quæ ipsi Societati donauerant? 157.21

Bulla Cœnæ.

A casibus occultis bullæ Cœnæ, etiam hæresis, non possunt absoluere Episcopi, propter reuocationem factam in eadem bulla Cœnæ. 138.10
Prælati religionum mendicantium per sua priuilegia absoluere possunt suos subditos religiosos ab omnibus casibus bullæ Cœnæ etiam à relapsu in hæresim. 139.1. & 2
Facultas ad absoluendum à casibus bullæ Cœnæ, quando censenda sit reuocati per ipsam bullam Cœnæ? 140.6. & seq.
Facultas generalis ad absoluendum ab omnibus casibus reseruatis Papæ, cur non comprehendat casus bullæ Cœnæ. 142.8
Ab omnibus casibus bullæ Cœnæ absoluere possunt religiosi Societatis de licentia sui Generalis in terris infidelium, & partibus remotissimis, à quibus facilè adiri non potest Sedes Apostolica. 632.16
An etiam sub hac generali concessione comprehendatur casus hæresis? ibid.& 17
Qua ratione possint religiosi Societatis absoluere raptores bonorum naufragantium; & extra Hispaniam, legentes libros prohibitos. 633.18
Vide verb. *Casus reseruati*, & verb. *Censura.*

Bulla Cruciatæ.

Bulla Cruciatæ vti non possunt religiosi ad effectum eligendi confessorem; quemadmodum nec alijs bullis, vt Trinitatis, &c. ad eundem effectum, sine licentia suorum superiorum. 122.3 vsq; ad 8
Possunt tamen vti prædictis bullis de licentia suorum superiorum. ibid.9
Bulla Cruciatæ vti possunt Nouitij ad effectum eligendi confessorem, etiam sine licentia superiorum religionis. 124.10

C.

Canonici regulares.

CAnonici regulares vnde dicti. 1.1
Canonicis regularibus olim non licebat transire ad religiones Monachales, & cur ita? 224.2. & seq.
An Monachi, saltem laici, transire possint ad Canonicos regulares. 225.9. & seq.
Canonici regulares in quo differant à Clericis regularibus. 310.6. & seq.
Canonici regulares vnde ortum habuerint, & quæ sint proprietates illius status? ibid.
Regula Augustini scripta non fuit pro Canonicis regularibus, sed pro Eremitis tantùm. 343.15 & seq.
Postea verò Canonicis regularibus ab eodem Augustino fuit accommodata. ibid. & seq.
Canonicorum regularium statum non inchoatum, sed reformatum fuisse ab Augustino probabile. 303.3 & 376.7
Eosque esse à tempore Apostolorum in Ecclesia aliqui senserunt. ibid.
Canonicorum regularium quod sint genera? 311.12
Canonici nomine quid veniat? 310.6. & seq.

Capilli.

Capillos nutrire an liceat monialib. 318.4. & 5

Capitulum.

Solum capitulum, siue congregatio generalis religiosorum infra Papam habet potestatem condendi statuta religionis. 85.4
Et an ad hoc indigeat consensu generalis, vel præsidentis? 86.8
Capitulum vniuersale religiosorum est supra ipsum generale. ibid.
Capitulum verò Ecclesiæ Cathedralis non est suprà Episcopum, nec Concilium generale supra Papam. ibid.
Capitulum generale religiosorum sede vacante ante electionem Generalis, an possit leges condere? 87.9. & 10

Capitulum generale religiosorum tantum potest, quantum ei vniuersa religio per suas constitutiones concedit. ibid.10
Capitulum generale religiosorum, pro tota religione, & prouinciale pro tota prouincia an, & quos casus post decretum Clementis VIII. reseruare possit. 131.15
Capitulum Ecclesiæ Cathedralis sede vacante potest Diœcesanas leges condere. 87.9

Cardinalis.

Cardinalis religiosus quas obligationes suæ religionis retineat. 266.4

Carmelitarum ordo.

Carmelitarum regula à D. Basilio traxit originem. 3.6.
Carmelitarum ordo ab Elia manauit 351.1

Carthusiensium ordo.

Carthusiensium origo, & institutum 329.1.&2
Quis talis instituti author? ibid.2.3
Quæ & qualis eius approbatio ab Ecclesia. 331.9
Eorum obseruantia. 329.2
An liceat illis in omni casu abstinere à carnibus? 330.4
Comparatur hæc religio in perfectione cum alijs. ibid.7
Carthusiensium clausura quanta. ibid.6
Transitus à quauis religione ad Carthusiam licitus est, & ob quam maximè rationem. ibid.
An liceat etiam à Carthusia ad aliam religionem transire? ibid.7.&8.& 221.15
Carthusianorum regula à nulla antecedenti traxit originem. 3.6.

Castitas.

Castitas coniugalis sufficit ad statum religionis. 288.19
Quomodo sit materia consilij? ibid.18.& seq.
Castitatis votum militarium ordinum, præter Maltensem, non est solemne, nec dirimit præcedens matrimonium ratum, aut futurum impedit. 290 28.
In quibusdam verò participat solemnitatem. ibid.29
Simplex castitatis votum quòd in Societate emittitur, quantum extendatur, & vtrum in eo, durante statu religionis, saltem à Pontifice dispensari possit? 448.1
Huiusmodi votum à principio Societatis impediebat quidem, non tamen irritabat matrimonium subsequens. ibid.3.& seq.
De facto tamen iam illud irritat, personamque inhabilem reddit ad contrahendum ex decreto Gregorij XIII. 449.8.& seq.
Idque maximè fuit expediens. 450.9
An scholastici Societatis, qui iam votum castitatis emiserant ante decretum Gregorij, per illud decretum subsequens redderentur, aut reddi possent inhabiles ad matrimonium? ibid.11
Ad castitatis votum perfectissimè seruandum quibus medijs vtatur Societas? 454. per totum cap.3.
Castitatis perfectio à Societate intenta omnium est maxima. ibid.1
Ad castitatem seruandam media accommodatissima, quæ? ibid. per totum cap.3
Peccatum contra castitatem opere consummatum, non censetur tantùm copula, sed etiam pollutio. 131.12
Vbi reseruatur quodlibet peccatum externum in hac materia, etiamsi non sit consumatum (quæ reseruatio datur in Societate) requiritur & sufficit ad reseruationem incurrendam, vt detur opus externum, quod ex se sit mortale; vt sunt verbi gratia tactus impudici, &c. si verò actio ipsa externa de se sit leuis, quamuis actus internus sit mortale peccatum, non erit reseruatum. ibid.

Casus reseruati.

Casus reseruandi potestatem ordinariam habent Prælati religionum erga suos subditos religiosos. 129.1
Hanc verò potestatem limitauit Clemens VIII. ita vt vndecim tantum casus possint reseruari. 131.14
Assignantur, & explicantur prædicti vndecim casus. 129.2.vsq; ad 15
Peccata venialia reseruari propriè non possunt. ibid.3.
Peccata mortalia merè interna, etiamsi reseruari possunt, ex vsu tamen ecclesiæ non reseruantur. ibid.
Congregatio, seu Capitulum generale religionis pro tota religione, & Prouinciale pro tota prouincia non prohibetur à Clemente VIII. plures casus, quàm prædictos vndecim reseruare, sed solùm Prælati religionis ea prohibitione inhibentur. 131.15
Non poterit tamen Congregatio seu Capitulum prouinciale casus alios reseruare, si forte per sua statuta ad similes actus potestatem non habeat, vt contingit in Societate. ibid.
Vtrùm prælati licèt prohibeantur à Clemente VIII. plures casus reseruare, possint nihilominus censuras reseruare? 132.17
A casibus reseruatis religiosos iure ordinario absoluere nemo potest extra suam religionem, nisi solus Summus Pontifex. ibid.1
A casibus reseruatis absolui non possunt religiosi ab habentibus iurisdictionem delegatam à Papa per generalia priuilegia ad absoluendum omnes fideles. ibid.
A casibus reseruatis absolui non possunt religiosi à confessoribus suæ religionis, nisi de licentia sui superioris ad hoc specialiter concessa, vel aliter ex regula, aut ex vsu tali muneri confessoris annexa. 133.6
Possunt Prælati religionis quibus subditorum peccata reseruantur, eos à reseruatis absoluere, vel eam iurisdictionem alteri committere. 135.16.&17
Fieri tamen potest vt alicui Prælato religionis committatur à superiori potestas tantum delegata ad absoluendum de aliquo certo peccato reseruato, & tunè hanc potestatem alteri subdelegare non potest. ibid.
A quibus casibus & censuris reseruatis Pontifici Prælati regulares possint suos subditos religiosos absoluere? vide verb. *Censura.*
Pertita facultate à superiore ad absoluendum de aliquo reseruato, & ab eo iniustè negata, no potest ordinarius confessor de illo absoluere pœnitentem. 136.21
Quid in eo casu facere possit pœnitens si vrgeat necessitas communicandi ad vitandam infamiam vel scandalum? ibid.22.&23
An casus reseruati Summo Pontifici, à quibus Prælati religionum possunt per sua priuilegia subditos absoluere, reseruari possint à prælatis superioribus ita vt inferiores prælati ab eis non pos-

possint absoluere? 146.15
Quando prælatus assignat confessarium pro suis subditis, aut ei concedit facultatem absoluendi à reseruatis, non ei delegat eo ipso facultatem absoluendi à reseruatis Summo Pontifici. ibid. 18
Et quando censendus sit eam facultatem concedere? ibid.
A quonam possit absolui prælatus supremus religionis de casibus Summo Pontifici reseruatis? 148.7.& 8.
An Episcopus saltem in aliquo casu possit absoluere religiosos à casibus reseruatis Summo Pontifici. 147. per totum cap 23
Ab omnibus casibus Papæ reseruatis quoties nō patet aditus ad Summum Pontificem, vel commissarium eius, nisi cum magna difficultate & mora, potest absoluere quilibet confessor cum onere comparendi coram Pontifice vel habente iurisdictionem ab illo circa tales casus respectu talis personæ. 148.5
Semel in vita possunt religiosi minores, & omnes alij, qui cum illis communicant in priuilegijs, absolui à confessario suæ religionis de omnibus peccatis, & censuris reseruatis. 135.17
Idem priuilegium eisdem conceditur pro articulo mortis; & quid operetur cum in articulo mortis nulla sit reseruatio? 133.8.& seq.
Debet verò confessor esse approbatus vel expositus à prælato religionis ad audiendas confessiones suorum subditorum. ibid.7
Vide etiam in verb. *Mendicantes.*
Religiosi, præcisis priuilegijs, absoluere non possunt à casibus Episcopo reseruatis; quemadmodum nec parochi. 631.10
Quantum verò possint religiosi, præsertim Societatis, per sua priuilegia circa casus, etiam Pontifici reseruatos? Vide verb. *Pœnitentiæ sacramentum.*
Vsum reseruandi aliquot casus, qui in Societate datur, esse instituto Societatis, & rationi consentaneum 601.2.& 3
Nimiam non esse talem reseruationem. 602.5 & seq.
Qui casus in particulari reseruentur in Societate? ibid.
In Societate sola generalis Congregatio habet potestatem reseruandi peccata. ibid.4
Casus reseruandi vsus, quàm varius in diuersis religionibus fuerit? ibid.6
Superior in rigore potest cogere vt subditus incidens in reseruatum sibi confiteatur. 603.8
Non tamen id semper expetit: & quomodo in hoc se gerere debeat superior, quando facultas per confessarium ordinarium postulatur? 603.9.& 10
Quid si per alium Sacerdotem? 604.11
Quod etiam sit munus confessarij, cui facultas ad absoluendum in eo casu conceditur? ibid.10 in fine.
Priuilegia regularibus prælatis concessa ad absoluendum à casibus Pontificijs suos religiosos, vide verb. *Priuilegium & Prælatus.*
Peregrini religiosi à quibus, & quo modo absolui possint à reseruatis, vide verb. *Peregrini.*
Nouitij à quo possint absolui de reseruatis, vide verb. *Nouitij.*
Cætera pro casibus reseruatis, vide in sequenti verb. *Censura.*

Censura.

An, & quas censuras prælati religionis imponere possint suis subditis? 93.4.& seq.
Vide etiam in verb. *Prælatus regularis.*
Censuras reseruare possunt prælati regulares, non obstante decreto Clementis VIII. prohibente reseruationem plurium casuum, quàm eorum vndecim, quos reseruare prælatis religionum permittit. 132.17
A censuris à iure, imo & ab homine per sententiam generalem, non reseruatis absoluere potest ordinarius monasterij confessor eo ipso quod habet iurisdictionem ad absoluendum de peccatis mortalibus. 137.1.& 3
Ab omnibus censuris non reseruatis, tam à iure, quàm ab homine per sententiam generalem absoluere iure ordinario possunt prælati religionū suos subditos religiosos. ibid.1.& 2
Possunt etiam eosdem absoluere à censura specialiter ab homine, nisi lata sit à superiore suo, vel ab Episcopo, in casibus in quibus excommunicare potest religiosos exemptos. ibid 3.&.4
An per sua priuilegia aliquid amplius possint circa censuram specialem ab homine, etiam erga nouitios? 153.5.& seq.
Quæ satisfactio præmittenda sit ante huiusmodi absolutionem? 154.7
A censuris in religione reseruatis potest absoluere prælatus, ad quem reseruatio facta est, & à fortiori prælatus superior. 138.6
Licentia data generaliter à prælato ad absoluendum à censuris, non extenditur ad reseruatas. ib.
A censuris Papæ in iure reseruatis, à quibus Episcopi iure ordinario suos subditos possunt absoluere, possunt etiam absoluere prælati religiosi suos subditos. ibid.8
Non possunt tamen ab ijs absoluere, à quibus Episcopi ex commissione speciali, & tanquam legati Sedis Apostolicæ, possunt. ibid.9
Poterunt tamen ex proprijs priuilegijs, quæ consulenda sunt.
Possent verò prælati regulares absoluere ab omnibus casibus occultis bullæ Cœnæ, etiam hæresis, concessis à Tridentino Episcopis, nisi hæc concessio per eandem bullam reuocata esset. ibid.9 10.& 139.11
Per priuilegia religionum, præsertim mendicantium possunt prælati regulares absoluere suos subditos ab omnibus censuris à iure vel ab homine latis, etiam bullæ Cœnæ, excepto tantum casu Simoniæ in susceptione, vel collatione ordinis admissa. ibid. 12. iuncto integro cap. 21
Quibus prælatis religionis sit emomissa prædicta potestas absoluendi, infimis ne an solum supremis, vel etiam medijs? 154. per totum cap 22
Per priuilegia religionum non tollitur propriè reseruatio censurarum & casuum pontificiorum, quamuis prælati religionis ab eis possint suos subditos absoluere. 146.16
A censura extra confessionem absoluere an possint qui habent priuilegium, vt auditis confessionibus pœnitentium, eos à censuris & casibus reseruatis absoluant? 634.24.& seq.
Vtrum per tale priuilegium possit eos absoluere, non tantum in foro conscientiæ, sed etiam in externo? 635.30
Absolute à censura in foro conscientiæ, quid sit? Et an absolutio à censura extra confessionē possit esse tantum in foro conscientiæ? 636.31.& 32

Et quid operetur absolutio censuræ pro foro externo, supra absolutionem pro foro conscientiæ? ibid.34
Facultas generalis absoluendi à censuris, vtrum intelligenda sit pro foro tantum conscientiæ an etiam pro externo. ibid.33.vsq; ad 37
In articulo mortis quilibet Clericus potest absoluere à censuris, quamuis non sit ordinatus in sacris. ibid.32
Quid possint religiosi, præsertim Societatis circa absolutionem à censuris, etiam Summo Pontifici reseruatis; vide in verb. *Pœnitentiæ sacramentum.*

Charitas.

Charitas fraterna & concordia inter fratres maximè procuranda in religione. 606.3 & 4
Quibus medijs vtraq; foueatur & promoueatur in Societate? ibid. & cap.7. & 8
Charitas in Deum qua ratione in Societate promoueatur? 605.1
Vide etiam in verb. *Proximus.*

Chorus.

Chorum & cantum ordinarium cur Societas non habeat? 369.13. & 384.3. & seq.
Chori & cantus Ecclesiastici ordinarius vsus ministerio prædicationis præponendus non est. ibid. 6
Neque ex eius defectu præcisè Societas iudicari potest minus perfecta, quàm aliæ habentes chorum. 385 8. & 9
Chori & cantus Ecclesiastici vsus non tam ordinatur ad propriam perfectionem & contemplationem canentium, quàm ad deuotionem audientium. ibid.8

Christus.

Christus Dominus cur communem viuendi rationem in terris habuerit? Et qua ratione id intelligendum sit? 388.7.& 8

Cistertiensis ordo.

Cistertiensis ordinis origo, regula, &c. 324.3. & seq.

Claustrum, & Clausura.

Clausuram seruare tenentur religiosi, non solum ex regula, sed ex rigoroso præcepto obligante iuxta materiæ capacitatem. 23.5 178.6
Explicatur quæ sit materia grauis in clausura sufficiens ad peccandum mortaliter contra illius præceptum. ibid.6.& seq.
Clausuræ violatio potest esse venialis ex leuitate materiæ. 240.9.& 10
Quin etiam potest ab omni culpa excusari si fiat ex iusta causa. 244.10.11.& 178.1
Egredi claustro sine licentia prælati, saltem perita: animo transeundi ad aliam religionem strictiorem, an sit illicitum: 219.4.vsq; ad 7
Contra quas virtutes peccet violator clausuræ. 178 1
Ad licitum exitum è claustro qualis licentia sufficiat? 25.12
Huiusmodi licentia non est per modum dispensationis in iure communi, quæ vt sit valida requirat iustam causam. ibid.7
Vt verò sit licita, ex qua causa concedi debeat? 213.8.& seq.
Quid de licentia ad viuendum extra claustrum vide infrà,
Prælatus vt licitè claustro egredi possit nulla eget licentia ex vi iuris communis. 25.14
Quæ verò licentia requiratur iuxta particularia iura religionum, id ex regulis singularum pensandum est. ibid.15
Furtiuè noctu è claustro egredi, non solum ille censetur, qui inscio aut inuito prælato egreditur, sed etiam qui eo iniquè consentiente egreditur; & reseruationem incurrit, vbi furtiua egressio nocturna reseruatur. 130.4
Imò & ipse prælatus sit iniquè egrediens eandem incurrit reseruationem. ibid.
Claustra religiosorum ingredi, vnde & quantum fœminis prohibeatur? 28.9
Cùm illis permittitur ingredi in Ecclesiam, an nomine *Ecclesiæ* intelligatur etiam sacristia? 26.2
Claustra religiosorum ingrediendi licentia, quam olim aliquæ graues fœminæ habebant, omnino est reuocata, paucis tantummodo exceptis; quales sunt reginæ, filiæ earum, & monasteriorum fundatrices, pro quibus nihil derogatum est. 27 5.& 6.
Insuper fœminis prædictis, pro quibus ea facultas derogata est, sub excommunicatione latæ sententiæ prohibetur, ne prætextu facultatis religiosorum Claustra ingrediantur. ibid.
Aliæ verò fœminæ, quæ talem facultatem nunquam habuerunt, vel si habuerunt non ingrediebantur prætextu illius, prædicta prohibitione non comprehenduntur. ibid.6.& 7
At per alia posteriora decreta sub eadem pœna cautum est ne cum prætextu aut sine illo monasteria virorum ingrediantur. 130.9
Claustra fratrum minorum ingredi possunt fœminæ causa alicuius diuini officij: quæ facultas ad omnia alia religiosorum claustra extendi potest. 28.9
Religiosi fœminas in claustra admittentes, præter alias pœnas per sententiam ferendas incurrunt ipso facto excommunicationem reseruatam Summo Pontifici & suspensionem non reseruatam. ibid.10
Clausura monialium, tam quoad ipsas moniales, quàm quoad alias personas ne earum monasteria ingrediantur. Vide in verb. *Monialis.*
Viuere extra claustrum an liceat religioso de licentia superioris, & qui superior hanc licentiam dare possit? 26.2.& seq.
Peccat mortaliter Prælatus dans licentiam religioso ad viuendum extra claustrum sine causa rationabili. 213.7
Quæ censeatur causa rationabilis? 298.17
An ea licentia sine causa rationabili sit valida? 230.1,10.& 11
Et an relinquat subditum tutum in conscientia? 214.12.& seq.
Quid si talis licentia concedatur à Summo Pontifice? ibid.15.& 16
An religiosus teneatur; vel possit obedire prælato sine iusta causa habitationem extra claustrū præcipienti? ibid.12
Licentia habitandi perpetuò extra claustrum concedi non potest religiosis irreuocabiliter à prælato. 215.18
Religiosus extra claustrum habitans de licentia superiorum, quomodo paupertatis votum seruare possit & debeat? ibid.19.& 20

Clericus.

Clericus secularis potest eligi in Episcopum ad Ecclesiā regularem, quæ Cathedralis sit. 52.12.in fin.
Clericorum regularium status propriè religiosus incepit in Apostolis fuitque à Christo institutus;

tus: & nunquam interruptus fuisse videtur in Ecclesia. 303.3. & 4 305.14. & seq.
Eius antiquitas comparatione status Monachalis. ibid.11. & 376.6. & seq.
Et quis eorum sit perfectior? 305.17. & seq.
In quo differant? 303.6. & seq.
Clericorum regularium propriè religiosorum alij Canonici, alij simplices presbyteri. 310.5. & seq.
Quomodo hi ab illis discriminentur? ibid. 8 & seq.
Rursus clericorum simplicium religio in quot membra diuidi possit? 311.14
Clericorum regularium, impropriè tamen religiosorum congregationes aliquæ assignantur. 309.1
Clericorum religio est illa, quæ per se ordinatur ad perficiendos sacerdotes, vt sacerdotes sunt. 379.8

Cluniacensis ordo.

Cluniacensis ordinis origo, regula, institutor, &c. 323.1. & seq.

Coadiutores Societatis.

Coadiutores spirituales Societatis, quinam sint, quis eorum gradus in Societate, & ad quid in ea admittantur? 407.12
Conuenienter hos coadiutores in Societate admitti. 582.2. & 3
Eorundem coadiutorum iam formatorum vota, quibus Societati incorporantur, simplicia sunt. 583.1
Quid illis votis desit, quominus solennia sint? ibid.2. & seq.
Ea non dirimire præcedens matrimonium ratum. 586.9. & 10
Vide verb. *votum.*
An dicti Coadiutores spirituales conuenienter ad solennem professionem non admittanter? 585.4. & seq.
In quo hic gradus spiritualium coadiutorum, eorumque vota differant à gradu, & votis scholarium? 586.10. & seq.
In quo gradu & votis tria tantùm vota professorum? 587.13.14
Coadiutores spirituales formati incapaces sunt Dominij & hæreditatis. 586.10
Coadiutores spirituales formati debent esse sacerdotes. 587.12
Coadiutores spirituales dimitti possunt à Societate. 585.6
Eorum tamen dimissio grauiores requirit causas; quàm scholarium: & quænam illæ esse possin? 586.1
Coadiutores temporales Societatis, quem gradum in ea habeant, & ad quid admittantur? 587.12
Cur ita appellentur, & an conuenienter? 387.1
Horum coadiutorum iam formatorum vota, habita proportione, non differunt à votis Coadiutorum spiritualium formatorum. ibid.1. & 8
Quæ necessitas & conuenientia fuerit huius gradus coadiutorum temporalium in Societate? ibid.2. & seq.
Quo numero recipiendi sint? 589.6
Quæ dotes & conditiones in eis requirantur? ibid. 7
Quàm sit perfectus hic gradus, & quomodo ad alios gradus Societatis comparetur? ibid. 8
Coadiutores temporales ad professionem solennem nunquam admittuntur, & cur? ibid.
Quàm sit aptus hic gradus ad perfectionem acquirendam? ibid. 9
Coadiutorum formatorum incorporatio in Societate per vota simplicia, in quo differat ab incorporatione scholasticorum? 435.8
Coadiutores formati expulsi à Societate, an aliquas retineant obligationes? 738.1

Cœnobitica vita.

Cœnobitica vita cur sic dicatur & quàm sit in Ecclesia ad perfectionem conueniens? 278.1. in fine, &c.
Perfectior ne sit, an solitaria? 281.14

Collegia Societatis.

Collegia Societatis mutari aut dissolui, qua potestate possint? 166.13, & seq.
Qua ex causa? 165.7
Vide in verb. *Alienatio.*
Collegia Societatis, & domos probationis conuenienter habere annuos redditus quibus sustententur. 483. ferè per totum cap.11
Quibus modis dicta Collegia acquirere possint? 485.9. & seq.
Horum reddituum, & bonorum ad ministratio est penes Societatem professam per se, vel per Generalem suum. ibid.7.
Collegia Societatis non succedunt ipso iure in bona religiosorum in ea professorum; & cur ita fuerit statutum? ibid.9
An admittere possint eleemosynas & donationes cum obligatione Missarum, &c. ibid.10
Vide etiam in verb. *Bona.*
Communitas religiosa, vide verb. *Religio.*

Confessio, & Confessor.

Confessorem eligere non possunt religiosi per bullam Cruciatæ, nec per alias. 266.3. & seq.
Confiteri de peccatis venialibus, & de mortalibus iam confessis validè possunt religiosi cuilibet sacerdoti, licet in hoc faciant contra regulam. 255.1.
Confiteri verò de mortalibus iure ordinario, & secluso priuilegio, non possunt nisi Confessariis à suis superioribus depuratis. ibid.
Religiosi peregrini quibus sacerdoribus possint, ac debeant confiteri. vide verb. *Peregrinus.*
Nouitij quibus possint confiteri? vide verb. *Nouitij.*
Confessores priuilegiati habentes iurisdictionem à Summo Pontifice, an possint audire confessionem religiosi, absque licentia prælatorum illius? 257.12. & seq.
Iurisdictio in foro pœnitentiæ à Summo Pontifice religiosis concessa ad audiendas confessiones omnium fidelium, an, & à quibus religiosis limitari possit? 264.13
Confitendi frequentia quanta in Societate. 599.1
Confessionum generalium vsus, qui in Societate præcipitur, conueniens sit necne? 600.2. & seq.
Ad Confessiones iterandas vtrum, & qua ratione obligari quis possit? ibid.4. & seq.
Regula Societatis, qua præcipitur, vt qui confitetur alteri, quàm ordinario suo confessori, debeat postea eidem suo confessori eadem peccata confiteri, non inducit proprium onus comparendi, sed tantùm simplicem directionem regulæ. 601.5 & 6
Vtrùm hæc regula sit conueniens? 7.8. & seq.
Hanc regulam non solùm intelligi de mortalibus, sed etiam de venialibus. ibid.10

Con-

Confessarij à superioribus regularibus in quolibet conuentu deputandi, vide verb. *Absolutio.*

Confiteri superiori in varijs religionibus vsitatum fuisse idq; per se malum non esse. 605.17

Quid circa hoc obseruetur in Societate. ibid.18

Superior in rigore potest cogere vt subditus incidens in reseruatum sibi confiteatur. 603.8

Vide verb. *Casus reseru.*

An in aliquo casu liceat superiori vti notitia confessionis ad dirigendum subditum. 604.12 & 13

Quid in hoc Societas obseruet? ibid.14

Qua ratione debeat superior non vtendo notitia confessionis, peccatis nihilominus subditorum occurrere, cum morale periculum eorum per solam notitiam confessionis agnouerit? ibid. 15

Confessarij Societatis quibus priuilegijs fruantur ad audiendas confessiones fidelium, eosq; à casibus & censuris reseruatis absoluendos, vide verb. *Pœnitentia sacramentum.*

Congregatio; vide etiam verb. *Capitulum.*

Congregatio religionis vt sit legitima ad electionem sui Generalis, quas requirat conditiones? 67.1

Congregationes Societatis, tam generales, quàm prouinciales, & Procuratorum, quam potestatem habeant, & ad quem præcipuè finem cogantur? 675.3

Specialiter de potestate Congregationis generalis. 671.à 2. ad 5

Congregatio generalis Societatis, quid possit circa dimissionem professorum, aut licentiam eis concedendam ad transitum in alias religiones? 737.11. & seq.

Congregatio generalis an possit limitare Præpositi generalis facultates ipsi Præposito à Summo Pontifice concessas, quales sunt, potestas ad dimittendos professos, &c. ibid.

Congregatio prouincialis Societatis propriæ iurisdictionis potestatem non habet. 602.4. & 675.5.

Neque potest casus reseruare pro sua prouincia. 132.1.

Coniuges, vide etiam verb. *Matrimonium.*

Quando coniuges propter adulterium alterius separantur, licèt adulter non possit alium obligare vt sibi cohabitet; potest tamen ab illo obligari ad cohabitandum. 203.9

Dissoluto matrimonio rato per professionem alterius coniugis reuocantur donationes absolutæ inter eos factæ; non tamen si dictum matrimonium per dispensationem dissoluatur. 248.10

Coniux qui post matrimonium ratum ingressus est religionem an teneatur redire ad alterũ coniugem, nisi statim post annum professionem emittat? 400.23

Et si ingrediatur Societatem an debeat dispensari in biennio nouitiatus, vt statim expleto vno anno nouitiatus professionem emittat? 454.13

Si Coniugatus post consummatum matrimonium, ex solo consensu vxoris, sine alijs iuris circumstantijs, ingrediatur religionem (excepta religione Societat.) validam professionem emittet; poterit tamen quoad vsum talis professionis impediri, & ab vxore ad cohabitandum reuocari, si illa velit. 400.22

Coniugatus ingrediens Societat. post matrimonium consummatum, & in ea profitens, professionem inualidè facit, vòto tamen castitatis manet ligatus. 441.7

Conscientiæ ratio.

Conscientiæ ratio, quæ in Societate postulatur, quid sit? 690.1

Quid circa illam in Societate statutum sit? ibid.2

Ad quod secretum obligetur superior in iis quæ in ratione conscientiæ illi manifestantur? 693.11 & seq.

Superior obligare non potest, vt ratio conscientiæ sibi in confessione reddatur, potest tamen vt extra confessionem. ibid.10

De quibus reddenda sit conscientiæ ratio? 692.8

Ad quem finem huiusmodi ratio conscientiæ ordinetur? 690.3

Quando, in quibus, & quomodo potest superior vti notitia rerum sibi in ratione conscientiæ manifestatarum? 693.11. & seq.

Conscientiam superiori aperire, etiam extra confessionem, sanctis olim patribus receptissimum fuit. 691.4. & seq.

Est signum non mediocris progressus in virtutibus faciendi, si integrè aperiatur. 695.15

Est etiam vnum è potissimis medijs, quibus ad perfectionem castitatis Societas iuuatur. 455.3 & 4

Consecratio Virginum.

Consecrari solæ virgines sanctimoniales solebant. 315.6

An etiam in aliquo casu non virgines? 316.7 & seq.

Consecratio virginum sanctimonialium à solo Episcopo consecrato peragenda. 317.11

Vide verb. *Velum.*

Consilium.

Consilia Dei reijcere ex errore intellectus prauè de illis sentientis, aut ex prauo affectu in res diuinas, quia scilicet consilia Dei sunt; est peccatum mortale, aliàs nec veniale, 15.11. & 12

Consilium aliorum, ab omnibus, maximè ijs, qui curam animarum gerunt, audiendum est. 371.6

Constitutio.

Constitutio religionis, & regula quomodo differant? 2.5

Constitutiones integras & regulam totam nulla religio propria austeritate mutare potest? ibid.

Constitutiones cuiusque religionis, quæ approbatæ sunt à Summo Pontifice, prævalent iuri communi in ipsa religione, secus si non sint approbatæ. 81.21

Constitutiones condendi potestatem non solùm habet Societas, sed etiam vt eo ipso, quòd eas condiderit, confirmatæ à Sede Apostolica censeantur. Et quid hoc priuilegium importet. 373 12.

Constitutiones Societatis à S. Ignatio editæ, quando cæperint habere vigorem & auctoritatem ad obligandum. 728.4

Quid nomine Constitutionum Societatis comprehendatur? ibid.4. & 5

Constitutionum Societatis materia, & dispositio. ibid.5. & 6

Earum summarium quid maximè contineat? 729.9.10

Consuetudo.

Consuetudo in religione Societatis nunquam intelligitur introducere grauem obligationem, nisi fundetur in expresso præcepto obedientiæ. 594.3

Consultor.

Consultores prælatorum Societatis quot sint, & quod suffragium habeant in consultatione? 583.6

Consolatio an, & quàm necessaria sit, vt prælati religionis præcepta possint imponere, aut leges condere; vide in verb. *Lex.*

Contemplatio.

Contemplatio nobilior cùm sit actione, ad eam ne hominus ordinatur, & qua ratione? 295.20

Contemplatiua vita, Vide *vita Actiua & Contemplatiua.*

Contemptus.

Contemptus regulæ religiosæ quando sit peccatum mortale. 15.22. & seq.

Contemptus consiliorum an, & quando sit peccatum mortale, vide suprà verb. *Consilium.*

Contentio, & Contentiosus.

Contentio, proprijque iudicij tenaitas in defendendis opinionibus, quando sit reprehensibilis, & vitanda? 608.8. & seq.

Nimis contentiosus incurrabilis est. ibid.12

Conuersæ, vide *Monialis.*

Conuersus.

Conuersi qui propriam professionem non emiserunt in sua religione, transire possunt ad aliam etiam laxiorem. 223.1

Vide etiam verb. *Donatus.*

Correctio.

Explicatur locus Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* Et vtrùm Christus ibi speciale præceptũ correctionis imposuerit? 696.7

Dati præceptum naturale correctionis fraternæ indubitatum est apud Theologos. 697.10

Eius materia est, non solùm peccatum corripienti iniuriosum, sed quodcunq; aliud, ex cuius correctione fructus speratur. 698 11

Vtrùm verba illa Matth. 18. *Adhibe vnum, vel duos testes*, contineant præceptum, vel tantum consilium? 699.15

Et vtrùm Christus Dominus dicto loco Matth. egerit tantùm de peccato publico, an etiam de occulto? ibid. 16

Quis correptionis ordo seruandus sit in peccato publico, seu probabili? ibid.17

Correctio qua lenitate, & charitate temperanda? 607.6

Vide verb. *Reprehensio.*

Correctionis fraternæ obligatio non solum extenditur ad subueniendum proximo, iam lapso, sed etiam in morali labendi periculo constituto, ne labatur. 701.3

Quæ forma publicæ correctionis in religionibus seruanda sit? 712.1

Correctionis iudicialis strepitus in religionibus seruari necesse non est? & quare? ibid.

Correctionis iudicialis forma certa, adhuc in Societate speciali iure statuta non est. 725.2

Cætera pro Correctione, vide verb. *Denuntiatio.*

Crimen.

Criminis occulti, & publici varius gradus. 577 18

Crimen notorium dupliciter dicitur, vel notoreitate iuris, vel notoreitate facti. Et quando vtraque notoreitas detur? 716.9.10

D.

Debita.

Debita in seculo contracta an impedire possint ingressum in Societatem, quemadmodum in quamlibet aliam religionem? 438.16

Ea posse ac debere solui à religioso Societatis non professo habente aliquot bona. ibid.

Denunciatio.

Denunciatio quid & quotuplex sit. 701.1. & seq.

Monitio secreta ante denunciationem paternam est materia grauis, sufficiens ad obligationem sub mortali, nisi legitima causa ab ea præmittenda excuset. 699.14

Vtrum Christus Dominus Matth. 18. speciale præceptum imposuerit tam de substantia, quàm de ordine correctionis & denunciationis? ibid. & seq.

Explicatur totus locus Matth. 18. *Si peccauerit in te, &c.* 696.7. & seq.

Vtrum regula Societatis secretam monitionem ad denunciationem superiori, vt patri, faciendam, non prærequirens iusta sit? 695.3 & seq.

Dictam regulam neque præcepto naturali, neque doctrinæ Euangelicæ repugnare. 699.18. & seq.

Hanc denunciationem ex vi regulæ Societatis extendi ad omnes defectus, quantumuis graues, & occultos, quos quis extra confessionem accepit. 700.22

Non solum crimen in confessione cognitum, sed etiam illud quod quis secreto, & consilij salutaris petendi gratia reuelauit, superiori Societatis denunciari non potest. ibid.23

In Societate superiore non cogente non datur regulariter obligatio denunciandi aliorum defectus prætermissa monitione secreta, potest tamen licitè seruatis debitis circumstantijs prætermitti. ibid.21

Denunciandum est superiori non tantum crimen iam commissum, sed etiam quod in proximo periculo est vt committatur. ibid.

Neque tunc regulariter monitionem secretam præmittere opus est, 701.3.8

Qui fructus per denunciationem paternam, seu Euangelicam intendatur? aut intendi possit? 702.4 & 9.

Vtrum secreta monitio præmittenda sit tantum in peccato quod solum nocet peccanti, an etiam quando peccatum vergit in damnum tertij, vel communitatis. Et quid in hoc obseruandum sit? 704.15 & seq.

Facilius omittenda est monitio quando peccatum vergit in damnum alterius, vel communitatis, quàm cùm solum in damnum peccantis, vel corripientis. 702.7

Denunciatio paterna quæ sit in Societate absque præuia monitione, ad quid proximè ordinetur: 709.4

Quibus circumstantijs vestiri debeat huiusmodi denunciatio in Societate vt licita & honesta sit? Et quomodo in hoc peccari possit mortaliter, aut venialiter. 430.17

Denunciatio Euangelica, & iudicialis in quo differant? 703.9 & seq.

Quid per iudicialem denunciationem intendatur? ibid.9, & 10

Denunciatio iudicialis in quo differat ab accusatione? ibid.10. & 11

Ante denunciationem iudicialem per se loquendo præ-

do præuia monitio non postulatur; secus ante Euangelicam. ibid. 13. 15
Denunciatio Euangelica fieri potest de peccato omnino occulto, non ita tamen iudicialis regulariter. 704. 14
Vt ad denunciationem de crimine aliquo faciendam aliquis obligetur quàm certam notitiam criminis habere debeat? 576. 11. 12
Denunciare superiori regulari, imò & publicare in Capitulis religionis defectus leues religiosorum, nullâ præuia monitione facta, licitum est. 704. 2. & seq.
Quinam sint eiusmodi defectus leues? 705. 4
In religionibus monitionem secretam omitti posse, etiam in grauibus defectibus, procedendo statim ad denunciationem prælato, vt patri, faciendam. ibid. 6
Item de facto ita obseruatum esse, & grauium Doctorum authoritate munitum. ibid. 7. & seq.
Huiusmodi monitionem sæpius omitti posse in Societate, quàm in alijs religionibus, etiam secluſa renuntiatione iuris famæ. 707. 15
Aliquando expedire in religione fratrem secretò admonere non tantum de crimine ab ipso patrato, sed etiam de denunciatione illius prælato facienda, sicque admonitum, immo & iam emendatum illum ad prælatum deferre. 711. 11 in fine, & 12
Quid possit, aut debeat Prælatus agere cum subdito cuius crimen per denunciationem paternam agnouit? ibid. 13. & seq.
Denunciatio iudicialis, vt fiat necessarium non est vt præcedat infamia 722. 34
Vtrùm denunciationem iudicialem propter bonum delinquentis faciendam præcedere debeat monitio fraterna? ibid. 35
Vtrum verò si frater monitus secretò tunc corrigatur, liceat nihilominus ad denunciationem procedere? ibid. 35. & 36
Vt fortè subditus nondum diffamatus iudicialiter denunciaretur Prælato ad finem tantum maioris emendæ, & punitio necessaria non est ad bonum commune, Prælatus ea denunciatione vti non potest vt iudiciali, sed vt Euangelica: & quid præterea facere possit, subdito fatente, aut negante crimen de quo denunciatur? ibid. 36 & seq.
Vtrùm quando denunciatio iudicialis principalius fit propter bonum commune, seu ad euitandum damnum tertij, necessaria sit præuia monitio? 723. 41
Et quomodo in eo casu procedere debeat Prælatus? ibid.
Denunciatio quando, & quomodo transire possit ad accusationem? ibid. 40
A denunciatione paterna quando, & quomodo fieri possit transitus ad iudicialem? ibid. 42. 43
Et quando denuncians paternè obligari à superiori queat, aut nequeat ad denunciandum iudicialiter? ibid.
Denunciatio, quam professi religiosi Societatis ex vi voti facere tenentur de procurantibus dignitatem, vide verbo. *Professus.*

Dignitas.

Dignitatem non ambiendi directè, vel indirectè votum simplex emittunt professi Societatis. 560. 2
Sub qua forma? ibid. 1
Id esse maximè conueniens. ibid. 2. & seq.
In ratissimo casu cessare posse materiam huius voti, eo quòd maius bonum sit prælationem procurare? 561. 7 & 8
Quæ actiones ex vi huius voti sint prohibitæ? 562. 9. & seq.
Dignitatis nomine quid veniat in dicto voto? 563. 13. & seq.
Quam pœnam incurrat huius voti violator? ibid. 16. & seq.
Votum non ambiendi dignitates extrà Societatem quod professi Societatis emittunt an obliget etiam illos, qui iam dignitatem aliquam extra Societatem obtinent, & extra eius obedientiam viuunt? 572. 12. & seq.
Votum non acceptandi dignitatem extra Societatem quod professi Societatis emittunt, quam materiam habeat, & c. vide verb. *Episcopatus.*
Ex vi huius voti an teneatur professus Societatis non acceptare etiam Summum Pontificatum absque præcepto ad id obligantem? 571. 11 vsq; ad 15
Dignitatem extra Societatem, præter Summum Pontificatum, acceptare non potest vllus religiosus Societatis etiam non professus sine licentia sui Generalis, quam necipse dare potest nisi Sedis Apostolicæ præcepto compulsus. 573. 17
Quod si dignitas offeratur ipsi Generali, necille eam acceptare potest, absq; licentia Societatis, quam ipsa etiam dare non potest nisi præcepto Summi Pontificis adstricta, ibid.
Dictos religiosos, etiam non professos, grauiter obligare ad non acceptandam dignitatem absq; legitima licentia. ibid. 19
Et si acceptent nullam esse talem acceptationem. ibid. 20
Erit autem valida: si Generalis, etiam non coactus à Summo Pontifice licentiam det. Et vtrum etiam tunc sit licita? ibid.

Dimissio, & dimissi è Religione.

Conueniens esse religioni Societatis habere potestatem dimittendi 421. 5
Dimitti posse religiosos non professos è Societate, si minus idonei sint nullam habet iniustitiam, neq; est contra charitatem. 420. 4. & 5
Neque est inconueniens quod multi è Societate dimitti possint. 421. 7. & seq.
Quæ causæ sufficiant ad dimittendum è Societate? 444. 11. & seq.
Quàm iustificata, & certa debeat esse causa dimissionis Scholastici approbati? 726. 9. & seq.
Propter parentum indigentiam dimittere potest Societas non professos. 437. 13
An ad id teneatur? ibid. 14. & 15
Dimissio coadiutorum formatorum è Societate grauiores requirit causas, quàm scholasticorum. 586. 11
Et quænam illæ esse possint? ibid.
An, & cur Societas scholasticos dimittat votis solutos? 421. 16
Cætera pro solutione votorum in dimissione religiosi non professi è Societate, vide verb. *Votum.*
Vtrum Societas, eiusve prælati possint pro sua libertate, & absque iusta causa validè dimittere non professos? 443. 7. & seq.
Laudabile regulariter non est suæ dimissioni consentire, etiam quando Societas consensum religiosi expectat ad eum dimittendum. ibid. 15
Licitè tamen talis religiosus consentire potest. ibid.

Dimissio tam professorum, quàm non professorum è Societate, an fieri possit absque iudiciali processu in probandis delictis, vel causis, ob quas dimissio fieri possit? 725.3. & seq.
Dimissio religiosi professi è Societate, vide verb. *Professus.*
Dimissio religiosorum professorum, vniuersim è suis religionibus, vide verb. *Religiosus.*

Discordia.

Discordia in religionibus quàm pernicios a? 606.4
Discordia in opinionibus, & rerum gerendarum iudicio qua ratione vitanda sit, ne charitati officiat? 608.8. & seq.
Vide verb. *Opinio.*

Dispensatio.

Dispensatio in quo differat ab absolutione? 640. 48
In quo item differat à licentia superioris? 113.45
Vtrùm aliquando licentia inuoluat aliquam rationem dispensationis? ibid.46
Dispensatio non requirit distinctionem inter dispensatum, & dispensantem. 118.4
Dispensandi potestatem ordinariâ habent omnes prælati religionum exemptarum erga suos subditos religiosos. 102.1
An possint dispensare cum suis subditis in omnibus casibus, in quibus Episcopi possunt cum suis subditis, Et quanta sit huiusmodi potestas? ibid.2 vsq; ad 9
An ratione suorum priuilegiorum habeant maiorem potestatem dispensandi cum suis subditis, quàm Episcopi cum suis? ibid. 9
Dispensationis materia ad quatuor capita reducitur: & an in omnibus possint prælati Regulares cum suis subditis dispensare? 105.10 & seq
Vtrùm possint dicti prælati dispensare cum suis subditis in omnibus votis, an aliqua sint excipienda? ibid.10
Vtrùm specialiter dispensare possint in votis peculiaribus suæ religionis, seu status, præter tria substantialia? 109.27. vsq; ad 39
Dispensatio in voto sine iusta causa semper est inualida, etiam si concedatur à Summo Pontifice. 223.21
Vide etiam in verb. *Votum.*
Dispensare ne possint Prælati regulares in suorum subditorum irregularitatibus; & quænam illæ sint? 105.11
An possint religiosi exempti dispensari ab Episcopis in irregularitatibus reseruatis, in quibus speciali iure, & seclusis religiosorum priuilegijs, soli Episcopi possunt dispensare. ibid.12
Et an ad huiusmodi dispensationem sit necessaria licentia prælati regularis, vel saltem ne ab eo prohibeatur? 106.13
An possit religiosus dispensari in irregularitatibus, aut in alijs materijs ab Episcopo, si eius prælatus regularis similem habeat potestatem in suis priuilegijs? ibid.2.14. & seq.
Vtrùm, & in quibus præceptis Ecclesiasticis possint prælati regulares dispensare cum suis subditis? 107.18 & seq.
An possint in omnibus, & solis præceptis Ecclesiasticis dispensare in quibus Episcopi iure communi dispensare possunt? ibid.
An etiam in ijs, in quibus ex solo iure speciali Episcopi dispensare possunt? ibid.
An seclusis priuilegijs possint dispensare in interstitijs ordinum cum suis subditis? ibid.
Dispensare in regula an possint superiores regulares cum suis subditis? 109.25
In regulis substantialibus suæ religionis, qua tales sunt, dispensare non possunt dicti prælati. 112.41
Possunt tamen dispensare in eisdem pro aliquibus casibus, aut personis in particulari. ibid.
Dispensatio in regulis religionis concessa à prælatis sine iusta causa, valida non est. ibid.42
Et sic dispensatus non excusabitur, à culpa & pœna annexa, nisi bona fides eum excuset. ibid. 43. & 44
Quomodo, & à quo sit puniendus? 113.45
Erit tamen valida dispensatio, siue in regula, siue in qualibet ordinatione, etiam sine iusta causa, si concedatur ab ipso conditore, aut à potente eam condere, vel abrogare. 112.42
Dispensare in lege potest sæpe, qui non potest eam tollere; in voto autem secùs contingit; & vnde hæc differentia proueniat? 111.36
Superiores regulares tantum dispensare possunt, quantum ex iure communi, priuilegio, aut regula eis concessum est. 113.1
Dispensandi potestas duplex esse potest in prælatis religionis; altera dominatiua, altera iurisdictionis. Et vndenam vtraque proueniat? 114.7. & 8. in fin.
Prælatæ, & prælati non exempti solam habent dominatiuam, quæ resultat ex voto obedientiæ subditorum. ibid.7. & 10
An dicenda sit propriè potestas dispensatiua; & quantum extendatur? 115.8
Prælati verò exempti vtranque potestatem habent dispensandi. ibid.9
Vtrùm Abbates antiqui non exempti aliquam iurisdictionem habuerint ad dispensandum? ibid.11
Quibus religionis prælatis concessa sit iurisdictionalis dispensandi potestas? 116.12. & seq.
Quanta sit in singulis huiusmodi potestas ex vi iuris communis? 117.14
Quanta ex vi iuris specialis? ibid 15. & seq.
Cum quibus personis prælati religionum dispensare possint? ibid.14
An possint dispensare cum se ipsis in omnibus, in quibus possunt cum subditis? 118.5. & 6
An & in quibus materijs possint prælati regulares dispensare cum nouitijs seclusis priuilegijs. 119. 8. & 9
An possint etiam dispensare cum familiaribus & famulis seclusis priuilegijs? ibid.10

Distributio, seu Distributiua Iustitia æquitas.

Distributio bonorum Monasterij, qua æquitate facienda à prælato in victu, vestitu, &c. 157.10
Distributiuæ Iustitiæ æquitas in muneribus religionis distribuendis sub graui obligatione à superioribus religionis seruanda est. 610 18

Diuortium, Vide verbo *Coniuges.*

Docendi vsus, & Doctrina.

Docendi actus, an, & qua ratione spectet etiam ad vitam contemplatiuam? 294.16
Vsus docendi Societatis, non solum maiores literas, sed etiã primas linguarum rudimenta, quam laudabile? 379.7
Doctrinæ nouitas plerumque vitanda, antiquitas amplectenda & illustranda. 520.8
Docere pueros Christianam doctrinam possunt nouitij Societatis, quamuis primam tonsuram non habeant, neq; id prædicatio censetur. 626.31

Cætera pro doctrina Christiana pueros edocenda, vide verb. *Puerorum institutio.*
Vide etiam in verb. *Studia.*

D. Dominicus, vide verb. *Prædicatorum ordo.*

Domus professæ Societatis.

Domus professæ Societatis habere non possunt vlla iura, aut annuos redditus, etiam Sacristiæ tantum, aut fabricæ applicatos; neque vlla alia bona immobilia, præter illa quæ adhabitationem, & conuenientem aliquam recreationem necessaria sunt. 476.1,2.6
Quàm latè pateat huiusmodi incapacitas habendi? 477.3
Quid nomine reddituum, & possessionum, quæ à domibus professis haberi non possunt, intelligatur? 479 to
Quæ præterea sint bona immobilia ad habitationem, vel recreationem pertinentia, quæ habere permittuntur? 429.12
Domus professæ Societat. non solum habere nequeunt ius ciuile ad annuos redditus, & prædicta bona stabilia, sed nec etiã ius naturale. 465.6
An si quis alteri leget, vel donet aliquid cum onere dandi singulis annis pensionem alicui domui professæ Societat. vel eius fabricæ, talis domus eam accipere possit? Et quid veniat nomine fabricæ? 429.7.&9
Domibus professis Societat. non solum prohibetur dominium bonorum immobilium, sed etiam vsus fructus. ibid.13
Hoc verò non tollit, quominus in aliqua aliena possessione habere possint vsum facti: habere autem non possunt ius vtendi. ibid.
Domibus professis Societat. applicari non possunt aliqui redditus Collegiorum, aut domorum probationis. 166.10
Hoc tamen non tollit posse Collegia, in aliqua domorum professarum necessitate, illis per aliquam eleemosynam subuenire. ibid. & 481.8
Possessio domui professæ Societ. legata sub conditione, vt perpetuò sub dominio, vel vsufructu Societatis professæ conseruetur, acceptari non potest sub ea conditione. 480.14
An verò tale legatum sit validum, & illa conditio habeatur pro non adiecta; ac proinde acceptari possit à Societate conuenienter ad suum institutum? ibid. 14. & 15
An alia legata sine simili conditione relicta acceptari possint à domibus professis? ibid.16
In domibus professis Societat. earumve Ecclesiijs, admitti non potest obligatio ad aliqua ministeria spiritualia obeunda. 467.2
Domorum professarum Societat. paupertas, in quo excedatur, & excedat paupertatem minorum? 535.4
An dicta paupertas professarum domorum Societ. conueniens sit? 480. per totum c. 10
Domus professæ Societatis cur sint paucæ numero? 482.11
Domus professæ Societ. sunt tanquam castra, vnde professi, ad gloriosam conuersionis animarum expeditionem prodeunt. ibid.12

Donatio.

Donationes de bonis monasterij solo titulo liberalis facere non possunt prælati illius. 129.11
Alias verò grauitas, titulo misericordiæ, vel gratitudinis, vel ad conciliandam aliorum gratiam in bonum monasterij, vel ad ædificationem proximorum facere potest prælatus de bonis religionis. 157.12.&seq.
Donationes turpes de bonis Monasterij faciendo quantum prælatus peccet? ibid.
Donatio absoluta facta inter sponsos de præsenti reuocatur dissoluto matrimonio rato per professionem alterius? Non tamen si per dispensationem illud matrimonium dissoluatur. 250.20

Donatus.

Donati an absolui possint per priuilegia religionis à casibus pontificijs, quemadmodum alij religiosi? Et quinam veniant nomine Donati? 151.10
Vide etiam verb. *Conuersi.*

E.

Ecclesia.

Ecclesiæ suæ semper Deus prouidit peculiares defensores, quoties insectatores aliqui eam impugnare instituerunt. 370.5
Ecclesiam Catholicam veram & diuinam fidem continere, quibus argumentis fiat euidenter credibile? 372.9
Ecclesia particularis dupliciter potest dici, & esse Collegiata. 311.11

Educatio.

Educatio puellarum in Monasterijs Monialium, an ex sola prælati facultate licita sit, & cum quibus conditionibus? 43.21

Electio, & Electores.

Prælatus supremus in qualibet religione per legitimam electionem est creandus. 60.2
Quomodo huiusmodi dignitas prælati supremi religionis per electionem incipere potuerit? ibid.3. & seq.
Vt electio prælati regularis sit valida, aliquæ conditiones iure diuino & naturali concurrere debent in persona eligenda, & quænam illæ sint? 61.5
Aliæ etiam conditiones requiruntur ex iure positiuo; & quænam sint? 62.7
Quæ ætas requiratur in persona eligenda in Generalem religionis? ibid.
Quæ antiquitas in religione? 64.16
Quæ professio? an scilicet sufficiat tacita, an requiratur expressa, & in eadem religione? 62.8 & seq.
An casu, quo in vna religione non reperitur persona idonea ad generalatum, assumi possit religiosus alterius religionis? 65.11
An prælatus infra generalem assumi possit ex diuersa prouincia, vel monasterio? 76.3
An, & qua ratione debeat esse eiusdem habitus cum ijs quibus præesse debet? 77.5.& 6
Si quis vacante Generali prælatura; è seculari fiat religiosus, & profiteatur vt in prælatum eligatur, talis personæ electio irritanda est. 28.9
Non irritabitur tamen si persona aliunde sit digna & benè instructa. ibid.
Quod si tempore vacaturæ non sit professus, sit tamen tempore electionis, benè potens eligi. 68.6
Persona eligenda in prælatum religionis, non opus est vt sit sacerdos, sed satis est si post electionem debito tempore ordinetur. 65.20.&seq.
Regulariter quidem loquendo aliquem sacrum ordinem habere debet; necessarium tamen non est vt habeat, nisi tantũ primam tonsurã. 66.22.23

Vt electio alicuius personæ in prælatum sit valida, opus est vt talis persona non sit totaliter irregularis. ibid. 24
Quidsi persona sit partialiter irregularis? ibid. 26.
Quantum impediatur dicta electio per defectum natalium personæ eligendæ, quoad ortum illegitimum? 67. 28. & 79. 12
Item quomodo impediatur per defectum originis ex radice infecta hæresi aut infamia? 67. 28
Electores alicuius Prælati religionis, vt legitimi sint, quatuor præcipuè habere debent conditiones: prima, vt sint religiosi eiusdem religionis. ibid. 1
Et si eligendus sit prouincialis, aut superior localis, vt electores sint eiusdem prouinciæ, aut conuentus, nisi iure speciali, aut consuetudine in hac parte iuri communi derogatum sit. 80. 17
Secunda, vt sint professi tacitè vel expressè in eadem religione. 67. 2. & 80. 18
Tertia, vt sint clerici, & in sacris constituti. 68. 4 & seq.
Vtrum ordinatus in sacris ante legitimam ætatem sit inhabilis ad electionem? ibid. 7
Hæc tertia conditio omnino requiritur ad valorem electionis. 69. 8
Qua ætate esse debeant electores? 80. 18
Quarta denique conditio est, vt elector non sit excommunicatus vitandus, aut aliqua pœna Ecclesiastica à facultate eligendi impeditus. 69. 9. & 81. 20
Inhabilitas verò vnius vel alterius electoris non vitiat totam electionem, si alij non consenserunt: secus si inhabilem, cuius defectum supplere non poterant, voluntariè admiserunt. ibid.
Electio prælati religionis, vt legitima sit tres conditiones antecedentes requirit. Prima, vt conuocentur antecedenter omnes, qui habent ius eligendi, si commodè hoc fieri possit. 70. 2
Hæc verò commoditas magis spectanda est ex parte ipsius religionis, quàm electorum, & quomodo facienda sit conuocatio? Sufficiet tamen, & requiritur omnino, ad valorem electionis, vt saltem duæ partes electorum conuocentur. ibid. 5
Ipsi verò suffragatores non tenentur conuenire; vnde, si vocatis omnibus, maior illorum pars voluntariè desit, electio validè fiet. ibid. 2. & 5
Si autem aliquis electorum absens contemnatur, & non vocetur, iniustè id fiet, at electio erit valida: poterit tamen irritari ad petitionem illius, nisi ille iure suo cedat, aut consensum adhibeat. 71. 6
Si verò elector præsens sit, & inuitus non admittatur ad suffragia, electio ipso facto est irrita. 72. 14
Secunda conditio, vt electio sit legitima, est, vt electio peragatur præsentibus inter se electoribus in forma congregationis, sine vniuersitatis: Estque hæc conditio substantialis. 71. 5
Si aliquis electorum vocatus se excusat, allegans se esse iustè impeditum, debet probare impedimentum & tunc poterit vices suas committere alicui ex alijs electoribus. ibid. 6
Tertia denique conditio est, vt assumantur tres de congregatione, qui cunctorum vota exquirant. ibid. 7
Vtrum assumendi sint per vota, aut alio modo? ibid.
An sit de substantia electionis vt hi tres commissarij, sint de Congregatione electorum? ibid. 8
Et vt tres tantum, non plures, neque pauciores? ibid. 8. & 72. 10
Solennitas electionem prælati regularis concomitans triplex includit præceptum. Primum vt ab illis tribus commissarijs suffragia secretè, & sigillatim exquirantur, & inscriptis redigantur: Et quomodo hoc præceptum sit intelligendum? ibid. 9. & 10
An sit de essentia electionis vt suffragia in scriptis redigantur? 73. 13
An etiam, vt ferantur sigillatim, & omnia, nullo excepto suscipiantur? ibid. 14
Secundum præceptum concomitans formam electionis est vt postquam omnia suffragia suscepta fuerint, mox in communi publicentur. Quomodo id intelligendum, & an pertineat ad essentiam? ibid. 15
Publicatio suffragiorum ante consummatam electionem, eam irritam reddit, etiam si vnum tantum publicetur. 72. 11. & 12
An, tam dicti Commissarij, quàm suffragatores, teneantur sub præcepto nunquam, etiam post electionem, suffragia reuelare? ibid. 12
Tertium præceptum est, vt habita collatione suffragiorum, is eligatur, in quem omnes, vel maior & sanior pars capituli consentit: Quomodo id intelligendum? qualis sit illa collatio? & à quibus facienda? 71. 8. & seq.
An habenda sit ratio non tantum numeri suffragiorum, sed etiam qualitatum? 74. 18. & 19
Maior pars suffragiorum non sufficit, nisi etiam sit sanior, & qua ratione sanior sit præsumenda? 75. 22. & 23
Si maior pars eligat indignum, electio alterius partis minoris erit valida. ibid. 22
Quænam sit electio post collationem facienda? an sit de substantia vt statim post collationem fiat? & quomodo sit facienda? ibid. 24
Post electionem consummatam requiritur confirmatio illius. Ad quem spectet hæc confirmatio? qua necessitate requiratur & an semper debeat esse specialis? 73. 15
Electionis prælatorum forma iure communi præscripta seruanda est à religiosis, nisi aliter disponatur per eorum constitutiones à Summo Pontifice approbatas 81. 21
Potestas eligendi prælatos tam regulares, quàm seculares à Summo Pontifice manat. 76. 1
In electione Monialium quæ forma seruanda sit? 81. 21
Pro electione Abbatissæ vide verb. *Abbatissa.*
Electio superiorum Societatis infra Generalem per solum definitorum generalis iudicium paucissimis incommodis expositam, & simpliciter conuenientissimam esse. 681. 5
Quot habeat commoda huiusmodi electio? 682 11. & seq.
Electio superiorum religionis infra Generalem ad plura suffragia communitatis quot habeat pericula, & incommoda? 681. 6. & 7
Item electio eorumdem superiorum per suffragia aliquorum tantum definitorum non ita expediens est, vt æquiparanda sit electioni per solum Generalis iudicium: Multaque habet incom-

incommoda præsertim in Socie. ibid. 8. & seq.
Electores Præpositi Generalis Societatis sub excommunicatione latæ sententiæ manifestare iubenter quoscunque sciuerint affectasse, vel tunc affectare munus Generalis, illud directè vel indirectè procurando. Et quomodo hoc præceptum sit intelligendum. 576.15. & 16

Eleemosina.

Eleemosynas facere, quantum possit, & debeat Prælatus regularis de bonis Monasterij? 157.12 & 13

Elias.

Elias vitam actiuam & contemplatiuam exercuit sedemque in monte Carmelo fixam habuisse probabile. 352.2. & seq.
Successorem tam in sede, quàm in ratione viuendi habuit Eliseum. 354.13. & 14
Ædiculam siue oratorium fertur in Carmelo ædificasse. 353.9
Vide etiam in verbo *Carmelitarum ordo.*

Emptio, & Venditio.

Emptio & venditio mobilium bonorum non prohibetur religiosis, sed tantum ea quæ fit per modum negotiationis. 158.16

Episcopatus, & Episcopus.

Episcoporum potestas ordinaria ad quænam extendatur? 103.3.vsq; ad 8
Eam non esse de iure diuino. 145.10
Episcopo subiecta sunt omnia loca sacra sui territorij, nisi probentur exempta. 312.5
Episcopi vtrum in aliquo casu possint absoluere religiosos exemptos? 147. per totum c. 23
Episcopus religiosus manet astrictus votis castitatis, paupertatis, & obedientiæ, & quos effectus in eo habeant. 254 c.16. & seq.
Episcopus regularis violans votum castitatis grauius peccat quàm quilibet alius sacerdos regularis, non tamen ita grauius vt sit circumstantia necessariò aperienda in confessione. 255.5
Votum paupertatis quoad vinculum non pugnat cum statu Episcopali, imo potius illum perficit. ibid. 6
Episopus religiosus non solùm manet astrictus voto paupertatis quoad vinculum, sed etiam quoad aliquem vsum regulæ suæ accommodatum. 256.9
Episcopus religiosus quæ bona possit possidere & acquirere? 257.12
Episcopus religiosus habet ius succedendi in bonis paternis; & quando de facto in illis succedat? ibid.13
Episcopus religiosus acquirit suæ Ecclesiæ. 258.18
Episepus tantum titularis cui acquirat. 262.5
Episcopus religiosus retinere non potest peculium nec cætera, quæ in religione acquisiuit, sed omnia religioni sunt relinquenda. 259.22
Episopus regularis transiens ad alium Episcopatum, an deferre possit bona, quæ in priori Episcopatu acquisiuit? ibid.23 & seq.
Episcopus regularis minorem facultatem habet extendendi bona, quæ in Episcopatu acquirit, quàm Episopus secularis: sæpiusque & grauius illo peccat in multis casibus, & quinam illi sint? 261.29. & 30
Facultas extendendi bona Episcopo regulari sine causa, & illicitè à Summo Pontifice concessa, nulla est: secus si sit concessa Episcopo seculari. ibid.30
Episcopus regularis per nullam consuetudinem acquirere potest ius testandi de bonis quæ possidet; secus dicendum de Episcopo seculari. ibid.
Quomodo in Episcopo regulari maneat vinculum voti paupertatis cum libero vsu rerum? ibid.31
Episcopus regularis retinet vinculum voti obedientiæ, at soli Summo Pontifici obedire tenetur ex vi illius. 262.1. & seq.
An teneatur ad aliquam obseruantiam regulæ, seu statuti seu religionis? 263.6. & seq.
In Episcopo regulari, præter vota substantialia religionis manent etiam alia specialia suæ religionis, quæ statui Episcopali non repugnant. Et quem effectum obligationis in eo habeant? ibid.7. & seq.
Episcopus regularis tenetur ad habitum suæ religionis gestandum. ibid.9
Vtrum sub excommunicatione, vt alij religiosi, & sine tocheto? 264.10. & seq.
Episcopus regularis non tenetur ad ieiunia, & pœnitentias regulæ suæ religionis. *ibid.15. & seq.*
Episcopus regularis an gaudeat priuilegijs, & indulgentijs suæ religionis? 266.1. & seq.
Episcoporum est proprium aliorum profectum procurare; Et qua virtute ad hoc munus pollere debeant? 266.4.& 8
Episcopi status cur sit perfectionis acquisitæ, & non acquirendæ, vt religiosi? 382.5
Vtrum peccent mortaliter Episcopi non intendentes perfectionem charitatis per opera consiliorum. 17.29
Episcopus qua ratione ministerium suum optimè obibit? 570.6
Episcopus ad gradum scholasticorum Societatis per vota simplicia admitti non potest sine Pontificis licentia. 457.11
Episcopatum procurare an sit licitũ? 438.2. & seq.
Episcopatum habere possunt religiosi absque speciali dispensatione. 272.26
Episcopatum non acceptare per se loquendo licitum, & laudabile est. 385.8. & seq.
Vtrum validum & conueniens sit votum, quod professi Societatis emittunt de non acceptando Episcopatu, nisi accedente superioris præcepto ad id obligante. 564. per totum c. 8
Non solum autem qui obligatur ad acceptandum Episcopatum, quando superior expresse iubet, sed etiã quando charitas id postulat. 567.15
Vtrum liceat aliquando non expectare rigorosum superioris præceptum, sed sufficiat simplex tantum illius ordinatio? ibid.16 & seq.
Episcopus Societatis quam obligationem habeat audiendi consilia Præpositi generalis Societatis? Vide verb. *Professus.*

Epistola.

Epistolas superiorum ad inferiores, aut inferiorum ad superiores malitiosè impedire, retardare, aut aperire, qua ratione in religionibus sit peccatum reseruatum, aut reseruari permittatur à Clemente VIII. 131.15
Communicatio per Epistolas maximè fouet charitatem inter religiosos. Et quid in hoc Societas obseruet? 617.21

Eremita, & Eremitica vita.

Eremitica vita propriè vix hodie in Ecclesia inuenitur. 280.9
Neque Eremitæ, si qui hodie extant, veri sunt religiosi. ibid.10

An saltem personæ Ecclesiasticæ, & gaudeant priuilegio foti? ibid.
Posse ab illis condi testamentum. ibid.
Cùm vita solitaria, seu Eremitica presse sumpta compatibilis est status religionis quoad substantiam. ibid. 7.8
Vtrùm antiqui sancti Anachoretæ, vt Paulus, Antonius, &c. verè fuerint religiosi? ibid. 12
Eremitarum in Africa institutor, an fuerit D. Augustinus? 343.16. & seq.
An pro huiusmodi Eremitis regulam scripserit, vel pro Canonicis regularibus? ibid. 17
Horum Eremitarum in Africa progressus. 344 20
Eremitæ qui Diui Augustini appellantur, formam Ordinis mendicantis, qualis nunc est, ab Innocentio IV. & Alexandro IV. acceperunt. 345. 2
Ordo ille Eremitarum, quem Augustinus instituit, an duraverit vsque ad Innocentium IV. ibid. 2. & 3.
An Eremitæ, quos Innocentius IV. in ordinem redegit, fuerint ex illis Augustinianis? ibid. 4
An Eremitæ Augustiniani cùm nouâ formam ordinis acceperunt fuerint ità immutati, vt potiùs noua religio fuerit instituta, quàm antiqua instaurata? 348.15
An dicta religio Augustini fuerit olim ab Ecclesia approbata? 350.30. & seq.
Cur post Alexandrum IV. denuo fuerit approbata? 351.34
Eremitæ Augustiniani an fuerint quotquot Monachi post Augustinum, vsque ad Benedictum extiterunt? 346 10 & seq.
Eremitæ Augustiniani non fuerunt à Guillielmo reformati. ibid. 6
Quomodo potuerint nihilominus à Guillielmo vocari Guillielmitæ? ibid. 8
Nec item hos Eremitas à Ioanne Bono fuisse institutos. ibid. 9
Inter Eremitas & Monachos, an aliqua fuerint discrimina, & quæ? 347.11. & 14
An omnes Eremitæ Africani regulam Augustini professi fuerint? ibid. 12

Esseni.

Esseni dicuntur religiosi illi, qui tempore D. Marci floruerunt. 387.5. prope fin.

Eucharistia.

Eucharistiæ sactæ frequens vsus maximè confert ad castitatem conseruandam. 456.10
Qua frequentia in Societate à non sacerdotibus suscipiatur? 599.11
Qua olim ab antiquis religiosis; quæq; maximè religiosis conuenit? ibid. 10. 12. 13
Eucharistiam ministrare nemo potest, nisi ad id habeat iurisdictionem ordinariam, vel delegatam. 641. 1
Eucharistiam ministrare, an, quando, & qua ratione possint religiosi Societatis ex priuilegio? ibid. 2
Eucharistiam ministrare tempore paschali peregrinis, aut iter agentibus an liceat religiosis Societatis. ibid. 8. & seq.
Eucharistiam ministrare extra suas Ecclesias an possint religiosi Societ. 643. 11. & 12
Eucharistiam quibuscunque fidelibus ministrare in articulo mortis non possunt religiosi absque parochorum facultate: & quomodo hoc sit intelligendum. ibid. 11. vsq; ad 14

Examen conscientiæ.

Examen conscientiæ semel, aut sæpius quotidie facere sancti olim Patres consueuere ac docuere. 662.5
Illud bis in die facere tenentur ex regula Societatis religiosi. 583.4
Examen & Probatio eorum, qui admittendi sunt in religionem, vide verb. *Probatio.*

Excommunicatio.

Prælati religionum per sua priuilegia absoluere possunt suos subditos etiam nouitios, ab excommunicatione speciali ab homine. 153.5. & seq.
Vide cætera in verb. *Censuras* & verb. *Prælatus.*
Vbi tamen duo sunt sacerdotes religiosi, alter prælatus, & alter subditus, & ambo sunt excommunicati occulti, potest prælatus excommunicatus absoluere subditum; & deinde à subdito ipse absolui. 149.10
Si verò ambo sint publici excommunicati, tunc prælatus potest & debet eligere confessorem extra religionem, à quo absoluatur, & deinde absoluere subditum. ibid. 11. & 12
Et si nullus detur sacerdos extra religionem, solùm in articulo mortis se possunt ad inuicem absoluere. ibid.

Exercitia spiritualia.

Quid nomine exercitiorum spiritualium intelligatur? ibid. 1. 2
Exercitiorum spiritualium liber à S. Ignatio editus auctoritate Apostolica examinatus & approbatus maximè commendatur. 650. 2
Huius libri doctrina vera est, & magna ex parte ad fidem pertinens. ibid. 4
Variæ illius propositiones obscuræ explicantur, & approbantur. ibid. 5. & seq.
Varij item termini & propositiones eiusdem libri circa internas illuminationes & inspirationes defenduntur, & applicantur. 656.30
Methodum & dispositionem illius optimam esse, doctrinamque eiusdem ad finem intentum profectus animarum maximè accommodatam. 661. 2
Satis per eam omnibus vitæ spiritualis statibus prouisum esse. 663.9
Exercitiorum spiritualium vsus, qualis in Societate seruetur, illumque fini & instituto huius religionis maximè esse conuenientem. 665. 8
Exercitijs mentalibus, quibus, & quanto tempore religiosi Societatis ex vi regulæ vacare debeant. 635. per totum cap. 1
Vide in verb. *Oratio.*
Exercitia spiritualia Societatis hominibus secularibus, etiam perditissimis tradere, non solum irreprehensibile, sed maximè laudabile, & conueniens esse. 666. 12. & seq.
Ea verò sumere, non tantum religiosis, sed etiam secularibus maximè vtile. 767.15

Exilium.

Exilij pœna, an, & qua ratione prælati religionis punire possint suos subditos? 97. 8. & 9

Expulsi à religione, vide verb. *Dimissio.* & verb. *Religiosus expulsus.*

Extrema vnctio.

Extremam vnctionem ministrare in casu necessitatis omnibus fidelibus, speciali tatione possunt religiosi Societ. Extra talem verò casum nō possunt sub pœna excommunicationis. 647.1
Suis autem religiosis & familiaribus hoc sacramentum ministrare libere possunt. ibid. 10

Quinam censendi sint familiares ad hunc defectum? ibid. 11. & seq.
An omnes sacerdotes simplices Societatis ad hoc ministerium sint idonei, an aliqua specialis conditio seu approbatio vltra sacerdotium requiratur? 648.17

F.

Fama.

IN Societate fit renunciatio iuris famæ, quod obstare posset, ne omnes defectus & crimina superiori, vt patri manifestarentur, per quemuis qui ea extra confessionem agnouerit, prætermissa monitione secreta. 699.18
Hæc autem renunciatio iuris famæ non fit in ordine ad denunciationem iudicialem, sed tantum ad Euangelicam, & paternam. 715 3

Familiares, & famuli.

Familiarium nomine quid veniat in iure. 647.14. & 648.15
Familiaribus Societatis possunt religiosi eiusdem Societatis sacramenta ministrare, quæ, & qua ratione? ibid.10. & seq.
An omnes sacerdotes Societatis hæc sacramenta liberè ministrare possint, an aliqua conditio, vel approbatio Episcopi requiratur? 648.17. & 18.

Fides.

Fidem Catholicam veram esse, quibus argumentis fiat euidenter credibile? 372.9
Qua ratione se occultare liceat ad prædicandam fidem? 703.12. & 13

Finis.

Ex fine, vt bonitas & perfectio actionis, ita & status religiosi desumitur. 360.1
Finis generalis ad quem omnes religiones ordinantur est perfectio charitatis. Et quomodo ad hunc generalem particulares earundem fines ordinentur, & comparentur? 275.1
An & qua ratione possit esse particularis finis intentus alicuius religionis proximorum salutem procurare? 361.5. vsq; ad 8
Religionum distinctio ex finibus desumenda. 276.3 & seq.
Varij gradus, & modi huius distinctionis. ibid.
Finis formaliter diuersus sufficit ad quamlibet religionem diuersificandam, quamuis materialiter idem sit. ibid. 4. & 363 9

Fœmina.

Fœminas qua moderatione & circumspectione Societas tractet? 670.15. & seq.
Fœminas alloquendi egregia forma, ab augustino, vt referunt, tradita. 671.18
Fœminæ ingredientes claustra religiosorum, vide verb. *Claustrum* & *Clausuræ*.

Forum.

Censuræ absolutio in foro conscientiæ, quid sit, & in quo differat ab absolutione in foro externo? Explicanturq; huiusmodi fora. 636.31
S. Franciscus Minorum Fundator, vide in verb, *Minorum ordo.*

S. Franciscus Xauerius.

S. Franciscus Xauerius ob singularem prædicationis, & vitæ suæ rationem nomen Apostolorum sibi, & suæ religioni promeruit in Lusitania, & India Orientirali. 368.7
Fugitiuus Religiosus, vide verb. *Religiosus Fugitiuus.*

Furtum.

Vbi reseruatur peccatum furti de rebus monasterij, non tantùm intelligitur furtum de rebus ad vsum particularem alicuius religiosi nondum applicatis, sed etiam de iam applicatis. 151.11

G.

Generalis religionis.

GEnerales religionum per electionem sunt creandi, & cur de facto ita creentur? 61.2
An etiam primi cuiusq; religionis generales potuerint verè creari per electionem; & an de facto ita creati sint aliqui? ibid.3. & 4
Generalium electio, vt legitima sit, quas conditiones requirat? vide verb. *Electio.*
Generales religionum, quinam sint perpetui; & qui temporales? & horum quàm varia duratio in singulis religionibus? 82.4
Generalis totius religionis, an, & quomodo obligetur statutis latis in Capitulo, seu Congregatione generali? 89.18
An etiam ligetur legibus à se conditis, si eas possit condere? ibid.19
Præpositus generalis Societatis perpetuus est; idque maximè Societati conueniens esse. 678. cap. 2.
Potestatem habet constituendi reliquos superiores Societatis sibi inferiores: 680.1
Vtrùm possit hanc potestatem alteri delegare; an per se ipsum saltem prouinciales debeat eligere? ibid.2
Quanta & qualis sit eius potestas in suos subditos; & ad quos præcipuè actus extendatur? 685 6
Vtrùm hæc potestas ei conferatur immediatè à Congregatione generali, à qua eligitur; an à Summo Pontifice? ibid.7. & 687.10. & seq.
Vtrùm Congregatio generalis eam possit restringere? ibid.8.14
Præpositus Generalis Societatis potest condere ordinationes communes toti religioni: & quem vigorem, & stabilitatem habeant mortuo conditore? 730.14
Habet potestatem interpretandi constitutiones Societatis; & quantum valeat eius interpretatio? 731.15
Præpositus Generalis Societatis quam potestatem habeat ad dimittendos professos, vel eis licentiam concedendam ad transitum ad alias religiones? 735.c.2. fere per totum.
Vtrùm huiusmodi potestas ad dimissionem professorum limitari vel reseruari possit à Congregatione generali? 737.11
Quid possit Generalis Societatis in administratione bonorum Societatis. vide verb. *Alienatio*, & verb. *Bona.*

Gradus.

Gradus in Societate, quando, & sub qua obligatione acceptandus à religiosis non professis? 507. per totum cap. 17.
Vide verb. *Prom ſſo.*
Gradus personarum Societatis quot sint; & quæ inter illos distinctio? 589. per totum cap. 4
Gradus literarij, vt Doctoratus, &c. vide verb. *Studia.*

Gratia.

Cùm Deus certo alicui ministerio aliquem destinat, gratiam specialem & accommodatam ad tale ministerium confert. 380.9

Gratu-

Gratia à Pontifice motu proprio concessa, subreptitia censeri non potest. 428.9

Grandimontensis ordo.

Grandimontensis ordinis fundator quis? 331.2
Quando cœperit, & sub qua regula? 324.3. & 4.

S. Gregorius magnus.

S. Gregorius magnus an fuerit Monachus Benedictinus? 325.8.& seq.

S. Guillielmus.

S. Guillielmus an fuerit reformator Eremitarum Diui Augustini. 346.6
An verus religiosus? ibid.7

H.

Habitus.

HAbitus Monachalis antiquitas & causa. 17.1 & 2
Habitum suæ religionis proprium non mutare sub mortali religiosi tenentur. 19.4
Idque ex Iure præsertim positiuo; & quodnam sit hocius? ibid.6.& 182.18
Potest tamen hæc mutatio habitus esse venialis ex leuitate materiæ: & quæ sit censenda materia leuis? 20.9.& 11
Quod peccatum sit partem tantùm habitus mutare? ibid. 11
Quando censeatur quis sufficienter habitum dimittere,ad effectum incurrendi censuram dimissioni annexam? 183.25
Habitum proprium suæ religionis occultare alium superinduendo, peccatum mortale non est ex obiecto. 20.12
Habitum religiosum mutare ad tempus ex iusta causa licitum est. ibid. 13
vel etiam ex dispositione; quam tamen solus Papa directè potest concedere. ibid. 15. & 16
Habitu se nudare non est prohibitum religiosis iure communi aut naturali: sed tantùm ex peculari regula prohibitum esse potest. 21.18
Habitum religiosum dimittens intra septa monasterij non incurrit excommunicationem donec extra monasterium habitu dimisso existat. 184.27
Habitum alicuius religionis, etiam per vnum tantum diem assumpsisse est impedimentum substantiale ad ingrediendũ in Societatem: & quare ita fuerit institutum? 398.17.& seq.
Habitum peculiarem cur Societas non habeat, nisi solum clericalem? Neque id esse reprehensione dignum. 374.4.& 5
Debet tamen habitus Societatis ad vsum loci in quo viuitur esse accommodatus. ibid. 5
Habitum austerum, & asperum cur Societas non habeat? 391.16
Habitus decentia, & munditia qualis competat clerico religioso? ibid.
Vide etiam in verb. *Apostata.*

Hæresis.

Absolutio ab hæresi vtrum comprehendatur sub generali clausula absoluendi ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ? 632.16
Ab hæresi absoluere potest Generalis Societatis, eamq; potestatem aliquibus professis committere. ibid 16
Quibusnam eam committat, & qua moderatione ea vtendum sit? 633.17
Vide etiam in verbo *Bulla Cœna.*

Hieronymitarum ordo.

Hieronymitarum ordinis origo, regula, & perfectio. 332.7.& seq.
Cur hæc religio sancti Hieronymi nuncupetur? ibid. 8.& 9
Eius progressus in Hispania & Lusitania. ibid. 10
Similis ordo D. Hieronymi in Italia sub diuerso generali: & quis eius institutor? ibid.
Aliæ denique Congregationes in Italia eiusdem nominis, sed non instituti. ibid.12

Homicidium.

Homicidium, an, quomodo, & quando impediat ingressum in Societatem. vide verb. *Impedimentum.*

Honor.

Honorum contemptus, quantum, & qua ratione in Societate procuretur? 615.7.& seq.

Horæ Canonicæ.

Horas Canonicas anteponendi, vel postponendi priuilegium Societati Iesu concessum quomodo intelligendum? 576.10.& seq.
Missam ante Horas Canonicas dicendi priuilegium ijsdem religiosis concessum, quid operetur? 598.4.& seq.

Hospes, & Hospitalitas.

Hospites religiosi an obligentur legibus particularibus Monasterij sui ordinis, si in eo aliquandiu commorentur? 89.21.& seq.
Vide etiam verb. *Peregrinus.*
Hospitalitas quàm exactè in Societate seruetur erga proprios religiosos? Et quidem in hoc ab antiquis religionũ fundatoribus sit maximè commendatum? 611.8.& seq.

Humilitas.

Humilitatis supremus gradus in submissione intellectus conspicitur. 616.9
Varij alij gradus illius. 655.25
Humilitas quâ specialis est virtus moralis, in quo consistat? ibid.24
Humilitas quantum, & quibus medijs in Societate procuretur? 616.9.& seq.
Humilitas Christi, maximè in ingressu religionis, proponenda, & imitanda est. ibid.10

I.

Iesæi.

IEsæi nuncupati olim Catholici à nomine Iesu, sicut & Christiani à Christo. 357.5

Iesu nomen.

Iesu nomen quo fundamento & proprietate Societati accommodatum. ibid.5
A quo, & quando? 358.8
Iesu nomen significat Saluatorem, ac medicum. 383.5

Iesuatorum religio.

Iesuatorum religio, quæ, eius institutor, regula, &c. 333.12.& 338.6

S. Ignatius Societatis fundator.

S. Ignatij fundatoris Societatis humilitas in proprio nomine occultando. 359.1
Eodem ferè tempore natus est, quo Lutherus insanire in Ecclesiam Dei cœpit. 369.3.& 5

Illegitimi.

Illegitimi non possunt eligi in prælatos religionis. 67.28.& 709.12
An illegitimæ possint eligi in Abbatissas, vide verb. *Abbatissa.*

Impedimentum.

Impedimentum irritans professionem an possit à qualibet religione institui? 402. cap. 2. n. præsertim 6.

Impedimenta substantialia ingressum in Societate irritantia sunt quinque. Quænam illa sint, quomodo intelligenda; & an conuenienter indirecta? 393. cap. 1. per totum.

Hæc impedimenta quamcunque incorporationem in Societate ipso facto irritam reddunt. 401 27. & seq.

Dato quod ipso facto non irritent an impeditus peccet mortaliter ea occultando; & an post ingressum ad se manifestandum, vel ad egrediendum? ibid.

Solus Summus Pontifex potest in his impedimentis dispensare. ibid. 28

An maneat ligatus aliquo vinculo qui vota cum aliquo ex dictis impedimentis in Societate emittit? ibid. 30

Quid si ea emisit suum impedimentum ignorans; illud tamen sciente, & consentiente prælato religionis? 402. 31

Impedimentum ob defectum originis substantiale non est ad ingressum in Societatem. ibid. 1

Vtrùm conuenienter fuerit inductum? ibid. 2

An potuerit à Congregatione generali induci vt substantiale, & irritans ipso facto? ibid. 3. & seq.

Impedimenta accidentalia, quæ reddunt personam minus idoneam vt in Societate admittatur, quæ sint; & quàm prudenter inducta? 407. 12

Imperare.

Imperandi effectus est maximè reprehensibilis, & odiosus. 607. 4

Incorrigibilis, vide verb. *Religiosus expulsus.*

Indulgentia.

Indulgentia plenaria mendicantibus concessa in articulo mortis, vide in verbo *Mendicantes.*

Infamia.

Infamia delinquentis subit vicem non solùm accusatoris, sed etiam testis. 715. 2

Infamia sufficienter probata efficit semiplenam probationem, præsertim si accedant grauia indicia. ibid

Cætera vide verb. *Inquisitio.*

Infirmus.

Infirmis qua charitate in religione condolendum, & subueniendum. 610. 4. & 5

Quid in hoc præstet Societas? 611. 7

Inhabilitas.

Inhabilitate aliquas personas ad officia, collegia, vel religionem aliquam an sit licitum? 402. 1

Inobedientia.

Inobedientiæ peccatum quibus modis committatur, & quibus virtutibus aduersetur? 491. 3. & 492. 5

Vide etiam in verbo *Obedientia.*

Inquisitio.

Inquisitio iudicialis in quo differat ab accusatione, & denunciatione? 709. 2

Duplicem esse Inquisitionem, generalem & specialem. ibid.

Inquisitio generalis in religionibus non solùm licita, sed etiam ex obligatione officij à Prælatis faciendæ est. ibid. 3

Quibus modis inquiri possit de delictis, & quando cuilibet eorum liceat, aut expediat? ibid. 4. & seq.

In inquisitionibus generalibus, seu visitationibus quando quis interrogatur, etiam sub iuramento, vt manifestet eum, quem deliquisse nouit, non tenetur eum manifestare, si delinquens nulla laborat infamia.

Vtrùm licitè possit eum manifestare? 715. 7 & seq. ibid. 8.

An peccet visitator, seu Inquisitor, qui absolutè interrogat abstrahendo à delinquente occulto, vel non occulto, præsertim quando interrogat subditos indoctos? ibid.

Inquisitio specialis fieri non potest nisi personæ, de qua inquiritur, præcedat infamia? 714. 1

Excipiuntur, & explicantur aliqui casus de crimine vergente in damnum commune, vel admodum graui & atroci, vel denique publico, & notorio. 715. 4. & seq.

Vtrùm possit fieri Inquisitio in particulari, quando dantur aliqua indicia personæ delinquentis, quæ tamen nulla laborat infamia? 716. 11. 12.

Vtrùm possit iudex specialiter inquirere ad instantiam alicuius, quamuis non detur infamia? 718. 15. & 16

Vtrùm inquisitio criminum, inhabilitatum, &c. quæ non fit ad punitionem, sed ad alios fines, vt ad prouisionem beneficij, &c. possit fieri in particulari, quin præcedat infamia eorum de quibus inquiritur? ibid. 17

Inquisitio particularis præcedente infamia non solùm potest, sed etiam debet fieri à prælato, interrogando in particulari de tali persona. ibid. 18

Et subditus interrogatus regulariter tenetur in conscientia veritatem aperire. ibid. 19

Quæ infamia requiratur vt inquisitio particularis fieri possit? ibid. 20. & seq.

Quomodo huiusmodi infamia iudici constare debeat? 720. 26

Inquisitionis specialis praxis quomodo in religione procedere debeat? ibid. 29. & seq.

Quomodo inquirendi testes? ibid.

Quando interrogandus reus? ibid. 30

Quando si hic fateatur, aut neget? ibid. 31. & seq.

Intellectus.

Intellectus qua ratione iuuet voluntatem ad actus studiosos? 499. 12. & 13

Interstitia.

An prælati regulares dispensare possint in interstitijs ordinum cum suis subditis? 167. 21. & seq.

Dispensatio in interstitijs an competat Episcopo ordinanti, vel potiùs dimissorias concedenti? ibid.

Ioannes Bonus.

Ioannes Bonus quis fuerit? Et an sub regula Augustini Eremitas instituerit? 346 9

Irregularitas.

Irregularitatem non possunt prælati religionis imponere suis subditis. 91. 7

An, & quantum possint prælati regulares dispensare in irregularitatibus cum suis subditis? Vide verbo *Dispensatio.*

An per priuilegia & indulta concedentia potestatem ad absoluendum ab irregularitate & pœnis Ecclesiasticis, possit priuilegiatus dispensare in irregularitate? 142. 15

Iubilæum.

Iubilæa quando censenda sunt extendi ad religiosos quoad effectum eligendi confessorem? 123. 7. & 8.

Iudex, vide verb. *Inquisitio.*

Iuramentum.

Iuramentum falsum in iudicio est vnum è peccatis quod reseruari permittitur à Clem. VIII. requiritur autem ad incurrendam reseruationem vt religiosus iustè interrogetur, & vt iudicium sit legitimum. 130.7

Cùm aliquis sub iuramento interrogatur de his quæ scit, non solùm potest iurare se scire ea quæ vidit, sed etiam quæ indubitanter credit, propter auctoritatem humanam. 576.12

Iurisdictio.

Iurisdictionis potestas quotuplex sit? 84.1

Quænam sit ordinaria, & quæ delegata? 568

Iurisdictio quasi Episcopalis quænam dicatur? 57.13. & 14.

Iurisdictio Episcopalis ordinaria ad quænam extendatur? 103.3. & seq.

Quomodo participetur à prælatis religionum habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem? ibid.

Iurisdictionem Ecclesiasticam potest Summus Pontifex de potestate absoluta conferre laico in personas Ecclesiasticas. 63.15

Non verò de potestate ordinaria. ibid.

Iurisdictio inferioris prælati quomodo pendeat & restringi possit à superiore prælato, vide in verb. *Prælatus religionis.*

Iurisdictio potest acquiri consuetudine. 56.3 in fine.

Iurisdictio in foro pœnitentiæ, quam religiosi habent à Summo Pontifice ad audiendas omnium fidelium confessiones, an, & à quibus prælatis religionis limitari possit? 128.13

Iurisdictio Societatis in suos religiosos, vide verb. *Societas.*

Cætera vide in verb. *Prælatus.*

L.

Laicus.

Laici religionis, quantumuis superiores sint, potestatem Ecclesiasticam non habent, ad ferendas censuras, &c. 94.10

Laicis potest Summus Pontifex de potentia absoluta potestatem Ecclesiasticam conferre in personas Ecclesiasticas, quamuis non de potentia ordinaria. 63.15

Vide etiam in verb. *Conuersus*, & *Donatus.*

Lectio spiritualis.

Lectio spiritualis quàm vtilis ad meditationem & orationem, 294.15

In lectione spirituali Deus nobiscum loquitur, in oratione nos illum alloquimur. ibid.

Lectioni spirituali quanto tempore, & quo fine vacare debeant religiosi Societatis? 393.5

Lex.

Leges diuinæ positiuæ, aut naturales obligant grauiter aut leuiter iuxta capacitatem materiæ non ita tamen semper accidit in legibus humanis, 4.4

Leges, & præcepta humana quas debeant habere conditiones, vt obligare possint in conscientia? id est, quam potestatem supponant in superiore; quam conuenientiam in materia; quam intimationem, promulgationem, &c. 87.11. vsque ad 17

An necessaria sit aliqua consultatio ad hoc vt superior præcepta possit imponere aut leges condere? 86.6

Vide etiam Verb. *Prælatus*, & verb. *Præceptum.*

Libri.

Libros eitò, & ante maturam scientiam scribere leuis est insania ex D. Hieronymo. 517.4

Libri obscœna continentes quàm pernicioſi legentibus. 531.6. & 7

Libri quo delectu legendi sint? ibid.

Liber Exercitiorum spiritualium Societatis, vide verb. *Exercitia spiritualia.*

Licentia.

Licentia in quo differat à dispensatione. 113.45

Licentia necessaria religioſi ad egrediendum è Clausſtro, vide verb. *Clausſtrum.* & verb. *Monialis.* Ad transeundum ad aliam religionem, vide verbo. *Religiosus transiens ad aliam religionem.*

Litaniæ, vide verb. *Oratio.*

Ludus.

Ludi aliàs ex iure non prohibiti, specialiter religiosis non prohibentur. 46.2

M.

Maltenses milites, vide verb. *Militares ordines.*

B. Maria Virgo.

Vtrùm B. Virgo Maria iter in Bethleem pedes confecerit, an asinæ insidens? 653.17

Matrimonium.

Matrimonium consummatum quâ ratione sit impedimentum ad ingressum Societatis? 399.22. & seq. & 437.10

Matrimonium ratum non dissoluitur per vota simplicia Societatis. 400.23. & 451. per totum cap 2.

An diriматur per eadem subsequens matrimonium? vide verb. *Castitas.*

Validè tamen fient talia vota post matrimonium ratum etiam repugnante sponsa: quæ tamen poterit petere suum ius, & sponsus obligabitur ad cohabitandum. 400.24

Sic rediens ad sponsam quas obligationes deferat, nisi illi vota irritentur? ibid.

Cùm quibus conditionibus post matrimonium ratum admitti possit aliquis in Societatem? ibid.

Vt quis in Societate admittatur post matrimonium ratum statim finito nouitiatu emittere debet professionem. 454.12

An in eo casu transigendum sit integrum biennium nouitiatus Societatis, an vnus tantùm annus? ibid.13

Quid si vota simplicia eiusdem Societatis antecedens matrimonium ratum irritarent; expectandum ne esset integrum nouitiatus biennium antequam emitterentur, an vnus tantùm annus? 399.22

Matrimonij sacramentum ministrare non possunt religiosi Societatis absque parochi facultate. 649.19

Vtrùm in aliquo saltem loco, vel casu possint virtute suorum priuilegiorum? ibid.20 & 21

Pro Matrimonio etiam vide in verb. *Conux.* & *Ordo.*

Meditatio, vide *Oratio.*

Mendicans.

Vt religio sit mendicans quid requiratur? 308.11 & seq.

Quot sint modi religionis mendicantis? ibid.13 & seq.

Mendicantes, & eorum nouitij habent priuilegium vt semel in vita absoluantur ab aliquo

confessore suæ religionis de omnibus casibus & censuris reseruatis, imò & vt dispensentur in qualibet irregularitate, excepto homicidio & mutilatione voluntaria. 133.7
Debet tamen talis confessor esse ex approbatis à superiore ad audiendas religiosorum monasterij confessiones. ibid.
Mendicantibus conceditur vt in articulo mortis quilibet legitimus confessor eos absoluere possit ab omnibus casibus & censuris ac si esset Summus Pontifex. ibid.8.& seq.
Idem confessor auctoritate Pontificia eis potest concedere indulgentiam plenariam. ibid.
Hæc probabilius concedi possunt eidem religioso quoties in periculo moriendi constituitur. 134.12
Hoc priuilegium tam quoad absolutionē quàm quoad indulgentiam extenditur ad nouitios mendicantium. 133 9
Semel ita absolutus in periculo mortis, si euadat, potest iterum recurrente alio periculo mortis eodem modo absolui. 135.13
Quid hoc priuilegium quoad absolutionem operetur, cùm in articulo mortis nulla sit reseruatio? ibid.14.& 15
Mendicare, an, qua ratione, & quando debeant religiosi & nouitij Societatis? 472.15

Metus.

Metus cadens in virum constantem an irritet vota simplicia, per quæ Scholastici Societatis religiosi constituuntur? 528.6

Militares ordines.

Militaris ordo vera religio esse potest. 377.1.& seq.
Quomodo in eo statu tendatur ad perfectionem? 284.9 & seq.
Militares ordines qui nunc existunt an sint veræ religiones? ibid.1.& seq.
Clerici, qui has religiones profitentur, non dubium quin veri sint religiosi. ibid.1
Item milites Maltenses veri sunt religiosi. 285.5 & seq.
Maltenses votum solenne castitatis emittunt; & hoc votum matrimonium dirimit. ibid.6
Milites alij à Maltensibus verum statum religionis habent. 286.9.& seq.
Votum emittunt castitatis coniugalis; & quomodo hoc votum ad Christi consilia, & verum statum religionis pertinere possit? 287.16.& seq.
Hoc votum solenne non est, nec dirimit matrimonium. 290.28.& 29
Huiusmodi milites coniugati religiosum quidem habent statum, non tamen vsum. 289.26
Sunt autem personæ Ecclesiasticæ, & gaudent priuilegio canonis, & fori. ibid.
Eorum religio approbata est à Summo Pontifice; nec sine tali approbatione, talis aliqua religio institui potest. 290.27

Minimi.

Minimorum regula à nulla antiquiori originem traxisse dicitur. 3.6

Ministeria spiritualia.

Vtrùm pro ministerijs spiritualibus stipendium accipere, quacunque ratione id fiat in Societate sit contra votum paupertatis, an aliquando tantùm contra regulam? 474.6
An saltem Generalis dispensare possit in constitutione prohibente dictum stipendium accipere? 476.13
Pro ministerijs spiritualibus stipendia non accipere, quàm sit perfectum, & glorioſum? 469.c.7. n. præsertim 11.& 12
Vide etiam in verb. *Paupertas.*

Minorum ordo.

Minorum ordinis fundator S. Franciscus. Quæ ætate eum instituerit, & quo anno? 336.1
Hæc religio fuit approbata priùs quàm Prædicatorum viuæ vocis oraculo? posterius autem per Pontificia diplomata. ibid.2
Ad quem finem ordinetur? ibid.
Maximè eminet in paupertate, & est propriissimè mendicans. 337.3.& 4
Confertur cum ordine Prædicatorum. ibid.4
Quàm sit austera? ibid.5
Diuersæ ex ea familiæ deriuatæ, & quæ huius diuersitatis causa? 337.6
Hæc diuersitas vnitatem religionis non tollit, sed potius eius perfectionem arguit. ibid.7
Quæ difficultates versentur circa huius religionis paupertatem? ibid.8
Pecuniæ ab illis non acceptandæ regula discutitur & explicatur. 338.9
An contractum mutui celebrare possint Minoritæ? ibid.10
Obligatio ad paupertatem nudæ regulæ, absque vlla declaratione & modificatione à quibusdam eorum acceptata, quomodo temperanda? ibid.11
Regulæ Minorum quando censeantur obligare subditum? 8.7
Minores religiosi si ad aliam religionem transeant, & post professionem in illa fugiant ad seculum, vel ad aliam laxiorem religionem, eo ipso primæ suæ religioni Minorum subijciuntur, vt possit contra eos tanquam Apostatas procedere. 242.31
Non ita tamen si se ad æqualem saltem religionem conferant. ibid.32

Missa.

Missam dicere qua frequentia, decentia, & deuotione debeant sacerdotes Societatis? 597.2
Missas pro fundatoribus, aliisve causis in Societate dici solitas, quando teneantur eius religiosi dicere sub graui; & quando ex vi tantùm regulæ? ibid.3
Missam ante diuinum officium dicendi priuilegium religiosis Societatis concessum, quomodo intelligendum; & quid operetur? ibid.4.& seq.
Priuilegium dicendi Missam per horam ante auroram, vel post meridiem Societati concessum quomodo intelligendum? 598.6.& 7
Missam audire singulis diebus debent ex regula omnes religiosi Societatis, qui sacerdotes non sunt. 599.9

Modestia.

Modestia in omnibus sensibus, præcipuè in oculis, vnum est ex medijs ad castitatem necessarijs. 549.7

Monachalis religio & Monachus.

Monachalis religio in quibus conueniat cum clericali, & in quibus differat? 210.5.& seq.
Vtriusq; antiquitas quanta? 304.11.& seq.
Monachalis religionis diuisio in mendicantem, & monachalem præsertim qualis sit? ibid.c.8
Quas vtrunque membrum diuisionis habeat proprietates; & quomodo differant? ibid.1. & seq.
Hanc diuisionem non esse adæquatam, n. 7. nec fieri in membra simpliciter opposita. 307.10

Monachalis religionis presse sumptæ quot sint modi? 309.16
Monachorum nomine an & quando veniant exteri omnes religiosi? 304.10
Monachi olim omnes erant laici; eisque presidebat quidam presbyter. 343.19
Monachatus origo in Oriente. 321.1 & seq.
Monachatus quale vitæ genus fuerit ante Basilium. ibid.2
Monachatus origo in Occidente posteriot quàm in Oriente. 323.1. initio.

Monialis.

Monialium clausura de se non spectat ad substantiam status religiosi. 28.1
Potest tamen Ecclesia non admittere aliquam fœminam ad professionem religiosam, nisi sub clausura in monasterio voueat. ibid.3
Vnde prouenire possit rigorosa obligatio clausuræ, qua moniales astringuntur? ibid.4.& seq.
Si obligatio clausuræ in monialibus oriatur ex aliquo voto, quantum extendetur? 29.16
Moniales omnes professæ omnino prohibentur à Concilio Trident. ne monasterio egrediantur, nisi interueniente legitima causa exeundi ab Episcopo approbanda. 31.13
Quæ sit legitima causa exeundi? 35.2.3.& 14
Varij casus circa hoc expediuntur. ibid.4. & seq.
Aliquando talis est necessitas exeundi, vt prælati licentia expectanda non sit; & quænam censeatur sufficiens necessitas? 36.12
Hæc clausura monialium maximè præcepta est propter castitatem? 318.3
Moniales vtrum aliquando exire possint è claustro petita licentia, & non obtenta? 36.12.& 16
Cum monialibus solus Papa propriè dispensare potest in clausura. Et quid Episcopi, siue ordinarij, & proprij eatum prælati possint in concedenda illis licentia ad egrediendum. ibid.13
Vtrùm huiusmodi licentia ab illis sine legitima causa data valeat, & moniales excuset à culpa & censura? 37.14
Si detur causa legitima exeundi, & Episcopus nolit eam approbare, monialis Episcopo subiecta exire non potest: exempta verò de licentia sui prælati potest. ibid.16
Quid si è contrario Episcopus causam approbet, & proprius prælatus nolit licentiam dare? ibid.
Moniales omnes in his, quæ ad clausuram spectant, Episcopis subijciuntur. 320.11
Prohibitio Tridentini, ne moniales à monasterijs egrediantur, solas professas comprehendit. 32.15
Quas pœnas incurrant huiusmodi prohibitionem, & clausuram violantes? 38.17
Hæc clausura monialium extenditur adeò, vt ne ad Ecclesiam quidem, in quam sæculares intrant, egredi possint. 34.23
Monialis nouitia semel monasterio egrediens an interrumpat, vel amittat nouitiatum? 32.16
Moniales conuersæ ad quam clausuram tenentur? 32.17
Vtrùm, quot, & ad quid in monasterijs possint nunc admitti, & esse conuersæ professæ? ibid.19.& seq.
Conuersæ non professæ admitti non possunt vt intra monasteria degant. ibid.18
Extra monasteria tamen eas habere prohibitum non est iure communi aut naturali. 96.21. in fine.
Monialium clausura quantum extendatur quoad externas personas, ne in earum monasteria ingredi possint? 38.c.10
Pueri ante vsum rationis introduci possunt in monasteria monialium. ibid.2
Vtrùm & amentes? ibid 3.& 4
Quis sit terminus clausuræ in quem sæculares ingredi, & à quo moniales egredi prohibentur? 39.7.& 8
Quis possit dispensare, vel facultatem dare ad ingrediendum monasteria monialium? ibid.10.& seq.
An valeat licentia Episcopi sine legitima causa concessa? ibid.10
Quæ sit legitima causa ad hanc licentiam concedendam? 42.16 & 17
Vtrùm præter licentiam prælati requiratur etiam consensus Abbatissæ? 41 12
Cui possit delegari potestas ad concedendam dictam facultatem? ibid.14
Licentia ad ingrediendum dicta monasteria debet dari in scriptis, alioqui erit insufficiens ad vitandam culpam & excommunicationem. 42.15 in fine.
In casibus necessitatis repentinis, quando abest prælatus, potest Abbatissa vti Epicheia in admittendis sæcularibus intra monasterium. ibidem 17
Monialium famulæ, an, qua necessitate, & cum quibus conditionibus concedi possint à prælatis vt sint & habitent intra monasteria? ibid.18.& seq.
In monasterijs monialium an educari possint puellæ, aut aliæ graues fœminæ in eis commorari, ex sola prælatorum facultate? 43.21 & 22
Monialium monasteria ne ipsi quidem prælati possunt ingredi, nisi in casibus necessitatis. 44 23
Monialium monasteria adire visitandi, & colloquendi gratia, & si olim fuerit iure communi prohibitum, hodie tamen ita censendum non est. 45.26.& 27
Frequentia tamen adeundi iure est prohibita. ibid.27
Ad eas verò epistolas mittere prohibitum non est iure communi. ibid.28
Moniales furtiuè alloqui est peccatum mortale, præsertim si fiat per loca inusitata: idque etiam si collocutio neque ex prauo fine habeatur, neq; in se mala sit. ibid.27
Moniales nulli confessori possunt confiteri, nisi de licentia suorum prælatorum. 125.15. in fine.
Moniales ex vi iuris communis transire possunt ad religionem strictiorem: indigent tamen licentia ad exeundum de suo monasterio. 223.1
Moniales ab initio, quamuis Episcopis subiectæ, monasterijs nihilominus virorum erant subordinatæ, quorum regulam, & viuendi modum imitabantur. 312.5
In eas tamen non cadit distinctio laicarum, & clericalium, quemadmodum in alios religiosos. 313.7

Cade-

Cadere tamen aliquo modo potest mendicantium,& non mendicantium, canonicarum, militarium, &c. idqoe qua ratione? ibid. 8
Item distinctio per respectum ad prælatum, Episcopum, vel regularem. 314 9
Monialium religio institui non potest nisi sub aliqua regula à Summo Pontifice approbata. ibidem 10
Monialium antiquitas quanta? ibid. 11
Moniales à quo recipi possint in monasterium? quo numero,& qua dote? ibid. 1
Non oportet esse virginem quæ recipitur. ibid. 2
Quid si sciatur esse corrupta? ibid.
Annus in nouitiatu explendus. 315. 3
Libertas ingredientium exploranda: Dos quando tradenda monasterio: & in cuius manibus professio facienda? ibid. 4
Monialium paupertas quæ? 318. 1. & seq.
Qua ratione habere possint pensiones, eisque vti? ibid. 2
Monialium castitas ex voto. ibid. 3
An eis liceat nutrire comam? ibid. 4. & 5
Monialium obedientia ad prælatum & prælatam quæ? ibid. 6. & seq.
Abbatissa potest eas obligare in conscientia virtute voti obedientiæ seruatis debitis conditionibus. 319. 9. & 10
Quam obligationem habeant ad regulam? ibidem 11
Monialium, aliarumve fœminarum curam cur Societas non susceperit? 670. 15. & seq.
Cætera pro monialibus, vide in verb. *Abbatissa.*

Monitio secreta, vide verb. *Correctio, & Denunciatio.*

Mortis articulus, vide *Articulus mortis.*

Moribundus.

Moribundi quot pericula & tentationes patiantur? 671. 1
Moribundi qua cura, & modo iuuandi sint? Eamque curam esse maximè propriam Societatis; & statui religioso consentaneam. ibid. 2
Moribundos inducere ad condenda testamenta munus est confessarij 672. 4
Non tamen ea illis conficere, conficiendisve assistere. ibid 5
Moribundum inducere vt propriæ potius religioni legatum aliquod relinquat, quàm alijs, licitum simpliciter est religiosis, minimè tamen expediens. Et in particulari religiosis Societatis hoc per suas constitutiones prohibetur. ibid. 4 & seq.
Moribundum in confectione testamenti retrahere à restitutionibus debitis, aut legatis matricibus Ecclesijs relinquendis: eosve inducere vt legata, vel debita, aut malè ablata incerta, sibi aut religiosis sui ordinis relinquant, omnibus religiosis in iure prohibetur. In duobus autem tantùm casibus ea prohibitio viget: & quinam illi sint? ibid. 6

Mortificatio.

Mortificatio sensuum quantum in Societatis instituto eius religiosis commendetur? 617. 14

Multitudo

Multitudo hominum, etiam religiosorum, inurbanior, & imperfectior plerumque est, quàm paucitas. 402. 2
Vide *Rerum.*

Munus.

Cùm Deus speciale alicui munus confert, specialem simul gratiam donat ad illud implendum. 380. 9

N.

Negotiatio.

Negotiatio religiosis non prohibita quænam sit? 669. 12

Notorium, vide *Crimen.*

Nouitas doctrinæ, vide *Doctrina.*

Nouitiatus, & Nouitius.

Nouitij an obligentur præceptis prælatorum religionis? 89. 17
Cum nouitijs, an, & in quibus dispensare possint prælati religionis seclusis priuilegijs? 119. 8. & 9
An possint cum eis dispensare in interstitijs ad ordines: aut vt ordinentur extra tempora per particulare priuilegium quod habent ad dispensandum in hoc cum suis religiosis? ibid.
Nouitij an ordinari possint à prælatis regularibus habentibus potestatem ad aliquos ordines suis religiosis conferendos? 170. 12. & 13
Nouitij confiteri possunt sacerdoti regulari habenti iurisdictionem à Summo Pontifice, nisi talis sacerdos eam iurisdictionem à suis prælatis expresse limitationem habeat ne ad nouitios extendatur. 128. 12. & 13
Non tamen confiteri possunt, iuxta probabiliorem sententiam, sacerdoti habenti solùm iurisdictionem Episcopalem, siue ordinariam, siue delegatam. ibid. 14
Nouitij à quo possint absolui de reseruatis? 132. 1
Nouitij possunt absolui per superiores siue religionis ab omnibus casibus, censuris & pœnis Pontificijs ante vel post ingressum commissis. 150. 5
An ea absolutio quoad censuras detur ad reincidentiam si religionem postea aut non ingrediantur, aut non profiteantur? ibid. 6
Explicantur duo priuilegia, per quæ nouitij à suis superioribus absolui & dispensari possunt. 151. 8. & 9
Nouitij mendicantium, qua ratione semel in vita, & iterum in morte absolui possint ab omnibus casibus: & quam tunc indulgentiam consequi valeant. vide verb. *Mendicans.*
Nouitius animo ficto religionem ingrediens, id est, cum deliberatione non perseuerandi in ea, peccat mortaliter, teneturque ad restituendas expensas, & damna religionis inde prouenientia, nec protunc validum agit nouitiatum. 73. 15
At probabile est, si postea propositum mutet, tale propositum retrotrahi, validamque euadere probationem. ibid. 16
Nouitij subijciuntur prælatis religionis quoad iurisdictionem voluntariam, & non aliter. 689. 9
Nouitius in fauorabilibus venit etiam nomine religiosi. 623. 18
Nouitius presbyter cum sola approbatione ordinarij deputari potest à superioribus religionis ad confessiones audiendas, per eadem priuilegia, per quæ cæteri religiosi professi deputantur. ibid.
Nouitius Societatis quomodo possit & debeat testamentum condere? 470. 6
Essentia nouitiatus Societatis quid includat? 415. 15
Nouitius

Nouitiatus Societatis per integrum biennium durans conforme est tum antiquorum religiosorum probationibus, tum maximè fini Societatis. 408.2.& seq.
Vt quis admittatur ad nouitiatum Societatis, non requiritur susceptio habitus, sed tantum libera superioris voluntas illum recipientis. 410.6
Imò totus nouitiatus cum solis secularibus vestibus transigi potest. ibid.
Necessarium non est integrum biennium nouitiatus in Societate ad valorem professionis, sed sufficit vnus tantùm annus moraliter cum professione continuatus. ibid. 7. & 411. 11
Per dilationem professionis in Societate non interrumpitur moraliter probatio nouitiatus. 410.8
Raram debere esse dispensationem in dicto biennio nouitiatus; & quis possit eam concedere? 411.10
Annus integer nouitiatus an requiratur ad validam incorporationem in religione per vota simplicia, quemadmodum requiritur ad solennem professionem? 435 2. & seq.
Obseruantiæ quibus nouitij Societatis iuuantur, vt cum maiori libertate, & notitia instituti de statu suo deliberent. 412. 2. & seq.
Has obseruantias non esse substantiales, sed tantùm conducentes. ibid. 2. & 4
Experientiæ quibus nouitij Societatis probantur. 413 5
Locum, aut domum separatam pro nouitiatu magis expedire cùm in aljs religionibus, tum maximè in Societate. 414.12
Vota quæ nouitij Societatis solent emittere, vide *Votum.*
Nouitiorum Societatis bona, vide verb. *Bona.*
Pro nouitiatis Societatis, vide etiam in verb. *Probatio.*
Nouitia monialis semel egrediens ex suo monasterio, an interrumpat, vel emittat nouitiatum? 32.16

O.

Obedientia.

OBedientiæ votum non tantùm obligat subditum ad obediendum superiori actu imperanti, sed etiam ad persistendum in proxima subiectione, vt mandari possit. 248
Obedientiæ perfectio quoad executionem quanta esse debeat; & quænam sit in Societate? 490. 3. & seq.
Obedientia quas excusationes admittat, aut reijciat? ibid.5
Qua voluntatis alacritate & integritate obediendum? 495.19.& seq.
Obedientia formalis tunc datur, quando quis rem præceptam facit, quia præcepta est: & materialis, quando rem præceptam ex alijs motiuis facit. Et idem cum proportione de inobedientia iudicandum. 491.3
Ad impletionem tamen præcepti non requiritur formalis obedientia, sed satis est materialis. ibid.3.& 5
Quando sit peccatum generale contra obedientiam, & quando speciale? ibid.
Qui non vult obedire prælato, vt ostendat se eum nihili facere, peccat mortaliter. 16.22
Obedientiæ actus vt habeat honestatem religionis, id est, obseruationis voti; necessariò præsupponit præceptum superioris. 492.7.& seq.
An verò vt habeat honestatem obedientiæ, quatenus est specialis virtus, satis sit voluntatem superioris exequi quamuis nullum intercedat præceptum? Et vtrùm omnis voluntas superioris habeat rationem præcepti? 120.10. & seq.
In quibus materijs expediat præceptum superioris expectare, & in quibus præuenire, ad nutum promptè obediendi? 565.20
Obedientia purior, & securior est illa, quæ sequitur impetum alterius contra propriam inclinationem, præsertim circa vitam, vel honorem. 496. 21
Obedientiam facilitat amor, tum in rem præceptam, tum in superiorem præcipientem. ibid. 21. & 22
Obedientia in superiore Christum agnoscens à Patribus commendatur. 497.3
Explicatur, & approbatur ratione. 499 14 & seq.
Obedientia cœca auctoritate commendatur. 497. 4 & seq.
Declaratur ratione, in quonam consistat eius perfectio? 503.26
Obedientiæ perelegans descriptio. 498.8
Vtrum in omni dubio an res præcepta sit peccatum; possit subditus superiori præcipienti obedire? 501.18 & seq.
An etiam debeat? 503 24
Obedientiæ gradus ex D. Bonau. ibid. 24.& 25
Obedientiæ exempla admiranda, & miraculosa? 505.32
Quid per illa intenderit Spiritus sanctus? & qua ratione à sanctis proponantur vt imitanda? 505.33
Obedientiæ perfectione maximè Societas eminet, & ab alijs distinguitur religionibus. 363. 11 & 366.7
Obedientiæ votum in Societate non obligat in quacunque materia præcepta, licet honesta sit, sed tantum in materia conformi ad finem eiusdem Societatis: & quænam ea censenda sit? 488.10
An ex illius obligari possint etiam non professi ad prædicandum inter infideles Indos, Turcas, &c. 488 16.& 17
Votum obedientiæ ad Summum Pontificem, quod professi Societatis specialiter emittunt, obligat ad aliquid amplius, quàm votum obedientiæ quod in aljs religionibus emittitur. 550. 21
Ad quidnam obliget tale votum, & quænam sit materia illius? 547.4.vsq; ad 16
Hoc votum addit obligationem intensiuam supra commune votum obedientiæ, quod in Societate fit. 552 28 & seq.
Vtrum addat etiam extensiuam, quoad nouam materiam? ibid.32.& seq.
Hoc votum est solenne 553.38
In quo eius solennitas consistat? ibid.39

Officium.

Officium aliquod Ecclesiasticum assumpturus scire prius debet illius obligationes, ac deliberare an possit illis satisfacere. 406.8
Officium, siue munus, vide *Munus.*
Officium canonicum, siue diuinum, vide in verb. *Hora Canonica.*

Opinio.

Opinionum diuersitas an sit contraria charitati; illiue officiat? 608.8

Quid hac in re in Societate præcipiatur, cùm in eius regula prohibetur ne doctrinæ differentes admittantur. ibid.9.& seq.

Cætera vide verb. *Contentio.*

Oratio.

Orare tantùm pro salute proximorum, absque externa actione, qua ipsi immediatè iuuentur, & moueantur, ad perfectam proximi charitatem non sufficit. 301.27

Orationis & contemplationis interruptio propter actiones ad bonum spirituale proximi non minuit, sed potius auget propriam perfectionem. ibid.28

Oratio est medium efficax ad conseruandam castitatem. 454.2

In oratione quanta requiratur reuerentia, & vnde ea oriri soleat? 651.7

Oratio mentalis quàm frequens esse debeat religiosis Societatis; præsertim professis? 593.6. & seq.

Vtrùm oratio mentalis sit potius opus intellectus, an voluntatis? 650.5 & seq.

Est optima dispositio ad illuminationes diuinas. 657.33

Orandi ac meditandi artem, & vtilissimam esse, & prudentissimè à S. Ignatio Societatis Iesu fundatore iuuentam. 661.2

Orationis & meditationis perfectio, etiam mediocris, non nisi multo vsu orandi, exercitioque virtutum comparatur. 666.11

Ad orationem aliquam vocalem quotidie priuatim recitandam non tenentur religiosi Societatis; nisi aliunde ad id obligentur, & quòd ordinati sint in sacris. 594.1.& 2

Tenentur tamen ad Litanias quotidie in communi publicè dicendas: non tamen sub obligatione præcepti; sed tantùm simplicis ordinationis. ibid.3

Vtrum sub hac qualicunque obligatione eas priuatim recitare teneantur, quando eas in communi non dicunt? 595.4

Orationes vocales, tam ordinariæ, quàm extraordinariæ, quæ religiosis Societatis iniunguntur, pro defunctis, vel fundatoribus, vel alijs etiam causis, sub qua obligatione recitandæ? ibid.5

Quomodo huic obligationi satisfaciendum sit: & quæ circumstantiæ in his orationibus seruandæ? ibid.6

An si pro certo tempore præscriptæ in eo non dicantur, postea sub eadem obligatione dicendæ sint? 596.7

Ordinationes Societatis, vide verb. *Generalis*, *Ordo*, id est, religio, vide sub specialibus vocabulis.

Ordo Sacramentum.

Ordo sacer non dirimit antecedens matrimonium ratum. 400.24

Ordinatus in sacris post matrimonium ratum, non consummatum, suspenditur, nisi professionem faciat in aliqua religione approbata: quam conditionem non implet emittendo tantùm vota simplicia scholasticorum Societatis. 434.5

Aliqui ordines conferri possunt ab aliquibus prælatis regularibus: & quinam sint hi prælati? 681. & seq. vsq; ad 4. & 171.16.17.& 172.23

An hoc priuilegium ordinandi communicetur alijs prælatis? 173.27.& 28

Quos ordines conferre possint dicti prælati iure antiquo? 170.15.& 172.24

Quos ex nouo iure speciali. 172.23.& 25

Qui ordinari possint à dictis prælatis, ex vsu iuris antiqui; & quo in loco? 169.5 & 6

An saltem de licentia ordinarij loci ex vi eiusdem iuris possint dicti prælati ordinare extra suam monasteria? ibid.6.7.& 11

An ex eodem iure possint ordinare subditos alterius prælati de illius licentia? ibid.7.8.& 9

Vtrum dicti prælati regulares validè ordinent ex vi illius iuris, si formam eius excedant, vt ordinando non subditos, aut extra suum monasterium. ibid.

Quinam ordinari possint à dictis prælatis ex vi noui iuris specialis, præsertim si prælatus ordinans sit mitratus? 171.20.& seq.

Ordinum interstitia, vide verb. *Interstitia.*

Otiositas.

Otiositas castitatis inimica. 455.6

P.

Papa.

PApa in ijs, quæ ad doctrinam pertinent errare non potest ex Christi institutione, promissione, & concessione. 427.5.& seq.

Papa in approbanda aliqua religione errare non potest. 375.12.& 427.7

Vnde dignoscendum sit Papam non ex falsa informatione, neque vt priuatum Doctorem, sed vt Pontificem aliquid definire. 428.9

Vide etiam in verb. *Gratia.*

Parentes.

Parentum indigentiam, an, & quomodo impediat ne quis admittatur in Societate, etiam per vota simplicia? 457.13

Patres docere tenentur filios suos doctrinam Christianam. 544.6

Patrinus.

Patrini docere tenentur doctrinam filios suos spirituales. ibid.

Patronus.

Patronus alicuius monasterij non habet ius eligendi eius prælatum. 81.19

Electioni tamen factæ præbet assensum. ibid.

Parochus.

Parochi docere tenentur filios suos spirituales doctrinam Christianam. 544.6

Pauper, & Paupertas.

Pauperibus potiùs, quàm consanguineis bona eroganda esse. 463.2.& seq.

Paupertas religiosa, modusque communis viuendi mutuam charitatem, & vnionem conciliat. 610.2.& 3

Paupertatis optimus vsus est ita superflua abijcere, vt necessaria non desint. 472.15

Paupertatem maximè conuenientem esse ad expeditam verbi Dei prædicationem. 481.68.& 9

Dispensari non potest cum religioso, vt vtatur re aliqua vt propria. 461.16

Solenne paupertatis votum habet duos effectus; alterum naturalem, qui est obligare ad non habendum, vel non vtendum re aliqua vt propria; alte-

alterum legalem quod est reddere personã perpetuò inhabilem ad dominium & proprietatem bonorum temporalium. 257.10
Paupertatem perfectam, etiam quoad carentiam dominij in communi profitetur Societas professa. 366.5
Quanto rigore & perfectione huiusmodi paupertas in ea obseruetur? ibid. 5. & 6
Cætera pro paupertate Societatis professæ propriæ, videverb. *Domus professa Societatis.*
Qui paupertatis modus in Collegijs Societatis seruandus sit, tam in administrandis, quàm in acquirendis bonis. 484.7. & seq.
Paupertatis votum quod scholastici Societatis emittunt, non eos statim priuat dominio & proprietate suorum bonorum, 457.2
Est tamen sufficientissimum ad omnem perfectionem acquirendam. 460.12. & seq.
Ex vi huius voti tenentur scholastici omne dominium suorum bonorum abdicare, cùm primùm superiore visum fuerit. 457.3. & 462.20
Neq; etiam possunt vsum, aut possessionem habere alicuius rei vt propriæ. 457.4
An aliquod dominium de nouo acquirere possint absque licentia superioris, vel cum illa? ibid. 4. & 5
Cùm capacitate ad habendum dominium stare potest paupertas substantialis, & perfectio religionis. 376.8. & seq.
Imò & cum ipso actuali dominio & proprietate. 459.11. & seq.
Quem paupertatis vsum obseruent religiosi Societatis ex vi regulæ quoad esculenta munera missilia, vestitum, libros, & communicationem denique dandi, accipiendi, mutuandi, &c. 469. per totum c 7
Qui vsus circa eadem obseruandus sit ex vi voti? 470.8. ferè per totum.
Paupertatis vsus in rebus omnibus spiritualibus sine stipendio administrandis, quantus, & qualis in Societate? ibid. 8. & seq.
An accipere huiusmodi stipendium, quacunque ratione accipiatur, sit contra votum paupertatis; an aliquando sit tantum contra regulam? 574.6. & seq.
Habere aliquid sub clau, an sit tantum contra regulam, vel sit etiam semper contra votum paupertatis, quoties clauis vsus sine facultate habetur? ibid. 4. & seq.
Obseruantiæ paupertatis maximè prospiciendum est in religione; & quas ob causas? 465.5
Paupertatis non relaxandæ votum, quod professi Societatis emittunt, quo fine fuerit vltrà professionem adiunctum? 557.6
Quæ eius materia? ibid. 7. 8. & 18
Cur soli professi quatuor votorum illud emittant? ibid. 8
Ad quid obligentur professi ex vi huius voti? 558.9. & seq.
Quando possit cessare illius materia? ibid. 11
Quid fieri possit in dubio an melius sit paupertatem relaxare? ibid. 12
An obliget etiam hoc votum ad non acceptandam paupertatis relaxationem à Summo Pontifice præceptam, vel concessam? 559.13. & seq.
Vtrum possit Pontifex hoc votum, aut aliud simile substantiæ religionis annexam, irritare? ibid. 14.
Paupertatis votum quomodo seruandum religioso Episcopo, Beneficiario, Expulso, Apostatæ, aut extra Claustrum de licentia superiorum viuenti? Vide in verbis *Episcopus, Beneficiarius, Religiosus, Expulsus, Apostata, Claustrum.*

Peccatum.

Peccati grauitas, aut leuitas, quando est contra legem diuinam aut naturalem, pensanda semper est ex leuitate, aut grauitate materiæ. 4.4
Ex negligentia vitandi peccata venialia rarò datur periculum proximum peccandi mortaliter: aliquando tamen datur; & quando? 15.18

Pensio, & Pensionarius.

Pensionarius regularis non eximitur iugo & obedientiæ suæ religionis, nisi tantum quoad administrationem pensionis: & suo monasterio acquirit. 271.28 in fine.
Pensiones quâ ratione haberi, & expendi possint à monialibus? 318.2

Peregrinatio, & Peregrinus.

Peregrinationes an, & quibus maximè religiosis conueniant? 413 7
Peregrini religiosi an obligentur particularibus legibus eius prouinciæ, vel domus, in qua ad tempus commorantur? 90.21. & seq.
An etiam ipse Generalis religionis, vel prouincialis, quando accedit ad aliquam particularem domum sibi subiectam, teneatur se conformare cum particularibus illius legibus, sicut cæteri peregrini religiosi? 91.24
Peregrini religiosi, siue hospites, qui ad tempus commorantur in aliqua domo suæ religionis, dispensari non possunt à superiore locali talis domus. 117.1
Peregrini religiosi ei tantum sacerdoti possunt & debent confiteri, quem eorum regula, & prælati designauerint. 126.1. & seq.
Secluſa verò speciali directione regulæ, vel prælatorum, si peregrinentur cum sacerdote eiusdem religionis, ei solùm confiteri debent. ibid. 2
Et si peruenerint ad aliquem conuentum sui ordinis, in quo per aliquod tempus sint hospites, confiteri debent prælato monasterij, vel alteri de illius licentia, vel confessori conuentuali, qui est quasi ordinarius illius loci. ibid.
Vel certè, si maluerint, poterunt etiam confiteri socio sacerdoti suæ religionis cum quo peregrinantur. ibid. 4
Dum verò religiosus peregrinus extra suã monasteria versatur, nec habet socium sacerdotem, potest eligere confessorem secularem, vel regularem? ibid 5. & 127.8
An sacerdos ab eo eligendus in confessorem debeat habere aliàs iurisdictionem? ibid. 6
Vel saltem debeat esse approbatus ab Episcopo? ibid. 7
An facultas quæ conceditur religiosis peregrinis, vt possint eligere confessorem, sit cum onere iterum confitendi eadem peccata suo confessori ordinario; præcipuè in religionibus in quibus est aliqua regula præscribens huiusmodi peccatorum repetitionem apud confessorem ordinarium? ibid. 9
Peregrini religiosi absolui possunt, & debent à casibus reseruatis iuxta propria religionum statuta, sub

sub onere comparendi coram superiore, vbi ad illum redierint. 133.4
Quod si in aliqua religione nihil circa hoc regula, aut consuetudine determinatum sit, sed soleat peti facultas, ea necessariò petenda est à superiore: & si contingat aliquando, propter naturalem obliuionem, ea non petita discedere; habenda est pro concessa, cum onere tamen comparendi: vel etiam potest absolui directè à non reseruatis, & indirectè à reseruatis. sed illud probabilius est. ibid.5
Peregrini religiosi quando commorantur in domibus suæ religionis absolui possunt de casibus Papæ reseruatis à prælatis illarum, sicut cæteri eorum subditi. 150.2
Religiosi Societatis cum peregrinantur, an, & qua ratione prædicare, & confessiones audire possint in diœcesibus vbi approbati non sunt? 620.5. & 630.6

Perfectio.

Perfectionem aliquo modo procurare & intendere tenentur religiosi sub mortali. 13.10
Huic autē obligationi satisfacient intendendo, & procurando seruare vota, & si qua sunt alia præcepta religionis propria obligantia ad mortale. ibid. 11
Propositum non habere seruandi vniuersim ea, ad quæ in particulari religiosus nō tenetur sub mortali, peccatum mortale non est, quamuis sit periculosum. ibid. 12
Perfectio propria prius procuranda, quàm proximorum. 540. c.2. n. præsertim.9

Pœna.

Pœnarum nomine quid intelligatur in priuilegijs, in quibus conceditur facultas ad absoluendum à censuris, & pœnis? 638.41
Pœna Ecclesiastica quænam sit? 639.46
Quas pœnas siue spirituales siue temporales prælati religionis imponere possint suis subditis religiosis? vide verb. *Prælatus.*
Pœna triremium an sit conueniens religiosis? 96.4 & seq.
An religiosi obligari possint à suis prælatis ad aliquas pœnas in se ipsis actiuè exequendas? 98.10

Pœnitentia.

Pœnitentia antiquorum Monachorum à varijs Patribus commendatur. 381.2
Pœnitentias ordinarias ex obligatione nullas habet Societas. 386.3
Cur eas non habeat? 387.5. 6. 7. & 390.12
Quas vtilitates hæc moderatio pœnitentiarum secum afferat? 490.13. & 14
Nullam arguit imperfectionem in Societate ordinariarū pœnitentiarum defectus. 392.18. & 19
Pœnitentijs tamen corporalibus vti debet Societas: idque quo consilio, mensura, & obligatione? 387.4
Pœnitentiæ corporales ad sanctitatem formaliter non spectant, multum tamen ad illam conducunt. ibid. 18
Pœnitentiæ corporales, non proprio, sed superioris arbitrio faciendæ. 390.13. in fine.
Pœnitentiæ, seu pœnæ pro delictis impositæ, vide verb. *Pœna.*

Pœnitentia Sacramentum.

Pœnitentiæ Sacramentum ministrare ex priuilegio possunt omnes confessores Societatis quibuscunque Christi fidelibus vndecunque ad se venientibus, eosque ab omnibus casibus, censuris & pœnis Ecclesiasticis absoluere, exceptis tantum in Bulla cœnæ contentis. 628.1
Qua ratione singulæ huius priuilegij clausulæ intelligendæ sint? 443.8
Vtrùm per dictum priuilegium possint confessarij Societatis audire confessiones, etiam regularium ad se venientium? ibid.9. & seq.
Hoc priuilegio non tantùm in Ecclesijs Societatis, sed etiam inquolibet alio loco vti possunt prædicti religiosi. ibid.
Vtrùm hoc priuilegium dictis Sacerdotibus communicetur dependenter à superioribus eiusdem Societatis: & an restringi possit ab eisdem? 629.2
Vtrùm per illud absoluere possint à casibus Episcopo reseruatis? 631.12
Vtrùm superiore subditis prohibente, ne aliquarum personarum confessiones audiant, non solùm licitus vsus, sed etiam iurisdictio ad absoluendum censeatur ablata? 630.7
Pœnitentiæ Sacramentum vbique ministrare possunt sacerdotes Societatis cùm peregrinantur, si semel ab aliquo Ordinario sint approbati, & proprius loci Episcopus absit. 443.9
Cætera vide in verbo *Absolutio*, & *Confessio*, & *Confessor.*

Potestas.

Potestas iurisdictionis, & potestas dominatiua, inter se diuersæ sunt, & vnde vtraque in prælatis religionis oriatur? 51.7. & seq. & 486.2
Vnam posse esse sine alia, itemque vnam ab alia iuuari: & quomodo? 487.5
Cætera vide verb. *Iurisdictio & Prælatus.*

Præceptum.

Præcepta humana vt obligent in conscientia, quas conditiones habere debent? 87.11. vsq; ad 17
Præcepta à superioribus absolutè imposita quantum obligent; grauiter ne, an leuiter? 90.25
Quando censeantur grauiter obligare? ibid.26
Præceptum quando imponitur sub pœna excommunicationis ferendæ, apud religiosos est signum grauiter obligare. ibid.26
Quibus ex causis religiosi excusentur ab obseruatione præceptorum suorum superiorum? 91.27
An præceptum superioris regularis obligare possit etiam cum periculo vitæ? ibid.28. & 29
Et quando censendus sit superior obligare velle non obstante graui periculo? 29 31
An & quomodo superiores præceptis & ordinationibus à se latis obligentur? 89.20
An omnis voluntas superioris sit præceptum? 512. 10. & seq.
Cætera pro præceptis prælatorum regularium, & potestate ad ea imponenda, Vide in verb. *Prælatus.*

Prædicatio, & Prædicator.

Prædicandi munus est proprium Episcoporum: aliorum verò non nisi de eorum, vel Pontificis licentia. 619.1 & 2
Prædicandi vbique locorum priuilegium religiosis à superiore ad id munus deputatis concessum. 620.3
An, & quod beneplacitum Episcoporum, & parochorum requiratur ad vsum talis priuilegij? ibid. & seq.
An dictum priuilegium solis religiosis professis Socie-

Societatis, an etiam cæteris, etiam nouitijs concedatur? 621.10.& seq.
Qui superior potestate ordinaria dictos religiosos ad prædicandum deputare, & approbare possit? 623.21
An debeat præcedere examen de vita & moribus vt validè & licitè eos deputet? 624.22
Prædicandi munus potest committi clericis adhuc in sacris non ordinatis. 621.12
Vtrùm etiam laicis? ibid. 13.& 14
Prædicare publicè quid sit; & in quo distinguatur à ministerio docendi catechismum, & doctrinam Christianam? 626.32. & seq.
Prædicare an, & qua ratione sit actus iurisdictionis? 622.14. & seq.
Prædicandi actio mulieribus iure humano, non diuino est interdicta. ibid. 13
Prædicandi vsum in plateis, & alijs locis profanis, indecentem non esse, sed potius & conuenientem, & antiquissimum. 625.25.& seq.
Prædicandi actio vt rectè & honestè fiat, quas conditiones,& circumstantias habere debet. 628 38
Prædicare non licet in alijs Ecclesijs eo tempore quo Episcopus in aliqua prædicat, vel coram se prædicare facit. 626.29
An hæc prohibitio comprehendat etiam religiosos Societatis habentes priuilegium omni tempore,& loco prædicandi? ibid.
Prædicandi verbum Dei obligatio quænam sit in Societate? 628.37
Prædicator vt idoneus sit, non tantum scientia, sed etiam virtute eminere debet. 628.19. & 20
Prædicator doctrinam captui auditorum accommodare debet. 627.35
Prædicator qua prudentia, & moderatione vitia debet reprehendere? ibid.36
Prædicator prius sibi, deinde alijs debet consulere. 376.6
Prædicatori studendum est non popularem auram captare, sed populum verbo & exemplo ædificare. 627 34
Prædicatori qua ratione se occultare liceat ad prædicandam fidem? 669.13

Prædicatorum ordo.

Prædicatorum ordinis fundator S. Dominicus. 436 2
Hic ordo prius cæteris solenni ritu fuit approbatus à Sede Apostolica. ibid.3
Est perfectissimi instituti. ibid. 4.& seq.
Enumeratione iuris Canonici est primus mendicantium. 435.1
Trium votorum substantialium in hac religione perfectio, & ad ea custodienda obseruantiæ. 437.8
Variatio in paupertate, quam hæc religio subijt, redditus in communi, quos prius reliquerat, admittendo, rationem mendicantis ab ea non sustulit. ibid.10
Augustini regulam profitetur, additis proprijs constitutionibus. ibid.12
Illæ autem per se nõ obligant ad culpam. 438.15
Imò nec ad pœnam, nisi nunc ex vsu aliud sit introductum. 9.9
Viri insignes huius religionis. 336.14
Duo religiosæ vitæ ordines sub illius regula à D. Dominico institutæ. ibid.13
Persecutionibus sæpe infestati Dominicani caput semper altius extulerunt. ibid.14
In perfectione cum alijs religionibus comparatio. ibid.15.

Prælatio, & Prælatus.

Prælati in religione quot,& quinam sint? 54.1.& 2
Quæ eorum potestas ad necessariam gubernationem necessaria? 49.1
Vide etiam verb. *Potestas.*
Prælatus supremus, seu generalis religionis quis sit: & an in eadem religione plures generales esse possint. 54.3.& 4
Prælati medij, seu Prouinciales religionis, quinam sint: & an præter generalem, prouincialem, & superiores locales, dentur alij intermedij habentes etiam iurisdictionem: 403 5.& 6
Prælati omnes religionis, etiam locales habeut iurisdictionem tàm in foro pœnitentiæ, quàm in exteriori. 55.7
Vtrum eam habeant ordinariam, vel delegatam? ibid.
Prælati religionis habent iurisdictionem ordinariam quasi Episcopalem. ibid. 9
Quænam & quanta sit huiusmodi iurisdictio, quasi Episcopalis? 57.13.& 14
Prælati omnes religionis, tam mediati, quàm immediati, iurisdictionem immediatam habent in omnes religiosos sibi subiectos: Et quænam sit huiusmodi iurisdictionis immediatio. 58. 15. & 16
Prælati maiores quantum excedant inferiores prælatos sibi subordinatos, quoad extensionem iurisdictionis? ibid.17.& seq.
Quæ & quanta sit dependentia in iurisdictione prælatorum inferiorum à superioribus. Et è contra quanta independentia superiorum ab inferioribus prælatis? ibid. 19
Prælatus superior varijs modis potest restringere iurisdictionem tam ordinariam quàm delegatam inferioris prælati. 59.22
Huiusmodi verò restrictio ordinariæ iurisdictionis requirit iustam causam, vt licitè fiat. ibidem 23
Non tamen vt valide. ibid. 24
Quòd si aliunde contineat intolerabilem errorem contra bonos mores, nulla erit. ibid.
Restrictio sine iusta causa facta quibus virtutibus aduersetur? ibid.23
Restrictio iurisdictionis delegatæ sine vlla causa licitè fieri potest à superiore. ibid.24
Pro restrictione potestatis per priuilegium à Summo Pontifice concessæ. Videverb. *Priuilegium.*
Prælatus superior an possit inferiorem Prælatum officio priuare: & qua ratione id licitè, aut validè fieri possit? 60. 25.& 26
Prælati inferiores Generali possunt per electionem creari; non tamen id est ita necessarium in eis sicut in Generali. 76.1
Prælatorum, qui per electionem non creantur, prouisio quas conditiones requirat in persona perficienda: à quo,& qua forma facienda? 81.22
Prælatorum regularium electio quas solemnitates, & conditiones tam in persona eligenda, quàm in electoribus requirat? Vide in verbo *Electio.*
Prælatus diuersæ prouinciæ debet se conformare in habitu, saltem exteriori, cum ijs quibus præest. 77.6
Nulla prælatio in Ecclesia Dei est perpetua iure diuino, ita vt nõ possit quis inuitus ea priuari, præter solum Summum Pontificatum. 81.2

Prælati religionum an iure communi sint, vel possint esse perpetui. ibid.2.&3
Quid sentiendum secundum specialia iura? 82.4
An conuenienter introductum fuerit ne superiores locales essent perpetui? ibid.5.&6
Quando expediat creari potius Prælatos ad tempus, quam perpetuos? 84.7
Quando potius perpetuos, vel admodum diuturnos? ibid.8
Præstet ne prælationem temporalem esse pro tempore definito, an indefinito? ibid.9
Prælatus regularis potest obligare subditũ in conscientia per legem vel præceptum suum, idque non tantùm titulo voti obedientiæ, sed etiam iurisdictionis Ecclesiasticæ. 85.2.&3
Prælati omnes regulares possunt obligare per præceptum, non tamen omnes id possunt per leges aut statuta condendo illa. ibid.4
Qua consultatione & consilio imponendum sit præceptum, & an peccet Prælatus consultationem omittendo. ibid.6
An deficiente consultatione, vbi ea ex statutis religionis prærequiritur, præceptum impositum sit nullum? 86.7
Cætera pro obligatione per præceptum, vide verb. *Præceptum.*
Qui Prælati religionis possint leges & statuta condere, & per ea obligare? 85.4.&5
Qua consultatione & consilio Prælatus possit, aut debeat statuta condere? 86.8
Prælati religionis in qua materia possint obligare subditos per potestatem iurisdictionis, & quantum huiusmodi illorum potestas extendatur? 87.11
An illis potuerit conferri maior potestas Ecclesiastica in suos subditos, quàm Episcopi habeant in suos? ibid.12
Prælati religionis an, & quomodo obligentur suis legibus, & præceptis? 89.20
Prælati religionis potestatem coërciuam habent in suos subditos. 92.1
Quanta sit huiusmodi potestas in superioribus, ex vi voti obedientiæ subditorum? ibid.2
Quanta etiam sit & quotuplex ratione iurisdictionis Ecclesiasticæ? ibid.3
An extendatur ad coërcendos subditos per censuras? ibid.4
Per eam non potest imponi interdictum locale. ibid.5
An imponi possint censuræ, quæ communitatibus imponuntur, vt interdictum personale, aut suspensio capituli? ibid.
An, & quanta potestas censurandi superioribus localibus concessa sit? 93.6
An alias pœnas spirituales, præter censuras, prælati religionis imponere possint suis subditis? ibid.7.8.&9
Prælatus religionis an, & quando debeat punire, & iudicare subditos secundum ius commune? ibid.8
Prælatus religionis quas pœnas temporales imponere possit suis subditis? 96. per totum cap.10
Non potest eos relaxare brachiõ seculari. ibid.1.&2.
Nec punire pœna mutilationis, aut publicæ flagellationis per plateas. ibid.3
Potest tamen pœna triremium? ibid.
An talis pœna triremium sit conueniens? ibid.4 & seq.
Potest etiam pœna exilij, intra ipsam religionem, relegando subditum ad aliqaam domum suæ religionis. 97.8
Non verò extra religionem, ejiciendo illum à religione, & simul relegando. ibid.9
Quas deniq; alias corporales pœnas subditis suis imponere; & ad eas in se ipsis actiuè exequendas obligare possit? 98.10
Denegare non debet suis subditis recursum ad prælatos superiores, si ad eos recurrere velint, vt pœnæ sibi impositæ ab eis vel tollantur, vel leniantur.
Prælatorum religionis potestas ad soluendum in foro pœnitentiæ. Vide verb. *Absolutio, Bullæ cœnæ, Casus reseruati, Censura, & Excommunicatio.* 99.6
Prælatorum religionis potestas ad dispensandum in votis, irregularitatibus, præceptis iuris communis, & regulis, vide verb. *Dispensatio, & Irregularitas.*
Potestas inferiori prælato concessa eo ipso concedi censetur superiori, nisi aliud exprimatur. 117.15 & 143.2
Prælatorum nomine quinam veniant in priuilegijs? 143.1.4.5.6
Prælati supremi religionis, à quo possint absolui de casibus Summo Pontifici reseruatis? 149.7.8
An, & qui Prælati regulares possint ordines aliquos conferre?
Vide etiam verb. *Ordo.*
Prælati religionum tenentur, per se loquendo, quærere, & reducere ad religionem Apostatas, & fugitiuos. Et quomodo huic obligationi satisfaciant? 189.17
An, & quando excusetur prælatus ab huiusmodi obligatione? ibid.18
An teneatur reuocare fugitiuum, quem postea eiecturus est? ibid.19
Qui Prælati religionis expellere possint religiosum incorrigibilem? 201.17
Prælati sub mortali tenentur concedere licentiam petenti eam ad transeundum ad strictiorem religionem. 227.17.&243.34
Hoc tamen non habet locum in Prælatis Societatis Iesu. ibid.35
Qui Prælati concedere possint licentiam religiosis, vt transeant ad religionem laxiorem? 102.16
Vide verbo *Religiosus transiens ad aliam religionem.*
Prælati regulares quomodo gaudeant, & vti valeant priuilegijs sibi vel religioni concessis? Vide verb. *Priuilegium.*
Prælati Societatis Iesu quam potestatem habeant in subditos: 486.2.&3
Quàm sit ampla hæc potestas tam voluntaria, quàm inuoluntaria? 689.10
Quot titulis diuersis subditos obligare possint? 587.4
Quanta & qualis potestas specialiter resideat in Præposito Generali Societatis. Vide verb. *Generalis.*
Quanta in alijs prælatis inferioribus? 588. cap.5
Hæc potestas prælatorum inferiorum est dependens, & communicata à Generali. ibid.1
Est autem ordinaria in prouincialibus, & rectoribus. ibid.5.&seq.
Sub ea comprehenduntur non tantum professi, sed

sed etiam cæteri religiosi non professi Societatis. ibid. 7. & 8
Prælati Societatis iurisdictionem vsumq; illius habent independentem à suffragijs consultorum vel assistentium. 676.6
An sit conueniens tantam potestatem penes illos esse? ibid. 7. & seq.
Prælati Societatis possunt concedere facultatem suis religiosis, qui habent tantum vota simplicia, vt transeant ad aliam religionem, etiam laxiorem; non tamen eos ad id possunt cogere. 243.36
Prælati Societatis possunt dare licentiam professis suæ religionis, vt transeant, etiam ad religiones laxiores, non tamen per modum dispensationis, sed propter tales culpas, vt expediat eos à Societate ejicere. ibid. 40
Non possunt tamen eos absolutè cogere ad talem transitum. 244.42
Prælati Societatis omnes sunt æquales in potestate dispensandi in votis suorum subditorum. 111. 37
Prælati Societatis, infra Generalem, quanto tempore in officio durare possint. 684.19. & seq.
Pro electione, & alijs facultatibus, ac potestate Prælatorum Societatis. Vide verb. *Electio*, & *Generalis*.

Præmonstratensis Ordo.

Præmonstratensis ordinis origo, regula, &c. 332.6

Priuilegium.

Priuilegium cur aliquando concedatur in materia aliàs licita, vel iure communi concessa; & quid circa illam operetur? 107.19. & 109.26
Priuilegia religionum mendicantium, quàm ampla, & ad quas dispensationes, & absolutiones extendantur? 105.9
Priuilegium & potestas inferiori prælato religionis concessa, eo ipso concedi censetur eius superiori, nisi aliud exprimatur. 117.16. & 143.2
Priuilegia ad absoluendum à casibus & censuris reseruatis concessa, valent etiam si reseruatio post concessionem fiat. 54.3
Priuilegia religionibus concessa vt possint suos subditos absoluere à peccatis & censuris omnibus reseruatis non reuocantur per bullam Cœnæ. ibid. 5
Priuilegium ad absoluendum de reseruatis, an prosit etiam illis, qui spe, & fiducia talium priuilegiorum reseruata committunt? 141.10. & 11
Priuilegijs quæ prælatis religionum ad subditos absoluendos conceduntur, an vti possint vicarij, qui absentibus proprijs prælatis, loco eorum manent: 144.6. & seq.
Priuilegia, & facultates, quas prælati regulares habent ad absoluendos subditos, eas alijs delegare possunt. ibid. 8
Priuilegia Societatis conceduntur Generali, & mediante illo prælatis inferioribus: & vtrùm hi etiam alijs committere possint vices suas? 145.13
An Prælati superiores restringere possint inferioribus prælatis priuilegia, quæ absolutè prælatis religionis fuere concessa? ibid. 14. & seq.
An Congregatio generalis Societatis possit limitare Præposito generali facultates ipsi generali immediatè à Summo Pontifice concessas? 737. 11. & seq.
Priuilegium Societati concessum ad prædicandum vbique, & ad audiendas omnium fidelium confessiones, eosque ab omnibus casibus & censuris, exceptis bullæ Cœnæ, absoluendos. Vide verb. *Prædicatio*, & *Pœnitentia Sacramentum*.
Priuilegia aliquarum religionum, quibus conceditur, ne eorum religiosi ad alias religiones etiam strictiores transire possint, quomodo intelligenda? 236.1. & seq.
Vide etiam in verb. *Gratia*.

Probatio admittendorum in religionem.

Probatio admittendorum in religionem interrogando, & examinando eos, quomodo fieri debeat: & quàm expediens sit? 404.2. vsq; ad 6
Probandorum obligatio quanta sit ad veritatem interroganti aperiendam: Et an decipientes grauiter examinatorem, inualidè in religionem admittantur? 405.5
Probatio prima in Societate, quænam sit; quàm conueniens, & conformis iuri, & antiquæ religiosorum consuetudini? 406.7
Tempore primæ probationis quid præstare debeat nouitius Societatis? ibid. 8. & seq.
Tertius Probationis annus ante professionem quo præsertim fine exigatur in Societate? 541.5
Non esse talem probationem omnino necessariam ad valorem professionis. ibid. 3
Quid circa huius probationis annum agentes obseruandum sit? ibid. 4
Processus Iudicialis, vide verb. *Inquisitio*.

Professi, & Professus.

Professionis nomine quid veniat in iure? 434.3. & seq.
Professio solennis quotuplex fiat in Societate; & quid vnaquæq; specialiter importet? 543.3
An conuenienter differatur per longum & indeterminatum tempus? 535. per totum cap. 1
Ad professionem quatuor votorum solennium in Societate quæ antiquitas religionis iure ordinario requiratur? 536.7
Quæ etiam ad professionem solennem trium votorum? ibid. 9. & 537 10. & 583 7
Emitti potest professio quatuor votorum ex dispensatione statim post biennium, imò etiã post solum primum annum nouitiatus. 537.11
Quæ aliæ conditiones iure ordinario, & seclusa dispensatione requirantur in persona ad professionem quatuor votorum admittenda? 536.4 & seq.
An & quam professionem emittere debeant in Societate, qui habent Maioratus? ibid. 4
Professionis quatuor votorum solennium, quæ sit in Societate, forma substantialis quæ, & quomodo intelligenda? 554.1. & seq.
In cuius manibus facienda sit talis professio? Et quis habeat potestatem acceptandi, & admittendi ad illam, iure ordinario? ibid. 4
Quis iure delegato? ibid.
Professionem quatuor votorum in Societ. quæ solennitates accidentales comitentur & consequantur? 555.7
Professi Societatis post solennem professionem alia quædam vota simplicia emittunt, & an conuenienter? 556.1. & seq.
Non potest à generali dispensari cum illis ne ea emittant. 110.34
Talia item vota neque dispensari, neque irritari possunt, tam quoad substantiam, quàm quoad vsum, per superiores Societatis. ibid. 30 & seq.

Professi Societatis inter alia vota simplicia, quæ post solennem suam professionem emittunt, vnum est, si eligantur in Episcopos, audituros se esse consilia Præpositi generalis Societatis; eaq; sequuturos si meliora iudicauerint. Et quo pacto hoc votum intelligatur? 569.1.& seq.
Quæ vtilitates ex hoc voto sequantur? ibid 4
In qua materia obliget? 571.8
Si professus promoueatur ad pontificatum, an teneatur hoc voto? 573.16
Quid si ad Cardinalatum? ibid.
Professi Societatis peculiari etiam voto astringuntur ad non procurandam dignitatem intra, vel extra Societatem: Quomodo, & quantum hoc votum obliget: & cætera ad illud pertinentia. Videverb. *Dignitas*.
Professi Societatis emittunt inter alia votum manifestandi Societati, vel eius Generali subditos illius procurantes dignitatem aliquam. 574.1
Hoc votum intelligitur tam de procurantibus dignitatem intra Societatem, quàm extra illam. ibid. 2
Esse hoc votum vtile, & honestum. ibid. & seq.
Non obligantur professi ex vi huius voti denunciare nisi tantùm alios Societatis professos dignitatem procurantes. 575.7
Non obligantur etiam ad faciendam denunciationem iudicialem, aut paternam determinatè, sed tantùm alteram ex illis, quam licitè potuerint, vel maluerint. ibid. 9
Quæ notitia delicti requiratur, vt professus ex vi huius voti teneatur ad dictam denunciationem faciendam? ibid.10.& seq.
An teneatur ex vi dicti voti denunciare crimen præteritum etiam iam omnino emendatum? ibid.14
Quando censeatur crimen emendatum? 577. 17
An hoc votum obliget quando delictum occultum est? ibid.18.& seq.
Quando denunciatio facienda est an debeat professus præmittere secretam monitionem. ibidem 31
An monitione præmissa adhuc facienda sit denunciatio? 580.31
Non tenentur professi Societatis, imo nec possunt denunciare ambitionem eorum, qui eam sub secreto, & gratia tantum consilij salutaris postulandi illis manifestarunt. 580.30
Professi trium tantum votorum conuenienter in Societate admittuntur; Et cur quartum votum solenne obedientiæ ad Summum Pontificem non emittant? 582 3.& 4
Cur vota horum professorum sint solennia, & non simplicia sicut aliorum Coadiutorum spiritualium? 583.5
Gradus horum professorum non est per se intentus in Societate, sed propter aliquas speciales causas admissus. ibid.6
Quod de se specimen præbere debeant qui ad hanc professionem trium votorum promouendi sunt? ibid.7
Professi trium votorum in Societate ad quæ ministeria admittantur, & à quibus excludantur? 584 8.& seq.
Professi trium votorum Societatis, debent esse sacerdotes; & veniunt etiam aliquando nomine Coadiutorum spiritualium. 587.13
Dicti professi trium votorum emittere etiam debent quinq; simplicia vota, quæ professi quatuor votorum emittunt. ibid.14
Professis Societatis tempus orandi non limitatur; & qua ratione id eis concedatur? 592.3
Professorum Societatis paupertas, vide in verb. *Domus professa*.
Professi Societatis quibus in casibus habitare possunt in Collegijs, aut redditibus eorum iuuari, vel sustentari? 483.13
Professi Societatis an ex vi solennis professionis teneantur ad horas Canonicas dicendas? 596 8
Professi Societatis an per aliquot saltem dies speciali ter ex vi voti obligentur ad doctrinam Christianam pueros edocendam? 545.11.& 12
Professi Societatis iustè ab ea expelli possunt. 733.1
Quas ob causas? ibid.2.& seq.
Quam potestatem circa hoc habeat Societas, vel eius Generalis. Vide verb. *Congregatio, & Generalis*.
Professum dimittere vt in sæculo viuat, absque culpa sufficiente ad eiectionem, nullo modo potest Societas: sed si necessaria sit dispensatio, à Summo Pontifice postulanda est. 736.8
Professus Societatis expulsus, vel transiens ad aliam religionem, quas obligationes, cum aliàs, tum votorum deferat, aut deferre possit? 738.2
Professus Societatis expulsus cum onere ingrediendi aliam religionem, an teneatur ad Societatem redire, vel eius prælatis se presentare, si in alia religione non perseuerauerit? ibid.4
Professus Societatis ad alium statum translatus, vt ad Episcopatum, Cardinalatum, &c. quas votorum obligationes retineat? 739.7
Vide supra, & verb. *Dignitas, & Episcopus*.
Professus Societatis Apostata quas retineat obligationes? ibid.9
Professus Socieatis cui conceditur licentia transeundi ad aliam religionem non tenetur eam accèptare. 744.42
An verò, & qua ratione professus Societatis transire, aut transmitti possit ad aliam religionem, vide verb. *Religiosus ad aliam religionem transiens*.

Promissio.

Promissio ingrediendi Societatem, quam scholastici approbati, simul cum tribus substantialibus votis faciunt, verum est votum. 506.2
Idque illi statui maximè conueniens. ibid.4, & seq.
Obligat hæc promissio ad acceptandum quemcunque gradum in Societate, quem Præpositus generalis designauerit, non tamen ad eum procurandum. 507.5
Si scholasticus approbatus admittatur à generali ad gradum Coadiutorum temporalium, an teneatur acceptare ex vi dictæ promissionis? 508.7
An qui iam in vno gradu est constitutus obligari possit ex eadem promissione vt transeat ad alium? 509.11
Vt aliquis obligetur ad acceptandum gradum in Societate, non opus est vt hoc illi præcipiatur in virtute obedientiæ, sed tandum vt id ab eo absolutè, & efficaciter ratione dictæ promissionis exigatur. ibid.13.& seq.
Quando quis hanc promissionem implere teneatur? 510 15.& seq.

Proximus.

Proximorum salutem procurare qua ratione sit proprium Episcoporum? 361.4.& 8
Quàm excellens munus sit huiusmodi procuratio? ibid.
Proximorum salus an, & qua ratione possit esse finis alicuius religionis. 362.5.& 8
Proximos instruere & regere ars est artium. 404.2
Proximorum salutem quibus medijs Societas procuret? 367.10. & seq. & 275. per totum lib. 9
Societatis in proximos beneficentia, & charitas. 277.9
Proximis in ratione viuendi se debet ad exemplum Christi accommodare, qui eos velit Christo lucrifacere. 310.7
Cùm proximis familiariter agere, neque à statu perfectionis, neque à Societatis instituto alienum est, sed potius maximè conueniens. 667.2 & seq.
Pro cura proximorum, quam Societas habet, vide etiam verb. *Puerorum institutio.*

Prudentia.

Prudentia quàm necessaria sit prælatis, & gubernatoribus? 570.5.& 6

Puerorum institutio.

Puerorum in primis literarum rudimentis institutio, quàm vtilis & conueniens reipublicæ? 527.2
Pueris magis expedit in literis institui à Magistris religiosis: ibid 3.& seq.
Vtrum etiam ipsis religiosis expediat hoc munus suspicere? 528.6. & seq.
Pueros instituere ars est, qua nulla sublimior. 527.4
Puerorum cura & in literis institutio à multis ex sanctis antiquis suscepta. 528.7.& 8
Puerorum in literis institutionem conuenienter à Societate susceptam esse. 527. cap.5. num. præsertim 13.& 14
Quibus medijs eos in moribus ac literis formet? 531. per totum cap 6
Qui libri pueris prælegendi? ibid.6.& seq.
Puerorum in Christiana doctrina institutio ad quas personas specialiter pertineat? 544 6
Quàm vtilis sit hæc institutio? 545 8.& 9
Merito à Societate specialiter suscepta esse. 544 7. & seq.
An ad eam per aliquot saltem dies professi Societatis ex vi voti obedientiæ specialiter obligentur? 545. 11.& 12
Quàm commendatam suis religiosis Societas velit? 546.13
Patres, pattini, & parochi doctrinam Christianam docere tenentur filios suos paruulos, siue naturales. siue spirituales. 544.6

R.

Recreatio.

VTrùm recreatio quæ religiosis Societatis conceditur ad loquendum quotidie per vnam horam post prandium, & aliam post cœnam, vtilis sit & conueniens? 612.11. vsq; ad 20
Qua verborum circumspectione transigenda? 614.20
Recreatio aliqua moderata conuenit religiosis, præsertim ijs qui mentalibus exercitijs occupantur. 612.13.& seq.

Recursus.

Recursus ad prælatos superiores vsque ad Summum Pontificem, vt ab eis tollantur, aut leniantur pœnæ, vel præcepta ab inferioribus prælatis imposita religiosis nunquam denegandus. 99.6
Non licet tamen similis recursus ad prælatos alios externos. Neque eorum intercessiones permittendæ sunt in religione, quamuis eas procurare ex natura rei non sit illicitum, 100.8

Redditus annui.

Redditus annui an aliqua ratione haberi possint à domibus professis Societatis? 476.1.6.& seq. Vide verb. *Domus professa.*
Reddituum nomine quid veniat? 479.10

Regimen.

Regimen Monarchicum quo Societas vtitur non admittendo ordinariè suffragia decisiua, sed tantum consultiua optimum esse. 439.5.& 677.10 & seq.
Regimen Societatis est Monarchicum habens aliquid admistum Aristocratici. 674.1
Ad quot subordinatos & ordinarios superiores reducatur; & quinam illi sint? ibid. 2
Quod modis Aristocraticum participet? ibid.3

Regula.

Regulæ acceptio & significatio multiplex. 1.1
Regulæ approbatæ quatuor tantum numerabantur: Quænam illæ sint; Et quæ religiones sub singulis illarum hodie militent? 2.2
Regula & constitutio quomodo differant? ibid.5
Regulam totam, aut constitutiones simul sumptas nulla religio propria auctoritate mutare potest. ibid.
Regula habet rationem veræ legis ex iurisdictione ab Ecclesia ipsi religioni, vel prælatis religiosis regulam condentibus concessa & non ex mutua religiosorum conuentione. 3.1
Regula religiosa plus obligat, quàm consilium. 4.2
Quantum est de se obligare potest ad mortale, si materia sit grauis, & voluntas instituentium concurrat. ibid.3
Potest item obligare solum ad veniale, licèt materia sit grauis, si instituens id solum intendit. ibid. 4
Quin etiam potest obligare ad solam pœnam, & non ad culpam; quimodus semper inuoluit aliquam obligationem in conscientia. 5.6
Quænam sit hæc obligatio? 6.13
Regula religiosa quatuor modis obligare potest. 5.8
Regula religiosa quando intelligatur obligare sub mortali, aut veniali; vel etiam ad solam pœnam. 5.8.& seq. & 7. per totum c.3
Regula religiosa nunquam censenda est obligare ad mortale, nisi contineat materiam voti, aut aliquo speciali signo talis obligatio à per se significetur. 8.6
Regula in qua expressa aliqua obligatio non declaratur, obligat sub veniali, nisi ex consuetudine aliud constet. ibid.8
Regulis aliquando miscentur consilia; & qua ratione discernenda sint? ibid.
Quid ea consilia regulis admista operentur? 9 10
Regulæ transgressio per se loquendo sine vlla culpa esse potest, licèt per accidens frequenter incurratur. ibid. 12
Regulam frangere cum animo illam conculcandi; aut profanandi; ex ira, aut odio contra suam tell-

religionem, vel personas eius, est peccatum mortale. 15.22
Regulæ subijci nolle, quia eam sibi in particulari minus vtilem iudicat religiosus, quamuis sit periculosum, ex suo tamen genere peccatum mortale non est. 16.23
Habere propositum non seruandi regulam quæ ad mortale non obliget, quando, & quodnam peccatum sit? 13.12.vsq; ad 16
Regula obligans sub mortali supponit votum obedientiæ; an & inducat diuersam obligationem ab obligatione voti? 109.28
Regula approbata à pontifice, statuens aliquid contra ius commune, derogat illud: secus si non sit approbata. 72.10. in fine.
Regulæ religiosæ maior, vel minor austeritas vnde metienda sit? 386.2
Regula S. Francisci obligat sub mortali quando apponitur verbum *Præcipio*. Quod tamen in tribus tantum casibus ponitur. 8.7
Cur solum dicta regula ita obliget? ibid.
Regula Societatis est propria illius & à nulla antiquiori traxit originem. 3.6
Nec ad mortale, nec ad veniale obligat, sed tantum ad pœnam à superiore imponendam. 7.14 & 10.10
Ipsa nullam pœnam taxat, & quare? 6.14
Est tamen regula Societatis simpliciter stricta, & rigorosa. 392.17
Ad distinguatur à Constitutionibus eiusdem religionis? 727.2
Quindecim capitibus præcipuis tota regula, & institutum Societatis continetur, & quænam illa sint? ibid3
Regulæ Societatis, quæ *Communes* appellantur, in quo differant à summario constitutionũ? 730.11
Earum materia, & dispositio. ibid. 12
Regulas particularium officiorum proprias Societas conuenienter instituit; Et quænam sint officia quorum propriæ dantur regulæ? ibid.13
Regulæ Præpositi generalis Societatis sunt ipsæ Constitutiones, & totum institutum Societatis. ibid.
Dispensare in regula, vide verb. *Dispensatio.*

Religio.

Religio est status ad perfectionem tendens, & ab Ecclesia appropatus. 356.2
Religionis substantia in quo consistat? 276.3
Non requirit summam perfectionem votorum, aut aliorum mediorum, sed tantum suo fini proportionatam. 287.14
Specialiter quoad votum castitatis quæ perfectio ad substantiam religionis sufficiat? ibid. 16 & seq.
Quæ censeantur esse de substantia, præter tria vota substantialia? 103 4
Religionum finis, vide in verb. *Finis.*
Religionum distinctio vnde desumenda? 276.3. ad 6
Vnde item desumenda vnitas? ibid.8.& seq.
Vide etiam in verb. *Finis.*
Religio diuersa non est, vbi non est diuersa professio. 77.4
Religionum varietas ab hæreticis impugnatur. 275.1
Contra eos defenditur. 277.13
Huius varietatis conuenientia, auctoritate Ecclesiæ munitur; vnde tanquam de fide habenda est. 275.2
Ratio dictæ varietatis quæ? 276.11
Religio tripliciter diuidi potest in actiuam, Contemplatiuam, ac Mistam. 293 6. & seq.
Explicatur hæc diuisio. 377.1
Quomodo religio mista efficiat membrum distinctum? 293 13
Religio mista per se intendit actionem & contemplationem tanquam finem: cum quo stat vt possit vnam ad alterum ordinare. 295.18
Talis tamen religio magis dicitur actiua, quàm contemplatiua. ibid.9
Religio contemplatiua perfectior est religione puræ actiua. ibid.1
An etiam Religione mista? ibid.2.& seq.
Religio mista est perfectior & commodatior contemplatiua. 296.8.30
Non tamen securior. 301.29
Quomodo pars actiua non minuat perfectionem contemplatiuæ? 299 19. & seq.
Religionũ maior vel minor perfectio vnde discerni debeat? 30232.& 180.8.& seq.
Religio integra, & perfecta constitui potest per vota tantum simplicia. 543.1
Imò potest esse perfectior alia religione quæ per solennia vota constituatur. 430.18
Religionis status per vota simplicia an dici debeat de iure humano, & status per vota solennia de iure diuino, ita vt in hoc maximè differant hi status? 423.4.& 5
Religio, siue Religiosa communitas, an, & quo sui superiore indigeat, vt gubernetur, & conseruetur? 49.1
An indigeat superiore habente potestatem iurisdictionis, an solum potestatem dominatiuam? ibid. à 2. ad 6
Religiones quando inceperint esse exemptæ ab Episcopis. 42.11.16
Religio eo ipso quod est exempta à solo Papa habet iurisdictionem, & non ab Episcopis. 105.11
Religio non potest cedere in perpetuum iure quod habet ad reuocandum religiosos expulsos, quando expedierit. 205.8
An religio teneatur recipere iterum à se expulsos? 20413. & 14
Religionem ingredi volentes vero animo profitendi in ea, absolui possunt à superioribus illius ab omnibus casibus & censuris, etiam Pontificijs; ac si iam essent veri religiosi: reincidunt tamen in easdem pœnas, si mox ingredi noluerint. 150 5.& 5
Religio habens potestatem condendi sibi statuta potest condere statuum contrarium iuri canonico vel etiam naturali; concedenti, vt vocant; seu (quod idem est) contrarium illi negatiuè: non tamen prohibenti, seu illi contrarium positiuè. 403.5.
Religio per specialia sua statuta potest instituere impedimenta substantialia ad professionem, seu ad valorem illius, licèt iure communi necessariæ non sint. ibid.n. præsertim 6
Religionis bonum non multitudine, & quantitate personarum, sed in qualitate situm est. 434.12
Qui delectus & diligentia adhibenda in admittendis personis ad religionem? ibid.
Sub qua obligatione? ibid.3
Religioso capax hæreditatis ad quã religiosus transiit succedit in bonis paternis talis religiosi, si parentes eius decedant post transitum ad illam, secus si ante illum. 258.17

Qui

Qui aliquem auertit à religione, an teneatur ad aliquam restitutionem? 192.4. & seq. & præcipuè à num. 21
Vide etiam verb. *Apostata.*
Religionem ingredi volens, si prælatos eius grauiter decipiat, occultando proprios defectus, quorum interrogatur, grauiter peccat. Et an validè cum tali deceptione recipiatur? 405.5
Religionem fictè ingrediens, vide verb. *Nouitius.*
Religionem aliquam in particulari alijs ingrediendam suadere, an, & qua ratione expediat? 664 4. & 5
Religionis Prælati, Vide verb. *Prælatus.*
Religio Societatis Iesu, vide verbo *Societatis Iesu religio.*
Cætera vide in verbis sequentibus. *Relig.*

Religiosus.

Religiosi tenentur sub mortali habere propositum progrediendi in via perfectionis. 13.10
Huic autem obligationi satisfaciant habendo propositum seruandi vota, & si qua sunt alia præcepta sub mortali in religione. ibid. 11
Ad habendum verò propositum seruandi cætera non tenentur sub mortali. ibid. 12
Quòd si regulæ tantùm obligent ad pœnam, & religiosus habeat propositum eas non seruandi, sed tantùm sustinendi pœnam, nec veniaiter peccabit ex obiecto. 14.14
At si propositum habeant nec pœnam omnino sustinendi, peccabit mortaliter. ibid 13
Si verò regula ad veniale tantùm obligat, propositum violandi illam, secluso contemptu & periculo peccandi mortaliter, veniale solum est. ibid. 16
Religio non magis obligantur præceptis, quàm non religiosi. 47.1
Regulariter tamen loquendo grauius peccant, quando cum perfecta deliberatione peccant, leuius autem cum ex subreptione. ibid. 6
Quanta sit ea maior grauitas in peccato religiosi? ibid. 7
Religiosus an teneatur ad opera religionis, saltem ad obediendum prælato, non solùm ex vi regulæ, aut voti, sed etiam ex iustitia ratione traditionis & pacti in professione inclusi? ibid. 9
Religiosus an possit habere curam animarum, ministrando in parochiali Ecclesia: idq; an debeat esse de licentia sui prælati? 103 5
An possit habere beneficium? Vide verb. *Beneficium.*
Religiosi quousque puniri possint à suis prælatis? 96. per totum cap. 10
Vide etiam verb. *Prælatus.*
Religiosis qui casus reseruentur, aut reseruari permittantur, vide *Casus reseruati.*
Religiosi quousq; absolui possint de casibus & censuris à suis prælatis, vide in verb. *Bulla cœna, Casus reseruati, Censura, & Excommunicatio.*
Religiosi an vti possint bulla Cruciatæ ad effectum eligendi confessorem, vide *Bulla Cruciata.*
Religiosi exempti an possint in aliquo casu absolui ab Episcopis? 147. per totum c. 23
Religiosi qui iuxta suam regulam non prohibentur confiteri de casibus non reseruatis cuicunque habenti aliàs iurisdictionem in eo foro, possunt de illis confiteri, & absolui à quibuscunque religiosis habentibus generalem facultatem à Summo Pontifice ad audiendas omnium confessiones. 124.12
Secus omnino dicendum, si iuxta suam regulam prohibentur cuicunque confiteri. 125.13. & seq.
Religiosi quo pauciores, eo æstimatiores, & obseruantiores. 404.2
Religiosi literis addiscendis aptiores sunt; & quare? 514.3
Religiosi eiusdem ordinis mutua seruitute, subiectione & obsequio se prosequi debent in charitate, & humilitate. 607.4
Ad religiosum iniuria affectum non spectat vindictam apud iudicem postulare: sed spectat tantum ad religionem? 707.12
Religiosus viuens extra claustrum de licentia sui superioris, tenetur seruare suam regulam pro loci & temporis opportunitate. 85.6. & 739.10
Religiosorum clausura, & cætera ad claustrum eorum pertinentia, vide in verb. *Claustrum, & Clausura.*
Religiosi professi Societatis, vide verb. *Professus.*
Religiosus fieri potest Episcopus; nec illi per se illicitum est Episcopatum deliderare. 252.1. & 2
Religiosus transiens ad Episcopatum deferre non potest peculium, nec cætera quæ in religione acquisiuit, sed religioni ea debet relinquere. 259. 22.
Cætera pro religiosis Episcopis, vide in verb. *Episcopus.*
Religiosus peregrinus, vide verb. *Peregrinus.*
Religiosus Beneficiarius, vide in verb. *Beneficium, & Beneficiarius.*
Religiosus factus Cardinalis quas obligationes religionis retineat? 266.4
Religiosus transiens ad sæculum ex legitima dispensatione in votis, non potest secum deferre, quæ religioni absolutè donauerat. 249.18
Succedit tamen in bonis paternis, si pater eius decedat postquam ipse ad sæculum transijt. 259. 20.

Religiosus expulsus aut expellendus à sua religione.

Religiosi professi incorrigibiles iustè expelli possunt à religione. 197.2
Quando censendi sint incorrigibiles? 199.10
Religiosi professi expulsio ad bonum religionis potius, quàm ipsius religiosi ordinatur. 198 5. & 8
Ad hanc expulsionem non requiritur actualis contumacia, sed sufficit incorrigibilitas. 199 7.8
Quæ causæ requirantur vt expulsio sit iusta? ibidem 9. & seq.
Religiosi expulsio iusta in foro externo nunquam est contra iustitiam in interno. 200.12
Et rarò admodum erit contra charitatem. 201. 16.
Religiosum professum iusta de causa expellere à sua religione potest primò Summus Pontifex: Deinde corpus ipsius religionis, nisi hac potestate à summo Pontifice priuetur. ibid. 17. & 18
Est etiam hæc potestas in Generalibus religionũ iure ordinario, non ita tamen in alijs prælatis inferioribus, sed potest illis specialiter, vel generaliter committi. ibid. 19
An, & in quibus religionibus, præter consensum prælati, requiratur etiam consensus aliquorum adiunctorum, vt dicta expulsio sit valida? ibid. 20
Religiosus professus quantumuis expellatur semper manet ligatus votis substantialibus religionis. 202.1

Dein-

Deinde tenetur se emendare, & dignum facere, qui iterum ad suam religionem admittatur. ibid. 4

Tenetur etiam, quantum in se fuerit, in eam iterum recipi; & quandocunque recipiatur in eam ingredi, nisi iam aliam religionem sit ingressus. 203.5. & seq.

Religio non potest credere in perpetuum iure quod habet ad reuocandum expulsos, quando expedierit. ibid. 8

An teneatur eos recipere? 204.13 14

Qui prælati eiusdem religionis eos possint recipere? 205.15

Religiosi expulsi à quibus prælatis iterum admitti possint ad religionem? ibid.

Religiosi expulsi cùm iterum admittuntur an nouam professionem emittere debeant? ibid. 16

An ad eundem gradum antiquitatis & præeminentiæ sint restituendi? ibid. 17

Religiosi expulsi, qui clerici non sunt, an possint puniri propter sua delicta à iudicibus secularibus? 96.2

An possint relaxari brachio seculari à suis prælatis? ibid. 1

Religiosi expulsi iam non sunt subditi prælatorum religionis: nec eis tenentur obedire. ibidem 19

An saltem ex aliquo pacto manere possint obligati prælatis religionis? ibid.

Religiosus expulsus à sua religione potest statim suo arbitrio in aliam religionem strictiorem, vel saltem æquè strictam ingredi, non verò laxiorem. 205.18

Quando possit etiam in laxiorem? ibid. 19

Religiosus expulsus à sua religione, & in aliam ingrediens, an debeat nouam professionem emittere? ibid. 16

Religiosus expulsus non tenetur absolutè aliam religionem ingredi, licet in suam non recipiatur. 206.20

An possit ad id obligari à suis superioribus? ibid.

Quid si ante primum ingressum in religionem vouerat absolutè ingredi religionem? ibid. 21

Religiosus expulsus an teneatur specialiter obedire Episcopo ratione voti obedientiæ; vel ratione status religiosi? ibid. 2. & seq.

Cui Episcopo debeat obedire? 208.7

An se illi præsentare teneatur? 207.6

In quibus illi debeat obedire? 208.10. & seq. & præsertim 18

Religiosus expulsus an teneatur ad regulam suæ religionis, ad recitandum diuini officium, licèt non sit ordinatus in sacris; habirum gestandum, pœnitentias, clausuram, &c. an saltem ad id possit obligari ab Episcopo? 209.11

Religiosus expulsus habitum suæ religionis gestare non potest; & an alium certum habitum gestare teneatur, saltem ex præcepto Episcopi? ibid. 14

Religiosus expulsus potest suo arbitrio mutare domicilium ab vna diœcesi in aliam; & eligere Episcopum cui se subijciat. 210.16

Religiosus expulsus cui acquirat, & sub cuius dominio sint eius bona? 211.19. & seq. & 259.19

Religiosi professi Societatis, an, à quo, & ex quibus causis expelli possint, & cætera ad specialem eorum expulsionem pertinentia, vide verb. *Congregatio Generalis*, & *Professus*.

Religiosorum non professorum Societatis expulsio; seu dimissio, & quid quid ad illam pertinet, vide verb. *Dimissio*, & *Dimissus*.

Religiosus fugitiuus.

Religiosus fugiens à monasterio per aliquod tempus notabile, etiamsi non fugiat animo apostatandi, & manendi in sæculo, peccat tamen mortaliter contra iustitiam, & religionem. 178.2.

Potest tamen talis transfuga excusari à culpa, si fugiat ex iusta causa. Et quæ censeatur causa iusta? ibid. 4. & seq.

An religiosus, qui cum manifesta iniuria vexatur ab inferiori prælato, possit licitè in aliquo casu fugere ad prælatum superiorem? 102.14.15. & 179.4

An specialiter ad Summum Pontificem se conferre possit? 102.16

Et quid obseruari debeat, vt ad superiorem aliquando talis fuga liceat? 179.4

Religiosus damnatus ad perpetuum carcerem an possit licitè fugere? 98.10. & 11

Religiosus damnatus vt fama paulatim pereat, an licitè fugere, & comedere possit? ibid. 11

Religiosi fugitiui per aliquod tempus, sine animo tamen apostatandi an aliquas certas pœnas incurrant? 180.9.10

Religiosi fugitiui cum animo non redeundi ad religionem, etiam si habitum retineant sunt verè apostatæ. 181.12

Qualenam peccatum committant? ibid. 11

Religiosi fugientes à religione relicto habitu, licèt fugiant cum animo redeundi, incurrunt excommunicationem; & in confessione circumstantiam dimissionis habitus aperire tenentur. 182.19

Si verò retento habitu fugiant excommunicationem non incurrunt iure communi. 187.11

Fugitiui à religione quinam censendi sint? ibidem 10

Religiosi fugitiui, qui apostatæ non sunt, in quibus puniri possint vt apostatæ? 188.16

Religiosi fugitiui an sint à prælatis religionis quærendi, & reducendi? 189.17

Religiosi fugientes à monasterio, inconsulto prælato, sed cum animo transeundi ad religionem perfectiorem, an sit peccatum graue? 219.4

Cætera pro religioso fugitiuo, Vide verb. *Apostata*.

Religiosus transiens ad aliam religionem.

Religiosis ex natura rei, & secluso iure humano, licitum est relicta propria religione ad strictiorem aliam propria auctoritate transire. 216. per totum c. 8

Non ita tamen ad laxiorem, vel æqualem. 218.1

Quæ religio censenda sit perfectior, vt ad illam liceat transire? 220.8. & seq.

Religiosis esto sit licitum transire ad aliam religionem, an sit expediens, & consulendum? 218.2

Nec laudandi, nec facile sunt admittendi, qui ad aliam religionem transire volunt. 398.17

Religiosus habens facultatem transeundi ad religionem laxiorem, eo ipso eam habet ad transeundum ad aliam religionem strictiorem illa ad quam habet facultatem. 217.4 &seq.

Religiosus transiturus ad aliam religionem an expectare debeat consensum sui prælati? 219.5 & seq.

Religiosis non tantum ex natura rei, sed etiam ex vi iuris communis licitum est transire ad religio-

gionem arctiorem, de licentia tamen, saltem petita, sui prælati. 223.1. & seq.
Ea verò licentia petita necessaria est sub graui præcepto. 227.17
Peccabit verò mortaliter prælatus eam negans. ibid.
An talis licentia sit ita necessaria, vt sine illa trãsitus sit irritus? ibid.18. & seq.
Quando autem dubitatur an religio, ad quam transeundum est sit arctior necne, non sufficit sola licentia petita, sed requiritur obtenta. 229.27
Quòd si prælatus eam nolit concedere, ad superiorem vtriusque religionis spectabit dubium definire, & quisnam sit huiusmodi superior? ibid.28
A quo, quando & quomodo sit dicta licentia postulanda, vt solum petita sufficiat? ibid.29. & seq.
Dicta licentia petita, iustè tamen à superiore negata vti non potest licitè religiosus. 230.32
In petitione huius licentiæ tenetur religiosus exprimere cum puritate, & veritate causam, qua mouetur ad transeundum ad aliam religionem. ibid.
Religiosus transiens ad aliam religionem strictiorem sine vlla licentia sui superioris, ex vi iuris communis non est apostata. 239.15
An talis sit non transeundo ad strictiorem, vel suppositis indultis suæ religionis, quibus prohibetur hic transitus sine licentia in re obtenta? ibid.16. & seq.
Priuilegia religionum, quibus conceditur, ne religiosi earum, etiam ad strictiorem aliam, transire possint sine facultate obtenta quomodo intelligenda? 236.1
An, & qua ratione talis transitus prohiberi possit à Summo Pontifice? ibid.3. & seq.
Religiosis qua ratione liceat transitus ad religiones strictiores attentis priuilegiis suarum religionũ? ibid.c.12. per totum.
An religio priuilegiata ne ab ea fiat transitus ad alias sine legitima facultate obtenta, tale priuilegium amittat, si nimis relaxetur? 238.14
Prælatus religionis priuilegiatæ, ne ab ea fiat transitus ad arctiorem absque facultate obtenta tenetur facultatem concedere ad hunc transitum religioso eam petenti. 237.9
Religiosus expulsus à sua religione, potest statim suo arbitrio ad aliam religionem strictiorem, vel saltem æquè strictam transire, non verò ad laxiorem. 205.18
Quando possit etiam ad laxiorem. ibid.19
Religiosus expulsus non tenetur ad aliam religionem transire: Et an ad id possit à suis superioribus obligari? 196.20
Quid si ante ingressum in religionem votum religionis absolutè emiserat? ibid.24
Religiosus non potest transire ad religionem æqualis perfectionis sine facultate sui prælati in re ipsa obtenta. 230.1
Quis hanc facultatem dare possit? ibid.2. & seq.
Huiusmodi licentia à Summo Pontifice absque iusta causa concessa, illicita est, sed tamen valida. 231.6. & seq.
Quid si ab aliis prælatis concedatur? 232.9
Religiosis an, & ex qua facultate liceat transitus ad religionem laxiorem? 233.13
Dispensatio sine iusta causa ad transeundum ad religionem laxiorem, etiam à Summo Pontifice concessa, illicita, & inualida est. ibid.14
Et professio subsecuta irrita. ibid.15
Quis dictam licentiam ex causa concedere possit? ibid.16
Quæ sit causa iusta huius licentiæ, seu dispensationis? 235.21
Religiosus vtrum aliquando teneatur postulare dispensationem ad transeundum ad religionem laxiorem? 223.22.23
Conuersi, & Conuersæ, qui professionem in sua religione non emiserunt, transire licitè possunt ad aliam etiam laxiorem. ibid.1
Religiosis quibuslibet trãsire licet ad Carthusiam. 330.6
An liceat etiam ipsis Carthusiensibus transire ad alias religiones. ibid.7. & 8
Religiosus, cui assignatur certum tempus, intra quod aliam religionem ad quam vult transire, ingrediatur, quam obligationem habeat redeũdi ad propriam religionem, si propositum mutet, aut intra præfixum terminum ingredi non possit? 240.22. & seq.
An possit manere in sæculo per totum assignatum tempus, si statim, vbi à propria religione egreditur, ad aliam admittatur? 241.18. & seq.
Religiosis Societatis IESV, qui velint ad Carthusiam transire, conceduntur tres menses intra quos illam ingrediantur: si autem ad alias religiones de licentia superioris sint transituri, certum etiam tempus ab eodem superiore præfigitur, intra quod ingrediantur. 240.22
Eisdem verò præcipitur sub excommunicatione ipso facto, vt nisi intra præfixum terminum ingrediantur, ad propriam religionem redeant: Excommunicationem tamen non incurrent si præfixo tempore transacto breuem aliquam moram fecerint, antequam redeant. ibidem 23. & 24.
An & quantum dicti religiosi peccent manendo in sæculo per totum præfixum tempus, si ante, vel post egressum à propria religione mutauerunt propositum ingrediendi aliam, vel certè intellexerunt non esse ad illam admittendos. 241.25. & seq.
Præterea si dicti religiosi in ea religione, ad quam transierunt non perseuerent nec profiteantur, tenentur sub eadem pœna ad propriam religionem redire, quæ etiam eos iterum admittere tenetur. 242.29. & 30
Si verò in religione, ad quam transierunt, professionem fecerint, & ab ea postea ad sæculum, vel ad laxiorem religionem fugiant, eo ipso iterum iurisdictioni Societatis subiacent, vt contra eos, tanquam Apostatas procedere possit. ibid.31
Non ita tamen si se ad æqualem religionem conferant. ibid.32
Vide etiam in verb. *Professus, & Scholastici.*
Religiosus professus Societatis an, & quib. ex causis de licentia sui Generalis transire possit ad aliam religionem etiam laxiorem? 735.a 1. ad 9
An possint directè in aliquo casu cogi ad hunc transitum? ibid.2.7. & 739.5
An saltem indirectè? 736.7.738.2
Vide etiam verb. *Prælatus.*
Religiosus Societatis, qui vota tantum simplicia emisit, si votis liberetur sub conditione, vt in aliã religionem transeat, & ille postea nolit eam ingredi, Apostata non est: & quomodo cogi, aut puniri possit? 243.37
Religiosus transiens ad aliam religionem, nulla bona eorum quæ acquisiuit in priori religione secũ transferre potest, nisi de licentia superioris primæ religionis. 244.1. & seq.
Vestem tamen deferre potest sine onere restituẽdi eam; An etiam manu scripta, vel instrumenta exquisita alicuius artis, quam exercebat? 245.8. & seq.
Religiosus transiens ad aliam religionem, an saltem deferre possit bona, quæ ratione sui iure hæreditatis

reditatis primæ religioni obuenerunt? 246.1.& seq.
Quid,si non iure hæreditatis obuenerunt, sed ex mera liberalitate ipsius religiosi ea absolutè religioni donantis,vel legantis?248.10.& seq.
Quid si religiosus non absolutè ea donauit, vel legauit, sed tantum sub conditione, nisi postea religionem mutet? 249.16.& seq.
Quid,si transitus fiat ad religionem eiusdem ordinis,seu instituti? 254.16
Religio capax hæreditatis ad quam aliquis religiosus transit succedit in bonis paternis talis religiosi, si parentes eius decedant post transitum ad illam;secus si ante illum. 258.17
Quid si religio non sit capax hæreditatis; aut religiosus transeat ad seculum? ibid.& seq.
Religiosus transiens ad aliam religionem eo ipso amittit omnes prærogatiuas antiquitatis, loci, prælationis,&c. quæ ei competebât ratione professionis in priori religione. 251.1
Ratione tamen professionis omissæ in secunda religione, ad quam transiit, per se loquendo est capax omnium prærogatiuarum sicut cæteri religiosi eiusdem religionis. ibid.2
Si verò transitus fuit à religione aliqua mendicanti ad non mendicantem, eo ipso est incapax multarum prærogatiuarũ, & quænam illæ sint? ibid à n.3.ad 7
Nullus religiosus licitè transferri potest ad aliam religionem diuersi ordinis,siue instituti, nisi vt in claustro sub obedientia maneat: Neque vlla beneficia sæcularia;etiam curata, habere potest. 252.8.& seq.
Secus dicendum si ad religionem eiusdem ordinis transeat. 253.14
Potest verò religioso translato concedi facultas viuendi extra claustrum, sicut cæteris religiosis. 254.17
Potest etiam religiosus translatus esse vicarius Episcopi. ibid.18
Pro voto transeundi aut non transeundi ad aliam religionem,vide *Votum.*

Reprehensio.

Reprehendere alios solius superioris est munus, nõ aliorum. Cum charitate tamen monere omnibus competit;etiam superioribus. 607.5.6
Reprehensio lenitate temperanda est. ibid.6

Reseruatio casuum, vide *Casus reseruati.*

Reus.

Reos morte, & suppliciis liberare,veniam apud iudicem impetrando,officium est charitatis, & religiosis maximè conueniens. 673.10
Qua ratione hoc officium sit obeundum,& an illud in particulari Societas obeat? ibid.11
Reus quando interrogari possit, cùm proceditur via specialis inquisitionis? 693.30
Reus ad hoc vt teneatur iudici respondere, debet illi prius legi processus,vt illi constet de legitimo processu,& probatione contra illum facta. ibid.

S.

Sacerdotium.

Sacerdotalis status perfectio. 382.4
Sacerdotes sunt quasi cor, & stomachus Ecclesiæ ex Chrysost. ibid.

Sapientia, vide *Scientia.*

Scholastici approbati Societatis.

Scholastici Societatis in quo gradu sint in illa,& ad quid admittantur,& ordinentur. 368.12
Scholasticos iuuenes bonis literis in Societate imbui, priusquam ad eius ministeria applicentur conueniens necessarium est. 417.2.3
Nec minus necessarium vt in ea per vota simplicia incorporentur. 418.4.5
Per hanc incorporationem ipsi Societati obligãtur,non verò Societas ipsis. 419.6.7
Et his non obstantibus talis incorporatio licita & sancta est. 420.2.& seq.
Et verum statum religionis constituit. 423.6.
per totum;& 429.12
Nec sine errore in fide dici potest dictos scholasticos Societatis non esse verè ac propriè religiosos. 427.an.5.& 12
Nec solùm hodie verè & propriè sunt religiosi, sed etiam ab initio confirmatæ Societatis tales fuerunt. 426.1.& seq.
Gaudent priuilegio fori, & exemptione religionis. 429.13
Gaudent etiam priuilegiis professorum eiusdem Societatis. ibid.1
Ipsique Societati per vota simplicia sufficienter traduntur,& subiiciuntur. ibid.14.& seq.& 689. 7.8
Scholasticorum Societatis incorporatio per vota simplicia in qua differat ab incorporatione Coadiutorum formatorum per vota etiam simplicia in eadem Societate? 435.8
An hæc incorporatio dicenda sit professio, aut nomine illius venire possit?ibid. c. 6.ferè per totum.
An requirat 16. annum ætatis expletum, & integrum etiam nouitiatus annum,vt valida sit?ib.a & seq.
Quas alias requirat conditiones ex parte Scholastici incorporandi? 436.6.& seq.
Quas etiam ex parte religionis, seu prælati ad illam Scholasticum admittentis? 438. c. 7. per totum.
Scholasticis Societatis dicta vota simplicia religionis ante legitimam ætatem, vel per vim aut metum emittentibus, quinquennium tantum conceditur ad reclamandum. 427.6.& 441.6
Hoc autem intelligitur nisi interfuerit ignorantia,aut impotentia petendi suum ius. ibid.
Vtrum in eis habeat locum tacita professio, seu incorporatio? 440.c.8. totum.
Scholasticorum Societatis ingressus & incorporatio in Societate, an, & quomodo impediatur propter parentum indigentiam? 437.13
Quomodo item per seruitutem? ibid.8
Scholasticorum Societatis gradus perfectione ab vlterioribus,siue professorum, siue Coadiutorũ formatorum,perfectione superatur. 506.5
Scholastici Societatis an veniant in iure nomine professorum,Regularium,& Religiosorum. 433. 3.& seq.
Scholastici iuniores quo fine per biennium ad minimum à reliquis separentur? 541.5
Scholastici Societatis ad nullam religionem præter Carthusiam, liberè possunt transire,propter priuilegium Societati concessum. 430.17
Sed neque id possent tali priuilegio seclusо. ibidem 18
Scholastici Societatis neque ad sæculũ liberè possunt redire,neque si redeant,ab aliquo Episcopo in votis dispensari, aut etiam per bullam Cruciatæ absolui possunt. 431.21.22
Scholastici Societatis quomodo de suis bonis disponere possint? Vide in verb. *Bona, Paupertas,& Testamentum.*
Scholasticorum Societatis studia,& scientiæ, vide verb. *Studia.*
Pro votis simplicibus, quibus dicti Scholastici Societati incorporantur,vide eti m verb. *Votum.*
Eorundem Scholasticorum dimissio, Vide verb. *Dimissio,& Dimissus.*

Scientia.

Scientia seu sapientia vera, cum iustitia est coniuncta, illamque supponit. 514.8
Scientia, maximè Sacrarum Scripturarum, vt benè addiscatur, iustitia simul ac animi puritas procuranda est. ibid. & 521.12
Scientiæ ostentatio aliquando honesta, & vtilis ad salutem proximorum esse potest: & quando? 415.15
Vide etiam in verb. *Studia.*

Scrupulus.

Ad scrupulos tollendos documenta. 664.3

Seculares.

Cum secularibus familiaritas, qua ratione, mensura, & circumspectione à religiosis admittenda? 668.7

Sensus.

Sensuum custodia, maximè oculorum, ad castitatem seruandam necessaria. 456.7
Sensuum mortificatio, vide *Mortificatio.*

Seruitus.

Seruitus quomodo impediat ingressum in Societatem? 457.8

Sigillum.

Sigilli & manus falsificatio quæ, & quando sit peccatum reseruatum in religione? 130.8.9.10
Officiales monasterij vti possunt particularibus & distinctis sigillis. ibid. 8

Simonia.

An à Simonia in ordinum susceptione commissa absoluere possint prælati regulares suos subditos? 141.9

Societatis IESV Religio.

Societatem IESV esse verè ac propriè religionem de fide est. 356.2
In quo hæc religio à cæteris differat? 357.3
Varia illi nomina ab imperitis accommodata. ibid. 4. & seq.
Quòd illi nomen proprium, à quo, qua occasione, fundamento & proprietate inditum? ibidem. 5
Et præcipuè à num. 8. 13
Hoc eius nomen à calumniatoribus defenditur. 358. à 9. ad 14
Societatis finis intentus quis? 360.2. & seq.
Quo pacto perfectio propria & proximorum sit proprius finis illius? 363.9. & seq.
Perfectionem propriam quibus mediis Societas procuret? 365.2. à 1. ad 9. & lib. 8. per totum.
Quibus proximorum salutem? 367.10. & seq. & lib. 9. per totum.
Quo affectu & fructu? 371.6. & seq.
Societas à S. Ignatio fundata. 369.2
Idque indubitato Spiritus sancti instinctu, qui præcipuus huius religionis est auctor. 370. & seq.
Quo pacto id intelligendum? 376.13
Quos in ea effectus Spiritus sanctus operetur? 370.4. & seq. præcipuè n. 7.
Conuenienter ad necessitates Ecclesiæ fuit fundata hæc religio. 369.5
Quam copiosa gratia credendum est à Deo præueniri? 383.10
Societas persecutionibus non solùm infracta, sed aucta & erectior. 372.8
Longe lateque breui dilatata, & sanguine Martyrum fundata, & decorata. ibid.
Societas est religio clericorum, non solùm ratione habitus clericalis, sed ratione proprij instituti. 374. cap. 5. per totum.
Estque quoad substantiam antiquissima. 375.6.7
Et vna ex perfectissimis Ecclesiæ religionibus. 381.3. & seq.
Societas est religio mista, participans æqualiter actiuam & contemplatiuam. 377.2. & seq.
Quomodo in ea actio cum contemplatione cohæreat? 380.10
Societas brachium dextrum Sedis Apostolicæ à Clemente VIII. appellata. 382.5
Societas cur vitam communem, & ab extraordinariis austeritatibus alienam instituerit? 387.5. & seq. & præsertim n. 9. & 12.
Quantum in hac vitæ ratione Christum, & Apostolos imitetur? 388.2. à 7. ad 10. & 389. numero 15.
Quomodo in hoc vitæ genere regulam simpliciter strictam & rigorosam profiteatur? 392.17
Societatis bonum non in multitudine & quantitate personarum, sed in qualitate positum est. 404.2
Societas prius fuit verâ religio, quàm in ea esset solennis professio; imò priusquam in ea fierent vota auctoritate Pontificia. 61.4
Societatem ingressuri quo delectu, & diligẽtia examinandi, & admittendi? 404.2. & seq.
Societatem ingressuri tenentur veritatem aperire ad interrogationes quæ illis fieri solent: sub qua obligatione: & an grauiter interrogantem decipientes, valide recipiantur? 405.5. & seq.
Societatis in suos potestas & iurisdictio quæ & quãta sit? 684.1
Quanta & qualis resideat in Congregationibus ac prælatis illius? Vide in verb. *Congregatio Generalis*, & *Prælatus.*
Societatis institutum nunquam immutari debere quoad substantialia. 731.17.18
Quibus modis contingere potest religiosam Societatis statum immutari. 719. lib. 11. in procem.
Societatis Professi, Coadiutores, Scholastici, Domus, Collegia, &c. Vide in propriis verbis.
Solitarius, vide *Eremita*, & *Eremitica vita.*

Spiritus.

Spiritus dignoscere necessarium, est iis, qui ad perfectionem tendunt. 657.32
Ad eos dignoscendos regulæ. ibid. 35. & seq.
Non quilibet dictis regulis vti potest, sed tantum viri spirituales, & sapientes. 659.41
Spiritum nomine quid intelligatur? ibid.

Spiritus sanctus.

Spiritus sanctus principalis fuit auctor Societatis. 370.4
Quomodo id intelligendum? 374.13
Quos in ea effectus operetur? ibid. num. præsertim 7.

Sponsus, vide *Coniuges.*

Status.

Ad statum constituendum quæ stabilitas requiratur? 425.10
Statum aliis eligendum determinare, vel suadere, an & qua ratione expediat? 665. & 4.5
Status religionis per vota simplicia constitutus an dici debeat de iure humano, & status per vota solennia de iure diuino? 423.4.5

Status religionis per vota simplicia potest esse perfectior statu per vota solennia. 430.18

Statutum.

A religione habente potestatem condendi statuta condi potest statutum contrarium negatiuè iuri canonico, vel etiam naturali; non tamen positiue. 403.5
Vide etiam in verb. *Constitutio & Regula.*

Stipendium.

Stipendij acceptio pro ministeriis spiritualibus, vide *Ministeria spiritualia, & Paupertas.*

Studia.

Studium literarum, maximè sacrarum, vtile & cõueniens est omnibus religionibus, & Societati, aliisque salutem proximi procurantibus necessrium: neque impedit spiritus profectum. 368.11. & 465.2.3. & seq.
Studiis literarum aptiores sunt religiosi, quàm seculares. 514.8
Studium literarum tria impediunt; quænam illa sint, & quomodo illis occurrendum? 483.3. in fine.
Studium ac peritia literarum humaniorum, linguarum, ac liberalium artium, maximè conuenit Euangelicis prædicatoribus, neque statui religioso repugnat. 516. cap. 2. per totum, præcipuè verò religiosis Societatis est necessarium. 517.5. & seq.
Studia Societatis conuenienti modo & ordine instituta esse. 518.1. & seq.
Studia literarum quo fine prosequenda. 519.4. & seq.
Quis ordo in eis seruandus? 518.1.2
Quibus mediis Societas suorum scholasticorum studia promoueat? 521. 11. & sequentibus.
Studiis literarum infestissimi quinam fuerint, & quanto cum Christianæ reipub. detrimento? 523.1
Studia publica & vniuersitates habere, & in eis docere an Societati, & religioso statui conueniat? ibid. 3. & seq.
Quæ disciplinæ à religiosis ibi tradendæ? ibidem 4.
Conuenienter institui potest religio, quæ ad finem docendi in vniuersitatibus ordinetur. 524.7
Quin etiam ex antiquis religiosis multi hãc docendi curam susceperunt. ibid. 5. & 6
In studiis, seu vniuersitatibus, quæ per Societatem non administrantur, eius religiosi acceptare possunt cathedras, non tamen eas procurare, opponendo se, &c. 525.9
Et in iis etiam (nec dum in suis) gradus Doctoratus, & alios possunt accipere: cum certis tamen conditionibus. ibid. 10. & seq.
Vniuersitates admittere potest Generalis Societatis solo suo consensu, eas vero dissoluere, non sine consensu Congregationis Generalis. 167.6

Superior, vide *Prælatus.*

Suspensio.

Suspensio clericis imposita ob concubinatum vera censura non est, & potest tolli per solam pœnitentiam. 142.15

T.

Temperantia.

TEmperantiæ medium quod? 388.6
Qua ratione hoc medium in victu dignosci possit?
Quantum iuuet ad castitatem? 665.2

Tentatio.

Tentationes dæmonum grauius oppugnant proficientes in via illuminatiua, quàm incipientes in purgatiua. 651.8.9
Tentationes grauissimas patiuntur moribundi. 671.1

Testamentum.

Testamentum validum condere possunt religiosi Societatis solenniter non professi absque licentia superioris, qui tamen illud irritare poterit, si velit. 468.13
Nec solùm viuente testatore, sed etiam post eius mortem potest superior testamentum eius sine licentia factum irritare, eique tunc succedetur ab intestato. ibid. 14
Testamentum condentes sine licentia superioris quantum peccent dicti religiosi Societatis. ibid. 13.15
Quid facere possint dicti religiosi in casu necessitatis absente superiore, à quo facultas testandi postuletur? ibid. 13. & 14
An etiam, & quantum peccet nouitius Societatis condens testamentum, post expletum primum annum nouitiatus, absque licentia superioris? ibid. 16
Testamentum moribundis conficere, eisve confitendis assistere, regulariter iuxta suas regulas non possunt religiosi Societatis. 672.3
Vide etiam verb. *Moribundus.*

Testis.

Testes in regulari iudicio publicandi non sunt. 717.13
An sufficiant singulares in eodem iudicio ad plenam probationem. 721.38
Vide etiam verb *Inquisitio.*

Theatini.

Theatinorum religio quem habet fundatorem, & quam similitudinem cum Societate? 357.4

Tortura.

Tortura etiam habet locum in religiosis, quando reus interrogatus post semiplenam probationem delictum negat. 721.32
Transitus religiosi ad aliam religionem, vide verb. *Religiosus ad aliam religionem transiens.*

Triremes.

Triremium pœna an sit conueniens pro religiosis? 97.4
Damnati ad triremes qua ratione absolui possint à confessariis Societatis? 633.19

V.

Velum.

VElum sanctimonialium quotuplex? 315. à 5. & 15.
Velum consecrationis olim solis virginibus dari poterat. ibid. 6
An in aliquo casu etiam corruptis? 316.7. & seq.
An corrupta possit illud procurare? 317.11
Quo tempore, & ætate dandum? ibid. 13
A quo prælato? ibid. 12
An veli cõsecratio aliquam spiritualem gratiam conferat? ibid. 14

Venatio.

Venatio religiosis prohibita peccatum mortale nõ est secluso scandalo. 46.2

Virgines, vide in verb. *Consecratio, Monialis, & Velum.*

Virtus.

Virtus amorem conciliat. 610.1
Virtutes veræ & solidæ quænam sint. 614.2
Maximè in Societate commendantur, & quare? 615.3
Quibus mediis in Societate procurentur? ibid. 4. & seq.
Virtutum gradus varij numerantur, & explicantur. 655.25

Visitatio.

Quibus prælatis in Societate ex officio incumbat visitare domos, & Collegia? 738.3
Cætera vide verb. *Inquisitio.*

Vita.

Quæ sit perfectior, vita solitaria, an cœnobitica? 281.14
Quæ antiquior? 282.19
Vtra vita sit perfectior actiua, an contemplatiua, an ex vtraque mista? 291.cap 5.per totum.
Vtra tutior? ibid.2
Quomodo hæc membra inter se distinguantur, & quid vnumquodque sibi peculiare includat? ibid.cap.5.à principio.
Vita mista à multis Patribus commendatur. 297.11
Et simpliciter perfectior cæteris iudicatur. ibidem 2.8
Vide etiam in verb. *Religio.*
Vita actiua vt oritur ex contemplatiua est sigillum & consummatio perfectionis. 391.15
Vita actiua an præcedere debeat contemplatiuam, an è contra? 541.6.& seq.

Vnctio extrema, vide *Extrema vnctio.*

Vnio.

Vnio & charitas inter fratres quibus mediis in Societate concilietur & foueatur? 607. cap. 7. & 8. per omnia.

Vnitas.

Vnitas pluralitati præfertur. 277.8
Vnitas religionis vnde desumenda? vide verb. *Religio, & Finis.*

Vniuersates, vide in verb. *Studia.*

Voluntas.

Voluntas qua ratione pendeat ab intellectu? 499. 12. 13.

Votum.

Vota reseruata Pontifici æquè sunt indispensabilia à prælatis regularibus, atque ab Episcopis. 105.|10
Quam verò potestatem ad dispensandum in votis subditorum habent prælati regulares, vide in verb. *Dispensatio.*
Votum religionis arctioris, quod religiosus professus emittit, non est simpliciter votum religionis, nec reseruatum. ibid. 10
Votum simplex religionis arctioris extinguitur per professionem in qualibet religione etiam laxio-
ri. 206.21
Votum transeundi ad religionem perfectiorem irritari non potest à superiore religiosi vouentis. 219.5
Votum non transeundi ad aliam religionem quando & quomodo obliget? 217.7.& seq.
An addat aliquod vinculum supra professionem? ibid.8. & 9
Vota personalia religiosorum tolli possunt à prælatis eorum, non ita tamen vota status, & quæ sint vota status? 110.33.37
Vtrùm possit summus Pontifex votum aliquod substantiæ religionis annexum irritare? 559.14
Vota substantialia religionis quomodo obligent religiosum factum Episcopum? vide verb. *Episcopus.*
Voti religiosi obligatio est diuersa ab obligatione regulæ tale votum fieri obligantis. 109.28
Vota simplicia sufficiunt ad verum statum & traditionem religiosam, si ita acceptentur ab Ecclesia. 186.5.& 543.1
Votum quo aliquis tertiæ personæ obligatur non extinguitur per professionem si tertiæ personæ præiudicet. 336.16
Vota simplicia per quæ religiosi Societatis IESV simão nouitatus biennio religioni incorporantur, non extinguitur eo ipso quòd illis concedatur licentia transeundi ad aliam religionem, extinguentur tamen per professionem, quando eam emiserint. 243.37
Imò neque per professionem extinguentur, nisi legitima facultas à superioribus Societatis eis concedatur ad talem transitum. 80.16
Quæ votorum obligatio & perfectio sufficiat ad substantiam status religiosi constituendam? 287.16
Vota castitatis, paupertatis & obedientiæ, qua vigilantia, rigore & perfectione in Societate obseruentur? 365.4
Vota quæ nouitij Societatis in nouitiatu emittunt, quantum obligent, & quanta cum consideratione illis sit danda facultas ad ea emittenda? 411.10
Vota simplicia scholasticorum Societatis verum & proprium statum religiosum constituunt. 423.c. 3.per totum.
Neque id negari potest sine errore in fide. 427.5
Nec solùm hodie, sed semper ab initio confirmatæ Societatis verum religiosum statum constituerunt. 426.1
An talis status per vota simplicia dicendus sit de iure humano, siue Pontificio, status verò per vota solennia de iure diuino ita vt maxime in hoc differant hi status? 423.4.5
Vota simplicia scholasticorum Societatis ex dispositione Pontificis irritant professionem in qualibet alia religione (excluſa Carthusia) absque licentia superiorum Societatis postea factã. 431.19
An etiam secluſa dispositione Pontificis? ibid.
Irritant etiam subsequens matrimonium. 450.8
An etiam antecedens matrimonium ratũm? vide *Matrimonium.*
Quælibet vota in sæculo emissa commutari possunt in dicta vota simplicia Societatis. 431.23
Et quidem vota incompossibilia cum statu & votis simplicibus Societatis in sæculo emissa, nõ solum commutari possunt in illa vota sed etiam ex vi ingressus in Societatẽ suspenduntur. 432.24
An idem dicendum sit de compossibilibus? ibid. & 25
An vota per dictum ingressum in Societatem suspensa reuiuiscant, si religiosus ab ea eiiciatur? ibid.24

Vota simplicia scholasticorum Societatis, vt vouēs valide per ea Societati incorporetur, & fiat religiosus, emitti debent publice. 438.1
Et coram aliquo habente potestatem incorporandi in Societate. ibid. & 3
Et coram aliis etiam tanquam testibus, quamuis hoc non sit de substantia. 440. in fine.
Quæ forma necessariò seruanda in emittendis dictis votis? ibid.
An forma à Societate præscripta quoad omnes particulas sit substantialis? ibid.
Defectus substantialis in emissione horum votorum suppleri potest de consensu superioris in publica renouatione votorum, quam sexto quoque mense faciunt religiosi Societatis non professi, neque formati. 441.4
Vota simplicia scholasticorum Societatis an aliquādo possint esse nulla & quomodo validari possint? ibid.
Vota simplicia scholasticorum Societatis quibus modis dissolui possint? ibid. 1. & seq.
Ab Episcopis, & prælatis etiam Societatis sunt indispensabilia. 111.38
Solus Papa in eis potest dispensare, sicut in qualibet alia professione. 442.3.4
Irritari verò possunt iure ordinario à Societate, & eius Præposito Generali; ab aliis vero non nisi ex commissione Generalis, vel Societatis. 443.6
Vtrùm id liberè & sine iusta causa valide fieri possit? ibid. 7. & seq.
Vide etiam verb. *Dimissio.*
Vota Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, vide in verb. *Castitas, Paupertas, Obedientia.*
Promissio, quam scholastici Societatis vltra tria vota substantialia faciunt, an sit votum, & ad quid obliget? vide *Promissio?*
Vota, quæ professi Societatis post professionem suam emittunt, quàm sint conuenientia? 528.2
Hæc vota non sunt solennia, sed tantum simplicia. 580.c.11. per totum.
Cætera pro his votis in particulari, vide in verb. *Dignitas, Episcopus, & Professus.*
Vota religionum militarium, vide verb. *Militares ordines.*

Soc.tis Jesv Paderb. 1633.

FINIS.


Th
902a



VII

SVAREZ
in 2 2 D.Th.
Tom IV et V.
De Religione
Tom III et IV

D.V.7

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN